B. 289. R. 4105

DIVI

GREGORII PAPÆ, HVIVS NOMINIS PRIMI, COGNOMENTO MAGNI, OMNIA QVÆ EXTANT, OPERA,

NVNC DEMVM ACCVRATISSIMA COLLATIONE cum multis exemplaribus ſcriptis recognita, repurgata & aucta, melioríque ordine & typis elegantioribus excuſa.

IN QVIBVS QVID HAC POSTREMA EDITIONE ſit præſtitum, ex præfatione ad Lectorem, & quæ ſingulis Tomis continentur, ex eorum Catalogo, Folio abhinc xxxviij. licebit cognoſcere.

Cum Indice duplici, altero rerum, verborum & ſententiarum, altero locorum ſacræ ſcripturæ explicatorum, necnon in ſpecie pugnantium.

PARISIIS,
Apud Sebaſtianum Niuellium, ſub Ciconiis, via Iacobæa.
1571.

Cum priuilegio Regis.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

B. 289. R. 4105

DIVI

GREGORII PAPÆ, HVIVS NOMINIS PRIMI, COGNOMENTO MAGNI, OMNIA QVÆ EXTANT, OPERA,

NVNC DEMVM ACCVRATISSIMA COLLATIONE cum multis exemplaribus ſcriptis recognita, repurgata & aucta, melioríque ordine & typis elegantioribus excuſa.

IN QVIBVS QVID HAC POSTREMA EDITIONE ſit præſtitum, ex præfatione ad Lectorem, & quæ ſingulis Tomis continentur, ex eorum Catalogo, Folio abhinc xxxviij. licebit cognoſcere.

Cum Indice duplici, altero rerum, verborum & ſententiarum, altero locorum ſacræ ſcripturæ explicatorum, necnon in ſpecie pugnantium.

PARISIIS,
Apud Sebaſtianum Niuellium, ſub Ciconiis, via Iacobæa.
1571.
Cum priuilegio Regis.

PRIVILEGII SVMMA.

CAROLVS ix. Francorum rex, sub diplomate sanxit; ne quis opera D. Gregorij Magni, Papæ, ex collatione complurium exemplarium scriptorũ, in celeberrimis bibliothecis conquisitorum recognita, & quibusdam libris aucta, ante decennium à die primæ editionis numerandum, præter Sebastianum Niuellium bibliopolam, ad eius castigationis exemplum imprimat, neue alibi impressa diuendat in Galliis. Secus qui faxit mulcta fisco applicanda, aliisque pœnis indictis damnabitur; vt latiùs patet in literis Priuilegij indultis Lutetiæ x. Aprilis, 1571.

R. P. D. PETRO GONDIO, PARISIORVM EPISCOPO IOANNES GILLOTIVS CAMPANVS S.

CVM nuper in recognoscendo D. Ambrosio experiẽtia didiscissem nihil tam sanctũ ac religiosum, nihil tam integrũ & perfectũ esse, quod ab hæreticis nõ polluatur atque cõtaminetur, aut aliquo saltẽ errore suspectũ non habeatur, cœpi etiam hos D. Gregorij magni papæ libros cum scriptis exẽplaribus conferre: vt si quid esset in tanto doctore deprauatũ aut immutatum (quod in plerisque veterũ patrum monumentis accidit) restituerem, studióque meo, quantuluncũque est, ab illis erroribus qui vel iniuria tẽporum vel hominũ oscitantia inducũtur, vindicarẽ. In quibus tamen relegendis & conferẽdis nõ ita multa reperimus vitiata, & in aliã sententiã traducta: quòd tãta sit vbique dictionis æqualitas in scriptis Gregorianis, tãta semper styli similitudo, ac tã aptè cõtinuata oratio simplex & popularis, nullóque fuco picturata, vt nihil addi queat, quod ab alio proficiscatur, nihil deprauari, quod nõ facilè deprehendatur. Sed multa omissa, multa resecta, multa denique vitio temporũ & librariorum incuria cõfusa perperámque digesta vel detracta offendimus. Si enim esset necesse possem nõ magno labore numerare citra dictiones suppositiias & pro aliis suffectas, plus quàm sexcẽtos errores nostra qualicunque opera sublatos. Quos dum emendaremus, tale adhibuimus iudicium, vt nõ statim quod in scriptis codicibus occurrebat diuersum reponeremus, sed quod magis sensui conuenire & Gregorianam phrasim ac mentem referre videbatur subiiceremus. quod verò lectioni receptæ præferri minimè oportere existimauimus, ad marginẽ reiecimus. vbi etiã tam canones quàm distinctiones quæ in decretis ex D. Gregorio citãtur, similiter appẽdimus. & in singulis libris sententias sacræ scripturæ quã enarratione prosequitur, diuerso characterũ genere distingui studuimus. Nec verò solùm hanc operam nostram impendimus, vt quanta fieri posset diligentia, ea quæ diximus, præstaremus, sed istud quoque curauimus, vt Gregorius nunc postremò, si liceret, locupletior quàm antea in manus hominũ deueniret. Neque sanè conatũ nostrũ successus omnino destituit. Nã operi tot accessit quorundã locorũ sacræ scripturæ Cõcordia, cui D. Gregorij nomẽ præfixũ reperimus in exẽplari manu scripto, nusquã gẽtiũ, quod sciam, hactenus impressa. accesserunt & Gregoriani flores ex omnibus eius libris nuper magna cura selecti. Commentationes autem de vita & moribus tanti pontificis, cùm prius essent seorsum quidem editæ, & ex multis voluminibus repetendæ, visum est plerisque religionis Christianæ, bonarúmque literarũ cultoribus non ingratum laborem futurum, si temporis ratione adscripta, quo singuli authores illarum floruerint, vno eodemque ordine & velut libro in frontispicio huius voluminis redigerentur. Sic enim quæ ab vno erant prætermissa, ab altero posse suppleri, & Gregorianum volumen gratius fore arbitrabantur. Attamen idipsum certus sum non magnopere probatum iri à nonnullis, vt qui nolint eadem lectoribus bis obtrudi, ne repetita sæpius fastidium creent. Ego verò cùm non ignorem quæ pulchra quæque diuina habentur, non semel, sed iterum ac tertiò repetita multum commodare lectori posse, malui in aliquorum reprehensionem incurrere, quàm virorum bonorum atque doctissimorum, à quibus honestè dissentire minimè poteram, voluntati nõ paruisse. Maximè verò D. Ioan. Ferrerij, tibi, R. P. tuísque omnibus deditissimi, ad cuius consilium omnes meas actiones, omnia studia, omnésque curas nunquam me pœnitebit direxisse, atque omnem viuendi rationem instituisse, & quoad fieri licuit, cõformasse ad exemplũ hominis integerrimi & eruditissimi, quo vno vtor omnium familiarissimè. Nam illum veneror & colo, sicut alterum parentem: obseruo & amo, sicut charissimum amicum. Ille vicissim me sic amplectitur & diligit, vt filium: sic hortatur & monet, vt amicissimũ. Cuius etiam suasu inflammatus hũc D. Gregoriũ nostra opera sic restitutũ & locupletatum, tibi, R. P. dicare & offerre non dubitaui. Etsi antea vehementer cupiebam meo aliquo labore T. R. demereri, scriptísque meis cùm daretur locus, tibi gratias agere. Haud enim per te stetit, quin honore & commodis auctus, reliquum quicquid superest vitæ, in trãquillo degere possem. Cuius rei debitum si tibi soluere, aut saltem gratiam referre nequeo, tentare tamen aliquid volui, quo meæ in te voluntatis testimonium & non ingrati animi significationẽ darem, ea in re potissimum, in qua non ægrè operam ipse ponere soleo, & quam literarum sacrarum candidatis vtilem, tibíque non iniucundam fore sperarem. Rogo te igitur, id quicquid est nostri laboris, & hanc nostrã qualemcunque referendæ gratiæ voluntatem, æqui bonique consulas. Quod si feceris, & nobis se in posterum eius declarandæ alia commodior & uberior obtulerit occasio, efficiam quoque vt cognoscas habere te neminem nec in referenda gratia, nec in commemorandis tuis beneficiis me superiorem. Vale.

IDEM CANDIDO LECTORI, DE huius editionis recognitione & vtilitate.

QVANTVM laboris & molestiarum sit tolerandum in restituendis veterum librorum deprauationibus, norunt illi qui duram aliquãdo correctionis prouinciam susceperunt, eámque rectè administrare contenderunt. Omnes enim animi neruos in id intendere oportet, vt quod habetur in manibus, exeat, si fieri possit, fideliter emendatum, & ita in integrum restituatur, vt non tam correctum, quàm veræ & pristinæ dignitati redditum esse iudicetur. Quæ res ferè tota ab ipsis exemplaribus iísque perantiquis miniméque corruptis tempore, aut ignauia scribarum, pendere videtur. Exemplaria verò si inter se dissideant, vt sæpenumero contingit, iudicio opus est ad delectum, ita vt ea summa fide & religione seligantur, quæ vel ex ipsa sententia, dicendi ordine & phrasi, vel ex cognitione rerum vera & germana esse clarè appareant. In quo sanè præstando plurimum est tædij & difficultatis, minimum verò vtilitatis iis qui in eo pistrino versantur. Nam fructus omnis & vtilitas, quæ inde prouenit, ad ipsum lectorem redit, sic tamen, vt non modò non sentiat aliorum sudores, quibus in otio fruitur, sed ne vix suum quidem commodum percipere possit, nisi & ipse cum vulgatis antea codicibus, bellè restitutos conferat. Inde fit, vt quò magis id nesciat, eò sit procliuior ad calumniandum & carpendum aliorum conatus, si fortè alicubi dormitatum vel cessatum animaduerterit, si denique operarum negligentia aliquid prætermissum, detortum aut confusum deprehenderit. Quanuis enim accuratissimus quisque in recognoscendo aliquo scriptore extiterit, fit tamen nescio quo errore, vt plerunque ex emendatis inemendata reddantur, pluréſque maculæ derelictæ, quàm deletæ comperiantur. Quod quidem iam euenisse doleo in D. Ambrosio nuper edito. Cùm enim meas correctiones, quæ mihi & aliis, quorum consilio, quando incidebant difficultates vtebar, tantum temporis & vigiliarum toto biennio constiterant, cum impressis confero, mihi videor operam & oleum perdidisse. Alicubi enim reperio non solùm quæ correxeram non restituta, sed etiam mendosiora reposita, & pro vulnusculo vulnus propè immedicabile inflictum esse. Quod idem ne contingeret in hoc D. Gregorio, perspectum est diligentissimè ab iis qui officinæ pręfuerunt, quos cùm prælo adesse nobis nõ vacaret, monuimus sæpe, vt id quod bene castigatum dabamus, sedulò curarent. Neque in hoc quidem authore repurgando nobis cum tot errorum portentis, atque prius in D. Ambrosio, fuit dimicandum, non tot calamo resecanda, non tot indignè auulsa supplenda, non tot denique reiecta vel perperam mutata, restituenda venerunt. Quicquid tamen nos semel atque iterum versando, maturóque iudicio meditando, atque accuratissima collatione cum scriptis exemplaribus, quorum magnam nobis copiã fecerunt celeberrimæ Parisiorum bibliothecæ, recognoscendo sarcire potuimus, præstitimus sanè, sedulámque operam dedimus, vt omnia & meliori ordine, & nitidioribus formis iísque diuersis pro rerum varietate cuderentur. Atque hæc quidem in toto Gregorio, de quibus hactenus dixisse sufficiat. Nunc quid in eius singulis elucubrationibus sit præstitũ, quæ fuerit inscriptionis quorundã librorũ diuersitas, qui operum numerus ac methodus, quod authoris & aliorũ de quibusdã iudicium & cẽsura, paucis cõmemorare non pigebit.

Ac primum quidem occurrit in beatum Iob Expositio in xxxv. libros distincta & ab ipso Gregorio, licet prius Homilias se fecisse testetur epist. 41. lib. 1. cùm inquit: *Ea autem quæ in beatum Iob expositione dicta fuerant, & vobis dirigenda scribitis, quia hæc verbis sensibúsque petentibus per homilias direxeram, vt cunque studui in librorum ductum permutare, qui nunc à librariis conscribuntur.* Nam & postea, nempe epist. 22. lib. 10. appellat Commenta in beatum Iob, citátque ipse in parte tertia, & in versu, nõ per homilias. Vnde etiã colligere est perpetuã tunc fuisse cuiusque partis explicationẽ. Nosque eandem continuã singulorum librorum reperimus in quinque voluminibus scriptis, quorũ præsidio hîc sumus vsi: & in exemplari seorsum ab aliis operibus Venetiis impresso, anno 1496. nisi quòd is qui sententias siue flores selegerat in ordinem vel indicem alphabeticum phabeticũ, numeros lateri marginum adscripserat: non tamen vt ipse in capita libros distribueret, sed (sic enim pręfatur) vt quod quis quęreret, faciliùs inueniret. Inde (vt arbitror) nata est occasio, vt eodem postea loco vetus illa capitum distinctio notaretur. Nobis tamen visa est multò fore commodior, si iuxta vniuscuiusque propositionis titulum siue argumentum fieret, notata in margine antiqua illa & recepta dudum sectione, vt loci antea citati, hîc etiam conuenirent, & quærenti statim occurrerent. Quantum autem huic expositioni tribuerint veterum patrum iudicia, ipso etiam Gregorio teste apparet, qui quòd hanc episcopi iam dum adhuc in carne esset, legere publicè ad vigilias cœpissent, fieri prohibuit: *Quia* (inquit epist. 22. lib. 10.) *non est illud opus populare, & rudibus auditoribus impedimentum magis quàm prouectum generat.* Eam tamẽ adhibuit diligentiam in exponendo hoc libro, qui alioqui magnis difficultatibus est inuolutus, & obiter scripturarum testimonia ad elucidationẽ expositionis assumpta explicãdo, conciliandóque pugnantia, vt nõ solum genuinum sensum enarrauerit, verumetiam allegorias cuiuscũque fidelium moribus aptandas ostenderit. de quibus in epistola ad Leandrum huic operi præfixa mentionem facit. Ideoque moralis expositio nuncupata est, quòd in ea rectè viuendi rectéque operandi ratio demonstretur.

Sequitur liber cui titulus est, de Pastorali cura, in quatuor partes ab ipso quoque Gregorio, vt indicat præfatio, nõ autem in capita distinctus. Nam in vetustioribus scriptis codicibus, quibus adiuti sumus, erat continua series orationis cuiusque partis, non cãpitulatim interrupta. In aliis verò ipsamet capitum diuisio cum argumento illi non multùm dissimili, quod habetur in vulgatis, reperitur. In hoc libro, quẽ in episcopatus sui exordio scripsit, vt idem refert epist. 46. cap. 90. lib. 4. quales episcoporum esse oporteat functiones atque occupationes, ita piè & eruditè cõplectitur, vt si quis ambabus vlnis excipere velit quę tradũtur, & ipse illibatis & inculpatis moribus viuere, aliósque ad bene viuendi studium ex euãgelicis præceptis incendere discet. Qua re motus Anastasius, Antiochię episcopus, vt Gręcarũ antistites ecclesiarũ ad huiusviri instituta se & alios suæ curę creditos cõformarẽt, librũ hũc ex Latino in Grecũ sermonẽ trãstulit. Quod tamẽ nõ probauit ipse Gregorius. ait enim epist. 22. li. 10. *Græci qui meliora habẽt, in minimis occupãtur.* Minima enim modestiæ & humilitatis gratia suos libros curæ pastoralis appellat.

Quatuor quoque libros dialogi de miraculis patrũ Italicorũ cõposuit, vt ipse narrat epist. 50. cap. 89. lib. 2. Maximino, episcopo Syracusano sic scribens: *Fratres mei qui mecum familiariter viuunt, omnimodo me compellunt aliqua de miraculis patrum, quæ in Italia facta audiuimus, sub breuitate scribere.* Quo magis miror Germanos, in postrema editione, nescio quo animo in dubium reuocasse an essẽt D. Gregorij, adeo (sic enim censent) & genio & serie orationis, grauitate & industria distant à reliquis eius scriptis omnibus. nec legisse apud Ioan. Damascenũ & Euthymium cæterósque Græcos scriptores, authorem horum dialogorum esse Gregorium, (quem etiam Dialogum appellant) Zachariámque primum, qui anno centesimo & quadragesimo pòst, Romanam rexit ecclesiam, Græcis auribus dedisse sub titulo Gregorij, hos quatuor dialogorum libros. nisi fortasse quia sit odiosa stomachúmque eis moueat tantorum miraculorum enumeratio, quam vt imminuant aut eleuent, & lectores ab eorum arceant persuasione, Gregorij non esse comminiscuntur. Et hæc quidem tomo primo continentur.

IN ALTERO, primùm Cantica Canticorum explicat, breuiter quidem, sic tamen vt nihil intactum relinquens, quod ad verum literæ intellectum faciat, etiam quæ ad mores & ad mysticam rerum cœlestium contemplationem pertinent, aperiat: quia (vt ait in pręfatione) *in Canticis Canticorum vita contemplatiua exprimitur.* De his præterea ita loquitur epist. 22. lib. 10. *Quia me loquentem de Prouerbiis, de Canticis Canticorum, de Prophetis, de libris Regum & de Heptateucho audierat* (Claudius nempe, Classitanæ ciuitatis abbas) *quæ ego scripto tradere præ infirmitate non potui, ipse ea suo stylo dictauit, ne obliuione deperirent, vt apto tempore hæc eadem mihi inferret, & emendatius dictarentur.* Vnde apparet D. Gregorium illa quidem ex professo non scripsisse, sed quæ de iis ad populum verba faciebat, ab aliis excepta esse. Quæ si postea politius limauerit necne, non est facilè cuiquam de omnibus certò pronuntiare. Sed ex his iam desiderantur quę de Prouerbiis dictata esse memorat. Nec extant libri septem in Heptateuchum, quos cum aliis, Ioannes Diaconus testatur ab inuidis post obitum authoris antè concrematos quàm editos.

In Prophetas nullæ habentur commentationes, etsi in omnes edidisse dicatur: nisi Homiliæ

in Ezechielem viginti duæ: duodecim ſcilicet in tria prima capita Ezechielis, quæ primo libro cõtinentur: & decem in cap. 40. de viſione ædificandi tẽpli in Hieruſalem, quæ ſecundo libro cõplectuntur. Eas autem à notariis exceptas & tandem recognitas habuit ad populũ, cùm magnis & animi & corporis doloribus premeretur, vrbíque calamitas obſidionis, ad quam feſtinabat Longobardorum rex, imminet. Vide vtriuſque libri præfationẽ, & finem totius commentationis, vbi conqueritur ſe multis curis obrutum non potuiſſe abſoluere Ezechielis librũ, timoréque perculſum non vbique attigiſſe myſticum ſenſum, ad quem penetrare mens turbata non ſufficit.

In Euangelicas autẽ lectiones quæ in ſacris miſſæ myſteriis leguntur, ad emendationẽ ædificationémque fideliũ Homilias quadraginta partim dictauit, vt plebi aſſiſtenti per notarium recitarentur, partim corã populo ipſe, Notario excipiente, explanauit, vt aſſerit in prologo Homiliarũ. Et in epiſt. 53. lib. 7. ad Secundinũ, (cui hos libros à ſe recognitos dicauit) ſic de his ſcribit: *Tranſmiſi duos Homiliarũ codices, quas dixi in Eccleſia, dum adhuc loqui præualerem: vt quia ipſe te videre tibique ſedulè colloqui non poſſum, charitati tuæ, vel per ea quæ ſcribere valui, abſens non ſim.*

Edidit præterea moralẽ Cõmentarium in ſeptem pſalmos pœnitentiales, breuẽ quidem, ſed facili fidelíque interpretatione. Id videtur annuere, cùm Ioanni ſubdiacono Rauennæ ſcribẽs de Mariniano, ne publicè legi commenta in Iob pateretur, ait epiſt. 22. lib. 10. *Dic ei vt commenta Pſalmorum legi ad vigilias faciat, quæ mentes ſecularium ad bonos mores præcipuè informent.* Ideoque non video quorſum tendat, aut quo nitatur fundamento illorũ ratio, qui aſtruunt D. Gregoriũ eo tempore fuiſſe & doctiorẽ, & iudicij integrioris, multæque inſuper lectionis: quia, inquiunt, antea nullius ſcriptoris, hîc verò in vltimi pſalmi enarratione, beati Auguſtini, Hieronymi ac aliorum mentionem faciat. Nam & alibi eoſdem nominatim citat ſæpiſſime: hîc verò non in ſeptimi & vltimi pſalmi enarratione, ſed in principio primi & quinti, & in ſecundo.

In libros Regum, quorum expoſitionem, vt ipſemet aſſerit, primus omnium Latinorum aggreſſus eſt, extant continuata profuſáque oratione libri ſex ſuper ſexdecim prima primi libri capita, quæ exponenda propoſuerat, vt (ſic enim ait in præfatione) *periculum faceret, ſi vltrà progredi exponendo deberet.*

Denique epiſtolarum libros tot memoratur ſcripſiſſe ad diuerſos, quot annos in pontificatu fuit, ex quibus plures deſumptæ ſunt diſtinctiones & regulæ quæ recenſentur in Decretis.

Hactenus igitur de ſingulis D. Gregorij voluminibus dictũ ſit. Nã de Concordia quorundã locorum ſacræ ſcripturæ, quam hîc recẽs adiecimus, noſtrum iudicium præfiximus in limine opuſculi. Flores etiam Gregoriani præmiſſam habent præfationem eius qui ſelegit & concinnauit: nec opus eſt hîc pluribus de iis agamus, ſi tamen prius monuerimus nos præterea vtrãque capitum diſtinctionem, veterem ſcilicet & nouam, quæ eſt in Moralibus, in his quoque accommodaſſe.

SED quia multi quæ ab ipſo profuſa orationis copia conſcripta fuerunt, ac pluribus voluminibus extenſa in compendium contraxerunt, non videbitur alienum ſi nominatim quoſdam paucis enumerem. Odo, abbas Cluniacenſis primus, in exiguum volumen coëgit opus Commentariorũ in Iob: & Symon Affligemẽſis, in decem libellos. Patherius, Gregorij diſcipulus, ex omnibus eius ſcriptis libros tres explanationum in varios locos vtriuſque teſtamenti contraxit: quarum partem iam tum inchoatam Gregorius commendauit, ipſúmque Patherium ad opus perficiẽdum hortatus eſt. Alalphus, monachus Benedictinus, ex iiſdẽ collegit opus Excerptionum in nouum teſtamentum, quod inſcripſit Gregorianum: & Guernerus Pariſienſis digeſſit libros ſexdecim de allegoricis typis nominum ac rerum omnium, quæ in ſacris literis continẽtur. Beda in ſeptimnm & vltimum librum explanationis, quam ſcripſit in Cantica Canticorum, coaceruauit omnia quæ ſparſim de hoc volumine per cuncta ſua opuſcula Gregorius diſſeruit. Alij denique ex huius pontificis præclaris elucubrationibus commentaria collegerunt in vniuerſam ſcripturam ſacram. Sed in præſentia hæc ſint ſatis, quæ pro vſu & commodo lectorum de huiuſce recognitionis vtilitate, de ſingulorum ſcriptorum Gregorij ratione collecta ex eius potiſsimum libris, & de nonnullis qui ea in compendium redegerunt, dicenda habuimus.

COMMENTATIONES EX DIVERSIS AVTHORIBVS, DE VITA ET MORIBVS DIVI GREGORII PAPAE PRIMI, SELECTAE.

Vixit hic anno Domini. 600.

De inundatione Tyberis, & de beato Gregorio Papa, Ex lib. x. hiſtoriarum D. Gregorij Turonenſis.

Cap. I.

ANno quintodecimo Childeberti regis, Diaconus noſter ab vrbe Roma cum ſanctorum pignoribus veniens retulit, quòd anno ſuperiore, menſe nono, tanta inundatione Tyberis fluuius vrbem Romam obtexerit, vt ædes antiquæ diruerentur. Horrea etiam Eccleſiæ ſubuerſa ſint, in quibus nonnulla millia modiorum tritici periere. Multitudo quoque ſerpentium cum magno dracone in modum trabis validæ, per huius fluuij alueum in mare deſcendit. Sed ſuffocatæ beſtiæ inter ſalſos maris turbidi fluctus, littore eiectæ ſunt. Subſecutaque eſt è veſtigio clades, quam inguinariam vocant. Nam medio menſe vndecimo adueniens, primum omnium, iuxta illud, quod in Ezechiele propheta legitur: A ſanctuario meo incipite: Pelagium papam perculit. Quo defuncto magna ſtrages populi de hoc morbo facta eſt. Sed quia eccleſia Dei abſque rectore eſſe non poterat, Gregorium diaconum plebs omnis elegit.

Hic enim de Senatoribus primis, ab adoleſcentia deuotus Deo, in poſſeſsionibus propriis ſex in Sicilia monaſteria congregauit. Septimum intra vrbis Romæ muros inſtituit, tantam illis delegans terrarum copiam, quanta ad victũ quotidianum præbendum ſufficeret. Reliqua vendidit cum omni præſidio domus, ac pauperibus erogauit. Et qui antè ſerico contextu, ac gemmis micantibus ſolitus erat per vrbem procedere trabeatus, nunc tenui contectus veſtitu ad altaris Dominici miniſterium conſecratur, ſeptimuſque Leuita ad adiutorium Papæ aſciſcitur. Tanta inſuper ei abſtinentia in cibis, vigilantia in orationibus, ſtrenuitas in ieiuniis erat, vt infirmato ſtomacho vix conſiſtere poſſet. Literis grammaticis dialecticiſque ac rhetoricis ita eſt inſtitutus, vt nulli in vrbe ipſa putaretur eſſe ſecundus. Hunc apicem attentiùs fugere tentans, ne quod prius abiecerat, rurſum accipiendo ei in ſeculo de adepto honore iactantia quædam ſubreperet, epiſtolam ad Imperatorem Mauritium dirigit, cuius filium ex lauachro ſancto ſuſceperat, conteſtans eum & multa prece depoſcens, ne vnquam conſenſum præberet populis, vt ſe huius honoris gloria ſublimarent. Sed præfectus vrbis Romæ germanus eius, anticipauit nuntium, & comprehenſo eo ac diſruptis epiſtolis, conſenſum quem populus præbuerat, Imperatori direxit. At ille gratias Deo agens pro amicitia ipſius Diaconi, quòd tãti honoris locum reperiſſet, data præceptione ipſum iuſsit inſtitui. Cumque in hoc reſtaret vt benediceretur, & lues populum deuaſtaret, verbum ad plebem pro agenda pœnitentia in hunc modum exorſus eſt.

Oratio beati Gregorij papæ ad Plebem.

Cap. II.

OPortet, fratres dilectiſsimi, vt flagella Dei, quę metuere ventura debuimus, ſaltem præſentia & experta timeamus. Conuerſionis nobis aditum dolor aperiat, & cordis noſtri duritiam ipſa, quam patimur, pœna diſſoluat. Vt enim Propheta teſte prædictum eſt, Peruenit gladius vſque ad animam. Ecce etenim cuncta plebs cœleſtis iræ mucrone percutitur, & repentina ſingulari cæde vaſtantur, nec languor mortem præuenit, ſed languoris moras, vt cernitis, mors præcurrit. Percuſſus quiſquis antè rapitur, quàm ad lamenta pœnitentiæ conuertatur. Penſate ergo qualis ad conſpectum diſtricti iudicis peruenit, cui non vacat flere quod fecit. Habitatores quique non ex parte ſubtrahũtur, ſed pariter corruunt: domus vacuæ relinquuntur, filiorum funera parentes aſpiciunt, & ſui eos ad interitum hæredes præcedũt. Vnuſquiſque ergo noſtrum ad pœnitentiæ lamenta confugiat, dum flere ante percuſsionem vacat. Reuocemus ante oculos mentis quicquid errando cõmiſimus, & quod nequiter egimus, flendo puniamus. Et prę-
B ueniamus faciem eius in cõfeſsione, & ſicut propheta admonet, leuemus corda noſtra cum manibus ad Deum. Ad Deũ quippe corda cum manibus leuare, eſt orationis noſtræ ſtudium cum merito bonæ operationis erigere. Dat profecto, dat tremori noſtro fiduciam, qui per Prophetam clamat. Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Nullus autem de iniquitatum ſuarum immanitate deſperet: veternoſas namque Niniuitarum culpas triduana pœnitentia abſterſit, & conuerſus latro vitę præmia etiam in ipſa ſententia ſuæ mortis emeruit. Mutemus igitur corda, & præſumamus nos iam percepiſſe quod petimus. Citius ad precem iudex flectitur, ſi à prauitate ſua petitor corrigatur. Imminente ergo tantæ animaduerſionis gladio, nos importunis fletibus inſiſtamus. Ea nanque quæ ingrata eſſe hominibus importunitas ſolet, iudicio veritatis placet, quia pius & miſericors Deus,
C vult à ſe precibus veniam exigi, qui quantum meremur non vult iraſci. Hic etenim per Pſalmiſtam dicit: Inuoca me in die tribulationis tuæ, eripiam te, & magnificabis me. Ipſe ergo ſibi teſtis eſt, quia inuocantibus miſereri deſiderat, qui admonet vt inuocetur. Proinde, fratres chariſsimi, contrito corde, & correctis operibus, ab ipſo feriæ quartæ primo diluculo, ad ſeptiformen litaniam iuxta diſtributionem inferius deſignatam, deuota ad lachrymas mente veniamus, vt diſtrictus iudex, cùm culpas noſtras nos punire conſideraverit, ipſe à ſententia propoſitæ damnationis parcat. Clerus igitur egrediatur ab eccleſia ſanctorum martyrum Coſmæ & Damiani, cum presbyteris regionis ſextæ. Omnes verò Abbates cum monachis ſuis, ab eccleſia ſanctorum martyrum Geruaſij & Prothaſij cum presbyteris regionis quartæ.
D Omnes Abbatiſſæ cum congregationibus ſuis, egrediantur ab eccleſia ſanctorum martyrum Marcellini & Petri cum presbyteris regionis primæ. Omnes infantes ab eccleſia ſanctorum martyrum Ioannis & Pauli cum presbyteris regionis ſecundæ. Omnes verò laici ab eccleſia protomartyris Stephani cum presbyteris regionis ſeptimæ. Omnes mulieres viduæ ab eccleſia ſanctæ Euphemiæ cum presbyteris regionis quintæ. Omnes autem mulieres coniugatæ egrediantur ab eccleſia ſancti martyris Clementis cum presbyteris regionis tertiæ: vt de ſingulis eccleſiis exeuntes cum precibus & lachrymis, ad beatæ Mariæ ſemper virginis genitricis Domini noſtri Ieſu Chriſti baſilicam congregemur, vt ibi diutiùs cum fletu ac gemitu Dominum ſupplicantes, peccatorum noſtrorum veniam promereri valeamus.

E Hæc cùm dixiſſet, cõgregatis clericorũ cæteris pſallere iuſsit per triduũ, ac deprecari Domini miſericordiam. Hora igitur tertia veniebãt omnes chori pſallentiũ ad eccleſiã, clamantes per plateas vrbis, Kyrie eleiſon. Aſſerebat autem diaconus noſter qui aderat, in vnius horæ ſpatio, dum voces plebs ad Dominum ſupplicationis emiſit, octoginta homines ad terram corruiſſe, & ſpiritum exhalaſſe. Sed non deſtitit Sacerdos tantus prædicare populo, ne ab oratione ceſſarent. Ab hoc etiam Diaconus noſter reliquias ſanctorum, vt diximus, ſumpſit, dum adhuc in Diaconatu degeret. Qui

cùm post elationē latibula fugæ præpararet, capitur, trahitur, & ad beati apostoli Petri basilicam deducitur, ibique ad pontificalis gratiæ officium consecratus, Papa vrbi datus est. Sed noluit Diaconus noster nisi post episcopatum eius confirmatum redire, & nisi prius qualiter ordinatus esset, præsenti contemplatione suspiceret.

Floruit hic anno domi. 740.

VITA GREGORII MAGNI, ROMANI PONTIFICIS PER VENERABILEM Bedam Presbyterum scripta.

Est in historia ecclesiastica Anglicana eiusdē lib. 2. cap. 1.

ANno Dominicæ incarnationis quingentesimo centesimo quinto, beatus Papa Gregorius, postquam sedem Romanæ & Apostolicæ ecclesiæ tredecim annos, menses sex, & dies decem gloriosissimè rexit, defunctus est, atque ad æternam regni cælestis sedem translatus. De quo nos conuenit, quod nostram, id est Anglorum gentem de potestate Satanæ ad fidem Christi sua industria conuertit, latiorem in nostra historia Ecclesiastica facere sermonem: quem rectè nostrum appellare possumus & debemus Apostolum, quia cùm primum in toto orbe gereret Pontificatum, & conuersis iamdudum ad fidem veritatis esset prælatus in ecclesia, nostram gentem eatenus idolis mancipatam Christi fecit ecclesiam: ita vt Apostolicum illū de eo liceat nobis proferre sermonem: Quia etsi aliis non est Apostolus, sed tamen nobis est. Nam signaculum apostolatus eius nos sumus in Domino. Erat autem natione Romanus, ex patre Gordiano, genus à proauis non solum nobile, sed & religiosum ducens. Deinde Felix eiusdem sedis Apostolicæ quondam episcopus, vir magnæ gloriæ in Christo & in Ecclesia, fuit eius atauus: sed & ipse nobilitatem Religionis non minorem, quàm parentes & cognati, virtute deuotionis exercuit. Nobilitatem verò illam, quam ad seculum videbatur habere, totam ad nanciscendam supernæ gloriam dignitatis, diuina gratia largiente, conuertit. Nam mutato repente seculari habitu, monasterium petiit, in quo tanta perfectionis gratia cæpit conuersari, & sicut ipse postea contestari solebat flendo, animo illius labētia cuncta subter essent, vt rebus omnibus, quæ voluuntur, emineret, nunquam nisi cœlestia cogitare soleret, vt etiam recenter corpore ipsa iam carnis claustra contemplatione trāsiret, vt mortem quoque, quę penè cūctis pœna est, videlicet vt ingressum vitę & laboris sui præmium amaret. Hæc autem ipse de se, non profectum iactando virtutum, sed deflendo potius defectum, quem referre consueuerat, sibi per curam pastoralem incurrisse videbatur. Deniq; tempore quodam secretò cum Diacono suo Petro colloquens, enumeratis animi sui virtutibus priscis, mox dolendo subiunxit: At nunc ex occasione curæ pastoralis secularium hominum negotia patitur, & post tam pulchram quietis suæ speciem, terreni actus puluere fœdatur. Cumque pro condescensione multorum se ad exteriora sparserit, etiam cùm interiora appetit, ad hæc proculdubio minor redit. Perpendo itaque quid tolero, perpendo quid amisi: dúmque intueor illud quod perdidi, fit hoc grauius quod porto.

Hæc quidem sanctus vir ex magnæ humilitatis intentione dicebat, sed nos credere decet nihil eum monachicæ perfectionis perdidisse occasione curæ pastoralis: imò potiorem tunc sumpsisse profectum de labore conuersionis multorum, quàm de propriæ quondam quiete conuersationis habuerit, maximè quod & Pontificali functus officio, domum suam monasterium facere curauit. Et dum primum de monasterio abstractus, ad ministerium altaris ordinatus, atque Constantinopolim Apocrisiarius ab Apostolica sede directus est, non tamen in terreno conuersatus palatio, propositum vitæ cœlestis intermisit. Nam quosdam fratrum ex monasterio suo, qui eum gratia germanæ charitatis ad Regiam vrbem secuti sunt, in tutamentum cœpit obseruantiæ regularis habere, videlicet vt eorum semper exemplo (sicut ipse scribit) ad orationis placidum littus quasi anchoræ fune restringeretur, cum incessabili causarum secularium impulsu fluctuaret, concussámque seculi mentem actibus, inter eos quotidie per custodiam lectionis roboraret eloquium.

Horum ergo consortio non solum à terrenis munitus incursibus, verumetiam ad cœlestia exercitiis vitæ magis succensus. Nam hortati sunt eum, vt librum beati Iob magnis inuolutum obscuritatibus, mystica interpretatione discuteret, neque negare potuit opus quod sibi fraternus amor multis vtile futurum imponebat. Sed eundem librum quomodo iuxta literam intelligendus, qualiter ad Christi & Ecclesiæ sacramenta referendus, quo sensu vnicuique fidelium sit aptandus, per triginta quinque libros expositionis miranda ratione perdocuit. Quod videlicet opus in Regia quidem vrbe Apocrisiarius inchoauit, Romæ autem iam factus pontifex impleuit. Qui cùm esset adhuc in vrbe Regia positus, nascentem vbi vnam hæresim de statu nostræ resurrectionis, in ipso quo exorta est initio, iuuante se gratia catholicæ veritatis, attriuit. Siquidem Eutichius eiusdem vrbis episcopus dogmatizabat, corpus nostrum in illa resurrectionis gloria impalpabile, ventis, aëréque subtilius esse venturum. Quod ille audiens & ratione veritatis, & exemplo Dominicæ resurrectionis probauit, hoc dogma orthodoxę fidei omnimodis esse contrarium, Catholica etenim fides habet, quod corpus nostrum in illa immortalitatis gloria sublimatum, subtile quidem sit per effectum spiritalis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ, iuxta exemplum Dominici corporis, de quo à mortuis suscitato dicit ipse discipulis: Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa nō habet, sicut me videtis habere. In cuius assertione fidei venerabilis pater Gregorius in tantum contra nascentem hæresim laborare contendit, tantáque hanc instantia iuuante etiam piissimo Imperatore Tiberio Constantino, comminuit, vt nullus exinde sit inuentus qui eius resuscitator existeret. Alium quoque librum composuit egregium, qui vocatur Pastoralis, in quo manifesta luce patefecit, qualis ad ecclesiæ regimen assumi, qualiter ipsi rectores viuere, qua discretione singulas quasque audientium instituere personas, & quanta consideratione propriam quotidie debeant fragilitatem pensare. Sed & Homilias euangelij numero quadraginta composuit, quas in duobus codicibus æqua sorte distinxit. Libros etiam Dialogorum quatuor fecit, in quibus rogatu Petri Diaconi sui virtutes sanctorum, quos in Italia clariores nosse vel audire poterat, ad exemplum viuendi posteris collegit: vt sicut in libris expositionum suarum, quibus sit virtutibus insudandum edocuit, ita etiam in scripturis sanctorum & miraculis, quæ virtutum eorumdem sit claritas ostēderet. Primam quoque & vltimam Ezechielis prophetę partem, quę videbantur obscuriores, per Homilias viginti duas declarauit, ac quantum lucis intus habeant, demonstrauit. Non excepto libello Responsionum, quas ad interrogationes S. Augustini primi Anglorum episcopi scripsit, vt supra docuimus, totum ipsum libellum his inserentes historiis: libello quoque synodico, quem cum episcopis Italiæ de necessariis ecclesiæ causis vtilissimum composuit: & familiaribus ad quosdam literis. Quod eo magis mirum est, tot eum ac tanta condere volumina potuisse, quod penè omni iuuentutis suæ tempore (vt verbis ipsius loquar) crebris viscerum doloribus cruciabatur, horis momentisque omnibus fracta stomachi virtute lessescebat, lentis quidem, sed tamen continuis febribus anhelabat. Verum inter hæc dum sollicitus pensaret, quia scriptura teste, omnis filius qui recipitur, flagellatur, quo malis præsentibus duriùs deprimebatur, eo de æterna certiùs præsumptione respirabat. Hæc quidem de immortali eius dicta ingenio, quod nec tanto potuit corporis dolore restringi. Nam alij quidem Pontifices construendis ornandisque auro vel argento ecclesiis operam dabant: hic autem totus erga animarum lucra vacabat. Quicquid pecuniæ habuerat, sedulus hoc dispergere ac dare pauperibus, vt iustitia eius maneret in seculum seculi, & cornu eius exaltaretur in gloria: ità vt illud beati Iob veraciter dicere posset: Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi, quod liberassem pauperem vociferantem & pupillum, cui non erat

non erat adiutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Iustitia indutus sum, & vestiui me sicut vestimento & diademate, iudicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, & causam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prędam: & paulo pòst. Si negaui, inquit, quod volebant, pauperibus, & oculos viduę expectare feci. Si comedi bucellam meam solus, & nō comedit pupillus ex ea: quia ab infantia mea creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum. Ad cuius pietatis & iustitiæ opus pertinet etiam hoc, quòd nostram gentem per prædicatores, quos huc direxit, de dentibus antiqui hostis eripiens, æternæ libertatis fecit esse participem. Cuius fidei & saluti congaudens, quæque digna laude cōmendans, ipse dicit in expositione beati Iob: Ecce rem, lingua Britanniæ, quæ nihil aliud nouerat, quàm barbarum frendere, iandudum in diuinis laudibus Hebræum cœpit Alleluia resonare. Ecce quōdam tumidus, iam substractus sanctorum pedibus seruit Oceanus, eiusque Barbaros immites, quos terreni principes edomare nequiuerant, hos pro diuina formidine, sacerdotum ora simplicibus verbis ligant: & qui cateruas pugnantium infideles nequaquam metuerent, iam nunc fideles humilium linguas timent. Qui enim perceptis cœlestibus verbis, clarescentibus quoque miraculis virtus ei diuinæ cognitionis infunditur, eiusdem diuinitatis terrore refrenatur, vt graue agere metuat, ac totis desideriis ad æternitatis gratiam venire concupiscat. Quibus verbis beatus Gregorius hoc quoque declarat, quòd S. Augustinus, & socij eius, non solùm prædicatione verborum, sed etiam cœlestium ostēsione signorum, gentem Anglorum ad cognitionem veritatis perducebant.

Fecit inter alia beatus papa Gregorius, vt in ecclesiis beatorum Apostolorum Petri & Pauli super corpora eorum missæ celebrarentur. Sed & in ipsa Missarum celebratione tria verba maximæ perfectionis plena superadiecit: Dicíque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari. Rexit autem ecclesiam temporibus imperatorum Mauritij & Focatis. Secundo autem eiusdem Focatis anno transiens ex hac vita migrauit ad veram, quæ in cœlis est, vitam. Sepultus verò est corpore in ecclesia beati Petri Apostoli ante secretarium, die quarto Iduum Martiarum, quandoque in ipso cum cæteris sanctæ ecclesiæ pastoribus resurrecturus in gloria. Nec silentio prætereunda opinio quæ de beato Gregorio traditione maiorum ad nos vsque perlata est: qua videlicet ex causa admonitus tam sedulam erga salutem nostræ gentis curam gesserit. Dicunt, quia die quadam, cùm aduenientibus nuper mercatoribus multa venalia in forum fuissent collata, multíque ad emendum cōfluxissent, ipsum Gregorium inter alios aduenisse ac vidisse inter alia pueros venales positos candidi coloris, ac venusti vultus, capillorum quoque forma egregia. Quos cùm aspiceret, interrogauit (vt aiunt) de quà règione vel terra essent allati: dictúmque est, quod de Britannia insula, cuius incolæ talis essent aspectus. Rursus interrogauit, vtrum iidem in ea insula essent Christiani, an paganis adhuc erroribus essent implicati. Dictum est, quòd essent pagani. At ille intimo ex corde, longa trahens suspiria: Heu proh dolor, inquit, quòd eam lucidi vultus homines tenebrarum author possidet, tantáque gratia frontis speciei mentem ad internam gratiam vacuā gestat. Rursus ergo interrogauit, quod esset vocabulum gentis illius. Responsum est quòd Angli vocarentur. At ille, Bene, inquit, nam & Angelicam habent faciem, & tales angelorum in cœlis decet esse cohærēdes. Quod habet nomen ipsa prouincia, de qua isti sunt allati? Responsum est, quòd Deiri vocarentur iidem prouinciales. At ille inquit, Bene Deiri, de ira eruti, & ad misericordiam Christi vocati. Rex prouinciæ illius quomodo vocatur? Responsum est, quòd Elle diceretur. At ille alludens ad nomen ait: Alleluia laudem Dei creatoris illis in partibus oportet cantari. Porrò accedens ad pontificem Romanæ & apostolicæ sedis (nondum enim erat ipse pontifex factus) rogauit, vt genti Anglorum in Britanniam aliquos verbi ministros, per quos ad Christum conuerterentur, mitteret: seipsum paratum esse in hoc opus Domino cooperante perficiendum, si tamen Apostolico papæ hoc vt fieret, placeret. Quod dum perficere non posset, quia etsi pontifex concedere illi quod petierat, voluit, non tamen eiues Romani, vt tam longè ab vrbe secederet, potuerūt permittere. Mox vt ipse pontificatus officio functus est, perfecit opus diu desideratum, alios quidem prædicatores mittens, sed ipse prædicationem, vt fructificaret, suis exhortationibus ac precibus adiuuans. Hæc iuxta opinionem, quæ ab antiquis accepimus, historiæ nostræ ecclesiasticæ inserere optimum duximus.

ELOGIVM IOANNIS TRITHEmij, pro Ioanne Diacono.

Ioannes Diaconus Ecclesiæ Romanæ vir in scripturis sanctis eruditus, & secularium literarum non ignarus, vita & conuersatione non secus, quàm doctrina venerabilis, scripsit ad multorum ædificationem, ad Ioannem septimum (aliis octauum, Platinæ nonum, eundemque facit authorem horum quatuor librorum de vita S. Gregorij.) *satis illustri stylo grande volumen quod continet, Vitam S. Gregorij Papæ primi, lib. 4. Et quædam alia. Claruit sub Carolo Caluo Imperatore, Anno Domini 870.*

INCIPIT PROLOGVS IN VITAM SANCTI GREGORII editam à Ioanne Diacono Romano.

Beatissimo ac felicissimo domino Ioanni sanctæ catholicæ & apostolicæ Romanæ Ecclesiæ præsuli, Ioannes vltimus Leuitarum.

NVper ad vigilias beati Gregorij Romani pontificis, Anglorum scilicet gentis Apostoli, lectione de Paulino ciuitatis Nolanæ præsule consuetudinaliter personante, visus es à venerabilibus Episcopis diuino quodam instinctu commotus, requirere, cur tantus pontifex, qui multorum sanctorum vitas texuerat, gestis propriis in propria duntaxat Ecclesia caruisset: præsertim cùm & apud Saxones, & apud Longobardorum sibi prorsus infensissimam gentem, gestis propriis vbique polléret. Cúmque venerabiles Episcopi has ab vtrisque gentibus haberi quidem, sed compendiosissimè, responderent: meam quoque paruitatem conscíscens, præceperas vt vitam ipsius de scrinio sanctæ sedis Apostolicæ tantò plenius, quantò & certiùs carpere studuissem. Sed dum ego propriæ inertiæ conscius, me meis prioribus, ac per hoc sapientioribus, qui vitam eius, licet breuiter, tamen pio conatu, pulcherrimóque stylo descripserant, conferre penitus dubitarem, identidem iubendo vehementer hortatus es, vt Romanæ sedis pontificem, eiusdem sedis præsulis authoritate describerem, cui Deus omnipotens probandorum seu repellendorum scriptorum omnium specialem dederit proculdubio potestatem. Itaque tam imperiosis authoritatibus tandem compulsus, vix primum librum Gregorianæ vitæ compleueram, quando hunc in eiusdem vigiliis annua vertigine reuolutis, tua probauit pariter ac publicauit authoritas. Ergo sollicitior factus ad cætera, pauca de multis te incentore, te præceptore, te fautore, téque iudice colligens, in libris quatuor auxiliante Domino, coarctaui: & secundum distributionem eiusdem doctoris, qua librum regulæ pastoralis quadripartita ratione distinxerat, ergo quoque illum qualiter ad † culmen regiminis venerit, in primo huius operis libro perhibui: & ad hoc ritè perueniens, qualiter vixerit, in secundo disserui: & bene viuens qualiter docuerit, in tertio designaui: & rectè docens, infirmitatem suam quotidie quanta consideratione cognouerit, in quarto concluſi. Neque magnopere tempora temporibus contuli, sed rebus similibus similia coaptaui: quoniam re vera non tantum quando fecisset, sed quantum fecisset, sollicitus deflorare curaui. In quibus quanquã multa & varia memoratu digna studio breuitatis omiserim, nihil me memini posuisse, quod scriptorum veterum authoritate nequeat defendi, exceptis illis miraculis quæ nostris temporibus facta, multorum adhuc superstitum viuis vocibus celebrantur. Si cui tamẽ, vt assolet, visum fuerit aliter, ad plenitudinem scrinij vestri recurrẽs, tot chartaceos libros Epistolarum eiusdem patris, quot annos probatur vixisse, reuoluat. Et quia quædam illarum vario tempore destinatæ, † varium sensum retinent: eædémque nonnullis integræ, quibusdam verò parte aliqua diminutæ pro personarum, locorum, siue temporum dispensatione videntur, finétenus relegendo conspiciat: sicque demum lucidam veritatem cognoscens, me aut cum amasiis defendat, aut cum osoribus arguat: quanquam in eo quòd tuo iudicio placeo, cunctis veritatem tuentibus me perpetuò placiturum fore præsumam. Peto igitur vt sicut tuis iussionibus parui humiliter: sic beati Gregorij precibus, & in hoc seculo ab æmulorum insidiis, & in futuro à peccatorum nexibus merear misericorditer liberari, Per Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

Romanus pontifex probãdorũ seu repellendorum scriptorum omniũ ab omnipotẽti Deo Cẽsor est deputatus.

† *al. locum.*

† *al. varietatem sensuum.*

Sanctorum preces hic ab æmulorũ insidiis, & in futuro à peccatorũ nexibus liberam.

EXPLICIT PROLOGVS.

INCIPIVNT CAPITVLA libri primi.

1 De genere beati Gregorij.
2 Quod φερώνυμος fuerit.
3 De institutione eius.
4 Vbi prætor vrbanus exprimitur.
5 Vbi sex monasteria in Sicilia fecit.
6 Vbi sub abbatibus in suæ domus monasterio militans, postmodum abbas efficitur.
7 Vbi paschali sabbato ieiunare non valet.
8 Vbi à Domino ieiunandi fortitudinem impetrat.
9 Vbi mater Syluia ei consuetudinaliter legumina mandat.
10 Vbi duabus vicibus ab angelo Dei tentatur, tertia verò liberalissimus comprobatur.
11 Vbi frater furtum faciens à dæmonio vexatur, & à Gregorio liberatur.
12 Vbi fugitiuus frater cæcatur, & à nigri canis morsibus liberatur.
13 Vbi frater fugam molitus à dæmone corripitur, à Gregorio liberatur.
14 Vbi fratrum latebræ immobilitate caballorum cognoscuntur.
15 Vbi frater Iustus pro re peculiari seueriter in morte punitur.
16 Vbi eius anima de inferni cruciatibus liberatur.
17 Vbi dimissis peccatis Antonius mori iubetur.
18 Vt Gerontius cum quibusdam fratribus se asserit moriturum.
19 Vbi Ioannes ab Apostolo sanatus à defuncto vocatur.
20 Vbi frater Merulus ex albis floribus se somniat coronatum.
21 Vbi de venalibus Anglorum pueris percontatur.
22 Vbi pro conuertendis Anglis Britanniam petiturus absoluitur.
23 Vbi à præsule tribus sententiis consternato redire iubetur.
24 Vbi per locustam se cognoscit continuò reuersurum.
25 Vbi à monasterio tractus diaconus consecratur.
26 Vbi Constantinopolim apocrisarius destinatur.
27 Vbi pro exponendo libro beati Iob enixè rogatur.
28 Vbi cum Eutychio disputans victor agnoscitur.
29 Vbi liber Eutychij ab Augusto ignibus deputatur.
30 Vbi Eutychius moriens pellem manus suæ tenebat, dicens se in ea veraciter resurrecturum.
31 Vbi apocrisariatus Gregorij qualitas declaratur.
32 Epistola Pelagij papæ Gregorio mittitur.
33 Vbi Maximianus cum fratribus à naufragio liberatur.
34 Vbi Romana vrbs diluuio Tyberis inundatur.
35 Vbi Athesis fluuius mirabiliter solidatur.
36 Vbi dracone cum bestiis in mari necato † aër corrumpitur. † *vel aqua.*
37 Vbi sagittis cœlestibus cladem ferentibus Pelagius præsul extinguitur.
38 Vbi Theodorus à dracone liberatus conuertitur.
39 Vbi Gregorius ad pontificatum nolens eligitur.
40 Vbi pontificatum subterfugere gestiens, imperatori literas latenter mittit.
41 Vbi pro concione pœnitentiam prædicat.
42 Vbi septiformem litaniam localiter ordinat.
43 Vbi octoginta homines pestilentia prosternuntur.
44 Vbi ab vrbe diffugiens indicio cœlesti monstratur: & reductus primæ sedis pontifex consecratur.
45 Vbi noluisset summum sacerdotium veraciter demonstratur.
46 Vbi discretionis eius perfecta qualitas indicatur.
47 Vbi conabatur extra mundum & extra carnem fieri, & ad speciem anhelare.
48 Vbi condoluit ruinæ suæ gemitum renouari.
49 Vbi ex scriptis Anastasij patriachæ quasi beatitudinis requiem, salutem accipiens, fontem sitiens, vmbram æstuans inuenit.
50 Vbi ab Andreæ illustris charitate & animo non recessit.
51 Vbi Ioannis ex consulis bona excellentiæ sit expertus.
52 Vbi Leandro Hispalensi episcopo respondere noluit epistolis ad se transmissis.
53 Vbi cum magno angore animi summum sacerdotium susceperit.
54 Vbi inuestigare superna iudicia nullus homo sufficere queat.

INCIPIT LIBER PRIMVS.

i. GREGORIVS genere Romanus, arte philosophus, Gordiani viri clarissimi & beatæ Syluiæ filius, præfuit Romanæ sedi annis tredecim, mensibus sex, diebus decem, temporibus Tiberij, Mauritij & Phocæ Augustorum. Iste senatoria stirpe progenitus, tam nobilissimam quàm etiam religiosissimam genealogiam duxit, ita vt quartus Felix Apostolicæ sedis pontifex, vir magnæ in Christi Ecclesia reuerentiæ, qui basilicam sanctorum Cosmæ & Damiani martyrum via sacra iuxta templum Romuli sicut hactenus cernitur, venustissimè fabricauit, eius atauus fuerit: & beata virgo Tharsilla, quæ moritura promissionis cœlestis audiuit harmoniam, & Iesum Christum ad se recipiendum videre meruit, amita nihilominus eius extiterit.

ij. Quam Gregorius geminæ nobilitatis lineam piis moribus extulit, probis actibus exornauit, adeò vt præsagio quodam Græcè γρηγοριὸς, quod latinè Vigilantius resonat, vocaretur. Nam recta quæ docturus erat, dum viuis operibus adimpleuit, sibimetipsi vtique se vigilasse perdocuit: dum verò recta quæ faciebat, docendo quoque disseruit, vigilasse quoque dignoscitur, non solùm sibi, sed etiam futuri temporis Christianis.

iij. Siquidem inerant ei in tenera ætate matura iam studia, & auditurus incognita, religiosis senibus indagator solertissimus adhærebat: sumptáque doctrinæ semina tenaci memoriæ ruminanda, quæ pòst in populos mellito declamaret gutture, congerebat. Denique docilis adolescens cùm transmisso communiter stylo surgentis infantiæ, ad biuium Pytagoricæ literæ peruenisset, incunctanter sinistrum ramum cum seculi voluptate relinquere, & ad dextrum cœpit cum cœlesti desiderio totis viribus anhelare.

iiij. Sed dum conuersionis suæ gratiam longius protrahens, tutius se Christo famulaturum putaret, si sub Prætoris vrbani habitu mundo specie tenus deseruiret, cœperunt multæ contra eum ex eiusdem seculi curæ succrescere, ita vt non iam, sicut proposuerat, specie, sed in eo retineretur & mente.

Aedificare monasteria, eáque facultatibus dotare gratum est opus deo.

v. Tandem patre orbatus, vbi liberam disponendarum rerum suarum nactus est facultatem, sex monasteria in Sicilia fabricans, sufficientibus fratribus cumulauit: quibus tantum prædiorum contulit, quãtum posset ad victum quotidianum Deo illic militantium sine indigentia suffragari.

Qui de recenti fiebat monachus, relictis secularibus vestibus nouũ habitum induebat.

vj. Septimum intra Romanæ vrbis mœnia sub honore sancti Andreæ Apostoli iuxta basilicam sanctorum Ioannis & Pauli ad cliuum Scauri monasterium in proprio domate fabricauit. In quo, relictis sericis, auro gemmísque radiantibus togis, simúlque supellectilibus reliquis, in vsum pauperum erogatis, ex huius mundi naufragio nudus euasit: diúque desideratum monachicum capiens indumentum, primo sub Hilarionis, deinde sub Maximiani venerabilium patrum regimine, multis sibi sociatis fratribus, regulari tramite militauit. Pòst verò, cùm subesse mallet, fratrum votiua concordia imminente, præesse non renuit, sicut in consequentibus apparebit.

Monachi exercitia, abstinentia, ieiunium oratio, lectio.

vij. Erat ei tanta abstinentia ciborum, sedulitas orationum & ieiuniorum, studiositas tam desideratã sacrorum librorum, vt infirmato stomacho lacessitus, vix subsistere proculdubio videretur. Nam cùm quodam tempore incisionem vitalium, quàm Græci συγκοπὴν dicunt, pateretur, crebrísque angustiis per horarum momenta deficeret, & ad exitum appropinquaret, ac nisi eum fratres frequenti cibo reficerent, vitalis ei spiritus funditùs intercipi videretur, paschalis superuenit dies. Et dum sacratissimo sabbato, in quo omnes etiam paruuli pueri ieiunant, ipse ieiunare non posset, cœpit plus mœrore quàm infirmitate deficere.

Sabbatum sanctum antiquis celeberrimum.

viij. Mox accersito viro sanctissimo Eleutherio dudum penes Spoletum multis præposito, tunc verò eiusdem sui monasterij monacho, à quo videlicet audierat fuisse mortuum suscitatum, oratorium petiit, seséque cum lachrymis vt saltem die illo ad ieiunandum sibi virtus daretur, in orationem dedit. Et pòst paululum completa oratione digressus, tantam virtu- E tem suum stomachum percepisse cognouit, vt ei cibus & morbus de memoria funditùs tolleretur. Cœpit secum mirari, quis esset, quis fuerit, & cùm ad animum redibat infirmitas, nihil in se ex his quæ meminerat, recognoscere præualebat. Cúmque in dispositione monasterij occupata mens esset, obliuiscebatur funditùs ægritudinis suæ. Si verò rediret ægritudo ad memoriam, cum tam fortem se esset sentiret, mirabatur si non comedisset. Qui veniens ad vesperum, cognouit sibi tantam fortitudinem permanere, vt ad diem alterum ieiunium transferre potuisset, si voluisset. Verum quanquam pene quotidiano languore tabesceret: nullam tamen corpori suo cupiebat quietem, quo minus aut oraret, aut legeret, aut scriberet, aut dictaret.

ix. In huius sacri monasterij penetralibus idem vir omnipotẽtis Dei Gregorius à matre Syluia tunc temporis iuxta portam beati Pauli Apostoli, loco qui dicitur Cella noua (quo hactenus oratorium nomini eius dedicatum, & famosum sancti Sabæ confessoris Christi monasterium, cuius laus est in F sexta & septima synodo, constitutum videtur) degente, crudis leguminibus pascebatur.

x. Vbi hunc de more quædam scribentem Angelus Dei reperiens, misereri sibi flebiliter sub habitu naufragi postulabat. Cui Gregorius ex intimo corde compatiens, bis ternis numismatibus datis, abire pręcepit. Nec multò pòst eadem die idem naufragus rediit, seque multa perdidisse, pauca verò suscepisse perhibuit. A quo pari modo senis numismatibus sumptis, lætabundus abscessit. Sed die tertia rediens, identidem adiutorium naufragus importunis vocibus requirebat. Cui liberalissimus pater accersito vestiario alia sex numismata dari præcipiens, cognouit in vestiario nihil numismatum vnde posset consolari naufragum, remansisse. Quid faceret, nesciebat. Aestuabat Deo deuoti pectoris pietas, non sufferens vacuam proximi reliquisse miseriam. Rursus vestiariũ suum, si fortè vas quodlibet aut vestimentum haberet interrogans, audiuit nil penitus remansisse præter matris argenteam, quæ G cum infusis leguminibus mitti solita erat scutellam. Mox alacrior factus, Ergo, inquit, frater hanc defer, ne tristis abeat qui consolari quærit, pauper. Itaque delatam scutellam Gregorio satis hilariter largiente, pauper qui putabatur, lætus amplectitur, non iam ad expetenda, sed ad conferenda suffragia rediturus. A quo videlicet angelicæ visitationis tempore tantis miraculis, tantis est virtutibus publicatus, vt omnibus secum viuentibus exemplo fuerit & terrori: quippe qui non solus, sed socialiter cum beato Andrea Apostolo, suo monasterio signis euidentibus sit præfuisse putatus.

xj. Nam vt pauca de multis loquar, quadam die duos exinde fratres transmisit, qui aliquid emere pro eiusdem monasterij vtilitate debuissent: vnus iunior, qui prudentior videbatur: alter senior, qui custos iunioris esset. Perrexerunt vtrique, & de precio quod acceperunt, ipse qui custos iunioris missus fuerat, nesciente altero furtum fecit. Qui mox vt in monasterium sunt reuersi, atque ante oratorij limen venerunt, arreptus à dæmonio is qui furtum fecerat, cecidit. Dimissus au- H tem à dæmonio concurrentibus monachis, abbatis iussu requisitus est an fortè de eo quod acceperat furtum fecisset. Negauit, & iterum vexatus est. Dimissus, atque iterum requisitus, negauit, atque iterum vexatus est. Octo itaque vicibus negauit, octo vicibus vexatus est. Post octauam verò negationem Gregorio interrogãte confessus est, quòd nummos furto abstulerat: eique prostratus se peccasse testatus est, perceptáque pœnitentia, vlterius ad eum dæmonium non accessit.

xij. Alio quoque tempore dum in die natalitio eiusdem Apostoli iam meridianis horis fratres quiescerent, subitò quidam frater apertis oculis cæcatus, cœpit tremere, voces ingentes emittere, quibus vocibus testabatur ferre se non posse quod patiebatur. Concurrerunt fratres, viderunt cæcum apertis oculis trementem, & clamantem, & à præsentibus alienum, nihilque quod foris agi poterat sentientem. Hunc in manibus leuauerunt, atque ante altare sancti Andrææ Apostoli iussu Gregorij proiecerunt, ipsique pro eo in orationem prostrati sunt. Qui statim ad se reuersus, confessus est quia senex quidam ei apparuit, & canem nigrum ad eum dilacerandum dimisit,

misit dicẽs: Quare fugere voluisti de monasterio isto? Cúmque euadere de carnis morsibus nullo modo potuissem: venerunt quidam monachi, & eundem senem pro me rogauerunt, qui statim iussit carnem abscedere: & ipse ad me reuersus sum. Hic etiam sæpe confessus est postea, dicens quòd eo die quo ista pertulerat, consilium habuerit de monasterio fugiendi.

Monachus à religione & instituto non discedat.

xiij. Alius quoque monachus discedere ex eodem monasterio latenter disponens, oratorium ingredi voluit, sed dæmone corripiente nequiuit. Relinquebatur à dæmone quandiù extra oratorium stabat, si ingredi conabatur, statim maligno spiritui traditus vexabatur. Hoc dum sæpius fieret, tandem Gregorio inquirente, se de monasterio fugere voluisse confessus est: eiúsque per triduum simul cùm fratrum precibus ita pietate diuina curatus est, vt ad eum postmodum malignus spiritus nunquam accedere tentaret.

xiiij. Alio quoque tempore duo fratres ex eiusdem patris monasterio fugerunt: qui aliqua prius colloquendo fratribus signa dederant, quòd per Appiam viam descendentes Hierosolymam tenderent. Hi exeuntes diuerterunt de itinere: & vt à sequentibus inuenire minimè possent, retrusas cryptas iuxta Flaminiam portam inuenientes, in eis se occultauerunt. Cum verò vespertinis horis iussu Gregorij requisiti, minimè in congregatione inuenti fuissent, ascensis caballis eos quidam fratres secuti sunt, per Metronij portam exeuntes, vt eos in Latinam vel Appiam viam sequerentur: subitò eis consilium ortum est, vt eos in Salaria via extra ciuitatem requirere debuissent. Igitur pergentes deflexerunt iter: & in Salaria vetere eos non inuenientes, per portam Flaminiam decreuerunt redire. Cúmque reuerterentur, mox vt equi ante cryptas illas venerunt, in quibus se monachi absconderant, fixerunt gradum: pulsati & compulsi, passum mouere noluerunt. Considerauerunt equites rem talem sine mysterio esse non posse, attenderunt ad cryptas, viderunt earum aditus missa maceria prædamnatos: sed caballis suis nusquam ire volentibus, descenderunt: & lapides qui ad ora cryptarum compositi fuerant, deponentes, ingressi sunt: eósque in eisdem tenebrosis latibulis consternatos terræ inuenerunt. Qui ad monasterium reducti, tam stupore miraculi, quàm exhortatione venerabilis patris Gregorij sic meliorati sunt, vt eis multum profuerit ad paruum tempus de monasterio recessisse.

xv. Alio quoque tempore quidam monachus Iustus nomine, medicinali arte imbutus, beato Gregorio sedulè obsequi, atque in assiduis ægritudinibus eius excubare consueuerat. Hic itaque corporis langore præuentus, ad extrema perductus est. Cui in ipsa molestia frater germanus Copiosus nomine seruiebat. Sed prædictus Iustus cùm iam se ad extrema peruenisse cognosceret, eidem Copioso fratri suo quia occultos tres aureos haberet, innotuit. Quod nimirũ fratribus celari non potuit: qui subtiliter indagantes, atque illius medicamenta omnia perscrutãtes, eosdem tres aureos inuenerunt in medicamine absconditos. Quod mox vbi Gregorio nuntiatum est, tantum malum de fratre qui secum communiter vixerat, æquanimiter ferre non valuit: quippe qui eidem monasterio iam dudum regulam constituerat, vt cuncti fratres ita communiter viuerent, quatenus eis singulis nulla habere propria liceret. Tunc Gregorius nimio mœrore perculsus, cogitare cœpit vel quid ad exemplum viuẽtibus prouideret. Precioso igitur eiusdem monasterij preposito ad se accersito dixit: Vide vt nullus ex fratribus se ad eum morientem iungat, nec sermonem consolationis ex cuiuslibet eorum ore percipiat: sed cùm in morte constitutus fratres quæsierit, eis suus frater carnalis dicat, quia pro solidis quos occultè habuit, à cunctis fratribus abominatus sit: vt saltem in morte de culpa sua mentem illius amaritudo transuerberet, atque à peccatato quod perpetrauerat purget. Cùm verò mortuus fuerit, corpus illius cum fratrum corporibus non ponatur: sed quolibet fossam in sterquilinio facite, ibíque super eum tres aureos quos reliquit, iactate simul omnes clamantes: Pecunia tua tecum sit in perditionem: & sic eum terra cooperite. In quibus vtrisque rebus solertissimus pater Gregorius vnam morienti, alteram verò viuentibus fratri- A bus prodesse decreuit: vt & illum amaritudo mortis à culpa solubilem faceret, & istos auaritiæ tanta damnatio misceri talibus prohiberet. Quod ita factum est. Nam dum idem monachus peruenisset ad mortem, atque anxiè se quæreret fratribus commendare, nullúsque fratrum ei applicare, vel loqui tentaret, ei suus carnalis frater cur ab omnibus esset abominatus aperuit. Ille protinus vt audiuit, de reatu suo vehementer ingemuit, atque in ipsa tristitia de corpore exiuit. Qui ita est sepultus, vt Gregorius iusserat. Sed fratres omnes eadem eius sententia perterriti, cœperunt singuli extrema quæque & vilia, & quæ eis regulariter semper habere licuerat, ad medium proferre: vehementérque formidare, ne quid apud se esset vnde reprehendi potuissent.

Nihil proprij in priuato monachis habere licet.

xvj. Cùm verò post mortem fratris triginta iam essent dies euoluti, cœpit animus Gregorij misericorditer ei compati, eiúsque cum graui mœrore supplicia pensare, Et si quod esset ereptionis eius remedium quærere. Tunc euocato ad B se eodem Precioso monasterij sui præposito, tristis dixit: Diu est quòd frater ille Iustus qui defunctus est, igne cruciatur, debemus ei aliquid charitatis impendere, & ei inquantum possumus vt eripiatur adiutorium nostrum commodare. Vade itaque, & ab hodierna die continuis triginta diebus offerre pro eo sacrificium stude: vt nullus omnino prætermittatur dies, quo absolutione illius salutaris hostia non mactetur. Qui protinus abscessit & paruit. Gregorio autem alia curante, atque euolutos dies minimè numerante, idem frater qui defunctus fuerat, nocte quadam fratri suo Copioso per visionem apparuit. Quem ille cùm cognouisset, inquisiuit dicens: Quid est frater? quomodo es? Cui ille respondit: Nunc vsque malè fui, sed iam modo bene sum: quia hodie communionem recepi. Quod idem Copiosus pergens protinus in monasterio fratribus indicauit. Fratres verò solicitè computauerunt dies, & ipsum diem fuisse inuenerunt, quo pro eo trigesima oblatio fuerat completa: C cum & Copiosus nesciret quid pro eo fratres authore Gregorio agerent, & fratres ignorarent quid de eo Copiosus vidisset: vno eodémque tempore dum agnoscit ille oblationem, isti audiunt somnium, trigesimúmque diem cognoscunt: concordante simul visione & sacrificio res apertè claruit, quia frater quem sub animaduersionis sententia Gregorius mori permiserat per salutarem hostiam à supplicio liberatus esset.

Habes hic originem xxx missarum, quæ vulgo beati Gregorij dicuntur.

xvij. Sed quia idem venerabilis pater quemadmodum fratribus terrori fuerit, ex parte iam tetigi, qualiter eius exemplis iidem profecerint, breuiter indicandum putaui. Frater quidam in eodem monasterio, nomine Antonius beato Gregorio sedulus adhærebat. Qui tanti patris verbis, exemplísque commonitus, multis quotidianísque lachrymis ad gaudia patriæ cœlestis anhelabat. Cúmque studiosissimè & cum magno feruore desiderij, duce Gregorio sacra eloquia scrutaretur, non in eis verba scientiæ, sed fletum compunctionis inquirebat, quatenus per hæc incitata D mens eius exardesceret, & ima deserens, ad contemplationem cœlestis patriæ peruolaret. Huic per nocturnam visionem dictum est: Paratus esto, quia Dominus iussit, migra. Cúmque ille non habere se sumptus ad migrandum diceret, responsum protinus audiuit dicens: Si de peccatis tuis agitur, dimissa sunt. Quod cùm semel audisset, & magno adhuc metu trepidaret: nocte quoque alia in eisdem est verbis admonitus. Post quinque verò dies febre correptus cunctis fratribus flentibus, orantibúsque defunctus est.

xviij. In eodem monasterio frater quidam Gerontius dicebatur: qui dum graui molestia corporis fuisset depressus, in visione nocturna albatos viros & clari omnimodo habitus in hoc ipsum monasterium descendere de superioribus aspexit. Qui dum coram lecto iacentis assisterent, vnus eorum dixit: Ad hoc venimus, vt de monasterio Gregorij quosdam fratres in militiam mittamus. Atque alteri præcipiens dixit: Scribe Marcellum, Velentinianum, Agnellum, atque alios quorum cognitionem ego non habeo, Quibus ex-

pletis, addidit dicens: Scribe & hunc ipsum qui nos aspicit. Ex qua visione Gerontius certus effectus, facto mane innotuit fratribus quot & qui essent ex eodem monasterio morituri, seque illos continuò secuturum. Cúmque die alio prædicti fratres mori cœperunt, atque sub eodem ordine se in mortem secuti sunt, quo fuerant in descriptione nominati, ad extremum verò & ipse obiit, qui eosdem fratres morituros præuidit.

xix. Alius etiam frater in eodem monasterio Merulus dicebatur, vehementer lachrymis atque eleemosynis ex Gregorij viri venerabilis doctrina intentus: psalmodia verò ex ore illius penè nullo tempore cessare cõsueuerat, excepto cum aut alimentum corpori, aut membra dedisset sopori. Huic nocturna visione apparuit, quia ex albis* floribus corona de cœlo in caput illius descendebat, qui mox molestia corporis occupatus, cum magna securitate animi atq; hilaritate defunctus est. Ad cuius sepulchrum dum post annos quatuordecim, Petrus qui pontificatus istius beati Gregorij tempore monasterio eidem præfuit, sibi sepulturam facere voluisset, tanta de eodem sepulchro fratris Meruli fragrantia suauitatis emanauit, ac si illic florum omnium fuissent odoramenta congesta. Ex qua re manifestè patuit, quia verum fuit quod per nocturnam visionem tanti patris discipulus vidit.

xx. Alius quoque frater in eodem monasterio Ionnes dictus est, magnæ indolis adolescens, qui ætatem suam intellectus & humilitatis dulcedine, & grauitate morum, docente Gregorio transcendebat. Huic ægrotanti, atque ad extremum deducto, per nocturnam visionem sub habitu senis beatus Apostolus Andreas apparuit, & hunc virga tetigit, eique dixit: Surge, ex hac enim molestia minimè morieris, sed paratus esto: quia longum tempus hic futurus non eris. Qui dum iam esset à medicis desperatus, repentè sanatus est atque conualuit. Rem quam viderat, narrauit, seque per biennium in Dei seruitio, sicut prædixi, vltra ætatis suæ annos exhibuit. Euolutis autem duobus annis cùm quidam frater fuisset mortuus, atque in monasterij eiusdem cœmeterio à Gregorio fratribusque sepultus, cunctis inde discedentibus, idem Ioannes, sicut postmodum pallens & tremens Gregorio & fratribus indicauit, solus inuentus, ab eodem fratre qui sepultus fuerat, de sepulchro vocatus est. Quod mox etiam subsequens finis ostendit. Nam post dies decem correptus febribus, moriendo vocantem subsecutus est. Verùm quia longum est, & multa restant quæ de huius viri sanctimonia certis possunt attestationibus prædicari, quæ etiam ex relatione maiorum scriptisve priorum compererim, his inserenda decreui.

xxj. Quadam die cum aduenientibus nuper negociatoribus multa venalia in forũ Romanæ vrbis fuissent proposita, multíque ad emendum vndique confluxissent, contigit & Gregorium virum Deo dignissimum præterire: qui cernens inter alia pueros corpore candidos, forma pulcherrimos, vultu venustos, capillorum quoque nitore perspicuos esse venales, interrogauit mercatorem de qua patria illos attulisset. Ille respondit, De Britanniæ insula, cuius incolarum omnium facies simili candore fulgescit. Gregorius dixit: Christiani sunt iidem insulani, an adhuc paganis tenentur erroribus implicati? Mercator respondit: Non sunt Christiani, sed paganis tenentur laqueis irretiti. Tunc Gregorius grauiter ingemiscens, Heu prò dolor, inquit, quàm splendidas facies princeps tenebrarum nunc possidet: tantáque frontis species vacuam ab interna Dei gratia mẽtem gestat. Rursum interrogauit quod esset vocabulum gentis illius. Mercator respondit: Angli vocantur. At ille: Bene inquit, Angli, quasi Angeli: quia Angelicos vultus habent, & tales in cœlis Angelorum decet esse concives. Iterum ergo interrogat, quod nomen haberet ipsa prouincia. Mercator respondit: Prouinciales illi Deiri vocantur. Et Gregorius, Bene, inquit, Deiri, quia de ira sunt eruendi, & ad Christi gratiam conuocandi. Rex, ait, illius prouinciæ quomodo nuncupatur? Mercator respondit: Aelle vocatur. Et Gregorius alludens ad nomen, dixit: Bene quia rex dicitur Aelle. Alleluia etenim in laude creatoris in partibus illis oportet decantari.

xxij. Mox itaq; accedens ad Benedictum Apostolicæ sedis pontificem cœpit vehementer expetere, vt in Britanniam aliquos verbi ministros mitteret. Quò cum neminem ire velle cognosceret, semetipsum quoque non dubitauit ingerere, dum modo sibi pontifex licentiam commodaret. Qui, licet cum magna cunctatione totius cleri ac populi, Gregorium spontè proficisci cupientem abire permisit, imprecatus ei diuinitùs prospera ministrari.

De cuius absentia Romani plurimum perturbati, deliberato consilio trifariè per loca viæ contigua vnde pontifex ad beati Petri basilicam profecturus erat, partiuntur: eúmque turmatim taliter alloquuntur: Petrum offendisti, Romam destruisti, quia Gregorium demisisti. Quibus sententiis omnino Papa perterritus, misit continuò nuntios, qui virum Domini reuocarent Gregorium. Quod ipse sibi commeantibus iam prædixerat fore futurum. xxiiij.

Iámque trium dierum itinere profligato, ad quendam locum requieturi, fortè diuerterant: quo singulis quiescentibus Gregorius lectitabat. Quem locusta superueniẽs coëgit paululum a legendo quiescere, & ex consideratione nominis docuit eum in eodem loco restare debere. Tunc fertur dixisse: Locusta, inquit, dici potest quasi loco stat. Statímq; comites adhortatus, festinantius ire certabat: sed præuenientibus Apostolicis nuntiis, licet magnopere tristaretur, redire ad proprij compulsus est monasterij curam. xxiiij.

Denique cernens Benedictus venerabilis Pontifex virtutum gradibus Gregorium ad alta conscendere, violenter eum à quiete monasterij sui abstrahens, Ecclesiastici ordinis officio sublimauit, leuitámque septimum ad suum adiutorium consecrauit. In quo venerabilis pater Gregorius tanta humilitate viguit, tanta solertia ministrauit: vt in Ecclesiasticæ hierarchiæ ministerio videretur diuinis Angelis non solum nitore habitus, verum etiam claritate morum probabilium veraciter coæquari. xxv.

Nec multò post pro respõsis Ecclesiasticis ad vrbem Constantinopolim à Pelagio præsule destinatur: vbi quanuis in terreno conuersaretur palatio, vitæ cœlestis non intermisit propositum. Secuti namque sunt eum multi ex suo monasterio fratres germana deuincti charitate. Quod diuina factum dispensatione conspicitur, vt eorum videlicet exemplo ad orationis placidum litus quasi anchoræ fune stringeretur: & dum causarum secularium continuatis vertiginibus fluctuaret, ad illorum consortium velut ad tutissimi portus sinum, refugeret. Ac licet illud eum ministerium à monasterio abstractum à pristinæ quoq; quietis vita mucrone suæ occupationis extinxerat, inter eos tamen per studiosæ lectionis alloquium, quotidianæ aspiratio compunctionis animabat. xxvj.

Horum ergo consortio non solùm à terrenis est munitus incursibus, verùm etiam & ad vitæ cœlestis exercitia magis magísque succensus. Nam ab eisdem fratribus enixè rogatus, maximéque à Leandro Hispalensi Episcopo, qui pro causis Vvisigothorum legatus eodem tempore Constantinopolim venerat, cõpulsus est, vt librum beati Iob multis inuolutum mysteriis enodaret. Neque ille negare potuit opus quod sibi amor fraternus multis vtile imponebat futurum, sed eundem librum quomodo iuxta literam intelligendus, qualiter ad Christi & Ecclesiæ sacramenta referendus, quo sensu vnicuique fidelium sit aptandus, per trifarias intelligendi species miranda ratione perdocuit: in quibus tamen ita de virtutibus vitiisque disseruit, vt non solùm videatur eadem verbis exponere, sed formis quodammodo visibilibus seu palpabilibus demonstrare. Vnde non est dubium perfectionem ipsarum eum consecutum fuisse virtutum, quarum tam efficaciter valuit indicare profectus. xxvij.

Præterea venerabilis leuita Gregorius in eadem vrbe regia cõstitutus, nascentem nouam hæresim de statu nostræ resurrectionis cum ipso quo orta est initio, iuuante gratia nostri redemptoris attriuit. Siquidem Eutychius eiusdem ciuitatis Episcopus, libro de resurrectione mortuorum consecto, dogmatizabat corpus nostrum in illa resurrectionis gloria impalpabile, ventis aëique subtilius esse futurum. Quod Gregorius audiens, & ratione veritatis, & exemplo dominicæ resurrectionis probauit hoc dogma orthodoxæ fidei omnimodo esse cõtrarium. Catholica etenim fides habet, quòd corpus nostrum in illa immortalitatis gloria sublimatum, subtile xxviij.

tile quidem erit per effectum spiritualis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ, iuxta exemplum dominici corporis, de quo à mortuis resuscitato dicit ipse discipulis: Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Cúmque hoc euangelicæ veritatis testimonium Gregorius protulisset, Eutychius ait: Idcirco hoc Dominus fecit, vt dubitationem resurrectionis suæ de discipulorum cordibus amoueret. Cui Gregorius dixit. Mira est res valdè quam adstruis, vt inde nobis dubietas surgat, vnde discipulorum corda fuerunt à dubitatione sanata. Quid enim deterius dici potest, quàm vt hoc nobis de eius † vera carne dubium fiat, per quod discipuli eius ad fidem ab omni dubietate sunt reparati? Si enim hoc non habuisse adstruitur, quod ostendit: vnde fides discipulorum eius est confirmata, inde nostra destruitur. Eutychius ait: Corpus palpabile habuit, quod ostendit: sed post confirmata corda palpantium, omne illud in Domino quod palpari potuit, in subtilitatem est aliquam redactum. Ad hæc Gregorius respondit: Scriptum est, Christus resurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Siquid ergo in eius corpore post resurrectionem potuit mutari: contra veridicam Pauli sententiam Dominus rediit in mortem post resurrectionem. Quod quis dicere vel stultus præsumat, nisi qui veram carnis eius resurrectionem negat? Tunc Eutychius obiecit dicens: Cùm scriptum sit, Caro & sanguis regnum Dei possunt non possunt: qua ratione credendum est resurgere veraciter carnem? Cui Gregorius respondit: In sacro eloquio aliter caro dicitur iuxta naturam, atque aliter iuxta culpam, vel corruptionem. Caro quippe dicitur iuxta naturam sicut scriptum est, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Caro verò iuxta culpam, sicut scriptum est: Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, eò quòd sunt caro. Et sicut Psalmista ait: Memoratus est, quia caro sunt: spiritus vadens, & non rediens. Vnde & discipulis Paulus dicebat: Vos autem in carne non estis, quibus epistolas transmittebat: sed quia passiones carnalium desideriorum vicerant, iam liberi per virtutem spiritus in carne non erant. Quod ergo Paulus apostolus dicit: Quia caro & sanguis regnum Dei non possidebunt: carnem secundum culpam intelligi voluit, non carnem secundum naturam. Vnde & mox quia carnem secundum culpam diceret, ostendit subdens: Neque corruptio incorruptelam possidebit. In illa ergo cœlestis regni gloria caro secundum naturam erit, sed secundum corruptionem vel etiam passionis desideria non erit: quia deuicto mortis aculeo, in æterna incorruptione regnabit. Quibus auditis Eutychius consentire se protinus respondebat: sed tamen adhuc corpus palpabile resurgere posse denegabat: qui etiam in libello quem scripserat, Pauli quoque testimonium indiderat, dicentis: Tu quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur: & quia non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum. Hoc nimirum ostendere festinans, quia caro vel palpabilis, vel ipsa non erit, dum sanctus Apostolus de resurrectionis agens gloria, non corpus quod futurum est, seminari dixerit, sed nudum granum. Sed ad hæc citius Gregorius respondit: Paulus apostolus dicens, Non corpus quod futurum est, seminas, sed nudum granum: hoc insinuat quod videmus, quia videlicet granum cum culmo & foliis nascitur, quod sine culmo & foliis seminatur. Ille itaque in augmẽto gloriæ resurrectionis non dixit grano seminis deesse quod erat, sed adesse quod non erat. Tu autem dum verum corpus resurgere denegas, nequaquam dicis adesse quod deerat, sed deesse quod erat.

Luc. 24. f. — *† vera resurrectione.* — *Roma. 6. b.* — *Gene. 2.* — *Ioan. 1.* — *Gene. 6.* — *Psal. 77.* — *Rom. 8.*

xxix. Tunc itaque Gregorius Romanus diaconus, & Eutychius Constantinopolitanus episcopus, hac de re in longa contentione perducti, grauissima cœperunt ab inuicem simultate resilire. Tum piæ memorię Tyberius Constantinopolitanus imperator secretò vtrunque suscipiens, quid inter eos discordiæ versaretur agnouit: & vtriusq; partis allegationem subtiliter pensans, eundem librum quem Eutychius de resurrectione conscripserat, suis quoque allegationibus destruens, deliberauit vt flammis cremari debuisset. A quo videlicet piissimo imperatore vt simul egressi sunt, post longissimæ disputationis conflictum, pariter ægrotantes in lectulum deciderunt.

Cùm ergo Gregorius validissimis febribus æstuaret, Eutychius cum morte confligens, pellem manus suæ tenebat coram omnibus dicens, Confiteor quia omnes in hac carne resurgemus. Post quam catholicæ fidei confessionem defunctus est: quo mortuo quia penè nullus erat qui eius dicta sequeretur, Gregorius dissimulauit cœpta persequi, ne in fauillas videretur verba iaculari. xxx.

Quanta autem authoritate ministerium sui apocrisiariatus impleuerit, quantæ reuerentiæ apud Augustos extiterit, quantáque sollicitudine afflictæ Italiæ succurri sæpius fecerit, si quis plenius nosse desiderat, epistolas antecessoris eius papæ Pelagij ad eum super multimodis ecclesiæ Dei necessitatibus destinatas, quæ hactenus in scrinio sanctæ sedis apostolicæ studiosissimè conseruantur, percurrat: ex quarum multitudine hic vnam interserò, quatenus & illius ministerij qualitas, & reliquarum quoque consequentia cognoscatur. Quæ ita se habet: xxxj.

Pelagius episcopus dilecto filio Gregorio venerabili diacono. Omnia quidem quæ necessaria fuerunt, per Honoratũ notarium tibi curauimus indicare: quem cum fratre & coëpiscopo Sebastiano ad dilectionem tuam direximus: vt quia illis in partibus ad Rauennam vsque nunc cum viro glorioso domino Decio patricio fuit, ipse sua relatione te ex omnibus studeat informare: vel si qua necessaria iudicaueris, possit domino imperatori suggerere: quia tantæ calamitates ac tribulationes nobis à perfidia Longobardorum illatæ sunt, contra suum proprium iusiurandum, vt nullus possit ad referendum sufficere. Prædictum autem fratrem Sebastianum quomodo susceperimus, vel in quali apud nos te suggerente fuerit charitate, ipsius poteris relatione cognoscere. Qui etiam iam promisit nobis, necessitates vel pericula totius Italiæ piissimo domino imperatori suggerere. Loquimini ergo & tractate pariter, quomodo nostris possitis celeriter subuenire periculis: quia ita hic coangustiata est respublica, vt nisi Deus piissimi in corde principis inspiraverit, vt instam sibi misericordia suis famulis largiatur, & super illam diacoposin, vel vnum magistrum militum & vnum ducem dignetur concedere, in omni simus angustia destituti: quia maximæ partes Romanæ omni præsidio vacuatæ videntur: & Exarchus scribit nullum nobis posse remedium facere: quippe qui nec ad illas partes custodiendas se testatur posse sufficere. Imperet ergo illi Deus nostris velociter periculis subuenire ante, quàm nefandissimæ gentis exercitus locà quæ adhuc à republica detinentur, Deo sibi contrario (quod absit) præualeant occupare. Presbyterum autem ad nos Deo adiuuante retransmittere festina: quia & in monasterio tuo, & in opere cui eum præposuimus, necessarius esse omnino cognoscitur. Data quarto nonarum Octobrium, indictione tertia. xxxij.

Huic siquidem monasterio, cuius hic papa Pelagius meminit, Siculus Maximianus, qui post Syracusanus episcopus extitit, eodem tempore præfuit: qui ad venerabilem leuitam Gregorium in eiusdem regiæ vrbis palatio prò responsis ecclesiasticis desudantem, visitationis gratia cum fratribus venit: & dum ad monasterium eius sibi quoque commissum Romam rediret, in mari Adriatico nimia tempestate deprehensus, inæstimabili ordine atque inusitato miraculo erga se, cunctósque qui secum aderant, omnipotentis Dei & iram cognouit & gratiam. Nam cùm in eorum morte ventorum nimietatibus fluctus eleuati sæuirent, ex naui clauì perditi arbor abscissa est, vela in vndis proiecta, totúmque vas nauis nimiis quassatum fluctibus ab omni fuerat sua compage dissolutum. Rimis itaque patentibus intrauit mare, atque vsque ad superiores tabulas impleuit, ita vt non magis nauis inter vndas, quàm vndæ iam intra nauim esse viderentur. Tunc in eadem naui residentes, non iam ex mortis vicinia, sed ex ipsa eius præsenti visione turbati, omnes sibimetipsis pacem dederunt, corpus & sanguinem redemptoris acceperunt, Deo se singuli commendantes, vt eorum animas benigè susciperet, quorum corpora ita pauendæ xxxiij.

mori tradidisset. Sed omnipotens Deus qui eorum mentem mirabiliter tenuit, eorum quoque vitam per meritum Gregorij famuli sui, pro cuius speciali amore venerant, mirabiliùs reseruauit. Nam diebus octo nauis eadem vsq; ad superiores tabulas aquis plena iter proprium peragens enatauit. Nono autem die ad Cothronēsis castri portum deducta est. Ex qua exierunt omnes incolumes, qui cũ prædicto Maximiano viro venerabili nauigabant. Cúmque post eos ipse quoq; fuisset egressus, mox in eiusdem portus profundum nauis demersa est, ac si illis egredientibus pro pōdere subleuatione caruisset, & quæ plena hominibus in pelago aquas portaueret, atq; natauerat, Maximiano cum fratribus recedente, aquas sine hominib' in portu nec portare valuerit, nec natare: vt hinc omnipotens Dominus ostenderet, quia per meritum Gregorij quem fratres visitauerant, hanc onustam sua manu tenuerat, quæ ab hominibus vacua permanere non potuit super aquas.

xxxiiij. Igitur postquam Romam Gregorius venerabilis leuita reuersus est, aliquanto interiecto tempore tanta inundatione Tyberis fluuius alueum suum egressus est, tantúmque excreuit, vt eius vndæ super muros vrbis influerent atque in ea regiones maximas occuparent, & antiquarum ædium plurima monimenta deiicerent, Ecclesiastica quoque horrea violenter subuerterent, in quibus nonnulla tritici modiorum milia periere.

xxxv. Tunc siquidem apud Veronensem vrbem fluuius Athesis (vt idem Gregorius refert) excrescens, ad beati Zenonis martyris atque pontificis Ecclesiam venit. Cuius Ecclesiæ dum essent ianuæ apertæ, aqua in eam minimè intrauit. Quæ paulisper crescens, vsque ad fenestras Ecclesiæ quæ erant tecto proximo peruenit: sicque stans aqua Ecclesiæ ianuam claudit, ac si illud elementum liquidum in soliditatem parietis fuisset immutatum. Cúmque essent multi interius inuenti, sed aquarum magnitudine circundata omni Ecclesia, qua possent egredi non haberent, ibique fame & siti deficere formidarent, ad Ecclesiæ ianuam veniebant, ad bibendum hauriebant aquam, quæ vsque ad fenestras excreuerat, & tamen intra Ecclesiam aqua defluere nullo modo præualebat. Stans autem ante ianuam, ad ostendendum cunctis meritum martyris, & aqua ad adiutorium, & aqua non erat ad inuadendum locum. Quod nimirum miraculum Babylonici illius ignis miraculo non dissimile poterit æstimari, qui trium puerorum & vestimenta non tetigit, & vincula incendit.

xxxvj. Tunc etiam innumerabilis multitudo serpētium cum magno dracone in modum trabis validæ per Tyberini fluminis alueum in mare descendit: sed suffocatæ bestiæ inter saxos maris turbidissimi fluctus sine mora in littore descenderunt, suáque putredine totum aërem corruperunt.

xxxvij. Secuta est è vestigio clades inguinaria, quæ Romanam vrbem adeò vehementi pestilentia laniauit, vt etiam corporali visu sagittæ cœlitus venire, & singulos quosque percutere viderentur. Quæ in mense vndecimo venions, primum omnium iuxta illud quod in Ezechiele Propheta legitur: A sanctuario meo incipite, Pelagium Papam perculit, & sine mora extinxit. Quo defuncto, ita in reliquum vulgus desæuit, vt subtractis habitatoribus domos in vrbe plurimas vacuas omnino reliquerit.

xxxviij. Eodem tempore in monasterio venerabilis leuitæ Gregorij puer inquietus valde Theodorus nomine cum fratre religioso magis necessitate quàm voluntate degebat, cui nimium grauis erat, si quis ei pro sua salute quicquam dicebat. Bona autem non solùm facere, sed audire non poterat. Nunquam se ad sanctæ conuersationis habitum venire iurando, irascendo, ac deridendo testabatur: qui tamen eiusdem pestilentiæ clade percussus in inguine est, & perductus ad mortem. Cúmque extremum spiritum ageret, conuenerunt cum Gregorio fratres, vt egressum illius orando protegerent. Iam corpus eius ab extrema fuerat parte præmortuum: in solo tantummodo pectore vitalis adhuc calor anhelabat. Cuncti autem qui aderant, tantum pro eo cœperunt enixiùs orare, quantùm eum iam videbant sub celeritate discedere: cùm repente cœpit eisdem fratribus assistentibus clamare, atque cum magnis vocibus orationes eorum interrumpere, dicens: Recedite, ecce draconi ad deuorandum datus sum, qui propter vestram præsentiam me deuorare non potest. Caput meum in suo ore iam absorbuit, date locum, vt me ampliùs non cruciet, sed faciat quod facturus est. Si ei ad deuorandum datus sum, quare propter vos moras patior? Tunc fratres cum Gregorio cœperunt ei dicere: Quid est quod loqueris frater? signum tibi sanctæ Crucis imprime. Respondebat ille cum magnis clamoribus dicens, Volo me signare, sed non possum: quia squamis huius draconis premor. Cúmque hoc fratres audirent, vna cum leuita Dei Gregorio in terram prostrati, cum lachrymis cœperunt pro ereptione illius vehementius deprecari. Et ecce subitò cœpit æger cum magnis vocibus clamare dicens: Gratias Deo, ecce draco qui me ad deuorandum susceperat, fugit: orationibus vestris expulsus est: stare non potuit. Pro peccatis meis modò intercedite, quia conuerti, & secularem vitam relinquere funditùs sum paratus. Homo igitur qui, sicut dictum est, ab extrema parte fuerat præmortuus, Gregorij precibus & morte corporis caruit, & salutem animæ acquisiuit.

xxxix. Sed pestilentia supra modum sæuiente, quia Ecclesia Dei sine rectore esse non poterat, Gregorium licet totis viribus renitentem, clerus, senatus, populúsque Romanus sibi concorditer pontificem delegerunt. Quem ille apicem totis viribus euitare decernens, sese indignum omnino tali honore clamitabat, videlicet metuens ne mundi gloria quam priùs abiecerat, ei sub Ecclesiastici colore regiminis aliquo modò surrepere potuisset.

xl. At vbi decretum generalitatis euadere nequiuit, consensurum se tandem aliquando simulauit: & Imperatori Mauritio, cuius filium ex lauachro sancto susceperat, latenter literas destinauit, adiurans, & multa prece deposcens, ne vnquam assensum populis præberet, vt se huius honoris gloria sublimaret. Sed præfectus vrbis Germanus nomine eius nuntium anticipauit, comprehensumque ac disruptis epistolis, consensum quem populus fecerat, imperatori direxit. At ille gratias agens Deo pro amicitia diaconi, eò quòd locum deferendi ei honoris vt cupierat reperisset, data præceptione ipsum ordinari præcepit.

xlj. Interim dum ab vrbe regia imperatoris præstolaretur assensus, & lues ipsa populum vehementius deuastaret: venerabilis leuita Gregorius verbum ad plebem exorsus est dicens: Oportet, fratres dilectissimi, vt flagella Dei quæ metuere ventura debuimus, saltem præsentia, & experta timeamus. Conuersationis nobis aditum dolor aperiat, & cordis nostri duritiam ipsa quam patimur pœna dissoluat. Vt enim Propheta teste prædictum est: Peruenit gladius vsque ad animas nostras. Ecce etenim cuncta plebs cœlestis iræ mucrone percutitur, & repentina singuli cæde vastantur: nec languor mortem præuenit, sed languoris moras (vt cernitis) mors ipsa præcurrit. Percussus quisq; antè rapitur, quàm ad lamenta pœnitentiæ conuertatur. Pensate ergo qualis ante conspectum districti iudicis peruenit, cui non licet flere quod fecit. Et habitatores quidem non ex parte subtrahuntur, sed pariter corruunt. Domus vacuæ relinquuntur, filiorum funera parentes aspiciunt: & sui eos ad interitum hæredes præcedunt. Vnusquisq; ergo nostrum ad pœnitentiæ lamenta confugiat, dum flere ante percussionem vacat. Reuocemus ante oculos mentis quicquid errando commisimus: & quod nequiter egimus, flendo puniamus. Præueniamus faciem eius in confessione: Et sicut Propheta admonet, leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum. Ad Dominum quippe corda cum manibus leuare, est, orationis nostræ studium cum merito bonæ operationis erigere. Dat profectò, dat tremori nostro fiduciam, qui per Prophetam clamat: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Nullus autem de iniquitatum suarum immanitate desperet. Veternosas namque Niniuitarum culpas triduana pœnitentia absterſit: & conuersus latro vitæ præmia etiam in ipsa † sententia suæ mortis emeruit. Mutemus igitur corda & præsumamus nos iam percepisse quod petimus. Citiùs ad precem iudex flectitur, si à prauitate sua petitor corrigatur. Imminente ergo tantæ animaduersionis gladio, nos importunis precibus insistamus. Ea nanque quæ ingrata esse hominibus solet importunitas, iudicio veritatis placet: quia pius ac misericors Deus vult à se precibus

† *præsentia.*

se precibus veniam exigi: quia quantum meremur, non vult irasci, hinc etenim per Psalmistam dixit: Inuoca me in die tribulationis tuæ eripiam te, & magnificabis me. Ipse ergo sibi testis est, quia inuocantibus misereri desiderat, qui admonet vt inuocetur. Proinde fratres charissimi cum contrito corde & correctis operibus crastina die primo diluculo ad septiformem litaniam iuxta distributionem inferiùs designatam deuota cum lachrymis mente veniamus. Nullus vestrum ad, terrena opera in agros exeat: nullus quodlibet opus agere præsumat, quatenus ad sanctæ genitricis Domini ecclesiam conuenientes, qui simul omnes peccauimus, simul omnes mala quæ fecimus deploremus: vt districtus iudex dum culpas nostras nos punisse considerat, ipse à sententia propositæ damnationis parcat.

xlij. Litania clericorum exeat ab ecclesia sancti Ioannis Baptistæ: litania viorum ab ecclesia sancti martyris Marcelli: Litania monachorum ab ecclesia sanctorum Ioannis & Pauli: Litania ancillarum Dei ab ecclesia beatorum martyrũ Cosmæ & Damiani: Litania fœminarum coniugatarum ab ecclesia beati protomartyris Stephani: Litania viduarum ab ecclesia beati martyris Vitalis: Litania pauperum & infantium ab ecclesia beatæ Ceciliæ martyris.

xliij. Igitur dum magna multitudo diuersæ ætatis sexus atque professionis iuxta præceptionem leuitæ Gregorij die constituta Dominum rogatura venisset: in tantum lues ipsa iudicio diuino desæuit, vt intra vnius horæ spatium dum voces plebs ad Dominum supplicationis emitteret, octoginta homines ad terram corruentes spiritum exhalarent. Sed nequaquam destitit facundissimus rhetor populo prædicare, ne ab oratione cessarent, donec miseratione diuina pestis ipsa quiesceret.

xliiij. Enimuerò cùm adhuc futurus antistes putaret se principem à consensu consecrationis suæ penitus auertisse, cognouit tandem suas literas à Germano præfecto vrbis interceptas fuisse. Cuius rei gratia imperiale responsum, quod videlicet voluntati suæ contrarium rebatur, præueniens: quia palàm egredi portas ciuitatis non poterat, à negotiatoribus exponendum se dissimulato (vt fertur) habitu callidus impetrauit, syluarum saltus expetiit, cauernarum latibula requisiuit. In quibus dum ab omnibus summa solicitudine quæreretur, indicio colũnæ fulgidæ super se iugiter à cœlo dependentis agnoscitur, capitur, trahitur, & apud beati Petri Apostolorum principis templum summus pontifex consecratur.

xlv. Verùm quia sunt nonnulli Longobardorum perfidi, qui Gregorium appetisse magis pontificium autument quàm fuisse, operæpræcium reor pauca de multis inserere, quibus eum, inquantum sine pertinaciæ vitio potuit, noluisse pontificium, immò quasi pondus importabile penitus cauere voluisse, luce clarius manifestem. Ait enim pene in ipso consecrationis suæ principio in epistola Paulo Scolastico: Quicquid mihi ex honore sacerdotalis officij extranei arrident non valdè penso: de vobis autem mihi hac ex re arridentibus non minimum doleo, qui desiderium meum plenissimè scitis, & tamen profecisse me creditis. Summus enim mihi profectus fuerat, si potuissem implere quod volui: si voluntatem meam quam dudum cognitam habetis, perficere optatæ quietis perceptione valuissem. At nunc quia honoris huius vinculis in ciuitate teneor Romana religatus, habeo aliquid quod etiam vestræ gloriæ exultem: quia verò eminentissimo domino Leone exconsule veniente vos in Sicilia remanere non suspicor: & cùm ipse quoque tuo honore religatus Romæ retineri cœperis, quid mœroris, quid amaritudinis ego patior agnosces. Veniente autem viro manifico domino Maurentio Chartulario, ei quæso in Romanæ vrbis necessitate concurrite, quia hostilibus gladiis foris sine cessatione confodimur: sed seditione militum interno periculo grauiùs vrgemur. Item Gregorius Ioanni patriarchæ Constantinopolitano. Si charitatis virtus in proximi delectione consistit, si sic diligere proximos sicut nos iubemur: quid est quod me beatitudo vestra non ita vt se diligit? Quo enim ardore, quo studio episcopatus pondera fugere voluerim, scitis & tamen hæc eadem episcopatus pondera ne mihi deberent imponi, non restitistis. Constat ergo quia non me sicut vos diligitis, quia illa me vosuistis onera suscipere quæ vobis imponi noluistis. Sed quia vetustam nauim vehementérque confractam indignus ego infirmúsque suscepi: (vndique enim fluctus intrant, & quotidiana ac valida tempestate quassatæ putridæ naufragium tabulæ fonant) per omnipotentem Dominum roga, vt in hoc mihi periculo orationis tuæ manum porrigat: quia tantò enixius potestis exorare, quantò & à confusione tribulationum quas in hac terra patimur, longius statis. Item Gregorius Theoctistæ sorori imperatoris. Mens mea vestræ venerationi quanta deuotione substernitur: explere verbis nequeo: nec tamen me prodere laboro: quia & in me tacente in vestro corde legitis quid de mea deuotione sentiatis. Miror autem quòd in me collatas dudum continentias vestras, ex hac moderna pastoralis officij continentia distraxistis, in qua sub colore episcopatus ad seculum sum reductus: in qua tantis terrenis curis inseruio, quantis me in vita laica nequaquam deseruisse reminiscor. Alta enim quietis meæ gaudia perdidi, & intus corruens, ascendisse exterius videor, vnde me à conditoris mei facie longé expulsum deploro. Conabar nanque quotidie extra mundum, extra carnem fieri, cuncta phantasmata corporis ab oculis mentis abigere, & superna gaudia incorporaliter videre: & non solis vocibus, sed totis medullis cordis ad Dei speciem anhelans, dicebam: Tibi dixit cor meum, Quæsiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram. Nihil autem in hoc mundo appetens, nihil pertimescens, videbar mihi in quodam rerum vertice stare, ita vt in me penè crederem impletum, quod pollicitante Domino ex Propheta didicissem: Sustollam te super altitudines terræ. Super altitudines etenim terræ sustollitur, qui & ipsa quæ alta & gloriosa præsentis videntur seculi, per mentis despectum calcat. Sed repentè à rerum vertice tentationis huius turbine impulsus, ad timores pauoréque corrui: quia & si mihi nihil timeo, eis tamen qui mihi commissi sunt, multum formido. Vndique causarum fluctibus quatior, ac tempestatibus deprimor, ita vt rectè dicam: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Redire post causas ad cor desidero: sed vanis ab eo cogitationum tumultibus exclusus, redire non possum. Et hoc ergo mihi longè factum est quod intra me est: ita vt obedire nequeam propheticæ voci qua dicitur: Redite præuaricatores ad cor: sed stultis pressus cogitationibus, solummodo exclamare compellor: Et cor meum dereliquit me. Contemplatiuæ vitæ pulchritudinem velut Rachelem dilexi sterilem, sed videntem ac pulchram: quæ & si per quietem suam minus generat, lucem tamen subtilius videt. Sed quo indicio, nescio, Lia mihi coniuncta est in nocte, actiua videlicet vita, fœcunda, sed lippa, minus videns, quamuis amplius pariens. Sedere ad pedes Domini cum Maria festinaui, verba oris eius perciperei: & ecce cùm Martha compellor in exterioribus ministrare, atque erga multa satagere. Expulsa à me (vt credidi) legione dæmonum, volui obliuisci quos noui, & ad saluatoris pedes quiescere: & ecce mihi nolenti atque compulso dicitur: Reuertere in domum tuam, & annuncia quanta tibi fecerit Deus. Sed quis inter tot terrenas curas valeat Dei miracula prædicare, cùm iam mihi difficile sit saltem recolere? Pressum nanque in hoc onere tumultu secularium negotiorum, ex eis me esse video, de quibus scriptum est: Deiecisti eos dum alleuarentur. Neque enim dixit: Deiecisti eos postquam alleuati sunt, sed dum alleuarentur: quia praui quique dum seculari honore suffulti foràs videntur surgere, intus cadunt. Alleuatio ergo ipsa, ruina est: quia dum gloria falsa subnixi sunt, à vera gloria vacuantur. Hinc iterum dicitur: Deficientes vt fumus deficiant. Fumus quippe ascendendo deficit, & so dilatando euanescit. Sic videlicet fit cùm peccatoris vitam præsens felicitas comitatur: quia vnde ostenditur vt altus sit, inde agitur vt non sit. Hinc rursum scriptum est: Deus meus pone illos vt rotam. Rota quippe ex posteriori parte attollitur, in anterioribus cadit. Posteriora autem nobis sunt bona præsentis mundi, quæ reliquimus: anteriora verò sunt æterna & permanentia ad quæ vocamur, Paulo at-

UNIV

testante, qui ait: Quæ retro oblitus, in ea quæ sunt priora extendens me. Peccator ergo cũ in præsenti vita profecerit, vt rota ponitur: quia in anterioribus corruens, ex posterioribus eleuatur. Nam cùm in hac vita gloriã percipit quã relinquit, ab illa cadit quæ post hanc venit. Et quidẽ multi sunt, qui sic exteriores profectus regere sciunt, vt per eos nequaquã interius corruãt. Vnde scriptũ est, Deus potentes nõ abiicit, cùm & ipse sit potẽs. Et per Salomonẽ dicitur: Et intelligens gubernacula posſidebit. Sed mihi hęc difficilia sunt, quia & valde onerosa, & quod mens voluntariè non recipit, congruè nõ disponit. Ecce serenisſimus domin⁹ imperator fieri simiã leonẽ iussit. Et quidẽ pro iusſione illius vocari leo potest: fieri autẽ leo nõ potest. Vnde necesse est vt omnes culpas ac negligentias meas non mihi, sed suę pietati deputet, qui virtutis ministeriũ infirmo cõmisit.

xlviii. Item Gregorius Narsi patricio. Dum cõtemplationis dulcedinem altè describitis, ruinę meæ mihi gemitum renouastis: quia audiui quod intus perdidi, dũ foras ad culmen regiminis immeritus ascendi. Tanto autem me perculsum mœrore cognoscite, vt vix loqui sufficiã. Oculos enim mẽtis meę doloris tenebrę obsidẽt: triste est quicquid aspicitur: quicquid delectabile creditur, cordi meo lamentabile apparet. Penso enim ab alto quietis meæ culmine corruens, ad quam deiectum exterioris prouectus culmen ascendi: & pro culpis meis in occupationis exiliũ à facie dominãtis missus, quasi destructæ Iudeæ vocibus cũ Propheta dico: Qui cõsolabatur me, lõgè recesſit à me. Quod verò causæ & vocibus nominis similitudinem faciendo per scripturã, clausulas declamationésque formatis, certè frater charisſime, simiam leonem vocas. Quod eo mòdo vos agere cõspicim⁹, quo scabiosos sæpe catulos pardos vel tigres vocamus. Ego enim, bone vir, quasi filios perdidi: quia per terrenas curas recta opera amisi. Nolite ergo me vocare Noemi, id est pulchram, sed vocate me mara, quia amaritudine plenus sum.

xlix. Item Gregorius Anastasio patriarchæ Antiocheno. Scripta vestræ beatitudinis, vt fessus requiẽ, salutẽ æger, fontem sitiens, vmbrã æstuans inueni. Neq; enim illa verba per linguam carnis videbantur expressa: quia sic spiritualẽ erga me amorem suum quem gestabat aperuit, ac si mens per semetipsam loquerẽt. Sed durum valde fuit quod secutum est: quia amor vester terrena me portare onera pręcipit, & quem prius spiritualiter diligebatis, pòst (vt æstimo) tẽporaliter amantes, vsq; ad terram me superposito onere depresſistis, ita vt omnem mentis rectitudinẽ funditùs perdens, cõtemplationísq; aciem amittens, nõ per prophetiæ spiritum, sed per experimentum dicã: Incuruatus sum & humiliatus sum vsquequaque. Tãta quippe me occupationum onera deprimũt, vt ad superna animus nullatenus erigatur. Multis causarum fluctibus quatior: & post illa quietis otia, tumultuosæ vitę tẽpestatibus affligor, ita vt rectè dicã: Veni in altitudinem maris, & tẽpestas demersit me. Periclitãti igitur mihi orationis vestrę manũ tendite vos qui in virtutũ littore statis. Quod verò me os Domini, quod lucernam dicitis, quod loquendo multis prodesse, multísque posse lucere perhibetis æstimationem meã mihi (fateor) in dubietatem maximã perduxistis. Cõsidero nanq; quis sum, & nihil in me ex huius boni signo deprehendo. Cõsidero autem qui estis: & vos mentiri posse nõ arbitror. Cùm ergo credere volo quod dicitis, cõtradicit mihi infirmitas mea, cũ † discutere volo quod in laude mea dicitur; cõtradicit mihi sanctitas vestra. Sed quæso vir sancte, nobis aliquid de hoc certamine nostro conueniat: vt si non quod dicitis, ita est: fit ita quia dicitis.

† *disputare, vel. detestari.*

li. Item Gregorius Andreæ illustri: Omnipotens Deus dulcisſimo cordi vestro indicet quia & absens corpore, à charitate vestra animo nõ recesſi. Bona enim vestra etiã si volo, obliuisci nõ valeo. Hoc autem quod me ad episcopat⁹ ordinẽ cognoscitis peruenisse, si me diligitis, plangite: quia tãtæ hîc huius mundi occupationes sunt, vt i per episcopatus ordinẽ penè ab amore Dei me videã esse separatum, quod incesſãter defleo: atque vt pro me Dominum exoretis, rogo.

lii. Item Gregorius Ioanni excõsuli & patricio atq; quæstori. Bona vestræ excellentiæ expertus, tãto erga vos amore cõstringor, vt vestra memoria de meo pectore aboleri nullatenùs posſit. Sed cõtra amorem non modicè contristor: quia quietem me quærere cognouistis, & ad inquietudinem perduxistis. Vobis quidem omnipotens Deus, quia hoc bono animo fecistis, bona æterna retribuat: sed me à tantò loci huius periculo qualiter voluerit absoluat: quia sicut peccata mea merebantur, nõ Romanorum, sed Longobardorum episcopus factus sum: quorũ syntychiæ spathæ sunt, & gratia pœna. Ecce vbi me vestra patrocinia perduxerunt. Gemo quotidie occupationibus pressus, & respirare non valeo. Sed vos qui adhuc valetis, mundi huius occupationes fugite: quia quantum in eo quisque profecerit, tãtum (vt video) ab amore Dei amplius decrescit.

liii. Gregorius Leandro Hispalensi episcopo. Respõdere epistolis vestris tota intentione voluissem, nisi pastoralis curæ ita me labor attereret, vt mihi magis flere libeat, quàm aliquid dicere. Quod vestra quoque reuerentia in ipso literarũ mearum textu vigilanter intelligit, quãdo ei negligenter loquor, quem vehementer diligo. Tantis quippe in hoc loco huius mundi fluctibus quatior, vt vetustam ac putrescentẽ nauim quam regendam occulta Dei dispensatione suscepi, ad portũ dirigere nullatenus posſim. Nunc ex aduerso fluctus irruunt nunc ex latere cumuli spumosi maris intumescunt: nunc à tergo tempestas insequitur: intérq; hæc omnia turbatur, cogor modò in ipsam clauum aduersitatem dirigere, modò curuato nauis latere, minas fluctuum ex obliquo declinare. Ingemisco, quia sentio quòd negligente me crescit sentina vitiorum: & tempestate fortiter obuiãte, iamiámque putridę naufragium tabulæ sonant. Flens reminiscor, quod perdidi meæ placidum littus quietis: & suspirando terram conspicio, quam tamen rerum ventis aduersantibus tenere non possum. Si ergo me frater charisſime diligis, tuæ mihi orationis in his fluctibus manum tende: vt quo laborantem me adiuuas, ex ipsa vice mercedis in tuis quoque laborantibus valentior existas.

liiii. Sed quia Gregorium non solùm declinare voluisse, quinetiam cum magno angore animi summum sacerdotium suscepisse, satis (vt opinor) probatũ est: qua discretione id fecerit, videtur breuiter indicandum: ne scilicet tãtus vir, aut pertinaciæ, aut pusillanimitatis vitio saltem leuiter succubuisse putetur. Ait enim in epistola Anastasio Corinthiorum archiepiscopo. Iudicia Domini quantò sunt inuestigabilia, tantò debent esse humanis sensibus metuenda: & quia ea ratio mortalis cõprehendere non valet, his se necesse est humili cordis ceruice substernat: quatenus quò eã regentis voluntas duxerit, illuc obedientis mẽtis gresſibus prosequatur. Ego autem considerãs infirmitatem meã ad apostolicæ sedis culmen nõ posse pertingere, onus hoc malui declinare: ne in pastorali regimine imparis administrationis actione succumberem. Sed quia cõtraire non est Domini disponentis arbitrio obedienter secutus sum, quod misericors de me regentis manus voluit operari. Nam fraternitati vestrę & si præsens nõ eueniret occasio, necessario fuerat indicandum, quod indignum me apostolicæ sedi Dominus præesse dignatus.

Idem de eadem re Philippi comiti excubitorum. In quantum homo discutere & inuestigare iudicia superna nõ sufficit, in tantum sub ea debet ceruicem cordis inflectere: & quia id quod sibi tribuitur, quo iudicio disponatur ignorat, nec appetẽdum locum procax insistere, nec ad repellendum cõtumax debet inueniri. Vnde indignus ergo ad suscipienda episcopatus onera iusſioni omnipotentis Dei vestræque voluntati me subdidi, qui me præesse largitate magis gratię quã iudicij æstimatione voluistis. Potens est enim Deus propter quem me indignum diligitis, hâc vobis in perpetuum repẽsare mercedem, vt gratiam quam indignis famulis eius impẽditis, apud eum multiplicius inuenire valeatis.

At ego hîc à deflorationis opere paululum respirabo, vt quæ specialiter de pontificio eius dicenda sunt in libello alio suffragante Domino referantur.

Explicit primus liber de vita beati Gregorij Romani Pontificis.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI SECVNDI.

1 Vbi Gregorius seruum seruorum Dei se scribens, mediocribus vestimentis amicitur.
2 Vbi fidei suæ irreprehensibile symbolum dictat.
3 Vbi patriarchalibus thronis suam synodicam dirigit.
4 Vbi quinque concilia se venerari fatetur.
5 Vbi collecta synodo prauas consuetudines damnat.
6 Vbi antiphonarium centonizans, cantorum constituit scholam.
7 Cur occidentales, dulcedinem cantilenæ corrumpant.
8 Quòd per Ioannem Romanum cantorem correcti sunt.
9 Qualiter Carolus rex dissonantia cantus offensus, duos clericorum suorum erudiendos Romæ dimiserit.
10 Quemadmodum idem dissonantia cantus offensus duos Romanos cantores ab Adriano perceperit.
11 Vbi Gregorius pulsis laicis familiares sibi clericos elegit.
12 Vbi talem ecclesiam Romanam exhibuit, qualis prima sub Apostolis fuit.
13 Quanta & qualis tunc Romæ studia reflorebant.
14 Quòd non diuites sed sapientes ad consilium conuocabat.
15 Quamobrem laici primò cœperint tonsurari.
16 Vbi laicos non ad ecclesiasticum officium admittit, sed tantùm ad monachicum habitum.
16 Vbi codicem Gelasianum coartat.
18 Vbi stationes constituens, tractatus euangeliorum declamat.
19 Vbi verbi pabulo pauperibus alimenta ministrat.
20 Vbi consuetudines nouas inducit.
21 Vbi murmurantibus pro eisdem humiliter satisfacit.
22 Vbi pro hospite Dominum recipit.
23 Vbi duodecim inuitatis, tertiumdecimum angelum sibi deputatum diuinitus recognoscit.
24 Vbi quater in anno distribuendum per polyptychum censet.
25 Vbi aureos & peregrina vestimenta largitur.
26 Vbi calendatim diuersas species erogat.
27 Vbi tribus milibus ancillis Dei octoginta libras annualiter præstat.
28 Vbi dietim per veredarios coacta stipendia destinat.
29 Vbi pro paupere mortuo vehementisſimè lamentatur.
30 Quot & qualium remunerandorum nomina in scrinio teneantur.
31 Vbi Arrianorum basilicam in subura Domino dedicat.
32 Quot & qualia miracula ibi diuinitùs sint ostensa.
33 Vbi pro conuertendis Anglis, Saxonibus, Augustinum cum aliis mittit.
34 Vbi sine profectu redire volentes ad proficiscendum hortatur.
35 Vbi prædicantes miracula faciunt, multósque conuertunt.
36 Vbi Augustinus episcopus consecratus postulat adiutores.
37 Vbi ei Gregorius pallium & diuersa necessaria simúlque nonnulla responsa transmittit.
38 Vbi de consanguinitatibus percunctatus, ponit pontifici Felici rationem.
39 Quanta & qualia de conuersione Saxonum, signísque discipulorum suorum Gregorius præconetur.
40 Vbi Augustinum monet ne pro miraculis tumeat.
41 Vbi panis frustum in carnem, carnis rursus in panis primordia reformauit.
42 Vbi panem pupugit, & sanguis effluxit.
43 Vbi maleficos cæcitate mulctauit.
44 Qualiter intelligi debet, Gregorium Traiani animam de inferni cruciatibus liberasse.
45 Vbi monachum sub excommunicatione defunctum mirabiliter soluit.
46 Vbi paganos pueros comparat, vt Christianos efficiat.
47 Vbi pro paganis rusticis episcopis comminatur.
48 Vbi Iudæos conuersos à pensionibus leuigat.
49 Vbi baptizandis vestimenta largitur.
50 Vbi pueris Arrianorum subueniri prædicat.
51 Vbi singulis diaconis vel xenodochiis singulos rectores constituit.
52 Vbi Hierosolymis xenodochium constituens, & ibi & in monte Sina monachis annualia stipendia asſignauit.
53 Vbi singulis patrimoniis singulos rectores constituit.
34 Vbi vni personæ duo ministeria nullo modo committenda definit.
55 Vbi eleemosynas localiter ac personaliter ordinat.
56 Quod omnipotenti se voluntariè tribuit.
57 Quod etiam non petenti necessaria ministrauit.
58 Vbi liberalitatis eius innocentia comprobatur.
59 Vbi pro faciendis eleemosynis frumẽta comparat quinquaginta libris auri.
60 Quale de eo somnium eremita cognouerit.

EXPLICIVNT CAPITVLA.

LIBER SECVNDVS.

i. AGe iam nunc, quoniam athletæ Christi Gregorij viriliter in gymnasio sanctæ ipsius Ecclesiæ desudatis prælato libello torosa mẽbra descripta sunt, qualiter in palæstra quoq; cõflixerit, aspirãte Domino proferatur. Siquidẽ mox vt summũ pontificiũ felicissimæ Romanæ vrbis Christo mortalibus cõsulente sortitus est superstitiosum vniuersalis, administrationis vocabulũ, quod Ioãnes Constantinopolitanus episcopus insolenter sibi tũc tẽporis vsurpabat, more antecessorum suorum põtificum, sub districtissime interminationis sentẽtia refutauit: & primus omniũ se in principio epistolarũ suarum seruũ seruorũ Dei scribi satis humiliter definiuit: cũctisque suis successoribus documẽtum suæ humilitatis tã in hoc, quam in mediocribus põtificalibus indumentis, quod videlicet hactenus in sancta Ecclesia Romana Ecclesia conseruatur, hæreditarium reliquit. *Gregorius gloriosum. nomen respuit non rẽ.*

ii. Deniq; in specula sanctę vniuersalis ecclesię vir totius humilitatis, aut authoritatis orthodoxæ, vnde videri & audiri clarius euãgelicus præco valeret, cõsistẽs oris sui diuinissimo gladio, & rectã fidem muniuit, & cunctas hæreses vno symbolo dissipauit: Quod videlicet sacrę cõfessionis symbolum ita se habet: Credo in vnũ Deũ omnipotentẽ, patrẽ & filium & spiritũ sanctũ, tres personas, vnã substãtiã: patrẽ ingenitũ, Filiũ genitũ: Spiritũ verò sanctũ nec genitũ, nec ingenitũ, sed coæternũ, de Patre & filio procedentẽ. Cõfiteor vnigenitum filium consubstantialẽ, & sine tẽpore natũ de Patre, omnium visibilium & inuisibilium cõditorẽ, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero, splendorẽ glorię, figurã substantię: qui manens Verbũ ante secula, perfectus homo creatus est iuxta finẽ seculorum, cõceptus & natus ex spiritu sancto & Maria virgine, qui naturã nostrã suscepit absq; peccato: & sub Pontio Pilato crucifixus est, & sepult⁹, tertia die resurrexit à mortuis: die autẽ quadragesimo ascẽdit in cęlum, sed ad dexteram patris: inde ventur⁹ est iudicare viuos & mortuos, positus ante oculos omniũ omnia occulta singulorũ: daturus † iustis perpetua premia regni cœlestis, iniquis autẽ supplicia ignis ęterni: innouaturus seculum per ignẽ, & carnis resurrectionem. Cõfiteor vnam fidẽ, vnum baptisma, vnam Apostolicam & vniuersalem Ecclesiam: in qua sola possunt laxari peccata in nomine patris & filij & spiritus sancti. *† al. sanctis vel cunctis bonis.*

iii. Synodicam quoque suã Gregorius secundũ priscum decessorum suorum morem Ioãni Cõstantinopolitano, Eulogio Alexandrino, Gregorio Antiocheno, Ioãni Hierosolymitano, & Anastasio patriarchæ Antiochiæ destinauit, quæ ita se habet: Cõsideranti mihi quòd impar meritis, ac toto animo renitens, pastoralis curæ põdera portare cõpulsus sim, caligo mœroris occurrit, & triste cor nihil aliud nisi eas quæ videri nil sinunt tenebras videt. Nam quid antistes ad Dominum nisi pro delictis populi intercessor eligitur? Qua itaque fiducia ad eum pro peccatis alienis intercessor venio, apud quem de propriis securus non sum? Si fortasse quispiam apud potentẽ virum, qui & sibi iratus, & mihi esset incognitus, intercessorẽ suum me fieri quæreret, protinus respõderem: Ad intercedendum venire nequeo, quia eius notitiã ex sedula familiaritate nõ habeo. Si igitur rectè homo apud hominem de quo minimè pręsumpsissem, fieri intercercessor erubescerẽ, quantæ hoc audacię est, quòd apud Deum pro populo locũ intercessoris obtineo, cui familiarem me per vitæ meritum nõ agnosco? Qua in re est mihi adhuc aliud grauius formidãdum: quia (sicut cuncti liquidò nouimus) cùm is qui displicet, ad intercedẽdum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur, & valde pertimesco ne commissa mihi plebs fideliũ reatus mei additamẽto depereat, cuius nũc vsque Dominus æquanimiter delicta tolerabat. Cùm verò vtcunq; hunc timorem supprimo, & consolatã mentẽ ad pontificalis operis studia accingo: considerata ipsa rei immensitate deterreor. Perpendo quippe quòd omni cura vigilandum est, vt rector cogitatione sit mundus, operatione præcipuus, discretus in silentio, vtilis in verbo, singulis in cõpassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum rectitudinis erectus: & cætera quæ latiùs pòst in libro pastorali prosequitur.

iiii. Præterea quia corde, inquit, creditur ad iustitiã, ore autem confessio fit ad salutem: sicut sancti euangelij quatuor libros, sic quatuor cõsilia suscipere, & venerari me fateor: Nicenum scilicet, in quo peruersum Arrij dogma destruitur: Constantinopolitanum quoq;, in quo Eunomij, & Macedonij error conuincitur: Ephesinum etiam primum, in quo Nestorij impietas iudicatur: Chalcedonẽse verò, in quo Eutychis, Dioscorique prauitas reprobatur, tota deuotione cõplector, integerrima approbatione custodio: quia in his velut in quadrato lapide sanctæ fidei structura consurgit: & cuiuslibet vitæ atque actionis existat, quisquis eorum soliditatem non tenet, etiam si lapis esse cernitur, tamẽ extra ædificium iacet. Quintum quoq; concilium pariter veneror, in quo epistola quæ Ibe dicitur, erroris plena, reprobatur, & Theodor⁹ personã mediatoris Dei & hominũ in duabus substantiis separãs, ad impietatis perfidiã cecidisse cõuincitur: Scripta quoq; Theodoriti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu insidentiæ prolata refutãtur. Cunctas verò quas præfata venerãda cõcilia personas respuũt, respuo: quas venerãtur, amplector: quia dum vniuersali sunt cõsensu constituta, se, non illa destruit quisquis præsumit, aut soluere quos religant, aut ligare quos soluunt. Quisquis ergo aliud sapit anathema sit. *Authoritas quatuor cõciliorum.*

v. Hoc modo postquã Gregorius fundamentum suæ fidei secundum priscum decessorũ suorũ pontificum morẽ luculenter apostolicis thronis exposuit, animaduertens se ideo à Domino super gentes & regna summum pontificẽ constitutum, vt iuxta illud propheticum, vitiorum radices euelleret, destrueret atque disperderet, sicque demum ædificaret plãtarétque virtutes: omnes consuetudines quas contra priscam traditionem Apostolicam nouiter pullulasse cognouerat, videlicet de ministeriis, de cantoribus, de laicis pontifici familiariter adhærentibus, de titulandis præiudicialiter quibus libet rebus, de contegendo Dalmaticis apostolico feretro, de pastillatico propallio, vel consecratione pontificum, & de nõ admittendis passim laicis ad ecclesiastici iuris officium: primo quidem à Romanæ ecclesiæ, postmodum verò collectis circunquaque positarum prouinciarum episcopis, à totius sanctę vniuersalis ecclesię corpore segregauit, eáque sub interpositione terribilis anathematis tam generaliter quàm perpetualiter condemnauit.

vi. Deindein domũ Domini more sapientissimi Solomonis propter musicæ cõpunctionẽ dulcedinis, antiphonariũ centonã cantorũ studiosissimus nimis vtiliter cõpilauit: scholam quoque cantorũ quæ hactenus eisdẽ institutionibus in sancta Romana ecclesia modulatur, cõstituit: eiq; cum nõnullis prædiis duo habitacula, scilicet alterum sub gradibus basilicę beati Petri apostoli, alterum verò sub Lateranẽsis patriarchij domibus fabricauit: vbi vsq; hodie lectus eius in quo recubans modulabatur, & flagellum ipsius quo pueris minabatur, veneratione congrua cum authentico antiphonario reseruãtur: quæ videlicet loca per præcepti seriẽ sub interpositione anathematis ob ministerij quotidiani vtrobique gratiam subdiuisit.

vii. Huius modulationis dulcedinẽ inter alias Europæ gentes Germani seu Galli discere, crebróq; rediscere insigniter potuerunt: incorruptã verò tam leuitate animi, quia nõnulla de proprio Gregorianis cãtibus miscuerũt, quàm feritate quoq; naturali seruare minimè † potuerũt. Alpina siquidem corpora vocum suarũ tonitruis altisonè perstrepẽtia, susceptæ modulationis dulcedinem propriè non resultant: quia bibuli gutturis barbara feritas, dum inflectionibus & repercussionibus mitem nititur edere cantilenam, naturali quodam fragore quasi plaustra per gradus confusè sonantia rigidas voces iactat, sicque audientium animos quos mulcere debuerat, exasperando magis ac obstrependo conturbat. *† al. nonerunt.*

viii. Hinc est quòd huius Gregorij tẽpore cũ Augustino tunc Britãnias adeũte, per occidentẽ quoq; Romanę institutionis cantores dispersi, barbaros insigniter docuerũt. Quibus defunctis occidẽtales ecclesię ita susceptũ modulationis organum vitiarũt, vt Ioãnes quidẽ Romanus cãtor cũ Theodoro

ro æquè ciue Romano, sed Eburaci archiepiscopo, per Gallias in Britãnias à Vitelliano sit præsule destinatus: qui circũquaque positarum ecclesiarũ filios ad pristinã cantilenæ dulcedinẽ reuocans, tam per se quàm per discipulos suos multis annis doctrinæ Romanæ regulam conseruauit.

ix. Sed & Carolus noster patricius, rex autẽ Francorum, dissonãtia Romani & Gallicani cãtus Romę offensus, cùm Gallorũ procacitas cantũ à nostratibus quibusdã neniis argumẽtaretur esse corruptũ, nostríq; è diuerso authenticũ antiphonarium probabiliter ostẽtarent, interrogasse fertur quis inter riuum & fontẽ limpidiorẽ aquã † cõseruare soleret? respõdentibus fontẽ, prudẽter adiecit: Ergo & nos qui de riuo corruptam lymphã vsque hactenus bibimus, ad perẽnis fontis necesse & fluenta principalia recurramus. Mox itaq; duos suorũ industrios clericos Adriano tũc episcopo dereliquit: quibus tandem satis eleganter instructis, Metensem metropolim ad suauitatem modulationis pristinæ reuocauit, per quam illam totam Galliam suam correxit. *† conferre. Rom. ecclesia oĩs ecclesiastici ritus fons & magistra.*

x. Sed cùm multa post tẽpora defunctis his qui Romæ fuerant educati, cantũ Gallicanarũ ecclesiarũ à Metensi discrepare prudẽtissimus regũ vidisset, ac vnũquemque ab alterutro vitiatũ cantum iactãtẽ aduerteret: Iterũ, inquit, redeamus ad fontẽ. Tunc regis precib⁹, sicut hodiéque quidã veridicè astipulantur, Adrianus papa permotus, duos in Galliã cantores emisit: quorũ iudicio rex omnes quippe corrupisse dulcedinẽ Romani cantus leuitate quadã cognouit: Metẽses verò sola naturali feritate paululũ quid dissonare peruidit. Denique vsq; hodie quantũ Romano cãtui Metensis cedit, tantum Metensi cedere Gallicanarũ ecclesiarũ Germaniarúmq;, cantus, qui purã veritatẽ diligunt, comprobãt. Hæc ergo per anticipationem retulerim, ne indiscussam Gallorum leuitatem videar præteriisse.

xi. Cæterùm prudẽtissimus rector Gregorius remotis à suo cubiculo secularibus, clericos sibi prudẽtissimos cõsiliarios familiarésq; delegit: inter quos Petrũ diaconũ coętaneũ suũ cum quo postea disputãs, quatuor dialogorũ libros composuit. Aemilianũ quoq; notariũ, qui quadraginta homilias euãgelij cum sociis suis excepit. Pateriũ ęquè notariũ, qui ab eo secundicerius factus, ex libris ipsius aliqua vtilissima deflorauit: & Ioannẽ defensorẽ, qui eius iussu in Hispanias cognitor destinatur: Iannuariũ episcopũ ciuitatis Malalitanæ, ab episcopis suis cõpatriotis depositũ sedi propriæ restaurauit: & depositores eius cum eo qui in locũ eius obrepserat, pari sententia condẽnauit. Monachorũ verò sanctissimos sibi familiares elegit: inter quos Maximinianũ monasterij sui abbatem, quẽ Syracusis episcopũ fecit, eíque per Siciliã vices suas cõmisit. Augustinũ eiusdẽ monasterij sui præpositũ, & Mellitum, per quos Anglorũ gentes ad Christianismi gratiã cõuocauit, Marinianũ eiusdẽ monasterij sui Monachum, quem in Rauennati metropoli episcopum cõsecrauit, Probũ quem subitò abbatẽ spiritu reuelãte constituẽs, pro cõstruẽdo Xenodochio Hierosolymis destinauit: simúlq; Claudiũ Classitanæ ciuitatis abbatem, qui de Prouerbiis, de Canticis cãticorum, de Prophetis, de libris Regum, déque heptateucho papa disputante, multa, licet non eodem sensu composuit.

xii. Cum quibus Gregorius die noctúq; versatur nihil monasticæ perfectionis in palatio nihil põtificalis institutionis in ecclesia dereliquit. Videbantur passim cũ eruditissimis clericis adhærere pontifici religiosissimi monachi; & in diuersis † professionibus habebatur vita cõmunis: ita vt talis esset tũc sub Gregorio penes vrbẽ Romanã ecclesia, qualem hanc sub Apostolis Lucas, & sub Marco euangelista penes Alexandriam Philo commemorat. *† al. professionibuss*

xiii. Tunc rerũ sapientia Romę sibi tẽplum visibiliter quodãmodo fabricarat, & septẽplicibus artibus veluti colũnis nobilissimorũ totidẽ lapidum Apostolicæ sedis atriũ fulciebat. Nullus põtifici famulãtiũ, à minimo vsq; ad maximũ, barbarũ quodlibet in sermone vel habitu pręferebat, sed togata, Quiritũ more seu trabeata Latinitas suum Latinũ in ipso Latiali palatio singulariter obtinebat. Refloruerant ibi diuersarũ artium studia: & qui vel sanctimonia vel prudẽtia fortè carebat, suo ipsius iudicio subsistẽdi corã põtifice fiduciã nõ habebat.

xiiij. Arcessebantur põtificalibus profundis consiliis prudentes viri quos perhibui, potius quàm potentes: & pauper philosophia intrinsecus, quid potius aut potissimum in vnoquoque negotio sequendũ putaretur, artificiosis argumentationibus rationabiliter inquirente, diues inertia, quæ modò se de sapientibus pari sorte vlciscitur, pro cubiculi foribus despicabilis remanebat. Sola deerat interpretandi bilinguis peritia: & facundissima virgo Cecropia quæ quondam suæ mentis acumina Varrone cælibatum suum auferente, Latinis tradiderat, imposturarũ sibi præstigia, sicut ipse in suis epistolis queritur, vindicabat.

Nemo laicorum quodlibet palatij ministeriũ vel ecclesiasticum patrimonium procurabat, sed omnia ecclesiastici iuris munia ecclesiastici nihilominus viri subibant, nimirũ laicis ad armorũ solam militiam vel agrorum curam continuam deputatis. Ob hoc se nonnulli procerũ sub obtentu religionis primò tonsurare cœperunt. Quorum tergiuersationi Mauricius imperator prudenter occurrens, data per Longinum Stratonẽ lege præcepit, vt quisquis fuisset publicis administrationibus implicatus, ei ad ecclesiasticum officium venire non liceret. Quam legem Gregorius super hoc valde laudauit, dicẽs: Qui secularem habitum deserens, ad ecclesiastica officia venire festinat, non relinquere cupit seculum, sed mutare. xv.

Verùm, dum ad clericalem professionem tam ex ecclesiastica quàm ex seculari quoq; militia diuersis occasionibus quotidie penè innumerabilis multitudo confluueret: pastor ad omnia prouidus, nequaquam eos ad ecclesiastici decoris officiũ, sed ad capiendum solummodo monachicum propositum suscipiendos esse censebat, dicens: Multos ex ecclesiastica seu seculari militia nouimus ad omnipotẽtis Dei seruitium festinare, vt ab humana seruitute liberi, in diuino seruitio videantur familiarius conuersari. Quod si passim dimittimus fugiendi ecclesiastici vel secularis viris dominij occasionem prebemus. Si verò festinantes, ad omnipotentis Dei seruitium incautè retinem⁹, illi inueniemur negare quædã, qui dedit omnia. Vnde necesse est vt quisquis ex iuris ecclesiastici, vel secularis militiæ seruitute ad Dei seruitiũ cõuerti desiderat, probetur prius in laico habitu cõstitutus: & si mores eius atq; cõuersatio bono desiderio illius testimonium perhibuerint, absque vlla retractatione seruire in monasterio omnipotenti Domino permittatur, vt ab humano seruitio liber recedat, qui in diuino obsequio districtiorem subire appetit seruitutem. Si autem & in monachico habitu secundum patrum regulas irreprehensibiliter fuerit conuersatus, post præfixa sacris canonibus tempora licenter iam ad quodlibet ecclesiasticum officium promoueatur: si tamẽ illis nõ fuerit criminibus maculatus, quæ in testamento veteri morte mulctantur. xvj. xvij.

Sed & in Gelasianum codicem de missarum solenniis, multa subtrahens, pauca conuertens, nonnulla adiiciens, pro exponendis euangelicis lectionibus in vnius libri volumine coartauit, in canone apposuit: Diésque nostros in tua pace dispone, atque ab æterna damnatione nos eripe, & in electorũ tuorum iubeas grege numerari. *Nõ hinc sequitur missam esse nouum institutum: Instituta enim est à Christo quãtum ad substantialia: sed quæ ad ornatum & dicentiã ab apostolis & eorum successoribus instituta.*

Stationes per basilicas, vel beatorũ martyrũ cœmeteria secundũ quòd hactenus plebs Romana quasi eo viuente certatim discurrit, sollicitè ordinauit: per quas & ipse simul discurrens, dum adhuc eloqui præualeret, viginti homilias euangelij coram Ecclesia diuerso tempore declamauit: reliquas verò eiusdem numeri dictauit quidem, sed lassescente stomacho languore continuo aliis pronuntiandas commisit.

Sequebatur exercitus Domini vltra citráque Gregorium præeuntem, & audituræ verbum doctrinę innumerabiles vndique diuersi sexus, ætatis ac professionis voluntarię confluebant cohortes: quibus ille vtpote doctor cœlestis militiæ, cunctis duntaxat arma spiritalia suggerebat: pauperibus verò & aduenis, qui pro conditione temporum Romã influxerant, quotidiana stipendia ministrabat. xviij. xix. xx.

Super corpora autem beatorum Petri & Pauli Apostolorum missarum solennia celebrari decreuit, acquisitis numerosissimis oliuetis, quorum summam in tabulis marmoreis pro foribus eiusdem basilicæ annotauit. Luminaria superaddidit, officia sedula deputauit. De sepultura iuxta Ecclesiam, commodum sperare prohibuit. Septem ex defensoribus honore regionario decorandos indixit. Alleluia *Mos ecclesiæ antiquus, super sepulchra sanctorum missas celebrare.*

per extrema Pentecostes tempora dici ad missas fecit. Subdiaconos expoliatos præcedere statuit. Kyrie eleison cantari præcepit: & orationem dominicam mox post canonem super hostiam censuit recitari.

xxi. De quibus cùm postea quosdam murmurare sentiret, tanquam qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ consuetudines sequerentur: piissimus pater non dedignatus est reddere rationem, dicens: Nos in nullo horum aliam Ecclesiam secuti

† al. vt non dic. sumus. Nam & alleluia hîc † vt dicetur, de Hierosolymorum Ecclesia ex beati Hieronymi traditione tempore beatæ memoriæ Damasi papæ, traditur tractum: & ideo magis in hac sede illam consuetudinem amputauimus, quæ hîc à Græcis fuerat tradita. Subdiaconos autem vt spoliatos procedere facerem, antiqua consuetudo Ecclesiæ fuit: sed quia placuit cuidam nostro pontifici, nescio cur eos vestitos procedere præcepit. Nam Siciliæ Ecclesiæ nunquid traditionem à Græcis acceperunt? Vnde habent ergo hodie vt subdiaconi in lineis tunicis procedant, nisi quia hoc à matre sua Romana Ecclesia perceperũt? Kyrie eleison autẽ nos neq; dicimus sicut à Græcis dicit, quia in Grecia omnes simul dicũt: apud nos verò à clericis simul dicitur, à populo respondetur, & totidem vicibus etiam Christe eleison dicitur: quod apud Græcos nullo modo dicitur. In quotidianis autem missis alia quæ dici solent, tacemus: tantummodo Kyrie eleison & Christe eleison dicimus, vt in his deprecationis vocibus

Mos Apostolorum in celebranda missa. paulò diutius occupemur. Orationem verò dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit, vt ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent. Et valde mihi inconueniens visum est, vt precem quam scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, & ipsam traditionem, quam redemptor noster composuit, super eius corpus & sanguinem non diceremus. Sed & dominica oratio apud Græcos ab omni populo dicitur: apud nos verò à solo sacerdote cantatur. In quo ergo Græcorum consuetudines secuti sumus, qui aut veteres nostras reparauimus, aut nouas & vtiles constituimus? In quibus tamen alios comprobamur imitari. Ergo vestra charitas cùm occasio dederit, vt ad Catanensem ciuitatem pergat, vel in Syracusana Ecclesia eos quos credit aut intelligit, quia de hac re murmurare potuerunt facta collatione doceat, & quasi alia ex occasione eos instruere non desistat.

Græca ecclesia sedi Apostolicæ subiecta. Nam de Constantinopolitana Ecclesia quod dicunt, quis eã dubitet sedi Apostolicæ esse subiectã? quod & piissimus dominus imperator, & frater noster eiusdẽ ciuitatis episcopus assiduè profitentur: tamẽ si quid boni vel ipsa, vel altera Ecclesia habet, ego & minores meos quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum. Stultus est enim qui in eo se primum existimat, vt bona quæ viderit, discere contemnat.

Tantæ hospitalitatis Gregorius in ipso etiam patriarchio permansit, vt exceptis his quos tam per diuersas regio-

xxii. nes, quàm Romæ quoque Longobardorum perfidiæ gladios fugientes, ecclesiastica stipe misericorditer nutriebat: ad mensam suam quotidie peregrinos quoslibet inuitaret. Inter quos die quadam vnus accessit, in cuius manibus dum ipse ex humilitatis ministerio aquam fundere vellet conuersus vrceum accepit: sed repentè eum in cuius manibus aquam fundere voluerat, inuenire non potuit. Cúmque hoc factum secum ipse miraretur, eadem nocte Dominus ei per visionem dixit: Cæteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in meipso suscepisti.

xxiii. Alio quoque tempore idem Gregorius iuxta consuetudinem suam præcepit sacellario vt duodecim peregrinos ad prandium inuitaret. Qui pergens iussa compleuit, eósque ad mensam pariter ordinauit. Dum autem simul discumberent, intuens Papa tredecim numerauit, & accersito sacellario cur contra iussionem suam tertium decimum inuitare præsumpserit inquisiuit. Ille obstupefactus conuiuantes peregrinos curiosius numerauit, & duodecim solus inueniens, veluti securus respondit: Crede mihi honorabilis pater, non sunt nisi duodecim, sicut ipse iussisti. Ergo dum conuictus sæpius duodecim identidem numeraret, ac tertium decimum quem solus Papa videre poterat, non videret: animaduertit spiritualis pater Gregorius virum propius discumbentem vultus crebrò conuertere, & nunc adolescentem, nunc verò se vetulum veneranda quadam canicie simulare. Finito conuiuio duodecim quidem abire permisit: tertium decimum verò manu suscipiens, in cubiculum suum induxit, vehementer adiurans, vt ei se nomẽque suum simpliciter prodere dignaretur. Qui respondens dixit: Et cur interrogas de nomine meo, quod est mirabile. Veruntamen scito memoria recognoscens, quia ego sum naufragus ille qui quondam veni ad te quando scribebas in cella monasterij tui ad cliuum Scauri, cui dedisti duodecim numismata, & argenteam scutellam quam tibi miserat cùm infusis leguminibus beata Syluia mater tua. Et hoc tibi pro certo sit cognitum, quia ab illo die quo mihi hæc hilari animo tribuisti, destinauit te Dominus fieri præsulem sanctæ suæ Ecclesiæ, pro qua & proprium sanguinem fudit, & esse te successorem atque vicarium Apostolorum principis Petri, cuius & virtutem imitatus es, cum substantiam offerentium diuideret prout cuique opus erat. Hæc audiens Gregorius dixit: Et tu quomodo nosti quòd tunc mè Dominus præesse sanctæ Eccclesiæ destinârit? At ille, inquit, quoniam ego Angelus eius sum, & tunc ab eo ad tuum inquirendum propositum destinatus. Tunc Gregorius quia nondum manifestè videtat Angelum, prorsus expauit: sibíque hunc taliter dicentem audiuit: Ne timeas neque formides: ecce enim remisit me Dominus vt sim tibi custos quandiu fueris in isto mortali seculo: quatenus quamcunque rem petieris, per me apud eum fiducialiter valeas impetrare. Illico Gregorius in faciẽ suã corruit, dicens: Si propter meæ parũitatis munusculũ tãta mihi retribuit omnipotentissimus Dominus, vt & pontificẽ me sanctæ suæ Ecclesiæ faceret, & custodem mihi suum angelũ deputaret: quanta putem mihi restitui, si in præceptis eius totis viribus permanens, plura studuero de pluribus erogare?

Igitur incipiens tantum largior esse decollato temporali xxiiii. commodo, quantum certior de recipiendo præmio sempiterno, cunctorum patrimoniorum prædiorúmque reditus ex Gelasiano polyptyco, cuius nimirum studiosissimus videbatur, pedissequus adæruit, eorúmque pensionibus in auro argentóque collatis, ordinibus ecclesiasticis vel palatinis, monasteriis, Ecclesiis, cœmeteriis, diaconiis, Xenodochiis vrbanis vel suburbanis, quot solidi singulis quater in anno distribuerentur, Pascha scilicet, natale Apostolorum, natale sancti Andræ, natalitióque suo per polytychum quo hactenus erogantur, indixit.

Extra quos primo dominicæ resurrectionis diluculo in xxv. basilica quondam doctissimi Papæ Vigilij, iuxta quam consuetudinaliter habitabat, ad † impertiendum pacis osculum † Percipiendum. residens, cunctis episcopis, presbyteris, diaconibus aliísque axiomaticis aureos erogabat. Natalitio verò Apostolorum, vel suo, mixtos solidos offerens peregrinis nihilominus vestimenta donabat.

Omnibus omnino Calendis pauperibus generaliter eas- xxvi. dem species quæ cõgerebantur ex reditibus erogabat: & suo tempore frumentum, suo vinũ, suo caseum, suo legumen, suo lardum, suo manducabilia animalia, suo pisces vel oleum patersamiliâs Domini discretissimè diuidebat. Pigmenta verò, aliáque delicatoria commercia primoribus honorabiliter offerebat, ita vt nihil aliud quàm communia quædam horrea, communis putaretur Ecclesia.

Tribus milibus ancillis Dei, quas Græci monastrias vo- xxvii. cant, quindecim libras auri pro lectisterniis dedit, eísque pro quotidianis stipẽdiis octoginta libras annualiter conferebat. De quibus Theoctisto patricio scribens, Harum, inquit, talis vita est, atq; in tantũ lachrymis & abstinẽtia districta, vt credamus quia si ipsæ nõ essent, nullus nostrũ iam per tot annos in loco hoc subsistere inter Lõgobardorũ gladios potuisset.

Quotidianis quibusq; diebus per omniũ regionum vicos, xxviii. vel compita infirmis, seu qualibet corporis parte debilibus cocta stipendia per constitutos veredarios emittebat. Verecundioribus verò, antequam ipse cibum caperet, à mensa sua benedictionis Apostolicæ ostiatim dirigere curabat scutellam, ita vt neminem prorsus exciperet misericordissimi beneuolentia prouisoris, quem ad fidem traxerat omnipotentis cognitio creatoris.

Horum

xxix. Horum dum quendam pauperem in angustis Andronarum recessibus à vespillonibus inueniri mortuum contigisset, æstimans eum stipis inopia periisse, ita per aliquot dies (vt dicitur) à missarum celebratione vacando tristatus est, tanquam si eum propriis manibus (quod dictu nefas est) peremisset.

xxx. Extat vsque hodie in sacratissimo Lateranensis palatij scrinio huius confectum temporibus chartaceum prægrande volumẽ, in quo communis sexus cunctarum ætatum ac professionum nomina tam Romæ, quam per suburbana, ciuitatésve vicinas, necnon longinquas maritimas vrbes degentium cum suis cognominibus, temporibus, & remunerationibus expressiùs continentur. Quorum summam, ne videlicet fastidiatur, ego transferre diffugio: meique lectoris oculum ad illius venerandi scrinij plenitudinem, cuius ipse penè in cunctis authoritatem Papa largiente secutus sum, retransmitto.

xxxi. Præterea cum Arrianorum basilica in regione vrbis huius quæ Suburra dicitur, clausa vsque ad Gregorij pontificatus tempora remansisset, placuit ei vt in fide catholica, introductis illuc beati Sebastiani & sanctæ Agnetis † martyrum reliquiis, dedicari debuisset, quod factum est. Nam cum magna populi multitudine Gregorius laudes canendo perueniens, basilicam præfatam ingressus est. Cúmque venerabilis pontifex iam missarum solennia celebraret, ac propter eiusdem loci angustias populi se turba comprimeret, quidam ex his qui extra sacrarium stabant, porcum subitò inter suos pedes huc & illuc discurrere senserũt. Quem dum vnusquisque sentiret, & iuxta se stantibus indicaret, idem porcus Ecclesiæ ianuas petiit, & omnes per quos transiit, in admirationem conuertit: sed videri nil potuit, quanuis sentiri potuisset. Quod idcirco diuina pietas ostendit, vt cunctis patesceret, quia veniente cum reliquiis sanctorum Gregorio, de loco eodem immundus habitator exiret.

† Agathæ. Dedicationis ecclesiarum mos antiquus.

xxxii. Peracta igitur missarum celebratione, papa cum plebe recessit: sed adhuc nocte eadem magnus in Ecclesiæ eiusdem tectis strepitus factus est, ac si in ea aliquis errando discurreret. Sequenti autem nocte grauior sonus excreuit, cum subitò tantus terror insonuit, ac si omnis illa Ecclesia à fundamentis fuisset euersa: & protinus recessit, ac nulla illic vlterius inquietudo antiqui hostis apparuit: sed per terroris sonitum quem fecit, innotuit, à loco quem diu tenuerat, quòd per inuocationem Gregorij coactus exibat. Post paucos verò dies in magna serenitate aëris super altare eiusdem Ecclesiæ nubes cœlitus descendit, suóque illud velamine operuit, omnémque Ecclesiam tanto terrore, ac suauitate odoris impleuit, vt patentibus ianuis nullus illic præsumeret intrare: & sacerdotes atq; custodes, vel hi qui ad celebrãda missarũ solennnia venerant, & rem videbant, ingredi minimè poterant, & suauitatem mirifici odoris trahebant. Die verò alia in ea lampades sine lumine sunt accensæ. Post paucos iterum dies cùm expletis missarum solenniis extinctis lampadibus custos ex eadem Ecclesia egressus fuisset, pòst paululùm intrauit, & lampades quas extinxerat, lucentes reperit: quas negligenter extinxisse se credidit, atque eas iam sollicitius extinxit, qui exiens Ecclesiam clausit. Sed post horarum trium spatium regressus lucentes lampades quas extinxerat, inuenit: vt videlicet ex ipso lumine apertè clarescceret, quia per beatum Gregorium locus ille de tenebris ad lucem venisset.

xxxiii. Sed cùm sanctus Gregorius pro conuertendis Anglis Saxonibus (quemadmodum in monachatu suo proposuerat) assiduis cogitationum fluctibus vrgeretur, mox vbi Ecclesiæ statu composito, quartum sui pontificatus annum intrauit, Augustinum cum aliis domus suæ monasterij monachis in Britanniam euangelizandi gratia destinauit. Qui susceptæ peregrinationis post dies aliquot inerti tædio prægrauati, redire domum potius, quàm barbaram, feram, incredulámque gentem, cuius nec linguam intelligerent, adire decreuerunt. Nec mora, Augustinum quem eis episcopum consecrandum, si ab Anglis exciperentur, indixerat, Romam remittunt, summum præsulem deprecantes, vt tam laboriosam, tam incertam, támque periculosam peregrinationem sibi nuper impositam remoueret, & ad suos reuerti permit-

teret. Quibus ille rescripsit, dicens: Gregorius episcopus, xxxiiij. seruus seruorum Dei, seruis domini nostri Iesu Christi. Quia melius fuerat bona non inciperè, quàm ab his quę cœpta sunt, cogitatione retrorsum redire: summo studio, dilectissimi filij, oportet vt opus bonum quod cœpistis, auxiliante Domino compleatis. Nec labor vos ergo itineris, nec maledicorum hominum linguæ deterreant, sed omni instantia, omnísque feruore, quæ inchoastis, Deo authore peragite, scientes quòd laborem magnum maior æternæ retributionis gloria consequetur. Remeanti autem Augustino præposito vestro, quem & abbatem vobis constituimus, in omnibus humiliter obedite, scientes hoc vestris animabus per omnia profuturum, quicquid à vobis fuerit in eius admonitione completum. Omnipotens Deus sua vos gratia protegat, & vestri laboris fructum in æterna me patria videre concedat: quatenus & si vobiscum laborare nequeo, simul in gaudio retributionis inueniat, quia laborare scilicet volo.

His exhortationibus Augustinus cum fratribus roboratur, xxxv. per Aetherij Arelatensis vatis, pérque aliorum episcoporum Galliæ, regúmque quibus eos mitissimus pater propriis literis comendârat, hospitia, Britanniam petiit, & ad Ildebertum regem Cantuariorum veniens, Dei cooperante gratia, non solùm licentiam prædicandi, verum etiam victus & mansiones in ciuitate Douernensi, quæ erat regni eius metropolis, facilè impetrauit. Ad quam Augustinus cum sociis prælata cruce, Vsus imaginum antiquus, & signaculi crucis. seu saluatoris imagine, appropinquans cecinit dicens: Deprecamur te Domine in omni misericordia tua, vt auferat furor tuus iráq; tua à ciuitate ista, & à domo sancta tua, quoniã peccauimus. Prædicantibus autem eis, & in nomine Iesu miracula facientibus crediderunt multi, & baptizati sunt, mirantes innocentis vitæ simplicitatem, complectentéque dulcedinem cœlestis doctrinæ.

Quapropter Augustinus Arelatem venit, & secundũ Gre- xxxvj. gorij iussionem ab Aetherio episcopus consecratus, in Britã- Episcopus ab episcopo consecratur. niam remeauit: illicóque per Laurentium presbyterum & Petrum Monachum papæ Gregorio conuersionem gentis Anglorum, séque consecratum innotuit, suggerens vt sibi mitteret plurimos verbi ministros, eo quòd messem quidem multam haberet, operarios autem paucos.

Quibus relationibus Gregorius in Christo lætificatus, mi- xxxvij. sit Augustino plurimos verbi ministros, in quibus præcipui erãt, Mellitus, Iustus, Paulinus, & Rufinianus: & per eos vniuersa quæ ad cultũ erant Ecclesiæ necessaria, vasa videlicet sacra, & vestimenta altarium, ornamenta ecclesiastica, vestimenta clericalia, Apostolorum & multorum Sanctorum reliquias, Pallium solis archiepiscopis mittebatur. & codices multos. Misit ei & pallium, iubens vt sub metropoli sua Canticiæ duodecim episcopos ordinaret, ad Lundoniam & Eburacã singulos episcopos mitteret, qui sub se duodecim nihilominus episcopos consecrantes, pallium ab apostolica sede perciperent, & post Augustini obitum ipse inter eos primus haberi debuisset, qui prius consecrari, meruisset. Præcepit quoque vt in Anglorum gente idolorum fana non destrueret, sed sanctificatis aquis respersa in basilicas dedicaret. Et quia solebant Saxones in sacrifici · dæmonum boues multos occidere, iussit, vt in die dedicationis, vel natalitiis sanctorum martyrum quorũ reliquiæ illic ponerentur, tabernacula sibi circa easdẽ ecclesias quę ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum facerẽt, & religiosis conuiuiis solennitates debitas celebrarent. Et quia super quibusdam capitulis Augustinus eum interrogans, qualiter episcopus cum suis conuersari deberet clericis, requisiuit, doctor humillimus inter cætera sic rescripsit: Quia tua fraternitas monasterij regulis erudita, seorsum viuere non debet à clericis suis, in Ecclesia Anglorũ quæ nuper ad fidem conuersa est, hanc debet conuersationem instituere, quæ in initio nascentis Ecclesiæ fuit patribus nostris, in quibus nullus eorum ex his quæ possidebant, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Cùm vna sit fides, cur super missarum celebratione, Gallicana Ecclesia à Romana discordet, Augustino quærenti, Gregorius ait: Nouit tua fraternitas Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit enutritam. Sed mihi placet, vt siue in Romana, siue in qualibet Ecclesia aliquid inuenisti quod plus omnipotenti Deo possit placere

Aquæ benedictæ aspersio.

sollicitè eligas, & in Anglorum Ecclesia (quæ adhuc noua est ad fidem) institutione præcipua quæ de multis Ecclesiis colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque Ecclesiis quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt eligas, & hæc quasi in vasculo collecta, apud Anglorum mensam in consuetudinem vertas. Interrogatus etiam quomodo ea quæ fures de Ecclesiis abstulerint, reddere debeant: mitissimus pater, absit, inquit, vt Ecclesia cum augmento recipiat, quod de terrenis rebus videtur amittere, & lucra vana acquirere. Sanè requisitus ab eodem Augustino, vsque ad quotam generationem fideles debeant copulari: Gregorius dispensatoriè sic rescripsit: Quædam terrena lex in Romana republica permittit vt siue frater & soror, seu duorũ fratrũ germanorũ, vel duarum sororum filius & filia misceantur. Sed experimento didicimus ex tali coniugio sobolem non posse succrescere. Et sacra lex prohibet cognationis turpitudinem reuelare. Vnde necesse est vt etiam tertia, vel quarta generatione generatio fidelium licenter sibi iungi debeat. Nam in secunda quam prædiximus, omnimodo debet abstinere.

Ex illegitimis coniugiis soboles non potest succrescere.

xxxviij. Verùm post multum temporis à Felice Messanæ Siciliæ præsule requisitus vtrum Augustino scripsisset vt Anglorum quarta generatione contracta matrimonia minimè soluerentur, humillimus pater Gregorius inter cætera talem reddidit rationem: Quod scripsi Augustino Anglorum gentis episcopo alumno videlicet nostro vt recordor, de sanguinis coniunctione, ipsi, & Anglorum genti quæ nuper ad fidem venerat, ne à bono quod cœperat, metuendo austeriora recederet, specialiter, & non generaliter † cæteris me scripsisse cognoscas. Vnde & mihi testis omnis Romana ciuitas existit. Nec ea intentione hæc illis scriptis mandaui, vt post quam firma radice fuerint in fide solidati, si infra propriã consanguinitatem inuenti fuerint, non separentur: aut infra affinitatis lineam, id est, vsque ad septimam generationem iungantur, sed adhuc illos neophytos existentes, sæpissime eos prius illicita docere, & verbis ac exemplis instruere: & quæ post de talibus egerint, rationabiliter ac fideliter excludere oportet. Nam iuxta Apostolum qui ait, Lac vobis potum dedi, non escam: ista illis modò, non posteris (vt præfixum est) tẽporibus tenenda indulsimus: ne bonum quod infirma adhuc radice plantatum erat, exureretur, sed aliquantulum firmaretur, & vsque ad perfectionem custodiretur. Hæc ergo idcirco perstringenda curaui, vt hi qui occasione nouæ dispensationis illicita matrimonia contrahunt, eruditissimũ papam Gregorium non regulariter quartæ generationis copulam censuisset, imò venialiter simúlque temporaliter permisisse cognoscant. Cuius nimirum precibus Deus omnipotens tãtam Augustino ciúsque sociis faciendorum signorum gratiam contulit: vt verbum vitæ, quod ore prædicabant, signorum efficacia confirmarent. Vnde factum est vt paucis elabentibus annis, etiam cæteri Saxones ad Christi domini fidem per discipulos eius accederent.

† *al. certissimè.*

xxxix. De cuius gentis conuersione, simúlque miraculorum prodigiis quæ ibidem fiebant, ita Gregorius in libris moralibus perhibet dicens: Ecce lingua Britãniæ quæ nihil aliud nouerat quàm barbarum frẽdere, iamdudum in Dei laudibus Hebræa cœpit verba sonare. Ecce quondam tumidus, iam substratus sanctorum pedibus seruit Occeanus: eiúsq; barbaros motus, quos terreni principes edomare ferro nequiuerant, hos pro diuina formidine sacerdotum ora simplicibus verbis ligant: & qui cateruas pugnantium infidelis nequaquam metuerat, iam nunc fidelis humilium linguas timet. Quia enim perceptis cœlestibus verbis, clarescentibus quoque miraculis, virtus ei diuinæ cognitionis infunditur, eiusdem diuinitatis terrore refrenatur, vt prauè agere metuat, ac totis desideriis ad æternitatis gratiam venire concupiscat. Eulogio quoque patriarchæ Alexandrino, de doctrina suæ Ecclesiæ, conuersione hæreticorum, concordiáque fidelium plausibilia referenti, Gregorius ita rescripsit: Quoniam in bonis quæ agitis, scio quòd & aliis congaudetis, vestræ quoque gratiæ vicem reddo: quia dum gens Anglorum in mundi angulo posita, incultu lignorum ac lapidum perfida nunc vsque remaneret, ex vestræ mihi orattionis adiutorio placuit, vt ad eam monasterij mei monachum transmittere Deo auhore debuissem: qui data à me licentia à Germaniarum episcopis episcopus factus, cum eorum quoque solatiis ad dictam gentem in finem mundi perductus est: & iam nunc de eius salute & opere ad nos scripta peruenerunt, quia tantis miraculis vel ipse vel hi qui cum eo transmissi sunt, in gente eadem coruscant, vt Apostolorum virtutes in signis quæ exhibent imitari videantur. In solennitate autem dominicæ natiuitatis, quæ prima indictione transacta est, plusquam decem millia Angli ab eodem nuntiati sunt fratre & coepiscopo nostro baptizati. Quod idcirco narraui, vt cognoscatis quòd in Alexandrino populo loquendo, & quod in mundi finibus agitis orando. Vestræ enim orationes sunt in eo loco vbi non estis, quarum operationes sanctæ monstrantur in eo loco vbi estis.

Nihilominus eidem Augustino pro eisdem miraculis inter alia scribit, inquiens: Scio quia omnipotens Deus per dilectionem tuam in gente quam elegit vt voluit, magna miracula ostendit. Vnde necesse est vt de eodem dono cœlesti, & timendo gaudeas, & gaudendo pertimescas, Gaudeas, videlicet, quia Anglorum animæ per exteriora miracula ad interiorem gratiam pertrahuntur. Pertimescas verò ne inter signa quæ fiunt, infirmus animus in sui præsumptione se eleuet: vt vnde foras per honorem tollitur, inde per inanẽ gloriam intus cadat, &c. xl.

Quæ autem de Gregorij miraculis penes easdem Anglorum Ecclesias vulgo leguntur, omittenda non arbitror, ne studiosi lectoris animus, aut defraudasse se peruicaciter, aut negligenter præteriisse, me cognitionem congruam suspicetur. Matrona quædam beato Gregorio per stationes publicas missarum solennia celebrãti, solitas oblationes obtulerat. Cui pòst mysteria traditurus cùm diceret: Corpus domini nostri Iesu Christi conseruet animam tuam: lasciua subrisit. Ille verò continuò dexteram ab eius ore conuertens, partem illam dominici corporis super altare deposuit: expletis verò missarum solenniis, matronam coram populo inquisiuit quamobrem corpus dominicum sumptura ridere præsumpserit. At illa diu mussitans, tandem prorupit, quia panem, inquiens, quem propriis manibus me fecisse cognoueram, tu corpus dominicum perhibebas. Tunc Gregorius pro incredulitate mulieris cum tota plebe se in orationem prostrauit: & pòst paululũ surgens, particulã panis quã super altare posuerat, carnẽ factam reperit: quam coram cunctis incredulæ matronæ demonstrans, ad credulitatis gratiam tam illam reuocare potuit, quàm totum populum confirmare curauit. Rursus itaque in orationem cum eisdem prostratus, carnis si ustum in panis primordia reformauit.

Alio quoque tempore vir Dei Gregorius miraculum penè huic simile perpetrauit. Nam cùm petentibus quibusdam occidentalibus per legatos, in singulis pyxidibus sub nominibus petitorum martyrum, † brandeum solito more concludens, desuper sigillasset, legatis largitus est. Illi susceptas reliquias veneratione congrua deferentes, postquam quædam itineris miliaria consumpserunt, stultè se tantum viaticum confecisse murmurare cœperunt, si nesciant vtrum sanctorum ossa, an magis carnes à Romano pontifice suscepissent. Itaque communi consilio remoto pontificali signaculo, reseratisque pyxidibus particulas brandei repererunt. Mox ad vrbis mœnia cum furore nimio reuertentes, per archidiaconum à Gregorio se delusos fuisse, vt pro reliquiis vilem pannum susciperent, flebiliter querebantur, dicentes dominos suos pulcherrimis palliis abundare, ac per hoc Romanorum vilibus brandeis non egere. Fortè tunc Gregorius missarum solennia celebrabat. Quibus expletis, ab eisdem legatis brandeum coram cunctis recipiens, super altare composuit: séque cum omnibus in orationem dedit, vt Deus omnipotens vtrum quod à liminibus Apostolorum de more transmissum est, pro reliquiis martyrum venerari deberet, quantocyus indicaret. Deinde ab oratione surgens, incredulos legatos propius astare fecit. Cultellum petiit: more sanctissimi Papæ Leonis brandeum pupugit: de cuius punctionibus sanguis protinus emanauit. Quo miraculo tam legati confusi, quàm omnes qui aderant, tremefacti, xlii.

† *al. prandeum, & sic deinceps.*

mefacti, iussu Gregorij cum eo terræ prostrati sunt, nec antè ab oratione cessauerunt, quàm cuncta prandeorum foramina diuinitus clauderentur.

xliij. Quidam præterea diuitum Romanorum relicta coniuge, fuerat à Romano pontifice communione priuatus. Quod ille molestissimè ferens, & authoritatem tanti pontificis euacuare non præualens, magorum suffragia requisiuit. Qui magnis muneribus persuasi, posse se suis carminibus agere, vt immisso dæmone tam diu caballus pontificis vexaretur, quousque cum sessore suo periclitaretur, fiducialiter promiserunt. Hac incestus iudex pollicitatione lætatus, magos iuxta viam per quam pontifex ad stationem profecturus erat, in edito stare permisit, vt videre transeuntes, non videri à transeuntibus possent. Cúmque magi ex planetatorum mappulatorúmque processionibus magnum pontificem cognouissent, immisso dæmone tam fortiter eius equum vexari fecerunt, vt nunquam à sessore siue à stratoribus teneri posse putaretur. Tunc Gregorius reuelante Spiritu sancto dæmoniacam immissionem cognoscens, facto crucis signaculo tam caballum à præsenti rabie liberauit, quàm maleficos ex latente culmine iubens deponere, perpetua cæcitate mulctauit. Quos reatum suum suggestione incesti iudicis confitentes, ac post modum ad sacri baptismatis gratiam venientes, luminibus quidem, ne magiam relegerent, reddere noluit: eos tamen ecclesiastica stipe nutriri præcipit.

xliiij. Legitur etiã penes easdem Anglorum Ecclesias quòd Gregorius per forum Traiani, quod ipse quondam pulcherrimis ædificiis venustarat, procedens, iudicij eius quo viduam consolatus fuerat recordatus atque miratus sit: quod scilicet (sicut à prioribus traditur) ita se habet. Quodam tempore Traiano ad imminentis belli procinctum vehementissimè festinanti, vidua quædam processit flebiliter dicens: Filius meus innocens te regnante peremptus est: obsecro, vt quia eum mihi reddere non vales, sanguinem eius legaliter vindicare digneris. Cúmque Traianus, si sanus reuerteretur à prælio, hunc se vindicaturum per omnia responderet, vidua dixit: Si tu in prælio mortuus fueris, quis mihi præstabit? Traianus dixit: Ille qui post me imperabit. Vidua dixit: Et tibi quid proderit, si alter mihi iustitiam fecerit? Traianus respondit: Vtique nihil. Et vidua. Nónne, inquit, melius tibi est vt tu iustitiam mihi facias, & pro hoc mercedem tuam recipias, quàm alteri hanc transmittas? Tunc Traianus ratione pariter pietatéque commotus, equo descendit, nec antè discessit, quàm iudicium viduæ per semet imminens profligaret. Huius ergo mansuetudinem iudicis asserunt Gregorium recordatum ad sancti Petri basilicam peruenire: ibíque tam diu super errore tam clementissimi principis defleuisse, quousque responsum sequenti nocte cepisset, se pro Traiano fuisse auditum: tantùm pro nullo vlterius pagano preces effunderet. Sed cùm de superioribus miraculis Romanorum nemo sit qui dubitet, de hoc quod apud Saxones legitur, huius precibus Traiani animam ab inferni cruciatibus liberatam, ob id vel maximè dubitari videtur, quòd tantus doctor nequaquam præsumeret pro pagano prorsus orare, qui quarto dialogorum suorum libro docuerit, eandem causam esse cur non oretur à sanctis in futuro iudicio peccatoribus æterno igne damnatis, quæ nunc etiam causa est vt non orent sancti homines pro hominibus infidelibus impiísque defunctis: non aduertentes, quia non legitur pro Traiano Gregorium exorasse, sed tantum fleuisse. Sic enim cum non orauerit Gregorius plangendo, potuit exaudiri, sicuti Moyses cum dolendo taceret, potuit clamasse videri: cui Dominus tacenti labiis, quid clamas, inquit, ad me? Nimirum Deus omnipotens corda renésque scrutatur, & frequenter ea misertus concedit, quæ homo quamuis vt carnalis desideret, ea tamen petere non præsumit. Vnde Psalmista: Desiderium pauperum exaudiuit Dominus: & desideria cordis eorum audiuit auris tua. Et notandum quia non legitur Gregorij precibus Traiani anima ab inferno liberata, & in paradiso reposita: quod omnino incredibile videretur propter illud quod scriptum est: Nisi qui renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum: sed simpliciter dicitur ab inferni solummodo cruciatibus liberata. Quod videlicet potest videri credibile, quippe cùm ita valeat anima in inferno existere; & inferni cruciatus per Dei misericordiam non sentire, sicuti vnus gehennæ ignis valet omnes peccatores pariter detinere: sed per Dei iustitiam cunctos non valet æqualiter exurere. Nam vniuscuiusque quantum meruit culpa, iusto Dei iudicio tantum sentietur & pœna.

Vide de hoc miraculo Ioan. Damascenum, in sermone, defunctos viuorũ beneficiis iuuari.

Nihilominus ex libro qui à Græcis λειμὼν dicitur, à Latinis verò intelligitur campus vel pratum, præceptor meus inter alia toto orbe iam diffamata miracula interpretatus est, mihi scribens: Enarrauit nobis presbyter nomine Petrus de sancto Gregorio Papa Romano: illinc enim erat reuerendissimus hic presbyter. Is, inquit, effectus papa, ædificauit monasterium virorum, magnum, & dedit mandatum vt nullus monachorum proprium aliquid haberet vsque ad vnum obolum. Frater ergo de monasterio habebat fratrem secularem, & postulauit eum dicens: Casulam non habeo: sed fac charitatem: eme mihi. Dicit ei secularis frater: Ecce tria numismata suscipiens, compara qualem tibi placet. Acceptis itaque monachus tribus numismatibus habebat ea apud se. Alius autem frater videns eum habentem tria numismata, pergens nuntiauit abbati. Abbas verò audiens, retulit beatissimo papæ. Beatissimus autem Gregorius discens hoc ab abbate, segregauit eum à communione, tanquam eum qui soluerat regulam monasterij. Igitur post modicũ temporis moritur frater segregatus, nesciente papa. Post duos ergo aut tres dies pergens abbas nuntiauit ei, quia frater requieuit. In hoc itaque nõ mediocriter tristatus est, quia antè quàm exiret de hac vita, non soluit eum ab excommunicationis epitono: & scribẽs orationem in pyctatio, dedit vni diaconorum suorum, iubẽs ei ire, & super fratrem legi eam. Erat autem oratio soluens ab excommunicatione defunctum. Vadit ergo diaconus sicut præceptum ei fuerat, & super tumulum fratris legit pyctatium habens orationem. Et ipsa nocte vidit abbas fratrem illum defunctum, & dixit ei: Non es mortuus frater? Ille respondit, etiam. Et iterum interrogauit eum abbas: Vbi eras vsque hodie? Respondit frater, Vere domine in custodia, & vsque heri non sum absolutus. Notum itaque factum est omnibus, quia in hora qua diaconus orationem dixit super septulchrum, in ea hora absolutus est ab excommunicatione, & liberata est à damnatione anima eius. xlv.

Absolutio ab excommunicatione etiã post mortem.

Igitur Gregorius non solùm Saxones in propriis sedibus commanentes Christo domino dedicauit, verum etiam pueros eorum per exteras regiones diffusos suis preciis comparans annualiter, ad cognitionem fidei deducebat. Vnde Candidum presbyterum commonet dicens, Pergens auxiliante domino Deo nostro Iesu Christo ad patrimonium quod est in Galliis gubernandum, volumus vt dilectio tua ex solidis quos acceperit, vestimenta pauperum, vel pueros Anglos qui sunt ab annis decem & octo, vt in monasteriis dati Deo proficiant, comparet, quatenus solidi Galliarum qui in terra nostra expendi non possunt, apud locum proprium vtiliter expendantur. Si quid verò de pecuniis redituum quæ dicuntur ablatæ, recipere potueris, ex his quoque vestimenta pauperum comparare te volumus: vel sicut præfati sumus, pueros qui in omnipotentis Dei seruitio proficiant. Sed quia pagani sunt qui illic inueniri possunt, volo vt cum eis presbyter transmittatur, ne quid ægritudinis contingat in via: vt quos morituros conspexerit, debeat baptizare. xlvj.

Sardiniæ quoque rusticos mitissimus rector Gregorius in errore vetustatis adeò permanere condoluit, vt Ianuarium Caralitanum episcopum pro negligentiis increpando, inter cætera scribat. Accidit aliud valde lugendum, quia ipsos rusticos quos habet Ecclesia, nunc vsque in infidelitate remanere negligentia fraternitatis vestræ permisit. Et quid vos admoneo, vt ad Dominum extraneos adducatis, qui vestros ab infidelitate negligitis corrigere? Vnde necesse est vos per omnia in eorum cõuersione vigilare. Nã si cuiuslibet episcopi in Sardinia insula paganum rusticum inuenire potuero, in eodẽ episcopo fortiter vindicabo. Iam verò si rusticus tantæ fuerit perfidiæ & obstinationis inuentus, vt ad Dominum xlvij.

venire minimè consentiat, tanto pensionis onere grauandus est, vt ipsa exactionis suæ pœna compellatur ad rectitudinem festinare.

xlviij. Quod cum Gregorius fructuosè simúlque salubriter in Sardiniæ rusticos procesisse cognosceret, etiam in Iudæos patrimoniorum suorum rusticos non dissimiliter est conatus extendere. Vnde Cypriano diacono scribit dicens: Peruenit ad me, esse Hebræos in possessionibus vestris, qui conuerti ad Dominum nullatenus volũt. Sed videtur mihi vt per omnes possessiones in quibus Hebræi esse noscuntur, Epistolas transmittere debeas, eis ex me specialiter promittens, quòd quicunque ad verum Dominum, & Dominum nostrum Iesum Christum ex eis conuersus fuerit, onus possessionis eius ex aliqua parte imminuetur. Quod ita quoque fieri volo, vt si quis ex eis conuersus fuerit, si solidum pensionis habet, tremissis ei relaxari debeat: si tres vel quattuor, vnus solidus relaxetur: si quid amplius, iam iuxta eundem modum debet relaxatio fieri, vel certè iuxta quod dilectio tua præuiderit: vt & ei qui conuertitur, onus releuetur, & Ecclesiastica vtilitas non grati dispendio prematur. Nec hoc inutiliter facimus, sed pro leuandis pensionis oneribus eos ad Christi gratiam perducimus: quia & si ipsi minus fideliter veniunt, hi tamen qui de eis nati fuerint, iam fidelùis baptizabantur. Aut ipsos ergo, aut filios eorum lucrabimur, & ideo non est graue quicquid de pensione pro Christo dimittimus.

xlix. Enimuero tam leuigationibus dationum, quàm promissionibus regni cœlorum Iudęi per diuersa loca ad Christum, quem patres eorum negauerunt, venire cœperunt. Quibus cum salute animæ vestimẽta quoque baptizandis habilia conferebat. Vnde Fantino defensori, Domina, inquit, abbatissa monasterij sancti Stephani quod in Agrigentino est territorio cõstitutum, indicante, comperimus multos Iudæorum ad Christianam fidem diuina gratia inspirante velle conuerti: sed esse necessarium vt aliquis illuc ex nostro mandato debeat proficisci. Proinde huius tibi authoritatis tenore præcipimus, vt omni excusatione summota, ad prædictum locum pergere, & desiderium eorum tuis Deo propitio adhortationibus adiuuare festines. Quibus tamen si longum vel triste videtur solenitatem sustinere Paschalem, & eos nunc ad baptisma festinare cognoscis: ne (quod absit) longa dilatio eorum retro possit animos reuocare, cum Episcopo loci ipsius loquere, vt pœnitentia ac abstinentia quadraginta diebus indicta, aut die dominico, aut si celeberrima festiuitas fortasis occurrerit, eos omnipotentis Dei misericordia protegente baptizet: quia & temporis qualitas propter eam quæ sibi imminet damnationem, impellit vt desideria eorum nulla debeant dilatione differri. Quoscunque verò ex eis pauperes, & ad vestem sibi emendam non sufficere posse cognoscis, te eis vestem quam ad baptismum habeant, comparare volumus ac præbere: in quibus præcium quod dederis, tuis noueris rationibus imputandum. Si verò sanctum Pascha elegerint expectare, item cum Episcopo loquere, vt modò quidem catechumeni fiant, atque ad eos frequenter accedat, gerátque sollicitudinem, & animos eorum admonitione suæ adhortationis accendat: vt quantò quæ expectatur elongatur festiuitas, tantò se præparare, & eam desiderio feruẽti debeant sustinere. Item Petro Episcopo Corsicæ inter alia transmisimus, ait, fraternitati tuæ quinquaginta solidos ad vestimenta eorum qui baptizandi sunt, comparanda.

Celebrantes festorum antiquã.

l. Nihilominus pro Arrianorum paruulis fidei catholicæ sociandis, Gregorius pastoralis curæ sollicitudinem prorsus extendit. Quapropter vniuersis Episcopis Italiæ scribens ait: Quoniam nefandissimus Authariht in hac quæ nuper exempta est Paschali festiuitate Longobardorum filios in fide catholica baptizari prohibuit, pro qua culpa eum diuina maiestas extinxit, vt solennitatem Paschæ vlterius non videret: vestram fraternitatem decet cunctos per loca vestra Longobardos admonere, vt quia gratis mortalitas imminet, eosdem filios suos in Arriana hæresi baptizatos ad catholicam fidem concilient: quatenus iram super eos omnipotentis Dei placent. Item Proiectitio Episcopo Narniensi: Peruenit ad nos peccatis imminentibus in ciuitate vestra mortalitatem omnino grassari: quæ res nos nimis addixit. Quamobrem salutantes fraternitatem vestram instantissimè suademus, vt à Longobardorum siue à Romanorum qui in eodem loco degunt, admonitione, nulla ratione cessetis, & maximè gentilium & hæreticorum, vt ad veram rectámque fidem catholicam conuertantur. Sic enim aut diuina misericordia pro sua forsan eis conuersione, & in hac vita subueniet: aut si eos migrare contigerit, à suis (quod & magis optandum est) transient facinoribus absoluti.

lj. Igitur prudentissimus paterfamiliâs Christi Gregorius singulis diaconiis, vel xenodochiis viros idoneos deputauit: quos etiam vt securius, imò sagacius in opere pietatis ac misericordiæ laborarent, huiusmodi priuilegiis muniendos esse decreuit. Licet eos qui pia intentione sollicitudinis curam debilibus ac egenis impendunt, sua apud omnes valeat tueri deuotio: melius tamen est si pro quiete sua de his fuerint muniti quæ gesserint: ne inde eis inquietudinis occasio, vnde magis laudandi sunt, oriatur. Quia igitur te virum religiosum intentionis tuæ studio prouocati, mensis pauperum exhibendæ diaconiæ elegimus præponendum, ne qua tibi ex hac nascatur administratione dubietas, hac te munitione prospeximus sulciendum, constituentes vt de hoc quod ad mensas pauperum, vel diaconiæ exhibitionem præcepisti siue subinde præceperis erogandum, nulli vnquam hominum quolibet modo seu ingenio cogaris ponere rationem, vel aliquam debeas molestiam sustinere. Sed quia ita humanis te omnibus esse volumus rationibus absolutum, vt Deo nostro de his quæ tibi commisimus, rationem te noueris posituram: hortamur vt fidei in te synceritas vigeat, sit mens in rebus intentior, cura propensior, studium vigilantius, deuotio clarior, exhibitio efficacior: quatenus dum diuino intus auxilio hoc opus solerter impleueris, & illi pro quibus sollicitudinem geris, studij tui solatio vtiliter consolentur: & tu mercedis tuæ bonum in æterna vita Redemptoris nostri gratia compensante recipias.

lij. Hæc quidem Gregorius intra vel extra vrbem studio pietatis exercuit: cæterùm Probum religiosum abbatem cum multis pecuniis Hierosolymam destinauit: cuius instantia venerabile xenodochium constituit, & tam ibi quàm in monte Sina penes Arabiam Dei famulis sub regimine Palladij constitutis quotidiani victus & vestimenti copiam quamdiu viuere potuit, annualiter mittere procurauit.

liij. Nihilominus per diuersas prouincias pro custodia sacræ religionis, rebúsque pauperum strenuè gubernandis, Ecclesiæ suæ viros industrios rectores patrimoniorum asciuit. In quibus & Cyprianum diaconum patrimonij Siculi, Pantaleonem notarium Syracusani, Fantinum defensorem Panormitani, Sergium defensorem Calabritani, Romanum notarium Apuli, Benenatum defensorem Samnitici, Antemium subdiaconum Neapolitani, Petrum subdiaconum Campani, Candidum defensorem Tusci, Vrbicum defensorem Sabini, Optatum defensorem Nursini, Benedictum defensorem Carseolani, Felicem subdiaconum Appiæ, Castorium chartularium Rauennatis, Castorium notarium Histriani, Antonium subdiaconum Dalmatini, Ioannem notarium Illyriciani, Symmachum defensorem Sardiniæ, Bonifacium notarium Corsicani, Panthaleonem notarium Liguriæ, Hieronymum defensorem Alpium Cocciarum, Hilarium notarium Germanitiani, & Candidum presbyterum Gallicani. Hæc autem prudentissimus pater Gregorius, non solùm in Romana, sed & per diuersas Ecclesias perpetualiter obseruanda censebat. Vnde Ianuario Caralitano Episcopo inter cætera scribit dicens: Indicatum est nobis quòd laicis quibusdam curam vestri patrimonij committentes, postmodum in rusticorum vestrorum deprædationibus, atque per hoc ex fatigationibus fuerint deprehensi. Quod si ita est, districtè à vobis discuti conuenit, atque inter eos Ecclesiæque vestræ rusticos causam examinari subtilius: vt quicquid in eis fuerit fraudis inuentum, cum pœna legibus statuta reddere compellantur. De cætero verò cauendum à fraternitate vestra est, ne secularibus viris, atq; non sub regula vestra degentibus, cuiuslibet res Ecclesiæ committantur, sed probatis de vestro officio clericis: in quibus si quid reperiri poterit prauitatis, vt in subditis emendare quòd illicitè gestum fuerit, valeatis; quos videlicet

delicet apud vos habitus sui officium magis conueniat, quàm excuset.

liiij. Singula ecclesiastici iuris officia, singulis quibúsque personis singulatim committi debere dicebat asserens, quia sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita in Ecclesiæ corpore secundum veridicam Pauli sententiã, in vno eodémque spiritu alij conferendum est hoc officium, alij committendum est illud: neque vni quantumlibet exercitatæ personæ vno tempore duarum rerum officia committenda sunt: quia si totum corpus oculus, vbi auditus? Sicut enim varietas membrorum per diuersa officia, & robur corporis seruat, & pulchritudinem repræsentat: ita varietas personarum per diuersa nihilominus officia distributa, & fortitudinem & venustatem sanctæ dei Ecclesiæ manifestat. Et sicut indecorum est vt in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio, ita nimirum noxium simúlque turpissimum, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa. Hinc est quòd quibusdam ambitiosis (sicut in suis literis, quas ego studio breuitatis omisi, poterit inueniri) moderationis frena frequenter imposuit. Vnde Anthemio subdiacono pro Paschasio episcopo, qui per semetipsum sibimet maior domus, & vicedominus permanebat, inter cætera præcipit dicens. Volumus autem vt frater noster Paschasius & vicedominum sibi ordinet, & maiorem domus: quatenus possit, vel hospitibus superuenientibus vel causis quæ eueniunt, idoneus & paratus existere. Si verò vel negligentem eum prospicis, vel ea quæ dicimus, implere differentem: omnis clerus eius adhiberi debet, vt communi consilo ipsi eligant, quorum personæ ad ea quæ prædiximus, valeant ordinari. Item Rauennatibus clericis ad monasteriorũ regimina importunè tendentibus restitit, Ioanni Rauennati episcopo scribens: Peruenit ad me, quòd in ecclesiis fraternitatis tuæ aliqua loca dudum monasteriis consecrata, nunc habitacula clericorum, aut etiam laicorum facta sunt: dumque hi qui sunt in ecclesiis, fingunt se religiosè viuere, monasteriis præponi appetunt, & per eorum vitam monasteria destruuntur. Nemo etenim potest & ecclesiasticis obsequiis deseruire, & in monachica regula ordinatè persistere: vt ipse districtionem monasterij teneat, qui quotidie in ministerio ecclesiastico cogitur permanere. Proinde fraternitas tua hoc, quolibet in loco factum est, emendare festinet: quia ego nullo modo patior, vt loca sacra per clericorum ambitum destruantur. Item Mariniano episcopo Rauennæ. Dudum ad nos multorum relatione peruenerat, monasteria in Rauennatibus partibus constituta omnino clericorum vestrorum dominio prægrauari, ita vt occasione quasi regiminis, & (quod dici graue est) velut in proprietate possideant. Quibus non modicum condolentes, decessori vestro literas misimus, vt hoc emendare per omnia debuisset. Sed quoniam vitæ est termino citius præoccupatus, ne hoc onus monasterio remaneret, fraternitati uestræ eadem nos scripsisse recolimus. Et quia (vt comperimus) in huius rei hactenus correctione cessatum est, hæc ad vos iterum præuidimus scripta dirigere. Hortamur ergo vt omni mora omníque excusatione summota, ita monasteria ipsa ab eiusmodi studeatis grauamine releuare, quatenus nullã deinceps in eis clerici, vel hi qui in sacro sunt ordine constituti, ob aliud habeant, nisi orandi tantummodo causã, accedendi licentiam: aut si fortè ad peragenda sacra missarum fuerint inuitati mysteria. Sed ne vel per cuiuslibet monachi, aut abbatis promotionem onus aliquod fortasse sustineant: studendum nobis est, vt si quispiam abbatum, aut monachorum ex quocunque monasterio ad clericatus officium, vel ordinẽ sacrum accesserit, non illic aliquam habeat (vt diximus) vlterius potestatem, ne monasteria huius occasionis velamine, ea quæ prohibemus, sustinere onera compellantur. Hæc itaque omnia vigilanti cura emendare iam secundò commonita sanctitas vestra non differat: ne si post hoc negligentes vos esse (quod non credimus) senserimus, aliter monasteriorum quieti prospicere compellamur. Nam notum vobis sit, quia tantæ necessitati seruorum Dei congregationem amplius subiacere non patimur. Item † Maximiano episcopo Syracusano post aliqua. Presbyteros, diaconos, cæterósque cuiuslibet ordinis clericos, qui ecclesiis quoquo modo militant, abbates fieri per monasteria non permittas; sed aut omissa clericatus militia, monachicis promoueantur ordinibus: aut si in abbatis loco permanere decreuerint, clericatus nullatenus permittantur habere militiam. Satis enim incongruum est, si cùm vnum ex his pro sui magnitudine diligenter quis non possit explere, ad vtrumque iudicetur idoneus: sicque inuicem & ecclesiasticus ordo vitæ monachicæ, & ecclesiasticis vtilitatibus regula monachatus impediat. Qualiter sanè Gregorius per procuratores ecclesiasticorum patrimoniorum velut Argus quidam luminosissimus per totius mundi latitudinem suę pastoralis sollicitudinis oculos circumtulerit, non ab re forsitan duxerim perstringendum. Ait enim in epistola Anthemio subdiacono: Discedenti tibi mãdauimus, & postmodum præceptis discurrentibus iniunxisse me memini, vt curam pauperum gereres: & si quos illic egere cognosceres, scriptis recurrentibus indicares: & vix de paucis hæc facere curasti. Volo autem vt Domnæ Patriachiæ meæ mox vt præsentem iussionem susceperis, offeras ad calceamenta puerorum solidos quadraginta, & tritici modios quadringentos. Domnæ Palatinæ relictæ Vrbici solidos viginti & tritici modios trecentos. Domnæ Viuianæ relictæ Felicis solidos viginti, & tritici modios trecentos, qui omnes simul octoginta solidi in tuis rationibus imputentur. Summam verò pensionis sub festinatione transmitte, & ad Paschalem diem Domino auxiliante occurrito. Item eidẽ Insinuatum nobis est, ancillas Dei quasdam Nolanæ ciuitatis in Aboridana domo commorantes, nimiam victus vestitúsque penuriam sustinere.

Quibus ex præcepto Dei subuenire nos conuenit, & inopiam earum, quantum possumus donante Domino subleuare. Propterea experientiæ tuæ præsenti iussione mandamus, vt de hac præsenti nona indictione quadraginta in auro eis solidos dare debeas, & deinceps succedentibus indictionibus annuatim viginti solidos ministrare, qui tuis possint rationibus imputari. Præterea Paulino presbytero monasterij sancti Erasmi quod in latere montis Seraptin situm est, sed & duobus monachis in oratorio sancti archangeli seruientibus, quod in Callano nostro castro iuxta sancti Petri basilicam esse dinoscitur, binos te tantummodo solidos dare præcipimus, qui & ipsi rationibus imputentur. Ita ergo fac, vt impensæ mercedis tuis tũ quoque participium sortiaris. Item eidem. Si in proximorum necessitatibus habita compassione benigna mente concurrimus, in nostris proculdubio petitionibus clementem Dominum reperimus. Palatina siquidem illustris fœmina continua hostilitate insinuauit, se plurimis necessitatibus subiacere. Propterea experientiæ tuæ præsenti authoritate præcipimus, vt ei pro sustentatione eius annuos solidos triginta dare non differas, qui tuis possint postmodum rationibus imputari. Ita ergò fac, vt & tu bene ministratæ mercedis commodum percipias, & nostra ad effectum præcepta perducas. Item Petro subdiacono. Insinuatum nobis est Marcellum Baruntitanæ ecclesiæ, ibidem in ciuitate Panormitana in monasterio sancti Adriani in pœnitentiam deputatum, non solùm victus necessitatem pati, sed & nuditatis nimiam sustinere molestiã. Pro qua re necesse habemus strenuitati tuæ præsenti iussione præcipere, vt ipsi pro victu ac vestimento stratóque ad continentiã, pueróque eius annonam, quantam prospexeris satis esse, constituas: vt inopia nuditásque eius tali prouidentia possint habere consultum, & ea quæ eidem viro deputaueris, tuis postmodum possint rationibus imputari. Ita ergo fac, vt nostram iussionem impleas: & tu quoque hoc ipsum bene disponendo, hac ipsa posis participari mercede. Item eidem. Monasterium sancti Archangeli quod in Tropæis est constitutum, indicante præsentium portitore, victus habere necessitatem didicimus. Ideóque experientia tua diligenter inuigilet: & si eiusdem loci monachos bene se tractare cognoueris, in quibus eos necessitatem habere manifesta veritate patuerit, eis subuenire hac authoritate suffultus modis omnibus festinabis, sciturus tuis esse rationibus quicquid nostra

lv. † Maximo.

præceptione præbueris, imputandum. Sed & terrulam Ecclesiæ nostræ vicinam sibi, quam solidum vnum & tremisses duos pensatam asserunt, si ita est, libellario nomine ad summam tremissis vnius habere concede. Studij ergo tui sit hæc omnia ita complere, si (sicut diximus) eius monachi in Dei seruitio sicut decet solertes perstiterint. Item eadem Diuina præcepta nos admonent diligere proximos tanquam nosmetipsos: & cum hac eos præcipiamur charitate diligere, quantò magis debemus his in subsidiis necessitatum carnalium subuenire vt eorum angustias si non ex omnibus, saltem aliquibus, sustentaculis subleuemus? Quoniam ergo filiam Filimoud viri dignissimi non solùm amissione visus, sed etiam inopia victus egestatem pati cognoscimus, necessarium duximus, in quantum possibilitas suppetit, ei præbere consultum. Propterea experientiæ tuæ præsenti iussione præcipimus, vt annis singulis viginti quatuor modios tritici, fabæ quoq; modios duodecim, & vini decimatas viginti pro substentatione vitæ debeas ministrare: quod tuis postmodum possit rationibus imputari. Ita ergo fac, vt præsentium lator nullas de percipiendis Domini donis moras sustineat, & tu in die Domini bene dispensatæ mercedis possis particeps inueniri. Item Gregorius Cypriano diacono. Cosmas ex variis periculorum necessitatibus multis se dicit debitis obligatum, ita vt pro eis à creditoribus suis suos dicat filios detineri. Quæ res si ita est, nos omnino commouet. Quamobrem hortamur dilectionem tuam, vt quia de rebus pauperum dādis agitur, causam eius cum subtilitate summa perquiras: & si inueneris eum prædictis debitis veraciter ita inuolutum, vt non sit substantia vnde possit hæc ipsa persoluere, prædictos creditores eius videas, & propter recolligendos filios eius, quanta cognoueris quantitate componas. Et quia ipse, sicut dicit, non habet vnde restituat, de rebus pauperum ex præsenti nostra authoritate persolue: sciens quicquid illic te prouidente datum fuerit, patrimonij nostri pensionibus esse reputandum. Item eidem. Zeno frater & Coepiscopus noster quosdam in ciuitate sua alimoniorum necessitatem innotuit sustinere. Quibus quoniam vt possibile est, aliquod desideramus ferre consultum, idcirco dilectionem tuam antedicto fratri nostro mille modios tritici, aut, si plùs leuare potuerit, vsq; ad duo milia scriptis te dare præsentibus deputamus. Hortamur ergo vt in his præbendis nullam moram aut excusationem adducas: quatenus dum tempus finit, & hinc cum Dei adiutorio sine periculo ad propria remeare, & citius necessitatem patientibus valeat subuenire. Item Gregorius Eusebio religioso abbati. Credat mihi charitas tua, quia valde contristatus sum de tristitia tua, & cætera. Propterea centum solidos per Petrum subdiaconum dilectioni tuæ dari fecimus, quos pero vt absque iniuria suscipias. Item Gregorius Candido defensori: Necessitatem patientibus pontificale conuenit adesse subsidium. Pro qua re experientiæ tuæ præsenti authoritate præcipimus, quatenus Albino priuato luminibus, filio quondam Martini coloni, singulis annis duos tremisses sine aliqua dilatione præstare non desinat, non dubitaturæ suis hoc sine dubio rationibus imputari. Item Gregorius Fantino defensori. Lator præsentium Cosmas Syrus in negotio quod agebat, debitum se contraxisse perhibuit: quod & multis aliis, & lachrymis eius attestantibus verum esse credimus. Et quia centum quinquaginta solidos debebat, volui vt creditores illius cum eo aliquid pacisserentur: quoniam & lex habet quòd homo liber nullatenus pro debito teneatur, si res desuerint quæ possint eidem debito addici. Creditores ergo suos (vt asserit) ad octoginta solidos consentire possibile est. Sed quia multum est, vt à nil habente homine octoginta solidos petāt: sexaginta tibi solidos per notarium tuum transmisimus, vt tu cum eisdem creditoribus subtiliter loquaris, & rationem reddas, quia filium eius quem tenere dicuntur, secundum leges tenere non possunt. Et si potest fieri, aliquid minus quàm nos dedimus, condescendant: & quicquid de eisdem sexaginta solidis remanserit, ipsi trade, vt cum filio suo exinde viuere valeat. Si autem nil remanet, vel ad eandem debitum eius summam incidere stude, vt possit sibi liberè postmodum laborare: hoc tamen solerter age, vt acceptis solidis ei plenariam munitionem scripto conficiant.

E Item Gregorius Castorio Diacono & chartulario Rauennæ, inter cætera. Valerianum monachum, quem emendatum in monasterio beati Ioannis in Classe posito tradidisti, in eo eum monasterio sine dubio volumus permanere. Præterea ne quam necessitatem in expensis tua experientia patiatur, de reditibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ qui illic te prouidente aggregati sunt, omnes expensas tuas te facere volumus: & si quid superfuerit, nobis cum veneris defer. Item Gregorius Romano defensori. Diuinorum nos admonent eloquia præceptorum, necessitatem patientibus Ecclesiasticum præbere subsidium. Quia ergo dilectissimus filius noster Cyprianus diaconus, Gaudiosum defensorem sedis nostræ, qui Syracusis degere comprobatur paupertatis asserit inopia constringi: idcirco experientiæ tuæ præsenti authoritate mandamus, vt à præsenti secunda indictione sex solidos annis singulis ei dare non differas, vt & ille huius remedij solatio potiatur, & tu quod dederis tuis, sine dubio noueris rationibus imputandum. Item Gregorius Libertino exprætori. Quanta vos seculi huius premat angustia, incognitum non habemus. Sed quia in summa tribulatione positis sola est consolatio misericordia creatoris: in eum spem vestram ponite, ad ipsum vos tota mente conuertite, qui & iustè quem vult permittit affligi, & confidentem in se misericorditer liberabit. Ipsi ergo gratias agite, & patienter quęcunq; illata sunt sustinete. Nam rectæ mentis est, Deum non solùm in prosperis benedicere, sed etiam in aduersitatibus collaudare. In his igitur quæ patimini, nullum contra Dominum murmur cordi vestro surrepat: quia ad quid hoc creator noster operetur, ignotum est. Forsitan enim magnifice fili aliquid illum in prosperis positus offendisti, vnde te clemēti amaritudine vult purgari. Et ideo nec temporalis te frangat afflictio, nec rerum damna discruciēt: quia si in aduersis gratias referens, Deum tibi patientia feceris esse placabilem: & quæ amissa sunt, multiplicata reddentur: & super hæc gaudia æterna præstabuntur. Peto autem ne iniuriosum ducatis quod viginti annuos vestitus ad pueros vestros per Romanum defensorem scripsimus præberi: quia de beati Petri Apostoli rebus quamuis parua sint quæ offerantur, pro magna benedictione suscipienda sunt semper: quoniam & hic vobis maiora valebit impēdere, & apud omnipotentem Deum beneficia æterna præstare. Item Gregorius Philippo Episcopo. Suscepi Epistolas dilectionis tuæ; in quibus mihi innotescere curasti, quod vir venerabilis Andreas presbyter de hac luce migrauerit. De cuius ereptione gauisus sum, quia ad ea quæ expetiit gaudia æterna peruenit. De solidis verò qui pro faciendo xenodochio à filio nostro Probo abbate Hierosolymis relicti sunt, hoc quod deliberatum fuerat vt fieri debuisset, immutare non potui, sed benedictionem paruulam sanctitati vestræ quinquaginta solidos transmisi.

Longum est, nimisque difficile, si eleemosynarum eius saltem huiusmodi prosequar actiones: hoc breuiter assero, quia & non potentibus vltro distribuit, & omnibus sibi petentibus hilariter ministrauit. Vnde Heliæ presbytero, & abbati prouinciæ Isauriæ, Euangelia, inquit, sicut mandastis, transmisimus, & post pauca: Solidos autem vobis voluistis pro necessitatibus cellæ quinquaginta transmitti: quod multum esse existimantes, ex eis nobis decem donastis, vt quadraginta mitteremus. Sed ne forsitan vel hoc graue esset, alios decem nobis ex eis adhuc dignati estis largiri. Sed quia vos valde in continentia vestra benignos inuenimus: eidem benignitati vice simili respondentes, quinquaginta transmisimus. Et ne forsitan minus esset, alios decem superaddidimus. Ne verò & hoc adhuc minus esset, alios duodecim iungi fecimus. In hoc autem cognoscimus charitatem vestram, quia de nobis ita præsumitis, sicut vos præsumere debetis. lvj.

Item idem Iuliano gloriæ vestræ scripta suscipiens, legenda lætus aperui, sed tristis perlecta replicaui. In eis quippe dicebatur quòd pudoris causa fuerit, mihi vos ea quæ dicenda erant, tempore longo tacuisse. Et certum est quia minus amatur, qui adhuc erubescitur. Absque modo contristatus sum, quia me à vobis comperi minus quàm æstimaueram amari. In hoc autem valde me continetis, si mercedis causas mihi assiduè prouidendas studiosè requiritis. Nec debet esse, lvij.

verecundiæ

verecundiæ ei aliquid de eleemosynis importunè dicere, quē constat non res suas, sed ad dispēsandum res pauperum habere. De causis itaque mercedis apud episcopum liberè agere debuistis, etiam si meum animum qualis in amore vestro existeret nesciretis. Postquam autem & nos omnino gloriam vestram diligimus, & dispensationis locum in rebus (sicut scitis) pauperum tenemus: vestra (fateor) verecundia valde accusabilis fuit. Quam ideo tot verbis increpando insequor, vt hanc à corde vestro funditùs repellam: & in mercedis causis magnum solatium vestræ prouisionis habeam. Monasterio itaque vestro quod à vobis in Catinensi vrbe constructum est, per Adrianum notarium & rectorem patrimonij emissa præcepti pagina decem annuos solidos dare deputauimus. Quos petimus sine iniuria suscipi, quia non hoc vobis nostra oblatio, sed sancti Petri apostolorum principis benedictio offert. A

lviij. Sanè quia sunt nonnulli qui ea quidem quæ habent tribunt, sed aliena quæ non habent rapere non desistunt: & dum valde videri munifici appetunt, violenter ab habentibus auferunt, quæ quasi misericorditer non habentibus largiantur: duas hic Gregorij epistolas insero, quibus liberalitatis eius innocentia mirabiliter doceatur. Ait enim in epistola Pantaleoni notario: Experientia tua quod vel quale apud sacratissimum corpus beati Petri apostoli iusiurandum præbuerit, memor est. Vnde nos quoque securi ei discussionis causas in patrimonia partis Syracusanæ commisimus. Oportet ergo te fidem tuam, & eiusdem beati Petri apostoli timorem semper ante oculos habere, atque ita agere, vt neque in præsenti vita ab hominibus, neque ab omnipotenti Deo in extremo iudicio valeas reprehendi. Salerio siquidem chartulario nostro narrante cognouimus, quia modium cum quo coloni ecclesiæ frumenta dare compellebantur, viginti quinque sextariorum inueneris, quod omni modo execrati sumus, atque eandem discussionis causam te tardè fecisse doluimus. Quia verò eundem modium te fregisse, & iustum fecisse commemoras, gauisi sumus. Sed quia prędictus chartularius summam quoque nobis indicare studuit, quæ de fraudibus conductorum apud experientiam tuam iam de duobus territoriis est collecta, sicut te studiosè fecisse fracto iniusto modio gaudemus, quia in futuro nobis proderit: ita etiam de peccatis præteritis cogitamus, ne si ea quæ fraudulenter conductores à rusticis abstulerunt, ad nos peruenianť: peccata quæ ab ipsis perpetrata sunt, ad nos trahantur. Et ideo volumus cum omni fide omnique puritate, considerato timore omnipotentis Domini, reducta ad memoriam districtione beati Petri apostoli, per vnam quanque massam colonos pauperes & indigentes experientiam tuam describere: atque ex eis pecuniis quæ in fraudibus sunt inuentæ, vacas, oues, porcósque comparare, & singulis colonis pauperioribꝰ eas distribuere. Quod facere te cum consilio viri reuerendissimi domini Ioannis episcopi, atque Adriani chartularij & rectoris volumus. Si autem necesse propter consilium fuerit, etiam filius meus dominus Iulianus debet adhiberi, ita vt nullus alius hoc cognoscat, sed omnino secretum sit. Vos igitur apud vos pertractate vtrum in auro, an certè in pecuniis eisdem colonis pauperibus dari eadem continentia debeat. Quicquid verò communiter steterit, prius descriptionem sicut prædixi facito, & postmodum singulis iuxta qualitatem suę paupertatis distribuere stude. Ego enim (sicut magister gentium testatur) habeo omnia, & abundo, nec pecunias, sed mercedem quæro. Ita ergo age, vt in die iudicij de eadem causa mercedis, quæ experientiæ tuæ commissa est, mihi fructum quem feceris, ostendas. Quod si purè & fideliter ac strenuè egeris, & hic illum in filiis tuis recipies, & postmodum retributionem plenariam in æterni iudicij examine habebis. B C D

Item idem Petro subdiacono. Quod responsalem tuum tardè dimisimus, Paschalis festiuitatis occupationibus implicati eum relaxare citius minimè valuimus. Causas verò in quibus indicandum curasti, omnes subtiliter perquirentes qualiter disposuerimus, inferius agnosces. Cognouimus rusticos Ecclesiæ vehementer in frumentorum preciis aggrauari, ita vt instituta summa eis in comparatione, abūdantię tempore non seruetur. Et volumus vt iuxta precia publica omni tempore siue minus siue amplius frumenta nascantur, in eis comparationis mensura teneatur. Frumenta autem quæ naufragio pereunt, per omnia volumus reputari, ita tamen, vt à te negligentia ad transmittendum minimè fiat: ne dum transmittendi tempus negligitur, damnum ex vitio vestro generetur. Valde enim iniquum & iniustum esse perspeximus: vt à rusticis Ecclesiæ de sextariaticis aliquid accipiatur, & ad maiorem modium dare compellantur, quàm in horreis Ecclesiæ infertur. Vnde præsenti admonitione præcipimus, vt plus quàm decem & octo sextariorum modio nunquam à rustis Ecclesiæ frumenta debeant accipi: nisi fortè si quid est quod nautæ iuxta consuetudinem super accipiunt, quod minui ipsi in nauibus attestantur. Cognouimus etiam in aliquibus massis Ecclesiæ exactionem valde iniustissimam fieri, ita vt ad septuaginta vrnas & semis (quod dici nefas est) conductores exigantur. Et adhuc neqùe hoc sufficit: sed insuper aliquid ex vsu iam multorum annorum exigi dicuntur. Quam rem omnimodo detestamur, & amputari de patrimonio funditùs volumus. Sed tua experientia siue in hoc quod per libram amplius, siue in aliis minutis oneribus, & quod vltra rationis æquitatem à rusticis accipitur, penset: & omnia in summam pensionis redigat, & prout vires rusticorum portant, pensionem integram, & pensatam ad septuaginta vini lagenas persoluant: & neque siliquas extra libras, neque libram maiorem exigere debeāt, sed per æstimationem tuam prout virtus sufficit, in summam pensionis crescat: & sic turpis exactio nequaquam fiat. Ne verò post obitum meum hæc ipsa onera quæ super pensum illata subtraximus, & in capite pensionis fecimus crescere, iterum in quolibet addantur & inueniatur summa pensionis augeri, & onera adiectionis insuper rustici soluere compellantur: volumus vt securitatis libellos ita de pensionibus facias, quatenus in primis dicas tantam pensionem vnumquenque persoluere debere, inibi abiectis siliquis, olcribus vel granaticis. Quod autem ex his minutiis in vsum rectoris accedebat, volo vt hoc ex præsenti iussione nostra ex summa pensionis in vsu tuo veniat. Ante omnia hoc te volumus solicitè attendere, ne iniusta pondera in exigendis pensionibus ponantur: sed siqua talia inueneris, frange, & noua & recta cōstitue, quia & filius meus seruus Dei diaconus iā talia inuenit quæ ipsi displicerent: sed licentiam hæc immutare non habuit. Super iusta ergo pondera præter excepta & † villicilia nihil aliud volumus à colonis Ecclesiæ exigi. Præterea cognouimus quòd prima illatio burdationis rusticos nostros vehementer angustet, ita vt prius quàm labores suos venundare valeant, compellantur tributa persoluere. Quæ dum de suo vnde dare non habent, ab actionariis publicis mutuò accipiunt, & grauia commoda ex eodem beneficio persoluunt. Ex qua re fit vt dispendiis grauibus coangustentur. Vnde præcipimus præsenti admonitione, vt plus quam decem & octo sextariorum nunquam exigatur: & omne quod mutuum pro eadem causa ab extraneis accipere poterant, à tua experientia in publico detur, & à rusticis Ecclesiæ paulatim vt habuerint accipiatur: ne dum in tempore coangustantur, quod eis postmodum sufficere † inferendo poterat, prius compulsi vilius vendant, & hoc eis minimè sufficiat. Peruenit etiam ad nos quod de nuptiis rusticorum immoderata commoda percipiantur. De quibus præcipimus vt omne commodum nuptiarum vnius solidi summam nullatenus excedat. Siqui sunt pauperes, etiam minus dare debeāt. Si qui autem diuites, præfati solidi summam nullatenus transgrediantur. Quod nuptiale commodum nullatenus volumus in nostra ratione redigi, sed vtilitati conductorum proficere. Cognouimus etiam quòd quibusdam conductoribus morientibus parentes sui non permittuntur succedere, sed res eorum ad vsus Ecclesiæ pertrahuntur. De qua re diffinimus, vt parentes morientium qui in possessione Ecclesiæ degunt, hæredes eis succedere debeant, nec aliquid de substantia morientium subtrahatur. Si verò filios paruulos aliquis reliquerit, quousque ad ætatem talem veniant, vt substantiam suam regere valeant, personæ eligantur cautæ, quibus parentum eorum res tradi debeant ad custodiendum. Cognouimus etiam quòd siquis ex familia culpam

† & vilici balia.

† in inferendum.

fecerit, non in ipso, sed in eius substantia vindicatur. De qua re præcipimus, vt quisquis culpam fecerit, in ipso quidem vt dignum est vindicetur: à commodo autem eius omnimodo abstineatur: nisi fortè parum aliquid, quod in vsum executoris qui ad eum transmissus fuerit, proficere possit. Cognouimus etiam quia quoties conductor aliquid à colono suo iniustè abstulerit, hoc quidem à conductore exigitur, sed ei non redditur à quo ablatum est. De qua re præcipimus, vt quicquid violenter cuilibet ex familia ablatum fuerit, ipsi restituatur, cui ablatum est, & vtilitati nostræ non proficiat: ne nos ipsi authores esse violentiæ videamur. Præterea volumus, vt si quando eos qui sunt in obsequio experientiæ tuæ, in aliquibus causis quæ sunt extra patrimonium, transmittis: parua quidem ex eis commoda accipiant, sed tamen ita, vt in eorum vtilitate proficiant, vt nulla sibi exinde lucri commoda sub specie nostræ vtilitatis requirant: quia nos sacculum Ecclesiæ ex lucris turpibus nolumus inquinari. Iubemus etiam vt hoc experiētia tua summopere custodiat, vt per commodum conductores in masis Ecclesiæ nunquam fiant, nedum commodum quæritur, conductores frequenter immutentur. Ex qua mutatione quid aliud agitur, nisi vt Ecclesiastica prædia nunquam colantur? Sed & ipsa etiam libellatica prout summa pensionis fuerit, moderentur. Res, cellas, & cellaria non plus de masis Ecclesiæ te accipere volumus, nisi quantum consuetudo est.* Tua autem quæ comparari iussimus, ab extraneis comparentur. Peruenit autem ad nos, tres libras auri Petro conductori de Subpatriana iniustè ablatas: de qua causa Fantinum defensorem subtiliter require: & si manifestè, iniustè & incompetenter ablatæ sunt, sine aliqua tarditate restitue. Cognouimus etiam rusticos burdationem quam iam ab eis exactam Theodosius minimè persoluerat iterum dedisse: ita in duplo exacti sunt. Quod ideo factum est quia eius substantia ad debitum Ecclesiæ non sufficiebat. Sed quoniam à filio nostro seruo Dei diacono edocti sumus, quòd ex rebus substantię eius possit hoc ipsum damnum sufficienter resarciri, volumus quingentos septem solidos, eisdem rusticis sine aliqua imminutione restitui, ne in duplo videantur exacti. Si autem supra damnum rusticorum etiam quadraginta solidi de rebus Theodosij remanent, quos & apud te diceris habere, volumus vt filiæ eius reddantur, vt res suas quas in pignore dederat recipere debeat. Cui etiam buciola patris sui restitui volumus. Campanianus gloriosus magister militum duodecim solidos annuos Ioanni notario suo reliquerat ex massa Varroniana: quos dare te annis singulis sine aliqua diminutione præcipimus, nepti Eupli conductoris, quanuis omne mobile eiusdem Eupli perceperit, exceptis duntaxat solidis. Dare etiam de solidis illius te volumus solidos viginti quinque. Suppositorium aliquod argenteum pro vno solido dicitur esse appositum, & calix pro sex solidis dicitur esse appositus. Interrogato Dominico secretario, vel aliis qui scire possunt, debitum recipe, & vascula præfata restitue. Agimus autem gratias solicitudini tuæ, quia de causa fratris mei præcepi tibi vt argentum illius retransmittere debuisses: & sic obliuioni mandasti, ac si tibi aliquid ab extremo mancipio tuo diceretur. Quod iam vel modò non experientia sed negligentia tua studeat implere: vel quicquid eius apud Antoninum fuisse cognoueris, sub omni velocitate retransmitte. De causa Salpingi Iudæi Epistola aliqua est inuenta quam tibi fecimus transmitti, vt eam relegens, & subtiliter causam eius, vel viduæ cuiusdam que in eodem negotio dicitur implicata, cognoscens, de quinquaginta vno solidis qui redhiberi noscuntur, sicut iustum tibi visum fuerit, responsum facias, ita vt res alienæ iniustè nullo modo à credituariis defraudentur.† Antonino medietas legati sui data est, medietas redimetur: quam medietatem ex communi substantia eis volumus adimpleri: & non solùm eis, sed etiam defensoribus & peregrinis quibus legati titulo aliquid dereliquit, & familiæ legatum persolui volumus: quod tamen ad nos pertinet Collecta ergo ratione pro nostra parte, id est pro nouem vnciis persolue. De solidis Ecclesiæ Canusinæ volumus vt aliquid clericis eiusdem Ecclesiæ largiaris, quatenus & ij qui nunc inopiam patiuntur, sustentationem aliquam habeant: & si illic Deus voluerit ordinare Episcopum, habeat vnde subsistat. De lapsis sacerdotibus, vel quolibet ex clero, obseruare te volumus, vt in rebus eorum nulla contaminatione misceatis, sed pauperrima regularia monasteria require, quæ secundum Deum viuere sciunt: & in eisdem monasteriis ad pœnitentiam lapsos trades, & res lapsorum in eo loco proficiat, in quo agere pœnitentiam traduntur: quatenus ipsi ex rebus eorum subsidium habeant, qui de correctione eorum solicitudinem gerunt. Si verò parentes habent, res eorum legitimis parentibus dentur: ita vt eorum stipendium qui in pœnitentiam dati fuerint, sufficienter debeat procurari. Si qui verò ex familia Ecclesiastica sacerdotes vel leuitæ, vel monachi, vel clerici, vel quilibet alij lapsi fuerint, dari eos in pœnitentiam volumus, sed res eorum Ecclesiastico iuri non subtrahi: ad vsum tamen suum accipiant, vnde ad pœnitendum subsistant; ne si nudentur locis in quibus dati fuerint, onerosi sint. Si qui parentes in possessione habent, ipsis res eorum tradendæ sunt, vt ab ipsis iuri Ecclesiæ conseruentur. Ante triennium subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerant, vt more Romanæ Ecclesiæ suis vxoribus nullatenus miscerentur. Quod mihi durum atque incompetens videtur, vt qui vsum eiusdem continentiæ non inuenit, neque castitatem antè proposuit, compellatur à sua vxore separari, atque per hoc (quod absit) deterius cadat. Vnde videtur mihi vt à præsenti die Episcopis omnibus dicatur, vt nullum facere subdiaconum præsumant, nisi qui se victurum castè promiserit: quatenus & præterita quæ proposito mentis appetita non sunt, violenter non exigantur, & futura cautè caueantur. Qui verò post eandem prohibitionem quæ ante triennium facta est, continenter cum suis coniugibus vixerunt, laudandi atque remunerandi sunt, vt in bono suo permaneant exhortandi. Eos autem qui post prohibitionem factam se à suis vxoribus continere noluerunt, peruenire ad sacrum ordinem nolumus: quia nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata. Liberato negotiatori, qui se Ecclesiæ commendauit, qui habitat in massa † Cinciana, annuam continentiam à te volumus fieri. Cuius continentiæ summam ipse æstima, qualis esse debeat: vt renuntiata nobis, in tuis rationibus possit imputari. De præsenti verò indictione iam à filio nostro seruo Dei Diacono percepi, Fantinum defensorem, Ioannes quidam monachus moriens in sex vncias hæredem dimisit. Cui hoc quidem dimissum est trade, sed contestare eum, vt hoc facere vlterius non præsumat: sed pro labore suo statue quod accipiat, vt ei vacuus labor sutus esse non debeat: & hoc meminerit, vt qui Ecclesiæ stipendiis subsistit, ad lucra propria non anhelet. Siquid verò sine peccato & sine appetitu concupiscentiæ, per eos qui causas Ecclesiæ agunt, ad Ecclesiam venerit: dignum est vt ipsi vacui ex labore suo esse non debeant, sed nostro seruetur iudicio qualiter debeant remunerari. De argento Rusticiani causam subtiliter require, & quod tibi iustum videtur, exequere. Alexandrum virum magnificum admone, vt causam suam cum sancta Ecclesia dicere debeat. Quod si fortè facere neglexerit, eandem causam cum timore Dei honestate seruata vt potes exequere. In qua re etiam largiri aliquid te volumus: & si potest fieri, quod aliis dandum est, ipsi relaxetur, dummodo causam quam nobiscum habet peragat. Donationem ancillæ Dei quæ lapsa est, & in monasterio præfato data, omni postposita tarditate restitue: quatenus ipse locus (vt superiùs dixi) rerum eius stipendia habeat, qui eius solitudinis labores portat. Sed & quicquid ab aliis ex eius substantia tenetur, recollige, & monasterio trade. Pensiones xenodochij de via noua quantas mihi indicasti, quia apud te habes, nobis dirige. Actionario autem quem in eodem patrimonio deputasti, prout tibi videtur, ei aliquid elargire. De ancilla ei quæ cum Theodosio fuit, Extranea nomine, videtur mihi vt ei continentiam facias, si vtile conspicis: aut certè donationem quam fecit, reddas. Domum monasterij quam Antoninus datis triginta solidis à monasterio tulerat, receptis solidis omni postposita tarditate restitue. Amulas onychinas requisita subtiliter veritate restitue, quas per portitorem præsentium retransmisi. Saturninum, si vacat, & occupatus apud te non est, ad nos dirige. Felix conductor damnæ Campanæ, quem liberum reliquerat, atque indiscussum esse iusserat, dixit sibi † à Maximo subdiacono septuaginta duos solidos ablatos: pro quibus dandis asseruit, quia omnes res suas quas in Sicilia habuit, vel venundedit, vel apposuit. Sed scholastici dixerunt quia de fraudibus indiscussus esse non potest, dum tamen ad nos de Campania reuerteretur, facta tempestate mortuus est. Cuius te volumus vxorem & filios requirere: & quicquid vel apposuerat vel vendiderat, apposita absolue, de venditis pręcium restitue: & insuper eis aliquod alimentum præbe, quia Maximus Siciliam miserat, & ibi quæ asserebat ei abstulerat. Cognosce ergo quæ culta sunt, & vxori filiisque eius sine aliqua mora restitue. Hæc omnia solicitè relege: omnémque illam familiarem tuam negligentiam postpone. Scripta mea ad rusticos quæ direxi, per omnes massas fac relegi, vt sciant quid sibi contra violentias suas ex authoritate nostra defendere debeant: eisque vel authentica vel exemplaria eorum dentur. Vide vt omnia absque imminutione custodias: quia de his quæ tibi pro seruanda iustitia scribo, ego absoluor: & tu si negligis, obligaris. Terribilem iudicem venientem considera, & de aduentu illius nunc tua consideratio contremiscat: ne tunc sine causa iam timeat, cùm coram illo cœlum & terra tremuerint. Audisti quid volo: vide quid agas.

lix. Hactenus de Gregorianæ liberalitatis innocentia me retulisse sufficiat, cæterùm quia famis tempore, vt videlicet haberet vnde Christi pauperibus subueniret, frumenta comparare studebat, nullo modo prætermittam. Ait enim in alia epistola eidem Petro subdiacono inter cætera: Quinquaginta auri libris noua frumenta ab extraneis compara & in Sicilia locis in quibus non pereant repone: vt mense Februario illuc naues quantas possumus dirigamus, vt eadem ad nos frumenta deferantur. Sed & si nos transmittere cessamus, ipse naues prouide, & ad nos auxiliante Domino hæc eadem frumenta Februario mense transmitte, exceptis duntaxat frumentis que nunc mense Septembrio vel Octobrio iuxta consuetudinem transmitti præstolamur. Ita ergo tua experientia faciat, vt sine alicuius vexatione coloni ecclesiastici frumenta congregentur: quia tam hic parua natiuitas fuit, vt nisi auxiliante Deo de Sicilia frumenta congregentur, fames vehementer immineat.

lx. Huius liberalitatis multitudinem quidam eremitarum vir magnæ virtutis (qui nihil in mundo possidebat præter vnam cattam, quam blandiens crebrò quasi cohabitatricem in suis gremiis refouebat) cognoscens, orasse fertur ad Dominum, vt sibi ostendere dignaretur quam futuræ remunerationis mansionem sperare debuisset, qui pro illius amore seculum deserens, nil ex eius diuitiis possideret. Cúmque nocte quadam dormiret, cognoscit sibi reuelatum fuisse, vt cum Gregorio Romano pontifice mansionem sibi præparandam sperare debuisset. At ille fortiter ingemiscens parum sibi profuisse voluntariam rerum inopiam, tantáque suæ remotionis ieiunia putabat, si cum eo mansionem reciperet, qui tantis mundialibus diuitiis redundaret. Cum verò Gregorianas diuitias suæ paupertati die noctúque suspirando conferret, alia nocte quiescens audiuit sibi Dominum in somnis dicentem: Quando diuitem non possessio diuitiarum faciat, sed cupido: cur audes paupertatem tuam Gregorij diuitiis comparare, qui magis illam cattam quam habes, quotidiè palpando, nullíque conferendo, diligere comprobaris, quam ille qui tantas diuitias non amando sed contemnendo cunctíque liberaliter largiendo dispergit? Ita solitarius increpatus Deo gratias retulit: & qui meritum suum decreuisse putauerat si Gregorio conferretur, orare vehementius cœpit, vt cum eo mansionem quandoque percipere mereretur. Sed istius iam secundi libri finis adueniat, vt quæ secutura sunt, auxiliante Domino tertius prosequatur.

EXPLICIT LIBER SECVNDVS.

INCIPIVNT CAPITVLA libri tertij.

1 Quibus Gregorius studiis commissam sibi regebat ecclesiam.
2 Quantis authoritatibus contra simoniacam & neophytorum hæreses dimicarit.
3 Quòd pro eisdem fieri synodum iusserit.
4 Quòd contra easdem totis viribus non pugnantes, cum Simone mago portionem habituros prædixerit.
5 Quàm sapienter etiam pastellaticum pro vsu palij vel cõsecratione pontificis dari siue accipi prohibuerit.
6 Quòd tria genera simoniacæ dationis notauerit.
7 Quòd in ordinandis episcopatibus, neque cardinalibus ecclesiæ suæ neque monachis pepercerit.
8 Quòd violenter neminem omnino promouerit.
9 Quod violenter promotos, in pristinum gradum reduxerit.
10 Quòd ab aliis calumniosè deiectos in ordines suos restituit.
11 Quòd cardinales in forensibus parochiis promotos ad cardinem reuocauerit.
12 Quòd vndecunque meliores eligere potuerat episcopos consecrabat, & quanta districtione consecrandos examinaret.
13 Quòd etiam alterius diœcesis episcopos ad regendas suæ diœcesis ecclesias inuitabat.
14 Quemadmodum episcopatuum sedes vnierit.
15 Quòd vacantes episcopos vacantibus incardinarit ecclesiis.
16 Quòd inthronizatis episcopis expulsos præsules iunxerit.
17 Quòd sedium loca mutauerit.
18 Quòd nulla occasione pontificem ab vna in aliam ecclesiam aut mutauerit, aut mutari permiserit.
19 Quòd alterius parrochianum sibi cardinalem sacrauerit.
20 Qualiter alterius ecclesiæ clericos aliis incardinari permiserit.
21 Quòd nunquam prioribus clericis posteriùs ordinatos prætulerit.
22 Qualiter defunctorum episcoporum ecclesias vicinas visitandas committebat.
23 Quòd pro inuentario faciendo nihil accipiendum decreuerit.
24 Quòd consuetudines dationum vel xeniorum repulerit.
25 Quòd episcopos ad vrbem Romanam nisi semel in quinquennio venire statuerit.
26 Quòd etiam rerum præcia suscipere recusarit.
27 Quòd suffraganeis suis episcopis necessaria prerogarit.
28 Quàm curiosè ab eisdem sanctitatem, sapientiam, & liberalitatem quærebat.
29 Vbi Marinianum episcopum auaritia notat.
30 Vbi Serenum episcopum pro confractis imaginibus arguit.
31 Vbi Iuuarium episcopum suas iniurias vindicantem deterret.
32 Vbi eundem pro exaratione messis exasperat.
33 Vbi desiderium episcopum pro lectione librorum gentilium corripit.
34 Vbi natalem episcopum de negligentia simúlque conuiuiis reprehendit.
35 Quòd facetissimè eundem propriis assertionibus obligat.
36 Quòd episcopos ab ecclesia sua deesse vetuerit.
37 Quòd episcopos per diuersa loca non vagari censuerit.
38 Quòd lapsum propriæ amitæ non dubitauerit memoriæ commendare.
39 Vbi Vitelianum episcopum pro fœmina quæ religiosum habitum mutauerat, arguit.
40 Vbi Sergium defensorem pro negligentia reprehendit.
41 Vbi paschasium episcopum pro fabrica nauis & sui vilitate compescuit.

42 Vbi Campanorum Episcoporum & Victoris Panormitani negligentias increpat.
43 Quàm moderatè Andream Episcopum pro concubina diiudicat.
44 Quòd à prauis consiliariis abstinendum censuerit.
45 Quòd lapsos vel criminosos ab Episcoporum familiaritate repulerit.
46 Quòd restringendam præpositorum iram & vnius culpam alij non esse nociuam statuerit.
47 Quòd liberos homines verberari vel includi vetuerit.
48 Qualiter iudicum vitia redarguens publicarit.
49 Quòd instigante diabolo iudices contra eum sæuierint.
50 Vbi Mauritio Imperatori pessimam legem ferenti viriliter contradicit.
51 De hypocrisi Ioannis Constantinopolitani Episcopi se vniuersalem fatentis.
52 Vbi augustales literas pro eo supplicantes redarguit.
53 Vbi tempora Mauritij moresque detiurpat.
54 Vbi superbiam hypocritæ sapienter eruerat.
55 Vbi constantiam suam demonstrans, asserit se pro imperatore fidem nullatenus perditurum.
56 Quamobrem postulatas reliquias imperatrici non dederit.
57 Quòd vsque ad illa tempora Romanus pontifex brandeum conferebat.
58 Quantis miraculis vestes sancti Ioannis claruerint.
59 Quid sit de eiusdem vestibus sentiendum.
60 Quod Gregorius pestem vniuersalis nominis, à totius Ecclesiæ suæ vniuersitate repulerit.

EXPLICIVNT CAPITVLA
Libri tertij.

LIBER TERTIVS.

TALIBVS venerabilis Papa Gregorius commissam sibi diuinitùs Ecclesiam studiis efficaciter gubernabat. Iam Ligures, Venetos, Hiberos, aliósque à schismate sub libello confessos, Chalcedonensem synodum venerari compellens, ad vnitatem sanctæ Ecclesiæ reuocarat. Iam Barbaricinos, Sardos & Campaniæ rusticos tam prædicationibus quàm verberibus emendatos, à paganizandi vanitate remouerat. Iam Donatistarum hæresim penes Aphricam, Manichæorum penes Siciliam, Arrianorum penes Hispaniam, Agnoitarum verò penes Alexandriam, scriptorum suorum validissimis authoritatibus, importunissimisque legationibus Domino suffragante à corpore totius sanctæ matris Ecclesiæ sequestrarat. Sola penes Galliam Neophytorum hæresis quot simoniacis muneribus, quasi tot radicibus pullulans, longè latéque prorsus excreuerat, & manebat. Contra quam venerabilis pater apud Brunechildem reginam, Theodoricum quoque & Theodobertum Francorum reges, fortiter expugnauit, donec collecta generali synodo hanc sub anathemate damnandam penitus impetraret: nec antè Syagrio Episcopo Augustudunensi, regina & regibus multis precibus flagitantibus, pallium dedit, quàm præsente Cyriaco suo abbate ipsi quod de propellendis hæresibus moniti fuerant, adimplerent. Nam præ his Brunichildi reginæ inter cæterá scribit dicens: Sacerdotale officium in tantam illic (sicut didicimus) ambitionem † perductum est, vt sacerdotes subitò (quod graue nimis est) ex laicis ordinentur. Sed quid isti acturi, quid populo præstaturi sunt, qui non ad vtilitatem, sed fieri ad honorem Episcopi concupiscunt? His igitur qui necdum quod docere debeant didicerunt, quid aliud agitur, nisi, vt paucorum prouectus illicitus, fiat multis interitus, & in confusionem Ecclesiasticæ moderationis obseruantia deducatur? Quippe vbi nullus regularis ordo seruatur. Nam qui ad eius regimen improuisus vel præcipitatus accedit, qua admonitione subiectos ædificet, cuius exemplum non rationem docuit, sed errorem? Pudet profectò, pudet aliis imperare, quod ipse nescis custodire. Nec illud quidem, quod simili emendatione radendum est, præterimus, sed omnino execrabile & esse grauissimum detestamur, eò quòd sacri illic ordines per simoniacam hæresim (quæ prima contra Ecclesiam orta, & districta maledictione damnata est) conferantur. Hinc ergo agitur, vt sacerdotalis dignitas in despectu, & sanctus sit honor in crimine. Perit vtique reuerentia, adimitur disciplina: quia qui culpas debuit emendare, committit, & nefaria ambitione honorabilis sacerdotij ducitur in deprauationem censura. Nam quis denuo veneretur quod venditur? Aut quis non vile putet esse quod emitur? Vnde valde contristor, & tetræ illi condoleo: quia dum Spiritum sanctum quem per manus impositionem omnipotens Deus hominibus largiri dignatur, diuino munere habere despiciũt, sed præmiis assequuntur, sacerdotium illic subsistere diu non arbitror. Nam vbi dona supernæ gratiæ venalia iudicantur, ad Dei seruitium non vita quæritur, sed magis contra Dominum pecunia veneratur.

Item de eisdem Theodorico & Theodeberto regibus Francorum post aliqua. Fertur Simoniaca hæresis (quæ prima contra Dei Ecclesiam diabolica plantatione subrepsit, & in ipso ortu suo, telo apostolicæ vltionis percussa atque damnata est) in regni vestri finibus dominari, cùm in sacerdotibus fides sit eligenda cum vita: quæ si deest, fides meritum non habet, beato Iacobo attestante, qui ait: Fides sine operibus, mortua est. Quæ enim opera esse valeant sacerdotis, qui honorem tanti sacramenti contuncitur obtinere per præmium? Ex qua re agitur, vt ipsi quoque qui sacros ordines appetunt, non vitam corrigere, non mores componere studeant, sed diuitias quibus sacer honor emitur, congregare. Hinc fit etiam vt insontes & pauperes à sacris ordinibus prohibiti despectique resiliant: & dum innocentia pauperis displicet, dubium non est quòd præmium illic delicta commendet: quia vbi aurum placet, & vitium. Hinc igitur non solùm in ordinatoris & ordinati animam lethale vulnus infligitur, verùm etiam excellentiæ vestræ regnum, Episcoporum culpa (quorum magis intercessionibus iuuari debuerat) prægrauatur. Si enim is dignus sacerdotio creditur, cui non actionis merita, sed præmiorum copia suffragatur: restat vt nihil sibi in honores Ecclesiasticos grauitas, nihil defendat industria, sed totum auri profanus amor obtineat: & dum vitia † honore munerantur, in locum vltoris is qui fortasse fuerat vlciscendus, adducitur: atq; hinc sacerdotes non proficere, sed perire potius indicantur. Vulnerato nanque pastore, quis curandis ouibus adhibeat medicinam? Aut quando populum orationis clypeo tueatur, qui iaculis se hostium feriendum exponit? Aut qualem de se fructum producturus est, cuius graui peste radix infecta est? Maior ergo metuenda est locis illis fore calamitas, vbi tales intercessores ad locum regiminis adducuntur, qui Dei in se magis iracundiam prouocent, quam per semetipsos populis placare debuerant. Nec hoc quoque malum sollicitudo nostra patitur negligenter omittere, quòd quidam instinctu gloriæ inanis illecti, ex laico repente habitu sacerdotij honorem arripiunt: & (quod dicere pudet, & tacere graue est) regendi, rectores, & qui docendi sunt, doctores nec erubescunt videri, nec metuunt. Ducatum animarum impudenter assumunt, quibus via omnis ignota ductoris est: & quò vel ipsi gradiantur, ignari sunt. Nam dum dux exercitus non nisi labore & sollicitudine expertus eligitur, quales animarum duces esse debeant, qui Episcopatus culmen immatura cupiunt festinatione cõscendere? Huius saltem rei se comparatione considerent, & aggredi repentè inexpertos labores timeant, ne eæa honoris ambitio & ipsis in pœna sit, & aliis pestifera erroris femina iaciant, quippe qui non didicere quod doceant. Proinde paterno salutantes affectu, petimus præcellentissimi filij, vt tam detestabile malum de regni vestri studeatis finibus prohibere: & nulla apud vos excusatio, nulla contra animam vestram suggestio locum inueniat: quia facientis proculdubio † locum habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. Item pro eisdẽ hæresibus Syagrio episcopo Augustudunensi.

† al. perditum.

† al. honor remunerat.

† Culpam.

Nuntio

Nuntio apud nos olim discurente vulgatum est, quòd in Galliarum partibus sacri ordines per Simoniacam hæresim conferantur. Et vehementi tædio mœroris afficimur, si in ecclesiasticis officiis quenquam habet locum pecunia, & fit seculare quod sacrum est. Quicunque ergo hoc præcij studet datione percipere, sacerdos non esse, sed dici tantummodo inaniter concupiscit. Quod scilicet quid per hoc aliud agitur, nisi vt nulla de actu probatio, nulla solicitudo de moribus, nulla sit de vita discussio, sed ille solummodo dignus, qui dare precium suffecerit, æstimetur? Ex qua re, si recti libraminis examinatione pensetur, dum improbè ad inanem gloriam locum festinat vtilitatis arripere, eo ipso magis, quòd honorem quærit, indignus est. Sicut autem is qui inuitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admouendus: sic qui vltro ambit, vel importunum se ingerit, est proculdubio repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid aliud agit nisi vt crescendo decrescat, & ascendendo exterius, interius in profunda descendat? Itaque frater charissime, in sacerdotibus ordinandis synceritas vigeat, sit simplex sine venalitate consensus, pura præferatur electio: vt ad summa sacerdotij non suffragio venditorum prouectus, sed Dei credatur esse iudicio. Nam quia graue omnino sit sacinus, Dei donum vel precio cõparare, vel vendere, euãgelica est testis authoritas. Templũ enim Dominus & redẽptor noster ingressus, cathedras vendentiũ colũbas euertit. Quid aliud est colũbas vendere, nisi preciũ de manus impositione percipere, & sanctum spiritum quem omnipotens Deus hominibus tribuit, venundare? Quorum sacerdotium ante Dei oculos cadere, cathedrarum vtique patenter euersione signatum est: & tamen exerit adhuc nequitiæ prauitas vires suas. Nam cogit vendere, quos decepit vt emerent. Et dum non attenditur quod diuina voce præcipitur. Gratis accepistis, gratis date: agitur vt crescat, & geminata fiat in vno eodémque delicto conditio emẽtis scilicet & vendentis. Et cum liqueat hanc hæresim ante omnes radice pestifera surrepsisse, atq; in ipsa sua origine apostolica esse detestatione dãnatam: cur non cauetur cur nõ perpenditur, quia benedictio illi in maledictionẽ cõuertitur, qui ad hoc, vt fiat hæreticus, promouetur? Plerunq; igitur aduersarius animarũ dum nõ potest in his quæ ad faciẽ sunt praua, surripere, callida specie quasi pietatis iniecta nitit supplantare: suadétque forsitan debere ab habentibus accipi, vt sit quod possit non habentibus erogari, dum modó vel sic venena mortifera eleemosynæ celata obũbratione transfundat. Nam nec venator feram, nec auem auceps deciperet, vel piscem piscator caperet, si aut ille laqueum in aperto proponeret, aut ille hamum esca absconditum non haberet. Omnino ergo metuenda & cauenda est hostis astutia, ne quos aperta nequit tentatione subuertere, latente telo sæuius valeat trucidare. Neque enim eleemosyna reputanda est, si pauperibus dispensetur quod ex illicitis rebus accipitur: quia qui hac intentione malè accipit, vt quasi bene dispenset, grauatur potius quàm iuuatur. Eleemosyna redemptoris nostri oculis illa placet, quæ non de illicitis & iniquitate congeritur, sed quæ de rebus concessis & bene acquisitis impenditur. Vnde etiam illud certum est, quia & si monasteria aut Xenodochia, vel quid aliud construatur, mercedi non proficit: quoniam dum peruersus & emptor honoris in locum transmittitur, & alios ad sui similitudinem sub commodi datione constituit: plura malè ordinando destruit, quàm ille potest ædificare, qui ab eo pecuniam ordinationis accepit. Ne ergo sub obtentu eleemosynæ cum peccato aliquid studeamus accipere, apertè sacra scriptura nos prohibet, dicens: Hostię impiorum abominabiles Domino quę offeruntur ex scelere. Quicquid enim in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis Dei iracundiã non placat, sed irritat. Hinc rursus scriptũ est: Honora Dominũ de tuis iustis laboribus. Qui ergo malè tollit, vt quasi bene præbeat: constat sine dubio quia Dominum nõ honorat. Hinc quoq; per Salomonem dicitur: Qui offert sacrificium de substantia pauperis, ac si victimet filiũ in cõspectu paris. Quantus autem dolor patris sit perpendamus si in eius conspectu filius victimetur: & hinc facilè cognoscimus, quãto Deus omnipotens dolore exaspe-

ratur, quando ei sacrificium ex rapina tribuitur. Nimis ergo declinandum est dilectissime frater, sub obtentu eleemosynę peccata Simoniacæ hæresis perpetrare. Nam aliud est propter peccata eleemosynas facere, aliud propter eleemosynas peccata conmittere. Hoc quoque ad nos peruenisse non dissimili dignum detestatione complectimur, quòd quidam desiderio honoris inflammati, defunctis episcopis tonsurantur & fiunt repentè ex laicis sacerdotes, atque inuerecundè religiosi præpositi ducatum arripiunt, qui nec esse adhuc milites didicerunt. Quid putamus quod isti subiectis præstaturi sunt, qui antequàm disciplinatus limen attingant, tenere locum magisterij nõ formidãt? Qua de re necesse est vt quanuis inculpati qtisque sit meriti, ante tamen per distincta ordinis ecclesiastici exerceatur officia, videat quod imitetur, discat quod doceat, informetur quod teneat: vt postea non debeat errare, qui eligitur viam errantibus demonstrare. Diu ergo religiosa meditatione poliatur vt placeat; & sic lucerna super candelabrum posita luceat, vt aduersa ventorum vis irruens conceptam eruditionis flammam non extinguat; sed augeat. Nam cùm scriptum sit, vt prius quis probetur; & sic ministret: multò amplius antè probandus est, qui populi intercessor assumitur, ne fiant causa ruinæ populi, sacerdotes mali. Nulla igitur contra hoc excusatio, nulla potest esse defensio, quia cunctis liquidò notum est quæ sit in huius rei diligentia sancti Gregorij solicitudo doctoris qui neophytum ad ordines vetat sacros accedere. Sicut autem tunc neophytus dicebatur, qui initiò in sanctæ fidei erat eruditione plantatus: sic modò neophytus habendus est, qui repentè in religionis habitu plantatus, ad ambiendos honores sacros irrepserit. Ordinatè ergo ad ordines ascendendum est. Nam casum appetit, qui ad summa loci fastigia post positis gradibus per abrupta quærit ascensum. Et cùm idem Apostolus doceat inter alia sacri ordinis instituta discipulũ, manũ non esse cuiquam citius imponẽdam: quid hoc scelestius, quidve præcipitatius, quàm vt exoriatur à summitate principium, & antè quàm esse incipiat discipulus, sit magister? Quisquis igitur sacerdotium nõ ad elationis pompam, sed ad vtilitatem adipisci desiderat, prius vires suas cum eo quod est subiturus onere metiatur: vt & impar abstineat, & ad id cum metu etiam qui se sufficere existimat, accedat. Ab re autem non facimus, si ad argumentum rationabilium, vsum rerum irrationabilium colligamus. Apta nanque ædificationibus de syluis ligna succiduntur: nec tamen adhuc viridibus ædificij pondus imponitur, nisi eorum viriditatem multorũ dierum mora siccauerit, & ad necessarium vsum effecerit. Quæ si obseruantia fortè negligitur, citius super imposita mole frangũtur: & gignit ruinam, ad auxilium res prouisa. Hinc etenim medici qui corporũ curã gerunt, quædam adiutoria recenti adhuc confectione formata indigenti non offerunt, sed maturãda temporibus derelinquunt. Nam si immaturè quis dederit, dubium non est quia sit causa periculi, res salutis. Discant itaque discant in officio suo sacerdotes, quibus animarum credita est cura, seruare, quod diuersarum artium homines docẽte ratione custodiũt: & à præcipiti se ambitione & si non metu, saltem pudore contineant. Sed ne forsitan adhuc prauæ se consuetudinis quisquam velit obiectu defendere, fraternitatis tuæ discretio rationis eos freno coerceat, & labi in illicitis non permittat: quia quicquid vltione dignum est, non ad imitationis, sed potius ad exemplum debet correptionis adduci. Et post pauca.

De his itaque quæ superiùs dicta sunt, fraternitatem vestram authore Deo volumus synodum congregare: atque in ea reuerẽdissimo fratre nostro Aregio episcopo, & dilectissimo filio nostro Cyriaco abbate mediantibus, omnia quæ sanctis canonibus (sicut prædiximus) sunt aduersa; districtè sub anathematis interpositione dãnentur. id est, vt nullꝰ pro adipiscendis ecclesiasticis ordinibus dare aliquid præsumat; vel pro datis accipere: neque ex laico habitu quisquam repentè audeat ad locum sacri regiminis peruenire: neque vt aliæ mulieres cum sacerdotibus habitent, nisi eæ quæ sacris canonibus sunt permissæ.

iij.

Has pestiferas hæreses cernens prudẽtissimus doctor Gregorius per sacerdotũ conniuentiam siue taciturnitatẽ magis

iiij.

magisque diffusis muneribus (quasi pestifer cancer) non solùm infirma posse corrodere, verùm etiam fortia membra mucrone pulcherrimarum rerum corrumpere, diuino zelo commotus, Victori episcopo generalem sententiam protulit dicens: Quisquis ad hoc facinus, videlicet Simoniæ ac neophytorum hæresim emandandam, officij sui consideratione vehementer non arserit: cum ipso se habere nõ dubitet portionem, à quo prius hoc piaculare flagitium sumpsit exordium.

v. Cùm verò quosdam cognosceret ad euitanda simoniacæ hæresis crimina, pestiferæ negociationis munera pastellaticum callidè vocitare, ac huiusmodi mutato nomine suæ cupiditatis auaritiam velle contegere, prudentissimus doctor Gregorius sententiam quam in primordio sui pontificatus coram synodo promulgauerat, iteratò protulit, dicens: Antiquorum patrum regulam sequens, nulli quicquam de ordinationibus accipiendum esse constituo: neque ex datione palij, neque ex traditione chartarum, neque ex ea quam noua per ambitionem simulatio inuenit, appellatione pastelli. Quia enim in ordinando episcopo pontifex manum imponit, euangelicam verò lectionem minister legit, confirmationis autem eius epistolam notarius scribit: sicut pontificem non decet manum quam imponit, vendere: ita minister vel notarius non debet in ordinatione eius vocem suam vel calamum venundare. Pro ordinatione ergo vel vsu pallij, seu chartis atque pastellis eundem qui ordinandus est, vel ordinatur, omnino aliquid dare prohibeo. Ex quibus prædictis rebus siquis hinc aliquid commodi apellatione exigere vel petere fortè præsumpserit, in dictricto Dei omnipotentis examine reatui subiacebit.

Item Ioanni episcopo Corinthiorum post multa: Nouit, inquit, fraternitas vestra quia prius pallium nisi dato commodo non dabatur. Quod quoniam incongruum erat, facto concilio ante corpus beati Petri apostolorum principis tam de hoc quàm de ordinationibus aliquid accipere sub districta interdictione vetuimus. Oportet ergo vt neque per cõmodum, neque per gratiam, aut quorundam supplicationem aliquos ad sacros ordines consentiatis vel permittatis adduci.

vj. Sed astuta turpissimæ cupiditatis iniquitas non sufferens tantis se commodis, licet turpissimis, imò periculosissimis, angustari, commentum satis artificiosum reperit, quo scilicet illos sacerdotio sublimaret, qui sibi post consecrationem tantò subiectiores esse debuissent, quantò non diuino, quin potius humano iudicio se fuisse promotos ipsi procul dubio reputarent. Quapropter omnipotentis Dei præco Gregorius in euangeliorum tractatibus, vt scilicet frequentius legi vel audiri potuisset, disputat inquiens: Sunt nonnulli qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen sacros ordines pro humana gratia largiuntur: atque de largitate eadem laudis solummodo retributionem quærunt. Hi nimirum quod gratis acceperunt, gratis non tribuunt: quia de impenso officio sanctitatis, expetunt nummum fauoris. Vnde bene cùm iustum virum describeret Propheta, ait: Qui excutit manus suas ab omni munere. Neque enim dixit: Qui excutit manus suas à munere, sed adiunxit, ab omni: quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus à manu, aliud munus à lingua. Munus quippe ab obsequio est subiectio indebitè impensa: munus à manu, pecunia: munus à lingua, fauor. Qui ergo sacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in diuinis rebus non solùm nullam peccuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit.

vij. Hæ sunt Gregorij super Simoniacis & illicitis ordinationibus doctissimi papæ sententiæ, quas ipse summo cultu seruasse docetur, in eo quod ab ipso suæ consecrationis exordio per omnem diœcesim suam episcopos vndecunque meliores inuenire potuit, studiosissimus ordinauit. Et si quãdo necessitas ordinandi sacerdotis obrepsit: neque cardinales ecclesiæ suæ, neque monachos monasterij sui penitus excusauit, quo minus illis ecclesiam regendam committeret, qui exemplis & verbis pariter illam ædificare melius potuissent. Nam vt pauca de multis contingam, ex presbyteris cardinalibus ecclesiæ suæ consecrauit episcopos. Bonifacium Regij, Habentium Perusij, & Donatum Messanæ Siciliæ. Ex subdiaconibus verò Gloriosum Hostiæ, Festum Capuæ, Petrum Trecas; & Castorium Arimini. At verò ex monachis monasterij sui Marinianum Rauennæ, Maximinianum Syracusis, & Sabinum Callipoli præsules ordinauit. Sed & Augustinum penes Anglos à Galliarum episcopis ordinari præcipit. Post quẽ nihilominus ad episcopatũ in eadẽ gente monachi eiusdem patris tẽpore diuerso prouecti sunt, Mellitus, Iustus, Laurentius; & Paulinus: Solis diaconibus apostolicæ sedis super hanc quodammodo parte parcebat: quorum cum decem & nouem plenitudine redundaret, ipse Bonifacium, Florentium & Epiphanium consecrauit. Nec quenquam eorum ab officio, nisi Laurentium archidiaconum pro superbia reliquisque criminibus, in basilica Lateranensi quæ dicitur aurea, vbi mox Honoratum archidiaconũ constituit, sequestrauit.

vij. Cumque Gregorius percepta occasione suæ ecclesiæ cardinales, si tamen consentirent satis voluntariè prouehere: neminem prorsus quãtacunque necessitate coactus violenter promouere certabat: ne sub huiusmodi occasione quenquam eliminando deponere videretur. Vnde Scholastico duci Campaniæ scribens ait: Dum de Neapolitanæ ciuitatis cura destitutæ sacerdotis solatio vehementius angeremur, superuenientes præsentium latores cum decreto in Florentium subdiaconum nostrum confecto, aliquid nobis in tanto cogitationis pondere reuelationis inuenerant: sed dũ præfatus subdiaconus noster refugiens ciuitatem ipsam, ordinationem suam lacrymabiliter euitasset: quasi ex maiori quadam desperatione nostram cognoscite creuisse mœstitiã. Atque ideo salutantes hortamur magnitudinem vestram, vt conuocantes priores vel populum ciuitatis, de electione alterius cogitetis, qui dignus posit cum Dei solatio ad sacerdotium promoueri. In quo decreto soleniter facto, atque ad hanc vrbem transmisso, ordinatio illic tandem Christo auxiliante proueniat.

ix. Ab aliis quoque violenter promotos, in gradus pristinos reuocabat. Vnde Antonio subdiacono scribens ait: Honoratus archidiaconus ecclesiæ Salonitanæ à sanctæ memoriẽ decessore meo missa supplicatione poposcerat, vt ab antistite suo inuitus prouehi ad fortioris gradus ordinem contra morem nullo modò cogeretur. Hoc enim fieri sibi non prouehendi gratia, sed causa ingratitudinis prohibebat. Pro qua re tunc iam sanctæ memoriæ decessor noster scriptis suis Natali fratri coepiscopo, nostro interdixerat, ne prædictum Honoratũ archidiaconum inuitũ proueheret, néve dolorem cõceptæ ingratitudinis diutius in corde retineret. Cúmque & à me hæc eidem summopere fuerint interdicta, non solùm mandata Dei negligens, sed etiam scripta nostra contemnens, præfatum archidiaconum quasi ad fortiorem honorem prouehens, conatus est callidè degradare. Vnde actũ est vt eo de archidiaconatus loco summoto, alium accersiret, qui eius obtemperare moribus posset. Quem Honoratũ archidiaconoum arbitramur antistiti suo aliunde displicere non potuisse, nisi quòd eum vasa sacra suis dare parentibus prohibebat. Quam causam subtili voluimus, & tunc sanctæ memoriæ decessor meus, & nunc ego, indagatione discutere. Sed ipse suorum actuum conscius, personam ad iudicium postposuit destinare. Proinde experientiam tuam præsentis præcepti authoritate duximus fulciendam, quatenus conueniens in Salonem, Natalem fratrem coepiscopumque nostrũ saltem tot scriptis admonitũ studeat adhortari, vt supra memoratum archidiaconum in suo statim loco suscipiat. Quod si hoc facere contumaciter (vt consueuit) fortè distulerit, vsum ei pallij, qui ab hac sede concessus est, ex authoritate sedis apostolicę contradicito. Quem si etiam amisso pallio adhuc in eadem perseuerare pertinacia prospexeris, dominici quoque corporis ac sanguinis eundem antistitem participatione priuabis. Eum verò qui contra iustitiæ regulam ad locum alterius prouehi consensit ab eiusdem archidiaconatus honore deponi præcipimus. Qui si vlterius in loco eodem ministrare præsumpserit, communionis sacræ participatione priuamus. Aequũ enim est vt asperos de iustitia sentiat, quos

erga

erga se positos in charitate contemnit. Restituto ergo loco suo Honorato archidiacono, instructam personam supradictus antistes te compellente dirigat, qui intentionem eius esse vel fuisse iustam suis nobis allegationibus posit ostendere. Sed & eundem archidiaconum ad nos venire præcipimus, vt quicquid iustum, quicquid omnipotenti Deo placitum fuerit, cognitis assertionibus partium decernamus. Nos enim nullum pro personali amore defendimus, sed authore Deo normam iustitiæ postposita cuiuslibet acceptione seruamus.

Item Honorato Salonitano iam ex presbytero in diaconatum reducto. Dudum quidem decessoris nostri nostráque præceptio ad dilectionem tuam cucurrerat, in qua & de obiectis tibi calumniosè capitulis fueras absolutus, & in tui gradus ordinem sine aliqua instituimus altercatione restitui. Sed quia rursus antè non multum temporis spatium ad Romanam ciuitatem veniens, de quibusdam illic actis incongruè, & de sacrorum es conquestus alienatione vasorum, atque dum pro hac re quæ tuis obiectionibus respondere potuisset sustineremus in hac ciuitate personas, Natalis episcopus tuus de hac luce migrauit, necessarium iudicamus easdem præceptiones tam decessoris nostri quàm nostras, quas dudum (vt dictum est) pro tua absolutione transmisimus, præsentibus deinceps apicibus confirmare. Quamobrem à cunctis tibi obiectis capitulis te plenius absoluentes, in tui te ordinis gradu sine aliqua volumus altercatione permanere: vt nihil tibi penitus mota à præfato viro quæstio, qualibet occasione præiudicet.

Item eidem in alia epistola post multa. Sed etiam nunc dico, aut easdem personas, videlicet Ioannem Calcedonensem, & Athanasiũ Isaurios presbyteros in suis ordinib' suscipe, eisque quietem præbe: aut (si hoc fortasse volueris) omni altercatione postposita, de eorum causa statuta maiorum, aut canonum terminos custodi. Sin verò, nos quidem inferre rixam nolumus: sed tamen venientem à vobis non deuitamus. Quid autem de episcopis qui verberibus timeri volunt, canones dicant, bene fraternitas vestra nouit. Pastores etenim facti sumus, non persecutores. Et egregius prædicator dixit, Argue, obsecra, increpa cum omni patientia & doctrina. Noua verò atque inaudita est ista prædicatio, quæ verberibus exigit fidem.

x. Item cardinales violenter in parœchiis ordinatos forensibus, in pristinum cardinem Gregorius reuocabat. Quapropter Ioanni episcopo Syracusano scribens ait: Quorumdam ad nos relatione peruenit, Cosmam qui ex monacho monasterij sanctæ Luciæ à decessore tuo venerandæ memoriæ Maximiano in ecclesia Syracusana subdiaconus factus, atque à te postea in possessione quæ Iuliana vocatur, presbyter dicitur ordinatus, ita nimia tristitia & loci qualitate vehementer afflictum, vt vitam sibi pœnam existimet, & contritioni suæ fugæ quærat auxilium. Et ideo quia tales erga subiectos nostros debemus existere, quales nos si subiecti fuissemus nostros volueramus esse præpositos: magnæ benignitatis est, si eum in ecclesiam vbi subdiaconatus est functus officio, sanctitas tua reducere, atque illic presbyterum studuerit constituere cardinalem. Quod & facere (quantum arbitramur) debes, si nihil est quod iustè contra ipsum animum tuum exasperet. Si verò aliqua culpa est, suis nobis hoc epistolis fraternitas tua vt scire possimus insinuet.

xj. Quanta curiositate Gregorius idoneos quosque ad regimen destitutarum quæsierit plebium, breuiter indicabo: vt tantus vir non solùm doctrinis, quin & operibus verus pater familias fuisse gregis dominici probabiliter colligatur. Ait enim in epistola Maximiano Syracusano episcopo, Felix vir clarissimus præsentium lator, edocuit nos esse quendam in illis partibus presbyterũ, qui ad episcopatus ordinẽ prouehi probatæ vitæ merito dignus appareat. Hunc ergo fraternitas tua coram se deduci faciat: eúmque (sicut certus sum) propter animæ periculum diligenter examinet. Quem si ad hunc prouehi gradum dignum esse perspexerit, ad nos studeat destinare, vt eum (Domino disponente) loco cui præuiderimus, posimus ordinare pastorem. Item Cypriano diacono. Amarissimas dilectionis tuę epistolas de domini Maximiani obitu mense Nouembri suscepi. Et quidem ille ad præmia desiderata peruenit: sed infelix populus Syracusanæ ciuitatis lugendus est, qui pastorem talem diù habere non meruit. Proinde dilectio tua solicitudinem gerat, vt in eadẽ ecclesia talis debeat ad ordinationem eligi, qui post dominum Maximianum eiusdem regimenis locum non indignus videatur aut immeritus sortiri. Et quanẽ credo quod Traianum presbyterum maxima pars eligat, qui (vt dicitur) bonæ mentis est: sed quantum suspicor, ad regendum locum illum idoneus non est. Tamen si melior inueniri non valet, & ipse nullis criminibus tenetur inuolutus, condescendi ad eum cogente nimia necessitate potest. Si autem mea voluntas ad hanc electionem quæritur, tibi secretè indico quod volo: quia nullus mihi in eadem ecclesia post dominum Maximianum tam dignus videtur, quàm Ioannes archidiaconus Catinensis ecclesiæ. Qui si fieri potest vt eligatur, credo quòd apta valde persona inueniatur. Sed ipse quoque prius de criminibus quæ impedire possunt, à te secretiùs requirendus est: à quibus si liber inuentus fuerit, eligi iure potest. Quod si factum fuerit, etiam frater & coëpiscopus noster Leo ei cessionem facere debebit, vt liber ad ordinandum valeat inueniri. Itẽ Clementinæ patriciæ. Amandum presbyterum à Surrentinis ad episcopatum gloriosa filia electum esse cognoscas. Quem quia huc scripsimus debere transmitti, contristari de eius absentia non debetis: quia nec abscedere creditur, qui mente vobiscum est. Et quoniã pastorem quærentibus, is qui vobis olim placuit, gratus est: omnipotentem Dominum benedicentes, Christiana magis in hoc deuotione gaudete. Et vt ad nos celerius aliis profuturus venire debeat, hilariter studete: quia synceræ charitatis est exultare, quando is qui diligitur, ad hoc vocatur vt crescat. Item Passino episcopo. Bene nouit fraternitas vestra quam longo tẽpore Aprutium pastorali sit solicitudine destitutum. Vbi diù quæsiuimus qui ordinari debuisset, & nequaquam potuimus inuenire. Sed quia importunus mihi in moribus suis, in psalmodiæ studio, in amore orationis valde laudatur, & religiosam vitam omni modo agere dicitur: hunc volumus, vt fraternitas vestra ad se faciat venire, & de anima sua admoneat, quatenus in bonis studiis crescat: & si nulla ei crimina quæ per legis sacræ regulam morte mulctata sunt, obuiant, tunc hortandus est vt vel monachus, vel vobis subdiaconus fiat: & post aliquantulum temporis, si Deo placuerit, ipse ad pastoralẽ curam debeat promoueri. Item Venatio patricio Panormitano petenti sibi quendam presbyterum episcopum consecrari, rescribit inter cætera dicens: Hunc presbyterum dare omnino nobis excellentia vestra sciat esse difficile: quia personarum nos necessitas ad ordinanda alia loca pastoribus destituta non leuis angustat.

Sed quia necessitate ordinandarum se angustatum meminit personarum: ne indiscusse quenquam promouisse putetur, vno exemplo videtur esse docendum. Ait enim in epistola Ioanni episcopo. Ne incauta eorum ordinatio qui ad episcopatum eliguntur, valeat prouenire, vigilanti de eorum personis est solicitudine requirendum. Indicatum siquidem nobis est, Florentium archidiaconum ecclesiæ Anconitanæ, qui ad episcopatum electus fuerat, scripturæ quidem sacræ scientiam habere, sed ita ætatis esse senio iam confractum, vt ad regiminis officium non posit assurgere, adiicientes etiam ita illum tenacem existere, vt in domum eius amicus ad charitatem nunquam introeat. Rusticus autem diaconus eiusdem ecclesiæ, qui similiter electus fuerat, vigilans quidem homo dicitur, sed (quantum asseritur) psalmos ignorat. Florentinum verò diaconum ecclesiæ Rauennatis, qui electus ab omnibus memoratur, solicitum esse nouimus, sed qualis sit interiùs, omnino nescimus. Ideóque fraternitas tua vnà cùm fratre & coëpiscopo nostro Armenio suprascriptæ Anconitanæ ecclesiæ visitatore illuc festinet accedere, & diligenter de vita ac moribus singulorum requirere, vel si nullo sibi sunt crimine conscij, quod eos ad hoc officium vetet accedere. Pariter etiam requirendum est, si hoc quod de præfato archidiacono dictum est, quia nunquam amicus domum eius ingressus est, ita se veritas habeat, & vtrum ex necessitate, an ex tenacia talis sit,

aut si ita senex est, vt ad regendum non possit assurgere: vel si tactis sacrosanctis euangeliis (sicut nobis nuntiatum est) iusiurandum præbuit nunquam ad episcopatum accedere. Sed & de Rustico diacono quantos psalmos minus tenet, scrutandum est. Florentino autem diacono Rauennati si nullum (sicut diximus) crimen est quod obsistat, apud episcopum eius agi necesse est, vt ei debeat cessionem concedere, non tamen ex nostro mandato vel dicto, ne contra
xiij. suam eum voluntatem cedere videatur.

Et quidem Gregorius prudenter cognoscens totum corpus ecclesiæ tam per bonos episcopos feliciter stare, quàm per malos infeliciter cadere: non solùm diuersarum gentium diuersi ordinis clericos, verùm etiam vacantes episcopos in suæ diœceseos episcopatus inuitabat. Vnde Sebastiano Smirnensi episcopo inter cætera scribit, dicens: Debitum salutationis alloquium soluens, indico quod ad me Bonifacio defensore referente peruenerit, quia vir sanctissimus frater noster dominus Anastasius patriarcha in vna suarum ciuitatum regendam vobis ecclesiam committere voluit, & cosentire noluistis. Quem sensum & sapientiam vestram valde ego libenter amplexus sum, & laudaui vehementer: & vos felices, me infelicem esse deputaui, qui tali hoc tempore regimine ecclesię suscipere consensi. Si tamen animus vester fortassis fratribus cõdescendẽdo, & misericordiæ operibus intentus, ad hoc vnquam consentire decreuerit, peto vt amori meo alium minimè præponatis. Sunt enim in Sicilia insula ecclesiæ vacantes episcopis: & si vobis placet authore deo ecclesiam regere, iuxta beati Petri apostoli limina cum eius adiutorio melius potestis. Si verò non placet,
xiiij. feliciter state & pro nobis infelicibus exorate.

Interea Gregorius locis munitis episcopis constitutis, dissipatas ecclesias adunabat. Quapropter Bagaudæ Formiensi episcopo scribit dicens: Et temporis necessitas nos perurget, & imminutio exigit personarum: vt destitutis ecclesiis salubri ac prouida debeamus dispositione succurrere. Et ideo quoniam ecclesiam Minturnensem funditùs tam clerici quam plebis destitutam desolatione cognouimus: tuamque pro ea petitionem, quatenus Formianæ ecclesiæ in qua beati Erasmi corpus requiescit, cuiq; fraternitas tua præsidet, adiungi debeat, piam esse ac iustissimã præuidentes: necessarium duximus consulentes tam desolationi loci illius, quàm tuæ ecclesiæ paupertati, reditus supradictæ ecclesiæ Minturnẽsis, vel quicquid ei antiquo modernóq; iure vel priuilegio potuit potẽstve qualibet ratione competere: ad tuæ ecclesiæ ius potestatemque hac præcepti nostri authoritate migrare, vt à præsenti tempore sicuti de propria ecclesia debeas cogitare, eíque competentia tua prouisione disponere, quatenus deinceps quod perire nunc vsque potuit, pauperum ecclesiæ tuæ vtilitatibus clerique proficiat.

xv. Item Benenato episcopo. Et temporis qualitas, & vicinitas nos locorum inuitat, vt Cumanam atque Misenatium vnire debeamus ecclesias: quoniam hæ non longo à se itineris interuallo seiunctæ sunt: nec (peccatis facientibus) tãta populi multitudo est, vt singulos (sicut olim fuit) habere debeant sacerdotes. Quia igitur Cumani Castri sacerdos vitæ huius cursum expleuit, vtrasque nos ecclesias præsentis authoritatis pagina vnisse, tibíque commisisse cognosce: propriumque vtrarumque ecclesiarum scito te esse pontificem: & quæcunque tibi de earum patrimonio, vel cleri ordinatione promotionéve iuxta canonum statuta visa fuerint, ordinare atque disponere habebis (vt proprius reuera sacerdos) liberam ex nostræ authoritatis consensu atque permissione licentiam. Vbi verò commodius ac vtilius esse prospexeris, habitato: ita sane, vt alteram ecclesiam à qua corporaliter ad præsens absens es, solicita prouidentíque cura disponas, quatenus diuina illic mysteria solenniter auxiliante Domino peragantur. Fraternitas ergo tua tantò in adhortationibus lucrandiíque animabus solicitiore cura semper inuigilet, quantò se vnitarum ecclesiarum gubernationis onera suscepisse cognoscit.

At verò ciuitatum desolatarum pontifices Gregorius vacantibus ciuitatibus incardinare curabat. Vnde Martino episcopo Corsicæ inter cætera scribit dicens: Quoniam inquit, ecclesia Tamate, in qua dudum fuerat honore sacerdotali tua fraternitas decorata, ita est (delictis facientibus) hostili feritate occupata & diruta, vt illuc vlterius spes remeandi nulla remanserit: in ecclesiam te Alirensem, quæ iam diu est pontificis auxilio destituta, cardinalem secundum petitionis tuæ modum hac authoritate constituimus sine dubio sacerdotem. Ita ergo studio vigilanti cum Dei amore secundum canonum præcepta cuncta dispone, & ordina, vt & fraternitas tua suis desideriis se gaudeat fuisse potitam, & ecclesia Dei alterno gaudio repleatur cardinalem te suscepisse põtificem. Item Ioanni episcopo Squillaceno. Pastoralis officij cura nos admonet, destitutis ecclesiis proprios constituere sacerdotes, qui gregem dominicum pastorali debãt solicitudine gubernare. Propterea te Ioannem ab hostibus captiuatæ Lisitanæ ciuitatis episcopum in Squillacena cardinalem necesse duximus constituere sacerdotem: vt susceptam semel animarum curam intuitu futuræ retributionis impleas, licet à tua (hoste imminente) depulsus sis, aliam quæ pastore vacat, debeas ecclesiam gubernare: ita tamen, vt si ciuitatem hostibus liberam effici, & Domino protegente ad priorem statum contigerit reuocari: in eam in qua prius ordinatus es, ecclesiam reuertaris. Si autem prædicta ciuitas continua captiuitatis calamitate premitur, in hac in qua à nobis incardinatus es, debeas ecclesia permanere. Item Ioanni episcopo Veliterno. Postquam hostilis impietas diuersarum ciuitatum (ita peccatis facientibus) desolauit ecclesias, vt reparandi eas spes nulla populo deficiente remanserit: maiori valde cura constringimur, ne defunctis earum sacerdotibus, reliquiæ plebis nullo pastoris moderamine gubernatæ, per inuia fidei hostis callidi paiantur (quod absit) inuidia. Huius ergo rei solicitudine sæpe commoniti, hoc nostro sedit cordi consilium, vt vicinis eas mandaremus pontificibus gubernandas. Ideóque fraternitati tuæ curam gubernationémque trium tabernensium ecclesiarũ præuidimus committendam, quam tuæ ecclesiæ aggregari vnirique necesse est: quatenus vtrarumque ecclesiarum sacerdos & rector Christo adiutore possis existere: & quæcunque tibi de eius patrimonio, vel cleri ordinatione seu promotione, vigilanti ac canonica visa fuerint cura disponere, quippe vt pontifex proprius liberam habebis ex præsenti nostra permissione licentiam. Item Gratioso Numentano episcopo curam gubernationémque sancti Anthemij ecclesiæ Curium Sabinorum territorio constitutæ incardinando coniunxit. Item Agnello episcopo Fundano post aliqua. Quoniam propter cladem hostilitatis, nec in ciuitate nec in ecclesia tua est cuiquam habitandi licentia: ideo hac te authoritate Terracinensũ ecclesiæ cardinalem constituimus sacerdotem. Et post pauca. Illud quoque fraternitatem tuam scire necesse est, quoniam sic te predictæ Terracinensis ecclesiæ cardinalem esse constituimus sacerdotem, vt & Fundensis ecclesiæ pontifex esse non desinas, nec curam gubernationémque eius prætereas.

Sed & expulsos episcopos, quos tam citò Gregorius xvj.
vel incardinare non poterat, vel quorum reditum ad sedes proprias contingere posse sperabat, aliis episcopis, qui tunc videlicet in locis suis degebant, interim pro sustentatione ac stipendiis præsentis vitæ iungebat, generaliter dicens: Fratres & coepiscopos nostros, quos & captiuitatis diuersarũque necessitatum angustiæ comprimunt, studete consolandos conuiuandósque vobiscum in ecclesiasticis sustentationibus libẽter suscipere: non quidem vt per communionem episcopalis throni dignitas diuidatur, sed vt ab ecclesia iuxta posibilitatem sufficientia debeant alimenta percipere. Sic enim & proximum in Deo, & Deum in proximo diligere comprobamur. Nullam quippe eis nos in vestris ecclesiis authoritatem tribuimus, sed tantùm vestris solatiis eos contineri summopere hortamur.

Loca quoque sedium prudentissimus pontifex accepta xvij.
iusta occasione mutabat. Vnde Ioanni episcopo Veliterno scribit dicens: Temporis qualitas admonet episcoporum sedes antiquitùs certis ciuitatibus constituas, ad alia quæ securiora

curiora putamus eiusdem diœceseos loca transponere, quò & habitatores nunc degere, & barbaricum possit periculum facilius declinari. Propterea te Ioannem fratrem coepiscopumque nostrum Veliternensis ciuitatis, sedémque tuam in loco qui apellatur Arenata, ad sanctum Andream apostolum præcipimus exinde transmigrare: quatenus & ab hostilitatis incursu liberior existere valeas: & illic consuetudine solennium festa disponas.

xviij. Et notandum quòd Gregorius licet monasteria & episcopatus vnierit, atque vacantes episcopos vacantibus ciuitatibus incardinare studuerit, nunquam tamen episcopum ab integritate suæ ecclesiæ vel ipse in aliam commutauit, vel sub quacunque occasione migrare consensit. Nam postquam Demetrium Neapolitanum episcopum super criminibus manifestis deposuit: cùm ab eisdem Neapolitanis incardinari sibi Paulum Nepesinum episcopum magnopere quereretur: discretissimus pontifex visitatione ciuitatis Nepesinæ Ioanni episcopo delegata, eundem quidem Paulum visitatorem illis tribuit: cardinalem verò constituere tam primò dispensatoriè distulit, quàm postea penitus recusauit. Cui postmodum licentiam reuertendi ad suam diœcesim concedens, centum solidos de Neapolitana ecclesia, & vnum puerulum orphanũ, qualem ipse de familia eiusdem ecclesiæ voluisset, dari præcepit.

xix. Aliarum parœchiarum clericos sibi & aliis discretissimus pontifex discretissimè incardinare curabat. Quapropter Heliæ presbytero & abbati prouinciæ Isauriæ post aliqua scribens, filium, inquit, vestrum Epiphanium mandastis vt ad sacrum ordinem prouehere deberemus, vobisque retransmittere. Sed in vno vos audiuimus, in altero verò audire minimè potuimus. Diaconus quidem factus est: sed quisquis semel in hac ecclesia sacrum ordinem acceperit, egrediendi ex ea vlterius licentiam non habet. Si ergo videre vos non potui, hac ex re consolationem habeo, quia in filio vestro requiesco.

xx. Item Maximiano episcopo Syracusano. Presentium lator Felix diaconus, cùm nullatenus in hæreticorum dogmata lapsus sit, nec à catholica fide discesserit, prauis illectus aduersus Constantinopolitanam synodum suspicionibus, in Istricorum se separatione remouerat. Qui cùm Romam venisset, recepta à nobis iuuante Domino ratione, excessum suum recepta dominici corporis communione correxit. Quia ergo (vt dictum est) non in hæresim incidit, sed à sacris generalis ecclesiæ ministeriis quasi rectæ studio intentionis errauit, imbecillitati eius atque necessitatibus consulentes, maximéque sustentationi eius pietatis intuitu prouidentes, in tua Syracusana ecclesia eum præuidimus cardinandum. Item Fortunato episcopo Neapolitano. Fraternitatem tuam à nobis petisse recolimus, vt Gratianum ecclesiæ tuæ Venafranæ diaconum tuæ concederemus ecclesiæ cardinandum. Et quoniam nec episcopum cui obsecundare, nec propriam habet ecclesiam, hoste scilicet prohibente, quò suum debeat ministerium exhibere: petitionem tuam non præuidimus differendam. Idcirco scriptis tibi præsentibus eum necessariò duximus concedendum, habiturus licentiam diaconum illum nostra interueniente authoritate ecclesiæ tuæ Deo propitio constituere cardinalem.

Item Cypriano diacono. Sicut dilectio tua studiosè laborauit pro persona fratris & coepiscopi nostri Ioannis, vt in Syracusana ecclesia authore Deo debuisset ordinari: ita nunc necesse est vt per dilectionis tuæ studia ei quoque regiminis solatia ministrentur. Quendam enim presbyterum proprium habuisse se perhibet, qui tamen à fratre & coepiscopo nostro Leone in Catanensi ecclesia dicitur ordinatus. Et quia in nouã ecclesiã vadit, & suos illic proprios homines habere necesse est, vt dum causarũ tumultibus premitur, in secreto suo inueniat vbi requiescat: prædicto fratri & coepiscopo nostro Leoni blandè & dulciter persuaderi debet, vt ei præfatum presbyterum cedere debeat: ne quem tam benignus ad ordinandum cessit, ordinatum destituere fortasse videatur.

xxj. Antiquissimum ecclesiasticę consuetudinis ordinem Gregorius ab Apostolis traditum, & ad sua vsque tempora solenniter conseruatum, adeò studiosissimè retinebat, vt nullum, quantalibet sanctitate, sapientia, nobilitatéve polleret, anterioribus clericis in conuentu, consessu, statione siue subscriptione præponeret. Vnde Ianuario Caralitano episcopo scribens, Liberatus, inquit, de quo nobis tua fraternitas indicauit, qui diaconi fungi perhibetur officio, si à decessore tuo non factus est cardinalis, ordinatis à te diaconis nulla debet ratione præponi: ne eos quos consecrando probasse cognosceris, reprobare supponendo quodammodo videaris. Prædictum itaque Liberatum, quem reprimendus ambitionis inflat spiritus, omni instantia ab intentus sui prauitate compesce, & vltimum inter diaconos stare constitue: ne dum se illicitè præferri contendit, immeritus loco in quo nunc situs est iudicetur. Cuius tamen si obedientia fueris inuitatus, & eum post hoc facere cardinalem volueris, nisi pontificis sui cessionem solenni more meruerit, abstinendum ab eius incardinatione meminerис: quoniam æquitati conuenire non ambigis, vt aliis seruare non differas, quod ipse quóque tibi seruari desideras.

Huius videlicet antiquissimæ consuetudinis ordine Gregorius prouocatus, defunctorum episcoporum ecclesias pro faciendo inuentario, & eligendo legitimæ opinionis episcopo, vicinis episcopis commẽdabat, hoc modo scribens: Obitum illius antistitis directa relatio patefecit. Quapropter visitationis destitutæ ecclesiæ fraternitate tuæ operam solenniter delegamus: quã ita te cõuenit exhibere, vt nihil de prouectionibus clericorũ, reditu, ornatu, ministeriísq; vel quicquid illud est, in patrimonio eiusdem à quoquam præsumatur ecclesiæ. Et ideo fraternitas tua ad prædictam ecclesiam ire properabit, & assiduis adhortationibus clerum plebémque eius admonere festinet: vt remoto studio, vno eodémque consensu talem sibi præficiendum expetant sacerdotem, qui & tanto ministerio dignus valeat reperiri, & venerandis canonibus nullatenus respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solennitate decreti omnium subscriptionibus roborati, & dilectionis tuæ testimonio literarum ad nos veniat consecrandus: prouisurus ante omnia, ne ad cuiuslibet conuersationis meritum laicę personę aspirare præsumant, & tu periculum ordinis tui (quod absit) incurras. Monasteria autem siqua sunt in ipsius parœchia constituta, sub tua cura, dispositionéque, quousque illic proprius fuerit episcopus ordinatus, esse concedimus: vt solicitudinis tuæ vigilantia proposito suo congrua Deo adiuuante actione respondeat.

Item clero, ordini, & plebi. Vestri antistitis obitum cognoscentes, curæ nobis fuit destitutæ ecclesiæ visitationem illi fratri & coëpiscopo nostro solemniter delegare: cui dedimus in mandatis, vt nihil de prouectionibus clericorum, reditu, ornatu, ministeriísque, à quoquam vsurpari patiatur, cuius vos assiduis adhortationibus conuenit obedire, quatenus in ecclesiastico obsequio sacerdos exquiratur, qui à venerandis canonibus nulla discrepet ratione. Qui dum fuerit postulatus cum solennitate decreti omnium subscriptionibus roborati, & visitatoris pagina profequente, ad nos veniat ordinandus: prouisuri ante omnia, ne cuiuslibet vitæ vel meriti laicam personam præsumatis eligere: & nõ solùm ille ad episcopatus apicem nulla ratione prouehetur, verùm etiam vos nullis intercessionibus veniam promereri cognoscite: sed omnes quos ex vobis de laica persona aspirasse constiterit, ab officio & à communione alienos faciendos proculdubio noueritis.

Nulla occasione Gregorius quicquam de donariis siue prædiis quarumlibet ecclesiarum patiebatur auferri. Idcirco Maximiano Syracusano episcopo inter alia scribit dicens: Charitatem tuam commonere curauimus, vt si quispiam episcoporum de hac luce migrauerit, vel (quod absit) pro suis fuerit remotus excessibus: conuenientibus hieraticis, cunctisque cleri prioribus, atque sui præsentiam in inuentario ecclesiæ rerum facientibus, omnia quæ reperta fuerint, subtiliter describantur: ne (sicut antea fieri dicebatur) species quædam aut aliud quodlibet de rebus ecclesiæ quasi pro faciendi inuentarij labore tollatur. Sic namque ea quæ ad munitionem facultatis pauperum

pertinet, desideramus expleri, vt nulla penitus in rebus eorum ambitiosis hominibus venalitatis relinquatur occasio. Visitatores ecclesiarum, clerici quoque eorum qui cum ipsis per non suae ciuitatis parœchias fatigantur, aliquod laboris sui capiant te disponente subsidium. Iustũ nanque est vt illic consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium.

xxiiij. Consuetudines dationum vel Xeniorum à suis episcopis accipere Gregorius quasi pondus quoddam pestiferum toto mentis conamine detrectabat. Vnde Felici episcopo Mesanensi, Consuetudines, inquit, quae ecclesiis noscuntur grauamen inducere, nostra nos decet consideratione remittere, ne illic aliqua cogantur inferre, vnde sibi referenda debent potius expectare. Clericis quidem tuis vel aliorum consuetudinem te oportet illibatam seruare, eisque annis singulis quae sunt consueta transmittere: nobis verò decaetero ne quid transmitti debeat, inhibemus. Et quoniam non delectamur Xeniis, palmatianas quas tua direxit fraternitas, cum gratiarum actione suscepimus: sed eas, ne quod exinde sentire potuisses dispendium, digno fecimus precio venundari: & id tuae fraternitati transmisimus sigillatum. Sed quia charitatem tuam ad nos velle venire cognouimus, scriptis praesentibus admonemus, vt ad veniendum non debeas laborem assumere, sed ora pro nobis, vt quantò nos itineris interualla dissociant, tantò animis nostris adinuicem Christo adiuuante simus in charitate coniuncti: quatenus alterna nos obsecratione iuuantes, susceptum officium venturo integrum iudici resignemus. Item Ioanni episcopo primae Iustinianae, cui & pallium mittit, & vices suas committit, post multa scribit. Xenia autẽ vestrae sanctitatis suscipere omnino nolueram, quia valde est incongruum vt à praedatis atque afflictis fratribus munera percepisse videremur: sed responsales vestri alio me argumento vicerunt, ad eum illa deferentes, à quo non possent vestrae fraternitatis oblationes repelli.

xxv. Hinc est quòd Gregorius episcoporum neminem ad vrbem fatigare delectans, Maximiano Syracusano episcopo vices suas per Siciliam totam commisit, praecipiens vt omnes episcopi semel in quinquennio Romam venirent. Vnde Cypriano diacono scribens, Nouit, ait, dilectio tua hanc olim consuetudinem tenuisse, vt fratres & coepiscopi nostri Romam semel in triennio de Sicilia conuenirent: sed nos eorum labori consulentes scias constituisse, vt suam hic semel in quinquennio praesentiam exhiberent, & caetera. Vbi notandum quia si beatus Gregorius Xenia (quod credi nefas est) anhelaret, non episcoporum aduentus à triennio in quinquennium protelaret, imò à triennio in biennium proculdubio festinaret.

xxvj. Sed quando Xenia gratè susciperet, qui quanuis dispensandas alterius eleemosynas recusare timeret, eas tamen & timendo suscipiebat, & cautissimè dispensabat, quisque adeò sua dare, & aliena non accipere consueuerat, vt etiam rerum quarundam precia penitus refutaret. Vnde Eulogio patriarchae Alexandrino inter caetera scribit dicens: De lignis quòd scribitis quia breuia fuerint, nauis per quam transmissa sunt, qualitas fecit: quia si maior nauis venisset, potuissem ligna etiam maiora transmittere. Quòd autem dicitis quia si maiora transmittimus, precium datis: largitati quidem gratias agimus, sed accipere precium euangelio interdicente prohibemur. Nos enim ea quae transmittimus ligna non emimus: & quomodo possumus precium accipere, cùm scriptum sit, Gratis accepistis, gratis date? Nunc ergo iuxta modum nauis per nauclerum parua ligna transmisimus: sequenti verò anno, si omnipotenti Deo placuerit, maiora praeparamus.

xxvij. Non mirum si liberalissimus pontifex nullas consuetudines à suis suffraganeis, nulla Xenia capiebat, quibus ipse si qua necessaria habere videbantur, satis hilariter ministrabat. Vnde Venantio episcopo Perusino scribit dicens: Fratrem & coepiscopum nostrum Ecclesium frigore omnino laborare cognouimus, pro eo quòd hyemalem vestem nòn habeat. Et quia aliquid sibi à nobis petiit debere transmitti, fraternitati tuae ad hoc per latorem praesentium transmisimus amphimalum, tunicam & pectorale, vt ad te ei debeant sine mora transmitti. Et ideo ad praedictum fratrem nostrũ sub omni illud celeritate stude transmittere: atque nobis hoc ipsum quia transmiseris, tuis renuntiare epistolis non omittas: sed ita fac, vt ad transmittendum, quia vehemens frigus est, moram aliquam minimè facias.

Item eidem Ecclesio Clusino episcopo. Scripta fraternitatis vestrae suscipientes contristati sumus, quod vos per ea & grauiter infirmatos, & adhuc debiles esse cognouimus. Et licet sanctitatem vestram videndi desiderium haberemus, bene tamen fecistis isto vos illic tempore continere: ne venientes huc de aegritudinis * nostrae molestia recidiuam nobis tristitiam * faceretis. Et post pauca: Vnum autem caballum, vobis qualem inuenire potuimus, de benedictione sancti Petri transmisimus, vt habeatis cum quo post infirmitatem vectari possitis.

*vestrae

*regenerationis.

Tali patrono tunc illius temporis pontifices ampliati, tam nouas ecclesias à fundamentis construentes ornare, quàm veteres quoque splendidissimè renouare coeperunt. Nam Gregorius nihil in suis coepiscopis magis quàm sanctitatem, sapientiam & liberalitatem curiosissimè quaeritabat. Quod vt significantius elucescat, quasdam epistolarum eius adhibebo, quarum testimonio lector meus quorumdam episcoporum vitia reprehensa cognoscat. Ait enim in epistola Secundo seruo Dei inter caetera. xxviij.

Fratrem nostrum Marinianum episcopum verbis quibus vales excita, quia eum obdormisse suspicor. Nam venerunt quidam ad me, in quibus erant quidam senes mendicantes, qui à me discussi sunt à quibus quid acceperint: & per singula retulerunt quanta eis & à quibus in itinere data sint. Quos dum solicitè de praedicto fratre requirerem quid eis dedisset, responderunt se eum rogasse, sed ab eo nihil accepisse, ita vt neque panem in via acceperint, quod dare omnibus illi ecclesiae semper familiare fuit. Dixerunt enim, Respondit nobis dicens: Non habeo quod vobis dem. Et miror si is qui vestes habet, cellaria habet, argentum habet, quod pauperibus debeat dare, non habet. Dic ergo illi, vt cum loco mutet mentem. Non sibi credat solam lectionem & orationem sufficere, vt remotus studeat sedere, & de manu nihil fructificare: sed largam manum habeat, necessitatem patientibus occurrat, alienam inopiam suam credat: quia si haec non habet, vacuum episcopi nomen tenet. xxix.

Item Sereno episcopo Massiliensi post aliqua. Perlatum ad nos fuerat, quòd inconsiderato zelo succensus, sanctorum imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem quia eas adorari vetuisses, omnino laudamus: fregisse verò reprehendimus. Dic frater, à quo factum sacerdote aliquando auditum est quod fecisti? Si non aliud, vel illud te debuit reuocare, ne despectis aliis fratribus, solum te sanctum esse crederes & sapientem. Aliud est enim picturam adorare, aliud per picturae historiam quid sit adorandum addiscere. Nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis praestat pictura cernentibus: quia in ipsa ignorantes vident quod sequi debeant, in ipsa legunt qui literas nesciunt. Vnde & praecipuè gentibus pro lectione pictura est. Quod magnopere à te, qui inter gentes habitas, attendi decuerat: ne dum recto zelo incautè succenderis, ferocioribus animis scandalum generares. Frangi ergo non debuit, quod non ad adorandum in ecclesiis, sed ad instruendas solummodo mentes fuit nescientium collocatum. Et quia in locis venerabilibus sanctorum depingi historias non sine ratione vetustas admisit, si zelum discretione condisses, sine dubio & ea quę intendebas, salubriter obtinere, & collectum gregem non dispergere, sed dispersum potius poteras congregare: vt pastoris in te meritum nomen excelleret, non culpa dispersoris incumberet. Haec autem dum in hoc animi tui incauto nimis motu exequeris, ita tuos scandalizasse filios perhiberis, vt maxima eorum pars à tua se communione suspenderet. Quando ergo ad ouile dominicum errantes oues adduces, qui quas habes, retinere non praeuales? Proinde hortamur vt vel nunc studeas esse solicitus, atque ab hac te praesumptione xxx.

Reprehendit Serenum qui vsum imaginũ ecclesia antiquum amouere voluerit.

ne compescas: & eorum animos quos à tua disiunctos vnitate cognoscis, paterna ad te dulcedine omni annisu omnique studio reuocare festines.

xxxj. Ianuario quoque Caralitano episcopo post aliqua scribit dicens: Inter querelas multiplices Isidorus vir clarissimus à fraternitate tua frustra se excommunicatum anathematũmque conquestus est. Quod quamobrem factum fuerit, dum à clero tuo qui praesens erat, voluissemus addiscere, pro nulla alia causa, nisi pro eo quod te iniuriauerat, factum innotuit. Quae res nos vehementer afflixit: quia si ita est, nil te ostendis de cœlestibus cogitare, sed terrenam te conuersationem habere significas: dum pro vindicta propriae iniuriae, quod sacris regulis perhibetur, maledictionem anathematis inuexisti. Vnde de caetero omnino esto circunspectus atque solicitus, & talia cuiquam pro defensione iniuriae tuae inferre non denuò praesumas. Nam si tale aliquid feceris, in te scias postea vindicandum.

xxxij. Item eidem. Praedicator omnipotentis Domini Paulus apostolus praecipit dicens: Senibrem ne increpaueris. Sed haec eius regula in eo seruanda est, cùm culpa senioris exemplo suo non trahit ad interitum corda iuuenum. Vbi enim senior iuuenibus exemplum ad interitum praebet, ibi districta increpatione feriendus est. Nam scriptum est: Laqueus iuuenum omnes vos. Et rursum Propheta dicit: Peccator centum annorum maledictus erit. Tanta autem nequitia ad aures meas de tua senectute peruenit, vt eam nisi adhuc humanitùs pensaremus, fixa eam maledictione feriremus. Dictum quippe mihi est, quòd dominicorum die priùs quàm missarum solennia celebrares, ad exarandam messem latoris praesentium perrexisti: & post exarationem eius missarum solemnia celebrasti. Post missarum verò solennia etiam & terminos possessionis illius minimè eradicare timuisti. Quod factum quae poena debuit insequi, omnes qui audiunt sciunt. Dubij autem de tanta hac peruersitate fueramus: sed filius noster Cyriacus abbas à nobis requisitus, dum esset Caralis ita se cognotuisse perhibuit. Et quia adhuc canis tuis parcimus, hortamur, aliquando resipisce senex, atque à tanta leuitate morum, & operum peruersitate compescere: quia quantò morti vicinior efficeris, tantò fieri solicitior atque timidior debes. Et quidem penè sententia in te fuerat iaculanda: sed quia simplicitatem tuam cum senectute nouimus, interim tacemus.

xxxiij. Omnes omnino pontifices à lectione librorum gentilium Gregorius inhibebat. Quapropter Desiderio Galliarum episcopo pallium postulanti scribit inquiens: Cùm multa nobis bona de vestris fuissent studiis nuntiata, ita cordi nostro est nata laetitia, vt negare ea quae sibi fraternitas vestra concedenda deposcerat, minimè pateremur. Sed post hoc peruenit ad nos (quod sine verecundia memorare non possumus) fraternitatem tuam grammaticam quibusdam exponere. Quam rem ita molestè cepimus, ac sumus vehementius aspernati, vt ea quae prius dicta fuerãt, in gemitũ & tristitiam verteremus: quia in vno se ore cum Iouis laudibus, Christi laudes non capiunt. Et quàm graue nefandũmque sit episcopis canere quod nec laico religioso conueniat, ipse considera. Nam quanuis dilectissimus filius noster Candidus presbyter postmodum veniens hac de re subtiliter inquisitus negauerit, atque vos conatus fuerit excusare, de nostris tamẽ animis adhuc non recessit: quia quantò execrabile est hoc de sacerdote narrari, tantò vtrum ne ita sit, districta & veraci oportet satisfactione cognosci. Vnde si post hoc euidenter haec quae ad nos praelata sunt, falsa esse clarucrint, neque vos nugis & secularibus literis studere constiterit: & Deo nostro gratias agemus, qui cor vestrum maculari blasphemis nephandorum laudibus non permisit: & de concedendis quae poscitis, securi iam & sine aliqua dubitatione tractabimus.

xxxiiij. Nihilominus Natali Salonitano episcopo scribit dicens: Multis ab vrbe tua venientibus frater charissime didici, pastorali cura derelicta, solis te conuiuiis occupatum. Quae audita non crederem, nisi haec actionum tuarum experimentis approbarem. Nam quia nequaquam lectioni studeas, nequaquam exhortationi inuigiles, sed ipsum quoque vsum ecclesiastici ordinis ignores, hoc est in testimonio, quòd eis sub quibus es positus, seruare reuerentiam nescis. xxxv.

Sed cùm Natalis per inanem philosophiam scriptis propriis se niteretur inculpabilem demonstrare, mitissimus doctor Gregorius ita rescripsit: In conuiuiorum defensione vestra fraternitas Abrahae conuiuium memorat, in quo (teste sacro eloquio) tres angelos suscepisse perhibetur. Sed hoc exemplo neque nos beatitudinem vestram reprehendimus, si hanc suscipere angelos in hospitalitatem cognoscimus. Rursum narrat tua fraternitas Isaac satiatum, filio benedictionem dedisse. Quae vtraque veteris testamenti quia ita sunt gesta per historiam, vt tamen signarent aliquid per allegoriam: vtinam valeamus sic res gestas legendo percurrere, vt possimus etiam gerendas prouidendo sentire. Ille quippe in tribus angelis vnum salutans, Trinitatis subsistentias vnius substantiae esse declarauit. Iste verò satiatus benedicit filium: quia qui diuinis epulis repletur, illius sensus in prophetiae virtutem extenditur. Diuinae autem epulae, sacri eloquij verba sunt. Si igitur assiduè legitis, si exemplũ ab exterioribus trahentes, interna penetratis, quasi de agri venatione satiati, mẽtis ventrẽ repletis, vt antepositò filio, susceptò videlicet populo positis ventura nuntiare. Sed etiam in hoc seculo caligat, qui de Deo aliquid prophetat: quia profectò dignum est vt hic iam per concupiscentiam minus videat, cuius sensus per intelligentiam intus coruscat. Haec ergo ad vosmetipsos trahite: & si vos tales agnoscitis, nihil est quod de nostra estimatione dubitetis. Gaudere quoque beatitudinem vestram inuenio, si voracis nomen cum rerũ authore sustineat. Quod ego breuiter expono, quia si de vobis falsum dicitur nomen, hoc veraciter cum rerum authore sustinetis. Si verò de vobis verum est quod de illo falsum quis dubiter, absoluere vos non valet par nomen, quorum dispar est causa. Nam cum eo crucẽ etiã periturus latro suscepit: sed quem reatus proprius tenuit, par crucifixio non absoluit. Ego tamen quantis valeo precibus deposco, vt sanctissimam fraternitatem vestram authori nostro Deo non solùm nomẽ, sed etiam causa coniungat. Conuiuia autem quae ex intentione impendendae charitatis fiunt, rectè vestra sanctitas in suis epistolis laudat. sed tamen sciendum est, quia tunc veraciter ex charitate prodeũt, cum in eis nulla absentium vita mordetur, nullus ex irrisione reprehenditur: & non in eis inanes sechariũ negociorum fabulae, sed verba sacrae lectionis audiuntur. cùm nõ plus quàm necesse est, seruitur corpori, sed sola eius infirmitas reficitur, vt ad vsus exercendae virtutis habeatur. Haec itaque si vos in vestris conuiuiis agitis, abstinentium fateor magistri estis. Quod ego Pauli apostoli ad me testimonium posuistis, Qui non manducat, manducantem non iudicet: omnino existimõ incongruum fuisse: quia neque ego non cõmedo, neque ob hoc à Paulo apostolo dictum est, vt membra Christi quae in eius corpore, id est, in ecclesia inuicem sibi charitatis compage connexa sunt, nullam de se vllo modo curam gerant. Sed si neque ego ad te, neque tu aliquid pertineres ad me, iure tacere compellerer: vt eum non reprehenderem, qui emendari non posset. Haec ergo seuerĕtia propter eos solummodo dicta est, qui illos iudicare student, quorum cura sibi commissa nõ est. At postquam nos authore Deo vnum sumus, si vobis ea quae corrigenda fuit tacemus, valde delinquimus.

Neminem sanè pontificum a parœchia sua saltem parumper absque ineuitabili prorsus necessitate discedere Gregorius permittebat: quos nimirum in causis mundialibus occupari vehementissimè prohibebat. Vnde Romano defensori scribit dicens: Perlatum est ad nos, reuerendissimum fratrem nostrum Basilium episcopum velut vnum de laicis in causis occupari, & praetoriis inutiliter obsecundare. Quae res quoniam & ipsum vilem reddit, & reuerentiam sacerdotalem annihilat: statim vt experientia tua hoc praeceptum susceperit, eum ita ad reuertendum districta executione compellat, quatenus ei illic (te insistente) quinque diebus qualibet excusatione immorari non liceat: ne si quolibet modo eum ibidem amplius moram habere perhiseris, cum ipso apud nos grauiter incipias esse culpabilis. xxxvj. xxxvij.

Item Anthemio subdiacono. Peruenit ad nos, Pimenium Amalfitanae ciuitatis episcopũ in ecclesia sua residere nõ esse

contentum, sed foras per loca diuersa vagari. Quod videntes alij, nec ipsi in castro se retinent, sed eius exemplum sequentes, foris magis eligunt habitare. Et quia hoc agentes, ipsi potius ad suam hostes deprædationem inuitant, idcirco hac tibi authoritate præcipimus, vt suprascripto episcopo interminari non desinas, quatenus hoc decætero facere non præsumat, sed in ecclesia sua sacerdotali more resideat. Quem si fortè non emendari post tuam interminationem cognoueris, in monasterio eum deputare, & nobis curabis modis omnibus indicare: vt quid facere debeas, nostra iterum cognoscas præceptione.

xxxvii. Non mirum si Gregorius ex ministerio sibi credito curabat vitia quorumlibet præpositorum verbis salubribus increpare, qui lapsum propriæ amitæ non dubitauerit ad instructionem populi posterorum memoriæ commendare. Siquidem euãgelica sententia qua dicitur, Multi sunt vocati, pauci verò electi: volens multorum vocationem à paucorum electione formis exemplorum discernere, perhibet dicens: Pater meus tres sorores habuit, quæ cunctæ sacræ virgines erant: quarum vna Tharsilla, alia Gordiana, alia Aemiliana dicebatur. Vno omnes amore conuersæ, vno eodémque tempore sacratæ, sub districtione regulari degentes in domo propria socialem vitam ducebant. Cúmque essent diutius in eadem conuersatione, cœperunt quotidianis incrementis in amorem conditoris sui Tharsilla & Aemiliana succrescere: & cum solo hîc essent corpore, quotidie animo ad æterna transire. At contrà Gordianæ animus cœpit ab amore caloris intimi per quotidiana detrimenta tepescere, & paulisper ad huius seculi amorem redire. Crebrò autem Tharsilla dicere Aemilianæ sorori suæ cum magno gemitu solebat, Video Gordianam sororem nostram de † nostra sorte non esse. Perpendo enim quia foras defluit, & cor ad quod proposuit non custodit. Quam curabam blanda quotidie redargutione corripere, atque à leuitate morum ad grauitatem sui habitus reformare. Quæ quidem resumebat vultum subitò grauitatis inter verba correptionis: sed cùm eiusdem correptionis hora transisset, transibat protinus & supradicta grauitas honestatis, móxque ad leuia verba redibat. Puellarum gaudebat societate laicarum: eique persona valde onerosa erat, quæcunque huic mundo dedita non erat. Quadam verò nocte huic Tharsillæ amitæ meæ, quæ inter sorores suas virtute orationis continuæ, afflictionis studiosę, abstinentię singularis, grauitate vitæ venerabilis, in honore & culmine sanctitatis excreuerat, sicut ipsa narrauit, per visionem atauus meus, Felix huius Romanæ ecclesiæ antistes apparuit, eíque mansionem perpetuæ claritatis ostendit, dicens: Veni, quia in hac te lucis mansione suscipio. Quæ subsequenti mox febre correpta, ad diem peruenit extremum. Et sicut nobilibus fœminis virisque morientibus multi conueniunt, qui eorum proximos consolentur: eadem hora eius exitum præstolantes viri ac fœminę lectulum circunsteterunt, cum subitò sursum illa respiciens Iesum venientem vidit, & cum magna animaduersione cœpit circunstantibus clamare dicens: Recedite, recedite, Iesus venit. Cumque in eum intenderet quem videbat, sancta illa anima carne soluta est: tantáque subitò fragrantia miri odoris aspersa est, vt ipsa quoque suauitas cũctis ostenderet illic authorem suauitatis venisse. Cumque corpus eius ex more mortuorum ad lauandum esset nudatũ, longo orationis vsu in cubitis eius & genibus camelorum more inuenta est obdurata cutis excreuisse: & quid viuens eius spiritus semper egerit, mortua caro testabatur. Hæc autem gesta sunt ante Domini natalis diem. Quo trãsacto mox Aemilianæ sorori suæ per visitationem nocturnæ visionis apparuit, dicens: Veni, vt quia natalem dominicum sine te feci, sanctum Theophaniæ iam tecum faciã. Cui illa protinus de Gordianæ sororis suæ salute solicita, respondit: Et si sola venio, sororem nostrã Gordianam cui dimitto? Cui tristi vultu iterum dixit, Veni: Gordiana etenim soror nostra inter laicas deputata est. Quam visionem mox molestia corporis est secuta: atque ita vt dictum fuerat, ante dominicæ apparitionis diem eadem molestia ingraueſcente defuncta est. Gordiana autem mox vt solam remansisse se reperit, eius prauitas excreuit: & quod prius latuit in desiderio cogitationis, pòst effectu prauæ actionis exercuit. Nam oblita dominici timoris, oblita pudoris & reuerentiæ, suæ oblita consecrationis, conductorem postmodum agrorum suorum maritum duxit. Ecce omnes tres vno prius ardore conuersæ sunt, sed non omnes in vno eodémque studio permanserunt: quia iuxta dominicam vocem, Multi sunt vocati, pauci verò electi.

† *al. de nostro consortio.*

Dies Theophaniæ.

xxxix. Subditorum quoque negligentias Gregorius & subtiliter inquirebat, & districtissimis redargutionibus emendabat. Vnde Viteliano episcopo Sypontino scribens, Si custos, inquit, religiosi habitus, aut esse nosses episcopus, filiæ gloriosæ memoriæ Tulliani magistri militiæ, te illic posito, nec proiectis religiosis vestibus ad secularem reuerti habitum, nec ad nos licuisset peruersam epistolam destinare. Sed quia nimia desidia nimióque torporé deprimeris, in tuo dedecore res ad præsens illicita impunè commissa est. Nam si (vt præfati sumus) solicitus extitisses, prius ad nos vltio mulieris prauissimæ, quàm culpa debuit peruenire. Quia ergo tantum habes, tantunque es negligens, vt nisi canonicam in te sueris coércitionem expertus, in aliis districtionem & disciplinam nescias custodire: qualiter debeas esse solicitus, congruo tibi (si Domino placuerit) tempore demonstrabimus.

xl. Item Sergio defensori. Si homo esses, aut districtionem aliquam habuisses, ita regularis disciplinę debuisti custos existere, vt ea quę illic illicitè committuntur, antè vindicta corrigeret, quàm ad nos eorum nuntius peruenireret. Sed dum nimia te facit stultitia negligentem: non solùm de illis offendimur, sed etiam ad vlciscendum desidiam tuam nihilominus prouocamur.

xli. Item Anthemio subdiacono Campaniæ. Peruenit ad nos, fratrem & coepiscopum nostrum Paschasium ita desidem negligentémque in cunctis existere, vt in nullo quia est episcopus agnoscatur, adeò vt neque ecclesia ipsius, neque monasteria, siue filij, vel oppressi pauperes eius erga se dilectionis studium sentiant, nec aliquam supplicantibus sibi in quibus iustum est, opem defensionis accommodet: & quod adhuc dici grauius est, consilia sapientium & recta suadentium nulla patiatur ratione suscipere, vt quod ipse per se nequit attendere, ab alio saltem posit addiscere: sed rebus quæ ad pastoris curam pertinent, prætermissis, ad fabricandam nauim toto se studio omissis inutiliter occupet. Vnde, sicut fertur, contigit quadringentos, aut eo amplius illum iam solidos perdidisse. Hoc quoque eius culpis adiungitur, quòd ita quotidie despectus cum vno aut duobus clericis dicitur ad mare descendere, vt & apud suos in fabula sit, & extraneis sic vilis & despicabilis videatur, vt nihil in se habere episcopalis genij, vel reuerentiæ iudicetur. Quod si ita est, non sine culpa tua esse cognoscas, qui eum obiurgare atque coércere vt dictum est distulisti. Quia ergo hoc totum non solùm illum reprobat, sed etiã ad sacerdotalis officij pertinere probatur opprobrium: volumus vt eum coram aliis sacerdotibus, vel quibusdam filiis suis nobilibus contestari debeas ac hortari, vt vitio torporis excusso, deses esse non debeat, sed in Ecclesiæ suæ ac monasteriorum cura sit vigilans: paternam filiis suis charitatem exhibeat: in defensione pauperũ sit alacer cum discretione: in quibus iustitia suaserit, sit erectus: consilia sapientium libenter suscipiat: quatenus & ciuitas illa eius queat solicitudine consolari, & ipse desidiæ suæ culpas valeat operire. Si verò (quod non credimus) post hanc adhortationem nostram solito adhuc more negligens esse tentauerit, ad nos est modis omnibus transmittendus: vt hîc positus discere posit quid vel qualiter secundum Dei timorem agere conueniat sacerdotem.

xlii. Item eidem. Quoties illa de fratribus coepiscopísque nostris audimus, quæ & illos reprehensibiles ostendere, & nobis tristitiam valeant generare, de eorum nos emendatione nõ mediocriter coegit necessitas cogitare, Quia ergo nũtiatum nobis est Campaniæ episcopos ita negligentes existere, vt immemores honoris sui ingenio, neque erga Ecclesias, neque erga filios suos paternæ vigilantiæ curam exhibeant, vel monasteriorum solicitudinem gerant, seu in oppressorum se pauperum tuitionem impendant: ideo hac tibi authoritate præcipimus, vt eis ad te conuocatis, ex nostro illos mandato districtè commoneas, quatenus desides vlterius esse

se non debeant, sed sacerdotalem se habere zelum & solicitudinem opere doceant: atque ita in his quæ eos iustè secundum Deum agere conuenit, vigilantes existant, vt nullum nos de eis denuò murmur exasperet. Si quem verò eorum post hęc negligentem cognoueris, ad nos eum sine alqua excusatione transmitte: vt quàm sit graue nolle ab his quæ reprehensibilia, & valde vituperanda sunt, corrigi, regulari in se valeat districtione sentire.

Item Victorio episcopo Panormitano post aliqua, Cuius, inquit, iam culpæ sis, intelligis: vt ego tam longè positus, quæ in ciuitate tua aguntur agnoscam, & tot curis occupatus, quæ fieri debeant disponam.

xliij. Notandum sanè quia sicut manifesta crimina discretissimus præsul Gregorius, aut vix, aut nunquam sine vindicta laxabat: ita nimirum in rebus dubiis nunquam aliquando certam sententiam proferebat. Quapropter Andreæ Tarentino episcopo scribit, dicens: Tribunal iudicis æterni securus aspiciet, quisquis reatus sui conscius, digna eum modò pœnitentia placare contendit. Habuisse siquidem te concubinam manifesta veritate comperimus, de qua etiam contraria est quibusdam nata suspicio. Sed quia in rebus ambiguis absolutum non debet esse iudicium, hoc tuæ conscientiæ eligimus committendum. Qua de re si in sacro ordine constitutus eius te permixtione esse recolis maculatum, sacerdotij honore deposito, ad ministrandum nullo modo præsumas accedere: sciturus in animæ tuæ periculo ministrare, & Deo nostro te sine dubio reddere rationem, si huius sceleris conscius in eo quo es ordine celans veritatem permanere volueris.

xliiij. Ob hoc solicitissimus Ecclesię Dei custos Gregorius vniuscuiusque consiliarios arguens, quantũ in se erat, omnes omnino saluare certabat. Vnde Venantio ex monacho patricio post aliqua scribens ait: Scio quia cùm epistola mea suscipitur, protinus amici conueniunt, literati clientes vocantur, & de causa vitæ, consilium ex fautoribus mortis quæritur: qui dum non te, sed res tuas diligunt, nulla tibi nisi quæ ad tempus placeant, loquuntur. Tales etiam fuerunt (sicut ipse reminisceris) dudum consiliarij, qui te ad tanti facinus perduxerunt delicti. Et vt tibi aliquid secularis authoris loquar, cum amicis omnia tractanda sunt, sed prius de ipsis. Si verò in causa tua hominem consiliarium quæris, consiliarium me suscipe. Nullus tibi fidelior esse ad consilium potest, quàm qui non tua, sed te diligit.

Item Ioanni Constantinopolitano episcopo, post nonnulla. Ego beatissimo viro domino Ioanni rescripserã: sed credo quia mihi familiaris ille vester iuuenculus rescripsit, qui adhuc de Deo nihil didicit, qui viscera charitatis nescit, qui in scelestis rebus ab omnibus accusatur, qui insidiari quotidie diuersorum mortibus per occulta testamenta nec Deum metuit, nec homines erubescit. Mihi crede frater charissime, si zelum veritatis perfectè habes, ipsum prius debes corrigere, vt ex his qui vobis vicini sunt, etiam hi qui vicini non sunt, exemplo emendentur. Illius linguam noli recipere. Ille ad consilium vestræ sanctitatis debet dirigi, non autem vestra sanctitas ad verba illius inflecti. Si enim illum audit, scio quia pacem cum suis fratribus habere non poterit.

Item Ianuario Caralitano episcopo: Eos, inquit, quorum consiliis messem alterius exarasti, & eradicare terminos minimè timuisti, in duobus mensibus excommunicatos esse decernimus, ita vt si quid eis intra duorum mensium spatium humanitùs euenerit, benedictione viatici non priuentur. Deinceps autem ab eorum consiliis cautus existe, téque sollicitè custodi: ne si eis in malo discipulus fueris, quibus magister in bono esse debuisti, nec simplicitati tuæ nec vlterius senectuti parcamus.

Item Gallinico exarcho Italiæ post nonnulla. Illud verò cognoscite, quia me non modicè contristauit, quòd maior domus qui petitionem episcopi volentis à schismate reuerti, suscepit, eam se perdidisse professus est, & postmodũ ab aduersariis Ecclesiæ tenebatur. Quod ego non negligentia, sed venalitate eius factum arbitror. Vnde miror quia in eo culpam hanc minimè vestra excellentia vindicauit: sed tamen quia hoc miratus sum, memetipsum citius reprehendi. Nam vbi domnus Iustinus consilium præbet, qui pacem cum catholica Ecclesia non habet: ibi non possunt hæretici addici. Præterea sancti Petri Apostolorum principis natalitium diem in Romana ciuitate vos facere velle perhiberis: & oramus omnipotentem Dominum, vt sua vos misericordia protegat, & vota vestra vos implere concedat. Sed prædictus vir eloquentissimus peto vt simul veniat, qui si non venerit, à vestris obsequiis recedat: vel certè si vestra excellentia fortasse emergentibus causis venire nequiuerit, ipse tamen sanctæ Ecclesiæ vnitati communicet. Bonum enim virum audio, si pessimi non esset erroris.

xlv. Item Sereno Massilitano episcopo post multa. Peruenit ad me quòd dilectio tua libenter malos homines in societate vel consilio suo recipiat, adeò vt presbyterum quendam qui postquam lapsus est, & in suæ adhuc dicitur iniquitatis pollutione versari, familiarem habeat: quod quidem nos ex toto non credimus: quia qui talem recipit, scelera non corrigit, sed magis aliis talia perpetrare videtur dare licentiam. Sed ne fortè aliquid tibi surreptione, vel dissimulatione vt à te reciperetur, atque adhuc habeatur gratis suaserit: non solùm hunc à te longius expellere, verùm etiam excessus ipsius sacerdotali te zelo modis omnibus conuenit resecare: alios verò qui praui esse memorantur, paterna adhortatione à sua prauitate compesce, & ad vitam stude rectitudinis reuocare. Quod si (quod absit) salubri monitu eos videris in nullo proficere, & hos quoque curabis à te procul abiicere, ne prauitates eorum ex eo quòd recipiuntur, displicere minimè videantur, & non solùm ipsi inemendati remaneant, sed etiam eorum receptione alij corrumpantur. Et considera quàm & hominibus execrabile, & periculosum ante Dei sit oculos, si per eum à quo plectenda sunt crimina, nutriri vitia videantur. Hæc igitur dilectissime frater, diligenter attende, & ita agere stude, vt prauos salubriter corrigas, & scandalum de malorum societate, filiorum tuorum animis non inducas.

xlvj. Pro vnius culpa iudicari alium rectissimus iudex Gregorius minimè permittebat. Ideóque Godescalco duci Campaniæ scribens ait. Illa præpositorum solicitudo vtilis, illa est cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor sibi nil vindicat. Restringenda ergo sub ratione potestas est, nec quicquam agendum prius quàm concitata ad tranquilliratem mens redeat. Nam commotionis tempore iustum putat ira quod fecerit. Peruenit itaque ad nos, magnitudinem tuam vsque ad hoc esse impetu furoris impulsam, vt non solùm frangi ianuas monasterij sancti Archangeli, verùm etiam diripi exinde quod ibi inuentum est feceris. Insuper autem sic contra abbatem eiusdem monasterij diceris exarsisse, vt nisi occultans se iracundiæ tuæ tempore latuisset, non leue discrimen incurreret, denique ut metu tuo perterritus, de domo in qua se olim receperat, exire hucusque non audeat. Quod ne frustra fecisse forsitan videreris, fugam monachi ipsius, qui ad hostes abiit, ad eius (quantum ad nos perlatum est) crimen impingis, asserens quòd illius voluntate fugerit. Quod si ita est, contristamur, & valde sapientiam vestram miramur. Nam si licitum putatis vt aliorum culpa alij sit nociua, multi huic possunt crimini subiacere. Diuersorum enim nobilium serui, multarum ecclesiarum clerici, diuersorum monasteriorum monachi, multorum iudicum homines sæpe se hostibus tradiderunt. Ergo si hoc creditur, seruorum vtique Domini, clericorum episcopi, monachorum abbates, diuersorum fugacium iudices, omnes sub culpa sunt & crimine constituti. Nunquid & diebus magnitudinis tuæ multi de ciuitate in qua constitis, ad Longobardorum milites non fuga lapsi sunt? Et quis tantæ indiscretionis tantæque posit stultitiæ reperiri, vt eorum iniquitatem tibi æstimet applicandam?

xlvij. Libertatem vniuscuiusque hominis Gregorius contra iudicum insolentias liberis nihilominus vocibus defendebat. Vnde Leontio exconsuli post aliqua scribens ait: Si Libertinus in ista causa cautionis culpabilis inuenitur, de aliis causis quid pro se alleget, nescio: vnum tamen hoc bene atque constanter noui, quia & si quam rebus publicis fraudem fecit, substantia eius cædi debuit, non libertas. Nam in hoc quòd

liberi homines cæduntur; vel includuntur, vt taceam quòd omnipotens Deus offenditur, vt taceam quòd vestra opinio vehementer grauatur: piissimi tamen imperatoris nostri omnino tempora fuscantur. Hoc enim inter reges gentium, & Imperatores Romanorum distat, quòd reges gentium, Domini seruorum sunt: Imperator verò Romanorum, Dominus liberorum. Vnde & vos quicquid agitis, priùs quidem seruata iustitia, deinde custodita per omnia libertate agere debetis. Scriptum est enim: Quod tibi non vis fieri, vide ne alteri facias. Et per semetipsam veritas dicit: Quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis. In libertate ergò eorum qui vobis in discussione commissi sunt, vestram specialiter attendere debetis: & si ipsi à maioribus vestris iniuriari libertatem vestram non vultis, subiectorum vestrorum libertatem honorando custodite. Scimus enim qui dixit: Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Cuius quia verba non transeunt, sed per omnia implentur, metuamus quod iterum dicit: In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis. Quod autem gloria vestra existimat, quia si superbè, si crudeliter agimus despecto Deo, nobis hominem placamus: nullo modo. Nam ipse qui despicitur, eum contra nos quem despecto Deo placare volumus, irritat. Curemus ergo per omnia placare Deum, qui potens est, & iratos homines ad mansuetudinem reducere. Nam (sicut dixi) etiam mansueti homines indignante Deo ad iracũdiam prouocantur. Si autem dicitur, quia sine verberibus atque terroribus fraudes publicæ inueniri non possunt: hoc admittere poteram, si in ratiocinationum causa dominus Leontius non venisset. Nam verum est quia illi solent manibus excedere, qui in sensu & lingua deficiunt.

xlviij. Cunctorum iudicum cupiditates vel scelera Gregorius quasi camo frenóque pontificij sui, validissimis authoritatibus refringebat: & si quos dulciter à prauitate corrigere non valebat, scriptorum suorum redargutionibus publicabat. Vnde Romano exarcho Italiæ residenti Rauennæ scribit, inquiens: Apud excellentiam vestram prauorum audacia correptionis debet aculeos magis quàm defensionis inuenire solatium. Nam satis graue est, vt contingat illic habere prauarum actionum refugium, vnde disciplinæ debet prodire censura. Peruenit itaque ad nos, Speciosum quendam præsbyterum, qui causa poscente in monasterio à Ioanne fratre & Coepiscopo nostro fuerat deputatus, contra sui pastoris exinde voluntatem exiisse, & Ecclesiasticę constitutionis vigore despecto, antedicto Episcopo vestra fretum tuitione resistere. Quod quia excellentiæ vestræ sine dubio pulsat inuidiam, necesse est vt ab eius vos (habita discretione) debeatis tuitione suspendere: ne si nominis vestri occasione pastori suo inobedieris vel contumax fuerit: ad tempus vestros contra vos iudices defensare, atque excellentiam vestram hac ex re cogatur offendere, & nos pariter de vestra discordia contristari. Comperimus præterea (quod dici nefas est) quasdam mulieres quæ nunc vsque in religioso atque monachico habitu permanserunt, religiosam vestem deponere, & coniugibus (quod sine graui dolore referre non possumus) sociari. Sed hoc quidem vt licere vel attentare præsumant, fauoris vestri patrocinio fulciri dicuntur. Quod nos credere peruersitatis ipsius acerbitas non permittit. Petimus ergò vt in tanto vos peccato miscere nullatenus debeatis. Nam huiusmodi iniquitatem impunitam propter Deum nullo modo patimur remanere. Vnde iterum quæsumus vt excellentia vestra in talium se causarum defensione non misceat: ne & Deus suam defendat iniuriam, & inter nos aliorum pariat culpa discordiam. Item Venantio ex monacho patricio. Multi homines stulti putauerunt quòd si ad ordinem Episcopatus eueherer, te alloqui ac per Epistolas frequentare recusarem. Sed non ita est: quia ipsa iam loci mei necesitate compellor vt tacere non debeam. Et post pauca. Hac igitur consideratione compulsus, velis an nolis locuturus sum: quia omni virtute, aut te cupio saluari, aut de tua morte me eripi. In quo enim habitu fueris, recolis: & supernæ districtionis animaduersione postposita, ad quid sis delapsus, agnoscis. Culpam ergo tuam pensa dum vacat: districtionem futuri iudicis dum vales exhorresce, ne tunc illam amaram sentias, cùm eam iam nullis fletibus euadas. Et infrà: Teste Euangelio scis, quia diuina seueritas de ocioso sermone nos arguit, & de verbo inutili rationes subtiliter exquirit. Pensa ergo quid factura es de peruerso opere, si quosdam in iudicio suo reprobat de sermone. Ananias Deo pecunias vouerat, quas post diabolica victus persuasione subtraxit: sed qua morte mulctatus est, sapis. Si ille igitur mortis periculo dignus fuit, qui eos quos dederat nummos Deo abstulit: considera quanto periculo in diuino iudicio dignus eris, qui non nummos, sed temetipsum omnipotenti Domino, cui te sub monachico habitu deuoueras, subtraxisti. Quapropter si correctionis meæ verba secuturus audieris, quàm sint blanda & dulcia, in fine cognosces. Ecce (fateor) mœrens loquor, & facti tui tristitia addictus, edere verba vix valeo: & tamen animus tuus actionis suæ conscius, vix sufficit ferre quod audit: erubescit, confunditur, aduersatur. Si ergo ferre non valet verba pulueris, quid facturus est ad iudicium conditoris? Fateor tamen quia supernæ gratiæ esse misericordiam maximam credo, quòd te effugere vitam conspicit: & tamen adhuc ad vitam reseruat, quòd superbientem te videt, & tolerat. Cúmque Venantius in eadem apostasia permanens, obortis quibusdam simultatibus oblationes suas à Ioanne Syracusano Episcopo execratas cognosceret, contra Episcopum hostili more commotus est, eúmque non timuit Gregorio accusare. Cui ipse rescribit dicens: Multum nos ea quam direxistis, iam contristatos inuenit epistola, quòd inter vos & Ioannem fratrem & Coepiscopum nostrum (de quorum desiderabamus gaudere concordia) scandalum prodiisse cognouimus. Quæuis enim causa fuisset, non vsque ad hoc debuit furor erumpere, vt armati homines vestri (sicut audiuimus) in Episcopum irruerent, & diuersa hostili more mala committerent, atque vos hæc res à paterna interim charitate diuideret. Nunquid non poterat si quælibet contentio fuit, tranquillè disponi, vt nec partium vtilitas detrimentum, nec sentiret gratia læsionem? Cuius autem grauitatis, cuius sanctitatis, cuius mansuetudinis suprascriptus frater noster sit, non habemus incognitum. Ex qua re colligimus, quia nisi vis eum doloris nimia coegisset, ad hanc rem de qua vos contristatos asseritis, eius fraternitas nullatenus peruenisset. Nos tamen vbi hoc eo scribente comperimus, illico ei scripsimus, admonentes, vt & oblationes vestras, sicut antè, susciperet, & Missas in domo vestra non solùm celebrari permitteret, sed (si velitis) etiam ipse peragaret & cætera. Verùm Venantius cum Episcopo in concordiam rediens, cùm per vndecim annos à Gregorio multiplicibus literis exhortatus redire ad monachicum propositum detrectaret, in grauissimam ægritudinem cecidit: quod à Ioanne Syracusano Episcopo Gregorius audiens, recripsit dicens: Fraternitatis vestræ scripta suscepi, quæ mihi de dulcissimi filij mei domni Venantij ægritudine loquebantur, & cuncta erga eum qualiter acta sunt, enarrabant. Sed vno tempore auditis & illum desperare ac grauiter ægrotare, & in rebus orphanorum, filiorum scilicet eius, homines iniquos insistere, vix se in corde meo dolor capere poterat. Sed in hoc fuit solatium quòd lachrymæ mihi per gemitus erumpebant. Vestra igitur sanctitas primam quam debet curam negligere non debet, vt de anima eius cogitare debeat, exhortando, rogando, Dei terribile iudicium proponendo, ineffabilem eius misericordiam promittendo, vt ad habitum suum redire, vel in extremo debeat, ne ei reatus tantæ culpæ in æterno iudicio obsistat. Si quos tamen iudicum à suis prauitatibus inconuertibiles Gregorius aduertebat, eos scriptis propriis penes principes denotabat. Vnde Constantinæ Augustæ quæritur dicens: Dum in Sardinia insula multos esse gentilium cognouissem, eósque adhuc prauę gentilitatis more idolorum sacrificiis deseruire, & eiusdem insulæ sacerdotes ad prædicandum redemptorem nostrum torpentes existerent: vnum illuc ex Italiæ Episcopis misi, qui multos gentilium ad fidem Domino cooperante perduxit. Sed rem mihi sacrilegam nuntiauit, quia hi qui in ea idolis immolant, iudici præmium persoluunt, vt hoc eis facere liceat. Quorum dum quidam baptizati essent, & iam immolare idolis deseruissent, adhuc ab eodem insulæ iudice, etiam post baptismum præmium illud exigitur, quod dari prius pro idolorum immolatione consueuerat.

Priuatæ Missę etiam antiquitùs erãt in vsu.

uerat. Quem cùm prædictus episcopus increparet, tantum se suffragium promisisse respõdit, vt nisi de causis etiam talibus implerí non posit. Corsica verò insula tanta nimietate exigentium, & grauamine premitur exactionum, vt ipsi qui in illa sunt, eadém quæ exiguntur, complere vix filios suos vendendo sufficiant. Vnde fit, vt derelicta pia republica, possessores eiusdem insulæ ad nefandissimam Longobardorum gentem cogantur effugere. Quid enim grauius, quid crudelius pati possunt à barbaris, quàm vt constricti atque compressi suos filios vendere compellantur? In Sicilia autem insula Stephanus quidam marinarum chartularius, tanta præiudicia, tantàsque oppressiones operari dicitur inuadendo loca singulorum, atque dictione causarum per possessiones ac domos titulos ponendo, vt si velim acta eius singula quæ ad me peruenerunt, dicere, magno volumine hæc explere non possim. Quæ omnia serenissima domina solerter aspiciat, & oppressorum gemitus compescat. Et post pauca. Quę enim mentes, qualia viscera parentum esse possunt perpendite, quando filios suos distrahunt ne torqueantur. Qualiter autem miserendum sit filiis aliorum, hoc bene sciunt qui habent proprios. Vnde mihi breuiter hæc suggessisse sufficiat, ne si ea quæ in his partibus aguntur, pietas vestra non cognosceret, me apud districtum iudicem silentij mei culpa multaret.

xlix. Hinc est quòd huius Gregogorij tempore tot sacerdotes & laici per diuersas regiones miraculis coruscasse (dialogo teste) probantur, quot nunquam sub posterioribus pontificibus inueniri postea potuerunt.

Tantis igitur Ecclesiæ Dei felicitatibus hostis humani generis inuidens, nonnullos pontificum simúlque secularium iudicum ad eius inuidiam conflagrauit. Super quorum afflictione Ioanni Rauennati episcopo inter cætera queritur dicens: Peccatis meis hoc reputo, quia iste qui nunc interest, haud dubium quin Romanus exarchus, & pugnare contra inimicos nostros dissimulat, & nos facere pacem vetat: quanuis iam modò, etiam si velit, facere omnino non possumus: quia Ariulfus exercitum Auarith & Nodulfi habens, eorum sibi dari precario desiderat, vt nobiscum loqui aliquid de pace dignetur.

Item Sebastiano episcopo Sirmiensi post aliqua. Quæ, sanctissime frater, de amici vestri domni Romani persona in hac terra patimur, loqui minimè valemus: breuiter tamen dico, quia eius in nos malitia, gladio Longobardorum vincit, ita vt benigniores videantur hostes qui nos interimũt, quàm reipublicæ iudices, qui nos malitia sua rapinis atque fallaciis in cogitatione consumunt. Et vno tempore curam episcoporum atque clericorum, monasteriorum quoque & populi gerere, contra hostium insidias solicitum vigilare, contra ducum fallacias atque malitias suspectum semper existere: cuius laboris sit, cuius doloris sit, vestra fraternitas tantò veriùs pensat, quantò me qui hæc patior, puriùs amat.

Item Anastasio patriarchæ post multa. Quæ mala à barbarorum gladiis, quæ à peruersitate iudicum patimur, beatitudini vestræ narrare refugio, ne eius gemitum augeam, quem minuere consolando debueram.

Item Palladio Presbytero de monte Sina post plurima. Peto vt pro me orare debeas, quatenus omnipotens Deus, & à malis me spiritibus, & à peruersis hominibus custodire dignetur: quia in hac vitæ meæ peregrinatione mala me simul, & multa circundant, ita vt cum Psalmista iure dicam: In me transierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me. Circundederunt me sicut aqua tota die, circundederunt me simul.

Porrò Mauricio tunc auarissimo simúlque rapacissimo principi, suggestionibus inimicorum suorum funestissimam legem ferenti, vt nulli militum, qui videlicet in manu signatus fuisset, liceret conuerti, inter cætera sic respondit. Ad hoc potestas super omnes homines, pietati dominorum meorum cœlitus data est, vt qui bona appetunt, adiuuentur, vt cœlorum via largiùs pateat, vt terreste regnum cœlesti regno famuletur. Et ecce aperta voce dicitur, vt ei qui semel in terrena militia signatus fuerit, nisi aut expleta militia, aut pro debilitate corporis depulsus, Christo militare non liceat. Ad hæc ecce per me seruum vltimum suum & vestrum respondet Christus dicens: Ego te de notario comitem excubitorum, de comite excubitorum Cæsarem, de Cæsare imperatorem, & non solùm hoc, sed etiam patrem imperatorum feci. Sacerdotes meos tuæ manui commisi: & tu à meo seruitio milites tuos subtrahis? Respondè (rogo) piissime domine seruo tuo, quid venienti, & hæc dicenti responsurus es in iudicio Domino tuo? Et post pauca. Requirat ergo dominus meus quis prior imperator talem legem dederit, & subtilius æstimet si dari debuerit.

Item Theodoro medico, post aliqua: Peccatis, inquit, meis facientibus, ex quorum suggestione, vel consilio nescio talem in reipublica sua legem protulit imperator, vt nullus qui actionem publicam egit, nullus qui optio vel manu signatus, vel inter milites habitus est, ei in monasterio cõuerti liceat, nisi fortè militia eius fuerit expleta. Quam legem primùm (sicut hi dicunt qui leges veteres nouerunt) Iulianus protulit, de quo scimus omnes quantũ à Deo auersus fuerit.

l. Confortabat insaniam iudicum siue fouebat Ioannes tunc ex monacho regiæ vrbis antistes, qui eo tempore quo Gregorius à Pelagio præsule destinatus Apocrisarius penes Cõstantinopolin morabatur, fugere se summum sacerdotium quasi humiliter finxit: sed eo suscepto vsque adeò in superbiam dolosæ mentis excreuit, vt causa alia occasionem quærens synodum faceret, in qua se vniuersalem appellare conatus est. Quod mox papa Pelagius vt agnouit, directis epistolis ex authoritate sancti Petri Apostoli eiusdem synodi acta cessauit. Diaconũ, verò qui iuxta morẽ pro respõsis ecclesiasticis saciẽdis imperatoribus adhærebat, cũ eo missarũ solẽnia celebrare prohibuit. Cuius sententiam beatus Gregorius sequens, prædictum Ioannem sępe commonitum acquiescere differentem, sententia pari multauerat, omnibúsque pontificibus sub interminatione proprij honoris mandauerat, ne vnquam vniuersalis prophanum vocabulum aut scriberent, aut scriptum susciperent, aut vbi fuisset scriptum, subscriberent. Quapropter Ioannes multis fallaciis ad suam hypocrisin consensum auarissimi imperatoris redimens, obtinuit vt imperator Gregorio scriberet, quod sibi pacificus extitisset. Quapropter ipse imperatrici Constantinæ inter aliqua scribit dicens: Sabiniano diacono responsali meo scribente cognoui, in causis beati Petri Apostolorum principis contra quosdam superbè humiles, ficte blandos, quanta se iustitia vestra serenitas impendat. Vnde adhuc peto, vt nullius prævalere contra veritatem hypocrisin permittatis: quia sunt quidam qui iuxta egregij prædicatoris vocem, per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium: qui veste quidem despecti sunt, sed corde tument: & quasi in hoc mundo cuncta despicunt, sed tamen ea quæ mundi sunt, cuncta simul adipisci quærunt. Qui indignos se omnibus hominibus fatentur, sed priuatis vocabulis contenti esse non possunt: quia illud appetunt, vnde omnibus digniores esse videantur. Et post pauca.

lij. Præterea indico, quia piissimi domini scripta suscepi, vt fratri & consacerdoti meo Ioanni debeam esse pacificus. Et quidem sic religiosum dominum decuit, vt sacerdoti ista præciperet. Sed cùm se noua præsumptione atque superbia idem frater meus vniuersalem episcopum appellet, ita vt sanctæ memoriæ decessoris mei tempore scribi se in synodo tali hoc superbo vocabulo faceret: quanuis cuncta illius synodi, sede apostolica contradicente, soluta sint: triste mihi aliquid serenissimus dominus innuit, quòd non eum corripuit, qui superbit, sed me potius ab intentione mea declinare voluit, qui in hac causa, euangeliorum & canonum, humilitatis atque rectitudinis defendo veritatem. Qua in re à prædicto fratre & consacerdote meo contra euangelicam sententiam, contra beatum quoque Petrum apostolum, & contra omnes Ecclesias canonúmque statuta agitur. Sed est omnipotens Deus, in cuius manu sunt omnia, de quo scriptum est: Non est sapientia non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Et quidem sæpe satus sanctissimus frater serenissimo domino multa suadere conatur: sed bene noui quia tantæ illæ orationes eius & lachrymæ nil ei à quoquam contra rationem aut animam suam subripi permittunt.

Triste tamem valde est, vt patienter feratur, quatenus despectis omnibus prædictus frater & Coepiscopus meus solus conetur appellari Episcopus. Sed in hac eius superbia quid aliud nisi propinqua iam Antichristi tempora esse designãtur? Quia illum videlicet imitatur, qui spretis in sociali gaudio Angelorum legionibus, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, dicens: Super astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium: similis ero altissimo. Vnde per omnipotentem Dominum rogo, ne pietatis vestræ tempora permittatis vnius hominis elatione maculari: neque tam peruerso vocabulo vllum quoquo modo præbeatis assensum, atque in hac causa nequaquam me pietas vestra despiciat: quia & si peccata Gregorij tanta sunt, vt pati talia debeat: Petri Apostoli peccata nulla sunt, vt vestris temporibus pati talia mereantur. Vnde iterum atque iterum per omnipotentem Dominum rogo, vt sicut priores principes sancti Petri Apostoli gratiam quæsiuerunt, vos quoque hanc vobis & quærere, & seruare curetis, & propter peccata nostra, qui ei indignè seruimus, eius apud vos honor nullatenus minuatur, quod & modo vobis adiutor esse in omnibus, & postmodum vestra valeat peccata dimittere. Viginti autem iam & septem annos dicimus, quod in hac vrbe inter Longobardorum gladios viuimus: quibus quàm multa ab hac Ecclesia quotidianis diebus erogantur, vt inter eos viuere possimus, suggerenda non sunt. Sed breuiter indico, quia sicut in Rauennæ partibus dominorum pietas apud primi exercitum Italiæ sacellarium habet, qui caussis superuenientibus quotidianas expensas faciat: ita & in hac vrbe in causis talibus eorum sacellarius ego sum: & tamen hæc Ecclesia quæ vno eodemque tempore clericis, monasteriis, pauperibus, populo atque insuper Longobardis tam multa indesinenter expendit: ecce adhuc ex omnium Ecclesiarum afflictione premitur, quia de vnius hominis superbia multi gemunt, etsi dicere nil præsumunt.

liij. Auarissimo quoque principi Gregorius voce libera contradicit, post aliqua scribens: Ecce claues regni cœlestis haud dubium est quin Petrus accepit: potestas ei ligandi atque soluendi tribuitur: cura ei totius Ecclesiæ & principatus committitur, & tamen vniuersalis Apostolus non vocatur, & vir sanctissimus consacerdos meus Ioannes vocari vniuersalis Episcopus conatur. Exclamare compellor ac dicere, O tempora, o mores. Ecce cuncta in Europæ partibus Barbarorum iuri sunt tradita: destructæ sunt vrbes: euersa castra: depopulatæ prouinciæ: nullus terram cultor inhabitat: sæuiunt & dominantur quotidie in necem fidelium cultores idolorum: & tamen sacerdotes qui in pauimento & cinere flentes iacere debuerunt, vanitatis sibi nomina expetunt, & nouis ac profanis vocabulis gloriantur. Nunquid ego hac in re, piissime Domine, propriam causam defendo? Nunquid specialem iniuriam vendico? Causam omnipotentis Dei ago, causam vniuersalis Ecclesiæ. Quæro, quis est iste qui contra statuta Euangelica, contra canonum decreta, nouum sibi nomen vsurpare præsumit? Vtinam vel sine imminutione vnus sit, qui esse appetit vniuersus. Et certè multos Constantinopolitanæ Ecclesiæ in hæreseos voraginem cecidisse nouimus sacerdotes: & non solùm hæreticos, sed etiam hæresiarchas factos. Inde quippe Nestorius, qui mediatorem Dei & hominum Christum Iesum duas esse personas existimans, quia Deum hominem fieri potuisse non credidit, vsque ad Iudaicam perfidiam erupit. Inde Macedonius, qui consubstantialem Patri & Filio Spiritum sanctum, Deum esse denegauit. Si igitur illud nomen in ea ecclesia sibi quisquam arripit, vnde tot hæresiarchæ prodiisse noscũtur. Vniuersa ergo Ecclesia (quod absit) à statu suo corruit, quando is qui appellatur vniuersalis, cadit. Sed absit à Christianis cordibus nomen istud blasphemiæ, in quo omnium sacerdotum honor adimitur, dum ab vno sibi dementer arrogatur. Certè pro beati Petri Apostolorum principis honore per venerandam Chalcedonensem synodum Romano pontifici oblatum est: sed nullus eorum vnquam hoc singularitatis nomine vti consensit: ne dum priuatim aliquid daretur vni, honore debito sacerdotes priuarentur vniuersi. Quid est ergo quòd nos huius vocabuli gloriam & oblatam non quærimus, & alter sibi hanc arripere etiam non oblatam præsumit? Ille ergo magis est piissimorum dominorum præceptione flectendus, qui præceptis canonicis obedientiam præbere contemnit. Ille coërcendus est, qui sanctæ vniuersali Ecclesiæ iniuriam facit: qui corde tumet: qui gaudere de nomine singularitatis appetit: qui honori quoque vestri imperij se per priuatum vocabulum superponit. Ecce omnes hac de re scandalum patimur. Ad viam igitur rectam reuertatur author scandali, & omnia sacerdotum iurgia cessabunt. Ego enim cunctorum sacerdotum seruus sum, inquantum ipsi sacerdotaliter viuunt. Nam qui contra omnipotentem Deum per inanis gloriæ tumorem, atq; contra statuta patrum suam ceruicem erigit, in omnipotente Domino confido, quia meam sibi nec cum gladiis flectet. Quid autem nuper in hac vrbe ex huius vocabuli auditu gestum sit, Sabiniano Diacono ac responsali meo subtilius indicaui.

liiij. Item Ioanni Episcopo Constantinopolitano. Eo tempore quo fraternitas vestra in sacerdotali honore prouecta est, quantam Ecclesiarum pacem atque concordiam inuenerit, recolit: sed quo ausu quóve tumore nescio nouum sibi conata est nomen arripere, vnde omnium fratrum corda potuissent ad scandalum peruenire. Qua in re vehemẽter admiror, quia ne ad Episcopatum venire potuisses, fugisse te velle memini: quem tamen adeptum ita exercere desideras, ac si ad eum ambitioso desiderio decurrisses. Qui enim indignum te esse fatebaris vt Episcopus dici debuisses, ad hoc quandoque perductus es, vt despectis fratribus Episcopus appetas solus vocari. Et paulò post: Verè enim flens dico, atque ex intimo viscerum dolore peccatis meis reputo, quòd ille meus frater nunc vsque reduci ad humilitatem non valuit, qui ad hoc in Episcopatus gradu constitutus est, vt aliorum animas ad humilitatem reducat: quòd ille qui veritatem docet alios, semetipsum docere, nec me quoque deprecante consensit. Item post aliqua. Quis (rogo) in hoc tam peruerso vocabulo, nisi ille ad imitandum proponitur, qui despectis Angelorum legionibus secum socialiter constitutis, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, vt nulli subesse, & solus præesse omnibus videretur? Qui etiam dixit: In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Quid enim fratres tui omnes Ecclesiæ vniuersales Episcopi, nisi astra cœli sunt: quorum vita simul & lingua inter peccata errorésque hominum quasi inter noctis tenebras lucent? Quibus dum cupis temetipsum vocabulo elato præponere: eorumque nomen tui comparatione calcare: quid aliud dicis, nisi, In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum? An non vniuersi Episcopi nubes sunt, qui & verbis pluunt, & bonorum operum luce coruscant? Quos dum vestra fraternitas despiciens sub se premere conatur, quid aliud dicit, nisi hoc quod ab antiquo hoste dicitur. Ascendam super altitudinem nubium? Quæ cuncta ego cùm flens conspicio, & occulta Dei pertimesco iudicia: augentur lachrymæ, gemitus se in meo corde non capiunt: quòd ille vir sanctissimus Dominus Ioannes, tantæ abstinentiæ atque humilitatis, familiarium seductione linguarum ad tantam superbiam erupit, vt in appetitu peruersi nominis illis esse conetur similis, qui dum superbè esse Deo similis voluit, etiam donatæ similitudinis gratiam amisit: & veram beatitudinem perdidit, quia falsam gloriam quæsiuit. Certè Petrus princeps Apostolorum membrum sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ est: Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud quàm singularum sunt plebium capita? Et tamen sub vno capite omnes, membra. Atque vt cuncta breui cingulo locutionis astringam, sancti antè legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini, in membris sunt Ecclesiæ constituti, & nemo se vnquam vniuersalem vocari voluit. Vestra ergo sanctitas agnoscat quantum apud se tumeat, quæ illo nomine vocari appetit, quo vocari nullus præsumpsit, qui veraciter sanctus fuit. Item post pauca. Certè olim clamatur per Apostolum: Filioli, nouissima hora est. Et secundum quod veritas prædixit, pestilentia, & gladius per mundum sæuit: gentes insurgunt gentibus: terræ concutitur orbis: cum habitatoribus suis terræ dehiscentes soluuntur, omnia quæ prædicta sunt, fiunt. Rex superbiæ

superbiæ prope est: & (quod dici nefas est) sacerdotum ei præparatur exercitus, quia ceruici militãt elationis, qui positi fuerant vt ducatum præberent humilitatis. Sed hac in re etiam si nostra lingua minimè contradicat: illius virtus contra elationem erigitur, qui superbiæ vitio per semetipsum specialiter aduersatur. Et infra. Considerare vos conuenit, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam coinquinentur multi, quod tamen si nos considerare negligimus, contra tantæ elationis tumorem iudicia superna vigilabunt.

lv. Item Sabiniano diacono Constantinopolitano. De causa fratris nostri viri reuerendissimi Ioannis episcopi Constantinopolitani duas epistolas facere nolui: sed vna breuiter facta est, quæ vtrunque habere videretur admixtum, id est, & rectitudinem, & blandimentum. Tua itaque dilectio eam epistolam quam nunc direxi, pro voluntate imperatoris ei dare studeat. Nam de subsequẽti talis alia transmittetur, de qua eius superbia non lætetur. Ad hoc enim vsque peruenit, vt sub occasione presbyteri Ioannis gesta huc transmitteret, in qua se penè per omnem versum œcumenicum patriarcham nominaret. Sed spero in omnipotentem Deum, quia hypocrisin illius superna maiestas dissoluet. Miror autem quòd dilectionem suam fallere potuit, vt permitteres domino imperatori persuaderi, quatenus ad me de hac causa sua scripta transmitteret, in quibus admoneret vt cum eo pacem habere debuissem: qui si iustitiam tenere vult, illum debuit admonere, vt se à superbo vocabulo compesceret: & protinus inter nos pax fieret. Tamẽ qua calliditate à prædicto fratre nostro Ioanne factum sit, vt suspicor, minimè pensasti. Idcirco enim hoc ille fecit, vt aut audiretur dominus imperator, & ille in sua vanitate confirmatus esse videretur: aut non à me audiretur, & eius animus contra me irritaretur. Sed nos rectam viam tenebimus, nil in hac causa aliud nisi omnipotentem Dominum metuentes. Vnde tua dilectio in nullo trepidet. Omnia quæ in hoc seculo videt alta esse contra veritatem, pro veritate despiciat: & in omnipotentis Dei gratia atque beati Petri adiutorio confidat. Vocem veritatis recolat dicentis: Maior est qui in vobis est, quàm qui in hoc mundo. Et in hac causa quicquid agendum est, cum summa authoritate agat. Postquam enim defendi ab inimicorũ gladiis nullo modo possumus, postquam pro amore reipublicæ argentum, aurum, mancipia, vestésque perdidimus: nimis ignominiosum est vt per eos etiam fidem perdamus. In isto enim scelesto vocabulo contentire, nihil est aliud, quàm fidem perdere. Vnde sicut in transactis epistolis scripsi, nunquam eo procedere præsumas.

lvj. At verò Ioannes nouæ præsumptionis inuẽtor, vbi Mauricium Deo aduersum, Gregorio cum suis complicibus fecit insensum, cernens Constantinam imperatricem totis conatibus Romanæ Ecclesiæ seruanda priuilegia suadere: quantis valuit artibus incitauit, vt propter eam quam in honorem sancti Pauli apostoli in palatio ædificabat Ecclesiam, à Gregorio caput eiusdem Apostoli, aut aliud quid de ipsius corpore sibi dirigi postularet. Quam calliditatem beatissimus papa cognoscens, imperatricis animis taliter satisfecit. Dum illa mihi desiderarem imperari, de quibus facillimam obedientiam exhibens, vestram erga me gratiam potuissem amplius prouocare: maior me mœstitia tenuit, quod illa præcipitis, quæ facere nec possum, nec audeo. Nam corpora sanctorum Petri & Pauli apostolorũ tantis in Ecclesiis suis coruscant miraculis atque terroribus, vt neque ad orandum sine magno illuc timore possit accedi. Denique dũ beatæ recordationis decessor meus, quia argentum quod supra sacratissimum corpus beati Petri apostoli erat, longè tamẽ ab eodem corpore ferè quindecim pedibus, mutare voluit, signum ei nõ parui terroris apparuit. Sed & ego aliquid similiter ad sacratissimi corpus sancti Pauli apostoli meliorare volui: & quia necesse erat, vt iuxta sepulchrum eiusmodi effodi altius debuisset: præpositus loci illius ossa aliqua non quidem eidem sepulchro coniuncta reperit: quæ quoniam leuare præsumpsit, atque in alium locum transponere, apparentibus quibusdam tristibus signis subira morte defunctus est. Præter hæc autem sanctæ memoriæ decessor meus idem ad corpus sancti Laurentij martyris quædam meliorare desiderans, dum nescitur vbi corpus esset venerabile collocatum, effoditur exquirendo: & subitò sepulchrum ipsius ignoranter apertum est: & hi qui præsentes erant atque laborabant monachi & mansionarij, quia corpus eiusdem martyris viderũt, quod quidem minimè tangere præsumpserunt, omnes intra decem dies defuncti sunt, ita vt nullus vitæ superesse potuisset, qui semiustum corpus illius viderat.

Cognoscat autem tranquillissima domina, quia Romanis consuetudo non est, quando sanctorum reliquias dant, vt quicquam tangere præsumant de corpore, sed tantummodo in pyxide * brandeum mittitur, atque ad sacratissima sanctorum corpora ponitur: quod leuatum in Ecclesia quæ est dedicanda debita cum veneratione reconditur: & tantę per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illic specialiter eorum corpora deferantur. Vnde contigit, vt beatæ recordationis Leonis papæ tempore (sicut à maioribus traditur) dum quidam Græci de talibus reliquiis dubitarent, prædictus pontifex hoc ipsum brandeum allatis forficibus incidit, & ex ipsa incisione sanguis effluxit. In Romanis nanque vel totius occidentis partibus omnino intolerabile est atque sacrilegum, si sanctorum corpora tangere quisquam fortasse voluerit. Quod si præsumpserit, certum est quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit. Pro qua re de Græcorum consuetudine qui ossa leuare sanctorum se asserunt, vehementer miramur, & vix credimus. Nam quidam Græci monachi huc ante biennium venientes, nocturno silentio iuxta Ecclesiam sancti Pauli corpora mortuorum in campo iacentia effodiebant, atque eorum ossa recondebant, seruantes sibi dum recederent. Qui cùm tenti, & cur hoc facerent, diligenter fuissent discussi, confessi sunt quòd illa ossa ad Græciam essent tanquam sanctorum reliquias portaturi. Ex quorum exemplo (sicut prædictum est) maior nobis dubietas nata est, vtrum verum sit quòd leuari ossa sanctorum dicuntur. De corporibus verò beatorum Apostolorum quid ego dictu rus sum? Dum constet quia eo tempore quo passi sunt, ex Oriente fideles venerunt, qui eorum corpora sicut ciuium suorum repeterent, quæ ducta vsque ad secundum vrbis miliarium, in loco qui dicitur Catacumbas, collocata sunt. Sed dum ea exinde leuare omnis eorum multitudo conueniens niteretur, ita eos vis tonitrui atq; fulguris terruit ac dispersit, vt talia denuò nullatenus tentare præsumerent. Tunc autem exeuntes Romani eorum corpora qui hoc ex Domini pietate metuerunt, leuauerunt, & in locis quibus nunc sunt condita posuerunt. Quis ergo, serenissima domina, tam temerarius possit existere, vt hæc sciens, eorum corpora non dico tangere, sed vel aliquatenus præsumat inspicere? Dum igitur talia mihi à vobis præcepta sunt, de quibus parêre nullatenus potuissem: quantum inuenio, non vestrum est, sed quidam homines contra me pietatem vestram excitare voluerunt, vt mihi (quod absit) voluntatis vestræ gratiam subtraherent: & propterea quæsierunt capitulum de quo vobis quasi inobediens inueniret. Sed in omnipotente Deo confido, quia nullo modo benignissimæ vestræ voluntati surripitur: & sanctorum Apostolorum virtutem, quos toto corde & mente diligitis, non ex corporali præsentia, sed ex protectione semper habebitis. Sudarium verò quòd similiter transmitti iussistis, cum corpore eius est: quod ita tangi non potest, sicut nec ad corpus illius accedit. Sed quia serenissimæ dominæ tam religiosum desiderium esse vacuum non debet, de cathenis quas ipse sanctus Paulus apostolus in manibus & collo gestauit, ex quibus multa miracula in populo demonstrantur, partem vobis aliquam transmittere festinabo, si tamen hanc tollere limando valuero: quia dum frequenter ex cathenis eisdem multi veniunt, & benedictionem petunt, vt parum quid ex limatura percipiant, assistit sacerdos cum lima, & aliquibus petentibus ita concitè aliquid de cathenis eius excutitur, vt morã nulla sit: quibusdam verò petentibus diu per cathenas ipsas lima ducitur, & tamen vt aliquid exinde exeat, non obtinetur.

In quibus Gregorij veracibus vtique verbis apparet, quia lvij. vsque ad illa tempora pro reliquiis brandeum Romanus põtifex conferebat, cùm posteriori tempore de vestibus quæ

* prædicti, & sic deinceps.

Hinc colligere est Petrum Romæ fuisse.

sub altari sancti Ioannis in Basilica Constantiniana seruantur, particulae cœperunt, pro sacris reliquiis petentibus dari.

lviij. *Mira de vestibus Ioan. Euangelistae.* Quae quidem vestes vsque hactenus tantis miraculis coruscare probantur, vt siccitatis tempore foras excussae pluuiam conserant: inundationis verò, serenum reducant. Nam super haec quae per singulas Ecclesias faciunt, quae in oratorio domus meae in Subura positae per eas Deus omnipotens fecerit, non celabo. Nuper Adriani pontificis tempore visum mihi est vt altare sanctae Dei genitricis Mariae, quod extra oratorium sancti Ioannis in apertissimo atrio positum, congruis luminaribus honorari non poterat, intra oratorium locari debuisset. Accersitus ergo Gaudericus Veliternus (qui adhuc superesse videtur) Episcopus, cum hymnis & canticis ab altari veteri pyxidulas duas sigillatas excusit. Quarum alteram me deprecante nimium timoratus aperiens, de illis tunicis, quantum ex similitudine curiosis oculis potuit deprehendi, particulas reperit, quas solenniter sub nouo altari deposuit. *Antiquus luminarium vsus in Ecclesia.* Vbi extunc (sicut multi norunt qui adhuc superstites esse probantur) diuinitùs accensae lampades frequentiùs solito patuerunt. Nam ista octaua indictione in hebdomada ante dominici natalis diem, cùm ego super huiusmodi parum quid dubitarem, completis matutinalibus hymnis mansionarius candelam extinxit. Quam post vesperum succedere cupiens, accensam reperit: eámque se negligenter extinxisse perpendens, die alia sollicitius prorsus extinxit: & obseratis ianuis ad vesperum succensurus lampadem remeauit. Quam vbi nihilominus accensam reperit, ex conscientia seruatae à se clauis, & miraculo non diminuti olei, profectò cognouit, quia lampadem ille succenderat, qui ne oleum in ea diurna succensione minui potuisset, diuinitùs ampliarat.

Harum quidem vestium (sicut opinor) altera quae strictioribus manicis constat, veraciter sancti Ioannis est tunica, quam beatus Gregorius suo tempore quodam Episcopo deferente suscepit. Vnde Ioanni Abbati inter caetera scribit, dicens: De tunica sancti Ioannis omninò gratè suscepi, quia solicitus fuisti mihi indicare. Sed studeat dilectio tua mihi ipsam tunicam, aut (quod est melius) eundem Episcopum qui eam habet, cum clericis suis, & cum ipsa ad me transmittere: quatenus & benedictione tunicae perfruamur, & de eodem Episcopo vel clericis mercedem habere valeamus. Altera verò quae largioribus manicis, non tunica, sed planè videtur esse Dalmatica, nisi fallor, sancti Paschasij Apostolicae sedis Diaconi constat, qui iuxta quod idem beatus Gregorius in quarto dialogorum libro meminit, cùm temporibus Symmachi Papae fuisset defunctus, eius Dalmaticam feretro superpositam dæmoniacus tetigit, statimq; sanatus est. Sed quamobrem ambae vestes sancti Ioannis dicantur, ideo priscam consuetudinem obtinuisse crediderim, quòd sub eius altari consuetudinaliter recondatur. Nam quòd earum altera Ioannis Euangelistae, non autem Baptistae sit, nemo est qui dubitet: praesertim cùm omnis sapiens nouerit Baptistam camelorum pilis pro vestibus vsum fuisse, Euangelistam verò, qui per tot annos post passionem Domini pontificium gerens, Missarum solennia frequentissimè celebrabat, sine sacerdotalibus esse nequaquam vestibus potuisse. Si autem dicitur quòd tunica & dalmatica quia pontificalia sunt indumenta, vtraque sancti Ioannis credi debeant: considerandum est quia Gregorius Ioanni Abbati non dalmaticam, sed tunicam nominarit: qui si dalmaticam quoque sancti Ioannis fuisse sentiret, eius tunicam quærens consequenter habere se ipsius dalmaticam non taceret.

lx. Haec de sancti Ioannis vestibus, de quibus à quamplurimis dubitatur, me vtcunque in beati Gregorij gestis inseruisse sufficiat. Caeterùm Ioannes Constantinopolitanus hypocrita, qui ab vniuersalis nominis ambitione conuerti multis tergiuersationibus recusabat, iuxta eiusdem patris Prophetiam iudicia Domini super se vigilare cognoscens, post non multi temporis spatium subita morte defungitur: & cuius ambitiosam superbiam totus capere mundus vix poterat, in vnius sepulchri angustia facilè collocatur. Post cuius paulatim discessum, cùm Mauricius Imperator, sacerdotum videlicet Christi contemptor, pro Cyriaco qui Ioanni successerat, suaderet ne pro causa tam friuoli nominis Gregorius laboraret, ipse tam diu pontificatus sui authoritatibus restitit, quousque pestem vniuersalis nominis ab ipsis etiam subdolis adulatorum labiis penitùs abstulisset. Quapropter Eulogio Patriarchae Alexandrino post aliqua scribens ait: Indicare vestra beatitudo statuit, iam se quibusdam non scribere superna vocabula, quae ex vanitatis radice prodierunt: & mihi loquitur, dicens, sicut iussistis. Quod verbum iussionis, peto à meo auditu remouetè: quia scio qui sum, qui estis. Loco enim mihi fratres estis, moribus patres. Non ergo iussi, sed quae vtilia visa sunt, indicare curaui. Non tamen inuenio vestram beatitudinem hoc ipsum quod memoriae vestrae intuli, perfectè tenere voluisse. Nam dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid scribere debere: & ecce in praefatione Epistolae quam ad me ipsum qui prohibui, direxistis, superbae appellationis verbum, vniuersalem me Papam dicentes, imprimere curastis. Quod peto dulcissima mihi sanctitas vestra vltrà non faciat: quia vobis subtraliitur, quod alteri plusquam ratio exigit praebetur. Ego enim non verbis quaero prosperari, sed moribus: nec honorem meum esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus nanque honor est, honor vniuersalis Ecclesiae. Meus honor est, fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego verè honoratus sum, cùm singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim vniuersalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse quod me fatetur vniuersum. Sed absit hoc. Recedant verba quae vanitatem inflant, charitatem vulnerant. Et quidem in sancta Chalcedonensi synodo atque post à subsequentibus patribus hoc decessoribus meis oblatum vestra sanctitas nouit: sed tamen nullus eorum vti hoc vnquam vocabulo voluit: vt dum in hoc mundo honorem sacerdotum diligerent omnium, apud omnipotentem Deum custodirent suum.

EXPLICIT LIBER TERTIVS
vitae beati Gregorij Romani pontificis

INCIPIVNT CAPITVLA
Libri quarti.

1 De temperantia Gregorij.
2 Qualiter Ioanni Rauennati Episcopo vsum pallij mappularúmque subduxerit.
3 Quòd eidem suppliciter vsum pallij repetenti, quater in anno per plateas concesserat.
4 Vbi eidem pro diuersis vitiis increpato, diem suae vocationis praedixit.
5 Vbi Ioanne defuncto Rauennatem Ecclesiam visitatori committit: Mariniano Episcopo consecrato pallij vsum simili modo concedit.
6 Vbi Andrea supplicante pro pallio praecipit iusiurandum.
7 Quòd Mariniano consuetudinem pallij sicut conuenerat defendere non valente, Gregorius in sententia sua permanserit.
8 Quod pro vsurpatione campagarum diaconos Catanenses arguerit.
9 De Maximo Salonitanae Ecclesiae peruasore.
10 Qualiter authoritatem sui pontificatus cõtra tyrannum imperatorem defenderit.
11 Vbi contra votum imperiale Maximum cum suis complicibus excommunicans, Episcopos ipsius ad Ecclesiam reuerti coëgit.
12 Vbi Maximi causam Rauennae praecipit ventilari.
13 Vbi Maximus in terram procidens lachrymabiliter veniam petit.
14 Vbi Gregorius Maximo coram sancti Apollinaris corpore satisfacienti miserendum esse decernit.
15 Vbi Maximo humiliter satisfacienti communionis gratiam reddit, & pallium se daturum promittit.
16 Quàm didascalicis responsionibus superbum imperatorem terruerit.

17 Vbi

17 Vbi Mauricio in Gregorium saeuiente, mors per gladium imminet.
18 Vbi Mauricius poenitens videt in somnis se diuino iudicio cum vxore & filiis Phocae militi tradi.
19 Vbi seditione commota Mauricius Phocae iussu cum cuncta cognatione sua perimitur.
20 Vbi imagine augustali suscepta sapienter Mauricij vitia Phocae Imperatori dinumerat.
21 Vbi ei apocrisarium ex more transmittit.
22 Vbi pondere grandi remoto imperiale iugum leuius reddidisse fatetur.
23 Quòd ex consuetudine synodicam suam direxit, & quòd Orientales nullius in diptichis nomen suscipiant, donec synodicam fidei eius conouerit.
24 Quòd susceptis decretis Mediolanensium, eis episcopum ordinari consenserit.
25 Quòd Anastasium Antiochenum post multos annos throno reddiderit.
26 Quòd Adrianum Thebanum episcopum ordini suo restituens, diœcesim ipsius Alarici episcopi potestati subduxerit.
27 Quòd exceptis manifestis criminibus neminem de sacerdotio deposuerit, sed communione priuauerit.
28 Quanta districtione accusatorum lites iudicauerit, & qualia in ordinibus iudiciorum decreuerit.
29 Qualiter aliorum authoritates episcoporum sua authoritate confirmabat, non minuebat.
30 Quòd cunctis episcopis propria iura conseruans, executores dari, & iudices eligi ab accusatis voluerit.
31 Quòd falsarios delatores talione multauerit.
32 Quòd semel ingesta crimina indiscussa praeterire non passus sit, & qualibus poenis peccatorum accusatores multauerit.
33 Quòd consueta stipendia etiam infirmis clericis iusserit ministrari.
34 Quòd cautiones episcoporum suis clericis factas firmauerit, eisque quartas pleniter dari iusserit.
35 Quòd ab aliis obligatos absoluerit.
36 Quòd ab haeresi se purgantes receperit.
37 Quòd schismaticos ad suscipiendam satisfactionem Romam inuitare curauerit.
38 Quòd Seuerum Aquileiensem episcopum Rauennam venire coëgerit: qui postquam ad vnitatem rediit, denuò ad suum schisma recurrens, catholicósque sacerdotes affligens, causa perpetuae diuisionis suae diœcesis effectus est.
39 Quòd per aegritudinem corporis nemini successorem dederit, & quòd renuntiantibus suis sedibus successores nõ denegarit, eisque de sumptibus eiusdẽ commoda ministrari praeceperit.
40 Quòd stupratam in vxorem à stuprator e sumi iusserit.
41 Quòd virum iam tonsuratum coniugi reddi mãdauerit.
42 Quòd vim nullam Iudaeis inferendam statuerit.
43 Quòd Christianos eis subiici nulla occasione debere censuerit.
44 Quòd Christianos ei violenter auferri iubebat, quorum siqui auferri non poterant, redimi sanciebat.
45 Quòd eorum mancipia confugientia ad Ecclesiam reddi vetuerit.
46 Quòd pagana eorum mancipia venire ad fidem volentia non reddenda statuerit.
47 Quòd Iudaeorum mancipia suos dominos ad fidem praecedentia in eorum seruitium nullatenus redigendos indixerit: etiam si ipsi eos ad baptismatis gratiam sequerentur.
48 Quòd neminem circuncidi paganorum permiserit.
49 Quòd à Iudaeis munera non suscipienda decreuerit.
50 Qualiter Iudaei fuerint à Romanis pontificibus habiti.
51 Quòd Gregorius non obseruari sabbatum iusserit, & lauari die dominico permiserit.
52 Quantae compassionis extiterit in infirmitatibus Castorij, Eulogij, & Marinianí episcoporum siue Rusticianae patriciae.
53 Quòd pro barbaricis incursionibus litania fieri voluerit.
54 Quòd spiritum prophetiae habuerit.
55 Quòd peiora prioribus futura praedixerit.
56 Quòd neminem iniustè ab Ecclesia defendi permiserit.
57 Quòd confugientibus ad Ecclesiam sacramenta praestari iusserit de seruandis sibi iustitiis.
58 Quòd omnes sacerdotes, fratres & comministros, clericos autem caeteros dilectissimos filios, vtriusque verò sexus laicos dominos vocauerit.
59 Quòd tam fideli Theudelindae reginae, quàm suo subdiacono satisfecerit.
60 Vbi se indignum memorat reuelatione Dei.
61 Vbi se presbytero comparans, illum superiorem meliorémque pronuntiat.
62 Vbi se indignum alieno fauore fatetur.
63 Vbi monacho sibi procidenti se in terram prostrauit.
64 Quòd accusatus innocentiam suam exposuit.
65 Quid de fine seculi senserit.
66 Qualia de incommoditate vrbis scripserit.
67 Quòd ab hostilibus incursionibus ab exponendis libris destiterit.
68 De eius obitu & fastigiis argenteis ab eo paratis, necnon sepulturae ipsius loco vel titulo.
69 Qualiter aemulis libros eius incendere molientibus Petrus diaconus moriendo defenderit.
70 Quanta Claudius ex verbis eius notauerit, & quòd Gregorius multa dictauerit quae nunc nequeant inueniri.
71 Quòd duodecim epistolarum suarum libros reliquerit, ex quibus Adriani Papae tempore duo volumina videntur excerpta.
72 Quòd in diaconatu suo Moralia cœperit, & qualiter ea in episcopatu suo per libros digesserit, eáque Leandro Hispano episcopo roganti direxerit.
73 Quòd in episcopatus sui exordio librum regulae pastoralis Ioanni episcopo Rauennati exponens, imperitos compresserit.
74 Quòd per stationes discurrens quadraginta lectiones dictauerit, quas Secundo seruo Dei petenti mandauerit.
75 Qualiter dialogorum quatuor libros descripserit, quos postea Zacharias apostolicae sedis episcopus in Graecam linguam conuertit.
76 Quòd ciuibus suis petentibus primam & vltimam Ezechielis prophetiae partes per homilias viginti duas tractauerit.
77 Quàm humilia ipse de suis tractatibus senserit, quę à posteris doctoribus facetissima praedicantur.
78 Quòd libros suos in comparatione Augustini tractatuũ furfures nominans, quousque vixit legi vetuerit.
79 Quanta consideratione quotidie infirmitatem cordis sui cognouerit.
80 Quòd corpus eius à Gregorio quarto papa translatum sit, & de antiquitate ipsius, vel mediocritate, ac regulari specialitate.
81 Quòd Graecam nesciens, falsos tractatus suo nomine titulatos inuenerit.
82 Quòd monachi qui ab eo in Saxoniam missi sunt, sancti Benedicti regulis fuerant mancipati.
83 De formis & vestimentis patris & matris eius.
84 De forma & habitu siue disticho eius.
85 Quòd postea Saturninus monachus iuxta eius effigiem imagines apostolorum depinxerit.
86 De Ioanne praeposito, qui cum diabolo coram Christo conflixit: & de reuelatione atque terribili transitu ipsius.
87 De cruciatibus Andreae conductoris qui eum in eodem praeposito monasterij chartulas se vendidisse professus est.
88 De praesagio mortis Athanasij œconomi, qui consuetudines pauperum defraudauit.
89 De diabolo à monasterij claustro fugato, qui monachum iacentem percussit.

90 De visione monachi qui duodecim homines intra dies totidem morituros præuidit.
91 De Lucidi Ficulensis Episcopi conuersione & transitu.
92 De reuelatione monachi qui per excusationem lachrymarum cuiusdam inclusi presbyteri fratris sui sanitatem reuersionémque cognouit.
93 De dæmone à fundo Barbiliano excusso, qui conductorem & bubulcos occidens Caucum fuerat persecutus.
94 De visione Tetgaudi Treuerensis quondam Episcopi, qui à beato Gregorio pulsus est à monasterio.
95 De increpatione Faraldi qui à dæmonibus tota nocte suspensus est.
96 De Indulfo desertore monasterij à sene percusso, & de reuelatione clerici, & digressione supponis.
97 Cednico presbytero qui Gregorianum fontem detexerat, ligato & verberato, eiúsque miserabili transitu.
98 De modo monasterij & diuersitate ipsius redundationis, necnon miraculo multiplicati diuinitùs panis.
99 Quàm frequenter in diuersis locis Gregorius demonstretur.
100 De diuisione scriptoris qui ab æmulo terreri potuit, & à beato Gregorio meruit consolari.

EXPLICIVNT CAPITVLA
Libri quarti.

LIBER QVARTVS.

i. HAEC est Gregorij de refutatione omnis vniuersalis, plena rationis humilitatisque sententia: qua videlicet contra superbos prudenter vti nouerat serpentis astutia, & à columbæ simplicitate circa humiles minimè recedebat. Quapropter suæ temperantiæ conscius, Dominico Carthaginensi Episcopo post cætera, De Ecclesiasticis, inquit, priuilegiis quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat, quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua iura seruamus. Nec cuilibet fauente gratia vltra quàm meretur impartior, nec vlli hoc quod sui iuris est, ambitu stimulante derogo, sed fratres meos honorare per omnia cupio: sicque studeo honore singulos subuehi, dummodo non sit quod alteri iure ab altero possit opponi. Item Eulogio Alexandrino & Anastasio Antiocheno Patriarchis scribit dicens: Cùm prædicator egregius dicat: Quandiu quidem sum gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo: qui rursus aliàs dicit. Facti sumus paruuli in medio vestrum: exemplum proculdubio nobis sequentibus ostendit, vt & humilitatem teneamus in mente, & tamen ordinis nostri dignitatem seruemus in honore: quatenus nec in nobis humilitas timida, nec erectio sit superba & cætera. Quod Gregorius sicut ex præcedentibus ac subsequentibus manifestissimè colligi poterit, & fecit & dixit.

ij. Nam Ioannem Rauennatem Episcopum typo superbiæ pallium frequentantem, suósque præsbyteros ac diaconos in mappulis præcedere permittentem, primo per Castorium chartularium familiariter arguit: pòst ex consuetudine siue priuilegio sibi hæc concessa pertinaciter defendentem, tali sententia post nonnulla multauit. Vt enim, inquit, ea quæ superiùs dixi, breuiter colligam, admoneo quatenus nisi decessorum meorum munificentia tibi hæc per priuilegium attributa docueris, vti in plateis pallio vlterius non præsumas: ne non habere & ad Missas incipias, quod audacter & in plateis vsurpas. De secretario autem quod fraternitas tua resedisse cum pallio, & filios Ecclesiæ suscepisse se & fecit & excusauit, nunc interim nihil quærimus, quia synodorum sententiam sequentes, minores culpas quæ negantur, vlcisci recusamus. Hoc tamen quia semel & iterum sit factum, cognouimus. Fraternitas autē tua sit omnino solicita, ne hoc quod præsumptioni inchoanti adhuc ceditur, in proficiente deteriùs vindicetur. Et post pauca. Illud autem quod pro vtentis à clero vestro mappulis scripsistis, à nostris est clericis fortiter obuiatum, dicentibus nulli hoc vnquam aliæ cuilibet concessum fuisse Ecclesiæ: nec Rauennates clericos vel illic, vel in Romana ciuitate tale aliquid cum sua cōscientia præsumpsisse: nec si tentatum esset, ex furtiua vsurpatione sibi præiudicium generari, sed etiā si in qualibet Ecclesia hoc præsumptum fuerit, asserunt emendandum: quod non concessione Romani pontificis, sed sola surreptione præsumitur. Sed nos seruantes honorem fraternitati tuæ, licet contra voluntatem antedicti cleri nostri, tamen primis diaconis vestris, quod nobis quidam testificati sunt etiam ante eos vsos fuisse, in obsequio duntaxat tuo mappulis vti permittimus. Alio autem tempore, vel alias personas hoc agere vehementissimè prohibemus.

Synodorum generalium authoritas.

Quam sententiam vir vanæ gloriæ cupidissimus, molestissimè ferens, per quoscunque poterat vsum pallij sibi restitui magnopere flagitabat. Cui Gregorius ita scripsit: Fraternitatem vestram valde inuenio contristatam pro eo quod in litaniis induere pallium rationis censura prohibetur, sed per excellētissimum Romanum patricium, & per eminentissimum præfectum, atque per alios ciuitatis suæ nobiles viros importunè expetit vt hoc debeat concedi. Nos autem solicitè requirentes ab Adeodato quondam diacono fraternitatis tuæ cognouimus, quia nunquam consuetudo fuerit decessoribus tuis vt in litaniis pallio, nisi in solennitate beati Ioannis Baptistæ, beati Petri Apostoli, & beati martyris Apollinaris, vterentur. Cui quidem nequaquam credere debuimus: quia multi apud ciuitatem fraternitatis vestræ responsales sæpiùs fuerunt qui se fatentur tale aliquid nunquam vidisse: & hac de re multis potius credendum est, quàm vni pro sua Ecclesia aliquid attestanti. Sed quia nos fraternitatem vestram contristari nolumus, & petitionem filiorum nostrorum apud nos minimè frustrari: vsum pallij, donec subtiliùs veriúsque aliquid cognoscamus, in litaniis solennibus, id est, die natalitio beati Ioannis Baptistæ, beati Petri Apostoli, & beati Apollinaris martyris, atque in ordinationis vestræ celebratione cōcedimus. In secretario verò secundum morem pristinum susceptis ac dimissis Ecclesiæ filiis induere vestra fraternitas pallium debeat, atque ad Missarum solennia ita proficisci, & nihil sibi amplius ausu temerariæ præsumptionis arrogare: nedum in exteriori habitu inordinatè aliquid ambitur, ordinatè etiam quæ licere poterant amittantur.

iiij. Sed enim Ioannes ab inanis gloriæ ambitione freno Apostolicę moderationis coërcitus, ad detractationem pontificis totus conuertitur. Vnde prudentissimus pontifex sic eum admonet, dicens: Primum me hoc contristat, quia mihi fraternitas tua duplici corde describit, & alia blandimenta in epistolis suis exhibet, alia in lingua sua secularitèr ostēdit. Deinde graue mihi est quia irrisiones illas quas habere adhuc pueri notarij adhuc solent, vsque hodie frater meus Ioannes in lingua sua retinet. Mordēter loquitur, & quasi de tali astutia lætatur. Amicis præsentibus blanditur, de absentibus obloquitur. Tertio graue mihi & omnino execrabile est, quia seruis suis qua hora fuerit commotus, turpia crimina imponit, vt effœminati & adhuc grauiter hoc apertiùs vocentur. Post hoc accessit quòd disciplina ad vitam clericorum custodiendam nulla est, sed tātummodo clericis suis dominium exhibet, vltimum verò est, quòd tamen pondere elationis primum, quia de vsu pallij extra Ecclesiam, quod temporibus decessorum meorum facere nunquam præsumpsit, nunquam à decessoribus eius præsumptum est, sicut responsales nostri testantur, excepto nisi reliquiæ conderentur: quod tamen de reliquiis vnus tantummodo potuit inueniri qui diceret meis diebus in despectu meo cum summa audacia non solùm faciebat, sed etiam frequentabat. Ex quibus omnibus inuenio quia honor Episcopatus totus foras in ostensione est, non in mente. Et quidem ago omnipotenti Deo gratias, quia eo tempore quo ad me hoc peruenit, quod ad aures decessorū meorum nunquam peruenerat. Longobardi inter me & Rauennatem ciuitatem positi fuerunt. Nam ostendere forsitan hominibus habui, quantum scio esse districtus. Ne autem credas quia ego Ecclesiam tuam in aliquo grauari aut minui volo, recordare inter Missarum Romanorum solennia vbi Rauennas diaconus stabat, & require vbi hodie stat: & cognosces quia Rauennatem Ecclesiam honorarare desidero. Sed vt quicunque quodlibet

quodlibet ex superbia arripiat, hoc ego tolerare non possum: tamen hac de re iam diacono Constantinopolim scripsi, vt per omnes qui se etiam tricenos & quadragenos episcopos habent, requirere debeat sicubi iste vsus est, vt in litaniis cum paliis ambulent. Absit vt per me honor Rauennatis Ecclesię in aliquo minuatur. Hæc ergo omnia quæ superius dixi, frater charissime recogita: diem tuæ vocationis attende: quas rationes de sarcina episcopatus redditurus es, considera. Emenda illos mores notarij: vide quid in lingua, quid in actu episcopum deceat. Esto totus purus fratribus tuis. Nō aliud loquaris, aliud in corde habeas: nec appetas vltrà videri quā es, vt possis vltrà esse quàm videris.

v. Hæc quia Ioannes emendare superbiæ fastu despexit, eodem anno iuxta quod Gregorius ei prædixerat, diem suæ vocationis dum non attendit incurrit: & antè tumidus crepuit, quàm meruisset amictu palij saturari. Cuius rei gratia Gregorius visitationem Rauennatis Ecclesiæ Seuero Fieulino episcopo secundum consuetudinem prisca committens, Marinianum monachum familiarem suum Rauennatibus episcopum consecrauit: cui & pallium dirigit, scribens: Apostolicæ sedis beneuolentia, & antiquæ consuetudinis ordine prouocati, fraternitati tuæ quam in Rauennati Ecclesia gubernationis constat suscepisse officium, pallij vsum pręuidimus concedendum: quo non aliter vti te memineris, nisi in propria tuæ ciuitatis Ecclesia, dimissis iam filiis Ecclesię procedens à salutatorio ad sacra missarum solemnia celebranda. Peractis verò missis id in salutatorio rursum curabis deponere. Extra ecclesiam verò non aliter illo tibi, nisi quater in anno in litaniis quas ad decessorem tuum Ioannem expressimus, vti permittimus.

vj. Sed Marinianus clericorum suorum suggestionibus delinitus, tam per Andream virum magnificum quam per quoscunque poterat, restitui suæ Ecclesiæ vsum pallij flagitabat. Quapropter Gregorius Castorio Chartulario inter cætera scribit dicēs: Tua experientia nullius personam, nullius verba consideret: solùm Dei timorem & rectitudinem ante oculos habeat: & seniores personas, eiusdem Ecclesiæ archidiaconum, quem non suspicor pro alterius honore peierare, & alios antiquiores qui in sacris ordinibus ante Ioannis episcopi tempora fuerant, requirat, vel si qui maturiores sunt extra sacros ordines: & veniant ante corpus sancti Apollinaris: & tacto eius sepulchro iurent quæ consuetudo ante Ioannis episcopi tempora fuerit: quia sicut scis, idem vir multum prę-sumptor extitit, & multa sibi per superbiam conabatur arrogare: & quicquid à fidelioribus viris & grauibus iuratum fuerit, secundum indiculum qui subter annexus est, hoc volumus in eadem Ecclesia conseruari. Sed vide ne negligenter agas, ne quis fidem aut deuotionem tuam in hac causa corrumpat, Zelum enim tuum scio. Age follicitè, ita tamen, vt prædicta Ecclesia contra iustitiam non graueturſed vsus qui ante Ioannis episcopi tempora extitit, ei conseruetur. Personas autem non duas, vel tres ad satisfaciendū tibi, sed quantas antiquiores & grauiores inueneris require: vt neque quod vsus fuit antiquitùs eiusdem ecclesiæ denegemus, neque quod nouo ausu appetitum est, concedams. Sed omnia age blandè & dulciter, vt & actio tua districta sit, & lingua mitis. Iuro ego. N. per patrem & filium & spiritum sanctum inseparabilis diuinæ potentiæ Trinitatem, & hoc corpus beati Apollinaris martyris, me pro nullius fauore personæ, neque commodo aliquo interueniente testari: sed hoc scio & per memetipsum cognoui, quia ante tempora Ioannis quondam episcopi, Rauennas episcopus præsente apocrisario sedis Apostolicæ illo atque illo, illis & illis diebus consuetudinem vtendi pallio habuit: & non cognoui quia hoc latenter vel absente apocrisario vsurpasset.

vij. Hoc Gregorius per indictionem quartamdecimam iusiurandum præceperat. Quod quia, sicut rei exitus manifestat, deficientibus testimoniis per tres continuos annos infectum remāserat: iterum Marinianus suorum suggestione compulsus, vsum palij quem ex consuetudine sicut cognouerat vindicare non poterat, importunitate precum se posse recipere confidebat. Quapropter Gregorius in eadem sententia permanens eidem chartulario per indictionem secundam scribit dicens: Dum Florentinus Rauennatis Ecclesiæ diaconus apud nos pro reuerētissimo fratre & coepiscopo nostro Mariniano de vsu palij ageret, requisitus à nobis quæ esset antiqua consuetudo, respondit quòd in omnibus litaniis pallio Rauennas episcopus vteretur. Quod ita nō esse, & ab aliis didicimus, & ex epistolis Ioannis quondam episcopi, quas ei ostendi fecimus, euidenter apparuit: sed hoc asseruit: quod dicere iussus est. Nam tempore quo à te idem Ioannes quondam episcopus est inhibitus ne pallio inordinatè ac temerè vti præsumeret, scripsit nobis hanc fuisse priscam consuetudinem, vt ciuitatis ipsius episcopus pallio in litaniis solennibus vteretur, quarum tibi literarum exemplaria pro tua informatione transmisimus. Adeodatus verò prædictæ ecclesiæ diaconus dum apud nos tempore quo hīc fuit, similiter de eiusdem vsu pallij agere enixius studeret, volentes cognoscere veritatem, eum similiter quæ esset consuetudo curauimus requirendum. Qui vti credi sibimet suaderet, atque à nobis valeret quod petebat exigere, sub iureiurando testatus est antiquam consuetudinem fuisse, vt in quatuor aut quinque solennibus litaniis pallio ciuitatis suæ episcopus vteretur. Experientia ergo tua diligenter inuigilet, & cum omni solicitudine quot litaniæ solennes ab antiquitate fuerint requirat: nec eas solennes nominando requirere studeat, sed maiores: vt per hoc quod nobis præfatus Adeodatus diaconus testatus est, & prædicti Ioannis episcopi fatetur epistola, dum constiterit quantæ litaniæ solennes fuerint, quoties indui solebat in litaniis pallio cognoscentes, libentissimè concedamus. Sed hoc non ab illis perquirat, qui ab ecclesiasticis exhibentur: sed ab aliis quos sine fauore partis suæ esse cognouerit: & quæque solicita indagatione repererit, nobis subtiliter indicet: vt veritate, sicut diximus, cognita: fratris & coepiscopi nostri reuerentissimi Mariniani animos releuemus. At quia prisca consuetudo à nostratibus subtiliter inquisita, à Rauennatibus probari nullo modo potuit: Gregorium in sua sententia permansisse proculdubio illud ostendit, quòd neque ob hoc (quantum ex apicibus eius dinoscitur) à quodam solicitatus extitit, neque à semetipso commotus vlteriùs omnino rescripsit.

viij. Non solùm in magnis rebus Gregorius solicitudinis suæ oculos conuertebat, verùm etiam ne impunè præsumerentur quandoque maiora, hoc in rebus minimis curiosissimè prękauebat. Vnde Ioanni Syracusano episcopo scribit dicens: Ecclesiastici vigoris ordo confunditur, si aut temerè illicita præsumantur, aut impunè non concessa tententur. Peruenit itaque ad nos, diaconos Ecclesiæ Catanensis calceatos campagis † procedere præsumpsisse. Quod quia nulli hactenus per totam Siciliam licuit, nisi solis tantummodo diaconibus Ecclesiæ Misenensis, quibus olim à prædecessoribus nostris non dubitatur esse concessum, bene recolitis. Quia ergo tantæ temeritatis ausus non est leuiter attēdendus, cum omni hoc fraternitas vestra subtilitate perquirat: & si ita sicut ad nos peruenit inuenerit, vtrū à se vel alicuius authoritate hoc prę-sumpserit, nobis subtiliter innotescat: vt cognita veritate quid fieri debeat disponamus. Nam si negligenter ea quæ malè vsurpantur omittimus, excessus viam aliis aperuimus.

† al. producere.

ix. Interea Natali episcopo defuncto cùm Dalmatinorum generalitas Honoratum archidiaconum, quem ipse ex presbytero in diaconum conuerterat, sibi præficiendum concorditer elegissent, eorúmque decretum pontifex approbasset, factione Malchi episcopi rectoris apostolici patrimonij, manúque militari Maximus multis criminibus inuolutūs episcopatum Salonitanæ ciuitatis inuasit: Quod Gregorius audiens, Dalmatinis & Iadertinis episcopis ne illi manus imponerent, sub magna interminatione prohibuit. At verò Maximus qui episcopatus sedem contra canones inuaserat, etiam sacerdotium contra Deum per simoniacam hæresim ab episcopis duntaxat excommunicatis corruptis non timuit promereri, fauente sibi occasione temporis ex cupiditate simul insolentiáque Augusti, quem dispergendo facultates in vase Ecclesiæ adeò defensorem scelerum suorum effecit, vt à Gregorio non solùm frequenter postularet, quatenus indiscussam Maximi promotionem relinqueret, verum etiam Romam satisfacturum pro simoniaca hæresi aliísque criminibus ve-

nientem cum honore susciperet.

x. Gregorius verò faciem nullius contra veritatem custodiens, tam ipsum Maximum primò à missarum solenniis, pòst à communione corporiis & sanguinis domini nostri Iesu Christi, quousque suam præsentiam exhiberet, priuauit: Maximus autem imperialibus militiis fultus, post excommunicationem & missas cecinit, & sacramenta satis indignus accepit. Quapropter Constantinæ Augustæ post multa alia scribit, dicens: Salonitanæ ciuitatis episcopus me ac responsale meo nesciente ordinatus est: & facta res quæ sub nullis anterioribus principibus euenit. Quod ego audiens, ad eundem præuaricatorem, qui inordinatè ordinatus est, protinus misi: vt omnino missarum solennia celebrare nullo modo præsumeret, nisi prius à serenissimis dominis cognoscerem si hoc fieri ipsi iussissent. Quod ei sub excommunicationis interpositione mandaui: & contempto me atque despecto in audacia quorundam secularium hominum, quibus denudata sua Ecclesia, præmia multa præbere dicitur, nunc vsque missas facere pręsumit, atque ad me venire secundum iussionem dominorum noluit. Ego autem præceptioni pietatis eius obediens, eidem Maximo qui me nesciente ordinatus est, hoc quod in ordinatione sua me, vel responsalem prætermittere præsumpsit, ita ex corde laxaui, ac si me authore fuerit ordinatus. Alia verò peruersa illius, scilicet mala corporalia quæ cognoui, vel quia cum pecuniis est electus, vel quòd excommunicatus missas facere præsumpsit: propter Deum irrequisita præterire non possum, sed opto, & Dominum deprecor quatenus nihil de eo de his quæ dicta sunt valeat inueniri, & sine periculo animæ meæ causa ipsius terminetur: prius tamen quàm hæc cognoscantur, serenissimus dominus discurrente iussione præcepit, vt eum venientem cum honore suscipiam. Et valde graue est vt vir de quo tãta & talia nuntiantur, cùm antè requiri & discuti debeat, honoretur. Et si episcoporũ causæ mihi commissorũ apud piissimos dominos aliorum patrocinio disponantur, infelix ego in Ecclesia ista quid facio? Sed vt episcopi mei me despiciant, & cõtra me refugium ad seculares iudices habeant omnipotenti Deo gratias ago: peccatis meis deputo: hoc tamen breuiter suggero, quia aliquantulum expecto: & si ad me venire diu distulerit, exercere in eo districtionem canonicam nullo modo cessabo. In omnipotente autem Deo confido, quia longa piissimis dominis vita tribuetur, & nos sub manu vestra nõ secundum peccata nostra, sed secundum gratiæ suæ dona disponat.

xj. Hæc Gregorius dissimulatrici Augustæ. Cæterum eodem Maximo in sua præsumptione manẽte, consecratores atque omnes Dalmatinos & Iadertinos episcopos ab eius cõmunione sub exõmunione disiunxit: adeò vt ne nomen quidẽ Maximi inter sacra missarũ solennia memorarent. Quo facto ita omnes consternati sunt animo, vt sub pœnitentiæ satisfactione relicto Maximo veniã postularẽt. Vnde misericordissimus pontifex Sabiniano Iadertino episcopo scribens, Sicut, inquit, perseueranti culpæ debetur iure vindicta, ita resipiscentibus est venia concedenda. Nam vt res illa contra se meritò iracundiam excitare: sic hæc in sua prorsus dilectione solet concordiam propagare. Et ideo quia fraternitatem tuam à consortio & communione Maximi vbi te prius neglectus impulerat, in tantum postea grauitas sacerdotis ad animum reducta suspendit, vt eius sola nullatenus patereris esse segregatione contentus, nisi & in monasterij te claustra recipiens, dudum commissa desteres: eapropter in nostra te gratia à communione receptum esse non dubites. Nam quãtum nos prius culpa tuæ charitatis offenderat, tantum pœnitentia mitigauit.

xij. Itaque Maximus cernens tandem aliquando durum esse contra stimulum calcitrare, relictis imperialibus adminiculis per Gallinicum exarchum satis humiliter concedi sibi pœnitentiam simúlque veniã à Gregorio postulauit. Quem ipse Romam fatigari nolens, causam eius discutiendam Rauennę commisit Constantino Mediolanensi episcopo scribens: Maximus, inquit, Salonitanę Ecclesiæ preuaricator, postquã per potestates maiores seculi obtinere nil valuit, ad minores sese contulit: nobisque tam nimietate precum quàm attestatione bonorum operum præualere contendit. Ex qua re inhumanum credidi, si is qui se quasi multum timere me dicit, in aliquo me temperatiorem minimè inuenire potuisset: & ideò decreui vt reuerendissimus frater & coepiscopus noster Marinianus eius causam debeat in Rauennati vrbe cognoscere. Si autem persona eius suspecta forsitan habebitur, volumus vt vestra fraternitas, si ei laboriosum non est, ad eandem ciuitatem fatigare se debeat, & cum prædicto fratre in eodem iudicio pariter sedere. Quicquid autem vestræ vtrorunque sanctitati placuerit, scitote mihi modis omnibus placiturum: & vestrum ego iudicium meum deputo.

Inter hæc præuaricator Maximus anno septimo excommunicationis suæ post castigationes & flagella Gregorij ad cor reuertens, Rauennam petiit; & iactauit se tensus intra ciuitatem in media silice, clamans & dicens: Peccaui Deo, & beatissimo papæ Gregorio. Et agente eo pœnitentiam tribus horis, cucurrit Gallinicus exarchus & Castorius chartularius Ecclesiæ Romanæ cum Mariniano episcopo, & eleuauerunt eum de silice: qui etiam cœpit ampliorem pœnitentiam coram eis agere. Quod Gregorius vt audiuit, ad misericordiam protinus rediit, Mariniano episcopo inter cætera scribens: Qualis de causa Maximi fraternitatis vestræ voluntas sit, ac magis petitio, præsentium latore Castorio chartulario nostro renuntiante cognouimus. Idcóque si idẽ Maximus coram vobis & prædicto chartulario nostro de simoniaca hæresi præstito se sacramento purgauerit, atque de aliis ante corpus sancti Apollinaris tantummodo requisitus liberum se esse responderit: causam ipsius fraternitati vestræ de eo quòd excommunicatus missarum solennia agere præsumpsit, iudicio committimus qua debeat pœnitentia talis culpa purgari. Et ideo quicquid vobis secundum Deum placet, securi disponite: nec aliquid de nobis dubium habeatis. Nam quicquid à vobis hac de causa fuerit ordinatum, nos & gratè suscipimus, & libenter admittimus. Hortamur tamen vt debeatis esse soliciti, & ita quæ fienda conspicitis, tẽperetis, quatenus & illi (si ita videbitur) communionem præstetis, & vigoris ecclesiastici † genium congrua vt oportet dispensatione seruetis. Suprascriptum verò portitorem in præsenti: quid vobis cum eo sit agendum instruximus: à quo cuncta subtiliter addiscentes, sic vos in omnibus exhibete, vt in vestra solicitudine nostram fuisse præsentiam sentiamus.

xiij.

† *vel priuilegium.*

Item Castorio notario & chartulario Rauennæ, quantò tibi credi à nobis, & necessarias vides causas iniungi, tantò te magis strenuum debes, & solicitum exhibere. Proinde si Maximus Salonitanus præstito sacramento firmauerit se simoniaca hæresi non teneri, atque de aliis ante corpus sancti Apollinaris tantummodo requisitus innoxium se esse responderit, & de inobedientia sua pœnitentiã sicut deputauimus egerit: volumus vt ad consolandum illum epistolam quam ad eum scripsimus, vbi ei & gratiam nostram & communionem nos reddidisse signauimus, experientia tua dare debeat: quia sicut in contumacia persistentibus seueros esse nos conuenit, sic iterum humilitatis & pœnitentibus negare locum veniæ non debemus.

xiiij.

Cúmque Maximus penes corpus beati Apollinaris secundum iussum Gregorij de cunctis humiliter satis fecisset, Castorius chartularius consolatoriam ei epistolam præbuit, verbis Gregorij adserentem, Quanuis culpabilibus ordinationis tuæ primordiis grauem aliam per inobedientiam culpam addideris: nos tamen sedis Apostolicæ authoritatem eo quo decuit moderamine temperantes, nunquam contra te vsque ad hoc quod causa poscebat exarsimus: sed vt longius se ingratitudo nostra, quam tu tibi excitasti, produceret, credita nos solicitudo vehementer angebat: ne quædam illicita quæ de te audiramus, negligenter omittere videremur. Quæ si bene consideres, ipse te satisfacere differendo firmabas: atque ex hoc aduersum te zelum nostrum acriùs incitabas. At vbi salubri tandem consilio vsus, iugo obedientiæ humiliter submisisti, & dilectio tua pœnitentiam agens, digna se (vt deputauimus) satisfactione purgauit, redditam tibi gratiam fraternæ charitatis intellige, atque in nostro te receptum consortio gratulare: quia sicut

xv.

sicut perseuerantibus in culpa districtos, ita resipiscentibus nos benignos decet esse ad veniam. Postquam ergo fraternitas tua apostolicæ sedis communionem se reparasse cognoscit, personam ad nos transmittat quiæ pallium tibi deferendum ex more percipiat. Nam quemadmodum illicita perpetrari non patimur: sic ea quæ sunt consuetudinis, non negamus. Licet autem ad hæc concedenda dispensatio nos loci nostri vocauerit, multum tamen à nobis petitio dulcissimi atque excellentissimi filij nostri domini Gallinici exarchi vt temperantius erga te ageremus exegit: cuius charissimã misericordiam ac voluntatem, nec pertulimus, nec potuimus contristari.

xvj.

Præterea cupidissimus ac tenacissimis imperator, qui cõsuetudinibus antiquissimis dationes, legionum quoque milites frequentissimè (sicuti Romanorũ narrat historia) defraudabat, cernens Gregorium contra omnes mũdi strepitus augustalibus defensionibus (quarũ suffragio ad arcẽ pontificatus hũc se prouexisse iactabat) penitus nõ egere, imò canonicis authoritatib' sanctitatis ac prudẽtię suę virtutib' Christo propitio cunctis alta sapiẽtibus præualere: ad odiũ detractionémque famæ illius magis magísque conuersus est, liberalitatem pontificis, quia famelicis militibus tam ecclesiastica quàm publica frumenta diuiserat, subdolis assertionibus reprehendẽs. Cui Gregorius, vt pote qui prouectionem suam diuino iudicio in cuius nimirum manu corda regum consistentia, quocunque voluerit inclinantur, non caducis humanis fauoribus deputabat, voce libera contradicens, his eum responsionibus fregit, deturpauit, atque nonnulla de futuro Dei iudicio disserẽdo deterruit. In serenissimis, inquit, iussionibus suis dominorum pietas dum me de quibusdam redarguere studuit, parcendo mihi minimè pepercit. Nam in eis vrbanæ simplicitatis vocabulo me fatuum appellat. In scriptura etenim sacra cum in bona intelligentia simplicitas ponitur, vigilanter sæpe prudentiæ aut rectitudini sociatur. Vnde etiam de beato Iob scriptum est, Erat vir simplex & rectus. Et beatus Paulus apostolus admonet dicens: Estote simplices in malo, & prudentes in bono. Et per semetipsam veritas in euangelio admonet dicens: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ, esse valde inutile indicans, si aut simplicitati prudentia, aut prudentiæ simplicitas desit. Vt ergo seruos suos ad cuncta eruditos efficeret, esse eos & simplices sicut columbas, & prudentes vt serpentes esse voluit: quatenus in eis & colũbæ simplicitatẽ, serpentis astutia, & serpentis astutiam, columbæ simplicitas temperaret. Ego igitur qui in serenissimis dominorũ iussionibus ab Arnulfi astutia deceptus, non adiuncta prudentia simplex denuntior: constat proculdubio quia fatuus appellor. Quod ita esse ego quoque ipse confiteor. Nam si hoc vestra pietas taceret, causæ clamant, Ego enim si fuissem, ad ista toleranda quæ inter Longobardorum gladios hoc in loco patior, minimè venissem. In ea autem re quam de Arnulfo perhibui, quia toto corde venire ad rempublicam paratus fuit, dum mihi non creditur, etiam mentitus esse reprehendor. Sed & si facerdos non sum, scio grauem esse hanc iniuriam facerdoti, veritati seruiens, fallax credatur. Et dudum nouì, quia Nordulfo plus est creditum, quàm mihi, Leoni amplius quàm mihi. Et nunc eis qui esse ad medium videntur, plusquam meis assertionibus credulitas impenditur. Et quidem si terræ meæ captiuitas per quotidiana momenta non excresceret, de despectione mea atque irrisione lætus tacerem. Sed hoc me vehementer affligit, quia vnde ego crimen falsitatis tolero, inde Italia quotidie ducitur sub Longobardorum iugo captiua: dúmque meis suggestionibus in nullo creditur, vires hostium immaniter excrescunt. Hoc tamen piissimo domino suggero, vt de me mala omnia quælibet existimet: de vtilitate verò reipublicæ & causa ereptionis Italiæ non quibuslibet facilè pias aures præbeat, sed plus rebus quam verbis credat. Sacerdotibus autem non extrema potestate dominus noster citius indignetur, sed excellenti consideratione propter eum cuius sunt, eis ita dominetur, vt etiam debitam reuerentiam impendat. Nam in diuinis eloquiis sacerdotes aliquando dij, aliquando angeli vocantur. Et per Moysen de eo qui ad iuramentum deducendus est, dicitur: Applica illum ad deos: videlicet ad sacerdotes. Et rursum scriptum est: Diis non detrahes, scilicet sacerdotibus. Et Propheta ait: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est. Quid ergo mirum si illos vestra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens eos aut angelos, aut deos ipse etiam appellat Deus? Ecclesiastica quoque testatur historia, quia cum piæ memoriæ Constantino principi scripto oblatæ accusationes contra episcopos fuissent; libellos quidem accusationis accepit, & eosdem qui accusati fuerant episcopos conuocans, in eorum conspectu libellos quos acceperat incendit, dicens: Vos dij estis, à vero Deo constituti. Ite, & inter vos causas vestras disponite: quia dignum non est vt nos iudicemus deos. In qua sententia pię domine sibi magis ex humilitate, quàm illis aliquid præstitit ex reuerentia impensa. Ante eum quoque pagani in Republica principes fuerunt, qui verum Deum nescientes, deos ligneos & lapideos colebãt: & tamen eorũ sacerdotibus honorem maximum tribuebant. Quid igitur mirum si Christianus imperator veri Dei sacerdotes dignetur honorare, dum pagani (vt prædixi) principes honorem impendere sacerdotibus nouerunt qui diis ligneis & lapideis seruiebant? Hæc ego pietati dominorum non pro me, sed pro cunctis sacerdotibus suggerò. Ego enim peccator homo sum: & quia omnipotenti Deo incessanter quotidie delinquo, aliquod mihi apud tremendum examen illius esse remedium suspicor, si incessantibus quotidie plagis ferior. Et credo quia eundẽm omnipotentem Deum tantò vobis amplius placatis, quantò ei me malè seruientem districtè affligitis. Multas enim plagas acceperam: & superuenientibus dominorum iussionibus inueni consolationem quam non sperabam. Si possum, has celeriter plagas enumerò. Primò quòd mihi pax subducta est quam cum Longobardis in Tuscia positis sine vllo reipublicæ dispendio feceram. Deinde corrupta pace de Romana ciuitate milites ablati sunt. Et quidẽ alij ab hostibus occisi, alij verò Narniis & Perusiæ positi: vt & Perusia teneretur, Roma relicta est. Post hæc plaga grauior fuit aduentus Agilulfi, ita vt oculis meis cernerem Romanos more canũ in collis funibus ligatos, qui ad Franciam ducebantur venales. Et quia nos qui intra ciuitatem fuimus, Deo protegente manus eius euasimus, quæsitum est vnde culpabiles esse videremur: videlicet cur frumenta defuerint, quæ in hac vrbe diu multa seruari nullatenus possunt, sicut in alia suggestione plenius indicaui. Et quidem de memetipso in nullo turbatus sum: quia teste conscientia fateor, aduersa quælibet pati paratus sum, dummodo hæc omnia cum salute duntaxat animæ meæ euadam. Sed de gloriosis viris Gregorio præfecto, & Castorio magistro militum non mediocriter sum afflictus: qui & omnia quæ potuerunt fieri, nullo modo facere neglexerunt, & labores vigiliarum & custodiæ ciuitatis in obsidione eadem vehementissimos pertulerunt: & post hæc omnia graui dominorum indignatione percussi sunt. De quibus patenter intelligo, quia eos non sua acta, sed mea persona grauat, cum quo quia pariter in tribulatione laborauerant, post laborem pariter tribulantur. Quòd autem dominorum pietas illud mihi pauendum & terribile omnipotentis Dei iudicium intentat, rogat per eundem omnipotem Dominum, ne hoc vlterius faciat: nam adhuc nescimus quis ibi qualis sit. Quòd Paulus egregius prædicator dicit: Nolite iudicare ante tempus, donec veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Hoc tamen breuiter dico, quoniam peccator & indignus plus de venientis Iesu misericordia quàm de vestræ pietatis iustitia præsumo. Et sunt multa quæ de iudicio illius homines ignorant: quia fortasse quæ vos laudatis, ille reprehendet: & quæ vos reprehenditis, ille laudabit. Inter ergo omnia incerta ad solas lachrymas redeo, petens vt idem omnipotens Deus piissimum dominum nostrum, & sua hîc manu regat, & in illo terribili iudicio liberum ab omnibus delictis inueniat: & me ita placere, sine cessatione omnibus faciat, vt æternam eius gratiam non offendam.

Denique Mauricus imperator libertatẽ vocis tantis ponti- xvij.

ficis, reprehensionisque constantiam admiratus, quia de futuro Dei iudicio se terruerat, ad exercendam in eum tyrannidem prodire nitebatur, cùm protinus eodem anno vir quidam monachicis indutus vestimentis diuina quadam virtute commotus dextera spatham cepit, quam videlicet à foro vsque ad æneam statuam gladiatoris nudam circumferens, imperatorem gladio cunctis moriturum prædixit. Quod Mauricius vt audiuit, à tyrannide Gregorio inferenda semet continuit, & iudicium diuinum quod ei minatus fuerat, citò se subiturum tantò magis timuit, quantò Gregorium credidit non posse mentiri.

xviij. *Hæc reperiuntur apud Niceph. li. 18. hestor. Eccl. c. 38. & se.*

Mox itaque scripto preces compositas tam eidem quàm cunctis patriarchis episcopis, & monachis ciuitatum siue solitudinum pecunias multas, cereos & thymiamata destinauit, hoc potissimum deprecans, vt Domino supplicarent quatenus in hoc seculo merita suorum malorum reciperet: tantùm vt à futuris cruciatibus redimi meruisset. Cúmque hoc & ipse vehementiùs per multa tempora cum lachrymis postulasset, quadam nocte dormiens vidit apud æneam palatij portam se coram multo populo æneæ statuæ saluatoris assistere. Tunc vox terribilis facta est ex ipso incarnati verbi charactere dicens: Date Mauricium. Et capientes eum iudiciorum ministri posuerunt iuxta purpureum vmbiculum qui illic erat. Cui eadem vox characteris ait: Vbi vis reddam tibi mala quæ in hoc seculo perpetrasti? Ille respondit: Amator hominum Domine, & iudex iuste, hîc potius ea mihi, & non in seculo futuro retribue. Statim diuina vox iussit tradi Mauricium & Constantiam vxorem eius cum filiis & filiabus omniqúe cognatione ipsius Phocæ militi. Euigilans ergo Mauricius misit Parrochenum, & vocauit ad se Philippicum generum suum, quem dudum suspicatus fuerat imperium sibi velle subripere. At ille pro suspicione se perdendũ coniiciens, aduocatæ Gordiæ vxori suæ tanquam non se reuisuræ vltimum vale dixit: sacramentoque communionis acceptò, ad palatium venit: cubiculum imperatoris ingrediens, ad pedes eius procidit. Cui imperator assurgens ad pedes eius nihilominus corruit, dicens: Ignosce, deprecor, mihi: quia nunc profectò diuina reuelatione doctus cognoui, quòd nihil in me vnde suspicabar commiseris. Sed si quem in agminibus nostris cognoscis qui Phocas soleat vocari, dicito mihi. Et Philippicus diu apud se recogitans ait: Vnum Phocam cognosco, qui nuper procurator ab exercitu nuncupatus cõtradicebat tuo imperio. Cùm verò Mauricius de qualitate ipsius inquireret, Philippicus ait: Est quidem iuuenis, & temerarius: at timidus. Et Mauricius, Si timidus, inquit, profectò & homicida. Dúmque super huiusmodi titubaret, in crastinum Magistrianus ab eremitis quibus imperatis preces portauerat rediens, responsum retulit dicens: Deus recepta pœnitentia tua saluabit animam tuam: & cum sanctis te cum tota domo tua constituet: ab imperio verò cum ignominia & discrimine decides.

xix.

Quibus auditis Mauricius Deum glorificans pœnitentiam tenuit: sed à cupiditatis auaritia vsque adeò non recessit, vt exercitus in periculosis locis hyemaret, & transito Danubio victus sibi de Sclauorum regione periclitabundè quereret: ne videlicet alimenta publica manducarent: quod cum Petro prætori feralibus literis immineret, ille taxiarchis vocatis ait: Ninis mihi videntur grauia imperatoris præcepta, Romanos in aliena terra hyeme iubentia. Nam illi non obedire, sæuum est: & rursus obedire, sæuissimum. Nullum bonum parit auaritia: quia mater omnium malorum consistit: quia imperator languens, horum maximorum malorum causa Romanis efficitur. Exercitus itaque hoc per taxiarchas audito, ad seditionem conuertitur: exaltatúmque super clypeum Phocam centurionem exarchum acclamauerunt: fugatóque prætore Theodosio filio imperatoris, & Germano socero eius, dirigunt vt alter eorum sibi imperare studeret. Illi nullo modo consenserunt, imò hoc Mauritio retulerunt. At ille germanum perdere voluit, qui quoniam in Ecclesiam fugerat, filium tanquam proditorem sui consilij flagellauit: multósque hunc ab eadem Ecclesia extrahendum transmittens, nunquam permittitur, imò multis conuitiis à populo laceratus Marcionista hæreticus appellatur, & commoto intra Constantinopolim graui tumultu, Mauricius dissimulatò habitu cum vxore & filiis nocte dromonem conscendit: & fugiens apud sanctum Antononem venit. At verò Phocas cum exercitu in Septimum veniens imperator efficitur, à quo Mauricius cum vxore, filiis & filiabus penes Chalcedoniam iussus quemadmodum sibi denuntiatum fuerat, decollatur. Et quia oratio Gregorij qua illum petierat in terribili Dei iudicio liberum ab omnibus delictis inueniri, vacua esse non poterat: idem Mauricius id recepit quod meruit: & in cunctis suis incommodis Deum benedicens, à sempiterno supplicio meruit liberari.

Igitur septimo Calendarum Maiarum indictione sexta imago Phocæ & Leontiæ augustorum cum eorundem fauoralibus literis Romam delata est. Et post quam à clero & senatu acclamatum est eis in basilica Iulij, iussu Gregorij in oratorio sancti Cæsarij Lateranensi palatio constituto reponitur. Qui etiam Phocæ imperatori ita rescripsit: Gloria in excelsis Deo, qui iuxta quod scriptum est, mutat tempora, & transfert regna: & qui hoc cunctis innotuit, quod per Prophetam suum loqui dignatus est dicens, Quia dominatur excelsus in regno hominum: & cui voluerit, ipse dat illud. In omnipotentis quippe Dei incomprehẽsibili dispositione alterna vitæ mortalis moderamina consistunt: & aliquando cùm multorum peccata ferienda sunt, vnus erigitur, per cuius duritiam tribulationis iugo subiectorum colla deprimantur. Quod nos in nostra diutius tribulatione probauimus. Aliquando verò cùm misericors Deus mœrentia multorum corda sua decernit consolatione refouerè, vnum ad regiminis culmen prouehit, & per eius misericordię viscera in cunctorum mentibus exultationis suæ gratiam infundit. De qua exultationis abundantia irroborari nos citius credidimus, qui benignitatem vestræ pietatis ad imperiale fastigium peruenisse gaudemus. Lætentur cœli, & exultet terra: & de benignis vestris actibus vniuersæ reipublicæ populus nunc vsque vehementer afflictus hilarescat. Comprimantur iugo dominationis vestræ superbæ mentes hostium: releuentur vestra misericordia contriti ac depressi animi subiectorum. Virtus cœlestis gratiæ inimicis vos terribiles faciat, pietas subditis benignos. Quiescat felicissimis temporibus vestris in vniuersa republica prolata sub causarum imagine præda pacis. Cessent testamentorum insidiæ: donationum gratiæ violenter exactæ. Redeat cunctis in rebus propriis secura possessio: vt sine timore habere se gaudeat, quæ non sunt ab eis fraudibus acquisita. Reformetur iam singulis sub iugo pij imperij libertas sua. Hoc nanque inter reges gentium, & reipublicæ imperatores distat, quòd reges gentium, domini seruorum sunt: imperatores verò reipublicæ, domini liberorum.

xx.

xxj.

Cùm Phocas mandari sibi Romanæ sedis diaconum cum magna humilitatis reuerentia postularet, Gregorius ita rescripsit: Considerare cum gaudiis & magnis actionibus gratiarum libet quantas omnipotenti Deo laudes debemus, quòd remoto tristitiæ iugo, ad libertatis tempora sub imperiali benignitatis vestræ pietate peruenimus. Nam quod permanere in palatio iuxta antiquam consuetudinem apostolicæ sedis diaconum vestra serenitas non inuenit, non hoc meæ negligentiæ, sed grauissimæ necessitatis fuit: quia dum ministri omnes huius Ecclesiæ tam contrita asperáque tempora cum formidine declinarent atque refugerent, nulli eorum poterat imponi vt ad vrbem regiam in palatio permansurus accederet. Sed postquam vestram clementiam omnipotentis Dei gratia disponente ad culmen imperij peruenisse cognouerunt, ipsi quoque suadente lætitia ad vestra vestigia venire festinant, qui illuc prius accedere valde timuerant. Sed quia eorum quidem ita senectute sunt debiles, vt laborem ferre vix possint, quidã verò ecclesiasticis curis vehementer implicantur, & lator præsentium, qui primus omnium defensor fuit, bene mihi ex longa assiduitate compertus est vita, & fide ac moribus approbatus: hunc aptũ vestræ pietatis vestigiis esse iudicaui. Vnde eũ authore Deo diaconũ feci, & sub celeritate trãsmittere studui, qui cũcta quæ in his partibus agunt, inuẽto oportuno tẽpore valeat clemẽtiæ vestræ suggerere. Cui rogo vt serenitas vestra pias aures inclinare

inclinare dignetur: vt tantò nobis celerius valeat misereri, quantò afflictionem suam verius ex eius relatione cognouerit. Qualiter enim quotidianis gladiis, & quantis Longobardorum incursionibus ecce iam per triginta, & quinque annorum longitudinem premimur, nullis explere suggestionis vocibus valemus. Sed in omnipotente Deo confidimus, quia ea quæ cœpit consolationis suæ nobis bona perficiet: & qui suscitauit in republica pios dominos extinguet crudeles inimicos.

xxij.

Item Leontiæ augustæ. Quæ lingua eloqui, qui animus cogitare sufficiat, quantas de serenitate vestri imperij omnipotenti Deo gratias debemus, quòd tam dura longi temporis pondera ceruicibus nostris amota sunt, & imperialis culminis leue iugum rediit, quod libeat portare subiectis? Reddatur ergo creatori omnium ab hymnidicis angelorum choris gloria in cœlo: persoluatur ab hominibus gratiarum actio in terra, quia vniuersa respublica quæ multa mœroris pertulit vulnera, iam nunc consolationis vestræ inuenit fomenta. Vnde nobis necesse est omnipotentis Dei misericordiam enixius orare, vt cor vestræ pietatis sua semper dextera teneat, eiúsque cogitationes cœlestis gratiæ ope dispensẽt: quatenus tranquillitas vestra tantò rectius valeat sibi seruientes regere, quantò dominatori omnium nouerit verius deseruire. In amore catholicæ fidei fac. at defensores suos, quos fecit ex benigno opere imperatores nostros. Infundat in vestris mentibus zelum simul & mansuetudinem: pro pio semper feruore valeatis, & quicquid in Deo excedit, non in vltum relinquere: & si quid in vobis delinquitur, parcendo tolerare.

xxiij.

His Gregorus laudibus, aut ideò nouos principes demulcebat, vt audientes quales esse debebant, fierent mitiores qua Mauritius fuerat, cuius tot criminibus inuoluta tempora cognoscebant aut quia eos sibi suaque Ecclesiæ deuotissimos cernens, non eos ad tyrannidem rituros esse putabat. Qui sicut quorumlibet vitia liberis vocibus arguebat, & contra canones priscásve consuetudines venire neminem permittebat: ita quæ consuetudinis fuerant, nulli penitus denegabat. Nam mox vt episcopus apostolicæ sedis enituit, patriarchalibus sedibus suam synodicam destinauit, & postmodum Secundo seruo Dei incluso inter cætera scribit dicens: Hinc est vt quoties in quatuor præcipuis sedibus antistites ordinantur, synodales sibi epistolas vicissim mittant: in quibus se sanctam Chalcedonensem synodum cum aliis generalibus synodis custodire fateantur. Item Anastasio presbytero de Isauria post multa. Fratri nostro Cyriaco Constantinopolitanæ ciuitatis antistiti, qui nuper in Ioannis reuerendissimi episcopi loco ordinatus est nostra volumus scripta trasmittere: sed quia non est consuetudo vt prius quam ad nos eius synodica deferatur, ei scribere debeamus: idcirco nunc distulimus, postea autem indicabimus. Quam videlicet consuetudinem sicut nostri quoque qui ante biennium ab Adriano liberalissimo papa in sancta octaua synodo præfuere testantur: ita Orientales præcipuè retinent vsque hactenus sedes, vt in suis diptychis nullus pontificis nomen deferibant, quousque synodicam ipsius suscipiant, & tam diu defunctum pontificem inter viuentes annumerent, quandiu successor illius suas literas studuerit destinare.

xxiiij.

Hinc est nimirum quòd Gregorius à consuetudine prisca non discrepans. Ioanni subiacono rectori patrimonij Liguriæ scribit dicens: Quantò apostolica sedes Deo authore cunctis prælata constat ecclesiis, tantò inter multiplices curas & illa nos valde solicitat, vbi ad consecrandum antistitem, nostrum expectatur arbitrium. Defuncto igitur Laurentio Ecclesiæ Mediolanensis episcopo, sua nobis relatione clerus innotuit, in electione se filij nostri Constantij diaconi sui vnanimiter consensisse. Sed quoniam eadem non fuit subscripta relatio, ne quid quod ad cautelam pertinet omittamus, idcirco huius præcepti authoritate suffultum Genuam te proficisci necesse est. Et quia illic multi Mediolanensium coacti Longobardorum barbarica feritate consistunt: eorum te voluntates oportet conuocatis eis in commune perscrutari. Et si nulla ab diuersitas ab electionis vnitate disterminat, si quidem in prædicto filio nostro Constantio omnium voluntates atque consensus perdurare cognoscis, tunc eum à propriis episcopis (sicut antiquitatis mos exigit) cum nostrę authoritatis assensu solatiante Domino factas, õsecrari: quatenus huiusmodi seruata consuetudine, & apostolica sedes proprium vigorem retineat, & à seipsa concessa aliis sua non minuat. Sed cùm post annos aliquot Constantius functus insigniter põtificio, dormisset in Dominuo, clerus & plebs Mediolanensis Deusdedit diaconum eligentes, ab Agilulfo rege terrentur quatenus illum eligerent, quem Longobardorum barbaries voluisset. At illi decretum suum Gregorio dirigentes, consilium & licentiam petunt. Quibus ipse inter cætera sic rescripsit: Illud quòd vobis ab Agilulfo indicastis scriptum, dilectionem vestram non moueat. Nam quòd nos vtilitati vestræ salubriter consulere velimus in homine qui non à catholicis, & maximè Longobardis eligitur, nulla præbebimus ratione consensum: quia vicarius sancti Ambrosij indignus euidenter ostenditur, si electus à talibus ordinatur & post pauca. Vt igitur in ordinando Deusdedit diacono, qui à vobis electus est, nulla possit mora contingere, Pantaleonem notarium nostrum transmisimus, qui eum (vt moris est) annitente confessus nostri authoritate faciat consecrari.

xxv.

Ab aduersis potestatibus prægrauatos fortissimus miles Christi Gregorius viriliter defendebat: iniustéque deiectos non solùm inter depositos non habebat, verùm etiam pristinis gradibus authoritatis suæ priuilegio reformabat. Nam Anastasium antiochenum patriarcham, qui Ioannem Constantinopolitanum presulem voce libera reprehendens, imperatoris Iustini iussu detrusus in exilium, ab ipsis Ioannis papæ temporibus vsque ad sui pontificatus tempora permanebat, mox vt summum sacerdotium meruit, inter patriarchas eum reputans, scriptis talibus animauit. Præterea, inquit, sicuti patriarchis aliis paribus vestris, synodicam vobis epistolam direxi: quia apud me semper hoc estis, quod ex omnipotentis Dei munere accepistis esse, non quod ex voluntate hominum putamini non esse. Item eidem in alia epistola post nonnulla scribens: Fraternitati tuæ indico, quia à serenissimis dominis quantis valui precibus postulaui, vt vos honori proprio restitutos, ad sancti Petri apostolorum principis limina venire, & quousque ita Deo placuerit, hic mecum viuere cõcedat, quatenus dum vos videre meruero, peregrinationis nostræ tædium de æterna patria inuicem loquendo releuemus. Denique studiosissimus pater Gregorius tam diu penes Mauriciũ imperatorem suggestionibus suis imminuit, donec post multorum annorum curricula magnus Anastasius throno proprio redderetur. Cui congratulabundus rescripsit dicens: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: quia magnus ille fluuius qui quondam arentia Antiochiæ saxa reliquerat, ad propriũ alueum reuersus, subiectas & iuxta positas valles rigat: vt vnum trigesimum, aliud sexagesimum, aliud verò centesimum ferat fructum.

xxvj.

Adrianum Thebanæ ciuitatis episcopum à Ioanne primæ Iustinianæ & altero Ioanne Larissæo episcopis iniustè depositum, non solùm sedi propriæ reddidit, verùm etiam ipsius ecclesiam Romano iure defendens, à Larissei episcopi potestate subduxit, inter cætera dicens: Adrianum episcopum reperimus: & tuo contra sacerdotales mores odio laborasse, & nullo iure pecuniariis in causis eum fraternitatis tuæ cõdemnatum fuisse sententia. Quia igitur & ab antefato Ioanne primæ Iustinianæ episcopo contra ius canonésque depositus, honoris sui gradu carere non potuit: in suam eum reformari ecclesiam, atque in propriæ dignitatis ordinem decreuimus reuocari. Et cùm oportuisset ex eo te dominici corporis cõmunione priuari, quod admonitione sanctæ memorię decessoris mei contempta, per quam eum ecclesiãque eius quem de tui iuris ditione exemit, rursus in aliquid tibi iuris & ditionis seruare præsumpseris: tamen nos humanius decernentes, communionisque tibi sacramentum interim conseruantes, decernimus vt fraternitas tua ab eo ecclesiãque eius omnem antehabitam potestatem iurisdictionis abstineat, sed secundum scripta decessoris nostri siqua causa vel fidei vel criminis vel pecuniaria aduersus præfatum Adrianum cõlacer-

dotem nostrum potuerit euenire: vel per eos qui nostri sunt vel fuerint in vrbe regia responsales, si mediocris est quæstio, cognoscatur: vel hunc ad apostolicam sedem, si est ardua, deducatur: quatenus nostræ audientiæ sententia decidatur. Quòd si contra hæc quæ statuimus, quolibet tempore, qualibet occasione vel surreptione venire tentaueris: sacra te cõmunione priuatum, nec eam te excepto vltimo vitæ tuæ tẽpore, nisi concessa Romani pontificis decernimus iussione recipere. Hoc enim consona sanctis patribus definitione sancimus, vt qui sacris nescit obedire canonibus, nec sacris administrare vel communionem capere sit dignus altaribus.

Item Ioanni episcopo primæ Iustinianæ. Post longas tribulationes quas Adrianus Thebanæ ciuitatis episcopus à consacerdotibus suis velut ab hostibus pertulit, in Romanam ciuitatem confugit: & licet aduersus Ioãnem Larissæum episcopum eius fuisset prima suggestio, non ab eo in causis peccuniariis lege esse iudicatum, tamen post hoc magis contra personam fraternitatis tuæ, à qua non iustè sacerdotij gradu se flagitabat esse deiectum, grauissimè querebatur. Et infra. Quod verò, inquit, ad præsens attinet, cassatis prius atque ad nihilum redactis prædictæ sententiæ tuæ decretis, ex beati Petri apostolorum principis authoritate decernimus triginta dierum spatio sacra te communione priuatum, ab omnipotente Deo nostro tanti excessus veniam cum summa pœnitentia lachrymis exorare. Quod si hanc sententiam nostram te cognouerimus implesse remissius, non iam tantùm iniustitiam, sed & contumaciam fraternitatis tuæ cognoscas adiuuante Domino seuerius puniendam. Præfatum verò Adrianum fratrem & coepiscopum nostrum ex tua sententia (vt diximus) nequaquam canonibus atque legibus subsistente damnatum, in suum locum atque ordinem reuerti Christo comitante disponimus: vt nec illi fraternitatis tuæ noceat contra iustitiæ tramitem prolata sententia, nec charitas tua pro placanda futuri indignatione iudicis incorrecta remaneat.

xxvij. Hinc est quòd exceptis criminibus neminem de sacerdotio Gregorius deponebat, imò pro qualitatibus delictorum venialiter communione priuabat. Vnde Ioanni episcopo Calliopolitano post aliqua scribens ait: Matriculam quam frater & coepiscopus noster Andreas Tarentinus episcopus fecit fustibus castigari, quanuis exinde post octo menses hanc obisse non credamus, tamen quia eam contra propositi sui ordinem huiusmodi fecit affligi, duobus hunc mensibus à missarum solennitate suspende: vt vel hæc eum verecundia qualẽ se deceẽtero exhibere possit, instituat.

xxviij. Si quando super sacerdotum criminibus erat aliquid ventilandum, cum summa districtione grandíque cautela Gregorius vnius cuiusque capituli modulos quærens, sententiam suam magis difficulter quàm faciliter promulgabat. Vnde Natali Salonitano episcopo scribens ait: Dum cuncta negotia indagandæ solicitudine veritatis indigeant, cùm quæ ad deiectionem sacerdotalium pertinent graduum, sint districtiùs trutinanda: in quibus non tam de humilibus costitutis, quàm diuinæ quodammodo benedictionis refragatione tentatur. Nuntiatum siquidem nobis est, Florentium Epitauranẽ ciuitatis episcopum à quibusdam fuisse in causis criminalibus accusatum, & nullis canonicis probationibus exquisitis, nec sacerdotalis consilij præueniente iudicio, eum honoris officio non authoritate sed iure depositum. Quia ergo non potest quenquam ab episcopatus gradu, nisi iustis ex causis, concors sacerdotum summouere sententia: hortamur fraternitatem vestram, vt præfatum virum ex eodem in quod detrusus est eiici faciatis exilio: causámque eius episcopali disceptatione perquiri: & si in his in quibus accusatus est, canonica fuerit probatione conuictus, canonica proculdubio est vltione plectẽdus. Quod si aliàs quàm de eo æstimatum est, synodali fuerit inquisitione compertum, necesse est vt & criminatores, iusti districtionem iuris exhorreant, & in criminatis innocentiæ suæ seruentur illibata suffragia. Executionem verò antefati negotij Antonio subdiacono nostro ex nostra præceptione mandauimus, quatenus eius instantia & quæ sunt legibus canonicis placita, decernantur, & decreta iuuante Domino mancipentur effectui. Item Constantino episcopo Mediolanensi. Relectis epistolis quas ad nos per Maurinum latorem præsentium transmisistis, gratiam nobis solicitudinem vestram fuisse rescripsimus; quod eam quæ ad vos de fratre & coepiscopo nostro Pompeio (qui à nobis ita est nominandus) peruenit, causam dissimulare minimè pertulistis. Sed qualis fuit in requisitione cura, si talis fuisset in discussione subtilitas, nihil ex hoc quod de eo dictum est, fuisset ambiguum, sed vtrum verum an esset compositum, patuisset: quia iam contra ipsum dudum in Sicilia apud reuerendę memorię fratrem nostrum Maximianum episcopum talis quæstio (vt cognouimus) mota est. Sed quia causa ipsius subtili omnino inuestigatione quæsita est, inuentus est innocens, qui fuerat accusatus in crimine. Nunc igitur quoniam illa quæ contra eum dicta sunt, nõ sub illa qua decuit districtione quæsita sunt: & gesta quæ exinde apud fraternitatem vestram confecta sunt, neque ad condemnationem neque ad absolutionem eius probantur posse sufficere: non leuis res agitur, vt incautè vel in transcursu debeat diffiniri. Nam graue est satis & indecens, vt in re dubia certa dicatur sententia. Et hæc quidem gesta esse poterant ad diffiniendum idonea, si accusati ea confessio sequeretur, si tamen eandem confessionem subtilitas examinis ex occultis eliceret, & nõn afflictio vehemens extorqueret; quæ frequenter hoc agit, vt noxios se fateri etiam cogantur innoxij. Nam postquam præfatus episcopus (vt dicitur) cruciari custodia, cremaríque fame se asserit: scire debetis, si ita est, vtrum noceat si sic fuerit extorta confessio. Nunquid quando sententiam tales causæ sucipiunt, & ad sedem apostolicam appellatur, non & persona quæ iudicatur, præsens est, vt districtissimè atque ab omni latere veritas requiratur: vt tunc si debeat nécne manere sententia, decernatur. Necnon & si prædictus episcopus ad sedem apostolicam appellare voluerit, causa ipsius interius & cum omni est diligentia perscrutanda: & ideo postquam & persona absens est, & gesta quæ ad nos transmisistis, nobis (sicut præfati sumus) idoneè satisfacere non videntur: temerè aliquid de episcopi persona decernere nec debemus, nec possumus: ne (quod absit) reprehensibiles inueniamur in nostris, quibus aliorum iure competit retractare sententias.

Item Ioanni defensori post aliqua: Quia, inquit, Stephanus episcopus in odio suo quædam ficta de falsis de capitulis accusarum, neque aliquid ordinabiliter factum, & iniustè se asserit condemnatum, diligenter quærendum est, primò si iudicium ordinabiliter est habitum, si alij accusatores, alij testes fuerunt: deinde causarum qualitas, si digna exilio vel depositione fuit, si eo præsente sub iureiurando contra eum testimonium dictum est, si scriptis actũ est, si ipse licentiam respõdendi & defendendi se habuit. Sed & de personis accusantium ac testificantium subtiliter quærendu est, cuius conditionis, cuiusq; opinionis, aut ne inopes sint, ne fortè aliquas contra præfatum episcopũ inimicitias habuissent: vtrum testimoniũ ex auditu dixerut, aut certè se scire testati sunt: si scriptis iudicatũ est, & partibus pręsentibus sentẽtia recitata est. Quod si fortè hæc solẽniter acta nõ sunt, neq; causa probata quæ exilio vel depositione digna sit: in ecclesiam suam modis omnibus reuocetur.

Authoritatẽ quorumlibet summorum pontificum Gregorius authoritatis suæ magnitudine nullo modo minuebat, quin potius multipliciter roborabat: quanuis inter culpabiles authoritatẽ sui prioratus cognosceret, tamẽ inter insontes episcopos se præbebat prorsus æqualẽ. Quapropter Ioãni Syracusano episcopo inter cætera scribens ait: Quod primus Bizacenus à suis episcopis impetitus, se sedi apostolicæ dicit subiici: si qua culpa in episcopis inuenitur, nescio quis ei episcopus subiectus non sit. Cùm verò culpa non exigit, omnes episcopi secundum rationem humilitatis æquales sumus, & cætera. Item in libro regulæ pastoralis, Liquet, inquit, quòd omnes homines natura æquales genuit: sed variante meritorũ ordine, alios aliis culpa postponit. Ipsa autẽ diuersitas quę accessit ex vitio, diuino iudicio dispẽsat: vt quia omnis homo æquè stare nõ valet, alter regat ab altero. Vnde cũcti qui pręsunt, nõ in se debent potestatẽ ordinis, sed æqualitatẽ pẽsare cõditionis: nec pręesse hominib' gaudeãt, sed prodesse. Antiqui

qui etenim patres nostri non reges hominum, sed pastores pecorum fuisse memorantur. Et cùm Noë Dominus filiisq; eius diceret, Crescite & multiplicamini, & replete terram: protinus adiunxit: Et terror vester ac tremor sit super cũcta animalia terrę. Quorũ terror ac tremor quia esse super animalia terrę pręcipitur, profectò super homines esse prohibetur. Homo quippe brutis animalibus, non autem hominibus cæteris natura prælatus est: & idcirco ei dicitur vt ab animalibus & non ab homine timeatur: quia contra naturam superbire, est, ab æquali velle timeri: & tamen necesse est vt rectores à subditis timeantur, quando ab eis Deum minimè timeri deprehendunt: vt humana saltem formidine peccare metuant, qui diuina iudicia non formidant. Nequaquam tamen præpositi ex hoc quæsito timore superbiant, in quo non suam gloriam, sed subiectorum iustitiam quærunt. In eo enim quòd metum sibi à peruersè viuentibus exigunt, quasi non hominibus sed animalibus dominantur: quia videlicet ex qua parte bestiales sunt subditi, ex ea debent etiam formidini iacere substrati. Sed plerunque rector eo ipso quo cæteris præminet, elatione cogitationis intumescit: & dum ad vsum cuncta subiacent, dum ad votum velociter iussa complentur, dum omnes subditi siqua bene gesta sunt laudibus efferunt, malè gestis autem nulla authoritate contradicunt, dum plerunque laudant etiam quæ reprobare debuerant: seductus ab his quæ infra suppetunt, super se animus tollitur: & dũ foras immẽso fauore circundatur, intus veritate vacuatur: atque oblitus sui, in voces se spargit alienas: talemque se credit, qualem foris audit, non qualem intus decernere debuit: Subiectos despicit, eósque æquales sibi ordine naturæ non agnoscit: & quos forte potestatis excesserit, transcendisse etiam vitæ meritis credit. Cunctis se æstimat ampliùs sapere, quibus se videt ampliùs posse. In quodam quippe se constituit culmine apud semetipsum: & qui æqua cæteris naturæ conditione constringitur, ex æquo cæteros respicere dedignatur: sicque vsque ad eius similitudinem ducitur, de quo scriptũ est: Omne sublime videt, & ipse est rex super omnes filios superbiæ. Qui singulare culmen appetens, & socialem angelorum vitam despiciens, ait: Ponam sedem meam ad aquilonem, & ero similis altissimo. Miro ergo iudicio intus souеam deiectionis inuenit, dum foris se in culmine potestatis extollit. Apostatę quippe angelo similis efficitur, dum homo hominibus esse similis designatur. Sic Saul post humilitatis meritum in tumorem superbiæ culmine potestatis excreuit. Per humilitatem quippe prælatus est, & per superbiam reprobatus; Domino attestante, qui ait: Nonne cùm esses paruulùs in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israël? Paruulum se prius in suis oculis viderat, sed fultus temporali potentia iam se paruulum non videbat. Cæterorum nanque comparationi se præferens, quia plus cunctis poterat, magnũ se pręomnibus estimabat. Miro autẽ modo cũ apud se paruulus, apud Deũ magnus: cũ verò apud se magnus apparuit, apud Deũ paruulus fuit. Plerunq; ergo dũ ex subiectorũ affluentia animus inflatur, in luxũ superbiæ ipso fastigio lenocinante corrumpitur. Quam videlicet potentiam bene regit, qui & tenere illam nouerit, & impugnare. Bene hanc regit, qui scit per illam super culpas erigi, scit cum illa cæteris æqualitate componi. Humana etenim mens plerunque extollitur etiam cùm nulla potestate fulcitur, quantomagis in altum se erigit, cùm se etiam potestas ei adiungit? Quam tamẽ potestatem rectè dispensat, qui solicitè nouerit & sumere ex illa quod adiuuat, & expugnare quod tentat: & æqualem se cum illa cæteris cernere, & tamen se peccantibus zelo vltionis anteferre. Sed hanc discretionem plenius agnoscimus, si pastoris primi exempla cernamus. Petrus nanque authore Deo sanctæ Dei ecclesiæ principatum tenens, à bene agente Cornelio, & sese ei humiliter prosternente immoderatius venerari recusauit, séque illi similem recognouit, dicens: Surge, ne feceris: & ego ipse homo sum. Sed cùm Ananiæ & Sapphiræ culpam reperit, mox quanta potentia super cæteros excreuisset ostendit. Verbo nanque eorum vitam pertulit, quam spiritu perscrutante deprehendit: & summum se intra ecclesiam contra peccata recoluit, quod honore sibi vementer impenso coram bene agentibus fratribus non agnouit. Illic quippe communionẽ æqualitatis meruit sanctitas actionis: hic zelũ vltionis vis aperuit potestatis. Et paulò post. Sed cum delinquentes subditos præpositi corrigunt, restat necesse est vt solicitè attendãt, quatenus per disciplinæ debitum culpas quidem iure potestatis feriant, sed per humilitatis custodiam æquales se ipsis fratribus qui corriguntur agnoscant: quanuis plerunque etiam dignum est vt eosdem quos corrigimus, tacita nobis cogitatione præferamus. Illorum nanque per nos vitia disciplinæ vigore feriuntur: in his verò quæ ipsi committimus, ne verbi quidem ab aliquo inuectione laceramur. Tantò ergo apud Deum obligatiores sumus, quantò apud homines inultè peccamus, & reliqua.

xxx. Hac Gregorius æqualitate seruata, Romano defensori Sicilię scribit dicens: Peruenit ad nos, quòd siquis contra quoslibet clericos causam habeat, despectis eorum episcopis eosdem clericos in tuo facias iudicio exhiberi. Quod si ita est, quia valde constat incongruum, hæc tibi authoritate præcipimus, vt hoc denuò facere non præsumas: sed siquis contra quemlibet clericum causam habuerit, episcopũ ipsius adeat, vt aut ipse cognoscat, aut certè ab ipso iudices deputentur. Aut si ob hoc fortasse ad arbitros eundum est, partes ad eligendos iudices ab ipso executio deputata compellat. Siquis verò vel clericus vel laicus contra episcopum causam habuerit, tunc te interponere debes: vt inter eos aut ipse cognoscas, aut certè te admonente sibi iudices eligant. Nam si sua vnicuique episcopo iurisdictio non seruatur, quid agitur, nisi vt per quos ecclesiasticus custodiri ordo debuerat, confũdatur?

xxxj. Sicut conuictum de crimine, sine vindicta canonica Gregorius neminem relinquebat: sic nimirum falsarium delatorem regulari tramite puniebat. Vnde Anthemio subdiacono scribens ait: Cùm fortius punienda sint crimina quæ insontibus, & maximè sanctis ordinibus ingeruntur, quàm sitis culpabiles omnes qui in causa Ioannis diaconi resedistis, attẽdite, vt Hilarium criminatorem eius nulla ex diffinitione vestra pœna veniens castigaret: Nec illud ad excusationem vestram esse credatis idoneum, quod vobis quasi iudicare volentibus, solus frater & coëpiscopus noster Paschasius dicitur distulisse. Nam si zelus in vobis rectitudinis viguisset, faciliùs vni à multis rationabiliter suaderi, quam multi ab vno poterant sine causa differri. Quia ergo tantæ nequitiæ malum non debet sine vltione transire: supra scriptum fratrem nostrum Paschasium volumus admoneri, vt eundem Hilarium prius subdiaconij quo indignus fungitur, priuet officio, atque verberibus publicè castigatum faciat in exilium deportari: vt vnius pœna multorum possit esse correctio. Cuius si fortè leuitatem diaconij sui adhuc opinio lacerata non commonet, & in hoc (quod non credimus) torpens extiterit, experientia tua hæc quæ diximus faciat, & de illius nobis neglectu renuntiet.

Idcirco Gregorius non probantem quod obiecerat subdiaconum officio iubet priuari, quia iuxta canonicas patrum sententias qui calumniam illam non probat, pœnam debet incurrere: quam si probasset, reus vtique sustineret. Ac per hoc quia subdiaconus crimen diaconi probare non potuit, quoniam impositionem manus qua carere potuisset, non habuit: non sacerdotio, sed officio caruit: & tanquam reuera infamis meruit verberibus castigari. Nam cui cum tribus testibus veluti laico crimen quodlibet approbatur, non est mirum, quod obiecit, dum probare non sufficit, si corporali infamiæ quemadmodum laicus ex iuris similitudine subiungatur. Quod enim esset diacono gradum amittere; hoc fuit subdiacono fامæ plenitudine caruisse.

xxxij. Crimina semel audita Gregorius indiscussa nullo modo præteribat, etiam si accusatus cum accusatore suo rediisset in gratiam. Quapropter vniuersis episcopis Corinthi scribens ait: Desiderij nostri est ad concordiam redire discordes, & vnitos esse in gratia eos quos diuisos ab alterutra dilectione voluntatis facit esse diuersitas. Scripta igitur fraternitatis vestræ relegentes agnouimus quòd ij qui contra Adrianum fratrem & coëpiscopum nostrum aliqua dixerant, modò cum eodem episcopo in amicitiam conuenissent: &

magna nobis ad præsens facta est de eorum vnitate lætitia. Sed quoniam ea quæ dicta sunt, indiscussa remanere non patimur, sedis nostræ diaconum ad ea inuestiganda dirigimus: quia nuntiati nos facinoris qualitas vehementer impellit, vt ea quæ audiuimus, dissimulare nullatenus debeamus, præsertim cùm accusatores & accusatum inter se fecisse gratiam indicastis. Hoc nobis necesse est subtilius perscrutari, ne fortasse eorum sit comparata concordia: quæ si (quod absit) non ex charitate sed ex præmio facta constiterit, maiori hoc emendatione plectendum est. Nam nos qui canonicè reuelante Deo mala, si quidem vera sunt, resecare præcedentia festinamus, commissam postmodum culpam sine vindicta nulla ratione dimittimus.

Item Ioanni episcopo Corinthiorum post aliqua, Paulum, inquit, diaconum latorem præsentium quanuis culpa suauehementer confundat atque redarguat, quòd deceptus promissione, ab accusatione nuper depositi quondam episcopi sui destiterit, & cupiditatis studio silere contra animã suam potius quàm prodere vera consensit: tamen quia pios plus nos esse conuenit, quam districtos, hanc ei culpam ignoscimus, atque eum in ordine locoque suo recipiendũ cẽsemus. Nam ei à tẽpore prolatæ sententiæ afflictionem quam pertulit, credimus ad vindictam huius culpæ posse sufficere. Euphemium verò atq; Thomã qui pro deferenda accusatione sacros ordines acceperũt, eisdem ordinibus priuatos esse, atque ita sicut sunt depositi, volumus permanere: nec vnquã eos sub qualibet excusationis specie in sacros ordines reuocari decernimus. Nam nimis indignum, & contra ecclesiasticæ regulam disciplinæ est, vt honore quem non ex meritis, sed pro sceleris præmio percepere, fungãtur: quia tamen plus misericordiæ quàm districtæ nos conuenit operam dare iustitiæ, eosdem Euphemium atque Thomam in ordinem locũque tantũmodo vnde ad sacros ordines promoti fuerãt, volumus reuocari, & cunctis diebus vitæ suæ eorundem locorũ continentiam sicut consueuerant, antè percipiant. Clementium verò lectorem similiter benignitatis intuitu in ordinẽ locùmque suum reuocandum esse constituo: Quibus etiam omnibus, id est Paulo diacono, Euphemio, Thomæ atque Clementio commoda sua secundum locum & ordinem, in quo quisque eorum est, sicut solitus erat accipere, à præsenti indictione fraternitas vestra sine aliqua studeat imminutione præbere.

xxxiij. Consueta clericorum stipendia nullis quarumlibet ægritudinum occasionibus misericordissimus pater Gregorius retrahebat. Vnde Candido episcopo vrbis veteris scribens ait: Cùm percussio corporalis vtrum pro purgatione an pro vindicta contingat, Dei in hoc iudicium ignoratur: nõ debet à nobis addi flagellatis afflictio, ne nos culpæ (quod absit) offensa respiciat. Et quia præsentium lator calumniosus pro hac percussione quã sustinet, cõsueta sibi cõmoda ab ecclesia vestra asserit denegari: idcirco fraternitatem tuam præsentibus hortamur epistolis, quatenus nihil eum ad percipienda quæ consueta sunt, hæc egritudo debeat impendere: quia diuersis in ecclesia militantibus varia (sicut nosti) sæpe contingit infirmitas: & si hoc fuerint exemplo deterriti, nullus de cætero qui ecclesiæ militet poterit inueniri: sed secundum loci ipsius ordinem, quæque ei si sanus esset, poterant ministrari, de ipsa exiguitate quæ ecclesiæ potest accidere, fraternitas tua diuini contemplatione iudicij ægrotanti præbere non desinat.

xxxiiij. Episcoporum venerabilium factas propriis clericis spõsiones Gregorius apostolicę sedis authoritatibus roborabat. Vnde Ioanni Panormitano episcopo scribit dicens: Implenda semper sunt postulantium desideria, quoties illa poscuntur, quæ à ratione non deuiant. Et ideo quia quædam capitula quæ seruaturum te clericis tuis petentibus promisisti, nostra ab eis postulamur authoritate firmare: Fraternitatem tuã his hortamur affatibus, vt ea quæ præsentia scripta continẽt, sine aliqua debeat refragatione seruare. Primùm, vt de reditibus ecclesiæ quartam in integro portionem ecclesiæ tuæ clericis secundum meritum vel officium siue laborem suum, vt ipse vnicuique dare prospexeris, sine aliqua debeas prębere tarditate. De hoc verò quod ex fidelium oblatione accesserit, id est, quartam partem in solidis vel cellario eis iuxta pristinam consuetudinem dare non differas. Reliqua autem omnia mobilia in tua retineas potestate: immobilia cuncta ecclesiasticis reditibus aggregentur: vt multiplicata quantitate clericorum tuorum, quarta Deo largiente proficiant. Tabularium autem vnà cum consensu seniorum & cleri memineris ordinandum, qui annis singulis ad imputandam fraudis suspicionem solenniter suas debeat rationes exponere. Vindemiarum verò tempore idem clerus emendi vnum de possessionibus ecclesiæ tuæ ad iusta precia, inquantum vendendum est, remedium consequatur. Nam satis contra rationem est, vt quod potest extraneis venundari, clericis dato precio denegetur. Possessiones igitur vel si qua sunt alia ecclesiastico iuri competentia, & ab extraneis indebitè detinẽtur, cum omni studio seruata ciuilitate in ius ecclesiæ tuæ reparare festina, vt negligens in aliquo videri non valeas. Siquid verò de quocunque clerico ad aures tuas peruenerit, quod te iustè posit offendere: facilè non credas, nec ad vindictã te res accendat incognita, sed præsentibus ecclesiæ tuæ senioribus diligenter si est veritas perscrutandum: & tunc si qualitas rei poposcerit, canonica districtio culpas feriat delinquentis. Hæc itaque omnia sic solicitè ac mansuetè studij tui sit custodire, quatenus nec tu promissionis tuæ videaris immemor extitisse, nec illi iustam contra te occasionem inuenire valeant murmurandi. Item Maximiano Syracusano episcopo post pauca: Cognouimus de reditibus ecclesiæ nouiter acquisitis canonicam dispositionem quartarum minimè prouenire: sed episcopos locorum tantummodo distribuere quartam antiquorum redituum, nũc verò quæsita suis vsibus retinere. Quamobrem prauam subintroductam consuetudinem fraternitas tua viuaciter emendare festinet: vt siue de preteritis reditibus, siue de his quæ nouiter obuenere, vel obuenientibus quarta secundum distributionem canonicam dispensetur. Incongruum nanque est, vnam eandémque ecclesiæ substantiam duplici quodammodo iure censeri, id est vsurpationis, canonum.

Ab aliis episcopis communione priuatos Gregorius communioni pristinæ reformabat. Quapropter Magno presbytero Mediolanensis ecclesiæ scribens ait: Sicut exigente culpa dignè quis à sacramẽto communionis abigitur, ita insontibus nullo modo talis irrogari debet vindicta. Comperimus siquidem quòd Laurentius frater & coepiscopus noster nullis te culpis extantibus communione priuauerit: ideóque huius præcepti nostri authoritate munitus, officium tuum securus perage, & communionem sine aliqua sũme formidine. xxxv.

Purgantes se à crimine cuiuslibet hæresis Gregorius non solùm recipiebat, imò etiam catholicos declarabat. Vnde Ioanni Constantinopolitano episcopo scribit dicens: Sicut hæreticorum prauitas zelo rectæ fidei comprimenda, ita veræ confessionis est integritas complectenda. Nam si credi fideliter confitenti despicitur, cunctorum in dubium fides adducitur, atque errores ex incauta districtione mortiferi generantur: & hinc non solùm errantes oues ad caulas minimè dominicas reuocantur, sed etiam intus positæ ferinis dẽtibus laniandæ crudeliter exponuntur. Hoc ergo subtiliter frater charissime, perpendamus, vt sub prætextu hæresis affligi quempiam veraciter profitentem fidem catholicam nõ sinamus. Valde enim mirati sumus cur ij in causa fidei iudices contra Ioannem Chalcedonensis ecclesiæ presbyterum à vobis fuerant deputati, negligentes veritatem, opinioni crediderunt, & credere districtè profitenti noluerunt, maximè cùm accusatores ipsius, Marcionistarum (quam memorabant) hæresim, vnde eum reum moliebantur efficere, interrogati quæ esset, nescire se manifesta professione responderint. Ex qua re euidenter agnoscitur, quia personam ipsius sine Dei respectu non iustè sed contra animas suas sola gratiare voluntate tantummodo voluerunt. Nos itaque facto concilio (sicut gestorum apud nos habitorum tenor ostendit) cuncta quæ erant necessaria subtiliter perscrutantes atque tractantes, quoniam in nullo antè dictum presbyterum reum inuenire potuimus, præcipuè quia libellus quem delegatis à vobis iudicibus obtulit, rectè fidei per omnia sinceritati xxxvj.

ritati concordat: ea propter eorundem iudicum reprobantes sententiam, nostra eum diffinitione catholicum, & ab omni hæreticorum crimine liberum esse Christi Dei redemptoris nostri gratia reuelante denuntiauimus. Item Mauricio imperatori post pauca: Relectis in concilio quæ contra Ioannem ecclesiæ Chalcedonennsis presbyterum acta sunt, simul & serie iudicatis, maiorem illum iniustitiam sustinuisse cognouimus, quippe quem clamantem se atque monstrantem esse catholicum, non reatus culpa, sed diu accusatio incerta protriuit, in tantum quia accusatores ipsius, Marcionistarum (quam memorabant) hæresim nescire se aperta responsione professi sunt: & qui illico in ipso iudicij fuerant limine repellẽdi: in accusatione eius incerti permanere permissi sunt. Sed ne dicta eum saltem lacerare potuisset opinio, libellum fidei obtulit, in quo se patenter ostendere fidei rectæ professorem studuit & sequacem. Sed hunc à sanctissimo Ioanne & coëpiscopo meo iudices deputati, iniustè ac irrationabiliter negligentes dum in eius se nisi sunt occupare grauamine, se potius reprehensibiles ostenderunt. Nam nullus ambigit infidelitatem esse, fidem fidelibus non habere. Item Narsi comiti de eodem post alia. De Ioanne verò presbytero cognoscite, quia causa illius per synodum decisa est: in qua apertè cognoui quia eius aduersarij eum facere hæreticum voluerunt, & diu conati sunt, sed minimè potuerunt. Item Athanasio presbytero de Isauria: Sicut de eis quos ab vnitate ecclesiæ hæreticæ prauitatis error abscidit, affligimur & dolemus: ita de his quos intra sinum suum catholicæ fidei professio continet, congaudemus: & vt pastorali solicitudine illorum nos oportet impietatibus obuiare, sic piis horum professionibus congruit fauorem impendere, & syncera esse quæ sapiunt declarare. Atque ideo dum tibi Athanasio presbytero monasterij sanctæ Miliæ cui est vocabulum Tannaco quod in Lycaonia est prouinciã constitutũ, contraria integræ fidei orta suspitio est vt professionis tuæ potuisset integritas apparere, ad apostolicam sedem (cui præsidemus) elegisti recurrere, asserens etiam te corporaliter verberatum, aliqua iniustè ac violenter fecisse. Et quanquam ea quæ vi impulsionis fiunt, canonum minimè censura recipiat, & iure habeantur, infirma, quia ipse ea dissoluit, qui iniustum fateri compellit, sed magis illa est suscipienda & amplectẽda confessio, quæ spontanea monstratur voluntate procedere, sicut apud nos fecisse dinosceris: nequid tamen nobis ambiguum potuisset existere, sanctissimo Ioanni quondam fratri nostro Constantinopolitanæ ciuitatis antistiti de te præuidimus scribendum, vt suis nos quid actum esset epistolis informaret. Qui sæpe à nobis admonitus rescribens innotuit quendam codicem apud te fuisse inuentum quo plura continebantur hæretica: & ob hoc aduersus dilectionem tuam fuisse commotum. Quem quia ad nos studuit pro satisfactione transmittere, priores eius partes solicita lectione percurrimus: & quoniam manifesta in eo hæreticæ infectionis venena reperimus, ne denuò debuisset legi, vetuimus. Sed quia hunc te simpliciter legisse testatus es, ad amputandam ambiguæ suspicionis materiam, libellum nobis manu tua porrexisti perscriptum, in quo fidem tuam exponens, omnes generaliter hæreses, vel quicquid aduersus catholicæ professionis integritatem est, apertissimè condemnasti: & cuncta quæ sanctæ quatuor vniuersales synodi recipiunt, te semper recepisse ac recipere, & quæ condemnauerunt, condemnasse condemnaréque professus es. Eam quoque synodum quæ imperatoris Iustiniani temporibus de tribus capitulis facta est, te suscipere & custodire promisisti: & prohibitus à nobis codicem ipsum legere, in quo pestiferæ virus fraudis innexum est, libentissimè consensisti: reprobans etiam atque condemnans omnia quæ in eo contra catholicæ fidei integritatem dicta vel latenter inserta sunt, nec eum te legere denuò promisisti: Hac ratione permoti, postquam etiam exprobrata est à te libelli pagina, & fides tua nobis catholica Deo custodiente perclaruit, ab omni te hæreticæ peruersitatis macula iuxta professionem tuam liberum esse decernimus, & catholicum, atque syncerè in omnibus fidei professorem, ac sequacem Iesu Christi saluatoris gratia claruisse pronuntiamus: liberam quoque tribuendo licentiam ad tuum monasterium in tuo te loco vel ordine nihilominus remeare.

Schismaticos ad recipiendam satisfactionem venire Gregorius iuuitabat: quibus etiam si nunquam ad vnitatem ecclesiæ redire voluissent, nullam se facturum violentiam promittebat. Vnde Petro & Prouidentio episcopis de Istria scribens ait: Deus qui lætatur in vnitate fidelium, & reuelat quęrentibus veritatem, cordi vestro, dilectissimi fratres, aperiat quanto vos desiderio in gremio cupiam sanctæ vniuersalis ecclesiæ contineri, & in eius manere vnitate concordes. Quod fore non dubito, si abiecto contentionis stimulo, satisfieri vobis veraciter de his quibus est dubietas, intendatis. Remeantis autem Castorij notarij mei edoctus relatione sum, fraternitatem vestram ad me habere desiderium veniendi, si promissum fuerit quia nullam molestiam sustinebit. Hoc ego cognoscens, & opto, & accensus ardore charitatis, inuito vt ad me veniendi debeatis laborem assumere: quatenus, pariter conferentes quæ vera & redemptori nostro sunt placita & communiter loquamur, & modis omnibus teneamus. Ego verò diuinæ protectionis gratia suffragãte satisfacere vobis de quibus dubitatis paratus sum & confido de omnipotentis Dei nostri clementia, quia ita vobis satisfactio mea interiùs inhærebit, vt nihil charitati vestræ decętero posit ambiguum remanere. Nam illa quæ sanctissimæ quatuor synodi sapuerunt atque diffinierunt, & prædecessor noster Leo sanctissimus papa, ita & nos sapimus, sequimur, ac tenemus: nec ab eorum fide aliquo modo dissentimus. Sed quia plus persona præsens quàm epistola satisfacit, hortor, dilectissimi fratres, vt ad me venire sicut præfatus sum debeatis, dummodo ratione percepta, à concordia sanctæ vniuersalis ecclesiæ dissentio vos nulla dissociet. Hoc tamen certa sit vestra charitas, quia vos & cum affectu quo decet suscipio, & cum gratia relaxabo: nec aliquam vos, vel quoscunque alios qui pro hac ac me causa venire voluerint, afflictionem vel molestiam sustinere permitto: sed seu ad contentiendum mihi cor vestrum misericordia diuina compunxerit, siue (quod absit) in ea vos durare dissensione contigerit, ad propria vos remeare quando volueritis iuxta promissionem meam sine læsione vel molestia relaxare curabimus. xxxxvij.

Seuerum Aquileiensem episcopum caput totius schismatis existentem Romam venire compellit, dicens: Sicut gradientem per auia, carpentem denuò rectum tramitem, tota Dominus auiditate complectitur: ita demum deferentem cognitam veritatis viam, maiori mœrore quàm gaudio quo de conuertente lætatus fuerat, contristatur: quia minoris excessus est veritatẽ non cognoscere, quàm in eadem agnita non manere: aliúdque est quod ab errante committitur, aliud quod per scientiam perpetratur. Et nos siquidem quantò incorporatum te iam pridem fuisse in vnitate ecclesiæ gauisi fueramus, abundantius nunc dissociatum à catholica societate confundimur. Pro qua re imminente latore præsentium iuxta Christianissimi & serenissimi rerum domini iussionẽ, ad beati Petri apostoli limina cum tuis sequacibus venire te volumus: vt authore Deo aggregata synodo, de ea quæ inter vos vertitur dubietate iudicetur. At Seuerus apostolica simul imperialíque iussione coactus imminente Smaragdo exarcho, simúlque Antonio ecclesiæ Romanæ defensore Rauennam perducitur. Vbi veritus cum Gregorio synodalem subire conflictum, ad vnitatem sanctæ vniuersalis ecclesiæ mediante Ioanne Rauennati pontifice remeauit. Sed cùm post anni spatium ad propria redisset, ab aliis schismaticis persuasus, non solùm ad pristinum vomitum rediit, verùm etiam Mauricij Deo semper aduersi iussione surrepta, qua iubebatur vt schismatici redire ad vnitatem Ecclesiæ minimè cogerentur, reliquis Episcopis Ecclesiæ se iungentibus, maximas seditiones conflabat. Quapropter Gregorius neminem iam reuertentium sine cautione iuratoria penitus suscipere satagebat. Qua præstita huiusmodi literis eidem patricio exarcho commendabat: Firminus frater & Coepiscopus noster Tregestinæ antistes Ecclesiæ, ante aduentum vestræ excellentiæ salubri consilio à schismate quo inhęserat resipiscẽs, atque ad vnitatem matris Ecclesiæ rediens, nostris est Epi- xxxxiij.

E ſtolis confirmatus, quatenus in veræ quam agnouerat ſinu matris Eccleſiæ, fortitudine animi fixus ac ſtabilis permaneret. Quo audito Seuerus Gradenſis Epiſcopus eiuſdem caput ſchiſmatis eum diuerſis primum cœpit (ſi poſſet) ſuaſionibus à bono reuocare propoſito. Quod dum perficere authore Deo minimè valuiſſet, ſeditionem illi ſuorum ciuium excitare non timuit. Quanta verò prædictus frater & Coepiſcopus noſter Firminus ex eadem immiſsione pertulerit, plenius illic ac veracius è vicino poteritis agnoſcere. Directis itaque excellentiæ veſtræ iuſsionibus iis qui in Hiſtriæ partibus locum veſtrum agere Deo authore noſcuntur, diſtrictiùs iubetote, quatenus & ſæpedictum fratrem noſtrum ab illatis debeant defenſare moleſtiis, & quietem illius multis ad imitandum profuturam, modis omnibus procurare: vt hæc veſtra prouiſio & conuerſorum ſit optata ſecuritas, & occaſio oborta ſequentium. Denique ſeuerus quia ad vnitatem ſanctæ vniuerſalis Eccleſiæ redire non meruit, ad ſcindendum quoque ſuæ ipſius diœceſeos vnitatem, Romanum pontificem F ſua vecordia ſuſcitauit: adeò vt ab ipſo illius obitus tempore Aquileienſis diœceſis in duos metropolitanos, catholicorum videlicet ſchiſmaticorúmque diuiſa ſit: neque potuit poſtmodum, licet omnes generaliter ad vnitatem de ſchiſmate repedauerint, ad priſtinæ coniunctionis vnionem vſque hactenus reformari.

xxxix. Sicut nulli clericorum pro infirmitate corporis quartarum ſubſidia Gregorius minuebat: ita nulli pontificum pro ægritudine qualibet ſuccedendum fore docebat. Vnde Anatolio Conſtantinopolitano Subdiacono reſcribens ait: Scripſit mihi dilectio tua, piiſsimum Dominum noſtrum reuerendiſsimo fratri meo primæ Iuſtinianæ Epiſcopo pro ægritudine capitis quam patitur, præcipere ſuccedi, ne fortaſſe dum Epiſcopi iura eadem ciuitas non habet (quod abſit) ab hoſtibus pereat. Et quidem nuſquam canones præcipiunt vt pro ægritudine Epiſcopo ſuccedatur: & omnino iniuſtum eſt, vt ſi moleſtia corporis irruit, honore ſuo priuetur ægrotus: atque G ideo hoc per nos fieri nullatenus poteſt, ne peccatum in mea anima ex eius depoſitione veniat. Sed ſuggerendum eſt, vt ſi is qui eſt in regimine, ægrotat, diſpenſator illi talis requiratur, qui poſsit eius curam omnem agere, & locum illius in regimine Eccleſiæ ipſo non depoſito, ac in cuſtodia ciuitatis implere: vt neque Deus omnipotens offendatur, neque ciuitas inueniatur eſſe neglecta. Si verò idem reuerendiſsimus Ioannes fortaſſe pro moleſtia ſua petierit vt ab Epiſcopatus honore debeat vacare, eo petitionem dante ſcripto, concedēdum eſt. Aliter autem nos id facere pro omnipotentis Dei timore omni modo non valemus. Quod ſi hoc petere ille noluerit, quod piiſsimo imperatori complacet, quicquid iubet facere, in eius eſt poteſtate: ſicut nouit, ipſe prouideat: nos tantummodo in depoſitionem inſontis non faciat permiſceri. Quod verò ipſe fecerit, ſi canonicum eſt, ſequimur: ſi verò canonicum non eſt, inquantum ſine peccato noſtro valemus portamus. Pontificibus voluntariè ſuis renuntiantibus ſedibus ſucceſſores Gregorius nullo modo denegabat: eoſque H poſtmodum de reditibus relictæ Eccleſiæ ſufficienter nutriendos eſſe cenſebat. Vnde Mariniano Rauennati Epiſcopo ſignificans ait: Qualiter ordinati à nobis ſacerdotis corporis quæ notum eſt impediente moleſtia, Ariminenſis Eccleſia paſtorali hactenus ſit regimine deſtituta, dudum fraternitas veſtra cognouit. Quem dum habitatorũ loci illius precibus permoti ſæpius hortaremur, vt ſi de eadem capitis qua detinebatur moleſtia, melioratum ſe eſſe ſentiret, ad ſuam auxiliante Domino reuerteretur Eccleſiam: datis induciis in hoc quadriennio expectatur. Quem dum nos clericorum vel ciuium illinc venientium nóſque precibus arguentium inſtantiùs hortaremur, vt ſi valeret, auxiliante Domino cum eis remearet: data ſcriptis ſupplicatione nos petiit, vt quia ad eiuſdem Eccleſię regimen vel ſuſceptum officium pro eadem qua detinebatur moleſtia aſſurgere nullatenus poſſet, Eccleſiæ ipſi ordinare Epiſcopum deberemus. Vnde quia cunctarum Eccleſiarum iniuncta nos ſollicitudinis cura conſtringit, ne diutiùs gregi fidelium deſit cuſtodia paſtoralis, illorum precibus huiúſque ex ſui impoſsibilitate renuntiatione compulſi, viſum nobis eſt eidem Ariminenſi Eccleſiæ debere Epiſcopum ordinari: & datis ex more præceptis, clerum plebémque eiuſdem Eccleſiæ non deſtitimus admonere, quatenus ad eligendum ſibi antiſtitem concordi prouiſione concurrant.

xl. Item Etherio Epiſcopo. Quanuis triſte nobis ſit valde quod loquimur, atque fraterna nos magis compaſsione vrgeat quam aliquid de auditis diffinire permittat: ſuſcepti tamen ſollicitudo regiminis cor noſtrum inſtāti pulſat aculeo, magna nos Eccleſiis cura proſpicere, & antè quàm harum poſsit vtilitas deperire, quid fieri debeat, Deo authore diſponere. Peruenit igitur ad nos, quendam Epiſcopum ita paſsionem capitis incurriſſe, vt quæ mente alienata agere ſoleat, gemitus & fletus audire ſit. Ne verò languente paſtore grex (quod abſit) inſidiatoris dentibus laniandus exponatur, vel Eccleſiæ ipſius vtilitates depereant: cauta nos neceſſe eſt prouiſione tractare. Et ideo quia viuente Epiſcopo, quem ab officio ſuo neceſsitas infirmitatis, non crimen abducit, alium loco eius, niſi recuſante eo, nulla ſinit ratio ordinari: ſi interualla ægritudinis habere eſt ſolitus, ipſe data petitione, nec ſe vlterius ad hoc miniſterium ſubuertente infirmitate, intellectum, nec ad alia officia poſſe fateatur aſſurgere, & alium loco ſuo expetat ordinandum. Quo facto, omnium electione ſolenni alter qui dignus fuerit Epiſcopus conſecretur, ſic tamen, vt quouſque eundem Epiſcopum in hoc ſeculo vita tenuerit, ſumptus ei debiti de eadem Eccleſia miniſtrentur. Enimuero ſi nullo tempore ad ſanæ mentis redit officium, perſona eſt fidelis ac vitæ probabilis eligenda, quæ ad regimen Eccleſiæ idonea poſsit exiſtere, atque de animarum vtilitate cogitare, inquietos ſub diſciplinæ vindicta reſtringere, Eccleſiaſticarum rerum curam gerere, & maturum atque efficacem ſe in omnibus exhibere: qui etiam ſi Epiſcopo qui nunc ægrotat, ſuperſtes extiterit, loco eius debeat cõſecrari.

xlj. Virginem ſtupratam Gregorius iubebat vxorem percipere, aut ſtupratorem eius caſtigatum verberibus in monaſterio deputare. Vnde Felici Sypontino Epiſcopo ſcribit dicẽs: Expectabamus fraternitatem tuam ſua aliquos ad Deum prædicatione conuertere, & malè agentes ad rectitudinem reuocare. Qua de re nimis contriſtamur, quia è diuerſo in nepotis tui Felicis prauitate tua euidenter (qui talem nutriſti) culpa monſtrata eſt. Peruenit itaq; ad nos, quòd ſupraſcriptus Felix Euangeli diaconi tui filiam ſtupro deceperit. Quod ſi verum eſt, quanuis graui eſſet de lege pœna plectendus, nos tamen aliquatenus legis duritiam mollientes, huiuſcemodi diſponendo, id eſt, vt aut quam ſtuprauit, vxorem habeat: aut certè ſi renuendum putauerit, diſtrictus, ac corporaliter caſtigatus excommunicatúſque in monaſterium, in quo pœnitentiam peragat, retrudatur: de quo ei nulla ſit egrediendi ſine noſtra præceptione licentia.

xlij. Virum ſine vxoris propriæ voluntate conuerſum, etiam ſi fuiſſet iam tonſuratus, Gregorius vxori reddi iubebat. Quapropter Adriano Panormitano notario ſcribens ait: Agathoſa latrix præſentium queſta eſt maritum ſuum contra voluntatem ſuam in monaſterio Vrbici abbatis eſſe conuerſum. Quod quia ad eiuſdem abbatis culpam & inuidiam non eſt dubium pertinere, experientiæ tuæ præcipimus, vt diligenti inquiſitione diſcutiat, ne fortè cùm eius voluntate conuerſus ſit, vel ipſa ſe mutare promiſerit: & ſi hoc repererit, illum in monaſterio permanere prouideat, & hanc ſicut promiſit, mutare compellat. Si verò nihil horum eſt, nec quondam fornicationis crimen (propter quod viro licet vxorem relinquere) prædictam mulierem commiſiſſe cognoueris, ne illius conuerſio vxori relictæ in ſeculo fieri poſsit perditionis occaſio, volumus vt maritum ſuum illi, etiam ſi iam tonſuratus eſt, reddere debeas omni excuſatione ceſſante: quia & ſi mundana lex præcipit conuerſionis gratia vtrolibet inuito ſolui poſſe coniugium, diuina lex fieri non permittit. Nam excepta fornicationis cauſa virum vxorem relinquere nulla ratione concedit: quia poſtquam copulatione coniugij viri atque mulieris vnum corpus efficitur, non poteſt ex parte conuerti, & ex parte in ſeculo remanere.

xliij. Iudæorum perfidiam rationibus magis quàm violentiis excutere Gregorius decertabat. Quapropter Virgilio & Theodoro Epiſcopis Galliarum poſt aliqua ſcribens ait:

Plurimi

A Plurimi Iudaicæ religionis viri in hac prouincia commanentes, ac ſubinde in Maſsiliæ partibus pro diuerſis negotiis ambulantes, ad noſtram perduxere notitiam, multos conſiſtentium in illis partibus Iudæorũ vi magis ad fontem baptiſmatis quàm prædicatione perductos. Nam intentum quidem huiuſcemodi & laude dignum cenſeo, & de Domini noſtri deſcendere dilectione profiteor: ſed hanc eandem intentionem niſi competens ſcripturæ ſacræ comitetur effectus, timeo ne aut mercedis opus exinde non proueniat, aut iuxta aliquid animarum quas eripi volumus (quod abſit) diſpendia ſubſequantur. Dum enim quiſpiam ad baptiſmatis fontem non prædicationis ſuauitate, ſed neceſsitate peruenerit, ad priſtinam ſuperſtitionem remeans, inde deteriùs moritur, vnde renatus eſſe videbatur. Fraternitas ergo veſtra huiuſmodi homines frequenti prædicatione prouocet, quatenus mutare veterem magis vitam de doctoris ſuauitate deſiderent. Sic enim & intentio veſtra rectè perficitur, & conuerſi animus ad priorem denuò vomitum non mutatur. Adhiben- B dus ergo illis eſt ſermo, qui & errorum in ipſis ſpinas vrere debeat, & prædicando quod in his tenebreſcit illuminet: vt pro his admonitione frequenti mercedem fraternitas veſtra recipiat, & eorum quantos Deus donauerit ad regenerationem nouæ vitæ perducat. Item Victori epiſcopo Panormitano: Sicut Iudæis non debet eſſe licentia quicquam in ſynagogis ſuis vltra quàm permiſſum eſt lege, præſumere, ita in his quæ eis conceſſa ſunt, nullum debent præiudicium ſuſtinere

xliiij. Quemadmodum Iudæos violenter baptizari Gregorius denegabat, ita Chriſtianos eis quoquo modo ſubiici nullatenus permittebat. Vnde Libertino prætori Siciliæ ſcribens ait. Fertur quòd Naſas quidam ſceleratiſsimus Iudæorum ſub nomine beati Heliæ altare punienda temeritate conſtruxerit, multóſque illic Chriſtianorum ad adorandum ſacrilega ſeductione deceperit: ſed & Chriſtiana (vt dicitur) mancipia comparauit, & ſuis ea obſequiis ac vtilitatibus deputauit. Dum igitur ſeueriſsimè in eum pro tantis facinori- C bus debuiſſet vlciſci, glorioſus Iuſtinus medicamento auaritiæ (vt nobis ſcriptum eſt) delinitus, Dei diſtulit iniuriam vindicare. Gloria autem veſtra hæc omnia diſtricta examinatione perquirat: & ſi huiuſcemodi manifeſtum eſſe repererit, ita diſtrictiſsimè ac corporaliter in eundem ſceleratum feſtinet vindicare Iudæum, quatenus hac ex cauſa & gratiam ſibi Dei noſtri conciliet, & his ſe poſteris pro ſua mercede imitandum monſtret exemplis. Mancipia autem Chriſtiana quæcunque eum comparaſſe patuerit, ad libertatem iuxta legum præcepta ſine ambiguitate producite: ne (quod abſit) Chriſtiana religio Iudæis quoque mo[illegible]dita polluatur. Item Venantio epiſcopo Lunenſi. Multorum ad nos relatione peruenit, à Iudæis in Lunenſi ciuitate degentibus in ſeruitium Chriſtiana detineri mancipia. Quæ res nobis tantò viſa eſt aſperior, quantò à fraternitete tua & patientia operoſior. Oportebat quippe te reſpectu loci tui, atque Chriſtianæ religionis intuitu, nullam relinquere occaſionem ſu- D perſtitioni Iudaicæ, vt ſimplices animæ non tam ſuaſionibus quàm poteſtatis iure quodammodo deſeruirent. Quamobrem hortamur fraternitatem tuam vt ſecundum piiſsimarum legum tramitem nulli Iudæo liceat Chriſtianum mancipium in ſuo retinere dominio: ſed ſiqui penes eos inueniuntur, libertas eis tuitionis auxilio ex legum ſanctione ſeruetur.

xlv. Siquos Chriſtianorum pro longitudine itineris per prouincias ab Hebræorum ſeruitio per legalem violẽtiam Gregorius liberare non poterat, ſuis preciis redimendos eſſe cenſebat. Vnde Candido presbytero per Gallias ſcribens, Dominicus, inquit, præſentium portitor lachrymabiliter nobis innotuit, quatuor fratres ſuos de captiuitate à Iudæis redemptos eſſe, atque eos nunc Narbonæ in eorundem Iudæorum ſeruitio detineri. Et quia omnino graue execrandúmque eſt Chriſtianos in ſeruitio eſſe Iudæorum, dilectionem tuam ſcriptis præſentibus adhortamur, vt cum omni ſubtilitate & ſolicitudine ſtudeat perſcrutari: & ſi re vera ita eſt, atque manifeſta veritate tibi conſtiterit quia neque ipſi vnde ſe rediman, neque ſupraſcriptus portitor habet, eos ſtudij tui ſit redimere, ſciens quia quicquid in eis dederis, tuis ſine dubio rationibus imputabitur.

xlvj. Iudæorum mancipia ſemel confugientia ad eccleſiam, nunquam quibuſlibet ſuaſionibus reddi iubebat. Vnde Ianuario Caralitano epiſcopo inter cætera ſcribens ait: Peruenit ad nos, ſeruos ancilláſque Iudæorum fidei cauſa ad eccleſiam confugientes, aut infidelibus dominis reſtitui, aut eorum ne reſtituantur, precium dari. Hortamur igitur vt nullatenus tam prauam conſuetudinem manere permittas: ſed † cùm quilibet Iudæorum ſeruus ad venerabilia loca fidei *† aliàs ſi.* cauſa confugerit, nullatenus eum patiamini præiudicium ſuſtinere: ſed ſiue olim Chriſtianus, ſiue nunc fuerit baptizandus, ſine nullo pauperum Chriſtianorum damno, religioſo eccleſiaſticæ pietatis patrocinio in libertatem modis omnibus defendatur.

xlvij. Non ſolùm Chriſtiana mancipia Gregorius in libertatem priſtinam legaliter reuocabat, verùm etiam pagana ad fidem venire volentia, vendi nullo modo permittebat. Vnde For- B tunato Neapolitano epiſcopo inter cætera ſcribens ait: Fraternitatem veſtram oportet eſſe ſolicitam: vt ſi de Iudæorum ſeruitio non ſolùm Iudæus, ſed etiam quiſquam paganorum fieri voluerit Chriſtianus, poſtquam voluntas eius fuerit patefacta, ne hunc ſub quolibet ingenio vel argumento cuipiam Iudæorum venundandi facultas ſit: ſed is qui ad fidem Chriſtianam conuerti deſiderat, defenſione veſtra in libertatem modis omnibus vendicetur. Hi verò quos huiuſmodi oportet ſeruos amittere, ne forſitan vtilitates ſuas irrationabiliter æſtiment impediri, ſolicita vos hoc conuenit conſideratione ſeruare, vt ſi paganos quos mercimonij cauſa de externis finibus emerunt, intra tres menſes dum emptor cui vendi debeant inueniatur, fugere ad eccleſiam fortè contigerit: & velle ſe fieri dixerint Chriſtianos, vel etiam extra eccleſiam hanc talem voluntatem prodiderint: precium eorum à Chriſtiano ſcilicet emptore percipiant. Si autem poſt præfinitos tres menſes quiſquam huiuſmodi ſeruorum Iudaico- C rum velle ſuum dixerit, & fieri voluerit Chriſtianus, nec aliquis eum poſtmodum emere, nec dominus qualibet occaſionis ſpecie audeat venundare, ſed ad libertatis proculdubio præmia perducatur: quia hunc non ad vendendum ſed ad ſeruiendum ſibi intelligitur reſeruaſſe.

xlviij. Pagana mancipia Iudæos videlicet dominos ſuos ad fidem præcedentia, in eorum ſeruitium, etiã ſi ipſi eos ad Chriſtianitatem ſubſequebantur, nullo modo reuocabat. Vnde Ioanni Syracuſano epiſcopo, Felix, inquit, præſentium portitor queſtus nobis eſt, cùm ſit de Chriſtianis parentibus natus, à quodam Chriſtiano Samaræo (quod dici ſcelus eſt) ſe eſſe donatum: & dum huiuſcemodi ſuperſtitionis homines Chriſtiana quolibet modo mancipia poſsidere nec ratio legis nec reuerentia religionis admittat, ſe tamen per decem & octo annos in eius aſſerit ſeruitio permanſiſſe. Sed cognoſcente hoc deceſſore ueſtro ſanctæ memoriæ Maximiano, ſano zelo (ſicut decuit) ſacerdotali commodo, de Samaræi nephario ſeruitio liberauit. Sed quia eiuſdem Samaræi filius D poſt quinque annos factus dicitur Chriſtianus, & ſupraſcriptum Felicem in eius ſeruitium (quantum ipſe dicit) quidam nituntur redigere, ſanctitas veſtra hæc quæ edocti ſumus, diligenter inquirat: & ſi ita ei eſſe conſtiterit, eum tueri ſtudeat, & à nullo ſub qualibet occaſione grauari permittat: quia dum ſuperſtitioſæ ſectæ mancipia dominus ſuos ad fidem præcedentia, ſeruitio eorum apertè redigi iura prohibeant, quantò magis hic de Chriſtianis parentibus natus, & factus à paruulo Chriſtianus, hanc non debet quæſtionem aliquo modo ſuſtinere? Maximè quia nec patris eſſe ſeruus potuit, quem liquet ex praua potius præſumptione pœnam poſſe venientem de legibus ſuſtinere.

xlix. Circuncidi ſaltem paganorum neminem Gregorius permittebat. Quamobrem Leoni Catanenſi epiſcopo, Res, inquit, ad nos omnino deteſtabilis & legibus inimica peruenit: quæ ſi vera eſt, fraternitatem tuam vehementer accuſat: quia eam de minori ſolicitudine probat eſſe culpabilem. Comperimus autem quòd Iudæi vel Samaræi degentes Catanæ pagana mancipia emerint, atque ea circundere auſu temerario præſumpſerint. Idcirco neceſſe eſt vt omni modo

zelum in hac causa sacerdotalem exerceas, & cum omni hoc
viuacitate ac solicitudine studeas perscrutari: & si ita repe-
reris, mancipia ipsa sine mora in libertatem modis omnibus
vendica, & Ecclesiasticam eis tuitionem impende, nec quic-
quam dominos eorum de pręcio quolibet modo recipere pa-
tiaris: qui non solùm hoc damno multandi, sed etiam alia e-
runt pœna de legibus feriendi.

l. Sane quia Iudæorum perfidia zelum Christianorum datis
contra se muneribus ludificare solebat: non solùm nil peni-
tus ab eis capiebat, quinimò eorum munera Gregorius exe-
crabilia iudicabat. Vnde Recaredo regi Vvisigothorum post
cætera scribit dicens: Præterea indico quia creuit de vestro
opere in laudibus Dei hoc quod dilectissimo filio meo Pro-
bino presbytero narrante cognoui, quia cùm vestra excel-
lentia constitutionem quandam contra Iudæorum perfidiam
dedisset; ij de quibus prolata fuerat, rectitudinem vestræ
mentis inflectere pecuniarum summam offerēdo moliti sunt.
Quam excellentia vestra contempsit: & omnipotentis Dei
placere iudicio requirens, auro innocentiam prætulit. Qua in
re mihi Dauid regis factum ad memoriam venit, cui dum cō-
cupita aqua de cisterna Bethleemitica quæ inter hostiles cu-
neos habebatur, ab obsequentibus militibus fuisset oblata,
protinus dixit: Absit à me vt sanguinem istorum hominum
bibam. Quam quia fudit & bibere noluit, scriptum est. Liba-
uit eam Domino. Si igitur ab armato rege in sacrificium Dei
versa est aqua contempta: pensemus quale sacrificium omni-
potenti Deo rex obtulit, qui pro amore ipsius non aquam,
sed aurum accipere contempsit. Itaque fili excellentissime, fi-
denter dicam, quia libasti aurum Domino, quod contra eum
habere nullo modo voluisti, & cætera.

lj. Hinc est quòd sicut à maioribus traditur, & nos vsque ad
tempora nostra dum adhuc pubesceremus, oculis nostris
conspeximus, consuetudo vetus obtinuit, vt omnes illius su-
perstitionis homines quantuncunq; pulcherrima mercimo-
nia detulissent, nunquam pontificalibus alloquiis fruerentur,
nunquam obtutibus Apostolicis potirentur, sed extra velum
longissimæ porticus, non quidem in scamnis sed in marmo-
reo pauimento sedentes, suscepta precia numerabant: ne vi-
delicet viderentur aliquid de manu pontificis accepisse. Nam
reuerendæ memoriæ Nicolaus pontifex Arsenium quondam
Hortanæ ciuitatis Episcopum Iudaicas tunc primum pelli-
tias introducere molientem, adeò auersatus est, vt ei palati-
nam processionem vellet adimere, nisi superstitiosæ gentis
vestibus abiurando, cum sacerdotalibus infulis consuetudi-
naliter procedere studuisset.

lij. Antichristi præcursores obseruari debere sabbatum præ-
dicantes, Gregorius comminando taliter refutauit. Peruenit
ad me, quosdam peruersi nominis homines praua inter vos
aliqua & sanctæ fidei aduersa seminasse, ita vt die sabbati ali-
quid operari prohiberent. Quos quid aliud nisi Antichristi
prædicatores dixerim? Qui veniens diem sabbatum atque
dominicum ab omni faciet opere custodiri. Quia enim mori
se simul & resurgere simulat, haberi in veneratione vult diem
dominicum: & quia iudaizare populum compellit, vt exte-
riorem ritum legis reuocet, & sibi Iudæorum perfidiam sub-
dat, coli vult sabbatum. Hoc enim quod per Prophetam di-
citur, Ne inferatis onera per portas vestras die sabbati: tam
diu teneri potuit, quandiu legem licuit iuxta literam seruari.
At postquam gratia omnipotentis Domini nostri Iesu Chri-
sti apparuit, præcepta legis quæ per figuram dicta sunt, iuxta
literam seruari non possunt. Nam siquis dicit hoc de sabbato
esse seruandum, dicat necesse est etiam carnalia sacrificia per-
soluenda: dicat præceptum quoque de circuncisione corpo-
ris adhuc vsque retinendum. Sed contra se Paulum Apostō-
lum audiat dicentem: Si circuncidamini, Christus vobis ni-
hil prodest. Nos itaque hoc quod de sabbato scriptum est,
spiritualiter accipimus, spiritualiter retinemus. Sabbatum e-
nim requies dicitur. Verum autem sabbatum ipsum redemp-
torem Dominum nostrum Iesum Christum habemus: & qui
lucem fidei cognoscit, si peccata concupiscentiæ ad mentem
per oculos trahit, in die sabbati onera per portas introducit.
Non ergo in die sabbati onera per portas introducimus, si in
redemptoris nostri gratia constituti, pondera peccati ad ani-
mam per sensus corporeos non trahamus. Nam idem Domi-
E nus ac redemptor noster multa in die sabbati legitur opera-
tus; ita vt Iudæos reprehenderet, dicens: Quis vestrum bo-
uem aut asinum suum non soluit in die sabbati, & ducit adaq-
uare? Si ergo ipsa per se veritas hoc custodiri iuxta literam
sabbatum præcipit, quisquis otiosos sabbatū secundum legis
literam custodit, cui alteri nisi ipsi veritati cōtradicit? Aliud
quoque ad me perlatum est, vobis à peruersis hominibus esse
prædicatum, vt dominicorum die nullus debeat lauari. Et
quidem pro luxu animi atque voluptate quis lauari appetit,
hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus. Si autem pro
necessitatis corporis, hoc nec dominico die prohibemus.
Scriptum quippe est: Nemo vnquam carnem suam odio ha-
bet, sed nutrit & fouet eam. Et rursum scriptum est: Carnis
curam ne feceritis in concupiscentiis. Qui igitur carnis cura
in concupiscentiis fieri prohibet, profectò in necessitatibus
F concēdit. Nam si dominicorum die corpus lauare peccatum
est, lauari ergò die eodem nec facies debet. Si autem hoc
in corporis parte conceditur, cur hoc exigente necessitate
toti corpori denegetur? Dominicorum verò die à laboreterreno
cessandum est, atque omni modo orationibus insistendum:
vt siquid negligentiæ per sex dies agitur, per diem re-
surrectionis dominicæ precibus expietur.

Tanta compassionis gratia circa omnes Gregorius redun-
dabat, vt alterius infirmitatem in suo corpore huc sustinuisse, liij.
si velis aspicias. Vnde Ioanni Rauennati Episcopo scribens
ait: Dominicis mandatis præcipimur proximos sicut nosmet-
ipsos diligere, eorumque langoribus tanquam propriis infir-
mitatibus cōdolere. Quorum memor vestra fraternitas com-
petenti sibi more Castorium fratrem & Coepiscopum no-
strum & priùs per compassionem studuit visitare, & eum
postmodum post excrescente molestia corporis in Rauen-
nati vrbe suscipere. Vnde non solùm nos impensæ charitatis,
sed & Deum vobis fecistis proculdubio debitorem, cui in
fratris infirmitate condoluisse probamini, ipsumque ægrum
in sui membri molestia non solùm visitasse, sed etiam susce-
G pisse. Quem quidem ipse pro sua simplicitate illic ordinare
omnino renuebam: sed petentium importunitas fecit vt con-
tradicere nullatenus potuissem. Si autem fieri potest, multum
mihi & ipsi consulitis, si eum ad me vel per Siciliam transmit-
tatis. Item Leontio Episcopo vbi Rauennatis, Castorium
fratrem Coepiscopumque nostrum Romæ pro corporis sui
molestia retinemus: & quia nunc ad suam non valet Eccle-
siam remeare, propterea eo absente Ecclesiæ ipsius fraternī-
tati tuæ visitationis operam præuidimus delegandam. Item
vniuersis habitatoribus Arimini. Si culpam vestram filij di-
lectissimi intentiùs velitis attendere, assidua vos apud Deum
debetis oratione purgare, quòd Episcopum vestrum non de-
uota mente, nec vt filij suscepistis: quem inquietudo & tri-
bulatio à vobis illata ad hoc vsque perduxit, vt molestiam
corporalem incurreret: quanuis in eo nihil de his quæ nobis
sunt scripta cognouimus, sed solam inesse debilitatem vidi-
mus, pro qua cum hic retinere curauimus. Item Eulogio Pa-
H triarchæ Alexandrino. Ante hoc temporis Bonifacij chartu-
larij responsalis mei, qui in vrbe regia demoratur, vehemen-
ter me scripta turbauerunt, quæ dicebant dulcissimam mihi
atque suauissimam sanctitatem vestram defectum corporei
luminis pertulisse. Ex quibus scriptis graui mœrore percussus
sum: sed subitò creatoris ac redemptoris nostri gratia prospe-
rante, beatitudinis vestræ suscepi epistolam, & sanum de ea
corporis molestia quam audieram, agnoscens, exultaui ve-
hementer: quia tanta cordis lætitia secuta est, quanta prius
tristitiæ amaritudo præcesserat. Scimus enim quia in omni-
potentis Dei adiutorio multorum salus est vita vestra. Item
Rusticianæ patriciæ: Quoties de vrbe regia ad nos aliquis ve-
nit curæ nobis est de corporis vestri sospitate requirere. Sed
peccatis meis facientibus, semper audio quæ me tædet audi-
re, quia in tanta tenuitate atque debilitate adhuc in vobis re-
ferunt podagræ dolores excrescere. Sed oro omnipotentem
Dominum, vt omnia quæ in vestro corpore aguntur, ad sa-
lutem animæ dirigantur, flagella temporalia æternam vobis
quietem præparent: & per eos dolores qui cum fine sunt,
gaudia vobis sine fine concedat.

Item

Item Mariniano Rauēnati episcopo: Venientes quidā Ra-
uennates homines grauissimo me mœrore inuenerunt per-
cussum, quia fraternitatem tuam retulerūt de vomitu sangui-
nis ęgrotare. Ex qua re solicitè & singulatim eos quos hîc do-
ctos lectione nouimus medicos, fecimus requiri: & quid sin-
guli senserint, quídve dictauerint, sanctitati vestræ scriptum
misimus: qui tamen quietem & silentium præ omnibus dic-
tant. Quam si tua fraternitas in sua ecclesia possit habere, val-
de sum dubius: & ideo videtur mihi vt ordinata illic ecclesia,
vel qui missarum solennia explere valeant, vel qui episcopij
curam gerens, hospitalitatem & susceptionem possit exhibe-
re, quíve monasteriis custodiendis præesse, tua fraternitas ad
me ante æstiuum templum debeat venire: vt ægritudinis tuæ
ego specialiter in quantum valeo, curam geram, quietémque
tuam custodiam: quia huic ægritudini æstiuum tempus medi-
ci vehementer dicunt periculosum. Et valde pertimesco ne si
curas aliquas cum aduersitate corporis ceperis, amplius ex ea-
dem molestia pericliteris. Ego enim ipse valde sum debilis, &
omnino est vtile vt cum Dei gratia sanus ad tuam ecclesiā re- B
deas: aut certè si vocandus es, inter manus tuorum voceris: &
ego quidem qui me morti proximum video, si me omnipo-
tens Deus antè vocare voluerit, inter tuas manus debeam
transire.

liij. Pro barbarorum incursionibus bis in hebdomada fieri le-
tanias Gregorius decernebat. Quapropter vniuersis episco-
pis Siciliæ scribens ait: Super afflictiones & gemitus quos an-
nosa hîc cōtinuatione de hostibus sustinemus, maior nos me-
tus excruciat, quòd inimicos nostros omni annisu ad Siciliæ
inuasionem cognoscimus festinare. Sed ne hoc illis molienti-
bus prosperitatem multitudo nostrorum præbeat peccatorū,
toto nos corde ad redemptoris nostri remedia conferamus,
& quibus resistere virtute non possumus, lachrymis obtue-
mus. Nam quid vobis cauendum, quídve sit vehemētius for-
midandum, ex istius prouinciæ debetis desolatione collige-
re. Itaque hortor fratres charissimi vt omni hebdomada quar-
ta & sexta feria letaniam inexcusabiliter indicatis: & contra
hos barbaricæ crudelitatis incursus supernæ protectionis au-
xilium imploretis.

liiij. Tandem Siciliam simoniaca hæresi libidinéque sordentē
Gregorius (sicut modò cernitur) perituram prædixit, Maxi-
miano Syracusano episcopo scribens: Tanta nobis subinde
mala quæ aguntur in illa prouincia, nuntiantur, vt peccatis
facientibus (quod auertat omnipotens Deus) celeriter eam
perituram credamus.

lv. Sed & peiora prioribus esse futura, præsago spiritu Maxi-
mo Salonitano episcopo scribit dicens: Ad Romanam vrbem
veniens communis filius presbyter Veteranus ita me poda-
græ doloribus debilem reperit, vt fraternitatis tuæ epistolis
per me respondere nullatenus valuissem. Et quidem de Sclā-
uorum gente, quæ vobis valde imminet, & affligor vehemen-
ter & turbor. Affligor in his quæ iam in vobis patior, contur-
bor autem quia per Histrię aditum iam ad Italiam intrare cœ-
perunt. De Iuliano autem Scribone quid dicam, quando vbi-
que video quia nobis peccata nostra respondeant: vt & foris
à gentibus, & intus à peruersis iudicibus conturbemur? Sed
nolite de talibus omnimodo contristari: quia qui post nos vi-
xerint, deteriora tempora videbūt: ita vt in cōparatione sui
temporis felices nos æstiment dies habuisse. In quantum verò
fraternitas tua præualet, opponere se pro oppressis debet: quę
etiam si prodesse minimè valuerit, ipsa omnipotenti Deo mē-
tis deuotio sufficit quam dedit. Scriptum est enim, Eripe eos
qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum, libe-
rare ne cesses. Quod si dixeris, Vires non suppetūt: qui inspe-
ctor est cordis, ipse intelligit. In omni ergo quod agis, inspe-
ctorem cordis appete habere placatum. Quicquid est vnde
illi placeas, facere non omittas. Nam humani terrores & gra-
tiæ, fumo sunt similes qui leni aura raptus euanescit. Hoc cer-
tissimè scito, quia placere Deo sine prauis hominibus nullus
potest. In tanto ergo se æstimet fraternitas tua omnipotenti
Deo placuisse, quanto se peruersis hominibus displicuisse co-
gnouerit. Ipsa tamen defensio pauperum moderata & grauis
sit: ne si quid nimis rigidè agitis, ex iuuentute vos arbitrentur
homines superbire. Sed talis necesse est vt inueniatur pro op-
A pressis vestra defensio, quatenus & humiles protectionem
sentiant, & oppressores non facilè inueniant quod ex male-
uola mente reprehēdant. Attende ergo quod ad Ezechielem
dicitur: Fili hominis, increduli & subuersores sunt tecum: &
cum scorpionibus habitas. Et beatus Iob ait: Frater fui dra-
conum & socius struthionum. Et Paulus discipulis dicit. In
medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut lu-
minaria in mundo. Tantò ergo debemus cautius ambulare,
quantò nos scimus inter Dei inimicos viuere.

Huius cautelæ sinę conscius Romano defensori Gregorius lvj.
ait: Peruenit ad nos, quia quidam homines minorem omni-
modo discretionem tenentes, in suis nos periculis implicari
desiderantiatque ita volunt ab ecclesiasticis personis defendi,
vt ipsæ quoque ecclesiasticæ personę ex eorum culpa teneantur.
Idcircio præsenti te præceptione admoneo, & per te fra-
trem & coëpiscopum nostrum dominum Ioannem, vel cæte-
ros qui interesse possunt, vt patrocinia ecclesiastica, siue mea
suscipiatis scripta, siue etiam ea minimè fuerint directa, sub
tanto moderamine debeatis impēdere, quatenus si qui in fur-
tis publicis implicati sunt, à nobis non videantur iniustè dē-
fendi: ne opinionem malè agentium ex indiscretæ defensio-
nis ausu, in nos vllo modo transferamus: sed quantum decet
Ecclesiam admonendo verbum intercessionis adhibendo,
quibus valetis succurrite, vt & illis opem feratis, & opinio-
nem sanctæ Ecclesiæ non inquinetis.

Item Ioanni episcopo post aliqua. Si qui eorum de quibus lvij.
est aliqua quæstio, in ecclesiam fortasse refugerint, ita debet
causa disponi, vt nec ipsi violentiam patiantur, nec hi qui di-
cuntur oppressi, damna sustineant. Curæ ergo vestræ sit, vt
eis sacramentum ab his quorum interest, de seruanda lege &
iustitia promittatur, & per omnia commoueantur exire, at-
que suorum actuum reddere rationem. Quibus etiam ecclesię
vestræ defensorem deputare vos conuenit, cuius solicitudine
ea quæ illis fuerint promissa seruentur.

Quantæ humilitatis Gregorius fuerit, cum ex multis, tum lviij.
ex his manifestissimè poterit deprehendi, quòd omnes qui-
C dem sacerdotes fratres & comministros, clericos autem di-
uersi ordinis dilectissimos filios, at verò laicos viros domi-
nos, & fœminas dominas in suis literis nominabat: neque ab
aliquo se summum pōtificem aut vniuersalem siue dominum
vocari æquanimiter permittebat. Nam vt ea quæ super huius-
modi comprehensa sunt prætermittam, Rusticianæ patriciæ
scribens ait: Excellentiæ vestræ scripta suscepi, quæ me in grā-
uissima ægritudine positū, dē salute, de deuotione, ac de dul-
cedine sua omnino releuarunt. Vnum verò ægrè suscepi, quia
in eisdem epistolis ad me (quod semel esse poterat) sæpius di-
cebatur, ancilla vestra, & ancilla vestra. Ego enim qui per epi-
scopatus onera seruus sum omnium factus, qua ratione te mi-
hi ancillam dicis, cuius ante susceptum episcopatum proprius
fui? Et ideo rogo per omnipotentem Deum, ne hoc verbum
aliquando ad me in scriptis vestris inueniam.

Huius humilitatis mansuetudine Gregorius non solùm lix.
Theudelindæ reginæ Longobardorum pro tribus capitulis,
D verum etiam inter alios Sabino quoque suo subdiacono satis-
facere non renuit, dicens: Euntes maligni homines turbauer-
unt animos vestros, non intelligentes neque quæ loquun-
tur, neque de quibus affirmant, astruētes quòd aliquid de san-
cta Chacedonensi synodo piæ memoriæ Iustiniani tempori-
bus sit imminutum: quam nos omni fide omnísque deuotione
veneramur: & sic quatuor synodos sanctæ vniuersalis eccle-
siæ sicut quatuor libros sancti euangelij recipimus. De perso-
nis verò de quibus post terminum synodi aliquid actum fue-
rat, eiusdem piæ memoriæ Iustiniani temporibus est ventila-
tum, ita tamē, vt nec fides in aliquo violaretur, nec de eisdem
personis aliquid aliud ageretur, quàm apud eandem sanctam
Chalcedonensem synodum fuerat constitutum. Anathemati-
zamus autem siquis ex definitione symboli quæ in eadem sy-
nodo prolata est, aliquid imminuere præsumit, vel quasi
corrigendo eius sensum mutare, sed sicut illic † prolata † *al probatum.*
est, per omnia custodimus. Te ergo fili charissime, decet
ad vnitatem fidei remeare, vt finem tumm valeas in pace
concludere, ne malignus spiritus qui contra te per alia opera
præualere non potest, ex hac causa inueniat vnde tibi in die

exitus tui in aditu regni cœlestis obsistat.

Item Gregoriæ cubiculariæ augustorum post cætera. Quòd dulcedo tua in suis epistolis subiunxit, importunam se mihi existere quousque scribam mihi esse reuelatum, quia peccata tua dimissa sint: rem & difficilem & inutilem postulasti. Difficilem quidem, quia ego indignus sum cui reuelatio fieri debeat. Inutilem verò, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cùm iam in die vitæ tuæ vltimo plangere eadem peccata minimè valebis: quæ dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lauare.

lxj. Item Anastasio presbytero Isauriæ post aliqua tua: Tua itaque fraternitas quantum in charitate perfecta sit, scio: & qui omnipotentem Deum multum diligit, oportet vt de proximo multum præsumat. Non enim loca vel ordines creatori nostro nos proximos faciunt, sed ei nos aut merita bona coniungunt, aut mala disiungunt. Quia ergo adhuc incertum est quis interius qualis sit, cur non audeas scribere, dum inter me & te me quis sit superior ignores. Et quidem bene te viuere scio, me autem multis oneratum peccatis cognosco. Sed & si ipse peccator es mihi, tamen me multò melior es: quia tua tu tantummodo, ego verò & eorum qui mihi commissi sunt peccata porto. In hoc ergo ego te altum, in hoc magnum aspicio, quia ante humanos oculos in magno atque in alto loco minimè profecisti, in quo sæpe dum exteriùs ab hominibus honor tribuitur, ad ima animus mergitur: quia curis discerpentibus grauatur. Tibi autem omnipotens Deus iuxta hoc quod scriptum est, ascensus in corde disposuit in conualle lachrymarum. Multò nanque mihi altior, multò sublimior videri poteras, si neque ducatum monasterij quod Neas dicitur, suscepisses.

lxij. Item Stephano Episcopo inter alia: Multum mihi, & vltrà quàm indignus audire debui fauorem in vestris epistolis demonstrastis: & scriptum est, Ne laudes hominem quandiu viuit. Attametsi audire talia dignus non fui, orationibus vestris peto vt dignus efficiar: vt si bona ideo in me dixistis, quia non sunt: ideo sint, quia dixistis.

lxiij. Sed ne solis verbis tanti præsulis humilitas inculcari credatur: superest vt ex Græcorum relationibus ad me nuper interpretatis eadem patris humilitas viuis operibus demonstretur: in quibus videlicet ita refertur: Enarrauit nobis abbas Ioannes Persa sanctus & reuerendus vir existens de magno Gregorio beatissimo Papa Romano dicens: † Quoniam iui Romam ad adorãdum loculos sanctorum Apostolorum Petri & Pauli: & vna dierum cùm starem in medio ciuitatis, video Papam Gregorium per me transiturum: & cogitaui me mittere ante eum. Cum ergo appropinquasset mihi Papa, videns quia pergerem vt mitterem me ante eum sicut coram Deo, dico fratres, primus misit se ante me super terram: & non ante surrexit, quàm ego prior surgerem: & amplexatus me cum magna humilitate, tribuit mihi per manum numismata tria: & iussit mihi dari casulam & necessitates meas omnes. Glorificaui ergo Deum, qui donauit ei talem humilitatem circa omnes & eleemosynam & charitatem.

† al. Olim.

lxiiij. Hinc est quod patientissimus pastor Gregorius penes imperatorem Mauricium sibi prorsus infensum dudum accusatus quòd Malchum Episcopum sui patrimonij prouisorem pro retentis pensionibus tam diu in custodiis afflixisset, quousque spiritum exhalaret: Sabiniano suo diacono Constantinopolitano scribens ait: Vnum est quod breuiter suggeras serenissimis dominis nostris, quia si ego seruus eorum in mortem Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec regem nec duces nec comites haberet, atque in summa confusione diuisa esset. Sed quia Deum timeo, in mortem cuiuslibet hominis me miscere formido. Malchus autem idem Episcopus neq; in custodia fuit, neque in aliqua afflictione, sed die qua causam dixit, & addictus est, nesciente me à Bonifacio notario in domum eius ductus est: ibique prandidit, & honoratus est ab eo, & nocte subitò mortuus est inuentus.

lxv. Igitur in omnibus suis dictis vel operibus Gregorius imminentem futuræ retributionis diem vltimum perpendebat: tantóque cautiùs cuncta cunctorum negotia ponderabat, quantò propinquius finem mundi insistere ruinis eius † crebrescentibus aduertebat. Quapropter in homiliis Euangelicis prohibet dicens: Exurget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum: & erunt terræ motus magni per loca & pestilentiæ & fames, & quibusdam interpositis adiunxit: Et erunt signa in Sole & Luna & Stellis, & in terris pressura gẽtiũ, præ confusione sonitus maris & fluctuum. Ex quibus profectò omnibus alia iam facta cernimus, alia è proximo ventura formidamus. Nam gentem super gentem exurgere, earumque pressuram terris insistere, plus iam in nostris tribulationibus quàm in codicibus legimus. Quod terræ motus vrbes innumeras subruat, ex aliis mundi partibus scimus quàm frequenter audiuimus: pestilentias sine cessatione patimur. Signa verò in Sole & Luna & Stellis adhuc apertè minimè vidimus: sed quia hæc non longè sint, ex ipsa iam aëris immutatione colligimus: quanuis prius quam Italia gentili gladio ferienda traderetur, igneas in cœlo acies vidimus: ipsumque qui postea humani generis susus est, sanguinem coruscantem. Confusio autem maris & fluctuum necdum noua exorta est: sed cùm multa iam prænuntiata sint completa, dubium non est quin sequantur etiam pauca quæ restant, quia sequentium rerum certitudo est præteritarum exhibitio. Et Paulò post: Ecce fratres mei iam cernimus quod audiebamus: nouis quotidiè crebrescentibus malis mundus vrgetur. Ex illa plebe innumera quanti remanseritis, aspicitis: & tamen quotidie flagella vrgent: repentini casus opprimunt: nouæ nos & improuisæ clades affligunt. Sicut enim in iuuentute viget corpus, forte & incolume manet pectus, torosa ceruix, plena sunt brachia: in annis autem senilibus statura curuatur, ceruix exsiccata deponitur, frequentibus suspiriis pectus vrgetur, virtus deficit, loquentis verba anhelitus † intercidit, nam si languor desit, plerunque senibus ipsa salus ægritudo est: ita & mundus in annis prioribus velut in iuuentute viguit: ad propagandam humani generis prolem robustus fuit: salute corporum viridis, opulentia rerum pinguis: at nunc ipsa sua senectute deprimitur, & quasi ad vicinam mortem molestiis crebrescentibus vrgetur. Et iterum, Euntes prædicate dicentes quia appropinquabit regnum cœlorum. Hoc iam fratres dilectissimi, etiam si Euangelium taceat, mundus clamat. Ruinæ nanque illius voces sunt. Qui enim tot attritus persecutionibus à gloria sua cecidit, quasi iam nobis è proximo regnum aliud quod sequatur ostendit. Ipsæ enim eius ruinæ prædicant quòd amandus non est. Si enim ruinam sui domus quassata minaretur, quisquis in illa habitaret, fugeret: & qui stantem dilexerat, recedere quantocyus à cadente festinaret. Si igitur mundus cadit, & nos eum amando amplectimur, opprimi volumus potiùs quam habitare: quia nulla nos ratio à ruina illius separat, quos in eius passionibus amor ligat. Facilè ergò est nunc iam cùm destructa omnia cernimus, animum nostrum ab eius dilectione disiungere. Sed hoc illo in tempore difficilimum fuit, quo tunc Apostoli prædicare cœleste regnum inuisibile mittebantur, cùm longè latéque omnia cernerent florere regna terrarum.

† al. crebrescentibus.

† al. inter.

Quæ autem de istius vrbis Gregorius incommoditate descripserit, indicabo, quatenus ij qui nunc in ruinis eius habitãtes, eam ordinatiorem, ac per hoc valentiorem fuisse non autumant, contremiscant. Ait enim in expositionis Ezechielis homilia octauadecima sic: Quid est iam, rogo, quod in hoc mundo libeat? Vbique luctus aspicimus, vndique gemitus audimus. Destructæ vrbes, euersa sunt castra, depopulati sunt agri, in solitudinem terra redacta est. Nullus in agris incola, penè nullus in vrbibus habitator remansit: & tamen ipse prauæ generis humani reliquiæ adhuc quotidie & sine cessatione feriuntur, & fidem non habent flagella cœlestis iustitiæ, quia nec inter flagella correctæ sunt actiones culpæ. Alios in captiuitatem duci, alios detruncari, alios interfici videmus. Quid est ergo quod in hac vita libeat, fratres mei? Si talem mundum adhuc diligimus, non iam gaudia sed vulnera amamus. Ipsa autem quæ aliquando mundi domina esse videbatur, quasi remanserit Roma, conspicitis immensis doloribus mulpliciter attrita, desolatione ciuium, impressione hostium, frequentia ruinarum: ita vt in ea completum esse videamus quod contra Samariam per Ezechielem Prophetam

lxvj.

prædictum est, Pone ollam, pone inquam, & mitte in ea aquã, & congere frusta eius in ea. Et paulò pòst: Efferbuit coctio eius, & decocta sunt ossa eius in medio illius. Atque iterum, Congere ossa quæ igne succendã, consumentur carnes, & coquetur vniuersa compositio, & ossa tabescẽt. Pone quoque eam super prunas vacuam, vt incalescat, & liquefiat æs eius. Tunc enim nobis olla posita est, cùm hæc est ciuitas cõstituta. Tunc in ea aqua missa est, & frusta eius cõgesta sunt, quando ad eam vndique populi confluebant, qui velut aqua calens actionibus mundi feruescerent, & quasi frusta carniũ in ipso suo feruore liquarentur. De qua bene dicitur: Efferbuit coctio eius, & decocta sunt ossa illius in medio eius: quia prius quidem in ea vehementer incaluit actio gloriæ secularis: sed postmodum ipsa gloria cum suis sequacibus defecit. Per ossa etenim porentes seculi, per carnes verò populi designantur: quia sicut carnes ossibus portantur, ita per potentes seculi, infirmitas regitur populorum. Sed ecce iam de illa omnes huius seculi potentes ablati sunt: ossa ergo excocta sunt. Ecce populi defecerunt: carnes eius liquefactæ sunt. Dicatur itaque, Congere ossa quæ igne succendam: consumentur carnes, & coquetur vniuersa compositio, & ossa tabescent. Vbi enim senatus? vbi iam populus? Contabuerunt ossa, consumptæ sunt carnes: omnis in ea secularium dignitatum ordo extinctus est. Excocta est ergo vniuersa compositio eius: & tamen ipsos nos paucos qui remansimus, adhuc quotidie gladij, adhuc quotidie innumeræ tribulationes premunt. Dicatur ergo, Pone quoque eam super prunas vacuam. Quia enim senatus deest, populus interiit: & tamen in paucis qui sunt, dolores & gemitus quotidie multiplicantur, iam ergo ardet Roma. Quid autem ista de hominibus dicimus, cum ruinis crebrescentibus ipsa quoque eius destrui ædificia videmus? Vnde aptè de ciuitate iã vacua subditur, Incalescat & liquefiat æs eius. Iam enim & ipsa olla consumitur, in qua prius carnes & ossa consumebantur: quia postquam defecerunt homines, etiam & parietes cadunt. Vbi enim sunt qui in eis aliquando gloria lætabãtur? Vbi eorũ pompa? Vbi superbia? Vbi frequens & immoderatum gaudium? Impletum est in ea quod contra destructam Niniuen per Propheram dicitur: Vbi est habitaculum leonum, & pascua catulorum leonum? An eius duces ac principes, leones non erant, qui diuersas mundi prouincias discurrentes prædam sæuiendo & interficiendo rapiebant? Hinc leonum catuli inueniebant pascua: quia pueri, adolescentes, iuuenes seculares, & secularium filij, huc vndique concurrebant, cùm proficere in hoc mundo voluissent. Sed ecce iam desolata, ecce contrita, ecce gemitibus oppressa est. Iam nemo ad eam currit vt in hoc mundo proficiat. Iam nullus potens & violentus remansit, qui opprimendo prædam diripiat. Dicamus ergo, Vbi est habitaculũ Leonum, & pascua catulorum leonũ? Contigit ei quod de Iudea nouimus per Prophetam dictum, Dilata caluitium tuum sicut aquila. Caluitium quippe hominis in solo capite fieri solet: caluitium verò aquilæ in toto sit corpore: quia cùm valde senuerit, plumæ eius ac pennæ ex omnibus illius membris cadunt. Caluitium ergo suum sicut aquile Roma dilatat, quia plumas perdidit, dum populũ amisit. Alarum quippe pennæ ceciderunt, cum quibus volare ad prædam consueuerat: quia omnes eius potentes extincti sunt, per quos aliena rapiebat. Item in dialogorum libro secundo, Præterea, inquit, antistes Canusinæ ecclesiæ ad Benedictum Domini famulum venire consueuerat, quem vir Dei pro vitæ suæ merito valde diligebat. Is itaque dum cũ illo de ingressu regis Totilæ & Romanæ vrbis perditione colloquium haberet, dixit, Per hunc regem ciuitas ista destruetur, vt iam amplius non inhabitetur. Cui vir Dei respondit: Roma à gentibus nõ exterminabitur, sed tempestatibus coruscis & turbinibus ac terremotu fatigãgata marcescet in semetipsa. Cuius prophetię mysteria nobis iam facta sunt luce clariora, qui in hac vrbe dissoluta mœnia, euersas domos, destructas ecclesias turbine cernimus, eiúsque ædificia longo senio lassata, quia ruinis crebrescentibus prosternantur videmus. Itẽ in epistola Ioanni episcopo Rauennati post aliqua: Si quomodo est aliquando locus obtinendi, agat apud exarchum fraternitas vestra vt pacem cum Agiulfo, si aliquid possumus, faciamus, quia miles de Romana vrbe vltus est, sicut ipse nouit. Theodosiaci verò qui hic remanserunt, togam non accipientes, vix ad murorum quidẽ custodiam se accommodant, & destituta ab omnibus ciuitas si pacem eius non habet, quomodo subsistet?

Tantis curarum tumultibus pro animarũ pariter ac ciuitatis custodia Gregorius grauabatur, vt in coli molestias coruens, non solum (sicut proposuerat) per ordinem Ezechielis mysteria minimè pertractaret: verumetiam hostilibus incursionibus multísque corporis debilitatibus aggrauatus, à studio expositionis omnino desisteret, & ad dies illos se peruenisse desseret, atque dissolutionem sui corporis totis conatibus flagitaret. Quapropter eidem Ioãni episcopo queritur dicens: Quòd multis vestrę beatitudini minimè respondi, nõ hoc torpori meo, sed languori deputate: quia peccatis meis facientibus eo tempore quo Agiulfus ad Romanam vrbem veniens, alios occidit, alios detruncauit, tanta mœstitia affectus sum, vt in coli molestiam caderem.

lxvij.

Item in expositione vltimæ visionis Ezechielis prophetæ: Quia multis curis prementibus Ezechielis prophetæ librum coram charitate vestra totum per ordinem perscrutari non licuit, bonis vestris desideriis placuit petere, vt saltẽ extrema eius visio quæ ei facta est de ædificio in monte constituto, quæ & cunctis est visionibus eius obscurior, exponi debuisset. Et quidẽ voluntati vestræ me parere necesse est: sed duo sunt quæ hac in re perturbant animũ meum. Vnũ, quod hæc eadem visio tãtæ obscuritatis nebulis tegitur, vt vix in ea aliquid intellectu interlucente videatur. Aliud quod iã Agiulfum Longobardorum regem ad obsidionem nostram summopere festinãtem Padũ transiisse cognouimus. Vnde pensate fratres charissimi, in caliginosis ac mysticis sensibus quid valeat mens misera timoris sui perturbationibus occupata. Quantò enim circa terrena plus satagit, tantò in his quæ sunt cœlestia, minus videt: & pro eo quòd curis suis extra se ducitur, valde intus minor est: quia scriptum est: Deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitãtem. Quæ enim superiora penetrare etiã collecta non sufficit, pensate quid agere poterit diuisa. Scimus omnes quia & fluuius qui in multis riuis diuiditur, à suo alueo siccatur.

Item eidem in eiusdẽ prophetæ tractatibus homilia xxj. Siue, inquit, iustus in culpam, siue peccator in mortem corruat, speculatori timendum est: ne hunc ex suo silentio reatus peccantium pariter insoluat. Sed interim dum loquar, auertere à memetipso oculos volo: & ecce iterũ sermo diuinus me impingit in memetipso, vt meam negligentiam videam, & mihi dici hæc quæ audio, pertimescam. Sicut enim superius dixi, † cuius cor innumeris curis sparsum, se ad se colligat. Quando etenim possum & ea quæ circa me sunt solicitè omnia curare, & memetipsum adunato sensu conspicere? Quãdo possum prauorum nequitias insequẽdo corrigere, bonorũ actus laudando & admonendo custodire, aliis terrorem, atque aliis dulcedinem demonstrare? Quando valeo & de his quæ sunt necessaria fratribus cogitare, & contra hostiles gladios de vrbis vigiliis solicitudinem gerere, ne incursione subita ciues pereant prouidere: & inter hæc omnia pro animarum custodia plenè atque efficaciter verbum exhortationis impẽdere? Loqui etenim de Deo quietę valde & liberæ mentis est. Tũc nanque bene lingua dirigitur in sermone, cum securè sensus quieuerit in tranquillitate: quia nec concussa aqua imaginem respicientis reddit: sed tunc in ea vultus intendẽtis aspicitur, cum non mouetur. Quam ergo exhortationem vobis speculator vester fratres charissimi faciat, quem tot rerum cõfusio perturbat? Et paulò post: Sacerdos etiã post compunctionẽ ac lachrymas cogitur necessaria quæque filiorũ suorum cognoscere, & ea quę refugit animo patiẽter audire: atque post suspiria cœlestium, quorumlibet carnalium hominum onera portare, & sæpe cum superuenientibus cor in diuersam qualitatẽ transfundere. Nam aliquando de lucris spiritualibus gaudet: sed cum quilibet mœrens superuenerit, nisi eius mœrorẽ in se susceperit, tribulationi illius compatiens non est. Et aliquando de damnis animarum luget: sed repente superueniũt qui de suis prosperitatibus lætantur: quorum si lætitiæ sacerdos non congaudet, minus amare creditur filios, in quorum gaudio non exultat: præcipuè cum Paulus dicat, Gaudete cũ

† al. quis cor innu. cur. sp. ac. ad se colligat?

gaudentibus, flete cum flentibus. Nihil ergo iam onerosum in ordine sacerdotum video, quàm rigorem mentis compatiendo flectere, & cum personis superuenientibus animum mutare: & tamen hoc valde est necessarium. Nam quando ex prædicatione eius ad boni operis gratiam peccator reducitur, si ipse qui prædicat videtur ingratus? Item in fine eiusdem voluminis. Ecce hæc vt Domino largiente potuimus coram vobis, fratres charissimi, rimati sumus. Nemo autem me reprehendat, si posthac à locutione cessauero, quia sicut omnes cernitis, nostræ tribulationes excreuerunt. Vndique gladiis circunfusi sumus, vndique imminens mortis periculum timemus. Alij detruncatis ad nos manibus redeũt: alij capti, alij interempti nuntiantur. Iam cogor linguam ab expositione retinere: quia tædet animam meam vitæ meæ. Iam nullus in me sacri eloquij studium requirat: quia versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium. Iam cordis oculus in mysteriorum discussione non vigilat, quia dormitauit anima mea præ tædio. Iam minus lectio animo dulcis est: quia oblitus sum manducare panem meum à voce gemitus mei. Cui autem vivere non licet, de scripturæ sacræ sensibus loqui mystica qualiter libet? Et qui cogor quotidie amara bibere, quando possum dulcia propinare? Item Italicæ patriciæ, & Venantio ex monacho patricio. Quosdam de Sicilia venientes, affectu quo debui, de sospitate excellentiæ vestræ requirere curaui: sed de assiduitate ægritudinum mihi tristia responderunt. Hæc autem dicens, nec ego vobis de me ipso inuenio aliud quod debeam nuntiare, nisi quod peccatis meis faciẽtibus ecce iam vndecim menses sunt quod valde rarum est si de lecto surgere aliquando potui. Tantis enim podagræ doloribus tantisque molestiarum premor angoribus, vt vita mea mihi grauissima pœna sit. Quotidie enim in dolore deficio, & mortis remedium expectando suspiro. In clero verò huius vrbis & populo tanti febrium langores irruerunt, vt penè nullus liber, nullus seruus remanserit, qui idoneus esse ad aliquod officium vel ministerium possit. De vicinis autem vrbibus strages nobis mortalitatis quotidie nuntiantur. Aphrica autem qualiter mortalitate & languoribus vastetur, quantò viciniores estis, tantò credo quod subtiliùs cognouistis. De oriente verò qui veniunt, grauiores desolationes nuntiant. In his itaque omnibus quia appropinquante fine mundi, generalem percussionem esse cognoscimus, affligi nimis de propriis molestiis non debemus. Item Eulogio patriarchæ Alexandrino: Transacto anno suauissima sanctitatis vestræ scripta suscepi, quibus pro ægritudinis meæ nimietate respondere nunc vsque non valui. Ecce enim iam biennium penè expletur, quo lectulo teneor, tantisque podagræ doloribus affligor, vt vix in diebus festis vsque ad horarum trium spatium surgere valeam Missarum solennia celebrare. Mox autem cum graui depellor dolore decumbere, vt cruciatum meum non possim gemitu interrumpente tolerare. Qui dolor interdum mei lentus est, interdum nimius: sed neque ita lentus, vt recedat: neque ita nimius, vt interficiat. Vnde fit vt qui quotidie in morte sum, repellar à morte. Neq; mirum, quia peccator grauis tali corruptionis carcere diu teneor inclusus: vnde compellor exclamare: Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo Domine. Sed quia meis adhuc precibus obtinere non mereor, rogo vt vestræ sanctitatis oratio suæ mihi intercessionis adiutorium præbeat, méque à peccati & corruptionis pondere liberum reddat in illa quam benè nostis libertate gloriæ filiorum Dei. Item eidem: Peto autem vt pro me enixiùs vestra sanctitas orare debeat, quia podagræ doloribus, & barbarorum gladiis, & curarum afflictionibus incessanter premor. Sed si mihi orationis vestræ opem impenditis, credo quòd me contra aduersa omnia fortiter iuueris. Item eidem. Rogo ergo vt pro me peccatore enixiùs oretis: quia & dolor corporis, & amaritudo cordis, & immensa vastitas mortalitatis inter tot barbarorum gladios me vehementer affligit. Inter quæ omnia non temporalem sed æternam consolationem requiro, quam per me impetrare non valeo, sed per intercessionem vestræ beatitudinis hanc me obtinere confido. Item Mariano Episcopo Arabiæ. Multum iam tempus est quo surgere de lecto non valeo. Nam me modò podagræ dolor cruciat, modò nescio quis in toto corpore se ignis cum dolore expandit. Et fit plerunque vt vno in me tempore ardor cum dolore confligat, & corpus in me animúsque deficiat. Quantis autem aliis necessitatibus extra has quas protuli infirmitates, afficiar, enumerare non valeo: sed breuiter dico, quia sic me insectio noxij humoris imbibit, vt viuere mihi pœna sit, & mortem desideranter expectem, quam gemitibus meis solam esse credo remedium. Proinde, frater sanctissime, diuinæ pro me pietatis misericordiam deprecare: vt percussionis suæ erga me flagella propitius mitiget, & patientiam tolerandi concedat: ne nimio (quod absit) tedio in impatientiam cor erumpat: & quæ curari per plagam poterat, culpa, crescat ex murmure. Item Rusticianæ patriciæ: De podagræ molestia quam vobis euenisse signastis, & contristatus vehementer sum, & lætatus. Lætatus: quia humor noxius inferiora petens, superiora profectò deseruit. Contristatus verò, quia in tam tenuissimo corpore dolores vos nimios perpeti pertimesco. Vbi enim deest caro, quæ virtus esse poterit doloribus resistens? Me etenim (quem qualis fuerim nostis) ita amaritudo animi, & assidua exarcerbatio, atque per hoc podagræ molestia affecit, vt corpus meum tanquam in sepultura siccatum sit: vnde fit vt iam raro de lecto surgere valeam. Item eidem. Ego in tanto gemitu & occupationibus viuo, vt ad dies quos ago, peruenisse me pœniteat: solaque mihi in consolatione sit mortis expectatio. Vnde peto vt pro me orare debeatis, quatenus de hoc carnis carcere citius educar, ne tantis laboribus diutiùs torqueat. Item Anastasio Antiocheno. Rogo vt pro mei cordis infirmitate enixius oretis, quatenus omnipotens Deus mentem meam à malis omnibus pro vestra intercessione tueatur, & citiùs me de tot procellis huius tempestatis eripiat, atque in æternæ quietis litore perducat.

Tantis præcibus Gregorius tandem aliquando diuinitùs exauditus, postquam sedem catholicæ & apostolicæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ annis tredecim, mensibus sex, & diebus decem, doctrinis pariter ac operibus felicissimis illustrauit, anno Imperij Phocæ secundo, indictione septima, quarto iduum Martiarum, à carnis corruptione subtractus est, incorruptionis perpetuæ gloria sublimãdus. Qui videlicet omni vitæ suæ tempore sicut nouas basilicas minimè fabricarat, ita nimirum fabricatarum veterum sartatecta cum summo studio annualiter reparabat: quas reditibus, luminaribus, officiis atque donariis cumulans, in basilica beati Petri Apostoli fastigium de argento purissimo, quod à Leone tertio pontifice in basillica Sixtiana sanctæ Mariæ nomini dedicata translatum est, fabricauit: & in basilica beati Pauli Apostoli super altare nihilominus aliud fastigium procurauit. Huius præterea venerabile corpus in extrema porticu basilicæ beati Petri Apostoli ante secretarium tunc antiquissimum quo videlicet Leo, Simplicius, Gelasius atque Symmachus Apostolicæ sedis Episcopi cum nonnullis aliis tumulati, suis hactenus epitaphiis prædicantur, sepultum tali titulo decoratur.

Suscipe terra tuo corpus de corpore sumptum,
Reddere quod valeas viuificante Deo.
Spiritus astra petit, lethi nil iura nocebunt,
Cui vitæ alterius mors magis illa via est.
Pontificis summi hoc clauduntur membra sepulchro,
Qui innumeris semper viuat vbique bonis.
Esuriem dapibus superauit, frigora veste,
Atque animas monitis texit ab hoste sacris.
Implebátque actu, quicquid sermone docebat:
Esset vt exemplum mystica verba loquens.
Anglos ad Christum vertit pietate magistra,
Acquirens fideique agmina gente noua.
Hic labor, hoc studium, hæc tibi cura, hoc pastor agebas,
Vt Domino offerres plurima lucra gregis.
Hisque Dei consul factus, lætare triumphis,
Nam mercedem operum iam sine fine tenes.

Quo scilicet liberalissimo pastore defuncto, vehementissima fames eodem anno incubuit: & quanto patrono tunc Roma caruerit, licet rerum inopia toto penè mundo monstrauerit, inuidorum tamen feritas minimè recognouit. Nam sicut à maioribus traditur, cum calumniarum veterum incentores

tores, Gregorium prodigum dilapidatorémque multiplicis patriarchatus thesauri perstreperent, deficiente personali materie, ad comburendos libros eius cœperunt pariter anhelare. Quorum dum quosdam iam combussissent, ac reliquos vellent exurere, Petrus diaconus familiarissimus eius, cũ quo quatuor Dialogorũ libros disputauerat, creditur vehemẽtius obstitisse, dicẽs, ad obliterandã eius memoriã, librorũ exustionẽ nihil proficere: quorũ exẽplaria diuersis petẽtibus mũdi ambitum penetrassent: subiungẽs immane sacrilegium esse, tanti patris tot & tales libros exurere, super cuius caput ipse spiritum sanctũ in similitudine colũbę tractantis frequẽtissimè perspexisser. Cúmque dudũ deuotũ populũ diaconus cerneret occasione tẽporis cum inuidis resultare, in hoc omnium sententiã dicitur prouocasse, vt si quod dixerat, iureiurando cõfirmans, mori continuò meruisset, ipsi à librorum exustione desisterẽt: si verò testimonij sui superstes extitisset, ipse quoq; combustoribus manus daret. Itaq; cum euangeliis in amboně venerabilis leuita Petrus ascendẽs, mox vt Gregorianæ sanctitati testimoniũ præbuit, inter verba veræ confessionis spiritum efflauit, & à dolore mortis extrancus iuxta pyrgi basim (sicut hactenus cernitur) confessor veritatis meruit sepeliri.

lxx. Hinc est quòd consuetudinaliter spiritus sanctus in specie columbæ super scribentis Gregorij caput depingitur, & quòd expositionũ illius pars maxima, quæ vtique ab inuidis exusta recolitur, non habetur: Quarũ ipse summã Ioanni subdiacono Rauẽnæ responsali suo significare videtur, inter cętera sic describẽs: Quia charissimus quondã filius meus Claudius aliqua me loquente de Prouerbiis, de Canticis Canticorũ, de Prophetis, de libris quoq; Regũ, & de Heptateucho audierat, quæ ego scripto tradere præ infirmitate nõ potui, ipse ea suo sensu dictauit, ne obliuione deperirent, vt apto tempore hæc eadẽ mihi inferrẽtur, & emẽdatiùs dictarẽtur. Quæ cùm mihi legisset, inueni dictorũ meorum sensum valde inutiliùs fuisse permutatũ. Vnde necesse est vt tua experientia, omni excusatione atq; mora cessante, ad eius monasteriũ accedat, eumq; venire faciat: & cum omni veritate quãtascunq; de diuersis scripturis chartulas detulit, ad medium deducat: quas tu suscipe, & mihi celerrimè trãsmitte. Enimvero quia studiositas Gregorij qui post hæc tribus fermè annis superfuit, falli nõ potuit: constat nimirum quia plures libros quàm nunc habeantur cõposuit. Quorũ memoriam quidã in episcopali eius perstringẽs ait, Iob, Ezechiel, Euãgelia, & pastoralem exposuit, & multa alia vt subaudias, quæ iam inueniri non possunt: quoniã re vera antè succensa sunt, quàm edita, sicut reliqua ipsius opera, quæ nũc in sancta Romana ecclesia retinentur adhuc sub custodia, ne pœnitus vulgarentur.

lxxj. Itaque si curiosiùs perpendatur, omne Gregorij tractandi tempus quo libros qui nunc habẽtur exposuit, à diacono suo vsque ad penultimũ sui põtificatus annũ extenditur: & licet Longobardorũ perfidia sæuiẽte, post Ezechielis tractatus, ab expositione librorũ destiterit, ab exponẽdis tamẽ epistolis, quãdiu viuere potuit, nunquã omnino cessauit: quarũ videlicet tot libros in scrinio dereliquit, quot annos adiunxit. Vnde tertiũdecimum epistolarũ librum septimæ indictionis imperfectũ reliquit, quoniã ad eiusdem indictionis terminũ non pertingit. Ex quarũ multitudine primi Adriani papæ tẽporibus quædã epistolæ decretales per singulas indictiones excerptę sunt, & in duobus voluminibus (sicut modò cernitur) cõgregatæ. Et Gregorius iamdudũ in monasterio positus, vbi eũ angelus Domini sub habitu naufragi scribentẽ repererat, nimirũ quædam dictauerat, vt ad expositionẽ tantæ profunditatis quã in libro Iob penetrare potuit, eò paratior, quò ex dictandi consuetudine doctior, peruenirẽt.

lxxij. Ergo Gregorius in diaconio suo, dum illum in Constantinopolitana vrbe sedis apostolicæ responsa constringerent, & Leandrum Hispanum episcopum iniuncta pro causis fidei Vvsigotorum ibi legatio perduxisset, eodem Leandro (sicut in primo libro dixisse me recolo) cum fratribus tunc Gregorio adhęrentibus importunissimè, compellente librum beati Iob cepit exponere. Quibus coram positis priora libri sub oculis dixit: & quia tẽpus paulò vacantius reperit, posteriora tractãdo dictauit. Cũque ei spatia largiora suppeterẽt multa augens, pauca subtrahens, atque ita vt inserta sunt nonnulla derelinquens, ea quæ se loquente excerpta sub oculis fuerant, per libros emendando composuit. Qui cùm iam factus episcopus Romę postrema dictaret: quo stylo prima dixerat solicitè attendẽs, egit vt ea quæ locutus fuerat, studiosa emẽdatione transcurrens, quasi ad similitudinẽ dictatus erigeret: & ea quæ dictauerat, non longè à colloquentis sermone discreparent: quatenus dum hoc tenditur, illud retrahitur, edita modo dissimili res non dissimilis formaretur: quanuis tertiam ipsius operis partem vt colloquendo protulit, penè ita dereliquit: quia dum eum fratres ad alia exponẽda pertraherent, hanc subtilius emendari noluerunt. Quibus multa iubentibus, dum parere modò per expositionis mysterium, modò per contemplationis ascensum, modò per moralitatis instrumentum studeret: hoc opus per triginta & quinque libros extẽsum, in sex codicibus expleuit. Quorum exemplaria primò per vrbis monasteria subdiuisit: postremò verò eidem Leandro episcopo destinauit.

Sed in ipso sui episcopatus exordio, dum à Ioanne Rauennatis vrbis episcopo humiliter reprehensus fuisset, cur pastoralis curæ delitescendo pondera fugere vir tam idoneus voluisset, librum regulæ pastoralis composuit: quem quadripertita ratione distinguens, valde pensandum esse perdocuit, cùm rerum necessitas exposcit, ad culmẽ quisque regiminis qualiter veniat: atque ad hoc ritè peruenięs, qualiter viuat: & bene viuens, qualiter doceat: & rectè docens, infirmitatem suã quotidie quanta consideratione cognoscat: ne aut humilitatis accessum fugiat: aut peruentioni vita contradicat: aut vitam doctrina destituat: aut doctrinã præsumptio extollat. Primum ergo appetitum timor temperet: post autem magisterium quod à non quærente suscipitur, vita commendet. Deinde necesse est vt pastoris bonũ quod viuendo ostenditur, etiam loquẽdo propagetur. Ad extremũ verò superest vt perfecta quæq; opera cõsideratio propriæ infirmitatis deprimat: ne hæc ante occulti arbitri oculos tumor elationis extinguat. Et quia quosdam imperitos ad sacerdotiũ conspirasse cognouerat, quosdam conspiraturos esse præuidebat: qui metiri se nescientes, quę non didicerũt, docere cõcupiscerent, quíque pondus magisterij tantò leuius æstimarent, quantò uim illius magnitudinis ignorarẽt: hos in ipso libri sui reprehendit exordio, vt siquando indocti ac præcipites doctrinæ arcem tenere appetissent, à præcipitationis suæ ausibus in ipsã Gregorianæ locutionis ianua pellerẽtur. Hũc librum Anatolius diaconus eius apocrisarius quærenti ac iubẽti imperatori quõdam obtulerat: quem magnus Anastasius Antiochenus episcopus in Græcam linguam transtulit, & orientalibus ecclesiis opus venerabile procurauit.

lxxiiij Deinde (sicut in secũdo huius operis libro iam retuli) dum adhuc Gregorius ad loquendum voce flatúque sibi sufficeret: per stationes discurrens, viginti homilias Euangelij diuerso tempore coram populo declamauit: reliquas verò eiusdem numeri dictauit quidem, sed lassescente stomacho languore continuo, aliis pronuntiare permisit: quarum exemplaria Secundo seruo Dei petenti mandauit.

lxxv. Cúmque à suis familiaribus vt aliqua de miraculis patrũm describeret Gregorius enixius rogaretur: Maximiano Syracusano episcopo scripsit dicens: Fratres mei, qui mecum familiariter viuunt, omnimodo me compellunt aliqua de miraculis patrum quæ in Italia facta audiuimus, sub breuitate describere. Ad quam rem solatio vestræ charitatis vehementer indigeo: vt quæ vobis in memoriam redeũt, quæque cognouisse vos contigit, mihi breuiter indicetis. De domino autem Nonnoso abbate qui iuxta dominum Anastasium de Pentoniis fuit, aliqua retulisse re memini, quæ obliuioni mãdaui. Et hæc ergo & siqua sunt alia, tuis peto epistolis imprimi, & mihi sub celeritate transmitti: si tamen ad me ipse non proficisceris. Hinc Gregorius roboratus, sanctorum miracula patrũ cùm Petro suo diacono quæ per inquisitionem atque responsionem protulerat, expositionis altius studium interrũpens, sola nominum prænotatione distinxit, & in libros quatuor ordinauit: vt sicut in libris expositionum suarum, quibus esset virtutibus insudandum, docuerat: ita etiam descriptis sanctorum miraculis quæ virtutum suisset earundẽ clari-

tas, luce clariùs ostentaret. Quos libros Zacharias sanctæ ecclesiæ Romanæ episcopus græco latinóque sermone doctissimus temporibus Constantini imperatoris post annos fermè centum septuaginta quinque in græcam linguam conuertēs, Orientalibus ecclesiis diuulgauit, quanuis astuta Græcorum peruersitas in commemoratione spiritus sancti à patre procedentis, nomen filij suaptim radens abstulerit.

lxxvj. Primam quoque & vltimam Ezechielis prophetæ partes, quæ videbantur obscuriores, Romanis postulantibus pertractauit, easque per homilias viginti duas distinguens, quantum lucis intus habeant demonstrauit, & in his tractandis (sicut superius patuit) finem fecit.

lxxvij. Qui libri dum à doctoribus sequentis temporis tam rectissimis sententiis editi, quàm luculentissimo rhetoricæ facundiæ stilo compositi veraciter doceantur: eos beatus Gregorius ex humilitatis suæ dulcedine incultos perhibet, Leandro episcopo inter cætera scribens: Quæso vt huius operis (haud dubium quin Moralium dicta percurrens,) in his verborum folia non requiras: quia per sacra eloquia ab eorum tractatoribus infructuosæ loquacitatis leuitas studiosè compescitur, dum in templo Dei nemus plãtari prohibetur. Et cuncti proculdubio scimus, quia quotiens in foliis malè lætæ segetis culmi proficiunt, minori plenitudine spicarum grana turgescunt. Vnde & ipsam loquedi artem, quam magisterium disciplinæ exterioris insinuat, seruare despexi. Nam sicut huius quoque epistolæ tenore nuntiat, nõ miotacismi collisionem fugio, non barbarismi confusionem deuito, hiatus motúsque etiam, & præpositionum casus seruare contemno: quia indignum vehementer existimo vt verba cœlestis oraculi restringam sub regulis Donati. Neque enim hæc ab illius temporis interpretibus in scripturæ sacræ authoritate seruata sunt. Ex qua re nimirum quia nostra expositio oritur, dignum profectò est vt quasi edita soboles speciem suæ matris imitetur. In quibus verbis agnoscitur Gregorius non affectasse locutionem pompaticam, sed ex pristina secularis exercitij consuetudine potius incurrisse. Cuius facundiæ consonantiam Isidorus Hispalensis vrbis episcopus in expositione Geneseos admiratus, Sumpta, inquit, sunt ab authoribus hæc Origene, Victorino, Ambrosio, Hieronymo, Cassiano, Augustino, Fulgentio, ac nostris temporibus insigniter eloquente Gregorio. Sed & Beda presbyter in libro de schematibus oratores homœoteleuton facere perhibens, exemplum proposuit dicens: Beatus Iob Deo soli sibíque cognitus, in tentatione ad nostram notitiam perducendus tactus est vulnere, vt odorem suarum virium tantò latius spargeret, quãtò, more aromatum, melius ex intentione fragraret. Quo schemate ipse qui hoc dixit beatus papa Gregorius sæpissime vsus fuisse cognoscitur: & huiusmodi orationes esse reor, quas Hieronymus concinnas rhetorum declamationes appellat.

lxxvii. At Gregorius humilitatis suæ cautela commonitus, non solùm facundiæ suæ redolentiam cõtemnebat, verum etiam in comparatione tractatus alterius dictatum suum furfurem nominans, libros suos legi quàm diu viueret vehementissimè prohibebat, Innocentio præfecto Aphricæ inter cætera scribens: Quod in expositione sancti Iob transmitti vobis codicem voluistis, vestro omnino studio congaudemus: quoniam illi rei eminentiam vestram studere conspicimus, quæ nec totos foras vos exire permittat, & ad coriterum secularibus curis dispersos recolligat. Sed si delicioso cupitis pabulo saginari, beati Augustini patriotæ vestri opuscula legite: & ad comparationem siliginis illius nostrum furfurem non quæratis. Item Ioanni episcopo Syracusano: Præterea audio quòd aliqua de his quæ scripsisse me memini, fraternitas vestra ad mesam suam coram extraneis legi faciat. Quod mihi non videtur esse faciendum: quia hoc quod vos pro charitate facitis, possunt quidam quantum ad me est vanæ gloriæ deputare. Ideóque coram extraneis antiquorum dicta legite, ex quorum authoritate valeant qui audiunt † reformari. Item Ioanni subdiacono Rauennæ post multa. Illud, inquit, quod ad me quorundam relatione perlatum est, quia reuerentissimus frater & coepiscopus meus Marinianus legi commenta beati Iob publicè ad vigilias facit, non gratè suscepi: quia illud opus non suscepi postulare, & rudibus auditoribus impedimentum magis quàm proiectũ generat. Sed dic ei vt commenta Psalmorum legat ad vigilias, quæ mentes secularium ad bonos mores præcipuè informẽt. Neque enim volo dum in hac carne sum siqua dixisse me cõtigit, ea facilè hominibus innotesci.

† *al. informari.*

lxxix. Quanta sanè consideratione Gregorius (qui ad culmen regiminis humiliter peruenisse, ad hoc opus peruenies bene vixisse, bene viuendo rectè docuisse, satis, vt opinor, monstratus est) infirmitatem suam cognouerit, in extremo libro Moralium manifestat, cùm dicit: Expleto itaque hoc opere, ad me mihi video esse redeundum. Multum quippe mens nostra etiam cum rectè loqui conatur, extra semetipsam spargitur. Integritatem nanque animi, dum cogitantur verba qualiter proferantur, quia trahunt extrinsecus, minuunt. Igitur à publico locutionis redeundum est ad curiam cordis: vt quasi in quodam concilio cõsultationis ad me ipsum discernendum conuocem cogitationes mentis: quatenus ibi videam me aut incautè mala, aut bona non benè dixerim. Tunc enim bene dicitur bonum, cùm is qui dicit soli ei à quo accepit, per id appetit placere quod dicit. Et quidem mala me aliqua, & si dixisse non inuenio, tamen quia omnino non dixerim, non defendo. Bona verò si qua diuinitùs accipiens dixi, meo videlicet vitio minus me bene dixisse profiteor. Nam ad me intrinsecus rediens, postpositis verborum foliis, postpositis sententiarum ramis dum ipsam subtiliter radicem meæ intentionis inspicio: Deo quidem ex ea me summopere placere voluisse cognosco: sed eidem intentioni qua Deo placere studeo, furtim se nescio quomodo intentio humanæ laudis interserit. Quod cum iam postmodum tardéque discerno, inuenio me aliter agere, quod scio me aliter inchoasse. Sic enim sæpe intentionem nostram, dum ante Dei oculos rectè incipitur, occultè subiuncta & eam velut in itinere comprehendens humanæ laudis intentio assequitur, sicut pro necessitate quidem cibus sumitur: sed in ipso esu dum furtim gula surrepit, edendi delectatio permiscetur: vnde plerunque contingit, vt refectionem corporis, quam salutis causa cepimus, causa voluptatis expleamus. Fatendum est igitur quòd rectam quidem intentionem nostram, quæ soli Deo placere appetit, nonnunquam intentio minus recta quæ de donis Dei placere hominibus quærit, insidiando comitatur. Si autem de his diuinitùs districtè discutimur, quis inter ista remanet salutis locus, quando & mala nostra pura mala sunt, & bona quæ nos habere credimus, pura bona esse nequaquã possunt? Sed hoc mihi operæ precium credo, quod fraternis auribus omne quod in me latenter ipse reprehendo, incunctanter aperio. Quia enim exponendo non celaui quod sensi, confitendo nõ abscõdo quod patior. Per expositionẽ patefeci dona, per confessionem detego vulnera. Et quia in hoc tam magno humano genere, nec parui desunt qui dictis meis debeãt instrui: nec magni desunt, qui cognitæ meæ valeant infirmitati misereri: per hæc vtraque aliis fratribus quãtum possum curam confero ab aliis quæro. Illis dixi exponendo quod faciant, istis aperio confitendo quod parcant. Illis verborum medicamenta non subtraho, istis lacerationem vulnerum non abscondo. Igitur quæso vt quisquis hoc legerit, apud districtum iudicem solatium mihi suæ orationis impendat, & omne quod in me sordidum deprehendit, fletibus diluat. Orationis autem atque expositionis virtute collata, lector meus in comprehensatione me superat, si cum per me verba accipit per me lachrymas reddit.

lxxx. Huius beatissimi Gregorij venerabile corpus à Gregorio quarto sedis apostolicæ præsule post annos circiter quinquaginta translatum ante nouellum secretarium constructis absidibus (sicuti modo cernitur) sub altaris sui nominibus collocatur: quo eius anniuersaria solennitas cunctis certatim pernoctantibus veneratione gratissima celebratur: in qua pallium eius & phylacteria, sed & baltheus eius consuetudinaliter osculantur. Quæ sigillatim considerata, & antiquitatem viri, & mediocritatem habitus & speciem regularis propositi signis perspicuis repræsentant. Nam in eo quòd pallium eius bysso candente contextum nullis fuisse cernitur accubiis perforatum, sic ipsum circa scapulas obuolutum fuisse, non autem confixum dignoscitur, sicuti vetustissimis musis, vel picturis ostenditur: quod autem reliquiarum phylacteria tenui argento fabricata, viliqne pallio, de collo suspensa fuisse videntur, habitus eius mediocritate demonstratur. Porrò in exilitate balthei quæ vnius pollicis mensuram nunquam excedit, speciem propositi regularis olim à sancto Benedicto statuti, cuius ipse vitam describens, in dialogo regulam quoque laudauerat, cum seruasse luce clariùs manifestat: præsertim cùm idem venerabilis doctor Gregorius Græcam linguam nescierit, & sui monasterij monachos Benedicti vtique regulis mancipatos in Saxoniam destinarit.

lxxxj. Siquidem quod Græcam linguam nescierit, ipse testatur in epistola Eusebio Thessalonicensi episcopo scribens: Lator præsentium Theodorus Ecclesiæ vestræ lector ad sanctorum Apostolorum limina veniens, dum homo (quippe vt nouus) haberetur incognitus, Andreæ monacho, qui ad sanctum Paulum inclusus fuerat, res & chartas quas detulit, vt re vera olim noto, innocenter deposuit, credẽs quod mens ipsius (sicut & nos antè putaueramus) cum habitu concordaret. Sed illæ tantæ prauitatis inuentus est, vt si eius stultitiæ sub inclusionis specie paulò adhuc ampliùs licuisset multorum animas malitiæ suæ falsitate deciperet: & quæcunque potuisset non leuia scandala generaret. Nam inter alia quæ idem Andreas pessimè cogitauit, & fecit: eam quoque quam ad nos misistis dum apud ipsum à præfato lectore esset deposita, infalsauit epistolam: vt quicunque eam legeret, vos ne catholica, nec recta sapere euidenter argueret. Ex qua re contigit vt dum veritatem studiosè quæreremus, eius quę latebat iniquitas vulgaretur: & tanta in eo reperta sunt, quanta nec de scelerato quocunque laico crederentur. Et quia inter diuersa mala aliquos etiam sermones scripsit arque eos ex nostro nomine titulauit, & suspecti sumus ne eos alicubi transmiserit, fraternitas vestra solicitudinem gerat: & si quid tale repererit, eos exscindi, & omnimodo faciat aboleri: vt quod imperitis literarum, & scripturæ diuinæ nescius nostro, sicut diximus, nomine prænotauit, quorundam animos non posit inficere. Nam nos nec Græcè nouimus, nec aliquod opus Græcè aliquando conscripsimus.

lxxxij. Quod verò monachi qui à Gregorio in Saxoniam missi sancti Benedicti regulæ fuerint mancipati: inter alia etiam illud ostendit, quod exipsius discipulis vix potest in illis partibus monachus aliquis inueniri, à quo non obseruetur tam in proposito quam in habitu, regula Benedicti. Quapropter sicut constat Gregorianum monasterium à Latinitate in Græcitatem necessitate potius quàm voluntate conuersum, ita fideliter præstolatur in Latinitatis cultum fauente Dominò denuò reuersurum.

lxxxiij. In cuius venerabilis monasterij atrio iussu Gregorij iuxta nymphium duæ iconiæ veterrimæ artificialiter depictæ vsque hactenus videntur. In quarum altera Beatus Petrus Apostolus sedens conspicitur stantem Gordianum Regionarium videlicet patrem Gregorij manu dextera per dexteram nihilominus suscepisse. Cuius Gordiani habitus castanei coloris planeta est, sub planeta dalmatica, in pedibus caligas habens, statura longa, facies deducta, virides oculi, barba modica, capilli condensi, vultus gratiis. In altera verò mater Gregorij sedens depicta est Syluia, candido velamine à dextro humero taliter contra sinistram reuoluto contecta, vt sub eo manus tanquam de planeta subducat: & circa pectus sub gula inferior tunica pseudolactini coloris apparcat, quæ magno sinuamine super pedes defluat: duabus zonis ad similitudinem dalmaticarum, sed latioribus omnino distincta, statura plena, facies rotunda quidem & candida, sed senio iam rugõsa: quam ipsa quoque senectus pulcherrimam fuisse significat: oculis glaucis & grandibus, superciliis modicis, labellis venustis, vultu hilaris, ferens in capite matronalem mitram cãdentis brandei raritate niblatam: duobus dexteræ digitis signaculo crucis se munire velle prætendens, in sinistra verò patens psalterium retinens, in quo hoc scriptum est: Viuit anima mea, & laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me. A dextero verò cubito vsque ad sinistrum circa scapulas versus ascendens reflectitur, qui ita se habet: Gregorius Syluiæ matri fecit.

lxxxiiij. Sed & in absidiola post fratrem Cellarium Gregorius eiusdem aurificis magisterio in rota gypsea pictus ostenditur, statura iusta & bene formata, facie de paternæ faciei longitudine, & materna rotunditate ita mediè temperata, vt cum rotunditate quadam decentissimè videatur esse deducta, barba paterno more subsulua & modica, ita caluaster, vt in medio fronte gemellos cincinnos rarusculos habeat, & dextrorsum reflexos: corona rotũda, & spaciosa, capillo subnigro, & decenter intorto, sub auriculę medium propendente, fronte speciosa, elatis & longis sed exilibus superciliis: oculis pupilla fuluis, non quidem magnis, sed patulis, subocũlaribus plenis, naso à radice vergentium superciliorum subtiliter directo, circa medium latiore: deinde paulùm recurvo, & in extremo patulis naribus præminente: ore rubeo, crassis & subdiuiduis labiis, genis compositis, mento à confinio maxillarum decibiliter prominente: colore aquilino & liuido, nondum (sicut ei postea contigit) cardiaco, vultu mitis, manibus pulchris, teretibus digitis, & habilibus ad scribendum. Præterea planeta super dalmaticam castanea: euangelium in sinistra, modus crucis in dextra: pallio mediocri, à dextro videlicet humero sub pectore super stomachum circulatim deducto: deinde sursum per sinistrum humerum post tergum depósito, cuius pars altera super eundem humerum veniens propria rectitudine non per medium corporis, sed ex latere pendet: circa verticem verò tabulæ similitudinem, quod viuentis insigne est, præferens, non coronam. Ex quo manifestissimè declaratur: quia Gregorius dum adhuc viueret, suam similitudinem depingi salubriter voluit, in qua posset à suis monachis non pro elationis gloria, sed pro cognitæ districtionis cautela frequentiùs intueri. Vbi huiusmodi distichon ipse dictauit:

Christe potens domine nostri largitor honoris,
Indultum officium solita pietate guberna.

lxxxv. Ibi etiam iam tempore Petri archidiaconi, & Ioannis œconomi Saturninus monachus dextra læuáque Gregorij beati effigies sanctorum Apostolorum quemadmodum modò videntur depinxit. Quo scilicet nonnunquam diuiniùs candela succenditur, & in eiusdem similitudinis effigie pro regimine sui monasterij sæpe beatus Gregorius præfertur.

lxxxvj. Nam vt pauca de multis contingam, Leonis quarti pontificis tempore, cùm Megistus Ostiensis episcopus & apostolicæ sedis bibliothecarius eidem monasterio præesset, Ioannes presbyter eiusdem præpositus cum quadam fœmina turpiter viuens, vehementissimo podagræ dolore correptus est: qui medicorum manu cauteriatus, per exustionis vulnus calcem cœpit effundere. Quam restringere nullis artibus præualens, in tantam desperationem perductus est, vt ab omni illius fœminæ visitatione desisteret, & illa sibi alterum sub eodem facinore copularet. Sed post annum presbyter ad pristinam sanitatem reuertens, quanquam propositum sibi fuisset, vt vlteriùs nullam contingeret, ad eandem tamen misso nũtio futuro die dominico se redire professus est. Quo recepto, vbi suo desiderio votum quoque muliercula conuenire gauisus est, ad balnea processit. Vnde reuertens, tantũ lætitiæ potionibus, & cantioribus se dissoluit, vt subrepente somno interesse nocturnis cum fratribus nũquam potuisset officiis. Eadem nocte cuidam presbytero & monachio beatus Gregorius in somnis apparens ait: Surge & dic Præposito vt pœnitentiam agens, peculium suum quod ei mangregare non puduit pro peccato conscientiæ suę, dispergat: quia die tertia funditùs extinguetur à vita. Quod Præpositus vt audiuit, vehementer expauit. Et quia Gregorij mandato incredulus esse non poterat, pœnitentiam cœpit: cuncta quę sua sanus distribuens, tanto febris ardore correptus est, vt à diluculo diei tertij vsque ad horam tertiam cum ingenti fragore præ incendio linguam ab ore perurens, vltimum flatum protraheret. Quem presbyteri tam duriter laborare videntes, deputatis illic monachis cum psalmodiis eius exitum commendarunt, ipsi pro eo omnipotenti Deo studuerunt solennes hostias immolare. Sed monachi psalmodiam

deserẽtes, nõ timuerũt inter se morienti fratri detrahere: cùm ecce presbyteri à missarũ solenniis circa horã septimã remeantes, Ioannẽ presbyterũ, quẽ incredibiliter cũ morte luctantẽ reliquerãt, leuius se habere mirati sunt: eúmq; nominatim clamare cœperunt. Mox ille oculos subridendo concutiens, Parcat, inquit, vobis Dominus fratres: quare me solicitare voluistis? Qui ab ipso huius Diei principio vsque nunc coram Christo præsidenti multis milibus angelorum cum diabolo ad iudicium steti: & adiuuãtibus me sanctis Andrea & Gregorio cunctis eius obiectionibus bene respondi. Sciatis autem quia monasterij sextarium, modium, libram, consuetudinem elemosynarum & luminum, omnémque mensuram curiosissimè Christo quærenti vsque ad scabellum pedum eius portaui. Sed de vna obiectione fateor conuictus erubui, de me qua nimium (sicut vidistis) laborando vexaui, & me adhuc liberare non potui. Cũmque fratres de ea requirerent, ait: Non audeo dicere, quia quando vos me clamastis, & à sancto Gregorio redire iussus sum, vt vobis etiam de mensuris & consuetudinibus monasterij ponerem rationem, diabolus questus est, putans quòd me pater ad pœnitentiam remisisset. Quapropter beatum Gregorium vadem dedi, ne commotam calumniam cuilibet reuelarem. Illis imminentibus & se pro eo deprecaturos Deum promittentibus vt causam fratribus reuelaret, defunctorum quorundam domos & viuentium merita proferebat, dicens: Omnia in quibus mihi detraxistis fratres audiui, quanquam respõdere nequiuerim: & impedimentum mihi non modicum generastis: quia tam à vobis quàm à diabolo sub vno tempore accusatus, nesciebam cui calumniæ responderem. Sed si quando quemlibet migrantem videritis, compatimini sorti communi, & nolite de eo iudicare, qui ad tam districti iudicis cum criminatore suo iudicium vadit. His expletis cunctos iubent abscedere: solum presbyterum qui sibi mortem prænuntiauerat, secum tenens. Qui solus remanere pauescens, alterum secum tenuit, hortatus vt causam pro qua conflixerat, saltem sibi pandere non timeret. At ille vehementer ingemuit, & conuerso ad parietem capite clamabat dicens: O Andrea Andrea, hoc anno pereas, qui me prauo consilio ad periculum compulisti. Et vestigio Zacharias medicus, qui anno præterito ad suos, videlicet Sarracenos, apostatando reuersus est, adfuit: tactisque temporibus iurare cœpit presbyterum ex eadem valetudine minimè moriturum. Quem languidus vt audiuit, cum ingenti animaduersione repulit, dicens: Fratres, iam omne corpus meum est mortuum, in extremis faucibus spiritum permissum retineo, continuò moriturus, tantum psallite, vt reuideam angelos quos videbam, innuens vobis ostendam. Quibus orantibus totus cœpit tremere, pallescere, sursum desideranter aspicere: cùm subitò spiritus aduentare conspiciens, reuolutis terribiliter oculis, monachis innuit, & abscessit: eósque tanto terrore perculsos dimisit, vt multis noctibus soli iacere timuerint.

lxxxvij. Eodem die (sicut postea deprehensum est) eodémque momento quando presbyter moriens Andreæ periculum fuerat imprecatus, idem Andreas, fundi Barbiliani, positi scilicet via Ostiensi, conductor, in lectulum decidit: in quo per multum temporis continuo languore correptus, ita totus emarcuit, vt omne corpus particulatim videretur dissolui. Cúmque defluentibus carnibus consumi posset, mori autem non posset, vxor quæ fœtorem vulnerum, viríque cruciatus iam sustinere non poterat, intellexit tanti languoris incommoda sine diuinæ vltionis sententia hunc nullatenus incurrisse. Quem flendo curauit inquirere, vt quoniam à moriente Præposito frustra vocari nõ poterat, quid cum ipso cõmiserat, vt monachis reuelaret, si fortè Dominꝰ eius cõfessionẽ recipiens, eũ à tantis cruciatibus liberaret. At ille malum cognoscens quod fecerat, latere non posse, monasterij monachos conuocari rogauit: eísque confessus est cum eodẽ præposito quasdam monasterij chartulas rapuisse, ac receptis preciis extraneis tradidisse, séque certum existere, quia pro hoc flagitio mori nõ posset, quousque hoc coram omnibus reuelaret. Quod videlicet verũ fuisse, rei exitus euidenter ostendit. Nam mox vt tantũ facinus cunctis innotuit, is qui dudũ mori volens non poterat, inter verba suæ confessionis efflauit. Quem idcirco Deus omnipotẽs diu cruciari voluit, mori autẽ donec reatum suum cõfiteretur, nõ posse se permisit, vt exemplo sui cruciatus ostenderet quid consumptores rerum Gregorij de semetipsis vtique sperare debuissent.

Ipsius quoque pontificis tempore eiusdem patris mo- lxxxviij. nasterio Athanasius præfuit, vir quidem castitate cõspicuus, & sui monasterij cautissimus executor. Qui cùm sæuiẽtis inopiæ tempus agnosceret, ne monachis necessitas fortassis incumberet, quadraginta pauperum, quos beatus Gregorius pasci semel in anno decreuerat, refectionem subduxit. Quod impunè se fecisse perpendens, etiam duodecim pauperum totidem denarios, qui die depositionis beati Gregorij pro commemoratione duodecim ab eo quondam inuitatorum, quorum tertius decimus angelum se esse professus est, consuetudinaliter pascebantur, pœnitus intercepit: cùm eiusdem Quadragesimæ tempore beatus Gregorius eidem presbytero, cui suprà & monacho, in somnis apparuit, dicens: Vade & dic œconomo, quia diminuit consuetudinem quam ego constitui, Dominus quoque eius dies diminuet. Quod œconomus vt audiuit, primò quidem contremuit, pòst verò tantò minus credidit, quantò vitam suam longius cognoscebat extendi. Et ecce sub ipsis albis paschalibus in oratorio sancti Seuerini cum fratibus vespertinis assistens officiis, ardere parietem vidit, quem fratribus extinguere imperauit. Quibus hunc vinolentum credentibus ipse tandem ferulam quam tenebat proiiciens, manúsque per parietem circunducens conabatur foris flammas extinguere, quas constabat intima eius depascere. Denique tandem ad hospitium rediens, tantæ febris ardore succensus est, vt peruenire ad diem septimum nullatenus potuisset. Quia ergo dum consuluisse putauit se monachis, pauperibus nocuisse non timuit, ac per hoc quo se placare posse Gregorium credidit, prorsus offendit: frustra flammas parietis extinguere voluit, qui tenacitatis suæ flammas extinguere recusauit,

Eodem nihilominus tẽpore post absidẽ oratorij sanctæ lxxxix. Mariæ semper virginis oratorio sanctæ Barbaræ vbi Gregorius laudes Domino celebrare solebat, cõiuncto, dæmon apparuit, sibíq; in antro quod illic cernitur, hospitiũ faciẽs, nocturnis horis tãto crepitabat fragore, vt omnia fundamenta monasterij putaretur cõuellere. Nõnunquã equos de stabulis auferẽs audiebatur tota nocte discurrere: quorũ duos præcipitio demersisse probatus est. Cúmq; pauore tãti sonitus monachos à triclinio, in quo ad aurã propter feruorem caumatis iacere solebant, pœnitus auertisset, vnus eorũ confisus in virtute Dei omnipotẽtis ante foramẽ decũbens oratione facta cœpit dormire. Cui dæmõ in similitudine catti apparuit: eũque vnguibꝰ est aggressus discerpere. Quo monachꝰ oratione repulso, identidẽ sopori se tradidit, cùm subitò dæmon in similitudine cuiusdã Aethiopis lancea minãdo apparuit, dicens: Ego quidẽ hinc vado, sed te vulneratum dimitto. Quo dicto lanceã vibrauit, monachúmq; (sicut videbatur) in somnis percussit. Qui tãtis clamoribus eiulauit, tanquã si re vera percussus extiterit: accurrentibúsq; monachis, licet pauidus, quod viderat indicauit, & deinceps ibi vlterius demonium non accessit.

Benedicti quoq; põtificis tẽpore, Lucido Ficulino episcopo eidem monasterio pręminente, cùm pestilẽtia fauciũ multitudo quotidie maxima deperiret: idẽ monachus præclusis faucibus venit ad mortẽ, cui desperanti beatus Gregorius in somnis apparuit dicẽs: Vis sanꝰ fieri? At ille respõdit se velle. Et beatꝰ Gregorius, si mihi, inquit, promiseris ea quæ tibi dixero fore dicturũ, scito te esse sanandũ: sin verò, citius moriturũ. Cúmq; ille se dicturũ tota certitudine promitteret, audiuit, Ito, denũtians Sabæ, Ioãni, Benedicto Martino, Palũbo & Antonio monachis, Laurẽtio coco, Gẽmoso carpentario, Accepto pistori, Andreæ Romano & Leoni laicis, quoniã à crastino ĩsipiẽtes omnes diatim se moriẽdo subsequent. Post quorũ decessum denũtia Lucidũ episcopũ qui tenet id monasterium, die septimo moriturũ. His dictis, monachũ oscitare præcipẽs, duos digitos in faucẽ coniecit: vulnúsque disrumpens vt excrearet iniunxit. Illetusiẽs, partem coagulatam sanguinis in modũ lapidis reuera proiecit: & ab ipsis penè

hẽ mortis ianuis liberatus, eadem nocte contra spem omniũ matutinalibus hymnis interfuit. Mirantibus fratribus, sanitatis suæ modum innotuit: quos quando & qualiter ex monasterij familia morituros preuiderit, indicauit: de sola interim episcopi morte dubitãdo cõticuit. Et è vestigio in cunctorũ morti deputatorum auribus volans fama discurrit: & dum ex relatione monachi se morituros certo die cognoscerent, dispositis suis regulis, ita se in mortẽ secuti sunt, sicut fuerant in somnio nominati.

xcj. Cúmque presbyter monachus Lucido episcopo tam dirum nuntium reuelare timeret, tacere autem penitùs non auderet: monasterio se tandem proripuit, & ad domum episcopi non longè à flumine Tyberi regione videlicet iuxta basilicam Cirì & ioãnis positam, somnium nuntiaturus accessit. Quem scilicet vbi cũm pontifice in palatio prandere cognouit, expectans redeuntem, sacerdotalibus vestimentis indutum, colore fulgidũ, valetudine quoque sanissimum, salutare curauit. Cui episcopus ait: Iam hunc in tota vrbe pro diuino haberis, quia de his quos morituros prænuntiasti, solus vnus remansit. At ille, vtinam sicut & illẽ quem viuere putas, defunctus est: sic ipse qui hunc sequi prædictus est, exiliret. Cúmque episcopus de eo tota curiositate requireret, & monachus dicere palpitaret, tãdem vbi die sexto se moriturum cognouit, expalluit atque contremuit: resumptísque viribus frenduit: quem redire volentem retinuit. Interiora cubiculi peruagus penetrauit: paulatim sibi fauces dolere persensit. Deinde sibi tacto pulsu mox febris signa cognouit: monacho credidit: domum suam disposuit: ad monasterium cui præerat, eisdem insulis redimitus, quibus à patriarchio reuersus fuerat, venit. Secunda feria cunctis tam subitam conuersionem mirantibus monachicum habitum suscepit: & paulatim ingrauescente molestia, sexte feriæ diluculo subdor miuit. Ac dẽnuò suscitatus apparuisse sibi sanctum Andream apostolum, séque circa horam tertiam vocandũ esse, sibíque præceptum perhibuit, vt quia suæ mortis expectatione suspensi monachi, sancti Fabiani munia solita celebrare non poterant, mox corpus suum sepulturæ traderent: Acceptis à se cereis ac thymiamatibus ad peragenda solennia festinaret. Hora itaque tertia episcopus lætus defungitur, vt in ipsa vultus eius lætitia conuersio ipsius deo fuisse placabilis cunctis videntibus monstraretur.

xcij. Eodem tempore germanus cuiusdam monachi mentis insaniam passus est, ita vt humana cõsortia fugiens, multo tempore peruagus per cryptas solitarias, & cœnosa monumenta discurreret. Cuius insaniæ frater nimium condolens, quotidie sanctum Gregorium profusis lachrymis precabatur, vt sibi fratrem sospitem reddere dignaretur. Itaque cùm nocte quadam post huiusmodi fletus quiesceret, beatus Gregorius apparuit ei dicens: Vidẽs lachrymas tuas, suscepi orationem tuam: & ecce germanum tuum tibi hodie sanum reducam. Et hoc tibi signum, quia statim vt dies illuxerit, iussu pontificis presbyter qui hic inclusus est extrahetur. Qui surgens matutinali tempore fratribus indicauit. Fortè tũc idem presbyter Campanus de loco qui Claustrum non longè à Terracina vocatur, à suis pro quodam crimine accusatus in eodem monasterio tenebatur, & temporibus multis labentibus à suis accusatoribus iam contẽptus, à suis cunctis quoquè fuerat in obliuionẽ deditus, cùm nullum propinquum, nullum in vrbe cognitum habere potuisset, qui de eo pontifici suggessisset, & monachi quidem pro eo satagerent, sed proficiendi aditum non haberent: pontifex diuinitùs recordatus eiusdem, diluculo hunc ab ergastulo iussit extrahi, liberúmque dimitti. Nec multò pòst monachi frater ita sanus reuersus est, vt videretur hactenus in eiusdem patris monasterio tantò fidelius deseruisse, quantò se illius administrũ meminit ad pristinam sanitatem remeasse.

xciij. Reuerendæ quoque memoriæ Nicolai pontificis tempore, regimen eiusdem monasterij Zacharia ciuitatis Anagninæ præsule sicut hodie superest procurante, fundum Barbilianum cuius superius feceram mentionem, pro incolarum sceleribus dæmon aggressus est: & in similitudine taurelli de pratis mugiendo ad domum recurrens, inuisibiliter suis corniculis virum sentiebatur noctu percutere, bouésque à præsepis extrahens, per contiguos campos, & compita cursu velocissimo fatigare. Cũmque hoc diutiùs faceret, crebróque rusticis noxius imminet: huiusmodi percussionibus saxulum quendam eiusdem prædij conductorem affligendo disperdidit. Deinde bubulcos aggressus, tanta cæde perdomuit, vt intra trium mensium spatium neminem illic præter vnum tantum Vrsellum nomine, quem similter affligebat, reliquerit. Qui Romam veniens, dum tantæ cladis periculum fratribus indicaret, interrupto sermone monasterij portis egressus est, & obstupentibus monachis non nisi mane facto reuersus est. A quibus curiosè discussus quonam se pridem tam subita velocitate proriperet, confessus est dicens: Dum vobis insaniam dæmonis reuelarem, taurellus adfuit, anterioribúsque pedibus me complectens, ac suis corniculis tundens, ante se cœpit minare, & tota nocte me subire muros coëgit & arbores. Cúmq; nouissimè per pontẽ me conaretur demergere de cõplexibus ipsius exilui: eumq; toto conamine fugiẽs, ad portas quas Euthymius œconomus fecerat monasterij huius peruenì: quas clausas inueniẽs, ambabus manibus ambos eius anulos apprehendi: & dum ab eis me luctaretur quẽdam calusꝰ pontifex obliquo latere se inter portarum rimas excutiens, ferula caput taurelli percussit: eúmque in fugam compellens, me ab illius percutionibus liberauit. Ego dum incolæ deperissent, & nullus ibidem habitator accederet, ac per hoc monachi pro desolatione loci satagerent, cuidam eorum Gregorius in somnis apparens iubet, vt si dæmonem à monasterij fundo voluissent repellere, ab oratorio sanctæ Martinæ in eodem fundo vsque ad oratorium sanctæ Mariæ ibidem in dominico constitutum, fratres cum litaniis aquam spargentes exorcizatam procederent. Quo facto ita dæmon ab omni monasterij fundo repulsus est, vt postea per confinij limites ore naribus atque oculis flammas eiicere, porcósque cogere à subulco notatus sit: sed intra fines monasterij nunquam intrare permissus.

xciiij. Alio quoque tempore Tetgaudus quondam Treuerensis episcopus qui cum Guntario Aggrippinæ Coloniæ episcopo à reuerendæ memoriæ Nicolao fuerat sacerdotali primatus officio, liberalitate Adriani pontificis in eodem monasterio mansionem suscepit. Cui beatus Gregorius in somnis apparens, maximum terrorem, quo de suo monasterio concitus egrederetur, incussit. Ille perpendens visum fuisse phantasticum, orationẽ facta rursus dormire cœpit. Cui Gregorius pontificali habitu redimitus apparens: Nõne, inquit, dixi tibi vt à monasterio meo, quod in rebus proprijs per inuocationem sancti Andræ apostoli Dominò dedicaui recederes, quia diuersorium fieri nullo modo licuisset? Cúmque Thetgaudus hospitandi sibi licentiam suscepisse se à pontifice respondisset, Gregorius ait: Et tu qui petisti, & ille qui dedit, vtríque contra Deum fecistis, cuius vindictam citiùs incurretis. Euigilans Thetgaudus intremuit, & facta oratione sopori se reddere voluit, cùm repentè venientium sonitum audiens expauit, séque dormire simulauit. Appropinquans ergo Gregorius sanctum Andream Apostolum per dexteram tenens, præcepit subdiacono qui se præibat cum lumine, dicens: Corripe eum. Qui dum correptus in lectulo clausis oculis resedisset, Gregorius ait: Aspice in nos. Intuitus in eos Thetgaudus magis intremuit: eúmque sibi taliter comminantem audiuit: Quia secundò commonitus verbis oris mei, credere noluisti, & me tua inobedientia adeò prouocasti, vt hunc Apostolum Dei huc fatigare studuerim, scito cognoscens, quia nisi hodie ab hoc monasterio meo recesseris, futura hebdomada cùm tuis omnibus vita priuaberis. Si verò recesseris, ab hac quidẽm momentanea sententia liberaberis: sed neque tu neque aliquis hic tecum degentium suam patriam reuidebit. Mox Thetgaudus lectulo se proripuit, & primò suis, deinde monasterij monachis, postremò quibuscunque potuit somnium reuelauit. Et quia aliud hospitium citius à pontifice impetrare non potuit, apud Sabinos consedens eodem anno cum suis omnibus vita priuatus est.

Eodem quoque tẽpore Suppo Piceni comes ibi applicuit, xcv. qui monachis quidem plurimam dapsilitatem ostendit, & in

rebus tam venerabilis monasterij vsurpationem suorum pro hibuit. Huius familiaris quidam nomine Faraldus existens, siquando Suppo ad palatium processisset, fornicarias illuc detestantibus monachis non verebatur inducere, atque cum eis commessationes & saltationes illicitas celebrare. Idémque noctis principio secessum petens, à spiritibus immundis in aëre per capillos apprehensus est, cúmque tota nocte pendens vocis officium non haberet, matutinalibus horis beatus Gregorius ei vidēdum se præbuit, dicens: Inimice Dei, non sufficiunt tibi alia mala quæ in meo monasterio peruicaciter perpetrasti, nisi insuper scenicas meretriculas in claustro monachico tanquam in theatro conducas? Crede mihi, hoc anno peribis. Tunc ille magnis cœpit viribus pœnitentiam supplicare, & de cætero plenam correctionem promittere. Continuò Gregorius iussit eum dimitti. Qui ad terram decidens, quia corrigi noluit, eodem anno veram fuisse Gregorij sententiam moriendo probauit.

Eiusdem comitis homo sub alio tempore Indulfus vo-
xcvj. catus est, cui dum cocus pro comparandis lignis denarios peteret, nullo modo potuit impetrare, sed nefario iure percepit licentiam, vt ategias & fenestras & vicini dormitorij tabulas aggressus diriperet, earumque ignibus sibi prandium præpararet, cùm sequenti nocte idem Indulfus ad secessum pergens, cur monasterij tabulas tam petulanter incendi præcepisset, à quodam sene discussus est. At ille more Gallico sanctum senem increpans follem, ab eo quidem virga leniter percussus est: sed vir superbus tanto pondere lapsus est, vt semiuiuus humi decumberet. Eodem momento sub eadem specie cuidam clerico foris dormienti idem senex apparuit, dicens: Surge, & dic Comiti, vt ab hoc meo monasterio in quo diuersorium fieri omnino non licet, antè quàm me ad iracundiam prouocet, saluus recedat. Ecce ego familiari eius mihi obnoxio, quem videlicet percussum ante secessum dimisi, congruam medelam refundam. Quem cùm quis esset clericus requireret, ipsum se esse perhibuit, qui ex pictura quæ eius lectulo præminebat, agnosci facilè potuisset. Statim cleri- G
cus surgens lumen arripuit, & ex picturæ similitudine sanctum Andream Apostolum sibi apparuisse cognouit. Itaque ad Indulfum iacentem perrexit, & eum semiuiuum iam reperit. Quem magnis eiulatibus clamare incipiens, tam comitem quàm cunctos qui sub eiusdem domibus dormiebāt, miserabili vociferatione venire coēgit, & in faciem iacentis aquam suffundens, per inuocationem sancti Andreę apostoli tandem aliquando loqui fecit: atque cuncta quæ sibi reuelata fuerant, cum eo pariter Comiti reuelauit. Qui die facto monachos euocauit, quid contra sanctum Andream commiserit, querelabundus inquirere cœpit. At illi deletum dormitorium cocorum manibus ostenderunt. Cúmque Deo de uotus Comes eos vellet supplicio subiugare, confessi sunt se illud ædificium Indulfi iussionibus deleuisse. Pro cuius reparatione dum Comes monachis argentum voluisset tribuere. Sergius magister militum restitit, promittens se pro co melius refecturum. Mox Comes humiliter à monasterij clau H
stro secedens, ad domum Petri filij quondam Caroli cum omnibus suis concessit: neque vlterius in eodem monasterio hospitium sibi dari concessit. Indulfus verò in domo eiusdē Sergij magistri militum derelictus disperiit, sibíque sanctum Apostolum præualuisse suo ipsius detrimēto monstrauit.

Nuper Dominicus quidam presbyter, Zacharia episco-
xcvij. po, de quo præfatus sum, Gregoriani monasterij curam gerente, præpositus extitit monasterij: qui carnis fragilitate corruptus, Eupraxiam quandam sanctimonialem à monasterio sancti Andreæ Apostoli quod appellatur Cliuus Scauri, diripuit vel subduxit, & in regione septem viarum loco qui dicitur Vipera, collocauit. Cui cùm corrupta sanctimonialis, quia latrinam & furnum cōtiguum non habebat, crebrò videretur molesta: infelix presbyter peccatum peccato connectens, vt meretriculæ placere potuisset, beatum Gregorium non recusauit offendere: cuius mirabilis imò saluberrimi fontis regulas diripiens, secessum & furnum prostitutæ fœminæ non erubuit fabricare. Quibus peractis, cùm sequenti nocte iam securior à querelis lasciuiæ mulieris in eadem domo dormiret, vidit duos quosdam terribiles cubicularios se ligatis E
manibus ad venerabile monasterium reducentes. Quos interrogans cuius præcepto sibi talia facerent, audiuit hoc Romanum pontificem præcepisse. Fortè tunc Ioannes sanctæ sedis apostolicæ pontifex contra Sarracenorum incursus littora peragrabat: cuius absentiæ ligatus presbyter recordatus, increpando subiunxit: Donnus Papa pridie contra Sarracenos perrexit, & vos quomodo dicitis quòd ipse me ligari iusserit, qui eum postea non vidistis? At illi dixerunt: S. Iannes Papa hinc abiit; sanctus Gregorius hic remansit, qui monasterij sui claustra solito more perlustrans, à te suum fontem reperit dissipatum, & nos ex eius tegminibus tuæ meretriculæ furnum ac necessarium vidimus coopertum. Quod presbyter vt audiuit, erubescens intremuit, eorúmque violentia se in corte monasterij teneri conspiciēs, quendam subdiaconum ab intimis egredientem, atque cubicularijs dicentem audiuit: Extendite eum, & cum quadraginta rubricis vēstrem, totidémque dorsum fornicatoris atque sacrilegi presbyteri verberate. Quarum doloribus re vera presbyter iam F
febricitans, excitatus ad monasteriū caballo impositus, dextra læuáque ab aliis sustentatus recurrit, reatus sui sententiam fratribus indicauit, quodque inuisibilibus verberibus sub febris specie laniatus, nihil aliud dicere poterat, nisi, Domine reficio, domine reficio. Cúmque interrogaretur cur hoc tam frequenter repeteret, dicebat se sub continuo verbere gemere: sicque sexto die sub hac miserabili voce defunctus est. Siquidem plurimis documentis probatum est in eodem venerabili monasterio fornicationis cōtagione pollutos diu subsistere omnino non posse.

Quo scilicet hactenus libra omnísque mensura quam i-
xcviij. dem beatus Gregorius instituit, cum modio reseruetur: de cuius mensura siquis ad opus monasterij panes velit efficere, triginta & quinque fiunt, singuli duntaxat trium librarum, si quis verò ad opus alterius, ad eundem numerū nunquam pertingit. Quod cùm præfatus Zacharias episcopus pro certo vellet addiscere, pro celebranda festiuitate beati Andreæ Apostoli decem modiorum tritici mensuram pistoribus dedit: è quibus pro vndecim modiis multiplicatos obstupescētibus eisdem pistoribus, panes recepit: qui vtique solicitè prius denumerātes, si superfluos aliquot inuenissent, sibi proculdubio reseruarent.

Sanè quàm frequenter beatus Gregorius tam illic quàm
xcix. in Apostolorum basilicis, necnon in patriarchio nunc exhortans innoxios, nunc verò deterrens obnoxios in ipsa suæ cognitionis effigie appareſcat, quia nunc narrare non valeo, hic huius operis adminiculante Domino terminum facio: & reliqua eiusdem patris miracula post me doctoribus memorāda relinquo. Cuius nimirum venerabile meritum quousq; mundi huius orbita voluitur, vt cum Paulo viro discretissimo fatear, semper accipiet incrementum: quia ipsius sine dubio gratiæ ascribitur, vel quod Ecclesia noua semper sobole fœcundatur, vel quod illius doctrinis multi per peccatum elongati, ad Christi clementiam reuertuntur: vel quòd boni quique ipsius suasionibus inflammati cœlestem patriam desideranter inquirunt.

Ecce studiosè pontificum, iussionis tuæ virtute coactus, c.
dum quædam gestorum beati Gregorij prædecessoris tui, Saxonum videlicet gentis Apostoli, deflorare desidero, virum descripsi rhetoricum scriptor ignarus. Sed deprecor vt ea curiositate qua me dudum hæc decerpere iusseras, ad omnium (sicut cœpisti) facias peruenire notitiam: vt in eo quod sacrosancto vestro iudicio placuisse me gaudeo, nulli penitus diiudicandus addicar, quin potius iudicaturus inueniar. Siquidem nuperrimè quando hunc quartum librum cooperante Domino claudere gestiebam, nocte qua dominicæ resurrectionis dies venerabilis illucebat, in somnis describens, quidam sub effigie cuiusdam veteris insidiatoris palàm videndum se præbuit, & candidissima tunica simúlq; tenuissima, cuius nimirum raritate nigredo subterioris tunicæ extra lucebat, sacerdotaliter insignitus mox proprius astitit, & inflatis buccis risum continere non potuit. Cui dum curulem præparare cogitarem, hunc supra modum cachinnantem cōspiciens, compellare videbar, quamobrem nocturno silentio tam petulanter, vir officij grauioris perstreperet. At ille, quia, inquite

inquit, tu scribis de mortuis, quos viuentes aliquando nun- A
quam vidisti. Cúmque ego tantò me veraciùs scribere, quantò incognitum facie, non autem incognitum lectione, sine vllo liuoris, vel adulationis vitio retulissem, respondit: Tu, sicut video, quod voluisti fecisti: at ego, quæ facere potero, non cessabo. Hæc dicens lucernæ flammas cuius lumine fortè fruebar, prorsus extinxit: & lychnum totum quidem extinguere non potuit, me tamen in tenebris constitutum ita perterruit, vt putarem me gladiis ab eo protinus iugulari: cùm pòst paululum desperanti mihi beatus Gregorius comitante secum dextrorsum reuerendę memoriæ Papa Nicolao, sinistrorsum verò (sicut mihi videbatur) Petro suo diacono, multo lumine clarificatus apparuit, dicens: Modicæ fidei, quare dubitasti? Cui dum ego priori pauore perculsus respondere non possem, beneuolus mihi pater Nicolaus latentem aduersarium post cortinam quæ tunc meum lectulum circundabat, digito manifestans, quia, inquit, hic inuidus lucernæ ipsius flammas quantum in se fuit, extinxit. Mox
Gregorius manum diaconi qua magnam facem tenere vide- B
batur, arripiēs, eiúsque flammis os faciémque petulantis exurens: ad instar Aethiopis denigrauit. Qua ex vstione paruissima scintilla descendens, candentem tunicam dicto citius conflagrauit: sicque nigerrimus totus apparuit. Cunque diaconus diceret satis aduersarium denigratum, beatus Gregorius, Nos, ait illum non denigrauimus, sed nigrum fuisse mōstrauimus. Deinde infortunium meum diuersis consolationibus exhortans abscessit: & facem quidem secum detulit, sed tanto lumine locum in quo dormiebam, re vera fulgentem dimisit, vt expergefactus pueros ante me dormiētes crebrius inclamarem: nec antè quicquam sub graui sopore quoquo modo responderent, aut surgere potuissent, quàm relictæ lucis copia paulatim se subtrahens, penitus effluxisset. At de his Deus viderit: ego tamen diuinæ spei fiducia roboratus, quia Gaudericus episcopus Veliternus expostulat, ad Clementem Romanæ sedis antistitem suffragante Domino stylum conuertam: quatenus qui continuis infortuniis tenuatus, C
amicis meis à quibus vtcunque sustentor, meritum reprendere nequeo, saltem verba quæ valeo minimè denegasse cognoscar.

Explicit liber quartus Vitæ beati Gregorij Romani pontificis.

SVscipe Romuleos pastor venerande triumphos
Gregorij sancti, suscipe gesta tui
Qui nituit factis, verbis, scriptísque beatis,
Vt iubar auricomi solis in orbe cluit.
Norma, decus, speculum tibi sit via, vita per æuum,
Tomus primus.

Si cupis æternum ferre sacerdotium.
Nam qui non huius sequitur vestigia præsul,
Ante deum præsul non erit, imò pecus.
Hinc Psalmista canit hominem simulare caballis
Ignauum stultis, qui sub honore perit.
Nocturnum dedimus sancto, cantúmque diurnum,
Carminibus clarum concinimúsque virum.
Redde vicem scriptor seruans cola, commata, puncta:
Ne tua mendosum pagina feruet opus.
Dissimilis cunctis vox, vultus, vita, voluntas,
Mens sociata bonis, dissociata malis.
Ludere me libuit variabilis ordine campi:
Postquam prosa fugit, musa iocosa redit.
Hæc mihi tu tribuis doctor preciose Gregori,
Qui bona das famulis, sed mala nulla tuis.
Vestitus cœpi, nudus tua munia dixi:
Indue me factis velleribúsque tuis.
Et quia mortalis desunt commercia carnis,
Da mihi sub pedibus posse iacere tuis.

VITA D. GREGORII MAGNI PER ADONem Episcopum Treuerensem.

Vixit hic anno domini. 1070.

ROmæ depositio sancti Gregorij Papę, qui *Habetur in*
nobili genere liberalibus artibus eruditus *rologio sub*
est. Deinde defunctis parentibus sex in *iiij. Martij.*
Sicilia monasteria construens, septimum intra vrbis muros constituit. In quo ipse post secularem habitum multis fratribus aggregatis, sub Abbatis imperio strenuè militauit, & suæ nobilitatis lineam moribus extulit, probis actibus decorauit. Nam qui antè sericis vestibus ac gemmis micantibus per vrbem solebat procedere trabeatus, pòst vili contectus tegmine, ministrabat pauper ipse pauperibus. Quibus monasteriis tantum de redditibus prædiorum delegauit, quantum posset commorantibus ad quotidianum victum sufficere, reliqua verò vendidit, ac pauperibus erogauit. Deinde coactus & multum renittens, factus vrbis Romæ summus Pontifex, Anglorum gentem ad fidem conuertit, directis videlicet sui monasterij monachis, Melito, Augustino atque Ioanne, & cum eis aliis plurimis fratribus. Regit autem gloriosissimè Romanam ecclesiam annis xiij. mensibus sex, & diebus decem. Augmentauit etiam in præfatione Canonis, Diésque nostros: in tua pace dispone.

Vixit hic anno Domini 1300.

VITA D. GREGORII MAGNI PER SIMEONem Metaphrastem.

BEATVS GREGORIVS, QVI sanctę Dei Ecclesiæ Romanę Pontifex fuit, antequam fieret Patriarcha, monachus erat in monasterio sancti Andreæ Apostoli, ad cliuum Scauri, prope templum sanctorum martyrum Ioannis & Pauli. Atque illi quidem monasterio ipse præerat. Matrem verò habuit beatam Syluiam, quæ tunc iuxta portam sancti Apostoli Pauli locum patrium, qui Cella noua dicitur, incolebat. Accidit vt, cùm in cellula ipse sua sederet & scriberet, accesserit ad eum mendicus voce supplici: Miserere mei, inquiens, serue Dei altissimi, qui cùm essem nauis gubernator, naufragium feci, & aliena meáque perdidi. At ille, vti benignus in pauperes, ac verè Christi seruus, vocato procuratore: Da, inquit, frater huic sex nummos aureos. Frater autem id, quod seruus Dei Gregorius mandauerat, fecit, mendicoque pecuniam dedit. Eodem rursus die pauper idem ad beatum Gregorium venit, &, Miserere mei, inquit, serue Dei altissimi, qui cùm multa amiserim, parum abs te accepi. Beatus autem Gregorius ministrum suum iterum vocauit, dixitque vt sex item numos eidem pauperi numeraret. Ac frater quidem paruit. Sed pauper cùm acceptis duodecim numis discessisset, ad beatum Gregorium paulò post rediit eodem die: Miserere, inquiens, mei, serue Dei altissimi, & aliquid rursum elargire, quoniam magnam iacturam feci. Procuratore tertium accersito, Da frater, inquit, huic pauperi sex alios nummos. At ille respondens: Crede mihi pater, inquit, ne vnus quidem in arca relictus est nummus. Cui beatus Gregorius: Nonne aliud quicquam habes in promptuario, vt vas aliquod aut vestimentum, quod pauperi largiaris? Nullum, respondit ille, vas habemus, præter argenteum illud, quod magna domina de more leguminibus plenum misit. Abi, inquit seruus Dei Gregorius, atque illud pauperi præbe. Frater autem fecit, quod sibi à beato Gregorio mandatum fuerat. Pauper igitur, acceptis duodecim nūmis & vase argenteo discessit. Cùm autem in sanctissima & maxima Dei Ecclesia veteris Romæ creatus esset Patriarcha, & quemadmodum Patriarcharum est consuetudo, quodam die thesaurario mandasset, vt duodecim pauperes ad mensam suam conuocaret, qui secum pranderent, paruit ille, ac pauperes conuocauit. Verùm cùm discubuissent cum Patriarcha, deprehensi sunt esse tredecim. Quamobrem accersito thesaurario: Nonne, inquit, mandaui tibi, vt duodecim vocares? Cur igitur tredecim vocasti præter sententiam meam? His ille auditis perterritus: Crede, inquit, mihi venerande domine, duodecim sunt nec alius quisquam, præter Patriarcham, tredecim vidit. Inter prandendum igitur Patriarcha tertiumdecimum illum spectabat, qui in summò scamno considebat. Et ecce facies eius varias formas sumebat. Modò enim senex, modò adolescensille videbatur. Itaque cùm è mensa consurrexissent, beatus Gregorius reliquis omnibus dimissis, tertiumdecimum illum, qui tam admirandus ipsi visus fuerat, manu apprehensum in cubiculum duxit, & allocutus est ad hunc modum: Adiuro te per magnam omnipotentis Dei virtutem, vt aperias mihi, qui sis, & quo nomine appelleris. Et ille: Cur, inquit, nomen meum quæris, quod est admirabile? Ego sum pauper ille, qui ad te veni in mansionem sanctæ Andreæ Apostoli, ad cliuum Scauri, cùm tu in cellula tua sederes ac scriberes, cui duodenos dedisti nūmos, & vas quod tibi beata mater tua Syluia cum leguminibus miserat. Itaque cùm perspicuum fuerit, te in cordis simplicitate, & patientia constantem permansisse, ex quo die mihi hæc tribuisti constituit Dominus, vt Ecclesiæ sanctæ suæ, pro qua proprium etiam sanguinem effudit, Pontifex fieres, & Petri principis Apostolorum successor esses, vt posses omnibus, quodcunque opus foret, subministrare. Vnde, beatus inquit Gregorius nosti, tunc Dominum, vt ego Pontifex fierem, decreuisse? Quia respondit, sum Dei Angelus omnipotentis, idcirco id noui. Et tunc Dominus misit me, vt animi tui propositum explorarem, & vtrum humanitate ductus, an ostentatione faceres eleemosynam. Quo beatus Gregorius audito timuit, neque enim antea eum Angelum esse cognouerat: & ideo cum illo, tanquam cum homine, egerat, & locutus fuerat. Dixit autem Angelus ad beatum Gregorium: Ne timeas, misit enim me Deus, vt tecum verser in hac vita. Quod ille cum audisset, humi prostratus in faciem suam, adorauit Dominum: Si propter exiguam hanc inquiens, ad promerendum animi propensionem tantum benignitatis cumulum clementissimus Dominus declarauit; vt Angelum suum mitteret, qui mei in perpetuum custos esset, quænam eorum futura est gloriæ magnitudo, qui mandatis eius obtemperabunt, & iustitiam colent? Verax enim est ille, qui dixit: Iudicio misericordiam præstari, & Deo fœnerari eum, qui pauperis miseretur. Quinetiam ipse Dominus Angelorum, qui salutis hominum auctor est, eos qui à dextris erunt collocati, sic alloquetur: Venite benedicti patris mei, paratam vobis à mundi constitutione suscipite regni hæreditatem. Et esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Sitiui, & dedistis mihi bibere. Hospes eram, & collegistis me. Aeger, & visitastis me. Nudus, & operuistis me. In carcere, & venistis ad me. Quatenus enim fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Quam quidem beatam vocem vtinam audiamus nos omnes qui hæc vel legimus, vel audimus, & consequamur ea bona sempiterna, quæ parauit Deus iis, à quibus diligitur, per gratiam atque humanitatem Domini nostri Iesu Christi, cui gloria in secula seculorum, Amen.

Gregorius

Floruit hoc anno domini. 1460.

VITA D. GREGORII PAPÆ EX PLATINA.

GRegorius patria Romanus, patre Gordiano, viro senatorio, vno omnium consensu inuitus etiam pontifex creatur, anno Domini D. X. C. Monachus namque erat ac leuita. Is autem, cùm principis consensus requireretur, nuntios cum literis miserat, qui Mauritium obsecrarent, ne pateretur electionem cleri & populi Romani ea in re valere. Interceptæ sunt literæ à præfecto vrbis ac discerptæ, scriptæque aliæ quibus rogabatur, vt quem populus ac clerus in Pontificem legisset, eundem imperator confirmaret: quo nihil ei nuntiari iucundius ac gratius potuit, cùm secum famiariter, dum Constantinopoli erat, Gregorius vixisset, filiúmque eius è fonte baptismatis leuasset. Remittit itaque Mauritius nuntios, ac quidem properè, qui Gregorium confirmarent, cogerentque hominem sanctissimum pontificatus gubernacula in tanta perturbatione rerum suscipere. Is itaque non sibi ipsi, sed vtilitati hominum, ac honori diuino consulens, quem certè ob religionem & pietatem rebus omnibus semper antetulerat, spretis opibus, posthabitis voluptatibus atque omni ambitione & potentia, gubernacula reipublicæ Christianæ suscipiens ita vixit, vt vsque ad tempora nostra neminem ex successoribus parem habuerit, nedum superiorem vel sanctitate vitæ, vel diligentia in rebus agendis, vel doctrina & scriptis. Nam & librum de sacramentis composuit, & antiphonariū tàm diurnum quàm nocturnum, & commentarios in Ezechielem, & quadraginta homilias in euangelia, in Iob quoque allegoricè ad mores & historiam respiciens, elegantèr scripsit. Edidit & libros quatuor in dialogo, & librum quem Pastoralem appellauit, ad Ioannem episcopum Rauennatem de ratione gubernandæ ecclesiæ. Instituit præterea, ne quid ornatus & concentus inter sacrificandum deesset, vt antiphonæ canerentur: hæ vulgo introitus vocantur. Eius quoque inuentum est, vt nonies Kyrie eleison caneretur, & Alleluia interpositis Septuagesimæ diebus vsque ad Pascha. Cantatur etiam post Euangelium, post communionem suo mandato. Idem quoque in canonē redegit, Diesq; nostros in tua pace disponas. Præterea verò supplicationes maiores, quas Græci litanias vocant, primus instituit. Stationum quoque magnam partem, maximè autem quę in basilica Petri habentur, die natali IesuChristi, in epiphania, in dominica Passionis, in albis Paschæ, in Ascensione, in Pentecoste, in natalibus Apostolorum, in tertia dominica Aduentus, in dedicatione eiusdem basilicæ, die festo sancti Andreæ, in cathedra Petri, dum maior Litania fit in sabbato quatuor temporum. Quid plura de hoc sanctissimo viro commemorem? cū omnis institutio ecclesiastici officij, veteris præsertim, ab eo sit inuenta & approbata, quem quidem ordinem vtinam sequeremur. Non abhorrerent hodie à lectione officij viri docti, quemadmodum faciunt propter barbariem nescio quam illi latinitati & compositioni additam. Ne verò vlla in re vir sanctissimus ecclesiæ deesset, synodum habuit apud S. Petrum quatuor & viginti episcoporum, qua certè multa sustulit quæ nocitura, multa etiam addidit quæ profutura fidei nostræ videbantur. Misit & viros optimos in Britanniam, Augustinum, Melitum & Ioannem, cúmque his monachos quosdam probatissimæ vitæ: quorum monitis & prædicationibus fidei nostræ dogma Angli tum primùm integrè receperunt. Rediere etiam Gothi Gregorij opera ab vnionem catholicæ fidei. Sunt præterea qui scribāt Gregorium dialogum suum de moribus ad Theudelindam longobardorum reginam misisse, cuius lectione præferocem & indomitum viri sui Autharis animum, ad religionem & mitiorem cultum redigeret. Erat enim matrona insignis, & fidei Christianæ studiosissima. Nam & basilicam, beati Ioannis Baptistæ Modœtiæ ædificauit, quod oppidum decem millibus passuum à Mediolano distat: & eandem ecclesiam prædiis ac vasis aureis ornauit. Ferunt eo tempore, quo Hermichildus à patre Leuigildo Gothorum rege interfectus est, quòd fidem catholicam confiteretur, Iesu Christi tunicam, quæ forte vni militum obtigerat, inuentam esse apud vrbem Zaphat in arca marmorea eo loci repositam, Thomæ Hierosolymitani episcopi, & Ioannis Constantinopolitani, ac Gregorij Antiocheni tempore. Interea verò Mauritius superatis in Hetruria & Campania, Exarcho Romano duce, & Longobardis, in omnia vitia & omnem arrogantiam prolapsus, legem tulit, vt qui Romanæ militiæ ascriptus esset, nisi finita militia, aut mancus & debilis ex vulnere factus, Deo militare non posset. Hanc ob rem motus Gregorius hominem admonet, ne eius religionem impugnet, cuius benignitate ex infima sorte hominum, ad summum gradum dignitatis peruenerat. Præterea verò cùm Ioannes Constantinopolitanus episcopus habita Græcorum synodo, seipsum œcumenicum, id est, vniuersalem patriarcham creasset, monuisset que Gregorium Mauritius, vt Ioanni obtemperaret, respondit homo constantis, ingenij & fidei, potestatem ligandi & soluendi Petro traditam eiúsque successoribus, non episcopis Constantinopolitanis: proinde desineret iram Dei in se concitare, dum seditiones studiose nimium in eius ecclesia serit. Nequaquam verò his malis contentus Mauritius, reuocatis militibus suis, qui in Italia erant, Longobardos adhortatur, vt spretis fœderibus iam ictis, Romanos adorirentur. Quare Agilulphus & Cisalpina mouens, vastatis longè ac latè Etruriæ agris, qua iter faciebat, vrbem Romam magnis illatis calamitatibus integrum annum obsedit. Quo quidem tempore Seuerus Aquileiensis episcopus in hæresim prolapsus est, quę multorum malorum seminarium fuit. Nam Seuero mortuo, Aquileiensis ecclesia bifariam diuisa est, cum Agilulphus Longobardorum rex, Ioannem Aquileiensem, Gregorius Candianum Gradensem Foroiulianis episcopos præfecissent. Agilulphus verò, omissa spe potiundæ vrbis, obsidionem soluens, Mediolanum rediit. At Mauritius non sponte, sed coactè pœnitentia ductus, cum Gregorio mitius agere cœpit, quod intellexerat quendam monachi habitu indutum, strictum gladium in manu tenentem, in foro Constantinopolitano clamasse, Imperatorem breui gladio moriturum. Hoc idem eius somnium confirmauit, quo se, vxorē ac liberos cædi videbat. Interim verò milites stipendiis suis defraudati, Phocam cēturionem imperatorē creant, & Mauritium obtruncant vndegesimo imperij sui anno. At Gregorius exornatis quibuscunque rebus potuit basilicis Romanis, dedicatáque Gothorum ecclesia, quæ in Sabura est Agathæ martyris nomine, flauij Ricimeris viri consularis opus (vt literæ suæ indicant) paternam domum in Cliuo Scauri positam non longè à circo maximo, in monasterium redegit. Quo in loco & hospites continuò accipiebat, & pauperes vndique confluentes, cibo & potu in vita retinebat. Vir certè omni laude dignus, si vitam, si mores, si doctrinam, si solertiam in rebus tum diuinis tum humanis inspicis. Neque est cur patiamur Gregorium hac in re à quibusdam literarum ignaris potissimum carpi, quòd suo mandato veterum ædificia sint dirura, ne peregrini & aduenæ (vt ipsi fingūt) ad vrbē religionis caula venientes, posthabitis locis sacris, arcus triūphales & monumenta veterum cum admiratione inspicerēt. Absit hæc calumnia tanto pontifice Romano præsertim cui certè post Deum, patria, quàm vita, charior fuit. Multa profectò ex collapsis ædificiis exedit vetustas, multa præterea demoliuntur homines ædificandi gratia, vt quotidie cernimus. Impacta illa foramina quæ tum in concauo fornicum, tum in conuincturis marmorum quadratorúmque lapidum videntur, non minus à Romanis, quàm à barbaris auellendi æris causa crediderim. In fornicibus enim, quo leuior esset moles, ollas cum numismatibus collocabant: lapides verò quadratos æneis clauis firmabant. Factum id quoque à Romanis dixi, si Epirotæ, Dalmatæ, Pannonij & sex totius orbis terrarum huc missa, Romani appellari possunt: Gregorius autem confirmata omni ratione ecclesia Dei, anno xiij. mense vj. die x. pontificatus sui moritur. Phocæ verò imperatoris anno secundo, sepelitúrque collachrymantibus om-

nibus in basilica Petri, ante secretarium, quarto idus Martij. Eius verò in morte mensibus quinque, diebus decem & nouem, sedes Romana tum vacat.

ONVPHRII ANNOTATIO.

VITA de hoc pontifice dicenda essent, à Platina vel omissa vel leniter tacta, puta de stationibus, ritibus Ecclesiasticis, cantoribus, septem Romanæ Ecclesiæ officiis, videlicet primicerio, secundicerio, arcario, sacellario, adminiculatore, primicerio defensorum & protoscrinario cum xij. scriniarijs, & alijs multis. Illud tantum de eius sepulchro dicam: Quòd moriens in extrema porticu ante basilicam sancti Petri Apostoli, prope secretarium, quod nunc dicitur, Sancta Maria de Febre (vbi etiam sepulti fuerunt Leo, Simplicius, Gelasius, Symmachus & aliquot alij Romani pontifices,) conditus est, vt lib. 4. eius vitæ tradit Ioannes diaconus: cuius corpus postea Gregorius iiij. intra basilicam transtulit, & sub beati Andreæ Apostoli altari collocauit.

Vixit hic anno Domini 1503.

VITA D. GREGORII PAPÆ EX IOANNE Stella sacerdote Veneto.

GREGORIVS magnus, Papa eius nominis primus, natione Romanus, patre Gordiano viro senatorio, post Pelagium pontificem sedit annis tredecim, mensibus sex & diebus decem. Doctor quidem eruditissimus humilimusq; atque sanctissimus: qui primus omnium pontificum se seruum seruorum Dei nominauit ac scripsit. Hic, vt dictum est, primò monachus & Ieuita existens, pontificale munus in multa rerum perturbatione constitutum, tandem inuitus suscepit: in quo sanè ita vixit, vt vsque ad tempora nostra neminem ex successoribus habuerit parem, nedum superiorem, vel sanctitate vitæ, vel diligentia in rebus agendis, vel doctrina & scriptis. Ea propter meritò terrestris Angelus vocari promeruit. Hic itaque suscepta dignitate, synodum apud sanctum Petrum vigintiquatuor episcoporum habuit. In qua quidem Gratiano testante, multa sustulit quæ nocitura erant, & multa edidit quæ profectura fidei nostræ videbantur: & præsertim quæ subiecta sunt ordinauit. In ea quippe synodo primò quatuor cõcilia, scilicet Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense decreto publico approbauit & confirmauit: necnon & quintum veneratus est, vt habemus in Can. dist. v. cap. *Sicut S. Euangelij*. Vetuit item eo in concilio, vt nullus bigamus ordinaretur presbyter. Mandauit præterea vltimam defuncti voluntatem modis omnibus obseruari debere: xiij. quæst. i. cap. *Voluntas vltima*. Vetuit item monasteria monialium introire, & earum commatres fieri posse. Addidit denique quadragesimali ieiunio quatuor dies, primo videlicet quartam, quintam, sextam feriam, & sabbatum, vt habetur de Consecrat. dist. v. cap. *Quadragesimam*. Introitumque Missæ cum vno versu alicuius Psalmi ordinauit. Eius etiam inuentum fuit, vt nouies Kyrie eleison diceretur: & Alleluia, & Offertorium, ac post communionem caneretur. Idem similiter in Canone addi, Diesque nostros in sua pace disponat, mandauit: rursus in principio omnium horarum canonicarum, Deus in adiutorium meum intende, cum Gloria patri dici debere. Supplicationesque maiores propter pestem sedandam, atque stationes pro maiori parte instituit. Quid plura? omnem Ecclesiastici officij institutionem ipse sanctissimus pontifex instituit & approbauit. Ipse quoque adhuc monachus in Sicilia sex monasteria ex paternis facultatibus ædificauit. Domum insuper suam Romæ religioni dedicauit. Ipse etiam Traianum imperatorem ab inferno liberauit. Pauperes præterea in domum paternam vndique confluentes excepit, & in vita cibumque ac potum semper ministrauit. Fuit denique vir hic omni laude dignissimus, si vitam, si mores doctrinamque inspicias, si solertiam cum in diuinis, tum in humanis rebus respicias. Hic quoque Anglos omnes & Vicegothas hæreticos ad fidem Christi conuertit, & ad vnionem veritatis reduxit. Confirmata denique hoc pacto ex omni parte Ecclesia, sanctissimus hic Gregorius secundo Phocæ imperatoris anno migrauit ad Dominum. Cuius corpus in diui Petri basilica omnibus conlachrymantibus quarto idus martij sepultum fuit: atque eo die eius natale celebratur. Eoque mortuo sedes vacauit mensibus quinque, diebus nouem decim.

Id testatur Ioan. damasc. in sermõe de mortuis adiuuandis.

VITA D. GREGORII PAPÆ EX HISTORIA vniuersali Fr. Ioan. Laziardi Cœlestini Parisiensis.

Claruit hic anno Domini 1510

GREGORIVS primus, natione Romanus, cœpit anno cccccccxxvj. cuius assumptio gratiosa atque miraculosa fuit. In cathedra Petri sedit annis xiij. cum dimidio, & diebus decem. Hic primus Romanorum pontificum se seruum seruorum Dei scripsit. Antiphonas regulariter intonauit. Introitus in Missa statuit, ad populum demulcendum. Deinde Kyrie eleison nouies, à Septuagesima vsque ad Pascha Tractus cantari præcepit, & post prædicta Euangelium & Offertorium ordinauit. Statuit etiam vt oratio dominica decantaretur alta voce, & vt semper in principiis horarum, Deus in adiutorium meum intende, à presbytero dicatur. Hic in singulis Romanæ vrbis Ecclesiis, in remissionem peccatorum, stationes singulis diebus Quadragesimæ ordinauit per fideles deuotione promptissima celebrandas. Et quia in dictis stationibus ipsarum institutor beatus Gregorius & plures in suo pontificio successores singulis eas digredientibus concessere indulgentias: vnde annuatim diebus Quadragesimæ plebs frequentat Romana, consequi arbitrans pœnæ debitæ ex fomite peccati relaxationem. Dictus etiam Pontifex ne antiquæ idololatriæ semen decætero præualeret, imaginibus idolorum capita & membra fecit generaliter amputari. Hic addidit in Canone Missæ, Diesque nostros in tua pace disponas. Quanta gratia emicuerit, quanto scientiæ lumine præditus fuerit, quantum pra sentibus & futuris exemplo operis & scripturis prodesse studuerit, mortalis lingua vix explicare posset. Eodem tempore tunica Domini inconsutilis in ciuitate Zaphat, non longè à Hierosolyma, Simonis Iudæi confessione inuenta, ab Episcopis Gregorio Antiochiæ, Thoma Hierosolymitano & Ioanne Constantinopolitano, Hierosolymas portata est. Eodem tempore apparuit in cœlo stella cometa. Nata sunt eodem tempore prodigia in suburbio Byzantij, puer videlicet quadrupes, & alter duos vertices habens. Eodem etiam tempore signum sanguineum in cœlo apparuisse visum est, & quasi hastæ sanguineæ, & lux clarissima quasi per totam videbatur noctem. Quædam mulier etiam infantem peperit sine oculis, sine manibus, qui à lumbis infrà erat sicut piscis. Sed & apud Aegyptum in Nilo flumine apparuerunt duo animalia humanæ formæ, vir scilicet & mulier. Vir quidem erat pecborosus, & vultu terribilis, iufa coma, canisque permixta, qui vsque ad lumbos cinctus monstrabatur & nudus: reliqua verò membra corporis cooperiebat aqua. Mulier verò mammillas habebat, & fœmineum vultum, cæsariemque prolixam, & vsque ad horam nonam modo & forma prædictis se palam cunctis videre volentibus ostendebat. Eodem etiam tempore Sol à meridie vsque ad meridiem minoratus est de tertia parte. Quo in tempore sanctus Lupus, qui patronus est contra morbum caducum, Ecclesiam regebat Senonesem. Dicto etiam tempore beatus Gregorius misit Augustinum cum Melito & Ioanne in Angliam, qui regem Athabertum vna cum gente sua Christi baptismate insigniuerunt. Hoc refert expressè historia Amotini in gestis Francorum lib. 3. dicens, quòd beatus Gregorius quasi in sui pontificatus initio

initio Augustinum, Melitum & Ioannem ad gentem destinauit Anglorum siue Britonum, conuertendam: regique Francorum & prælatis Ecclesiarum per quos transitum facere debebant, suis præcepit literis, vt ipsos commendatos habentes dirigerent in agendis: quorum prædicatione Anglorum plebs fidem suscepit orthodoxam, de quo beatus Gregorius in Moralibus faciens mentionem, sic dicit: Ecce lingua Britanniæ, quæ nihil aliud nouerat, quàm barbarum frendere, iam diuinis in laudibus verba cœpit Hebræa sonare. Ecce quondam tumidus iam substratus sanctorum pedibus seruit Oceanus. Et barbaros mores quos terreni principes domare nequiuerunt ferro, pro diuina formidine sacerdotum ora simplicibus verbis ligant: & qui catenas pugnantium infidelium nequaquam metuerat, iam nunc fidelis humilium verba timet.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE Theologi in laudem D. Gregorij Papæ epigramma.

CVrrite pastores ouium, quæ pascua tondent
Cœlica, quæ Christi fontes, & flumina potant
Currite, Gregorius Romanæ maximus vrbis
Pastor adit superos, totus lætatur olympus.
Hæc Martis bissexta dies, iam duxit Apollo
Frigore ab hyberno meliora ad sydera currum.
Insignis pietate pater fugitiua relinquens
Gaudia, & ad cœlum nixu conuersus anhelo
Vela dedit, nostróque ratem de littore soluit.
Nomina, rura, domos, terrena peculia vendens
Emit opes immortales: patrimonia factis
Grandia cœnobiis (meminit Trinacria Roma,
Helia ab antiquis Luza appellata) reliquit.
Sic diues, sic factus inops, & viuere adortus
Cœlestem vitam in terris consortia Diuum
Emeruit, sicut quando sub imagine Nautæ
Naufragium passi matris cratera recepit
Angelus, & rursum quando inter prandia finxit
Nunc iuuenis, nunc ora senis, cum sacra litanti
Ante oculos Romæ diui responsa dederunt.
Et cùm Romanæ post tot crudelia gentis
Funera Cæsarei residens in mole sepulchri
Angelus abscondit rutilantem cæde machæram.
Altus erat, fecit se humilem, potuítque putari
Decoxisse, tulit piceo vestita cucullo
Tempora: purpureas vestes pertæsus, & aurum,
Sed quantò magis ima petit, tantò altius alis
Præpetibus fertur virtus: est lucida quanquam
Non velit, apparet, solíque simillima mittit
Per rimas tenues radios, séque indicat ipsam.
At quid opus multis? Petro successit, & alto
In solio residens fastum nesciuit, & ægra
Mente tulit summum tanquam graue pondus, honorem.
Ore, manu facundus erat: monumenta supersunt
Plurima, satur adhuc, nec fari desinet vnquam.
Hic docuit cantare choros, melicíque animauit
Verba notis, sacríque dedit formámque, modúmque.
Composuit mores hominum, sua secula fecit
Sancta, sacerdoti decus vsque in sydera misit.
Sancte Pater cymbæ, cuius proreta fuisti
Atque gubernator, faueas, Scyllam, atque Charybdim
Nunc legit, aduerso Syrtes nunc remigat Euro.

CATALOGVS OPERVM DIVI Gregorij Magni Papæ.

Primo Tomo habentur hæc.

Præfixa est vita D. Gregorij per	*Gregorium Turonenſem*	*Fo.iiij.*
	Venerabilem Bedam	*iiij.*
	Ioannem Diaconum	*v.*
	Adonem Epiſcopum Treuerenſem	*xxxvj.*
	Simeonem Metaphraſtem	*xxxvj.*
	Baptiſtam Platinam	*xxxvij.*
	Ioannem Stellam Venetum	*xxxvij.*
	Fratrem Ioannem Laziardum	*xxxvij.*
Expoſitionum in beatum Iob Lib.xxxv.columna		*5.*
Curæ Paſtoralis partes quatuor		*869*
Dialogorum Libri quatuor		*938*

Secundo Tomo hæc inſunt.

Expoſitio in Cantica canticorum	*columna*	*1.*
Homiliarum in Ezechielem Lib. ij.		*39*
Homiliæ quadraginta in Euangelia		*213*
Explanatio in ſeptem Pſalmos Pœnitentiales		*361*
Epiſtolarum ex regiſtro beati Gregorij lib. xij.		*433.*
Decreta beati Gregorij tempore Mauricij, Tiberij & Theodoſij Auggg.		*825*
Enarrationum in lib. 1. Samuelis, qui & Regum primus dicitur lib. vj.		*835.*

Recèns acceſſerunt.

Concordia quorundam locorum ſacræ ſcripturæ	*1125.*
Flores beati Gregorij	*1140.*

MIRACVLVM DE INVENTIONE LIBRORVM MORALIVM BEATI Gregorij.

BEatus Gregorius papa librum beati Iob, petente ſancto Leandro Hiſpalenſi epiſcopo, expoſuit ſicut in prolongo Moralium patenter videri poteſt: & ei expoſitum tradidit. Illéque expoſitum eum in Hiſpaniam ad ſedem Hiſpalenſem detulit. Hiſpalenſis autem ciuitas vulgari nomine Sybilia vocatur, & eſt metropolis Hiſpaniæ. Decedente ergo beato Leandro, ſanctus Iſidorus, germanus eius, doctor præcipuus, loco eius factus eſt archiepiſcopus. Poſt cuius deceſſum, libri Moralium, quos beatus Leander attulerat, ita per negligentiam perditi ſunt, vt in tota Hiſpania non inuenirentur. Poſt aliquot ergo annos Cyndeſindus rex Hiſpaniæ cõcilium triginta epiſcoporum in vrbe Toletana congregauit: vbi querimonia facta de amiſsione Moralium, vnanimi conſilio epiſcoporum, præfatus rex † Tagionem Cæſaraugustanum epiſcopum Romam miſit cum epiſtolis ad Papam, pro quærendis eiſdem libris. Erat enim Tagio epiſcopus diuinæ ſcriptutæ amator feruentiſsimus. Venit ergo Romam, præſentatíſque regalibus epiſtolis & muneribus, cùm de die in diem videret petitionem ſuam à Papa differri, quaſi præ multitudine aliorum librorum, illi quos quærebat, non poſſent in archiuo ſedis Apoſtolicæ reperiri: ad vltimum poſtulauit, vt ſaltem ſibi licentia daretur, vna nocte integra in eccleſia beati Petri vigilandi & orandi. Qua accepta, cùm enixius obſecraret Deum, vt iam iámque ſui itineris effectus proſperaretur, ecce circa mediam noctem in ipſo orationis feruore perſiſtens, vidit totam eccleſiam immenſo lumine repleri. Deinde proſpicit magnam reuerendorum virorum, niueis veſtibus indutorum, multitudinem, ianuam eccleſiæ ingredientem, & decenti ordine binos & binos ad altare ſancti Petri tendentem. Cúmque nimio terrore perterritus de loco in quo ſtabat, ſe mouere non auderet, ecce vidit duos ex eis de cœtu illorum egreſſos ad ſe venientes. Ex quibus vnus dulciter ſalutans eum, percontatur quis eſſet, vnde & cur veniſſet, & cur ea hora ibi vigilaret. Epiſcopo verò ad ſingula reſpondente, totámque itineris ſui & orationis cauſam referente, is qui aduenerat, digitum protendens: In ſcrinio, inquit, illo quod cernis, continentur libri quos quæris. Tunc verò epiſcopus fiducia aſſumpta: Obſecro, inquit, mi domine, vt mihi ſeruo tuo pandere digneris, quænam ſit illa quam cerno, tam præclara virorum proceſsio? Protinus ille reſpondens: Duo, inquit, illi, quos præcedentes, ſéque inuicem manu inſerta vides complectentes, beati Apoſtoli ſunt, Petrus & Paulus. Reliqui verò quos poſt eos cernis ſtantes, ipſi ſunt ſucceſſores eorum, huius Apoſtolicæ ſedis pontifices. Et eodem ordine quo eos in epiſcopatu ſunt ſecuti, etiam nunc eos ſequũtur. Et ſicut hanc eccleſiam in vita ſua dilexerunt, ita & nunc poſt obitum diligunt, & frequenter eam inuiſere veniunt. Tunc epiſcopus: Oro, inquit, mi Domine, vt dicas mihi, quiſnam tu ipſe ſis. Ille reſpondit. Ego ſum Gregorius, pro cuius libris tanti itineris laborem ſuſtinuiſti. Ideóque nunc veni, vt tuæ ſatisfacerem petitioni. Tunc epiſcopus inquit, Obſecro domine mi (ſi hic eſt) mihi dicas quiſnam iſtorum eſt beatus pater Auguſtinus, cuius libros nõ minus quàm tuos dilexi. Reſpondit: Beatum Auguſtinum virum excellentiſsimum (de quo quæris) altior à nobis continet locus. Hæc dixit, ſtatímque cum ſocio qui ſecum venerat, ad cœtum aliorum rediit. Poſtea vidente epiſcopo, omnes ſimul ad altare beati Petri reuerenter ſubmiſſis capitibus inclinantes, eodem quo venerant ordine, ianuam eccleſiæ repetierunt, & cum lumine quod prius viderat receſſerunt. Mane autem facto præfatus epiſcopus domino Papę cuncta quæ viderat retulit. Sícque acceptos & deſcriptos libros Moraliũ in Hiſpaniam reportauit. Háncque viſionem eis deinceps prænotari & præſcribi inſtituit.

Hiſpalenſis ciuitas.

† *alias Tagionem.*

REVERENDISSIMVS DOMINVS

DOMINICVS EPISPCOPVS BRIXIENSIS, SVMMI PONTIFICIS SIXTI VICARIVS, HANC PRÆFA-

tionem Moralibus beati Gregorij papæ inseruit.

SAnctus Iob, exemplar patientiæ, librum edidit, in quo Dei prouidentiam magna ex parte nobis aperit: & quorundam hominum falsas de iudiciis Dei opiniones refellit: qui plærunque pœnas & huius mundi molestias atque incommoda & econtra corporis & externa bona, in causas referunt eis prorsus incognitas, cùm autem Propheta
Psalm.35. Psalm.72. *dicat: Iudicia Dei abyssus multa. Et iterum de eisdem: Existimabam vt cognoscerem, hoc labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum. Scripsit autem metro, cuius mensura in translatione seruari non potuit. Multa nanque sunt versuum genera, quibus prisci vtebantur, nobis incognita: ceu illud Deuteronomij*
Deut.32. *canticum: Audite cœli quæ loquar: metro currit.*
Iob.3. *Et hoc similiter carmen, ab eo loco: Pereat dies in qua natus sum, vsque ad calcem fere operis hexametrum est. Ex quo liquet non poëtas modo gentilium, sed vates quoque nostros numerosis versibus vsos, & eorum fuisse inuentores. Siquidem Moy-*
Exod.15. *ses, qui cecinit carmen illud, Cantemus Domino, gloriosè enim honorificatus est: & quod suprà memoratum est, eos omnes præcessit, quos Græci vetustissimos putant: Homerum scilicet & Hesiodum, & ipsum Troianum bellum: & longè superior fuit Musæo, Orpheo, Mercurio, & Apolline, quemadmodum Eusebius Cæsariensis clarè supputauit. Non magnum autem temporis decursum inter hos duos, scilicet Iob & Moysen autumant, qui rectè coniectari existimantur ab Esau Iob descendisse, & ipsummet historiam suam texuisse. Describit etiam hic Propheta resurrectionem futuram o-*
Iob.9. *mnibus aliis clarius, dicens: Scio quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum saluatorem meum quem ego ipse, non alius, visurus sum. Diabolum etiam super omnes filios superbiæ regem, sub figuris Behemoth & Leuiathan, id est, elephantis & piscis magni, siue serpentis marini, imitandis conditio-*
E *nibus, & multa alia: quæ legentibus eruditionem egregiam, & delectationem afferant. Hunc beatus Gregorius declarandum suscepit: commentariáque in eum edidit, vt plurimum iuxta sensum tropologicum: in triginta & quinque libros distincta, tanta eloquentia, tanta copia, tanta sententiarum grauitate, vt qui sacris literis delectantur, nihil ferè habeant, in quo magis possint, quæ ad mores & beatè viuendum spectant, contemplari: & idcirco Moralia appellata sunt. Eorum si authorem*
F *spectes, non solum magnæ doctrinæ, sed & authoritatis tibi erunt: quippe qui inter præcipuos enumeratur Ecclesiæ doctores. Si verò eiusdem authoris sanctitatem & religionem contemplatus fueris, tunc pietatis speculum, frugalitatis exemplar, pœnitentiæ normam, beatè viuendi regulam, & omnis virtutis ornamenta reperies. Hæc commentaria, quia magni admodum erant voluminis, non facilè haberi etiam à cupientibus poterant. Placuit autem clementissimo deo his nostris temporibus no-*
G *uam artem docere homines, vt per impressionem characterum facilima esset scriptio librorum: adeò vt à tribus hominibus, solum tres menses laborantibus, per impressionem formata sint horum Moralium trecenta volumina: ad quæ tota eorum vita haud quaquam sufficeret: si digitis & calamo, aut penna scribenda forent. Hac ipsa arte cùm multa opera hominum generi vtilia, in primis sacra, de hinc philosophorum, poëtarum, oratorum, historicorum, grammaticorum, & iurisconsulto-*
H *rum formata sint: tum etiam nuper hæc Moralia Gregorij pontificis maximi & sanctissimi, ad quæ habenda & legenda literarum studiosos, quàm maximè possum exhortor: & si quid in me est authoritatis, etiam admoneo: ne tanta dei beneficentia abutantur, tantam sacrarum scripturarum explanationem paruifaciant, tantam negligant disciplinam, quæ in hoc codice possunt paruo precio comparari.*

SANCTISSIMI

SANCTISSIMI CELEBERRIMIQVE

ECCLESIAE DOCTORIS GREGORII PAPAE, AD LEANDRVM EPISCOPVM, IN EXPOSITIONEM LIBRI BEATI

Iob, Epistola.

Reuerendissimo atque sanctissimo fratri suo Leonardo coepiscopo Gregorius seruus seruorum Dei.

DVdum te frater beatissime, in Constantinopolitana vrbe cognoscens, cùm me illic sedis apostolicæ responsa cõstringerent: & te illuc iniuncta pro causis fidei Vuisigothorum legatio perduxisset, omne in tuis auribus quod mihi de me displicebat, exposui: quoniã diu longéque conuersionis gratiam distuli: & postquã cœlesti sum desiderio afflatus, †sæcularem habitum contemnere melius putaui. Aperiebatur enim mihi iam tunc de æternitatis amore quod quę-
A rerem: sed inolita me consuetudo deuinxerat, ne exteriorem cultum mutarẽ. Cúmque adhuc me cogeret animus præsenti mundo quasi specie tenus deseruire, cœperunt multa contra me ex eiusdem mundi cura succrescere, vt in eo iam non specie, sed (quod est grauius) mẽte retinerer. Quę tandẽ cũcta sollicitè fugiẽs, portũ monasterij petij: & relictis quæ mundi sunt (vt frustra tũc credidi) ex huius mũdi naufragio nudus euasi. Quia enim plærunq; nauẽ incautè religatã, etiã de sinu tutissimo littoris vnda excutit, cùm tẽpestas excrescit: repẽte me sub prætextu ecclesiastici ordinis, in causarũ sæculariũ pelago reperi: & quietem monasterij (quia habẽdo nõ fortiter tenui) quã strictè tenẽda fuerit, perdendo cognoui. Nam cùm mihi ad percipiendũ sacri altaris ministeriũ, obedientiæ virtus opponit, hoc sub Ecclesię colore susceptũ est: quod si
B inultè liceat, iterũ fugiẽdo deflectatur. Post quę nolenti mihi atque retinẽti (cùm graue esset altaris ministeriũ) etiam pondus est curæ pastoralis iniunctũ. Quod tantò nũc durius tolero: quãtò me ei imparẽ esse sentiẽs, in nulla fiduciæ cõsolatione respiro. Quia enim mũdi iam tẽporalis, malis crebrescentibus, termino appropinquante turbata sunt, ipsi nos qui internis †mysteriis deseruire creditur, curis exteriorib' implicamur: sicut eo quoq; tẽpore quo ad ministeriũ altaris accessi, hoc de me ignorãte me actũ est, vt sacri ordinis põdus acciperẽ: quatenus in terreno palatio licentius excubarem. Vbi me scilicet multi ex monasterio fratres mei germana vincti charitate secuti sunt. Quod diuina factũ dispensãtione cõspicio, vt eorum semper exemplo, ad orationis placidum littus quasi anchorę fune restringerer, cùm causarum sæcularium incessabili impulsu fluctuarem. At illorum quippe consortium velut ad tutissimi portus sinũm, post terreni actus volumina fluctũsque fugiebam: & licet illud me ministerium ex monasterio abstractum, à pristinæ quietis vitæ mucrone suæ occupationis extinxerat: inter eos tamen per studiosæ lectionis alloquiũ quotidianæ me aspiratio cõpunctionis animabat. Tunc eisdem fratribus etiam cogente te placuit, sicut ipse meministi, vt librum beati Iob exponere importuna me petitione compellerent: & prout veritas vires infunderet, eis mysteria tantæ profunditatis aperirem. Qui hoc quoque mihi in onere suæ petitionis addiderunt vt non solum verba historiæ per allegoriarum sensus excuterem, sed allegoriarum sensus protinus in exercitium moralitatis inclinarem: adhuc aliud grauius adiungentes, vt intellecta quæque testimoniis cingentem: & prolata testimonia si implicita fortasse viderentur, interpositione superadditæ expositionis enodarem.

†sæculari habitu contegi me.

†aliàs, ministeriis.

Caput II.

MOx verò vt in obscuro hoc opere atque ante nos hactenus indiscusso, ad tanta me pertrahi ac talia cognoui, solo auditus pondere victus (fateor) lassatúsque succubui. Sed repente inter formidinem deuotionémque deprehensus, cùm in largitorem munerum oculos mentis attollerem, cunctatione postposita, ilicò certus attẽdi: quia impossibile esse non poterat, quod de fraternis mihi cordibus charitatis imperabat. Fore quippe idoneum me ad ista desperaui: sed ipsa mea desperatione robustior, ad illum spem protinus erexi, per quem aperta est lingua mutorum, qui linguas infantium facit disertas: qui immensos brutósque asinæ ruditus, per sensatos humani colloquij distinxit modos. Quid igitur mirum, si intellectũ stulto hominí prębeat, qui veritatem suã (cùm voluerit) etiam per ora iumentorum narrat? Hus ergo robore considerationis † accinctus, ariditatem meã ad indagandum fontem tantę profunditatis excitaui, & quanuis eorũ quibus exponere compellebar, longè me vita transcenderet, iniuriosum tamen esse non credidi, si fluenta vsibus hominũ plumbi fistula ministraret. Vnde mox eisdem corã positis fratribus priora libri sub oculis dixi, & quia tempus paulò vacãtius reperi, posteriora tractando dictaui. Cúmque mihi spatia largiora suppeterẽt, multa augens, pauca subtrahens, atque ita vt inuenta sunt nonulla derelinquens, ea quæ me loquente excepta sub oculis fuerant, per libros emendando composui: quia & cùm postrema dictarem, quo stylo prima dixerã, sollicitè attendi. Egi ergo vt & ea quæ locutus sum, studiosa emendatione transcurrens, quasi ad similitudinem dictatus e-
C rigerem: & ea quæ dictaueram, non longè à colloquentis sermone discreparent: quatenus dum hoc tenditur, illud attrahitur, edita modo dissimili res non dissimilis formaretur: quanuis tertiam huius operis partem vt colloquendo protuli, penè ita dereliqui: quia cùm me fratres ad alia pertrahunt, hanc subtilius emendari noluerunt. Quibus nimirum multa iubentibus dum parẽre modo per expositionis ministerium, modo per contẽplationis ascensum, modo per moralitatis instrumentũ volui, opus hoc per triginta & quinque volumina extensum in sex codicibus expleui. Vnde & in eo sæpe quasi postponere ordinem expositionis inuenior: & paulò diutius cõtẽplationis latitudini ac moralitatis insudo. Sed tamẽ quisquis de deo loquitur, curet necesse est, vt quicquid audientium mores instruit, rimetur: & hunc rectum loquendi ordi-
D nem deputet, si cùm opportunitas ædificationis exigit, ab eo se quod loqui cœperat, vtiliter deriuet. Sacri enim tractator eloquij morem fluminis debet imitari. Fluuius quippe dum per alueum defluit, si valles concauas ex latere contingit, in eas protinus sui impetus cursum diuertit, cúmque illas suffi-
cienter impleuérit, repentè se in alueum refundit. Sic nimirũ sic diuini verbi esse tractator debet: vt cùm de qualibet re disserit, si fortasse iuxta positam occasionem congruæ ædificationis inuenerit: quasi ad vicinam vallem linguæ vndas intorqueat. & cùm subiectæ instructionis campum sufficienter infuderit, ad sermonis propositi alueum recurrat.

Sap.10. Nume.22.

† consolationis.

Similitudo pulcha.

Caput III.

SCiendum verò est quòd quædam historica expositione transcurrimus: & per allegoriam quædam typica inuestigatione perscrutamur, quædam per sola allegoricæ moralitatis instrumenta discutimus, nõnulla autem per cuncta simul sol-

licitius exquirẽtes tripliciter indagamus. Nã primùm quidẽ fundamenta historiæ ponimus: deinde per significationẽ typicam, in arcem fidei fabricam mentis erigimus: ad extremũ quoque per moralitatis gratiam quasi superducto ædificiũ colore vestimus. Vel certè quid veritatis dicta, nisi reficiẽdę mentis alimẽta credenda sunt? Quæ modis alternãtibus multipliciter differendo, ferculũ ori offerimus, vt inuitati lectoris quasi conuiuæ nostri fastidium repellamus, qui dum sibi multa oblata considerat, quod elegantius decernit assumat. Aliquãdo verò exponere aperta historiæ verba negligimus: ne tardius ad obscura veniamus. Aliquando autem intelligi iuxta literã nequeũt: quia superficietenus accepta nequaquã instructionẽ legentibus, sed errorem gignunt. Ecce etenim
Iob. 9. dicitur: Sub quo curuantur, qui portãt orbem. Et de tãto viro quis nesciat quòd nequaquã vanas poẽtarũ fabulas sequi-
Iob. 7. tur: vt mundi molẽ subuehi giganteo sudore suspicetur: qui rursum pressus percussionibus dicit, Elegit suspendiũ anima mea, & mortem ossa mea. Et quis rectũ sapiens, credat virũ tanti præconij (quẽ videlicet cõstat ab ęterno iudice præmia pro patientiæ virtute recipere) decreuisse inter verbera suspendio vitã finire? Aliquando etiam, ne fortasse intelligi iuxta literam debeant, ipsa se verba literæ impugnant. Ait nan-
Iob. 3. que, Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est, Conceptus est homo, & paulòpost subiecit: Occupet ea caligo, & inuoluatur amaritudine. Atque in eiusdẽ noctis maledictione subiungit: Sit nox illa solitaria. Qui nimirũ natiuitatis dies ipso impulsu temporis euolutus, stare non poterat.

Caput IIII.

QVo igitur pacto hunc inuolui caligine optabat, qui elapsus iam non erat: & tamen si in natura rerum subsisteret, sentire amaritudinem nequaquam posset? Constat ergo quòd nullo modo de die insensibili dicitur: qui sensu percuti amaritudinis optatur. Et si conceptionis nox reliquis noctibus coniuncta decesserat, quo pacto hanc fieri solitariam explorat? Quæ vt à lapsu temporis figi non potuit, ita etiam nec à reliquarum noctium coniunctione separari. Qui
Iob. 7. rursum dicit: Vsquequo non parcis mihi, nec dimittis me vt
Iob. 6. glutiam saliuam meam? & tamen paulò superius dixerat: Quę prius tangere nolebat anima mea, nũc præ angustia cibi mei sunt. Quis autem nesciat saliuam facilius posse glutiri quàm cibum? Qui itaque se sumere cibum denũciat, incredibile est valde quo ordine glutire posse saliuam negat. Atque iterum
Iob. 7. dicit: Peccaui, quid faciam tibi ô custos hominum? vel certè:
Iob. 27. Consumere me vis peccatis adolescentiæ meę? Et tamen alia responsione subiungit: Nec enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. Quo ergo pacto à corde suo minimè in omni vita sua reprehenditur, qui peccasse se publica voce testatur? Neque enim simul vnquam conueniunt culpa operis, & irreprehensibilitas cordis. Sed nimirum verba literæ dum collata sibi cõuenire nequeunt, aliud in se aliquid quod quęratur ostendunt, acsi quibusdã vocibus dicant: Dum nostra nos cõspicitis superficie destrui, hoc in nobis quærite: quod ordinatum sibique cõgruens apud nos valeat intus inueniri. Aliquando autem qui verba accipere historiæ iuxta literam negligit, oblatum sibi veritatis lumẽ abscondit. Cúmque la-
Iob. 31. boriosè inuenire in eis aliud intrinsecus appetit, hoc quod foris sine difficultate assequi poterat, amittit. Sanctus nanque vir dicit: Si negaui quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci: si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea: si despexi prætereuntem, eo quòd nõ habuerit indumentum, & absque operimento pauperem: si nõ benedixerint mihi latera eius, & de vellerib⁹ ouium mearum calefactus est. Quæ videlicet si ad allegoriæ sensum violenter inflectimus, cuncta eius misericordię facta vacuamus. Diuinus etenim sermo sicut mysteriis prudentes exercet: sic plerunque superficie simplices refouet. Habet in publico vnde paruulos nutriat: seruat in secreto vnde mentes sublimium in admiratione suspendat. Quasi quippe fluuius (vt ita dixerim) planus & altus: in quo & agnus ambulet, & elephas natet. Vt ergo vniuscuisque loci opportunitas postulat, ita se per studium expositionis ordo immutat: quatenus tantò verius sensum diuinę locutionis inueniat, quantò vt res quę-

E que exegerit, se per causarum species alternat. Quam videlicet expositionem recensendã tuæ beatitudini (non quia velut dignam debui, sed quia te petẽte memini promisisse) trãsmisi. In qua quicquid tua sanctitas tepidum incultúmque repererit: tantò mihi celerrimè indulgeat, quantò hoc me ęgrũ dicere nõ ignorat. Nam dum molestia corpus atteritur, afflicta mente etiam dicendi studia languescunt. Multa quippe annorum iam curricula deuoluuntur, quòd crebris viscerum doloribus crucior: horis momẽtísque omnibus fracta stomachi virtute lassesco: lentis quidem, sed tamen continuis febribus anhelo. Inter quæ dum sollicitus penso, quia scriptum
Heb. 12. est: Omnis filius qui à deo recipitur flagellatur: quò malis præsentibus durius deprimor, eò de æternis certius præsumptione respiro. Et fortasse hoc diuinæ prouidentiæ consiliũ fuit, vt percussum Iob percussus exponerẽ: & flagellati mentem melius per flagella sentirem.

Caput V.

F SEd tamen rectè considerantibus liquet, quia aduersitate non modica, laboris mei studiis in hoc molestia corporalis obsistit: quòd carnis virtus cùm locutionis ministerium exhibere vix sufficit, mens dignè non potest intimare quod sentit. Quid nanq; est officium corporis, nisi organum cordis? Et quamlibet peritus sit cantandi artifex, explere artem non valet, nisi ad hanc sibimet ministeria exteriora concordent: quia nimirum canticum quod docta manus imperat, quassata organa propriè non resultant: nec artem flatus exprimit, si scissa rimis fistula stridet. Quãtò itaque grauius expositionis meæ qualitas premitur: in qua dicendi gratiam sic fractura organi dissipat, vt hanc peritiæ ars nulla componat? Quæso autem vt huius operis dicta percurrens, in his verborum folia non requiras: quia per sacra eloquia ab eorum tractatoribus in fructuose loquacitatis leuitas studiosè compescitur, dum in templo dei nemus plãtari prohibetur. Et cun-
† iacta. cti proculdubio scimus, quia quotiens in foliis male † lętę se-
G getis culmi proficiunt: minori plenitudine spicarum grana turgescunt. Vnde & ipsam artem loquendi, quam magisteria disciplinæ exterioris insinuant, seruare despexi. Nam sicut Grãmatica
huius quoque epistolæ, tenor ennunciat, non metacismi col- in sacris nõ
lisionem fugio: non barbarismi confusionem deuito, situs obseruãda.
motúsque præpositionum cassúsque seruare contemno: quia indignum vehemẽter existimo, vt verba cœlestis oraculi restringã sub regulis Donati. Neq; enim hæc ab vllis interpretibus in scripturæ sacræ auctoritate seruata sunt. Ex qua nimirum quia nostra expositio oritur, dignum profectò est: vt quasi edita soboles speciem suæ matris imitetur. Nouam verò translationem dissero, sed vt comprobationis causa exigit: nunc nouam, nunc veterem per testimonia assumo: vt quia sedes apostolica (cui auctore deo præsideo) vtraque vtitur: mei quoque labor studij ex vtraque fulciatur.

Finis Epostolæ.

H DIVI GREGORII
PAPAE PRAEFATIO IN EXpositionem beati Iob.

De qua stirpe, vel quo tempore fuerit Iob. *Caput I.*

INter multos sæpe quæritur quis libri beati Iob scriptor habeatur. Et alij quidem Moysen, alij vnũ quemlibet ex prophetis scriptorem huius operis fuisse suspicãtur. Quia enim in libro Geneseos Iobab Gene. 36.
de stirpe Esau descendisse, & † Bale filio † aliàs. Balach.
Beor in regnũ successisse describitur: hũc beatũ Iob lõgè ante Moysi tẽpora extitisse crediderũt, morem profectò sacri eloquij nesciẽtes: quia in superiorib⁹ suis partib⁹ solet breuiter lõgè post secutura perstringere, cũ studet ad alia subtili⁹ enunciãda properare. Vnde & illic Iobab priusquã reges in Israël existerẽt, fuisse memorat. Nequaquam ergo extitisse ante legẽ cognoscit, qui Israëliticorũ iudicum tempore

tempore fuisse signatur. Quod dum quidã minus cautè con-
A sideranti, Moysen gestorum illius quasi lõgè antepositi scriptorem putãt: vt videlicet is qui potuit ad eruditionem nostram legis præcepta edere, ipse credatur etiam ex gẽtilis viri historia, virtutis ad nos exempla mandasse. Nonnulli verò (vt dictũ est) scriptorem huius operis vnum quemlibet ex prophetis arbitrantur: asserẽtes quòd nullus tam mystica dei verba cognoscere potuit, nisi cuius mentẽ prophetiæ spiritus ad superna subleuauit. Sed quis hęc scripserit, valde superuacuè quæritur: cũ tamẽ auctor libri spiritussanctus fideliter credatur. Ipse igitur hæc scripsit qui hæc scribenda dictauit. Ipse scripsit, qui & illius operis inspirator extitit: & per scribentis vocẽ imitanda ad nos eius facta transmisit. Si magni cuiusdam viri susceptis epistolis legeremus verba: eáque quo calamo fuissent scripta, quæreremus: ridiculum profectò esset, si nõ epistolarũ & auctorem scire, sensúmque cognoscere: sed quali calamo earũ verba impressa fuerint, indagare
B studeremus. Cùm ergo rẽ cognoscimus, eiúsq; rei spiritũ sanctum auctorem tenemus, quia scriptorem quærimus: quid aliud agimus, nisi legẽtes literas, de calamo perscrutamur? Arbitrari tamen vĕrius possumus, quòd idem beatus Iob qui certamina spiritualis pugnę sustinuit: etiam consummatæ suę victoriæ gesta narrauit. Nec mouere debet quòd in eodem libro dicitur, dixit Iob: vel hæc atque illa pertulit Iob. Morisenim scripturæ sacræ est: vt ipsi qui scribunt, sic de se in illa quasi de aliis loquantur. Hinc est enim quod Moyses ait:
Numer. 12. Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra. Hinc Ioannes dicit: Hic est discipulus ille
Ioan. 19. quem diligebat Iesus. Hinc Lucas ait: quòd ambularent duo
Luce 24. ex discipulis in via, Cleophas, & alius. Quem profectò alium dum tam stũ diosè tacuit: vt (quidã dicunt) quid nisi seipsum fuisse monstrauit? Scriptores igitur sacri eloquij, qui impulsu sancti spiritus agitantur: sic de se in illo testimonium quasi de aliis proferũt. Spiritus ergo sanctus per Moysen locutus est de Moyse. Spiritus sanctus per Ioannem, locutus est de Io-
C anne. Paulus quoque, quia non ex seipso loqueretur, insinuat
2. Corin. 13. dicens: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Hinc est quòd angelus qui Moysi apparuisse describitur, modo angelus, modo dominus memoratur. Angelus videlicet, propter hoc quòd exterius loquẽdo seruiebat: dominus autem dicitur, quia interius præsidens, loquendi efficaciam ministrabat. Cùm ergo loquens ab interiori regitur, & per obsequium angelus, & per inspirationem domi-
Psalm. 77. nus nominatur. Hinc Dauid ait: Attendite popule meus legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei. Non enim lex Dauid, aut populus Dauid erat: sed personam eius ex quo loquebatur assumens, ipsius auctoritate loquitur, cuius inspiratione replebatur. Hoc quotidie fieri in ecclesia cernimus, si vigilanter intuemur. Nam stans in medio
Exod. 3. populi lector clamat: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Et quòd ipse Deus sit, verè profectò non dicit: nec tamen per hoc quod dicit, veritatis regulam deserit: quia cui ministerium lectione exhibet, eius dominũ voce prætendit. Itaque scriptores sacri eloquij, quia repleti spiritu sancto super se trahuntur, quasi extra semetipsos fiunt: & sic de se sententias quasi de aliis proferunt. Vnde & beatus Iob sancto spiritu afflatus, potuit sua gesta (quæ erant videlicet supernæ aspirationis dona) quasi non sua scribere: quia eò alterius erant quæ loquebatur, quò homo loquebatur quæ dei sunt: & eò alter quæ erant illius loquebatur, quò spiritus sanctus loquebatur quæ hominis sunt.

Quòd ad confutandam impudentiam populi Christiani Iob homo gentilis inroducitur. *Caput II.*

3. SEd iam debemus ista postponere, & ad consideranda sacræ historiæ gesta properare. Omnis homo eo ipso quo
† al. quanto se, quia de seipso nihil sit pensat. homo est, suum intelligere debet auctorem: cuius voluntati tantò magis seruiat, † quãtò se de seipso nihil esse pensat. Ecce autẽ conditi deum considerare negleximus, adhibita sunt præcepta. Præceptis quoque obtemperare noluimus, adiunguntur exempla: ipsa quoque imitari exempla declinauimus, quæ edidisse nobis positis sub lege conspicimus. Quia enim Deus apertè quibusdam sub lege positis locutus est: quasi

alienos nos ab eisdem pręceptis aspicimus, quibus hęc specialiter locutus non est. Vnde ad confutandam impudentiam nostram, gentilis homo ad exemplum deducitur: vt quia obedire homo legi sub lege positus despicit, eius saltẽ cõparatione euigilet, qui sine lege legaliter vixit. Erranti igitur homini data est lex: erranti verò etiam sub lege adducitur testimonium eorum qui extra legem sunt: vt quia conditi, conditionis nostræ ordinem seruare noluimus, præceptis admoneremur: & quia præceptis obedire contempsimus, exemplis cõfunderemur: nec (vt dictũ est) eorũ exẽplis quos lex astringeret, sed quos lex à peccato nulla cohiberet. Circunscripsit nos diuina prouidentia, circunuenit excusationem nostram: vndique conclusus est aditus tergiuersationis humanę. Homo gentilis, homo sine lege, ad medium adducitur: vt eorum qui sub lege sunt, prauitas confundatur. Quod bene per prophetam, ac breuiter dicitur: Erubesce Sydon, ait mare. In Sydone quippe figuratur stabilitas in lege positorum: in ma-
Esaiæ 23. ri autem, vita gentilium. Erubesce ergo Sydon, ait mare: quia
B ex vita gentilium redarguitur vita sub lege positorum: atque ex actione secularium confunditur vita religiosorum: dum illi etiam promittendo non seruant, quæ in præceptis audiũt: & isti viuendo ea custodiunt, in quibus nequaquam mandatis legalibus astringuntur. Qua verò authoritate liber iste sit 4.
præditus, ipsa sacrarum paginarum soliditas attestatur: dum
Ezech. 14. per prophetam Ezechielem dicitur, quòd tres solummodo viri liberentur, Noẽ scilicet, Daniel, & Iob. Nec immeritò inter Hebræorum vitas, in auctoritatis reuerentiam vita iusti gentilis adducitur, quia redemptor noster sicut ad redemptionem Iudæorum & Gentilium venit, ita vtrorunque vocibus prophetari voluit: vt per vtrunque populum diceretur, qui pro vtroque populo quãdóque pateretur. Vir itaque iste summis virtutibus fultus, sibi notus erat & deo? qui si non flagellaretur, à nobis nullatenus agnosceretur. Virtus quippe etiam per quietem se exercuit: sed virtutis opinio commota per flagella fragrauit: & qui quietus in seipso quod erat cõtinuit, commotus ad notitiam omnium odorem suæ fortitudinis aspersit. Sicut enim vnguenta, nisi commota, redolere latius nesciunt: & sicut aromata fragrantiam suam non nisi cùm incendunturexpandunt: ita sancti viri omne quod virtutibus redolent, in tribulationibus innotescunt. Vnde & rectè in E-
Matth. 17. uangelio dicitur: Si habueritis fidem tanquam granum sinapis: dicetis huic monti, Transi hinc, & trãsibit. Granum quippe sinapis nisi conteratur, nequaquã vis virtutis eius agnoscitur: nam non cõtritum lenę est; si verò conteratur, inardescit: & quod in se acerrimum latebat, ostendit. Sic vnusquisq; vir sanctus cùm non pulsatur, despicabilis ac lenis aspicitur: si qua verò illum tritura persecutionis opprimat: mox omne quod calidum sapit, ostẽdit: atque in feruorem virtutis vertitur, quicquid in illo antè despicabile infirmũmq; videbatur, quódque in se per tranquillitatis tempora libens operuerat, exagitatus tribulationibus coactus innotescit. Vnde bene per
Psal. 41. prophetam dicitur: In die mãdauit Dominus misericordiam suam & in nocte declarauit. Misericordia enim Domini in
D die mandatur, quia in tranquillo tempore cognoscendo percipitur: in nocte verò declaratur, quia donum quod in tranquillitate sumitur, in tribulationibus manifestatur.

Quantis virtutibus Iob claruerit. *Caput III.*

SEd subtilius perscrutandũ est, cur tot flagella pertulit, qui 5.
tantam virtutũ custodiam sine reprehẽsione seruauit. Humilitatem quippe habuit, quia & ipse testatur: Si contempsi
Iob. 31. iudiciũ subire cum seruo meo & ancilla mea, cùm disceptaret aduersum me. Hospitalitatẽ exhibuit, sicut ipse perhibet dicens: Foris nõ mansit peregrinus, ostium meũ viatori patuit. Disciplinę vigorẽ tenuit: vt ipse indicat dicẽs: Principes ces-
Iob. 29. sabant loqui, & digitum superponebãt ori suo. Mãsuetudinẽ in vigore custodiuit, sicut ipse fatetur dicẽs: Cúmq; sederem
Ibidem. quasi rex circunstante exercitu, eram tamen mœrentium cõsolator. Eleemosynarũ largitatem amplexatus est: vt insinuat
Iob 31. dicens: Si comedi buccellam meam solus, & pupillus non comedit ex ea. Cùm igitur omnium mandata virtutum perficeret: vnum ei deerat, vt etiam flagellatus agere gratias sciret.

Notum erat quia seruire Deo inter dona nouerat: sed dignũ
E fuit vt districtio seueritatis inquireret, vtrũ deuotus Deo &
inter flagella permaneret. Pœna quippe interrogat, si quietus
quis veraciter amat. Quęm hostis quidem vt deficeret peti-
uit, sed vt proficeret accepit. Fieri enim Dominus benignè
permisit, quod diabolus iniquè postulauit. Nam cùm idcirco
illum expetisset hostis vt consumeret, tentando egit vt eius
merita augeret. Scriptum quippe est: In omnibus his non
peccauit Iob labiis suis. Et quædam verba responsionem il-
lius imperitis lectoribus aspera resonant: quia sanctorum di-
cta piè intelligere (sicut dicuntur) ignorant: & quia animum
dolentis & iusti in semetipsis assumere nesciunt, ideo doloris
verba bene interpretari non possunt. Mentem quippe
Iob.1. patientis bene pensare nouit condescensio passionis. Cre-
dunt ergo beatum Iob in suis sermonibus deliquisse, minus
cautè intuentes: quia si beati Iob responsa redarguunt, falsam
Ibidem. etiam de eo domini sententiam fuisse testantur. Diabolo nã-
que à Domino dicitur: Cõsiderasti seruum meum Iob quòd
non sit ei similis super terram? vir simplex & rectus ac timẽs
Deum, & recedens à malo? Cui à diabolo mox respondetur:
Nunquid gratis Iob colit Deum? Nonne tu vallasti eum, cũ-
6. ctámque substantiam eius? Sed mitte manum tuam & tange
eum: si non in faciem benedixerit tibi. Hostis itaque in bea-
to Iob vires suas exercuit, sed tamen contra deum certamen
assumpsit. Inter Deum & diabolũ beatus Iob in medio ma-
teria certaminis fuit. Quisquis ergo sanctum virum inter fla-
gella positum in dictis suis peccasse asserit, quid aliud quãm
Deum qui pro illo proposuerat, excessisse reprehendit? Ipse
quippe in se tãti causam suscipere voluit, qui eum & ante fla-
gella prætulit, & præferens tentari per flagella permisit. Si er-
go excessisse Iob dicitur, laudator illius succubuisse perhibe-
bur: quamuis eum nullatenus deliquisse etiam dona testãtur.
Quis enim nesciat, quòd culpis non præmia, sed pœnæ de-
beantur? Qui ergo duplicia recipere quæ amiserat meruit, ex
remuneratione edocuit: quia nequaquã vitiũ, sed virtus fuit
omne quod dixit. Assertioni quoque huic adhuc adiungitur
G quòd ipse pro amicis delinquentibus intercedit. In grauibus
nanque peccatis quis positus, dum suis premitur, aliena non
diluit. Mundus ergo ostenditur esse de se, qui emundationẽ
potuit obtinere pro aliis. Si verò quibusdam displicet, quòd
bona sua ipse narrauit: sciendum est, quia inter tot rerum dã-
na, inter tot corporis vulnera, inter tot pignorum funera: a-
micis ad consolationem venientibus, & ad increpationem
prorumpentibus: de vita sua desperare cogebatur, & quem
tot detrimenta afflixerant, contumeliosa insuper increpan-
tium verba feriebant. Hi nanque qui ad consolandum vene-
rant, dum quasi iniustitiæ eius exprobrabant: desperare cũdẽ
de semetipso funditus cõpellebant. Quòd ergo bona sua ad
mentem reuocat, non se per iactantiam eleuat, sed quasi col-
lapsum inter verba & vulnera ad spem animum reformat.
† *al. zelo.* Graui enim desperationis † stimulo mens percutitur, † cùm
† *cum pro bonis malorum retributionibus.* supernæ iræ tribulationibus premitur, & foris linguarum op-
probriis vrgetur. Beatus igitur Iob tot dolorum iaculatione
cõfossus: dum labefactari per opprobria timuit, ad statum se
H fiduciæ ex anteacta vita confirmando reuocauit. Nequaquã
† *arrogantiæ.* ergo in † iactantiæ vitium cecidit, quia contra internum de-
sperationis impulsum, per exteriora præconiorum suorum
verba pugnauit, vt dum bona quæ fecerat diceret: nequaquã
† *al. quæsierat.* de bono quod † præscierat, desperaret.

Quòd cunctas tentationum machinas contra Iob Satan erexit.
Caput IIII.

7. SEd iam nũc ipsum ordinem tentationis eius exequamur.
Inimicus sæuiens, & sancti viri validissimum pectus de-
bellare contendens cunctas contra eum tentationum machi-
nas erexit: abstulit substantiam, interfecit filios, percussit cor-
pus, instigauit vxorem, amicos ad consolationem adduxit,
sed in asperitatem increpationis excitauit: alium quoque a-
micum durius increpantem in extrema & acriori inuectio-
ne seruauit, vt saltem crebrius feriendo cor attingeret, quod
nouo vulnere semper iteraret: quia enim in sæculo potẽtem
vidit, damnis substantiæ eum moueri credidit: quem cõ-
cussum ex filiorum morte pulsauit. Videns autem quia ad
augmentum diuinæ laudis etiam ex vulnere creuit orbitatis,
petiuit feriendam salutem corporis. Intuens etiam quia per
dolorem corporis peruenire nequiuerat ad passionem men-
tis, instigauit vxorem. Ciuitatem quippe quam expugnare
appetiuit, nimis munitam vidit: & idcirco exterius tot plagas
inferens, quasi foris exercitum admouit: animum verò vxo-
ris in verbis malæ persuasionis accendens, quasi intus ciuium
corda corrupit. Ex bellis enim exterioribus discimus, quid
de interioribus sentiamus. Inimicus nanque sæuiens, & vr-
bem exercitibus circũfusis vallans, si eius munimina inuicta
conspexerit, ad alia se pugnandi argumenta conuertit: vt in-
tus etiam quorundam ciuium corda corrumpat: quatenus
cùm extrinsecus impugnatores admouerit, internos quoque
habeat adiutores, atque † increscente belli foris certamine, † *intus grassante.*
de quorum intus fide confiditur, eorum perfidia vrbs desti-
tuta capiatur, Itaque exterius quasi ariete constituto, murum
ciuitatis istius tot ictibus perculit, quot vicibus aduersa nun-
ciauit. Intus autem quasi ciuium corda corrupit, dum fortia
F huius vrbis munimina persuasione destruere coniugis stu-
duit. Foris itaque admouit impetum belli, intus venena con-
silij: vt tantò citius vrbem caperet, quãtò eam interius exte-
riúsque turbaret. Quia autem nonnunquam plus conturbant
verba, quãm vulnera, amicorum se, vt dictum est, linguis ar-
mauit, Qui quidem quia seniores erant, de eorum verbis mi-
nus fortasse dolere poterat. Heliu iunior subrogatur, vt san-
ctum pectus tantò acriori vulnere percuteret, quantò con-
tra illud ictus brachij † validioris excitaret. Ecce ad ferien- † *al. vilioris.*
dum inuictissimum robur inimicus sæuiens, quod tentatio-
num iacula inuenit: ecce quot obsidionum machinamenta
circumposuit, ecce quot percussionum tela transmisit: sed in
his omnibus mansit mens imperterrita, steit ciuitas inconcus-
sa. Student hostes cùm contra faciem veniunt, alios ex
occulto transmittere, qui eo licentius pugnantis latus fe-
riant, quò is qui pugnat, intentius venientes contra faciem
spectat.

Quanta fuerit patientia Iob, & de diuersis percussionum generibus.
Caput V.

I Gitur Iob in huius certaminis bello deprehensus, suscepit
damna quasi hostes contra faciem: sustinuit verba conso-
lantium, quasi hostes ex latere: sed in his omnibus cirumacto
grauitatis suæ clypeo, vbique munit' astitit, vndique veniẽ-
tibus gladiis vigilanter obuiauit: amissam substantiam tacitè
despicit, carnem in filiis mortuã æquanimiter dolet, in se car-
nem percussam patienter tolerat, carnem in coniuge malè
suadentẽ, sapienter docet. Super hæc amici in asperã correp-
tionem prosiliunt: & pro sedando dolore venientes, vim
doloris adiungunt. Omnia ergo machinamenta tẽtationum
sancto viro vertuntur in augmenta virtutum. Per vulnera
quippe probatur eius patiẽtia: per verba verò exercetur eius
sapientia. Vbique fortiter occurrit, quia & flagella robore, &
verba ratione superauit. Amici verò eius, qui ad consolatio-
nem quidem veniunt, sed vsque ad verba increpationis ex-
cedunt, ignorantia magis credendi sunt, quàm malitia deli-
quisse. Neque enim tantum virum amicos iniquos habuisse
credendum est: sed dum discernere causas flagellorum ne-
queunt, in culpam dilabuntur. Percussionum quippe diuersa
9. sunt genera. Alia nanque est percussio qua peccator percuti-
tur, vt sine retractatione puniat: alia qua peccator percutit,
vt corrigatur: alia qua nonnumquam quisque percutitur,
non vt præterita corrigat, sed ne ventura committat: alia qua
plerunque percutitur, per quem nec præterita culpa corri-
gitur, nec futura prohibetur: sed vt dum inopinata salus per-
cussionem sequitur, saluantis virtus cognita ardentius ame-
tur: cúmque innoxius flagello atteritur, ei per patientiam
meritorum summa cumuletur. Aliquando enim peccator
percutitur, vt absque retractatione puniatur, sicut perituræ
Iudææ dicitur: Plaga inimici percussi te, castigatione crude- *Hiere.30.*
li. Et rursum: Quid clamas ad me, super contritione tua? In- *Ibidem.*
sanabilis est dolor tuus. Aliquando percutitur peccator vt
corrigatur, sicut cuidam in Euangelio dicitur: Ecce sanus *Ioan.5.*
factus es, iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contin-
gat. Verba enim saluantis indicant: quia peccata præcedentia
habiti vim doloris exigebant. Aliquando quisque non pro-
præterita

præterita culpa diluenda, sed pro futura vitanda percutitur, A
quod apertè Paulus Apostolus de semetipso testatur, dicens:
2.Cor.12. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi sti-
mulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet. Qui e-
nim nõ ait, quia extulit: sed, ne extollat, apertè indicat, quòd
percussione illa ne eueniat compescitur, non autem quæ e-
uenit culpa purgatur. Nonnunquam verò quisque nec pro
præterita, nec pro futura iniquitate percutitur: sed vt sola di-
uinæ virtutis potentia ex amputata percussione monstretur.
Vnde cùm Domino in Euangelio de cæco nato diceretur:
Ioan.9. Quis peccauit, hic aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? re-
spondit Dominus dicens: Neque hic peccauit, neque paren-
tes eius: sed vt manifestentur opera Dei. In qua manifesta-
tione quid agitur: nisi vt ex flagello & meritorum virtus au-
geatur, & cùm nulla præterita iniquitas tergitur, magna de
patientia fortitudo generetur? Vnde beatus idem Iob præ-
fertur prius voce iudicis, & põst manui committitur tenta-
toris, quem post flagella deus dum remunerans familiarius
B alloquitur, apertè quantum de verbere creuerit, indicatur. A-
mici ergo beati Iob, dum percussionũ genera distinguere ne-
sciunt, percussum pro culpa crediderũt: & dum Deum iustũ
in persecutione sua conantur asserere, beatum Iob compulsi
sunt de in iustitia reprobare: nesciẽtes videlicet ideo flagel-
latum, vt pro flagello cius, diuinæ gloriæ laus cresceret, non
autem vt per flagella peccata, quæ nunquam commiserat, e-
mendaret. Vnde & ad veniam citius redeunt, quia ignoran-
tia potius, quàm malitia peccauerunt. Quorum superbiam
diuina iustitia eò vehementer humiliat, quò nequaquam il-
los ad suam gratiam, nisi per eum quem despexerant refor-
mat. Valde quippe elata mens retunditur, si ipsi super quem
se exaltauit, supponatur.

Quòd sancti quasi stellæ noctem vitæ præsentis illuminant.
Caput VI.

10. SEd libet inter hæc mira diuinæ dispensationis opera cer-
nere, quomodo ad illuminandam noctem vitæ præsen- C
tis, astra quæque suis vicibus in cœli faciem veniant, quous-
que in finem noctis redemptor humani generis quasi verus
Lucifer surgat. Nocturnum nanque spatium dum decedẽ-
tium succedentiúmque stellarum cursibus illustratur, magno
cœli decore peragitur. Vt ergo noctis nostræ tenebras suo
tempore editus, vicissímque permutatus stellarum radius
tangeret, ad ostendendam innocentiam venit Abel. Ad do-
cendam actionis munditiam, venit Enoch. Ad insinuandam
longanimitatem spei & operis, venit Noë. Ad manifestan-
dam obedientiam, venit Abraham. Ad demonstrandam cõ-
iugalis vitæ castimoniam, venit Isaac. Ad insinuandam labo-
ris tolerantiam, venit Iacob. Ad rependendam pro malo bo-
næ retributionis gratiam, venit Ioseph. Ad ostendendam
mansuetudinem, venit Moyses. Ad informandam contra
aduersa fiduciam, venit Iosue. Ad ostendendam inter fla-
gella patientiam, venit Iob. Ecce quàm fulgentes stellas in
cœlo cernimus: vt inoffenso pede operis, iter nostræ noctis
D ambulemus. Nam cognitioni hominum diuina dispensatio
quot iustos exhibuit, quasi tot astra super peccantium tene-
bras cœlum misit, quousque verus lucifer surgeret, qui æter-
num nobis mane nuncians, stellis cæteris clarius ex diuinita-
te radiaret. Quem electi omnes dum bene viuendo præ-
cunt, & rebus & vocibus prophetando promiserunt. Nul-
lus etenim iustus fuit, qui non eius per figuram nuncius ex-
titerit. Dignum quippe erat vt in semetipsis bonum om-
nes ostenderent, de quo & omnes boni essent, & quod
prodesse omnibus scirent. Vnde & sine cessatione promi-
ti debuit, quod & sine æstimatione dabatur percipi, & sine
fine retineri: vt simul omnia sæcula discerent, quid in redem-
ptione comuni seculorum finis exhiberet. Vnde & necesse
fuit vt etiam beatus Iob, qui tanta incarnationis eius my-
steria protulit, eum quem voce diceret, ex conuersatione si-
gnaret, & per ea quæ pertulit, quæ passurus esset ostenderet:
tantóque verius passionis illius sacramenta prędiceret, quan-
11. tò hæc non loquendo tantùmmodo, sed etiam patiẽdo pro-
Ephes.1. phetaret. Sed quia redemptor noster vnam se personam cum
sancta Ecclesia, quam assumpsit, exhibuit (de ipso enim dici-
tur: Quid est caput omnium nostrũ, & de Ecclesia eius scri-
ptum est: Corpus Christi, quod est Ecclesia.) quisquis cum in
semetipso significat, modo hunc ex capite, modo ex corpore
designet: vt non solùm vocem capitis, sed etiam corporis te-
neat. Vnde & Esaias propheta eiusdem domini verba expri-
mens ait: Quasi sponso posuit mihi mitram: & quasi sponsam
ornauit me ornamento. Quia igitur ipse in capite spõsus, ipse *Esaiæ 61.*
est in corpore sponsa: necesse est vt cùm nonnunquam ali-
quid de capite dicitur, sensim ac subitò etiam ad vocem cor-
poris deriuetur: & rursum cùm de corpore aliquid dicitur, re-
pentè ad vocem capitis ascendatur. Beatus ergo Iob venturi 12.
cum suo corpore typum redemptoris insinuat: vxor verò
eius, quæ eum ad maledicendum prouocauit, vitam carna-
lium designat: qui intra sanctam Ecclesiam incorrectis mori-
bus positi, qui per fidem bonis iuxtà sunt, eò per vitam durius
premunt: quia dum quasi fideles vitari non possunt, à fideli-
bus tantò deterius, quanto & interius tolerantur. Amici ve-
rò eius qui dum consulunt inuehuntur, hæreticorum figuram
B exprimunt: qui sub specie consulendi, agunt negocium seduce-
ndi. Vnde & beatum Iob quasi pro domino loquuntur, sed
tamen à domino non approbantur: quia videlicet omnes
hæretici dum deum defendere nituntur, offendunt. Vnde eis
aptè & ab eodem sancto viro dicitur: Disputare cum Deo cu- *Iob.13.*
pio: prius vos ostendens fabricatores mendacij, & cultores
peruersorum dogmatum. Constat ergo eos hæreticorum ty-
pum errando gerere quos sanctus vir redarguit cultui peru-
ersorum dogmatum deseruire.

Quòd ex ipso nomine Iob, vel amicorum eius vitæ meritum vel actio designatur. *Caput VII.*

Omnis verò hæreticus in eo quòd Deum defendere cer-
nitur, veritati illius aduersatur: Psalmista attestante, qui *Psal.8.*
ait: Vt destruas inimicum & defensorem. Inimicus quippe &
defensor est qui Deum quem prædicat, moribus impugnat.
Nam quia beatus Iob venturi redemptoris speciem teneat
etiam nomine demonstrat. Iob quippe interpretatur dolens.
Quo nimirum dolore, vel mediatoris passio, vel sanctæ Ec- C
clesiæ labor exprimitur quæ multiplici præsentis vitæ fatiga-
tione cruciatur. Amici quoque eius ex vocabulo nominis,
meritum suæ indicant actionis. Nam Eliphas Latina lingua
domini contemptus dicitur. Et quid aliud hæretici faciunt, *Eliphas.*
nisi quòd dum falsa de Deo sentiunt eum superbiendo con-
temnunt? Baldath interpretatur, vetustas sola. Bene autem
omnes hæretici in his quæ de Deo loquuntur, dum non in- *Baldath.*
tentione recta, sed appetitione temporalis gloriæ videri præ-
dicatores appetunt, vetustas sola nominantur. Ad lo-
quendum quippe non zelo noui hominis sed vitæ veteris
prauitate concitantur. Sophar quoque Latino sermone dici- *Sophar.*
tur, dissipatio speculæ, vel speculatorem dissipans. Men-
tes nanque fidelium ad contemplanda superna se erigunt: sed
dum hæreticorum verba peruertere recta contemplantes ap-
petunt, speculam dissipare conantur. In tribus itaque amico- 13.
rum Iob nominibus, tres hæreticarum mentium perditionis
casus exprimuntur. Nisi enim Deum contemnerent, nequa-
quam de eo peruersa sentirent: & nisi vetustatis praua ver-
ba elatè loquẽdo contraherent, in nouæ vitę intelligentia nõ
errarent: & nisi in se speculationem bonorum destruerent,
nequaquam, eos superna † iustitia tam districto examine, † *al. iudicia*
pro verborum suorum culpa reprobaret. Contemnendo
igitur Deum, in vetustate se retinent: sed in vetustate
retinendo, prauis suis sermonibus speculationi rectorum
nocent.

Quòd hæreticorum sacrificia deo accepta esse non possunt, nisi catholicis manibus offerantur. *Caput VIII.*

QVia verò nonnunquam hæretici diuinæ gratiæ largitate
perfusi, ad vnitatem sanctæ Ecclesiæ redeunt, bene hoc
ipsa amicorũ reconciliatione signatur: pro quibus tamen bea-
tus Iob exorare prẹcipitur, quia hæreticorum sacrificia acce-
pta Deo esse nequeunt, nisi pro eis vniuersalis Ecclesię ma-
nibus offerantur: vt eius meritis remedium salutis inueniant,
quam verborum iaculis impugnando feriebant. Vnde & se-
ptem pro eis sacrificia memorantur oblata: quia dum septi-
formis gratiæ spiritum confitentes accipiunt, quasi septem

[Apoc.1.] oblationibus expiátur. Hinc eſt quod in Ioãnis Apocalypſi per ſeptem Eccleſiarum numerum vniuerſalis Eccleſia deſi- [Prouerb. 9.] gnatur. Hinc per Salomonem de ſapientia dicitur: Sapientia ædificauit ſibi domũ, excidit columnas ſeptem. Ipſo ergo ſacrificiorum numero reconciliati hæretici quid prius fuerint exprimunt qui perfectioni ſeptiformis gratiæ non niſi redeundo iunguntur. Bene autem tauros pro ſe & arietes obtuliſſe deſcribuntur. In tauro quippe ceruix ſuperbiæ: in ariete autem, ducatus gregum ſequentium deſignatur. Quid eſt ergo pro eis tauros arietéſque mactare, niſi eorum ducatum ſuperbum interficere: vt de ſe humilia ſentiant, & poſt ſe corda innocentium non ſeducant? Ceruice enim tumenti ab Eccleſiæ vnitate reſilierant, & infirmos poſt ſe populos quaſi ſequentes greges trahebant. Veniant igitur ad beatum Iob, id eſt, reuertantur ad Eccleſiam & ſeptenario ſacrificio tauros & arietes mactandos offerant: quia vt vniuerſali Eccleſiæ coniungãtur, humilate interueniente interficiant quid prius tumidum de ſuperbo ducatu ſapiebant.

Quod hæretici arrogantes argui debent, licet pro eis ſacrificium feruenter non poſſit offerri.* Caput IX. [* al. frequenter.]

PEr Heliu autem qui rectis quidem ſenſibus loquitur, ſed ad ſtulta elationis verba deriuatur, perſona vniuſcuiuſque arrogantis exprimitur. Multi nanque intra ſanctam Eccleſiam poſiti, recta quæ ſapiunt, rectè proferre contemnunt. Vnde diuinæ increpationis verbis arguitur, nec tamen pro illo ſacrificium offertur: quia fidelis quidem eſt, ſed tamen arrogans: per veritatem credulitatis intus eſt, ſed per tumoris ſui obſtaculum acceptabilis non eſt. Hunc ergo increpatio redarguit, ſed ſacrificium non reducit: quia in ea quidem fide eſt in qua eſſe debuit, ſed ſuperna hunc iuſtitia increpans pro ſuperfluis repellit. Vnde & bene Heliu Latino ſermone dicitur, Deus meus iſte, vel Dominus Deus. Arrogantes enim viri intra ſanctam Eccleſiam poſiti, quamuis deum elatè viuendo refugiant, eum tamen veraciter credendo confitentur. Quid eſt enim Deus meus iſte, nomine dicere, niſi eum cui crediderit, aperta profeſsione monſtrare? Vel quid eſt Dominum Deum dicere: niſi hunc & Deum per diuinitatem credere, & dominum ex incarnatione perhibere?

Quòd ſicut Iob in præſenti duplicia, ita ſanctæ Eccleſiæ poſt huius vitæ preſſuras duæ ſtolæ in vnitate Iudæorum & gentium, & animæ & corporis incorruptione reddentur. Cap. X.

14. BEne autem poſt damna rerum, poſt funera pignorum, poſt cruciatus vulnerum, poſt certamina pugnáſque verborum, duplici remuneratione ſubleuatur: quia nimirum ſancta Eccleſia adhuc etiam in hac vita poſita, pro laboribus quos ſuſtinet, duplicia munera recipit: cùm ſuſceptis plenè gentibus, in fine mundi Iudæorum etiam ad ſe corda conuertit. Hinc enim ſcriptum eſt: Donec plenitudo gentium [Roma.11.] ſubintroiret, & ſic omnis Iſraël ſaluus fieret. Duplicia & poſtmodum recipiet: quia finito labore præſentis temporis, non ſolum ad animarum gaudium, ſed etiam ad beatitudinẽ corporum aſcendit. Vnde bene per Prophetam dicitur: In [Eſaiæ 61.] terra ſua duplicia poſsidebunt. Sancti quippe in terra viuentium duplicia poſsident: quia nimirum beatitudine mentis ſimul & corporis gaudent. Vnde & Ioannes in Apocalypſi, quia ante reſurrectionem corporum clamantes ſanctorum animas vidit, accepiſſe eas ſtolas ſingulas aſpexit, dicẽs: Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt illis: vt [Apoc.6.] requieſcerent tempus adhuc modicũ, donec impleretur numerus cõſeruorũ & fratrũ eorum. Ante reſurrectionẽ quippe ſtolas ſingulas accepiſſe dicti ſunt, quia ſola adhuc mentis beatitudinẽ perfruuntur. Binas ergo accepturi ſunt quando cùm animarum perfecto gaudio, etiam incorruptione corporum veſtientur. Rectè autem afflictio quidem beati Iob dicitur, ſed quantitas temporis in eius afflictione reticetur: quia ſanctæ Eccleſiæ in hac vita tribulatio cernitur, ſed quanto hîc tempore conterenda atque differenda ſit, ignoratur. Vnde & ore veritatis dicitur: Nõ eſt veſtrum noſ- [Acto.1.] ſe tempora vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate. Per hoc ergo quòd beati Iob paſsio dicitur, docemur quod experimento nouimus. Per hoc verò quòd quantitas temporis in paſsione reticetur, docemur, quid neſcire debeamus. In longum præfationis verba protraximus, vt quaſi totum breuiter perſtringendo loqueremur. Sed quia ad loquendi initium diu loquendo peruenimus, debemus prius hiſtoriæ radicem figere, vt valeamus mentem poſtmodum de allegoriarum fructu ſatiare.

B. GREGORII MAGNI, PAPAE, MORALIS EXPOSITIONIS IN BEATVM IOB, LIBER PRIMVS.

TEXTVS LIBRI PRIMI IOB. Cap. I.

VIR erat in terra Hus, nomine Iob. Et erat vir ille ſimplex, & rectus, ac timens deum, & recedens à malo: Natíque ſunt ei ſeptem filij, & tres filiæ. Et fuit poſſeſsio eius ſeptem mila ouium, & tria milia camelorũ: quingenta quoque iuga boum, & quingentæ aſinæ, ac familia multa nimis. Erátque vir ille magnus inter omnes Orientales. Et ibant filij eius, & faciebant conuiuia per domos, vnuſquiſque in die ſuo. Et mittentes vocabant tres ſorores ſuas, vt comederent & biberent cum eis. Cúmque in orbem tranſiſſent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & ſanctificabat illos: conſurgénſque diluculo offerebat holocauſta per ſingulos. Dicebat enim: Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint deo in cordibus ſuis. Sic faciebat Iob cunctis diebus: Quadam autem die, cùm veniſſent filij dei, vt aſsiſterent coram domino, affuit inter eos etiam Satan. Cui dixit dominus: Vnde venis? Qui reſpondens, ait: Circuiui terram, & perambulaui eam. Dixítque dominus ad eum: Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra: homo ſimplex, & rectus, ac timens deum, & recedens à malo? Cui reſpondens Satan, ait: Nunquid fruſtra timet deum? Nónne tu vallaſti eum ac domum eius, vniuerſámque ſubſtantiam eius per circuitum? Operibus manuum eius benedixiſti, & poſſeſsio eius creuit in terra: ſed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ poſsidet, niſi in faciem benedixerit tibi. Dixit ergo dominus ad Satan: Ecce vniuerſa quæ habet, in manu tua ſunt: tantùm in eum ne extendas manum tuam. Egreſſúſque eſt Satan à facie domini. Cùm autem quadam die filij & filiæ eius comederent & biberent vinum in domo fratris ſui primogeniti, nuncius venit ad Iob, qui diceret: Boues arabant, & aſinæ paſcebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi: tulerúntque omnia, & pueros percuſſerunt gladio, & euaſi ego ſolus vt nuntiarem tibi. Cúmque adhuc ille loqueretur, venit alter, & dixit: Ignis dei cecidit è cælo, & tactas oues, puerósque conſumpſit: & effugi ego ſolus vt nuntiarem tibi. Sed & adhuc illo loquente, venit alius, & dixit: Chaldæi fecerunt tres turmas, & inuaſerunt camelos, & tulerunt eos: necnon & pueros percuſſerunt gladio, & ego fugi ſolus vt nuntiarem tibi. Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intrauit, & dixit: Filiis tuis & filiabus veſcentibus & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſsit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſsit liberos tuos, & mortui ſunt: & effugi ego ſolus vt nuntiarem tibi. Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram, adorauit & dixit: Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Dominus dedit, dominus abſtulit: ſicut domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen domini benedictum. In omnibus his non peccauit Iob labiis ſuis: neque ſtultum quid contra deum locutus eſt.

B. GREGORII MAGNI ECCLESIAE DOCTORIS CELEBERRIMI, Moralis expoſitionis in beatum Iob, ſuper primo capite textus, Liber primus.

Quòd res immenſi præconij ſit, inter malos laudabiliter conuerſari.

Caput I.

1. *VIR erat in terra Hus nomine Iob.*) Idcirco ſanctus vir vbi habitauerit dicitur: vt eius meritum virtutis exprimatur. Hus nãque quis neſciat quòd ſit terra [Hus.] gentilium? Gentilitas autem eò obligata vitiis extitit, quò cognitionẽ ſui conditoris ignorauit. Dicatur itaque vbi habitauerit, vt hoc eius laudibus proficiat quòd bonus inter malos fuit. Neque enim valde laudabile eſt bonum eſſe cum bonis: ſed bonum eſſe cum malis. Sicut enim grauioris culpæ eſt * inter bonos bonum non [* aliàs intra.] eſſe: ita immenſi eſt præconij bonum etiam inter malos extitiſſe. Hinc eſt quòd iiſdem beatus Iob ſibimet atteſtatur di- [Iob.30.] cens: Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum. Hinc Petrus magnis Loth laudibus extulit: quia bonum inter reprobos inuenit, dicens: Et iuſtum Loth oppreſſum à nefando- [2.Petri.2.] rum iniuſta conuerſatione eripuit. Aſpectu enim & auditu iuſtus erat habitans apud eos, qui de die in diem animam iuſti iniquis operibus cruciabant: Qui nimirum cruciari non poſſet, niſi praua propinquorum opera & audiret, & cerneret. Et tamen aſpectu & auditu iuſtus dicitur: quia iniquorum vita, non delectando iuſti aures atque oculos, ſed feriendo tangebat. Hinc Paulus diſcipulis dicit: In medio nationis [Philip.2.] prauæ & peruerſæ inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo. Hinc Pergami Eccleſiæ dicitur: Scio vbi habitas, vbi ſe- [Apo.2.] des eſt Satanæ: & tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam. Hinc ſancta Eccleſia ſponſi voce laudatur, cùm ei in amoris cantico dicitur: Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica [Canti.2.] mea inter filias. Bene ergo beatus Iob, memorata terra gentili, inter iniquos vixiſſe deſcribitur: vt iuxta ſponſi præconium inter ſpinas lilium creuiſſe monſtretur. Vbi rectè mox ſubditur:

Quòd ſimplicitas ſine virtute pro rectitudine habenda non ſit.

Caput II.

2. S*Implex & rectus.*) Nõnulli nanq; ita ſunt ſimplices, vt rectũ quid ſit ignorent: ſed eò veræ ſimplicitatis innocentiam deſerunt, quò ad virtutem rectitudinis non aſſurgunt: quia dum cauti eſſe per rectitudinem neſciunt, nequaquam innocentes perſiſtere per ſimplicitatem poſſunt. Hinc eſt quod Paulus diſcipulos admonet, dicens: Volo vos ſapientes eſſe [Roma.16.] in bono: ſimplices autem in malo. Hinc rurſus dicit: Nolite [1.Cor.14.] pueri effici ſenſibus, ſed malicia paruuli eſtote. Hinc per ſemetipſam veritas diſcipulis præcipit, dicens: Eſtote pruden- [Matt.10.] tes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Vtraque enim neceſſariò in admonitione coniunxit: vt & ſimplicitatem columbæ aſtutia ſerpentis inſtrueret, & rurſum ſerpẽtis aſtutiam columbæ ſimplicitas temperaret. Hinc eſt quòd ſanctus ſpiritus preſentiam ſuam hominibus, non in columba ſolummodo, ſed etiam in igne patefecit. Per columbam quippe ſimplicitas, per ignem verò zelus indicatur. In columba er- [Acto.2.] go, & in igne, ſanctus ſpiritus oſtenditur: quia quicunque illo pleni ſunt, ſic manſuetudini ſimplicitatis inſeruiunt vt contra culpas delinquentium etiam zelo rectitudinis accendantur. Sequitur:

Quod bona malis admixta, deo acceptæ esse non possint.
Caput III.

TIMENS Deum: & recedens à malo.) Deum timere, est nulla quæ facienda sunt bona, præterire. Vnde per Salomonem dicitur: Qui Deum timet, nihil negligit. Sed quia nonnulli sic bona quædã faciunt vt tamen à quibusdam malis minimè suspendantur: bene postquam timens Deum dicitur, recedens quoque à malo perhibetur. Scriptum quippe est: Declina à malo & fac bonum. Neque enim bona Deo accepta sunt, quæ ante eius oculos malorum admixtione maculantur. Hinc nanq; per Salomonem dicitur: Qui in vno offenderit, multa bona perdet. Hinc Iacobus attestatur dicens: Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Hinc Paulus ait: Modicum fermentum totam massam corrumpit. Beatus igitur Iob vt ostendatur quàm mundus in bonis extitit, solerter indicatur quàm alienus à malis fuit. Mos verò esse narrantium solet, vt cùm palestræ certamen insinuant, prius luctantium membra describant, quàm latum validúmque sit pectus, quàm sanum, quàm pleni tumeant lacerti: quàm subter positus venter, nec mole grauet, nec extenuatione debilitet, vt cùm prius aptos cettamini artus ostenderint, tunc demum magnæ fortitudinis ictus narrent. Quia ergo athleta noster contra diabolum fuerat certaturus, quasi ante arenæ spectaculum sacræ scriptor historiæ, in athleta hoc spiritales virtutes enumerãs, mentis membra describit, dicens: *Erat ille vir simplex & rectus, ac timens Deum & recedens à malo,*) vt dum membrorum positio magna cognoscitur, ex hac ipsa iam fortitudinis positione subsequens etiam victoria prænoscatur. Sequitur: *Quod constans Iob, in amissione substantiæ & filiorum extiterit. Natique sunt ei septem filij & tres filiæ.*) Sæpe ad auaritiam cor parentis illicit fœcunditas prolis. Eò enim ad ambitum congregandæ hæreditatis accenditur, quò multis hæredibus fœcundatur. Vt ergo beati Iob quàm sancta mens fuerit, ostendatur: & iustus dicitur, & multæ prolis pater fuisse perhibetur. Qui in libri huius exordio deuotus sacrificiis offerendis asseritur: promptus autem largitatibus etiam pòst à semetipso memoratur. Pensemus ergo quanta fortitudine prędituS extitit: quẽ ad hæreditatis tenaciam, nec tot hæredum affectus inclinauit. Sequitur: *Et fuit possessio eius septem milia ouium: & tria milia camelorum. Quingenta quoque iuga boum, & quingentæ asinæ, ac familia multa nimis.*) Scimus quia ad maiorem dolorem mentem commouent damna maiora. Vt igitur ostendatur quãtæ virtutis extitit: multum fuisse dicitur quod patienter amisit. Nunquam quippe sine dolore amittitur, nisi quod sine amore possidetur. Itaque dum substantia magna describitur, & tamen paulo pòst patienter amissa perhibetur: quam sine dolore perdidit, constat quia sine amore possedit. Notandum quoque est, quòd prius cordis diuitiæ, & pòst opes corporis describuntur. Solet etenim rerum abundantia, tantò magis à diuino timore mentem soluere, quantò magis hanc exigit diuersa cogitare. Nam dum per multa spargitur: stare in intimis fixa prohibetur. Quod per semetipsam veritas cùm parabolam seminantis exponeret, indicauit dicens: Qui seminatus est in spinis, hic est qui verbum Dei audit, & sollicitudo istius seculi, & fallacia diuitiarum, suffocant verbum: & sine fructu efficitur. Ecce beatus Iob & multa possidere dicitur: & paulo pòst diuinis sacrificiis instãter deseruire perhibetur. Cõsideremus ergo cuius sanctitatis iste vir fuerit, qui ad tam sedula Dei obsequia sic occupatus vacauit. Nẽdum precepti virtus emicuerat, quæ omnia relinqui præciperet, sed tamẽ beatus Iob eiusdem iam præceptionis vim in corde seruabat: quia nimirum substantiam suam mente reliquerat, quam sine delectatione possidebat. *Erãtque vir ille magnus inter omnes Orientales.*) Orientales viros esse prædiuites quis ignorat? Magnus verò inter Orientales extitit, acsi apertè diceretur: quia & diuitibus ditior fuit. Et ibant filij eius, & faciebant conuiuia per domos, vnusquisque in die suo: & mittentes vocabant tres sorores suas, vt comederent & biberent cum eis.) Solet inter fratres maior substantia, discordiæ fieri grauioris causa. O inæstimabilem paternæ institutionis laudem. Et pater diues dicitur, & filij concordes asseruntur. Et dum diuidenda inter eos substantia aderat, corda tamen omnium indiuisa charitas replebat. *Cùmque in orbem transissent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob & sanctificabat illos, surgénsque diluculo offerebat holocausta per singulos.*) Cùm dicitur, mittebat & sanctificabat illos, apertè demonstratur quid districtionis erga illos præsens ageret, quibus absens sollicitudine non deesset.

Quod conuiuia sine culpa celebrari non possunt, & penè epulas comitatur voluptas.
Caput IIII.

SEd hoc nobis solerter intuendum, quòd peractis diebus conuiuij purgatio per singulos adhibetur holocausti. Vir quippe sanctus nouerat, quia celebrari conuiuia sine culpa vix possent, nouerat quia magna purgatione sacrificiorum, diluendæ sunt epulæ conuiuiorum: & quicquid in semetipsis filij conuiuantes inquinauerant, pater sacrificium immolando tergebat. Nonnulla quippe sunt vitia quæ à conuiuiis aut separari vix possunt, aut certè nequaquam possunt. Penè enim semper epulas comitatur voluptas. Nam cùm corpus in refectionis delectatione resoluitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Vnde scriptum est: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Penè semper epulas loquacitas sequitur. Cunque venter reficitur, lingua defrenatur. Vnde rectè diues apud inferos aquam appetere describitur, dicens: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Prius epulatus quotidie dicitur splendidè: & pòst aquam petere in lingua memoratur. Quia enim, vt diximus, inter epulas valde defluere loquacitas solet, ex pœna indicat culpam: cùm eum quem epulatum quotidie splẽdidè veritas dixerat, in lingua plus ardere perhibebat. Hi qui chordarum harmoniam temperant, tanta hanc arte dispensant, vt plerũque cùm vna tangitur, longè alia ac multis interiacentibus posita corda quatiatur: cũque ista sonitum reddit, illa quæ in eodem cantu temperata est, aliis impercussis tremit. Sic ergo in scriptura sacra plerumque de virtutibus, sic de vitiis agitur: vt dum loquendo aliud insinuat, aliud tacendo innotescat. Nihil enim contra diuitem de loquacitate memoratur, sed dum pœna in lingua dicitur: quæ in conuiuio inter alias grauior fuerit culpã monstratur. Cùm verò septem, per singulos dies, fratres conuiuia facere describuntur, & peractis diebus conuiuij Iob septem sacrificia offerre perhibetur: apertè historia indicat, quòd beatus Iob octauo die sacrificium offerens, mysterium resurrectionis colebat. Dies nanq; qui nunc dominicus dicitur, à morte redemptoris est tertius, sed in ordine conditionis octauus, qui & primus in cõditione est. Sed quia reuolutus septimum sequitur, octauus rectè numeratur. Qui ergo octauo die offerre septem sacrificia dicitur, plenus septiformis gratiæ spiritu pro spe resurrectionis Domino deseruiisse perhibetur. Vnde & Psalm. pro octaua præscribitur, in quo gaudium de resurrectione nunciatur. Sed quia beati Iob filij tanta fuerãt disciplina bonæ institutionis accincti, vt neque per facta in conuiuiis, neque per verba delinquerent: apertè monstratur cum subditur: *Dicebat enim: Ne forte peccauerint filij mei & benedixerint Deo in cordibus suis.*) Perfectos quippe esse in opere & sermone docuerat, pro quibus de sola pater cogitatione metuebat.

Quòd de alterius conscientia non sit temerè iudicandum.
Caput V.

QVia verò de alienis cordibus iudicare temerè non debeamus: in sancti huius viri verbis agnoscimus, qui non ait, Quia benedixerunt Deum in cordibus suis: sed, Ne fortè benedixerint Deo in cordibus suis. Vnde bene per Paulum dicitur: Noli te ante tempus iudicare, quoadusq; veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Quisquis enim in cogitatione à rectitudine exorbitat, in tenebris peccat. Nos ergo tantò minus debemus aliena corda audacter reprehendere, quantò scimus quia visu nostro non possumus alienæ cogitationis tenebras illustrare. Sed in hac re solerter intuẽdum est, quanta pater seueritate potuit filiorum opera corrigere, qui tanta sollicitudine studuit corda mundare. Quid ad hæc rectores fidelium dicunt, qui discipulorum suorum & aperta opera nesciunt? Quid in sua excusatione cogitant, qui in commissis sibi nec vulnera actionum curant? Vt verò huius sancti viri operis

operis etiam perseuerantia demonstretur, rectè subiungitur: *Sic faciebat Iob cunctis diebus.*) Scriptum quippe est: Qui perseuerauit vsque in finem, hic saluus erit. In sacrificio igitur sancta actio: in cunctis autem diebus sacrificij, constantia sanctæ actionis ostenditur. Hæc breuiter historiam sequendo transcurrimus nunc ordo expositionis exigit, vt exordium repetentes allegoriarum iam secreta pandamus. *Vir erat in terra Hus, nomine Iob.*) Hæc per historiam facta credimus, sed per allegoriam iam qualiter sint impleta, videamus. Iob nanque, vt diximus, interpretatur dolens: Hus verò consiliator. Quem ergo alium beatus Iob suo nomine exprimit, nisi eum de quo Propheta loquitur dicens: Dolores nostros ipse portauit. Qui Hus terram inhabitat quia in corde populi consiliatoris regnat. Paulus quippe ait: Christum Dei virtutem, & Dei sapiẽtiam. Atque hæc ipsa sapientia per Salomonem dicit: Ego sapientia habito in consilio, & eruditis interfum cogitationibus. Hus ergo terram inhabitat Iob: quia sapientia, quæ pro nobis passionis dolorem sustinuit, corda vitæ consiliis dedita, sibimet habitationem fecit. *Et erat vir ille simplex & rectus.*) In rectitudine iustitia, in simplicitate autẽ mansuetudo signatur. Plærũque nos cùm rectitudinem iustitiæ exequimur, mansuetudinẽ relinquimus: & cùm mansuetudinem seruare cupimus, iustitiæ rectitudinem declinamus. Incarnatus autem Dominus, simplicitatem cum rectitudine tenuit, quia nec in mansuetudine districtionem iustitiæ, nec rursum in districtione iustitiæ virtutem mansuetudinis amisit. Vnde cùm quidam deducta adultera hunc tentare voluissent, vt in culpam, aut immansuetudinis, aut iniustitię laberetur, ad vtraque respondit dicens: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat: dat simplicitatem mansuetudinis, Qui sine peccato est vestrum, dat zelum iustitiæ, Primus in illam lapidem mittat. Vnde & ei Propheta dicit: Intende prosperè, procede, & regna propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam. Veritatem quippe exequens, mansuetudinem cum iustitia conseruauit: vt nec zelum rectitudinis in mansuetudinis pondere amitteret, nec rursum pondus mansuetudinis zelo rectitudinis perturbaret. Sequitur: *Ac timens Deum & recedens à malo.*) Scriptum est de illo: Et repleuit eum spiritus timoris Domini. Incarnatus enim Dominus in semetipso, omne quod nobis imperauit, ostendit: vt quod præcepto diceret, exemplo suaderet. Iuxta humanitatis ergo naturam redemptor noster Deum timuit, quia vt superbum hominem redimeret, * mentem pro illo humilem sumpsit. Cuius bene per hoc quòd recedere à malo, Iob dicitur, & actio designatur. Ipse quippe recessit à malo, nõ quod faciendo contigit, sed quod inueniendo reprobauit: quia vetustam quam natus inuenit, humanæ conuersationis vitam deseruit: & nouam quam secum detulit, sequacium moribus impressit.

Quòd septenarium numerum frequentissimè sacra scriptura pro perfectione ponere consueuit.
Caput VI.

NAtique sunt ei septem filij, & tres filiæ.) Quid in septenario numero, nisi summa perfectionis accipitur? Vt enim humanæ rationis causas de septenario numero taceamus, quæ asserunt quòd idcirco perfectus sit, quia ex primo pari constat, & primo impari: ex primo qui diuidi potest, & primo qui diuidi non potest: certissimè scimus quod septenarium numerum scriptura sacra pro perfectione ponere consueuit. Vnde & septimo die Dominum requieuisse ab operibus asserit. Hinc est etiam quòd septimus dies in requiem hominibus, id est, in sabbatum datus est. Hinc est quod iubileus annus, in quo plena requies exprimitur, septem hebdomadibus consummatur qui monade addita nostræ adunationis summa impletur. *Nati sunt ergo ei septem filij.*) ad prædicandum scilicet viriliter incedentes Apostoli. Qui dum perfectionis præcepta peragunt quasi superioris sexus fortitudinem in cõuersatione tenuerunt. Hinc est enim quòd perfectione septiformis gratiæ spiritus implendi duodecim sunt electi. A septenario quippe numero, in duodenarium surgitur. Nam septenarius suis in se partibus multiplicatus, ad duodenarium tendit. Siue enim quatuor per tria, siue per quatuor tria ducantur, septem in duodecim vertuntur. Vnde & sancti Apostoli, quia sanctam Trinitatem in quatuor mundi partibus prædicare mittebantur, duodecim sunt electi, vt etiam numero perfectionẽ ostenderent, quã vita & voce prædicarent. *Natæ sunt & ei tres filiæ.*) Quid in filiabus, nisi infirmiores fidelium plebes accipimus, fidem sanctę Trinitatis tenentes? Quę etsi in perfectione operis nequaquam forti virtute permanent, fidem tamen Trinitatis cognitam constanter tenent. In septem ergo filiis ordo prædicantium: in tribus verò filiabus multitudo auditorum signatur. Possunt etiam per tres filias, tres ordines fidelium designari. Post filios quippe filiæ nominantur, quia post Apostolorum conspectam fortitudinem, tres distinctiones fidelium in Ecclesiæ conuersatione secutæ sunt, pastorum videlicet, & continentium atque coniugatorum. Vnde & Ezechiel propheta tres liberatos viros audisse se asserit, Noë scilicet, Danielẽ & Iob. Quid enim per Noë (qui arcam in vndis rexit) nisi præpositorum ordo designatur, qui dum ad formam vitæ populis præsunt, sanctam Ecclesiam in tentationum fluctibus regunt? Quid per Danielem (cuius mira abstinentia describitur) nisi continentium vita figuratur, qui dum cuncta quæ mundi sunt deserunt, despectæ Babyloniæ alta mente dominantur? Quid per Iob, nisi bonorum coniugatorum vita signatur, qui de rebus mundi quas possident, dum pia opera faciunt quasi per terræ viã ad cœlestem patriam tendunt? Quia igitur post sanctos Apostolos tres istæ fidelium distinctiones secutæ sunt, rectè post filios, tres filiæ natæ memorantur. Sequitur: *Et fuit possessio eius septem milia ouium, & tria milia camelorum.*) Quia fideles auditores ex varia conuersatione collecti sunt, quod prius vniuersaliter memoratis filiis & filiabus dicitur, hoc distinctè postmodum appellatione animalium subinfertur. Quid enim aliud in septem milibus ouium, nisi perfectam quorundam innocentiam exprimit, quæ ad * perceptionem gratiæ, ex legis pascuis venit? Quid verò in tribus milibus camelorũ, nisi ad plenitudinem fidei veniens, torta gentilium vitiositas designatur? In scriprura autem sacra aliquando cameli nomine ipse Dominus, aliquando autem populus gentilis exprimitur. Cameli enim nomine Dominus designatur, sicut ab eodem Domino Iudæis aduersantibus dicitur: Liquantes culicem, camelum autem glutientes. Culex enim susurrando vulnerat, camelus autem sponte se ad suscipienda onera inclinat. Liquauerunt ergo Iudæi culicem, quia seditiosum dimitti latronem petierunt: Camelum verò glutierunt, quia eum qui ad suscipienda nostræ mortalitatis onera sponte descenderat, extinguere clamando conati sunt. Rursus cameli nomine gentilitas designatur. Vnde & Rebecca ad Isaac veniens, dorso cameli deducitur: quia ad Christum ex gentilitate Ecclesia properans, intortis vitiosissque vitæ veteris conuersationibus inuenitur. Quæ viso Isaac descendit quia Domino cognito, vitia sua gẽtilitas tadeseruit, & ab elatione celsitudinis, ima humilitatis petiuit. Quæ & verecundata pallio velatur, quia coram illo ex anteacta vita confunditur. Vnde & per Apostolum eisdem gentibus dicitur: Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Quia igitur per oues. Hebræos à pascuis legis ad fidem venientes accipimus, nihil obstat vt per camelos, tortos moribus, atque onustos idolorum cultibus, gentilium populos sentiamus. Quia enim ex semetipsis sibi inuenerunt, deos, quos colerent: quasi à semetipsis eis onus in dorso excreuerat quod portarent. Potest etiam per camelos (quia communia sunt animalia) Samaritanorum vita signari. Cameli nanque ruminant, sed nequaquam vngulam findunt. Samaritani quoque quasi ruminant, quia ex parte legis verba recipiunt: & quasi vngulam non findunt, quia eam pro parte contemnunt: qui etiam graue onus in dorso mentis tolerant, quia in omne quod faciunt, sine spe æternitatis elaborant: fidem quippe resurrectionis nesciunt. Et quid esse grauius atque onustius potest, quàm afflictionem seculi prætereuntis perpeti, & nequaquam ad releuationem mentis, gaudia remunerationis sperare? Sed quia in carne Dominus apparens, & Hebræorum populum perfectionis gratia impleuit, & Samaritanorum quosdam ad cognitionem fidei, mira opera ostendendo, perduxit: dicatur rectè de vmbra quæ ueritatem exprimeret,

quòd & septem milia ouium, & camelorum tria missa possideret. Sequitur: *Quingenta quoque iuga boum, & quingentæ asinæ.*) Iam superius dictum est, quòd in quinquagenario numero (qui septem hebdomadibus ac monade addita impletur) requies designatur: denario autem numero summa perfectionis exprimitur. Quia verò fidelibus perfectio quietis promittitur, quasi quinquagenario decies ducto ad
16. quingentesimum peruenitur. In scriptura autem sacra boum nomine aliquãdo hebetudo fatuorum, aliquando bene operãtium vita designatur. Quia enim bouis nomine, stultorum
Prouer.7. vecordia figuratur, rectè per Salomonem dicitur: Statimq; eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam. Rursum, quia boum nomine vita vniuscuiusque operantis exprimitur, legis præcepta testantur, quæ per Moysen præcepit, dicens:
Deute.25. Non alligabis os boui triturãti. Quod apertè rursus dicitur:
Lucæ.10. Dignus est operarius mercede sua. Asinorum quoque nomine aliquando stultorum pigritia, aliquando immoderata petulantium luxuria, aliquando gentilium simplicitas designatur. Stultorum pigritia, asinorum appellatione figuratur, sicut per Moysen dicitur: Non arabis in boue simul & Asino.
Nume.22. Ac si diceret: Fatuum sapiẽtibus in prædicatione non socies, ne per eum qui implere rem non valet, illi qui præualet obsistas. Immoderata quoque petulantium luxuria, asinorum
Ezech.21. appellatione exprimitur, vt Propheta testatur, qui ait: Quorum carnes sunt vt carnes asinorum. Asinorum rursus nomi-
Matt.21. ne, simplicitas gentilis ostenditur. Vnde Hierusalem tendens Dominus, asellum sedisse perhibetur. Quid est enim sedendo asinam Hierusalem venire, nisi gentilium simplicia corda possidendo, ea ad visionem pacis regẽdo & præsidẽdo perducere? Quod vno & facili testimonio ostenditur: quia & per boues Iudæi operarij, & per asinum gentiles populi desi-
Esaiæ.2. gnantur, cùm per Prophetam dicitur: Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui. Quis enim bos, nisi Iudaicus populus extitit, cuius ceruicem iugum legis attriuit? Et quis asinus, nisi gentilitas fuit, quam quilibet seductor reperit quasi brutum animal, & nulla ratione renitens, quo voluit errore substrauit? Bos ergo possessorem, & asinus domini præsepe cognouit, quia & Hebraicus populus Deum quem colebat, sed ignorabat, reperit: & gentilitas legis pa-
6. bulum quod non habebat, accepit. Quod igitur superius nominatis ouibus & camelis dicitur, hoc inferius in bobus & asinis replicatur. Habuit verò & ante redemptoris aduentum Iudæa boues, quia ad prædicandum misit operarios, quibus
Matth.23. voce veritatis dicitur: Væ vobis hypocritæ, qui circumitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselytum, & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos. Quos graue iugum legis presserat, quia exteriora literæ mãdata to-
Matth.11. lerabant. Quibus veritatis voce dicitur: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meũ super vos, & dicite à me, quia mitis sum & humilis corde. Quod ergo in Euangelio bene laborantibus requies promittitur, hoc est quod hic iuga boum quingenta memorãtur. Quia qui redemptoris Dominio colla subiiciunt, quo,
17 nisi ad requiem tendunt? Vnde & asinæ quingentæ perhibentur, quia vocatæ plebes gentilium, dum ad requiem peruenire desiderant, cuncta madatorum onera libẽter portant. Vnde beae quod hanc requiem populus gentilis appeteret, Iacob filios alloquens, prophetica hoc studuit voce signare,
Gene. 49. dicens: Isachar asinus fortis, accubans inter terminos, vidit requiem quòd esset bona, & terram quòd optima, & suppo-suit humerum ad portandum. Inter terminos nanque accubare, est præstolato mundi fine requiscere: nihilque de his, quæ nunc in medio versantur, quærere, sed vltima desiderare. Fortísque asinus requiem ac terram optimam videt, cùm simplex gẽtilitas idcirco se ad robur boni operis erigit, quia ad æternæ vitæ patriam tendit. Quæ & ad portandum onus humerum supponit, quia conspecta superna requie, præceptis etiam grauibus in operatione se subiicit, & quicquid intolerabile pusillamitas asserit, hoc ei leue ac facile spes remunerationis ostendit. Quia ergo ad æternam requiem pro electorum parte Iudæa, gentilitásque colligitur, rectè quingenta iuga boum, & quingentæ asinæ habere perhibentur.
18 Sequitur. *Ac familia multa nimis.*) Quid est quòd prius animalium multitudo describitur, & familia in extremo memoratur, nisi quòd ad cognitionem fidei prius stulta mundi collecta sunt, vt postea astuta eius etiam vocarentur? Paulo at-
1.Corinth.1. testante, qui ait: Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes. Ipsa namque sanctæ Ecclesiæ principia, literarum perhibentur ignara, vt videlicet cunctis prædicatoribus suis redemptor ostenderet, quòd ad vitam credentes populos non sermo, sed causa suaderet. Se-
19 quitur. *Erat vir ille magnus inter omnes Orientales.*) Quòd Redemptor noster oriens dicitur, Propheta testante perhibetur,
Zacha.6. qui ait: Et ecce vir Oriens nomen eius. Omnes ergo qui in hoc oriente fide consistunt, rectè orientales vocantur. Sed quia omnes homines tantummodo homines sunt, ipse autem oriens Deus & homo: rectè dicitur: *Erat magnus inter omnes Orientales.*) Ac si apertè diceretur: Omnes qui in fide Deo nascuntur, superat, quia non vt cęteros adoptio, sed natura illum diuinitatis exaltat, qui etsi humanitate cæteris apparuit similis, diuinitate tamen mansit super omnia singularis.

Quid per allegoricum sensum, per conuiuium filiorum, & vocationem filiarum intelligatur. Caput VII.

ET *ibant filij eius & faciebant conuiuia per domos.*) Filij facturi conuiuia per domos ibant, cùm prædicatores Apostoli in diuersis mundi regionibus, virtutum epulas audientibus, quasi edentibus ministrabant. Vnde & eisdem filiis de esu-
Matth.14. rientibus plebibus dicitur: Date illis vos manducare. Et rur-
Marc.8. sum: Dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via, id est, in prædicatione vestra verbum consolationis accipiant, ne à veritatis pabulo ieiuni remanentes, in huius vitæ labore succumbant. Hinc rursum eisdem filiis dicitur: Operamini non
Ioan.6. cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Quæ
20 conuiuia quomodo exhiberentur, adiungitur, cùm protinus subinfertur: *Vnusquisque in die suo.*) Si ignorantiæ obscuritas, sine dubitatione, nox cordis est, intellectus non immeritò
Roma.14. dies vocatur. Vnde & per Paulum dicitur: Alius iudicat diem inter diem, alius iudicat omnem diem. Ac si apertè dicat: Alius quædam nonnullis intermissis intelligit, alius verò omnia intellectu possibilia, ita vt sunt videnda, cognoscit. Vnusquisq; ergo filius in die suo conuiuium exhibet, quia sanctus quisque prædicator iuxta mẽsuram illuminatæ intelligentiæ, mentes audientium epulis veritatis pascit. In die suo Paulus
1.Corin.7. fecerat conuiuium, cùm dicebat: Beatiores erunt, si sic permanserint, secundum meum consilium. De die suo vnunquenque admonebat cogitare, cùm diceret: Vnusquisque in
Roma.14. suo sensu abũdet. Sequitur: *Et mittentes vocabant tres sorores suas, vt comederent & biberent cum eis.*) Sorores filij ad cõuiuium vocant, quia infirmis auditoribus sancti Apostoli refectionis
21 supernæ gaudia prædicant, eorũmque mentes, quia à veritatis pabulo ieiunas aspiciunt, diuini eloquij epulis pascunt. Bene autem dicitur: *Vt comederent & biberent cum eis.*) Scriptura enim sacra aliquando nobis est cibus, aliquando potus. Cibus est in locis obscurioribus, quia quasi exponendo frangitur, & mandendo glutitur. Potus verò est in locis apertioribus, quia ita sorbetur sicut inuenitur. Cibum vidit Propheta scripturam sacram, qui exponendo frangeretur, cùm diceret:
Thren.4. Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis: id est, infirmi quique scripturæ sacræ valentiores sententias petierunt exponendo comminui, sed qui exponere debeat, non valet inueniri. Potum vidit scripturam sacram Propheta, cùm
Esaiæ.55. diceret: Omnes sitientes venite ad aquas: Si potus aperta mandata non essent, per semetipsam veritas non clamaret: Si
Ioan.7. quis sitit, veniat ad me & bibat. Quasi cibum & potum vidit
Esaiæ.55. Propheta Iudææ defuisse, cùm diceret: Nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit. Paucorum quippe est, fortia & occulta cognoscere, multorum verò, historiæ aperta sentire. Idcirco Iudææ nobiles non siti, sed fame interiisse asserit, quia hi qui præesse videbantur, dum totos se exteriori intelligentię dederant, quod de intimis discutiendo manderent, non habebant. Quia verò sublimioribus ab intellectu interno cadentibus, paruulorum intelligẽtia & in exterioribus exsiccatur, rectè illic adiungitur: Multitudo eius siti exaruit. Ac si apertè diceret: Dum vulgus studium vitæ suæ deserit, iam nec fluenta historiæ exquirit. Et tamen occulta sacri

culta sacri eloquij mandata & aperta se intellexisse testantur, qui reprobanti se iudici conquerentes dicunt: Manducauiuimus & bibimus coram te. Quod apertè exponendo subiungũt: Et in plateis nostris docuisti. Quia ergo sacra eloquia in locis obscurioribus exponẽdo franguntur, in locis verò apertioribus, ita vt inuẽta fuerint, potantur, dicatur rectè: *Mittentes vocabant tres sorores suas, vt comederent & biberent cum eis.*) Ac si apertè diceretur: Infirmos quosque blanda ad se persuasione deducebãt, quatenus eorum mentes, & magna per contemplationem differentes pascerent, & parua per historiam
22. tradentes nutrirent. Sequitur: *Cúmque in orbem transissẽt dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos: consurgénsque diluculo offerebat holocausta per singulos.*) In orbem dies conuiuij transeunt, cùm prædicationis ministeria peraguntur. Peractísque conuiuiis, holocaustum Iob pro filiis obtulit: quia pro Apostolis de prædicatione redeuntibus, patrem Christus redemptor exorauit. Bene autem mittendo sanctificare dicitur, quia dum spiritum sanctum, qui à se procedit, discipulorum cordibus tribuit: quicquid eis culpæ inesse potuit, e-
B mundauit. Rectéque ad offerenda holocausta diluculo consurgere perhibetur: quia per hoc quòd pro nobis intercessionis suæ petitionem obtulit, discussa erroris nocte, humanæ mentis tenebras illustrauit, ne quo peccati contagio, ex ipsa prædicationis gratia, mens in occulto polluatur, ne sibi quæ agit, tribuat: ne sibi tribuendo quæ agebat, amittat.

Quòd maledicere Deo, sit de eius beneficio superbire. Capt VIII.

23. VNde rectè subiungitur: *Dicebat enim: Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis.*) Deo quippe benedicere, id est maledicere, est de eius munere sibi gloriam præbe-
Ioan.13. re. Vnde rectè sanctis Apostolis post prædicationem Dominus pedes lauit, vt videlicet apertè monstraret: quia plærunque & in bono opere peccati puluis contrahatur, & inde inquinentur vestigia loquentium, vnde audientium corda mũdantur. Nam sæpe nõnulli dum exhortationis verba faciunt,
* aliàs prædicationis. quãquam tenuiter, sese intrinsecus, quia per eos gratia * purga
C tionis deriuatur, extollunt. Cumque verbo aliena opera diluunt, quasi ex bono itinere puluerem malæ cogitationis sumunt. Quid ergo fuit post prædicationem pedes discipulorũ lauare, nisi post prædicationis gloriã, cogitationum puluerẽ tergere, gressúsque cordis ab interna elatione mundare? Nec
* aliàs in locutione sua. obstat ab omnimoda mediatoris scientia quod dicitur: *Ne*
Luc.18. *fortè peccauerint.*) Nam cuncta sciens, sed in semetipso ignorãtiam nostram suscipiens, atque dum suscipit docens: nonnũquam quasi ex nostra dubitatione loquitur, sicut dicit: Filius hominis veniens, putas inueniet fidem super terram? Expletis ergo conuiuiis sacrificium pro filiis Iob offerens dicebat: *Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint deo in cordibus suis.*) Quia redemptor noster postquam prædicatores suos à malis impugnantibus diluit: etiam inter bona quæ egerant, & à tentationibus defendit.

Quòd omnibus diebus sacrificium Deo pro nobis Filius offerre non cessat. Caput IX.

24. SIc *faciebat Iob cunctis diebus.*) Cunctis diebus Iob sacrifi-
D cium offerre non cessat, quia sine intermissione pro nobis holocaustum redemptor immolat, qui sine cessatione patri suam pro nobis incarnationem demonstrat. Ipsa quippe eius incarnatio nostræ emundationis oblatio est. Cumque se hominem ostendit delicta hominis interueniens diluit, & humanitatis suæ mysterio perenne sacrificium immolat, quia &
25. hæc sunt æterna quæ mundat. Igitur quia in ipso expositionis exordio sic personam beati Iob nunciare Dominum diximus: vt designari per illum caput & corpus, id est, Christum & Ecclesiam diceremus: postquam caput nostrum quomodo designatum credatur, ostendimus: nunc corpus eius, quod nos sumus, quomodo exprimatur, indicemus: vt quia audiuimus ex historia quod miremur, cognouimus ex capite quod credamus, consideremus nunc ex corpore quid viuendo teneamus. In nobismet ipsis nanque debemus transformare quod legimus, vt cùm per auditum se animus excitat, ad operandum quod audierat, vita concurrat.

Quòd hi quos inhabitat consilij spiritus in præsentibus dolent, & ad æterna suspirant. Caput X.

A VIr *erat in terra Hus, nomine Iob.*) Si Iob dolens, & Hus con- 26.
siliator dicitur, non immeritò per vtraque nomina electus quisque figuratur: quia nimirum consiliatorem animum inhabitat, qui dolens de præsentibus ad æterna festinat. Nam sunt nonnulli qui vitam suam negligunt, & dum transitoria appetunt, dum æterna vel non intelligunt, vel intellecta contemnunt, nec dolorem sentiunt, nec habere consilium sciunt. Cúmque superna quę amiserunt, non considerant, esse se (heu miseri) in bonis fœlices putant. Nequaquam enim ad veritatis lucem, cui conditi fuerant, mentis oculos erigunt: nequaquam ad contemplationem patriæ æternæ desiderij aciem tendunt: sed semetipsos in his, ad quæ proiecti sunt deferentes, vice patriæ diligunt exilium quod patiuntur, & in cæcitate quam tolerant, quasi in in claritate luminis exultant. Ac cõtrà electorum mentes dum transitoria cuncta nulla esse conspiciunt, ad quæ sint cõditæ exquirunt: cúmque eorum satisfactioni nihil extra Deum sufficit, ipsa inquisitionis exercitatione fatigata, illorum cogitatio in conditoris sui spe & con-
B templatione requiescit, supernis interseri ciuibus appetit: & vnusquisque eorum adhuc in mundo corpore positus, mente tamen extra mundum surgit: ærumnam exilij quam tolerat: deplorat: & ad sublimen patriam incessantibus se amoris stimulis excitat: Cùm ergo dolẽs videt quàm sit æternum quod perdidit, inuenit salubre consilium, temporale hoc despicere quod percurrit: & quò magis crescit consilij scientia vt peritura deserat, eò augetur dolor, quòd necdum ad mãsura pertingat. Vnde bene per Salomonem dicitur: Qui addit scien- Eccl.1
tiam, addit & dolorem. Qui enim scit iam summa quæ adhuc non habet, magis de infimis in quibus retinetur, dolet. Rectè ergo in terra Hus, habitare Iob dicitur, quia in scientiæ consilio electi vniuscuiusque dolens animus tenetur. Intuendum quoque est, quòd nullus dolor mentis sit in actione præcipitationis. Qui enim sine consiliis viuunt, qui seipsos rerum euentibus præcipites deserunt, nullo interim cogitationum dolore fatigantur. Nam qui solerter in vitæ consilio figit mẽtem, cautè sese in omni actione circunspiciendo considerat:
C & ne ex re, quę agitur, repentinus finis aduersúsque surripiat, hunc prius molliter posito pede cogitationis palpat, pensat, ne ab his quæ agenda sunt, præpediat formido: ne in his quæ differenda sunt, præcipitatio impellat: ne praua per concupiscentiam aperto bello superent, ne recta per inanem gloriam insidiando supplantent. Iob ergo in terra Hus habitat, dum mens electi quò magis per consilium viuere nititur, eò angusti itineris dolore fatigatur. Sequitur:

Quòd sancta Ecclesia simplicitatis & rectitudinis vias à timore incipit, & in charitate consummat. Caput. XI.

S*Implex & rectus ac timens Deum, & recedens à malo.*) Quisquis 27.
æternam patriam appetit, simplex proculdubio & rectus viuit, simplex videlicet opere, rectus fide: simplex in bonis, quæ inferius peragit, rectus in summis, quæ in intimis sentit. Sunt nanque nonnulli, qui in bonis quæ faciunt, simplices non sunt: dum non in his retributionem interius, sed exterius fauorem quærũt. Vnde bene per quendam sapientem dicitur: Væ peccatori terram ingredienti duabus viis. Duabus Eccl.2.
viis peccator quippe terram ingreditur: quando & Dei est quod opere exhibet, & mundi, quod per cogitationem quærit, Bene autem dicitur: *Timens Deum, & recedens à malo.*) Quia sancta electorũ Ecclesia simplicitatis suæ & rectitudinis vias timore inchoat, sed charitate consummat: cui tunc est funditus à malo recedere, cùm ex amore dei cœperitiã nolle peccare. Cùm verò adhuc timore bona agit, à malo penitus non recessit: quia eo ipso peccat, quo peccare vellet, si peccare inultè potuisset. Rectè ergo cùm timere Deum Iob dicitur, recedere etiam à malo perhibetur: quia dum metũ charitatis sequitur, ea quæ metu relinquitur, etiam per cogitationis propositum culpa calcatur. Et quia ex timore vnumquodque vi- 28.
tium premitur, ex charitate autem virtutes oriuntur, rectè subiungitur:

Quod fœcunditas spiritalis propter septiformem spiritum in filiis septem & in tribus filiabus, fides spes & charitas intelligantur. Caput XII.

N*Ati sunt ei septem filij & tres filiæ.*) Septem quippe filij nobis nascuntur, cùm per conceptionem bonæ cogitationis,

ſancti ſpiritus ſeptem in nobis virtutes oriuntur. Hanc nanq; internam prolem Propheta dinumerat, cùm ſpiritus mentem
Eſaiæ.11. fœcundat, dicens: Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini. Cùm ergo per aduentum ſpiritus ſancti, ſapientia, intellectus, conſilium, fortitudo, ſcientia, pietas, ac timor Domini in animo vnicuique noſtrum gignitur: quaſi manſura poſteritas in mente propagatur, quæ ſupernæ noſtræ nobilitatis genus eò ad vitam longius ſeruat, quò amori æternitatis ſociat. Sed habent in nobis ſeptem filij, tres proculdubio ſorores ſuas, quia quicquid virile hi virtutum ſenſus faciunt, ſpei, fidei, charitatéque coniungunt. Neq; enim ad denarij perfectionem ſeptem filij peruenient: niſi in fide, ſpe, & charitate fuerit omne quod agunt. Quia verò hanc præeuntium virtutum copiam multimoda bonorũ operum cogitatio ſequitur, rectè ſubiungitur.

Quòd poſſeſsio ouium & aſinorum & camelorum ſit ſubingatio illorum, quos aliquando vel formido diſſoluit, vel ſuperbia inflat, vel luxuria inquinat. Caput XIII.

ET fuit poſſeſsio eius ſeptem milia ouium & tria milia camelorum.) Seruata quippe veritate hiſtoriæ imitari ſpiritaliter poſſumus, quod carnaliter audiuimus. Ouium enim ſeptem milia poſsidemus, cùm cogitationes innocuas perfecta cordis munditia, intra noſmetipſos inquiſito veritatis pabulo paſcimus. Erúntque nobis in poſſeſsionem etiam tria milia camelorum, ſi omne quod in nobis altum ac tortuoſum eſt, rationi fidei ſubditur: & ſub cognitione Trinitatis, ſponte in appetitu humilitatis inclinatur. Camelos quippe poſsidemus, ſi quod altum ſapimus, humiliter deponamus. Camelos proculdubio poſsidemus, cùm cogitationes noſtras ad infirmitatis fraternę compaſsionem flectimus, & viciſsim onera noſtra portantes, alienæ infirmitati compati condeſcendendo nouerimus. Poſſunt etiam per camelos (qui vngulam nequaquam findunt, ſed tamen ruminant) terrenarum rerum bonæ diſpenſationes intelligi, quæ quia habent aliquid ſeculi, & aquid Dei, per commune eas neceſſe eſt animal deſignari. Ne-
29 que enim terrena diſpenſatio (quanuis æternæ vtilitati ſeruiat) ſine perturbatione mentis valet exhiberi. Quia igitur per hanc & ad præſens mens confunditur, & in perpetuum merces paratur, quaſi commune animal, & aliquid de lege habet, & aliquid non habet. Vngulam nanq; non findit, quia non ſe penitus anima ab omni terreno opere diſiungit: ſed tamen ruminat, quia bene diſpenſando temporalia, per certitudinis fiduciam cœleſtia ſperat. Terrenæ igitur diſpenſationes quaſi camelorum more, capite legi concordant, pede diſcrepant: quia & cœli ſunt illa, quæ iuſtè viuentes appetunt: & huius mundi ſunt ea, in quibus opere verſantur. Nos ergo cùm eaſdẽ terrenas cognitioni Trinitatis diſpenſationes ſubdimus, quaſi camelos intra indiuiſibilem numerum fide poſſidemus. Sequitur: *Quingenta queque iuga boum, & quingentæ aſinæ.*)
30 Iuga boum in vium noſtræ poſſeſsionis ſunt, dum concordes virtutes exarant duritiam mentis. Quingentas quoq; aſinas poſsidemus, cùm laſciuientes motus reſtringimus: & quicquid in nobis carnale exurgere appetit, ſpiritali cordis dominatu refrenamus. Vel certè aſinas poſsidere, eſt cogitationes intra nos ſimplices regere. Quæ dum in ſubtiliori intellectu currere non valent: quo quaſi pigrius ambulant, eo fraterna onera manſuetius portant. Sunt nanq; nonnulli qui dum alta non intelligunt, per exteriora conuerſationis opera ſe humilius premunt. Bene ergo per aſinas (pigrum quidem animal, ſed tamen portandis oneribus deditum) ſimplices cogitationes accipimus, quia dum noſtram plerumq; ignorantiam cognoſcimus, leuius onera aliena toleramus. Cúmque nos quaſi ſingularis ſapiẽtiæ altitudo non eleuat, ad perferendam alieni cordis inertiam, mens ſe noſtra æquaminiter, inclinat. Rectè autem ſiue iuga boum, ſiue quingentæ aſinæ referuntur: quia vel in hoc quod prudenter ſapimus, vel in hoc quod humiliter ignoramus, dum æternæ pacis requiem quærimus, quaſi intra iubilei numerum tenemur. Saquitur:

Quòd multa familia, id eſt, multitudo cogitationum ſit ſub mentis dominio reſtringenda. Caput XIIII.

E AC familia multa nimis.) Multam familiam nimis poſsidemus, cùm cogitationes innumeras ſub mentis dominatione reſtringimus, ne ipſa ſui multitudine animum ſuperent, ne peruerſo ordine diſcretionis noſtræ principatum calcent. Et bene cogitationum turba multæ familiæ appellatione ſignatur. Nam ſcimus quòd abſente domina, ancillarum linguæ perſtrepunt, ſilentium deſerunt, deputati operis officia negligunt, totúmque ordinem ſibimet viuendi confundunt. At ſi repente domina veniat, mox perſtrepentes linguæ reticent, officia vniuſcuiuſque operis repetunt: ſicque ad opus proprium, ac ſi non receſſerint, reuertuntur. Si igitur à domo mentis ad momentum ratio diſcedat, quaſi abſente domina cogitationum ſe clamor, velut garrula ancillarum turba multiplicat. Vt autem ratio ad mentem redierit, mox ſe confuſio tumultuoſa compeſcit, & quaſi ancillæ ſe ad iniunctum opus tacitè reprimunt: dum cogitationes protinus cauſis ſe propriis ad vtilitatem ſubdunt. Poſsidemus ergo multam familiam, cùm recto iure innumeris cogitationibus rationis
F diſcretione dominamur. Quod nimirum cùm ſolerter agimus iungi per eandem diſcretionem angelis conamur. Vnde rectè ſubiungitur: *Erátque vir ille magnus inter omnes Orientales.*) Tunc nanque magni inter omnes Orientales efficimur, cùm eis ſpiritibus qui Orientali luci inhærent, preſſa carnalis corruptionis nebula, diſcretionis noſtræ radiis, inquantum poſſibilitas ſuppetit, ſociamur. Vnde & per Paulum dicitur: Philipp.3.
Noſtra conuerſatio in cœlis eſt. Quiſquis temporalia ac defectiua ſequitur, occaſum petit: quiſquis verò ſuperna deſiderat, quia in Oriente habitet, demõſtrat. Magnus ergo non inter Occidentales, ſed inter Orientales efficitur, qui non inter malorum actiones, ima & fugitiua quærentium, ſed inter choros proficere ſupernorum ciuium conatur. Sequitur.

Quomodo ſingulæ virtutes in ſuo die conuiuium faciunt. Caput XV.

G ET ibant filij eius, & faciebant conuiuium per domos, vnuſquiſque in die ſuo.) Filij per domos conuiuium faciunt, dum virtutes ſingulæ, iuxta modum proprium, mentem paſcunt. Vnde bene dicitur: Vnuſquiſque in die ſuo. Dies enim vniuſcuiuſque filij, eſt illuminatio vniuſcuiuſque virtutis. Vt enim hæc ipſa dona breuiter ſeptiformis gratiæ replicem: alium diem habet ſapientia, alium intellectus, alium cõſilium, alium fortitudo, alium ſcientia, alium pietas, alium timor. Neque enim hoc eſt ſapere quod intelligere: quia multi æterna quidem ſapiunt, ſed intelligere nequaquam poſſunt. Sapientia ergo in die ſuo conuiuium facit: quia mentem de æternorum ſpe, & certitudine reficit. Intellectus in die ſuo conuiuium parat: quia in eo quod audita penetrat, reficiendo cor, tenebras eius illuſtrat. Conſilium in die ſuo conuiuium exhibet: quia dum precipitem eſſe prohibet, ratione animum replet. Fortitudo in die ſuo conuiuium agit: quia dum aduerſa non metuit, trepidanti menti cibos confidentiæ apponit. Scientia in die ſuo conuiuium parat: quia in ventre mentis ignorantiæ ieiunium ſuperat. Pietas in die ſuo conuiuium
H exhibet: quia cordis viſcera miſericordiæ operibus replet. Timor in die ſuo conuiuium facit: quia dum premit mentem ne de præſentibus ſuperbiat, de futuris illam ſpei cibo confortat. Sed illud in hoc filiorum conuiuio perſcrutandum video, quòd ſemetipſos inuicem paſcunt. Valde enim ſingula virtus quælibet deſtituitur, ſi non vna alij virtus virtuti ſuffragetur. Minor quippe eſt ſapientia, ſi intellectu careat, & valde inutilis intellectus eſt, ſi ex ſapientia non ſubſiſtat: quia cùm altiora ſine ſapientiæ pondere penetrat, ſua illum leuitas grauius ruiturum leuat. Vile eſt conſilium, cui robur fortitudinis deeſt: quia quòd tractando inuenit, carens viribus, vſque ad perfectionem operis non perducit. Et valde fortitudo deſtruitur, niſi per conſilium fulciatur: quia quò plus ſe poſſe conſpicit, eò virtus ſine rationis moderamine deterius in præceps ruit. Nulla eſt ſciẽtia ſi vtilitatem pietatis non habet: quia dum bona cognita exequi negligit, ſeſe ad iudicium arctius ſtringit. Et valde inutilis pietas, ſi ſcientiæ diſcretione caret: quia dum nulla hanc ſcientia illuminat, quomodo miſereatur ignorat. Timor quoque ipſe niſi has etiam virtutes habuerit, ad nullum opus proculdubio bonæ actionis ſurgit: quia

git: quia dùm ad cuncta trepidat, ipſa ſua formidine à bonis omnibus torpens vacat. Quia ergo alternato miniſterio virtus à virtute reficitur, rectè dicitur quòd apud ſe filij viciſsim conuiuantur. Cúmque vna aliam ſubleuando ſubleuat: quaſi per dies ſuos numeroſa ſoboles paſcenda conuiuium parat. Sequitur:

Tres ſorores ad fratrum conuiuia vocantur, quando gaudent virtutes virtutibus, & inuicem ſibi ſubſeruiunt ac miniſtrant. Cap. XVI.

33. ET mittentes vocabant tres ſorores ſuas vt cõmederent & biberent cum eis.) Cum virtutes noſtræ in omne quod agunt, ſpẽ, fidem, & charitatem ſciunt, quaſi operãtes filij, tres ad conuiuium ſorores vocant: vt fides, ſpes, charitas in opus bonum gaudeant, quod vnaquæq; virtus adminiſtrat. Quæ quaſi ex cibo vires accipiunt, dum bonis operibus fidentiores fiunt & dum poſt cibum, contemplationis rore infundi appetunt,
34. quaſi ex poculo ebriantur. Sed quid eſt quòd in hac vita ſine quauis tenuiſsimi contagij inquinatione peragatur? Nonnũquam nãque ipſis bonis quæ agimus, ad deterius propinquamus: quia dum lætitiam menti pariunt, quandam etiam ſecuritatem gignunt: dúmque mens ſecura redditur, in torporem laxatur. Nonnunquam verò virtutes aliquãtula elatione nos polluunt: & tantò deiectiores apud Deũ faciunt, quãtò apud noſmetipſos tumidiores reddunt. Vnde bene ſubiungitur:

Quòd filios poſt conuiuium ſanctificare, eſt retractatio operum & diſcuſsio cogitationum. Caput. XVII.

CVmque in orbẽ tranſiſſent dies conuiuij, mittebat Iob & ſanctificabat illos.) Peracto quippe orbe dierum conuiuij mittere ad filios & eos ſanctificare, eſt poſt virtutum ſenſum intẽtionem cordis dirigere, & omne quod agitur, diſtricta retractationis diſcuſsione mundare: ne bona æſtimentur, quę mala ſunt, ne ſaltem veraciter bona putentur ſufficientia, cùm perfecta non ſunt. Sic enim mens plærunque decipitur, vt
35. aut qualitate mali, aut boni quantitate fallatur. Sed hos virtutum ſenſus melius preces quam diſcuſsiones inueniunt, nam ea quæ perſcrutari in nobiſmetipſis plenius nitimur, ſæpe verius orando quam inueſtigando penetramus. Cùm enim mẽs per quandam compunctionis machinam ad alta ſuſtollitur: omne quod ei de ſeipſa occurrerit, ſub ſeipſa diiudicando certius contemplatur. Vnde & rectè ſubiungitur:

Quòd holocauſtum per ſingulos offerre ſit ſingularium virtutum circunſpecta & pura intentio. Caput XVIII.

COnſurgénſque diluculo offerebat holocauſta per ſingulos.) Diluculo nanque conſurgimus, cùm compunctionis luce per fuſi humanitatis noſtræ noctẽ deſerimus, & ad veri luminis radios oculos mentis aperimus. Atque holocauſtum per ſingulos filios offerimus, cum pro vnaquaque virtute Domino hoſtiam noſtræ precis immolamus, ne ſapiẽtia eleuet: ne intellectus, dũ ſubtiliter currit, aberret: ne conſilium, dum ſe multiplicat, confundat: ne fortitudo, dum fiduciam præbet, præcipitet: ne ſcientia, dum nouit & non diligit, inflet: ne pietas, dum ſe extra rectitudinem inclinat, intorqueat: ne timor, dũ plus iuſto trepidat, in deſperationis foueam mergat. Cùm ergo pro vnaquaque virtute, vt pura eſſe debeat, preces Domino fundimus: quid aliud quàm iuxta filiorum numerum holocauſtum per ſingulos exhibemus? Holocauſtum nanque totum incenſum dicitur. Holocauſtum igitur dare, eſt totam mentẽ igne cõpunctionis incẽdere, vt in ara amoris ardeat, & quaſi delicta propriæ ſobolis, inquinamenta cogitationis e-
36. xurat. Sed hęc agere neſciũt, niſi hi qui priuſquã cogitationes ad opus prodeant, internos ſuos motus ſollicitè circunſpiciẽtes frenant. Hæc cauere neſciunt, niſi hi qui virili cuſtodia munire mentem nouerunt. Vnde rectè inopinata morte extinctus Isboſeth dicitur, quem & ſcriptura ſacra, non in domo oſtiarium, ſed oſtiariam habuiſſe teſtatur, dicens. Venientes filij Remmon Berothitæ Rechab & Banaa, ingreſsi ſunt
2.Reg.4. feruente die domum Isboſeth, qui dormiebat ſuper ſtratum ſuum meridie. Ingreſsi ſunt autem domum: & oſtiaria domus purgans triticum obdormiuit: ſumentes ſpicas tritici, latenter ingreſsi ſunt, & percuſſerunt eum in inguine. Oſtiaria triticum purgat, cum mentis cuſtodia diſcernendo, virtutes à virtiis ſeparat. Quæ ſi obdormierit, in mortem proprij domini ſui, inſidiatores admittit: quia cùm diſcretionis ſollicitudo ceſſauerit, ad interficiendum animum malignis ſpiritibus iter pandit. Qui ingreſsi ſpicas tollunt: quia mox bonarum cogitationum germina auferunt, atque in inguine feriũt: quia virtutem cordis delectatione carnis occidunt. In inguine quippe ferire, eſt vitam mentis delectatione carnis perforare. Nequaquam verò Isboſeth iſte hac morte ſuccumberet, ſi non ad ingreſſum domus mulierem, id eſt mollem cuſtodiam ad mentis aditum deputaſſet. Fortis nanque virilíſque ſenſus præponi cordis foribus debet, quem nec negligentiæ ſomnus opprimat, nec ignorantiæ error fallat. Vnde bene & Isboſeth appellatus eſt, qui cuſtode fœmina hoſtilibus gladiis nudatur. Isboſeth quippe vir confuſionis dicitur. Vir autem confuſionis eſt, qui forti mentis cuſtodia, munitus non eſt: quia dum virtutes ſe agere æſtimat, ſubintrantia vitia neſcientem necant. Tota itaque virtute muniendus eſt aditus mentis, ne quando eam inſidiantes hoſtes penetrent foramine neglectæ cogitationis. Hinc Salomon ait:
B Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quoniam ex ipſo vita procedit. Virtutes ergo quas agimus, dignum eſt vt ſummopere ab intentionis origine penſemus, ne ex malo ortu prodeant, etiam ſi recta ſunt quæ oſtentant. Prouer.3.

Quanta ſollicitudine abſtinendum ſit à malo opere, cùm etiam diſtrictè ſerui Dei iudicentur de cogitatione. Caput. XIX.

VNde hîc quoque rectè ſubiungitur: *Dicebat enim: Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis.*) Filij in cordibus maledicunt, cùm recta noſtra opera à non rectis cogitationibus prodeunt, cùm bona in aperto exerunt, ſed in occulto noxia moliuntur. Deo quippe maledicunt, cùm mentes noſtræ ſe de ſe eſtimant habere, quod ſunt. Deo maledicunt, cùm ſe & ab illo accepiſſe vires intelligunt: ſed tamen de eius muneribus propriam laudem quærunt. Sciendum verò eſt, quòd bona noſtra tribus modis antiquus hoſtis inſequitur: vt videlicet hoc quod tectum coram homibus agitur, in interni iudicis conſpectu vitietur. Aliquando
C nanque in bono opere intentionem polluit, vt omne quod in actione ſequitur, eò purum mundúmque non exeat, quò hoc ab origine perturbat. Aliquando verò intentionem boni operis vitiare non præualet, ſed in ipſa actione ſe quaſi in itinere opponit: vt cùm per propoſitum mentis ſecurior quiſque egreditur, ſubiuncto latenter vitio, quaſi ex inſidiis perimatur. Aliquando verò nec intentionem vitiat, nec in itinere ſupplantat, ſed opus bonum in fine actionis illaqueat: quantóque vel à domo cordis, vel ab itinere operis longius receſsiſſe ſe ſimulat, tantò ad decipiendum bonæ actionis terminum aſtutius expectat: & quò incautum quenque quaſi recedendo ſecurum reddiderit, eò illum repentino nonnunquam vulnere durius, inſanabiliúſque tranſfigit. Intentionem quippe in bono opere polluit: quia cùm facilia ad decipiendum corda hominum conſpicit, eorum deſideriis auram tranſitorij fauoris apponit: vt in his quæ recta faciunt, ad appetenda ima tortitudine intentionis inclinentur. Vnde
D rectè ſub Iudææ ſpecie de vnaquaque anima miſeræ intentionis laqueo capta per Prophetam dicitur: Facti ſunt hoſtes Thren.1.
eius in capite. Ac ſi apertè diceretur: Cùm bonum opus non bona intẽtione ſumitur, huic aduerſantes ſpiritus ab ipſo cogitationis exordio principantur: eam plenius poſsident, quãtò, & per initium dominantes tenent. Cùm verò intentionẽ vitiare non præualent, in via poſitos laqueos tegunt, vt in eo quod bene agitur, cor exaltans ſe ex latere ad vitium deriuetur: quatenus quod inchoans aliter propoſuerat, in actione longè aliter quàm cœperat, percurrat. Sæpe enim bono operi dum laus humana obuiat, mentem operantis immutat: quæ quanuis quæſita non fuerat, tamen oblata delectat. Cuius delectatione cum mens bene operantis reſoluitur, ab omni intentionis intimæ vigore diſsipatur. Sæpe ſe bene inchoatæ noſtræ iuſtitiæ ex latere ira ſubiungit, & dum zelo rectitudinis immoderatius mentem turbat, cunctam quietis intimæ ſalutem ſauciat. Sæpe grauitatem cordis quaſi ex latere ſubiuncta triſtitia ſequitur, atque omne opus quod mens bona intentione inchoat, hæc velamine mæroris obumbrat. Quæ & nonnunqnam tantò tardius repellitur,

quantò & pressæ menti quasi ferior famulatur. Sæpe se bono
operi lætitia immoderata subiungit, cúmque plus mentem
quàm decet hilarescere exigit, ab actione bona omne pódus
grauitatis repellit. Quia enim etiam bene inchoantibus sub-
esse in itinere laqueos Psalmista conspexerat, rectè propheti-
Psalm.141 co plenus spiritu dicebat: In via hac qua ambulabam, abscon-
derunt laqueum mihi, Quod bene ac subtiliter Hieremias in-
sinuat: qui dũ gesta foris referre studuit, quæ intus apud nos-
Hiere.41. metipsos gererentur, indicauit dicens: Venerunt octoginta
viri de Sichem, & de Silo, & de Samaria, rasi barba, & scissis
vestibus, squalentes: munera & thus habebant in manu, vt of-
ferrét in domo Domini. Egressus autem Ismaël filius Natha-
niæ in occursum eorum de Maspha, incedens & plorans ibat.
Cúmq; occurrisset eis, dixit ad eos: Venite ad Godoliam fi-
lium Aicham. Qui cùm venissent ad medium ciuitatis, inter-
fecit eos. Barbam quippe radunt, qui sibi de propriis viribus
fiduciam subtrahunt. Vestes scindunt, qui sibimetipsis in ex-
terioris decoris laceratione non parcunt. Oblaturi in domo
Domini thus & munera veniũt, qui exhibere se in Dei sacri-
ficio orationem cum operibus pollicentur. Sed tamen si se in
ipsa sanctæ deuotionis via cautè circunspicere nesciunt, Is-
maël Nathaniæ filius in eorũ occursum venit: quia nimirum
quilibet malignus spiritus, prioris sui satanæ videlicet exem-
plo in superbiæ errore generatus, se ad laqueum deceptio-
nis opponit. De quo & bene dicitur: Incedẽs & plorãs ibat:
quia vt deuotas mẽtes interimere feriendo præualeat, semet-
ipsum quasi sub velamine virtutis occultat: & dum concor-
dare se verè lugentibus simulat, ad cordis intima securius ad-
missus, hoc quod intus de virtute latet, occidit: qui plerunq;
se spondet ad altiora prouehere. Vnde & dixisse perhibetur:
** alias a-* Venite ad Godoliam filium Aicham. Atq; dum maiora pro-
nimam. mittit etiam * minima subtrahit. Vnde & rectè dictum est:
Qui cùm venissent ad medium ciuitatis, interfecit eos. Viros
ergo ad offerenda Deo munera venientes, in medio ciuitatis
interficit: quia diuinis deditæ operibus mentes, nisi magna se
circunspectione custodiant, hoste surripiente, dum deuotio-
nis hostiam portant, in ipso itinere perdunt vitam. De cuius
hostis manu non euaditur, nisi citius ad pœnitentiam recur-
Hiere.41. ratur. Vnde illic aptè subiungitur: Decem autem viri reperti
sunt inter eos, qui dixerũt ad Ismaël: Noli occidere nos, quia
habemus in agro thesauros frumẽti, & hordei, & olei, & mel-
lis, & non occidit eos. Thesaurus quippe in agro est spes in
pœnitentia, quæ quia non cernitur, quasi in terra cordis suf-
fossa continetur. Qui ergo thesauros in agro habuere, seruati
sunt: quia qui post incautelæ suæ vitium, ad lamenta pœni-
tentiæ redeunt, nec capti moriuntur. Cùm verò antiquus
hostis neque in exordio intentionis ferit, neque in itinere a-
ctionis intercipit, duriores in fine laqueos tendit. Quem tan-
tò nequius obsidet, quãtò solum sibi remansisse ad decipien-
dum videt. Hos nanque fini suo laqueos oppositos Propheta
Psalm.55. conspexerat, cùm dicebat: Ipsi calcaneum meũ obseruabunt.
Quia enim in calcaneo finis est corporis, quid per hunc nisi
terminus signatur actionis? Siue ergo maligni spititus, siue
praui quiq; homines, illorum superbiæ sequaces, calcaneum
obseruant, cùm actionis bonæ finem vitiare desiderãt. Vnde
& eidem serpenti dicitur: Ipsa tuum obseruabit caput, & tu
Gene.3. calcaneum eius. Caput quippe serpentis obseruare, est initia
suggestionis eius aspicere, & manu sollicitæ considerationis
à cordis aditu funditùs extirpare. Qui tamẽ cùm ab initio de-
prehenditur, percutere calcaneum molitur: quia etsi sugge-
stione prima intentionem non percutit, decipere in fine ten-
dit. Si autem semel cor in intentione corrumpitur, sequentis
actionis medietas, & terminus ab hoste callido securè possi-
detur: quoniam totam sibi arborem fructus ferre conspicit,
quam veneni dente in radice vitiauit. Quia ergo summa cura
vigilandum est, ne vel bonis operibus seruiens mens, repro-
ba intentione polluatur, rectè dicitur: *Ne fortè peccauerint filij
mei, & benedixerint Deo in cordibus suis.*) Ac si apertè diceretur:
Nullum est bonum quod foris agitur, si non pro eo, intus an-
te Dei oculos, innocentiæ victima in ara cordis immolatur.
39 Tota itaque virtute perspiciendus est fluuius operis, si pu-
rus emanat ex fonte cogitationis. Omni cura seruandus est à
malitiæ puluere oculus cordis, ne hoc quod in actione rectũ

E hominibus ostendat, apud semetipsum per vitium prauæ in-
tentionis intorqueat. Curandum itaque est, ne bona nostra
pauca sint: curandum ne indiscussa: ne aut pauca agentes, in-
ueniamur steriles: aut indiscussa relinquentes, vęcordes. Neq;
enim vnaquæque verè virtus est, si mixta aliis virtutibus non
est. Vnde rectè ad Moysen dicitur: Sume tibi aromata & sta- *Exod.30.*
cten & onycham, galbanum quoque boni odoris, & thus lu-
cidissimum, faciésq; thymiama compositum opere vnguen-
tarij, mixtum diligẽter & purum. Thymiama quippe ex aro-
matibus compositum facimus, cùm in altari boni operis, vir-
tutum multiplicitate redolemus. Quod mixtum & purum fit,
quia quantò virtus virtuti iungitur, tantò incensum boni o-
peris sincerius exhibetur. Vbi & bene subiungitur: Cúmque *Ibidem.*
in tenuissimum puluerem vniuersa aromata contuderis, po-
nes ex eo coram testimonij tabernaculo. In tenuissimũ pul-
uerem aromata vniuersa conterimus, cùm bona nostra quasi
in pilo cordis, occulta discusione tundimus: & si veraciter
bona sint, subtiliter retractamus. Aromata ergo in puluerem
F redigere, est virtutes recogitando terere, & vsque ad subtili-
tatem occulti examinis reuocare. Et notandum quòd de eo-
dem puluere dicitur: Pones ex eo coram testimonij taberna- *Ibidem.*
culo: quia tunc nimirum bona nostra veraciter in conspectu
iudicis placent, cùm hæc mens subtilius recogitando conte-
rit, & quasi de aromatibus puluerem reddit, ne grossum du-
rúmque sit bonum, quod agitur: ne si hoc arcta retractationis
manus non comminuat, odorem de se subtilius non adsper-
gat. Hinc est enim quòd sponsæ virtus sponsi voce laudatur, *Canti.3.*
cùm dicitur: Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut
virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi
pulueris pigmentarij? Sancta quippe Ecclesia sicut fumi vir-
gula ex aromatibus ascendit: quia ex vitæ suæ virtutibus in
interni quotidie incensi rectitudinem proficit, nec sparsa per
cogitationes defluit, sed sese intra arcana cordis in rigoris
virga constringit. Quæ ea quæ agit, dum recogitare semper
ac retractare non desinit: myrrham quidem & thus habet in
G opere, sed puluerem in cogitatione. Hinc est quod de obla-
toribus hostiæ ad Moysen iterum dicitur: Detracta pelle ho-
stiæ artus in frusta concidant. Pellem nanque hostiæ detrahi- *Leui.1.*
mus, cùm à mentis nostræ oculis superficiem virtutis amo- 40
uemus. Cuius artus in frustra concidimus, cùm distiguentes
subtiliter eius intima, membratímque cogitamus. Curan-
dum ergo est, ne cùm mala vincimus, bonis lasciuientibus
supplantemur, ne fortasse fluxa prodeant, ne incircunspecta
capiantur, ne per errorem viam deserant, ne per lassitudinem
fracta, anteacti laboris meritum perdant. In cunctis enim vi-
gilanter debet se mens circunspicere: atque in ipsa circunspe-
ctionis suæ prouidentia perseuerare. Vnde & rectè subiun-
gitur:

Quòd in vanum bono opere laboramus, si vsque in finem non perseueramus. Caput XX.

S*Ic faciebat Iob cunctis diebus vitæ suæ.*) Incassum quippe bo-
num agitur, si ante terminum vitæ deseratur: quia & fru-
H stra velociter currit, qui prius quàm ad metas veniat, deficit.
Hinc est enim quod de reprobis dicitur: Væ his qui perdi- *Ecclesia.2.*
derunt sustinentiam. Hinc electis suis veritas dicit: Vos e- *Luce.22.*
stis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Hinc Io- *Gene.7.*
seph qui inter fratres vsque in finem iustus perseuerasse des-
cribitur, solus talarem tunicam habuisse perhibetur. Nam
quid est talaris tunica, nisi actio consummata? Quasi enim
protensa tunica talum corporis operit, cùm bona actio ante
Dei oculos vsque ad vitę nos terminum tegit. Hinc est quòd *Exod.29.*
per Moysen caudam hostiæ in altari offerre præcipimur, vt *& Leui.3.*
videlicet omne bonum quod incipimus, etiam perseueranti
fine compleamus. Bene igitur cœpta, cunctis diebus agenda
sunt, vt cùm malum pugnando repellitur, ipsa boni victoria
constantiæ manu teneatur. Hæc itaque sub intellectu triplici
diximus, vt fastidienti animæ varia alimenta proponentes,
aliquid quod eligendo sumat, offeramus. Hoc tamen magno-
pere petimus, vt qui ad spiritalem intelligentiam mentem
subleuat, à veneratione historiæ non recedat.

Libri primi moralium sancti Gregorij finis.

B. GREGORII EXPOSITIONIS MORALIS IN B. IOB LIBER II. CONTINUANS MORALITER PRIMUM CAPUT TEXTUS.

Caput I.

SCriptura sacra mentis oculis quasi quod-
dam speculum opponitur, vt interna no-
stra facies in ipsa videatur. Ibi etenim
fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus.
Ibi sentimus quantum proficimus, ibi à
profectu quàm longè distamus. Narrat
autem gesta sanctorum, & ad imitatio-
nem corda prouocat infirmorum. Dúmque illorum victricia
facta commemorat, contra vitiorum pręlia debilia nostra cõ
firmat, fitque verbis illius, vt eò mens minus inter certamina
trepidet, quò ante se positos tot virorum fortium triumphos
videt. Nonnunquam verò non solum nobis eorum virtutes
asserit, sed etiã casus innotescit, vt & in victoria fortiũ quod
imitando arripere, & rursum videamus in lapsibus quod de-
beamus timere. Ecce enim Iob describitur tentatione auct⁹,
sed Dauid tentatione prostratus, vt & maiorum virtus spem
nostram foueat, & maiorum casus ad cautelam nos humilita-
tis accingat: quatenus dum illa gaudentes subleuant, ista me-
tuentes premant, & audientis animus illinc spei fiducia, hinc
humilitate timoris eruditus, nec temeritate superbiat, quia
formidine premitur: nec pressus timore desperet, quia ad spei
fiduciam virtutis exemplo roboratur.

Quòd satan inter filios Dei affuit absens præsenti, sicut cæcus non videns lumen à quo illustratur. Et quomodo sancta scriptura ex qualitatibus aeris, vel temporis, vel ex corporis situ, vel positione, locorum fines exprimat, effectúsque causarum. Caput II.

2. Q*Vadam autem die cùm venissent filij dei, vt assisterent coram do-
mino, affuit inter eos etiam satan.*) Iutueri libet quomodo
sacra eloquia in exordiis narrationum exprimant, terminós-
que causarum. Aliquando nanque à positione loci, aliquan-
do à positione corporis, aliquando à qualitate aëris, aliquan-
do à qualitate temporis signant, quid de ventura actione
subiiciant. A positione quippe locorum diuina scriptura ex-
primit subsequentium merita, finésque causarum, sicut de
Deute.1. Israël dicit: quia verba Dei in monte audire non potuit, sed
præcepta in campestribus accepit: subsequentem nimirum
infirmitatem populi indicans, qui ascendere ad summa non
valuit, sed semetipsum in infimis neglectè viuendo laxauit.
Act.7. A positione corporis futura denunciat: sicut in actibus Apo-
stolorum Stephanus Iesum, qui à dextris virtutis dei seder,
stantẽ se vidisse manifestat. Stare quippe adiuuantis est. Et re-
ctè stare cernitur, qui in bello certaminis opitulatur. A quali-
tate aëris res subsequens demonstratur, sicut Euangelista,
cùm prædicante Domino, nullos nunc ex Iudæis credituros
Ioan.10. diceret, præmisit dicens: Hyems autem erat. Scriptum nan-
Matth.24. que est: Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas
multorũ. Idcirco ergo hyemis curauit tempus exprimere, vt
inesse auditorum cordibus malitiæ frigus indicaret. Hinc est
quòd de negaturo Petro pręmittitur: Quia frigus erat, & stãs
Ioan.18. ad prunas calefaciebat se. Iam nanque intus à charitatis calo-
re torpuerat, & ad amorem pręsentis vitę, quasi ad persecuto-
rum prunas infirmitate æstuante, recalebat. A qualitate quo-
que tẽporis finis exprimitur actionis, sicut non rediturus ad
veniam, ad traditionis perfidiã nocte Iudas exiisse perhibe-
tur, cùm egrediẽte illo ab Euangelista dicitur: Erat autẽ nox.
Ioan.18. Hinc enim & iniquo diuiti dicitur: Hac nocte repetent ani-
Luca 12. mam tuam abs te. Anima quippe quæ ad tenebras ducitur,
non in die repeti, sed in nocte memoratur. Hinc est quòd
3.Regum.3. Salomon qui sapientiam nõ perseueraturus accepit, in som-
Gene.18. nis hanc & nocte accepisse describitur. Hinc est quòd ange-
Gene.19. li ad Abraham meridie veniunt, puniri autem Sodomam,

A ad eam vespere venisse memorantur. Quia igitur beati Iob
tentatio ad victoriam deducitur, à die cœpta perhibetur, cùm
dicitur: *Quadam autem die cùm venissent filij Dei, vt assisterent co-
ram Domino, affuit inter eos etiam satan.*) Qui autem Dei filij, nisi
electi Angeli vocantur? De quibus cùm constet quod obtu-
tibus maiestatis inseruiant; valde quærendum est vnde ve-
niant, vt coram Domino assistant. De his quippe voce veri-
tatis dicitur: Angeli eorum in cœlis semper vident faciem pa- *Matt.18.*
tris mei, qui in cœlis est. De his Propheta ait: Milia milium *Dan.7.*
ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.
Si igitur semper vident, & semper assistunt: vigilanti cura
quærendum est, vnde veniant, qui nunquam recedunt. Sed
cùm de illis per Paulum dicitur. Nonne omnes sunt admi- *Hebr.1.*
nistratorij spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæ-
reditatem capiunt salutis? per hoc quod missos cognoscimus,
vnde veniant inuenimus. Sed ecce quæstioni quæstionem 3.
iungimus, & quasi dum ansam soluere nitimur, nodũ ligamus.
Quomodo enim aut semper assistere, videre aut semper fa-
B ciem patris possunt, si ad ministerium exterius pro nostra sa-
lute mittuntur? Quod tamen citius soluimus, si quantæ subti-
litatis sit angelica natura, pensamus. Neque enim sic à diui-
na visione foras exeunt, vt internæ contemplationis gaudiis
priuentur: quia si conditoris aspectum exeuntes amitterent,
nec iacentes erigere, nec ignorantibus vera nunciare possent,
fontémque lucis quem egredientes ipsi perderent, cæcis
nullatenus propinarent. In hoc itaque est nunc natura an-
gelica à naturæ nostræ conditione distincta, quòd nos & lo-
co circunscribimur, & cæcitatis ignorantia coartamur: An-
gelorum verò spiritus loco quidem circunscripti sunt, sed
tamen eorum scientiæ longè super nos incomparabiliter di-
latantur. Interius quippe exteriúsque sciendo diffusi sunt,
quia ipsum fontem scientiæ contemplantur. Quid enim de
his quæ scienda sunt, nesciunt, qui scientem omnia sciunt?
Eorum itaque scientia comparatione nostræ scientiæ valde
dilatata est, sed tamen comparatione diuinæ scientiæ angu-
C sta: sicut & ipsi illorum spiritus comparatione quidem no-
strorum corporum, spiritus sunt, sed comparatione summi,
& incircunscripti spiritus, sunt corpus. Et mittuntur igitur &
assistunt, quia per hoc quòd circunscripti sunt, exeunt, & per
hoc quòd intus quoque præsentes sunt, nunquam recedunt.
Et faciem ergo patris semper vident, & tamẽ ad nos veniunt,
quia & ad nos spiritali præsentia foras exeunt: & tamen ibi
se, vnde recesserant, per internam contemplationem seruant.
Dicatur ergo: *Venerunt filij Dei, vt assisterent coram Domino.*)
quia illuc spiritus conuersione redeunt, vnde nulla mentis
auersione discedunt. *Affuit inter eos etiam satan.*) Valde quæ-
rendum est quomodo inter electos Angelos satan adesse
potuerit, qui ab eorum sorte, exigente superbia, dudum
damnatus exiuit. Sed rectè inter eos affuisse describitur, quia
etsi beatitudinem perdidit, naturam tamen eis similem non
amisit: etsi meritis prægrauatur, conditione naturæ subtilis
attollitur. Inter Dei ergo filios coram Domino affuisse dici-
tur: quia eo intuitu quo omnipotens Deus cuncta spiritalia
D conspicit, etiam satan in ordine naturæ subtilioris videt, at-
testante scriptura, quæ dicit: Oculi domini contemplantur *Prouer.15.*
malos & bonos. Sed hoc quòd affuisse satan coram Domino
dicitur, in graui nobis quæstione versatur. Scriptum quippe
est: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Sa- *Matth.5.*
tan verò qui mundo corde esse non potest, quomodo
videndo Domino affuisse potest? Sed intuendum est quia
affuisse coram Domino, non autem vidisse Dominum per-
hibetur. Venit quippe vt videretur, non vt videret. Ipse in
conspectu Domini, non autem in conspectu eius Dominus
affuit: sicut cæcus cùm in sole consistit, ipse quidem solis
radiis perfunditur, sed tamen lumen non videt quo illustra-
tur. Ita ergo etiam inter Angelos in conspectu Domini
satan adfuit, quia vis diuina quæ intuendo penetrat omnia,
non se videntem immundum spiritum, vidit. Quia enim &
ipsa quæ Deum fugiunt, latere non possunt, dum cuncta
nuda sint superno conspectui, satan adfuit absens præsenti.
Sequitur:

Quòd nescire Dei, reprobare sit. *Caput III.*

4. CVi dixit Dominus: *Vnde venis?*) quid est quòd venientibus Angelis electis nequaquam dicitur: Vnde venitis: satan verò vnde veniat percontatur? Non enim requirimus nisi vtique quæ nescimus: Nescire autem Dei, reprobare est. Vnde quibusdam in fine dicturus est: Nescio vos vnde sitis. Lucæ 13. discedite à me omnes operarij iniquitatis. Sicut & nescire mentiri, vir verax dicitur, qui verax dicitur, qui labi per mendacium designatur: nõ quia si mentiri velit, nesciat: sed quòd falsa loqui veritatis amore contemnat. Quid est ergo ad satan dicere, vnde venis, nisi vias illius quasi incognitas reprobare? Veritatis igitur lumen tenebras quas reprobat, ignorat: & satanæ itinera, quia iudicans damnat, dignum est, vt quasi nesciens requirat. Hinc est quòd Adæ peccanti conditoris voce dicitur: Vbi es? Neque enim diuina potentia nesciebat, post culpam seruus ad quæ latibula fugerat: sed quia lapsum vidit in culpa, iam sub pecato velut ab oculis veritatis absconditum, quia tenebras erroris eius non approbat, quasi vbi est peccator ignorat, eumque & vocat, & requirit, dicens: Adam vbi es? Per hoc quòd vocat, signum dat quia ad pœnitentiam reuocat. Per hoc quod requirit: apertè insinuat, quia peccatores iure damnandos ignorat. Satan ergo Dominus non vocat, sed tamen requirit dicens: Vnde venis? quia nimirum Deus apostatam spiritum ad pœnitentiam nequaquam reuocat: sed vias superbiæ eius nesciens damnat. Igitur dum satan de itinere suo discutitur, electi Angeli requirendi vnde veniant non sunt: quia eorum viæ tantò Deo notæ sunt, quantò & ipso authore peraguntur, dúmque soli eus voluntati inseruiunt, eò esse incognitæ nequeunt, quò per approbationis oculum ex ipso semper ante ipsum fiunt. Sequitur: *Respondens satan ait: Circuiui terram & perambulaui eam*) Solet per gyrum circuitus, laboris anxietas designari. Satan ergo laborans terram circuiuit, quia quietus in cœli culmine stare contempsit. Cúmque se non transuolasse, sed perambulasse insinuat: quanto peccati pondere in imis prematur, demonstrat. Perambulans ergo terram circuit: G quia ab illo spiritalis potentiæ volatu corruens, malitiæ suæ pressus grauedine, foras ad gyrum laboris venit. Hinc est enim quod & de eius membris per Psalmistam dicitur: In circuitu impij ambulant: quia dum interiora non appetunt, in exteriorum labore fatigantur. Sequitur: Psalm. 11.

Quid sit quod ad satan Dominus loqui dicitur, vel quòd satan Domino respondere perhibetur. *Caput IIII.*

NVnquid consideràsti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?) Hod quòd diuina voce beatus Iob simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo dicitur: quia subtiliter mẽbratímque suprà exposuimus, replicare quæ diximus deuitamus: ne dum discussa repetimus, tardius ad indiscussa veniamus. Hoc ergo nobis est solerter intuendum, quid sit quòd vel ad satan loqui Dominus dicitur, vel quòd satan Domino respondere perhibetur. Discutienda quippe est, H quænam sit ista locutio. Neque enim vel à Domino (qui summus atque incircunscriptus est spiritus) vel à satan (qui nulla est carnea natura vestitus) Humano modo aëreus flatus folle ventris attrahitur, vt per organum gutturis, vocis expresione reddatur. Sed dum naturæ inuisibili natura incomprehensibilis loquitur, dignum est, vt mens nostra qualitatem corporeæ locutionis excedens, ad sublimes atque incognitos modos locutionis intimæ suspendatur. Nos nanque vt ea quæ sentimus intrinsecus, extrinsecus exprimanus: hæc per organum gutturis, per sonum vocis eiicimus. Alienis quippe oculis intra secretum mentis, quasi post parietem corporis stamus: sed cùm manifestare nosmetipsos cupimus, quasi per linguæ ianuam egredimur: vt quales sumus intrinsecus, ostendamus. Spiritalis autem natura non ita est, quæ ex mente & corpore composita dupliciter non est. Sed rursus sciendum est, quia ipsa etiam natura incorporea cum loqui dicitur, eius locutio nequaquam vna atque eadem qualitate formatur. Aliter enim loquitur Deus ad Angelos, aliter Angeli ad Deum: aliter Deus ad sanctorum animas, aliter sanctorum animæ ad Deum: aliter Deus ad diabolum, aliter diabolus ad Deum. Nam quia spiritali naturæ ex corporea appositione nihil obstat: loquitur Deus ad Angelos sanctos eo ipso, quo eorum cordibus occulta sua inuisibilia ostendit, vt quicquid agere debeant, in ipsa contemplatione veritatis legant, vt velut quædam præcepta vocis sint ipsa gaudia contemplationis. Quasi enim audientibus dicitur, quod videntibus inspiratur. Vnde cùm eorum cordibus, Deus contra humanam superbiam, animaduersionem vltionis infunderet, dixit: Venite descendamus, & confundamus ibi linguam eorum. Dicitur eis qui aderant: Venite, quia nimirum hoc ipsum nunquam à diuina contemplatione decrescere, in diuina contemplatione semper accrescere est: & nunquam corde recedere, quasi quodam stabili motu est semper venire. Quibus & dicit: Descendamus & confundamus ibi linguam eorum. Ascendunt Angeli in eo quòd creatorem conspiciunt: Descendunt Angeli, in eo quòd creaturam sese in illicitis erigentem, examine districtionis premũt. Gene. 11.

F Dicere ergo Dei est: Descendamus & confundamus ibi linguam eorum, in seipso eis hoc quòd rectè agatur ostendere, & per vim internæ visionis, eorum mentibus exhibenda iudicia occultis motibus inspirare. Aliter loquuntur Angeli ad Deum, sicut & per Ioannis apocalypsim dicunt: Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam. Vox nanq; Angelorũ est in laude conditoris ipsa admiratio intimæ cõtemplationis. Virtutis diuinæ miracula obstupuisse dixisse, est: quia excitatus cum reuerentia motus cordis, magnus est ad aures incircunscripti spiritus, clamor vocis. Quæ vox se quasi per distincta verba explicat, dum sese per innumeros modos admirationis format. Deus ergo Angelis loquitur: cùm eis voluntas eius intima videnda manifestatur. Angeli autem loquuntur Domino: cùm per hoc quòd super semetipsos respiciunt, in motum admirationis surgunt. Aliter Deus ad sanctorum animas, aliter sanctorum animæ loquuntur ad Deum. Vnde & in Ioannis Apocalypsi rursum dicitur: Vidi subter altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant: & clamabant voce magna, dicentes: Vsquequo Domine, sanctus & verus, non iudicas & vindicas sanguinem nostrum, de his qui habitant in terra? Vbi ilico adiungitur: Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis vt requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus conseruorum & fratrum eorum. Quid est enim animas vindictæ petitionem dicere, nisi diem extremum iudicij, & resurrectionem extinctorum corporum desiderare? Magnus quippe earum clamor, magnum est desiderium. Tantò enim quisque minus clamat, quantò minus desiderat: & tantò maiorem vocem in aures circunscripti spiritus exprimit, quantò se in eius desiderium plenius fundit. Animarum igitur verba ipsa sunt desideria. Nam si desiderium sermo non esset, Propheta non diceret. Desiderium cordis eorum audiuit auris tua. Sed cùm aliter moueri soleat mens quæ petit, aliter quæ petitur & sanctorum animæ: ita in interni secreti sinu Deo inhæreant, vt inhærendo requiescant: quomodo dicuntur petere, quas ab interna voluntate constat nullatenus discrepare? Quomodo dicuntur vindictam desiderare, quas & voluntatem Dei certum est, & ea quæ futura sunt, non ignorare? Sed in ipso positæ, ab ipso aliquid petere dicuntur, non quòd quicquam desiderẽt quod ab eius voluntate, quem cernunt, discordat: sed quò Deo mente ardentius inhærent, eo etiam de ipso accipiunt, vt ab ipso petant, quod eum facere velle nouerunt. De ipso ergo bibunt, quod ab ipso sitiunt: & modo nobis adhuc incomprehensibili, in hoc quod petendo esuriunt, præsciendo satiãtur. Discordarent ergo à voluntate conditoris, si qua eum vident velle, nõ peterent: eíque minus inhærerent, si voluntatẽ dare, desiderio pigriori pulsarent. Quibus responsum diuinitus dicitur: Requiescite tempus adhuc modicum, donec compleatur numerus cõseruorum & fratrum vestrorum. Desiderantibus animabus, Requiescite tempus adhuc modicũ dicere, est inter ardorem desiderij ex ipsa præscientia solatium cõsolationis adspirare: vt & animarũ vox sit, hoc quod amantes desiderant: & respondentis Dei sermo sit, hoc quod

Aliter loquitur deus ad diabolũ aliter diabolus ad deum.

Loquitur De ad diabolum quatuor modis.

Loquitur diabolus ab Deũ tribus modis. Dicere dei.

Apoc. 5.

6. *Apoc. 6.*

Clamor magnus, desiderium magnum.

Verba animarum desideria.

Psalm. 9.

quod eas retributionis certitudine inter desideria confirmat. A Respondere ergo eis est, vt collectionem fratrum expectare debeant, eorum mentibus libenter expectandi moras infundere: vt cùm carnis resurrectionem appetunt, etiam ex colligendorum fratrum augmento gratulentur. Aliter Deus loquitur ad diabolum, aliter diabolus ad Deum. Loqui enim Dei est ad diabolum: vias eius ac negocia animaduersione occultæ districtionis increpare, sicut hîc dicitur: Vnde venis? Diaboli autem ei respondere, est omnipotenti maiestati eius posse nihil celare. Vnde hic ait: Circuiui terram, & perambulaui eam. Quasi enim dicere eius est quid egerit, scire quòd actus suos oculis illius occultate non posit. Sciendum verò est, quia sicut hoc loco discimus, quatuor modis loquitur Deus ad diabolum: tribus diabolus ad Deum. Quatuor modis loquitur Deus ad diabolum, quia & iniustas vias eius arguit, & electorum suorum contra illum iustitiam proponit, & tentandam eorum innocentiam ei concedendo permittit, & aliquando eum ne tentare audeat prohibet. Iniustas enim vias eius redarguit: sicut iam dictum est: *Vnde venis?*) Electorum suorum contra illum iustitiam proponit, cùm ait: *Nunquid consideràsti seruum meum Iob: quòd non sit ei similis super terram?*) Tentandam eorum innocentiam concedendo permittit, sicut ait: *Ecce vniuersa quæ habet, in manu tua sunt.*) Rursúmque eum à tentatione prohibet cùm dicit: *Tantum in eum ne extendas manum tuam.*) Tribus autem modis loquitur diabolus ad Deum: cùm vel vias suas insinuat, vel electorum innocentiam fictis criminibus accusat, vel tentandam eandem innocentiam postulat. Vias quippe suas insinuat qui ait: *Circuiui terram, & perambulaui eam.* Electorum innocentiam accusat, qui dicit: *Nunquid frustra Iob timet deum? Nonne tu vallasti eũ, ac domum eius, vniuersámque substantiam eius per circuitum?* Tentãdam eandem innocentiam postulat, cùm dicit: *Extende manũ tuam, & tãge cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.*) Sed dicere Dei est: *Vnde venis?*) sicut & suprà insinuauimus, vi suæ iustitiæ itinera malitiæ eius increpare. Dicere Dei est: *Nunquid consideràsti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis super terram?*) C Tales electos suos iustificando facere: quibus nimirum apostata angelus posit inuidere. Dicere Dei est: *Ecce vniuersa quæ habet, in manu tua sunt?*) ad probationem fidelium, contra eos occulta vi incursum illum suæ malitiæ relaxare. Dicere Dei est: *Tantum in eum ne extendas manum tuam:*) ab immoderatę tentationis impetu eum, etiam permittẽdo restringere. Diaboli autem dicere est: *Circuiui terram, & perambulaui eam:*) sagacitatẽ suæ malitiæ inuisibilibus eius oculis occultare non posse. Dicere diaboli est: *Nunquid frustra Iob timet Deum?*) contra bonos intra cogitationum suarum latibula conqueri: eorúmque profectibus inuidere, atque inuidendo reprobationis rimas exquirere. Dicere diaboli est: *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet:*) ad afflictionem bonorum, malitiæ æstibus anhelare. Quò enim eorum tentationem inuidens appetit, eo illorum quasi probationem deprecans petit. Quia igitur internarum locutionum modos succinctè diximus: ad intermissum paululum expositionis ordinem reuertamur.

Dicere diaboli.

Quòd diabolus non contra Iob, sed contra dominum certamen iniit. *Caput V.*

8. NVnquid consideràsti seruum meum Iob, quòd non sit similis ei super terram, vir simplex & rectus: ac timens Deum, & recedens à malo?) Præcedenti iam sermone tractatum est: quia diabolus non contra Iob, sed contra Deum certamen proposuit, materia verò certaminis beatus Iob in medium fuit. Et si in sermonibus suis dicimus Iob inter flagella deliquisse, quod sentire nephas est, Deum dicimus in sua propositione victoriam perdidisse. Nam ecce & in hoc loco intuendum est: quia nõ prius diabol beatum Iob à Domino petiit, sed eum Dominus in diaboli despectũ laudauit. Et nisi in sua iustitia permansurum nosset, non vtique pro illo proponeret. Nec peritur ũ in tẽtatione cõcederet, de quo ante tẽtationem, ex Dei laudibus, in tentatoris mente, inuidiæ fuerant faces excitatæ. Sed antiquus aduersarius cùm quæ accuset mala, non inuenit: ipsa ad malum inflectere bona quærit. Cùm de operibus vincitur, ad accusandum verba nostra perscrutatur. Cùm nec in verbis accusationem reperit, intentionem cordis fuscare contendit, tanquam bona facta bono animo non fiãt, & idcirco perpendi à iudice bona non debeant. Quia enim fructus arboris esse, & in æstu virides conspicit: quasi vermem ponere ad radicem quærit. Nam dicit: Nunquid frustra Iob timet Deum? Nõne tu vallasti eum ac domum eius, vniuersámque substantiam eius per circuitum? *Operibus manuum eius benedixisti, & possẽssio illius creuit in terra.*) Ac si apertè dicat: Qui tot bona in terra recipit: quid mirum est si pro eis se innocenter gerit? Innocens verè esset, si bonus inter aduersa persisteret. Cur autem magnus dicitur, quem merces sui vniuscuiusque operis, tanta rerum multiplicitate comitatur? Astutus quippe aduersarius cùm sanctum virum inter prospera bene egisse considerat, reprobare apud iudicem per aduersa festinat. Vnde rectè in Apocalypsi voce angelica dicitur: Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. Scriptura autem sacra sæpe diem pro prosperis, noctem autem pro aduersis ponere consueuit. In die ergo & nocte accusare non desinit: quia modo nos in prosperis, modo in aduersis accusabiles ostendere contendit. In die accusat, cùm prosperis malè nos vti insinuat. In nocte accusat, cùm in aduersis nos non habere patientiam demonstrat. Beatum ergo Iob, quia necdum flagella attigerant: quasi adhuc vnde in nocte accusare posset, omnino non habebat. Quia verò in prosperis magna sanitate † viguerat, pro eisdem prosperis bona illum egisse simulabat: versuta assertione mentiens, quòd non ad vsum Domini substantiam possideret, sed ad vsum substantiæ Dominum coleret. Sunt enim nonnulli, qui vt fruantur Deo, dispensatoriè vtuntur hoc seculo. Et sunt nonnulli qui vt fruantur hoc seculo, transitoriè vti volunt Deo. Cùm igitur bona diuini muneris narrat, putat quòd fortis operarij facta leuiget: vt cuius vitam reprehendere de operibus non valet, eius mentem quasi ex cogitationibus addiscat, mentiens quòd non amore Domini, sed temporalis prosperitatis appetitione seruierit, omne quod innocuè exterius vixit. Vires ergo beati Iob nesciens, sed tamen vnumquenque aduersis probari verius sciens, tentandum hunc expetit: vt qui per diem prosperitatis inoffenso gressu incesserat, saltem in nocte aduersitatis impingeret, & ante laudatoris sui oculos offensione impatientiæ prostratus iaceret. Vnde subiungit:

Apoc. 12. 9.

B

D

† *al. sanctitate.*

Quòd diabolus nihil possit nisi permissus. *Caput VI.*

SEd extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.) Cùm sanctum virum satan tentare appetit, & tamen domino, vt manum suam extendere debeat dicit, valde notandum est: quia feriendi vires nec ipse sibi tribuit, qui contra authorem omnium singulariter superbit. Scit nanque, quia quodlibet agere ex semetipso non sufficit, quia nec per semetipsum in eo quòd est spiritus existit. Hinc est quod in Euangelio expellenda de homine legio dicebat: Si eiicis nos, mitte nos in gregem porcorum. Qui enim per semetipsum ire in porcos non poterat, quid mirum si sine authoris manu, sancti viri domum contingere non valebat? Sciendum verò est, quia satanæ voluntas semper iniqua est, sed nunquam potestas iniusta: quia à semetipso voluntatem habet, sed à Domino potestatem. Quod enim ipse facere iniquè appetit, hoc Deus fieri non nisi iustè permittit. Vnde bene in libris Regum dicitur: Spiritus Domini malus irruebat in Saul. Ecce vnus idémq; spiritus, & Domini appellatur & malus: domini videlicet per licentiã potestatis iustæ, malus autem per desiderium voluntatis iniustæ. Formidari ergo nõ debet, qui nihil nisi permissus valet. Sola ergo vis illa tremenda est, quæ cùm hostem sæuire permiserit, ei ad vsum iusti iusticij, & iniusta illius voluntas seruit. Paululum verò manum postulat extendi, quia exteriora sunt, quæ expetit conteri. Neque enim satan facere se aliquid multum putat, nisi cùm in anima sauciat, vt ab illa patria feriens reuocet, à qua ipse longè telo superbiæ suæ prostratus iacet. Sed quid est quod ait: *Nisi in faciem benedixerit tibi?*) Nos nempe quod amamus respicimus: quod verò auersari volumus, ab eo faciem declinamus. Quid itaque Dei facies, nisi respectus eius gratiæ perhibetur intelligi? Ait er-

Diabolus vires feriendi sibi non tribuit.

Lucæ 8.

10.

2. *Regũ 18.*

Non est formidandus diabolus, sed vis diuina timenda.

go: *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.*) Ac si apertè dicat: Ea quæ dedisti subtrahe: nam si accepta perdiderit, respectum gratiæ tuæ ablatis rebus temporalibus non requiret. Si enim ea quibus delectatur non habuerit, fauorem tuum etiam maledicendo contemnet. Cuius petitione callida nequaquam prouocata veritas vincitur, sed ad deceptionem suam hosti conceditur: quod fideli famulo ad augmentum muneris suffragetur. Vnde mox subditur:

Quomodo Deus tentatori in quibusdam dat licentiam, in aliis verò retinet & refrenat. Caput VII.

11. E*Cce vniuersa quæ habet, in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam*) Consideranda est in verbis Domini dispensatio sanctæ pietatis, quomodo hostem nostrum permittit, & retinet, relaxat & refrenat. Alia ad tentandum dat [alia ad affligendum] sed ab aliis religat. Ecce vniuersa quæ habet in manu tua sunt: tantum ne in eum extendas manum tuam.) Substantiam prodit, sed tamen corpus protegit: quod quidem postmodum tentatori traditurus est, sed tamen non simul ad omnia relaxat hostem, ne vndique feriens frangat ciuem. Mala enim cùm multa electis eueniunt, mira conditoris gratia ex tempore dispensantur: vt quæ coaceruata perimerent, possint diuisa tolerari. Hinc Paulus ait: Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, vt possitis sustinere: Hinc Dauid ait: Proba me domine & tenta me. Ac si apertè dicat: Prius vires inspice, & tunc vt ferre valeam tentari permitte. Hoc tamen quod dicitur: Ecce vniuersa quæ habet, in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam: intelligi & aliter potest, quia fortem quidem pugnatorem suum Dominus nouerat, sed tamen diuidere ei certamina contra hostem volebat: vt quantus robusto bellatori victoria in cunctis suppeteret, prius tamen de vno certamine hostis ad Dominum victus rediret: túncque ei aliud iterum vincendo concederet, quatenus fidelis famulus eò mirabilius victor existeret, quò victus hostis se contra illum iterum ad noua bella repararet. Sequitur:

1.Cor.10.

Psalm.25.

Quòd Deus est intra omnia, & extra omnia, & supra omnia, & infra omnia. Caput VIII.

12. E*Gressúsque est satan à facie Domini.*) Quid est quòd satan à facie Domini egressus dicitur? Quò enim exitur ab eo qui vbique est? Hinc nanque ait: Cœlum & terram ego impleo. Hinc est quòd sapientia illius dicit? Gyrum cœli circumiui sola. Hinc de eius spiritu scriptum est: Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Hinc est quòd Dominus dicit iterum: Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorũ. Hinc rursum de eo scriptũ est: Cœlum metitur palmo, & omnem terrã pugillo concludit. Sedi quippe cui præsidet, interior & exterior manet. Cœlũ palmo metiens, & terram pugillo concludens, ostenditur: quòd ipse sit circumquaque cunctis rebus, quas creauit, exterior. Id nãque quod interius concluditur à concludente exterius continetur. Per sedem ergo cui præsidet, intelligitur esse interius supráque. Per pugillum quo continet, exterius subtérq; signatur. Quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia, & superior est per potentiam, & inferior per sustentationem: exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem: sursum regens, deorsum continens: extrà circundans, interius penetrans, nec alia ex parte superior, alia inferior, aut alia ex parte exterior, atque alia manet interior: sed vnus idémque totus vbique præsidendo sustinens, sustinendo præsidens, circundando penetrans, penetrando circundans. Vnde superius præsidens, inde inferius sustinẽs, & vnde exterius ambiens, inde interius replens, sine inquietudine superius regens, sine labore inferius sustinens, interius sine extenuatione penetrans, exterius sine extentione circundans. Est itaque inferior & superior sine loco: est amplior sine latitudine: est subtilior sine extenuatione. Quò igitur ab eo exitur, qui dum per molem corporis nusquam est, per incircunscriptam substantiam nusquam deest? Sed quandiu satan pressus maiestatis potentia, appetitum suæ malitiæ exercere non valuit, quasi ante faciem Domini stetit. A facie autem Domini exiit, quia relaxatus diuinitus ab internæ retentionis angustia, ad sui desiderij effectum venit. A facie Domini exiit, quia diu vinculis disciplinæ religata quandoque voluntas noxia ad opus processit. Cum enim, (sicut dictum est) id quod voluit, implere non valuit, quasi ante faciem Domini stetit, quia illum ab effectu malitiæ superna dispensatio coarctauit. Sed à facie Domini exiit, quia potestatem tentationis accipiens, ad malitiæ suæ vota peruenit. Sequitur:

Hiere.23. Ecclesiasti. 24. Sapien 1. Esaiæ 66. Esaiæ 40.

13.

Quòd conuiuantibus filiis Iob ex ipsa comessatione diabolus tentandi occasionem accepit, & quomodo de minoribus ad maiora paulatim progreditur. Caput VIII.

C*Vm autem quadam die filij, & filiæ eius comederent, & biberent vinum in domo fratris sui primogenti, nuntius venit ad Iob, qui diceret: Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos, & irruerunt Sabei, tulerúntque omnia, & pueros percusserunt gladio, & ego euasi solus, vt nuntiarem tibi.*) Notandum quæ tempora tentationibus congruant. Tunc quippe diabolus tentandi tempus elegit, quando beati Iob filios in couiuio inuenit. Neque enim solummodo intuetur hostis quid faciat, sed etiam quando faciat, Nam quanuis potestatem acceperit, aptum tamen ad subuersionem tempus exquisiuit, vt videlicet nobis Deo dispensante proderetur, quia prænuntia tribulationis est lętitia satietatis. Intuendum verò est, quàm callidè ipsa damna quæ illata sunt nuntiantur. Non enim dicitur, Boues à Sabæis ablati sunt: sed qui ablati sunt, Boues arabant, vt videlicet memorato fructu operis, causa crescat doloris. Vnde & apud Græcos, non solum asinæ, sed asinæ fœtæ raptæ referuntur: vt dum minima animalia audientis animum minus ex sui qualitate percuterent, amplius ex fœcunditate vulnerarent. Et quia eò magis aduersa animum feriunt, quò cùm multa sunt, etiam subita nuntiantur, aucta est mensura gemituum, etiam per particulas nuntiorum. Nam sequitur:

14.

Cùm adhuc ille loqueretur, venit alius & dixit: Ignis Dei cecidit de cœlo, & tactas aues puerósque consumpsit, & effugi ego solus, vt nuntiarem tibi.) Ne rebus perditis minorem audienti dolorem moueat: eius animum ad exercendum etiam ipsis nuntiorum verbis instigat. Intuendum quippe est quàm callidè dicitur: Ignis Dei, ac si apertè diceretur: Illius animaduersionem sustines, quem tot hostiis placare voluisti: Illius iram toleras, cui quotidie seruiens insudabas. Dum enim Deum cui seruierat aduersa intulisse indicat, † læso commemorat, in quo excedat: quatenus anteacta obsequia ad mentem reduceret, & frustra se seruisse æstimans in authoris iniuriam superbiret. Pia etenim mens cùm se aduersa ab hominibus perpeti conspicit, in diuinæ gratiæ consolatione requiescit: cúmque tentationum procellas increscere extrinsecus viderit, secessum spei dominicæ appetens, intra conscientiæ portum fugit. Vt verò versutus hostis vno eodémque tempore sancti viri robustissimum pectus, & humanis aduersitatibus, & diuina † dispensatione concuteret, & prius Sabæos irruisse intulit, & mox ignem Dei de cœlo cecidisse nuntiauit, vt quasi omnem aditum consolationis excluderet, dum & ipsum aduersantem ostenderet, qui consolari animum intra aduersa potuisset, quatenus dum se tentatus vndique destitui atque vndique premi considerat, in contumeliam tantò audacius, quantò & desperatius erumpat. Sequitur: *Et adhuc loquente illo, venit alius & dixit: Chaldæi fecerunt tres turmas, & inuaserunt camelos, & tulerunt eos, necnon & pueros percusserunt gladio, & effugi ego solus, vt nuntiarem tibi.*) Ecce iterum ne quid minus de humana aduersitate doluisset, Chaldæorum turmas irruisse denuntiat: & ne illum minus desuper veniens aduersitas feriat, iteratam iram in aëre demonstrat. Nam sequitur: *Loquebatur ille, & ecce alius intrauit & dixit: Filiis tuis & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruẽs oppressit liberos tuos, & mortui sunt, & effugi ego solus vt nuntiarẽ tibi.*) Qui vno vulnere nõ prosternitur, idcirco bis térq; percutitur, vt vsq; ad intima quandoq; feriatur. Nuntiata itaq; fuerat aduersitas de Sabæis, nuntiata diuina animaduersio per ignẽ de cœlo, nuntiatur

† al. læsum.

† al. desperatione.

nũciatur ab hominibus iterum camelorum raptus, cædésque puerorum, & diuinę indignationis ira repetitur, dum ventus irrũs cõcussisse domus angulos, atque extinxisse liberos indicatur. Quia enim notum est, quod absque superno nutu moueri elementa non possint, latenter infertur, quòd ipse contra illum elementa mouerit, qui moueri permisit, quanuis satan à Domino semel accepta potẽstate ad vsum suę nequitiæ etiam elementa concutere præualet. Nec mouere debet si spiritus de summis proiectus turbare in ventos aërem potuit: cùm nimirum constet, quia & damnatis in metallum, ad vsum aqua & ignis seruit. Quæsitum est igitur, vt nuntiarentur mala: quæsitum est, vt multa: quæsitum est, vt subita. Sed cùm prius aduersa nuntiauit, tranquillo adhuc pectori quasi sanis membris vulnus inflixit: cùm verò percussum cor feriendo repetiit, vt ad impatientiæ verba compelleret, super vulnera vulnus irrogauit. Intuendum verò est, quàm callidè cutauit hostis antiquus, non tam iactura rerum sancti viri patientiam rumpere, quam ipso ordine nuntiorum. Qui studens prius parua, & pòst nuntiare maiora, in extremo filiorum mortem intulit: ne vilia pater rei familiaris damna duceret, si illa iam orbatus audiret, & minus percuteret rerum amissio præcognita morte filiorum: quia videlicet nulla esset hæreditas, si illos prius subtraheret, qui seruabantur hæredes. Sed à minimis incipiens, in vltimum grauiora nuntiauit, vt dum gradatim deteriora cognosceret, in eius corde doloris locum omne vulnus inueniret. Notandum quàm callidè tot malorum pondera, & diuisa, & subita nuntiantur: & repentè, & particulatim crescens, in audientis corde dolor sese ipse non caperet, & tantò ardentius in blasphemiam accenderet, quantò subitis, ac multiplicibus nuntiis in se angustius æstuaret.

Quòd dissolutio præpositorum sit ruinæ minorum. Caput IX.

16. S*Ed neque hoc neglectè prætereundum puto: quòd filij in maioris fratris domo conuiuantur cùm pereunt. Dictum nanque est superius, quòd conuiuia peragi sine culpa vix possunt. Vt ergo nostra, non illorum loquamur: sciendum nobis est, quia omne quod à minoribus voluptuosè agitur, maiorum disciplina cohibetur. Cùm verò maiores ipsi voluptati deseruiunt, nimirum minoribus lasciuiæ frena laxantur. Quis enim sub disciplinæ se constrictione retineat, quando & ipsi qui ius constrictionis accipiunt, sese voluptatibus relaxant? Dum ergo in maioris fratris domo conuiuantur, pereunt: quia tunc contra nos hostis vehementius vires accipit, quando & ipsos qui pro custodia disciplinæ prælati sunt, ventri seruire cognoscit. Tantò enim licentius ad feriendum occupat subditos, quantò & hi qui intercedere pro culpis poterant, voluptati vacant. Absit autem ne tanti viri filios per conuiuiorum studia, ingurgitando ventri vacasse suspicemur: sed tamen veraciter nouimus, quia etsi per disciplinæ quisque custodiam necessitatis metas edendo non transit, accensa tamen mentis intentio inter conuiuia torpescit: & minus in quanto sit tentationum bello considerat, qui se per securitatem relaxat. In domo ergo primi fratris filios obruit: quia antiquus hostis in minorum morte subuersionis aditum per negligentiam maiorum quærit. Sed quia quantis nuntiorum iaculis sit percussus, agnouimus: vir fortis noster, qualis inter vulnera consistat audiamus. Sequitur.

Filij Iob nõ ingurgitando ventri, conuiuiis vacabant.

Quòd Iob in eo quòd filios luxit, & Deum adorauit, manifestè ostendit, quàm immobilis in Dei & proximi charitate extiterit. Caput X.

T*Vnc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua: & tonso capite corruens in terram adorauit.*) Nonnulli magnæ constantiæ philosophiam putant, si disciplinæ asperitate correpti, ictus verberum doloréque non sentiant. Nonnulli verò tam nimis percussionum flagella sentiunt, vt immoderato dolore commoti, etiam in excessu linguæ dilabantur. Sed quisquis veram philosophiam nititur tenere: necesse est, vt inter vtraque gradiatur. Non est enim pondus veræ virtutis, insensibilitas cordis, quia & valde insana per stuporem membra sunt: quæ & incisa sentire dolorem nequaquam possunt. Rursus virtutis custodiam deserit, qui dolorem verberum vltra quàm necesse est sentit: quia dum nimia afflictione cor tangitur, vsque ad impatiẽtiæ contumelias excitatur: & qui per flagella corrigere malefacta debuerat, agit vt nequitia per flagellũ crescat. Contra insensibilitatẽ quippe percussorum per Prophetã dicitur: Percussisti eos, nec doluerunt: attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinã. Contra pusillanimitatem percussorum per Psalmistam dicitur: In miseriis non subsistent. In miseriis nanque subsisterent, si æquanimiter aduersa tolerarent. At postquam mente inter flagella corruunt: quasi inter illatas miserias subsistendi constantiam perdunt. Beatus itaque Iob, quia veræ philosophiæ regulam tenuit, contra vtraque mira se æquitatis arte seruauit: vt nec quasi dolorem non sentiens flagella sperneret: nec rursum vltra modum dolorem sentiens contra iudicium flagellantis insaniret. Cunctis enim rebus perditis, cunctis liberis amissis, surrexit: scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adorauit. Quòd vestimenta scidit, quòd tonso capite in terram corruit: monstrat nimirum, quia flagelli dolorem sensit. Quòd verò additur: Adorauit, apertè ostenditur: quia in dolore positus contra flagellantis iudicium non excessit. Nec omnino ergo non motus est, ne Deum ipsa insensibilitate contemneret: nec rursum omnino motus est, ne nimis dolendo peccaret. Sed quia duo sunt præcepta charitatis, Dei videlicet amor, & proximi: vt dilectionem proximi exoluere, impendit filiis luctum: ne dilectionem Dei desereret, expleuit inter gemitus adorationem. Solent nonnulli in prosperis Deum diligere, in aduersis autem positi flagellantem minus amare. Beatus autem Iob per hoc quòd motus exterius exhibuit, ostendit: quia flagella patris agnouit. Per hoc quòd adorando humilis mansit, ostendit: quia amorem patris nec in dolore deseruit. Ne igitur superbus esset non sentiens, in percussione corruit: ne autem se ferienti extrancum faceret, ad hoc corruit vt adoraret. Mos autem veterum fuit: vt quisquis speciem sui corporis capillos nutriendo, seruaret, eos tempore afflictionis abscinderet: & rursum tranquillitatis tempore capillos abscinderet, eos in ostensione afflictionis nutriret. Beatus igitur Iob tranquillitatis tempore capillos seruasse ostenditur: cùm ad doloris vsum caput totondisse memoratur: quatenus cùm in cunctis eum rebus manus superna percuteret, etiam sponte illum pœnitentiæ species diuersa fuscaret: sed iste exutus rebus, filiis orbatus, qui vestimenta scidit, qui caput totondit, qui in terram corruit, quid dicat audiamus.

Hier.5. Psal.139. 17.

Quòd in amissione exteriorum magna consolatio sit, considerare quod hæc temporalia nec aliquando habuimus, nec semper habebimus. Caput XI.

N*Vdus egressus sum de vtero matris meæ: nudus reuertar illuc.*) O quàm altæ sedi interni consilij præsidet iste, qui scissis vestibus in terra prostratus iacet. Quia enim iudicãte Domino cuncta amiserat, pro seruanda patientia illud tempus ad memoriam reduxit, quo necdum ista quæ perdidit habebat: vt dum intuetur quòd aliquando illa non habuit, dolorem temperet quòd amisit. Magna enim consolatio est in rerum amissione, illa tempora ad mentem reducere, quibus nos contigit res quas perdidimus non habuisse. Quia verò omnes nos terra genuit, hanc non immeritò matrem vocamus. Vnde scriptum est: Graue iugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem eorum omnium. Beatus igitur Iob, vt patienter lugeat, quod hic amisit, vigilanter attendit qualis huc venerit: ad augmentum autem seruandæ patientiæ, adhuc solertius inspicit hinc qualis recedat, & dicit: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc.*) Ac si dicat: Nudum me huc intrantem terra protulit, nudum me hinc exeuntem terra recipiet. Qui ergo accepta habui, sed relinquenda perdidi, quid proprium amisi?

Eccle.40.

Quòd diabolus humilitate nostra sternitur, & patientia superatur. Caput XII.

Q*Via verò consolatio, non solum ex consideratione conditionis exhibenda est, sed etiam ex iustitia conditoris, rectè subiungit: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut*

18.

Domino placuit, ita factum est.) Sanctus vir tentante aduersario cuncta perdiderat, se d tamen sciens quia contra se satan tentandi vires, nisi permittente Domino non habebat, non ait: Dominus dedit, diabolus abstulit, sed Dominus dedit Dominus abstulit. Fortasse enim fuerat dolendum, si quod dominus dedit, hostis abstulisset: at postquam non abstulit nisi ipse qui dedit, sua recepit, non nostra abstulit. Si enim nos ab illo accipimus, quibus in hac vita vtimur, cur doleamus quod ipso iudicante exigimur, quo largiente fœneramur? Nec aliquando iniustus est creditor, qui dum præfixo reddendi tempore non constringitur: quando vult exigit quod fœneratur. Vbi & bene subiungitur: *Sicut Domino placuit, ita factum est.*) Cùm enim in hac vita ea quæ nolumus patimur, necesse est, vt ad eum qui iniustum velle nihil potest, studia nostræ voluntatis inclinemus. Magna quippe est consolatio in eo quòd displicet, quòd illo ordinante erga nos agitur, cui non nisi iustum placet. Si igitur iusta Deo placere scimus: patì autem nulla, nisi quæ Domino placuerint possumus, iusta sunt cuncta quæ patimur & valde iniustum est, si de iusta passione murmuramus. Sed quia orator fortis quomodo assertionem partis suæ contra aduersarium allegauit, audiuimus: nũc quomodo in orationis suæ termino iudicem benedicendo laudet, audiamus. Sequitur: *Sit nomen Domini benedictum.*) Ecce omne quod rectum sensit, Domini benedictione conclusit, vt hinc aduersarius inspiciat, & ad pœnam suam victus erubescat: quia ipse Domino contumax etiam in beatitudine conditus extitit, cui homo hymnum gloriæ etiam percussus dicit. Intuendum verò est, quia hostis noster tot nos iaculis percutit, quod tentationibus affligit. Quotidie nanque in acie stamus, quotidie tentationum eius tela excipimus. Sed & nos contra illum iacula mittimus, si confosi tribulationibus, humilia respondemus. Beatus igitur Iob percussus damno rerum, percussus morte filiorum: quia vim doloris vertit in laudem conditoris, dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.*) Superbum hostem humilitate percussit, crudelem patientia strauit. nec credamus quòd bellator noster accepit, & non inflixit vulnera. Quot enim voces patientiæ in Dei laudem percussus reddidit, quasi tot in aduersarij pectore iacula intorsit: & accriora valde quàm sustinuit, inflixit. Afflictus enim terrena perdidit, sed afflictionem humiliter sustinens, cœlestia multiplicauit: Sequitur:

Quòd Iob percussus, nec verbo, nec cogitatione in Deum peccauit.
Caput XIII.

IN omnibus his non peccauit Iob labiis suis: neque stultum aliquid contra Deum locutus est.) Quia tentationum tribulationibus deprehensi, etiam tacito cogitationum motu possumus non loquendo peccare: beato Iob & oris testimonium perhibetur & cordis. Prius enim dicitur: Non peccauit Iob labiis suis, & tunc demum subditur: Neque stultum aliquid contra Deum locutus est. Qui enim stultum locutus non est, culpam à lingua cõpescuit: sed cùm præmittitur, nõ peccauit: constat quòd murmurationis vitium etiam à cogitatione restrinxit. Nec ergo peccauit, nec stultum locutus est: quia nec per conscientiam tacitus tumuit, nec linguam in contumaciam relaxauit. Stultè autem contra Deum loquitur, qui inter diuinæ animaduersionis flagella positus, iustificare semetipsum conatur. Si enim innocentem se asserere superbè audeat, quid aliud quàm iustitiam ferientis accusat? Hucusque nos verba historiæ transcurrisse sufficiat: iam nunc ad indaganda allegoriæ mysteria expositionis se sermo conuertat.

Quòd Deus tempora sine tempore intuetur: & in luce tenebras videt, & diuersa ordinans non est diuersus. *Caput XIIII.*

20. SEd in hoc quod scriptum est: *Quadam die cùm venissent filij Dei, vt assisterent coram Domino: affuit inter eos etiam satan.*) discutiendum prius est, cur quadam die factum aliquid coram Domino dicitur: cùm apud illum nequaquam cursus temporis mutatione diei noctísque varietur. Neque enim in ea luce, quæ sine accessu ea quæ eligit illustrat, & sine recessu ea quæ respuit deserit, defectus mutabilitatis venit: quia in semetipsa manendo immutabilis, mutabilia cuncta disponit: sicque in se transeuntia condidit, vt apud se transire nequaquam possint: nec tempus intus in conspectu eius desluit, quod apud nos foris decurrit. Vnde fit vt in æternitate eius fixa maneant ea, quæ non fixa exterius seculorum volumina emanant. Cur ergo apud eum dicitur, Quadam die, cui nimirum dies vna est æternitas sua? Quam videlicet nec fine claudi, nec initio vidit aperiri Psalmista cùm dicit: Melior dies est vna in atriis tuis super milia. *Psalm.83.* Sed cùm scriptura sacra de temporaliter editis loquitur, dignum est vt verbis temporalibus vtatur: quatenus condescendendo leuet, & dum de æternitate aliquid temporaliter narrat, assuetos temporalibus, sensim ad æterna traiiciat: sequebne nostris mentibus æternitas incognita, dum verbis cognitis blanditur, infundat. Quid autem mirum si in sacro eloquio incommutabilitatem suam Deus preproperè humanæ menti non aperit: quando & resurrectionis suæ solennitate celebrata, quibusdam prouectionum accessibus innotuit, in corruptionem corporis quod resumpsit? Luca quippe attestante didicimus: quòd quibusdam se in monumento quærentibus prius Angelos misit: & rursum discipulis in via de se loquentibus ipse quidem, sed non cognoscendus, apparuit: qui post exhortationis moras, cognoscẽdum se in panis fractione monstrauit. *Lucæ 24.* Ad extremum verò repentè ingrediens, non solum se cognoscibilem, sed etiam palpabilem præbuit. Quia enim infirma adhuc gestabant corda discipuli: in cognitione tanti mysterij ita fuerant diuina dispensatione nutriendi, vt paulisper aliquid quærentes inuenirent, inuenientes crescerent, & crescentes cognita robustius tenerent. Quia igitur non repentè, sed causarum verborũmque incrementis, quasi quibusdam ad æternitatem passibus ducimur: intus apud eum quadam die aliquid factum dicitur, qui ipsa quoque tempora sine tempore contuetur. An quia etiam satan affuit die quadam, dum hoc factum dicitur, indicare sacra scriptura studuit: quia in luce Deus tenebras vidit? Nos quippe vno eodémque cotuitu lucem, & tenebras contueri non possumus: quia cùm in tenebris oculus figitur, lux fugatur: & cùm ad lucis se coruscationem verterit, tenebrarum vmbra discedit. Illa autem vis quæ cuncta mutabilia immutabiliter videt, quasi in die ei satan affuit: quia apostatæ angeli tenebras sine obscuritate comprehendit. Nos (vt dictum est) vno eodémque intuitu contemplari non possumus, & quæ approbando eligimus, & quæ reprobando damnamus: quia cùm ad hanc animus vertitur, ab illa cogitatione separatur: cùm verò ad illam reducitur, ab hac cui inhæsit, remouetur. Deus verò qui sine mutabilitate simul cuncta respicit, sine distentione comprehendit: videlicet & bona quæ adiuuat, & mala quæ iudicat, & quæ adiuta remunerat, & quæ iudicans damnat, in his quæ diuerso disponit ordine, diuersus non est. In die ergo ei satan affuisse describitur: quia lumen æternitatis eius nulla mutabilitatis suscatione tangitur, & in hoc quòd ei tenebræ præsentes sunt, affuisse inter filios Dei dicitur: quia ea vi iustitiæ immundus spiritus penetratur, qua videlicet mundorum spirituum corda complentur: eóque radio luminis iste transfigitur, quo illi vt luceant perfunduntur. Inter filios dei affuit: quia & si ille deo ad electorum adiutorium: iste ad probationem seruit. Inter filios dei affuit: quia & si ab illis in hac vita laborantibus auxilium pietatis impenditur: iste occultæ eius iustitiæ nesciendo seruiens, ministerium exequi reprobationis conatur. Vnde bene in libris Regum per Prophetam dicitur:

Quòd sancti Angeli ad adiutorium electorum, satan verò ad probationem, Deo seruiat. *Caput XV.*

VIdi Dominum sedentem super solium suum: & exercitum cœli à dextris eius & à sinistris, & dictũ est: In quo decipiã Achab, vt ascendat & cadat in Ramoth Galaath? Et dixit alius ita, & ali⁹ aliter. Et egressus est vnus, & dixit: Ego decipiam Achab: & dictum est: In quo decipies? Qui respondit dicens: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Quid enim soliũ Dei, nisi angelicas potestates accipimus, quarum mentibus altius præsidens inferius *3.Regũ.22.*

cuncta

cuncta disponit? Et quid exercitus cœli, nisi ministrantium Angelorum multitudo describitur? Quid est ergo quòd exercitus cœli à dextris & sinistris eius stare perhibetur? Deus enim qui ita est intra omnia, vt etiam sit extra omnia: nec dextra, nec sinistra cõcluditur. Sed dextra Dei, Angelorũ pars electa: sinistra autẽ Dei pars angelorũ reproba designatur. Nõ enim ministrãt Deo solummodo boni qui adiuuent: sed etiã mali qui probent. Nõ solum qui à culpa redeuntes subleuẽt: sed etiã qui redire nolẽtes grauent. Nec quod, cœli exercitus dicitur: angelorũ pars reproba in eo intelligi posse prohibetur. Quas enim suspendi in aëre nouimus aues cœli nominamus. Et de eisdẽ spiritibus Paulus dicit: Contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus. *Ephes.6.* Quorum caput enuncians ait: Secundũ principem potestatis aëris huius. *Ephe.2.* A dextera ergo Dei & sinistra angelorũ exercitus stat, quia & voluntas electorum spirituum diuinæ pietati concordat: & reproborum sensus suæ malitiæ seruiẽs, iudicio districtionis eius obtemperat. Vnde & mox fallax spiritus in medium prosiliisse describitur: per quem Achab rex, exigentibus suis meritis decipiatur. Neque enim fas est credere bonum spiritũ fallaciæ deseruire voluisse, vt diceret: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omniũ prophetarum eius, sed quia Achab rex ex præcedẽtibus peccatis dignus erat, vt tali debuisset deceptione damnari: quatenus qui sæpe volens ceciderat in culpam, quandoque nolens caperetur ad pœnam. Occulta iustitiæ licentia malignis spiritibus datur, vt quos volentes in peccati laqueo strangulãt, in peccati pœnam etiam nolentes trahant. Quòd ergo illic à dextris atque à sinistris Dei, exercitus cœli astitisse describitur: hoc hic inter filios Dei satan affuisse perhibetur. Ecce à dextris Dei steterunt Angeli, qui nominantur filij Dei: ecce à sinistris angeli stant, quia affuit inter eos etiam satan. Sed quia allegoriæ mysteria indagare decreuimus, non inconuenienter accipimus quòd in die Dominus satan vidit: quia vias eius in sapientiæ suæ incarnatione corripuit: quasi eum non vidisse, fuerit, tandiu prauitatem illus in humani generis perditione tolerasse. Vnde & ei diuina voce mox dicitur: *Vnde venis?*) In die satan requiritur de viis suis, quia in luce manifestatæ sapientiæ, occulti hostis insidiæ deteguntur. Quia ergo incarnato Domino diabolus increpatur, & à sua pestifera effrenatione corripitur, rectè subiungitur: *Cui dixit Dominus: Vnde venis?*) Tunc enim satanæ, vias requirendo arguit, cùm per mediatoris aduentum persuasionis eius nequitias reprimens, increpauit. Nec immeritò in hoc die filij Dei coram Domino astitisse referuntur, quia videlicet ad æternæ patriæ vocationem, electi omnes, luce sapientiæ se illustrante, collecti sunt. Quos quanuis incarnata sapientia aggregare effectu operis venerat, diuinitati tamen illius iam per eius præscientiam intrinsecus assistebãt. Sed quia de viis suis antiquus hostis, redemptore veniente, discutitur, quid dicat audiamus:

Quòd ab Adam vsque ad aduentum Christi satan nullum qui sibi plenè resisteret, repererit. *Caput XVI.*

CIrcuiui terram, & perambulaui eam.) Ab Adam quippe, ante aduentum Domini, omnes post se gentium nationes traxit. Circuiuit terram & perambulauit: quia per corda gentium iniquitatis suæ vestigia impressit. Cadens enim à sublimibus, humanas mentes iure possedit, quia in culpæ suæ vinculo volentes adstrinxit: tantóque latius in mundo vagatus est, quantò à reatu illius quisquam liber per omnia inuentus non est. Cui quasi ex potestate mũdum circuisse, est nullum hominem qui sibi plenè resisteret inuenisse. Sed iam satan redeat, id est, ab effectu suæ malitiæ vis illum diuina constringat, quia iam apparuit in carne, qui in peccati contagione, ex carnis nihil habebat infirmitate. Venit humilis, quem & superbus hostis admiretur: quatenus qui fortia diuinitatis eius despexerat, etiam humanitatis eius infirma pertimescat. Vnde & mox significatione mirifica, contra eum ipsa humanitatis infirmitas obstupescenda proponitur, vt dicatur: *Nunquid consideraſti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra?*) Quòd Iob interpretetur dolens, paulò antè iam diximus. Dolens verò ipse veraciter per figuram dicitur: qui portare dolores nostros Propheta attestãte, perhibet. *Esa.53.* Cui in terra similis non est, quia omnis homo tantummodo homo est, ipse autem Deus & homo. In terra ei similis non est: quia etsi adoptiuus quisque filius ad percipiendam diuinitatem proficit, nequaquam tamen vt Deus naturaliter esset, accipit. Qui bene etiam seruus dictus est, quia formam serui suscipere dignatus est. Nec maiestati iniuriam intulit assumpta humilitas carnis: quia & vt seruanda susciperet, nec tamen habita permutaret, nec diuina humanitate minuit, nec humana diuinitate consumpsit quia etsi per Paulum dicitur: Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem *Philip.2.* Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens: ei semetipsum exinaniuisse, est ab inuisibilitatis suæ magnitudine se visibilem demonstrasse: vt serui forma tegeret hoc quod incircunscriptè omnia ex diuinitate penetraret. Dei autem ad Satan per figuram dicere, est, nunquid cõsideraſti seruum meum Iob? vnigenitum filium contra eum in forma serui admirabilem demonstrare. Eo enim ipso quo illum tantæ virtutis in carne innotuit: quasi superbienti aduersario quòd dolens consideraret, indicauit. Sed quia bonum quod miraretur intulerat: restat, vt ad reprimendam eius superbiam virtutes illius adhuc enumerando subiungat. Sequitur. *Homo* 23.
simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo. Venit nanque inter homines mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus; ad præbendum exemplum vitæ hominibus simplex, ad non parcendum verò malignis spiritibus rectus, ad debellandam superbiam timens Deum, ad detergendam verò in electis suis vitæ immunditiam, recedens à malo. De ipso enim per Esaiam principaliter dicitur: Et replebit eum *Esaiæ.11.* spiritus timoris Domini. Et ipse à malo singulariter recessit, quia facta imitari noluit, quæ in hominibus inuenit, quoniam attestante Petro: Peccatum nõ fecit, nec inuentus est dolus in *1.Petr.2.* ore eius. Sequitur: Respondẽs Satan ait: Nunquid frustra Iob timet deum? Nonne tu vallasti eum ac domũ eius, vniuersãmque substantiam eius per circuicuitum? Operibus manuum eius benedixisti, & possessio illius creuit in terra.) Antiquus hostis redemptorem humani generis, debellatorem suum in mundum venisse cognouit: vnde & per obsessum hominem in Euangelio dicitur: Quid nobis & tibi Fili Dei? Veni- *Matth.8.* sti huc ante tempus torquere nos? Qui tamen prius cùm hunc passibilem cerneret, & posse mortalia perpeti humanitatis videret: omne quod de eius diuinitate suspicatus est, ei fastu superbiæ suæ in dubium venit. Nihil quippe nisi superbum sapiens, dum esse hunc humilem conspicit, Deum esse dubitauit. Vnde & ad tentationum se argumenta conuertit, dicens: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Quia *Matth.4.* igitur passibilem vidit, non Deum natum, sed Dei gratia custoditum credidit. Vnde & nunc inferre perhibetur: Nonne tu vallasti eum ac domum eius, vniuersãmque substantiam eius per circuitum? *Operibus manuum eius benedixisti, & possessio illius creuit in terra.*) Eum quippe ac domum eius à Deo vallatam dicit, quia tentando eius conscientiam penetrare non potuit. Substantiam eius vallatam asserit, quia electos eius inuadere non præsumit. Operibus manuum eius benedixisse Deum, & possessionem eius excrescere in terra queritur: quia scilicet tabescens videt, quod fides eius in notitiam hominum prædicantibus apostolis multiplicatur. Possessio quippe eius crescere dicitur, dum laborantibus prædicatoribus, fidelium quotidie numerus augetur. Hæc itaque satan Deo dixisse, est talia inuidendo sensisse. Hæc satan Deo dixisse est, de his tabescendo doluisse. Sequitur: *Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.*) Quem enim tranquillitatis tem- 24.
pore, Dei gratia custoditum credidit, peccare posse per passionem putauit. Ac si apertè dicat: Interrogatus afflictionibus homo, & peccator agnoscitur, qui in miraculis Deus putatur. Dixit ergo Dominus ad satan: *Ecce vniuersa quæ habet, in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam.*) Cùm sacram historiam sub figurali intellectu discutimus, satanæ manus non potestas, sed tentatio debet intelligi. Vniuersa itaque quæ habet, in manum tentantis dantur, & in eum tentationis manus extendi prohibetur: quod tamen fieri substantia amissa conceditur: quia nimirum prius Iudæa, quæ possessio eius fuerat, in infidelitate sublata est, &

pòst eius caro patibulo crucis affixa. Qui igitur prius Iudæã aduersantem pertulit, & postea vsque ad crucem venit: quasi prius habita amisit, & pòst in semetipso aduersantis nequitiam pertulit. *Egressúsque est satan à facie Domini.*) Sicut & superius dictum est, satan à facie domini exiit, quia ad desiderij sui vota peruenit. Quasi enim ante ipsum erat, dum propter ipsum quod malè sitiebat, implere non poterat. Cùm autem quadam die filij eius, & filiæ comederent, & biberent vinum in domo fratris sui primogeniti.) Beati Iob filios ac filias, vel Apostolorum ordinem, vel cunctorum fidelium multitudinem diximus designasse. Incarnatus autem Dominus prius ex Iudæa ad fidem paucos elegit, & pòst sibi multitudinem populi gentilis aggregauit. Quis autem maior Domini filius, nisi Iudaicus populus accipi debet, qui ei dudum datæ legis fuerat doctrina generatus: minor autem gentilis populus, qui in mũdi extremitate collectus est? Quia igitur cùm satan vtilitati hominum nesciẽs deseruiret, & corruptis persecutorũ cordibus, licentiam dominicæ passionis expeteret: sancti Apostoli necdũ aggregãdam Deo gentilitatẽ nouerãt, & soli Iudææ fidei arcana prædicabãt: cùm sãtã exiisse à Domino dicitur, filij & filiæ in domo fratris primogeniti conuiuari referuntur. Dictum quippe eis fuerat: In viam gẽtium ne abieritis. Post mortem nanq; resurrectionémque Domini in gentium prædicationem conuersi sunt. Vnde & in suis actibus dicunt: Vobis oportebat loqui primùm verbum Dei, sed quia repulistis illud, & indignos vos iudicastis æternæ vitæ: ecce cõuertimur ad gentes. Hi itaque filij spõsi, de quibus & eiusdem voce sponsi dicitur: Non ieiunabunt filij spõsi, quandiu cum illis est sponsus: in domo fratris primogeniti conuiuantur, quia videlicet adhuc Apostoli sacræ scripturæ delitiis, in solius Iudaici populi collectione, vescebantur. Nuntius venit ad Iob, qui diceret:

Matth. 10.
Act. 13.
Matth. 9.

Quòd simplices perfectissimis adhærentes eorum intellectu pascuntur. Caput XVII.

B*Oues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi, tulerúntque omnia, & pueros percusserunt gladio, & euasi ego solus, vt nuntiarem tibi.*) Quid aliud in figura per boues, quàm bene operantes: quid aliud per asinas, quàm quosdam simpliciter viuentes accipimus? Quæ bene iuxta boues pasci referuntur: quia mentes simplicium etiam cùm alta capere non possunt, eò magis vicinæ sunt, quò & fraterna bona sua per charitatem credunt: cúmque inuidere alienis sensibus nesciunt, quasi in pastu se minimè diuidunt. Simul ergo se asinæcum bobus reficiunt, quia prudentibus coniuncti tardiores, eorum intelligentia pascuntur. Sabæi autem captiuantes interprætantur. Et qui alij captiuantium nomine, nisi immundi spiritus designãtur, qui cunctos quos sibi subiiciunt, in infidelitatẽ captiuos ducũt? Qui & pueros gladio feriunt, quia eos tentationis suæ grauiter iaculis vulnerant, quos necdum inuenilis constantia libros, vel robustos seruat. Qui bene quidem bona incipiunt, sed in ipsa adhuc inchoationis suæ teneritudine, captiuantibus immundis spiritibus substernuntur. Quos gladio hostis percutit, quia æternitatis desperatione transfigit.

25.

Quòd verbum Dei non pereat, etiam cùm non perierint hi, aduersus quos mala prædixit. Caput XVIII.

QVid est autem hoc quòd nuntius venit, qui diceret: *Ego euasi solus?*) Quis est iste nuntius, qui aliis pereuntibus solus euadit, nisi propheticus sermo, qui dum fiunt mala omnia quæ prædixit, quasi sanus ad Dominum solus redit? Dum enim vera dixisse de perditorum casu cognoscitur, quasi inter mortuos vixisse monstratur. Hinc est quòd ad Rebeccam in Isaac coniugio deducendam puer mittitur: quia videlicet ad desponsandam Ecclesiam Domino, interposita prophetia famulatur. Sabæis ergo irruentibus, solus puer qui nuntiaret, euasit: quia malignis spiritibus infirmorum mentes in captiuitatem ducentibus sententia prophetica conualuit, quæ eandem captiuitatem prænuntiãs dicit: Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. Prophetia ergo quasi saluatur, dum captiuitas quam prædixit ostenditur. Sequitur.

Gene. 24.
Esaiæ 5.

E *Quòd dum præpositi gloriam propriam quærunt, subditorum corda subuertuntur.* Caput XIX.

CVmque adhuc ille loqueretur, venit alter & dixit: *Ignis Dei cecidit de cœlo, & tactas oues, puerósque consumpsit, & effugi ego solus, vt nuntiarem tibi.* Omnes qui prædicationis officium in synagoga tenuerunt, cœlum rectè vocati sunt, quia nimirum sapere cœlestia credebantur. Vnde & Moyses cùm sacerdotes ac populum ad verba suæ admonitionis excitaret, dixit: Attende cœlum & loquar, & audiat terra verba ex ore meo. Per cœlum videlicet signans præpositorum ordinem, per terram verò subditorum plebem. Hoc igitur loco cœlum, sacerdotes, vel pharisæos, vel legis doctores non inconuenienter accipimus, qui ante occulos hominum dum cœlestibus officiis inseruirent, quasi desuper lucere videbantur. Sed quia ipsi summopere in redemptoris nostri aduersitate commoti sunt, quasi ignis de cœlo cecidit: dum ad decipiendum imperitum populum, ab his etiam qui vera docere putabantur flamma inuidiæ exarsit. Teste quippe Euangelio nouimus, quòd doctrinæ veritatis inuidientes, opportunitatem dominicæ traditionis exquirebant: sed metuentes populum quæ moliebantur innotescere non audebant. Hinc etiam in eo scriptum est, quòd dissuadendis populis dicunt: Nunquid aliquis ex principibus credidit in eum, aut ex pharisæis? Sed turba hæc quæ non nouit legem, maledicti sunt. Quid autẽ in ouibus atque in pueris, nisi innocentes quosque, sed tamẽ adhuc infirmos accipimus? Qui dum aduersitatem Phariseorum ac principum tolerare timuerunt, infidelitatis concrematione consumpti sunt. Dicatur ergo: *Ignis Dei cecidit de cœlo, & tactas oues puerósque consumpsit*, id est, à præpositorum cordibus flamma inuidiæ corruit, & quicquid boni in plebibus oriebatur, incendit: quia dum mali præpositi sunt contra veritatem honorem exigunt, ab omni rectitudine corda sequentium subuertunt. Vbi & bene adiungitur: *Et effugi ego solus vt nuntiarem tibi*: quia dum impletur prædicta causa malitiæ, fallaciẽ interitum euadit sermo prophetiæ, qui ait: Et nũc ignis aduersarios cõsumit. Ac si apertè dicat: Malos non solum ignis per vindictam pòst cruciat: sed nunc etiam per liuorem cremat: quia qui pòst puniendi sunt retributionis supplicio, nunc semetipsos afficiunt inuidiæ tormento. Puer ergo solus fugiens remeat: & igne periisse oues puerósque denũciat, dum prophetia Iudaicum populum deserens, vera se dixisse manifestat, quæ ait: Zelus apprehendit populum ineruditum. Ac si apertè dicat: Dum verba prophetarum discutere plebs noluit, sed credulitatem suam verbis inuidentium dedit, zeli igne periit: quia in alienæ inuidiæ se flamma concremauit. Sequitur: *Sed & illo adhuc loquente, venit alius & dixit: Chaldæi fecerunt tres turmas, & inuaserunt camelos & tulerunt eos, necnon & pueros percusserunt gladio: & effugi ego solus, vt nuntiarem tibi.*) Quia Chaldæos feroces interpretari nouimus, qui alij Chaldæorum nomine designentur, nisi persecutionis auctores vsque ad apertos clamores malitiæ prorumpentes, cùm dicunt: Crucifige, crucifige? Qui de semetipsis tres turmas faciunt, cùm se ad proponendas quæstiones Domino Pharisæi, Herodiani & Sadducæi diuiserũt. Qui ore quidem sapientiæ victi sunt: sed quia stultos quosdam post se eos traxisse credendum est, factis turmis Camelos tulerunt. Vnusquisque nanque eorum ordo in praua quæ sapuit insipientiũ corda corrupit, & dũ persuadendo ad interitum pertraxit, quasi tortuosas mentes infirmantium ad captiuitatem duxit. Prædicante quippe in Samaria Domino, multi ex Samaritanis fuerunt in possessionem eiusdem redemptoris nostri asciti. Sed quid ij, qui pro septem viris vnius mulieris mortuis, de resurrectionis desperatione Dominum tentant, nequaquam conati sunt credentes Samaritanos à fide reducere, quos constat spem resurrectionis ignorare? Qui dum ex lege nonnulla recipiunt, nonnulla contemnunt, quasi Camelorum more velut animal mundum ruminant: sed vt immundum nequaquam vngulam findunt: quanuis & eos Cameli ruminantes, sed tamen vngulam non findentes indicant, qui in Iudęa iuxta literam historiã audiẽrant, sed virtutẽ eius spiritualiter discernere nesciebãt. Quos tribus turmis Chaldæi rapiunt, dum Pharisæi, Herodiani, & Sadducæi

Hier. 2.
Deute. 32.
Luc. 20.
Ioan. 7.
27.
Lucæ. 23.

Sadducæi ab omni sensus rectitudine iniqua persuasione peruertunt. Simúlque pueros gladio feriunt, quia & si qui in populo vti iam ratione poterant, eis ipsi non virtute rationis, sed potestatis authoritate contraibant: dúmque se quasi præpositos imitari à subditis volũt: etsi intelligere aliquid sequẽtes possunt, ex authoritate tamen suscepti regiminis eos ad perniciem petrahunt. A quibus bene solus puer qui nuntiet fugit: quia Pharisæis, Herodianis atque Sadducæis iniqua patrantibus, eos nimirum deserens propheticus sermo conualescit, qui ait: Et tenentes legem nescierunt me. Sequitur:

Quòd primogenitus frater sit iudaicus populus, & domus quatuor angulorum Scribæ, & Phariſæi, & sacerdotes & seniores populi & ventus à regione deserti immundorum spirituum in sanctos cursus. Caput XX.

28. ADhuc loquebatur ille, & ecce alius intrauit & dixit: *Filiis tuis & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti: repentè ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angelos domus. Quæ corruens oppressit liberos tuos: & mortui sunt.*) Pauloante iam diximus, quòd filios, & filias prædicantes Apostolos & plebes subditas sentiamus, qui in domo fratris primogeniti conuiuari referuntur: quia in habitatione adhuc Iudaici populi sacræ prædicationis deliciis vescebantur. *Repentè autem vehemens ventus irruit à regione deserti.*) Regio deserti est cor infidelium, quod dum creator deserit, nullus inhabitator colit. Ventus autem vehemens, quid aliud quàm tentatio fortis accipitur? Ventus ergo vehemens à regione deserti irruit: quia in passione redemptoris nostri contra fideles eius, fortis tentatio à cordibus Iudæorum venit. Potest etiam deserti regio, derelicta immundorum spirituum multitudo non inconuenienter intelligi. A qua ventus venit, & domum concutit: quia ab eis tentatio prodiit, & persecutorum corda cõmouit. Sed hæc domus in qua conuiuabantur filij, in quatuor angulis stabat. Tres enim regentium ordines in synagoga cognouimus, sacerdotum scilicet, scribarum atque seniorum populi. Quibus & si Pharisæos iungimus, quatuor in hac domo angulos inuenimus. A regione igitur deserti vẽtus venit, & quatuor angulos domus concutit: quia ab immundis spiritibus tentatio irruit, & mentes quatuor ordinum in malitiam persecutionis excitauit. Quæ domus corruens oppressit liberos: quia dum Iudæa in crudelitatem dominicæ persecutionis cecidit, Apostolorum fidem desperationis formidine obruit. Teneri enim tantummodo magistrum viderũt: & iam negãtes per diuersa fugiebant. Et quamuis interna manus eorum spiritum in præscientia ad vitam tenuit, à vita tamem fidei eos interim carnalis timor extinxit. Qui ergo authorem suum, Iudæa sæuiente, reliquerunt, quasi concussis angulis domo euersa necati sunt. Quid autem illo tempore de grege fidelium factum credimus, quò fugisse ipsos etiam arietes scimus? Sed inter hæc vnus qui enuntiet, euadit: quia conualuisse se sermo propheticus, qui hæc denuntiauerat, ostendit dicens de persecutore populo: Dilectus meus in domo mea fecit scelera multa: dicens de bonis prædicatoribus, sed tamen in passione fugientibus: Proximi mei à longè steterunt. Dicens de cunctis valde formidantibus: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Sequitur:

Psal. 37.
Zacha. 13.

Quòd plebs Iudaica & legis sacramenta à capite & corpore suo amissa sunt & scissa. Caput XXI.

TVnc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua.) Ruente domo extinctis filiis, Iob surrexit: quia Iudæa in infidelitate perdita, prædicatoribus in pauore mortis cadentibus, redemptor humani generis [semetipsum à carnis suæ morte suscitauit: quia] quantò iudicio persecutores suos deseruerit, demonstrauit. Surgere quippe eius est, qua districtione peccatores derelinquat ostẽdere: quasi enim iacere eius est, patienter mala tolerare. Surgit ergo cùm contra reprobos iudicium iusticiæ exerit. Vnde & rectè vestimenta scidisse perhibetur. Quid enim vestimentum Domini nisi synagoga extitit: quæ prophetis prędicantibus expectationi incarnationis illius adhæsit? Sicut enim his nunc vestitur à quibus diligitur, Paulo attestante qui ait: Vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiã, non habentem maculam aut rugam. Quæ enim maculam aut rugam non habere dicitur: profectò vestis rationalis & per actionem munda, & per spem tersa monstratur. Ita cùm incarnandum eum Iudæa credidit adhærendo, nihilominus vestis fuit. Sed quia expectatus venit, veniens noua docuit, docens mira exercuit, mira faciens, praua tolerauit, vestem qua indutus fuerat, scidit: dum in Iudæa alios ab infidelitate sustulit, alios in incredulitate dereliquit. Quid est igitur vestis scissa, nisi Iudæa in contrariis sententiis diuisa? Si enim vestis eius scissa non esset, Euangelista non diceret, quòd prædicante Domino contentio oriebatur in populo vt alij dicerent, bonus est: alij autem, nón, sed seducit turbas. Quasi scissa vestis illius fuit: quæ diuisa per sententias vnitatem concordiæ perdidit, [cùm & post resurrectionem suam quibusdam crediturís apparuit, & quibusdam non crediturís se abscondit.] Sequitur: *Et tonso capite corruens in terram adorauit.*) Quid per decisos capillos nisi sacramentorum subtilitas: quid per caput, nisi summa sacerdotij dignitas designatur? vnde & ad Ezechielem prophetam dicitur: Tu fili hominis sume tibi gladium acutum, radentem pilos, & assumes eum, & duces super caput tuum & barbam: vt videlicet Prophetæ facto, iudicium redemptoris exprimatur, qui in carne apparens caput rasit: quia à Iudaico sacerdotio præceptorum suorum sacramenta abstulit. Barbam rasit: quia regnum Israëliticum deserens, decorem virtutis eius amputauit. Quid verò hoc loco per terram, nisi homo peccator exprimitur? Primo quippe peccãti homini dictum est: Terra es, & in terram ibis. Terræ ergo nomine peccatrix gentilitas designatur. Nam cùm iustam Iudæa se crederet, constat quàm reproba de gentilitate sentiret, Paulo attestante qui ait: Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores. Mediator igitur noster quasi detonso capite in terram corruit: quia Iudæam deserens, dum sacramenta sua ab eius sacerdotio abstulit, ad notitiam gentium venit. Capillos enim à capite rasit: quia sacramenta legis ab illo suo primo sacerdotio sustulit, & in terram corruit: quia saluandis se peccatoribus dedit: dúmque eos qui sibi iusti videbantur, deseruit, hos qui se iniustos & nouerant, & fatebantur, assumpsit. Hinc & ipse in Euangelio dicit: Ego in iudicium veni in hunc mundum, vt qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant. Hinc & columna nubis quæ in eremo populum præibat, splendore ignis non in die, sed in nocte radiabat: quia videlicet redemptor noster suæ conuersationis exemplo, ducatum sequentibus præstans, de iustitia sua confidentibus, nulla luce claruit: peccatorum verò suorum tenebras agnoscentibus, ignem sui amoris infulsit. Nec quod corruere Iob dicitur, indignum mens hoc significatione redemptoris arbitretur. Scriptum namque est: Verbum misit Dominus in Iacob, & cecidit in Israël. Iacob quippe supplantator, Israël verò videns Deum dicitur. Et quid per Iacob nisi Iudaicus populus: quid per Israel nisi gentilis populus designatur? Quia quem Iacob per carnis mortem supplantare studuit, hunc nimirum per oculos fidei gentilitas Deum vidit. Ad Iacob ergo missum verbum, in Israël cecidit: quia eum ouem ad se venientem Iudaicus populus respuit, hunc repente confitens populus gentilis inuenit. De sancto quoque spiritu scriptum est: Cecidit spiritus Domini super eos. Idcirco autem vel verbum Domini vel spiritus sanctus in sacra scriptura cadere dicitur, vt inopinatus eius aduentus exprimatur. Quod enim ruit vel cadit, ad ima repente venit. Mediatori ergo in terram quasi corruisse, est nullis signis præcurrentibus inopinatè ad gentes venisse. Bene autem dicitur quòd corruens adorauit: quia dum ipse humilitatem carnis suscepit, in se credentibus vota humilitatis infudit. Fecit enim, quia fieri docuit: sicut & de eius spiritu dicitur. Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Neque enim petit qui æqualis est, sed postulare dicitur: quia nimirum quos repleuerit, postulantes facit: quanuis hoc & in semetipso redemptor noster ostendit, qui Patrem etiam dum passioni propinquaret, exorauit. Quid enim mirum, si in forma serui exorando se Patri subdidit, in qua etiam manus peccantium vsque ad mortis extrema tolerauit? Sequitur:

Ephe. 5.
Gen. 3.
Gala. 2.
Ioan. 9.
Exod. 13.
Esaiæ 9.
Acto. 2.
Roma. 8.

Quod synagoga adultera pallio literæ retento, dum lege carnaliter vti voluit, contempta est: & legislatorem criminata, nudum abire permisit. Caput XXII.

31 Gene.26. NVdus egressus sum de vtero matris meæ: nudus reuertar illuc.) Redemptoris mater iuxta carnem synagoga extitit, ex qua ad nos per corpus visibilis processit. Sed hunc intra se tegmine literæ adopertum tenuit, dum ad spiritalem eius intelligentiam mentis oculos aperire neglexit. Hunc quia in carne humani corporis latentem videre Deum noluit, quasi in diuinitate nudum conspicere contempsit. Sed nudus de vtero matris exiit: quia à synagogæ carne prodiens conspicuus ad gentes venit. Quod bene Ioseph relicto pallio fugiente signatum est. Dum enim mulier adultera malè illo vti voluisset, relicto pallio fugit fôras: quia dum synagoga Dominum purum hominem credens, quasi adulterino complexu constringere voluit: ipse tegmen literæ eius oculis reliquit, & ad cognoscendam diuinitatis suæ potentiam conspicuum se gentibus præbuit. Vnde & Paulus dixit: Vsque hodie dum legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum: quia videlicet adultera mulier apud semetipsam pallium retinuit, & quem malè tenebat, nudum amisit. Quia ergo à synagoga veniens, fidei gentium conspicuus apparuit, ex vtero matris nudus exiuit: Sed nunquid hanc omnino deseruit? Et vbi est quod per Prophetam dicitur: Si fuerit numerus filiorum Israël quasi arena maris, reliquiæ saluæ fient? Vbi est quod scriptum est: Donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israël saluus fieret? Erit ergo quandoque conspicuus, vt etiam synagogæ appareat. Erit in fine mundi proculdubio, quando gentis suæ reliquiis semetipsum, sicut est Dominus, innotescet. Vnde & bene hîc dicitur: *Nudus reuertar illuc.*) Nudus quippe ad vterum matris reuertitur, cùm in mundi huius termino, qui in seculo factus homo despicitur, synagogæ suæ oculis Deus ante secula declaratur. Sequitur.

1.Corin.3. Osee.11. Roma.11.

Quòd solius Dei sit dare & auferre, & quòd redemptori nostro nullum ex consortio carnis, peccatum adhæsit. Caput XXIII.

DOminus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.) Redemptor noster per hoc quòd Deus est, cum patre dat omnia: per hoc verò quòd homo est, à patre accipit omnia. † Dicat igitur de Iudæa, cùm venturum incarnationis eius mysterium crederet, Dominus dedit. Dicat de Iudæa, cùm expectatam incarnationis eius præsentiam contempsisset, Dominus abstulit. Data quippe est cùm per quosdam futura credidit, sed exigente merito suæ cæcitatis ablata est, cùm credita per quosdam venerari contempsit. In se autem credentes edocet, vt in flagellis positi benedicere Domino sciant, cùm subditur: *Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.*) *Vnde* & testante Euangelio cùm propinquare passioni dicitur, accepto pane gratias egisse perhibetur. Gratias itaque agit, qui flagalla alienæ iniquitatis suscipit. Et qui nihil dignum percussione exhibuit, humiliter in persecutione benedicit, vt hinc videlicet ostendat quid vnusquisque in flagello culpæ propriæ facere debeat, si ipse æquanimiter flagella culpæ portat alienæ: vt hinc ostendat quid in correctione faciat subditus, si in flagello positus patri gratias agit æqualis. Sequitur: *In omnibus his non peccauit Iob, neque stultum aliquid contra Deum locutus est.*) Quod nec peccasse, nec stultum aliquid contra Deum locutus asseritur: hoc de illo Petrus (sicut iam prædiximus) apertè testatur, dicens: Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Dolus quippe in ore quantò apud homines prudentius callet, tantò apud Deum stultius desipit, Paulo attestãte, qui ait: Sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum. Quia ergo dolus in ore eius non fuit, stultum proculdubio nihil dixit. Hunc contra Deum sacerdotes & principes stultè locutum crediderunt, cùm interrogatus passionis tempore, Dei se filium testaretur. Vnde & conquirentes dicunt: Quid adhuc egemus testibus? ecce ipsi audiuimus blasphemiam. Sed contra Deum nihil stultè dixit: quia vera loquẽs, hoc de se infidelibus etiam moriendo intulit, quod paulò pòst redemptis omnibus resurgendo 32 monstrauit. Hæc in significationem nostri capitis breuiter tractata transcurrimus, nunc ad ædificationem eius corporis, ea moraliter tractanda replicemus: vt quod actum foris narratur in opere, sciamus quomodo intus agatur in mente. Nam cùm filij Dei assistunt coram Deo, inter eos quoque assistit & satan: quia plerunque bonis nostris cogitationibus, quæ in corde nostro, aduentu Spiritus sancti operante, seminantur, antiquus ille callidè se interserit, & subiungit inimicus: vt bene cogitata perturbet, maléque perturbata dilaniet. Sed nequaquã nos in tentatione deserit, qui creauit. Nam hostem nostrum qui se contra nos in insidiis contegit, illustratione sui luminis nobis deprehensibilem reddit: propter quod ei mox dicitur: *Vnde venis?*) Callidum nanque hostem requirere, est eius nobis insidias declarare: vt quò cum subintrare ad cor cernimus, forti contra illum circunspectione vigilemus. *Qui respondens ait: Circuiui terram, & perambulaui eam.*) Satanæ terrã circuire, est & carnalia corda perscrutari, & vnde occasionẽ accusationis inuenire possit, exquirere. Terram circuit: quia humana corda circumuenit, vt bona tollat, vt mala mentibus inserat, vt inserta cumulet, vt cumulata perficiat, vt perfectos in iniquitatibus ad pœnam socios acquirat. Et notandum quòd non transuolasse, sed perambulasse se asserit: quia nimirum nequaquam quem tentat, velociter deserit: sed vbi molle cor inuenerit, ibi pedem miseræ persuasionis figit, vt immorando actionis prauæ vestigia imprimat, & ex suæ iniquitatis similitudine, quos valet reprobos reddat. Sed contra hunc beatus Iob laudatur, & dicitur: *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis super terram: Vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* Quem diuiuina inspiratio contra hostem roborat, hunc quasi in satanæ auribus Deus laudat. Laudare quippe eius est, & priùs bona concedere, & pòst concessa custodire. Sed antiquus hostis eò contra bonos grauius sæuit, quò vallari eos diuinę protectionis munere conspicit. Vnde & subiungens dicit: *Nunquid frustra Iob timet Deum? Nonne tu vallasti eum ac domum eius, vniuersamque substantiam eius per circuitum? Operibus manuum eius benedixisti, & possessio illius creuit in terra.*) Ac si apertè dicat: Cur laudas cum quem protegendo roboras? Despecto enim me, dignus tuis laudibus homo esset, si suis contra me viribus staret. Vnde mox & malitiosè de homine expetit: quod tamen protector hominis benignè concedit. Nam subditur.

† al. dicatur. Matth.14. 1.Corin.3. Petri.2. 1.Corinth.3. Matth.26.

Quòd electi in tentatione proficiunt, & quòd eis diabolus præparat in ruinam, hoc eis Deus conuertit in gloriam. Caput XXIIII.

SEd extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet: nisi in faciem benedixerit tibi.) Plerunque enim dum fœcundè virtutum fructus reddimus, dum continua prosperitate pollemus, aliquantuium mens erigitur: vt à semetipsa sibi existere bona quæ habet, arbitretur. Quæ nimirum bona antiquus hostis malitiosè attrectare appetit, sed hæc tentari Deus non nisi benignè permittit: vt dum mens tentatione pulsata, in bonis de quibus gaudebat concutitur: imbecillitatis suæ debilitate cognita, in spe diuini adiutorij robustus solidetur. Fitque mira dispẽsatione pietatis: vt vnde malignus hostis cor tentat, vt interimat, inde misericors conditor hoc erudiat, vt viuat. Vnde & bene subiungitur: *Ecce vniuersa quæ habet, in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam.*) Ac si apertè dicat: Electi vniuscuiusque bona sic tibi tentanda exterius tribuo, vt tamen ipse noueris: quia perseuerantem mihi illum in mentis radice conseruo. Vbi & bene subditur: *Egressusque est satan à facie Domini:*) quia per hoc quòd vsque ad defectum cordis præualere nequaquam permittitur, exclusus ab intimis, exterius vagatur. Qui etiam si virtutes mentis plerunq; turbat: eo ipso foris est, quo resistente Domino, vsque ad interitum, bonorum corda non vulnerat. Intantum quippe contra illa sæuire permittitur, inquantum necesse est vt tentationibus erudita solidentur: ne ea quæ agunt bona, suis viribus tribuant, ne in securitatis torpore se deserant: & à formidinis accinctione dissoluant: sed ad profectus sui custodiam tantò solertius inuigilent, quãtò se contra aduersarium stare semper in acie tentationum vident. *Cùm autem quadam die filij & filiæ eius comederent & biberent vinum in domo fratris sui primogeniti: nuntius venit ad Iob qui diceret: Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi, tulerúntque omnia & pueros percusserunt gladio.*) In electorum corde prior bonorum sequentium sapientia nascitur, atque hæc 33 per donum

Cur Deus nos tentari permittat ab antiquo hoste.

per donum spiritus quasi primogenita profertur. Quæ profectò sapientia, nostra fides est, Propheta attestante, qui ait: Nisi credideritis, non intelligetis. Tunc enim verè ad intelligendum sapimus cùm cunctis quæ conditor dicit, credulitatis nostræ fidem præbemus. In domo ergo fratris primogeniti conuiuantur filij, dum virtutes reliquæ epulantur in fide. Quæ si non prima in corde nostro gignitur: reliqua quæque esse bona non possunt, etiamsi bona videantur. In domo fratris primogeniti, filij conuiuantur, dum virtutes nostræ in habitaculo fidei, sacri eloquij cibo satiantur. Scriptum quippe est: Sine fide impossibile est placere deo. Tunc ergo virtutes nostræ veras vitæ epulas sumunt, cùm nutriti fidei sacramentis incipiunt. In domo fratris primoginiti conuiuantur filij, quia nisi virtutes reliquæ sapientiæ epulis repletæ, ea quæ appetunt, prudenter agant, virtutes esse nequaquã possunt. Sed ecce dum bona quæ agimus, sapientiæ epulis fideíque pascuntur, hostis noster arantes boues & pascentes asinas subtrahit, & pueros gladio occidit. Quid arantes boues, nisi grauiores nostras cogitationes accipimus? Quæ dum cor studiosa exercitatione conficiũt, vberes profectuum fructus reddunt. Quid pascentes intelligimus asinas, nisi simplices motus cordis? Quos dum studiosè à duplicitatis errore compescimus, quasi in campo liberæ puritatis nutrimus. Sed plerumque hostis callidus cùm graues cogitationes in corde conspicit, subintroducta eas voluptatis delectatione corrumpit: & dum motus cordis simplices videt, subtilia inuentionum acumina ostendit: vt dum laus de subtilitate quæritur, puritatis simplicitas amittatur: & si vsque ad opus prauum pertrahere non valet, tentando tamen bonorum cogitationibus subrepens nocet, vt cùm turbare bona mentis agnoscitur, ea quasi funditus abstulisse videatur. Possunt etiam per arantes boues, cogitationes charitatis accipi: quibus prodesse aliis conamur, cùm fraterni cordis duritiam prædicando scindere cupimus. Potest etiam per asinas (quæ nimirum sese onerantibus, nulla ferocitatis insania resistunt) patientiæ mansuetudo signari. Et sæpe hostis antiquus cùm velle prodesse nos loquendo aliis conspicit, in quodam torpore otij mentem mergit: vt aliis prodesse non libeat, etiam cùm à propriis vacat. Arantes ergo boues subtrahit, cùm cogitationes mentis, fraternæ vtilitatis fructibus deditas, per submissum negligentiæ torporem frangit. Et quanuis electorum corda intra arcana suæ cogitationis inuigilent, & quid à tentatore sustineant, superantes pensant, eo tamen ipso malignus inimicus aliquid rapuisse se gaudet, quo cogitationibus bo- 34. norum vel ad momentum præualet. Sæpe autem cum præparatam mentem ad tolerantiam videt, quid ab ea maximè diligatur, exquirit, & ibi scandali laqueos inserit: vt quò magis res quæque diligitur, eò per eam facilius patientia turbetur. Et quidem electorum corda de se semper sollicitè redeuntes, & semetipsa grauiter vel pro leui motu excessionis affligunt: & dum mota discunt quomodo stare debuerint, aliquando melius concussa solidantur. Sed antiquus hostis, dum tolerantiæ cogitationes vel ad momentum turbat, quasi abstulisse se ab agro cordis asinas exultat. In his autem quæ agere disponimus, rationali custodia quid quibusque rebus congruat, sollicitè pensamus. Sed plerunque hostis dum subita ad nos perturbatione tentationis irruit, circunspectiones cordis inopinatè præueniens, quasi ipsos custodes pueros † al.alia gladio occidit. Sed tamen vnus fugit, qui † alios periisse nuntiet; quia in eo quod mens ab hoste patitur, rationis discretio semper ad animum redit: & quasi solam se euasisse indicat, quę apud semetipsam fortiter quicquid pertulerit, pensat. Aliis ergo pereuntibus vnus ad domum redit, dum turbata tentationis motibus discretio ad conscientiam recurrit, vt quod repentinis incursibus præoccupata mens se perdidisse pensat: hoc compunctionis studio afflicta recipiat. *Cúnque adhuc ille loqueretur, venit alter, & dixit: Ignis Dei cecidit de cœlo, & tactas oues pueróque consumpsit, & effugi ego solus vt nuntiarem tibi.*) Quid per oues nisi cogitationum innocentia, quid per pueros, nisi bonorum cordium munditia designatur? Cœlum verò aërem dici paulò antè iam diximus, vnde & aues cœli nominamus. Et scimus quòd immundi spiritus qui de cœlo æthereo lapsi sunt, in huius cœli terræque medio

Esaiæ 6. Heb.11.

A vagantur, qui tantò magis corda hominum ascendere ad cœlestia inuident, quantò se à cœlestibus per elationis suæ immunditiam proiectos vident. Quia ergo ab aëris potestatibus, contra cogitationum nostrarum munditiam, flamma liuoris irruit, de cœlo ignis ad oues venit. Sæpe enim mundas mentis nostræ cogitationes ardore libidinis accendunt, & quasi igne oues concremant, dum castos motus animi, luxuriæ tentatione perturbant. Qui ignis Dei dicitur: quia etsi non faciente Deo, tamen permittente generatur. Et quia impulsu subito ipsas nonnunquam circunspectiones mẽtis obruunt, quasi custodes pueros gladio occidunt. Sed tamen vnus incolumis fugit, dum omne quod mens patitur, perseuerans discretio subtiliter respicit, solãque mortis periculũ euadit, quia etiam perturbatis cogitationibus discretio non succumbit, vt damna sua animo renuntiet: & quasi Dominum ad lamentum vocet.

Quanta sit in rerum terrenarum dispensatione difficultas. Caput XXV.

B SEd illo adhuc loquente venit alius, & dixit: Chaldæi fecerunt tres turmas, & inuaserunt camelos, & tulerunt eos, necnon & pueros percusserunt gladio, & effugi ego solus vt nuntiarem tibi.) Per camelos qui mundum aliquid habent, dum ruminant: & immundum, dum nequaquam vngulam findunt, suprà iam diximus, bonas rerum temporalium dispensationes intelligi, in quibus quò est cura distensior, eò nobis multiplicius insidiatur inimicus. Omnis enim qui dispensandis terrenis rebus 35. *Iacula hostis in eos qui dispensandis terrenis præsunt.* præsidet, occulti hostis iaculis latius patet. Nonnulla enim prouidens agere nititur, & sæpe dum cautus futura subtiliter præuidet, incautus damna præsentia nequaquam videt: sæpe dum præsentibus inuigilat, ad instantia præuidenda dormitat: sæpe dum aliqua torpens agit, quę vigilanter agenda sunt, negligit: sæpe dum plus iusto vigilantem se in actione exhibet, ipsa actionis suæ inquietudine rebus subditis peius nocet. Aliquando autem linguæ modũ ponere nititur, sed onere dispensationis exigente silere prohibetur. Aliquando dum nimia se censura restringit, tacet etiam quæ loqui debuit. Ali- C quando ad inferenda necessaria dum se latius relaxat, dicit etiam quæ loqui non debuit. Plerunque autem tantis cogitationum voluminibus implicatur, vt ipsa ferre vix valeat, quæ intra se prouidus versat: & cùm nil operẽ faciat, sub magno cordis sui pondere vehementer insudat. Quia enim dura sunt quæ apud semetipsum intus patitur, quietus foris otiosusque lassatur. Plerunque enim quasi ventura animus conspicit, totámque contra hæc intentionem proponit, magnúsque ardor contentionis se inserit, sopor fugit, nox in diem vertitur: & cùm quieta foris membra lectulus teneat, intus magnis clamoribus in cordis foro litigatur. Et fit plerunque vt nulla eueniant quæ præuidentur: totáque cogitatio illa quæ diu plena se intentione parauerat, repentè vacua quiescat. Tantò autem longius mens à necessariis cessat, quãtò inania latius cogitat. Quia igitur dispensationis curas maligni spiritus modo torpenti vel præcipitata actione feriunt: modo pigra vel immoderata locutione confundunt: penè autem semper nimis cogitationum molibus premunt: tribus turmis Chaldæi camelos rapiunt. Quasi enim tres turmas contra camelos facere, est terrenarum dispensationum studia modò illicito opere, modo superflua locutione, modo inordinata cogitatione vastare: vt dum se ad administranda exterius mens efficaciter extendere nititur, à sui consideratione separetur: & eò damna quæ de semetipsa patitur, nesciat, quò erga aliena fortiori studio quàm decet, elaborat. Recta autem mens cùm curas dispensationis suscipit, quid sibi, quid proximis debeat, attẽdit: & nec per alienæ sollicitudinis immoderationem sua studia negligit, nec per suæ vtilitatis vigilantiam, aliena postponit. Sed tamen plerunque dum ad vtraque solerter mens inuigilat, dum magnis erga se, & ea quæ sibi cõmissa sunt, circunspectionibus vacat, repentino turbata cuiuslibet causæ emergentis articulo, ita in præceps rapitur, vt ab ea subitò cunctæ circunspectiones eius obruantur. Vnde & custodes camelorum pueros Chaldæi gladio feriunt: sed tamen vnus redit, quia inter hæc discretionis ratio mentis nostræ oculis occurrit, & sollicita sibimet anima, quid subito impulsu tentationis intrinsecus amittat, intelligit: Sequitur.

Quòd his qui iustitia, prudentia, fortitudine, & temperantia, aliisque bonis spiritualibus præditi sunt, gratia Dei aliquando se viliter subtrahat: vt qui de se præsumit, quantum in se sit infirmus agnoscat. Caput XXVI.

36 ADhuc loquebatur ille, & ecce alius intrauit, & dixit: *Filijs tuis & filiabus vescentibus & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repentè vetus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt, & effugi ego solus vt nuntiarem tibi.*) Sicut suprà iam diximus, regio deserti est immundorum spirituum multitudo derelicta: quæ dum conditoris sui beatitudinem deseruit, quasi manum cultoris amisit: à qua ventus vehemens venit, & domum subruit: quia ab immundis spiritibus fortis tentatio surrepit, & à tranquillitatis suæ statu conscientiam euertit. In quatuor verò Angelis domus ista consistit: quia nimirum solidum mentis nostræ ædificium, prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia sustinet. In quatuor ergo angulis domus ista subsistit: quia in his quatuor virtutibus tota boni operis structura consurgit. Vnde & quatuor paradisi flumina terram irrigant: quia dum his quatuor virtutibus cor infunditur, ab omni desideriorum carnalium æstu temperatur. Sed nonnunquam dum menti ignauia surrepit, prudentia frigescit: nam cùm sessa torpet, ventura non prouidet. Nonnunquam dum nonnulla menti delectatio surrepit, temperantia nostra marcescit. Inquantum enim ad delectationem præsentium ducimur, intantum minus ab illicitis temperamur. Nonnunquam se timor cordi insinuat, & vires nostræ fortitudinis turbat: & eò minores contra aduersa existimus, quò quædam perdere immoderatius dilecta formidamus. Nonnunquam verò amor sui se menti ingerit, eamque latenti motu à rectitudine iustitiæ diuertit: & quò se totam auctori reddere negligit, eò in se iustitiæ iuri contradicit. Ventus ergo vehemens quatuor angulos domus concurit, dum fortis tentatio occultis motibus quatuor virtutes quatit: & quasi quassatis angulis domus obruitur, dum pulsatis virtutibus conscientia turbatur. Intra hos autem quatuor domus angulos filij conuiuantur: quia intra arcana mentis, quæ principaliter his quatuor virtutibus ad summæ rectitudinis culmen erigitur, virtutes cætera quasi quædã cordis sorboles se inuicem pascunt: Donum quippe spiritus, quod in subiecta mente, ante alia prudentiam, temperantiam, fortitudinem, iustitiam format: eandem mentem vt contra singula quæque tentamenta erudiat, in septem mox virtutibus temperat: vt cõtra stultitiam, sapientiam: contra hebetudinem, intellectum: contra præcipitationem, consilium: contra timorem fortitudinem: contra ignorantiam, scientiam: contra duritiam, pietatem: contra superbiam, dei timorem. Sed nonnunquam dum mens nostra tanti muneris plenitudine atque vbertate fulcitur: si continua in his securitate perfruitur, à quo sibi hæc sint, obliuiscitur: secq; à se habere putat, quod nunquam sibi abesse cõsiderat. Vnde fit vt aliquando se hæc eadem gratia vtiliter subtrahat, & præsumenti menti quantum in se infirmetur, ostẽdat. Tunc enim verè cognoscimus bona nostra vnde sint, quando hæc quasi amittendo, sentimus, quia à nobis seruari non possunt. Ad hoc itaque intimandæ humilitatis magisterium, fit plerunque vt irruente tentationis articulo, tãta stultitia sapientiam nostram feriat: vt turbata mens, qualiter malis imminentibus obuiet, vel contra tentationem quomodo se præparet, ignoret. Sed hac ipsa stultitia cor prudenter eruditur: quia vnde ad momentum desipit, eò pòst verius quò & humilius sapit, & sapientia vnde quasi amittitur, inde certiùs possidetur. Aliquando dum sublimia intelligendo in elatione se animus erigit, in rebus imis & vilibus graui hebetudine pigrescit: vt repente sibi etiam ima clausa videat, qui pernix summa penetrabat. Sed hæc ipsa hebetudo intellectũ nobis dum subtrahit, seruat: quia dum ad momẽtum cor humiliat, verius ad sublimia intelligenda confirmat. Aliquando dum cuncta nos agere consilij grauitate gaudemus, pulsante causæ emergentis articulo, præcipitatione subita rapimur: & qui nos semper dispositè vixisse credidimus, repentè intima confusione vastamur: sed tamen eiusdem confusionis eruditione discimus, ne nostris viribus consilia nostra tribuamus, & tantò maturius ad grauitatem restringimur, quãtò ad hanc quasi amissam redimus. Aliquando dum mens fortiter aduersa contemnit, subortis aduersitatis euentibus hanc metus vehemens percutit: sed per hunc cõcussa discit cui tribuat, quòd in quibusdam fortiter stetit: & tantò post validius fortitudinem retinet, quãtò hanc repentè irruente formidine sibi iam quasi elapsam videt. Aliquando dum magna nos scire gaudemus, repentinæ ignorantiæ cæcitate torpescimus: sed quò ignorantia mentis oculus ad momentum clauditur, eò pòst ad scientiam verius aperitur: vt nimirum flagello suæ cæcitatis eruditus, & scire ipsum à quo habeat, sciat. Aliquãdo dum religiosè cuncta disponimus, dum pietatis viscera plenè nos habere gratulamur, quadam mentis duritia irruente percutimur: sed quasi obdurati cognoscimus cui pietatis habitæ bona tribuamus, & pietas verius velut extincta recipitur, dum quasi amissa amplius amatur. Aliquando dum subiectum se diuinæ formidini animus gaudet, repente superbia tentante rigescit: sed tamen valde mox timens, quia non timet, ad humilitatem se iterum festinus inflectit, & tantò hanc solidius recipit, quantò eius virtutis pondus quasi amittendo pensauit. Euersa igitur domo moriuntur filij: quia turbata in tentatione conscientia, ad vtilitatem propriæ cognitionis raptim & in momento temporis obruuntur genitæ in corde virtutes. Qui profecto filij intus per spiritum viuunt, dum exterius carne moriuntur: quia videlicet virtutes nostræ tentationis tempore etsi in momento turbatæ ab status sui incolumitate deficiunt, per intentionis tamen perseuerantiam integrè in mentis radice subsistunt. Cum quibus etiam tres sorores occumbunt: quia in corde nonnunquam per flagella turbatur charitas, per formidinem concutitur spes, per quæstiones pulsatur fides. Sæpe enim quasi à conditoris amore torpescimus, dum vltra quàm nobis cõgruere credimus, flagello fatigamur. Sæpe dum plus quàm necesse est mens formidat, fiduciam sibimet spei debilitat. Sæpe dum immensis quæstionibus animus tenditur, perturbata fides quasi defectura fatigatur. Sed tamen viuunt filiæ quæ domo concussa moriuntur: quia etsi intra conscientiam, spem, fidem, charitatémq; penè occumbere perturbatio ipsa renunciat: has tamen ante Dei oculos viuas perseuerantia rectæ intentionis seruat. Vnde & puer qui hæc nuntiet, solus euadit: quia mẽtis discretio etiam inter tentamenta incolumis permanet. Agítque puer vt Iob filios flendo recipiat: dum discretione nuntiante dolens animus vires quas quasi amittere cœperat, pœnitendo conseruat. Mira autem hoc nobiscum dispensatione agitur, vt mens nostra culpæ nonnunquam pulsatione feriatur. Nam esse se magnarum virium homo crederet, si nullum vnquam earundem virium defectum intra mentis arcana sentiret. Sed dum tentatione irruente quatitur, & quasi vltra quàm sufficit, fatigatur: ei contra hostis sui insidias nimen humilitatis ostenditur: & vnde se pertimescit eueruiter cadere, inde accepit fortiter stare. Tentatus autem non solum vires à quo accipiat, discit: sed quanta eas vigilantia seruet intelligit. Sæpe enim quem tẽtationis certamen superare non valuit, sua deterius securitas strauit. Nam dum lassum se quisque in otio remittit, dissolutam menten corruptori prostituit: at si eum ex dispensatione supernæ pietatis, tentatio non repentè vehementer irruens, sed temperato accessu eruditus pulsat: nimirum ad insidias prouidendas euigilat, vt contra hostem se in certamine cautius accingat. Vnde & bene subiungitur: *Tunc surrexit Iob.*) Sedere enim quiescentis est: assurgere decertantis. Auditis ergo aduersis surgere, est expertis tentationibus mentẽ ad certamina robustius parare. Quibus nimirum tentationibus etiam discretio proficit: quia vt virtutes à vitiis subtilius distinguat, agnoscit. Vnde & bene subiungitur: *Scidit vestimenta sua.*) Vestimenta scindimus cùm discernendo opera nostra retractamus. Si enim nos apud Deum opera nostra quasi vestimenta non tegerent, nequaquam voce angelica diceretur: Beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius. Turpitudo enim nostra tunc cernitur, cùm vita reprehensibilis ante iustorum oculos in iudicio, nequaquam subsequentis boni operis tegmine velatur. Sed quia cum culpa tentamur, ad lamenta accendimur: atque ipsis lamentis excitati, ad perspiciendam lucem iustitiæ subtilius oculos mentis aperimus,

Gratia Spiritussancti aliquando viliter subtrahitur.

Sedere assurgere.

Vestimenta scindere.

38

Apoca. 16.

aperimus, quasi in dolore vestimenta scindimus: quia ex fletu discretione crescente cuncta quę agimus, districtius irata manu iudicamus. Tunc omnis nostra elatio corruit, tunc cuncta ab animo cogitationum superfluitas cadit. Vnde & subditur: *Et tonso capite corruens in terram adorauit.*) Nam quid moraliter per capillos, nisi defluentes animi cogitationes accipimus? Vnde & aliàs Ecclesiæ dicitur: Sicut vitta coccinea labia tua sponsa, & eloquium tuum dulce. Vitta quippe crines capitis astringit. Labia ergo sponsæ sicut vitta sunt: quia exhortatione sanctæ Ecclesiæ, cunctæ in auditorum mentibus diffusæ cogitationes ligantur, ne remissæ defluant, ne sese per illicita spargant, ne sparsæ cordis oculos deprimant: sed quasi ad vnam se intentionem colligant, dum vitta eas sanctæ prædicationis ligat. Quam rectè & coccineam asserit, quia sanctorum prædicatio solo charitatis ardore flammescit. Quid verò per caput nisi ea quæ principale vniuscuiusque actionis est, mens ipsa signatur? Vnde & aliàs dicitur: Et oleum de capite tuo non deficiat. Oleum quippe in capite, est charitas in mente, & deficit oleum à capite, cùm charitas discedit à mente. Caput ergo tondere, est cogitationes superfluas à mẽte resecare. Et tonso capite in terrã corruit, qui repressis præsumptionis suæ cogitationibus, quàm in semetipso infirmus sit, humiliter agnoscit. Difficile namque est quempiã magna agere, & apud semetipsum de magnis actibus cogitationum fiduciã non habere. Eo ipso enim quo contra vitia fortiter viuitur, cogitationum præsumptio in corde generatur: & cùm mens foris culpas valenter conterit, plerunque apud semetipsam latenter intumescit: iámque se esse magni alicuius meriti æstimat, nec se peccare in cogitatione suæ æstimationis putat. Ante districti autem iudicis oculos tantò deterius delinquitur, quantò culpa occultius, & penè incorrigibiliter perpetratur, & tantò ad vorandum latius patet fouea, quantò de semetipsa elatius gloriatur vita. Vnde (vt sæpe iam diximus) pia conditoris dispensatione agitur, vt de se confidens anima dispensatoria tentatione pulsetur: quatenus infirmata, quid sit, inueniat: & præsumptionis propriæ fastum deponat. Mox enim vt tentatio mentem pulsauerit omnis cogitationum nostrarum præsumptio, tumultúsque conquiescit. Mens enim cùm se in elationem erigit, quasi in tyrannidem erumpit. Habet autem tyrannidis suæ satellites fauentes sibimet cogitationes suas. Sed si super tyrannum hostis irruat: fauor mox satellitum cessat. Intrante nanque aduersario, satellites fugiunt, eúmque territi declinant, quem in pace positi callida adulatione laudabant. Subductis verò satellitibus, ante hostem solus remanet: quia recedentibus elatis cogitationibus, perturbatus animus se solummodo in tentatione videt. Auditis ergo aduersis caput detondetur, cùm tentationibus vehemẽter irruentibus à præsumptionis suæ cogitationibus mens nudatur. Quid est enim quòd Nazaræi capillos nutriunt, nisi quòd per vitam magnæ continentiæ præsumptionum cogitationes crescunt? Sed quid est quòd deuotione completa caput Nazaræus radere, capillósque in igne sacrificij ponere iubetur: nisi quòd tunc ad perfectionis summam pertingimus, cùm sic exteriora vitia vincimus: vt etiam cogitationes superfluas à mente resecemus? Quas nimirum sacrificij igne concremare, est flamma eas diuini amoris incendere: vt totum cor in dei amore ardeat, & cogitationes superfluas concremans quasi Nazaræi capillos deuotionis perfectione consumat. Et notandum quòd in terram corruens adorauit. Ille enim veram Deo orationem exhibet, qui semetipsum quia puluis sit humiliter videt, qui nihil sibi virtutis tribuit, qui bona quæ agit, esse de misericordia conditoris agnoscit: Vnde & competenter dicit: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ: nudus reuertar illuc.*) Ac si tentatus animus & infirmitatis suæ inopia deprehensus dicat: Nudum me in fide prima gratia genuit, nudum eadem gratia in assumptione saluabit. Est nanque magnum animi turbati solatium: vt pulsatus vitiis, cùm se quasi nudari virtutibus conspicit, ad solam misericordiæ spem recurrat: & eò se nudari non sinat, quò se à virtutibus humiliter nudum putat: qui esse fortasse aliqua virtute in tentatione detegitur, infirmitatem tamen propriam agnoscens, ipsa melius humilitate vestitur: & valde robustius quàm steterat, iacet, cùm sibi sine diuino adiutorio cessat tribuere quod habet. Vnde & manum mox largitoris & iudicis humiliter agnoscit, dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit.*) Ecce tentationibus eruditus creuit, qui & in virtute habita largitatem dantis, & in perturbatione fortitudinis, potestatem tollentis agnoscit. Quæ tamen fortitudo non tollitur, sed perturbata fatigatur: quatenus concussa mens, dum se hanc iam iámque quasi amittere trepidat, semper facta humilis nunquam perdat. *Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.*) In hoc quòd interna perturbatione concutimur, dignum est vt ad conditoris iudicium recurramus, vt inde cor nostrum adiutori nostro maiores laudes exhibeat, vnde pulsatum verius imbecillitatem suæ infirmitatis pensat. Bene autem dicitur: *In omnibus his non peccauit Iob labiis suis, nec stultum aliquid contra Deum locutus est.*) quia solerti cura custodire dolens animus debet, ne cùm se intus tentatio stimulat, in verba foras illicitæ locutionis erumpat, ne de probatione murmuret: & ignis qui hunc velut aurum concremat, per excessum sermonis illiciti in paleæ fauillam vertat.

Cant. 4.

Eccles. 9.

39.

40.

Nume. 6.

Quòd prophetis sanctis & adest & abest spiritus prophetiæ. Caput XXVII.

NIhil verò obstat si hoc quod de virtutibus diximus, de his quæ in ostensione virtutis dentur, donis sancti spiritus sentiamus. Alij nanque prophetiæ, alij genera linguarum, alij virtutes curationum dantur. Sed quia dona hæc ipsa non semper in mente eodem modo sunt, liquidò ostẽditur, quòd ne se mens in præsumptione eleuet, aliquando vtiliter subtrahuntur. Nam si prophetiæ spiritus Prophetis semper adesset: nimirum Helisęus propheta non diceret: Dimitte eam, anima enim eius in amaritudine est, & Dominus cælauit à me verbum. Si prophetiæ spiritus Prophetis semper adesset: inquisitus Amos propheta non diceret: Non sum propheta, vbi & subdidit: Neque filius prophetæ, sed armentarius puer ego sum, vellicans sycomoros. Quomodo autem Propheta non fuit, qui de futuris tot vera prædixit? Aut quomodo Propheta fuit, si de se in præsenti vera denegauit? Sed quia eadem hora qua requisitus est, prophetiæ sibi spiritum deesse sensit, de semetipso testimonium veraciter intulit, dicens: Non sum Propheta. Qui tamen secutus adiunxit: Et nunc audi verbum Domini: Hæc dicit Dominus: Vxor tua in ciuitate fornicabitur, & filij tui & filiæ tuæ in gladio cadent, & humus tua funiculo metietur: & tu in terra polluta morieris. Quibus Prophetæ verbis apertè ostenditur: quia dum de se illa loqueretur, impletus est: & mox habere prophetandi spiritum meruit, quia se Prophetam non esse humiliter agnouit. Et si prophetiæ spiritus prophetis semper adesset: Dauid regi de templi se constructione consulenti, nequaquam Nathan propheta cõcederet, quod post paululum negaret. Vnde bene & in Euãgelio scriptum est: Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat. In cunctis nanque fidelibus spiritus venit, sed in solo mediatore semper singulariter permanet: quia eius humanitatem nunquam deseruit, ex cuius diuinitate procedit. In illo igitur manet, qui solus & omnia & semper potest. Nam fideles qui hunc accipiunt, cùm signorum dona semper habere, vt volunt, non possunt, hunc se accepisse quasi in transitus ostensione testantur. Sed cùm rursum de eodem spiritu veritatis ore discipulis dicitur: Apud vos manebit, & in vobis erit, quid est quòd diuina voce mediatoris signum hoc, eadem sancti spiritus mansio declaratur, cùm dicitur: Super quem videris spiritum descendentem & manentem super eum? Si igitur iuxta magistri vocem & in discipulis manet: quomodo iam singulare signum erit quod in mediatore permanet? Quod tamen citius cognoscimus, si dona eiusdem spiritus discernamus.

41.

4. Reg. 4.

Amos. 7.

2. Reg. 7.

Ioan. 1.

Ioan. 14.

Quòd sunt quædam dona spiritussancti, sine quibus nemo ad vitam peruenit, & alia in præsenti vita ad subsidium temporalium necessitatum vtilia. Caput XXVIII.

ALia nanque sunt dona illius, sine quibus ad vitam nequaquam pertingitur, alia quibus vitæ sanctitas pro aliorum vtilitate declaratur. Mansuetudo nanque, humilitas,

42.

Duplicia sunt dona spiritus.

patientia, fides, ſpes, charitas, dona eius ſunt: ſed ea ſine quibus ad vitam homines peruenire nequaquam poſſunt. Prophetiæ autem, virtus curationum, genera linguarum, interpretatio ſermonum, dona eius ſunt: ſed quę virtutis eius preſentiam pro correctione intuentium oſtendunt. In his igitur donis ſine quibus ad vitam peruenirí non poteſt, Spiritus ſanctus, ſiue in prædicatoribus ſuis, ſiue in electis omnibus ſemper manet: in illis autem quibus per oſtenſionem illius non noſtra vita ſeruatur, ſed aliorum quæritur, nequaquam ſemper in prædicatoribus permanet, quia ſemper quidem eorum cordi ad bene viuendum præſidet, nec tamen per eos virtutum ſigna ſemper oſtendit: ſed aliquando ſe eis à ſignorum oſtenſionibus ſubtrahit, vt eò humilius virtutes eius habeantur, quò habitæ teneri nõ poſſunt. Mediator autem Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, in cunctis eum & ſemper & continuè habet præſentem: quia ex illo idem ſpiritus per ſubſtantiam profertur. Rectè ergo cùm in ſanctis prædicatoribus maneat, in mediatore ſingulariter manere perhibetur: quia in iſtis per gratiam manet ad aliquid, in illo autem per ſubſtantiam manet ad cuncta. Sicut enim corpus noſtrum ſenſum tantummodo tactus agnoſcit, caput autem corporis, vſum ſimul omnium quinque ſenſuum poſſidet: vt videat, audiat, guſtet, odoretur, & tangat: ita membra ſuperni capitis in quibuſdam virtutibus emicãt: ipſum verò caput in cunctis virtutibus flagrat. Diſſimiliter ergo ſpiritus in illo manet cui ſe ad votum ſubſtantialiter exhibet, & à quo per naturam nunquam recedit. Dona verò eius quibus ad vitam tenditur, ſine periculo amitti non poſſunt: dona autem quibus vitæ ſanctitas demonſtratur, plerunque, vt dictum eſt, ſine diſpendio ſubtrahuntur. Illa ergo pro noſtra eruditione tenenda ſunt, hæc pro alienis profectibus exquirenda. In illis nos terreat formido, ne pereant: in iſtis verò ad tempus aliquando, ſublatis conſoletur humilitas: quia ad elationem mentem fortaſſe ſubleuant. Cùm igitur conceſſa nobis virtutum ſigna ſubtrahuntur, dicamus rectè: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum. Tunc enim verò oſtendimus, quia accepta rectè tenuimus: cùm profectò æquanimiter ad momentum ſublata toleramus.

Libri ſecundi Moralium ſancti Gregorij finis.

B. GREGORII EXPOSITIONIS MORALIS IN B. IOB LIBER TERTIVS

capitis ſecundi textus.

BEATVS Iob ad mortem petitus in tentatione, ad vitam creuit ex verbere: & antiquus hoſtis vnde ſe bona eius æſtimauit extinguere, inde doluit multiplicaſſe. Sed quia in primo certamine ſe ſuccubuiſſe cõſiderat, ad alia ſe tentationum bella reſtaurat, & de ſancto viro mala adhuc impudenter ſperat: quia bona malus credere non poteſt, vel experta. Ea autem quæ in prima eius percuſſione præmiſſa ſunt, iterum ſubnectuntur cùm dicitur:

Caput I.

TFactum eſt autem cùm quadam die veniſſent filij Dei & ſtarent coram Domino: veniſſet quoque ſatan inter eos, & ſtaret in conſpectu eius, vt diceret Dominus ad ſatan: Vnde venis? Qui reſpõdens ait: Circuiui terram, & perambulaui eam. Et dixit Dominus ad ſatan: Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra: vir ſimplex & rectus ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam? Tu autem commouiſti me aduerſus eum, vt affligerem eum fruſtrà. Cui reſpondens ſatan ait: Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima ſua: alioquin mitte manum tuam, & tange os eius & carnem, & tunc videbis quòd in faciem benedicat tibi. Dixit ergo Dominus ad ſatan: Ecce in manu tua eſt: veruntamen animam illius ſerua. Egreſſus igitur ſatã à facie Domini, percuſsit Iob vlcere peſsimo à planta pedis vſque ad verticem eius, qui teſta ſaniẽ radebat, ſedens in ſterquilinio. Dixit autem illi vxor ſua: Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? benedic Deo, & morere: qui ait ad illam: Quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es. Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala quare non ſuſtineamus? In omnibus his non peccauit Iob labiis ſuis. Igitur audientes tres amici Iob omne malum quod acciditſſet ei, venerunt ſinguli de loco ſuo, Eliphas Themanites, & Baldath Suites, & Sophar Naamathites. Condixerant enim vt pariter venientes viſitarent eum & conſolarentur. Cúmque eleuaſſent proculo culos ſuos, non cognouerunt eum. Et exclamantes plorauerunt, ſciſsíſque veſtibus ſparſerunt puluerem ſuper caput ſuum in cœlum. Et ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus & ſeptem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum. Videbant enim dolorem eſſe vehementem.

Hæc quia latius ſuprà diſſeruimus, melius ſilendo præterimus: ne dum ſæpius diſcuſſa repetimus, tardius ad indiſcuſſa veniamus. Quamuis hoc quod voce Domini ad ſatan dicitur: Vnde venis? nequaquam æſtimo quòd ita ei vt prius dicatur. Cùm enim ab eo certamine in quo relaxatus fuerat, victus redit: & vnde venit, requiritur, qui vnde veniat, ſcitur, quid aliud quàm infirmitas ſuperbiæ eius increpatur? ac ſi ei apertè diuina vox dicat: Ecce ab vno & in infirma carne poſito homine vinceris, qui te cõtra me authorem omnium erigere conaris. Vnde mox Dominus cùm beati Iob bona ſicut prius diceret, hæc cum victoria & triumphis enumerans adiungit: *Et adhuc retinens innocentiam ſuam.*) Ac ſi apertè dicat: Tu quidem exercuiſti malitiam: ſed ille innocentiam non amiſit: & vnde te æſtimaſti profectum eius imminuere, inde compulſus es eius profectui deſeruire: quia mentis innocentiam quàm glorioſe tenuit in tranquillitate, glorioſius ſeruauit in verbere. Sequitur:

Quòd iuſti & fruſtra percutiuntur & non fruſtra: non fruſtra, quia augetur vitæ meritum: fruſtra, quia in eis non punitur peccatum.

Caput II.

TV autem commouiſti me aduerſus eum, vt affligerem eum fruſtra.) Cùm ſit Deus iuſtus & verax, valde quærendum eſt, quomodo beatum Iob fruſtra afflixiſſe ſe indicat. Quia enim iuſtus, eſt, fruſtra affligere non potuit. Sed rurſum quia verax eſt, aliter non potuit dixiſſe quàm fecit. Vt ergo iuſto & veraci vtraque conueniant: quatenus & vera dicat, & iniuſta non faciat, cognoſcamus beatum Iob & iuxta aliquid fruſtra, & rurſum iuxta aliquid non fruſtra percuſſum. Quia enim iuſtus & verax hæc de ſemetipſo aſſerit: oſtendamus & verum extitiſſe quod dixit, & rectũ fuiſſe quod fecit. Neceſſe quippe erat vt ſanctus vir Deo ſoli ſibíque cognitus, quanta virtute polleret, ad imitandum cunctis innoteſceret. Aperta nanque aliis virtutis exempla non daret, ſi ipſe ſine tentatione permaneret. Actum eſt ergo vt vires eius cunctis imitandas ipſa vis percuſſionis oſtenderet, & flagella proderent quod in tranquillitate latuiſſet. Sed eiſdem flagellis creuit virtus patientiæ, atque ex dolore verberis, aucta eſt gloria remunerationis. Vt ergo in dicto Domini veritas, rectitudo autem teneatur in facto: beatus Iob & non fruſtra percutitur, quia augetur meritum: & tamen fruſtra percutitur, quia nullum punitur admiſſum. Fruſtra enim percuſſus eſt, cui culpa nulla reciditur, & non fruſtra percuſſus eſt, cui virtutis meritum cumulatur. Sed quid eſt quod dicitur, *commouiſti me aduerſus eum*? Nunquid ſatanæ verbis veritas accenditur, vt in ſubditorum ſuorum cruciatus inſtigetur? Quis hæc de Deo ſenſerit, quæ recto etiam homini indigna perpendit? Sed quia nos ferire niſi commoti neſcimus, ipſa diuina percuſſio commotio vocatur:

tio vocatur: & ad noſtra verba diuina voce deſcenditur, vt eius factum ab homine vtcunque capiatur. Illa enim vis quæ abſque neceſsitate omnia creauit, & ſine defectu omnibus præſidet, & ſine labore cũcta ſuſtẽtat, & ſine occupatione regit, etiam ſine commotione corrigit: ſicque humanas mentes ad ea quæ voluerit, flagellis format: vt in diuerſitatis vmbram à ſuæ incommutabilitatis luce non tranſeat. Sequitur: *Reſpondens ſatan ait: Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima ſua: alioquin mitte manum tuam, & tange os eius & carnem, & tunc videbis quòd in faciem benedicat tibi.*) Antiquus hoſtis ex rebus exterioribus colligit quod beato viro ad mentis crimen infligit. Pellem enim pro pelle dari aſſerit: quia ſæpe dum venire ictum contra faciem cernimus, manum palpebris opponimus, vt ab ictu oculos defẽdamus: & corpus vulneri obiicimus, ne in corpore teneriori vulneremur. Satan ergo hæc conſuetè fieri ſciens, dicit: Pellem pro pelle, cuncta quæ habet homo, dabit pro anima ſua. Ac ſi apertè dicat: Idcirco Iob tot extra ſe flagellã æquanimiter patitur: quia pauet ne ipſe feriatur. Cura ergo carnis eſt quod damno, affectuum carnalium motus non eſt, quia dum ſibimetipſi metuit, minus ſuorum percuſsiones ſentit. Vnde & mox eius carnem feriendam poſtulat, dicens: *Mitte manum tuam, & tange os eius & carnem, & tunc videbis quòd in faciem benedicat tibi*) Superius dixerat: Tange cuncta que poſsidet, & tunc videbis quòd in faciem benedicat tibi. Nunc quaſi prioris propoſitionis oblitus † factus, de aliis alia poſtulat. Quod tamen rectè diuina diſpenſatione permittitur: quatenus altercator impudens vel ſæpe victus obmuteſcat. Sequitur:

† *al. fractus de &c.*

Quòd ſatan dicitur ſeruare quæ non permittitur tangere.

Caput III.

DIxit ergo Dominus ad ſatan: Ecce in manu tua eſt, veruntamen animam illius ſerua.) Ecce iterum permiſsionem verberis comitatur cuſtodia protectionis, & electum ſuum diuina diſpenſatio cuſtodiendo deſerit, deſerendo cuſtodit: alia illius prodit, alia protegit. Si enim totum Iob deſſereret in manu tanti aduerſarij, homo quid eſſet? In ipſa ergo iuſtitia permiſsionis permiſcetur quædam libra pietatis: quatenus in vno eodémque certamine & ſeruus humilis ex oppreſsione proficiat, & hoſtis ſuperbiens ex permiſsione ſuccumbat. Manui itaque aduerſarij ſanctus vir traditur, ſed tamen in intimis adiutoris ſui manu retinetur. De illis quippe quibus

Ioan. 10.

ſuit, de quibus in Euangelio ipſa veritas dicit: Non rapiet eas quiſquam de manu mea: & tamen expetenti hoſti dicitur: Ecce in manu tua eſt. Idem ergo in manu Dei, idem in manu eſt diaboli. Nam dicens: In manu tua eſt, cùm protinus adiungit. Veruntamen animam illius ſerua patenter pius adiutor innotuit: quia tenuit quem conceſsit, & dando non dedit, quem aduerſarij ſui iaculis eiiciens abſcondit. Quid eſt autem hoc quod ad ſatan dicitur: Animam illius ſerua? Quo enim pacto ille cuſtodit, qui cuſtodita ſemper irrumpere appetit? Sed ſeruare ſatan dicitur, irrumpere non audere: ſicut

3.

Matt. 6.

econtrario patrem in oratione poſtulamus dicentes: Ne nos inducas in tentationem. Neque enim in tentationem Dominus inducit, qui ſemper à tentatione ſubditos miſericorditer protegit: ſed tamen in tentationem quaſi eius inducere, eſt à tentationis nos illecebra non munire. Et tunc nos in tentationis laqueum non inducit, cùm tentari nos vltra quam poſſumus, non permittit. Sicut ergo Dominus inducere nos in tentationem dicitur, ſi nos ab aduerſario induci patiatur: ita aduerſarius ſeruare animam dicitur, cùm hanc tentando ſuperare prohibetur. *Egreſſus igitur ſatan à facie Domini.*) Quomodo ſatan à facie Domini exeat, ea quæ iam ſuperius dicta ſunt, manifeſtant. Sequitur: *Percuſsit Iob vlcere peſsimo, à planta pedis vſque ad verticem eius.*) Duobus ſemper modis flagella penſanda ſunt: vt ſcilicet perpendantur, aut qualia ſint, aut quanta. Nam ſæpe multa ex qualitate, ſæpe grauia ex quantitate leuig antur: ſi videlicet cùm multa ſunt, non ſint grauia, cùm verò grauia, non ſint multa. Vt igitur oſtendatur quomodo aſperitatem flagelli aduerſarius contra ſanctum virum non ſolum per nequitiam qualitatis, ſed etiam per pondus quantitatis exarſit: ad demonſtrandam qualitatem dicitur: Percuſsit eum vlcere peſsimo: ad inſinuandam verò quantitatem ſebiungitur: A planta pedis vſque ad verticem: vt nimirum nihil in mente vacet à gloria, in cuius nil corpore vacat à pœna. Sequitur:

Quòd multi ſecularibus dignitatibus præditi vas fictile quod geſtant, quàm ciò ſit conterendum non attendunt.

Caput IIII.

QVi teſta ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio.) Vnde teſta niſi ex luto conficitur? quid verò eſt ſanies corporis niſi lutum? Saniem ergo radere teſta perhibetur, ac ſi apertè diceretur: Luto tergebat lutum. Penſabat quippe vir ſanctus vnde ſumptum fuerat quod geſtabat, & fragmento vaſis fictilis cõfractum vas fictile radebat. Quo facto patenter oſtenditur corpus ſuum quomodo ſibi ſanum ſubdidit, quod & percuſſum ſic deſpiciens curauit: quam ille mollitiem ſanè ſuæ carni conceſsit, qui non veſtem, non digitos, ſed teſtam etiam vulneribus admouit. *Teſta ergo radebat ſaniem:* vt ſemetipſum & in fragmento conſiderans, etiam de exterſione vulneris ſumeret curam mentis. Quia verò ſæpe per ea quæ circa corpus

4.

ſunt, animus inflatur: & per hoc quod erga nos agitur, fragilitas noſtri corporis ab oculis cordis amouetur (ſicut nonnulli ſeculares cùm temporalibus dignitatibus fulciuntur, dum locis altioribus præſident, dum multorum obſequia ſibi ſuppetere ad votum vident: fragilitatem ſuam intueri negligunt, & vas fictile quod geſtant, quàm ſit velociter conterendum, obliuiſcentes omnino non attendunt) beatus Iob vt conſiderationem ſuæ fragilitatis etiam ex circunſtantibus traheret, & ante oculos ſuos vim ſuæ deſpectionis augeret, non qualibet in terra, quæ penè vbique munda reperitur, ſed in ſterquilinio ſediſſe perhibetur. In ſterquilinio ponebat corpus, vt ex terra aſſumpta quæ eſſet carnis ſubſtantia, bene proficiens perpenderet animus. In ſterquilinio ponebat corpus, vt etiam ex loci ſœtore caperet, quòd feſtinè corpus ad fœtorem rediret.

Quid ſit quòd Deus in hoc ſeculo ſic deſpicit quos ante ſecula ſublimiter elegit. *Caput V.*

SEd ecce cùm beatus Iob tot rerum damna ſuſtinet, tot funeribus plgnorum percuſſus dolet, tot vulnera tolerat: dũ decurrentem ſaniem teſta radit, dum per putredinem defluẽs in ſterquilinio reſidet, intueri libet quid eſt quod omnipotens Deus quos ſibi tam charos in æternum conſpicit, tam vehementer quaſi deſpiciens affligit. Ecce autem dum beati Iob vulnera cruciatúſque conſidero: repentè mentis oculos ad Ioannem reduco, & non ſine grauiſsima admiratione perpẽdo, quòd ille prophetiæ ſpiritu intra matris vterum impletus: atque, vt ita dixerim, priuſquam naſceretur renatus: ille amicus ſponſi, ille quo inter natos mulierum maior nemo ſurrexit: ille ſic propheta, vt plus etiam quàm propheta, ab iniquis in carcerem mittitur, & pro puellæ ſaltatu capite truncatur, & vir tantæ ſeueritatis pro riſu turpium moritur. Nunquidnam credimus aliquid fuiſſe, quod in eius vita illa ſic deſpecta mors tergeret? Sed quando ille vel in cibo peccauit, qui locuſtas ſolummodo & mel ſylueſtre edit? Quid Deo vel de qualitate ſui tegminis deliquit, qui camelorum pilis corpus operuit? Quid de conuerſatione ſua offendere potuit, qui de eremo non receſsit? Quid illum loquacitatis reatus polluit, qui diſiunctus longè ab hominibus fuit? Quando illum vel ſilentij culpa attigit, qui ad ſe venientes tam vehementer increpauit, dicens: Genimina viperarum, quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira? Quid eſt ergo quòd Iob Dei teſtimonio præfertur: & tamen plagis vſque ad ſterquilinium ſternitur? Quid eſt quòd Ioannes Dei voce laudatur, & tamen pro temuléti verbis in ſaltatricis præmium moritur? Quid eſt quòd Deus omnipotens ſic vehementer in hoc ſeculo deſpicit, quos ſic ſublimiter ante ſecula elegit, niſi hoc quod pietati fidelium patet: quoniam idcirco ſic eos premit in infimis, quia videt quomodo remuneret in ſummis, & foras vſque ad deſpecta deiicit, quia intus vſque ad incomprehenſibilia perducit? Hinc ergo vnuſquiſque colligat, quid illic ſint paſſuri, quos reprobat, ſi hic ſic cruciat, quos amat. Aut quomodo ferientur, qui in iudicio arguendi ſunt: ſi ſic eorum vita premitur, qui ipſo iudice teſte laudantur? Sequitur:

Commend. ratio Ioannis Baptiſtæ.

Matt. 3. Lucæ 3.

Quòd diabolus cùm nos tentat, antiquæ artis insidias repetit, & quia scit quomodo Adam decipi soleat, ad Euam recurrit, & quòd iustus sit insterquilinio, qui iniustus fuerat in paradiso.

Caput VI.

Dixit autem illi vxor sua: *Adhuc permanes in simplicitate tua? Benedic Deo & morere.*) Antiquus hostis humanum genus duobus modis tentare consuevit, vt videlicet corda stantium aut tribulationibus frangat, aut persuasionibus molliat. In vtrisque ergo contra beatum Iob se vehementer exercuit. Nam prius patrifamiliâs intulit damna rerum, orbauit patrem morte filiorum, percussit incolumem putredine vulnerum. Sed quia putrescentem foris, sanum adhuc interius stare conspexit, & quem exterius nudum reddidit, hunc interius ditiorem fieri per exhibitam laudem conditoris inuidit, callidè cogitans pensat, quòd contra se athleta Dei vnde premitur, inde subleuatur, victúsq; ad subtilia tentandi argumenta conuertitur. Nam antiquæ artis insidias reperit, & quia scit quomodo Adam decipi soleat, ad Euam recurrit. Beatum enim Iob inter tot rerũ damna, inter tot percussionũ vulnera, quasi in quadam virtutum arce stare inuictum vidit. In alto quippe mentem fixerat: & idcirco hanc hostiles insidiæ irrumpere non valebant. Quæritur ergo ab aduersario, in hanc arcem munitissimam quibus gradibus ascendatur. Vicina est autem viro mulier, atq; subiecta. Cor igitur mulieris tenuit, & quasi scalam qua ad cor viri ascendere potuisset, inuenit. Occupauit animum coniugis, scalam mariti. Sed nihil hac arte præualuit, quia sanctus vir subiectam sibi mulierem, & non præpositam attendit: & recta loquens docuit, quam serpens vt peruersa loqueretur, instigauit. Dignum quippe erat vt fluxam mentem virilis censura restringeret, cùm profectò & de ipso primo lapsu humani generis docet, quòd docere mulier recta nesciret. Vnde bene & per Paulum dicitur: Docere autem mulieri non permitto. Quia nimirum aliquãdo cùm docuit, à sapientiæ æternitate separauit. Antiquus itaque hostis ab Adam in sterquilinio victoriam perdidit, qui Adam in paradiso superauit: atque adiutricem suam mulierem dum ad verba malæ persuasionis accendit, ad doctrinam sanctæ eruditionis misit: & quæ excitata fuerat vt perderet, erudita est ne periret. Sic sic à nostris viris fortibus hostis percutitur, vt sua ei etiam tela rapiantur. Vnde enim se exaggerare æstimat dolorem vulneris, inde ei contra semetipsum suggerit arma virtutis. Ex verbis autem malè persuadentis coniugis vigilanter debemus aspicere, quòd antiquus aduersarius non solum per semetipsum, sed per eos etiam qui nobis adhærent, statum satagit nostræ mentis inclinare. Cùm enim cor nostrum sua persuasione non subruit, ad hoc nimirum per linguas adhærentium repit. Hinc enim scriptum est: A filiis tuis caue, & à domesticis tuis attende. Hinc per Prophetam dicitur: Vnusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam. Hinc rursum scriptum est: Inimici hominis dominici eius. Callidus nanq; aduersarius cùm à bonorum cordibus repelli se conspicit, eos qui ab illis valde diliguntur, exquirit, & per eorum verba blandiens loquitur, qui plus cæteris amantur: vt dum vis amoris cor perforat, facilè persuasionis eius gladius ad intimæ rectitudinis munimina irrumpat. Post damna igitur rerum, post funera pignorum, post vulnera scissurásque membrorum, antiquus hostis linguam mouit vxoris. Et notandum quo tempore viri mentem studuit virulento sermone corrumpere. Verba enim post vulnera intulit, vt nimirum cùm vis doloris ingrauesceret, facilè persuasionis suggestio peruersa præualeret. Sed si ipsum subtiliter tentationis eius ordinem perpendimus, qua callidittate sæuiat, inuenimus. Mouit nanque prius damna substantiæ, quæ & extra naturam profectò essent, & extra corpus. Subtraxit filios, quòd iam extra naturam quidem non esset, sed tamen adhuc aliquatenus extra proprium corpus: ad extremum percussit & corpus. Sed quia vulneribus carnis ad mentis vulnus peruenire non valuit, etiam coniunctæ mulieris linguam quæsiuit. Quia enim aperto certamine superari se doluit, de ore coniugis iaculum quasi de insidiis intorsit, quæ profectò diceret: *Adhuc permanes in simplicitate tua? benedic Deo, & morere.*) Ecce tentando omnia abstulit, ecce tentando mulierem reliquit, & sancto viro calidè cuncta diripuit: sed valde callidius adiutricem suam mulierem reseruauit, quæ dicat: Adhuc permanes in simplicitate tua?) Verba sua Eua repetit. Nam quid est dicere: Simplicitatem desere, nisi obedientiam, pomum vetitum comedendo, contemne? Et quid est dicere: Benedic Deo, & morere: nisi transcendendo præceptum vltra quàm es conditus, viue? Sed Adam noster fortis in sterquilinio iacuit, qui in paradiso quondam debilis stetis: nam ilico ad malè suadentis verba respondit dicens:

Ecclesia.32.
Hiere.9.
Matth.10.
Ordo tentationis cõtra Iob.

Quid sit quod Esaiæ 45. scriptum est: Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans mala.

Caput VII.

Quasi vna de stultis mulieribus locuta es: Si bona accepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?) Ecce vbique hostis frangitur, vbique superatur, per cuncta tentationum argumenta succubuit: quia & illuc suum familiare solatium etiam de muliere amisit. Inter hæc igitur sanctum virum intueri libet, foris reb' vacuum, intrinsecus Deo planum. Cùm Paulus Apostolus in semetipso diuitias sapiẽtiæ internæ conspiceret, seque ipsum exterius esse corruptibile corpus videret, ait: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. Ecce in beato Iob vas fictile scissuras vulnerum exterius sensit: sed hic thesaurus interius integer mansit. Foris enim per vulnera crepuit, sed indeficienter interius nascens thesaurus sapientiæ verba sanctæ eruditionis emanauit, dicens: *Si bona accepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?*) Bona scilicet dona Dei vel temporalia vel æterna, mala autem flagella præsentia appellans, de quibus per Prophetam Dominus dicit: Ego Dominus, & non est alter formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans mala. Neque enim mala, quæ nulla sua natura subsistant, à Domino creantur: sed creare se mala Dominus indicat, cùm res bene conditas nobis malè agentibus, in flagellum format: vt ea ipsa & per dolorem quo feriunt, delinquentibus mala sint, & per naturam qua existunt, bona. Vnde & venenum mors quidem est homini: sed tamen vita serpenti. Amore enim præsentium ab authoris nostri dilectione recessimus, & peruersa mens dum dilectioni creaturæ se subdidit, à creatoris societate disiunxit. Ex his ergo ab authore ferienda erat, quæ errans authori præposuerat: vt vnde homo culpam non timuit superbus admittere, inde pœnam corrigendus inueniret: & tantò citius resipisceret ad illa quæ perdidit, quantò doloris plena esse conspiceret quæ quæsiuit. Vnde & bene dicitur: Formans lucem, & creans tenebras: quia cùm per flagella exterius doloris tenebræ creantur, intus per eruditionem lux mentis accenditur. Faciens pacem, & creãs mala: quia tunc nobis pax cùm Deo redditur, cùm hæc quæ bene sunt condita, sed malè concupita, in ea quæ nobis mala sunt, flagella vertuntur. Per culpam quippe discordes Deo existimus, dignum ergo est vt ad pacem illius per flagella redeamus: vt cùm vnaquæque res bene condita nobis in dolorem vertitur, correcti mens ad authoris pacem humiliter reformetur. Hæc itaque flagella beatus Iob mala nominat: quia salutis & tranquillitatis bonum qua perturbatione feriant, pensat. Sed illud valde in eius verbis intuendum est, contra persuasionem coniugis quãta considerationis arte se colligat dicens: *Si bona accepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?*) Magna quippe consolatio tribulationis est, si cùm aduersa patimur, authoris nostri ad memoriam dona reuocemus. Nec frangit quod ex dolore obuiat, si menti citius hoc quod ex munere subleuat, occurrat. Hinc nanque scriptum est: In die bonorum ne immemor sis malorum, & in die malorũ ne immemor sis bonorum. Quisquis enim dona percipit, sed donorum tempore nequaquã etiam flagella pertimescit, in elationem per lætitiam corruit. Quisquis autem flagellis atteritur, sed flagellorum tempore, nequaquam se ex donis quæ eum contigit accepisse, consolatur, à statu mentis omnimoda desperatione destruitur. Sic ergo vtraque iungenda sunt: vt vnum semper ex altero fulciatur: quatenus & flagelli pœnam memoria temperet doni, & doni lætitiam mordeat suspicio ac formido flagelli. Sanctus ergo vir vt oppressam mentem inter vulnera mulceat, in flagellorum doloribus blandimenta donorum pensat, dicens: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?*

1. Corint. 4.
Esaiæ. 45.
Eccle. 11.

sustineamus?) Vbi & benè præmittit dicens: *Locuta es quasi vna ex stultis mulieribus.*) Quia enim sensus prauæ voluntatis mulieribus, non autem sexus in vitio est: nequaquam ait: Locuta es quasi vna ex mulieribus, sed quasi ex ineptis mulieribus, vt videlicet ostendatur: quia quod prauum sapit, accidentis stultitiæ, non autem conditæ sit naturæ. Sequitur.

Quòd sicut iniusta dicere, ita iniusta retinere peccatum est.

Caput VIII.

In omnibus his non peccauit Iob labiis suis.) Duobus modis labiis delinquimus, cùm aut iniusta dicimus, aut iusta reticemus. Nam si aliquando & tacere culpa non esset, Propheta non diceret: Væ mihi quia tacui. Beatus igitur Iob in cunctis quæ egit, labiis suis minimè peccauit: quia nec contra ferientem superba dixit, nec contra suadentem, recta retinuit. Nec loquens ergo, nec tacens deliquit: quia & flagellanti patri gratias reddidit, & malè suadenti coniugi doctrinæ sapientiã ministrauit. Quia enim sciuit quid deberet Deo, quid proximo: scilicet patientiam conditori, sapientiam coniugi: idcirco & hanc redarguendo docuit, & illum gratias agendo laudauit. Quis autem nostrum si vnum quodlibet vulnus tantæ huius percussionis acciperet, non mox ab intimis prostratus iaceret? Ecce stratus foris vulneribus carnis, erectus intrinsecus munimine permanet mentis: & sub semetipso omne iaculum transuolare conspicit, quod in se exterius districta manu sæuiens hostis figit. Vigilãter deprehendit iacula, modo vulneribus contra se à facie, modo verbis quasi ex latere intorta. Et bellator noster circunuallantium certaminum feruore deprehensus, vbique patientiæ suæ clypeum opponit: vndique venientibus spiculis obuiat, & per cuncta virtutum latera circunspectam contra irruentia vulnera mentem roborat. Sed antiquus hostis quò valentius vincitur, eò adhuc ad insidias ardentius instigatur. Nam quia vxor increpata tacuit, protinus alios qui increpandi ad contumelias surgerent, excitauit. Sicut enim damna rerum studuit crebrius nunciando percutere, ita nunc robustum pectus satagit verborum contumeliis sæpius feriendo penetrare. Sequitur:

Esaiæ 6.

Quòd vbi virtutis discretionis perditur, intentio quæ initium virtutis habuit, finem accipit criminis.

Caput IX.

Igitur audientes tres amici Iob omne malum quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo: Eliphas Themanites, Baldath Suites, & Sophar Naamathites. Condixerant enim, vt pariter venientes visitarent eum, & consolarentur.) Quia ex condicto ad afflicti consolationem venitũt, & inter se & erga percussum quantæ charitatis fuerint, demonstratur. Quanuis & per hoc quod scriptura eos tanti viri amicos fuisse testatur: quia boni studij & rectæ fuerint intentionis, ostenditur. Sed tamen hæc ipsa illorum intentio eis ad verba prorumpentibus, ante districti iudicis oculos suborta indiscretione fuscatur. Sequitur:

Quis ordo in consolatione tenendus sit. *Caput X.*

Cumque eleuassent procul oculos suos, non cognouerunt eum, & exclamantes plorauerunt, scissisque vestibus sparserunt puluerem super caput suum in cœlum.) Quia percussi speciem plaga mutauerat, amici plorantes exclamant, vestes scindunt, capita puluere aspergunt: vt cùm mutatum eum ad quem venerant, cernerent, ipsam etiam consolatorum speciem spontaneus dolor immutaret. Ordo quippe consolationis est, vt cùm volumus afflictum quempiam à mœrore suspendere, studeamus prius mœrendo eius luctui concordare. Dolentem nanque non potest consolari, qui non concordat dolori: quia eo ipso quo à mœrẽtis afflictione discrepat, minus ab illo recipitur, à quo mentis qualitate separatur. Sed emoliri prius debet animus, vt afflicto congruat, congruens inhæreat, inhærens trahat. Neque enim ferrum ferro coniungitur, si non vtrunque exustione ignis liquetur: & durum molli non adhæret, nisi prius eius duritia temperata mollescat, vt quasi hoc ipsum fiat quod curat, vt teneat. Sic nec iacentes erigimus, nisi à rigore nostri status inclinemur: quia dum rectitudo stantis à iacentis situ discrepat, eum cui condescẽdere negligit, nequaquam leuat. Amici igitur beati Iob vt afflictum à dolore suspenderent, curauerunt necessariò simul dolere. Et cùm vulneratum illius corpus viderent, studuerunt ipsi vestes scindere: & cùm immutatum cõspicerent, studuerunt puluere capita fœdare: quatenus afflictus vir tantò facilius eorum verba reciperet, quantò in eis suum aliquid de afflictione cognouisset. Sed inter hæc sciendum est, quia is qui afflictum consolari desiderat, mensuram necesse est dolori quem suscipit, ponat: ne non solum dolentem non mulceat, sed intemperatè dolens, afflicti animum ad pondus desperationis premat. Sic enim dolor noster mœrentium dolori iungendus est, vt per temperamentum subleuet, non autem per augmentum grauet. Vnde fortasse colligendum est, quod amici beati Iob plusquam necesse fuerat, in consolatione doluerunt, qui dum percussionem cernunt, sed percussi mentẽ nesciunt, ita in immensum luctum versi sunt, ac si percussus vir tantæ fortitudinis, in plaga corporis etiam à corde cecidisset. Sequitur: *Sederúntque cum eo in terra septem diebus & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem eius esse vehementem.*) Verum continuis septem diebus & septem noctibus cùm afflicto Iob sederint, an certè diebus septem, & noctibus totidem instantia ei crebræ visitationis adhæserint, ignoramus. Sæpe enim rem quamlibet tot diebus agere dicimur, quanuis non eisdem diebus ad eam continuè vacemus. Sæpe verò scriptura sacra sic totum pro parte, sicut pro toto partem ponere consueuit. Pro toto enim partem loquitur: sicut Iacob familiam describens dicit: Intrauit Iacob in Aegyptum cum animabus septuaginta. Quæ nimirum cùm animas memorat, constat quia intrantium & corpora comprehendit. Rursum totum pro parte insinuat: sicut ad monumẽtum Maria queritur, dicens: Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus vbi posuerunt eum. Solum quippe corpus Domini quæstura venerat, & totum simul Dominum sublatum deplorat. An ergo & hoc in loco totum pro parte dicatur, incertum est. Sed tamen hoc quod diu tacuerunt, & quandoque loquendo reprobati sunt, neglectè præteireundum non est. Sunt nanque nonnulli qui & loqui præcipitanter incipiunt, & effrenatè cœpta effrenarius exequuntur. Et sunt nonnulli qui tardè quidem loqui inchoant: sed semel inchoantes, habere modum elocutionis ignorant. Amici igitur beati Iob dolorem videntes diu tacuerunt: sed tardè inchoãtes, indiscretè locuti sunt, quia parcere dolenti noluerunt. Tenuerunt linguam ne properè inciperet, sed incipientem semel nequaquam moderati sunt, ne se ex consolatione vsque ad contumelias effrenaret. Et bona quidem intentione ad cõsolandum venerant: sed hoc quod pia mens Deo mundum obtulit, locutio præcipitata vitiauit. Scriptum quippe est: Si rectè offeras, non rectè autem diuidas, peccasti. Rectè nãque offertur, cùm recta intẽtione quid agitur. Sed rectè non diuiditur, si non hoc quod piè agitur, etiam subtiliter discernatur. Oblata enim rectè diuidere, est quælibet bona nostra studia sollicitè discernendo pensare. Quod nimirum qui agere dissimulat, etiam rectè offerens peccat. Sæpe ergo & quod bono studio gerimus, dum discernere cautè negligimus, quo iudicetur fine, nescimus: & nonnunquam hoc fit reatus criminis, quod putatur causa virtutis. Quisquis autem amicorum beati Iob facta considerat, quàm pia ad eum intentione venerint, non ignorat. Pensemus enim cuius charitatis fuerit, ad afflictum concorditer conuenisse: quanta virtus longanimitatis extiterit, septem diebus & septem noctibus cum afflicto tacuisse: quæ humilitas in terra tot diebus ac noctibus sedisse: quæ compassio, puluere capita conspersisse. Sed tamen inchoantes loqui, vnde se æstimauerunnt præmium mercedis acquirere: inde eos contigit reatum reprehensionis inuenire: quia incautis sæpe ad peccati finẽ vertitur etiã quod pro solo studio mercedis inchoat. Ecce præcipiti locutione perdiderunt bonum, quod tanto labore mercati sunt. Et nisi diuina gratia offerre eos sacrificium pro suo reatu præcepisset, inde à Domino iustè puniri poterant, vnde se placere Domino mirabiliter æstimabant: inde iudici displicent, vnde sibi quasi pro defensione iudicis per effrenationem placent. Idcirco verò hæc dicimus, vt ad memoriam legentium reuocemus, quatenus sollicitè quisque consideret ea quæ malo voto perpetrantur: quanta Dominus animaduersione puniat, si inchoata bono studio, sed negligentia indiscre-

Genę. 46.
Ioan. 20.

tionis admixta, tanta inuectione castigat. Quis non mercedis causam peregisse se crederet, si aut in defensione Dei quicquam contra proximum diceret: aut certè septem diebus ac noctibus pro proximi dolore tacuisset? Et tamen amici beati Iob hæc agentes ad culpam laborando venerunt: quia consolationis quidem bonum quod agebant, nouerant: sed cum quanta agendum esset discretionis libra, nesciebant. Vnde necesse est, vt non solum intueamur quod agimus, sed etiam cum quanta discretione peragamus. Primum quidem ne mala quoquo modo, postmodum verò ne bona incautè faciamus. Ad quæ nimirum bona sollicitè peragenda, Propheta nos admonet, dicens: Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter. Ad hoc verò ista proficiunt: vt ante terribilis iudicis subtile atque incomprehensibile examen, non solum mala quæ commisimus, sed ipsa etiam si qua in nobis sunt bene gesta, timeamus: quia sæpe in iusto iudicio culpa esse deprehenditur, quod virtus ante iudicium putatur. Et vnde expectatur pia merces operis, inde supplicium iustæ sequitur vltionis.

Hiere.47.

Quòd hæc quæ supradicta sunt in persona Iob, allegorice referuntur ad Christum. Caput XI.

II. HAec iuxta historiam breuiter tractata percurrimus: nũc ad allegoriarum mysterium verba vertamus. Sed quia in exordio huius operis dum de vnitate capitis & corporis tractaremus, sollicita intentione præmisimus quanta in eis sit compago charitatis: quia nimirum & Dominus multa adhuc per corpus, quod nos sumus, patitur: & iam eius corpus, id est Ecclesia, de suo capite, videlicet Domino, in cœlo gloriatur: ita nunc passiones exprimi eiusdem capitis debent, vt ostendatur quàm multa etiam in corpore suo sustinet. Si enim caput nostrum tormenta nostra non tangerent: nequaquam pro afflictis membris persecutori suo etiam de cœlo clamaret: Saule, Saule, quid me persequeris? Si cruciatus nostri, eius pœnæ non essent, conuersus afflictúsque Paulus minimè diceret: Suppleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea. Et tamen resurrectione iam sui capitis exaltatus dicit: Qui nos cõresuscitauit, & cõsedere fecit in cœlestibus. Nempe hunc in terra persecutionum tormenta constrixerũt: sed pœnarun suarum ponderibus pressus, ecce iam per gloriam capitis in cœlo residebat. Quia ergo in omnibus vnitũ caput, & corpus nouimus, sic à persecutione capitis incipimus: vt subsequenter tamen ad corporis flagella veniamus. Sed hoc quòd quadam die satan coram Domino astitisse dicitur: quòd vnde veniat, percontatur: quòd beatus Iob magnis conditoris præconiis præfertur; quia iàm sæpe discussimus, replicare deuitamus. Si enim diu mens rebus discussis inuoluitur, peruenire ad indiscussa præpeditur. Ibi ergo allegorię nunc initium ponimus, vbi post verba sæpe repetita, adiunctum noui aliquid scimus. Itaque ait: *Commouisti me aduersus eum, vt affligerem illum frustra.*) Si beatus Iob redemptoris nostri in passione positi speciem tenet, quomodo à Domino ad satan dicitur: Commouisti me aduersus eum? Mediator quippe Dei & hominum, homo Christus Iesus vt culpas nostræ trãsgressionis extingueret, venit mortalitatis nostræ flagella tolerare. Sed quia vnius cum patre eiusdémque naturæ est, quomodo per satan motum se aduersus eum Pater asserit? cùm constet quòd Patris Filiique concordiam nulla potestatis inæqualitas, nulla voluntatis diuersitas interrumpat? Sed tamen idem qui Patri est æqualis per diuinitatem, venit propter nos ad flagella per carnem. Quæ nimirum flagella non susciperet, nisi formam damnati hominis redimendo sumpsisset. Et nisi primus homo delinqueret, secundus ad passionum probra minimè veniret. Cùm ego primus homo per satan à Domino motus est, tunc est Dominus in homine secundo commotus. Satã itaq; ad huius afflictionem Dominum tunc commouit, quando in paradiso primum hominem à iustitiæ culmine, inobedientiæ culpa, prostrauit. Nisi enim Adam primum per voluntarium vitium in animæ mortem traxisset: Adam secundus sine vitio in carnis mortem voluntariã non veniret. Bene ergo ei etiam de redemptore nostro dicitur: *Commouisti me aduersus eum, vt affligerem illum frustra.*) Ac si apertius dicatur: Dum iste non sua, sed illius causa moritur: tunc me in huius afflictionem commouisti, cùm illum à me callida persuasione traxisti. De quo & bene additur, frustra. Frustra quippe afflictus est, qui & culpæ vltione pressus est, & culpæ contagio inquinatus non est. Frustra afflictus est, qui in carne natus, propria admissa non habuit, & tamen pœnam carnalium sine culpa suscepit. Hinc est enim quod per Prophetam loquitur, dicens: Quæ non rapui, tunc exoluebam. Alius nanque ad paradisum conditus, diuinæ potentiæ similitudinem superbè rapere voluit: sed tamen culpas huius superbiæ sine culpa mediator exoluit. Hinc est quod patri quidam sapiens dicit: Cùm sis iustus, iustè omnia disponis: eum quoque qui non debet puniri, condemnas. Sed pensandum est quomodo iustus sit, & omnia iustè disponat, si eum qui non debet puniri, condẽnat. Mediator etenim noster puniri pro semetipso non debuit: quia nullum culpæ contagiũ perpetrauit. Sed si ipse indebitam mortem nõ susciperet, nunquam nos à debita morte liberaret. Pater ergo cùm iustus sit, iustum puniens, omnia iustè disponit: quia per hoc cuncta iustificat, quod eum qui sine peccato est, pro peccatoribus dãnat: vt eò electa omnia ad culmen iustitiæ surgerent, quò is qui est super omnia, damna iniustitiæ nostræ sustineret. Quod ergo illic damnatus cùm non habeat, dicitur: hoc hic afflictus frustra, memoratur. Qui tamen iuxta semetipsum frustra afflictus est, iuxta verò nostra acta non frustra. Rubigo quippe peccati purgari non potuit, nisi igne tormenti. Venit itaque sine vitio, qui se subiceret sponte tormento: vt debita nostræ iniquitati supplicia, eò reos suos iustè amitterent, quò hunc à semetipsis liberum iniustè tenuissent. Frustra ergo & non frustra afflictus est: quia in se quidem admissa non habuit, sed proprio cruore reatus nostri maculam tersit. *Respondens satan ait: Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua: Alioquin mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem, & tunc videbis quòd in faciem benedicat tibi.*) Malignus spiritus cùm redemptorem nostrum miraculis corũscare conspicit, clamat: Scimus quòd sis sanctus Dei. Qui hæc dicens, cognoscendo Dei filium pertimescit: sed tamen vim supernæ pietatis ignorans, dum passibilem considerat, hominem purum putat. Multos autem sub sanctitatis specie in pastorali posito loco didicerat, qui alieni valde à visceribus charitatis, pro minimo aliena damna pensabant. Hunc ergo quasi ex aliis colligens: quia subtractis multis superari nõ vidit: vsque ad eius carnem per tactum passionis exarsit. Velut si diceret: *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua: Alioquin mitte manum tuam, & tange os eius & carnem, & tunc videbis quod in faciẽ benedicat tibi.*) Ac si apertè dicat: Moueri ex his quæ extra se sunt, negligit: sed tunc veraciter qui sit, agnoscitur, si in seipso quod doleat, experiat. Hæc per se satan cùm fieri appetit, nõ verbis & desideriis dixit. Hęc per mẽbra sua, & verbis, & desideriis intulit. Ipse quippe loquit, cùm iuxta prophetę vocẽ, eius sequaces dicunt: Mittamus lignum in panẽ eius, & eradamus eum de terra viuẽtiũ. Lignũ quippe in panẽ mittere, est confugiẽdo eius corpori stipitem crucis adhiberi, & vitam illius de terra viuentium eradere se posse existimãt: quem dum mortalem cõspiciunt, finiri morte suspicantur. *Dixit autem Dominus ad satan: Ecce in manu tua est, verũtamen animam illius serua.*) Conditorem omnium satanæ manui traditum quis vel desipiens credat? sed tamen edoctus veritate, quis nesciat quod eiusdem satanæ membra sunt omnes qui ei peruersè viuendo iunguntur? Membrum quippe eius Pilatus extitit, qui vsque ad mortis extrema, venientem in redemptionem nostram Dominum non cognouit. Corpus autem eius principes sacerdotum extiterunt, qui redemptorem mundi à mũdo repellere, vsque ad crucem persequẽdo, conati sunt. Cùm ergo se pro nostra redemptione Dominus membrorum satanæ manibus tradidit: quid aliud quàm eiusdem satanæ manum in se sæuire permisit, vt vnde ipse exterius occumberet, inde nos exterius interiũsque liberaret? Si igitur satanæ manus, eius, potestas accipitur, eius manũ iuxta carnem pertulit, cuius potestatẽ corporis vsque ad sputa, colaphos, flagella, crucem, lãceámque tolerauit. Vnde & Pilato, eius videlicet corporis membro, ad passionem veniens dicit: Non haberes in me potestatẽ vllam, nisi tibi data esset desuper. Sed tamẽ hanc potestatem quam contra se ei extrinsecus

Acto.9.
Collo.1.
Ephe.2.
Psal.68.
12.
Lucæ 4.
Hiere.11.
Ioan.19.

secus dederat, suis seruire lucris intrinsecus compellebat. Pilatus enim vel satan (qui eiusdem Pilati caput extiterat) sub potestate illius super quem potestatem acceperat, tenebatur: quia & superior ipse disposuerat hoc quod inferius accedens à persecutore tolerabat: vt cùm ex mala mente infidelium surgeret, vtilitati tamen electorum omnium, ipsa quoque crudelitas deseruiret. Piè igitur disponebat intus, quod semetipsum pati nequiter permittebat foris. Hinc est enim quod de illo in cœna dicitur: Sciens Iesus quia omnia dedit ei pater in manus: & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit: surgit à cœna, & ponit vestimenta sua. Ecce in manus persequentium iturus, sciebat quod in manu sua ipsos etiam persecutores acceperat. Qui enim omnia accepisse se nouerat, constat quia & ipsos à quibus tenebatur, tenebat: vt ipse in se ad vsum pietatis intorqueret, quicquid eorum contra se malitia permissa sæuiret. Dicatur ergo ei: *Ecce in manu tua est, quia* ad feriendam carnem sæuiens licentiam accepit, sed potestati illius nesciens deseruiuit. Animam verò illius seruare præcipitur, non quòd hanc tentare prohibeatur, sed quòd hanc superare non posse, conuincitur. Neque enim sicut nos, qui puri homines sumus, irruente sæpe tentatione concutimur: ita redemptoris nostri anima tentationis est necessitate turbata. Hostis nanque noster, etsi in excelsum montem, cum quem permissus assumpsit, duxit: si daturum se regna mundi perhibuit, si quasi in panes vertendos lapides ostendit: mentem tamen mediatoris Dei & hominum tentatione quassare non valuit. Sic enim dignatus est hæc exterius cuncta suscipere: vt tamen mens eius interius diuinitati suæ inhærens inconcussa permaneret. Qui etsi quando turbatus spiritu insremuisse dicitur: ipse tamen diuinitus disponebat, quantum ipse humanitus turbaretur, qui immutabiliter omnibus præsidens, & semetipsum mutabilem in satisfactione infirmitatis ostendens. Quietus ergo in semetipso manens, disposuit quicquid, pro ostendenda humanitate quam susceperat, etiam turbulentus fecit. Quia verò cum rectè diligimus, nihil in rebus conditis anima nostra charius amamus, & sicut animam nostram eos diligere dicimus, quibus amoris nostri exprimere pondus conamur: potest per eius animam electorum vita signari. Et cùm satan ad feriendam redemptoris carnem permittitur, ab anima separatur: quia cùm corpus eius ad passionem accipit, electos eius à iure suæ potestatis amittit. Cúmque illius caro per crucem moritur, horum mens contra tentamenta solidatur. Dicatur ergo: *Ecce in manu tua est, verũtamen animam illius serua.*) Ac si apertè audiat: Licentiam contra corpus eius accipe, & ab electis illius quos apud se ante secula præsciens posidet, ius prauæ dominationis perde. *Egressus igitur satan à facie Domini, percussit Iob vlcere pessimo, à planta pedis vsque ad verticem.*) Nullus in hac vita electorum venit, qui non huius hostis aduersa sustinuit. Membra autem nostri redemptoris extiterunt, etiam quia ab ipso mundi exordio dum piè viuunt, crudelia passi sunt. An non huius membrum Abel se esse perhibuit, qui eius mortem, de quo scriptum est: Sicut agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum, non solum placens in sacrificio, sed etiam moriens tacendo signauit? Ab ipso itaque mundi exordio redemptoris nostri corpus expugnare satan conatus est. A planta ergo pedis vsque ad verticem vulnus intulit, quia prius ab hominibus inchoans, vsque ad ipsum caput Ecclesiæ sæuiendo peruenit. Bene autem dicitur: *Testa saniem radebat.*) Quid enim aliud in manu Domini testa est, nisi caro ex nostræ substantiæ luto sumpta? Etenim testa igne solidatur. Caro autem Domini eò ex passione sua robustior extitit, quò per infirmitatem moriens, à morte sine infirmitate surrexit. Vnde rectè etiam per Prophetam dicitur: Exaruit velut testa virtus mea. Sicut testa enim eius virtus exaruit, † quia susceptæ carnis infirmitatem passionis suæ igne roborauit, Quid verò per saniem nisi peccatum debet intelligi? Per carnem quippe & sanguinem solent carnis peccata designari. Vnde per Psalmistam dicitur: Libera me de sanguinibus. Sanies itaque putredo sanguinis est. Quid ergo accipimus saniem, nisi carnis peccata ex longa vetustate peiora? Vulnus itaque in saniem vertitur, cùm neglecta culpa vsu deterius grauatur. Mediator itaque Dei & hominum, homo Christus Iesus, corpus suum manibus persequentium tradens, saniem testa rasit: quia peccatum carne deleuit. Venit enim, sicut scriptum est, in similitudinem carnis peccati: vt de peccato damnaret peccatum. Dúmque hosti obiicit innocentiam carnis suæ, extersit contagia canis nostræ, & ex qua nos captiuos inimicus tenuit, per illam nos liberos expiauit, quia quam nos instrumentum fecimus culpæ, hæc nobis per mediatorem versa est in arma iustitiæ. Testa ergo sanies raditur, cùm carne culpa superatur. Bene autem subditur: *Sedens in sterquilinio.*) Non in fóro, in quo lex perstrepit: non in ædificio, quod se culmine in alta sustollit: sed in sterquilinio residet: quia videlicet redemptor humani generis ad carnem veniens, attestante Paulo, infirma mundi elegit, vt confunderet fortia. An non quasi ruentibus ædificiis in sterquilinio residet, qui relictis Iudæis superbientibus, in ea quam dudum abiecerat, gentilitate requiescit? Extra habitaculum reperitur in vulnere, qui in eo quòd Iudæam aduersantem pertulit, passionis dolorem agente propria despectus sensit: Ioanne attestante, qui ait: In propria venit, & sui eum non receperunt. Sed quomodo sedens in sterquilinio conquiescat: hæc eadem de semetipsa veritas dicat: Ait enim: Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia. Ecce dolens in sterquilinio sedet, qui post perpetratas culpas libenter corda pœnitentium posidet. An non quasi quoddam sterquilinium sunt corda pœnitentium, qui dum mala sua flendo considerant, quasi ante se stercora, sese abiiciendo coaceruant? Percussus ergo Iob mõtem non petiit, sed in sterquilinio sedit: quia ad passionem redemptor vaniens, alta superborum corda deseruit, & in afflictorum cordium humilitate requieuit. Quod tamen de se & prius quàm incarnaretur, indicauit: cùm per Prophetam dixit: Ad quem respiciam, nisi ad humilem & quietum, & trementem sermones meos? Quis verò consideret, is qui tot pia hominibus intulit, quot ab hominibus peruersa tolerauit? Quis consideret quanta nunc vsque tolerat, etiam cùm de cœlo super corda fidelium regnat? Ipse quippe quotidie patitur omne quod à reprobis eius electi lacerantur. Et quanuis caput huius corporis, quod videlicet nos sumus, iam sese super omnia liberum erexerit, reproborum tamen vulnera adhuc per suum, quod deorsum retinet, corpus sentit. Sed quid ista de infidelibus dicimus, cum in ipsa quoque Ecclesia multos carnalium, prauis moribus contra redemptoris vitam pugnare videamus? Sunt nanque nonnulli qui hunc, quia gladiis non possunt, peruersis actibus insequuntur: quia dum sibi in Ecclesia vident deesse quod ambiunt, hostes bonorum fiunt: & non solum prauæ semetipsos actioni inserunt, sed etiam iustorum rectitudinem inflectere ad peruersa moliuntur. Aeterna quippe intueri negligunt, & appetitui temporalium mentis pusillanimitate succumbunt, tantóque ab æternis altius corruunt, quantò bona temporalia esse quasi sola suspicantur. His iustorum simplicitas displicet, & cùm occasionem perturbationis inueniunt, suam eos arripere duplicitatem suadent. Vnde hoc quoque congruit aptè quòd subditur: Dixit autem illi vxor sua: *Adhuc permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere.*) Cuius enim speciem male suadens mulier tenuit, nisi quorumlibet carnalium in Ecclesiæ sinu positorum, qui quò verbis professæ fidei intus sunt, eò bonos incorrectis suis moribus peius premunt: Nam minus fortasse nocuissent, si non eos sancta Ecclesia introrsus amittens, vsque ad fidei cubile reciperet, quos dum per professam fidem recipit, sibi proculdubio penè ineuitabiles facit. Hinc est quòd premente turba, vna redemptorem nostrum mulier tetigit: vnde & idem redemptor noster protinus dicit: Quis me tetigit? Cui cùm discipuli responderent: Turbæ te premunt & affligunt, & tu dicis: Quis me tetigit? ilicò adiunxit: Tetigit me aliquis. Nam & ego noui virtutem de me exisse.

Multi ergo Dominum comprimunt, & vna tangit, quia carnales quique in Ecclesia cum premunt à quo longè sunt, & soli tangunt qui huic veraciter humiles adiunguntur. Turba igitur premit: quia multitudo carnalium

Ioan.13.
13.
Matth.4.
Ioan.11.
Psalm 21.
† *al.qui.*
Esaiæ 53.
14.
Psalm. 50.
Rom.8.
1.Cor.1.
Ioan.1.
Luc.15.
Esaiæ.66.
Marci 5.
15.

quò intus admittitur, eò grauius toleratur. Premit, & nõ tangit: quia & importuna est per præsentiam, & absens per vitã.
25. Nonnunquam enim prauis nos sermonibus, nonnunquam verò solis peruersis moribus insequuntur. Suadent nanque aliquando quæ tenent, aliquando verò etsi non suadeant, prębere tamen iniquitatis exempla non cessant. Qui igitur ad mala nos vel verbis, vel exemplis illiciunt, profectò persecutores nostri sunt, à quibus tentationum certamina sumimus, quæ saltem in corde vincamus. Sciendum verò est: quia carnales in Ecclesia aliquando metu, aliquando verò audacia suadere peruersa contendunt: cumque ipsi vel pusillanimitate, vel elatione deficiunt: hæc iustorum cordibus insundere, quasi ex dilectione moliuntur. Carnalem videlicet mentem Petrus ante redemptoris mortem, resurrectionémque retinebat. Carnali mente Saruiæ filius duci suo Dauid adiunctus inhæserat: sed tamen vnus formidine, alter elatione peccabat. Ille quippe mortem magistri audiẽs dixit: Absit à te Domine, non erit tibi hoc. Hic verò iniurias ducis non ferens
Math. 16. ait: Nunquid pro his verbis non occidetur Semei, qui male-
2. Regũ. 16. dixit Christo Domini? Sed illi mox dicitur: Redi post me satana: & hic cum germano audiuit protinus: Quid mihi & vobis filij Saruiæ, cur efficiamini mihi hodie in satan? Malè itaque suadentes angeli, apostatæ appellatione censentur: qui verbis blandis ad illicita quasi diligentes trahunt. Valde verò deteriores sunt, qui huic culpæ non formidine, sed elatione succumbunt: quorum specialiter beati Iob vxor figuram tenuit, quæ marito suadere superba tentauit, dicens: *Adhuc permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere.*) Simplicitatem in marito redarguit, quòd transitoria cuncta despiciens, puro corde sola æterna concupiscit. Ac si apertè dicat: Quid simpliciter æterna appetis, & sub malis præsentibus æquanimiter, ingemiscis? Excedens æterna despice, & mala præsen-
16. tia, vel moriens euade. Sed electi quique cùm praua intus à carnalibus tolerant, quantam in se formam rectitudinis ostẽdant, discamus ex verbis vulnerati & incolumis, sedentis & erecti qui ait: Locuta es quasi vna ex stultis mulieribus: Si bona accepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?) Sancti viri tribulationum bello deprehensi, cùm vno codemque tempore alios ferientes, alios suadentes ferunt, illis opponunt scutum patientiæ, istis iacula intorquent doctrinæ: atque ad vtrunque pugnandi modum mira virtutis arte se erigunt, quatenus & peruersa intus sapienter doceant, & foris fortiter aduersa contemnant: hos docentes corrigãt, illos tolerantes premant. Insurgentes nanque hostes patiendo despiciunt, infirmantes verò ciues compatiendo ad salutem reducunt: illis resistunt, ne & alios subtrahant, istis medentur, ne vitam rectitudinis funditus perdant.

Quòd ad exemplum apostoli Pauli, iusti positi in dolore tribulationis propriæ, non deserunt curam vtilitatis alienæ.
Caput XII.

2. Cor. 7. VIdeamus castrorum Dei militem, contra vtraque prælianten. Ait enim: Foris pugnæ, intus timores. Enumerat bella quæ extrinsecus tolerat, dicens: In periculis
2. Corin. 11. fluminum, periculis latronum, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in mari, periculis in falsis fratribus. In hoc autem bello quæ contra aduersarium spicula intorqueat, adiungit: In labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate. Sed inter tot certamina deprehensus dicat, quanto
Ibidem. vigiliarum munimine etiam castra custodiat. Nam protinus adiungit: Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Ecce in se bella fortiter suscepit, & tuendis se proximis misericorditer impendit. Narrat mala quæ patitur, subiungit bona quæ impartitur. Pensemus ergo cuius laboris sit, vno eodémque tempore foris aduersa tolerare, intus infirma protegere. Foris pugnas patitur: quia verberibus scinditur, catenis ligatur: intus metum tolerat, quia pasionem suam non sibi, sed disci-
1. Thess. 3. pulis obesse formidat. Vnde & eisdem scribit: dicens: Nemo moueatur in tribulationibus istis. Ipse enim scitis quòd in hoc positi sumus. Aliorum quippe casus in propria pasione metuebat, ne dum dissipuli ipsum afflictum

E pro fide verberibus agnoscerent, fideles se esse profiteri recusarent. O immensa charitatis viscera, despicit quod ipse patitur, & curat ne quid prauæ persuasionis discipuli in corde patiantur. Ipse enim in se contemnit vulnera corporis, & in aliis vulnera medetur cordis. Habent quippe hoc iusti proprium, vt in dolore positi tribulationis suæ, curam non deserant vtilitatis alienæ: & cùm de se aduersa patientes dolent, aliis necessaria docentes præuident: & quasi percussi quidam magni medici ægrotant. Ipsi tolerant scissuras vulneris, & aliis proferunt medicamenta sanitatis. Valde autem minoris laboris est, aut docere cùm nihil toleras: aut tolerare, cùm nihil doces. Vnde sancti viri ad vtraque se solerter extendunt, & cum tribulationibus fortasse feriuntur, sic exteriora bella suscipiunt, vt sollicitè cogitent, ne proximorum interiora lacerentur. Sic sancti viri fortes in acie adsistunt, & illinc iaculis aduersantia pectora feriunt: hinc scuto postpositos debiles tuentur: atque ita vtrobique velocitate circunspectionis inuigilant: quate-
F nus & ante se audaces consodiant, & post se trepidos à vulnere defendant. Quia igitur sancti viri sic sciunt foris aduersa tolerare, vt intus etiam nouerint peruersa corrigere, dicat rectè: *Locuta es quasi vna ex stultis mulieribus.*) Quia *Psalm 30.* enim electis dicitur: Virilter agite, & confortetur cor vestrum: mentes carnalium quæ fluxa Deo intentione deseruiunt, non immeritò mulieres vocantur. *Si bona accepimus de manu Domini, mala quare nõ sustineamus?*) Ac si dicat: Si ad bona æterna tendimus, quid mirum si temporalia mala sufferamus? Hæc autem bona sollicitè Paulus inspexerat, quando illata æquanimiter mala tolerabat, dicens: Non sunt con- *Roma. 8.*
dignæ pasiones huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. *In omnibus his non peccauit Iob labiis suis.*) Sancti viri cùm persecutionem intus forísque patiuntur, non solum in Dei iniuriis minimè excedunt: sed neque contra ipsos aduersarios contumeliosa verba iaculantur. Quòd dux bonorum rectè Petrus admonet, dicens:
G Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut male- *1. Petri 4.*
dicus. Maledicus enim patitur, qui pasionis suæ tempore in sui saltem iniuriam persecutoris effrenatur. Sed quia redemptoris corpus, sancta nimirum Ecclesia, ita pondus dolorum portat, vt humiliatis modum per verba non transeat: rectè de hoc dolente dicitur: In omnibus his non peccauit Iob labiis suis: neque stultum aliquid contra Deum locutus est. *Igitur audientes tres amici Iob omne malum quod ac-* 17.
cidisset ei, venerunt singuli de loco suo: Eliphas Themanites, & Balda Suites, & Sophar Naamathites.) In præfatione huius operis diximus, quia amici beati Iob, etsi bona intentione ad eum conuenerint, hęreticorum tamen idcirco speciem tenent: quia ad culpam indiscretè loquendo dilabuntur. Vnde & illis ab eodem beato Iob dicitur: Disputare cum Deo cupio, prius vos ostendens fabricatores mendacij, & peruersiorum cultores dogmatum.

Quòd locus sanctorum sit humilitas, econtra sicut reproborum locus superbia.
Caput XIII.

H SAncta itaque Ecclesia omni hoc tempore peregrinationis suæ in afflictione constituta, dum vulnera sustinet, dum membrorũ suorum lapsus dolet: insuper alios sub Christi nomine tolerat hostes Christi. Ad augmentum nanque doloris eius, etiam hæretici in contentionem conueniunt, eámque quasi quibusdam iaculis, irrationabilibus verbis transfigunt. Bene autem dicitur: Venerunt de loco suo.) Hæreticorum quippe locus ipsa superbia est: quia nisi prius in corde intumescerent, ad prauæ assertionis certamina non conuenirent. Ita nanque malorum locus est superbia, sicut est econtra, humilitas locus bonorum. De quo loco *Ecclesiastes*
per Salomonem dicitur: Si spiritus potestatem habentis as- 10.
cenderit super te, locum tuum ne dimiseris. Ac si apertè dicat: Si tentatoris spiritum contra te in aliquo præualere consideras: humilitatem pœnitentiæ non derelinquas. Qui quia locum nostrum humilitatem pœnitentiæ dixerit: verbis sequentibus ostendit, dicens: Quia curatio cessare fa- *Ibidem.*
ciet peccata maxima. Quid enim est aliud humilitas lamenti, nisi medicina peccati? Hæretici igitur de loco suo veniunt:

niunt: quia contra sanctam Ecclesiam ex superbia mouẽtur: A
quorum peruersa quoque actio ex ipsa suorũ nominum interpretatione colligitur. Dicũtur enim, Eliphas, Baldad, Sophar: & sicut superius diximus, Eliphas interpretatus est, Dei contemptus. Nisi enim Deum contemnerent, nequaquam de eo peruersa sentirent. Baldad autem interpretatur, vetustas sola. Dum enim verè vinci refugiunt, & peruerso studio esse victores quærunt, nouæ vitæ conuersationem negligũt: & ex sola vetustate est quod intendunt. Sophar verò speculam dissipans interpretatur. Hi etenim qui in sancta Ecclesia siti sunt, redemptoris sui mysteria fide vera humiliter cõtemplantur. Sed dum hæretici cum falsis allegationibus veniunt, speculam dissipant: quia eorum mentes quos ad se trahunt, ab intentione rectæ contemplationis inclinant.

Quòd tres amici Iob hæreticorum typum habeant, & ex ipsorum nominibus eorum actio, & intentio exprimatur.
Caput XIIII.

18. BEne autem loca de quibus veniunt, congrua hæreticorũ B
actibus describuntur. Dicitur enim Themanites, Suites, Naamathites. Thema nanque interpretatur Auster: Sui, loquens: Naama, decor. Austrũ autẽ ventum calidum esse quis nesciat? Hæretici igitur quia ardentius appetunt sapere: quasi plusquam necesse est, student calere. Desidia quippe torpori frigoris: & rursum inquietudo immoderatæ curiositatis, immoderato concordat calori. Quia ergo amplius quàm debẽt, calorem sapientiæ percipere appetunt, ab Austro venire referuntur. Ab hoc calore immoderatæ sapientiæ, mentes fidelium Paulus temperare curauerat, cùm dicebat: Non plus
Roma. 12. sapere quàm oportet sapere: sed sapere ad sobrietatem. Hinc
2. Regũ. 8. est quòd Dauid valles salinarum percutit: quia videlicet redemptor noster suæ districtionis examine in his qui de illo praua sentiunt, stultitiam immoderati saporis extinguit. Sui autem dicitur loquens. Calorem quippe non vt benè viuãt, sed vt elatè loquantur, habere desiderant. A Thema igitur & Sui id est, à calore, & loquacitate venire referuntur: quia per hoc quòd scripturarum lectioni se studiosos exhibent, so- C
lius verbis loquacitatis, non autem visceribus charitatis calent. Nama verò interpretatur, decor: quia enim docti non esse sed, videri appetunt ex eruditionis verbis speciem bene viuentium sumunt. Et per calorem loquacitatis in se imaginem ostendunt decoris, vt eò per decorem linguæ peruersa facilè persuadeant, quò fœditatem vitæ sensus calliditate occultant: Sed neque ipsa locorum nomina, inordinata sunt narratione distincta. Prius enim Thema, postmodum Sui, ac deinde Naama ponitur: quia prius illos inordinatus calor accendit in corde: deinde nitor loquacitatis erigit, & tunc demum decoros hominibus hypocrisis ostendit. *Condixerant enim vt pariter venientes visitarent eum, & consolarentur.*) Condicunt enim sibi hæretici quando praua quædam contra Ecclesiam concorditer sentiunt, & in quibus à veritate discrepant, sibi in falsitate concordant. Omnes autem qui nos de æternitate erudiunt, quid aliud faciunt, nisi in peregrinationis nostræ nos afflictione consolantur? Hæretici autem quia sanctam Ecclesiam sua docere desiderant, ad eam quasi consolantes appropinquant. Nec mirum quòd qui aduersantium formam exprimunt, nominentur amici, cùm ipsi quoque traditori dicitur: Amice ad quid venisti?
Math. 26. Et diues qui in inferni igne exuritur, Abraham filius vocatur: quia etsi per nos mali corrigi negligunt: dignum tamen est, vt à nobis non ex sua nequitia, sed ex nostra benignitate amici nominentur. *Cùmque eleuassent procul oculos suos, non cognouerunt eum.*) Hæretici quique cùm sanctæ Ecclesiæ facta considerant, oculos leuant: quia ipsi videlicet in imo positi sunt, & cùm eius opera respiciunt, in alto sunt sita quæ cernunt, sed tamen hanc in dolore positam, non cognoscunt. Ipsa quippe appetit hîc mala recipere, vt possit ad æternæ remunerationis præmium purgata peruenire. Plærunque prospera metuit, & disciplina eruditionis hilarescit. Hæretici igitur quia pro magno præsentia appetunt, eam in vulneribus positam non cognoscunt. Hoc nanque quod in illa cernunt, in suorum cordium cognitione non relegunt. Cùm ergo hęc & aduersitatibus proficit, ipsi suo stupori inhærent: quia per experimentum ignorant quæ vidẽt.

Scissisque vestibus sparserunt puluerem super super caput suum in cœlum.) Sicut vestimenta Ecclesiæ cunctos fideles accipimus: vnde & per Prophetam dicitur: Omnibus his velut ornamen- *Esaiæ 49.*
to vestieris: ita hæreticorum vestes, sunt omnes qui eis concorditer inhærentes, illorum erroribus inuoluuntur. Habent verò hæretici hoc proprium, quòd in eo gradu in quo de Ecclesia exeunt, diu stare non possunt: sed ad deteriora quotidie ruunt, & sentiendo peiora, in multis se partibus scindunt: atque à semetipsis plærunque longius confusionis suæ altercatione diuiduntur. Quia ergo hos quos suæ perfidiæ adiungunt, adhuc in multa diuisione dilaniant: dicatur rectè, quòd amici qui veniunt, vestes rumpant. Ruptis autem vestibus corpus ostenditur: quia sæpe, scissis sequacibus, malitia eorum cogitationis aperitur, vt discordia dolos patefaciat, quos grauis prius concordiæ culpa claudebat, Puluerem verò in cœlum super capita spargunt. Quid verò per puluerem, nisi terrena intelligentia: quid per caput, nisi hoc quod principale nostrum est, mens videlicet, designatur? Quid per cœlum, B
nisi præceptum supernæ locutionis exprimitur? Puluerem ergo super caput in cœlum spargere, est seculari intellectu mentem corrumpere, & de verbis cœlestibus terrena sentire. Diuina autem verba plus discutiunt plerunque quàm capiunt. Super capita igitur puluerem spargunt: quia in præceptis Dei per terrenam intelligentiam vltra suarum mentium vires enituntur.

Quid sit quòd amici Iob septem diebus cum eo sedere in terra perhibentur.
Caput XV.

S*Edeúntque cum eo in terra septem diebus & septem noctibus.*) In die quæ videmus, agnoscimus: in nocte autem aut cæcitate nil cernimus, aut dubietate caligamus. Per diem itaque intelligentia, per noctem ignorantia designatur. Septenario verò numero summa vniuersitatis exprimitur. Vnde & non amplius, quàm septem diebus omne hoc tempus transitorium consummatur. Quid est ergo quòd amici Iob consedere ei septem diebus, & septem noctibus referuntur, nisi quòd hæretici, vel in his in quibus verum lumen intelligunt: C
vel in his in quibus ignorantiæ tenebras patiuntur, quasi infirmanti sanctæ Ecclesiæ se condescendere simulant, eíque sub blandimentorum specie dolos deceptionis parant? Et quanuis vel in his quæ intelligunt, vel in his quæ intelligere non possunt, elationis typo turgidi, magnos se apud semetipsos æstimant: nonnunquam tamen se Ecclesiæ sanctæ specietenus inclinant, & dum verba molliunt, virus infundunt. In terra ergo consedere, est aliquid de imagine humilitatis ostendere: vt dum humilia exhibent, persuadeant superba
quæ docent. Potest verò per terram ipsa etiam mediatoris 20.
incarnatio designari. Vnde & ad Israël dicitur: Altare de terra facietis mihi. Altare enim de terra Domino facere, est in *Exod. 20.*
incarnationem mediatoris sperare. Tunc quippe à Deo munus nostrum accipitur, quando in hoc altari nostra humilitas, id est, super dominicæ incarnationis fidem, posuerit quicquid operatur. In altari ergo de terra oblatum munus ponimus, si actus nostros dominicæ incarnationis fide solidamus.
D Sed sunt nonnulli hæretici qui factam mediatoris incarnationem non denegant: sed aut de diuinitate aliter quàm est, æstimant, aut in ipsa à nobis incarnationis qualitate discordant. Qui ergo veram nobiscum incarnationem redemptoris perhibent, quasi cum Iob in terra pariter sedent. Septem verò diebus & septem noctibus in terra considere describitur: quia vel in hoc quod aliquid de plenitudine veritatis intelligunt, vel in hoc quòd suæ stultitiæ tenebris excæcantur, incarnationis mysterium negare non possunt. Cum beato ergo Iob in terra sedere, est veram redemptoris carnem cum sancta Ecclesia credere. Aliquando verò hæretici contra nos etiam suppliciis sæuiunt, aliquando nos solis verbis insequuntur: aliquando quietos lacessunt, aliquando si nos tacentes videant, quiescunt: & mutis amici sunt, loquentibus aduersantur. Vnde quia beatus Iob necdum ad illos aliquid disserens dixerat, rectè subiungitur: *Et nemo loquebatur ei verbum.*) Tacentes enim aduersarios habemus, si veræ fidei filios prædicando generare negligimus. Si autem recta loqui incipimus, graues mox contumelias ex eorum responsione sentimus, protinus in

aduersitatem prosiliunt, & contra nos in vocem doloris erumpat: quia videlicet metuunt: ne corda quæ in infimis pondus stultitiæ aggrauat, ad altum vox recta loquentis trahat. Quia ergo (vt diximus) mutos nos aduersarij diligunt, loquentes odiunt: rectè apud tacentem Iob dicitur: Nemo loquebatur ei verbum. Nonnunquam tamen cùm per torporem inertiæ, fidelium corda considerant, erroris semina spargere loquendo non cessant. Cùm verò mentes bonorum vident alta sapere, & ad patriam reditum quærere, de ærumna huius exilij strenuè dolere, circunspectione sollicita linguam frenant: quia vident quòd contra corda dolentium incassum loquentes citius obmutescunt. Vnde & rectè cùm diceretur: *Nemo loquebatur ei verbum*, mox causa silentij subinsertur, cùm dicitur: *Videbant enim dolorem eius esse vehementem.*) Cùm enim amoris Dei dolor vehemens corda nostra transfigit, passim praua loqui aduersarius metuit: quia videt quòd intentam mentem lacessens, non solum ad perueruersitatem trahere non valet, sed per excitatam forsitan sapientiam, & quos tenuerat, perdit.

Quòd nonnunquam res gestæ in actione malæ sint, in significatione verò virtutem prophetiæ contineant: sicut in Dauid & vxore Vriæ accipitur. Caput XVI.

21. FOrtasse aliquos mouet nos hæc ita dixisse, quod quæ bene ab amicis gesta sunt malè ab hæreticis gerenda significent. Sed sic plærunque res quælibet per historiam virtus est, per significationem culpa, sicut aliquando res gesta, in facto causa damnationis est, in scripto autem prophetia virtutis. Quod verum citius ostendimus, si vnum sacræ scripturæ testimonium ad vtraque probanda proferamus. Quis nanque audiens, non solum fidelium, sed ipsorum quoque infidelium non omnimodo detestetur, quod Dauid in solarium deambulans, Bersabee Vriæ concupiscit vxorem? Quē
2. *Regū.* 11. tamen à prælio reuertentem, ire ad domum admonet, pedes lauare. Qui protinus respondit dicens: Arca Domini sub pellibus est, & ego in domo mea requiescam? Quem Dauid ad mensam propriam suscepit, eiúque epistolas per quas mori debeat, tradit. Cuius autem Dauid in solarium deambulans typum tenet, nisi eius de quo scriptum est: In sole posuit ta-
Psalm. 18. bernaculum suum? Et quid est Bersabee ad se perducere, nisi legem literæ, carnali populo coniunctam, spiritali sibi intellectu sociare? Bersabee enim puteus septimus dicitur: quia nimirum per cognitionem legis, infusione spiritalis gratiæ, perfecta nobis sapientia ministratur. Quem verò Vrias, nisi Iudaicum populum signat? Cuius nomen interpretatum dicitur, lex mea Dei. Iudaicus enim populus: quia de accepta legis scientia extollitur, quasi de Dei luce gloriatur. Sed huic Vriæ Dauid vxorem abstulit, sibiúque coniunxit: quia videlicet manu fortis, quod Dauid dicitur, in carne redemptor apparens, dum de se spiritualiter loqui legem innotuit: per hoc quod iuxta literam tenebatur, hanc à Iudaico populo extraneam demonstrauit, sibiúque coniunxit: quia se per illam prædicari declarauit. Vriam tamen ad domum ire Dauid admonet, pedes lauare: quia incarnatus Dominus veniēs Iudaico populo præcepit, vt ad conscientiam redeat, sordes operum fletibus tergat, spiritualiter legis mandata intelligat, & post tantam duritiam præceptorum, fontem baptismatis inueniens, ad aquam post laborem recurrat. Sed Vrias qui arcam Domini esse sub pellibus meminit: respōdit quòd domum suam intrare non possit. Ac si Iudaicus populus dicat: Ego mandata Dei in sacrificiis carnalibus video, & redire ad conscientiam per spiritalem intelligentiam non requiro. Quasi enim arcam esse sub pellibus dicit, qui præcepta Dei non nisi ad exhibendū ministerium sacrificij carnalis intelligit. Hunc tamen etiam redire ad domum nolentem, Dauid ad mensam vocat: quia quanuis Iudaicus populus ad conscientiam reuerti contemnat, ei tamen redemptor ve-
Ioan. 5. niens mandata spiritalia prædicat dicens: Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit. Legem itaque Iudaicus populus tenet, quæ eius diuinitatem loquitur: cui idem populus credere dedignatur. Vnde & Vrias ad Ioab cum epistolis ex quibus occidi debeat, mittitur: quia idem ipse Iudaicus populus legem portat, qua conuincente moriatur. Dum enim mandata legis retinens implere renititur: ipse nimirum defert iudiciū vnde damnetur. Quid ergo per factum istud Dauid scelestius? quid Vria mundius dici potest? Sed rursus per mysterium quid Dauid sanctius, quid Vria infidelius inuenitur: quando & ille per vitæ culpam, prophetiæ signat innocentiam, & iste per vitæ innocentiam, in prophetia exprimit culpam? Non ergo incongruè per ea quæ bene ab amicis Iob gesta sunt, malè ab hæreticis gerenda signantur: dum virtus sacri eloquij sic transacta narrat, vt ventura exprimat: sic in facto rem approbat, vt ei in mysterio contra dicat: sic gesta damnat, vt hæc mystice gerenda persuadeat. Igitur quia allegoriæ mysteria membratim enodantes expleuimus: nunc moralitatis Intelligētiam raptim tangentes exequamur. Ad obscuriora quippe disserenda mens properat: & si apertis diu inuoluitur, clausa, vt dignum est, pulsare prepeditur. Sæpe antiquus hostis postquam menti nostræ tentationum certamen inflixerit: ab ipso suo certamine ad tempus recedit, non vt illatæ malitię finem præbeat, sed vt corda quę per quietem secura reddiderit, repentè rediens facilius inopinatus irrumpat. Hinc est quòd ad tentandum beatum virum iterum redit: eiúsque cruciatus expetit, quem tamen ei superna pietas retinendo concedit, dicens: *Ecce in manu tua est, tantum animam illius serua.*) Sic quippe ille nos deserit, vt custodiat: sic custodit, vt tamē permisso tentationis articulo, statum nobis nostræ infirmitatis ostendat. Qui mox à facie Domini exiit, atque à planta pedis vsque ad verticem acceptum feriendo vulnerauit: quia nimium cùm licentiam percipit, à mininis incipiens, atque vsque ad maiora perueniens, quasi omne corpus mentis illatis tentationibus lacerando transfigit. Sed tamen ad animam feriendo non peruenit: quia cunctis cogitationibus interior, inter ipsa vulnera delectationum quæ suscipit, arcani propositi intentio resistit: vt quanuis delectatio mentem mordeat: deliberationem tamen sanctæ rectitudinis, vsque ad consensus mollitiem non inflectat. Debemus tamē per asperitatem pœnitentiæ, ipsa delectionum vulnera tergere, & censura districtionis rigidę, si quid fluxum emanat in cogitatione mūdare. Vnde bene mox subditur.

Diabolus cur quādoque à tentatione cesset.

Quòd moraliter testa saniem radimus, cùm culpam à voluntate, & actione mundamus. Et quid mysterij sacrificium Hieroboal contineat. Caput XVII.

QVi testa saniem radebat.) Quid enim per testam nisi vigor districtionis: quid per saniem, nisi fluxus illicitæ cogitationis accipitur? Percussi ergo testa saniem radimus, cùm post pollutionem cogitationis illicitæ, nosmetipsos asperè diiudicando mundamus. Potest etiam testa fragilitas mortalitatis intelligi. Testa ergo saniem mundare, est mortalitatis intelligi. Testa ergo saniē mundare, est mortalitatis cursum, fragilitatémque pensare, & putredinem miseræ delectationis abstergere. Nam dum quisquis considerat, quàm citius caro ad puluerem redeat: festinè superat hoc quod se de carne intus turpiter impugnat. Cùm ergo ex tentatione praua menti cogitatio influit: quasi ex vulnere sanies decurrit. Sed, citius sanies tergitur, si in consideratione nostra fragilitas quasi in manu testa teneatur. Neque enim paruipendenda sunt, quæ quanuis vsque ad effectum non pertrahunt, tamen illicitè in mente versantur. Hinc est quòd quasi à vulneribus redemptor saniem radere venerat, cùm dicebat: Audistis *Matth* 5. quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quòd si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Sanies itaque tergitur, cùm culpa non solum ab opere, sed etiam à cogitatio- *Iudic.* 6. ne resecatur. Hinc est quòd Hieroboal cùm à paleis frumenta excuteret, angelum vidit, ad cuius imperium protinus hædum coxit, quē super petram posuit, & ius carnium desuper effudit: quæ angelus virga tetigit, eáque ignis exiens de petra consumpsit. Quid est enim frumentum virga cædere, nisi rectitudine iudicij à vitiorum paleis virtutum grana separare? Sed hæc agentibus angelus apparet: quia tantò magis Dominus interiora denuntiat, quantò se studiosius homines ab exterioribus purgant. Qui occidi hædum præcipit, id est, omnem appetitum carnis nostræ immolari, carnéque super petram poni, & ius carnium desuper fundi. Quem alium

1. Cor. 10. alium signat petra, nisi eum de quo per Paulum dicitur: Petra autem erat Christus? carnes ergo super petram ponimus, cùm corpus nostrum in Christi imitatione cruciamus. Ius etiam carnium desuper fundit, qui in conuersatione Christi ipsa etiam à se carnales delectationes exinanit. Quasi enim ius ex carne liquidum in petram funditur, quando mens à cogitationum carnalium fluxu vacuatur. Quæ tamen mox angelus virga tangit: quia intentionem nostram nequaquam potestas diuini adiutorij deserit. De petra autem ignis exit, & ius carnéque consumit: quia afflatus à redemptore spiritus, tanta cor nostrum flamma compunctionis concremat, vt omne quod in eo illicitum est & operis & cogitationis exurat. Quod ergo illic est in petram ius fundere, hoc est hic saniem testa mundare. Perfecta enim mens solerter inuigilet: vt non solum peruersa agere renuat, sed omne etiam quod
23. in se per cogitationes turpiter liquatur, tergat. Sed sæpe de ipsa victoria bellum oritur, vt cùm immunda cogitatio vincitur, victoris animus elatione pulsetur. Sic ergo mentem necesse est per munditiam erigi, vt tamen sollicitè debeat in humilitate substerni.

Quòd in eo quòd Iob in sterquilinio sedere dicitur, describitur veræ humilitatis consideratio. Caput XVIII.

VNde & cùm de sancto viro diceretur, *Testa saniem radebat*, protinus apertè subiungitur: *Sedens in sterquilinio.*) In sterquilinio quippe sedere, est de se vilia quæpiam & abiecta sentire. In sterquilinio nobis quippe sedere, est ab ea quæ illicitè gessimus, mentis oculos pœnitendo reducere, vt cùm ante nos peccatorum stercora cernimus, omne quod in animo de elatione surgit, inclinemus. In sterquilinio sedet, qui infirmitatem suam sollicitus respicit, & sese de bonis quę per gratiam perceperit, non extollit. An non in sterquilino a-
Gen. 18. pud se Abraham sederat, qui dicebat: Loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis: Apertè enim cernimus in quo se apud se loco posuerat, qui puluerem se ac cinerem, etiam quum Deo loqueretur, æstimabat. Si igitur ita se despicit, qui vsque ad honorem diuinæ collocutionis ascendit, sollicita intentione pensandum est, qua pœna illi feriendi sunt qui & ad summa non proficiunt, & tamen de minimis extolluntur. Nam sunt nonnulli qui cum parua agunt, de semetipsis magna sentiunt: in altum mentem subleuant, & præire se cæteros uirtutum meritis putant. Hi nimirum apud se introrsus humilitatis sterquilinium deserunt, & elationis fastigia ascendunt: illum videlicet imitantes, qui se primus apud se extulit, sed eleuando prostrauit: illum imitantes, qui accepta conditionis dignitate contentus non fuit, dicens:
Esaiæ 14. In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum. Vnde & ei malè coniuncta Babylonia, id est confusa multitudo peccantium dicit: Sedeo regina, & vidua non
Esaiæ 47. sum. Quisquis ergo introrsus intumescit, in altum se apud semetipsu ponit. Sed eò se grauiùs in infimis deprimit, quò de se infima veraciter sentire contemnit. Sunt verò nonnulli qui nihil quidem virtutis student agere, sed tamen cùm alios peccare conspiciunt, iustos se in eorum comparatione suspicantur. Neque enim corda omnium, vna vel similis culpa transfigit. Hunc nanque superbia illaqueat, illum forsitan ira supplantat: hunc autem auaritia cruciat, illum verò luxuria inflammat. Et plerunque contingit vt is quem superbia deprimit, alium respiciat qualiter ira succendat: & quia se non citius ira instigat, meliorem se iracundo iam reputat, atque apud semetipsum quasi de iustitia extollitur: quia pensare vitium negligit quo grauius tenetur. Plerunque contingit, vt is quem auaritia sauciat, alium in luxuriæ voragine mersum cernat: & quia se à pollutione carnali alienum respicit, quibus ipse sordibus spiritalis vitij intrinsecus polluitur, non attendit: dúmque in alio pensat malum quod ipse non habet, in se negligit considerare quod habet: sicque fit vt dum ad aliena diiudicanda mens ducitur, proprij iudicij lumine priuetur, & eò durius contra aliena superbiat, quò
24. sua negligentius ignorat. At contrà hi, qui ad alta virtutum surgere veraciter appetunt, cùm alienas culpas audiunt, mox cor ad proprias reducunt: & tantò rectius illas diiudicant, quantò verius istas deplorant. Quia igitur electus quisque in infirmitatis suæ consideratione se comprimit, dicatur rectè quòd vir sanctus in sterquilinio dolens sedet. Qui enim verè se humiliat, continuæ considerationis oculo, quibus circumseptus sit delictorum sordibus, proficiens pensat. Sciendum verò est quia plerumque in prosperis importuna tentatione mens tangitur. Sed tamen aliquando & aduersa exterius patimur, & intus tentationis impulsu fatigamur: vt & carnem flagella crucient, & tamē ad mentē carnalis suggestio inundet. Vnde & bene post tot beati Iob vulnera, adhuc subiūcta sunt etiā malè suadentis vxoris verba, quę ait: *Adhuc permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere.*) Vxor quippe malè suadens, est carnalis cogitatio mentem lacessens. Sæpe enim (vt dictum est) & foris flagellis atterimur, & intus carnali suggestione fatigamur. Hinc est enim quod Hieremias deplorat dicens: Foris interficit gladius, & domi mors similis est. Foris enim gladius interficit, cùm nos exterius feriens vindicta configit. Sed domi mors similis est: quia & flagella quidem sustinet, & tamen intus conscientia à tentationis sordibus munda non est. Hinc Dauid ait: Fiant tanquam puluis *Psalm.* 34. ante faciem venti, & angelus Domini affligens eos. Qui enim in corde suo aura tentationis rapitur, quasi ante venti faciem puluis eleuatur. Et cùm inter hæc diuina districtio percutit: quid aliud quàm angelus Domini affligit? Sed hæc aliter aguntur à reprobis, aliter ab electis. Illorum nanque corda ita tentantur, vt consentiant: istorum verò tentationes quidem suscipiunt, sed repugnant. Illorum mens delectabiliter capitur, etsi ad tempus, quod malè suggeritur, displicet: sed postmodum per deliberationem libet. Isti verò sic tentationum iacula excipiunt, vt semper resistendo fatigentur: etsi quando vsque ad delectationem tantata mens rapitur, ipsam tamen citius subreptionem suæ delectationis erubescunt, & forti censura redarguunt, quicquid intra se exurgere carnale deprehendunt. Vnde & bene mox subiungitur:

Vxor malè suadens, carnalis cogitatio.

Threno. 1.

Quòd sub virtutis specie blanda ad nos facie vitia veniunt: sed quid veneni intus habeant, in fine ostendunt. Caput XIX.

L*Ocuta es quasi vna ex stultis mulieribus: Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?*) Dignum quippe est vt sancta mens, spiritali correptione comprimat, quicquid apud se carnale insolenter immurmurat, ne caro aut loquens aspera, ad impatientiam pertrahat, aut loquens blanda, ad libidinis fluxa dissoluat. Censura igitur virilis, illicitæ cogitationis suggestionem redarguens, dissolutam turpitudinis mollitiem deprimat, dicens: *Locuta es quasi vna ex stultis mulieribus.*) Et rursum consideratio munerum, cogitationis asperæ impatientiam refrenet, dicens: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?*) Quisquis autem subige-
re vitia appetit, & ad æterna internæ retributionis culmina veræ intentionis gressibus tendit: quò magis vallari se vitiorum bello vndique conspicit, eò se virtutum armis robustius accingit: & tantò minus iacula metuit, quantò con-
tra hæc venientia fortiter pectus munit. Sed plerumque dum contra hoc tentationum bellum fulciri magnis virtutibus nitimur: quædam se nobis vitia sub specie virtutum tegunt, & quasi blanda ad nos facie veniūt: sed cuius aduersitatis sint, discussa sentiuntur. Vnde & amici beati Iob quasi pro consolatione conueniunt, sed in contumelias erumpunt: quia insidiantia vitia virtutum faciem sumunt, sed hostili inuectione nos feriunt. Nam sæpe immoderata ira, iustitia: & sæpe dissoluta remissio, misericordia vult videri. Sæpe incautus timor humilitas: sæpe effrenata superbia appetit libertas apparere. Ad consolandum ergo amici veniunt, sed ad increpationis verba dilabuntur, quia nimirum vitia virtutum specie palliata, blanda quidem superficie inchoant: sed aspera nos contrarietate perturbant. Bene autem dicitur: *Condixerant enim sibi, vt pariter venientes visitarent eum.*) Vitia quippe sibi sub virtutum prætextu condicunt, quia sunt quædam vitia quæ aduersum nos inter se quadam conuenientia coniunguntur, sicut superbia & ira, remissio & timor. Vicina namque est ira superbiæ, & remissio timori. Condicendo ergo veniunt, quæ contra nos sibi ex quadam

Qui vitia subigere appetit, virtutum se armis accingit.

Vitia quædā sub virtutis specie se tegunt.

25. prauitatis cognatione sociantur. Sed si ęrumnam nostræ captiuitatis agnoscimus, si ex amore ęternę patriæ in intimis dolemus, vitia quæ male lætis surrepunt, bene tristibus præualere non possunt. Vnde & bene subditur: *Cúmque eleuassent procul oculos suos, non agnouerunt eum.*) Afflictos enim nos vitia minimè cognoscunt: quia triste cor mox vt pulsauerint, reprobata resiliunt, & quæ nos lætos quasi nouerant, quia penetrabant, mœrentes cognoscere nequeunt, quia ipso nostro rigore franguntur. *Calliditas hostis antiqui.* Sed antiquus hostis, quò in eis fortiter deprehendi se conspicit, eò illa sub virtutum imagine altius abscondit. Vnde & subditur: *Et exclamantes plorauerunt, scissisque vestibus sparserunt puluerem super caput suum in cœlum, & sederunt cum eo in terra septem diebus & septem noctibus.*) Signatur enim pietas per ploratum, discretio per scisionem vestium, affectus operum per puluerem capitum, humilitas per sessionē. Aliquando enim pium quid hostis insidians simulat, vt ad crudelitatis terminum deducat: sicut est, cum plecti per disciplinam culpam prohibet, quatenus quæ hic non reprimitur, igne gehennæ feriatur. Aliquādo discretionis imaginem oculis obiicit, † vt ad indiscretionis laqueos perducat: sicut est, cum impulsu eius pro infirmitate nobis plus alimentorum quasi discretè concedimus, sed indiscretè contra nos bella carnis excitamus. *† al. &* Aliquando affectum simulat bonorum operum, sed per hunc, inquietudinem irrogat laborum: sicut est, cùm quis quiescere non valet, & quasi de otio iudicari timet. Aliquādo imaginem humilitatis ostentat, vt affectum vtilitatis subtrahat: sicut est, cùm quosdam, plusquam sunt, infirmos atque inutiles sibimetipsis asserit, vt dum se nimis indignos considerant, res in quibus prodesse proximis

E poterant, ministrare pertimescant. Sed hæc vitia quæ sub virtutum specie antiquus hostis occultat, valde subtiliter manus compunctionis examinat. *Remedium.* Quia enim veraciter intus dolet, quæ agenda foris, quæve non agenda sint, fortiter prę-uidet. Si enim nos vis compunctionis in intimis afficit, omnis strepitus prauæ suggestionis obtumescit. Vnde & sequitur: *Et nemo loquebatur ei verbum, videbant enim dolorem eius esse vehementem.*) Si enim cor veraciter dolet, linguam contra nos vitia non habent. Nam cùm plenè vita rectitudinis quæritur, superuacua suggestio prauitatis obturatur. Sæpe autem si forti nos studio contra vitiorum incentiua stringimus: ipsa etiam vitia ad vsum virtutis immutamus. Nonnullos nanque ira possidet, sed hanc dum rationi subiiciunt, in sancti zeli ministerium vertunt. Nonnullos superbia erigit, sed dum diuinæ formidini animum inclinant, hanc ad defensionem iustitiæ in vocem liberæ authoritatis immutant. Nonnullos fortitudo carnis illecebrat: sed dum exercēdis piis operibus F corpus subdunt, vnde iniquitatis stimulos passi sunt, inde pietatis lucra mercantur. Vnde & bene iisdem beatus Iob post multa certamina hostias pro amicis immolat. Quos enim per contentionem diu hostes pertulit, quandoque per sacrificium ciues reddit: quia dum vitiosas quasque cogitationes subigendo in virtutes vertimus: tentationum aduersa studia per intentionis hostiam, quasi ad amica corda permutamus. Hæc nos in tribus voluminibus tripliciter disseruisse sufficiat. In ipso nanque operis huius exordio velut in molem nasciturae arboris linguæ radicem fiximus: vt expositionis ramos postmodum, prout singula expetunt loca, producamus.

Libri tertij Moralium sancti Gregorij finis.

B. GREGORII MORALIS EXPOSITIONIS IN B. IOB LIB. QVARTVS, DEDVCENS SECVNDVM CAPVT FINALITER, ET TERTIVM inchoatiuè.

Caput I.

Qui textum considerant, & sensum sacræ locutionis ignorat, non tam se eruditione instruit, quàm ambiguitate confundit: quia nonnumquam sibi literæ verba contradicunt, sed dū à semetipsis per contrarietatem differunt, lectorem ad intelligentiam veritatis mittunt. Quid enim est quòd Salomon ait: Melius *Eccles 7.* est comedere & bibere: & nō longè pòst subiicit: Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum cōuiuij? Cur luctum conuiuio prætulit, qui prius esum potúmque laudauit? Si enim per electionem bonum est comedere & bibere, procul- *Eccles.12.* dubio melius esse debet ad domum gaudij, quàm ad domum lamenti properare. Hinc est quod iterum dicit: Lætare iuuenis in adolescentia tua. Et paulò pòst adiunxit: Adolescentia & voluptas vana sunt. Quid est hoc quòd vel prius reprehendenda præcipit, vel pòst præcepta reprehendit, nisi quòd ipsis literæ verbis innuit: vt qui difficultatem exterius patitur, veritatis intelligētiā consideret, quam sequatur? quæ nimirū veritatis intelligētia cùm per cordis humilitatem quæritur, assiduitate legendi penetratur. Sicut enim ignotorum hominum facies cernimus, & corda nescimus, sed si familiari eis locutione coniungimur, vsu colloquij eorum etiam cogitationes indagamus: ita cùm in sacro eloquio sola historia aspicitur, nihil aliud quàm facies videtur: sed si huic assiduo vsu coniungimur, eius nimirum mentem quasi ex collocutionis familiaritate penetramus. Dum enim alia ex aliis col-

G ligimus, facilè in verbis agnoscimus, aliud esse quod intimant, aliud quod sonant. Tantò autem quisque notitiæ illius extraneus redditur, quantò in sola eius superficie ligatur. Sequitur:

Quòd hæc verba secundum literam accipienda non sunt. Cap. II.

Ecce enim quòd beatus Iob diei suo maledixisse describitur, dicens: *Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est: Conceptus est homo.*) Si superficietenus historia attenditur, quid his verbis reprehensibilius inuenitur? Quis autem nesciat diem in quo natus est, nequaquam tunc stare potuisse? Motus quippe est temporis, vt statum non habeat mansionis. Quia enim per ventura tendit ad esse, semper ex præteritis festinat non esse. Cur ergo vir tātus ei malediceret rei, quam nequaquam subsistere non ignoraret? Sed fortasse aliquis dicat, quòd ex eo pódus virtutis eius aspicitur: quia tribulatione commotus, illi rei maledictum irrogat, quæ constat, H quòd minimè subsistat. Sed hoc citius perspecta ratio destruit: quia si subsistebat res cui malediceret, perniciosum maledictum intulit: si autem nō subsistebat, otiosum. Quisquis verò eius spiritu plenus est, qui ait: *Matth.12.* Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, rationem reddent de eo in die iudicij: ita otiosa admittere, sicut etiam pernitiosa formidat. Cui adhuc sententiæ adiungitur: *Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, & non sit in recordatione, & non illustretur lumine, obscurent eum tenebræ & vmbra mortis, occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus anni nec numeretur in mensibus: sit nox illa solitaria, nec laude digna, expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis auroræ.*) Dies qui elapsus cursu temporis scitur, cur verti in tenebras dicitur? Et cùm constaret quia non subsisteret, cur optatur vt eum vmbra

bra mortis obscuret? vel quem diem caligo occupet, quem implicatio amaritudinis non inuoluit? Aut quam noctem tenebrosus turbo possideat, quam nullus status tenet? Aut quomodo optatur fieri solitaria, quæ transeundo iam fuerat nulla? Aut lucem quomodo expectet, quæ & sensu caret, & in proprio statu non permanet? Quibus adhuc verbis subiicit:

Quòd quantum apud nos valet aqua baptismatis, tantum apud veteres valuit vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus sacrificium, vel pro Hebræis, circuncisionis mysterium.

Caput III.

Qvare non in vulua mortuus sum, egressus ex vtero non statim perij? Quare exceptus genibus? Cur lactatus vberibus? Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem.) Nunquid si egressus ex vtero statim periisset, retributionis meritum ex hac ipsa perditione susciperet? Nunquid æterna requie abortiui perfruuntur? Quisquis enim regenerationis vnda non soluitur, reatus primi vinculis ligatus tenetur. Quod verò apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium circuncisionis. Nam quia vnusquisque cum primi parentis culpa con- *Psal.50.* cipitur, Propheta testatur, dicens: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Et quia is quem salutis vnda non diluit, originalis culpæ supplicia non amittit, apertè per semetipsam veritas perhibet, di- *Ioan 3.* cens: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritusancto, non habebit vitam æternam. Quid est ergo quòd in vulua se mortuum fuisse desiderat, & potuisse se quiescere eiusdem mortis beneficiis sperat, dum constat quod nequaquam eum requies vitæ susciperet, si à reatu illum originalis culpæ nequaquam diuinæ cognitionis sacramenta liberassent? Qui adhuc cum quibus quiescere potuisset, adiungit dicens: *Cum regibus & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines.*) Quis ignoret, quòd reges terræ ac consules eò à solitudine longè sunt, quò innumeris obsequentium cuneis constipantur? vel quàm difficile hi ad requiem tendunt, qui tam duris rationum multiplicium nexibus astriguntur? scriptura teste, quæ *Sapien.6.* ait: Iudicium durissimum his qui præsunt, fiet. Vnde & in Euangelio veritas dicit: Cui multum datum est, multum *Luc.12.* quæretur ab eo. Qui adhuc quos in eadem requie socios habuisset, insinuat, dicens: *Aut cum principibus, qui possident aurum, & replent domos suas argento.*) Rarum valde est vt qui aurum possident, ad requiem tendant, dum per semetipsam *Matt.19.* veritas dicat: Difficile qui pecunias habent, intrabunt in regnum cœlorum. Nam qui hîc multiplicandis diuitiis inhiant,
3. quæ alterius vitæ gaudia sperant? Quod tamen vt redemptor noster valde rarum, & ex solo diuino miraculo euenire posse monstraret: Apud homines, inquit, hoc impossibile est, apud Deum autem possibilia omnia sunt. Quia igitur verba hæc superficie à ratione discordant, ipsa iam litera indicat, quòd in eis sanctus vir iuxta literam nihil dicat. Sed si prius in sacro eloquio alia maledicta discutimus, hoc quod beati Iob ore prolatum est, subtilius indagamus. Quid est enim quòd Dauid qui retribuentibus sibi mala non reddi- *2.Reg.1.* dit, cùm Saul & Ionatha bello occumberent, Gelboë montibus maledixit, dicens: Montes Gelboë, nec ros nec pluuia veniat super vos, neque sint agri primitiarum: quia ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset vnctus oleo?

Quid sit quod Hieremias dixit: Maledictus vir qui dixit patri meo, natus est tibi masculus.

Caput IIII.

Quid est quod Hieremias cùm prædicationem suam cerneret audientium difficultate præpediri, maledixit di- *Hiere.20.* cens: Maledictus vir qui annuntiauit patri meo dicens: Natus est tibi puer masculus? Quid ergo montes Gelboë Saul moriente deliquerunt, quatenus in eis nec ros, nec pluuia caderet, & ab omni eos viriditatis germine sententiæ sermo siccaret? Sed quia Gelboë interpretatur decursus, per Saul autem vnctum & mortuum, mors nostri mediatoris exprimi-

A tur: non immeritò per Gelboë montes, superba Iudæorum corda signantur, quę dum in huius mundi desideriis defluunt, in Christi, id est, vncti se morte miscuerunt. Et quia in eis vnctus rex corporaliter moritur, ipsi ab omni gratiæ rore siccantur. De quibus & bene dicitur: Vt agri primitiarum esse non possint. Superbæ quippe Hebræorum mentes primitiuos fructus non ferunt: quia in redemptoris aduentu ex parte maxima in perfidia remanentes, primordia fidei sequi noluerunt. Sancta nanque Ecclesia in primitiis suis multitudine gentium fœcundata, vix in mundi fine Iudæos quos inuenit, suscipit: & extrema colligens, eos quasi reliquias frugum ponit. De quibus nimirum reliquis Esaias dicit: Si fuerit nume- *Esaiæ 10.* rus filiorum Israël quasi arena maris, reliquiæ saluæ fient. Possunt tamen idcirco Gelboë montes ore Prophetæ maledici, vt dum fructus exarescente terra non oritur, possessores terræ sterilitatis damno feriantur, quatenus ipsi maledictionis sententiam acciperent, qui apud se mortem regis suscipere, iniquitate sua exigente, meruissent. Sed quid est quòd à 4.
B Propheta maledictionis sententiam vir ille suscepit, qui natiuitatem illius patri nuntiauit? hoc nimirum tantò intrinsecus maiori mysterio plenum est, quantò extrinsecus humana ratione vacuum. Nam si quid exterius rationabile fortasse sonuisset, nequaquam nos ad studium interioris intellectus accenderet. Eò ergo nobis plenius aliquid intus innuit, quò foris rationabile nihil ostendit. Si enim ex matris suæ vtero hoc in mundo Propheta affligendus prodiit, natiuitatis eius nuntius quid deliquit? Sed quid persona Prophetæ fluctuantis, nisi per pœnæ meritum veniens humani generis mutabilitas designatur? Et quid per patrem illius, nisi iste de quo nascimur mundus exprimitur? Et quis est ille vir qui natiuitatem nostram patri annuntiat, nisi antiquus hostis? Qui cùm nos in cogitationibus fluctuare considerat, malorum mentes qui ex authoritate huius mundi præeminent, ad persuasionem nostræ deceptionis instigat. Cúmque nos agere infirma conspexit, ea quasi fortia fauoribus extollit, & † quòd sit natus masculus loquitur: *† al & quasi natos masculos loquitur. Inueniet nato masculo.* C cùm corruptores veritatis, per mendacium nos extitisse gratulatur. Patri ergo masculum natum denuntiat, quando huic mundo eum quem persuaserit factum innocentiæ corruptorem demōstrat. Nam cùm cuilibet peccanti atque superbienti dicitur: Fecisti sicut vir: quid aliud quàm natus masculus in mundo perhibetur? Iure itaque vir qui masculum natum nuntiat, maledicitur: quia ipso eius nūtio reprobum gaudium nostri corruptoris indicatur. His ergo scripturæ sacræ maledictionibus discimus, quid apud beatum Iob in voce maledictionis inquiramns, ne quem deus post vnlnera & verbera remunerat, lector verba eius redarguere non intelligens præsumat. Quia igitur vtcunque hæc quę in prefatione fuerant exquirenda distinximus, verba iam historiæ differentes exequamur.

Tertium Caput beati Iob.

D Post hæc aperuit Iob os suum, & maledixit diei suo, & locutus est: Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est, Conceptus est homo. Dies illa vertatur in tenebras. Non requirat eum Deus desuper, & non illustret lumine. Obscurent eum tenebræ & vmbra mortis. Occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine. Noctem illam tenebrosus turbo possideat. Non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus. Sit nox illa solitaria, nec laude digna. Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leuiathan. Obtenebrentur stellæ caligine eius. Expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis auroræ, quia non conclusit ostia ventris qui portauit me, nec abstulit mala ab oculis meis. Quare non in vulua mortuus sum, egressus ex vtero nō statim perij? Quare exceptus genibus? cur lactatus vberibus? Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem

cum regibus & consulibus terræ, qui ædfiicãt sibi solitudines, aut cũ principibus, qui possident aurum & replent domos suas argento, aut sicut abortiuum absconditum non subsisterem, vel qui concepti non viderunt lucem. Ibi impij cessauerunt à tumultu, & ibi requieuerunt fessi robore, & quondam vincti pariter sine molestia. Non audierunt vocem exactoris. Paruus & magnus ibi sunt, & seruus & liber à Domino suo. Quare misero data est lux, & vita his qui in amaritudine animæ sunt? Qui expectant mortem, & non venit, quasi effodientes thesaurum, gaudéntque vehementer cùm inuenerint sepulchrum. Viro cuius abscõdita est via, & circundedit eum Deus tenebris. Antequam comedo, suspiro, & quasi inundantes aquæ, sic rugitus meus, quia timor quem timebam euenit mihi, & quod verebar, accidit. Nonne dissimulaui? nonne silui? nonne quieui? Et venit super me indignatio.

Iob istis verbis non maledixisse sentiendum. Caput V.

POst hæc aperuit Iob os suum, & maledixit diei suo dicens: Pereat dies in qua natus sum.) Non est neglectè differendum quod dicitur, aperuit os suum. Scriptura enim sacra ex his quæ tenuiter præmittit, reuerenter expectanda indicat quæ subiungit. Sicut enim clausa vasculà, quid intus habeant ignoramus, aperto verò ore vasculorum, quid intrinsecus contineatur agnoscimus: ita sanctorum corda quæ clauso ore occulta sunt, aperto ore deteguntur: & cùm cogitationes detegunt, os aperire referuntur, vt intenta mẽte quasi apertis vasculis quid intus contineant, festinemus cognoscere, ac nos metipsos eorum intimo odore recreare. Vnde & sublimia præcepta Domino in monte dicturo, præmittitur. Aperiens os suum dixit: quanuis illic & hoc accipi debeat, quia tunc os suum in præceptis aperuit, in quibus dudum aperuerat ora Prophetarum. Valde autem solerter intuendum est quod dicitur, Post hæc, vt nimirum rei uirtus quæ agitur, veraciter ex tempore sentiatur. Prius enim vastitas rerum, extinctio pignorũ, dolor vulnerum, persuasio coniugis, aduentus amicorum describitur, qui scidisse vestes, exclamantésque fleuisse, puluere capita conspersisse, & diu considentes in terra tacuisse memorantur, ac deinde subiungitur: Post hæc aperuit Iob os suum, & maledixit diei suo: vt ipso videlicet narrationis ordine perpendatur, quia nequaquam maledictũ per impatientiam protulit, qui ad maledictionis vocem amicis adhuc tacentibus erupit. Si enim ira motus malediceret, audito damno substantiæ, cognita morte filiorum, eum proculdubio ad maledictionem dolor excitaret. Sed tunc quid dixerit audiuimus. Ait nanque: Dominus dedit, Dominus abstulit. Rursum: Si ira motus malediceret, saltem percussus in corpore, vel malè suasus à coniuge, maledictum inferre potuisset. Sed quid tunc respondit agnouimus. Ait nanque: Locuta es quasi vna ex stultis mulieribus. Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? Post hæc verò describitur, quia amici veniunt, flent, considerant, tacent: móxque subiungitur hoc, quòd diei suo maledixisse perhibetur. Nimis itaque incongruum est, vt suspicemur eum nullo instigante, nullo pulsante, ex impatientia ad vocem maledictionis erumpere, quem nimirum nouimus inter damna rerum, mortémque filiorum, inter vulnera corporis, inter verba malè suadentis vxoris, magna creatori præconia humili mente reddidisse. Patefecit ergo qua mente hæc quietus dixerit, qui tot Dei laudes etiam percussus enarrauit. Neque enim postmodum percussus superbire potuit, quem & in percussione dolor humilem ostendit. Sed cùm certò nouimus quòd maledictum sacra scriptura prohibet, cur rectè aliquando fieri dicimus, quod vetari eodem sacro eloquio non ignoramus?

Matth.5.

Ibidem.

Quibus modis scriptura proferat maledictum. Caput. VI.

2.4.quæst.3. Cũ sancti.5. Itẽ scriptura

SCiendum verò est quòd scriptura sacra duobus modis maledictum memorat, aliud videlicet quod approbat, aliud quod damnat. Aliter enim maledictum profertur iudicio iustitiæ, aliter liuore vindictæ. Maledictum quippe iustitiæ iudicio, ipsi primo homini peccanti prolatum est, cùm audiuit. Maledicta terra in opere tuo. Maledictum iudicio iustitiæ profertur, cùm ad Abraham dicitur: Maledicam maledicentibus tibi. Rursum quia maledictum non iudicio iustitiæ, sed liuore vindictæ promitur, voce Pauli Apostoli prædicantis admonemur, qui ait: Benedicite, & nolite maledicere. Et rursum: Neq; maledici regnum Dei possidebunt. Deus ergo maledicere dicitur, & tamen maledicere homo prohibetur, quia quod homo agit malitia vindictæ, Deus nõ facit nisi examine & virtute iustitiæ. Cum vero sancti viri maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto vltionis, sed ex iustitia examinis erumpunt. Intus enim subtile Dei iudicium aspiciunt, & mala foris exurgentia, quia maledicto debeant ferire, cognoscunt: & eò in maledicto non peccant, quò ab interno iudicio non discordant. Hinc est quòd Petrus in offerentem sibi pecunias Simonem, sententiam maledictionis intorsit, dicens: Pecunia tua tecum sit in perditionem. Qui enim non ait, est, sed sit, non indicatiuo sed optatiuo modo se hæc dixisse signauit. Hinc Helias duobus quinquagenariis ad se uenientibus dixit: Si homo Dei sum, descẽdat ignis de cœlo, & consumat vos. Quorum vtrorumque sententia quanta seueritatis ratione conualuit, terminus causæ monstrauit. Nam & Simon æterna perditione interiit, & duos quinquagenarios desuper veniens flamma consumpsit. Virtus ergo subsequens testificatur, qua mente maledictionis sententia promitur. Cùm enim & maledicentis innocentia permanet, & tamen eum qui maledicitur vsque ad interitum maledictio absorbet, ex vtriusque partis fine colligitur, quia ab vno & intimo iudice in reum sentẽtia sumpta iaculatur. Igitur si subtiliter beati Iob verba pensamus, non est eius maledictio ex malitia delinquentis, sed ex rectitudine iudicis: non est ira commoti, sed doctrina tranquilli. Qui enim tam recta maledicens intulit, non perturbationis vitio succubuit, sed doctrinæ magisterium impendit. Vidit quippe amicos cum clamore flere, vidit vestes scindere, vidit puluere capita conspergere, vidit consideratione suæ percussionis obmutescere: & vir sanctus inspexit, quia hi qui prospera temporalia requirebant, ex comparatione mentis propriæ, eum temporali fractum aduersitate crediderant. Perspexit quòd transitoria afflictione percussum desperatè non flerent, nisi ipsi desperatam mẽtem ab spe incolumitatis internæ subtraherent: & dum erumpit foras in vocem doloris, vulneratis intus ostendit virtutem medicaminis, dicens:

Genẽ 5. Genẽ.12. Romã.12. 2.4.quæst.3. Cũ sancti. Actõ.8. 4.Regum.1.

Quod mutabilitatem huius transitoriæ vitæ in qua nati sumus, sanctus quisque perire desiderat. Caput VII.

PEreat dies in qua natus sum.) Quid enim debet per diem natiuitatis, nisi omne hoc tempus nostræ mortalitatis intelligi? quod quandiu nos in hac nostræ mutabilitatis corruptione retinet, æternitatis nobis incommutabilitas non apparet. Qui igitur diem iam æternitatis videt, ægrè diem suæ mortalitatis sustinet. Et notandum quia non ait, Pereat dies in qua conditus sum sed pereat dies, in qua natus sum. In die quippe iustitiæ homo est conditus, sed iam in tempore culpæ natus. Adam enim conditus, sed Cain primus est natus. Quid est diei natiuitatis maledicere, nisi apertè dicere, dies mutabilitatis pereat, & lumen æternitatis erumpat? Sed quia perire duob' modis dicere solemus: aliter enim perire dicimus, quãdo aliquid optamus vt nõ sit, & aliter perire dicimus, quãdo optamus, vt malè sit: hoc quod de hoc die subditur: *Obscuret eum caligo, & inuoluatur amaritudine*:) liquidò ostendit quia dies iste non ita, vt non sit, sed ita perire optatur, vt malè sit. Inuolui enim amaritudine non potest, quod omnimodo perditum penitus [non] est. Hoc autem tempus nostræ mutabilitatis non quandoq; ita periturum, id est, transiturum est, vt malè sit, sed vt penitus non sit, Angelo in sacro eloquio attestante, qui ait: Per viuentem in secula, quia tempus iam non erit. Nam etsi Propheta dicit: Erit tempus eorum in æternum: quia per momenta tempus deficit, nomine temporis eorum defectum vocauit, ostendens, quòd sine fine omnimodo defectu deficiunt hi, qui à visionis intimæ consolatione separãtur. Quia ergo nostræ mortalitatis hoc tempus non ita vt

Apoca.10. Psalm.77.

ita vt malè sit, sed ita perit, vt non sit, quærendum est quid sit quod non ita vt non sit, sed ita perire optatur, vt malè sit. Humana enim anima seu Angelicus spiritus, ita immortalis est, vt mori possit, ita mortalis, vt mori non possit. (Nam beatè viuere, siue per vitium, siue per supplicium perdit. Essentialiter autem viuere, neque per vitium, neq; per supplicium amittit. A qualitate enim viuendi deficit, sed omnimodo subsistendi interitum nec moriens sentit. Vt ergo breuiter dixerim, & immortaliter mortalis est, & mortaliter immortalis.

Quod antiquus hostis, dies interpretatur, qui promittens, eritis dii, quasi transfigurans se in Angelum lucis, humano generi peccatum tentando persuasit. Caput VIII.

DVm igitur dies vt pereat optatur, & paulò pòst inuoluẽdus amaritudine dicitur, quem credamus quòd vir sanctus diei nomine exprimere voluit, nisi apostatam spiritum, qui in viuendi essentia etiam moriendo subsistit? quem perditio vitæ non subtrahit, quia in æterno dolore positum, seruando mors immortalis extinguit. Qui iam à beatitudinis gloria deiectus, adhuc optatur vt videlicet retrusus dignis suppliciis, etiam tẽntandi licentiam amittat.

Quòd per diem dilectio peccati, per noctem verò cæcitas mentis possit intelligi. Caput IX.

IS nimirum diem se exhibet, quia per prospera incipit, sed in noctis tenebras semper desinit, quia ad aduersa perducit. Diem nanque se ostendebat cùm diceret: In quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij. Sed noctem intulit, cùm ad mortalitatis tenebras perduxit. Dies itaque est illata promissio meliorum, sed nox est exhibita ipsa experientia calamitatum. Antiquus hostis dies est, per naturam bene conditus, sed nox est per meritum ad tenebras delapsus. Dies est, cùm pollicendo bona, humanis aspectibus lucis se angelum simulat, Paulo attestante qui ait: Ipse enim satanas transfigurat se in angelum lucis. Sed nox est cùm mentes consentientium erroris tenebris obscurat. Vir ergo sanctus in dolore proprio causam totius humani generis deflens, & nihil speciale omnimodo in speciali vulnere cogitans, reducat ad animum originem culpæ, & consideratione iustitiæ, dolorem temperet pœnæ. Videat humanum genus, vnde & quò cecidit, & dicat: Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, conceptus est homo. Ac si apertè dicat: Pereat spes ab apostata angelo illata, qui diem se simulans ex promissione diuinitatis emicuit, sed noctem se exhibens, lucem nobis nostræ immortalitatis obscurauit. Pereat antiquus hostis, qui lucem promissionis ostendit, sed peccati tenebras contulit. Qui quasi diem se blandiendo innotuit, sed vsque ad tenebrosam noctem ex impressa cordis cæcitate perduxit. Sequitur: *Dies illa vertatur in tenebras.*) Quasi lucet dies ista mentibus hominum, cùm prauitatis eius persuasio prospera creditur, & qualis sit intrinsecus, non videtur. Sed cùm iniquitas illius sicut est agnoscitur, dies falsæ promissionis quasi quibusdam ante iudicij nostri oculos tenebris obscuratur, quia videlicet, qualis est ex merito, talis perspicitur in blandimento. In tenebras ergo dies vertitur, quando aduersa intelligimus, etiam quæ prospera suadendo pollicetur. In tenebras dies vertitur, quando antiquus hostis qualis est sæuiens, talis à nobis perspicitur etiam sub blandimẽtis latẽs, ne fictis prosperitatibus quasi ex diei lumine illudat, & veris miseriis ad peccati tenebras pertrahat. Sequitur. *Non requirat eum Deus desuper, & non illustret lumine.*) Omnipotens Deus sicut ex nihilo bona facere potuit, ita cùm voluit per incarnationis suæ mysterium, etiam perdita bona reparauit. Duas verò ad intelligendum se, creaturas fecerat, angelicam videlicet & humanam: vtranque verò superbia perculit, atque ab statu ingenitæ rectitudinis fregit. Sed vna tegmen carnis habuit, alia verò nihil infirmum de carne gestauit, Angelus nanque solummodo spiritus, homo verò & spiritus est & caro. Misertus ergo creator vt redimeret, illam ad se debuit reducere, quam in perpetratione culpæ, ex infirmitate aliquid constat habuisse, & eò altius debuit apostatam angelum repellere, quò cùm à persistendi fortitudine corruit, nihil infirmum ex carne gestauit. Vnde & rectè Psalmista cùm misertum redemptorem hominibus diceret, ipsam quoque causam misericordiæ expressit, dicens:

Genẽ.3. 2.Cor.6. 9.

Quòd ideo misertus est homini, quia cùm caro esset ex infirmitate peccauit. Caput X.

ET memoratus est, quia caro sunt. Ac si diceret: Quò eorum infirma vidit, eò districtè culpas punire noluit. Est adhuc aliud, quo & perditus homo reparari debuit, & superbiens spiritus reparari non possit: quia nimirum angelus sua malitia cecidit, hominem verò aliena prostrauit. Quia ergo humanum genus ad lucem pœnitentiæ, redemptoris aduentu reducitur, apostata vero angelus ad restaurationis lucem nulla spe veniæ, nulla conuersionis emendatione reuocatur: dicatur rectè: Non requirat eum Deus desuper, & non illustret lumine.) Ac si apertè diceretur: Quia ipse tenebras intulit, toleret sine fine quod fecit, nec vnquam lumen pristini status recipiat: quia hoc etiam non suasum amisit. Sequitur: *Obscurent eum tenebræ & vmbra mortis.*) Per vmbram mortis, obliuio debet intelligi, quia sicut mors interimit vitam, ita obliuio extinguit memoriam. Quia ergo apostata angelus æternæ obliuioni traditur, vmbra mortis obscuratur. Dicatur igitur: Obscurẽt eum tenebræ & vmbra mortis, id est, sic sic eum erroris sui cæcitas obruat, vt nequaquam vlterius ad lucem pœnitentiæ per diuini respectus memoriam resurgat. Sequitur: *Occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine.*) Antiquus hostis nequitiæ suæ vinculis astrictus, aliud est quod nunc patitur, aliud quod in fine patietur. Quia enim à lucis intimæ ordine cecidit, nunc semetipsum intrinsecus erroris caligine confundit. Sed post hoc amaritudine inuoluitur, quia ex merito spontaneæ caliginis, æterno gehennæ tormento cruciatur. Dicatur ergo. Is qui serenitatem lucis intimæ perdidit, quid est quod ante extremum supplicium tolerat? *Occupet eum caligo.*) Subiungatur etiam quæ illum pœna subsequens etsam fine termino deuastat: *Inuoluatur amaritudine.*) Omne quippe quod inuolutum est, finem suum quasi nusquam indicat, quia sicut non ostendit quò incipit, ita non detegit quò desistit. Inuolui ergo amaritudine antiquus hostis dicitur, quia superbiæ eius supplicia non solum omnimoda, sed etiam infinita præparantur. Quæ videlicet eius pœna tunc initium accipit, cum districtus ad extremum iudicium iudex venit: Vnde & bene subditur:

Psal.77. 10.

Quid per annum, diem, mensémque intelligatur, & quid item sit annum Domini placabilem prædicari. Caput XI.

NOctem illam tenebrosus turbo possideat.) Scriptum quippe est: Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida. Tenebrosus ergo turbo hanc noctem possidet, quia apostatam spiritum à conspectu districti iudicis ad æterna supplicia, paucenda illa tempestas rapit. Turbine ergo nox ista possidetur, quia superba eius cęcitas distracta animaduersione percutitur. Sequitur: *Non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus.*) Annum prædicationem supernæ gratiæ non inconuenienter accipimus, quia sicut in anno congestis diebus tempus perficitur, ita in superna gratia virtutum multiplex vita completur. Potest per annum etiam multitudo intelligi redemptorum, quia sicut ex dierum multitudine annus ducitur, ita ex collectione bonorum omnium, illa electorum innumerabilis vniuersitas expletur. Hunc nanque annum perfectæ multitudinis Esaias prædicat, dicens: Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit me. Ad annuntiandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, vt prædicarem annum placabilem Domini. Annus enim placabilis Domini prædicatur, cum futura plebs fidelium, veritatis lumine illustranda prædicitur. Quid verò per dies, nisi singulæ quæque electorum mentes, quid per menses nisi multiplicatæ eorum Ecclesiæ, quæ vnam catholicam faciunt, designatur? Illa ergo nox non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus, quia antiquus hostis superbiæ suæ tenebris pressus, aduentum quidem redemptoris conspicit, sed nequaquam ad veniam cum electis redit. Hinc enim scriptum est: Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.

Psal 49. Esaiæ 61. Hebr.2.

Quòd Christus non Angelus sed homo factus est. Hoc enim fieri debuit quod redemit. Caput XII.

IDcirco nanque Redemptor noster, non Angelus, sed homo factus est, quia hoc procul dubio fieri debuit quod redemit, vt & perditum angelum non apprehendendo desereret, & hominem in semetipso apprehendendo repararat.
11 Possunt etiam dies hi qui in interna luce permanent Angelici spiritus, menses autem, eorum ordines & dignitates intelligi. Singuli enim quique spiritus quia lucent, dies sunt. Sed quia certis quibusdam dignitatibus distinguntur, vt alij throni, alij dominationes, alij principatus, alij potestates sint, pro hac ipsa distributione agminum, menses vocantur. Sed quia antiquus hostis nequaquam ad meritum lucis, nequaquam ad ordinem supernorum agminum reducitur, nec in diebus anni, nec in mensibus numeratur. Sic quippe illum perpetratæ cæcitas superbiæ grauat, vt vltra ad illa claritatis intimæ superna agmina non redeat. Nequaquam iam stantibus lucis dignitatibus admiscetur, quia tenebrarum suarũ merito semper ad ima deprimitur. Qui quia ab illa patriæ cœlestis frequentia exors in perpetuum permanet, rectè adhuc subiungitur: *Sit nox illa solitaria, nec laude digna.*) Nox illa solitaria efficitur, quia distinctione perpetua à frequentia patriæ supernæ separatur. Quod tamen intelligi & aliter potest, vt videlicet hominem quem sibi socium ad perditionem fecerat, amittat, & solus cum suo corpore hostis pereat, dum multos quos destruxerat, redemptoris gratia reformat. Solitaria ergo nox efficitur, cùm sublatis eis qui electi sunt, solus hostis antiquus æternis gehennæ ignibus mancipatur. Bene autem dicitur: *Nec laude digna.*) Cùm enim humanum genus erroris tenebris pressum, deos lapides crederet, per hoc quòd idolis seruiebat, quid aliud quàm seductoris sui facta laudabat?
1.Corinth.8. Vnde per Apostolum Paulum bene dicitur: Scimus quia nihil est idolum, sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolãt. Qui ergo idolorum venerationi subtrati sunt, quid aliud quàm noctis tenebras laudauerunt? Sed ecce iam cernimus quia nox illa non esse laude digna cognoscitur, cùm iam à redempto humano genere, idolorum veneratio reprobatur: & nox solitaria relinquitur, quia cum damnato apostata spiritu ad tormenta non itur. Sequitur: *Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leuiathan.*) In translatione veteri ita non dicitur, sed maledicat eam qui maledixit diem, qui capturus est grandem cetum. Quibus verbis apertè ostenditur, quòd à sancto viro in fine mundi ventura antichristi perditio præuidetur. Malignus nanque spiritus qui per meritum nox est, diem se in mundi fine simulat, cũ se quasi Deum hominibus ostẽtat, cùm claritatẽ sibi diuinitatis fallaciter tribuit, & supra omne se quod vel dicitur Deus, vel colitur, extollit. Noctem igitur maledicit, qui maledicit diem, quia ille nunc eius malitiam destruit, qui illustratione aduentus sui tunc etiam potentiam eius fortitudinis extinguit. Vnde & bene subiungitur: *Qui capturus est grandem cetum.*) Huius enim ceti fortitudo in aquis capitur: quia antiqui hostis versutia baptismi sacramẽto superatur. Sed quod trãslatione veteri de authore omnium dicitur, hoc translatione hac, quæ ad nos ex Hebræo est Arabicóque sermone deriuata, de electis eius Angelis memoratur. De his nanque dicitur:

Quòd sancti angeli diabolo quòd diuinitatem homini promiserit exprobrent, quorum potestati substratus, & ad probandum electos excitatus, & religatur ne extinguat infirmos. Caput XIII.

MAledicant ei qui maledicunt diei.) Diem se quippe iste superbiens spiritus ostentare etiam angelicis potestatibus voluit, cùm se super cæteros quasi in potentia diuinitatis extollens tot post se ad interitum legiones traxit. Sed hi nimirum qui in authore suo humili corde perstiterunt, cùm errori eius noctem inesse conspicerent, diem claritatis illius de semetipsis humilia sentiendo calcauerunt: qui nunc nobis doli eius tenebras indicant, & quàm sit illius despicienda ficta claritas, demonstrant. Dicatur ergo de tenebrosa nocte, quæ humanæ infirmitatis oculos clausit: Maledicant ei qui maledicunt diei, id est, illi electi spiritus erroris eius tenebras damnandas denuntient, qui magnitudinem claritatis illius iam ab exordio fictam vident. Bene autem subditur: *Qui parati sunt* E *suscitare Leuiathan.*) Leuiathan quippe interpretatus dicitur additamentum eorum. Quorum scilicet nisi hominum? Rectè autem additamentum eorum dicitur, quia postquàm primam culpam mala suggestione intulit, hanc quotidie augere grauioribus persuasionibus non desistit. Vel certè per exprobrationem Leuiathan vocatus est, id est, additamentum hominum dictus. Eos nanque in Paradiso immortales reperit, sed diuinitatem immortalibus promittendo, quasi eis aliquid vltrà quàm erant se addere spopondit. Sed dum blandè non habita se daturum perhibuit, callidè & habita subtraxit. Vnde *Esaiæ.27.* & eundem Leuiathan ita Propheta describit dicens: Super Leuiathan serpentem vectem, super Leuiathan serpentem tortuosum. Leuiathan quippe iste, in eo quòd se addere homini spopondit, tortuosis ad eum finibus irrepsit, quia dum falsò impossibilia promisit, verè & possibilia sustulit.
12 Quærendum verò nobis est, cur qui serpentem dixerat, tortuosúmque, ilicò subiungens, interposuit vectem: nisi fortè quòd in serpentis tortitudine fluxa mollities, in vecte autem † *al.duritia rigiditatis* F est † duritiæ rigiditas. Vt ergo hunc & durum signaret & mollem, & vectem nominat & serpentem. Durus quippe est per malitiam, mollis per blandimenta. Vectis ergo dicitur, quia vsque ad necem percutit, serpens autem, quia se per insidias molliter insundit. Sed hunc Leuiathan electi angelorum spiritus, nunc in puteo abyssi clausum premunt. Vnde *Apoca.20.* scriptum est: Vidi Angelum descendentem de cœlo, habentem clauem abyssi, & cathenam magnam in manu sua, & apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus & satanas, & ligauit eum per annos mille, & misit eum in abyssum. Quem tamen in mundi fine ad apertiora certamina *Ibidem.* reuocant, & totum contra nos in suis viribus relaxant. Vnde illic rursum scriptum est: Cùm completi fuerint mille anni, soluetur satanas. Ille enim apostata angelus qui ita conditus fuerat vt angelorum cæteris legionibus emineret, ita superbiendo succubuit, vt nunc stantium angelorum ditioni substratus sit, quatenus vel nunc ad vtilitatem nostram eis ministrantibus religatus lateat, vel tunc ad probationem nostram G eis relaxantibus totis se suis contra nos viribus solutus exerceat. Quia igitur hi electi spiritus superbum apostatam comprimunt, qui humiles hunc sequi noluerunt, ipsisque administrantibus disponitur, vt ad intẽtionem aperti certaminis destruendus sanditus quandoque reuocetur, dicatur rectè: Qui parati sunt suscitare Leuiathan. Quia tamen hostis callidus ad aperta bella necdum suscitatus est, quomodo quorundam mentes nox ista nunc latenter obscuret, insinuat. Sequitur:

Quòd hypocritæ qui quasi stellæ in nocte videntur, erroris sui caligine sæpe ita obscurantur, vt etiam foris in actione confundantur. Caput XIII.

OBtenebrentur stellæ caligine eius.) In scriptura sacra stellarum nomine aliquando sanctorum iustitia, quæ in huius vitæ tenebris lucet, aliquando verò hypocritarum fictio demonstratur, qui bona quæ faciunt ad percipiendas laudes hominibus ostendunt. Si enim rectè viuentes, stellæ non essent, nequaquam Paulus dicipulis disceret: In medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in *Philipp.2.* mundo. Rursum si inter eos qui rectà agere videntur, quidam de actione sua retributionem fauoris humani non quærerent, nequaquam stellas Ioannes ruere à cœlestibus videret, *Apoca.2.* dicens: Misit draco caudam, & traxit tertiam partem stellarum. Draconis enim cauda stellarum pars trahitur: quia extrema persuasione antichristi quidam qui videntur lucere, rapientur. Stellas nanque in terram trahere, est eos qui videntur studio vitæ cœlestis inhærere, ex amore terreno iniquitate aperti erroris inuoluere. Sunt nanque nõnulli qui ante humanos oculos velut magnis operibus lucent, sed quia hæc ipsa opera à mundo corde non prodeunt, capti in occultis cogitationibus, noctis huius tenebris obscurantur: qui sæpe quæ mundo corde non faciunt, etiam opera amittunt. Quia ergo nox præualere permittitur, quando & inter bona opera cordis intentio minimè mundatur, dicatur rectè: *Obscurentur stellæ caligine eius,*) id est, eos qui ante humanos oculos quasi bonis operibus splendent, malitia antiqui hostis obscurare præualeat, & hoc quod ante humana iudicia sumpserant, lumen laudis deponant. Caligine quippe noctis obscurantur, cùm eorum

eorum vita operto errore cõfunditur: vt nimirum tales etiam foris in actione appareant, quales apud semetipsos intus diuino parere iudicio non formidant. Sequitur: *Expectet lucem & non videat, nec ortum surgentis auroræ.*) In euangelio veritas dicit: Ego sum lux mundi. Sicut autem idem redemptor nostER vna persona est cum congregatione bonorum, ipse nan- 14. *Ioan.8.* que caput est corporis, & nos huius capitis corpus: ita antiquus hostis vna persona est cum cuncta collectione reproborum, quia ipse eis ad iniquitatem quasi caput præeminet, *Diabolus cũ reprobis vna persona est.* illi autem dum ad † persuasa deseruiunt, velut subiunctum capiti corpus inhærent. Quod ergo de hac nocte, id est antiquo hoste dicitur, dignum est vt ad corpus eius, id est, ad iniquos quosque deriuetur. Quia igitur redemptor noster humani generis lux est, quid est quod de hac nocte dicitur: Expectet lucem & non videat: nisi quòd sunt nonnulli qui fidem quam operibus destruunt, tenere se sermonibus ostendunt? De quibus per Paulum dicitur: Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Hi nimirum aut praua sunt quę *ad Tit.1.* faciunt, aut recta opera non recto corde sectantur. Non enim B de suis operibus retributiones perpetuas, sed transitorios fauores quęrunt: & tamen quia quasi sanctos laudari se audiunt, esse se veraciter sanctos arbitrantur, & quantò se ex multorũ æstimatione irreprehensibiles putant, tantò diem districti iudicij securius expectãt. De quibus bene per Prophetam dicitur: Væ desiderantibus diẽ Domini. Quibus beatus Iob debitam sententiam profert, prædicentis studio, non optantis voto dicens? *Expectet lucem, & non videat.*) Nox quippe ille videlicet tenebrosus hostis, in membris suis lucem expectat, & nõ *Amos.5.* videbit: quia vel hi qui fidem sine operibus retinent, cùm pro eadem fide in extremo iudicio saluari se posse confidunt, spes eorum frustrabitur, qui hanc malè viuendo demoliti sunt, quam confitendo tenuerunt: vel hi qui pro humana laude in bona actione se exhibent, incassum à veniente iudice retributionem bonorũ operum sperant, quia dum hæc in ostentationem faciunt laudis, iam præmium ab humano ore receperunt, *Matt.6.* veritate attestante, quæ ait: Amen dico vobis, receperũt mercedem suã. Vbi & bene subiungitur: *Nec ortum surgentis auroræ.*) C
15. Aurora quippe Ecclesia dicitur, quæ à peccatorum suorum tenebris ad lucem iustitiæ permutatur. Vnde & hanc *Can.6.* sponsus in Canticorum cantico miratur, dicens: Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens? quasi aurora quippe electorum surgit Ecclesia, quæ prauitatis pristinæ tenebras deserit, & sese in noui luminis fulgorem conuertit. In illa igitur luce quæ in districti iudicis aduentu monstratur, corpus damnati hostis ortum surgentis auroræ non videt: quia cùm districtus iudex ad retributionem venerit, iniquus quisque suorum caligine meritorum pressus, quanta claritate sancta Ecclesia in intimum lumen cordis surgat, ignorat. Tunc nanque electorum mens in altum rapitur, vt diuinitatis radiis illustretur, & quò eius respectu perfunditur, eò vltra se gratia coruscante subleuatur. Tunc sancta Ecclesia plena aurora fit, cùm mortalitatis atque ignorantiæ suæ tenebras funditus amittit. In iudicio ergo adhuc aurora est, sed in regno dies, quia etsi iam cum restauratione corporum videre lumen in iudicio inchoat, eius tamen visum plenius in regno consummat. Ortus itaque aurorę, est exordium clarescentis Ecclesię, quem videre nequeunt reprobi, quia à conspectu districti iudicis malorum suorum pondere presi ad tenebras pertrahuntur. Vnde rectè per prophetam dicitur: Tollatur impius, ne videat gloriam dei. Hinc est quod de hac aurora per Psalmistam dicitur: Abscondes eos in abscondito vultus tui, à con- *Psal.30.* turbatione hominum. Electus enim quisq; in iudicio per internum visum in vultu diuinitatis absconditur, dum reproborum foris cæcitas districta animaduersione iustitiæ repulsa turbatur. Quod etiam non inconuenienter ad præsens accipimus, si simulatorum corda subtilius indagamus. Arrogantes nanque & hypocritæ bonorum facta exterius aspiciunt, eósque in factis suis laudari ab hominibus agnoscunt, eorúmque celebre nomen mirantur, & quòd pro bene gestis laudes suscipiant vident, sed quanto studio easdem laudes fugiant, non vident. Aperta eorum opera considerant, sed quòd sola spe intima hæc operentur, ignorant. Qui enim vera luce iustitiæ clari sunt, prius à tenebris internæ intentionis immutantur, vt obscuritatem intus terrenæ appetitionis plenè deserãt, A & corda sua ad supernæ lucis desideria perfectè conuertant, ne cùm aliis apparẽt lucidi, sibimetipsis sint obscuri. Arrogãtes ergo quia bonorum facta considerant, corda nõ pensant, imitantur vnde laudari foris valeant, non vnde intus ad iustitiæ lumen surgant: & quasi ortum surgentis aurorę videre nesciunt, quia intentionem religiosæ mentis considerare contemnunt. Potest etiam sanctus vir gratia prophetici spiritus plenus, Iudææ perfidiam redemptore veniente conspicere, eiúsque cæcitatis damna per verba hæc quasi ex optantis qualitate prophetare, vt dicat: Expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis auroræ. Iudæa quippe lucem expectauit, & non vidit: quia humani generis redemptorem venturum quidem prophetando sustinuit, sed venientem minimè cognouit: & quos ad spem aperuit, mẽtis oculos, ad præsentiam lucis clausit. Quæ & surgentis auroræ ortum non vidit, quia infirma illa sanctæ Ecclesiæ primordia venerari contempsit: dúmque hanc labefactari suorum mortibus credidit, ad quæ B fortia peruenirẽt, ignorauit. Sed quia de infidelibus loquens, iniqui capitis membra innotuit, ad ipsum rursum iniquorum caput verba conuertit, dicens: *Quia non concludit ostia ventris, qui portauit me, nec abstulit mala ab oculis meis.*) Quod vnicuique hominum venter est matris, hoc vniuerso humano generi extitit habitatio illa summa paradisi. Ex ipsa nanque proles humani generis velut ex ventre prodiit, & quasi ad incrementa corporis, sic ad augmenta propaginis foras emanauit. Ibi cõceptio nostra coaluit, vbi origo hominũ homo primus habitauit. Sed huius ventris ostia serpens aperuit, quia persuasione callida in corde hominis mandatum cœleste dissoluit. Huius ventris ostia serpens aperuit, quia munita supernis monitis claustra mentis irrupit. Sanctus igitur vir in pœna quam tolerat, ad culpam mentis oculos reducat. Doleat hoc quod tenebrosa nox, id est, antiqui hostis obscura suggestio humanis mentibus intulit: doleat hoc quod suggestioni callidæ humana mens in sua deceptione consensit, & dicat: Quia non conclusit ostia ventris, qui portauit me, nec abstulit mala ab oculis meis. Nec moueat quòd non conclusisse quæritur, quem aperuisse paradisi ianuam detestatur. Non conclusit enim dicit, aperuit: & mala non abstulit, irrogauit. Quasi enim auferret, si quiesceret: & quasi clauderet, si ab irruptione cessaret. Pensat nanque de quo loquitur, & perpendit quòd prauo spiritui quasi lucra nobis dedisse fuerat, si damna non intulisset. Sic nos de latronibus loquimur, quia captiuis suis donant vitam, si non abstulerint. Libet hæc ab inchoatione repetere, atque ex eo quod in vsu præsentis vitæ recognoscimus, moraliter retractare. Beatus Iob considerans, postquam à mẽtis statu succubuit genus humanum, quanta in rebus prosperis fiducia subleuetur, vel quanta ex aduersis perturbatione frangatur, ad illum quem habere in paradiso potuit incommutabilitatis statum, mente recurrit, & mortalitatis lapsum per prospera & aduersa variãte, quàm despicabilem cerneret, maledicendo declarauit, dicens:

Quid sit quod Iob diem qua natus est, perire optat, & noctem in qua est conceptus: & cur homo in die dicatur nasci, in nocte verò concipi. Caput XV.

PEreat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est. Conceptus est homo.) Quasi dies quædam est, cùm mundi huius prosperitas arridet. Sed dies iste in noctem desinit, quia sæpe tẽporalis prosperitas ad tribulationis tenebras perducit. Hunc prosperitatis diem Propheta despexerat, cùm dicebat: Diem *Hier.17.* hominis non concupiui, tu scis. Hanc tribulationis noctem postremo incarnationis suæ tempore passurum se Dominus nuntiabat, cùm per Psalmistam quasi ex prẽterito diceret: Vs- *Psal.35.* que ad noctem increpuerunt mereres mei. Potest autem per diem, peccati delectatio, per noctem verò cæcitas mentis intelligi, per quam se homo patitur in culpæ perpetratione prosterni. Optat igitur perire diem, vt omne quod blandiri culpa cernitur, vigore iustitiæ interueniente destruatur. Optat etiã perire noctem, vt quod cæcata mens etiam per cõsensum perpetrat, animaduersione pœnitentię extinguat. Sed quęrẽdum nobis est, cur in die homo natus dicitur, In nocte conceptus? Scriptura sacra tribus modis hominem appellat, scilicet aliquando per naturam, aliquando per culpam, aliquando per

Homo tribus modis dicitur. in firmitatem. Homo quippe per naturam dicitur, sicut scriptum est: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem
Gene 1. nostram. Homo per culpam, sicut scriptum est: Ego dixi dij
Psalm.81. estis, & filij excelsi omnes, vos autem sicut homines moriemini. Ac si apertè dicat: Sicut delinquentes obibitis. Vnde
1.Corinth.3. & Apostolus Paulus ait: Cùm sit inter vos zelus & contentio, nónne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Ac si apertè dicat: Qui discordes mentes ducitis, nónne adhuc ex reprehensibili humanitate peccatis? Homo per infirmitatem dicitur, sicut scriptum est: Maledictus homo qui
Hiere.17. spem suam ponit in homine. Ac si apertè diceret, in infirmitate. Homo ergo in die nascitur, sed in nocte concipitur, quia nequaquam ad delectationem peccati rapitur, nisi prius per voluntarias mentis tenebras infirmetur. Antè enim cæcus in mente fit, & postmodum se reprobæ delectationi substernit. Dicatur ergo: Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo, id est, pereat delectatio quæ in culpam hominem rapuit, pereat incauta mentis infirmitas, quæ eum vsque ad tenebras prauí consensus excæcauit. Homo enim dum blandimenta delectationis cautè nõ perspicit, etiam in noctem nequissimę perpetrationis ruit. Solerter ergo vigilandum est, vt cùm blandiri culpa inchoat, ad quantum interitum mens trahatur, agnoscat. Vnde & aptè subditur: *Dies illa vertatur in tenebras.*) Dies quippe in tenebras vertitur, cùm culpa in ipso delectationis exordio ad quem perditionis finem rapiet, videtur. In tenebras ergo diem vertimus, cùm nosmetipsos districtè punientes, ipsa delectationis prauæ blandimenta per districta pœnitentiæ laméta cruciamus, & cùm flendo insequimur, quicquid in corde taciti ex delectatione peccamus. Quia enim fidelis quisque cogitationes in iudicio exquiri subtiliter non ignorat: Paulo attestante,
Roma.2. qui ait: Inter se inuicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium introrsus discutiens, ante iudicium vehementer examinat, vt districtus iudex eò iam tranquillius veniat, quò reatum suum quem discutere appetit, iam pro culpa punitum cernit. Vnde & rectè subiungitur:

Quòd à nobis non requirat Deus quæ per pœnitentiam constat esse dimissa. Caput XVI.

16 *Quæ requirit Deus.* NOn *requirat eum Deus desuper.*) Requirit Deus quæ iudicando discutit, non requirit quæ ignoscendo in suo iam iudicio impunita derelinquit. Hic itaq; dies, id est, hæc peccati delectatio à Domino non requiritur, si animaduersione
1. Corint.11. spontanea punitur, Paulo attestante qui ait: Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique à Domino iudicaremur. Deo ergo diem nostrum requirere, est contra mentem nostram subtiliter in iudicio, omne quod de culpa gratulamur † admissũ
† *al. gratulatur: indagare.* indagare. In qua scilicet requisitione, illum tunc seuerius percutit, quem sibi nunc mollius pepercisse deprehendit. Bene autem sequitur: *Et non illustret lumine.*) In iudicio nãque Dominus apparens, omne quod tunc redarguit, lumine illustrat. Quasi enim sub quadam obscuritate tegitur quicquid tunc in memoriam iudicis non reuocatur. Scriptum quippe est:
Ephe.5. Omnia autem quæ arguuntur, à lumine manifestantur. Quasi quædam tenebræ peccata pœnitentium abscõduntur de quibus per Prophetam dicitur: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &
Psalm.31. quorũ tecta sunt peccata. Quia ergo omne quod tegitur, velut in tenebris occultatur, in die extremi iudicij non illustratur lumine, quod non discutitur vltione. Actus nanque nostros, quos tunc iustè punire noluerit, ipsa sibi aliquo modo sciens diuina misericordia abscondit. In lumine verò ostenditur, quicquid tunc in cõspectu omnium demonstratur. Hic ergo dies vertatur in tenebras, vt videlicet omne quod delinquimus, nos per pœnitẽtiam ferimus. Hunc diem Dominus non requirat, & lumine non illustret, vt scilicet nobis culpam nostram ferientibus, ipse hanc extremi iudicij animaduersione non increpet. Ipse autem iudex venturus est, qui cuncta penetret, cuncta perstringat. Qui quia vbique est,
19 & locus quo fugiatur, non est. Sed quia correctionis nostræ fletibus placatur, solus ab illo locum fugæ inuenit, qui post perpetratam culpam nunc se in pœnitentia abscondit. Vnde & aptè adhuc de hoc delectationis die subiungitur:

E *Quòd carnalis delectationis diem tenebræ fletuum & pœnitentiæ lamentæ, & recordatio mortis obscurent.* Caput XVII.

OBscurent eum tenebræ & vmbra mortis.) Diem profectò tenebræ obscurant, quando delectationem mentis inflicta pœnitentiæ lamenta transuerberant. Possunt etiam per tenebras occulta iudicia designari. In luce nanque quod videmus agnoscimus, in tenebris verò aut omnino nihil cernimus, aut incerto visu caligamus. Occulta ergo iudicia quasi quædam ante nostros oculos tenebræ sunt, quia perscrutari nequaquã
possunt. Vnde & de Deo scriptum est: Posuit tenebras lati- *Psalm.17.*
bulum suum. Et quia absolui non meremur agnoscimus, sed præueniente nos diuina gratia per eius iudicia occulta liberamur. Diem igitur tenebræ obscurant, cùm flendum nostræ delectationis gaudium, ab illo iustæ animaduersionis radio, inscrutabilia eius iudicia misericorditer occultant. Vnde & aptè subiungitur: *Et vmbra mortis*) In scriptura enim sacra vm- 20
bra mortis aliquando obliuio mentis accipitur, aliquando
F imitatio diaboli, aliquando mors carnis. Vmbra enim mortis, obliuio mentis accipitur, quia, vt & superius diximus, sicut mors hoc quod interficit, agit vt non sit in vita, & obliuio hoc quod intercipit, agit vt non sit in memoria. Vnde & rectè quia Ioãnes Hebræorum populo eum cuius obliti fuerãt *Lucæ.1.*
Deum prædicare veniebat, per Zachariam dicitur: Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent. In vmbra enim mortis sedere, est à diuini amoris notitia in obliuione † † *al. lassescere.*
latescere. Vmbra mortis imitatio antiqui hostis accipitur. Ipse enim quia mortem intulit, mors vocatur, Ioanne attestan- *Apoca.6.*
te, qui ait: Et nomen illi mors. Per vmbram igitur mortis, eius imitatio designatur, quia sicut vmbra iuxta qualitatem corporis ducitur, ita actiones iniquorum de specie imitationis eius exprimuntur. Vnde rectè Esaias cùm gentiles populos † ab antiqui hostis cerneret imitatione defecisse, eósque † *al. in*
ad veri solis ortum resurgere, quæ certò futura considerat, quasi ex præteritis narrat, dicens: Sedentibus in tenebris & *Esaiæ 9.*
G vmbra mortis, lux orta est eis. Vmbra enim mortis mors carnis accipitur, quia sicut vera mors est, qua anima separatur à Deo, ita vmbra mortis est qua caro separatur ab anima. Vnde rectè voce martyrum per Prophetam dicitur: Humiliasti *Psalm.43.*
nos in loco afflictionis, & operuit nos vmbra mortis. Quos enim constat non spiritu, sed sola carne mori, nequaquam se vera morte, sed vmbra mortis dicunt operiri. Quid est ergo quod beatus Iob, ad obscurandum diem prauæ delectationis, postulat vmbram mortis, nisi quòd ad delenda peccata ante Dei oculos Dei & hominum mediatorem requirit, qui solam pro nobis mortem carnis susciperet, & veram mortem delinquentium per vmbrã suæ mortis deleret? Ad nos quippe venit, qui in morte spiritus carnísque tenebamur: vnam ad nos ad suam mortem detulit, & duas nostras quas reperit soluit. Si enim ipse vtranque susciperet, nos à nulla liberaret. Sed vnam misericorditer accepit, & iustè vtranque donauit. Simplam suam duplæ nostræ contulit, & duplam nostram moriens subegit. Vnde & non immeritò vno die in sepulchro
H & duabus noctibus iacuit, quia videlicet lucem suæ simplæ mortis, tenebris duplæ nostræ mortis adiunxit. Qui ergo solam pro nobis mortem carnis suscepit, vmbrã mortis pertulit, & à Dei oculis culpam quam fecimus abscondit. Dicatur igitur rectè: Obscurent eum tenebræ & vmbra mortis. Acsi apertè diceretur: Ille veniat, qui vt à morte carnis & spiritus debitores eripiat, mortem carnis non debens soluat. Sed quia 21
nullum peccatum Dominus inultum relaxat: aut enim nos *Nullũ peccatũ Dominus inultũ relaxat.*
hoc flendo insequimur, aut ipse iudicando reseruat, restat vt ad emendationem suam semper mens solerter inuigilet. In quo ergo sibi quisq; misericorditer subueniri desiderat, hoc necesse est vt confitens tergat. Vnde & aptè subiungitur: *Occupet eum caligo.*) Quia enim in caligine oculus confundi-
tur, ipsa per pœnitentiam mentis nostræ confusio, caligo nominatur. Nam sicut caligo nebulosa congerie obscurat diem, ita confusio perturbatis cogitationibus obnubilat mentem. De qua per quendam dicitur: Est confusio adducens glo- *Eccles.4.*
riam. Cùm enim ad mentem malè gesta pœnitendo reducimus, graui mox mœrore confundimur, perstrepit in animo turba cogitationum, mœror conterit, anxietas deuastat, in ærumnam

ærumnam mens vertitur, & quasi quodam nubilo caliginis
A obscuratur. Hæc nanque caligo confusionis eorum mentem
Rom.6. salubriter oppresserat, quibus Apostolus dicebat: Quem enim fructum habuistis tũc in illis, in quibus nunc erubescitis? Hunc ergo peccati diem caligo occupet, id est, blandimentum nequitiæ, afflictio pœnitentiæ digno mœrore perturbet. Vnde & aptè subiungitur: *Inuoluatur amaritudine.*) Dies enim amaritudine inuoluitur, cùm ad cognitionem mente redeunte, peccati blandimenta cruciatus pœnitentiæ sequitur. Diem amaritudine inuoluimus, cùm prauæ delectationis gaudium quæ supplicia sequantur aspicimus, & asperis hoc fletibus circundamus. Quia enim hoc quod inuoluitur, ex latere omnis partis operitur, inuolui dies amaritudinẽ optatur, quatenus quæ mala incorrectis imminent, ex omni parte quisque conspiciat, & voluptatis suæ lasciuiam tristitiæ lamentis tergat. Sed si diem, quam peccati delectionem diximus, tot impeti precibus audiuimus, vt videlicet circundantes fletus expiẽt, quicquid delectatus per negligentiam animus deliquit, quanta animaduersione pœnitentiæ huius diei nox ferienda est, videlicet ipse iam consensus ad culpam? Sicut enim minoris culpæ est, cùm carnaliter mens in delectationem rapitur, sed tamen delectationi suæ per spiritum reluctatur, ita grauioris & plenæ nequitiæ est, ad peccati illecebram non solum delectatione pertrahi, sed etiam consensu famulari. Tantò igitur arctiori manu pœnitentiæ, mens à pollutione tergenda est, quantò se per consensum conspicit sordidius inquinatam. Vnde & aptè subiungitur: *Noctem illam tenebrosus turbo possideat.*) Quasi enim quidam turbo tempestatis, est concitatus spiritus mœroris. Nam dum peccatum quisque quod fecit, intelligit: dum prauitatis suæ nequitiam subtiliter pensat, mœrore mentem obnubilat, & quasi concusso serenæ lætitiæ aëre, omnem in se tranquillitatẽ cordis pœnitentiæ turbine deuastat. Nisi enim recognoscentem se animum iste turbo con-
Psal.47. tereret, nequaquã Propheta dixisset: In spiritu vehementi cõteres naues Tharsis. Tharsis quippe exploratio gaudij dicitur. Sed cùm vehemens pœnitentiæ spiritus mentem occupat, omnem in ea explorationẽ reprehensibilis gaudij perturbat, vt nihil ei iã nisi flere libeat, nihil nisi quod se terrere possit attendat. Ponit nanque ante oculos illinc districtionẽ iustitiæ, hinc meritum culpæ: cõspicit quo supplicio digna sit, si parcentis pietas desit, quæ per lamenta præsentia ab æterna eruere pœna consueuit. Spiritus ergo vehemens Tharsis naues conterit, cùm vis compunctionis valida, mentes nostras huic mundo, quasi mari deditas, salubri terrore confundit. Dicit ergo: Noctem illam tenebrosus turbo possideat, id est, perpetrationem culpæ, non blandimenta securæ quietis foueant, sed piè sæuiens amaritudo pœnitentiæ irrumpat. Sciendum verò est, quia cum peccata impunita relinquimus, à nocte possidemur: cùm verò hæc animaduersione pœnitentiæ plectimus, nimirum nos noctem, quam fecimus, possidemus. Sed tunc peccatum cordis sub iuris nostri possessionem re-
Gene.4. ducitur, si cùm incipit, reprimatur. Vnde & diuina voce Cain praua cogitanti dicitur: In foribus peccatum tuum aderit, sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. In foribus quippe peccatum adest, cùm in cogitationibus pulsat. Cuius appetitus subter est, eíque homo dominatur, si cordis nequitia inspecta citius prematur, & priusquã ad duritiam crescat, reluctanti menti subigatur. Vt ergo delictum suum citius animus sentiat, & culpæ tyrannidem sub iure suo pœnitendo restringat, dicatur rectè: *Noctem illam tenebrosus turbo possideat.*) Ac si apertè dicatur: Ne captiua mens culpæ seruiat, culpam à pœnitentia liberam non relinquat. Et quia quod flendo insequimur, nequaquam nobis à venturo iudice hoc obiici certè speramus, bene subditur:

Quòd à venturo iudice nequaquam nobis vltra obiiciatur, quod hic in nobis flendo insecuti sumus. Caput XVIII.

NOn *computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus.* Illuminationis nostræ annus tũc perficitur, quãdo apparẽte æterno iudice, sanctæ Ecclesiæ peregrinationis suæ vita cõpletur. Tunc laboris sui remunerationem recipit, cùm expleto hoc belli tempore ad patriam redit. Vnde bene per Prophetam dicitur: Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.
Psal.64. Quasi enim corona anni benedicitur: cùm finito laboris tem-
A pore virtutum remuneratio confertur. Dies verò huius anni *Annus benignitatis.*
sunt singulæ quæque virtutes, menses autem multiplicia fa- *Dies.*
cta virtutum. Sed ecce cùm per fiduciam mens erigitur, vt spe *Mensis.*
ret, quòd veniente iudice de virtutibus remuneretur, occurrunt eius memoriæ etiam mala quæ gessit, & valde formidat ne districtus iudex qui venit, vt virtutes remuneret, etiam ea quę illicitè gesta sunt examinans subtiliter penset, ne cùm annum complet, etiam noctem numeret. Dicat itaque de hac nocte: *Non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus.*) Ac si districtum iudicem exoret, dicens: Cùm expleto sanctæ Ecclesiæ tempore, extremo te examini manifestas, sic dona quæ contulisti remunera, vt mala quæ commisimus non requiras. Si enim nox illa in diebus anni computatur, omne quod egimus, ex prauitatis nostræ æstimatione confunditur. Et dies virtutum iam non lucent, si hos in conspectu tuo annumerata nostræ noctis tenebrosa confusio obscuret. Sed 23.
si de nocte nostra moueri tunc inquisitionem nolumus, magnopere nunc curandum est, vt nos in eius discussione vigi-
B lemus: ne quælibet nobis culpa impunita remaneat, ne mens peruersa quod fecit, defendere audeat, & defendendo nequitiæ nequitiam adiungat. Vnde & bene subditur:

Quod non relinquit peccatum solum, sed congeminat, qui quod malè agit, defendit: & quòd à radice Adam ramus iste erroris, hucusque in genere humano pullulat.

Caput XIX.

SIt *nox illa solitaria, nec laude digna.*) Sunt nonnulli qui non *Culpa cùm defenditur, geminatur.*
solum nequaquam deflent quod faciunt, sed etiam laudare & defendere non desinunt. Et nimirum dum defenditur, *Eccli.21.*
culpa geminatur. Contra quod rectè per quendam dicitur: Peccasti, non adiicias iterum. Peccatum quippe peccato adiicit, qui malè gesta etiam defendit: & noctem illam solitariam non relinquit, qui culpæ suæ tenebris etiam patrocinia defensionis adiungit. Hinc est quòd primus homo de erroris sui nocte requisitus, eandem noctem esse solitariam noluit, quia dum requisitione ad pœnitentiam vocaretur, ei adminicula excusationis adiunxit, dicẽs: Mulier quam dedisti mihi sociã: *Gene.3.*
C dedit mihi de ligno, & comedi: scilicet ex cessus sui vitium in auctorem latenter intorquens, ac si diceret: Tu occasionem delinquendi præbuisti, qui mulierem dedisti. Hinc est quòd huius erroris ramus in humano genere ex illa nunc vsque radice protrahitur, vt quod malè agitur, adhuc etiam defendatur. Dicatur ergo: *Sit nox illa solitaria, nec laude digna.*) Ac si apertè exoret: dicens: Culpa quam fecimus, sola remaneat, ne dum laudatur & defenditur, in conspectu nos nostri iudicis multiplicius astringat. Peccare quidem non debuimus, sed vtinam alia non iungentes, vel ea quæ fecimus, sola deseramus. Sed inter hæc sciendum est, quia ille culpam suam veraciter insequitur, qui iam ad amorem præsentis seculi nullo appetitu prosperitatis instigatur, qui huius mundi blandimẽta quàm sint fraudulenta considerat, fauorésque eius quasi quasdam persecutiones pensat. Vnde & bene subditur:

Quid sit quod dicitur: Maledicant ei, qui maledicunt diei, & quòd illi transactas culpas verè puniunt, qui seductoris insidias in ipsa suggestione deprehendunt. Caput XX.

D MAledicant *ei qui maledicunt diei*) Ac si apertè dicat: Illi huius noctis tenebras verè pœnitendo feriant, qui iam lucẽ prosperitatis seculi despicientes calcant. Si enim diẽ lætitiã delectationis accipimus, rectè de hac nocte dicit: Maledicant ei qui maledicũt diei: quia nimirum illi veraciter mala transacta per animaduersionem pœnitentiæ corrigunt, qui iam ad bona fallentia, nulla delectatione rapiuntur. Nam quos adhuc noxia alia delectant, falsum est quod cernitur, quia perpetrata alia deplorãt. Si autem, vt suprà dictum est, noctẽ, suggestionem callidam antiqui hostis accipimus, illi maledicere noctĩ intelligendi sunt, qui diei maledicunt, quia scilicet illi transactas culpas verè puniunt, qui maligni seductoris insidias in ipsa suggestione blanda deprehendũt. Bene autem subditur:

Quòd diabolum contra se suscitant, qui ea quæ mundi sunt, mente contemnunt, & ea quæ dei sunt, plena intentione desiderant.

Caput XXI.

QVi *parati sunt suscitare Leuiathan.*) Omnes enim qui ea quæ mundi sunt, mente calcant, & ea quæ Dei

sunt, plena intentione desiderant. Leuiathan contra se suscitant, quia eius malitiam instigatione suæ conuersationis inflammant. Nam qui eius voluntati subiecti sunt, quasi quieto ab illo iure possidentur, & superbus eorum rex quasi quadam securitate perfruitur, dum eorum cordibus inconcussa potestate dominatur. Sed cùm vniuscuiusq; spiritus ad conditoris sui desiderium recalescit, cùm torporem negligentiæ deserit, & frigus insensibilitatis pristinæ igne sancti amoris accendit: cùm libertatis ingenitæ meminit, & teneri ab hoste seruus erubescit: quia idem hostis se considerat despici, quia vias Dei videt apprehendi, dolet contra se captum reniti, & mox zelo accenditur, mox ad certamen mouetur, mox ad tentationes innumeras contra rebellantem mentem se excitat, atque in omni arte lacerationis instigat, vt tentationum iacula intorquendo confodiat cor, quod dudum quieto iure possidebat. Quasi dormiebat quippe, dum sopitus in prauo corde quiesceret: sed excitatur in prouocatione certaminis, cùm ius amiserit peruersæ dominationis. Huic ergo nocti maledicant, qui parati sunt suscitare Leuiathan, id est, hi se contra peccatum fortiter in iudicio districtionis erigant, qui in suis tẽtationibus excitare antiquum aduersarium non formidant. Scriptum nanque est: Fili accedens ad seruitutem
Eccle.2. Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Quisquis enim accingi in diuino seruitio properat, quid aliud quàm se contra antiqui aduersarij certamen parat, vt liber in certamine ictus suscipiat, qui quietus sub tyranno in captiuitate seruiebat? Sed in eo ipso quòd mens contra hostem accingitur, quòd alia vitia subigit, aliis reluctatur, aliquando de culpa aliquid, quod tamen non valde noceat, remanere permittitur. Et sæpe mens quæ aduersa multa & fortia superat, vnum in se & fortasse minimum, quanuis magna intentione inuigilet, non expugnat. Quod diuina nimirum dispensatione agitur, ne ex omni parte virtutibus splendens, in elatione subleuetur, vt dum in se parum quid reprehensibile videt, & tamen hoc subigere non valet, nequaquam sibi, sed authori victoriam tribuat in his, quæ subigere fortiter valet. Vnde & bene subiungitur:

Quod sancti nolentes aliquas peccati reliquias trahant, & quòd ad erudiendum Israelem tributarius in medio Effraim relinquatur Chananæus. *Caput* XXII.

O*btenebrentur stellæ caligine eius.*) Stellæ quippe huius noctis caligine tenebrantur, quando & hi qui magnis iam virtutibus splendent, adhuc de obscuritate culpæ aliquid renitentes sustinent, vt etiam magna vitæ claritate luceant, & tamen adhuc noctis reliquias nolentes trahant. Quod ad hoc, sicut dictum est, agitur, vt mens proficiens ad virtutem iustitiæ sua melius infirmitate roboretur, & inde verius in bonis luceat, vnde eam etiam nolentem, parua reprehensibilia humiliter obscurant. Vnde & bene cùm Israëlitico populo percepta repromissionis terra partiretur, Effraim tribui Chananæus gentilis populus non occisus, sed factus tributarius
Iosue.16. dicitur, sicut scriptum est: Habitauit Chananæus in medio Effraim tributarius. Quid enim Chananæus, gentilis videlicet populus, nisi vitium significat? Et sæpe magnis virtutibus terram promissionis ingredimur, quia spe intima de æternita-
25 te roboramur. Sed dum inter acta sublimia, vitia quædam parua retinemus, quasi Chananæum viuere in terra nostra concedimus. Qui tamen nobis tributarius efficitur, quia hoc ipsum vitium quod subigere non possumus, ad vsum nostræ vtilitatis humiliter retorquemus, vt eò de se mens & in summis vilia sentiat, quò suis viribus etiam parua quæ appetit, nõ
Iud.3. expugnat. Vnde & bene rursum scriptum est: Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israëlem. Ad hoc nanque quædam minima vitia nostra retinentur, vt sese nostra intentio sollicitam in certamine semper exerceat, & eò de victoria non superbiat, quo viuere in se hostes conspicit, à quibus adhuc vinci formidat. Israël ergo reseruatis gentibus eruditur, quando in quibusdam minimis vitiis elatio virtutis nostræ comprimitur, & in paruis sibi resistentibus discit quòd ex se maiora non subigit. Hoc tamen quod dicitur: Obtenebrentur stellæ caligine eius, intelligi & aliter potest. Nox quippe illa, consensus videlicet ad culpam, quæ ad nos primi parentis est excessu propagata, mentis nostræ oculum tanta obscuritate perculit, vt [omnis homo] in huius vitæ exilio, cæcitatis suæ tenebris pressus, quantalibet vi ad æternitatis lumen intenderit, penetrare non posit. Post pœnam nanque damnati peccatores nascimur, atque ad hanc vitam cum mortis nostræ merito venimus, & cùm ad supernæ lucis radium aciem mentis erigimus, ipsa infirmitatis nostræ obscuritate caligamus. Et quidem multi in hac infirmitate carnis tanta virtute roborati sunt, vt resplendere mundo quasi stellæ potuissent. Multi in tenebris vitæ præsentis, dum superiora de se exempla exhibent, astrorum more nobis desuper lucent, sed quantalibet coruscatione operis fulgeant, quantolibet se igne compunctionis accendant: nimirum cõstat, quia dum corruptibili adhuc carne grauati sunt, æternum lumen sicut est, videre nequaquam possunt, dicat ergo: *Obtenebrentur stellæ caligine eius,*) id est, etiam illi in contemplatione sua, antiquæ noctis adhuc tenebras sentiant, de quibus nimirum constat quòd humano generi in huius vitæ caligine, virtutum suarum iam radios expandant: quia etsi mente iam ad summa exiliunt, adhuc tamen in infimis primæ culpæ pondere grauantur. Vnde fit, vt & foris exempla lucis velut astra præbeant, sed tamen intus vsque ad fixæ visionis certitudinem presi noctis caligine, non ascendant. Sæpe autem ita mens accenditur, vt qnanuis in carne sit posita, in Deum tamen omni subiugata carnali cogitatione, rapiatur: nec tamen Deum sicut est, conspicit, quia hanc nimirum, sicut dictum est, in carne corruptibili pondus primæ damnationis premit. Sæpe etiam ita vt est, se absorberi desiderat, vt æternam vitam, si posit fieri, sine interuentu corporeæ mortis attingat. Vnde Apostolus Paulus cùm ardenter internam lucem quæreret, sed tamen vtcunque exterioris mortis damna formida-
ret, ait: Quãdiu sumus in hoc habitaculo, ingemiscimus gra- 2.Corinth.5.
uati, eo quòd nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est, à vita. Sancti igitur viri videre ve- 26
rum mane appetunt, &, si concedatur, etiam cum corpore illud attingere lucis intimæ secretum volunt. Sed quantolibet ardore intentionis exiliant, adhuc antiqua nox aggrauat, & corruptibilis huius carnis oculos, quos hostis callidus ad concupiscentiam aperuit, iustus iudex à contuitu interni sui fulgoris premit. Vnde & bene subditur:

Quod quantalibet virtute sancti nunc fulgeant, resurrectionis tamen gloriam nondum intelligunt, quam expectant. *Caput* XXIII.

E*Xpectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis auroræ.*) Quantalibet nanq; intentione adhuc peregrina mens satagat, videre lucem æternam sicut est, non valet: quia hanc ei damnationis suæ cæcitas abscondit. Ortus verò auroræ, est illa noua natiuitas resurrectionis, qua sancta Ecclesia etiam carne suscitata oritur ad contemplandum lumen æternitatis. Si enim ipsa carnis nostræ resurrectio quasi quædam natiuitas non esset, de ea veritas non dixisset: In regeneratione cum Matth.19. sederit filius hominis in sede maiestatis suæ. Esse ergo hanc ortam vidit, quam regenerationem vocauit. Sed quantalibet virtute electi nunc fulgeant, quæ erit illa nouæ natiuitatis gloria, penetrare nequeunt, qua tunc cum carne ad contemplandum æternitatis lumen ascendunt. Vnde & Apostolus Paulus ait: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in 1.Corin.2. cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Dicat ergo: *Expectet lucem & non videat, nec ortum surgentis auroræ,* quia spontaneo vitio tenebrata nostra infirmitas, nisi prius per mortem pœnæ suæ debitum soluat, claritatem lucis internæ non penetrat. Sequitur:

Quòd iustitia exigit, vt ea inuiti patiamur, quæ ex arbitrio & sponte volentes fecimus. *Caput* XXIIII.

Q*Via non conclusit ostia ventris, qui portauit me, nec abstulit mala ab oculis meis.*) Sicut & superius dictum est, non conclusit, dicit, aperuit: & non abstulit, irrogauit. Hæc itaq; nox videlicet culpa, ostia ventris aperuit: quia concepto ad peccatum homini desideria concupiscẽtiæ carnalis reserauit. Ostia quippe vẽtris, sunt desideria cõcupiscentiæ carnalis, de quib⁹ per Prophetam dicitur: Intra in cubicula tua, & claude ostia Esaiæ.26. tua. Cubicula quippe ingredimur, cùm secreta mentis nostræ intramus. Ostia autem claudimus, cùm desideria illicita coërcemus. Hæc itaque concupiscentiæ carnalis ostia, dum consensus noster

sensus noster aperuit, ad innumera nos mala corruptionis pertraxit. Vnde etiam nunc sub mortalitatis pondere gemimus: quanuis ad hanc arbitrio nostro venerimus, quia & iudicij sic iustitia exigit, vt quod sponte fecimus, inuiti toleremus. Sequitur:

Quòd peccatum quatuor modis in corde, & quatuor consummatur in opere. *Caput* XXV.

Q*Vare non in vulua mortuus sum? Egressus ex vtero non statim perij? Cur exceptus genibus? Cur lactatus vberibus?*) Absit nos credere, quòd beatus Iob tanta spiritus scientia præditus, tanta interni iudicis attestatione laudatus, abortiuum se optet interiisse. Sed quia, sicut etiam per remunerationem cognoscitur, intus habet testem suæ fortitudinis, intus pensan-
27. da sunt eius pondera locutionis. Quatuor quippe modis peccatum perpetratur in corde, quatuor cõsummatur in opere. In corde nanque suggestione, delectatione, consensu, & defensionis audacia perpetratur. Fit enim suggestio per aduersarium, delectatio per carnem, consensus per spiritum, defensionis audacia per elationem. Culpa enim quæ terrere mentem debuit, extollit, & deiiciendo eleuat, sed grauius eleuando supplantat. Vnde & illam primi hominis rectitudinem antiquus hostis his quatuor ictibus fregit. Nam serpens suasit, Eua delectata est, Adam consensit, qui etiam requisitus, confiteri culpam per audaciam noluit. Hoc verò in humano genere quotidie agitur, quod actum in primo parente nostri generis non ignoratur. Serpens suasit: quia occultus hostis mala cordibus hominum latenter suggerit: Eua delectata est: quia carnalis sensus, ad verba serpentis mox se delectationi substernit. Consensum verò Adam mulieri præpositus præbuit: quia dum caro in delectationem rapitur, etiam à sua rectitudine spiritus infirmatus inclinatur. Et requisitus Adam confiteri culpam noluit: quia videlicet spiritus quò peccando à veritate disiungitur, eò in ruinæ suæ audacia nequius obduratur. Eisdem etiã quatuor modis, peccatum cõsummatur in opere. Prius nanque latens culpa agitur: postmodum verò etiã ante oculos hominum sine cõfusione reatus aperitur: dehinc & in consuetudinem ducitur: ad extremum verò, vel falsæ spei seductionibus, vel obstinatione miseræ desperationis enutritur. Hos itaque peccati modos, qui vel in corde latẽter fiunt, vel patenter opere perpetrantur, beatus Iob considerat, & humanum genus in quot peccatorum gradibus lapsum sit, deplorat dicens: *Quare non in vulua mortuus sum? egressus ex vtero nõ statim perij? Cur exceptus genibus? Cur lactatus vberibus?*) Prima enim vulua conceptionis fuit lingua malæ suggestionis. Sed peccator in vulua moreretur, si moriturum se homo in ipsa suggestione cognosceret. Qui tamen ex vtero egressus est, quia postquàm in peccato eum suggerens lingua cõcepit, foras mox etiam delectatio rapuit. Post egresionẽ verò exceptus est genibus, quia cùm ad delectationẽ carnis prodiit, nimirum culpam per consensionem spiritus, subiectis cunctis sensibus, quasi suppositis genibus cõsummauit. Sed genibus exceptus, etiam vberibus est lactatus. In consensu enim culpæ addictis spiritus sensibus, multa casfæ fiduciæ argumenta subsecuta sunt, quæ natam in peccato animam, virulento lacte nutrierunt, & ne aspera mortis supplicia metueret, hanc blandis excusationibus fouerunt.
28. Vnde & primus homo post culpam audacior extitit, di-
Gene.3. cens: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Qui quidem per timorem semetipsum absconsurus fugerat, sed tamen requisitus innotuit quantum etiam timens timebat. Cùm enim ex peccato præsens pœna metuitur, & amissa Dei facies non amatur: timor ex tumore est, nõ ex humilitate. Superbit quippe, qui peccatum, si liceat non puniri, non deserit. Sed his, sicut dictum est, quatuor modis culpa, vt in corde agitur, etiam opere perpetratur. Ait enim: *Quare non in vulua mortuus sum?*) Vulua quippe peccantis, est hominis culpa latens, quæ occultè peccatorem concipit, & reatum suum adhuc in tenebris abscondit, *Egressus ex vtero non statim perij?*) A vulua de vtero exitur, cùm peccator quæ in occulto commiserit, hæc etiam in aperto committere non erubescit. Quasi enim ab occultationis suæ vulua processe-
Esaiæ.3. rant, de quibus Propheta dicebat: Et peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt. *Quare exceptus genibus?*) Quia nimirum peccator, cùm iam de in[illegible] non confunditur, in iniquitate eadem etiam adm[illegible] pessimę consuetudinis roboratur. Quasi genibus peccat[illegible] tur vt crescat, dum culpa cõsuetudinibus firmatur, vt [illegible] *Cur lactatus vberibus?*) Quia dum prodire culpa in vsum co[illegible]rit, nimirum se vel falsa spe diuinæ misericordiæ, vel aperta miseria desperationis pascit, vt eò nequaquam ad correptionem redeat, quò vel factorem suum, pium sibi inordinatè simulat, vel hoc quod fecit, inordinatè formidat. Beatus igitur vir humani generis lapsus aspicit, & quibus præcipitiis mersum sit in foueam iniquitatis intendit, dicẽs: *Quare nõ in vulua mortuus sum?*) id est, in ipsa occulta perpetratione peccati, cur à carnis vita mortificare me nolui? *Egressus ex vtero non statim perij?*) id est, postquàm ad apertam iniquitatem exij, cur me tunc saltem perditum non cognoui? Perisset quippe in suo iudicio, si se perditum cognouisset. *Quare exceptus genibus?*) id est, etiam post apertam culpam, cur me adhuc in illa etiã cõsuetudo suscepit, vt valẽtiorem ad nequitias redderet, & prauis me vsibus sustinens foueret? *Cur lactatus vberibus?*) id est, postquàm in culpæ consuetudinem veni, cur me ad atrociorem nequitiam, vel falsæ spei fiducia, vel lacte miseræ desperationis enutriui? Cum enim culpa in vsum venerit, ei iam animus etiam si appetat, debilius resistit: quia quot vicibus prauæ frequentationis astringitur, quasi tot vinculis ad men-
tem ligatur. Vnde fit vt eneruis animus, cùm solui non va- 29.
let, ad quædam se solatia falsæ cosolationis inclinet, quatenus venturum iudicem tantæ sibi misericordiæ spondeat: vt eos etiam quos arguendos inuenerit, penitus non occidat. Cui rei hoc deterius accidit, quod ei multorum similium lingua consentit? cùm multi etiam malè gesta laudibus exaggerant. Vnde fit vt incessanter crescat culpa, fauoribus nutrita. Curari autẽ vuln⁹ negligitur, quod dignum premio laudis videtur. Vnde bene per Salomonem dicitur: Fili mi, si te lactaue- Prouer.1.
rint peccatores, ne acquiescas eis. Peccatores etenim lactant, Pecc[illegible] lactant.
cùm vel perpetranda mala blandimentis inferunt, vel perpetrata fauoribus extollunt. An non lactatur, de quo per Psalmistam dicitur: Quoniam laudatur peccator in desideriis a- Psalm.9.
nimæ suæ: & qui iniqua gerit benedicitur? Sciẽdum quoque est quòd tres illi modi peccantium iuxta descẽsus sui ordinẽ facilius corriguntur, quartus verò iste difficilius emẽdatur. Vnde & redemptor noster puellam in domo, iuuenem extra portam, in sepulchro autem Lazarum suscitauit. Adhuc quippe quasi mortuus iacet in domo, qui latet in peccato. Iã quasi extra portã educitur, cuius iniquitas vsque ad inuerecundiam publicę perpetrationis aperitur. Sepulturę verò aggere premitur, qui in perpetratione nequitiæ etiam vsu consuetudinis pressus grauatur. Sed hos ad vitam miserat⁹ reuocat, quia plerunque diuina gratia, non solum in occultis, sed etiam in apertis iniquitatibus mortuos, & mole prauæ cõsuetudinis pressos, respectus sui lumine illustrat. Quartum verò mortuum redẽptor noster nũtiante discipulo agnoscit, nec tamen suscitat: quia valde difficile est, vt is quem post vsum malę consuetudinis etiam ad vltimum adulantium linguę excipiunt, à mentis suæ morte reuocetur. De quo & bene dici-
tur: Sine mortuos sepelire mortuos. Mortui enim mortuos se- Lucæ 9.
peliunt, cùm peccatores peccatorẽ fauoribus premũt. Quid Mortui sepeliunt mortuos.
est enim aliud peccare quàm occũbere, & sepelire, quàm abscõdere? Sed qui peccantem laudibus prosequũtur, extinctũ sub verborũ suorum aggere abscõdunt. Erat autem & Lazarus mortuus, sed tamen nõ à mortuis sepultus. Fideles quippe mulieres illum obruerant, quæ & eius mortem viuificatori nuntiabant. Vnde & protinus ad lucem rediit, quia cùm in peccato animus moritur, citius ad vitam reducitur, si super hunc sollicitę cogitationes viuunt. Aliquãdo autem, sicut & superius dictum est, falsa spes mentem non intercipit, sed hãc deterior desperatio configit: quæ dum omnem spem veniæ funditus interimit, erroris lacte animam vberius nutrit.

Primi homines si non peccassent, qualis fuisset conditio. *Caput* XXVI.

C*Onsideret igitur sanctus vir post primam culpam quãta deterius homo mala commisit, postquàm paradisum 30.
perdidit, vsque ad quanta huius exilij prærupta descendit, & dicat: *Quare non in vulua mortuus sum:*) id est, cùm serpentis

suggestio peccatorem me conciperet, tunc vtinam quæ me mors sequeretur, agnouissem, ne vsque ad delectationē suggestio raperet, & morti arctius ligaret. *Egressus ex vtero non statim perijs?*) Ac si dicat: Vtinam ad exteriorem delectationem exiens, quod interiore lumine priuabar, agnouissem: & saltē in ipsa delectatione occumberem, ne per consensum mors acrius puniret. *Cur exceptus genibus?*) Ac si dicat: Vtinam minimè me consensus subiectis prauitati sensibus excepisset, ne ipsa me consensio ad audaciam deterius raperet. *Cur lactatus vberibus?*) Ac si dicat: Vtinam blandiri saltem mihi post mala perpetrata noluissem, ne tantò me culpæ nequius astringerē, quātò me in illa mollius fouerem. His itaque reprehensionū suarum vocibus in parente primo se peccasse redarguit. Sed si ad ærumnam huius exilij nequaquā homo peccando descēderet, dicat qua perfrui quiete potuisset. Sequitur: *Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem.*) Ad hoc in paradiso homo positus fuerat, vt si se ad cōditoris sui obedientiā vinculis charitatis astringeret, ad cœlestem angelorum patriam quandòque sine carnis morte transiret. Sic nanque est immortalis conditus, vt tamen si peccaret, & mori posset: & sic mortalis est conditus, vt si non peccaret, etiam non mori posset: atq; ex merito liberi arbitrij beatitudinē illius regionis attingeret, in qua vel peccare, vel mori non posset. Vbi igitur post redemptionis tempus carnis morte interposita, electi transeunt, illuc proculdubio parentes primi si in conditionis suæ statu perstitissent, etiam sine morte corporum trāsferri potuissent. Dormiēs igitur sileret, & somno suo homo requiesceret: dum ad æternæ requiem patriæ ductus, quasi secessum quendam à clamore hoc humanæ infirmitatis inueniret. Post peccatum nanque quasi clamans vigilat, qui contentionem carnis propriæ repugnans portat. Hoc quietis silentium iam, homo conditus habuit, cùm contra hostem suū liberum voluntatis arbitrium accepit. Cui quia sua sponte succubuit, mox de se quod contra se perstreperet, inuenit, mox in certamine infirmitatis tumultus reperit: & quanuis in pacis silentio ab auctore fuerat conditus, hosti tamen sponte substratus, clamores de pugna tolerauit. Ipsa enim carnis suggestio, quasi quidam clamor est contra quietem mentis, quā ante transgressionem homo non sentit: quia nimirum quod de infirmitate posset tolerare, non habuit. Postquàm verò se spōte hosti subdidit, astrictus culpę suæ vinculis, in quibusdam ei etiam nolēs seruit, & clamores in mente patitur, cùm caro spiritui reluctatur. An non clamores intrinsecus audiebat, qui prauæ contra se legis verba tolerabat, dicens: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mētis meæ, & captiuum me ducentem in legem peccati, quæ est in mēbris meis? Contempletur ergo vir sanctus in quāta cordis pace quiesceret, si serpentis verba suscipere homo noluisset, & dicat: *Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem,*) id est, intra mentis secretum ad conditoris contemplationem secederem: nisi me extra me tentationum tumultibus consensus primæ culpæ prodidisset. Huius autem quietis gaudiis cum quibus etiam sociis perfrueretur, adiungit dicens:

Roma.7.

Quòd per reges & consules, sanctos velit angelos intelligi, cum quibus homo cōuenisset ab initio, nisi ipse onus peccati voluntariè sumpsisset.

Caput XXVII.

31. CVm regibus & consulibus terræ.) Ex rebus insensibilibus discimus, quid de sensibilibus atque intelligibilibus sentiamus. Terra nanque aëre fœcundatur, aër autem ex cœli qualitate disponitur. Sic iumentis homines, hominibus angeli, archangeli verò angelis prēsunt. Nam quòd iumentis homines præsint, & vsu cernimus, & verbis Psalmistæ docemur, qui ait: Omnia subiecisti sub pedib' eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora cāpi. Quia verò hominibus angeli præsint, per Prophetam testatur angelus dicēs: Princeps regni Persarū restitit mihi. Quòd verò angeli à superiorum angelorū potestatibus dispētentur, Zacharias propheta perhibet, qui ait: Ecce angelus qui loquebat in me, egrediebatur, & angelus alius egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eum: Curre & loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Hierusalē. Si enim in ipsis officiis sanctorū spirituum nequaquā potestates summæ minimas dispone-

Psalm.8.
Danie.10.
Zacha.2.

E rent: nullo modo hoc quod homini diceret angelus, ab angelo cognouisset. Quia igitur cunctorum conditor, omnia per semetipsum tenet, & tamen ad distinguendum pulchrę vniuersitatis ordinem, alia aliis dispensantibus regit, non immeritò reges, angelorum spiritus accipimus, qui quò auctori omnium familiarius seruiunt, cò subiecta potius regunt. Cum regibus ergo dormiret: quia nimirum iam cum angelis homo quiesceret, si persuasoris linguā sequi noluisset. Qui bene etiam consules vocantur, quia spiritali reipublicæ consulunt, dum nos sibi ad regnum socios iungunt. Bene consules vocantur: quia dum ipsis nuntiantibus voluntatem conditoris agnoscimus, in eis procul dubio consultum ab hac angustia nostræ tribulationis inuenimus. Sed quia beatus Iob 32.
sancto æternitatis spiritu impletur, & fuisse vel futurū esse ęternitas non habet, cui nimirum nec præterita transeunt, nec quæ futura sunt veniunt: quia cuncta per præsens videt, potest futuros prædicatores Ecclesiæ in præsentia spiritus contemplari, qui postquam de corpòribus transeunt, nequaquā
F per morarum spatia, sicut antiqui patres, à cœlestis patrię perceptione differuntur. Mox quippe vt à carnis colligatione exeunt, in cœlesti sede quiescunt, Paulo attestante, qui ait: Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Prius autem quàm Redemptor noster morte sua, humani generis pœnam solueret, eos etiam qui cœlestis patriæ vias sectati sunt, post egressum carnis, inferni caustra tenuerunt: non vt pœna quasi peccatores plecteret, sed vt eos in locis remotioribus quiescentes, quia necdum intercessio mediatoris aduenerat, ab ingressu *2.Cor.5.* *Luc.16.*
regni, reatus primæ culpæ prohiberet. Vnde iuxta eiusdem redemptoris nostri testimonium, diues qui apud inferos torquetur, in sinu Abrahæ requiescere Lazarum contemplatur. Qui profectò si adhuc in imis non essent, hos ille in tormentis positus non videret. Vnde & idem redemptor noster pro nostræ culpæ debito occumbens, inferna pene-
G trat, vt suos qui ei inhæserant, ad cœlestia reducat. Sed quò nunc homo redemptus ascēdit, illuc profectò si peccare noluisset, etiam sine redemptione pertingeret. Consideret ergo vir sanctus, quia si non peccasset, illuc etiam non redemptus ascenderet, ad quod prædicatores sanctos, post redemptionem necesse est cum magno labore peruenire. Et cum quibus iam nunc quiesceret, insinuet dicens: *Cum regibus & consulibus terræ.* Reges quippe sunt sancti prædicatores Ecclesiæ, qui & commissos sibi rectè disponere, & sua bene regere corpora sciunt, quia dum desideriorum motus in se temperant, super subiectis cogitationibus lege virtutis regnant. Qui bene etiam terræ consules vocantur. Reges enim sunt, quia sibimet ipsis præsident: terræ autem consules, quia extinctis peccatoribus, vitæ præbent consultum. Reges sunt, quia semetipsos regere sciunt: terræ autem sunt consules, quia terrenas mentes per exhortationis suæ consilium, ad cœlestia pertrahunt. An terræ consul non erat qui dicebat: De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium
H autem do? Et iterum: Beatior erit, si sic permanserit, secundū consilium meum. Bene autem subditur: 33.

Quòd serui tranquillas animas habeant, filij verò mundi huius densis cogitationum tumultibus in corde vexentur. Cap. XXVIII.

QVi ædificant sibi solitudines.) Omnes enim qui vel illicita appetunt, vel in hoc mundo videri aliquid volunt, densis cogitationum tumultibus in corde cōprimuntur. Dumq; desideriorum turbas intra se excitant, prostratam mentē pede miseræ frequentationis calcant. Alius nanque iuri se luxuriæ subdit, atque ante mentis oculos schemata turpium perpetrationum fingit: & cùm effectus nō tribuitur operis, hoc crebrius agitur intentione cogitationis. Voluptatis perfectio quæritur, & concussus eneruiter animus, hincinde & sollicitus & cæcatus, occasionem nequisimæ expletionis rimatur. Mens itaque hæc quasi quendā populum patitur, quę insolēti cogitationū tumultu vastatur. Alius ire se dominio strauit, & quid in corde, nisi iurgia etiā quæ desunt, peragit? Hic sępe præsentes non videt, absentibus contradicit, intra semetipsum contumelias profert & recipit, receptis autem durius respondet: *1.Corin.7.*

respondet: & cùm qui obuiet nullus adsit, magnis clamoribus rixas in corde componit. Turbam itaque hic intus sustinet, quem pondus vehemens inflammatæ cogitationis premit. alius iuri se auaritiæ tradit, & fastidiens propria, aliena concupiscit. Hic plerunque concupita adipisci non valens, diem quidem in otium, noctem verò in cogitationem versat: torpet ab vtili opere: quia fatigatur illicita cogitatione, consilia multiplicat, & sinum mentis cogitationum inuentionibus latius expandit: peruenire ad concupita satagit, atque ad obtinenda hæc quosdā secretissimos causarum meatus quęrit. Qui mox vt in causa aliquid subtile inuenisse se æstimat, iam se obtinuisse quod concupierat, exultat: iam quid etiam adeptæ rei adiungat, excogitat, atque vt in meliori statu debeat excoli pertractat. Quam quia iam quasi possidet, & quasi ad meliorem speciem adducit: mox insidias inuidentium considerat, & quid contra se iurgij moueatur, pensat, & exquirit quid respōdeat: & cùm rem nullam teneat, iam in defensione rei quam appetit, vacuus litigator elaborat. Quanuis enim de concupita re nihil ceperit: habet tamen in corde iam fructum cōcupiscentię, laborem rixę. Graui itaque populo premitur, qui instigātis auaritię tumultu vastatur. Alius se tyrānidi superbiæ subiicit, & cor miserū, dum cōtra homines erigit, vitio substernit. Honorum sublimium insulas appetit, exaltari successib' exquirit, totúmque quod esse desiderat, sibi apud semetipsum in cogitationibus depingit: iam quasi tribunali præsidet, iam sibi parere obsequia subiectorū videt, iam cæteris eminet, iam aliis mala irrogat, aliis quæ irrogauerint, recōpensat. Iam apud semetipsum stipatus cuneis ad publicum procedit: iam quibus obsequiis fulciatur, conspicit, qui tamē hæc cogitans solus repetit: iam alia conculcat, alia subleuat: iam de conculcatis satisfacit odiis, iam de subleuatis recipit fauores. Qui igitur tot phantasmata cordi imprimit, quid aliud iste quàm somnium vigilans videt? Qui ergo tot rerum causas quas fingit, tolerat, nimirum intrinsecus natas ex desideriis turbas portat. Alius iam illicita refugit, sed tamē bonis mundi carere pertimescit: cōcessa tenere appetit, videri inter homines minor erubescit, & curat summoperè ne inops sit in domo, ne despectus in publico. Exquirit quid sibi sufficiat: quid necessitas subiectorum petat, atque vt sufficienter iura patronatus subditis expleat, patronos quærit, quibus ipse famuletur, sed dum his familiariter iungitur, eorum proculdubio causis implicatur, quibus sæpe consentit in illicitis, & mala quæ propter semetipsum non appetit, committit propter alia quæ non derelinquit. Nam sæpe dum honorem suum in hoc mundo imminui trepidat, ea apud maiores personas approbat, quæ per proprium iudicium damnat. Is dum sollicitè cogitat quid patronis debeat, quid subiectis, quid sibi augeat, quid affectibus profit, quasi tanta frequentia turbarum premitur, quanta curarum importunitate laceratur.

Somniū vigilans videt.

34. At contrà sancti viri, qui nihil huius mundi appetunt, nullis proculdubio in corde tumultibus premuntur: omnes quippe inordinatos desideriorum motus à cubili cordis, manu sanctæ considerationis eiiciunt: & quia transitoria cūcta despiciunt, ex his nascentes cogitationum insolentias nō patiuntur: solam nanque æternam patriam appetuut, & quia nulla huius mundi diligunt, magna mentis tranquillitate perfruuntur. Vnde & rectè dicitur: *Qui ædificant sibi solitudines.*) Solitudines quippe ædificare, est à secreto cordis, terrenorum desideriorum tumultus expellere: & vna intentione æternę patrię, in amorem intimæ quietis anhelare. An non cūctos à se cogitationum tumultus expulerat, qui dicebat: Vnā petij à domino, hanc requiram, vt inhabitē in domo Domini omnibus diebus vitę meæ? A frequentia quippe terrenorum desideriorum fugerat, & ad magnam videlicet solitudinem semetipsum contulerat, vbi eò tutius nihil extraneum conspiceret, quò incompetens nihil amaret. A tumultu rerū corporalium magnum quendam secessum petierat quietam mentem, in qua tātò purius Deum cerneret, quātò hūc cum se solo solum inueniret. Bene autem hi qui sibi solitudines construunt, etiam consules vocantur: quia sic in se solitudinem mentis ædificant, vt tamen, in quo præualent, aliis per charitatē consulere minimè desistant. Hunc ergo quem modo pręstulimus consulem, paulò subtilius perpendamus, quo-

Quid ædificare solitudines.
Psalm.26.
Solitudines construentes etiā consules vocantur.

A modo ad præbēda vitæ sublimioris exempla, subiectis populorum cuneis, virtutum calculos spargat. Ecce ad insinuandā retributionem boni pro malo, de semetipso fatetur, dicens: Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis. Ad dilectionem conditoris excitandam insinuat dicens: Mihi autem adhærere Deo, bonum est. Ad formam sanctæ humilitatis imprimendam, secreta cordis sui indicat dicens: Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Ad imitandam zeli rectitudinem exemplo suo nos excitat, dicens: Nónne qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi. Ad æternæ nobis patrię desiderium succendendum, vitæ præsentis longitudinem deplorat, dicēs: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Largitate nimirum consulatus emicuit, qui exemplo conuersationis propriæ, tot nobis virtutum calculos sparsit. Sed 35.
iste † aliis consulens quomodo sibi etiam solitudinem ædifi-
B cet, narrat. Ait enim: Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Fugiens se elongat, quia à turba desideriorum temporalium in altam Dei contemplationem se subleuat. Manet verò in solitudine, quia perseuerat in remota mentis intentione. De qua bene solitudine Domino Hieremias ait: A facie manus tuæ solus sedebam, quoniam comminatione replesti me. Facies quippe manus Dēi, est illa percussio iusti iudicij, qua superbientem hominem à paradiso repulit, & in hac cæcitate præsentis exilij inclusit. Comminatio verò eius, sed terror adhuc supplicij sequentis. Post faciem igitur manus adhuc nos minæ terrificant: quia per experimentum iudicij iam nos & pœna præsentis exilij perculit: & si peccare nō desistimus, æternis adhuc suppliciis addicit. Cōsideret ergo vir sanctus, proiectus huc, vnde homo ceciderit, atque hūc post ista peccantem, quò adhuc iustitia iudicantis rapit, & cunctas à se desideriorum temporalium turbas eiiciat, seque in magna mētis solitudine abscondat dicens: A facie manus tuę solus sedebam: quoniam comminatione replesti me. Ac si apertè dicat:
C Dum considero quid iam per iudicij experimentum patior à tumultu desideriorum temporalium, trepidus mētis secessum peto, quia & adhuc illa acrius quæ minaris, æterna supplicia formido. Bene ergo de regibus atque consulibus dicitur: *Qui ædificant sibi solitudines.*) Quia hi qui & se bene regere, & consulere aliis sciunt: quoniā præsentari interim illi intimæ quieti non possunt, hanc apud semetipsos per studium tranquillæ mentis imitantur. Sequitur: *Cum principibus qui possident aurum, & replent domos suas argento.*) Quos alios principes, nisi sanctæ Ecclesiæ rectores vocat, quos indefinenter in loco prædicatorum præcedentium diuina dispensatio subrogat? De quibus eidem Ecclesiæ Psalmista ait: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues eos principes super omnem terram. Quid verò aurum, nisi sapientiam appellat? de qua per Salomonem dicitur: Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis. Aurum nempe sapientiam vidit, quam thesaurum vocauit. Quæ & rectè auri appellatione signatur: quia sicut auro temporalia, ita sapientia bona æterna mercantur. Si aurum sapientia non esset, nequaquam Laodiceæ Ecclesiæ ab angelo diceretur: Suadeo tibi emere à me aurum ignitum. Aurum quip-
D pe emimus, cùm accepturi sapientiam, prius obedientiam prębemus. Ad quem videlicet contractum bene nos quidem sapiens excitat, dicens: Concupisti sapientiam, serua mandata: & dominus præbebit illam tibi. Quid autem per domos, nisi conscientiæ designantur? Vnde sanato cuidam dicitur: Vade in domum tuam. Ac si apertè audiat: Post exterius miraculum ad conscientiam reuertere: & qualem te intrinsecus Deo debeas exhibere, perpende. Quid etiam per argentum, nisi diuina eloquia figurantur, de quibus per Psalmistam dicitur: Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum. Eloquium Domini argentum igne examinatum dicitur: quia sermo Dei si in corde figitur, tribulationibus probatur.

Psalm.7.
Psal.72.
Psal.120.
Psal.138.
Psalm.119.
al. iste non sul, an sibi etiam.
Psalm.54.
Hier.15.
Psalm 44.
Prouer.21.
Apoc.2.
Matt.9.
Psal.130.

Vir sanctus spiritu æternitatis plenus, quæque futura sunt 36.
colligat: & quos longè pòst futura secula gignerent, laxato mentis sinu comprehendat, & magna admiratione consideret: cum quibus electis sine labore in æternitate quiesceret, si per appetitum superbiæ nemo peccasset, & dicat: Nunc enim dormiens silerem, & somno meo re-

quiescerem cum regibus, & consulibus terræ: qui ædificant sibi solitudines, aut cum principibus qui possident aurum, & replent domos suas argento) Quia enim si parentem primum nulla peccati putredo corrumperet, nequaquam ex se filios gehennæ generaret: sed hi qui nunc per redemptionem saluandi sunt, soli ab illo electi nascerentur, eosdem electos aspiciat, atque cum eis quomodo quiescere potuisset, intendat. Videat sanctos Apostolos sic susceptam Ecclesiam regere, vt ei prædicationis verbo non desinant consultum præbere, eósque reges & consules appellet. Videat post hos in eorum loco rectores exurgere: qui & sapienter viuendo aurum possideant, & aliis recta prædicando, argento sacræ locutionis enitescant: eósque principes repletis conscientiarum domibus auro & argento diuites memoret. Sed quia aliquando prophetico spiritui nequaquam sufficit, vt ventura præuideat, nisi cordi prophetantis etiam præterita, & antiqua repræsentet, sanctus vir infra supráque oculos aperit, & non solum ventura conspicit, sed etiam transacta ad memoriam reducit. Nam protinus adiungit:

Quòd primi seculi patres abortiuos dicat: quia præter paucos, quos Moyses scripsit, maxima pars nobis humani generis occultatur.

Caput XXIX.

A*Vt sicut abortiuum absconditum non subsisterem: vel qui concepti non viderunt lucem.*) Abortiuum, quia ante plenum tempus oritur, extinctum protinus occultatur. Quos ergo sanctus vir alios abortiuos vocat, cum quibus se quiescere potuisse considerat, nisi electos quosque, qui ab ipso mundi primordio ante redẽptionis tẽpus exorti sunt, & tamẽ huic mũdo semetipsos mortificare curauerunt? Qui conscriptę legis tabulas nõ habẽtes, quasi * in vtero mortui sunt: quia auctorem suum naturali lege timuerunt: & cùm venturum mediatorẽ crederẽt, studuerũt summo opere mortificandis voluptatibus, etiã quæ scripto non acceperant præcepta seruare. Tẽpus itaque illud quod iuxta mundi initium mortuos huic seculo patres nostros protulit, quasi abortiui vterus fuit. Ibi nãque Abel, qui occidenti se fratri restitisse non legitur. Ibi Enoch, qui talẽ se exhibuit, vt ambulaturus cũ Domino trãsferretur. Ibi Noë, qui per hoc quòd diuino examini placuit, immundo mundo superstes fuit. Ibi Abrahã, qui dum peregrinus est in seculo, fact' est amicus Deo. Ibi Isaac, qui caligantibus carnis oculis, per ætatem quidẽ præsentia nõ vidit, sed per virtutẽ prophetici spiritus, in futuris etiã seculis magna videndi luce radiauit. Ibi Iacob, qui iram fratris humiliter fugit, clementer edomuit: qui prole quidẽ fœcũdus extitit, sed tamen spiritus vbertate fœcundior, eandẽ prolem sub prophetiæ suę vinculis astrinxit. Bene autem abortitiũ hoc absco ditũ dicitur: quia à mũdi primordiis dum quosdã paucos Moyse scribente cognoscimus, pars nobis maxima humani generis occultatur. Neque enim tot iustos solummodo vsque ad acceptã legem extitisse credendum est, quot Moyses breuissima descriptione perstrinxit. Quia ergo à mundi primordio edita multitudo bonorum, ex magna parte notitiæ nostræ subtrahitur: absconditum hoc abortiuum vocatur. Quod & non subtitisse dicitur: quia enumeratis paucis, eorum frequentia nullo apud nos memoriæ scripto retinetur. Rectè verò additur: *Vel qui concepti non viderunt lucem.*)

37. Hi nanque qui post acceptam legem in hoc mundo nati sunt, auctori suo eiusdem legis sunt admonitione concepti sed tamen concepti minimè lucem viderunt: quia ad aduentum incarnationis dominicæ, quanuis hanc fideliter crederent, peruenire nequiuerunt. Incarnatus quippe Dominus dicit: Ego sum lux mundi. Atque ipsa lux ait: Multi Prophetæ & iusti desiderauerunt videre quæ videtis, & non viderunt. Conceptiigitur non viderunt lucem: quia ad spem venturi mediatoris, apertis prophetarum vocibus excitati, nequaquam potuerunt cernere eius incarnationem. In his itaque conceptus interior formam fidei edidit: sed hanc vsque ad apertam visionem diuinæ præsentiæ non perduxit: quia prius hos à mundo mors interueniens rapuit, quàm manifesta veritas mundum illustrauit. Vir igitur sanctus spiritu æternitatis plenus, manu cordis cuncta labentia ad memoriam astrinxit: & quia augusta est omnis creatura creatori, per eundem spiritum qui nil ex se, vel iuxta se aliud, nisi semper esse habet, omne quod erit, quod præteriit, conspicit: ac infra supráque mentis oculum tendit, & venientia vel transacta considerans, ad æternum esse medullitus inardescit, dicens: Nunc enim dormiens silerem.) Nunc quippe præsentis est temporis. Et quid est stantem semper in presenti quietem quærere, nisi ad illud cui nihil venit, nihil præterit, gaudium æternitatis anhelare? Quod nimirum veritas semper esse suum, vt nobis vtcunque infunderet, Moyse mediante insinuat, dicens: Ego sum qui sum. Et dices filiis Israël: Qui est, misit me ad vos. Sed ecce quia labentia conspicit, quia semper præsens gaudium quærit, quia venturæ lucis memorat, quia electorum eius ordines enumerans pensat: ipsam iam nobis apertius quietem huius lucis insinuet, & quid apud illam quotidie de prauorum conuersatione agitur, verbis manifestioribus demonstret. Sequitur:

Quòd in luce quæ deus est, nec est tumultus concupiscentiarũ, nec labor peccati, sed mundiitia mentis, & pacifica quies.

Caput XXX.

I*Bi impij cessauerunt à tumultu: & ibi requieuerunt fessi robore.*) Paulò antè iam diximus, quia corda peccantium per hoc quod strepitus desideriorum possidet, grauis cogitationum instigantium tumultus premit. Sed in hac luce quam concepti minimè viderũt, à tumultu suo impij cessare perhibentur: quia nimirum mediatoris aduẽtum, quem patres in lege positi diu præstolati sunt, ad vitæ suæ requiem populi gentiles inuenerunt, Paulo attestante, qui ait: Quod quærebat Israël, hoc non est consecutus, electio autem consecuta est. In hac itaque luce impij à tumultu cessant, dum peruersorum mentes veritate coguita laboriosa mundi desideria fugiunt, & trãquillitati intimi amoris acquiescunt. An non ad cessationem vocat lux ipsa, quæ ait: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã vos: tollite iugum meũ super vos, & discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris: iugum enim meum suaue est, & onus meum leue? Quid enim graue mentis nostræ ceruicibus imponit, qui vitari omne desideriũ quod perturbat præcipit? Quid graue subiectis iubet, qui declinare laboriosa mũdi huius itinera admonet? Attestante autẽ Paulo apostolo: Christus pro impiis mortuus est. Sed idcirco dignata est pro impiis lux ipsa occũbere, ne impij in tenebrarum suarum tumultu remanerent. Contempletur ergo vir sanctus quòd lux per incarnationis suæ mysteriũ ex graui labore impios eripit, dum ab eorũ cordibus desideria prauitatis tergit: contẽpletur quòd conuersi quique quietẽ quam percipere in æternitate desiderant, hîc iam per tranquillitatem mẽtis degustãt, & dicat: *Ibi impij cessauerunt à tumultu, & ibi requieuerunt fessi robore.*) Omnes enim qui in hoc mundo fortes sunt robore, quasi fortes sunt, non robore defessi. Qui verò in auctoris sui amore roborantur, quò magis in concupita Dei fortitudine conualescunt, eò à propria virtute deficiunt. Et quò robustius æterna appetunt, eò à temporalibus salubri defectione lassantur. Hinc Psalmista amoris sui robore fessus dicebat: Defecit in salutare tuũ anima mea. In salutare enim Dei proficiẽdo defecerat, quia eternitatis lucẽ desiderãs, à carnis iam fiducia fract' anhelabat. Hinc rursum dicit. Cõcupiuit, & defecit anima mea in atria Domini. Qui nimirũ cùm diceret: cõcupiuit, rectè subdidit: Et defecit. Quia valde minor est diuinitatis cõcupiscentia, quam nõ mox etiam proprius sequitur defectus. Qui enim ad appetenda æternitatis atria accẽditur, dignũ profectò est, vt ab hoc temporalitatis amore lassetur: vt tantò frigescat ab studio seculi, quãtò surgit ardentior in amorem Dei. Quem scilicet si perfectè arripit, mundum etiã plenè derelinquit: & eò funditus temporalibus moritur, quò ad supernam vitam altius afflatu æternitatis animatur. An nõ robore suo fessam se inuenerat, quæ dicebat: Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est? Quia nimirũ mens dum occultę locutionis aspiratione tãgitur, à statu suę fortitudinis infirmata, ipso quo absorbetur desiderio liquatur: inde se apud semetipsam fessã inuenit, vnde vltra se esse cõspicit fortitudinẽ quam cõscendit. Hinc Propheta cùm visionẽ Dei se conspexisse diceret, adiungit: Elãgui & ægrotaui per dies plurimos: quia cùm ad virtutẽ Dei mens astringitur, à fortitudine

40. tudine propria caro lassatur. Hinc Iacob qui angelum tenuit, vno mox pede claudicauit: quia qui verò amore sublimia respicit, iam in hoc mundo duplicibus incedere desideriis nescit. Vno em̃ pede innititur, qui solo Dei amore roboratur: & necesse est vt alius marcescat, quia mentis virtute crescente, oportet proculdubiò vt carnis fortitudo torpescat. Beatus igitur Iob alta fidelium corda respiciat, atque perpendat quẽ sinum intimæ quietis inueniunt, dum à viribus propriis in Deum proficiendo lassantur, & dicat: Ibi requieuerunt fessi robore. Ac si apertè insinuet, dicens: Illic requies lucis remunerat, quos hîc interius recreans profectus fatigat. Nec mouere debet quod lucem nõminans nequaqam subdit in hac, sed ibi. Quam enim continere electos conspicit, quasi locum nostrum hanc esse deprehendit. Vnde Psalmista cùm incommutabilitatem æternitatis aspiceret, dicens: Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient: hunc electorum locum esse denuntiat, subdens: Filij seruorum tuorum inhabitabunt ibi. Deus enim qui sine situ omnia cõtinet, nobis ad se venientibus locus nõ localis manet. Quem locum dum pertingimus, etiam ipsa in hac vita mentis nostre tranquillitas, quanta fuerit perturbatio videmus: quia etsi iam iusti in prauorum comparatione quieti sunt, in æstimatione tamen quietis intimæ omnimodo quieti non sunt. Vnde & bene subditur: *Et quondam vincti pariter sine molestia.*) Iustos enim quanuis nullus desiderium carnalium tumultus possideat, duris tamen vinculis eos in hac vita positos, suæ molestia corruptionis ligat. Scriptum quipe est: Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam: & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Eo itaque ipso quo adhuc mortales sunt, corruptionis suæ pondere grauantur, & astricti molestia vincti sunt: quia in illa adhuc libertate vitæ incorruptibilis non exurgunt. Aliud nanque de mente, aliud de corpore tolerant: & contra semetipsos quotidie interno certamine desudant. An non duro molestiæ vinculo ligantur, quorum nimirum mens sine labore in ignorantia soluitur, & non nisi cum studio laboris eruditur? Quæ coacta erigitur, libẽs iacet, ab infimis vix leuatur: & tamẽ eleuata protinus labitur, semetipsam laboriosè vincendo, superna cõspicit, sed reuerberata, lumẽ quod se irradiauerat refugit. An nõ duro molestię vinculo ligantur, quos cùm accẽsus spiritus ad sinum pacis intimæ pleno desiderio pertrahat, feruẽte certamine caro perturbat? Quæ etsi iam ante faciem velut ex aduerso acie erecta nõ obuiat, adhuc tament à mẽtis dorso, quasi captiua submurmurat, & quãuis timendo, sed tamen turpi strepitu, in corde speciem pulchræ quietis fœdat. Electi igitur etsi valenter omnia superãt, cùm securitatem pacis internæ desiderãt, grauis eis est molestia, adhuc habere quod vincãt. Quibus exceptis, etiam ea vincula sustinent, quæ grauis exterius necessitas astringit. Esurire quippe, sitire, lassescere, vincula corruptionis sunt: quæ scilicet solui nequeunt, nisi cùm in illã immortalitatis gloriam nostra mortalitas permutatur.

41. Replemus etenim refectionibus corpus, ne extenuatum deficiat: extenuamus abstinentia, ne nos repletum premat. Vegetamus hoc motibus, ne situ immobilitatis intereat: sed citius hoc collocando sistimus, ne ipsa sua vegetatione succumbat. Adiumentis hoc vestiũ tegimus, ne frigus interimat: & quæsita adiumenta proiicimus, ne calor exurat. Tot igitur diuersitatibus occurrentes, quid agimus, nisi corruptibilitati seruimus: vt saltẽ multiplicitas impensi obsequij corpus sustineat, quod anxietas infirmæ mutabilitatis grauat? Vnde bene per Paulum dicitur: Vanitati enim subiecta est creatura non volens, sed propter eũ qui subiecit eã in spe: quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatẽ glorię filiorũ Dei. Vanitati quippe creatura nõ volens subditur: quia homo qui ingenitæ cõstantię statum volens deseruit, pressus iustè mortalitatis põdere, nolẽs mutabilitatis suæ corruptioni seruit. Sed creatura hæc tunc à seruitute corruptionis eripitur, cùm ad filiorum Dei gloriã incorrupta resurgẽdo subleuatur. Hic itaque electi molestia vincti sunt: quia adhuc corruptionis suæ pœna deprimunt. Sed cùm corruptibili carne exuimur, quasi ab his quib' nũc astringimur, molestię vinculis relaxamur. Præsentari nanq; iam Deo cupimus, sed adhuc mortalis corporis obligatione prepedimur. Iure ergo vincti dicimur: quia adhuc incessum nostri desiderij ad Deum liberum non habemus. Vnde bene Paulus æterna desiderans, sed tamen adhuc coruptionis suæ sarcinam portans, vinctus clamat: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Dissolui enim non quæreret, nisi se procul dubio vinctum videret. Hæc autem vincula quia certissimè rumpẽda in resurrectione conspexerat, iam quasi ruptã gaudebat Propheta, cùm diceret: Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Contempletur itaque sanctus vir, quòd conuersos peccatores lux interna recipiat, & dicat: Ibi impij cessauerunt à tumultu. Contempletur quòd sancti viri desiderij exercitatione fatigati, altius in illo intimo sinu requiescant, & dicet: *Et ibi requieuerunt fessi robore.*) Contemplentur quòd cunctis simul corruptionis suæ vinculis absoluti, ad illa libertatis gaudia incorrupta perueniant, & dicat: *Et quondam vincti pariter sine molestia.*) Bene autem dicitur: quondã vincti: quia dũ illa semper præsens lætitia cernitur, omne quod erit & defluit, quasi præteritum iam videtur. Dum enim rerum finis attenditur omne quod præterit, quasi iam fuisse pensatur. Sed omnes hi quos illuc quies interna suscipiet, hîc in terra quid egerint narret. Sequitur:

Quod diabolus exactor intelligatur, & quod in paruis & magnis, seruis & liberis secundum distinctionem meritorum, accipienda sit in retributione sanctorum, distinctio dignitatum.

Caput XXXI.

N*On exaudierunt vocem exactoris.*) Quis alius debet nomine exactoris intelligi, nisi importunus ille persuasor, qui humano generi sẽmel deceptionis nummum cõtulit, & † adhuc quotidie exptere mortis debitum non desistit: qui in paradiso homini peccanti pecuniam commodauit: sed iniquitate crescente, hanc quotidie cum vsuris exigit? De quo exactore in Euangelio veritas dicit: Et iudex tradet te exactori. Huius igitur exactoris vox, est tentatio miseræ suggestionis. Audimus autem vocem exactoris, cùm eius tentatione pulsamur; sed non exaudimus, si pulsanti resistimus. Audit enim qui tẽtationem sentit: exaudit verò, qui tentationi consentit. Dicatur itaque de iustis: Non exaudierunt vocem exactoris: quoniam suggestionem eius etsi audiunt, quia tentantur, non exaudiunt, quia consentire contemnunt. Sed quia quod valde mens amat, etiam in sermone sæpius replicat beatus Iob, qui internæ pacis frequentiam diligens conspicit, descriptioni eius iterum inseruit, dicens: *Paruus & magnus ibi sunt: & seruus liber à domino suo.*) Quia in hac vita vobis est discretio operum, erit in illa proculdubio discretio dignitatum: vt quò hîc alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat. Vnde in Euangelio veritas dicit: In domo patris mei mansiones multæ sunt. Sed in eisdem multis mansionibus erit aliquo modo ipsa retributionum diuersitas concors: quia tanta vis amoris in illa pace nos sociat: vt quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet. Vnde & non æquè laborantes in vinea, æquè cuncti denarium fortiuntur. Et quidem apud patrem mansiones multæ sunt, & tamen eundem denarium dispares laboratores accipiũt: quia vna cunctis erit beatitudo lætitiæ, quanuis non vna sit omnibus sublimitas vitæ. Paruum & magnum in hac luce conspexerat, qui ex voce capitis dicebat: Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur. Paruum & magnum conspexerat, cùm dicebat: Benedixit omnes timentes se Dominus, pusillos cum maioribus. Bene autẽ subditur: *Et seruus liber à domino suo.*) Scriptum quippe est: Omnis qui peccat, seruus est peccati: quia nimirum quisquis se prauo desiderio subiicit, iniquitatis dominio dudũ libera mentis colla supponit. Sed huic dominio cõtradicimus, cùm iniquitati quę nos ceperat reluctamur: cũ consuetudini violẽter resistimus, & desideria peruersa calcãtes contra hanc ius nobis libertatis ingenitę vẽdicamus: cùm culpã pœnitẽdo percutimus, & maculas sordium fletibus lauamus. Plerunque autem iam mens quidem quòd se peruersè egisse meminit, deplorat: iam prauè acta nõ solum deserit, sed amarissimis etiam lamentis punit: & tamen dum eorum quæ egit reminiscitur, grauiter iudicij pauore terretur. Iam se perfectè cõuertit, sed adhuc se perfectè in securitatem nõ erigit: quia dum quanta sit districtio extremi examinis pensat, inter spem formidinémque sollicita trepidat: quia iudex iustus veniẽs, quid de perpetratis reputet, quid

relaxet, ignorat. Nam quàm praua commiserit meminit: sed an commissa dignè fleuerit, nescit: ac ne culpæ immanitas mo dum pœnitentiæ trãseat, metuit. Et plerunque culpã iam veritas relaxat, sed mens afflicta adhuc de venia, dum valde sibi est sollicita, formidat. Seruus ergo hic iam fugit dominum, sed non est: quia peccatum suum homo iam corrigendo & pœnitendo deserit, sed tamen adhuc districtum iudicem de eius retributione pertimescit. Ibi ergo seruus à domino liber erit, vbi iam de peccati venia dubietas non erit. Ibi iam securam mentem culpæ suæ memoria non addicit, vbi non sub reatu animus trepidat, sed de eius indulgentia liber exultat. Sed si nulla ibi homo peccati sui mamoria tangitur, ereptum se vnde graulatur? Aut quomodo largitori gratias refert de venia quam accepit, si interueniente obliuione transactæ nequitiæ, pœnæ se esse debitorem nescit? Neque enim neglectè *Psalm. 88.* prætereũdum est quod Psalmista ait: Misericordias tuas Domine in æternum cantabo. Quomodo enim Dei misericordias in æternum cãtat, qui se fuisse miserum ignorat? Et si miseriæ transactæ non meminit, vnde largitori misericordiæ laudes reddit? Sed rursum quærendum est, quomodo electorum mens perfecta esse in beatitudine poterit, si hanc inter gaudia memoria sui reatus tangit? Aut quomodo perfectæ lucis clarescit gloria, quam reducta ad animum obumbrat culpa? Sed sciendum est, quia sicut sæpe nunc tristium læti reminiscimur, ita tunc, transactæ nequitiæ sine læsione nostræ beatitudinis recordamur. Plerunque enim incolumitatis tempore ad memoriam dolores præteritos sine dolore reducimꝰ: & quò ægros nos recolimus, eò nos incolumes plus amamus. Erit ergo & in illa beatitudine culpæ memoria, non quæ mentem polluat, sed quæ nos arctius lætitiæ astringat: vt dum doloris sui animus sine dolore reminiscitur, & debitorem se medico verius intelligat, & eò magis acceptam salutẽ diligat, quò molestiæ meminit quam euasit. In illa itaque lætitia sic tunc sine tædio mala nostra conspicimus, sicut nunc in luce positi, sine vlla cordis caligine omnino tenebras videmus: quia etsi obscurum est quod mẽte cernimus, de iudicio est hoc luminis, nõ de passione cæcitatis. Et in æternum ergo laudes misericordiæ largitori nostro referimus, & nequaquã miseria cõscientiæ grauamur: quia dum mala nostra sine aliquo mẽtis malo respicimus, & nunquã erit quod corda laudãtium de transactis iniquitatibus polluat, & semper erit quod hæc ad laudem liberatoris accendat. Quia ergo internæ lucis requies sic in se magnos subleuat, vt tamen paruulos nõ derelinquat, dicatur rectè: *Paruus & magnus ibi sunt.*) Quia autẽ sic ibi cõuersi peccatoris animus culpæ suæ memoria tãgitur: vt tamẽ nulla eiusdem memoriæ cõfusione deprimatur, congruè subiungitur: Et seruus liber à domino suo.

Libri quarti Moralium sancti Gregorij finis.

B. GREGORII EXPOSITIONIS MORALIS IN B. Iob, liber quintus, continuans Tertium caput vsque in finem, & Quartum inchoans.

Quid sit quòd in hac vita nonnunquam bonis malè sit, & malis bene.
Caput. I.

De occultis Dei iudiciis.

VM valde occulta sint iudicia diuina, cur in hac vita nõnunquam bonis sit malè, & malis bene: tunc occultiora sunt cùm & bonis hîc bene est, & malis malè. Nam cum bonis hic malè est, & malis bene, hoc fortasse deprehenditur: quia & boni si qua deliquerunt, hîc recipiunt, vt ab æterna plenius damnatione liberentur: & mali bona quæ pro hac vita faciunt, hic inueniunt, vt ad sola in posterũ tormenta pertrahantur. Vnde & agenti in inferno diuiti dicitur: Memento fili, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. At cùm bonis hîc bene est, & malis malè, incertum valde est, vtrum boni idcirco bona accipiant, vt prouocati ad aliquid melius crescãt, an iusto, latentíque iudicio hîc suorum operum remunerationẽ percipiant, vt à præmiis vitæ sequẽtis inanescant: Et vtrum malos idcirco aduersa feriant, vt ab æternis suppliciis corrigẽdo defendant, an hîc eorum pœna incipiat, vt quandoque cõplenda eos ad vltima gehẽnæ tormenta perducat. Quia ergo inter diuina iudicia graui incertitudinis suæ caligine humana mens præmitur: sancti viri cùm sibi suppetere prospera huius mundi conspiciunt, pauida suspicione turbantur. Timẽt enim ne hîc laborum suorum fructus recipiãt: timẽt ne quod diuina iustitia latens in eis uulnus aspiciat, & exterioribus eos muneribus cumulans, ab intimis repellat. Cùm verò taciti cogitant quòd nec bona agunt, nisi vt soli Domino placeãt, nec in ipsa affluentia suæ prosperitatis exultãt: minus quidẽ de prosperis occulta cõtra se iudicia metũt, sed tamen eadẽ prospera, quia se ab intima intentione præpediunt: ægre ferunt: & molestè præsentis vitæ blandimẽta tolerant, quia per hæc se vtcunque tardari in interno desiderio nõ ignorãt. Plus enim in hoc mundo honor quàm despectio occupat: & magis prosperitatis sublimitas, quàm necessitatis aduersitas graiat. Per hanc nanque nonnunquã cùm homo exterius premitur, ad concupiscenda quæ intus sunt, liberius relaxatur. Per illã verò animus dum multis parere cogitur, à desiderij sui cursu retinetur. Vnde fit, vt sancti viri magis in hoc mundo prospera, quàm aduersa formidẽt. Sciunt nanq; quia mens dũ blãda occupatione premitur, aliquãdo libens ad exteriora deriuatur. Sciunt quia sæpe sic hanc clandestina cogitatio decipit, vt quomodo permutetur, ignoret. Pensãt autem quæ sint interna bona quæ cupiunt, & cognoscunt quàm nihil sit omne quod blandum ac temporaliter arridet: cũctáque huius mũdi prospera mens eorum eò ægrè tolerat, quò supernæ fælicitatis est amore sauciata: tantóque magis in præsentis dulcedinis aspernatione erigitur, quantò hanc conspicit, quia furtiuè sibi internæ gloriæ despectu blanditur. Vnde & beatus Iob cùm supernam requiem contẽplatus diceret: Paruus & magnus ibi sunt, & seruus liber à domino suo, ilico adiungit:

Quòd sancti viri ad patriam redire desiderantes peregrinationis huius claritatem, & gloriam temporalis honoris contemnunt.
Caput II.

QVare data est misero lux?) In scriptura sacra nonnunquam lucis appellatione prosperitas: noctis autem nomine, huius mundi aduersitas designatur. Vnde & bene per Psal- *Psalm. 138.* mistam dicitur: Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius. Quia enim sancti viri ita prosperitatem seculi despicientes calcant, sicut aduersitatem eius calcantes tolerant, per magnam mentis celsitudinem mundi sibi, & aduersa, & prospera substernentes dicunt: Sicut tenebræ eius, & lumen eius. Ac si apertius dicant: Sicut intentionis nostræ fortitudinem, eius tristia non premunt, ita hanc nec blanda corrũpunt. Sed quia hæc, vt diximus, bonorum mentẽ etiam cùm nõn subleuant, perturbant: sancti viri, qui se in huius exilii ærumna miseros cognoscunt, clarescere in eius prosperitate refugiunt. Vnde bene nunc dicitur: *Quare data est misero lux?*) Lux enim miseris datur, quando hi qui sublimia contemplantes, esse se in hac peregrinatione miseros agnoscunt, claritatem transitoriæ prosperitatis accipiunt. Et cũ valde defleãt, quia tardè ad patriã redeunt, tolerare insuper honoris onera cõpelluntur. Amor eos æternorum conterit, & gloria de temporalibus arridet. Qui dum cogitãt quæ sint quæ in infimis tenent, & quæ sint quæ de sublimibus non vident, quæ se in terra sulciunt, quæ autem de cœlestibus perdiderunt, prosperitatis suæ mœrore mordentur: quia etsi vident nequaquam ab ea se funditus opprimi, pensant tamen sollicitè cogitationem suam in amore Domini, & in eius dispensatione partiri. Vnde bene cùm dicit: *Quare data est misero lux?* protinus adiungit:

Quòd sicut in hoc seculo sancti nil appetunt: ita etiam amaritudinem eius non ferentes, hoc optant vt nulla eius obligatione teneantur.
Caput III.

Et

2. ET *vita his qui in amaritudine animæ sunt.*) In amaritudine quippe animæ sunt omnes electi, qui vel punire flendo non desinunt quæ deliquerũt, vel graui se mœrore afficiunt: quia longè huc à facie conditoris proiecti, adhuc in æternæ *Prouer. 14.* patriæ gaudiis non sunt. De quorum corde bene per Salomonem dicitur: Cor quod nouit amaritudinem animæ suæ, in gaudio illius non miserebitur extraneus. In amaritudine nanque sunt & corda reproborum: quia ipsis etiam prauis suis desideriis affliguntur: sed eandem amaritudinem nesciunt, quia pensare quod tolerant, sponte sua excæcati non possunt. At contrà cor bonorum amaritudinem suã nouit: quia ærumnam exilii in qua proiectum laceratur, intelligit, & quàm sint tranquilla quæ perdidit, quàm confusa in quibus cecidit, sentit. Sed hoc amaricatum cor, ad gaudium suum quandoque reducitur: atque in eius gaudio extraneus non miscetur: quia is qui nunc ab hoc mœrore cordis foras se per desideria seculi elicit, secluſus tunc ab illa intima eius solennitate remanebit. Hi itaque qui in amaritudine animæ sunt, mori mundo funditus concupiscunt: vt sicut in seculo ipsi nihil appetunt, ita iam à seculo nulla obligatione teneãtur. Et plærunque contingit, vt iam homo mundum mente non teneat: sed tamen mundus hominem occupationibus astringat: & ipse quidem mundo iam mortuus est, sed ipsi mundus adhuc mortuũs non est. Quasi enim viuus adhuc mundus eum conspicit, dum alio intentum, in suis actibus rapere contendit. Vnde bene Paulus cùm & ipse seculum perfectè despiceret: & talem se factum videret, quòd iam hoc seculum concupiscere omnino non posset: ruptis huius *Gala. 6.* vitæ vinculis liber dicit: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Mundus quippe ei crucifixus fuerat: quia hunc cordi suo iam mortuum non amabat. Sed & semetipsum mundo crucifixerat: quia talem se ei exhibere studuit, vt ab eo quasi mortuus concupisci non posset. Si enim vno in loco sint mortuus & viuens: etsi mortuus viuum non videt, viuus tamen mortuum videt: si verò vtrique mortui sint, alter alterũ nequaquam videt. Ita qui iam mundum non amat, sed tamẽ ab illo, vel non volens amatur, etsi ipse velut mortuus mundum non videt, hunc tamen mundus adhuc non mortuus videt. Si verò nec ipse in amore mundum retinet, nec rursum à mundi amore retinetur, vicissim sibi vtrique extincti sunt: quia dum alter alterum non appetit, quasi mortuum mortuus non attendit. Quia igitur nec Paulus mundi gloriam quærebat, nec à mundi gloria ipse quærebatur: & se mundo, & mũdum sibi crucifixũ esse gloriatur. Quod quia multi appetunt, sed tamen vsque ad culmen extinctionis omnimodo non assurgunt, rectè gementes dicunt: *Quare data est misero lux, & vita his qui in amaritudine animæ sunt.*) Vita quippe amaricatis datur: cùm huius mundi gloria tristibus gementibúsque tribuitur. In qua nimirũ vita pœna se validissimi timoris afficiunt: quia etsi ipsi mundum non tenẽt, adhuc tamen tales esse se metuunt, qui à mundo teneãtur: quia nisi ei quantuluncunque viuerent, hos ad vsum suum procul dubio non amaret. Mare enim viua corpora in semetipso retinet: nam mortua extra se protinus expellit. Sequitur:

Quòd occulto Dei iudicio nonnulli sancti, qui in hoc mundo mortificare se appetunt, præesse in regimine, vel occupari iniunctis honoribus compelluntur: & vnde locupletiores fiunt, se destructiores existimant.
Caput IIII.

QVi expectant mortem, & non venit.) Desiderant quippe mortificare se funditus, atque ab omni vita gloriæ temporalis extinguere: sed occultis sæpe dei iudiciis, vel præesse in regimine, vel occupari iniunctis honoribus cõpelluntur, atque inter hæc mortificationem plenissimam indesinenter expectant. Sed expectata mors non venit: quia eorum vsus temporali gloriæ etiam nolens viuit. Quam tamen pro diuino amore tolerant: & intus quidem seruant desiderium pietatis, foris autem explent ministerium ordinis: quatenus nec à perfectione per intentionem recedant, nec dispositioni conditoris per superbiã contradicant. Mira enim diuinitatis pietate agitur: cùm is qui perfecto corde ad cõtemplationẽ tendit, humanis ministeriis occupatur: vt & multis infirmioribus eius mens perfecta proficiat: & quò semetipsum imperfectum respicit, inde ad humilitatis culmen perfectior assurgat. Nonnunquam etenim viri sancti vnde desideriorum suorum detrimenta tolerant, inde maiora lucra conuersis aliis reportant: quia dum eis vacare, vt appetunt, non licet, rapere secum alios quibus admiscentur libet. Fit ergo mira dispositione pietatis, vt vnde se destructiores æstimant, inde locupletiores ad cœlestis patriæ constructionem surgant. Nonnunquam verò idcirco ad concepta desideria minimè perueniunt: vt ipsa interueniente tarditate, ad eadem desideria laxato mentis sinu dilatentur: & quæ extenuari fortasse impleta poterant, magna dispositione agitur, vt repulsa crescant. Sic quippe mortificari appetunt, vt iam perfectè, si liceat, conditoris sui faciem contemplentur. Sed eorum desiderium differtur, vt proficiat: & tarditatis suæ sinu nutritur, vt crescat. Vnde bene sponsa in sponsi sui desiderio anhelans clamat: In *Canti. 3.* lectulo meo per noctẽ quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni. Abscondit se sponsus cùm quæritur, vt non inuentus ardentius quæratur: & differtur quærẽs sponsa, ne inueniat: vt tarditate sua capacior reddita, multiplicius quandoque inueniat, quod quærebat. Vnde beatus Iob cùm diceret: Expectant mortem, & non venit: vt hoc ipsum quærentium desiderium subtilius expleret, ilicò adiungit:

Quòd thesaurus noster cognitio sit: & quasi sepulchrum contemplatio diuina, in mens mundo crucifixa quiescit.
Caput V.

QVasi effodientes thesaurum.) Omnes namque qui fodiendo thesaurum quærunt: cùm fodere altius cœperint, ad laborem instantius inardescunt: quia quò se thesauro abscondito iam iamque appropinquare æstimant, eo in effodiendo enixius laborãt. Qui igitur plenè mortificationem suam appetunt, quasi effodientes thesaurum quærunt: quia quantò fiũt viciniores ad finem, tantò se exhibent ardentiores in opere. Laborando ergo, nõ deficiũt, sed magis ad vsum laboris crescunt: quia quò iam præmia propinquiora considerant, eò in opere delectabilius exudant. Vnde bene Paulus quibusdam absconditum æternæ patriæ thesaurum quærentibus, dicit: Non deserentes collectionem nostram, sicut est consuetudi- *Heb. 10.* nis quibusdam, sed consolantes, & tantò magis, quantò videritis appropinquantem diem. Laborantem quippe consolari, est pariter in labore persistere: quia subleuatio est laboris, visitatio collaborantis: sicut cùm in itinere comes iungitur, via quidem non abstrahitur, sed tamen de societate comitatis leuiatur labor itineris. Dum itaque Paulus consolantes se in laboribus quæreret, adiunxit dicens: Tantò magis, quantò vi- *Ibidem.* deritis appropinquantem diem. Ac si diceret: Eò labor crescat, quò ipsa iam præmia laboris appropinquant, velut si apertè dicat: Thesaurum quæritis, sed eò fodere ardentius debetis, quò iam iuxta quæsitum aurum fodiendo peruenitis: Quanuis hoc quod dicitur: Expectant mortem, & non venit; quasi effodientes thesaurum intelligi & aliter potest. Quia enim perfectè mori mundo non possumus, nisi intra mentis nostræ inuisibilia à visibibus abscondamur: rectè hi qui mortificationem suam appetunt, thesaurum effodientibus cõparantur. Mundo enim per inuisibilem sapientiam morimur: de qua per Salomonem dicitur: Si quæsieris illam quasi pecu- *Prouer. 2.* niam, & sicut thesauros effoderis eam. Sapientia quippe in rerum superficie non iacet, quia in inuisibilibus latet. Et tunc mortificationem nostram contingentes, sapientiam apprehendimus: si relictis visibilibus, in inuisibilibus abscondamur: si hîc hanc cor effodientes quærimus, vt omne quod terrenum mens cogitat, à semetipsa, manu sanctæ discretionis eiiciat, & thesaurum virtutis qui se latebat, agnoscat. Facilè enim in se thesaurum quæsitum inuenit, si eam quæ se malè presserat, molem à se terrenæ cogitationis repellit. Quia autem quæsitam mortem sicut thesaurum dicit, rectè subiungit: *Gandéntque vehementer cùm inuenerint sepulchrum.*) Sicut enim sepulchrum locus est, quo absconditur corpus: ita diuina contemplatio quoddam sepulchrum est mentis, quò absconditur anima. Quasi enim huic adhuc mundo viuimus, cùm mente in eum foris vagamur: sed mortui in sepulchro abscondimur, cùm mortificati exterius, in secreto internæ contemplationis cælamur. Sancti igitur viri ab importunitate desideriorum temporalium, à tumultu inutilium curarum, à clamore perstrepentium perturbatio-

num, semetipsos sacri verbi gladio mortificare non desinũt: atque intus ante Dei faciem in sinu mentis abscondunt. Vnde bene per Psalmistam dicitur: Abscondes eos in absconditu vultus tui, à conturbatione hominũ. Quod quanuis perfectè postmodum fiat: etiam nunc ex magna parte agitur, cùm à temporalium desideriorum tumultibus, delectatione in interiora rapiuntur: vt mens eorum dum in amorem Dei tota tenditur, nulla inutili perturbatione laceretur. Hinc est quòd Paulus per contemplationem mortuos, & quasi in sepulchro absconditos discipulos viderat, quibus dicebat: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Qui ergo mortem quærit, gaudet dum sepulchrum inuenit: quia qui mortificare se appetit, valde ad inuentam requiem contemplationis hirarescit: vt extinctus mundo lateat, & à cunctis exteriorum rerum perturbationibus intra sinum se intimi amoris abscondat. Si verò ad hoc quòd thesaurus effodi dicitur, etiam sepulchri inuentio subinfertur: hoc necesse est vt intentio nostra conspiciat, quòd antiqui suos mortuos cũ diuitiis obruebant. Qui igitur thesaurum quærit, gaudet cùm sepulchrum inuenerit: quia sapientiam perquirentes, cùm sacræ scripturæ paginas voluimus, cùm exempla præcedentiũ patrum perscrutamur: quasi ex sepulchro gaudium sumimus, & mentis diuitias apud mortuos inuenimus, quia qui huic mundo perfectè extincti sunt, in occulto cum diuitiis requiescunt. Sepulchro ergo diues efficitur, qui per exempla iustorum in contemplationis virtute subleuatur. Sed cùm requirens dicat: *Quare data est misero lux?* cur hoc ipsum requirere præsumat, insinuat dicens:

Psalm. 30.

Col. 3.

Quòd hoc ipsum quod rectè nos agere credimus vtrum in districti iudicis examine rectum sit, ignoramus.

Caput VI.

VIro cuius abscondita est vita, & circundedit eum deus tenebris.) † Viro enim via sua abscondita est: quia etsi iam in qua sit vitæ qualitate considerat, adhuc tamen ad quem finem tendat, ignorat. Et si iam superna appetit, etsi plenis hæc desideriis quærit, adhuc tamen si in eisdem desideriis permaneat, nescit. Peccata quippe deserẽtes ad iustitiam tendimus: & vnde venimus, nouimus: sed quò peruenimus, ignoramus. Quid hesterna die fuimus, scimus: sed quid cõtingat crastina nos esse nescimus. Viro ergo via sua abscondita est: quia sic pedem ponit operis, vt tamen præuidere nequeat exitũ consummationis eius. Est autẽ & alia vitæ nostræ abscõsio: quia nonnunquã ea ipsa quę rectè nos agere credimus, an in districti iudicis examine recta sint, ignoramus. Sæpe enim sicut & longè superius diximus, opus nostrum causã dãnationis est, & profectus putatur esse virtutis. Sæpe vnde placari iudex creditur, inde ad irascẽdum placidis instigatur: Salomone attestante, qui ait: Est via quę videtur homini recta: nouissima autem eius ducunt ad mortẽ. Vnde sancti viri cùm mala superant, sua etiã bene gesta formidant: ne cum bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur: ne pestifera tabes putredinis, sub boni specie lateat coloris. Sciunt enim quia corruptionis adhuc põdere grauati, diiudicare bona subtiliter nesciunt: & cùm ante oculos extremi examinis regulam deducunt, hæc ipsa in se nonnunquã & quæ approbant metunt: & tota quidem mente interna desiderant: sed tamen de incertitudine operum trepidi, quò gradiuntur, ignorant. Vnde bene postquam dictum est: *Quare data est misero lux?* adiungitur: *Viro cuius abscondita est via.*) Ac si dicatur: Cur huius vitæ successus appetit, qui sub qua sit æstimatione iudicis iter sui operis nescit? Bene autem subditur: *Et circundedit eum Deus tenebris.* Tenebris nanque homo circundatur: quia quanuis cœlesti desiderio feruear, quid de semetipso sit dispositum intrinsecus, ignorat. Et valde metuit, ne quid sibi in iudicio obuiet: quod se de se nũc in desiderio boni feruoris latet. Tenebris homo circundatur: quia ignorãtiæ suæ caligine premit. An tenebris circundatus nõ est, qui plærunque præteritorũ non meminit, futura nõ inuenit, præsentia vix cognoscit? Tenebris circundatum se quidam sapiens viderat, cùm dicebat: Quæ in prospectu sunt, vix inuenimus cum labore: & quæ in cœlis sunt, quis inuestigabit? His se tenebris Propheta circũdatũ vidit, cùm dispositionis intimæ penetrare interna non potuit, dicẽs: Posuit tenebras latibulum suum. Auctor enim

† al. Vita enim sua viro.

4.

Prouer. 14.

Sapien. 9.

Palm. 17.

noster quia nobis in hoc exilium deiectis, lucem suæ visionis abstulit: sese nostris oculis quasi in tenebrarum latibulo abscondit. Quas nimirum cæcitatis nostræ tenebras cùm studiosè conspicimus, mentem ad lamenta prouocamus. Flet enim cæcitatem quã foris patitur: si humiliter meminit, quòd in interioribus lumine priuetur. Cúmque tenebras quibus circundatur, respicit, splendoris intimi ardenti se desiderio affligit: omníque intentionis adnisu semetipsam concutit, & supernam lucem quam condita deseruit, repulsa quærit. Vnde fit plærunque vt in ipsis piis fletibus illa interni gaudij claritas erumpat: & mens quę in torpore prius cæca iacuerat, ad inspectionem fulgoris intimi suspiriis vegetata conualescat. Vnde bene sequitur:

Quòd fletu suo anima pascitur: & dum gemitu pœnitentiæ afficitur, consolationis diuinæ refectione satiatur.

Caput VII.

ANtequam comedam, suspiro.) Comedere nanque est animæ, supernæ lucis cõtemplationibus pasci. Suspirat ergo antequam comedat, qui prius gemitibus tribulationis afficitur: & postmodum contemplationis refectione satiatur. Nisi enim suspiret, nõ comedit: quia qui se in hoc exilio per desideriorũ cœlestium lamenta nõ humiliat, æternæ patriæ gaudia non deguſtat. A veritatis enim pabulo ieiuni sunt, qui in hac peregrinationis inopia lætãtur. Suspirat autem qui comedit, quia quos veritatis amor afficit, etiã refectio cõtemplationis pascit. Suspirans Propheta comedebat, cùm diceret: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes. Luctu enim suo anima pascitur, cùm ad superna gaudia flẽdo subleuatur, & intus quidẽ doloris sui gemitum tolerat: sed cò refectionis pabulum percipit, quò vis amoris per lachrymas emanat. Vnde & eãdem vim lachrymarum adhuc beatus Iob prosequitur, subdẽs: *Et quasi inundantes aquæ, sic rugitus meus.*) Aquæ cùm inundant, cum impetu veniunt: & crescentibus, multipliciter voluminibus intumescunt. Electi verò dum mentis suę oculis diuina iudicia opponunt: dum de occulta super se sententia trepidant: dum se ad Deum peruenire posse confidunt, sed tamen ne nõ peruenianat metuũt: dum præteritorum suorum recolũt quæ deflẽt: dum quę sibi adhuc futura sunt, quia nesciunt, pertimescunt: quasi quædam in eis aquarum more volumina colliguntur, quæ in mæroris rugitus quasi in subiecta littora defluunt. Vir igit̃ sanctus vidit, quãta sint in lamentis pœnitentiæ volumina cogitationum: & ipsas mœroris vndas inundãtes aquas vocauit, dicens: *Et quasi inundantes aquæ, sic rugitus meus.*) Nonnunquam verò iusti, sicut & paulò superius diximus, in ipsis bonis operibus positi trepidant: ac ne in eisdẽ occulto aliquo errore displiceant, continuis lamentis vacant. Quos cùm diuina subitò flagella corripiunt, auctoris sui gratiam se offendisse suspicantur: quia vel infirmitatibus præpediti, vel amaritudinibus presi, ad impendenda proximis pia opera non assurgunt. Et cor in lamentum vertitur: quia corpus à deuotionis suæ ministerio retardatur. Cumque se mercedem non augere considerant, etiam transacta opera displicuisse formidant. Vnde etiam beatus Iob cùm rugitum suum quasi inundantes aquas diceret, ilico adiunxit: *Quia timor quem timebam, euenit mihi: & quod verebar accidit.*) Iusti igitur viri deflent & pauent, & magnis se lamentis cruciant, quia deseri formidant: & quanuis de correptione sua gaudeant, eorum tamen trepidam mentem correptio ipsa perturbat: ne malum quod tolerant, non pia percussio disciplinę sit, sed animaduersio iuxta vindictæ. Quod bene Psalmista considerans ait: Quis nouit potestatem iræ tuæ? Potestas quippe diuinæ iræ nostra non potest mente comprehendi: quia eius dispensatio, obscuris super nos dispositionibus, sępe vnde æstimatur deserere, inde nos recipit: & vnde nos recipere creditur, inde derelinquit: vt plærunque hoc fiat gratia, quod ira dicitur: & hoc aliquando ira sit, quod gratia putatur. Nonnullos enim flagella corrigunt: nonnullos ad impatiẽtiæ vesaniam perducunt: & alios prospera quia demulcẽt, ab insania mitigant: alios quia eleuant, funditus ab omni spe conuersionis eradicant. Cunctos autem vitia ad ima pertrahunt: sed tamen quadam eò ab his facilius redeunt, quò se in eis corruisse altius erubescunt. Et semper virtutes ad superna subleuant: sed nonnunquam quidã dum tumorem de virtutibus

5.

Psalm. 12.

Psalm. 89.

virtutibus concipiunt, per ipsum tramitem ascensionis cadũt. Quia ergo potestas diuinæ iræ minimè cognoscitur: in cunctis necesse est, vt sine cessatione timeatur. Sequitur:

Quòd hi qui in regimine constituti sunt, districtè cogitare debent vt gloriam suæ dignitatis dissimulent: & quòd non omnia eis liceant: ergo ad loquendum aut iudicandum præcipites, intra semetipsos quantum possunt à cupiditatis tumultibus ad contemplationis quietem confugiant.

Caput VIII.

NOnne dissimulauì? nonne siluì? nonne quieuì? & venit super me indignatio.) Quanuis quolibet in loco positi, cogitando, loquendo, agendo, peccemus: tunc tamen per tria hæc animus effrenatius rapitur, cùm mundi huius prosperitate subleuatur. Nam cùm præire se potestate cæteros conspicit, alta de se clarè cogitans sentit. Et cùm auctoritati vocis à nullo resistitur, lingua licentius per abrupta defrenatur. Cúnque facere quòd libet licet: iustè sibi omne æstimat licere quod libet. Sed sancti viri cùm mũdi huius potestate fulciũtur, tantò sub maiorem mentis disciplinam se redigunt, quantò sibi per impatiẽtiam potestatis, suaderi illicita quasi licẽtius sciunt. Cor nanque à cõsideranda sua gloria reprimunt: linguam ab immoderata locutione restringunt: opus ab inquietudinis vagatione custodiunt. Sæpe enim qui in potestate sunt, ea quæ rectè faciunt, quia elatè cogitant, amittunt: dúmque se ad cũcta vtiles æstimant, etiam impensæ vtilitatis sibi meritum dãnant. Vt enim cuiuslibet facta digniora sint: necesse est vt ei apud se semper indigna videãtur: ne eadem bona actio agentis cor subleuet: & subleuando plus auctorem de elatione deiiciat, quàm ipsos fortè quibus impenditur iuuat. Hinc est enim quòd rex Babyloniæ, dum elata mente apud se tacitus volueret, dicens: Nónne hæc est Babylon, quam ego ædificauì? in irrationale animal protinus versus est. Quod enim factus fuerat, perdidit: quia humiliter noluit dissimulare quod fecit. Et quia elatione cogitationis se super homines extulit: ipsum quem communem cum hominibus habuit sensum hominis, amisit. Sæpe verò qui in potestate sunt, ad subiectorũ passim contumelias erumpunt: & hoc quod vigilãtes regimini seruiunt, per linguæ procacitatem perdunt, minori scilicet formidine iudicis verba pensantes: quia qui sine causa fratri fatue, dixerit, gehennæ se ignibus addicit. Sæpe hi qui in potestate sunt, dum sese à licitis retinere nesciũt, ad illicita opera & inquieta dilabuntur. Solus enim in illicitis non cadit, qui se aliquando & à licitis cautè restringit. Qua videlicet constrictione religatum bene se Paulus insinuat dicens: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Atque vt ex ipsa religatione ostenderet in quanta se mentis libertate dilataret, ilico adiunxit: Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestatem. Cùm enim mens concepta desideria sequitur, seruire rebus conuincitur, quarum amore superatur. Sed Paulus cui cuncta licent, sub nullius potestatem se redigit: quia semetipsum etiam à licitis restringẽdo, ea quæ delectata premerent, despecta transcendit. Beatus igitur Iob, vt nos erudiat qualis in potestate fuit, innotescat, dicens: *Nónne dissimulauì?* Potestas nanque cùm habetur, & cogitanda est ad vtilitatem, & dissimulãda propter tumorem: quatenus is qui ea vtitur, & vt prodesse debeat, posse se sciat: & vt extolli non debeat, posse se nesciat. Qualis verò in ore fuerit, adiungat dicens: *Nónne siluì?*) Qualis erga illicita opera adhuc subiiciat: *Nónne quieuì?*) Potest autem silere & quiescere, adhuc subtilius perscrutari. Silere nanque, est mentem à terrenorum desideriorum voce restringere. Vis enim magni clamoris est tumultus cordis. Quiescunt quoque qui bene in potestate sunt, cùm terrenarum actionum strepitus pro diuino amore intermittẽdo postponunt: ne dum ima indefinenter occupant, cor funditus à summis cadat. Sciunt enim quia nequaquam mens ad superna attollitur: si curarum tumultibus continuè in infimis occupatur. Quid enim de Deo occupata obtineat, quæ de illo apprehendere aliquid etiam vacans laborat? Bene autem per Psalmistam dicitur: Vacate & videte, quoniã ego sum Deus. Quia qui vacare Deo negligit, suo sibi iudicio lumen eius visionis abscõdit. Hinc etiam per Moysen dicitur, vt pisces qui pennulas non habent, non edantur. Pisces nanque qui habẽt pennulas, saltus dare super aquas solent. Soli ergo in electorũ

6.

Danie. 4.

Matt. 5.

Psal. 45.

Leui. 11.

corpore quasi pisces transeunt, qui in eo quod imis deseruiũt, aliquando ad superna conscendere mentis saltibus sciunt: ne semper in profundis curarum lateãt, & nulla eos amoris summi quasi liberi aëris aura contingat. Qui ergo rebus temporalibus occupantur, tunc bene exteriora disponunt, cùm sollicitè ad interiora refugiunt: cùm nequaquam foris perturbationum strepitus diligunt, sed apud semetipsos intus in tranquillitatis sinu requiescunt. Prauæ etenim mentes temporalium rerum tumultus intra semetipsas versare non cessant, etiam cùm vacant. In cogitatione enim seruant depicta quæ amant: & quanuis nihil exterius faciant, apud semetipsas tamen sub pondere inquietæ quietis elaborant. Quibus si earundem rerum administratio præbeatur, semetipsas funditus deserunt: & fugitiua hæc temporalia per intentionis cursum, continuis cogitationum passibus sequuntur. Piæ autem mentes hæc, & cùm deiunt, non quærunt: & grauiter etiam cùm assunt, ferunt, quia per exteriorum curam à se exire pertimescunt. Quod bene illa duorum fratrum vita signatur, de quibus scriptum est: Factus est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola. Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis. Vel sicut in alia translatione dicitur, habitabat domi. Quid enim per venationem Esau, nisi eorum vita figuratur, qui in exterioribus voluptatibus fusi carnem sequuntur? Qui etiam agricola esse describitur: quia amatores huius sęculi, tantò magis exteriora colunt, quantò interiora sua inculta derelinquunt. Iacob verò vir simplex in tabernaculis vel in domo habitare perhibetur: quia nimirum omnes qui in curis exterioribus spargi refugiunt, simplices in cogitatione, atque in conscientiæ suæ habitatione consistunt. In tabernaculis enim aut in domo habitare, est se intra mentis secreta restringere: & nequaquam exterius per desideria dissipare, ne dum ad multa foris inhiant, à semetipsis alienati cogitationibus recedant. Dicat igitur probatus vir, & exercitatus in prosperis: *Nónne dissimulauì? Nónne siluì? Nónne quieuì?*) Vt enim suprà diximus, sancti viri cùm eis transitoria prosperitas arridet, fauorem mundi quasi nescientes, dissimulant: & forti gressu interius hoc, vnde exterius subleuantur, calcant. Silent autem quia nullis prauæ actionis clamoribus perstrepunt. Omnis nanque iniquitas apud secreta Dei iudicia, habet voces suas. Vnde scriptum est: Clamor Sodomorum & Gomorræorum multiplicatus est. Quiescunt verò, cùm non solum nullo cupiditatum temporalium turbulento appetitu rapiuntur, verumetiam curis præsentis vitæ necessariis immoderatius occupari refugiunt. Sed hæc agentes, paterna adhuc flagella sentiunt: vt tantò perfectiores ad hæreditatem veniant, quantò eos spiritaliter piè feriens disciplina, quotidie etiam de minimis purgat. Iusta itaquaque indefinenter faciunt, & assiduè dura patiuntur: quia sæpe ipsa iustitia nostra, ad examen diuinæ iustitiæ deducta, iniustitia est: & fordet in districtione iudicis, quod in æstimatione fulget operãtis. Vnde Paulus cùm diceret: Nihil mihi conscius sum: protinus adiunxit: Sed non in hoc iustificatus sum. Qui causam mox, cur non sit iustificatur, insinuans, ait: Qui autem iudicat me, Dominus est. Ac si dicat: Idcirco in eo quòd nihil mihi conscius sum, iustificatũ me abnego: quia ab eo, qui me iudicat, examinari me subtilius scio. Dissimulanda ergo sunt quæ exterius fauent: reprimẽda quæ interius perstrepunt: declinanda quæ quasi necessaria inuoluunt: & tamen in his omnibus adhuc districti examinis flagella metuenda: quia & ipsa nostra perfectio culpa non caret, nisi hanc seuerus iudex in subtili lance examinis misericorditer penset. Bene autem subditur:

7.

Gen. 25.

Gen. 18.

Quanta maneant peccantes supplicia, si tam valida districtio in hac vita iustos castigat.

Caput IX.

ET venit super mẽ indignatio.) Magna quippe arte doctrinæ dicturus † verba, prætulit recte facta, vt hinc vnusquisq; consideret, quæ peccantes postmodum supplicia maneant, si etiam iustos tam valida hîc flagella castigant. Hinc est enim quod Petrus ait: Tempus est vt iudiciũ incipiat de domo Dei. Et si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt? Hinc Paulus cùm multa in Thessalonicensium laudem dixisset, protinus adiunxit: Ita vt & nosipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei: pro patiẽtia vestra & fide, in omnib̃ persequu-

† al. verbera, innotuit.

1. Pet. 4.

2. Thes. 1.

tionibus vestris & tribulationibus, quas sustinetis, in exemplum iusti iudicij Dei. Ac si diceret: Dum tot dura toleratis, qui tam recta agitis: quid aliud quàm iusti Dei iudicij exempla datis? quia ex vestra pœna colligendum est, quomodo feriat, quibus irascitur, si sic vos affligi patitur, in quibus lætatur: aut quomodo illos percussurus est, quibus iustum iudicium exhibet: si etiam vos sic cruciat, quos piè redarguens fouet?

Quòd verba vel facta sanctorum malis sæpe displicent, quia eorum intentionem non intelligunt: & quid sit quòd Oza leuites arcam erigens, sententiam mortis accepit.

Caput X.

9 PRima igitur Iob locutione terminata, vicissim amici qui consolaturi piè venerant, eius increpationi subiiciunt: dúmque ad contentionis verba prosiliunt, eam pro qua venerant, causam pietatis amittunt. Qui quidem non praua hoc intentione faciunt, sed quanuis affectum percusso exhibeant, percussum tamen non nisi pro iniquitate crediderunt: dúmque intentionem bonam nequaquam locutio cauta subsequitur, ipsa pietatis propositio in trãsgressionis vitium vertitur. Pensandum nanque fuerat, cui & quando loquerentur. Iustus quippe erat ad quem venerant, & diuinis verberibus cinctus. Ex anteacta ergo eius vita debuerunt ea, quæ intelligere non valebant, illius verba perpendere, & ex flagellis præsentibus non illum redarguere, sed de sua vita formidare: séque flagellato iusto, non quasi ratiocinando erigere, sed flendo sociare: vt nequaquam se eorum scientia per verba ostenderet, sed loqui rectè linguam consolantium † magister dolens. diuiret. Qui etsi qua forsitan diuersa sentirent, dignum profectò erat, vt hæc humiliter dicerent, ne percusso vulnera per immoderata verba cumularent. Sæpe enim quia intelligi non valent, deterioribus displicent, vel facta, vel dicta meliorum: sed eò ab eis non temerè reprehendenda sunt, quo apprehendi veraciter nequaquam possunt. Sæpe aliquid à maioribus dispensatoriè agitur vel præcipitur, quod à minoribus error putatur. Sæpe multa à fortibus dicuntur, quæ infirmi idcirco 1.Regum.2. diiudicant, quia ignorant. Quod bene bobus calcitrantibus inclinata illa testamenti arca signauit: quam quia casuram credens, leuites erigere voluit, mox sententiam mortis accepit.

10 Quid est nanque mens iusti, nisi arca testamenti? Quæ gestata bobus calcitrantibus inclinatur: quia nonnunquam etiam qui bene præest, dum subiectorum populorum confusione concutitur, ad dispensationis condescensionem ex sola dilectione permouetur. Sed in hoc quod dispensatoriè agitur, inclinatio ipsa fortitudinis, casus putatur imperitis. Vnde & nonnulli subditi contra hanc, manum reprehensionis mittunt, sed à vita protinus ipsa sua temeritate deficiunt. Leuites ergo quasi adiuuans, manum extendit, sed delinquens vitam perdidit: quia dum infirmi quique fortium facta corripiunt † ipsa viuentium sorte reprobantur. Aliquando etiam sancti † al. ipsi à viuentium sorte. viri quædam minima condescendentes dicunt, † aliquando verò summa contemplantes proferunt: dúmq; vim vel condescensionis vel altitudinis nesciunt, audacter hæc stulti † vel quædam verò. reprehendunt. Et quid est iustum de sua condescensione velle corrigere, nisi inclinatam arcam superba reprehensionis manu releuare? Quid est iustum de incognita locutione reprehendere, nisi motum eius fortitudinis, erroris lapsum putare? Sed perdit vitam, qui arcam Dei tumidè subleuat: quia nequaquam quis sanctorũ corrigere recta præsumeret, nisi de se prius meliora sensisset. Vnde rectè & leuites idem Oza dicitur, quod videlicet robustus Domini interpretatur: quia præsumptores quique, nisi audaci mente robustos se in Domino crederent, nequaquam meliorum facta vel dicta velut infirma iudicarent. Amici igitur Iob, dum contra eum quasi in Dei defensionem prosiliunt, diuini præcepti regulam superbientes excedunt. Cùm verò quædam facta meliorum deterioribus displicent, nequaquam hoc quod mentem mouet, reticendum est, sed cum magna humilitate proferendum: quatenus intentio piè sentientis, eò veræ seruet formam rectitudinis, quò per iter graditur humilitatis. Et liberè ergo dicenda sunt quæ sentimus, & valde humiliter proméda quæ dicimus: ne & quæ rectè intendimus, hæc elatè proferendo non recta faciamus. Paulus auditoribus suis multa humiliter

E dixerat: sed de ipsa exhortatione humili placare eos adhuc humilius satagebat, dicens: Rogo autem vos fratres vt sufferatis verbum solatij, etenim perpaucis scripsi vobis. Ephesiis Heb.13. quoque Mileti valedicens afflictis ac gementibus, humilitatem suam ad memoriam reuocat, dicens: Vigilate, memoria Acto.20. retinentes, quoniam per triennium nocte ac die non cessaui cum lachrymis, monens vnumquenq; vestrum. Eisdem rursum per Epistolam dicit: Obsecro vos fratres, ego vinctus Ephe.4. in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis. Hinc ergo colligat, si quando aliquid rectè sentit, quanta humilitate debeat magistro loqui Discipulus: si ipse magister gentium in his quæ cum authoritate prædicat, tam submisse Discipulos rogat. Hinc vnusquisq; colligat, eis à quibus bene viuẽdi exempla percepit: hoc quod bene intelligit, quam humiliter dicat: si Paulus illis humili se voce subdit, quos ad vitam ipse suscitauit. Eliphas autem qui primus amicorum loquitur, quanuis ad consolandum pietate venerat: humilitatem tamen locutionis deserens, regulam consolationis ignorat. Qui dum loquendi custodiam negligit, vsque ad afflicti contumelias excedit, dicens: *Tigris periit, eo quòd non haberet prædam. Rugitus leonis & vox leænæ, & dentes catulorum leonum dissipati sunt.*) Beatum videlicet Iob nomine Tigridis, quasi vitio varietatis notans: per leonis rugitum eiusdem viri terrorem: per leænæ vocem, loquacitatem coniugis: per dissipatos verò dentes catulorum leonum, destructam filiorum edacitatem [& audaciam] signans. Vnde & bene amicorum sensum qui in tumida se correptione extulit sententia diuina reprehendit dicens: Non estis locuti coram me rectum, sicut 11 seruus meus Iob. Sed quærendum video cur Paulus illorum sententiis tanta authoritate vtitur, si hæ eorum sententiæ dominica reprehensione cassantur? Eliphas quippe verba sunt, quæ Corinthiis intulit dicens, sicut scriptum est: Compre- 1.Corinth.3. hendam sapientes in astutia eorum. Quomodo ergo quasi praua respuemus, quæ Paulus ex authoritate astruit? aut quomodo attestatione Pauli recta putauimus, quæ per semetipsum Dominus non recta definiuit? Sed vtraque hæc citius, quàm non sint diuersa cognoscimus, si eiusdem dominicæ sententiæ verba subtilius pensamus: quia nimirum cùm diceret: Non estis locuti coram me rectum, ilico adiunxit: Sicut seruus meus Iob. Liquet ergo, quia quædam in eorum dictis recta sunt, sed melioris comparatione superantur. Nam inter alia quæ irrationabiliter dicunt, multas ab beatum Iob fortes sententias proferunt, sed comparatæ dictis fortioribus vim fortitudinis amittunt. Mira sunt autem multa quæ dicũt, nisi in sancti viri aduersitatem dicerentur. In semetipsis igitur magna sunt, sed quia iustum virum transfigere appetunt, eiusdem magnitudinis pondus perdunt: quia & quamlibet forte frustra iaculum mittitur, ut dura saxa feriantur. Eò nanque obtusum longius resilit, quò intortum fortius venit. Igitur amicorum Iob dicta, licet in quibusdam valde sint fortia, cùm tamen sancti viri fortem uitam feriunt, cunctum sui acuminis mucronem retundũt. Quia ergo & in semetipsis magna sunt, sed cõtra beatum Iob nullo modo assumi debuerunt, & Paulus hæc ex virtute pensans, in authoritate proferat: & iudex quia incautè prolata sunt, ex personæ qualitate reprehendat. Sed quia eosdem amicos beati Iob, hæreticorum tenere speciem superius diximus: nunc eorum verba quomodo hæreticis congruant, indagemus. Quædam namque valde recti sentiunt, sed tamen inter hæc ad peruersa dilabuntur. Habent quippe hoc hæretici proprium, vt malis bona permisceant, quatenus facilè sensui audientis illudant. Si enim semper praua dicerent, citius in sua pranitate cogniti, quod vellent, minimè persuaderent. Rursum, si semper recta sentirent, profectò hæretici non fuissent. Sed dum fallendi arte ad vtraque deseruiunt, & ex malis bona inficiunt, & ex bonis mala vt recipiantur abscondunt: sicut qui veneni poculum porrigit, ora poculi dulcedine mellis tangit: dúmque hoc quod dulce est, primo attactu delibatur, etiam illud quod est mortiferum, indubitanter absorbetur. Itaque hæretici permiscent recta peruersis, vt ostendendo bona, auditores ad se trahant: & exhibendo mala, latenti eos peste corrumpant. Aliquando tamen prædicatione sanctæ Ecclesiæ atq; exhortatione correcti, ab hac sensus sui diuersitate saluantur. Vnde & amici Iob reconci-

Iob reconciliationis suæ sacrificium eiusdem sancti viri manibus offerunt, atque ad superni iudicis gratiam, vel † adducti reuocantur. Quos bene in Euangelio illa decem leprosorum mundatio designat. In lepra quippe & pars cutis in fulgorem ducitur, & pars in colore sano retinetur. Leprosi itaque hæreticos exprimunt, qui dum rectis praua permiscẽt, colorem sanum maculis aspergunt. Vnde & bene vt saluentur, clamant: Iesu præceptor. Quia enim in eius verbis se errasse significant, hunc saluandi præceptorem humiliter vocant: cúmque ad cognitionem præceptoris redeunt, mox ad formam salutis recurrunt. Sed quia in amicorum dictis præfationem expositionis paulò longius duximus, ipsa iam eorum verba subtiliter pensemus. Sequitur:

† al. addicti. Luc.17.

Caput quartum Beati Iob.

REspondens autem Eliphas Themanites dixit: Si cœperimus loqui tibi, forsitan molestè accipies. Sed conceptum sermonem tenere quis poterit? Ecce docuisti multos, & manus lassas roborasti. Vacillantes confirmauerunt sermones tui, & genua tremẽtia confortasti. Nunc autem venit super te plaga, & defecisti: tetigit te, & conturbatus es. Vbi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua & perfectio viarum tuarum? Recordare obsecro te, quis vnquam innocens periit, aut quando recti deleti sunt? Quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos, flante Deo perisse, & spiritu iræ eius esse consumptos. Rugitus leonis, & vox leænæ, & dentes catulorum leonum contriti sunt. Tigris periit, eo quòd non haberet prædam, & catuli leonis dissipati sunt. Porrò ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurrij eius. In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pauor tenuit me & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt. Et cùm spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ. Stetit quidam cuius non agnoscebam vultum, imago corã oculis meis, & vocem quasi auræ lenis audiui: Nunquid homo Dei cõparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir? Ecce qui seruiunt ei, nõ sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatẽ. Quantò magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenũ habent fundamentum, consumentur, velut à tinea? De mane vsque ad vesperam succidentur; & quia nullus intelligit, in æternum peribunt. Qui autem reliqui fuerint, auferentur ex eis: morientur, & non in sapientia.

De tribus generibus locutionum.

Caput XI.

R*Espondens autem Eliphas Themanites, dixit: Si cœperimus loqui tibi, forsitan molestè accipies.*) Iam superius dicta sunt, quæ his vocabulorum interpretationibus exprimantur. Quia ergo festinè ad indiscussa tendimus, prolata replicare deuitamus. Hoc itaque est solerter intuendum, quòd hi qui hæreticorum speciem tenent, loqui molliter inchoant, dicentes: *Si cœperimus loqui tibi, forsitan molestè accipies.*) Exasperare quippe hæretici auditores suos in exordio locutionis suæ metuũt, ne vigilanter audiantur, eorúmque valde tristitiam declinant, vt negligentiam capiant. Et planè semper blanda sunt quæ proponunt, sed aspera quę prosequendo subinferũt. Vnde & nunc amici Iob à reuerentia mansuetæ locutionis incipiunt, sed vsque ad iacula asperrimæ inuectionis erumpunt: quia & radices spinarum molles sunt, sed tamen ex ipsa sua mollitie proferunt, vnde pungunt. Sequitur. *Sed conceptum sermonem quis tenere poterit?* Tria sunt hominum genera, quæ gradatim ductis à se qualitatibus dissident. Sunt nanque alij qui & ad loquendum praua concipiunt, & à locutione sua nulla silentij grauitate refrenantur. Et sunt alij qui cùm praua concipiunt, magno se silentij vigore restringunt. Et sunt nonnulli qui virtutum vsu roborati, vsque ad eam celsitudinem prouehuntur, vt ad loquendum ne in corde quidem peruersa concipiant, quæ silendo compescant. Eliphas itaque ex quo sit ordine, ostenditur, qui conceptum sermonem tenere se nõ posse testatur. Qua in re & illud innotuit, quòd se loquendo offensurum nouit. Neque enim retinere verba quæ non potest, vellet, nisi per hæc se vulnera inferre prænosceret. Boni enim viri freno consilij retinent præcipitationem verbi, & cautè considerant, ne relaxantes linguæ lasciuiam, auditorum conscientiam incauta locutione transfigant. Vnde bene per Salomonem dicitur: Qui dimittit aquam, caput est iurgio- Prou.17. rum. A qua quippe dimittitur, cùm linguæ fluxus effrenatur. Sed dimissor aquæ, caput iugiorum efficitur: quia per linguæ incontinentiam, discordiæ origo propinatur. Igitur, sicut praui, in sensu leues sunt,, ita in locutione præcipites, & reticere pertractando negligunt, quæ loquantur: sed quod leuis conscientia concipit, leuior protinus lingua prodit. Vnde nunc Eliphas ex suo experimento colligit, quod desperatè de omnibus sentit, dicens: Sed conceptum sermonem tenere quis poterit? Sequitur:

Tria hominũ genera.

Quòd hæretici vel peruersi dum bona instorum referunt, ea quæ probant, quantum possunt peruertunt.

Caput XII.

E*Ece docuisti plurimos, & manus lassas roborasti, vacillantes confirmauerunt sermones tui, & genua trementia confortasti.*) Si ipse historiæ textus aspicitur, magna est lectoris vtilitas, quòd ab amicis iurgantibus, in beatum Iob pro laceratione vitiorum, virtutum præconia proferuntur. Nunquam quippe est tam robustum vitæ testimimonium, quàm cùm ille laudanda loquitur, qui ingerere crimẽ conatur. Pensemus autem cuius celsitudinis iste vir fuerit, qui indoctos docens, lassos roborans, vacillantéque confirmans, inter curas domus, inter multiplicium rerum custodiam, inter affectus pignorum, inter studia tot laborum, erudiendis se cæteris impendit. Et illa quidem occupatus exercuit, sed tamen liber magisterio doctrinæ militauit. Temporalia regendo disposuit, æterna prædicando nuntiauit, vitæ rectitudinem, & agendo videntibus ostendit, & loquendo audientibus ingessit. Sed siue hæretici, seu peruersi quilibet, cùm bona iustorũ referũt, hæc in argumentum criminis inflectunt. Inde nanque Eliphas contra beatum Iob occasionem obiurgationis colligit, vnde laudanda narrauit. Nam sequitur: *Nunc autem venit super te plaga, & defecisti: tetigit te, & conturbatus es.*) Peruersi quique duobus modis bonorum vitam impetunt: quia aut praua eos dicere asserunt, aut recta non seruare, quę dicunt. Vnde & beatus Iob inferius ab amicis suis de locutione reprehenditur: nunc autem recta dixisse, sed hæc non seuasse laceratur, Ab iniquis ergo modo bonorum locutio, modo actio reprobatur: quatenus aut reprehẽsa lingua taceat, aut eiusdẽ linguæ suę adiudicata testimonio in crimine vita succumbat. Et notandum quòd prius laudes linguæ inserunt, & postmodum de vitæ infirmitate conqueruntur. Iniqui etenim, ne publicè praui videantur, loquuntur aliquando bona de iustis, quæ esse iam cognita & aliis nouerunt. Sed sicut prædiximus, hæc ipsa protinus ad cumulum reatus pertrahunt: & credendum sibi in contrariis, ex eo quòd & prospera loquebantur, ostendunt: tantóque mala quasi verius insinuant, quantò & bona quasi deuotè laudabant. Ad vsum ergo intorquent criminis, voces fauoris: dum iustorum vitam inde pòst grauius vulnerant, hanc vnde paulò antè specie tenus defendebant. Sæpe autem eorum bona quæ prius habita despiciunt, hæc postmodum quasi perdita mirantur: Vnde & Eliphas sancti viri virtutes, quia amissas asserit, enumerando subiungit, dicens:

13.

Peruersi duplicitèr bonorũ vitam impetunt.

De quatuor gradibus virtutum, quibus sancti Iob vita distinguitur.

Caput XIII.

V*Bi est timor tuus, fortitudo tua, & patientia tua, & perfectio viarum tuarum?* Quæ nimirum cuncta ei sententiæ subrogat, quam præmisit, dicens: *Nunc autem venit super te, plaga, & defe-*

cisti: tetigit te, & conturbatus es.) Omnia ergo simul interisse asserit,, in eo quòd beatum Iob turbatum flagello reprehendit. Sed intuendum valde est, quia quanuis inconuenienter eum increpet, congruenter tamen ordines virtutũ narrat. Quatuor quippe gradib' vitã beati Iob virtutes enumerãdo distinxit, dum & timori fortitudinem, & fortitudini patiẽtiã, & patiẽtiæ perfectionẽ iunxit. In via etenim Dei à timore incipitur, vt ad fortitudinem veniatur. Nam sicut in via seculi audacia fortitudidem, ita in via Dei audacia debilitatem parit: & sicut in via seculi timor debilitatem, ita in via Dei timor fortitudinem gignit: *Prouer.14.* Salomone attestante, qui ait: In timore Domini, fiducia fortitudinis. Timori quippe Domini inesse, fiducia fortitudinis dicitur: quia nimirum mens nostra tantò valentius terrores rerum temporalium despicit, quantò se auctori earundẽ veracius per formidinẽ subdit. Quæ in timore Domini constituta, nõ inuenit extrà quod metuat: quia dum recto metu conditori omnium coniungitur, potestate quadam supra omnia subleuatur. Fortitudo autem, non nisi in aduersitate ostenditur, vnde & mox post fortitudinem patientia subrogatur. Tantò enim quisque se ad fortitudinem profecisse verius demonstrat, quantò aliena mala robustius tolerat. Nam minus in se cõualuit, quem aliena iniquitas sternit. Qui in eo quod ferre contrarietatem non valet, pusillanimitatis suæ gladio confossus iacet. Quia verò perfectio de patientia nascitur: statim post patientiam, viarum perfectio
14 subinfertur. Ille enim verè perfectus est, qui erga imperfectionem proximi, impatiens non est. Nam qui alienam imperfectionem ferre non valens, patientiam deserit: ipse sibi testis est, quòd perfectè necdum proficit. Hinc in Euangelio veritas dicit: In patientia vestra possidebitis animas vestras. *Lucæ.21.* Quid est enim animas possidere, nisi perfectè in omnibus viuere, cunctis mentis motibus ex virtutis arce dominari? Qui igitur patientiam tenet, animam possidet: quia inde contra aduersa omnia fortis efficitur, vnde sibi & seipsum vincendo dominatur. Et quo se laudabiliter frangit, infractum se fortiter exerit: quia cùm in suis se voluptatibus superat, sese ad contraria inuictum parat. Sed quia Eliphas inuehendo corripuit, nunc aliqua velut exhortando subiungit, dicens:

Quòd sancti qui in hoc mundo pereunt, ad æternam gloriam pereundo seruantur. Caput XIIII.

R*Ecordare obsecro, quis vnquam innocens periit, aut quando recti deleti sunt?* Siue hæretici, quorum amicos beati Iob tenere speciem diximus, siue peruersi quilibet, quàm inordinatè redarguunt, tam reprehensibiliter exhortantur. Ait nanque: Quis vnquam innocens periit, aut quando recti deleti sunt? *Sæpe hic innocẽtes pereunt.* Sæpe quippe hìc & innocentes pereunt, & recti funditus delentur, sed tamen ad æternam gloriam pereundo seruantur. Si enim nullus innocens periret, Propheta non diceret: Iustus perit, & nemo est qui recogitet. *Esaiæ.57.* Si rectos Deus prouidendo non raperet, nequaquam de iusto sapientia dixisset: *Sapien.4.* Raptus est, ne malitia mutaret intellectum illius. Si iustos animaduersio nulla percuteret, Petrus minimè prænuntiaret, *1.Petri.4.* dicens: Tempus est vt incipiat iudicium de domo Dei. *Veraciter recti.* Illi verò veraciter recti sunt, qui amore supernæ patriæ, ad cuncta præsentis vitæ aduersa præparantur. Nam qui pro æternis bonis, mala hìc perpeti metuunt, videlicet recti non sunt. Sed Eliphas vel rectos deleri, vel innocentes hìc perire non æstimat: quia sæpe hi qui non spe cœlestis gloriæ, sed pro terrena Deo retributione deseruiũt ipsi sibimet fingũt quod quærunt, & docere præsumentes, cùm terrenam securitatem prædicant, cunctis suis laboribus ostendũt quid amant. Sequitur,

Quare Deus in hoc mundo quorundam mala districtè percutit, aliorum inulta permittit. Caput XV.

Q*Vin potius vidi eos qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos, flante Deo periisse, & spiritu iræ eius esse con-*
15 *sumptos.*) *Dolores seminare. Dolores metere.* Dolores seminare, est fraudulenta dicere: dolores autem metere, est dicendo præualere. Vel certè dolores seminant, qui peruersa agunt: dolores metunt, cùm de eadem peruersitate puniuntur. Fructus quippe doloris est retributio damnationis. Sed cùm protinus subinfertur, quia qui dolores seminant & metunt, flante Deo pereunt, & iræ eius spiritu consumuntur: hoc loco doloris messio, non iam pœna, sed adhuc perfectio iniquitatis ostẽditur: quia ex diuinæ iræ spiritu, eiusdem messionis pœna subrogatur. Seminant ergo hìc dolores & metunt, quia iniqua sunt quæ faciunt, & ipsa iniquitate prosperantur: sicut de iniquo per Psalmistam dicitur: Polluuntur viæ eius in omni tempore: auferuntur iudicia tua à facie eius, omnium inimicorum suorum dominabitur. *Psalm.6.* De quo paulò pòst subditur: Sub lingua eius labor & dolor. Dolores itaque seminat, cùm peruersa agit: dolores metit, cùm ex eisdem peruersitatibus temporaliter excrescit. Quomodo ergo flante Deo pereunt, qui plærumque diu hìc subsistere, & iustis felicius permittuntur? Hinc nanq; de illis iterum per Psalmistam dicitur: In laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Hinc Hieremias ait: Quare via impiorum prosperatur? *Psalm.22. Hiere.12.* Quia enim, sicut scriptum est: Dominus patiens redditor est: sæpe diu tolerat, quos in perpetuum damnat: nonnunquam verò concitè percutit, quia pusillanimitati innocentium consolando concurrit. Aliquando ergo omnipotens Deus diu præualere iniquos patitur, vt iustorum mundius vita purgetur. *Cur Deus iniquos toleret.* Aliquando verò iniustos celeriter trucidat: eorúmq; interitu innocentium corda confirmat. Si enim nunc omnes malè agentes percuteret, extremum iudicium quibus exhiberet? Si autem nullum omnino percuteret, quis Deum res humanas curare crederet? Nonnunquam ergo iniquos ferit, vt ostẽdat, quia inulta mala non deserit. Nonnunquam verò iniquos diu tolerat, vt considerantibus insinuet, ad quod eos iudicium reseruet. Hæc itaque sententia dilationis iniquorum, si non cum fine præsentis seculi de cunctis generaliter dicitur, ex magna parte procul dubio veritatis virtute vacuatur. Sed tunc vera erit, cùm iam iniquitatis dilatio non erit. Quæ hoc fortasse modo intelligi rectius potest, quoniam nec innocens perit, nec rectus deletur: quia etsi carne hic atteritur, in conspectu æterni iudicis vera salute reparatur. Et qui seminant dolores & metunt, flante Deo pereunt: quia quantò hìc altius peruersè agendo proficiunt, tantò durius subsequenti damnatione feriuntur. Sed cùm eidem sententiæ præmittitur: Recordare, videlicet patet, quia transacta res ad mentem reducitur, non autem futura nuntiatur. Tunc ergo Eliphas verius diceret, si hæc de iniquis generaliter fieri extrema animaduersione credidisset. Sed hoc quod flare Deus dicitur, vrges vt subtilius discernatur. Nos quippe cùm flamus, aërem ab exterioribus introrsus trahimus, & introrsus tractum hunc exterius reddimus. Flare ergo Deus in vindictæ retributione dicitur, quia ab exterioribus causis introrsus iudicij consilium concipit, & ab interno consilio extrorsus sententiam emittit. Quasi flante Deo ab exterioribus aliquid introrsum trahitur, quando foris mala nostra conspicit, & intus iudicium disponit. Et rursum, quasi flante Deo ab interioribus spiritus extrorsus emittitur, quando ab interno conceptu consilij, exterius iudicium damnationis infertur. Bene itaque dicitur, quòd qui dolores seminant, flante Deo pereunt: quia vnde foris peruersa faciunt, inde ab intimis rectè feriuntur. Vel certè cùm flare Deus dicitur, quia & statim iræ eius spiritus subinfertur, appellatione flatus illius potest ipsa eius animaduersio designari. Nos quippe cùm irascimur, flatu furoris inflammamur. Vt ergo vindictam cogitans, Dominus demonstraretur, flare irascendo dicitur: non quòd ipse in natura sua mutabilitatis vicissitudinem recipiat, sed quòd post longam patientiam quandoq; vindictam peccatoris exequitur, is qui in semetipso tranquillus est, pereuntibus turbulentus videtur. Mens quippe reproba, quia aduersum suis actibus iudicem conspicit, quasi commotus ei ostenditur, quia in conspectu illius suo reatu proprio ipsa turbatur. Sed postquam quasi clementer admonuit, apertæ iucrepationis verba subiungit, dicens: *Rugitus leonis, & vox leænæ, & dentes catulorum leonum contriti sunt.*) Quid enim rugitum leonis appellat, nisi, vt paulò antè præmisimus, seueritatem viri? Quid vocem leænæ, nisi loquacitatem coniugis? Quid dentes catulorum leonum, nisi edacitatem prolis? Quia enim filij conuiuantes extincti sunt, dentium expressione signantur. Quæ cuncta dum contrita Eliphas rigidus exultat, quasi iure damnata denuntiat. Cuius adhuc duritiam increpationis ingeminat, cùm subiungit:

Quòd Tigridis

Quòd Tigridis nomine hypocritarum varietas & rapacitas exprimitur, quibus quasi præda est iustorum sibi laus vendicata. Caput XVI.

T*Igris periit, eo quòd non haberet prædam, & catuli leonum dissipati sunt.*) Quem enim nomine Tigridis, nisi beatum Iob nota varietatis signat, vel adspersum maculis simulationis?
16 Omnis nanque simulator in eo quòd videri rectus appetit, mundum se per omnia non ostendit: quia dum virtutes quasdam per hypocrisim assumit, & occultè semetipsum vitiis subiicit, quædam latentia vitia repentè in faciem erumpunt, & superductæ simulationis, quasi visionis corium, ex admixtione sua varium ostendunt: vt plærunque sit mirum cur homo qui tãtis virtutibus pollere cernitur, etiam tam reprobis actibus inquinetur. Sed nimirũ omnis hypocrita Tigris est: quia dum mundus color de simulatione ducitur, vitiorum nigredine interrũpente variatur. Sæpe enim dum de castitatis mũditia extollitur, sorde auaritiæ fœdatur. Sæpe dum de virtute largitatis speciosus ostenditur, luxuriæ maculis inquinatur. Sæpe dum castitatis atque largitatis decore vestitur, velut ex zelo iustitiæ, crudelitatis atrocitate fuscatur. Sæpe largitate, castitate, pietate ex pulchra visione induitur, sed interfusa obscuritate superbiæ notatur. Sicque fit, vt intermixtis vitiis dum mundam in se speciem hypocrita non ostendit, quasi vnum colorem Tigris habere nequaquam possit. Quæ videlicet Tigris rapit prędam, quia humani sibi fauoris vsurpat gloriam. Qui enim rapta laude extollitur, quasi præda satiatur. Bene autem hypocritarum laus præda dicitur. Præda quippe est, cùm aliena violenter auferũtur. Omnis autem hypocrita, quia vitam iustitiæ simulans, iustorum sibi laudem arripit, alienum profectò est, quod tollit. Eliphas itaque, qui beatum Iob incolumitatis suæ tẽpore laudanda egisse cognouit, percussione subsequente, illum hæc tenuisse per hypocrisim credidit, dicens: Tigris periit, eo quòd non haberet prædam. Ac si apertè dicat: Varietas tuæ simulationis extincta est, quia & adulatio laudis ablata est: & iam tua hypocrisis prædam non habet, quia percussa diuinitus, humanis fauoribus caret. Translatione autem septuaginta interpretum nequaquam Tigris dicitur, sed Myrmicoleon periit, eo quòd non haberet prædam. Myrmicoleon quippe paruum valde est animal, formicis aduersum, quod se sub puluere abscondit, & formicas frumenta gestantes interficit, interfectásque consumit. Myrmicoleon autem Latinè dicitur, vel formicarum leo, vel certè expressius, formica pariter & leo. Rectè autem formica & leo nominatur: quia siue volatilibus seu quibuslibet aliis minutis animalibus formica est, ipsis autem formicis leo. Has enim quasi leo deuorat, sed ab illis quasi formica deuoratur. Cùm igitur Eliphas dicit: Myrmicoleon periit, quid in beato Iob sub Myrmicoleontis nomine, nisi pauorẽ & audaciam reprehendit? Ac si apertè dicat: Non iniustè percussus es: quia contra erectos timidus, contra subditos, audax fuisti. Ac si apertius dicat: Contra astutos formido te pressit, contra simplices temeritas inflauit. Sed iam Myrmicoleon prędam non habet, quia tumida tua elatio dum verberibus premitur, ab aliena læsione prohibetur. Sed quia amicos beati Iob, tenere hæreticorum speciem diximus: vrget necessariò, vt hæc eadem Eliphas verba quomodo etiam typicè sentiẽda sint, intimemus.

Quòd regnum diaboli, & gloria huius mundi, & concupiscentia carnis in seruis Dei contritæ sunt. Caput XVII.

R*Vgitus leonis & vox leænæ, & dentes catulorum leonum contriti sunt.*) Quia natura vniuscuiusque rei ex diuersitate cõponitur, in sacro eloquio per rẽ quãlibet licitè diuersa figurãtur. Habet quippe leo virtutem, habet & sæuitiam. Virtute ergo Dominum, sæuitia diabolum signat. Hinc enim de Domino dicitur: Vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid. *Apoc.5.* Hinc de diabolo scriptum est: Aduersarius vester, sicut leo rugiens, circuit quęrens quem deuoret. *1.Petr.5.* Leænæ autem nomine aliquando sancta Ecclesia, aliquando Babylonia designatur. Pro eo enim quod contra aduersa audax est, leæna Ecclesia dicitur: sicut eiusdẽ beati Iob vocibus approbatur, qui derelictam ab Ecclesia Iudæam indicans, ait: *Iob.28.* Non calcauerunt eam filij institorum, nec pertransiuit per eam leæna. Aliquando vero leænæ nomine huius mundi ciuitas, id est, Babylonia exprimitur, quæ contra vitam innocentium immanitate crudelitatis effrenatur, quę antiquo hosti, quasi sęuissimo leoni sociata, peruersę persuasionis eius semina cõcipit, & reprobos ex se filios ad similitudinem illius quasi crudeles catulos gignit. Catuli autem leonum sunt quilibet reprobi, ad iniquam vitam, malignorũ spirituum errore generati, *Reprobi vnde generentur.* qui & simul omnes vniuersam mũdi ciuitatem quam prædiximus, Babyloniam faciunt, & tamẽ iidem singuli Babyloniæ filij, quasi non leæna, sed leænæ catuli vocantur. Sicut enim Sion tota simul Ecclesia dicitur, filij autem Sion sanctorum, quique singuli memorantur: *Filij Sion.* ita & filij Babyloniæ singuli quique reproborum, & eadem Babylonia simul omnes reprobi vocantur. *Filij Babyloniæ.* Sed sancti viri quandiu in hac vita sunt, semetipsos sollicita circũspectione custodiunt: 17
ne leo circumiens insidiando † surrepat, *† al. surripiat.* id est, antiquus hostis sub aliqua imagine virtutis occidat: ne leænæ vox auribus obstrepat, id est, ne Babylonis gloria sensum ab amore patrię cœlestis auertat: ne catulorum leonum dentes mordeant, id est, ne reproborum persuasio in corde conualescat. At contra hæretici iam quasi de sanctitate securi sunt, quia vitæ suæ meritis cuncta se superasse suspiciantur, Vnde & nunc dicitur: *Rugitus leonis, & vox leænæ, & dentes catulorum leonum contriti sunt.*) Ac si diceretur: Nos ideò nonnullis flagellis atterimur, quia & virtutem antiqui hostis, & cupiditatem terrenæ gloriæ, & suasionem reproborum † hominum *† al. omniũ.* vitæ meritis superando calcamus. Vnde adhuc subditur: *Tigris periit, eo quòd non haberet prædam, & catuli leonum dissipati sunt.*) Hunc vocabulo Tigridis repetit, quem leonis appellatione signauit. *Satan leo. Satan Tigris.* Satan quippe & propter crudelitatem leo dicitur, & propter multiformis astutiæ varietatem non incongruè Tigris vocatur. Modo enim se sicut est perditus, humanis sensibus obiicit, modo quasi angelum lucis ostendit. Modo stultorum mentibus blandiendo persuadet, modo ad culpam terrendo pertrahit, modo suadere vitia apertè nititur, modo suis in suggestionibus sub virtutis specie palliatur. Hæc itaque belua quæ tanta varietate respergitur, iure Tigris vocatur, quæ apud septuaginta interpretes, vt præfati sumus, Myrmicoleon dicitur. Quòd videlicet animal absconsum puluere, formicas, vt diximus, frumenta gestantes interficit: quia nimirum apostata angelus in terram de cœlis proiectus, iustorum mentes quę bonorum sibi operum refectionem præparant, in ipso actionis itinere obsidet: cúmque eas per insidias superat, quasi formicas frumenta gestantes improuisus necat. *Diabolus dicitur leo, Diabolus dicitur formica.* Rectè autem Myrmicoleon, id est, leo & forma dicitur: formicis enim, vt diximus, leo est, volatilibus formica: quia nimirum antiquus hostis, sicut contra consentientes fortis est, ita contra resistentes debilis. Si enim eius suggestionibus assensus præbetur, quasi leo tolerari nequaquam potest: si autem resistitur, quasi formica atteritur. Aliis ergo leo est, aliis formica: quia crudelitatem illius carnales mentes vix tolerant, spiritales verò infirmitatem illius pede virtutis calcant. Hæretici igitur, quia de sanctitatis præsumptione superbiunt, quasi exultantes dicunt Myrmicoleon, vel certè Tigris, periit, eo quòd non haberet prædam. Ac si apertè dicant: Vetustus aduersarius in nobis prædam non habet, quia quantum ad nostra studia iam victus iacet. Idcirco autem Myrmicoleontis appellatione, vel Tigridis repetitur, qui iam contrito leonis rugitu fuerat designatus: quia quicquid per gaudium dicitur, sæpe replicatur. Voces quippe ingeminat animus cùm exultat. Vnde & veraci lætitia Psalmista crebrò repetit hoc, quod se exauditum esse recognouit, dicens: *Psalm.6.* Exaudiuit Dominus vocem fletus mei: exaudiuit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit. Sed sancti viri cùm 18
de quibusdam se vitiis ereptos hilarescunt, magno se metu etiam in ipsa exultatione concutiunt: quia etsi iam de cuiuslibet procella tempestatis erepti sunt, esse tamen se adhuc in incerti maris dubiis fluctibus sciunt: & sic spe exultant, vt pauore trepident: sic pauore trepidant, vt spei fiducia exultent. Vnde per eundem Psalmistam dicitur: Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore. *Psal.2.* At contrà hi qui de specie sanctitatis intumescunt, cùm vnum quodlibet vitium superant, mox mentem in superbiam erigunt, & quasi de vitæ suæ perfectione gloriantur: & pro eo quòd fortasse semel à periculo tempestatis erepti sunt, iam quia in ma-

ri nauigent, obliuiscuntur: magnos se in omnibus æstimant, & vicisse se antiquum hostem funditus putant: infra se cunctos respiciunt, quia se per sapientiam transcendere omnes arbitrantur. Vnde & subditur.

Quòd hæretici & hypocritæ noua & inaudita promittunt, vt in admirationem sui simplices conuertant: neque ea quæ loquuntur, ad ædificationem, sed ad ostentationem scientiæ suæ proferunt.

Caput XVIII.

P*Orrò ad me dictum est verbum absconditum.*) Verbum absconditum hæretici audire se simulant, vt auditorum mentibus quandam prædicationis suæ reuerentiam obducant. Vnde & latenter prædicant, quatenus eorum prædicatio tantò sancta, quantò & occulta videatur. Commum em autem scientiam habere refugiunt, ne cæteris æquales æstimentur. Et quædam noua semper exquirunt: quæ dum alij nesciunt, apud imperitorum mentes ipsi de scientiæ singularitate gloriantur. Quam occultam, vt diximus, insinuant: quia scilicet vt admirationem ostendere valeant, hanc se latenter percepisse confirmant. Vnde apud Salomonem hæreticorum speciem mulier tenens, dicit: Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior. Vnde hic quoque subditur: *Et quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurrij eius.*) Furtiuè susurrij venas percipiunt: quia socialis scientiæ gratiam deferentes, ad hanc nequaquam per ostium ingrediuntur, Domino attestante, qui ait: Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliũde, ille fur est & latro. Venas itaque diuini susurrij furtiuè suscipit, qui ad percipiendam virtutis eius notitiam deserto publicæ prædicationis ostio, prauæ intelligentiæ rimas quærit. Quia verò fur & latro qui intrat aliunde, tenebras diligit, & claritatem luminis perhorrescit, rectè subiungitur: *In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines.*) Sæpe hæretici dum altiora dicere conantur, ipsi sibi testes sunt, quia quæ proferunt, vera non sunt. In nocturna quippe visione dubie cernitur. Rimas ergo susurrij in pauore nocturnæ visionis se percepisse asserunt: qui vt ea quæ docent, alta aliis ostendant, vix ea se capere posse denuntiãt. Sed hinc colligendum est, quomodo audientibus certa esse poterunt, quæ ipsi dubiè viderunt. Miro ergo ordine cùm alta loquentes profluunt, in patefactione stultitiæ, ipsis suæ altitudinis vocibus ligantur. Quantum verò de singularitate sapiẽtiæ eleuantur, ostenditur cùm protinus subditur: *Quando solet sopor occupare homines.*) Ac si apertè ab hæreticis diceretur: Cùm homines inferius dormiunt, nos ad percipienda superna vigilamus, quia ea nobis nota sunt, ad quæ videlicet cognoscenda cæterorum hominum corda torpentia non assurgunt. Ac si apertius dicant: In quibus intelligentia nostra se erigit, reliquorũ hominum sensus dormit. Nõnunquam vero cùm hoc despici ab auditore quod dicunt conspiciunt, semetipsos simulant timere quod dicunt. Vnde & subditur: *Pauor venit in me & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt.*) Quia enim de doctrinæ suæ altitudine miri videri appetunt, quasi pertimescunt quæ fingunt: & cùm minoris laboris sit audire quàm dicere, ad ea proferenda audaces sunt, quæ scilicet astruunt, quia ipsi vix audire potuerunt. Vnde adhuc subditur: *Et cùm spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ: stetit quidam cuius non agnoscebam vultum.*) Vt incomprehensibilia se cognouisse indicent, non stetisse, sed transisse coram se spiritum narrant, & vultum se vidisse incognitum simulãt: vt esse se ei cognitos qui ab humana mente cognosci non valet, ostendant. Vbi adhuc subditur: *Imago coram oculus meis & vocem quasi auræ lenis audiui.*) Sæpe hæretici Deum sibi imaginaliter fingunt, quem intueri spiritualiter nequeunt, eiusque vocem quasi auræ lenis, audire se perhibent: quia ad secreta illius cognoscenda, quasi esse se cæteris familiariores gaudẽt. Non enim ea docent quæ Deus publicè loquitur, sed quæ eorum auri quasi latenter adspirãtur. Hæc igitur diximus, vt quid sub hæreticorum specie in Eliphas sermonibus sentiendum sit, intimemus. Sed quia amici beati Iob tanti viri amici non essent, nisi manifestè aliquid ex veritate didicissent, qui quanuis in sententiis correptionis errant, in veritatis tamen cognitione non titubant: hæc eadem paulò superius verba replicemus, vt subtilius discernamus, quomodo ea quæ de perceptione veritatis dicuntur, à rectè sentientibus proferri

Prouer.9.

Ioan.10.

19.

E veraciter posint. Nonnunquam verò hæretici vera quædam & sublimia loquuntur, non quòd hæc diuinitus ipsi percipiant, sed quod ex sanctæ Ecclesiæ contentione didicerunt: neque hæc ad profectum conscientiæ, sed ad scientiæ ostentationem trahunt. Vnde fit plærumque, vt alta sciendo dicant, sed viuendo quæ dicunt, nesciant. Siue igitur ex hæreticorum specie, videlicet non vitam scientiæ, sed verba tenentium, seu ex persona certe amicorum beati Iob, qui de cognitione veritatis potuerunt procul dubio percipiendo experiri, quod studuerunt docendo eloqui, hæc eadem quæ transcurrimus, subtilius dicta disseramus: vt dum sollicitè Eliphas sermo discutitur, quantæ scientiæ fuerit demonstretur: quanuis in eadem scientia humilitatem non tenuit, qui commune bonum sibi specialiter arrogauit. Ait nanque:

20.

Quòd verbum absconditum inuisibilis Dei filius sit, cuius subtilitatem mens spiritu sancto afflata raptim & occultè agnoscit.

Caput XIX.

F P*Orrò ad me dictum est verbum absconditum.*) Verbum quippe absconditum, inuisibilis Filius vocatur, de quo Ioannes ait: In principio erat verbum. Quod ipse quoque absconditum insinuat, dum subiungit: Et verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Sed hoc verbum absconditum electorum mentibus dicitur, cùm potestas vnigeniti Filij credentibus manifestatur. Potest etiam per verbum absconditum, allocutio intimæ aspirationis intelligi: de qua Ioannes dicit: Vnctio eius docet vos de omnibus. Quæ nimirum aspiratio humanam mentem contingendo subleuat, & temporales cogitationes deprimens, æternis hanc desideriis inflammat: vt nihil ei iam nisi quæ superna sunt libeat: & cuncta quæ inferius de humana perstrepunt corruptione, cõtemnat. Absconditum ergo verbum audire, est locutionẽ sancti Spiritus corde concipere. Quæ profectò sciri non potest, nisi à quo haberi potest. Vnde & veritatis voce de hac absconditа locutione dicitur: Ego rogabo patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternũ: Spiritum veritatis, quem mundus nõ potest accipere. Sicut enim idem Paracletus post mediatoris ascensum, alius humani generis consolator, in semetipso inuisibilis est: ita omnem quem repleuerit, ad desideranda inuisibilia accendit. Et quoniam mundana corda sola visibilia diligunt, hunc mundus non accipit, quia ad diligenda inuisibilia non assurgit. Seculares etenim mẽtes quantò se foras per desideria dilatant, tantò ad receptionem illius sinum cordis angustant. Et quoniam valde in humano genere pauci sunt, qui à desideriorum carnalium sorde purgati, ad perceptionem sancti Spiritus ipsa hac purgatione dilatãtur, verbum hoc absconditum dicitur: quia illud à quibusdam procul dubio in corde † percipitur, quod à maxima hominum parte nescitur. Vel certè hæc ipsa afflatio sancti Spiritus verbum absconditum est, quia sentiri potest, sed strepitu locutionis exprimi non potest. Cùm igitur diuina aspiratio sine strepitu mentem subleuat, verbum absconditum auditur, quia sermo sancti Spiritus in ore cordis silenter sonat. Vnde & subditur:

Ioan.14.

† *al. concipitur.*

Quòd multis modis ad aurem nostræ intelligentiæ Deus venit: & quòd quando nobis de diuinitatis natura per contemplationem aliquid insinuat, nequaquam nobis loquitur, sed quasi susurrat.

Caput XX.

E*T quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurrij eius.*) Venas superni susurrij, auris cordis furtiuè suscipit: quia subtilitatem locutionis intimæ, afflata mens, & raptim & occultè cognoscit. Nisi enim se ab exterioribus desideriis abscondat, interna non penetrat. Occultatur autem vt audiat, & audit, vt occultetur: quia & subtracta à visibilibus, inuisibilia conspicit: & repleta inuisibilibus, visibilia perfectè contemnit. Notandum verò quòd non ait: Quasi furtiuè suscepit auris mea susurrium eius, sed venas susurrij eius. Susurrium quippe occulti verbi, est hæc ipsa locutio aspirationis internæ. Venæ autem susurrij dicuntur causarum origines, quibus hæc ipsa aspiratio ad mentem ducitur. Quasi enim venas susurrij sui aperit, cùm nobis Deus latenter insinuat, quibus modis ad nostræ intelligentiæ aurem venit. Aliquando enim nos amore, aliquando terrore compungit: aliquando præsentia quàm nulla sint ostendit, & ad æterna diligenda desiderium erigit: aliquando prius æterna indicat, vt post temporalia vilescant.

Aliquando

Aliquando nostra nobis mala aperit, & ad hoc nos vsque, vt alienis etiam malis condoleamus, extendit. Aliquando mala aliena nostris obtutibus obiicit, & compunctos mirabiliter à nostra prauitate nos corrigit. Venas itaque diuini susurrij furtiuè audire, est occultos diuinæ aspirationis modos tenuiter & latenter agnoscere. Quanuis adhuc vel susurrium, vel venas susurrij intelligere aliter valeamus. Qui enim susurrat, occultè loquitur: & vocem non exprimit, sed imitatur. Nos ergo quousque carnis corruptione premimur, nullo modo claritatem diuinæ potentiæ, sicut in se incommutabilis manet, videmus: quia acies infirmitatis nostræ non sustinet hoc quod de eius æternitatis radio super nos intolerabiliter fulget. Cùm ergo se nobis omnipotens Deus per rimas contemplationis indicat, nequaquaquam nobis loquitur, sed susurrat: quia etsi se plenè non intimat, quiddam tamen de se humanæ menti manifestat. Tunc autem nequaquam iam susurrat, sed loquitur, cum eius nobis species certa reuelatur. Hinc est enim quod in Euangelio veritas dicit: Palàm de patre meo annuntiabo vobis. Hinc Ioannes ait: Videbimus eum sicuti est. Hinc Paulus dicit: Tunc cognoscam sicut & cognitus sum. Nunc autem diuinum susurrium tot ad nos venas habet quot creatis operibus ipsa diuinitas præsidet. Dum enim quæ sunt cũcta creata cernimus, in creatoris admiratione subleuamur. Nam sicut aqua leniter fluens, rimata per venas quæritur, vt augeatur, tantóque se latius fundit, quantò venas apertiores inuenerit: ita nos dum studiosè diuinitatis notitiam ex creaturæ eius consideratione colligimus, quasi susurrium ad nos venas illius aperimus: quia per hoc quod factum cernimus, virtutem creatoris admiramur: & per ea quæ sunt in publico, illud ad nos emanat quod latet in occulto. Quasi enim per quendam ad nos sonitum erumpit, dum consideranda nobis sua opera ostendit: in quo semetipsum vtcunque indicat, dum quàm sit incomprehensibilis manifestat. Quia igitur cõsiderare eum dignè non possumus, non eius vocem, sed vix susurrium audimus: plenè enim quia perpendere, neque ipsa quæ sunt creata, sufficimus, rectè dicitur: *Quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurrij eius.*) Proiecti quippe à paradisi gaudiis & cæcitatis pœna mulctati, vix susurrij venas apprehendimus, quia ipsa quoque mira eius opera raptim tenuitérque pensamus. Sciendum verò est, quia quantò virtutem illius mens subleuata considerat, tantò eius rectitudinem repressa formidat. Vnde & rectè subiungitur:

Ioan.16.

1.Ioan.3.

1.Cor.13.

Ioan.1.

1.Ioan.2.

21.

Quòd anima in nocte huius vitæ contemplans Deum, ad magnitudinis illius inhorrescat aspectum.

Caput XXI.

I*N horrore visionis nocturnæ.*) Horror nocturnæ visionis, est pauor occultæ contemplationis. Humana etenim mẽs quò altius eleuata quæ sint æterna considerat, eò de factis temporalibus grauius tremefacta formidat: quia tantò se ream verius cernit, quantò se ab illo lumine discrepasse quod super se intermicat conspicit: sicque fit, vt illuminata plus metuat, quia magis aspicit à veritatis regula per quanta discordat: eamque graui formidine suus ipse profectus quatiat, quæ prius quasi securа nihil videbat. Quanuis quantalibet virtute profecerit, nõ iã manifestũ aliquid de æternitate cõprehendit, sed adhuc sub cuiusdam caligine imaginationis conspicit. Vnde & hæc eadem visio nocturna dicitur. In nocte quippe, sicut & superius diximus, dubiè: in die autem constanter videmus. Quia igitur ad contemplandum interni solis radium, nubes sese nostræ corruptionis interserit, nec ad infirmos nostræ mentis oculos, illud sicut est incommutabile lumen, erumpit: adhuc Deum quasi in nocturna visione cernimus, cùm procul dubio sub incerta contemplatione caligamus. Sed quanuis extremum de illo aliquid mens conceperit, in consideratione tamen eius magnitudinis inhorrescit, & magis metuit: quia ipsis contemplationis eius vestigiis se imparem sentit, atque ad se relapsa, eum arctius diligit: cuius mirãm dulcedinem ferre non valens, vix hanc sub incerta visione gustauit. Sed quia ad huius subleuationis culmen minimè pertingitur, nisi prius desideriorum carnalium importunè perstrepens turba reprimatur, rectè subiungitur:

Quibus modis sacra scriptura somnum accipiat: Et quid sit quod Iacob lapide ad caput posito dormiens, scalam cœlo inhærentem, & Dominum scalæ innixum, & angelos ascendentes & descendentes vidit.

Caput XXII.

Q*Vando solet sopor occupare homines.*) Quisquis ea quæ mundi sunt, agere appetit, quasi vigilat: quisquis verò internã quietem quærens, huius mundi strepitum fugit, velut obdormiscit. Sed prius sciendum est, quia in scriptura sacra figuratè positus, tribus modis somnus accipitur. Aliquãdo enim somno mors carnis, aliquando torpor negligentiæ, aliquando verò exprimitur, calcatis terrenis desideriis, quies vitæ. Somni nanque vel dormitionis nomine, carnis mors intimatur, sicut Paulus ait: Nolo vos ignorare fratres de dormiẽtibus. Et paulo pòst: Ita, & Deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. Somno rursum torpor negligentiæ designatur, sicut ab eodem Paulo dicitur: Hora est iam nos de somno surgere. Et rursum: Euigilate iusti, & nolite peccare. Somno quoque, calcatis carnis desideriis, vitę quies figuratur: sicut sponsæ voce in canticis canticorum dicitur: Ego dormio, & cor meum vigilat: quia videlicet sancta mens quò se à strepitu temporalis concupiscentię comprimit, eò verius interna cognoscit, & tantò alacrius ad intima vigilat, quantò se ab exteriori inquietudine occultat. Quod bene per Iacob in itinere dormientem figuratur, qui ad caput lapidem posuit, & obdormiuit: à terra scalam cælo inhærentem, innixum scalæ Deum, ascendentes quoque & descendentes angelos vidit. In itinere quippe dormire, est in hoc præsentis vitæ transitu, à rerum temporalium amore quiescere. In itinere dormire, est in dierum labentium cursu ab appetitu visibilium mẽtis oculos claudere, quos primis hominibus seductor aperuit, qui dixit: Scit enim Deus, quòd in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri. Vnde & paulò pòst subditur: Tulit de fructu illius, & comedit: dedítque viro suo, qui comedit, & aperti sunt oculi amborum. Culpa quippe oculos concupiscẽtiæ aperuit, quos innocentia clausos tenebat. Angelos verò ascendentes & descendentes cernere, est ciues supernæ patriæ contemplari: vel quanto amore auctori suo semetipsos transcendendo inhæreant, vel quanta compassione charitatis nostris infirmitatibus condescendant. Et notandum est valde, quòd ille dormiens angelos conspicit, qui in lapide caput ponit: quia nimirum ipse ab exterioribus operibus cessans, interna penetrat, qui intenta mente, quæ principale est hominis, imitationem sui redemptoris obseruat. Caput quippe in lapide ponere, est mente Christo inhærere. Qui enim à præsentis vitæ actione remoti sunt, sed ad superna nullo amore rapiuntur, dormire possunt: sed videre angelos nequaquam possunt, quia caput in lapide tenere contemnunt. Sunt nanque nonnulli qui mundi quidem actiones fugiunt, sed nullis virtutibus exercentur. Hi nimirum torpore, non studio dormiunt, & idcirco interna non conspiciunt: quia caput non in lapide: sed in terra posuerunt. Quibus plærunque contingit, vt quantò securius ab externis actionibus cessant, tantò latius immundæ in se cogitationis strepitum per ocium congerant. Vnde sub Iudææ specie per Prophetam torpens ocio anima defletur, cùm dicitur: Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata eius. Præcepto etenim legis, ab exteriori opere in sabbato cessatur. Hostes ergo sabbata videntes irrident, cùm maligni spiritus ipsa vacationis ocia ad cogitationes illicitas pertrahunt: vt vnaquæque reproba anima quò remota ab externis actionibus seruire Deo creditur, eò magis eorum tyrannidi illicita cogitando famuletur. Sancti autem viri qui à mũdi operibus non torpere, sed virtute sopiuntur laboriosius dormiunt, quàm vigilare potuerunt, quia in eo, quòd actiones huius seculi deserentes superant, robusto conflictu quotidie contra semetipsos pugnant, ne mens per negligentiam torpeat, ne subiecta ocio ad desideria immunda frigescat, ne ipsis bonis desideriis plus iusto inferueat, ne sub discretionis specie sibimet parcendo, à perfectione languescat. Agit hæc & ab huius mundi inquieta concupiscentia se penitus subtrahit, ac terrenarum actionum strepitum deserit, & per quietis studium virtutibus intenta, vigilans dormit. Neque enim ad contemplanda interna perductur, nisi ab his quæ exterius implicant, studiosè subtrahatur. Hinc est enim quod per

Quibus modis sacra scriptura somnum accipiat: Et quid sit quod Iacob lapide ad caput posito dormiens, scalam cœlo inhærentem, & Dominum scalæ innixum, & angelos ascendentes & descendentes vidit.

1.Thes.4.

Rom.13.

1.Cor.15.

Cant.5.

Gen.28.

Gen.3.

22.

Thren.1.

Matt.6.

2. Timot. 2. ſemetipſam veritas dicit: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Hinc Paulus ait: Nemo militans Deo, implicat ſe negociis ſecularibus, vt placeat cui ſe probauit. Hinc per Prophetam Dominus admonẽs dicit: Vacate & videte quoniam
Pſalm. 45. ego ſum Deus. Quia igitur nequaquam notitia interna concipitur, niſi ab externa implicatione ceſſetur: rectè nunc verbi abſconditi & diuini ſuſurrij tempus exprimitur, cùm dicitur: In horrore viſionis nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare homines: quia nimirum mens noſtra nullo modo ad vim intimæ contemplationis rapitur, niſi ſtudioſè prius à terrenorum deſideriorum tumultu ſopiatur. Sed humanus animus quadam ſuæ contemplationis machina ſubleuatus, quò ſuper ſe altiora conſpicit, eò in ſemetipſo terribilius contremiſcit. Vnde & aptè ſubditur:

Quòd cùm mens ad cœleſtia ſecreta ſe ſubleuat, totum humanæ virtutis robur contremiſcit: & quid ſit quod Manue angelo viſo timet, & vxor eius non timet.

Caput XXIII.

P*Auor tenuit me & tremor, & omnia oſſa mea perterrita ſunt.*) Quid per oſſa, niſi fortia acta ſignantur? De quibus & per
Pſalm. 33. Prophetam dicitur: Dominus cuſtodit omnia oſſa eorum. Et ſæpe ea quæ agunt homines, eſſe alicuius momenti æſtimant: quia diſtrictionis intimæ quàm ſit ſubtile iudicium, ignorant. Sed cùm per contemplationem rapti, ſuperna conſpiciunt, ab ipſa aliquo modo præſumptionis ſuæ ſecuritate liqueſcunt: & tantò magis in diuino conſpectu trepidant, quantò nec bona ſua digna eius examine, quem conſpiciunt, penſant. Hinc eſt enim quòd is qui fortia operando profecerat, per ſpiritum
Pſalm. 34. ſubleuatus clamabat: Omnia oſſa mea dicent: Domine quis ſimilis tibi? Ac ſi diceret: Carnes meæ verbum non habent, quia infirma mea apud te funditus ſilent. Oſſa autem mea tuæ magnitudinis laudem dicunt, quia ipſa quoque quæ eſſe in me fortia credidi, tua conſideratione contremiſcunt. Hinc eſt
Iud. cum. 13. enim quòd Manue viſo angelo pertimeſcens dicit: Morte moriemur, quia vidimus Dominum. Quem vxor protinus conſolatur, dicens: Si Dominus nos vellet occidere, de manibus noſtris holocauſtum & libamenta non ſuſcepiſſet.

23 Quid eſt hoc quòd ad viſionem angeli vir fit timidus, & mulier audax: niſi quòd nobis quoties cœleſtia demonſtrantur, ſpiritus quidem pauore ſe concutit, ſed tamen ſpes præſumit? Inde nanque ſpes ad maiora audenda ſeſe erigit, vnde turbatur ſpiritus: quia ea quæ ſuperna ſunt, prior videt. Quia igitur cùm altiora ſecretorum cœleſtium ſubleuata mẽs conſpicit, cuncta humanarum virium ſoliditas contremiſcit, rectè nunc dicitur: *Pauor tenuit me & tremor, & omnia oſſa mea perterrita ſunt.*) Ac ſi apertè diceretur: Subtilitatis intimæ arcana percipiens: vnde me apud me fortem credidi, ante conſpectum iudicis inde titubaui. Diſtrictionem quippe diuinæ iuſtitiæ contemplantes, etiam de ipſis operibus iure pertimeſcimus, quæ nos fortia egiſſe putabamus. Ducta nanque ad internam regulam noſtra rectitudo, ſi diſtrictũ iudicium inuenit, multis tortitudinum ſuarum ſinibus in intimam rectitudinem impingit. Vnde bene Paulus cùm & virtutum oſſa habere ſe cerneret, & tamen ſub diſtricto examine hæc eadem eius oſſa
1. Corint. 4. trepidarent, ait: Mihi pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Sed neque meipſum iudico: nihil enim mihi conſcius ſum. Sed quia auditis venis diuini ſuſurrij, hæc eadem eius oſſa contremuerunt, ilico adiunxit: Sed non in hoc iuſtificatus ſum: qui autem iudicat me Dominus eſt. Ac ſi diceret: Recta egiſſe me recolo, attamen de meritis non præſumo: quia ad eius examen vita noſtra ducitur, ſub quo noſtræ fortitudinis & oſſa turbantur. Sed cùm mens in contemplatione ſuſpenditur, cùm carnis anguſtias ſuperans, per ſpeculationis vim de libertate aliquid intimæ ſecuritatis rimatur, ſtare diu ſuper ſemetipſam non poteſt: quia etſi hanc ſpiritus ad ſumma vehit, caro tamẽ ipſo adhuc corruptionis ſuæ pondere deorſum premit. Vnde & ſubditur: *Et cùm ſpiritus me præſente tranſiret, inhorruerunt pili carnis meæ.*) Nobis præſentibus ſpiritus tranſit, quando inuiſibilia cognoſcimus, & tamen hæc non ſolidè, ſed raptim videmus. Neq; enim in ſuauitate contemplationis intimæ diu mens figitur: quia ad ſemetipſam immenſitate luminis reuerberata reuocatur. Cúmque internam dulcedinem deguſtat, amore æſtuat, ire ſuper

E ſemetipſam nititur, ſed ad infirmitatis ſuæ tenebras fracta relabitur, & magna virtute proficiens, videt quia videre non poſsit hoc quod ardenter diligit: nec tam ardenter diligeret, niſi aliquatenus videret. Non ergo ſtat, ſed tranſit ſpiritus, quia ſuperuam lucem noſtra nobis contemplatio & inhiantibus aperit, & mox infirmantibus abſcondit. Et quia in hac vita quantalibet virtute quis profecerit, adhuc tamen corruptionis ſuæ ſtimulum ſentit: Corpus quippe quod corrumpi-
Sapien. 9. tur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem: rectè ſubditur:

Quid ſit quòd leuitarum pili inuſti ſunt radi, non euelli

Caput XXIIII.

I*Nhorruerunt pili carnis meæ.*) Pili etenim carnis ſunt quælibet ſuperflua humanæ corruptionis. Pili carnis ſunt vitæ veteris cogitationes, quas ſic à mente abſcondimus, vt de amiſſione earum nullo dolore fatigemur. Bene autem per Moyſen dicitur: Leuitæ radant omnes pilos carnis ſuæ. Leuita
Nume. 8. quippe aſſumptus vocatur. Oportet ergo leuitas omnes pilos F carnis radere: quia is qui in obſequis diuinis aſſumitur, debet ante dei oculos à cunctis carnis cogitationibus mundus apparere, ne illicitas cogitationes mens proferat, & pulchram animæ ſpeciem quaſi pilis fructificantibus deformem reddat. Sed quantalibet, vt diximus, quẽpiam virtus ſanctæ conuerſationis euexerit, adhuc tamen ei de vetuſtate vitæ naſcitur quod toleretur. Vnde & ipſi leuitarum pili radi præcepti ſunt, non euelli. Raſis etenim pilis in carne radices remanent, & creſcunt vt iterum radãtur: quia magno quidem ſtudio ſuperfluæ cogitationes amputandæ ſunt, ſed tamen amputari ſunditus nequaquam poſſunt. Semper enim caro ſuperflua generat, quæ ſemper ſpiritus ferro ſollicitudinis recidat. Sed tamen hæc in nobis tunc ſubtilius conſpicimus, cùm ſpeculationis alta penetramus. Vnde rectè nunc dicitur: *Cùm ſpiritus me præſente tranſiret, inhorruerunt pili carnis meæ.*) Humana etenim mens in contemplationis arce ſubleuata, tantò ſemetip- 24
ſam durius de ſuperfluis cruciat, quantò nimis ſubtile conſpicit eſſe quod amat. G Et cùm pulchrum intuetur hoc quod ſuper ſe appetit, diſtrictè iudicat quicquid in ſe infirmum prius tranquillè tolerabat. Tranſeunte ergo ſpiritu, pili pertimeſcunt: qui ante compunctionis vim, cogitationes ſuperfluæ fugiunt, vt nihil fluxum, nihil iam remiſſum libeat, quia afflictam mentem etiam contra ſemetipſam viſitationis intimæ ſeueritas inflammat. Cúmque hoc quod in corde illicitum naſcitur, continua diſtrictione reſecatur: fit plærunque vt vegetata mens, paulò latius radio ſuæ ſpeculationis inhæreat, & penè figat ſpiritum qui tranſibat. Nec tamen hæc ipſa contemplationis mora diuinitatis plenè vim aperit, quia eius immenſitas humanas vires auctas ſubleuatáſque tranſcendit. Vnde & bene ſubditur:

Quòd ſi homo non peccaſſet, in carne futurus eſſet ſpiritalis, qui peccando factus eſt mente carnalis, atque viſibilibus immerſus, ad inuiſibilia non aſſurgit.

Caput XXV.

S*Tetit quidam cuius non agnoſcebam vultum.*) Quidam nanque H non dicimus, niſi de eo vtique, quem exprimere aut nolumus, aut non valemus. Sed qua mente hoc loco dicitur quidam, videlicet exponitur cùm protinus ſubinfertur: *Cuius non agnoſcebam vultum.*) Humana quippe anima, primorum hominum vitio à paradiſi gaudiis expulſa, lucem inuiſibilium perdidit, & totam ſe in amorem viſibilium fudit: tantóque ab interna ſpeculatione cæcata eſt, quantò foras deformiter ſparſa: vnde fit vt nulla nouerit, niſi ea quæ corporeis oculis, vt ita dixerim, palpando cognoſcit. Homo enim qui ſi præceptum ſeruare voluiſſet, etiam carne ſpiritalis futurus erat, peccando factus eſt etiam mente carnalis, vt ſola cogitet quæ ad animum per imagines corporum trahit. Corpus quippe eſt cœli, terræ, aquarum, animalium, cunctarúmque rerum viſibilium, quas indeſinenter intuetur, in quibus dum totam ſe delectata mens proiicit, ab internæ intelligentiæ ſubtilitate groſſeſcit: & quia iam erigere ad ſumma ſe non valet, in his infirma libenter iacet. Cùm verò miris conatibus ab his exurgere nititur, magnum valde eſt, ſi ad cognitionem ſuam, repreſſa corporali ſpecie, anima perducatur, vt ſemetipſam ſine corporea imagine cogitet, & cogitando ſe, viam ſibi

vſque ad

vſque ad conſiderandam æternitatis ſubſtantiam paret.

25. Hoc autem modo quaſi quandam ſcalam ſibi exhibet ſemetipſam, per quam ab exterioribus aſcendendo in ſe tranſeat, & à ſe in auctorem tendat. Cùm enim corporeas imagines deſerit, in ſemetipſam mens veniens, non modicum aſcendit. Sed quanuis incorporea ſit anima, quia tamen corporeo inhæret, † ex ipſa ſui qualitate localis cognoſcitur, quę carnali loco detinetur. Quæ dum obliuiſcitur ſcita, cognoſcit incognita, meminit obliuioni mandata, hilareſcit poſt triſtia, addicitur poſt lęta: ipſa ſui diuerſitate indicat, quãtum à ſubſtantia ęternæ incommutabilitatis natura diſtat: quæ ſemper vt eſt, idem eſt: vbique preſens, vbique inuiſibilis, vbique tota, vbique incõprehẽſibilis: per inhiantem mẽtem ſine aſpectu cernitur, ſine voce auditur, ſine motu ſuſcipit, ſine corpore tangitur, ſine loco retinetur. Hãc nimirum ſubſtantiam cùm animus cogitat, aſſuetus rebus corporalibus, diuerſarũ imaginũ phantaſmata ſuſtinet. Quæ dum ab intentionis ſuæ oculis abigit manu diſcretionis, poſtponẽs ei omnia, iam hãc aliquatenus cõſpicit. Quam ſi necdum quid ſit apprehendit, B agnouit certè quid non ſit. Quia ergo ad inſueta mens rapitur, cùm diuinitatis eſſentiam rimatur, rectè nunc dicitur: *Stetit quidam cuius non agnoſcebam vultum.*) Bene autem dictum eſt, ſtetit. Omnis quippe creatura, quia ex nihilo facta eſt, & per ſemetipſam ad nihilum tendit, non ſtare habet, ſed defluere. Rationalis verò creatura eo ipſo quo ad imaginem creatoris condita eſt, ne ad nihilum tranſeat figitur: irrationalis autem nequaquam figitur, ſed donec viſionis ſuæ miniſterio vniuerſitatis ſpeciem impleat, tranſeundo tardatur. Nam etſi cœlum ac terra pòſt in æternum permanent, in ſemetipſis tamen nunc ad nihilum properant, ſed pro eorum vſu, quibus ſeruiunt, in melius mutanda perſeuerant. Stare ergo, ſolius creatoris eſt, per quem cuncta non tranſeuntem tranſeunt, & in quo aliqua ne tranſeant retinentur. Vnde & redemptor noſter, quia diuinitatis eius ſtatus capi ab humana mente non potuit, hunc ſe nobis ad nos veniens creatus, natus, mortuus, ſepultus, reſurgens, atque ad cœleſtia rediẽs, C
Matth. 10. quaſi tranſeundo monſtrauit. Quod bene per Euangelium illuminato cæco innotuit, cui tranſiens auditum præbuit, ſed ſtans oculos reparauit. Per humanitatis quippe diſpenſationem tranſire habet: per diuinitatis verò potentiam, qua vbique præſens eſt, ſtare. Voces igitur cæcitatis noſtræ Dominus audire tranſiens dicitur, quia humanæ miſeriæ factus homo miſeretur. Stans autem lucem reparat, quia infirmitatis noſtræ tenebras ex virtute diuinitatis illuſtrat. Bene ergo poſtquam dictum eſt: Cùm ſpiritus me præſente tranſiret, ſubditur: *Stetit quidam cuius non agnoſcebam vultum.*) Ac ſi apertè diceretur: Eum quem per tranſitum ſenſi, non tranſire deprehendi. Ipſe eſt ergo qui tranſit, ipſe qui ſtat. Tranſit enim, quia teneri cognitus non valet. Stat autem, quia inquãtum cognoſcitur, incommutabilis apparet. Quia ergo raptim is qui ſemper idem eſt, cernitur, ſimul Deus, & tranſiens, & ſtans videtur. Vel certè ſtare eius, eſt nulla mutatione variari, ſicut ad Moyſen dicitur: Ego ſum qui ſum. Et
Exo. 3. Iaco. 1. ſicut hunc Iacobus inſinuat, dicens: Apud quem non eſt D tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Quia verò quiſquis iam aliud de contemplatione æternitatis apprehendit, hanc per coæternam eius ſpeciem conſpicit, rectè ſubiungitur: *Imago coram oculis meis.*) Imago quippe patris, filius
Gene. 1. eſt: ſicut de condito homine Moyſes inſinuat, dicens: Creauit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum. Et ſicut per expreſsionem ſapientiæ de Dei filio quidam ſapiens di-
Sapien. 7. Heb. 1. cit: Candor eſt enim lucis æternæ. Et ſicut Paulus ait: Qui cùm ſit plendor gloriæ, ac figura ſubſtantiæ eius. Cùm ergo æternitas eius cernitur, prout infirmitatis noſtræ poſsibilitas admittit, imago eius, mentis noſtræ oculis antefertur: quia cùm verè in patrem tendimus, hunc quantum accipimus, per ſuam imaginem, id eſt, per Filium videmus: & per eam ſpeciem quæ de ipſo ſine initio nata eſt, eum aliquo modo cernere qui nec cœpit, nec deſinet conamur. Vnde & hæc ea-
Ioan. 4. dem veritas in Euangelio dicit: Nemo venit ad patrem, niſi per me. Bene autem ſubditur:

Tomus primus.

† al. ex ipſa ſui qualitate cognoſcitur, quæ carnis loco retinetur.

A *Quòd per auram lenem ſpiritus ſanctus accipiatur, cuius præſentiam ex ſubtilitate ſua Helias agnouit: vnde in libro Regum, non in ſpiritu grandi & forti, neque in commotione, neque in igne, ſed in ſibilo auræ tenuis tranſitum Domini intellexit.*

Caput XXVI.

E*T vocem quaſi auræ lenis audiui.*) Quid enim per vocem auræ lenis, niſi cognitio ſpirituſſancti deſignatur? Qui de patre procedens, & de eo quod eſt Filij accipiens, noſtræ tenuiter notitiæ infirmitatis infunditur. Qui tamen ſuper Apoſtolos veniens, per exteriorem ſonum tanquam per vehemẽtem ſpiritum demonſtratur, cùm dicitur: Factus eſt repentè Act. 2.
de cœlo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis. Sanctus enim ſpiritus cùm ſe notitiæ humanæ infirmitatis inſinuat, & ſonitu vehementis ſpiritus, & voce auræ lenis exprimitur: quia videlicet veniens, & vehemens eſt & lenis. Lenis, quia notitiã ſuam, quatenus cognoſci vtcũque valeat, noſtris ſenſibus temperat: Vehemens, quia quantumlibet hanc tẽperet, aduentu tamen ſuo infirmitatis noſtræ cæcitatem illuminando perturbat. Illuſtratione enim ſua nos leniter tangit, ſed inopiam noſtram immaniter concutit. Vox ergo Dei quaſi auræ lenis auditur, quia in hac adhuc vita poſitis contemplatoribus ſuis, nequaquam ſe diuinitas ſicut eſt, inſinuat, ſed lippientibus mentis noſtræ oculis claritatem ſuãm tenuiter demonſtrat. Quòd bene ipſa legis acceptione ſignatur, cùm dicitur: quia Moyſes aſcendit, & Dominus in montem deſcen- Exod. 24.
dit. Mons quippe eſt ipſa noſtra contemplatio, in quam 26.
nos aſcendimus, vt ad ea quæ vltra infirmitatem noſtram ſunt videnda ſubleuemur. Sed in hanc Dominus deſcendit, quia nobis multum proficientibus, parum de ſe aliquid ſenſibus noſtris aperit, ſi tamen dici in illo, vel parum, vel aliquid poteſt, qui vnus ſemper, & idem permanens, intelligi partiliter non poteſt, & tamen à ſuis fidelibus participari dicitur, cùm in eius ſubſtantia pars nullatenus admittatur. Sed quia hunc exprimere perfecto ſermone non poſſumus, humanitatis noſtrę modulo, quaſi infantiæ imbecillitate prepediti, eum aliquatenus balbutiendo reſonamus. Quia verò & in magna C contemplatione ſubleuati, ſubtile quid de æternitatis cognitione pertingimus, ſacræ hiſtoriæ verbis oſtenditur, cùm de cognitione Dei propheta nobilis Helias edocetur. Cui cùm transituruni ante eum ſe Dominus promitteret, dicens: Ecce 3. Reg. 19.
Dominus tranſit, & ſpiritus grandis & fortis ſubuertens montes, & conterẽs petras ante Dominum, ilico adiunxit: Non in ſpiritu Dominus. Et poſt ſpiritũ commotio, non in commotione Dominus. Et poſt commotionem ignis, non igne Dominus. Et poſt ignem ſibilus aurę tenuis, & ibi Dominus. Spiritus quippe ante Dominum euertit montes & petras conterit: quia pauor qui ex aduẽtu eius irruit, & altitudinem cordis noſtri deiicit, & duritiam liqueficit. Sed ſpiritui commotionis, & igni nõ ineſſe Dominus dicitur, eſſe verò in ſibilo auræ tenuis non negatur: quia nimirum mens cùm in contemplationis ſublimitate ſuſpenditur, quicquid perfectè conſpicere præualet, Deus non eſt. Cùm verò ſubtile aliquid conſpicit, hoc eſt quod de incomprehenſibili ſubſtantia æternitatis au- D dit. Quaſi enim ſibilum tenuis auræ percipimus, cùm ſaporem incircunſcriptæ veritatis contemplatione ſubita ſubtiliter deguſtamus. Tunc ergo verum eſt quod de Deo cognoſcimus: cùm plenè nos aliquid de illo cognoſcere nõ poſſe ſentimus. Vnde bene illic ſubditur: Quod cùm audiſſet Helias, operuit vultum ſuum pallio, & ingreſſus ſtetit in oſtio ſpeluncæ. Poſt auræ tenuis ſibilum, vultum ſuum Propheta pallio operuit, quia in ipſa ſubtiliſsima cõtemplatione veritatis, quãta ignorantia homo contegatur, agnoſcit. Vultui nanque pallium ſuperducere eſt, ne altiora mens quærere audeat, hanc ex conſideratione propriæ infirmitatis velare, vt nequaquam intelligentiæ oculos vltra ſe præcipitanter aperiat, ſed ad hoc quòd apprehendere non valet, reuerenter claudat. Qui hæc agens, in ſpeluncæ oſtio ſtetiſſe deſcribitur. Quid nanque ſpelunca noſtra eſt, niſi hęc corruptionis habitatio, in qua adhuc ex vetuſtate retinemur? Sed cùm aliquid percipere de cognitione diuinitatis incipimus, quaſi iam in ſpeluncæ noſtræ oſtio ſtamus. Quia enim progredi perfectè nõ poſſumus, ad cognitionem tamen veritatis inhiantes, iam aliquid de libertatis aura captamus. In ingreſſu ergo ſpeluncæ ſtare, eſt repreſſo noſtræ

corruptionis obstaculo, ad cognitionē veritatis incipere exire. Vnde & nube in tabernaculum descendente, Israëlitæ è longinquo cernentes, in papilionum suorum ostiis stetisse memorantur: quia hi qui aduentum diuinitatis vtcunque cōspiciunt, quasi iam ex habitaculo carnis procedunt. Quia igitur humana mens quantalibet se virtute tetenderit, vix de intimis extrema cognoscit, rectè nunc dicitur: *Et vocem quasi auræ lenis audiui.*) Sed quoniam cùm de se saltem parum nobis diuina cognitio exhibet, infirmitatis nostræ ignorantiam perfectè docet: qui vocem auræ lenis audiuit, dicat quæ ex ipsa hac auditione didicerit. Sequitur:

Exod. 33.

Quòd qui de flagello Dei murmurant, iustitiam ferientis accusant.
Caput XXVII.

NVnquid homo Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir?) Humana iustitia diuinę iustitiæ cōparata, iniustitia est: quia & lucerna in tenebris fulgere cernitur, sed in solis radio posita tenebratur. Quid ergo Eliphas raptus in contemplatione cognouit, nisi quòd iustificari homo Dei comparatione non possit? Recta nanque credimus quæ exterius operamur, sed cùm minimè interna cognoscimꝰ, quasi in solis radio positi caligamus. Cùm verò illa vtcunque percipimus, ista non vtcunque iudicamus, quia tantò quisque subtilius de tenebris iudicat, quantò ei verius claritas lucis constat. Qui enim lucem videt, scit quid de tenebris æstimet. Nam qui candorem lucis ignorat, etiam obscura pro lucidis approbat. Bene autem subditur: *Aut factore suo purior erit vir?*) Quisquis de persecutione murmurat, quid aliud quàm iustitiam ferientis accusat? Puriorem ergo se vir factore suo existimat, si contra flagellum querelam parat, cúmque sibi proculdubio postponit, cuius iudicium de sua afflictione redarguit. Vt ergo homo reprehendere non audeat iudicem culpæ, hunc humiliter cogitet auctorem naturæ: quia qui mirè hominem ex nihilo fecit, factum impiè non affligit. Quod tunc Eliphas didicit, cùm vocem quasi auræ lenis audiuit. In consideratione nanque diuinæ magnitudinis discitur, quàm humiliter in sua animadversione timeatur. Et qui superna degustat, inferiora æquanimiter tolerat, quia plenè intus conspicit, quanti æstimet quod foris agit. Malè enim se rectum putat, qui regulam summæ rectitudinis ignorat. Et sæpe lignum rectum creditur, si ad regulam non ducatur: sed cùm regulæ iungitur, per quantam tortitudinem tumescit inuenitur: quia nimirum rectitudo accedens increpat, quod oculus deceptus approbat. Eliphas itaque quia superna conspexit, districtum iudicium de inferioribus exerit: & quanuis beatum Iob non rectè redarguit, in comparatione tamen creatoris omnium, omnem creaturæ modum rectè describit, dicens:

Quòd Deus angelicam naturam condidit mirabilem, vt ex libero arbitrio qui manere nollent ruerent, & maioris meriti fierent qui mutabilitatis suæ conditionem voluntatis statione fixissent.
Caput XXVIII.

ECce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem, quanto magis hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur, velut à tinea? Natura angelica etsi contemplatione auctoris inhærendo, in statu suo immutabiliter permanet, eo ipso tamen quo creatura est, in semetipsa vicissitudinem mutabilitatis habet. Mutari autem, ex alio in aliud ire est, & in semetipso stabilem non esse. Vnaquæque enim res quasi tot passibus ad aliud tendit, quod mutabilitatis suæ motibus subiacet. Sola autem natura incomprehensibilis à statu suo nescit moueri, quæ ab eo quod semper idem est, nescit immutari. Nam si angelorum substantia à mutabilitatis motu fuisset aliena, bene ab auctore condita, nequaquam in reprobis spiritibus à beatitudinis suæ arce cecidisset. Mirè autem omnipotens Deus naturam summorum spirituum bonam, sed mutabilem condidit: vt & qui permanere nollent, ruerent, & qui in conditione persisterent, tantò in ea iam dignius, quantò ex arbitrio starent: & eò maioris apud Deum meriti fierent, quò mutabilitatis suæ motum, voluntatis statione fixissent. Quia ergo ipsa quoque natura angelica est in semetipsa mutabilis, quam videlicet mutabilitatem vicit per hoc, quòd ei qui semper idem est, vinculis amoris alligatur, rectè nunc dicitur: *Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles.*) Atque eiusdem protinus documentum mutabilitatis adiūgitur, cùm de apostatis spiritibus subinfertur: *Et in angelis suis reperit prauitatem.*) Ex quorum casu bene infirmitatis humanæ consideratione colligit, cùm ilico subnectit: *Quantò magis hi qui habitant domos luteas qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea?*) Luteas quippe domos habitamus, quia in corporibus terrenis subsistimus. Quæ bene Paulus considerans ait: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. Et rursum: Scimus quia si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex deo habemus, domum non manufactam. Terrenum quoque fundamentum, est substantia carnis. Quod in se sollicitè Psalmista conspexerat, cùm dicebat: Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto, & substantia mea in inferioribus terræ. Tinea autem de veste nascitur, & eandem vestem de qua oritur, oriendo corrumpit. Quasi quædam verò vestis animæ caro est, sed hæc nimirum vestis habet tineam suam: quia ab ipsa carnalis tentatio oritur, ex qua laceratur. Quasi enim quadam sua tinea vestis nostra cōsumitur, cùm caro corruptibilis tentationem gignit, & per hanc ad interitum peruenit. Velut à tinea homo consumitur, cùm de se oritur, vnde conteratur. Ac si apertè dicat: Si illi spiritus esse ex se incommutabiles nequeunt, qui nulla carnis infirmitate deprimuntur, qua temeritate se homines in bono permanere constanter existimant, quos in eo quòd intellectus ad summa euehit, carnalis infirmitas aggrauans præpedit: vt per corruptionis vitium in semetipsis habeant, vnde ab intima nōuitate veterascant? Possunt quoq; per angelos, sancti doctores intelligi, sicut per Prophetā dicitur: Labia sacerdotis custodiūt scientiam, & legem requirunt ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est. Qui quantalibet virtute fulgeant, esse omnino sine culpa nequeunt, cùm iter præsentis illecebrosum vitę gradiuntur: quia eorum nimirū gressus tangitur, aut luto illiciti operis, aut puluere cogitationis. Domos autē luteas habitant, qui de illecebrosa hac vita carnis exultāt. Hanc domū luteam Paulus cōtempserat habitare, cùm dicebat: Nostra autē conuersatio in cœlis est. Dicat ergo: *Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles: & in angelis suis reperit prauitatē, quātò magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenū habent fundamentum, consumentur velut à tinea?*) Ac si apertè dicat: Si præsentis vitę viam illi sine cōtagione transire nequeunt, qui æterna cogitantes se contra temporalia accingunt, quę detrimēta illi sustinēt, qui esse se in carnalis habitationis voluptatibus gaudent? Qui enim seruiunt ei, non sunt stabiles, quia cùm mēs ad alta nititur, carnis suæ cogitatione dissipatur: ita vt sępe animus dū intimis inhiat, dum sola cœlestia expectat, subita carnali delectatione perculsus, à semetipso scissus iaceat: & qui se infirmitatis suæ molestias superasse gaudebat, repētino vulnere prostratus gemat. Prauitas ergo & in angelis reperitur, dum ipsos quoque qui veritatem nuntiāt, nōnunquā surreptio vitę fallacis grauat. Si ergo hi etiam mundi huius iniquitate seruiuntur, quos contra eum sancta intentio erigit, quibus ictibus illi penetrantur, quos ante eius iacula, ipsa infirmitatis suæ delectatio sternit? Qui bene velut à tinea consumi describuntur. Tinea quippe damnū facit, & sonitum non facit: ita iniquorum mentes, quia damna sua considerare negligunt, integritatem quasi nescientes perdunt. Amittunt nanque à corde innocentiam, ab ore veritatem, à carne cōtinentiam, & per accessum temporis ab ætate † vitam. Sed hæc se indefinēter amittere nequam conspiciūt, dum toto desiderio curis temporalibus occupantur. Quasi ergo à tinea consumuntur, quia sine sonitu, culpæ morsum tolerant, dum quanta detrimenta vitæ & innocentiæ patiantur, ignorant. Vnde & bene subditur: *De mane vsque ad vesperam succidentur.*) A mane vsque ad vesperam peccator succiditur, dum à vitæ suæ exordio vsque ad terminum iniquitatis perpetatione vulneratur. Omni nanque tempore reprobi per augmentum malitiæ contra se ictus ingeminant, quibus succisi in profundum ruant. De quibus bene per Psalmistam dicitur: Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos. Dies quippe dimidiare, est tēpus vitæ malæ in voluptatibus ductum,

27

2. Corin. 4.
2. Corin. 5.
Psalm. 138.
28.
Malac. 2.
Philipp. 3.
† al. æternā vitam.
Psalm. 54.

ductum, ad pœnitentiæ lamenta diuidere, atque hoc ad bonum vsum partiendo reparare sed iniqui dies suos nequaquam dimidiant, quia peruersam mentem nec in extremo tempore immutāt. Quo contra bene Paulus admonet dicēs: Redimentes tempus, quoniā dies mali sunt. Tempus quippe redimimus, quādo anteactā vitam, quam lasciuiendo perdidimus, flendo reparamus. Sequitur: *Et quia nullus intelligit, in æternum peribunt.*) Nullus videlicet eorum qui à mane vsque ad vesperam succidentur. Nullus intelligit, vel eorum qui pereunt, vel eorum qui perditos mores pereuntium imitantur. Vnde aliàs scriptum est: Iustus perit, & nemo est qui recogitet in corde suo, & viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat. Iniqui ergo dū sola temporalia appetunt, & quæ bona electis in æternum maneant, scire contemnunt, dum iustorum afflictionem cospiciunt, sed quæ sit afflitionis retributio non agnoscunt, actionis suæ pedem in profundū porrigunt: quia à luce intelligentiæ sponte sua oculos claudunt. Stultis enim voluptatibus decepti, dum quæ vident, temporaliter diligunt, à semetipsis alienati nō vident, vbi in æternum ruunt. Potest etiam mane prosperitas, vespere huius mundi aduersitas designari. De mane ergo vsque ad vesperam reprobi succiduntur, quia & per prospera lasciuientes depereunt, & per aduersa impatiētes ad insaniam exurgunt. Quos de mane vsque ad vesperam nequaquam culpa succideret, si vel prospera fomentum crederent, vel aduersa sectionem sui vulneris æstimarēt. Sed quia nequaquā sic humani generis multitudo deseritur, vt cuncta ad interitum tēdere permittatur, sunt nonnulli qui præsentis vitæ oblectamenta despiciunt, etiam cum assunt, transitoria esse considerant, atque hæc ex amore æternitatis calcant. Cúmque in hoc primo gradu iudicij gressum ponunt, vegetiores ad altiora peruenium, vt cuncta temporalia non solum quia citius sunt admittenda, despiciant, sed his inhærere non appetant: etiam si æterna esse potuissent: & à pulchrè conditis amorem subtrahunt, quia in ipsum auctorem pulchritudinis cordis passibus tendunt. Et sunt nonnulli qui bona vitæ præsentis diligunt, sed tamen hæc nullatenus assequuntur: qui rebus temporalibus totis desideriis inhiant, mundi gloriam quærunt, sed adipisci nequaquam possunt. Hos, vt ita dixerim, cor ad mundum pertrahit, mundus ad cor repellit. Nam sępe contingit, vt ipsis suis aduersitatibus fracti ad mentem redeant, & in semetipsis reuersi considerent, quàm sint inania quæ quærebant, seséque pro tam stulto desiderio protinus ad lamentum vertant, & tantò valentius æterna desiderent, quantò se stultius laborasse pro temporibus dolent. Vnde bene descriptis reprobis subditur:

Ephe. 5.
Esaiæ 57.
29.

Quòd eos quos mundus hic despicit, Deus eligit, & quid sit quòd puer Amalechita dux Dauid in persecutione hostium efficitur.
Caput XXIX.

QVi autem reliqui fuerint, auferentur ex eis.) Quos alios reliquos, nisi huius mundi despectos accipimus? Quos dū præsens seculum ad nullius gloriæ vsum eligit, quasi minimos indignósque derelinquit. Sed mundi reliquos auferre Dominus dicitur, quia despectos huius seculi eligere dignat. Paulo attestāte qui ait: Non multi sapiētes secundum carnē, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt cōfundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus vt cōfundat fortia. Quod bene in libris Regum, Aegyptio puero in via lassescēte signatur, quē Amalechita ęgrotum in itinere descrit. Dauid verò inuenit, cibo reficit, ducē sui itineris facit: Amalechitā persequitur, epulantem reperit, & funditùs extinguit. Quid est enim quòd Aegyptiis Amalechitę puer in itinere lassatur, nisi quòd amator præsentis seculi peccati sui nigredine opertus, sępe ab eodem seculo infirmus despectúsque relinquitur, vt cum eo currere nequaquàm valeat, sed fractꝰ aduersitate torpescat? Sec hūc Dauid inuenit, quia redēptor noster veraciter manu fortis, nonnunquā quos despectos à mundi gloria reperit, in suū amorē cōuertit. Cibo pascit, quia verbi scientia reficit. Ducem itineris eligit, quia suum etiam prædicatorem fecit. Et qui Amalechitam sequi nō voluit, dux Dauid efficitur: quia is quem indignum mūdus deseruit, non solum conuersus in suam mentē

1. Cor. 1.
2. Reg. 30.

Dominum recipit, sed prædicando hunc etiam vsque ad aliena corda perducit: Quo videlicet duce Dauid conuiuantem Amalechitam inuenit & extinguit, quia ipsis prædicantibus Christus mundi lætitiam destruit, quos mundus habere comites despexit. Quia igitur plærunque quos mundus relinquit, Dominus elegit, rectè nunc dicitur: *Qui reliqui fuerint, auferentur ex eis.* Sequitur. *Morientur, & non in sapientia.*) Quid est quòd superius reproborum interitum protulit, dicens: Quia nullus intelligit, in æternum peribunt: & de electis Dei ilico adiunxit: Qui reliqui fuerint, auferentur ex eis: & hoc protinus quod eisdem electis non conueniat, dicens subdidit: Morientur, & non in sapientia. Si enim à reprobis diuinitùs auferuntur, quo pacto mori non in sapientia dicuntur? Sed nimirum sacræ scripturæ consuetudo est, vt cùm aliquid narrat, interposita alterius causæ sentētia, ad superiora protinus redeat. Nam postquam dixit: Et quia nullus est qui intelligat, in æternum peribunt: electorum mox sortem subintulit, dicens: Qui autem reliqui fuerint, auferentur ex eis. Et rursum sententiæ suæ oculum, in eum quem prædixerat interitum reproborum mittens, subitò adiunxit: *Morientur, & non in sapientia.*) Ac si diceret: Hi quos dixi, quia non intelligentes in æternum peribunt, proculdubio non in sapientia morientur. Sed hunc esse nonnunquam morem sacri eloquij melius ostendimus, si ex eo aliquam huius rei similitudinē proferamus. Paulus nanque Apostolus cùm dilectum discipulum de instituēdis Ecclesiæ officiis admoneret, ne quos fortè ad sacros ordines inordinatè proueheret, dixit: Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis, teipsum castū custodi. Qui ad infirmitatem eius corporis protinus verba conuertens ait: Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere, propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. Statimque subiungit, dicens: Quorundam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium, quorundam autem & subsequūtur. Quid ergo ad illud pertinet, quòd ab infirmo aquam bibi prohibuit, hoc quod de peccatis abscōditis quorundam hominum manifestísque subiunxit? nisi quòd interposita de eius infirmitate sententia, ad hoc in extremo rediit, quod superius dixit: Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis. Vt enim hæc eadem peccata quanta sollicitudine perquirenda essent ostenderet, interposita contra infirmitatis molestiam discretionis admonitione, protinus intulit, quòd in aliis patescerent, in aliis laterent, dicens: Quorundam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium, quorundam autem & subsequuntur. Sicut ergo per hanc sententiam non eisdem verbis Paulus congruit, quibus eam loquens de Timothei infirmitate subiunxit: sed ad illud rediit quod superius intermittēdo narrauit, ita hoc loco Eliphas cùm de electis diceret: Qui reliqui fuerint, auferentur ex eis, ilico adiungens: *Morientur, & non in sapientia:*) ad illud protinus recurrit quod superius de reprobis protulit, dicens: *Et quia nullus intelligit, in æternum peribunt.* Idcirco autem reprobi electos despiciunt, quòd ad vitam inuisibilem per visibilem mortem tendunt. De quibus bene nunc dicitur: Morientur, & non in sapientia. Ac si apertè diceretur: Mortem quidem & sapientiam pariter fugiunt, sed sapientiam penitus deserunt, mortis autem laqueos non euadunt. Et quia quandoque morituri viuere moriendo potuerant, dum mortem, quæ proculdubio ventura est, metuunt, & vitam simul & sapientiam perdunt. At contrà, iusti in sapientia moriuntur, quia mortem quam deuitare funditùs nequeunt, cùm pro veritate imminet, differre contemnunt, eamque dum æquanimiter ferunt, pœnam propaginis vertunt in instrumentum virtutis: vt inde debeat vita recipi, vnde per primæ culpæ meritum cogitur finiri. Sed quia Eliphas hæc contra iniquos veraciter protulit, beatum Iob reprehensibilem æstimans, de fastu se sapientiæ inflauit. Vnde & post prædicamenta tantæ rectitudinis, irrisionis verba subiungit, dicens:

1. Tim. 4.
1. Tim. 5.
30.

Caput quintum beati Iob.

VOca ergo, si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere. Virum stultum interficit iracundia, & paruulum occidit inuidia. Ego vidi stultum firma

radice, & maledixi pulchritudini eius statim. Lon-
gè fient filij eius à salute, & conterentur in porta,
& nõ erit qui eripiat. Cuius messem famelicus come-
det, & ipsum rapiet armatus, & bibent sitientes diui
tias eius. Nihil in terra sine causa fit: & de humo non
egredietur dolor. Homo nascitur ad laborem, & a-
uis ad volatum. Quamobrem ego deprecabor Do-
minum, & ad Deum ponam eloquium meum. Qui fa
cit magna & inscrutabilia, & mirabilia absque nume-
ro. Qui dat pluuiã super faciã terræ, & irrigat aquis v-
niuersa. Qui ponit humiles in sublime, & mœrẽtes e-
rigit sospitate. Qui dissipat cogitationes malignorũ,
ne possint implere manꝰ eorũ quod cœperãt. Qui ap-
prehẽdit sapiẽtes in astutia eorũ, & consiliũ prauorũ
dissipat. Per diẽ incurrent tenebras, & quasi in nocte,
sic palpabũt in meridie. Porrò saluũ faciet egenos à
gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem.
Et erit egeno spes, iniquitas autem contrahet os
suum. Beatus homo qui corripitur à Domino. Incre-
pationem ergo Domini ne reprobes, quia ipse vul-
nerat & medetur: percutit, & manus eius sanabũt. In
sex tribulationibus liberabit te, & septima non tan-
get te malum. In fame eruet te de morte, & in bello
de manu gladij. A flagello linguæ absconderis, & nõ
timebis calamitatem cùm venerit. In vastitate & fa-
me ridebis, & bestias terrę non formidabis. Sed cum
lapidibus regionum pactum tuum, & bestię terrę pa-
cificæ erunt tibi. Et scies quòd pacem habeat taber-
naculum tuum, & visitans speciem tuam non pecca-
bis. Et scies quoniam multiplex erit semen tuum, &
progenies tua quasi herba terræ. Ingrediêris in abun-
dantia sepulchrum, sicut infertur aceruus tritici in
tempore suo. Ecce hoc, vt inuestigauimꝰ, ita est quod
auditum mente pertracta.

Quantum peccatum sit ira, quod etiam homicidio comparatur: & quomodo compesci debeat. *Caput XXX.*

Prouer.28. V*Oca ergo si est, qui tibi respondeat.*) Omnipotens enim Deus
sæpe eius precem in perturbatione deserit, qui præce-
pta illius in tranquillitate contemnit. Vnde scriptum est: Qui
auertit aurẽ suã ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.
Vocare autem nostrum, est humili Deum prece deposcere:
respondere verò Dei, est effectum præcibus prebere. Ait er-
go: *Voca si est, qui tibi respondeat.*) Ac si apertè dicat: Quantum-
libet afflictus clames, Deum tibi respondentem non habes,
quia vox in tribulatione eum non inuenit, quem mens in
tranquillitate contempsit. Vbi adhuc deridendo subiungit:
Et ad aliquem sanctorum conuertere.) Ac si despiciens dicat: San-
ctos quoque inuenire in afflictione adiutores non vales,
quos habere socios in hilaritate noluisti. Qui post irrisionem
protinus sententiam subdit, dicens: *Virum stultum interficit ira-
cundia, & paruulum occidit inuidia.*) Quæ nimirum sententia
vera esset, si illata contra tanti viri patientiam non fuisset.
Sed nos pensemus quod dicitur: quanuis ab auditoris sui vir-
tute elidatur, vt ostendamus quàm rectum est quod promi-
tur, si non in beatum Iob iniustè promeretur, cùm scriptum
Sapien.12. sit: Tu autem Domine cum tranquillitate iudicas. Sciendum
nobis magnopere est, quia quotiens turbulentos motus ani-
mi sub mansuetudinis virtute restringimus, ad similitudinem
redire conditoris conamur. Nam cùm tranquillitatem men-
tis ira diuerberat, dilaniatam quodammodo scissamque per-
turbat, vt sibimetipsi non congruat, ac vim intimæ similitu-
31. dinis amittat. Quanta ergo sit iracundiæ culpa pensemus,
per quam dum mansuetudo amittitur, supernæ imaginis si-
militudo vitiatur. Per iram sapientia perditur: vt quid, quóve
ordine agendum sit, omnino nesciatur, sicut scriptum est:
Eccli.7. Ira in sinu stulti requiescit: quia nimirum intelligentiæ lucem
subtrahit, cùm mentem permouendo confundit. Per iram
E vita amittitur, etsi sapientia teneri videatur, sicut scriptum
est: Ira perdit etiam prudentes: quia scilicet confusus ani-
mus nequaquam explet, etiam si quid intelligere pruden-
ter valet. Per iram iustitia relinquitur, sicut scriptum est:
Ira viri iustitiam Dei non operatur: quia dum perturbata Iaco.1.
mens iudicium suæ rationis exasperat, omne quod furor
suggerit, rectum putat. Per iram gratia vitæ socialis amitti-
tur, sicut scriptum est: Noli esse assiduus cum homine ira- Prouer.22.
cundo, ne discas semitas eius, & sumas scandalum animæ
tuæ. Et idem: Quis poterit habitare cum homine, cuius spi-
ritus facilis est ad irascendũ? Quia qui se ex humana ratione
non temperat, necesse est vt bestialiter solus viuat. Per iram
concordia rumpitur, sicut scriptum est: Vir animosus parit Prouer.16.
rixas, & vir iracundus effundit peccata. Iracundus quippe
peccata effundit, quia etiam malos quos incautè ad discor-
diam prouocat, peiores facit. Per iram lux veritatis amit-
titur, sicut scriptum est: Sol non occidat super iracundiam Ephe.4.
vestram: quia cùm menti iracundia confusionis tenebras in-
F cutit, huic Deus radium suæ cogitationis abscondit. Per
iram sancti spiritus splendor excluditur, quo contrà, iuxta
vetustam translationem scriptum est: Super quem requie- Esaiæ.66.
scet spiritus meus, nisi super humilem & quietum & tremen-
tem sermones meos? Cùm enim humilem diceret, quietum
protinus adiunxit. Si ergo ira quietem mentis subtrahit,
suam sancto spiritui habitationem claudit, cuius recessione
animus vacuus, ad apertam mox insaniam ducitur, & vsque
ad superficiem ab intimo cogitationum fundamento dissi-
patur. Nam iræ suæ stimulis accensum cor palpitat, corpus
tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur ocu-
li, & nequaquam recognoscuntur noti. Ore quidem clamo-
rem format, sed sensus quid loquatur ignorat. In quo ita-
que iste ab abreptitiis longè est, qui actionis suæ conscius
non est? vnde fit plerunque, vt vsque ad manus ira prosiliat,
& quò ratio longius recedit, audacior exurgat, séque ipsum
animus retinere nõ valet: quia factus est potestatis alienæ: &
G eò furor mẽbra foris in ictibus exercet, quò intus ipsam mẽ-
brorum dominam mentem captiuam tenet. Aliquando au-
tem manus non exerit, sed in malectionis iaculum linguam
vertit. Fratris nanque interitum precibus exposcit, & hoc
Deum perpetrare expetit, quod ipse peruersus homo face-
re, vel metuit, vel erubescit. Fitque vt voto, & voce homi-
cidium peragat, etiam cùm à læsione proximi manibus ces-
sat. Aliquando ira perturbato animo quasi ex iudicio silen-
tium indicit, & quò se foras per linguam non exprimit, in-
tus deterius ignescit, vt iratus quisque collocutionem suam
proximo subtrahat, & nil dicendo quàm sit aduersus dicat.
Et nonnunquam hæc silentij seueritas per disciplinæ dispen-
sationem geritur: si tamen sollicitè in intimis discretionis
forma teneatur. Nonnunquam verò dum accensus animus
à consueta locutione restringitur, per accessum temporis
penitus à proximi dilectione separatur, & acriores stimuli
ad mentem veniunt, causæque quæ grauius exasperant ori-
untur, atque in irati oculo festuca in trabem vertitur, dum
H ira in odium permutatur. Plerunque ira per silentium clau-
sa intra mentem vehementius æstuat, & clamosas tacita vo-
ces format: verba sibi quibus exasperetur obiicit, & quasi in
causæ examine posita durius exasperata respondet, quod
Salomon breuiter insinuat, dicens: Præstolatio impiorum Prouer.11.
furor. Sicque fit vt perturbatus animus maiorem strepitum
sui silentij sentiat, eúmque grauius causa iræ flamma con-
sumat. Vnde bene ante nos quidam sapiens dixit: Cogitatio-
nes iracundi vipereæ sunt generationis, mentem comedunt
matrẽ suam. Sciendũ verò est quòd nõnulos ira citius ac- 32.
cendit, facilius deserit. Nonnullos verò tardè quidẽ cõmo-
uet, Sed diutius tenet. Alij nanque accẽsis calamis similes dũ
vocibus perstrepũt, quasi quosdã accẽsionis suæ sonitus red-
dunt, citius quidẽ flammã faciunt, sed protinus in fauilla fri-
gescunt. Alij autẽ lignis grauioribus durioribúsq; non dispa-
res, accensionẽ tardè suscipiunt, sed tamẽ accẽsi semel difficiꝰ
extinguunt: & quia se tardius in asperitatẽ cõcitant, furoris sui
diutius ignẽ seruant. Alij autẽ, quod est nequius, & citius ira-
cundiæ flãmas accipiũt, & tardius deponunt. Nõnulli verò
has & tardè suscipiunt, & citius amittunt. In quibus nimirũ
quatuor

quatuor modis liquidò lector agnoscit, quia & ad tranquilli-
tatis bonum vltimus plusquàm primus appropinquat, & in
malo secundum tertius superat. Sed quid prodest quòd ira-
cundia quomodo mentem teneat dicimus, si non etiam qua-
liter compesci debeat exprimamus? Duobus etenim modis
fracta possidere animum ira desuescit. Primus quippe est vt
mens sollicita antequàm agere quodlibet incipiat, omnes sibi
quas pati potest contumelias proponat: quatenus redempto-
ris sui probra cogitans, ad aduersa se præparet. Quæ nimirum
venientia tantò fortius excipit, quantò se cautius ex pręsciẽ-
tia armauit. Qui enim improuidus ab aduersitate deprehen-
ditur, quasi ab hoste dormiẽs inuenitur, eúmque citius inimi-
cus necat, quia non repugnantem perforat. Nam qui mala
imminentia per sollicitudinẽ prænotat, hostiles incursus qua-
si in insidiis vigilans expectat: & inde ad victoriam valenter
accingitur, vnde nesciẽs deprehendi putabatur. Solerter ergo
animus ante actionis suæ primordia, cũcta debet aduersa me-
ditari: vt semper hæc cogitans, semper contra hæc thorace
patientiæ munitus, & quicquid acciderit, prouidus superet:
& quicquid non accesserit, lucrum putet. Secundus autem
seruandæ mansuetudinis modus est, vt cùm alienos excessus
aspicimus, nostra quibus in aliis excessimus delicta cogite-
mus. Considerata quippe infirmitas propria, mala nobis ex-
cusat aliena. Patienter nanque illatam iniuriam tolerat, qui piè
meminit quod fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tole-
rari. Et quasi aqua ignis extinguitur, cùm surgente furore ani-
mi, sua cuique ad mentem culpa reuocatur, quia erubescit sibi
peccata non parcere, qui vel Deo vel proximo sępe se recolit
33. parcenda peccasse. Sed inter hæc solerter sciendũ est, quòd
alia est ira quam impatientia excitat, alia quam zelus iustitiæ
format. Illa ex vitio, hæc ex virtute generatur. Si enim nulla
ira ex virtute surgeret, diuinæ animaduersionis impetum Phi-
nees per gladiũ non placasset. Hanc irã quia Heli nõ habuit,
motũ contra se implacabiliter supernæ vltionis excitauit. Nã
quò cõtra subditorum vitia tepuit, cò contra illum districtio
Psal.4. æterni rectoris exarsit. De hac ira per Psalmistam dicitur: Ira-
scimini, & nolite peccare. Quod nimirum nõ rectè intelligũt,
qui irasci nos nobis tantũmodo, nõ etiam proximis delinquẽ-
tibus volunt. Si enim sic proximos vt nos amare præcipimur,
restat, vt sic eorum erratibus, sicut nostris vitiis irascamur. De
Eccles.7. hac per Salomonem dicitur: Melior est ira risu, quia per tristi-
Psal.6. tiam vultus corrigitur animus delinquentis. De hac iterum
Psalmista ait: Turbatꝰ est præ ira oculus meus. Ira quippe per
vitium oculum mentis excæcat, ira autem per zelum turbat,
quia quo saltem recti æmulatione concutitur, ea quæ nisi trã-
quillo corde percipi non potest, cõtemplatio dissipatur. Ipse
nanq; zelus rectitudinis, quia in quietudine mentẽ agitat, eius
mox aciem obscurat, vt altiora in commotione non videat,
quæ bene prius tranquilla cernebat. Sed inde subtilius ad alta
reducitur, vnde ad tempus ne videat reuerberatur. Nam ipsa
recti æmulatio æterna post paululum in tranquillitate largius
aperit, quæ hic interim per commotionem claudit: & vnde
mens turbatur ne videat, inde proficit, vt ad vidẽdum verius
clarescat: sicut infirmanti oculo cùm collyrium immittitur,
lux penitus negatur: sed inde eam post paululum veraciter re-
cipit, vnde hanc ad tempus salubriter amittit. Nunquam verò
commotioni cõtemplatio iungitur, nec præualet mẽs pertur-
bata conspicere, ad quod vix trãquilla valet inhiare: quia nec
Solis radius cernitur, cùm commotæ nubes cœli faciẽ obdu-
cunt, nec turbatus fons inspicientis imaginem reddit, quam
tranquillus propriè ostẽdit: quia quò eius vnda palpitat, eò in
se speciem similitudinis obscurat. Sed cùm per zelum animus
mouetur, curandum summopere est, ne hæc eadem quæ in-
strumento virtutis assumitur, menti ira dominetur, nec qua-
si domina præeat, sed velut ancilla ad obsequium parata, à ra-
tionis tergo nunquã recedat. Tũc enim robustius cõtra vitia
erigitur, cùm subdita rationi famulatur. Nam quantumlibet
ira ex zelo rectitudinis surgat, si immoderata mentem vicerit,
rationi protinus seruire contemnit, & tantò se impudentius
dilatat, quantò impatientiæ vitium virtutem putat. Vnde ne-
cesse est vt hoc ante omnia, qui zelo rectitudinis mouetur,
attendat, ne ira extra mentis dominium transeat, sed in vltio-
ne peccati tempus modúmque considerans, surgentem ani-

A mi perturbationem subtilius retractando restringat, animosi-
tatem reprimat, & motus feruidos sub æquitate disponat, vt
eò fiat iustior vltra alienos, quo prius extitit victor suus, qua-
tenus sic culpas delinquẽtium corrigat, vt antè ipse qui corri-
git, per patientiam crescat, vt feruorem suum transcendendo
diiudicet, ne intemperanter excitatus ipso zelo rectitudinis,
longè à rectitudine aberret. Quia verò, sicut diximus, etiam
laudanda boni æmulatio mentis oculum turbat, rectè nunc
dicitur: *Virum stultum interficit iracundia.*) Ac si apertè diceretur:
Ira per zelum sapientes turbat, ira verò per vitium stultos
trucidat, quia illa sub ratione restringitur, hæc verò irrationa-
biliter deuictæ menti dominatur. Bene autem subditur:

Quomodo inuidia cognoscitur. *Caput XXXI.*

E*T paruulum occidit inuidia.*) Inuidere enim non possumus,
nisi eis quos nobis in aliquo meliores putamus. Paruulus
ergo est qui liuore occiditur, quia ipse sibi testimonium per-
hibet, quòd eo minor sit cuius inuidia torquetur. Hinc est
quòd hostis callidus primo homini inuidendo surripuit, quia
B amissa beatitudine, minorem se immortalitate illius agno-
uit. Hinc est quòd Cain ad perpetrandum fratricidiũ corruit: Gen.4.
quia despecto suo sacrificio, prelatũ sibi infremuit, cuius Deus
hostiam accepit, & quem meliorem se esse exhorruit, ne vtcũ-
que esset, amputauit. Hinc Esau ad persecutionẽ fratris exar- Gen.25.
sit, quia primogenitorum benedictione perdita, quam tamen
pro esu lenticulæ ipse vendiderat, minorẽ se eo quem nascen-
do præibat, ingemuit. Hinc Ioseph fratres sui Hismaëlitis trã- Gen.37.
seuntibus, vẽdiderũt: quia cognito reuelationis mysterio, ne
se fieret melior, eius profectibꝰ obuiare conati sunt. Hinc Saul 1.Reg.18.
Dauid subditũ lanceam intorquendo persequitur, quia quem
magnis quotidie augeri virtutũ successibus sensit, vltra se ex-
crescere expauit. Paruulus itaq; est qui inuidia occiditur: quia
nisi ipse inferior existeret, de bono alterius nõ doleret. Sed 34.
inter hæc sciendum est, quia quanuis per omne vitium quod
perpetratur, humano cordi antiqui hostis virus infunditur, in
hac tamen nequitia, tota sua viscera serpẽs concutit, & impri-
C mendæ malitiæ pestem mouit. De quo nimirum scriptum est:
Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Nam cùm Sapien.2.
deuictum cor liuoris putredo corruperit, ipsa quoque exte-
riora indicant, quàm grauiter animum vesania instigat. Color
quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur,
& membra frigescunt, fit in cogitatione rabies, in dentibus
stridor: cúmque in latebris cordis crescens absconditur odiũ,
dolore cæco tenebrat conscientiam vulnus inclusum. Nil læ-
tum de propriis libet, quia tabescentem mẽtem sua pœna sau-
ciat, quam felicitas torquet aliena: quantóque extranei operis
in altum fabrica ducitur, tantò fundamentum mentis liuidæ
profundius suffoditur: vt quò alij ad meliora properant, eo
ipso deterius ruant, qua ruina videlicet etiam illud destruitur,
quod in aliis actibus perfecto opere surrexisse putabatur. Nã
inuidia cum mentem tabefecerit, cuncta quæ inuenerit bene
gesta consumit. Vnde bene per Salomonem dicitur: Vita car- Prouer.14.
nium sanitas cordis, putredo ossium inuidia. Quid enim per
vitam carnis, nisi infirma quædam ac tenera, & quid per ossa,
D nisi fortia acta signantur? Et plerunque contingit vt quidam
cùm vera cordis innocentia, in nonnullis suis actibus infirmi
videantur, quidam verò iam quædam ante humanos oculos
robusta exerceant, sed tamẽ erga aliorum bona, intus inuidiæ
pestilentia latenter tabescant. Bene ergo dicitur: Vita carnium
sanitas cordis: quia si mentis innocentia custoditur, etiam si
qua foris infirma sunt, quandoque roborãtur. Et rectè subdi-
tur: Putredo ossium inuidia: quia per liuoris vitium, ante Dei
oculos pereunt, etiam fortia acta virtutum. Ossa quippe per
inuidiam putrescere, est quædam etiam robusta deperire. Sed
cur hæc de inuidia dicimus, si non etiam qualiter eruatur inti-
memus? Difficile nanque est vt hoc alteri non inuideat, quod
adipisci alter exoptat: quia quicquid temporaliter percipitur,
tantò fit minus singulis, quantò diuiditur in multis: & idcirco
desiderantis mentem liuor excruciat, quia hoc quod appetit,
aut funditus alter accipiens adimit, aut à quantitate restringit.
Qui ergo liuoris peste plenè carere desiderat, illam hæredita-
tem diligat, quam cohæredum numerus non angustat, quæ
& omnibus vna est, & singulis tota: quæ tantò largior esse o-
stenditur, quantò ad hanc percipiẽtium multitudo dilatatur.

Imminutio ergo liuoris, est affectus surgens internæ dulcedinis, & plena mors eius, est perfectus amor æternitatis. Nam cùm mens ab eius rei appetitu retrahitur, quæ accipientium numero partitur, tantò magis proximum diligit, quantò minus ex profectu illius sua damna pertimescit. Quę si perfectè in amore cœlestis patriæ rapitur, plenè etiam in proximi dilectione sine omni inuidia solidatur: quia cùm nulla terrena desiderat, nihil est quod eius erga proximum charitati contradicat. Quæ nimirum charitas quid est aliud quàm mentis oculus, qui si terreni amoris puluere tangitur, ab internæ lucis mox intuitu læsus reuerberatur. Quia autem paruulus est qui terrena diligit, magnus qui æterna concupiscit, potest etiam sic non inconuenienter intelligi. Paruulum occidit inuidia, quoniam huius pestis languore non moritur, nisi qui adhuc in desideriis infirmatur.

Finit liber quintus Moralium sancti Gregorij & totius operis pars prima.

B. GREGORII LIBER SEXTVS CONTINUANS moraliter Quintum

Caput Iob.

Quid per nomen Iob & vulnera eius, quæ à planta pedis vsque ad verticem pertulit: quid item per vxorem maledictionem suadere conantem, quidque per amicos consolatores accipiatur, breuiter recapitulatur. Caput I.

Eruata historiæ veritate, beati Iob dicta amicorúmq; illius, mystica proposui interpretatione discutere, quia cunctis vera scientibus liquet, quòd redemptorem mundi totis suis allegationibus curat sancta scriptura promittere, cúmque per electos omnes, vt per eiꝰ scilicet mẽbra, studuit designare. Vnde & idem Beatꝰ Iob Latino eloquio dolens dicitur: vt per eius & nomen & vulnera, redemptoris nostri pasio designetur, de qua Propheta ait: Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Cui tentator ablatis omnibus, & seruos & liberos occidit, quia non solum Iudaicum populum ex timore seruientem, sed ipsos quoque Apostolos in suo amore regeneratos, pasionis eius tempore telo perfidiæ perculit. Vulneribus beati Iob corpus atteritur, quia redẽptor noster configi clauis in crucis patibulo non dedignatur. A planta autem pedis, vsque ad verticem vulnera suscepit, quia sanctam Ecclesiam, quæ corpus eius est, non solum per extrema & vltima, sed vsque ad summa membra persecutione sæuiẽs tentator afflixit. Vnde etiam Paulus dixit: Cõplebo ea quę desunt pasionũ Christi in carne mea. Cui suadere vxor ad maledicendum nititur, quia carnales quique intra sanctã Ecclesiam adiutores callidi tentatoris existunt. Quę enim eum ad maledicendũ prouocat, vitam carnalium designat: qui, vt supra diximus, iam intra sanctam Ecclesiam incorrectis moribus positi, quò per fidem bonis iuxtà sunt, eò per vitam durius premunt. Quia enim quasi fideles vitari nequeunt, à fidelibus tãtò deterius, quãtò & interius tolerãtur. Amici verò illius qui quasi ad cõsolandum veniunt, sed ad verba asperæ inuectionis excedunt, hæreticorum speciem tenent, qui cùm contra bonos Deum defendere nituntur, offendunt. Hęc itaque superius latius dicta, nunc breuiter studui ex mystica designatione succingere, vt lector meus ex ipsa hac replicatione meminerit me in hoc opere spiritali intellectui deseruire, & tamen cùm vtilitatis ipsius vsus postulat, subtiliter quoq; studeo historię verba discutere: cùm verò necesse est, simul vtrunque complector, vt spiritales fructus allegoria generet, quos tamen ex radice historiæ veritas producit. Amicos verò beati Iob, quos hæreticorum speciem tenere diximus, in dictis suis nequaquam per omnia reprobamus, quia dum per supernam sententiam contra eos dicitur: Non estis locuti coram me rectum, & protinus subditur: Sicut seruus meus Iob: profectò liquet, quia non omnino despicitur, quod ex melioris comparatione reprobatur. In reprehensione quippe eius incautè dilabuntur, sed tamen quia tanti viri amici sunt, ex familiaritate illius mystica multa didicerunt. Vnde & sicut superius diximus, eorum verbis etiam Paulus vtitur, & hæc in assertionis suæ adiutorium assumens, prolata ex veritate testatur. Quæ tamen veritas rectè reprehendit: quia quãlibet fortis sententia contra sanctum virum proferri non debuit. Possunt ergo mysticè Eliphas verba pensari, quibus ad beatum Iob loquitur, dicens:

Quòd stultus fuerit Iudæorum populus, qui præsentem Dominum in carne spreuit, & filij eius sint qui perfidiam eius imitantur. Caput II.

Ego vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim.) Stultus quippe Iudæorum populus extitit, quia ipsam in carne præsentiam æternæ sapientiæ spreuit. Qui quasi firma radice conualuit, quia electorum vitam temporaliter extinguendo superauit. Sed hunc Eliphas maledicendo despicit: quia nimirum omnes hæretici, quorum tenere speciem amicos beati Iob diximus, cùm de nomine Christi gloriantur, Iudæorum perfidiam ex authoritate reprehendunt. De quo stulto protinus subditur: *Longè sint filij eius à salute.*) Filij huius stulti sunt omnes qui perfidiæ illius prædicatione generantur. Qui scilicet à salute longè sunt, quia etsi temporalem vitam sine afflictione percipiunt, æterna grauius vltione feriẽtur, sicut de eisdem filiis illius, Dominus dicit: Vę vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselytum, & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos. Sequitur: *Et conterẽtur in porta, & non erit qui eripiat.*) Quis alius portæ nomine, nisi mediator Dei & hominum debet intelligi, qui ait: Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur? Filij igitur huius stulti extra portã proficiunt, & in porta conteruntur: quia præuæ Iudæorum soboles ante mediatoris aduentum, in legis obseruatione floruerunt: sed in ipsa redemptoris nostri præsentia, à diuinitatis obsequio, perfidiæ suæ mentis repulsi ceciderunt. Quos nimirum non est qui eripiat: quia scilicet dum ipsum redemptorem extinguere persequendo conati sunt, oblatæ sibi remedium ereptionis abs iderunt: de quo bene subditur: *Cuius messem famelicus comedet, & ipsum rapiet armatus.*) Huius enim stulti mesis fuerat sacri seges eloquij. Quædam nanque spicarum grana, sunt verba prophetarum, quæ stultus habuit, sed non comedit: quia Iudaicus populus legem quidem verbo tenus tenuit, sed per fatuitatis fastidium ab eius intellectu ieiunauit. Huius verò stulti messem famelicus comedit, quia nimirum gentilis populus verba legis intelligendo edit, ad quæ plebs Iudaica sine intellectu laborauit. Hos famelicos fidei, Dominus præuidit, cùm per Euangelistam dixit: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniã ipsi saturabuntur. De his famelicis Anna prophetante dicitur: Repleti prius pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt. Sed quia messem perdidit, rectè subiungitur, qualiter etiam ipse stultus perit, cùm dicitur: *Et ipsum rapiet armatus.*) Antiquus hostis Iudaicum populum armatus raptuit, quia in eo vitam fidei fraudulenter suggestionis iaculis extinxit: vt vnde se inhærere Deo crederet, inde eius ordinationi repugnaret. Quod profecto discipulos suos veritas præmonet, dicens: Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Sequitur:

Quid sit quòd aliquis velox ingenio, quæ intelligit contemnit, & alius tardus & hebes vix tandem multo labore assequitur, quòd cùm intellexerit, operatur. Caput III.

Et bibent sitientes diuitias eius.) Huius stulti diuitias sitientes bibunt, quia fluentis sacræ locutionis, quæ Iudaicus populus in superbiæ ostentatione possederat, conuersæ gentilium mentes irrigantur. Vnde & eisdem per Prophetam dicitur: Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum

Esaiæ.53. — Colos.1. — Matth.23. — Ioan.10. — Matth.5. — 1.Reg.1. — Ioan.16. — Esaiæ.55.

argentum, properate. Quia enim argenti vocabulo eloquia diuina signantur, Psalmista testatur, dicens: Eloquia domini eloquia casta, argentum igne examinatum. Qui ergo argentum non habent, ad aquas vocantur, quia nimirum gentilitas, quæ scripturæ sacræ præcepta non acceperat, sacri eloquij inundatione satiatur, quã tantò nunc auidius potat, quãtò hanc diu sicca sitiebat. Eadẽ ergo diuina eloquia & messes & diuitiæ vocantur: messes, quia ieiunam mentem reficiunt, diuitiæ verò, quia magna nos morum venustate componunt. Eadem & comedi dicuntur & bibi, quia nimiurm dum quædam in eis obscura sunt, quæ non nisi interpretata intelligimus, hæc quasi mandendo glutimus: dum quædam verò ad intelligendum facilia ita sumimus, vt inuenimus, ea quasi nõ mansa bibimus quia non fracta sorbemus. Hæc sub intellectu mystico breui locutione transcurrimus, ne quid forsitan pręterisse videamur. Sed quia beati Iob amici esse non possent, nisi in quibusdam quoque magna morum honestate fulgerent, restat vt in eorum verbis virtutem sensuum moraliter inquiramus, quatenus dum locutionis eorum pondus discutitur, cuius doctrinæ fuerint, ostendatur.

Quid sit maledicere pulchritudini stulti. Caput IIII.

Ego vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim.) Quasi firma radice stultus in terra figitur, qui totis desideriis in terreno amore solidatur. Vnde & primus Cain ciuitatẽ in terra construxisse dicitur: vt apertè monstraretur, quia ipse in terra fundamentum posuit, qui à soliditate cœlestis patriæ alienus fuit. Quasi firma radice stultus attollitur: quando hîc temporali prosperitate fulcitur, vt omne quod appetit assequatur, aduersa nulla sustineat, contra infirmos sine repugnatione præualeat, bene agentibus ex authoritate contradicat, ad maiora commoda ex peiori semper actione perueniat, vt vnde viam vitæ deserit, inde ad tempus fœlicior viuat. Sed cùm malos florere infirmi conspiciunt, trepidant: & apud semetipsos peccantium prosperitate turbati intus in gresibus mentis nutant. Quorum profectò speciem sumpsit Psalmista, cùm diceret: Mei autem pentè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, quia zelaui in peccatoribus, pacem peccatorum videns. Cùm verò eorum gloriam fortes aspiciunt, protinus quæ post gloriã pœna sequatur, attendunt: & alta intus cogitatione despiciunt, hoc quod foris superbi fastu vacuæ inflationis intumescunt. Bene ergo dicitur: *Ego vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim.*) Pulchritudini quippe stulti maledicere, est eius gloriam ex considerata damnatione iudicare, quia eò atrocius in tormentis obruitur, quò altius in peccatis eleuatur, quia cùm transit quod extollitur, permanet quod punitur. Qui honoratur in via, in peruentione damnabitur. Et quasi per amœna prata ad carcerem peruenit, qui per præsentis vitæ prospera ad interitum tendit. Notandum verò quòd cùm stulti pulchritudini maledixisse se diceret, protinus addidit statim. Mos nanque humanæ & infirmæ mentis est, vt cùm earum rerum quas respicit, qualitate varietur, sæpe eius iudicium cum ipsa præsentis rei specie ducatur, & iuxta hoc quod aspicit, intentio illius sensusque formetur. Nam plærunque nunnulli dum quorundam gloriam cernunt, eiusdem gloriæ aspectibus delectantur, ac magnum aliquid æstimant, séque vt talia mereantur, exoptant. Cùm verò gloriosos quosq;, aut deiectos subitò, aut fortasse etiàm moriẽtes aspiciunt, quia humana gloria omnimodo nihil sit, cum gemitu fatentur: ita vt protinus dicant: Ecce quàm nihil est homo. Qui hoc nimirum rectius dicerent, si cùm in gloria hominem cernerent, tũc eius interitum cogitantes, transeuntem potentiam nihil esse sensissent. Tunc quippe est humana elatio pensanda, quàm nihil sit cùm sese super cæteros successibus extollit. Tunc considerandum est quo cursu fœlicitas trãsuolet, cùm ante humanos oculos quasi permanens pollet. Nam gloriam morituri nihil esse, in ipsa iam morte pensare infirmi quilibet possunt. Tunc enim ei etiã illi derogant, qui hanc & vsque ad mortem sequentes amant. Bene itaque dicitur: *Ego vidi stultũ firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim.*) Ac si apertè diceret: Contra stulti pulchritudinem, moram in maledictione non habui: quia cùm hanc cernerem, simul etiam pœnam sequentem vidi. Non enim statim maledicerem, si qua me gloriæ illius delectatio tenuisset, sed sine tarditate maledixi: quia supplicia mansura cõspiciens, eos potentiam sine dubitatione reprobaui. Sed quia iniqui quique quò plus in hoc mundo proficiunt, plures secum ad interitum trahunt, rectè subditur: Longe fiant filij eius à salute.) Filij quippe huius stulti sunt, qui in ambitione huius seculi, ex eius imitatione nascũtur, qui profectò tantò à salute longius fiũt, quantò in perpetratione nequitiæ nulla infirmitate seruiuntur. De quibus bene additur:

Dies iudicij porta regni. Caput V.

Et conterentur in porta, & non erit qui eripiat.) Nam sicut vrbis aditus porta dicitur: ita est dies iudicij porta regni: quia per eum ab electis omnibus ad cœlestis patriæ gloriam intratur. Vnde & hunc diem cùm ad retributionem sanctæ Ecclesiæ Salomon appropinquare conspiceret, dixit: Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ. Vir quippe est Ecclesiæ humani generis redemptor, qui in portis se nobilem ostendit, qui despectus prius in contumeliis extitit, sed in ingressu regni sublimis apparebit. Qui cum terræ senatoribus residet: quia iudicij sententiam cum sanctis eiusdem Ecclesiæ prædicatoribus decernet, & sicut ipse in Euangelio dicit: Vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Quod Esaias quoque longè antè prænuntians ait: Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui. De his portis Salomon iterum dicit: Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius. Tunc quippe sancta Ecclesia de fructu manuum suarum accipit, cùm eam ad percipienda cœlestia, laboris sui retributio attollit. Tunc eam sua opera in portis laudant, quando eius membris in ipso regni aditu dicitur: Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi potum: hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me. Filij igitur huius stulti ante portam elati sunt: sed in porta conterentur, quia amatores huius seculi in præsenti vita superbiunt, sed in ipso regni aditu æterna animaduersione feriuntur. Bene autem subditur: *Et non erit qui eripiat.*) Illos quippe veritas ab æterna aduersitate eripit, quos in temporalibus prosperis per disciplinam premit. Qui ergo nunc renuit premi, tunc non valet eripi: quia iniqui eum quem per disciplinam negligunt habere patrem, afflictionis suæ tempore per adiutorium non inuenient ereptorem. Sequitur: *Cuius messem famelicus comedet.*) Habet enim stultus messem, quando iniquus quisque donum rectæ intelligentiæ accipit: scripturæ sacræ sententiis docetur, bona loquitur, sed tamen nullo modo hoc quod dicit operatur: verba Dei profert, nec tamen diligit: laudando exaggerat, viuendo calcat. Quia ergo stultus iste rectè & intelligit, & dicit, sed tamẽ hęc operãdo nõ amat, messem habendo ieiunat. Quam nimirum famelicus comedit, quia is qui ad Deum sanctis desideriis anhelat, discit quod audit, agit quod didicerit: & dum doctoris praui recta prædicatione reficitur, quid aliud quàm stulti fruge saturatur? An non famelicos suos veritas, vt stulti messem comederent admonebat, cùm per desideria sancta flagrantibus, de Pharisęis pręcepit, dicens: Quæ dicunt facite, iuxta opera verò eorum, nolite facere. Ac si apertè diceret: Verbi messem loquendo excolunt, sed hanc malè viuendo minimè contingunt. Vestram ergo famẽ messis ista reficiat: quia vobis hãc per fatuitatis suę fastidium seruant. Bene autem subditur: *Et ipsum rapiet armatus.*) Antiquus nanque hostis quasi inermis vincitur, cùm mala aperta suggerens humanæ menti, bona omnia simul destruere conatur. Sed armatus venit, quando bona alia intacta deserens, latenter alia corrumpit. Nam sæpe quasdam in intellectu non tentat, essque in sacri eloquij meditatione non obuiat, sed tamen eorum vitam in operatione supplantat, quidum de scientiæ virtute laudantur, nequaquam suorum operum damna respiciunt: cúmque in fauoris delectationem animus ducitur, vitæ suæ vulnera non medetur. Hunc ergo armatus hostis rapuit, quem fraude tectus in alia deserens, ex alia parte separauit. Sequitur: *Et bibent sitientes diuitias eius.*) Sæpe stultus habet interni liquoris fontem, sed non bibit: quia ingenium quidem intelligentiæ accipit, sed tamen veritatis sententias cognoscere legendo contemnit, scit quia

Psalm.11. — Genes.4. — Psalm.72. — Prouer.3. — Matt.19. — Esaiæ.3. — Prouer.31. — Matt.5. — Matt.23.

intelligere ſtudendo præualeat, ſed ab omni doctrinæ ſtudio faſtidioſus ceſſat. Diuitiæ quoque mentis, ſunt verba ſacræ locutionis: ſed has diuitias ſtultus oculis aſpicit, & in ornamenti ſui vſum minimè aſſumit, quia verba legis audiens, magna quidem eſſe conſiderat: ſed ad comprehendēda hæc nullo ſtudio amoris elaborat. At contrà alius ſitim habet, ingenium non habet: amor ergo hunc ad meditandum pertrahit, ſenſus hebetudo contradicit, & ſæpe hoc in diuinæ legis eruditione quandoque ſtudendo intelligit, quod per negligentiam ingenioſus neſcit. Huius ergo ſtulti diuitias ſitientes bibunt, dum præcepta Dei quæ ingenioſi faſtidientes neſciunt, hebetes amantes aſſequuntur. In his nimirum tenebras hebetudinis illuſtrat oculus amoris: nam hoc tardioribus ſitis aperit, quod velocioribus faſtidium claudit. Qui & idcirco ad intelligentiæ alta peruenīunt, quia agere quæ intellexerunt, vel minima nulla conténunt, & dum ſenſum manibus adiuuant, ſeſe vltra altitudinem ingenioſorum leuant.

Prouer. 30. Vnde bene per Salomonem dicitur: Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis. Plerūque enim aues quas ad volatum penna ſubleuat, in vepribus reſident: & ſtellio, qui ad volatum pennas non habet, nitens manibus, regis ædificium tenet: quia nimirum ſæpe ingenioſi quique dum negligentia torpent, in prauis actionibus remanent, & ſimplices quos ingenij penna non adiuuat, ad obtinenda æterni regni mœnia virtus operationis leuat. Stellio ergo dum manibus nititur, in regis ædibus moratur: quia illò ſimplex per intentionem recti operis peruenit, quò ingenioſus minimè aſcendit. Sed his auditis, quæſtio noſtro cordi ſuboritur: cur vel negligenti intelligentię donum tribuatur, vel ſtudioſus quiſque ſenſus ſui tarditate præpediatur? Ad quam citius reſpōdetur, dū protinus ſubditur: *Nihil in terra ſine cauſa fit.*) Idcirco enim ſæpe & deſidioſus ingenium accipit, vt de negligentia iuſtius puniatur: quia quod ſine labore aſſequi potuit, ſcire contemnit. Et idcirco nonnunquam ſtudioſius tarditate intelligentiæ premitur, vt eò maiora præmia retributionis inueniat, quò magis in ſtudio inuentionis elaborat. Nihil ergo in terra eſt ſine cauſa, quando & ſtudioſo tarditas ad præmiū

5. proficit, & deſidioſo velocitas ad ſupplicium creſcit. Ad intelligenda autem quæ recta ſunt, aliquando laboris ſtudio, aliquando verò dolore percuſsionis erudimur. Vnde cùm dictum ſit: Nihil in terra ſine cauſa fit, aptè protinus additur:

Quòd non ex elementis huius mūdi, ſed ex nobis eſt cauſa per quam moriò flagellamur. Caput VI.

Et de humo non egredietur dolor.) Dolor nanque quaſi de humo egreditur, cùm homo ad Dei imaginem conditus, de rebus inſenſibilibus flagellatur. Sed quia per occulta merita mentium, aperta prodeunt flagella pœnarum, de humo dolor non egreditur, quoniam ſenſus noſtri malitia exigit, vt à rebus inſenſibilibus feriatur. Ecce enim cernimus quòd ad correptionem noſtram, expectatus imber arente terra ſuſpenditur, & caliginoſus aër in ardeſcente ſole ſiccatur, mare procellis tumeſcentibus ſæuit, & alios ad tranſmeandum ſuſceptos intercipit, aliis deſideratum iter erecta in cumulum vnda interdicit, terra non ſolum germina fœcunditatis imminuit, ſed etiam ſemina accepta conſumit. In quibus nimirum cunctis patenter aſpicitur hoc, quod quidam

Sapien 5. ſapiens de Domino teſtatur, dicēs: Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos. Orbis quippe terrarum cum Domino contra inſenſatos pugnat, quando in pœna delinquentium, & elementorum aduerſitas militat. Sed tamen de humo dolor non egreditur: quia res quælibet inſenſibilis ad afflictionem noſtram, ſtimulo noſtræ actionis excitatur. De humo dolor non egreditur: quia nequaquam pœna de ea naſcitur creatura, quæ percutit: ſed de ea produldubio quę peccādo vim percuſsionis extorſit. Sed curādū magnopere eſt, vt cùm in rebus exterioribus pondere doloris afficimur, ſpe ſuperna tendamus, quatenus eò mens ad alta perueniat: quò nos exterior pœna caſtigat. Vnde & aptè ſubiungitur:

Quòd amatores huius mundi, & in hoc ſeculo, & in futuro, laboribus deputati ſunt: ſerui verò Dei hinc mente anolantes, ſub ſe habent omnia, quæ contemnunt. Caput VII.

E *Homo ad laborem naſcitur, & auis ad volatum.*) Ad laborem quippe naſcitur homo, quia nimirum is qui accepta eſt præditus ratione, conſiderat, quod valde ſibi ſit impoſsibile, vt hæc peregrinationis ſuæ tempora ſine gemitu euadat. Vnde bene Paulus cùm tribulationes ſuas diſcipulis enumeraret, adiunxit: Ipſe enim ſcitis, quòd in hoc poſiti ſumus. Sed in eo quòd caro flagellis afficitur, mens ad appetenda altiora ſubleuatur: Paulo rurſus atteſtante, qui ait: Et licet is qui foris eſt noſter homo corrumpatur, tamen is qui intus eſt, renouatur de die in diem. Homo ergo ad laborem naſcitur, & auis ad volatum: quia inde mens ad ſumma euolat, vnde caro in infimis durius laborat. Poteſt quoque appellatione hominis, carnalium vita ſignari. Vnde & Paulus ait: Cùm enim ſit inter vos zelus & contentio, nónne carnales eſtis? Quibus paulò pòſt ſubiecit dicens: Nónne homines eſtis? In hac itaque vita homo ad laborem naſcitur: quia carnalis quiſque cùm tranſeuntia appetit, deſideriorum ſuorum ſe pondere affligit. Grauis quippe labor eſt, hanc ipſam præſentis

F vitæ glóriam quærere, quæſitam quandoque percipere, & perceptam cum omni circunſpectione cuſtodire. Grauis labor eſt, hoc cum magna fatigatione apprehendere, quod is qui apprehendit, nouerit diu ſtare non poſſe. Sancti autem viri, quia tranſeuntia non amant, non ſolum nulla temporalium deſideriorum pondera tolerāt, ſed & ſi qua aduerſa cōſurgunt, in ipſis ſuis preſſuris, & languoribus non laborant. Quid enim flagellis durius? & tamen de flagellatis Apoſtolis ſcriptum eſt: Ibant apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij: quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Quid ergo eorum mentibus labor eſt, quibus & pœna verberum labor non eſt? Homo ergo ad laborem naſcitur: quia ille huius mundi veraciter mala ſentit, qui eius bona inhianter appetit. Nam cuius mens ad alta ſuſpenditur, ſub ipſa eſt, quicquid exterius contra ipſam mouetur: *Bene itaque ſubditur: Et auis ad volatum.*) Quia tantò animus à laboris afflictione ſe ſubtrahit, quantò per ſpem ad ſumma ſuſtollit. An

G non quaſi auis, Paulus ad volatū natus fuerat, qui tot aduerſa ſuſtinens dicebat? Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt. Et rurſum: Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, æternam in cœlis. Velut auis ergo ima trāſcenderat, quē adhuc corpore in terra demorātē, iā iam in ſublimibus ſpei pēna ſubleuabat. Sed quia nullus ſuis viribus valet ſeſe in alta ſuſtollere: vt cùm à viſibilibus affligitur, in inuiſibilia ſubleuetur, rectè mox ſubditur: *Quamobrem ego deprecabor Dominum, & ad Deum ponam eloquium meum.*) Ac ſi apertè diceret: Illum rogo, per quem hæc tribui ſcio. Si enim hoc per ſe habere ſe crederet, deprecari Dominum non indigeret. Sequitur: *Qui facit magna & inſcrutabilia & mirabilia abſque numero.*) Quis omnipotentis Dei mirabilia perſcrutari ſufficiat, quòd cuncta ex nihilo creauit, quòd ipſa mundi fabrica mira potentiæ virtute diſpoſita ſit, & ſuper aëra cœlum ſuſpenditur, & ſuper abyſſum terra libratur, quòd ex rebus inuiſibilibus ac viſibilibus omnis hæc vniuerſitas

H exiſtit, quòd hominem fecerit, vt ita dixerim, in breui colligens mundum alterum, ſed rationalem: quòd hūc ex anima & carne conſtituens, inueſtigabili virtutis diſpoſitione permiſcuit ſpiritum & lutum? Ex his itaque aliud nouimus, aliud & ſumus: ſed tamen mirari negligimus, quia ea quæ incōprehenſibili indagatione mira ſunt, humanis oculis vſu viluerunt. Vnde fit vt ſi mortuus homo ſuſcitetur, in admirationē omnes exiliant, & quotidie homo qui non erat, naſcitur, & nemo miratur: cùm proculdubio omnibus conſtet, quia plus ſit creari quod non erat, quàm reparari quod erat. Quia árida Aaron virga floruit, cuncti mirati ſunt, & quotidie ex arente terra arbor producitur, virtúſque pulueris in lignum vertitur, & nemo miratur. Quia quinque panib' quinque millia hominum ſaturati ſunt, creuiſſe eſcas ſub dentibus cuncti mirati ſunt: quotidie ſparſa grana ſeminum, plenitudine multiplicantur ſpicarum, & nemo miratur. Aquam ſemel in vinum permutatam videntes cuncti mirati ſunt: quotidie humor terræ in radicem vitis attractus, per botrum in vinum vertitur, & nemo miratur. Mira itaque ſunt omnia quę mirari homines negligūt: qui ad cōſiderandum, vt prædiximus, vſu

torpeſcunt.

torpeſcunt. Bene autem cùm diceret: *Qui facis magna,*) adiunxit ſtatim: *Et inſcrutabilia.*) Minus enim fuerat magna facere, ſi tamen ea quę facta ſunt perſcrutari potuiſſent. Rectè autem ſubditur:

Quòd diuina miracula conſiderari quidem debent per ſtudium, nec tamen diſcuti per intellectum. Caput VIII.

Miracula diuina conſideranda ſunt. Miracula diuina non diſcutienda ſunt.

Et mirabilia abſque numero.) quia minoris eſſet magnitudinis, ſi qui inſcrutabilia condidit, pauca feciſſet. Sed inter hæc ſciendum eſt, quia diuina miracula, & ſemper debent cōſiderari per ſtudium, & nunquam diſcuti per intellectum. Sæpe nanque humanus ſenſus, dum quarundam rerum rationem quærens non inuenit, in dubitationis ſe voraginem mergit. Vnde fit vt nonnulli homines mortuorum corpora in puluerem redacta conſiderent, dumque reſurrectionis vim colligere ex ratione non poſſunt, hæc ad ſtatum priſtinum redire poſſe deſperant. Mira igitur quæ ex fide credenda ſunt, perſcrutanda per rationem non ſunt, quia ſi hæc noſtris oculis ratio expanderet, mira nō eſſent. Sed cùm in his fortaſſe animus titubat, neceſſe eſt vt ea quæ per vſum nouit, nec tamen per rationem colligit ad memoriam reducat, quatenus rei ſimilis argumēto fidem roboret, quam labefactari ſua ſagacitate deprehendit: Conſiderato quippe humanæ carnis puluere, quorundam mens concuſſa deſperat, quādo puluis ad carnem redeat, & rediuiuum corpus per membrorum lineamenta componat: quando illa terræ ariditas per viuentia membra viridescat, ac ſe per eorum ſpecies formáſque diſtinguat. Hoc nimirum per rationem comprehendi non poteſt: ſed tamen credi per exemplum facilè poteſt. Quis enim ab vno grano ſeminis, immenſam ſurgere arborem crederet, niſi certum hoc per experimentum teneret? In tanta nanque vnius grani parvitate, † & penè nulla ſui diſſimilitudine vbi latet ligni duritia, & ligno tenerior medulla, aſperitas corticis, viriditas radicis, ſapor fructuum, ſuauitas odorū, diuerſitas colorum, mollities foliorum: & tamen quia hoc per experimētum nouimus, ex vno grano ſeminis prodire omnia non dubitamus. Quid ergo eſt difficile, vt puluis in membra redeat, dum conditoris potentiam quotidie cernimus, qui & ex grano ligna mirabiliter, & adhuc mirabilius fructus ex lignis creat? Dicat ergo: Qui facit magna & inſcrutabilia, & mirabilia abſque numero: quia diuinorum operum magnitudo, nec ex qualitate valet diſcuti, nec ex quantitate numerari. Vnde & adhuc ſubditur: Qui dat pluuiam ſuper faciem terræ, & irrigat aquis vniuerſa.

Resurrectio corporū per rationem comprehendi non poteſt, ſed per exemplum. † *al. penè nullam videſ ſimilitudinem.*

Qui ponit humiles in ſublimi, & mœrentes erigit ſoſpitate.) Quia amicos beati Iob eruditos eius ſocietate credimus, neceſſe eſt vt hæc Eliphas verba myſticè diſſeramus. Omnipotens enim Deus terræ pluuiam tribuit, cùm arentia corda gentilium, ſuperna gratia prædicationis infundit. Et aquis vniuerſa irrigat, quia ſterilitatem perditi hominis repletione ſpiritus ad

7. fructificationem format, ſicut per ſemetipſam veritas dicit: Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, nō ſitiet in æternum.

Ioan. 4. Vniuerſitatis autem nomine homo ſignatur, quia in ipſo & vera ſpecies, & magna communio vniuerſitatis oſtenditur.

Diuiſio creaturarum.

Omne nanque quod eſt, aut eſt & non viuit, aut eſt & viuit, ſed nequaquam ſentit: aut eſt, & viuit, & ſentit, ſed non intelligit nec diſcernit: aut eſt, viuit, & ſentit, & intelligit & diſcernit. Sunt nanque lapides, nec tamen viuunt. Sunt arbuſta, viuunt quidem, nec tamen ſentiunt. Herbarum quoque atque

1. Cor. 15. arborum vita viriditas vocatur, ſicut per Paulum de ſeminibus dicitur: Inſipiens tu, quod ſeminas non viuificatur, niſi prius moriatur. Sunt bruta animalia, viuunt & ſentiunt, nec tamen intelligunt, aut diſcernunt: Sunt angeli, & viuunt & ſentūt, & intelligendo diſcernunt. Homo itaque quia habet [commune] eſſe cum lapidibus, viuere cum arboribus, ſentire cum animalibus, diſcernere cum angelis, rectè nomine vniuerſitatis exprimitur, in quo iuxta aliquid ipſa vniuerſitas tenetur. Vnde & diſcipulis veritas dicit: Euntes in mundum

Mar. 16. vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Omnem videlicet creaturam ſolum intelligi hominem voluit, cui cōmune aliquid cum omnibus creauit: quanuis hoc loco vniuerſa intelligi & aliter poſſunt. Sancti enim ſpiritus graria cùm ſibi diuites ſubiicit, pauperes nō repellit: cùm fortes humiliat, venire ad ſe debiles non recuſat: cùm nobiles colligit, ſimul & ignobiles apprehendit: cùm ſapientes ſuſcipit, imperitorum ſtultitiam non contemnit. Vniuerſa ergo Deus aquis irrigat, qui dono ſancti ſpiritus, ex omni genere hominum ad ſuam cognitionem vocat.

Quòd iuxta morum diuerſitatem, vim ſui ſermonis format Deus in ſingulis. Caput IX.

POſſunt autem vniuerſorum nomine, ipſæ morum diſſimilitudines deſignari. Alius nanque elatione erigitur, alius pondere timoris inclinatur, alius libidine æſtuat, alius auaritia anhelat, alius remiſsione ſe deiicit, alius ira feruеſcit. Sed per doctrinam ſacri eloquij, dum ſuperbo humilitas tribuitur, timido confidentia præbetur, luxurioſus per caſtitatis ſtudium ab immunditia tergitur, auarus per continentiam ab ambitionis æſtu temperatur, remiſſus zeli rectitudine erigitur, iracundus à præcipitationis ſuæ excitatione refrenatur, vniuerſa deus aquis irrigat: quia vim ſui ſermonis in ſingulis iuxta morū diuerſitatē format, vt hoc in eius eloquio quiſq; inueniat, per quod virtutis neceſſariæ germen ferat. Vnde per quendam ſapientem de mannæ dulcedine dicitur: Paratum panem Sapien. 16. de cœlo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, atque omnis ſaporis ſuauitatem. Manna quippe omne delectamentum atque omnis ſaporis ſuauitatem in ſe habuit, quod videlicet in ore ſpiritalium iuxta voluntatem edentium ſaporem dedit: quia diuinus ſermo & omnibus cōgruens, & à ſemetipſo non diſcrepans, qualitati audientium condeſcendit, quem dum electus quiſque vtiliter, iuxta modum ſuum intelligit, quaſi acceptum manna in voluntarium ſaporem vertit. Et quia laborem boni operis gloria ſequitur retributionis, poſt aquarum irrigationem rectè ſubiungitur:

Quòd hi qui pro amore Dei modo ſe contemnunt, ſublimes cum Deo iudices venient. Caput X.

Vi ponit humiles in ſublimi, & mœrentes erigit ſoſpitate.) 8.

In ſublimi humiles ponuntur: quia hi qui nunc pro Dei amore deſpecti ſunt, tunc cum Deo iudices veniunt, ſicut hoc quod paulò antè diximus eiſdem humilibus veritas pollicetur, dicens: Vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cùm ſe- Matt. 19. derit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper duodecim ſedes, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Tunc mœrentes Dominus ſoſpitate erigit, quia hi qui eius deſideriis accenſi, proſpera fugiunt, aduerſa patiuntur, cruciatus perſequentium tolerant, ſéque ipſos per lamenta caſtigāt, tantò ſublimiorem tunc ſoſpitatem recipiunt, quantò nunc cunctis mundi gaudiis deuotè moriuntur. Hinc etenim per Salomonem dicitur: Cor quod nouit amaritudinem animæ Prouer. 14. ſuæ, in gaudio eius non miſcebitur extraneus. Humana etenim mens animæ ſuæ amaritudinem ſcit, cùm æternæ patriæ deſideriis accenſa, peregrinationis ſuę pœnam flendo cognoſcit: ſed in eius gaudio extraneus non miſcebitur, quia qui nunc à mœrore compunctionis alienus eſt, tunc particeps ad lætitiam conſolationis non eſt. Hinc eſt quod in Euangelio

D veritas dicit: Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebi- Ioan. 16. tis vos, mūdus autem gaudebit, vos autē contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Et rurſum: Vos igitur nūc Ibidem. quidem triſtitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo auferet à vobis. Soſpitate ergo Dominus mœrentes erigere dicitur, quia pro ſe afflictos temporaliter, vera ſalute cōſolatur. Quod tamen de electis Dei etiam in hac vita nil obſtat intelligi. In ſublimi quippe humiles ponuntur, quia cùm ſe ex humilitate ſubſternunt altæ mentis iudicio cuncta temporalia tranſeunt: cúmque ſe indignos in omnibus æſtimant, rectæ cogitationis examine huius mūdi gloriā tranſcēdentes calcant. Videamus humilem Paulū cùm diſcipulis dicit: Non enim noſmetipſos 1. Cor. 1. prędicamus, ſed Ieſum Chriſtum dominū noſtrum, nos autē ſeruos veſtros per Chriſtum. Videamus hunc humilem in ſublimi iam poſitum dicentem: An neſcitis quia angelos iudicabimus? & rurſum: Conreſuſcitauit & conſedere nos fecit in 1. Cor. 6. cœleſtibus. Fortaſſe hunc exterius tunc catena religabat, mē- Ephe. 2. tē tamē in ſublimibus poſitus fuerat, quia iam per ſpei ſuę certitudinem in cœleſtibus ſedebat. Sancti itaque viri foris de-

ſpecti ſunt, & velut indigni omnia tolerant, ſed dignos ſe ſupernis ſedibus confidentes, æternitatis gloriam cum certitudine expectant: cúmque laborant foris aduerſitate perſecutionis, ad munitam recurrunt intrinſecus arcem mentis, & inde cuncta ſub ſe ire deſpiciũt, inter quæ tranſire corporaliter etiam ſemetipſos cernunt, minas non metuunt, quia & tor-
Prouer.28. menta patiendo contemnunt. Hinc enim per Salomonem dicitur: Iuſtus quaſi leo confidens abſque terrore erit. Hinc ab
Prouerb.12. eo ſcriptum eſt iterum: Non contriſtabit iuſtum, quicquid ei acciderit. Quia enim recti quique in alto intentionis ſuæ vertice ſiti ſunt, dum mortem moriendo non ſentiunt, miro modo eos reproborum iacula & feriunt, & non contingunt. In ſublimi ergo humiles ſunt poſiti: quia vnde ſe in omnibus deſpiciunt, inde contra omnia ſecuriores fiunt.

Quid ſit quod ſcriptum eſt in Eſaia: Deſcende, ſede in puluere virgo filia Babylonis. Caput XI.

9 QVò contra rectè ſub Babylonis ſpecie per Prophetam
Eſaiæ.47. menti reprobæ dicitur: Deſcende, ſede in puluere virgo filia Babylonis, ſede in terra, non eſt ſolium filiæ Chaldæorum. Hoc enim loco humana mens virgo non incorrupta (vt arbitror) dicitur, ſed inſœcunda. Et quia Babylon confuſio interpretatur, rectè inſœcunda mens Babylonis filia vocatur, quæ in eo quod nequaquam bona opera germinat, dum nullo ordine rectæ vitæ componitur, quaſi confuſione matre generatur. Sin, autem virgo nõ inſœcunda dicitur, ſed incorrupta, poſtquam ſtatum ſalutis perdidit, ad confuſionis ſuæ cumulum appellatur quod fuit. Cui aptè per increpationem dicitur diuina voce: Deſcende in alto quippe humanus animus ſtat, quando ſupernis retributionibus inhiat: ſed ab hoc ſtatu deſcendit, cùm turpiter victus, ſeſe defluentibus mundi deſideriis ſubiicit. Cui bene mox additur: Sède in puluere. Deſcendens enim in puluere reſidet, quia cœleſtia deſerens, terrenis cogitationibus aſperſus, in infinis vileſcit. Vbi adhuc ingeminando ſubiungitur: Sede in terra. Ac ſi apertè exprobrans dicat: Quia cœleſti conuerſatione noluiſti te erigere, ſub temetipſo proſtratus in terrenis actibus humiliare. Vnde & neceſſariò protinus additur: Non eſt ſolium filiæ Chaldæorum. Chaldęi nanque feroces interpretãtur. Valde autem feroces ſunt, qui voluntates proprias ſequentes, nec ſuis parcere mortibus ſciunt. Ferocia ſunt terrena deſideria quæ non ſolum contra præcepta conditoris, ſed ſæpe etiam contra percuſſionum verbera, duram atq; inſenſibilem mentem reddunt. Sed filia ferocium ſolium non habet, quia mens quæ ad amorem mundi ex prauis deſideriis naſcitur, atq; eiſdem deſideriis obduratur, in eo quòd ſe terrenis concupiſcentiis ſubiicit, ſedem iudicij amittit: nullíque apud ſe ſolio præſidet, quia examine diſcretionis caret, & quaſi à iudicij ſui ſeſſione repellitur, quia per exteriores concupiſcentias vagatur. Liquet enim quòd mens quæ intus conſilij ſedem perdiderit, foras ſe per deſideria innumerabiliter ſpargit. Et quia agere intellecta diſſimulat, cæcatur rectè, vt etiã neſciat quod agat: & ſæpe iuſto iudicio in ſua voluntate relinquitur, & ſub ea quæ anxiè appetit, laborioſa mundi miniſteria relaxatur.

10 Vnde aptè illic ſubditur: Quia vltrà non vocaberis mollis & tenera, tolle molam, & mole farinam. Conſtat nimirum quòd teneræ ſuæ filiæ parentes parcunt, nec duris atque ſeruilibus hanc operibus affligunt. Omnipotens ergo Deus quaſi teneram filiam vocat, quando dilectam vniuſcuiuſque animam, à laborioſis huius mundi ſeruitiis reuocat, ne dum exterioribus actionibus afficitur, ab internis deſideriis obduretur. Sed Chaldæorum filia mollis & tẽnera non vocatur, quia mens prauis deſideriis dedita, in eo quod anxiè appetit, huius ſeculi labore relinquitur, vt foris mundo velut ancilla ſeruiat, quæ intus Deum vt filia nequaquam amat. Vnde & molam tollere, ac farinam molere iubetur. Mola in gyrum ducitur, & farina profertur. Vnaquæque autem mundi huius actio mola eſt, quæ dum multas curas congerit, humanas mentes quaſi per gyrum vertit: atque ex ſe quaſi farinam proiicit, quia ſeducto corde, ſemper minutiſſimas cogitationes gignit.

11 Nonnunquam verò qui quietus alicuius eſſe meriti creditur, poſitus in qualibet actione denudatur, vnde illic protinus
Eſaiæ.47. ſubinfertur: Denuda turpitudinem tuam, diſcooperi humerum, reuela crura, tranſi flumina. In adminiſtratione quippe operis turpitudo denudatur, dum vilis mens abiectaque in actionis oſtẽtatione cognoſcitur, quæ quieta prius magna putabatur. Humerum mens diſcooperit, quãdo opus ſuũ quod ignorabatur, oſtendit. Crura reuelat, quia quibus deſiderio rum paſſibus, lucris mundi inhiet, manifeſtat. Flumina etiam tranſit, quia actiones huius ſeculi quæ quotidie ad terminum defluunt, indeſinenter appetit, dúmque alia relinquit, alias aſſequitur, quaſi de flumine ſemper ad flumen tendit. Hæc paucis per exceſſum diximus, vt mens à ſolio ſanctæ intentionis excuſſa, quò iaceat monſtraremus, quia ſi ad ea quæ ſuper ipſam ſunt, inhiare ceſſauerit, ſub ſemetipſam etiam indeſinenter ruit. In alto autem figitur, ſi amorem temporalium deſerens, ad ſpem incommutabilis æternitatis ligatur. Bene ergo dicitur: *Qui ponit humiles in ſublimi.*) Atque aptè ſubiungitur: *Et mœrentes erigit ſoſpitate.*) Sæpe in hoc mundo etiam læti quilibet erecti ſunt, dum de ipſa gloria ſuæ proſperitatis intumeſcunt. Sed mœrentes Dominus ſoſpitate erigit: quia afflictos ſuos ad gloriam veræ lætitiæ ſoliditate ſuſtollit. Soſpitate quippe, non inſania erecti ſunt, qui in bonis actibus poſiti, ſpe in Deum firma gratulantur. Nonnulli enim (ſicut diximus) & iniquitates perpetrant, & gaudere non ceſſant, de quibus per Salomonem dicitur: Qui lætantur cùm male-
Prouer.2. fecerint, & exultant in rebus peſſimis. Et rurſum: ſunt impij
Eccleſiaſtes.8. qui ita ſunt ſecuri, ac ſi iuſtorum facta habeant. Hi nimirum non ſoſpitate eriguntur, ſed inſania: quia ſuperbiunt cùm affligi debuerunt, & inde miſeri in exultatione defluunt, vnde à bonis flentur, phreneticorum videlicet ſenſibus ſimiles, qui inſaniam, qua prænatent, virtutem putant, qui ex morbo eſſe neſciunt, hoc quod amplius ſanit poſſunt: & quaſi creuiſſe ſe viribus æſtimant, dum ad vitæ terminum per augmenta languoris appropinquãt: qui quia rationis ſenſum non habẽt, flentur, & rident, & tantò ſe in magna exultatione dilatant, quantò & inſenſibiles malum quod patiuntur, ignorant. Soſpitate ergo Dominus mœrentes erigit: quia electorum mens non de præſentis vitæ inſania, ſed de certitudine æternæ ſalutis hilareſcit. Vnde aptè mox de hac ipſa prauorum deſtructione ſubiungitur: *Qui diſſipat cogitationes malignorum, ne poſſint implere manus eorum quod cœperant.*) Reproborum mentes peruerſis cogitationibus ſemper inuigilant, ſed plerunque eis ſuperna diſpoſitio obuiat: & quanuis prauitatem conſilij nec fracti aduerſitatibus corrigant, tamen ne contra bonos præualeant, eorum vires reſtenat. Quos contra miro iudicio agitur, vt effectu quidem prauí operis careant, & tamen iuſtæ ſententiæ iudicis reos conſcientia addicat. Quòd ergo mala cogitant, quid ipſi faciant oſtendunt: quòd verò mala implere nequeunt, hi contra quos cogitauerant, defenduntur. Vnde & adhuc bene ſubditur:

Quòd humana conſilia in eo quòd Dei conſilio nituntur reſiſtere, obſequuntur: vt de fratribus Ioſeph legitur, & de Saul, & de Iona, & de Iudæis Chriſti nomen extinguere volentibus. Caput XII.

Qui comprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & conſilia prauorum
H diſſipat.) Sæpe enim nonnulli humana ſapientia inflati, dum deſiderijs ſuis diuina iudicia contraire conſpiciunt, aſtutis eis reluctari machinationibus conãtur: & quò ad votum ſuum vim ſuperne diſpoſitionis intorqueant, callidis cogitationibus inſiſtunt, ſubtiliora conſilia exquirunt, ſed inde voluntatem Dei peragunt, vnde hanc immutare cõtendunt, atque omnipotentis Dei conſilio dum reſiſtere nituntur, obſequuntur, quia ſæpe & hoc eius diſpoſitioni aptè militat, quod ei per humanum ſtudium friuolè reſultat. Sapientes ergo Dominus in ipſa eorum aſtutia comprehendit, quando eius conſiliis humana facta etiam tunc congruè ſeruiunt, cùm reſiſtunt. Quod melius oſtendimus, ſi pauca ad medium geſtarum rerum exempla proferamus. Ioſeph ſomnium viderat, quòd ſuo manipulo fratrum eius ſe manipuli proſternebant: ſomnium viderat quòd Sol & Luna ſe cum reliquis ſtellis adorabant. Quæ quia purè fratribus retulit, eorum corda protinus futuræ dominationis inuidia, pauórque percuſsit. Cúmque hunc ad ſe venire conſpicerent, malitia fæuiente dixerunt: Ecce ſomniator venit ille, venite, occidamus eum, Gene.37.
& videamus quid illi proderint ſomnia ſua. Cúmque ſe eius dominio

ſubiici metuunt, ſomniatorem in puteum deponunt, cúmque Hiſmaëlitis tranſeuntibus vendũt: qui in Aegyptum ductus, ſeruituti ſubditus, luxuriæ accuſatione damnatus, caſtitatis merito adiutus, prophetiæ iudicio ereptus, omni Aegypto prælatus eſt: per ſupernam verò ſapientiam prouidus frumenta congeſsit, & futuro periculo neceſsitatis obuiauit. Cúmque in orbem fames irruit, de alimentorum præparatione ſollicitus Iacob, filios ſuos in Aegyptum miſit: qui frumentorum diſpenſationi præpoſitum Ioſeph neſcientes inueniunt, atque vt mererentur alimenta percipere, eorum diſpenſatorem compulſi ſunt pronis in terram ceruicibus adorare. Penſemus ergo geſtæ rei ordinem, penſemus quomodo ſapientes in ipſa ſua aſtutia vis diuina comprehendat. Ideo ab eis venditus fuerat Ioſeph, ne adoraretur, ſed ideo eſt adoratus, quia venditus. Aſtutè nanque aliquid agere auſi ſunt, vt Dei conſilium mutaretur, ſed diuino iudicio, quod declinare conati ſunt, renitendo ſeruierunt. Inde quippe coacti ſunt Dei voluntatem peragere, vnde hanc moliti ſunt aſtutè commutare. Sic ſic diuinum conſilium dum deuitatur, impletur: ſic humana dũ reluctatur, comprehẽditur. Timuerunt fratres ne Ioſeph ſuper eos excreſceret, ſed hoc ꝓ diuinitus diſpoſitum fuerat, cauendo factum eſt vt eueniret. Humana ergo ſapientia in ſeipſa comprehenſa eſt, quæ voluntati Dei vnde
13. per intentionem reſtitit, inde eius impletioni militauit. Sic
Exemp'um de Saul. Saul dum Dauid ſubiectum quotidiano ſuccreſcere virtutũ ſucceſſu conſpiceret, ſuam ei in coniugium filiam ſpopondit, atque in eius dotem, centum dari ab eo Philiſtinorum præputia petiit, vt cùm prouocatus miles vltra ſe excreſcere quæreret, inimicorum gladiis traditus vitam fineret, ſicut ſcriptũ
1.Reg.18. eſt: Non habet rex neceſſe ſponſalia, niſi tantum centum præputia Philiſtinorum, vt fiat vltio de inimicis regis. Porrò Saul cogitabat tradere Dauid in manus Philiſtinorum, ſed Dauid diſpoſitionis intimæ fauore roboratus, centum ſe dare perhibuit, & ducenta præputia reportauit. Cuius nimirum operis Saul argumento ſuperatus, ſuperna prouidentia in ſapientiæ ſuæ eſt conſilio deprehenſus: quia vnde ſuccreſcentis militis vitam ſe extinguere credidit, virtutis eius gloriam inde cumulauit. Sed quia nonnunquam aſtutè ſe aliquid ſapere etiam electi moliuntur, libet ad medium alium ſapientem deducere, & quomodo in internis conſiliis aſtutia mortalium comprehendatur, demõſtrare. Prudenter quippe Ionas ſapere voluit, cùm ad prædicandam Niniuitarum pœnitentiam miſſus,
Exemplum de Iona. quia electis gentibus Iudæam deſerere timuit, prædicationis
Ionæ.1. officium implere recuſauit. Nauim petiit, fugere Tharſis elegit, ſed protinus tempeſtas exoritur, ſors mittitur, vt videlicet cognoſcatur cuius culpa mare turbetur. Ionas in culpa deprehenditur, in profundum mergitur, ceto ſorbente repentè deuoratur, atque illuc geſtante belua peruenit, quò ire ſponte cõtempſit. Ecce fugitiuum Dei tempeſtas inuenit, ſors ligat, mare ſuſcipit, belua includit, & † quia auctori ſuo obedire renititur, ad locum quo miſſus fuerat, ſuo reus carcere portatur. Iubente Deo miniſtrare homo prophetiam noluit, adſpirante Deo belua prophetam vomuit. Comprehendit ergo Do-
† al. & qui auctoris voci obedire. minus ſapientes in aſtutia eorum, quando & hoc in vſum ſuæ
Quomodo Dominus cõprehẽdit ſapientes in aſtutia. voluntatis redigit, per quod ſibi voluntas humana contradicit. Perſcrutemur adhuc Hebræorum ſapientiam, vt videamus quid prouidendo prohibuit, aut quid prohibendo prouocauit. Certè cùm ad redemptoris noſtri miracula credentium turba conflueret, cùm ſacerdotes populi, inuidiæ facibus accenſi, mundum poſt eum ire cernerent, vt proclamarent dicentes: Videtis quia nihil proficimus, ecce mũdus totus poſt eum abiit: vt ab illo vim tantæ concurſionis abſcinderent, finire eius potentiam morte conati ſunt, dicentes: Expedit vt
Exemplum de Hebræis Ioan.12. vnus homo moriatur, & non tota gens pereat. Sed redemptoris mors ad coniunctionem ſui corporis, id eſt, Eccleſiæ valuit, non ad ſeparationem. Vnde & per legem turturi vel columbæ (in figura noſtri ſacrificij) ſecari guttur præcipitur, & non penitus abſcindi, vt & poſt mortem corpori caput inhæreat, quia videlicet mediator Dei & hominum, id eſt, caput omnium noſtrum, & veræ mundationis hoſtia, vnde pro nobis mortem pertulit, inde nobis veritas inhæſit. Poſt ſectionẽ
Ioan.11. ergo, caput turturis ſuo corpori inhæret, quia Chriſtum ab Eccleſia nec mors interueniẽs diuidit. Perſecutores igitur pe-

A regerunt hoc quod pernicioſè moliti ſunt, intulerunt mortem, vt ab eo abſcinderent fidelium deuotionem ſed inde fides creuit, vnde hãc ſe extinguere infidelium crudelitas credidit. Cúmque ſe æſtimant eius miracula perſequendo abſcindere, hæc nimirum compulſi ſunt neſciendo dilatare. Cõprehendit ergo Dominus ſapientes in aſtutia eorum, quando & hoc ad pietatis ſuæ obſequium redigit, quod contra illum humana crudelitas exarſit. Iuſtus nanque & miſericors mortalium acta diſponens, alia concedit propitius, alia permittit iratus, atque ea quæ permittit, ſic tolerat, vt hæc in ſui conſilij
14. vſum vertat. Vnde miro modo fit vt & quod ſine volun-
B tate Dei agitur, voluntati Dei contrarium non fit: quia dum in bonum vſum mala facta vertuntur, eius conſilio militant etiam, quæ eius conſilio repugnant. Hinc enim per Pſalmiſtã
Pſal.110. dicitur: Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius. Sic quippe eius opera magna ſunt, vt per omne quod ab hominibus agitur, eius voluntas exquiratur. Nam ſæpe inde
Pſal.134. perficitur, vnde repelli putabatur. Hinc rurſum dicitur: Om-
Prouer.21. nia quæcunq; voluit Dominus fecit in cœlo & in terra. Hinc Salomon ait: Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt cõſilium contra Dominum. Reſtat ergo vt in cunctis quæ agimus, vim ſupernæ voluntatis inquiramus, cui videlicet cognitæ, debet noſtra actio deuotè famulari, & quaſi ducem ſui itineris proſequi, ne ei etiam nolens ſeruiat, ſi hanc ſuperbiens declinat. Vitari enim vis ſuperni conſilij nequaquam poteſt, ſed magna ſibi virtute hanc temperat, qui ſe ſub eius nutibus refrenat, ciúſque ſe pondera leuigat; qui hanc ſubiecto cordis humero volens portat. Sed quia perſecutorum ſuperius memoriam fecimus, qualiter etiam ea quæ ſubiecta ſunt, eorum cæcitati congruunt, oſtendamus. Sequitur:

Quòd exemplo Loth, contra vim iuſti, accuſationis aditum non inuenient peccatores. Caput XIII.

PEr diem incurrent tenebras, & quaſi in nocte, ſic palpabunt in meridie.) Per diem tenebras incurrunt, quia in ipſa veritatis
C præſentia perfidiæ errore cæcati ſunt. Clarè quippe per diem cernitur, per noctem verò noſtra acies obſcuratur. Perſecutores igitur redemptoris noſtri, dum diuinæ virtutis miracula cernerent, & tamen de eius diuinitate dubitarent, in dic tenebras paſsi ſunt, quia viſum in luce perdiderunt. Hinc eſt quòd eos ipſa lux admonet dicens? Ambulate, dum lucem habetis,
Ioan.12. ne vos tenebræ comprehendant. Hinc eſt quod de Iudæa di-
Hier.15. citur: Occidit ci ſol, cùm adhuc eſſet dies. Hinc eſt quod vocem pœnitentium in ſe Propheta iterum ſumpſit, dicens: Im-
Eſa.59. pegimus meridie quaſi in tenebris, in caliginoſis quaſi mortui. Hinc iterum dicit: Cuſtos quid de nocte, cuſtos quid de
Eſa.21. nocte? Dixit cuſtos: Venit mane & nox. De nocte etenim cuſtos venit, quia humani generis protector, & manifeſtus in carne apparuit, & tamen hunc preſſa perfidiæ ſuę tenebris Iudæa minimè cognouit. Vbi bene ex voce cuſtodis additur: Venit mane & nox, quia per eius præſentiam & noua lux mũdo inclaruit, & tamen in corde infidelium vetuſta cæcitas remanſit. Bene autem dicitur: *Quaſi in nocte, ſic palpabunt in me-*
15. *ridie.*) Hoc quippe palpando exquirimus, quod oculis non
D videmus. Iudæi autem aperta eius miracula viderant, & adhuc eum quaſi palpantes quærebant, cùm dicerent: Quouſ-
Ioan.10. que animã noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palãm. Ecce miraculorum lux ante oculos aderat, & tamen in cordis ſui tenebras offendentes, adhuc requirendo palpabant. Quorum nimirum cæcitas ad crudelitatem, crudelitas etiam vſque ad aperta opera perſecutionis exarſit. Sed redemptor humani generis, perſecutorum ſuorum manibus diu teneri non potuit. Vnde & protinus ſubditur: *Porrò ſaluum faciet egenum de gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem.*) Ipſe
2.Cor.8. quippe iſte pauper eſt, de quo per Paulum dicitur: Propter nos egenus factus eſt, cum diues eſſet. Et quia Iudæi accuſando Dominum tradiderunt, quem traditum gentiles crucifixerunt, poteſt per oris gladium, accuſantium Iudæorum lingua ſignari, de quibus per Pſalmiſtam dicitur:
Pſal.56. Filij hominum, dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum machæra acuta: quia Euangelio etiam teſte clama-
Lucæ 23. uerunt: Crucifige, crucifige eum. Per violenti verò manum, ipſa crucifigens gentilitas exprimi poteſt, quæ in

redemptoris morte., Hebræoũ voces opere impleuit. Deus itaque hunc pauperem & de violenti manu & de oris gladio saluum fecit, quia videlicet Redemptor noster & vires gentilium, & linguas Hebræorum moriendo ex humanitate pertulit, sed ex diuinitatis suæ potentia resurgendo superauit: quia videlicet resurrectione quid aliud agitur, nisi vt ad spem vitæ subsequentis, infirmitas nostra roboretur? Vnde & bene mox subditur: *Et erit egeno spes.*) Erepto quippe pauperе, egenus ad spem reducitur, quia humilis fidelium populus redemptore moriente, pauore cõcutitur, sed resurgente solidatur. Ipsos nanque primos huius populi pauperes, electos videlicet prædicatores, visa eius mors perculit, resurrectio ostensa reparauit. Saluato ergo paupere, spem egenus recipit, quia resurgente in carne Domino fidelis quisque ad æternæ vitæ fiduciam conualescit. Sed ecce iam in manifesta ostensione veritas venit, iam carnis mortem pertulit, eámque resurgendo destruxit, iam resurrectionem gloria ascensionis honorauit: & tamen Hebræorum lingua adhuc eum contumeliis lassescere nõ desinit, quos nimirum æquanimiter tolerat, vt alios tolerando conuertat, atque alios minimè conuersos quandoque districtius feriat. Tunc enim lingua infidelium ab effrenatione vanæ suæ loquacitatis obmutescet, cùm venire eum iustum iudicem viderit, quem tunc iniustè iudicauit. Vnde & bene subditur: *Iniquitas autem cõtrahet os suum.*) Os enim suum nunc adhuc iniquitas dilatat, quia humani generis redemptorem, lingua infidelium contumeliis lacessere nequaquam cessat. Sed tunc os cõtrahit, cùm hoc quod non vult per studium, per supplicium claudit: quod tamen bene accipi etiam de cõuersis persecutoribus potest. Saluato enim paupere, dum egenus ad spem redit, contracto ore iniquitas obmutescit: quia resurrectionis eius clarescente miraculo, dum copiosa multitudo infidelium credidit, à redemptoris sui iniuriis contumeliisque cessauit. Os enim suũ quod Deum
16 deridendo aperuit, iam formidando contraxit. Libet hæc moraliter, postposita Iudæorum significatione transcurrere, atque à prauis generaliter quomodo agantur indagare. Iniquorum quippe hominum mentes cùm quædam à proximis bene gesta conspiciunt, in extẽso liuoris sui oculeo torquentur, & grauem malitiæ suæ pœnam sustinent, cùm bona in aliis tabescentes videant. Rectè itaque dicitur: *Per diem incurrunt tenebras.*) Quia mens eorum cùm de aliena melioratione affligitur, de radio lucis obscuratur: quia sæpe in proximis dum bona aperta considerant, si qua mala lateant inuestigant, & sollicitis inquisitionibus laborant, si quid fortè quod accusare possiat, inueniant. Sana quidem membra conspiciunt, sed clausis cordis oculis vulnus palpantes quærunt. Vnde & bene subditur: *Et quasi in nocte, sic palpabunt in meridie.*) Dies boni operis in proximo exterius lucet, sed quasi in nocte palpant, quia liuoris sui intus tenebras tolerant. Peruenire ad aliqua quæ reprehendant satagunt, detractionis aditum quærunt, sed quia hunc inuenire non valent, cæci exterius circumeunt. Quod bene exprimitur, cùm Loth protegentibus Angelis, in domo eius Sodomitæ ostium non
Gene.29. inuenerunt, sicut scriptum est: Vimque faciebant Loth vehementissimè, & iam proximum erat vt frangerent fores, & miserunt manum viri, & introduxerunt ad Loth, clauserúntque ostium, & eos qui erant foris, percusserunt cæcitate, à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent. Quid est quòd malis aduersantibus intra domum Loth reducitur & munitur, nisi quod iustus quisq; dum prauorum insidias sustinet, ad mentem reuertitur, & imperterritus manet? Sodomitæ autem viri in domo Loth ostium inuenire nequeunt, quia corruptores mentium, contra vitam iusti nullum accusationis aditum deprehendunt. Percussi enim cæcitate quasi domum circumeunt, quia inuidentes facta dictáque perscrutantur. Sed quia eis de vita iusti foris vndique ac laudabilis actio obuiat, errantes nihil aliud quàm parietem palpant. Bene ergo dicitur: *Quasi in nocte, sic in palpabunt meridie:* quia dum bonum quod vident, accusare nequeunt, cæcati malitia, malum quod non vident, ad accusationem quærunt. Vnde rectè subiungitur: *Porrò saluum faciet egenum de gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem.*) Pauper quippe
Matth.5. est, quisquis apud semetipsum elatus non est. Vnde & per

E Euangelium veritas dicit: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnũ cœlorum. Duobus autẽ modis ad culpam vnusquisq; pertrahitur, aut enim delectatione perducitur, aut terrore superatur. Gladius nanque oris est iniquitas persuasionis: manus autem violenti, est aduersitas potestatis. Sed quia veraciter humilis, qui hoc loco pauper vocatur, quò nulla huius mundi prospera appetit, eò audenter etiam aduersa contemnit, rectè dicitur: Saluum faciet egenum de gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem. Ac si apertè diceretur: Sic in se Deus mentes humilium solidat, vt eas ad perpetrandam nequitiam nec blandimẽta suasionum pertrahant, nec dolores suppliciorum frãgant. Spes quippe in æternitatem animum erigit, & idcirco nulla mala exterius quæ tolerat sentit. Vnde & subditur: *Et erit egeno spes.*) Ad cuius spei videlicet fructum cùm pauper peruenerit, omnis elatus obmutescit. Vnde & adhuc subditur: *Iniquitas autem contrahet os suum.*) Nunc enim malus bonis derogat, & recta quæ agere
F negligit, hæc in aliis obtrectãdo lacerare non cessat. Sed tunc iniquitas os suum contrahit, cùm iustis quanta suppetat gloria retributionis agnoscit. Tunc enim ei loqui contra bonos non vacat, quia malorum suorũ digna retributione, linguam tormenta ligant. Vnde bene Anna prophetante dicitur: Pe- 1. Regum.2.
des sanctorum suorum seruabit, & impij in tenebris conticescent. Sed vt electus quisque æterna supplicia euadat, & ad perennem gloriam pauper ascendat, debet hĉ assiduis flagellis atteri, quatenus in iudicio valeat purgatus inueniri. Ipso nanque infirmitatis nostræ pondere deorsum quotidie ducimur, nisi mira manu artificis per subuenientia flagella releuemur. Vnde & subditur: *Beatus homo qui corripitur à Domino.*) 17
Prima virtus est, ne perpetrari debeant, sed vitari peccata: secunda autem saltem perpetrata corrigere. Sed plærunque culpas non solum imminentes minimè vitamus, verumetiam nec commissas agnoscimus. Et peccatoris mens tantò altius tenebrescit, quantò nec damnum suæ cæcitatis intelligit. Vnde fit plerunque diuini muneris largitate, vt culpam pœna
G subsequatur, & flagella oculos delinquentis aperiant, quos inter vitia securitas cæcabat. Torpens quippe animus percussione tangitur, vt excitetur: quatenus qui statum suæ rectitudinis securus perdidit, afflictus consideret quò iacet. Hinc itaque ipsa asperitas correptionis, origo fit luminis. Vnde & Ephe.5.
per Paulum dicitur: Omne quod arguitur, à lumine manifestatur: argumentum enim salutis, est vis doloris. Hinc est Hebr.12.
enim quod Salomon ait: Curatio cessare faciet peccata maxima. Hinc iterum dicit: Quem enim Dominus diligit, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. Hinc voce Ecclc.30.
Angelica Dominus ad Ioannem loquitur, dicens: Ego quos amo, redarguo & castigo. Hinc Paulus ait: Omnis autem disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudij, sed mœ- Apoca.3.
roris, postea autem fructum pacatissimũ exercitatis per eam reddit iustitiæ. Quanuis ergo conuenire simul nequeant dolor & beatitudo, rectè tamen nunc dicitur: Beatus homo qui corripitur à Domino, quia per hoc quòd peccator dolore Heb.12.
correptionis premitur, quandoque ad beatitudinem, quæ sine interuentu doloris est, eruditur. Sequitur:

Quibus modis vulnerat Deus, quos ad salutem reducere curat.

Caput XIIII.

IN *crepationem ergo Domini ne reprobes.*) Quisquis pro culpa percutitur, sed in querela suæ percussionis eleuatur, increpationem Domini reprobat: quia hanc iniustè se perpeti accusat. Qui autem non pro purgatione criminis, sed & pro fortitudinis probatione feriuntur, cùm causas suæ percussionis inquirunt, nequaquam increpationem Domini reprobare dicendi sunt: quia in semetipsis castigando satagunt inuenire quod nesciunt. Vnde & beatus Iob ad libertatis verba, inter percussionis verbera, erumpens, tantò de se rectius iudicia ferientis interrogat, quantò in semetipso verius causas persecutionis ignorat. Eliphas itaque quia hunc percussum non probationis examine, sed purgationis æstimauit, dum liberè inter flagella loqueretur, reprobasse Dei increpationem credidit. Quem etiam aptè hæreticorum tenere speciem diximus, qui omne quod à sancta Ecclesia rectè agitur, apud iudicium suum semper ad vitium tortitudinis inflectunt. Quia verò bona intentione ad loquendum ducitur, sed non curat discernere

discernere cui loquatur, adhuc supernæ dispensationis mo-
18. deramina prædicando subiungit, dicens: *Quia ipse vulnerat, & medetur, percutit & manus eius sanabunt.*) Duobus modis omnipotens Deus vulnerat, quos reducere ad salutem curat. Aliquando enim carnem percutit, & mentis duritiam suo pauore tabefacit. Vulnerando ergo ad salutem reuocat, cùm electos suos affligit exterius, vt interius viuant. Vnde per Moy-
Deut.32. sen quoque loquitur dicens: Ego occidam, & ego viuere faciam, percutiam, & ego sanabo. Occidit enim vt viuificet, percutit vt sanet: quia idcirco foris verbera admouet, vt intus vulnera delictorum curet. Aliquando autem etiam si flagella
• exterius cessare videantur, intus vulnera infligit, quia mentis nostræ duritiam suo desiderio percutit, sed percutiendo sanat: quia terroris sui iaculo transfixos, ad sensum nos rectitudinis reuocat. Corda enim nostra malè sana sunt, cùm nullo Dei amore fauciantur, cùm peregrinationis suæ ærumnam non sentiunt, cùm erga infirmitatem proximi, nec quamlibet minimo affectu languescunt. Sed vulnerantur vt sanentur, quia amoris sui spiculis mentes Deus insensibiles percutit, móxque eas sensibiles per ardorem charitatis reddit. Vnde & sponsa in Canticis Canticorum dicit: Vulnerata charitate ego sum. Malè enim sana anima, atque in huius exilij statu cæca securitate prostrata, nec videbat Deum, nec videre requirebat: percussa autem charitatis eius spiculis, vulneratur in intimis affectu pietatis, ardet desiderio contemplationis, & miro modo viuificatur ex vulnere, quæ prius mortua iacebat in salute, æstuat, anhelat, & iam videre desiderat quem fugiebat. Percussione ergo ad salutem reducitur, quæ ad securitatem quietis intimæ, amoris sui perturbatione reuocatur. Sed cùm faucia mens anhelare in Deum cœperit, cùm cuncta mundi huius blandimenta despiciens, ad supernam se patriam per desiderium tendit, ad tentationem ei protinus vertitur, quicquid amicum prius in seculo blandúmque putabatur. Nam qui peccantem amare consueuerant, rectè viuentem crudeliter impugnant. Et erectus in Deum animus, carnis suæ bella tolerat: in qua prius vitiis seruiens, delectabiliter iacebat: C
voluptates priscæ ad memoriam redeunt, & contradicentem mentem graui certamine affligunt. Sed quia dum transitorio labore atterimur, à perpetuo dolore liberamur, aptè subiungitur:

Quòd in præsenti vita electos suos non permittit deus tentari, supra id quod possunt, donec huius vitæ septimana completa, nulla eos deinceps tentatio tangat.

Caput XV.

IN *sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum.*) Quid enim senario numero quem septimus sequitur, nisi præsentis vitæ operatio decursúsq; signatur? Sexto quippe die omnia perficiens, hominem condidit, & septimo die Deus requieuit, qui scilicet septimus vesperam non habet, quia subsequẽtem requiem nullus iam terminus claudit. Perfectis ergo omnibus, requies sequitur, quia post bona vitæ præsentis opera, retributio æternæ quietis inuenitur. In sex itaque nos tribulationibus Dominus liberat, ne nos in septima malum tangat: quia per paternæ pietatis eruditionem præ- D
sentis vitæ labore nos atterit, sed in aduentu iudicij à verbere abscondit, vt tantò tunc ad salutem certiores exhibeat, quantò nunc nos flagella durius secant. Qui aptè mox mala vitæ præsentis, & adiutoria supernæ protectionis enumerans
Fames carnis. subdit: *In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladij.*) Sicut fames carnis, est subtractum subsidium corporis, ita & fames
Fames mẽtis. mentis, est silentium diuinæ locutionis. Vnde rectè per Prophetam dicitur: Emittam famem in terram, non famem panis,
Amos.8. neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Domini. Et quia humanam mentem cùm diuina allocutio deserit, contra eam carnis tentatio inualescit, aptè subiungitur: *Et in bello de*
Psal.139. *manu gladij.*) Bellum quippe patimur, cùm carnis nostræ tentationibus impugnamur: de quo nimirum bello per Psalmistam dicitur: Obumbrasti super caput meum in die belli. Quia igitur reprobi dum fame verbi Dei deficiunt, etiam belli gladio transfiguntur, electos suos Dominus & in fame à morte eripit, & in bello à gladio abscondit: quia eorum mentes dum verbi sui pabulo reficit, contra tentationes corporis fortes reddit. Sed sunt nonnulli qui etsi ex diuino eloquio ab

A interna se fame reficiunt, si iam contra tentationes corporis, continentiæ virtute fulciuntur, adhuc tamen percuti humanis detractionibus metuunt, & sæpe dum linguarum iacula formidant, peccati se laqueo strangulant. Vnde & aptè subdi-
tur: *A flagello linguæ absconderis.*) Flagellum linguæ est ex- 19.
probatio illatæ contumeliæ. Flagello linguæ bonos feriunt, qui eorum opera irridendo persequuntur. Sæpe enim lingua Flagellum
à bono opere dum vituperat reuocat, & quasi flagellũ se exe- linguæ.
rit, quia dorsum timidæ mentis cædit. Hoc flagellum linguæ, † electorum mentibus insidiari Prophetа conspexerat, cùm † al. electæ
supernum adiutorium pollicens dicebat: Ipse liberabit me de menti.
laqueo venantium, & à verbo aspero. Venantes enim nihil a- Psal.90.
liud quàm carnem quærunt. Sed à veriantium laqueo, atque ab aspero verbo eripimur, quãdo & insidias carnaliũ, & irrisionum probra despiciendo superamus. Aspera quippe eorũ verba sunt, quę bonis nostris itinerib' aduersantur. Sed asperitatem veri euadere, est irrisiones detrahentium dissimulãdo calcare. Sancta ergo anima à flagello linguæ absconditur: quia dum in hoc mundo honorem laudis non quærit, nec cõtumelias detractionis sentit. Sed sunt nonnulli qui iam derogantium verba despiciunt, iam irrisiones pro nihilo attendũt, adhuc tamen pœnas corporis cruciatúsque pertimescunt. Antiquus nanque aduersarius, vt à recta intentione nos retra- Diabolus
hat, multiformiter impugnat, & tentationem nostram modò multipliciter nos im-
verbi fame, modò carnis certamine, modò flagello sermonis, pugnat.
modò calamitate persecutionis aggreditur. Sed quia perfectus quisque cùm in semetipso vitia vicerit, statim mentem etiam contra vulnera passionis accingit, aptè subiungitur: *Et non timebis calamitatem cùm venerit.*) Sancti enim viri quia contra multiformem aduersarium se pugnare considerant, semet-
ipsos in certamine multipliciter parant. Habent enim contra Remedia.
famem, diuini verbi pabulum: contra belli gladium, continentiæ scutum: contra flagellum linguæ, protectionem patientiæ: contra exterioris calamitatis damnum, interni amoris adiutorium. Vnde miro modo agitur, vt quo eos hostis callidus numerosius tentat, eo circunspecti Dei milites virtutibus ditiores fiant. Et quia electi quique dum præsentis vitæ certamina fortiter tolerant, in terrore sibi venturi iudicij securitatem parant, rectè subiungitur:

Quòd damnatis nulla humanitate compatientur electi, & sic solidi erunt, vt vltra nec timore, nec dolore vllo affici possint.

Caput. XVI.

IN *vastitate & fame ridebis.*) Tunc quippe reprobi vastitatem
Esaiæ.26. famémque passuri sunt, cùm dãnati in extremo iudicio ab
Ioan.6. æterni panis visione separantur. Scriptum nanque est: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Et per semetipsum Dominus dicit: Ego sum panis viuus, qui de cœlo descẽdi. Simul ergo eos vastitas famésque cruciat, qui non solum foris tormẽta sentiunt, sed intus etiam inediæ peste moriuntur. Vastat igitur gehẽna, quia concremat: fames interficit, quia suam illis faciem redemptor abscõdit. Bene nanque retributionem interius exteriúsque recipiunt: quia & cogitando miseri, & operãdo deliquerũt. Vnde bene per Psalmistam dicitur: Pones eos
Psal.20. vt clibanũ ignis in tempore vultus tui, Dominus in ira sua cõturbabit eos, & deuorabit eos ignis. Quod enim ab igne deuoratur, ab exteriori parte accenditur. Clibanus verò interius inflammatur. In tẽpore ergo vultus Domini, iniusti omnes, vt clibanus ponũtur, & ab igne deuorantur, quia apparente iudice, cùm à visione illius eorũ multitudo repellitur, & intus per desiderium ardet conscientia, & foris carnem cruciat gehẽna. Potest etiam flagellũ linguæ sentẽtia vltimæ animaduersionis intelligi, quia districtus iudex reprobis dicet: Discedite à me Flagellũ lin
maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & ange- guæ.
lis eius. Iustus ergo à flagello linguę, atque à calamitate veniẽte absconditur, quia in tanta districtione sententiæ, blanda tunc iudicis voce refouetur cùm dicitur: Esuriui & dedistis
Matth.25. mihi mãducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & operuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. Quibus præmittitur: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnũ à constitutione mundi. In vastitate ergo & fame iustus ridebit: quia cùm iniquos omnes extrema vltio percutit, ipse de gloria dignæ retributionis hilarescit. Nec damnatis iam tunc

ex humanitate compatitur, quia diuinæ iustitiæ per speciem inhærens, inconcusso districtionis intimæ vigore solidatur. Erectas nanque in claritate supernæ rectitudinis electorum mentes nulla misericordia afficit, quia has à miseriis altitudo beatitudinis alienas reddit. Vnde bene per Psalmistam dicitur: Videbunt iusti & timebunt, & super eum ridebunt & dicent: Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum. Iniquos enim iusti nunc vident, & metuunt, tunc visuri sunt & ridebunt. Quia enim modo ad eorum labi imitationem possunt, hîc habent formidinem. Quia verò damnatis tunc prodesse nequeunt, illic non habent compassionem. Aeterno itaque supplicio deditis, non esse miserendum; in ipsa, qua beati sunt, iustitia iudicantis legunt, qui, quod suspicari fas non est, qualitatem sibi perceptæ felicitatis imminuunt, si in regno positi volunt, quod implere nequaquam possunt. Sed quisquis ad vitæ præcepta se dirigit, priusquam præmia æterna percipiat, hîc iam initia securitatis perpetuum securitatis deguſtat, vt antiquum hostem non metuat, & interueniente mortis articulo, violentos eius impetus nullatenus perhorrescat. Iustis nanque initium retributionis, est ipsa plerunque in obitu securitas mentis. Vnde & rectè subiungitur: *Et bestiam terræ non formidabis.*) Callidus quippe aduersarius bestia terræ dicitur, quia ad rapiendas mortis tempore peccatorum animas, violentia crudelitatis † efferatur. Quos enim viuentes blandiens decipit, morientes sæuiens rapit. Quo contra de electorum Ecclesia per Prophetam Dominus pollicetur, dicens: Mala bestia non transibit per eam. Illi igitur terræ bestiam morientes timent, qui conditoris sui potentiam viuentes non timent. Sancti etenim viri, quia diuinæ se formidini medullitùs subdunt, omne de aduentu aduersarij pondus timoris abiiciunt. Hinc est enim quòd Psalmista Dominum exorat, dicens: Nequando rapiat vt leo animam meam. Hinc rursus ait: Exaudi Deus orationem meam cùm deprecor, à timore inimici eripe animam meam. Viuentes quippe † perfecti timent iudicem, ne morientes metuant accusatorem. Bene ergo dicitur: *Et bestiam terræ non formidabis.*) Ac si apertè diceretur: Quia à blandiente modò hoste non vinceris, hunc sæuientem postmodum non timebis. Sed cùm bene viuitur, valde cauendum est, ne mens despectis cæteris, de gloria singularitatis eleuetur. Vnde aptè ad memoriam bonum sociale reducitur, cùm protinus subinfertur. *Sed cum lapidibus regionum pactum tuum.*) Quasi distinctæ in mundo regiones sunt Ecclesiæ gentium, quæ in vna fide positæ, morum linguarúmq; diuersitate diuiduntur. Quid ergo per regionum lapides, nisi Ecclesiarum electos accipimus? Quibus primi instructoris voce dicitur: Vos autem tanquam lapides viui superædificamini. De quibus sanctæ Ecclesiæ Dominus per Prophetam pollicetur, dicens: Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos. Qui igitur rectè viuit, pacto se cum lapidibus regionum iungit, quia in eo quòd mundi desideria superat, vitam suam proculdubio ad sanctorum præcedentium imitationem ligat. Sed cùm à mundi † dilectione disiungitur, malorum spirituum impugnationes crescunt: quæ tamen quo magis in mœrore quenquam atterunt, eò conditori humilius subdunt. Vnde & subiungitur: *Et bestiæ terræ pacificæ erunt tibi.*) Notandum prius est, quòd non ait pacatæ, sed pacificæ, videlicet non quia pacem habent, sed quia pacem faciunt. Hostes quippe callidi dum insidiantur affligunt, sed afflicta mens tantò magis ad æternam patriam reditum diligit, quantò in hoc ærumnoso exilio laboriosius viuit: & verius se gratiæ sui adiutoris humiliat, cùm contra se insidias hostium acriores pensat. Terræ ergo bestiæ electis pacificæ fiũt, quia maligni spiritus cùm bonorum corda aduersantes deprimunt, hæc nolentes ad amorem Domini impellunt. Inde ergo cum Deo robustior pax oritur, vnde nobis ab aduersariis durior pugna generatur. Possunt etiam per terræ bestias, motus carnis intelligi, qui dum mentem nostram irrationabilia suadendo lacessunt, contra nos bestialiter insurgunt. Sed cùm cor sub diuina lege deprimitur, etiam carnis incentiua detumescunt: vt etsi tentando submurmurant, nequaquam tamen vsque ad effectum operum, quasi ad aperti morsus rabiem exurgant. Quis enim adhuc in hac corruptibili carne subsistẽs, has terræ bestias plenè edomat, cùm ille ad tertium

Psalm.51.

21 *Diabolus bestia terræ dicitur.*

† *al. effrenatur.*

Esaiæ.35.

Psalm.7.

Psalm.63.

† *al. perfecti.*

1.Petri.2.

Esaiæ.54.

† *al. actione.*

Vtilitas afflictionis.

22

E cœlum raptus egregius prædicator dicat: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis? Sed aliud est has bestias in campo operis sæuientis aspicere, aliud intra cordis cauea frementes tenere. Redactæ nanque intra claustra continentiæ, etsi adhuc tentando rugiunt, vsque ad morsum tamen, vt diximus, actionis illicitæ non excedunt. Pacificæ itaque sunt terræ bestiæ, quia motus carnis etsi per desideria palpitant, aperta nos tamen contradictione operis non impugnant. Quanuis per hoc ipsum quòd pacificæ dicuntur, etiam id quod de malignis spiritibus diximus, non inconuenienter accipitur. Motus etenim carnis pacem nobis cum Deo faciunt, cùm tentando contradicunt. Nam iusti mens in eo quòd ad superna dirigitur, ex corruptibili carne graui bello fatigatur. Quæ si quando à desideriis cœlestibus, huius mundi qualibet minima delectatione tardatur, ipso bello suę tentationis impellitur, vt illud toto corde diligat, quod contradictio nulla perturbat. Vnde fit vt quietem intimam

F ad memoriam reuocet, & carnis suæ illecebras fugiens, ad illam pleno amore suspiret. Considerare enim ex tentatione vnusquisq; compellitur, † vnde vel ex quo cecidit, qui postquam Dei pacem deseruit, rixam sibi contra se exurgere † ex semetipso sentit, & tunc verius videt de secura Dei * dilectione quid perdidit: quia ad se dilapsus, suam in se contumeliam inuenit. Pacem ergo nobis terræ bestiæ faciunt, quia motus carnis, dum nos tentando lacessunt, ad amorem quietis intimæ impellunt. Bene autem subditur: *Et scies quòd pacem habeat tabernaculum tuum.*) In scriptura sacra aliter pax plena dicitur, atque aliter inchoata. Inchoatam quippe pacem veritas discipulis dederat, cùm dicebat: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Et plenam Simeon desideraueratcùm exoraret dicens: Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace. Pax enim nostra ex desiderio conditoris inchoatur, ex manifesta autem visione perficitur. Plena quippe tunc erit, cùm mens nostra nec ignorantia cæcatur, nec carnis suæ impugnatione concutitur. Sed

G quia eius exordia tangimus, cùm vel mentem Deo, vel carnem menti subiugamus, tabernaculum iusti habere pacem dicitur: quia videlicet eius corpus quod mente inhabitatur, à peruersis desideriorum motibus prius inquietatum, nunc sub iustitiæ dispositione refrenatur. Sed quid prodest per continentiam carnem restringere, si mens se per compassionem nesciat in proximi amore dilatare? Nulla nanque est castitas carnis, quam non commendat suauitas mentis. Vnde post pacem tabernaculi aptè subiungitur. *Et visitans speciem tuam, non peccabis.*) Species quippe hominis est alter homo. Rectè enim, species nostra dicitur proximus noster, quia in illo cernimus quid ipsi sumus. Corporali enim visitatione, ad proximum gressuum accessu venimus, spiritali verò, nõ gressu, sed affectu ducimur. Speciem ergo suam visitat, quisquis ad Deum quem sibi similem per naturam conspicit, passibus amoris tendit: vt in altero sua considerans, ex seipso colligat qualiter infirmitati alterius condescendat. Speciem suam vi-

H sitat, qui vt in se alterum reficiat, se in altero pensat. Hinc nanque per Moysen veritas cùm gesta describeret, gerenda signabat dicens: Protulit terra herbam virentem, & afferentem semen iuxta genus suum, lignúmque faciens fructum, & habens vnumquodque semen secundum speciem suam. Lignum quippe secundum speciem suam semen producit, cùm mens nostra ex sui consideratione se in alterum colligit, & recti operis germen parit. Hinc quidem sapiens dicit: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Hinc in Euangelio Dominus dicit: Quæ vultis vt faciãt vobis homines, & vos eadem facite illis. Ac si apertè diceret: Speciem vestram in altero visitate, atque ex vobismetipsis agnoscite, quid vos oporteat aliis exhibere. Hinc Paulus ait: Factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer: & his qui sub lege erant, quasi sub lege essem, cũ ipse non essem sub lege, vt eos qui sub lege erant, lucrifacerem: & his qui sine lege sunt, quasi sine lege essem, cùm sine lege Dei non essem, sed sub lege essem Christi. Et paulò pòst: Omnibus omnia factus sum, vt omnes saluos facerem. Neque enim egregius prædicator, vt quasi Iudæus fieret, ad perfidiam erupit: neq; vt quasi sub lege esset, ad carnale

Roma.7.

† *al. vnde quò cecidit.*

† *al. semetipsum.*

* *al. delectatione.*

23

Ioan.14.

Luca.2.

Gene.1.

Matth.7.

1.Corint.9.

ad carnale sacrificium rediit: neque vt omnibus omnia fieret, simplicitatem mentis in erroris varietatem commutauit: sed condescendendo appropinquat infidelibus, non cadendo: vt videlicet singulos in se suscipiens, & se in singulos transfigurans, compatiẽdo colligeret, si ita ipse vt illi esset, quid impendi sibi ab aliis rectè voluisset: & tantò verius vnicuique errãti concurreret, quantò salutis eius modum ex propria consideratione didicisset. Bene ergo dicitur: *Et visitans speciem tuam non peccabis:*) quia tunc peccatum plenè vincitur, cùm ex sua similitudine vnusquisque perpendit, quomodo in proximi dilectione dilatetur. Cùm verò à vitiis caro restringitur, cùm mens virtutibus exercetur, restat vt loquendo, quisque doceat vitã alios, quam moribus seruat. Ille nanq; vberes fructus prædicationis colligit, qui semina bonę operationis premitrit. Vnde post pacem tabernaculi & speciei nostræ visitationem, rectè subiungitur. *Et scies quòniam multiplex erit semen tuum, & progenies tua sicut herba terræ.*) Post pacem quippe tabernaculi, post speciei nostræ visitationem, semẽ iusti multiplex surgit: quia nimirum post membrorũ macerationem, ac mo-

B rum magnitudinem, tantò ei fœcundius prædicationis verbum tribuitur, quãtò hoc in eius pectore perfecti operis exaratione præuenitur. Ille nanque bene loquendi facundiam accipit, qui sinum cordis ad perfectè viuendi studia extendit: Nec conscientia loquentem præpedit, cùm vita linguam antecedit. Hinc est quòd Aegyptij seruitio publico Ioseph dispensante subiecti, cùm iuri regis semetipsos tradentes humiliant, frumenta etiàm ad semen reportant. Frugem quippe ad esum etiam liberi accipimus, cùm & sacro eloquio pascimur, & tamen ad quædam quæ in hoc mundo appetimus, in nostris voluptatibus vacamus. Sed serui facti, & ad semen frumenta percipimus, quia dum plenè Deo subdimur, etiam verbo prędicationis replenur. Et quoniam magna proles fidelium sequitur cùm sancta prædicatio prærogatur, post multiplicitatem seminis rectè subiungitur: *Et progenies tua sicut herba terræ.*) Iusti progenies herbæ terrę comparatur: quia qui de eius imitatione nascitur, dum arentem vitæ præsentis gloriam deserit, spe interna viridescit. Vel certè iusti progenies sicut herba oritur, quia dum viuendo monstrat quod prædicando asserit, multitudo sequentium innumerabilis exurgit. Sed quisquis iam terrena desideria despicit, quisquis se per actiuæ vitę opera extendit, nequaquam ei sufficit magna exterius agere, nisi etiam per contemplationem valeat interna penetrare. Vnde & aptè protinus subinfertur:

Quid est quod Abraham coniugem mortuam in sepulchro duplici sepelit: & quid sit quòd per Moysen cùm hyssopo lignóque cedrino vacca mactari præcepitur. *Caput XVII.*

INgredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur aceruus tritici in tempore suo.) Quid enim sepulchri nomine nisi contemplatiua vita signatur: quæ nos quasi ab hoc mundo mortuos sepelit, dum à terrenis desideriis susceptos in intimis abscondit? Ab exteriori quippe vita, mortui etiam sepulti per contem-

Gene.47.

Gene.23.

Col.3.

25.

plationem fuerant, quibus Paulus dicebat: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Actiua D quoque vita sepulchrum est, quia à prauis nos operibus mortuos tegit, sed contemplatiua perfectius sepelit, quia à cunctis mundi actionibus funditùs diuidit. Quisquis ergo iam in se contumelias carnis edomuit, superest vt mentem per studia sanctæ operationis exerceat, & quisquis iam mentem per sancta opera dilatat, superest, vt hanc vsque ad secreta intimæ cõtemplationis studia extendat. Neque enim perfectus prædicator est, qui vel propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda postponit. Hinc est enim quòd Abraham coniugem mortuam in sepulchro duplici sepelit, quia nimirũ perfectus quisque prædicator extinctam à præsentis vitę desideriis animam suam, sub bonæ operationis tegmine & contemplationis abscondit, vt à carnali concupiscentia, sub actiua contemplatiuáque vita quasi insensibilis lateat, quæ prius mundi desideria sentiens, mortaliter viuebat. Hinc est quòd humani generis redemptor per diem miracula in vitibus exhibet, & ad orationis studium in monte pernoctat: vt perfectis videlicet prædicatoribus innuat, quatenus nec actiuam vitam amore speculationis funditùs deserant, nec contemplationis gaudia penitus operationis nimietate contemnant: sed quieti contemplantes forbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant. Speculando quippe in Dei amorem surgitur, sed prædicando ad proximi vtilitatem reditur. Vnde apud Moysem, dum in sacrificio vacca mactatur, offerri cùm hyssopo lignóque cedrino bis tinctus coccus præcipitur. Vaccam quippe mactamus, cùm carnem à lasciuia suæ voluptatis extinguimus, quam cum hyssopo lignóque cedrino ac cocco offerimus: quia cum maceratione carnis, sacrificium fidei, spei & charitatis adolemus. Hyssopus quippe interna nostra mundare consueuit. Et per Petrum dicitur: Fide mundans corda eorum. Lignum cedrinum nulla putredine deficit: quia spem cœlestium terminus non consumit. Vnde & per Petrum dicitur: Regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam & immarcessibilem. Coccus verò rubro colore flammescit: quia quem implet charitas, incendit. Vn-

B de & in Euangelio veritas dicit: Ignem veni mittere in terram. Sed bis tinctus coccus offerri præcipitur: vt videlicet ante interni iudicis oculos, charitas nostra Dei & proximi dilectione coloretur: quatenus conuersa mens nec sic pro amore Dei quietem diligat, vt curam proximi vtilitatémque postponat: nec sic pro amore proximi occupationi inseruiat, vt quietem funditùs deserens, ignem in se superni amoris extinguat. Quisquis ergo semetipsum Deo iam sacrificium obtulit, si perfecta desiderat, curet necesse est, vt non solum ad operationis se latitudinem, verumetiam ad culmina contemplationis extendat. Sed inter hæc magnopere sciendum est, 26. quia valde inter se diuersæ sunt conspersiones animorũ. Nonnulli nanque hominum ita otiosæ mentis sunt, vt si eos labor occupationis excipiat, in ipsa operis inchoatione succumbant: & nõnulli ita inquieti sunt, vt si vacationem laboris habuerint, grauius laborẽt, quia tantò deteriores cordis tumultus tolerant, quantò eis licentius ad cogitationes vacat. Vnde necesse est, vt nec quieta mens ad exercitationem se immoderati operis dilatet, nec inquieta ad studium contemplationis angustet. Sæpe enim qui contemplari Deum quieti poterant, occupationibus pressi ceciderunt: & sæpe qui occupati bene humanis vsibus viuerent, gladio suæ quietis extincti sunt. Hinc nanque est quòd nonnulli inquieti spiritus, dum plus exquirunt contemplando quàm capiunt, vsque ad peruersa dogmata erumpunt: & dum veritatis discipuli esse humiliter negligunt, magistri errorum fiunt. Hinc per semetipsam veritas dicit: Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue cum & proiice abs te. Bonum est tibi cum vno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Duæ quippe vitæ, actiua videlicet & contemplatiua, cùm conseruantur in mente, quasi duo oculi habentur in facie. Dexter nanque oculus vita contemplatiua est, sinister actiua: Sed sunt nonnulli, vt diximus, qui discretè intueri summa & spiritalia nequaquam possunt, & tamen alta contemplationis assumunt, atque idcirco in perfidiæ foueam, intellectus praui errore delabuntur. Hos itaque contemplatiua vita vltra vires assumpta, cogit à veritate cadere, quos in statu suæ rectitudinis humiliter poterat sola actiua custodire. Quibus rectè hoc quòd præfati sumus, veritas dicit: Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & proiice abs te. Bonum tibi est cum vno oculo vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Ac si apertè diceret: Cùm ad contemplatiuam vitam idonea discretione non sufficis, solam securius actiuam tene. Cúmque in hoc quod pro magno eligis deficis, eo contentus esto, quod pro minimo attendis: vt si per contemplatiuam vitam à veritatis agnitione compelleris cadere, regnum cœlorum per solam actiuam valeas saltem luscus intrare. Hinc rursum dicit: Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Quid per mare, nisi seculum, quid per molam asinariam, nisi actio terrena signatur? Quæ dum colla mentis per stulta desideria constringit, hanc in laboris circuitum mittit. Sunt itaque nonnulli qui dum terrenas actiones deserunt, & ad contemplationis stu-

Nume.19.

Actor.15.

1.Pet.1.

Luc.12.

Matth.18.

dia, humilitate postposita, vltra intelligentiæ vires surgunt, non solum se in errorem deiiciunt, sed infirmos quosque à gremio vnitatis diuidunt. Qui ergo vnum de minimis scandalizat, melius illi fuerat alligata collo mola asinaria in mare proiici: quia nimirum peruersæ menti expedibilius esse potuisset, vt occupata mundo terrena negotia ageret, quàm per contemplationis studia ad multorum perniciem vacaret. Rursum nisi quibusdam mentibus contemplatiua vita potius
Psalm.45. quàm actiua congrueret, nequaquam per Psalmistam Dom-
27 nus diceret: Vacate & videte quia ego sum Deus. Sed inter hæc sciendum est quia sæpe & pigras mentes amor ad opus excitat, & inquietas in contemplatione timor refrenat. Anchora enim cordis, est pondus timoris, & plerunque fluctu cogitationum quatitur, sed per disciplinæ suæ vincula retinetur, neque hoc tẽpestas suæ inquietudinis ad naufragium pertrahit, quia in diuini amoris littore perfecta charitas astringit. Vnde necesse est vt quisquis ad contemplationis studia properat, semetipsum prius subtiliter interroget quantum amat. Machina quippe mentis, est vis amoris, quæ hanc dum à mundo extrahit, in alta sustollit. Prius ergo discutiat si summa inquirens diligit, si diligens timet, si nouit incognita aut amando comprehendere, aut non comprehensa timendo venerari. In contemplatione etenim mentem si amor non excitat, temporis sui torpor obscurat: si timor non aggrauat, sensus hanc per inania ad nebulam erroris leuat: & cùm clausa ei secretorum ianua tardius aperitur, ab ea longius ipsa sua præsumptione repellitur: quia irrumpere appetit hoc quod non inueniens quærit: cúmq; superba mens errorem pro veritate
percipit, quò quasi intus gressum porrigit, foras tendit. Hinc
Exod.19. est enim quòd legem daturus Dominus, in igne fumóque descendit, quia & humiles per charitatem suæ ostensionis illuminat, & superborum oculos per caliginem erroris obscurat. Prius igitur mens ab appetitu gloriæ temporalis, atq; ab omni carnalis concupiscentiæ delectatione tergenda est, & tunc ad arcem contemplationis erigenda. Vnde & cùm lex accipitur, populus à monte prohibetur, vt videlicet qui infirmis adhuc mentibus terrena desiderant, considerare sublimia non
G presumant. Vbi & rectè dicitur: Si bestia tetigerit montem, lapidabitur. Bestia enim montem tangit, cùm mens irrationabilibus desideriis subdita, ad contemplationis alta se erigit: sed lapidibus percutitur, quia summa non sustinens, ipsis superni ponderis ictibus necatur. Qui igitur culmen perfectionis apprehendere nituntur, cùm contemplationis arcem tenere desiderant, prius se in campo operis per exercitium probent, vt sollicitè sciant si nulla iam mala proximis irrogant: si irrogata à proximis, æquanimiter portant: si obiectis temporalibus bonis nequaquam mens lætitia soluitur: si subtractis non nimio mœrore sociatur: ac deinde perpendant si cùm ad semetipsos introrsus redeunt, in eo quo spiritalia rimantur, nequaquam secum rerum temporalium vmbras trahunt, vel fortasse tractas, manu discretionis abigunt: si incircumscriptum lumen videre cupientes, cunctas circumscriptionis suæ imagines deprimunt, & in eo quod super se contingere appetunt, vincunt quod sunt. Vnde rectè nunc dicitur:
H
28 *Ingredieris in abundantia sepulchrum.*) Vir quippe perfectus in abundantia sepulchrum ingreditur, quia prius actiuæ vitæ opera congregat, & postmodum carnis sensum, per contemplationem mortuũ huic mundo, funditus occultat. Vbi & aptè subditur: *Sicut infertur aceruus in tempore suo.*) Actionis nanq; tempus primum est, contemplationis extremum. Vnde necesse est, vt perfectus quisque prius virtutibus mentem exerceat, atq; hanc postmodum in horreum quietis condat. Hinc est enim quòd is quem legio dæmonum Domino iubẽte dereliquit, ad saluatoris sui pedes residet, verba doctrinæ percipit, & de regione sua simul discedere cùm salutis authore cõcupiscit: sed tamen & ipsa quæ salutem contulit veritas dicit: Reuertere primùm in domum tuam, & narra, quãta tibi fecerit Deus. Cùm enim quamlibet parum de diuina cognitione percipimus, redire ad humana iam nolumus, & proximorum necessitatibus onerari recusamus, quietem contemplationis quærimus, nihílque aliud, nisi hoc quod sine labore reficit animum, amamus. Sed sanatos nos veritas ad domum mittit, narrare quæ nobiscum acta sunt præcipit: vt videlicet mens
E prius desudet in opere, & postmodum refici debeat per contemplationem.

Quid sit quòd Iacob pro Rachel seruiuit & Liam accepit.

Caput XVIII.

HInc est quod Iacob pro Rachel seruiuit, & Liam accepit, eíque dicitur: Non est consuetudinis in terra nostra, vt Gene.29.
minores antè tradamus ad nuptias quàm maiores. Rachel nãque visum principium: Lia autem laboriosa dicitur. Et quid per Rachelem nisi contemplatiua: quid per Liam, nisi actiua vita signatur? In contemplatione quippe principium, quod Deus est, quæritur: in operatione autem sub graui necessitatum fasce laboratur. Vnde & Rachel pulchra, sed sterilis, Lia autem lippa est, sed fœcunda: quia nimirum mens cùm contemplãdo otia appetit, plus videt, sed minus Deo filios generat: cùm verò ad laborem prædicationis se dirigit, minus videt sed amplius parit. Post Liæ ergo amplexus ad Rachelem Iacob peruenit: quia perfectus quisq; antè actiuæ vitæ ad fœcunditatem iungitur, & pòst contemplatiuæ ad requiem copulatur. Quia enim cõtemplatiua vita minor quidem tempore, sed merito maior est, quàm actiua, sacri Euãgelij verbis ostenditur, in quo duæ mulieres diuersa egisse referũtur. Mariæ quippe redemptoris nostri verba audiens, ad pedes illius residebat, Martha autẽ corporalibus ministeriis insistebat. Cùmque contra Mariæ otium Martha quereretur, audiuit: Martha
Martha sollicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est Luca.10.
necessariũ. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Quid enim per Mariam quę verba Domini residens audiebat, nisi contemplatiua vita exprimitur? Quid per Martham exteriorib' obsequiis occupatam, nisi actiua vita signatur? Sed Marthæ cura non reprehenditur, Mariæ verò etiam laudatur: quia magna sunt actiuæ vitæ merita, sed contemplatiuæ potiora. Vnde nec auferri vnquam Mariæ pars dicitur: quia actiuæ vitæ opera cum corpore transeunt, contemplatiuæ autem gaudia melius ex fine conualescunt. Quod bene ac breuiter Ezechiel Propheta exprimit, cùm volantia animalia
G contemplatus ait: Et similitudo manus hominis subtus pen-
nas eorum erat. Quid enim per pẽnas animalium, nisi con- Ezech.1.
templationes possumus sentire sanctorum, quibus ad summa transuolant, & terrena deserentes, sese in cœlestibus librant? Quid per manus, nisi operationes accipimus? Quia cùm in proximi amore se dilatant, bona quæ prẽualent, etiam corporaliter administrant. Sed manus eorum sub pennis sunt, quia actionis suæ opera virtute contemplationis vincunt. Potest
29 etiam per sepulchrum non solùm in hac vita nostra contemplatio, sed quies æternæ & intimæ retributionis intelligi, in qua tantò verius quiescitur, quantò in nobis corruptionis vita perfectius necatur. In abundantia ergo sepulchrum ingreditur, qui post congesta vitæ præsentis opera, mutabilitati suæ plenè mortuus, in secreto veri luminis occultatur. Vn-
de & per Psalmistam dicitur: Abscondes eos in abscondito Psalm.30.
vultus tui, à cõturbatione hominum. Quod bene etiam comparatio adiuncta commendat, cùm subditur: Sicut infertur aceruus in tempore suo. Frumẽtum quippe in segete Sole tangitur, quia in hac vita, humana anima respectu superni luminis illustratur: pluuias percipit, quia veritatis eloquio pinguescit: ventis concutitur, quia tentationibus exercetur: & secum crescentes paleas portat, quia nequiorem contra se quotidie vitam peccantium tolerat; atque ad aream deductum triturationis pondere premitur, vt à palearum connexione soluatur: quia mens nostra cœlesti disciplinæ suppositа, dum correctionis flagella percipit à societate carnalium mundior recedit, & relictis paleis ad horreum ducitur: quia foris remanentibus reprobis, electa anima ad supernæ mansionis gaudia æterna sublęuatur. Bene ergo dicitur: *Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur aceruus in tempore suo*:) quia, dum post afflictionem iusti præmia patriæ cœlestis inueniunt, quasi post pressuras ad horreum grana deferuntur, & in alieno quidem tempore percussiones sentiunt, sed in suo à percussione requiescunt. Electis quippe alienum tempus est vita præsens, vnde & quibusdam adhuc infidelibus veritas dicit: Tempus meum nondum aduenit, tempus autem vestrum semper est paratum. Et rursum: Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Sepulchrum ergo in tempore Lucæ.21.
suo sicut

suo sicut frumenti aceruus ingreditur, quia ille æternam requiem percipit, qui prius hîc vt ab exurendis paleis liber sit; disciplinæ pressuras sentit. Eliphas verò quia & in locutionis suæ serie tabernaculum, lapides, bestias, semen, herbas, sepulchrúmque nominauit, quòd non hæc iuxta literam dixerit, ipse innuit, qui post cuncta illico subiungit: *Ecce hoc vt inuestigauimus ita est.*) Liquet profectò quòd in his verbis nihil ab eo iuxta superficiem dicitur, quia nimirum ante faciem non iacet, quod inuestigatur. Quid ergo hæc inuestigasse se indicat, [nisi] quia quod in verbis exterioribus interiora quæsierit, demonstrat. Sed post cuncta ad stultitiam iactantiæ peruenit, quia protinus subdit: *Quod auditum mente pertraCta.*) Quantalibet doctrina mens polleat, grauis eius imperitia est, velle docere meliorem. Vnde & ea quæ ab amicis rectè prolata sunt, ab interno arbitrio non recta iudicantur. In eo nanque vim suæ rectitudinis amittunt, quod auditori non congruunt, quia & medicamina vires perdunt, cùm sanis mẽbris apponuntur. In omne ergo quod dicitur, necesse est, vt causa, tempus & persona pensetur, si verba sententiæ veritas roboret, si hanc tempus congruum postulet, si & veritatem sententiæ, & congruentiam temporis, personæ qualitas non impugnet. Ille enim laudabiliter spicula emittit, qui pri' hostem, quem feriat conspicit. Malè nanque arcus validi cornua subigit, qui sagittam fortiter dirigens, ciuem ferit.

Libri sexti Moralium sancti Gregorij finis.

B. GREGORII EXPOSITIONIS MORALIS IN B. IOB, SVPER CAPVT SEptimum, liber septimus.

Caput I.

Vorumdam mẽtes plus flagella quàm conuitia cruciant, quorundam verò plus conuitia quàm flagella castigant. Nam sæpe contra nos quibuslibet pœnis durius tormenta verborũ sæuiunt, cúmque nos ad defensionem erigũt, in impatientiam sternunt. Vnde beato Iob ne deesse tentatio vlla potuisset, non solũ hunc flagella desuper feriunt, sed grauiora plagis amicorum colloquia affligunt: vt sancti viri anima hinc inde pulsata, ad motũ iracundiæ, & elationis erũperet: & quicquid * mundè vixerat, per contumaciã superbæ locutionis inquinaret. Sed tactus plagis gratias retulit, lacessitus verbis recta respondit, & percussus innotescit quã pro minimo salutẽ carnis habuerit. Loquens quoq; indicat, quàm sapiens tacebat. Sed quędã eius verbis admixta sunt, quæ apud humana iudicia patientiæ limitẽ transire videantur, quæ nos verè intelligimus, si superni sententiam iudicis in eorum examinatione pensemus. Ipse quippe beatũ Iob & prius contra aduersarium prætulit dicens: Vidisti seruũ meum Iob, quòd nõ sit similis ei super terrã: vir simplex & rectus, ac timẽs Deum, & recedens à malo? Ipse post probationẽ amicos eius redarguit, dicẽs: Non estis locuti corã me rectũ, sicut seruus meus Iob: restat ergo, vt cùm mẽs in beati Iob sermonibus fluctuat, eorũ põdus ex eiusdẽ historię initio ac fine perpẽdat. Ab æterno enim iudice, nec casurus laudari potuit, nec lapsus prę ferri. Si igitur in ambiguitatis tẽpestate deprehẽsi, prima hui' historiæ, & postrema cõspicimus, nauis cordis, cõsiderationis suæ finibus, quasi à prora & puppi restringit, ne in erroris saxũ perducat. Nullis ergo ignorãtię nostrę procellis obruimur, si trãquillũ supernę sentẽtię littus tenemus: Ecce enim dicit, quòd quæstione nõ modica lectoris animũ moueat. Sed quis hoc non rectum dicere audeat, quod in Dei auribus rectum sonat?

* al. mundum.

A Caput sextum beati beati Iob.

Espondens autem Iob, dixit: Vtinã appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in statera: quasi arena maris hæc grauior appareret. Vnde & verba mea dolore sunt plena, quia sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, & terrores Domini militant contra me. Nunquid rugiet onager, cum habuerit herbam, aut mugiet bos, cùm ante præsepe plenum steterit? Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? Aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem? Animæ enim esurienti etiam amara dulcia esse videntur. Quę prius nolebat tangere anima mea,
B nunc præ angustia cibi mei sunt. Quis det vt veniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi Deus, & qui cœpit, ipse me conterat? Soluat manum suam, & succidat me, & hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcat, nec contradicam sermonibus sancti. Quæ est enim fortitudo mea, vt sustineam, aut quis finis meus, vt patiente agam? Nec fortitudo lapidum, fortitudo mea, nec caro mea ænea est. Ecce non est auxilium mihi in me, & necessarij quoque mei recesserunt à me. Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit. Fratres mei
C præterierunt me, sicut torrens qui raptim transit in in conuallibus. Qui timent pruinam, irruet super eos nix. Tempore quo fuerint dissipati, peribunt: & vt incaluerint, soluentur de loco suo. Inuolutæ sunt semitæ gressuum eorum, ambulabunt in vacuum, & peribunt. Considerate semitas Theman, itinera Saba, & expectate paulisper. Confusi sunt, quia speraui. Venerunt quoque vsque ad me, & pudore cooperti sunt. Nunc venistis, & modò videntes plagam meam timetis. Nunquid dixi, Afferte mihi, & de substantia vestra donate mihi, vel liberate me de manu hostis, & de manu robustorum eruite me? Docete me, & ego tacebo, & si quid fortè ignoraui, instruite me. Quare detraxistis sermonibus veritatis, cùm è vobis nullus sit, qui possit arguere me? Ad increpandum tantum eloquia cõcinnatis, & in ventum verba profertis. Super pupillum irruitis, & subuertere nitimmi amicum vestrum. Verumtamen quod cœpistis, explete. Præbete aurem, & videte an mentiar. Respondete obse-
D cro absque contentione, & loquentes id quod iustum est iudicate. Et non inuenietis in lingua mẽa iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit.

Quòd stateræ nomine, Christus accipiatur, qui in se calamitatem nostram, & peccata appendit.

Caput II.

VTinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret.) Quis alius stateræ nomine, nisi Dei & hominum mediator exprimitur? qui ad † pensandum vitæ nostræ meritum ve- † al. differendum.
nit, ac secum iustitiam simul, & misericordiam detulit: sed misericordiæ lance præponderans, culpas nostras parcendo leuigauit. In manu etenim patris quasi statera miri libraminis factus, hinc in se calamitatem nostram, & illuc peccata suspendit. Sed grauis ponderis calamitatem moriendo innotuit, & apud misericordiam suam Deus leue esse peccatum relaxando monstrauit. [Ergo per veram pœnitentiam, quanuis multa & grauissima sint peccata, per misericordiã Dei facilè relaxantur: & apud misericordiam suam leue esse pecca-

tum, quod relaxatur, monstrauit,] qui hoc primùm gratiæ contulit, quia pœnam nostram nobis cognoscibilem fecit. Homo nanque ad contemplandum auctorem conditus, sed exigentibus meritis ab internis gaudiis deiectus, in ærumnam corruptionis ruens, cæcitatem exilij sustinens, culpæ suę supplicia & tolerabat & nesciebat: ita vt exilium patriam crederet, & sic sub corruptionis pondere, quasi in salutis libertate gauderet. Sed is quem intus homo reliquerat, assumpta carne foris apparuit Deus, cúnque se exterius præbuit expulsum foras hominem ad interiora reuocauit, vt iam damna sua videat, iam pœnam suæ cæcitatis ingemiscat. Calamitas ergo hominis in statera grauis apparuit, quia malum quod pertulit, non nisi in præsentia redemptoris agnouit. Lucem quippe nesciens, damnationis suæ tenebras voluptuosè tolerabat, sed postquam vidit quid diligeret, intellexit etiam quod doleret, & graue sensit quod pertulit, quia dulce innotuit quod amisit. Vir igitur sanctus colloquentis amici sententiis à claustris silentij excussus, & prophetici spiritus affluentia repletus, dicat sua, dicat humani generis voce: Vtinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statera, quasi arena maris, hæc grauior appareret, ac si apertè diceret: Damnationis nostræ malum leue creditur, quia nec dum cognita redemptoris æquitate pensatur. Sed vtinam veniat, & ærumnam tanti exilij misericordię suę lance suspendat, & quid post exilium requiramus, edoceat. Si enim innotescit quod amisimus, graue esse insinuat quod toleramus. Bene autem hæc eadem peregrinationis nostræ calamitas maris arenæ comparatur. Arena etenim maris, vndarum æstu exterius impellitur, quia & delinquens homo quoniam tentationum fluctus mobiliter pertulit, extra se ab intimis exiuit. Magni autem arena maris est ponderis, sed calamitas hominis arena maris grauior dicitur, quia dura fuisse pœna ostenditur, dum per misericordem iudicem, † culpa quæ leuigatur, agnoscitur. Et quia quisquis gratiam redemptoris agnoscit, quisquis reditum ad patriam diligit, eruditus sub pondere peregrinationis gemit, post stateræ desiderium rectè subiungitur: *Vnde & verba mea dolore sunt plena.*) Qui peregrinationem pro patria diligit, dolere etiam inter dolores nescit. Iusti autem verba dolore plena sunt, quia quousque præsentia tolerat, ad alia loquendo suspirat; omne quod peccans pertulit, conspicit, atque vt ad statum beatudinis redeat, sollicitè iudicia quibus affligitur, pensat, Vnde subditur: *Quia sagittæ Domini in me sunt.*) Sagittarum quippe nomine aliquando prædicationis verba, aliquando animaduersionis sententiæ designãtur. Prædicationis nanque eloquia sagittis exprimuntur, quia in eo quòd vitia feriunt, malè viuentium corda transfigunt. De his sagittis venienti redemptori dicitur: Sagittæ tuæ acutæ potentissimè, populi sub te cadent in corde. De quo Esaias dicit: Mittam ex eis qui saluati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, in Libyam, tenentes sagittam, in Italiam & Græciam. Rursum sagittis animaduersionis percussio designatur, sicut Ioas regi per Helisæum dicitur: Iace sagittam. Quo iaciente ait: Percuties Syriam, donec consumas eam. Vir igitur sanctus, quia peregrinationis suæ ærumnam respicit, quia sub percussionibus dominicæ animaduersionis ingemiscit, dicat:

† *al. culpa leuigatur.*

Psalm. 44. *Esaiæ. 66.*

4. Regũ. 13.

Quòd serui Dei in hoc mundo lugeant, & percussiones diuinæ mentem ne intumescant, compungant, & ex his quæ tolerat, futura formidat.
Caput III.

VNde & verba mea dolore sunt plena, quia sagittæ Domini in me sunt.) Ac si apertè diceret: Ego in exilij damnatione non gaudeo, sed sub iudicio positus doleo, quia vim percussionis agnosco. Plerique autẽ sunt quos tormenta cruciant, sed non emendãt. Quos cõtra aptè subiungitur: *Quarum indignatio ebibit spiritum meum.*) Quid enim spiritus hominis, nisi spiritus elationis? Sagittæ autem Domini spiritum hominis ebibunt, cùm supernæ animaduersionis sententiæ afflictam mentem ab elatione compescunt. Sagittæ Domini spiritum hominis ebibunt, quia intentum exterioribus, introrsus trahunt. Epotatus nanque Dauid spiritus fuerat, cùm dicebat: In deficiendo in me spiritum meum, tu cognouisti semitas meas. Et rursùm: Negaui consolari animam meam, memor fui Dei, & delectatus sum, exercitatus sum, & defecit pauli sper spiritus meus. Sagittarũ ergo indignatio iusti spiritũ ebibit, quia supernæ sentẽtiæ electos quos in peccatis inueniũt, dum vulnerãt, immutant, vt duritiã suã transfixa mens deserat, atque ex salutifero vulnere sanguis confessionis currat. Pensant nanque vnde, [vel] quò lapsi sunt, pensant à quanta beatitudine, ad quæ corruptionis suæ tormenta ceciderunt, & non solùm gemunt in his, quæ sustinent, sed insuper metuunt hoc quod districtus iudex delinquentibus de gehennæ ignibus minatur. Vnde rectè subiungitur: *Et terrores Domini militant contra me.*) Iustorum mens non solùm perpendit quod tolerat, sed etiam pauet quod restat: videt qualia in hac vita patitur, metuit ne post hanc grauiora patiatur. Luget quia in huius cæcitatis exilio à paradisi gaudiis cecidit, timet ne cùm exilium relinquitur, mors æterna subsequatur. Iam ergo sententiam tolerat in pœna, sed minas adhuc venturi iudicis formidat ex culpa. Hinc Psalmista ait: In me pertransierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me. Interni quippe iudicis postquam iræ pertransiunt, etiam terrores conturbant: quia iam aliud de damnatione patimur, & adhuc aliud de æterna vltione formidamus. Vir igitur sanctus perpendens mala quæ tolerat, dicat: Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum. Sed grauiora in perpetuum metuens, adiungat: *Et terrores militant contra me.*) Ac si apertè diceret: Percussus quidẽ de præsentibus doleo, sed hoc in dolore fit grauius: quia & in pœna positus, adhuc supplicia æterna pertimesco. Sed quia iã stateræ interuentum desiderat, iam mala in quibus humanum genus cecidit, pensat; quanuis in gẽtili natione positus, munere tamen prophetici spiritus plenus, quo ardore redemptoris aduentum, vel gentilitas, vel Iudæa sitiat, verbis sequentibus demonstrat, dicens:

Psalm. 76.

Psalm. 87.

Quòd onagri & bouis nomine gentilis & Iudaicus populus accipiatur, quorum clamor expectatio intelligitur.
Caput IIII.

NVnquid rugiet onager cùm habuerit herbam, aut mugiet bos cùm ante præsepe plenum steterit?) Quid nanque per onagrum, id est, agrestem asinum, nisi gentilis populus designãtur? qui, sicut natura extra stabula disciplinæ edidit, ita vagus in voluptatum suarum campo permansit. Quid per bouem, nisi plebs Iudaica significatur? quæ iugo supernæ damnationis supposita, ad spem proselytos colligens, per corda quæ valuit, vomerem legis traxit. Sed beati Iob vita attestante cognoscimus, vt expectasse redemptoris aduentum, multos etiam ex gentilibus credamus. Et nascente Domino, Simeone in spiritu in templum veniente, didicimus quanto desiderio ex plebe Israëlitica sancti viri incarnationis eius mysterium videre cupierunt. Vnde & per eundem redemptorem discipulis dicitur: Dico vobis, quòd multi iusti & prophetæ desiderauerunt videre quæ videtis, & non viderunt. Herba ergo onagri, & fœnum bouis, est hæc ipsa mediatoris incarnatio, per quam simul gentilitas, & Iudæa satiatur. Quia enim per Prophetam dicitur: Omnis caro fœnum, vniuersitatis conditor ex nostra substantia carnem sumens, fœnum fieri voluit, ne nostra in perpetuum caro fœnum remaneret. Tunc ergo herbã onager inuenit, cùm gentilis populus gratiam diuinæ incarnationis accepit. Tunc bos vacuum præsepe non habuit, cùm plebi Iudaicæ eius carnem expectãti lex exhibuit quem diu expectatum prophetauit. Vnde & natus Dominus in præsepe ponitur, vt videlicet signaretur, quia sancta animalia quæ ieiuna diu apud legem inuenta sunt, incarnationis eius fœno satiarentur. Præsepe enim natus impleuit, qui cibum semetipsum mentibus mortalium præbuit, dicens: Qui comedit carnem meam, & bibit sanguinem in me manet, & ego in eo. Sed quia diu & electorum gentiliũ vota dilata sunt, & ex Hebraico populo sancti quiq; longo tẽpore redemptionem suam expectando gemuerunt, bene beatus Iob prophetiæ mysteria enarrans, ex vtraq; natione causas afflictionis insinuat, dicens: Nunquid rugiet onager cùm habuerit herbam, aut mugiet bos cùm ante præsepe plenum steterit? Ac si apertè dicat: Idcirco gentilitas gemit, quia eam necdum redemptoris sui gratia reficit: atque ideo Iudęa mugitus

Lucæ. 10.

Esaiæ. 48.

Ioan. 9.

gitus dilatat, quia legem tenens, sed legis auctorem non videns, stans ante præsepe ieiunat. Quæ nimirum lex, quia ante mediatoris aduentum nequaquam spiritaliter, sed carnaliter tenebatur, rectè subiungitur:

Quòd insulsum cibum comedit, qui legem carnaliter accipit.
Caput V.

AVt poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum?) In lege sal literæ, est intelligentiæ virtus occultæ. Quisquis ergo obsequiis carnalibus intentus, hanc intelligere spiritaliter noluit, quid aliud quàm insulsum cibum comedit? Sed hoc in cibo sal cognita veritas misit, cùm latere in lege saporem occultæ intelligentiæ docuit, dicens: Si crederetis Moysi, crederetis vtique & mihi, de me enim ille scripsit. Et rursum: Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos. Sed quia ante mediatoris aduentum, Iudæa legem carnaliter tenuit, præceptis eius dura iubentibus gentilitas subdi recusauit. Insulsum ergo cibum comedere noluit, quæ priusquam spiritus condimentum perciperet, seruare vim literæ expauit. Quis nanque gentilium hoc quod illic præcipitur ferret, filiorum carnem pro obsequio religionis incidere, verborum culpas morte resecare? Vnde & bene adhuc subditur: *Aut gustare aliquis potest, quod gustatum affert mortem?*) Lex nanque carnaliter degustata mortem detulit, quia commissa delinquentium dura animaduersione distrinxit. Mortem detulit, quia & per præceptum culpam innotuit, & hanc per gratiam non deleuit, Paulo attestante, qui ait: Nihil ad perfectum perduxit lex. Et rursum: Lex quidem sancta, & mandatum sanctum & iustum & bonum. Et paulò pòst: Peccatum vt appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem. Ad Christum verò conuersa gentilitas, quia hunc signari per verba legis intelligit, angustata desideriis suis, eum quem vehementer diligit, inter præcepta carnalia spiritaliter requirit.

Ioan. 5. *Mat. 9.*

Heb. 7. *Roma. 7.*

Quòd iusti quicquid sibi in hac vita amarum est, dulce reputant, & quod affligit, requiem putant.
Caput VI.

VNde & ex voce mox Ecclesiæ per prophetiæ spiritum subditur: *Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia, cibi mei sunt.*) Valde nanque in errorem labitur, qui beati Iob verba ad solam prolata historiam suspicatur. Vir enim sanctus, & tot conditoris sui præconiis fultus, quid magnum, vel potius quid verum diceret, si insulsum cibum comedi non posse dixisset? Aut quis eius esui mortifera alimenta obtulerat, vt subiungat: Aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem? Quæ si de amicorum eius colloquiis dicta sentimus, ab intellectu hoc sententia subiuncta compescimur, qui ait: *Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia, cibi mei sunt.*) Absit enim ne vir sanctus in status sui incolumitate constitutus, amicorum suorum aliquando dicta despexerit: qui, sicut ipso attestãte pòst discimus, & seruis humilis fuit. Verba ergo eius à mysteriis nõ vacant: quæ, sicut ex fine historiæ discimus, & internus arbiter laudat. Quæ nequaquam etiam cum tanta veneratione vsque ad mundi extrema decurrerent, si intellectu mystico grauia non fuissent. Beatus igitur Iob, quia membrum sanctæ est Ecclesiæ, eius etiam loquatur ex voce dicens: *Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia, cibi mei sunt:*) quia nimirum amoris sui æstibus anxia cibum scripturæ veteris conuersa gentilitas esurit, quem dudum superba despexit. Quæ tamen & Iudææ vocibus congruunt, si paulò consideratius differantur. Ipsa quippe ex eruditione legis, ex vnius Dei cognitione sal habuit, & cunctas gentes non aliter quàm animalia bruta despexit. Sed quia societatem gentilium ad semetipsam recipere, præceptis legis erudita contemperat: quid aliud quàm insulsum cibum sumere fastidiebat? Diuina quippe sententia proposita morte vetuerat, ne plebs Israëlitica fœdus cum alienigenis iungeret: & vitã sanctæ religionis inquinaret. Vnde & subditur: Aut gustare aliquis potest, quod gustatum affert mortẽ? Sed quia ad redẽptoris fidẽ hæc eadẽ Iudæa ex electorum parte cõuersa est, lucem quã cognouerat, prædicare per sanctos Apostolos suæ prolis infidelib' satagebat. Eius autẽ prædicationis obsequium Hebræorũ superbia repulit. Vnde mox ad collectionem gentium exhortationis suæ verba declinauit, sicut & per eosdem Apostolos dicitur: Vobis oportebat primum loqui verbũ Dei: sed quoniam repulistis illud, & indignos vos iudicastis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Vnde hoc quoque loco aptè subiungitur: *Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia, cibi mei sunt.*) Iudæa quippe vitam gentilium dedignata, eam dudum quasi tangere noluit, cuius societatem recipere spreuit: sed ad redemptoris gratiã veniens, ab Israëlicis infidelibus repulsa, dum per sanctos Apostolos ad collectionem se gentilium dilatat, quasi hoc in cibum esuriens accepit, quod indignum prius fastidiosa despexit: prædicationis enim suæ angustias pertulit, quæ apud Hebræos despicit, quod loquebatur, vidit. Sed præ angustia cibos quos dudum contempserat, comedit: quia repulsa Iudæorum duritia gẽtiles suscipere populos quos despexerat, concupiuit. Quia igitur hæc figuraliter diximus, restat nunc vt moraliter inquiramus. Vir sanctus redemptoris aduentum sub stateræ appellatione desiderans, dum † per se eloquium aperit, nos ad viuendi studium erudit: dum sua narrat, quædam nostra indicat: dum de se quæ recognoscamus insinuat, nos ad spem trepidos infirmósque confirmat. Iam quippe per fidem mediatoris viuimus, & tamen adhuc pro expurgatione vitiorum, dura animaduersionis intimæ flagella sustinemus. Vnde & post stateræ desideriũ subdit: Quia sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.) Sed ecce vt superius dictum est, & diuinæ correptionis percussione configimur, & tamen adhuc illud est grauius, quod de terrore venturi iudicis ex æterna animaduersione formidamus: Vnde protinus subinfertur: *Et terrores Domini militant contra me.*) Debet tamen à metu & dolore animus excuti, & ad sola æternæ patriæ desideria extendi. Tunc enim nobilitatem nostræ regenerationis ostẽdimus, si eum vt patrem diligimus, quem nũc seruili mente, vt dominum formidamus. Vnde per Paulum dicitur: Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, abba pater. Põdus itaque formidinis mens electi postponat, in virtute se amoris exerceat, renouationis suæ dignitatem desideret, ad conditoris sui speciem anhelet: quem quousque conspicere non valet, æternitatem eius necesse est, id est, intimum cibum suum esuriens expectet. Vnde & aptè subditur: *Nunquid rugiet onager, cùm habuerit herbam, aut mugiet bos, cùm ante præsepe plenum steterit?*) Qui alij onagri appellatione signati sunt, nisi hi, qui in campo fidei constituti, nullius officij loris ligantur? Vel quos bouis significatio exprimit, nisi hos, quos intra sanctam Ecclesiam ad prædicationis officium, suscepti ordinis iugum premit? Herba verò onagri, & pabulum bouis, est interna refectio populi fidelis. Alij nanque more bouis intra Ecclesiam suscepti officij loris tenentur: Alij more onagri sacri ordinis stabula nesciunt, & in campo propriæ voluntatis degunt. Sed cùm quis ex vita seculari internæ visionis desiderio æstuat, cùm refectionis intimæ pabulum concupiscit, cùm ieiunium se in peregrinationis huius cæcitate considerans, quibus valet fletibus reficit: quasi herbam non inueniens onager rugit. Alius quoque necessitatem suscepti ordinis tolerat, in labore prædicationis exudat, & per æternam iam contemplationem refici appetit: sed quia redemptoris sui speciem necdum conspicit, quasi bos ad præsepe vacuum ligatus gemit. Quia enim longè ab interna sapientia positi, æternæ hæreditatis non cernimus viriditatem, velut bruta animalia à desiderata herba ieiunamus. De qua nimirum herba redemptoris voce dicitur: Per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur & pascua inueniet. Sed plerunque quod esse amantibus grauius solet, sanctis bonorum studiis malorum vita contradicit: & cùm mens ad cœleste desiderium rapitur, bene cœpta intentio interrumpentibus stultorum verbis ac moribus reuerberatur, ita vt quæ iam per contemplationis adnisum ad summa euolauerat, ad expugnandam prauorum stultitiam sese in infimis contra certamina accingat. Vnde & subditur: *Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum?*) Verba quippe morésque carnalium, quasi cibum se nostris mentibus ingerunt, vt in delectationis ventre rapiantur. Sed electus

† *vel. dum per eloq.*

Exod. 23.

Roma. 8.

Ioan. 10.

quisque insulsum cibum non comedit, quia prauorum dicta factáque diiudicans, ab ore cordis repellit. Paulus ad esum mentium inferri insulsa prohibuit, cùm discipulis dixit: Sermo vester semper in gratia sale sit conditus. Et Psalmistæ quoque verba reproborum in cordis ore insulsa sapuerunt, cùm dicebat: Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non ita vt lex tua Domine. Sæpe autem carnalium verba dum se importunè nostris auribus ingerunt, in corde bellũ tentationis gignunt: & quanuis hæc & ratio respuat, & lingua reprehendat, cum labore tamen intus vincitur, quod foris cum auctoritate diiudicatur. Vnde necesse est, vt nec ad aures veniat, quod mens à cogitationis aditu vigilans repellat. Sancti igitur viri cùm æternitatis desideriis anhelant, in tantam altitudinem vitæ se subleuant, vt audire iam quæ mundi sunt, graue sibi ac deprimens pondus credant. Valde nanque insolens atque intolerabile æstimant, quicquid illud non sonat quod intus amant. Sed sæpe mens iam per desiderium ad sublimia rapitur, iam funditùs ad stulta terrenorũ hominum locutione separatur, nec tamen adhuc pro amore veritatis, ad perferendos præsentis vitæ cruciatus accingitur: iam superna appetit, iam in infimis stulta contemnit, sed necdum se ad perferendæ aduersitatis tolerantiam dirigit. Vnde & subditur: *Aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem?*) Durum quippe est appetere quod cruciat, sequi quod vitam fugat. Sed plerunque mens iusti ad tantum se virtutis culmen extendit, vt & apud se in internæ rationis arce præsideat, & quorundam foris stultitiam tolerando conuertat. Quos enim ad fortia trahere nitimur, eorum necesse est, vt infirma toleremus: quia nec iacentem erigit, nisi qui status sui rectitudinem per compassionem flectit. Cùm verò alienæ infirmitati compatimur, valentius à nostra roboramur, vt amorem futurorum mens ad præsentia aduersa se præparet, & cruciatus corporis quos timebat expectet † Auctus nanque desideriis cœlestibus angustatur, cúmque æternæ patriæ quanta sit dulcedo considerat, pro ea præsentis vitæ amaritudines ardenter amat. Vnde post insulsi cibi fastidium, post impossibilem mortis gustum, rectè subiungitur:

Coloss.4. *Psalm.118.* *† Vel, Auctis.*

Quòd electi cùm in aliquo se offendisse nouerint, & nulla eis pro malè gestis irrogantur aduersa, timent ne in æternum gratia deserat, quos in præsenti vita nulla mali sui retributio castigat.

Caput VII.

QVæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia, cibi mei sunt.) Mens enim iusti proficiens, quæ prius dum sola propria curaret, ferre aliena fastidiebat, & quæ minus alienis compatiens, conualescere contra aduersa non poterat: cùm ad toleranda proximi infirma se attrahit, ad aduersa superanda conualescit, ita vt pro amore veritatis, præsentis vitę cruciatus tantò pòst fortius appetat, quantò prius infirma fugiebat. Inclinatione nanque sua erigitur, attractione tenditur, compassione roboratur: cúmque in amorem proximi se dilatat, quasi ex meditatione colligit, quanta fortitudine in auctorem surgat. Charitas nanque quæ nos ad vim compassionis humiliat, altius in culmine contemplationis leuat: & multiplicata iam maioribus desideriis æstuat, iam peruenire ad vitam spiritus, etiam per cruciatus corporis anhelat. Quod ergo prius tangere nolebat, hoc pòst præ angustia comedit, qui desideria sua vix capiens, & ipsas quas dudum timuerat, iam pro amore cœlestis patriæ pœnas amat. Si enim mens in Deum forti intentione dirigitur, quicquid sibi in hac vita amarum fit, dulce æstimat: omne quod affligit, requiem putat: transire & per mortem appetit, vt obtinere plenius vitam posit, funditùs extingui in infimis desiderat, quò verius ad summa conscendat. Sed hæc de cuiuslibet iusti animo, hæc de beati Iob mente mẽtior, nisi ipse subiungat: *Quis det vt veniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi Deus, & qui cœpit, ipse me conterat: soluat manum suam, & succidat me, & hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore, non parcat?*) Sed hæc fortasse per contumaciam expetit, fortasse in eo quòd se perfectè extingui desiderat, iniustiam ferientis accusat. Absit hoc. Nam qua mente id expetat, verbis sequentibus demonstrat, dicens: *Nec contradicam sermonibus sancti.*) Nequaquam ergo de iniustitia percutientis murmurat, qui percussorem suum, & inter verbera sanctum vocat. Sciendum verò est, quia aliquando nos aduersarius, aliquando autem conterit Deus. Ex contritione autem aduersarij, à virtute deficimus, per contritionem verò Domini fracti, à vitiis in virtute roboramur. Hanc contritionem Propheta prospexerat, cùm dicebat: Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli conteres eos. In virga nos ferrea Dominus regit & conterit, quia dispensationis suæ forti rectitudine cùm nos interius reficit, exterius affligit. Nam quo virtutem carnis humiliat, intentionem spiritus exaltat. Vnde & hæc eadem contritio figuli vasi comparatur, sicut & per Paulum dicitur: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. Qui simul contritionem & regimen exprimens, ait: Licet is qui foris est, noster homo corrumpitur, tamen is qui intus est, renouatur de die in diem. Sanctus igitur vir, qui appropinquare Deo etiam per flagella desiderat, per spiritum humilitatis dicat: *Qui cœpit, ipse me conterat.*) Plerumque enim vitiorum contritionem in nobis agere Dominus inchoat, sed cùm mens ex ipso exordio prouectus extollitur, cúmque se iam quasi de virtutibus erigit, sæuienti contra se aduersario aditum pandit, qui cordis intima penetrans, omne quod in ea de studio bonæ inchoationis inuenerit, confringit: tantóque se vehementius in eius confractione exhibet, quantò & grauius, quia vel ad modicum fuerat proiectus, dolet. Vnde & teste Euangelio, voce veritatis, ad neglectam domum conscientiæ spiritus immundus qui solus exiit, cum spiritibus septem redit. Ne ergo post diuinæ correptionis exordia antiquus hostis surripiat, atque ad virtutum confractionem trahat, sanctus vir congruè exorat, dicens: Qui cœpit, ipse me conterat. Ac si apertè dicat. Hoc quod in me exorsus est, perficere feriendo non desinat, ne desertum me aduersario ad contritionem tradat. Vbi & aptè subditur: *Soluat manum suam, & succidat me.*) Sæpe nanque fiducia longæ prosperitatis inflati, in quodam statu elationis erigimur. Cúmque nos extolli conditor conspicit, sed amorem suum erga nos per verbera non exercet, quasi ad ferienda nostra vitia manum ligatam tenet. An non affectus sui manum ligauerat, cùm peccanti populo dicebat: Iam non irascar tibi: &, Zelus meus recessit à te? Soluere ergo manum suam dicitur, cùm exercet affectũ. Rectè autẽ subiungitur: *Et succidat me.*) Cùm enim securos nos ac de virtutum affluentia elatos, repentinus vel flagelli dolor, vel infirmitatis tentatio percutit, protinus ab status sui vertice, mentis nostræ elatio succisa cadit, vt de semetipsa nihil audeat, sed infirmitatis suæ ictu prostrata, manum leuantis quærat. Hinc est quòd sancti viri cùm de occulta erga se dispositione suspecti sunt, plus prospera ipsa pertimescunt: tentari appetunt, flagellari concupiscunt, quatenus incautam mentem metus, & dolor erudiat, ne in hac peregrinationis via, hoste ex insidiis erumpente, sua eam deterius securitas sternat. Hinc Psalmista ait: Proba me Domine, & tenta me. Hinc iterum dicit: Ego ad flagella paratus sum. Quia enim † viri sancti mentis suæ corruptionis vulnus sine putredine nõ esse considerant, libenter se sub manu medici ad sectiones parant: vt aperto vulnere virus peccati exeat, quod sana cute intus occidebat. Vnde & adhuc subditur: *Et hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore, non parcat.*) Electi quique cùm perpetrasse se illicita nouerũt, sed perscrutãtes inueniunt, quia nulla pro illis aduersa perpessi sunt, in immensæ formidinis terrore tabescunt, pauore æstuant, sinistris agitati suspitionibus laborant: ne in æternum se gratia deseruerit, quos in præsenti vita mali sui retributio nulla † castigat: timẽt, ne vltio quæ suspẽditur, grauior in fine seruetur: feriri paterna correptione desiderãt, & dolorẽ vulneris medicamina salutis putãt. Rectè ergo nũc dicitur: *Et hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcat.*) Ac si apertè diceretur: Qui ideo hîc quibusdam parcit, vt eos in perpetuum feriat, ideo me hîc feriat, vt non parcendo in perpetuum parcat. Ex afflictione enim consolor, quia corruptionis humanæ putredinem sciens, ad spem salutis ex vulnere certus reddor. Quod quia non tumenti, sed humili mente edidit, subiungendo, vt prædiximus, patefacit, dicens: *Nec contradicam sermonibus sancti.*) Plerũque ad nos verba Dei non sunt dictorũ sonitus, sed effectus orationum. In eo enim nobis loquitur, quod erga nos tacitus operatur. Beatus igitur

Cruciatus appetit mẽs iusti.

Quomodo menti amarum fit dulce, & afflictio requies.

Conterit nos aduersarius. *Conterit nos Deus.* *Psalm.2.* *2. Corin. 4.* *Flagellum desiderat beatus Iob.* *Matth. 12.* *Flagellari concupiscũt sancti.* *Psalm.25.* *Psalm.37.* *† al. sanctæ mentes suæ corrupt.* *† al. custodit.*

tur Iob sermonibus Dei contradiceret, si de eius percussionibus murmuraret. Sed quid de percussore suo sentiat, indicat, qui, sicut iam diximus, quem ferientem tolerat, sanctum vocat. Sequitur:

Quid sit fortitudo iustorum, & quid reproborum.

Caput VIII.

9. *Fortitudo iustorum.* *† al. Voluptatibus.* *Fortitudo reproborũ.* QVæ est enim fortitudo mea, vt sustineã, aut quis finis meus, vt patienter agam?) Sciendum quòd alia iustorum, atque alia est fortitudo reproborum. Iustorum quippe fortitudo, est carnem vincere, propriis † voluptatibus contraire, delectationem vitæ præsentis extinguere, huius mundi aspera pro æternis præmiis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, aduersitatis metum in corde superare. Reproborum verò fortitudo, est transitoria sine cessatione diligere, contra flagella conditoris insensibiliter perdurare, ab amore rerum temporalium, nec ex aduersitate quiescere, ad inanem gloriam etiam cum vitæ detrimento peruenire, malitiæ augmenta exquirere, bonorum vitam non solùm verbis ac moribus, sed etiam gladiis impugnare, in semetipsis spem ponere, iniquitatem quotidie, sine vllo desiderij defectu, perpetrare. Hinc est quod per Psalmistam dicitur ad electos: Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino. Hinc Propheta reprobis dicit: Væ qui potentes estis ad potandum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. Hinc per Salomonẽ dicitur, quòd sancti quique sine vlla debilitate desiderij internam requiem contemplantur. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israël. Hinc Psalmista contra reprobos in passione positi voce redemptoris insinuans, ait: Ecce occupauerunt animam meam, & irruerunt in me fortes. Quàm bene vtranque fortitudinem Esaias complexus est, dicens: Qui cõfidunt in Domino, mutabunt fortitudinem. Qui enim nequaquam sument, sed mutabunt dixit: profectò patenter innotuit, aliã esse quę proponitur, & aliam quę inchoatur. An non etiam reprobi fortes sunt, qui ad præsentis vitæ concupiscentiam tot laboribus currunt, periculis se audenter obiiciunt, pro lucris contumelias libenter ferunt, ab appetitus sui libidine nulla victi contrarietate resiliunt, percussionibus durescunt, & mala mundi tolerant pro mundo, eiúsque, vt ita dixerim, gaudia quærentes perdunt, nec tamen hæc perdendo fatigantur? Vnde bene ex humani generis voce per Hieremiam dicitur: Inebriauit me absinthio. Ebrius quippe quod patitur nescit. Absinthio ergo ebrius est, qui præ amore præsentis seculi, à sensu rationis alienus, dum quicquid pro mundo sustinet, leue deputat, laboris amaritudinem, quã tolerat, ignorat: quia nimirum delectabiliter ad cuncta ducitur, in quibus pœnaliter fatigatur. At contra vir iustus ad mundi pericula pro mundo toleranda esse debilis studet, finem suum conspicit, vita præsens quàm sit transitoria attendit, & pro ea exterius labores perpeti renuit, cuius intrinsecus delectationem vicit. Beatus igitur Iob præsentis vitę aduersitatibus pressus, dicat ex sua, dicat ex omniũ voce iustorum: Quæ est enim fortitudo mea, vt sustineam? aut quis finis meus, vt patienter agam? Ac si apertè insinuet, dicẽs: Mala mundi pro mundo tolerare nequeo, quia iam in eius desiderio fortis non sum. Dum enim præsentis vitæ finem conspicio, cur pondus cruciatus eius patior, cuius appetitum calco? Et quia iniusti quique, vt diximus, tantò fortius labores illius perferunt, quantò auidius eius delectatione pascuntur, rectè mox eandem reproborum fortitudinem subdit, dicẽs:

Psalm.30. *Esaiæ.5.* *Canti.3.* *Psalm. 58.* *Esaiæ.40.* *Declaratio fortitudinis reproborũ.* *Thren.3.*

Quòd nonnulli reprobi ex percussione sicut lapides indurantur, alij verò in percussione consoni, resonant sine correptione.

Caput IX.

10. NEc fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est.) Quid hoc loco ære ac lapidibus, nisi insensibilium hominum corda signantur? Qui sæpe & supernos ictus accipiunt, & tamen nulla disciplinæ percussione mollescunt. Quo contrà electis per Prophetam pollicente Domino dicitur: Tollam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. Paulus quoque ait: Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Scimus autem quoniam percussi lapides clarum sonum reddere nequeunt; æs verò cùm percutitur, canorus valde sonitus ex eius percussione formatur. Quod quia vt lapides, vita caret, sensum in sonitu non habet. Necnon sunt nonnulli qui lapidibus similes, ita ad pietatis præcepta duruerunt, vt cùm eos percussio supernæ animaduersionis examinat, nequaquam sonitum humilis confessionis reddant. Quidam verò à metallo æris in nullo discrepantes, cùm flagella supernæ percussionis accipiunt, piæ confessionis sonitum emittũt. Sed quia humilitatis voces ex corde non proferunt, ad statum salutis reducti, nesciunt quod promiserunt. Illi ergo more lapidum percussi, nec voces habent, isti autem in nullo æris imitationem fugiunt, qui in percussione positi, bona quæ non sentiunt loquuntur. Illi venerationem ferientis & verbera denegant, isti pollicentes quod non implent, sine vita clamant. Vir igitur sanctus reproborum duritiam inter verbera fugiens dicat: Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est. Ac si apertè fateatur dicens: Reproborum similitudinem sub disciplinæ verbere fugio, quia nec more lapidum ita obdurui, vt sub percussionis stimulo à ministerio confessionis obmutescam: nec rursum quasi æs vocem confessionis resono, & sensum vocis ignoro. Sed quia ad percussionem reprobi debiliter fortes sunt, electi autem valenter infirmi: beatus Iob dum fortem se per insaniam non esse asserit, fortem se per statum salutis innotescit. Vnde ergo hanc eandem fortitudinem perceperit patenter insinuet, ne si sibi vires, quas habet, arroget, potenter ad mortem currat. Plerũque enim virtus habita deterius, quàm si deesset, interficit: quia dum ad sui confidentiam mentem erigit, hãc elationis gladio transfigit. Cúmque eam quasi roborando viuificat, eleuando necat, ad interitum videlicet pertrahit, quam per spem propriam ab internæ fortitudinis fiducia euellit. Sed quia beatus Iob, & virtute pollet, & in semetipso fiduciam non habet, atque vt ita dixerim, vires infirmus habet, aptè subiungit, dicens: *Ecce non est auxilium mihi in me.*) Patet iam ad cuius spem percussi animus recurrat, cùm in se sibi auxilium esse denegat. Sed quia infirmum se in semetipso insinuat, ad maioris adhuc fortitudinis meritum, quomodo etiam à proximis destituatur, adiungit: *Necessarij quoque mei recesserunt à me.*) Sed ecce despectus exterius, intus folio iudicij præsidet. Nam cùm derelictum se asserit, protinus ad sententiam erumpit, dicens:

Ezech.11. *1. Cor.13.*

De ordine charitatis, & quòd in prosperitate dilectio vix agnoscatur.

Caput X.

QVi tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini deseruit.) Quis hoc loco amici nomine, nisi quilibet proximus designatur? Qui eo fidelius nobis iungitur, quò percepto nunc à nobis boni operis exemplo, ad obtinendam pòst æternam patriam veraciter auxiliatur. Quia autem duo sunt præcepta charitatis, Dei videlicet amor, & proximi: per amorem Dei amor proximi gignitur, & per amorem proximi amor Dei nutritur. Nam qui amare Deum negligit, profectò diligere proximum nescit, & tunc plenius in dilectione Dei proficimus, si in eiusdem dilectionis gremio prius proximi charitate † ligamur. Quia enim amor Dei amorem proximi generat, dicturus per legem Dominus: Diliges proximum tuum sicut teipsum, præmisit dicens: Diliges Dominum deum tuum, vt scilicet in terra pectoris nostri, prius amoris sui radicem figeret, quatenus per ramos postmodum dilectio fraterna germinaret. Et rursum quia amor Dei ex proximi amore coalescit, testatur Ioannes, qui increpat dicens: Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Quæ tamen diuina dilectio per timorem nascitur, sed in affectum crescendo permutatur. Sæpe verò omnipotens Deus vt quantum quisque à charitate eius ac proximi longè sit, vel in ea quantum profecerit innotescat, miro ordine cuncta dispensans, alios flagellis deprimit, alios successibus fulcit. Et cùm quosdam temporaliter deserit, in quorundam cordibus quæ mala latent, ostendit. Nam plerunque ipsi nos miseros insequuntur, qui fœlices sine comparatione coluerunt. Cùm enim quis

† al. lacerat. *Deute.6.* *1. Ioan.4.*

positus in proſperitate diligitur, incertum valde eſt vtrum
Eccli. 12. proſperitas an perſona diligatur. Amiſsio autem fœlicitatis interrogat vim dilectionis. Vnde bene quidam ſapiens dicit: Non agnoſcitur in bonis amicus, & non abſconditur in malis inimicus. Nec proſperitas quippe amicum indicat, nec aduerſitas inimicum cælat, quia & ille ſæpe proſperitatis noſtræ reuerentia tegitur, & iſte ex cōfidentia aduerſitatis ape-
Cur Deus quoſdam flagellat. ritur. Vir igitur iuſtus in flagellis poſit', dicat: Qui tollit ab amico ſuo miſericordiam, timorem Domini dereliquit: quia nimirum qui ex aduerſitate proximum deſpicit, apertè conuincitur quòd hunc in proſperis non amauit. Et cùm omnipotens Deus ideo flagello quoſdam cruciet, vt & percuſſos erudiat, & non percuſsis occaſionem boni operis præbeat, quiſquis percuſſum deſpicit, occaſionē à ſe virtutis repellit: & tantò ſe nequius contra auctorem erigit, quantò hunc nec pium in ſalute propria, nec iuſtum in alieno vulnere agnoſcit. Intuendum verò eſt quòd beatus Iob ſic ſua loquitur, vt totius quoque electi populi per eum vita ſignetur. Quia enim eiuſdem populi membrum eſt, cùm quæ ipſe patitur narrat, ea etiam quæ ſuſtinet ille denuntiat, dicens: *Fratres mei prætcrierunt me ſicut torrens, qui raptim tranſit in conuallibus.*) Reproborum mens quia ſola præſentia diligit, plerunque nunc tantò aliena exiſtit à verbere, quantò pòſt extranea remanet ab hæreditate, & ſuperba iuſtos deſpicit, quos paterna miſericorditer ſeueritas affligit. Sæpe verò reprobi eandem fidem qua viuimus retinent, eadem fidei ſacramenta percipiunt, eiuſdem religionis vnitate continentur, ſed tamen compaſsionis viſcera neſciunt, charitati vim qua in Deum flagramus & proximum non agnoſcunt. Rectè ergo & fratres, & prætereuntes vocātur, quia ex vno matris gremio nobiſcum per fidem prodeunt, ſed in vno charitatis ſtudio erga Deum, & proximum non figuntur. Vnde etiam aptè torrenti qui raptim tranſit in conuallibus, comparantur. Torrens nanque ex montanis in ima defluit, & collectus hyemalibus pluuiis, æſtiuis ſolibus areſcit. Qui enim terrena diligunt, & ſpem ſupernæ patriæ deſerunt, quaſi ex montibus valles petunt, quos tamen hyems præſentis vitæ multiplicat, ſed æſtas venturi iudicij exſiccat, quia cùm ſol ſupernæ diſtrictionis incanduerit, reproborum lætitiam in ariditatem vertit. Bene autem dicitur: *Raptim tranſit in conuallibus.*) Torrentem quippe ad conualles raptim tranſire, eſt prauorum mentes ad ima deſideria, ſine vllo obſtaculo ac
12. difficultate deſcendere. Omnis enim aſcenſus in labore eſt, deſcenſus in voluptate, quia per adniſum greſſus ad ſuperiora tenditur, per remiſsionem verò ad inferiora de-
† Vel, laboris non eſt. clinatur. Ad montis enim verticem ſaxum ſubuehere magni laboris eſt, eúmque à ſummis ad ima dimittere † labor non eſt. Sine mora videlicet proruit, qui magnis conatibus ad ſumma peruenit. Longo ſtudio ſeges ſeritur, ſole atque imbre diutino nutritur, ſed tamen vna & ſubita ſcintilla conſumitur. Pauliſper ædificia [ad] alta proficiunt, ſed repentinis caſibus terram petunt. Robuſta arbor in aëra per tarda incrementa ſe erigit, ſed quicquid diu ad alta protulit, ſemel & ſimul cadit. Quia igitur aſcenſus in labore eſt, deſcenſus in voluptate, rectè nunc dicitur: *Fratres mei prætcrierunt me ſicut torrens qui raptim tranſit in conuallibus.*) Quod tamen ſentiri & aliter poteſt. Si enim conualles ima pœnarum loca intelligimus, iniuſti quique ſicut torrens raptim ad conualles tranſeunt, quia in hac vita quam totis deſideriis appetunt, diu ſtare nequaquam poſſunt. Nam quot dies ætatis accipiunt, quaſi tot quotidie greſsibus ad finem tendunt. Augeri ſibi optant tempora, ſed quia conceſſa ſubſiſtere nequeunt, quot augmenta viuendi percipiunt, diu viuendi ſpatia totidem perdunt. Momenta ergo temporum quò ſequuntur fugiunt, quò accipiunt amittunt. Raptim itaque ad conualles tranſeunt, qui in longum quidem voluptatum deſideria pertrahunt, ſed ad inferni clauſtra repentè deducuntur. Quia enim hoc etiam [tempus] quod qualibet longæuitate extenſum eſt, ſi fine clauditur, longum non eſt, ex fine miſeri collegerunt breue fuiſſe, quod amittendo tenuerunt. Vnde bene & per Salomonem dicitur: Si multis
Eccli. 11. annis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis, & dierum multorum, qui
E cùm venerint, vanitatis arguentur præterita. Stulta etenim mens cùm malum repentè inuenerit, quod nequaquam præterit, æternitatem eius tolerando intelligit, quia quod præterire potuit, vanum fuit. Sciendum verò eſt quod plerique agere recta deſiderant, ſed ſunt nonnulla quæ infirmis eorum mentibus ex præſenti vita contradicunt: cúmque aduerſa in infirmis perpeti metuunt, in ſuperni iudicij rectitudine offendunt. Vnde rectè ſubiungitur:

Quòd hi qui temporalium damnorum metu veritatem vel iuſtitiam vel cæteras virtutes prætermittunt, cœleſtis iræ vindictam incurrunt.

Caput XI.

QVi timent pruinam, irruet ſuper eos nix.) Pruina quippe inferius gelatur, nix autem de ſuperioribus ruit. Et ſæpe nonnulli dum temporalia aduerſa pertimeſcunt, diſtrictio-
ni ſe æternæ animaduerſionis obiiciunt. De quibus bene per *Pſalm. 13.*
Pſalmiſtam dicitur: Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Iſte nanque veritatem iam liberè defendere ap-
F petit, ſed tamen in ipſo ſuo appetitu trepidus indignationem poteſtatis humanæ pertimeſcit: cúmque in terra hominem contra veritatem pauet, eiuſdem veritatis iram cœlitùs ſuſtinet. Ille peccatorum ſuorum conſcius, ea quæ poſsidet, indigentibus iam largiri deſiderat, ſed tamen ne datis rebus egeat, ipſe formidat. Cúmque carnis ſubſidia reſeruando trepidus præparat, ab alimentis miſericordiæ animam necat. Et cùm pati in terra inopiam metuit, æternam ſibi abundantiam ſupernæ refectionis abſcindit. Rectè ergo dicitur: *Qui timent pruinam, irruet ſuper eos nix.*) Quia qui conculcanda in infimis metuunt, à ſummis metuenda patiuntur: & cùm tranſire nolunt quod calcare poterant, iudicium de ſupernis excipiunt, quod tolerare nequaquam poſſunt. Sed hæc agentes, mundi gloriam temporaliter obtinent. Quid autem tempore vocationis ſuæ facturi ſunt, cùm cuncta ſimul pauidi deſerunt, quæ hic cum graui timore ſeruauerunt? Vnde & aptè ſubditur: *Tempore quo fuerint diſsipati, peribunt.*) Quos
G enim præſentis vitæ ſollicitudo ordinat, amiſsio diſsipat: & tunc etiam exterius pereunt, qui intus dudum æterna negli-
gendo perierunt. De quibus rectè additur: *Et vt incalue-* 13.
rint, ſoluentur de loco ſuo.) Iniquus enim quiſque cùm incaluerit, de loco ſuo ſoluetur, quia iudicio intimæ diſtrictionis ap-
propinquans, cùm iam per cognitionem † penè feruere cœ- *† Vel pœn.*
perit, ab ea cui dudum inhæſerat carnis ſuæ delectatione, ſeparatur. Hinc eſt enim quod per Prophetam de reprobis dicitur: Et tantummodo ſola vexatio intellectum dabit au-
ditui: quia videlicet æterna non intelligunt, niſi cùm pro *Eſaiæ 28.*
temporalibus iam ſine emendatione puniuntur, tunc mens æſtuat, & infructoſæ pœnitentiæ ſe ignibus inflammat, duci ad ſupplicium timet, præſentem vitam ex deſiderio retinet: ſed de loco ſuo ſoluitur, quia oblectamenta carnis deſerens, eius duritia per ſupplicium liquatur. Sed quia iniqui omnes quid abſtractionis ſuæ tempore patiātur audiuimus, adhuc aliqua quibus in libertatis ſuæ ſpacio implicantur, audiamus. Sequitur:

H *Quòd peccatum ex paccato naſcatur, mira & ſubtilis diſtinctio: & quid ſit quod per Eſaiam dicitur: Erit cubile draconum & paſcua ſtruthionum.* *Caput XII.*

INuolutæ ſunt ſemitæ greſſuum eorum.) Omne quod inuoluitur, 14.
in ſemetipſum replicatur. Et ſunt nonnulli qui ſeducentibus vitiis obuiare quaſi tota intentione deliberant, ſed irruēte tentationis articulo, in deliberationis propoſito non per-
durant. Alius nanque prauo † vſu ſuperbię inflatus, cùm ma- *† Vel, auſu.*
gna eſſe præmia humilitatis cōſiderat, aduerſum ſemetipſum ſe erigit, & quaſi tumorē turgidi faſtus deponit, exhibere ſe quibuſlibet cōtumeliis humilem promittit: ſed cùm repentè hunc vnius iniuria verbi pulſauerit, ad conſuetam protinus elationem redit, ſicque ad tumorem ducitur, vt nequaquam quia humilitatis bonum concupierat recordetur. Alius auaritia æſtuans, augendis facultatibus anhelat, iis cum pręterire omnia velociter cōſpicit, vagantem per cōcupiſcentias mentē figit, decernit iam nihil appetere, & adepta tātummodo ſub magni moderaminis freno poſsidere: ſed cùm repētè fuerint oculis oblata quę placeant, in ambitione protinus mēs anhelat, ſemetipſam non capit, adipiſcendi hæc occaſionem quærit, & oblita continentiæ quam ſecum pepigerat, cogitationū ſe ſtimulis per deſideria acquiſitionis inquietat. Alius luxuriæ tabe polluitur: & longa iam conſuetudine captus tenetur: quanta autem caſtitatis ſit munditia, conſpicit, & à carne vinci turpe deprehendit. Reſtringere ergo voluptatum fluxa deliberat, & reſultare conſuetudini, quaſi totis ſe viribus parat. Sed vel obiecta oculis ſpecie, vel ad memoriam reducta, cùm ſubiecta tentatione concutitur, protinus à priſtina præparatione diſsipatur. Et qui contra hanc clypeum deliberationis erexerat, delectationis iaculo confoſſus iacet, ſicque eum luxuria eneruem ſuperat, ac ſi nulla contra eam* tentationis arma præparaſſet. Alius iræ flammis accenditur, & vſque ſtimulis ad inferendas proximis contumelias effrenatur. Cùm verò nulla furoris animū occaſio pulſat, quāta ſit manſuetudinis virtus, quanta patientiæ altitudo conſiderat, ſeque etiam contra contumelias patienter parat: ſed cùm parua quælibet commotionis occaſio naſcitur, repente ad voces & contumelias medullitùs inflammatur, ita vt non ſolùm ad memoriam patientia promiſſa non redeat, ſed & ſemetipſam mens, & ea quæ loquitur conuitia non agnoſcat. Cúmque furori plenè ſatisfecerit, quaſi poſt exercitium in tranquillitatem redit: & tunc ſe ad ſilentij clauſtra recolligit, cùm linguæ non patientia, ſed procacitatis ſuæ ſatisfactio frenum ponit. Vix igitur vel ſerò poſt conuitia illata ſe cohibet, quia & à curſu ſæpe ſpumantes equos non præſidentis dextera, ſed campi terminus coërcet. Bene ergo de reprobis dicitur: Inuolutæ ſunt ſemitæ greſſuum eorum quia recta quidem deliberando appetunt, ſed ad conſueta ſemper mala replicantur, & quaſi extra ſe tenſi, ad ſemetipſos per circuitum redeunt, qui bona quidem cupiunt, ſed à malis nequaquam recedunt. Eſſe quippe humiles, ſed tamen ſine deſpectu: eſſe contenti propriis, ſed ſine neceſſitate: eſſe caſti, ſed ſine maceratione corporis: eſſe patientes, ſed ſine contumeliis volunt: cúmque adipiſci virtutes quærunt, ſed labores virtutum fugiunt, quid aliud quàm exhibere belli certamina in campo neſciunt, & triumpha-
15. re in vrbibus de bello concupiſcunt? Quamuis hoc quòd eorum ſemitæ inuolutæ memorantur, adhuc intelligi, & aliter poſsit. Sæpe nanque nonnulli contra quædam ſe vitia vehementer accingunt, ſed quædam ſubigere negligunt: cúmque ſe contra iſta non erigunt, & illa contra ſe reparant quæ ſubegerunt. Alius nanque iam carnem à luxuria edomuit, ſed tamen adhuc mentem ab auaritia non refrenauit: cúmque ſe in mūdo pro exercenda auaritia retinet, cúmque à terrenis actibus non recedit, erumpente occaſionis articulo, etiam in luxuriam labitur, quam iam ſubegiſſe videbatur. Alius auaritiæ æſtum vicit, ſed nequaquam vim luxuriæ ſubdidit: cúmque explendæ luxuriæ precium præparat, iugo quoque auaritiæ quam dudum edomuit, cordis ceruicem ſubdit. Alius rebellantem iam impatientiam ſtrauit, ſed inanem gloriam necdum vicit: & cùm ſe per hanc mundi honoribus inſerit, confixus cauſarum ſtimulis, ad impatientiam captus redit: cúmque inanis gloria ad defenſionem ſui animum erigit, & illam victus tolerat quam ſuperauit. Alius iam inanem gloriam ſubdidit, ſed tamen impatientiam necdum ſtrauit: & cùm multa reſiſtentibus per impatientiam minatur, erubeſcens non implere quod loquitur, ſub inanis gloriæ iugum reuocatur: & hoc victus per aliud tolerat, quod planè ſe viciſſe gaudebat. Sic ergo ope vicaria fugitiuum ſuum vitia retinent, & quaſi iam amiſſum ſub dominij [ſui] iure recipiunt, atque ad vindictam ſibi viciſsim tradunt. Peruerſis itaque inuolutæ ſunt greſſuum ſemitæ, quia etſi deuicta vna nequitia pedem leuant, regnante tamen altera, hunc in ea etiam quam deuicerant, implicant. Aliquando verò inuolutis greſſuum ſemitis, & nulla culpa deuincitur, & alia per aliam perpetratur. Nam ſæpe furto, negationis fallacia iungitur, & ſæpe culpa fallaciæ, periurij reatu cumulatur. Sæpe quodlibet vitium impudenti præſumptione committitur, & ſæpe (quod omni culpa fit grauius) etiam de commiſſo vitio ſuperbitur. Nam quanuis de virtute naſci elatio ſoleat nonnunquam tamen ſtulta mens de perpetrata ſe nequitia exaltat. Sed cùm culpa

A culpæ adiūgitur, quid aliud quàm inuolutis ſemitis atque innodatis vinculis prauorum greſſus ligantur? Vnde bene contra peruerſam mentem ſub Iudææ ſpecie per Eſaiam dicitur:
Erit cubile draconum, & paſcua ſtruthionum, & occurēt dæ- *Eſaiæ. 54.*
monia onocentauris, & piloſus clamabit alter ad alterum. Quid nanque per dracones, niſi malitia, quid verò ſtruthionum nomine niſi hypocriſis deſignatur? Struthio quippe volandi ſpeciem habet, ſed vſum volandi non habet, quia & hypocriſis cunctis intuentibus imaginem de ſe ſanctitatis inſinuat, ſed tenere vitam ſanctitatis ignorat. In peruerſa igitur mente draco cubat, & ſtruthio paſcitur: quia & latens malitia callidè tegitur, & intuentium oculis ſimulatio bonitatis antefertur. Quid vero onocentaurorum nomine, niſi & lubrici figurantur & elati? Græco quippe eloquio onos aſinus dici-
tur, & appellatione aſini luxuria deſignatur, Propheta atteſtā- *Ezech. 24.*
te, qui ait: Vt carnes aſinorum, carnes eorum. Tauri autē vocabulo, ceruix ſuperbiæ demonſtratur, ſicut voce dominica
de Iudæis ſuperbientibus per Pſalmiſtam dicitur: Tauri pin- *Pſal. 21.*
B gues obſederunt me. Onocentauri ergo ſunt, qui ſubiecti luxuriæ vitiis, inde ceruicem erigunt, vnde humiliari debuerāt. Qui carnis ſuæ voluptatibus ſeruientes, expulſa longè verecundia, non ſolùm ſe amittere rectitudinem non dolent, ſed adhuc etiam de opere confuſionis gaudent. Onocentauris autem dæmonia occurrunt, quia maligni ſpiritus valde eis ad votum deſeruiunt, quos de his gaudere conſpiciunt, quæ flere debuerunt. Vbi aptè ſubiungitur: Et piloſus clamabit alter ad alterum. Qui nanque alij piloſi appellatione figurantur, niſi hi quos Græci Panas, Latini verò incubos vocant? quorum nimirum forma ab humana effigie incipit, ſed beſtiali extremitate terminatur. Piloſi ergo nomine, cuiuſlibet peccati aſperitas deſignatur, quod etſi quando quaſi ab obtentu rationis incipit, ſemper tamen ad irrationabiles motus tendit, & quaſi homo in beſtiam deſinit, dum culpa per rationis imaginem inchoans, vſque ad irrationabilem effectum trahit. Nam ſæpe edendi delectatio ſeruit gulæ, & ſeruire ſe ſimulat
C indigentiæ naturæ: cúmque ventrem ingluuie extēdit, membra in luxuriam erigit. Piloſus autem alter ad alterum clamat, cùm perpetrata nequitia, ad aliam perpetrandam malitiam prouocat, & quaſi quadam cogitationis voce, commiſſa iam culpa, culpam adhuc quæ committatur inuitat. Sæpe nanque (vt diximus) gula dicit: Si abundanti alimento corpus non reficis, in nullo vtili labore ſubſiſtis. Cúmque mētem per deſideria carnis accenderit, mox quoque luxuria verba propriæ ſuggeſtionis facit, dicens: Si miſceri Deus homines corporaliter nollet, mēbra ipſa coëundi apta vſibus nō feciſſet. Cúmque hæc quaſi ex ratione ſuggerit, mentem ad libidinum effrenationem trahit. Quæ ſæpe deprehenſa, patrocinium mox fallaciæ, & negationis inquirit, reámque ſe eſſe non æſtimat, ſi mentiendo vitam defendat. Piloſus ergo alter ad alterum clamat, quādo ſub aliqua ratiocinandi ſpecie, peruerſam mentem culpa ſubſequens ex occaſione culpæ præcedētis illaqueat. Cúmque hanc peccatorum dura atque aſpera depriment, quaſi conuocati in ea concorditer piloſi dominantur:
D ſicque fit, vt ſemper ſe greſſuum ſemitæ deterius inuoluant, dum mentem reprobam culpa per culpam ligat.

Quòd peccati conſuetudine mens cæcata neſcit quo vadat, & libenter illecebris ſe ſubdat, quod exemplo Sampſonis & Sedechiæ probatur.

Caput XIII.

SEd inter hæc ſciendum eſt, quòd aliquando prius oculus 16.
intellectus obtunditur, & poſtmodum captus animus per exteriora deſideria vagatur: vt cæca mēs quò ducitur neſciat, & carnis ſuæ illecebris ſeſe libenter ſubdat. Aliquando verò prius deſideria carnis ebulliunt, & poſt longum vſum illiciti operis, oculum cordis claudunt. Nam ſæpe mēs recta cernit, nec tamen audenter contra peruerſa ſe erigit: & renitens vincitur, dum hocipſum quod agit diiudicans, carnis ſuæ delectatione ſuperatur. Quia enim plærunque prius oculus contemplationis amittitur, & poſt per carnis deſideria huius mūdi laboribus animus ſubiugatur, teſtatur Sāpſon ab Allophylis captus, qui poſtquam oculos perdidit, ad molam deputatus eſt: quia nimirum maligni ſpiritus, poſtquam tentationum ſtimulis intus aciem contemplationis effodiunt, foras in circui-

tum laborum mittunt. Rursum, quia sæpe & recta operatio exterius perditur, & tamen adhuc rationis lumen in corde retinetur, propheta Hieremias insinuat, qui dum Sedechiæ captiuitatem narrat, ordinem captiuitatis interne denuntiat, dicens: Occidit rex Babylonis filios Sedechiæ in Reblatha in oculis eius, & omnes nobiles Iuda occidit rex Babylonis, oculos quoque Sedechiæ eruit. Rex quippe Babylonis est antiquus hostis, possessor intimæ confusionis, qui prius filios ante intuentis oculos trucidat: quia sæpe sic bona opera interficit, vt hæc se amittere ipse qui captus est, dolens cernat. Nam † bona plerunque gignit animus, & tamen carnis suæ delectationibus victus, bona quæ genuit, amãs perdit, & quæ patitur damna considerat, nec tamen virtutis brachium contra regem Babylonis leuat. Sed dum videns nequitiæ perpetratione percutitur, ad hoc quandoque peccati vsu perducitur, vt ipso quoque rationis lumine priuetur. Vnde Babylonis rex, extinctis prius filiis, Sedechiæ oculos eruit, quia malignus spiritus subductis prius bonis operibus, pòst & intelligentiæ lumen tollit. Quod rectè Sedechias in Reblatha patitur. Reblatha quippe, multa hæc interpretatur. Ei enim quãdoque & lumen rationis clauditur, qui prauo vsu ex iniquitatis suæ multitudine grauatur. Quoquo autem modo culpa prodeat, vel quibuslibet occasionibus erumpat, reproborum tamen semitæ semper inuolutæ sunt, vt prauis concupiscentiis dediti, aut bona nulla appetant, aut appetentes infirmo desiderio, ad hæc nequaquam mentis liberos gressus tendant. Recta enim aut non incipiunt, aut in ipso fracti itinere, ad hæc minimè pertingunt. Vnde fit plerunque, vt ad morem suum lassati redeant, seséque ab intentione animi in carnis voluptatibus sternant, sola quæ transeunt cogitent, nulla quæ secum permaneant, curent. Vnde & aptè subditur: *Ambulabunt in vacuum & peribunt.*) In vacuum quippe ambulant, qui nil secum de fructu sui laboris portant. Alius nanq; adipiscendis honoribus exudat, alius multiplicandis facultatibus æstuat, alius promerendis laudibus anhelat. Sed quia cuncta hæc hîc quisque moriens deserit, labores in vacuum perdidit, quia secum ante iudicem nihil tulit. Quò cõtra bene per legem dicitur: Non apparebis in conspectu Domini vacuus. Qui enim promerendæ vitæ mercedem bene agendo non prouidet, in cõspectu Domini vacuus apparet. Hinc de iustis per Psalmistam dicitur: Venientes autem venient in exultatione portantes manipulos suos. Ad examen quippe iudicij portantes manipulos veniunt, qui in semetipsis recta opera quibus vitam mereantur ostendunt. Hinc de vnoquoque electo Psalmista iterum dicit: Qui non accepit in vano animam suam. In vano nanque animam suam accipit, qui sola præsentia cogitans quæ sequantur in perpetuum non attendit. In vano animam suam accipit, qui eius vitam negligens, ei curam carnis anteponit: sed animam suam iusti in vano non accipiunt, quia intentione cõtinua ad eius vtilitatem referunt quicquid corporaliter operantur, quatenus & transeunte opere, operis causa non transeat, quæ vitæ præmia post vitã parat. Sed hæc curare reprobi negligunt: quia profectò ambulantes in vacuum, vitam sequentes fugiunt, inuenientes perdunt. Melius verò à prauorum imitatione compescimur, si eorum damna ex fine pensamus. Vnde bene etiã cum exhortatione subiungitur:

Hierc.39.

† al. Nam gemit plerunque animus.

17.

Deut.16.

Psalm. 125.

Psalm.25.

Quòd tepidè conuersantium illaqueata intentio, in seculi huius turbine attendenda sit, & ex alterius damno correpti, firmiter in Deum proficere debeamus, & quid sit quòd vitulis domi reclusis vaccę trahentes plaustrum, cui arca est imposita, ibant in directum per viam quæ ducit in Bethsamis. Caput XIIII.

Consideratę semitas Theman, itinera Sabba, & expectate paulisper.) Themã quippe Auster, Saba autem rete interpretatur. Quid hîc per Austrum, qui afflata temporibus membra dissoluit, nisi fluxa viuendi remissio: quid per rete, nisi actionis obligatio demonstratur? Qui enim dissoluta mẽte ea quæ terrena sunt appetũt, nec gressu libero ad Deum pergũt, ipsi se suis inordinatis conatibus ligant: cúmque se fluxis cõuersationis suæ actibus implicant, quasi remansuros in retis vinculis pedes ponũt. Vt enim paulò superius quosdam ad deuictas iam culpas retrahi per aperta quædam, & nõ deuicta vitia diximus: ita nonnulli ad ea quæ reliquerant, redeunt per quædam quæ vel honestatis nomine, vel laudis honore palliantur. Nam sunt plerique qui iam aliena non appetunt, atque ab huius mundi iurgiis inchoatę quietis amore diuiduntur, erudiri sacris eloquiis sitiũt, vacare superni contẽplationibus concupiscunt, nec tamen perfecta animi libertate curã rerum familiarium deserunt, cui sæpe dum licitè seruiunt, etiã illicitis huius mũdi iurgiis implicantur: cúmque terrenas res studiosè tueri desiderant, cordis requiẽ deserunt, quã quærebant, & cùm substãtia fugiens continua prouisione protegitur, conceptus in animo diuinæ scientiæ sermo dissipatur: quia iuxta veritatis sententiam, obortum semen spinæ opprimunt, cùm verbum Dei à memoria importunæ terrenarum rerum sollicitudines expellunt. Dissolutis itaque gressibus in rete ambulant, qui dum mundum perfectè non deserunt, semetipsos gradiendo obligant ne gradiantur. Et sunt plerique qui non solùm aliena non appetunt, verumetiam cuncta quæ possederant, in mundo derelinquunt, semetipsos despiciunt, nullam præsentis vitæ gloriam requirunt, ab huius mundi se actibus separant, & penè quicquid prosperitatis arriserit, calcant. Sed tamen adhuc vinculo carnalis cognationis obligati, dum amori propinquitatis indiscretè deseruiunt, ad ea sæpę per affectum cognationum redeunt, quæ iam & cum proprio despectu subegerunt. Cúmque plusquam necesse est, carnis propinquos diligunt, retracti exterius à cordis parente diuiduntur. Nam sæpe quosdam videmus (quantum ad proprium studium spectat) iam præsentis vitæ desideria non habere, mundum & opere & professione reliquisse: sed tamen pro inordinatis affectibus propinquorum prætoria irrumpere, terrenarum rerum iurgiis vacare, libertatem intimæ quietis relinquere, & mundi studia in se iamdudum destructa reparare. Quò itaque isti nisi in rete ambulant, quos à præsenti seculo inchoata iam vitæ perfectio soluerat, sed inordinatus amor terrenæ cognationis ligat? Qui enim districto studio, & non dissolutis gressibus æternæ spõsionis præmium sequuntur, sicut semetipsos pro diuino amore despiciunt, sic cuncta quibus se sentiunt præpediri, postponunt: & cùm pro Deo necesse est, vt quibus valent cunctis inseruiant, pro Deo priuata obsequia etiam propinquis negant. Hinc est enim quòd quidam cùm diceret: Permitte mihi prius ire & sepelire patrem meum, protinus ex ore veritatis audiuit: Sine vt mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade, & annuntia regnum Dei. Qua in re notandum est, quia electus discipulus dum à parentis sepultura compescitur, hoc deuotum quémque exhibere patri mortuo ex affatu carnali propter Dominum non licet, quod propter Dominum & exteris debet. Hinc rursum veritas dicit: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores: adhuc autem & animam suam, nõ potest meus esse discipulus. Quo in loco videlicet dum propinquorum odio, animæ quoque nostræ odium subinfertur, patenter ostenditur, quia sic propinquos, sicut nosmetipsos odio habere præcipimur, vt hos ad æterna rapientes, eorúmque carnalem gratiam cùm præpedit postponentes, discamus temperata eos discretionis arte & conuenienter diligere, & salubriter odio habere, quatenus sic sciat per amorem odium surgere, vt valeamus eos verius per odium amare. Hinc rursum per Moysen dicitur: Qui dixerit patri suo & matri suæ, nescio vos, & fratribus suis, ignoro illos, & nescierunt filios suos: hi custodierunt, eloquium tuum, & pactum tuum, & seruauerunt iudicia tua. Ille enim scire Dominum familiarius appetit, qui præ amore pietatis nescire desiderat, quos carnaliter sciuit. Graui etenim damno scientia diuina minuitur, si cum carnis notitia patitur. Extra cognatos ergo quisque ac proximos debet fieri, si vult parenti omnium verius iungi: quatenus eosdem quos propter Deum viriliter negligit, tantò solidius diligat, quantò in eis affectum solubilẽ copulæ carnalis ignorat. Debemus quidem & temporaliter his quibus vicinius iungimur, plus cæteris prodesse, quia & flamma admotis rebus incendium porrigit, sed hoc ipsum prius vbi nascitur, incendit. Debemus copulam terrenæ cognationis agnoscere, sed tamen hanc cùm cursum mentis præpedit, ignõrare: quatenus

Matth.8.

18.

Lucæ.14.

Deute.33.

nus fidelis animus diuino studio accensus, nec ea quę sibi sunt in infimis coniuncta, despiciat, & hęc apud semetipsum rectè ordinãs, summorum amore transcẽdat. Solerti ergo cura prouidendum est, ne carnis gratia surrepat, atque à recto itinere cordis gressum deflectat, nec vim superni amoris impediat, & surgentem mentem superimposito põdere deorsum premat. Si etenim quisque propinquorum debet necessitatibus compati, vt tamen per compassionem non sinat vim suæ intentionis impediri: vt affectus quidem mentis viscera repleat, sed tamen à spiritali proposito non auertat. Neque enim sancti viri ad impendenda necessaria propinquos carnis non diligunt, sed amore spiritalium ipsant in se dilectionem vincunt: quatenus sic eam discretionis moderamine temperent, vt per hanc in paruo saltem ac minimo à recto itinere non declinent. Quos bene nobis per significationem vaccæ innuunt, quæ sub arca Domini ad montana tendentes, affectu simul, & rigido sensu gradiuntur, sicut scriptum est: Tollentes duas vaccas quæ lactabant vitulos, iunxerũt ad plaustrum, vitulósque earum clauserunt domi, & posuerunt arcam Dei super plaustrũ. Et paulò post: Ibãt in directũ vaccæ per viam quę ducit Bethsamis, & itinere vno gradiebantur, pergentes & mugientes, & non declinantes neque ad dextram, neque ad sinistram. Ecce enim reclusis domi vitulis, vaccæ quæ sub arca Domini plaustro religantur, gemunt & pergunt, dant ab intimis mugitus, & tamen ab itinere non demutant gressus. Amorem quidem per compassionem sentiunt, sed colla posterius non deflectũt. Sic sic necesse est vt incedere debeant, qui sacrę legis iugo suppositi, iam per internam scientiam Dei arcam portant: quatenus per hoc quòd propinquorum necessitatibus condolent, à cœpto rectitudinis itinere non declinent. Bethsamis quippe domus Solis dicitur. Arca ergo Domini superposita Bethsamis pergere, est cum superna sciẽtia ad æternæ lucis habitaculum propinquare. Sed tunc verè Bethsamis tendimus, cùm viam rectitudinis gradientes, ad vicina erroris latera nec pro affectu pignorũ declinamus. Quorum nimirum gratia mentem nostram tenere debet, sed reflectere non debet: ne hæc eadem mens aut si affectu non tangitur, dura sit, aut plus tacta, si inflectitur, remissa. Intueri libet beatum Iob, in quo diuini timoris iugo colla cordis attriuerat, sub quanto discretionis moderamine diuinæ scientiæ arcam portat. Amissis nanque vitulis mugit, quia audita morte filiorum, in terram tonso capite corruit: sed recto tamen itinere mugiens graditur, quia os eius in gemitu ad Dei laudes aperitur, cùm protinus dicit: Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Sed indiscretæ mentes hanc viuendi regulam nesciunt, & quò vias Dei dissolutè appetunt, eò ad mundi itinera stultè replicãtur. Rectè igitur sanctus vir post Theman semitas, Saba itinera memorat, quia quos Auster reprobi temporis soluerit, hos nimirum rete implicationis tenet. Bene autem prauorum facta describens, considerare hæc admonet: quia peruersa agendo diligimus, sed hæc visa in aliis diiudicamus, & quæ in nobis minus diiudicanda credimus, quàm sint turpia, in aliorum actibus cognoscimus: sicque fit, vt ad semetipsam mens redeat, & agere quod reprehẽdit erubescat. Quasi enim à speculo fœda facies displicet, cùm mens à vita simili in seipsa quòd auersetur videt. Ait ergo: *Consideratę semitas Theman, itinera Saba, & expectate paulisper.*) Ac si apertè diceret: Damna alieni temporis attendite, & tunc spem de æternis firmius sumitis, si recto cordis oculo quod in aliis displiceat, videtis. Bene autem dicitur: *Expectate paulisper.*) Sæpe etenim dum præsentis vitæ breuitas quasi diu perseueratura diligitur, ab æterna spe animus frangitur, & delectatus præsentibus, desperationis suæ caligine reuerberatur. Cúmque longum putat quod ad viuendi sibi spatium restat, repentè vitam deserens, æterna [mala] inueuit, quæ vitare iam nequeat. Hinc est enim quod per quendam sapientem dicitur. Væ his qui perdiderunt sustinentiam. Sustinentiam videlicet perdunt, qui dum diu se immorari visibilibus æstimant, spem inuisibilium derelinquunt. Cúmque mens in præsentibus figitur, vita terminatur, & repentè ad supplicia improuisa peruenium, quæ decepti sub præsumptionibus, aut nunquam se contingere, aut tardè crediderunt. Hinc veritas dicit: Vigilate itaque quia nescitis diem neque horam. Hinc rursum scriptum est: Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Quia enim ad rapiendam animam propinquans minimè conspicitur, furi in nocte comparatur. Tantò igitur debet quasi semper veniens metui, quantò à no[illegible]s non valent ventura, præsciri. Vnde & sancti viri quia breuitatem vitæ indesinenter aspiciunt, quasi quotidie morientes viuunt: & tantò se solidius mansuris præparant, quantò & nulla esse transitoria semper ex fine pensant. Hinc quippe Psalmista veloci cursu fugere vitam peccatoris aspiciens, ait: Pusillum adhuc, & non erit peccator. Hinc iterum dicit: Homo sicut fœnum dies eius. Hinc Esaias ait: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius sicut flos agri. Hinc mentes præsumentium Iacobus corripit, dicens: Quæ est vita nostra? Vapor est ad modicum parens. Rectè ergo dicitur: *Expectate paulisper:*) quia & immensum est quod sine termino sequitur, & parũ est quicquid finitur. Longum quippe nobis videri nõ debet, quod cursu sui temporis tendit vt non sit: quod dum per momenta ducitur, ipsa hoc momenta sua quę differunt, impellunt: atque vnde teneri cernitur, inde agitur ne teneatur. Bene autẽ beatus Iob postquã breuitatem præsentis vitæ despiciens intulit, contra iniquos protinus in † voce omnium electorũ surgit, adiungens: *Confusi sunt, quia sperani.*) Cùm bonis mala reprobi ingerunt, si hos à spe intima labefactari conspiciunt, effectu deceptionis hilarescunt. Lucrum nanque maximum, erroris sui propagationem deputant: quia habere se ad perditionẽ socios exultant. Cùm verò bonorũ spes interius sigitur, & nequaquam malis exterioribus ad ima reclinatur, prauorum mẽtem confusio occupat: quia dum peruenire ad afflictorum intima nequeunt, incassũ se existere crudeles erubescunt. Sanctus igitur vir dicat ex voce sua: dicat ex vniuersalis Ecclesiæ afflictæ, gemẽtisque constantia, quæ inter aduersa reproborũ, supernæ retributionis gaudium sine vllo mentis defectu desiderat, atque ad vitã moriendo perdurat: *Confusi sunt, quia sperani.*) Ac si apertè dicat: Quia duris persecutionibus reprobi vim mei rigoris non emolliunt, erubescẽtes procul dubio laborem suæ crudelitatis perdunt. Vnde & mox venturæ retributionis bona, quasi iam præsentia conspicit: & qui reatus in iudicio reprobos maneat, attendit subdens: *Venerunt quoque vsque ad me, & pudore cooperti sunt.*) Vsque ad sanctam quippe Ecclesiã in die iudicij reprobi veniunt: quia vsque ad eius tunc conspiciendam gloriã perducuntur: vt ad maiora tũc reatus sui supplicia, repulsi videant quod perdiderunt. Tunc verò iniquos pudor cooperit: cùm eos in conspectu iudicis testis conscientia addicit. Tũc iudex exterius cernitur, sed accusator interius toleratur. Tunc omnis ante oculos culpa reducitur: & mẽs super gehẽnæ incendia, suo grauius igne cruciatur. De quibus rectè per Prophetam dicitur: Domine exaltetur manus tua, vt non videant, videant & confundãtur. Intellectum quippe reproborum nunc merita obscurãt: sed tunc cognitio reatus illuminat, vt & modò sequenda non videant: & tunc ea postquam amiserint, cernãt. Nunc quippe æterna intelligere negligunt, vel appetere intellecta contemnũt: sed tunc ea intelligentes procul dubio desiderantésque conspiciũt, cùm desiderata assequi nequaquã possunt. Quæ etiam beati Iob verba amicis eius specialiter cõgruũt, qui duris obiurgationibus sancti viri animum labefactare conabantur. Ait enim, *Confusi sunt, quia sperani.*) Ac si apertè diceret: Dum me stultis increpationibus ad desperationem flectere nequeunt, ipsi temeritatis suæ insania confunduntur. *Venerunt quoque vsque ad me, & pudore cooperti sunt.*) Ac si dicat: Videntes corporis vulnera, sed mentis constantiam nescientes, dum me de iniustitia increpare ausi sunt, vsque ad me nec dum venerunt: sed dura me inuectione pulsantes, dum stare animum inter aduersa deprehendunt, quasi ad me venientes erubescunt. Eò enim ad me veniunt, quò me in intimis agnoscunt, ibíque eos pudor cooperit, vbi me stantem fortiter exterior iactura non tangit. Sunt verò nonnulli qui timere Deum nesciunt, nisi cùm vel in se experta, vel in aliis cognita aduersitate terrentur: quos prospera per audaciam eleuant, cõtraria per infirmitatem turbãt. Ex quorum scilicet numero amicos suos esse beatus Iob redarguit, cùm protinus subdit dicens: *Nunc venistis, & modò videntes plagam meam, timetis.*) Ac si apertè dicat: Ego tunc

Matth.25.

1.Thes.5.

Psal.36.

Psal.102.

Esa.40.

Iacob.4.

† vel, vocem

21.

Deum timui, cùm fultus prosperis, flagellorum detrimenta non sensi. Vos autem quia ex amore Deum non metuetis, ex sola eum verberis percussione formidatis. Sequitur: *Nunquid dixi, afferte mihi: & de substantia vestra donate mihi, vel liberate me de manu hostis, & de manu robustorum eruite me?*) Si ad personam sanctæ Ecclesiæ hæc verba referuntur: quia amicos beati Iob hæreticorum tenere speciem diximus, rectè se asserit eorum substãtia non indigere. Hæreticorum quippe substantia, carnalis sapientia non inconuenienter accipitur: quadum peruersè fulciuntur, quasi in verbis se diuites ostendunt: quam eo sancta Ecclesia non quærit, quo hanc spiritali intellectu transcedit. Sæpe verò hæretici cùm peruersa de fide asserunt, nonnulla contra antiquum hostem subtilia de carnis tentationibus loquuntur. Nam nõnunquam eo in se quasi sana membra operationis ostendunt: quò in fide vulnerati serpentis morsu in capite tenentur. Sed sancta Ecclesia audire ab his subtilia de tentationibus non vult: quia dum vera quædam de conuersatione asserunt, ad falsa perfidiæ perducunt. Vnde rectè nunc dicitur: *Nunquid dixi, afferte mihi: & de substantia vestra donate mihi, vel liberate me de manu hostis, & de manu robustorum eruite me?*) Manum quippe hostis, satanæ fortitudinem vocat: & manum robustorum, vires malignorum spirituum appellat. Quos idcirco robustos memorat: quia dum absque carnis infirmitate sunt conditi, prauis eorum adnisibus imbecillitas adiuncta non obuiat. Hoc verò quod subditur: *Docete me, & ego tacebo: & si quid fortè ignorui, instruite me.*) Sub cuius distinctionis libramine pendeat, incertum videtur: vtrum ad hoc subiunctum sit quod intulerat: *Nunquid dixi?*) an certè disiuncta à superioribus sententia promatur, † quasi per increpationem dicatur: *Docete me, & ego tacebo: & si quid fortè ignorui, instruite me.*) Quod tamen vtrique distinctioni conuenit: quia ab intellectus sani tramite per neutram recedit. Sed quia hæc in transcursu per allegoriam diximus, restat vt moraliter historiæ verba perscrutemur.

† vel qua.

Quanta sit securitas seruorum Dei, & in reprehendendis vitiis sũ personarum acceptione authoritas: & quòd sanctus quisque prudentiam & vires & opes carnalium contemnat.

Caput XV.

22 BEatus igitur Iob damna rerum pertulerat: malignorum spirituum percussionibus traditus, dolores vulnerũ sentiebat: sed sapientem Dei stultitiam diligens, stultam mundi sapientiam mentis despectu calcauerat. Igitur contra mundi diuites pauper, contra potestates & potentes oppressus, contra sapientes stultus dicitur. Tria respondit, quia nec pauper eorum substantiam, nec oppressus adiutorium contra robustos, nec stultus doctrinam sapientiæ carnalis quærit. Sanctus etenim vir quia mente super semetipsum rapitur, & pauper inopia non angustatur, & oppressus nihil patitur, & voluntariè stultus carnalem sapientiam non miratur. Hinc est enim quòd oppressus alius pauper dicit: Aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: deiicimur, sed non perimus. Hinc est quod sapientiam sanctæ stultitiæ insinuans, ait: Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus: vt confundat sapientes. Et, Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo: stultus fiat, vt sit sapiens. Hinc est quòd gloriam oppresionis, & diuitias desideratæ paupertatis aperiens dicit: Quasi morientes, & ecce viuimus: vt castigati, & non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Libet inter hæc oculos mentis attollere, & electos Dei exterius oppressos, quantæ intrinsecus arci præsideant, videre: cuncta quippe quæ foris eminent, occultis eorum obtutibus per despectum iacent. Nam super se interius rapti, in animum figunt: & quæque in hac vita patiuntur, quasi longè infra labentia atque à se aliena conspiciunt: atque, vt ita dixerim, dum mente extra carnem fieri decertant, penè ipsa quæ tolerant, ignorant. In horum profectò oculis quicquid temporaliter eminet, altum non est: nam velut in magni vertice montis siti, præsentis vitæ gaudia plenè despiciunt: séque ipsos per spiritalem celsitudinem transcendentes, subiecta sibimet intus vident, quæcunque per

2.Corint.4.
1.Corinth.1.
1.Corinth.3.
2.Corint.6.

E carnalem gloriam foris tument. Vnde & nullis contra veritatem potestatibus parcunt: sed quos attolli per elationem conspiciunt, per spiritus authoritatem premunt. Hinc est enim quòd ad desertum Moyses veniens, Aegypti regem ex authoritate aggreditur, dicens: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Vsquequo non vis subiici mihi? Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi. Cui dum plagis pressus Pharao diceret: Ite, sacrificate Deo vestro in terra ista, aucta protinus authoritate respondit: Non potest ita fieri. Abominationes Aegyptiorum immolabimus Domino Deo nostro? Hinc est quòd peccantem regem, Nathan aggreditur: cui prius similitudinem perpetratæ præuaricationis obiiciens: eúmque reum per proprij iudicij vocem tenens, prótinus adiunxit dicens: Tu es ille vir qui fecisti hanc rem. Hinc est quòd vir Dei ad destruendam idololatriam, Samariam missus, Hieroboam regem super altare thura iacientem, non regem veritus, non formidine mortis pressus, contra altare intrepidus authoritatem liberæ vocis exercuit, dicens: Altare altare, hæc dicit Dominus Deus: Ecce filius nascetur domui Dauid, Iosias nomine: & immolabit super te sacerdotes excelsorum. Hinc est quòd Achab superbus idolorum seruitio subactus, cùm increpare Heliam præsumeret, dicens: Tu ne es ille vir, qui conturbas Israël? Helias protinus superbi regis stultitiam, obiurgationis libera authoritate percussit, dicens: Non ego turbaui Israël: sed tu & domus patris tui, & qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim. Hinc est quòd Holiseus veram magistri celsitudinem sequens, Ioram filium Achab ad se cum Iosaphat rege venientem ex reatu perfidiæ confudit, dicens: Quid mihi & tibi est? vade ad Prophetas patris tui & matris tuæ. Viuit Dominus exercituum, in cuius conspectu sto, quòd si non vultum Iosaphat regis Iudæ erubescerem: nec attendissem quidem te, nec respexissem. Hinc est quòd idem vir Naaman ad se cum equis & curribus venientem, ante ostium domus fixit: & talentorum copia ac vestium fulto non occurrit: non ianuam domus aperuit, sed vt lauari septies in Iordane debuisset, per nuntium iussit. Vnde & idem Naaman iratus recedebat, dicens: Putabam quòd egrederetur ad me, & stans inuocaret nomen Dei sui. Hinc est quòd Petrus, cùm eum sacerdotes ac principes etiam per flagella sæuientes, in nomine Iesu loqui prohiberent: cùm magna protinus authoritate respondit, dicens: Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire quàm Deum, iudicate. Non enim possumus quæ vidimus & audiuimus, non loqui. Hinc est quòd Paulus cùm resistentem contra veritatem sacerdotum principem cerneret: cúmque minister illius alapa percussisset, non maledictum perturbatus intulit: sed repletus Spiritu sancto, libera voce prophetauit, dicens: Percutiet te Deus paries dealbate: Et tu sedens iudicas me secundum legem, & contra legem iubes me percuti? Hinc est quod Stephanus contra vim persequentium authoritatem vocis exercere, nec moriturus expauit, dicens: Dura ceruice & incircuncisi corde & auribus: vos semper spiritui sancto restitistis, sicut patres vestri, & vos. Sed quia sancti viri ad verba tantæ altitudinis zelo veritatis, non autem vitio elationis exiliunt, ipsi patenter indicant, qui factis dictísque aliis & quanta humilitate polleant: & erga eos quos redarguunt, quanta charitate ferueant, manifestant. Superbia quippe odium generat, humilitas amorem. Verba itaque quæ amor exasperat, profectò ex fonte humilitatis emanant. Quomodo ergo Stephanus proferre increpationem per elationem potuit, qui pro eisdem quos increpauerat, ad deteriora crescentibus, séque lapidantibus, flexis genibus orauit, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum? Quomodo Paulus contra gentis suæ sacerdotem ac principem asperitatis verba superbiens intulit: qui humilitate se etiam discipulorum seruitio substernit, dicens: Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Dominum nostrum Iesum Christum: nos autem seruos vestros per Christum? Quomodo Petrus per elationem principibus restitit: quorum errori compatiens, reatum velut excusat, dicens: Scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri? Deus autem qui prænuntiauit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, impleuit sic. Quos ad vitam misericorditer trahit dicens: Pœnitemini igitur & conuertimini, vt

Exod.10.
Exod 8.
2.Reg.12.
3.Reg.13.
3.Reg.18.
Ibidem.
4.Reg.3.
4.Reg.5.
Acto.4.
Acto.23.
Acto.7.
Acto.7.
2.Corint.4.
Acto.3.
Ibidem.

mini, vt deleantur peccata vestra. Quomodo Heliseus videre Naaman ex elatione noluit: qui non solum se conspici, sed teneri etiam à muliere permisit? de qua scriptum est: Cùm venissset ad virum Dei in montem, apprehendit pedes eius: & accessit Giezi, vt amoueret eam: & ait vir dei: Dimitte eam, anima enim eius in amaritudine est. Quomodo Helias superbo regi increpationis verba per tumorem intulit, qui ante eius currum humiliter cucurrit? sicut scriptum est: Accinctísque lumbis currebat ante Achab. Quomodo vir Dei Hieroboam præsentiam ex elatione despexit: qui arentem dexteram eius saluti pristinę protinus ex pietate reparauit? sicut scriptum est: Cúmque audisset rex sermonem hominis Dei, quem inclamauerat contra altare in Bethel, extendit manum suam de altari, dicens: Apprehendite eum, & exaruit manus eius. Et paulo pòst: Orauit vir Dei faciem Domini: & reuersa est manus regis ad eum, & facta est sicut prius fuerat. Quia enim superbia gignere virtutes nescit: quanta ex humilitate prodiit vox increpationis, ostenditur, quam signa comitantur. Quomodo Nathan contra Dauid regem per verba increpationis tumuit: qui cùm increpanda culpa deesset, in terram se in conspectu eius protinus strauit? sicut scriptum est: Nuntiauerunt regi dicentes: Adest Nathan propheta. Cúmque introisset ante conspectum regis, adorauit eum pronus in terra. Quomodo Moyses regi Aegyptio liberè resistens, eum despicere potuit, qui deo familiariter colloquens, sequentem se Iethro, cognatum suum humilis adorauit? Cuius etiam consilio tantam obedientiam præbuit, vt post secreta Dei colloquia, magnum lucrum inde duceret, quod foris ab ore hominis audiret. Ex aliis ergo sanctorum factis discimus, quid de aliis pensare debeamus. Sancti etenim viri nec ex elatione sunt liberi, nec ex timore submissi: sed cùm rectitudo eos ad libertatem vocis erigit, consideratio infirmitatis propriæ in humilitate custodit. Culpas quippe delinquentium etsi ex alto increpantes feriunt, semetipsos tamen apud se subtilius iudicantes, quasi in abiectis ponunt: & quò praua in aliis insequuntur, eò ad reprimendos se atrociores redeunt, rursũsque, quò sibimet meliora agentibus nequaquam parcunt, eò vigilantius aliena facta reprehendunt. Quid enim de humana potentia mirari exteriùs poterunt, qui semetipsos quoque despiciunt, etiam cùm intimè penè iam arcem sublimitatis apprehendunt? Idcirco ergo bene foris diiudicant altitudinem terrenæ celsitudinis: quia intus oculum non grauat pondus tumoris. Vnde & beatus Iob cùm in amicis dura loquentibus terrenam prudentiam, vires, substantiámque despiceret, dicens: *Nunquid dixi, afferte mihi, & de substantia vestra donate mihi, vel liberate me de manu hostis, & de manu robustorum eruite me? Docete me & ego tacebo: & si quid fortè ignorui, instruite me.*) Quid de seipso sentiat, paulò inferius manifestat, dicens: *Super pupillum irruitis.*) Luce itaque clarius patet, quantæ se infirmitatis conspiciat, quem pupillum vocat. Sequitur:

Quòd mundus debet esse à vitiis, qui aliorum culpas arguit.

Caput XVII.

QVare detraxistis sermonibus veritatis, cum è vobis nullus sit qui possit me arguere?) Mundus ipse esse à vitiis debet, qui curat aliena corrigere, vt terrena nõ cogitet, vt desideriis infimis non succumbat: quatenus tantò perspicacius aliis fugienda videat, quantò hæc ipse per scientiam & vitam verius declinat: quia nequaquam purè maculam in membro considerat oculus, quem puluis grauat: & superiectas sordes tergere non valet manus, quæ lutum tenet. Quod iuxta antiquæ translationis seriem, bene ad Dauid erga exteriora bella laborantem, per significationem diuina vox innuit cùm dicit: Non tu ædificabis mihi templum, quia vir sanguinum es. Dei autem templum ædificat, qui corrigendis atque instituendis proximorum mentibus vacat. Templum quippe Dei nos sumus, qui ad veram vitam ex eius inhabitatione construimur: Paulo attestante, qui ait: Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Sed vir sanguinum templum Deo ædificare prohibetur: quia qui adhuc actibus carnalibus incumbit, necesse est vt instruere spiritaliter mentes proximorum erubescat. Bene ergo dicitur: *Quare detraxistis sermonibus veritatis, cùm è vobis nullus sit, qui me possit arguere.*) Ac si apertè diceretur: Qua temeritate audita reprehenditis, qui percussionis meæ causas ignoran-

4.Reg.4.
3.Reg.18.
3.Reg.13.
3.Reg.18.
Ibidem.
Exo.38.
24.
2.Reg.7.
1.Cor.3.

tes, adhuc reprehensibilia profertis? Sequitur:

De ocioso & inordinato verbo. Caput XVIII.

AD increpandum tantùm eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis.) Duo sunt sunt genera locutionum importuna valde & noxia generi humano. Vnum quod curat etiam peruersa laudare: Aliud quod studet semper etiam recta corripere. Illud deorsum cum fluuio ducitur: hoc verò contra fluenta veritatis obserare & aluéum conatur. Illud metus premit, hoc elatio erigit. Illud gratiam ex fauoribus captat, hoc iram, vt ex certamine ostendatur, exagitat. Illud in promptu subiacet, hoc semper è diuerso tumet. Ex huius ergo qualitate beatus Iob amicos suos fuisse redarguit, cùm dicit: *Ad increpandum tantùm eloquia concinnatis.*) Sed vnde vsque ad iniustæ increpationis audaciam peruenitur, protinus innotuit, cùm subiunxit: *Et in ventum verba profertis.*) In ventum enim verba proferre, est ociosa dicere. Nam sæpe dum ab ociosis verbis nequaquam lingua compescitur: ad temeritatẽ quoque stultæ increpationis effrenatur. Quibusdam enim ruinæ suæ gradibus, desidiosa mens in foueæ lapsus impellitur. Nam dum otiosa verba cauere negligimus, ad noxia peruenimus: vt prius loqui aliena libeat, & postmodum detractionibus eorum vitam, de quibus loquitur, lingua mordeat, quandoque autem vsque ad apertas contumelias erumpat. Hinc irarum seminantur stimuli, oriuntur rixæ, accenduntur faces odiorum, pax tota extinguitur cordium. Vnde bene per Salomonem dicitur: Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum. Aquã quippe dimittere, est linguam in fluxum eloquij relaxare. Quò contrà & in bonam partem asserit dicens: Aqua profunda, verba ex ore viri. Qui ergo dimittit aquam, caput est iurgiorum: quia qui linguam non refrenat, concordiam dissipat. Vnde ediuerso scriptum est: Qui imponit stulto silentium, iras mitigat. Quia autem multiloquio quisque seruiens, rectitudinem iustitiæ tenere non possit, testatur Propheta, qui ait: Vir linguosus non dirigetur super terram. Hinc Salomon iterum dicit: In multiloquio peccatum non deerit. Hinc Esaias ait: Cultus iustitiæ silentium: videlicet indicans, quia mẽtis iustitia desolatur, quando ab immoderata locutione non parcitur. Hinc Iacobus dicit: Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. Hinc rursum ait: Sit omnis homo velox ad audiendum: tardus autem ad loquendum. Hinc iterum adiũgit: Lingua inquietum malum, plena veneno mortifero. Hinc per semetipsam nos veritas admonet dicens: Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij. Otiosum quippe verbum est, quod aut ratione iustæ necessitatis, aut intẽtione piæ vtilitatis caret. Si ergo ratio de ocioso sermone exigitur: pensandũ valde est, quę pœna illud multiloquium sequatur, in quo etiam per superbiæ verba peccatur. Sciendũ quoque est, quòd ab omni rectitudinis statu depereunt, qui per noxia verba dilabũtur. Humana etenim mens, aquæ more, & circunclusa ad superiora colligitur, quia illud repetit, vnde descẽdit, & relaxata deperit, quia se per infima inutiliter spargit. Quot enim superuacuis verbis à silentij sui censura dissipatur: quasi tot riuis extra se ducitur. Vnde & redire interius ad sui cognitionẽ non sufficit: quia per multiloquium exterius sparsa, vim intimæ cõsiderationis amittit. Totã igitur sese insidiãtis hostis vulneribus detegit: quia nulla se munitione custodię circumcludit. Vnde scriptum est: Sicut vrbs patens & absque murorum ambitu: ita vir qui nõ potest in loquendo cohibere spiritum suum. Quia enim murum silentij non habet, patet inimici iaculis ciuitas mentis: & cùm se per verba extra semetipsam eiicit, apertam se aduersario ostendit, quam tantò ille sine labore superat, quantò & hæc eadem, quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat. Sed inter hæc sciẽdum est, quia cum pauore nimio à locutione restringimur, interdũ plusquã necesse est, intra claustra silentij coarctamur: & dum linguæ vitia incautè fugimus, occultè deterioribus implicamur. Nam sæpe dum ab eloquio immoderatè compescimur, graue multiloquiũ in corde toleramus: vt eò plus cogitationes in mẽte ferueant, quò illas violenta custodia indiscreti silentij angustat: & plerunque tantò latius defluunt, quantò se esse securius æstimãt, quia foris à re-

Prouer.17.
Prouer.27.
25.
Psal.139.
Prouer. 10.
Esa.32.
Iaco.1.
Ibidem.
Iaco.3.
Matth.12.
Prouer.25.

prehēsoribus non videntur. Vnde mens nonnunquam in superbiam attollitur, eōsque quos loquentes audit, quasi infirmos conspicit. Cúmque os corporis claudit, quantum se vitiis ſtuperbiendo aperiat, non agnoſcit. Linguam etenim premit, cogitationem erigit, & cùm ſe per negligentiam minimè conſiderat: tantò apud ſe cunctos liberius, quantò & ſecretius accuſat. Plerunque autem nimis taciti cùm nonnulla
26 iniuſta patiuntur: eo in acriorem dolorem prodeunt, quo ea quæ ſuſtinent, non loquuntur. Nam ſi illatas moleſtias lingua tranquillè diceret, à conſcientia dolor emanaret: vulnera enim clauſa plus cruciant, quia cùm putredo quæ intrinſecus feruet, eiicitur, ad ſalutem dolor aperitur. Plerunque nimis taciti dum quorundam mala reſpiciunt, & tamen in ſilentio linguam premunt, quaſi cōſpectis vulneribus vſum medicaminis ſubtrahunt: & eo mortis authores fiunt, quo virus quod poterant eiicere loquendo, noluerunt: vnde & immoderatum ſilentium ſi culpa non eſſet, Propheta non diceret: Væ
Eſaiæ 6. mihi quia tacui. Quid ergo inter hæc niſi ſtudioſè lingua ſub magni moderaminis libratione frenanda eſt: non inſolubiliter obliganda, ne aut laxata in vitium deſluat, aut reſtricta e-
Eccle.20. tiam ab vtilitate torpeſcat? Hinc nanq; per quendam ſapientem dicitur: Sapiens tacebit vſque ad tempus, vt nimirum cùm opportunum conſiderat: poſtpoſita cenſura ſilentij, lo-
Eccle.3. quendo quæ congruunt, in vſum ſe vtilitatis impendat. Hinc Salomon ait: Tempus tacendi, & tempus loquendi. Diſcretè quippe viciſſitudinum penſenda ſunt tempora: ne aut cùm reſtringi lingua debet, per verba ſe inutiliter ſoluat: aut cùm
Pſalm.140. loqui vtiliter poteſt, ſemetipſam pigrè reſtringat. Quod bene Pſalmiſta conſiderans breui poſtulatione complexus eſt, dicens; Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circunſtantiæ labiis meis. Oſtium nanque aperitur & clauditur. Qui ergo ori ſuo nequaquam poni obſtaculum, ſed oſtium petiit: aperte docuit quòd & per diſciplinam retineri lingua debeat, & ex neceſsitate laxari: quatenus os diſcretum & congruo tempore vox aperiat, & rurſum congruo taciturnitas claudat. Quod quia vel amici beati Iob, vel omnes hæretici, quorum hi ſpeciem tenent, ſeruare neſciunt, in ventum verba proferre perhibentur: quia nimirum dicta quæ diſcretionis pondus non ſolidat, aura læuitatis portat.

Libri ſeptimi Moralium ſancti Gregorij finis.

B. GREGORII MORALIS EXPOSITIONIS IN B. IOB, LIBER OCTAVVS

ſextum continuans finaliter caput, & ſeptimum incipiens.

Quòd verè humiles in perferendis malis patientiam, in repetendis bonis exercent benignitatem.

Caput I.

PRæcedenti iam libello tractauimus quòd beatus Iob vim nobis humilitatis ſuæ innoteſcit, dicens: *Super pupillum irruitis, & ſubuertere nitimini amicum veſtrum.*) Quantæ nanque infirmitatis ſe perpēdat, inſinuat, quem pupillum vocat. Quia vero ab amore recedere charitas etiam læſa neſcit, & ſubuerti velle ſe queritur, & tamen amicum ſe eſſe teſtatur. Cuius verba, vt ſæpe iam diximus, ſic eidem ſpecialiter congruunt, vt tamen per hæc prophetico ſpiritu etiam ſententia fidelis populi, ex voce Eccleſiæ vniuerſalis, exprimatur: qui hæreticorum contrarietatem tolerans, & infirmum ſe per humilitatem conſpicit: & tamen à ſeruandæ dilectionis magnitudine non recedit. Sanctæ quippe Eccleſiæ populus, quia mortui patris eſt filius, pupillus non incongruè dicitur: Cuius reſurgentis vitam iam quidem per fidem ſequitur, ſed necdum per ſpeciem cōtemplatur. Super pupillum verò hæretici irruunt: cùm humilitatem fidelis populi importunis falſiſque allegationibus affligunt. Et tamen amicus eſt quem nituntur euertere: quia fidelis Dei populus ipſos quoque quos perſequentes tolerat, amando non definit ad veritatem vocare. Sed inter hæc ſciendum eſt, quia ſancti viri nec ſuſtinere falſa per infirmitatem metuunt, nec læſi vnquam à veritate conticeſcunt. Vnde & ſubditur: *Veruntamen quod cœpiſtis, explete. Præbete aurē, & videte an mentiar.*) Qui enim aduerſa perpeti non timet, dicat: *Veruntamen quod cœpiſtis, explete.*) Qui verò ipſis ſuis perſecutoribus veritatis prædicamenta non ſubtrahit, adiungat: *Præbete aurem, & videte an mentiar.*) Ac ſi apertè dicat: Nec ante illatas moleſtias trepido, nec ingratis auditoribus correptionis adiutoria abſcondo: quia & malis preſſus exerceor, & ipſis meis perſecutoribus benignè impēſus creſco. Mens quippe ſanctorum in hoc tentationum prælio & munita patientiæ clypeo, & gladiis amoris accincta, ad perferenda mala ſumit fortitudinem: & ad rependenda bona exercet benignitatem, quatenus & odiorum tela potenter excipiat, & amoris iacula valenter reddat. Nequaquam quippe ad bella armatus pergit, qui aut clypeum ſumens, gladiis non vtitur: aut vtens gladiis, clypeo non munitur. Vnde & miles Dei, aduerſitatis bello deprehenſus, & ſcutum patientiæ debet anteferre, ne pereat: & ad prædicandum promptus amoris inſerre iacula, vt vincat. Cuius armaturæ ſummam Paulus breuiter inſinuat, dicens: Charitas patiens eſt, benigna eſt. Cùm verò vnum ex vtroque defuerit, charitas non eſt, ſi videlicet malos aut abſque benignitate tolerans non amat: aut rurſum ſeſe ſine patientia exhibens, negligit tolerare quos amat. Vt ergo à nobis charitas vera teneatur: neceſſe eſt quatenus & benignitati patientia, & rurſum patientiæ benignitas ſuffragetur, vt magnum quoddam in corde noſtro ædificium conſtruens, & benignitatis arcem patientia ſolidet & patientię fundata ædificia benignitas exornet. Beatus igitur Iob promptus ad patientiam dicat: *Veruntamen quod cœpiſtis, explete:*) Benignitate præditus adiungat: *Præbete aurem, & videte an mentiar.*) Quia verò ſancta Eccleſia ex magiſterio humilitatis inſtituta, recta quæ errantibus dicit, non quaſi ex authoritate præcipit, ſed ex ratione perſuadet, bene nunc dicitur: *Videte an mentiar.*) Ac ſi apertè dicat: Ea quæ aſſero, nequaquam mihi ex authoritate credite: ſed an vera ſint, ex ratione penſate. Quæ & ſi quando dicit quod ratione comprehendi non valet: ne de occultis humana ratio quæri debeat, rationabiliter ſuadet.

Armatura ſanctorum.

1.Corim.13.

Quòd ſcientia tumida in inquiſitionibus ſuis non veritatem inquirat ſed gloriam. Id eóque contendunt ſuperbi, vt vincant: non vt diſcant. *Caput II.*

SEd ſæpe hæretici dum occaſionem ratiocinationis accipiunt: ad iurgia contentionis effrenantur. Vnde & aptè mox ſubditur: *Reſpondere quæſo abſque contentione.*) Neque enim hæretici inquiſitionibus ſuis veritatem conantur aſſequi, ſed victores videri. Cúmque ſe foris oſtendi ſapientes appetunt: intus per ſtultitiam elationis ſuæ vinculis ligantur. Vnde fit vt contentionum certamina exquirant, & de Deo, qui pax noſtra eſt, loqui pacificè neſciant, atque ex pacis negocio rixæ inuentores fiant. Quibus bene per Paulum dicitur: Si quis autem videtur eſſe contentioſus: nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei. Rectè autem ſubditur: *Et loquentes id quod iuſtum eſt, iudicate.*) Is nanque qui loquitur, dum de verbis ſuis auditoris ſententiam expectat, quaſi eius iudicio ſupponitur, à quo auditur. Qui igitur in dictis ſuis reprobari metuit, ipſe prius debet examinare quod dicit: quatenus inter cor & linguam æquus quidam diſcretúſque arbiter ſedeat, ſubtiliter penſans ſi recta verba cor offerat: quæ vtiliter ſuſcipiens, ad auditorum iudicium lingua perducat. Beatus igitur Iob ſua contra amicos agens, ſed contra hæreticos noſtra denuntians, præcipitationem loquentium reprehendat: atq; ad eorum mentem verba recolat, dicens: *Loquentes id quod iuſtum eſt iudicate.*) Ac ſi apertè diceret: Si in eo quòd ad nos per egreſſum locutionis exitis, reprehendi non vultis, intus iuſtitiæ libram tenere: vt tantò foris quod dicitur, ex veritatis pondere placeat, quantò hoc interius trutina diſcretionis penſat. Et quia hi erga aliena dicta recta iudicia exerunt, qui iudicare prius propria ſciunt, poſt quàm dixit: Loquentes id quod iuſtum eſt iudicate, aptè mox ſubdit: *Et non inuenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis ſtultitia perſonabit.*) Ac ſi apertè diceret: Si ſubtilius veſtra perpenditis, verius

verius aliena penſatis: & cùm rectum cœperit eſſe quod dicitis, iuſtum cognoſcetis quod auditis. Nequaquam quippe mea vobis lingua ſtultitiam reſonat, ſi à veſtra conſcientia non procedat. Sic ſancta Eccleſia ſtudet prius aſſertiones hoſtium falſas oſtendere, & tunc prædicamenta veritatis aperire: quia cùm recta ſe tenere æſtimant, recta quæ audiunt, contumaciter impugnant. Antè ergo neceſſe eſt, vt errorem ſuum hæretici ſentiant, ne auditæ veritati contradicant: quia & ſi camporum ſentes arator vomeris ſciſsione non eruit, terra accepta ſemina in ſegetes non producit. Et cùm putredinem medicus vulneris apertione non eiicit, nequaquam in loco putredinis ſana caro coaleſcit. Prius ergo peruerſa deſtruens, dicat: *Loquentes id, quod iuſtum eſt iudicate:*) Pòſt autem recta adiungens inſinuet. *Et non inuenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis ſtultitia perſonabit.*) Solent autem hæretici alia apertè dicere, alia in occultis ſentire. Per linguam quippe aperta locutio, per fauces verò occulta tractatio deſignatur. Sanctæ ergo Eccleſiæ nec in lingua iniquitas, nec ſtultitia in faucibus reſonat: quia ea quæ per publicam locutionem prædicat, etiam per intimam fidem ſeruat: nec in aperto aliud docet, atque in occultis aliud retinet: ſed & quod ſentit, loquendo docet: & quod loquitur, viuendo cuſtodit: ac de ſapientiæ ſupernæ conuiuio quicquid per linguam prædicationis emanat, hoc per fauces tacitæ expectationi deguſtat. Sed beatus Iob, vnum ſcilicet membrum vniuerſalis Eccleſiæ, ſua inſinuans, atque electorum omniū corda manifeſtans, omne quod ſentit aperiat: vt mentis eius rectitudinem atteſtatio locutionis innoteſcat. Sequitur:

Caput Septimum beati Iob.

MIlitia eſt vita hominis ſuper terram: & ſicut dies mercenarij dies eius. Sicut ſeruus deſiderat vmbram, & ſicut mercenarius præſtolatur finem operis ſui: ſic & ego habui menſes vacuos, & noctes laborioſas enumeraui mihi. Si dormiero, dicam: Quando conſurgam? & rurſum expectabo veſperam, & replebor doloribus vſque ad tenebras. Induta eſt caro mea putredine, & ſordibus puluerис. Cutis mea aruit, & contracta eſt. Dies mei velocius tranſierunt, quàm à texente tela ſucciditur, & conſumpti ſunt abſque vlla ſpe. Memento quia ventus eſt vita mea, & non reuertetur oculus meus vt videat bona: nec aſpiciet me viſus hominis. Oculi tui in me, & non ſubſiſtam. Sicut conſumitur nubes, & pertranſit: ſic qui deſcendit ad inferos, non aſcendet, nec reuertetur vltra in domum ſuā, neque cognoſcet eum amplius locus eius. Quapropter & ego non parcam ori meo, loquar in tribulatione ſpiritus mei, confabulabor cum amaritudine animæ meę. Nunquid mare ego ſum aut cœtus, quia circundediſti me carcere? Si dixero, Conſolabitur me lectulus meus, & releuabor loquens mecum in ſtratu meo: terrebis me per ſomnia, & per viſiones horrore concuties. Quamobrem elegit ſuſpendium anima mea, & mortem oſſa mea. Deſperaui. Nequaquam vltrà iam viuam. Parce mihi Domine, nihil enim ſunt dies mei. Quid eſt homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? Viſitas eum diluculo, & ſubitò probas illum. Vſquequo non parcis mihi, nec dimittis me, vt glutiam ſaliuam meam? Peccaui. Quid faciam tibi ō cuſtos hominum? Quare me poſuiſti contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi grauis? Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? Ecce nunc in puluere dormiam: & ſi mane me quæſieris, non ſubſiſtam.

Quòd vita hominis vitiis oppreſſa, ad cœleſte deſiderium tendere non valet: & aliquando donis ſpiritalibus prædita, ex occaſione virtutum deterius peccat.

Caput III.

MIlitia eſt vita hominis ſuper terram.) Hoc in loco tranſlatione veteri nequaquam militia vita hominis nuncupatur, ſed tentatio. Sed ſi vtriuſque verbi ſenſus aſpicitur, diuerſum quidem eſt quod exterius reſonat: ſed vnum eundémque cōcorditer intellectum, format. Quid enim niſi pugna contra malignos ſpiritus, nomine tentationis exprimitur? Et quid appellatione militiæ, niſi contra hoſtes exercitium deſignatur? Tentatio itaque ipſa militia eſt: quia dum contra malignorum ſpirituum inſidias vigilat, in bellorum procinctu proculdubio exudat. Notandum vero quòd hæc eadem vita hominis, non tentationem habere dicitur, ſed ipſa tentatio eſſe perhibetur. Sponte quippe à ſtatu conditionis lapſa, & corruptionis ſuæ putredini ſubdita, dum ſibi ex ſemetipſa moleſtias gignit: hoc eſt iam facta quod tolerat. Quia enim ſtatum mentis inclinata deſeruit, quid in ſe niſi motum varietatis inuenit? Vnde nunc & ſi ad ſumma appetenda ſe erigit, mutabilitatis lubricæ impulſu protinus ad ſemetipſum cadit. Vult in contemplatione ſtare, ſed non valet. Cogitationis greſſum figere nititur, ſed infirmitatis ſuę lapſibus eneruatur. Quæ nimirum mutabilitatis ſuæ onera quia volens expetiit, nolens portat. Quietus homo poſsidere carnem potuit, ſi bene ab authore conditus, poſsideri voluiſſet. Cúmque ſe erigere contra conditorem ſtuduit, in ſemetipſo protinus carnis contumelias inuenit. Sed quia cum culpa ſimul ab origine etiam pœna propagatur, inſerto infirmitatis vitio naſcimur: & quaſi nobiſcum hoſtem deducimus, quem cum labore ſuperamus. Ipſa ergo hominis vita tentatio eſt, cui ex ſemetipſa naſcitur vnde perimatur. Quæ etſi ſemper ex virtute succidit, quod ex infirmitate generat: ſemper tamen ex infirmitate generat, quod ex virtute succidat. Sic itaque humana vita tentatio eſt: vt etſi iam ab iniquitatis perpetratione compeſcitur, in ipſis tamen bonis operibus modò malorum memoria, modò ſeductionis caligine, modò intentionis ſuæ interruptione fuſcetur. Alius nanque à luxuria carnem iam refrenat, ſed tamen adhuc luxurię phantaſmata tolerat: quia quæ volens fecit, horum iniuitus meminit: & pœnam ſuſtinet, quod voluptatem putauit. Quia verò ad deuictam culpam retrahi metuit, ventrem miræ abſtinētiæ vigore reſtringit, vultúſq; ex abſtinentia palleſcit: cúmque in facie pallor aſpicitur, reuerenda ab hominibus vita laudatur: móxque inanis gloria ad abſtinentis animum cum verbis ſauoris venit, quam concuſſa mens dum ſubiicere non valet, eum per quem venerat, tergere à facie pallorem quærit: ſicque fit vt infirmitatis nexibus ligata, aut pallorem abſtinentiæ fugiens, iterum per alimenta ſubdi luxuriæ metuat: aut impulſum luxuriæ per abſtinentiam ſuperans, pallorē ſuum inani gloriæ militare pertimeſcat. Alius lapſum ſuperbiæ ſuperans, toto iam deſiderio ſtatum humilitatis apprehendit: cúmque ſuperbientes quoſdam vſque ad oppreſsionem innocentium erumpere conſpicit, zeli excitatione succēſus, poſtponere aliquatenus cogitur, quod decreuit, vim rectitudinis exerit, prauíſque non manſuetudine, ſed authoritate contradicit. Vnde plerunque fit, vt aut humilitatis ſtudio zelum rectitudinis deſerat: aut rurſum zelo rectitudinis turbet humilitatis ſtudium, quod tenebat. Cúmque ſeruari ſimul & zeli authoritas & propoſitionis humilitas non poſsit, ſibimetipſi homo ex perturbatione incognitus redditur: ita vt vehementer ambigat, ne apud ſeductum animum aut ſuperbia ſe authoritatem zeli inſinuet, aut torpor pauidus humilitatem fingat. Alius quanta ſit fallaciæ culpa conſiderans, muniri arce veritatis decernit: vt ex ore eius iam falſus ſermo non prodeat, ſeſéque funditùs à mendacij tranſgreſsione diſiungat. Sed fit plerunque, vt cùm verum dicitur, vita proximi grauetur: cúmque ingerere alteri leſionem metuit, ad hoc quod dudum preſſerat fallaciæ vitium, quaſi ex ſtudio pietatis redit: ſicque fit, vt, etſi malitia mentem non teneat, in ea tamen veritatis radium vmbra mendacij obſcuret. Vnde & ſæpe quia percontatus quiſque conticeſcere non valet: aut falſum dicens ſuam mentem trucidat, aut loquens proximi vitam grauat. Alius amore cōditoris excitatus, à ter-

Tentatio Malitiæ.

renis cogitationibus mentem curat assidua oratione suspendere, atque hanc in secreta quietis intimæ securitate collocare: sed in ipso suæ orationis ascensu, dum eleuari ab infimis nititur, infimorum phantasmate reuerberatur: atque ad intuendam lucem mentis oculus tenditur, sed ex corporeo vsu, surgentibus terrenarum rerum imaginibus obscuratur. Vnde fit plerunque vt intendentis animus ipsa sua infirmitate fatigatus, aut orationem deserens, desidia torpeat: aut si diu in oratione permãserit, ante oculos eius obortarum imaginum
5 caligo densescat. Bene ergo dicitur: Tentatio est vita hominis super terram: quando ibi quoque reatum descensionis inuenit, vbi se profectum comprehendere ascensionis putauit: & inde mens confunditur, vnde surgere à confusione nitebatur: vt per hoc ad semetipsam diuerberata redeat, per quod semetipsam iam collecta & coadunata transibat. Iste ab eruditione diuinæ legis alienus, ignorantia sua deprimitur, ne quid obtinendæ salutis operetur. Ille diuinæ legis scientia præditus, dum sibi præ cæteris gaudet intellectum suppetere: quia priuato gaudio exultat, percepti intellectus in se munera dissipat: & inde in Dei iudicio cæteris deterior exhibetur, vnde clarior cęteris ad tempus ostenditur. Hunc quia virtutum dona non subleuant, etiam viam simplicem rectitudinis declinat: & velut extraneum se à cœlesti munere deputans, eò quasi securius praua agit, quò superni doni sublimia munera nõ percepit. Illum prophetiæ spiritus replet, ad præscientiam subleuat, eíque ventura quæque quasi iam præsentia ostendit. Sed dum sæpe & in multis super semetipsum tollitur, vt futura veraciter contempletur: mens in sui confidentiam deducta, cum qui haberi semper non potest, semper sibi adesse prophetiæ spiritum æstimat: cúmque omne quod senserit, prophetiam putat: quia sibi hanc & cùm non habet tribuit, & inquantum habere potuit, amittit. Sicq; fit vt inde post aliorum merita tristis redeat: vnde æstimationem omnium lætus præibat. Tentatio est ergo vita hominis super terram: quæ aut aliena virtutibus ad cœleste præmium surgere non valet, aut ditata donis spiritalibus aliquando deterius ex
6 occasione virtutum ruit. Quia autem paulò superius hoc esse tentationem quod militiam diximus: sciendum summopere est, quòd quiddam nobis appellatione militiæ amplius quàm nomine tentationis innuitur. Hoc nanque nostro intellectui expressione militiæ augetur, quod nimirum per militiam ad finem quotidie tenditur: cúmque per ordinem militiæ locus crescit, tota simul hominum militia deficit. *Militia ergo est vita hominis super terram:*) quia sicut & superius diximus, vnusquisque dum quotidie ad vitæ terminum per temporum augmentum tendit, augendo vitam viuere desinit. Dies quip-
† vel expectat. pe † expectantur vt veniant: sed cùm ad augmentum vitæ veniunt, iam ab augmento vitæ subtrahuntur: quia & itinerantis gressus dum in anteriora proficit, quod restat iter decrescit. Vita ergo nostra militia est, quæ quo ad augmentum ducitur, eo vt non sit finitur. Bene igitur dicitur: *Militia est vita hominis super terram:*) quia dum per spatia temporum crescere appetit, ad eorum spatium quod perdendo colligit, crescendo pertransit. Vnde & aptè quoque ipse militiæ cursus exprimitur, cùm protinus subinfertur: *Et sicut dies mercenarij dies eius.*) Dies suos mercenarius euolui citius exoptat, vt ad laboris sui præmium sine tarditate perueniat. Dies itaque hominis vera & æterna sapientis, rectè mercenarij diebus comparantur, quia presentem vitam, viam non patriam, militiam non palmam deputat: & eò se abesse longius à præmio conspicit, quò tardius ad finem venit. Considerandum quoque est quòd mercenarius in alienis laboribus exudat: sed tamen
Ioan. 18. sibi præmium proprium præparat. Voce autem Redemptoris nostri dicitur: Regnum meum non est de hoc mundo. Omnes ergo qui spe cœlestium præditi, exercitio vitæ præsentis atterimur, in alieno laboramus. Nam sæpe & reprobis seruire cogimur: mundo, quæ mundi sunt reddere coarctamur: & alieno quidem labore fatigamur, sed tamen præmia nostra percipimus: & per hoc peruenimus ad propria, quòd purè ministramus aliena. Quò contrà quibusdam veritas di-
Lucæ 16. cit: Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis cre-
7 det vobis? Sciendum quoque est quòd mercenarius sollicitè curat inspicere, ne vnquam dies vacuus labatur ab opere:

E & expectatus finis temporis, [ne] inanis veniat † ad remunerationem. † vel, à remuneratione. In laboris nanque studio conspicit, quid percipere in tempore remunerationis possit. Nam cùm opus crescit, præmij fiducia proficit: cùm verò opus torpuerit, spes à remuneratione lassescit. Vnde & electus quisque vitam suam quasi mercenarij dies pensans, tantò fidentius spe tendit ad præmium, quantò nunc robustius perdurat ad laboris incremẽtum. Qui sit decursus præsentis temporis pensat, dies cum operibus numerat, ne à labore vacua transeant vitæ momẽta, formidat. Aduersis gaudet, passione reficitur, mœrore refouetur: quia subsequentis vitæ præmiis tantò se remunerari largius cõspicit, quantò pro amore illius quotidianis se mortibus verius impendit. Hinc nanque est quòd ciues supernæ patriæ, conditori eius, Psalmistæ vocibus dicunt: Propter te morte afficimur tota die. Hinc Paulus ait: Quotidie morior Psalm. 43. propter gloriam vestram fratres. 1. Corin. 15. Hinc iterum dicit: Ob quam causam hæc patior, sed non confundor: scio enim cui credidi, 2. Timot. 1. & certus sum: quia potens est depositum meum seruare in
F illum diem. Sancti igitur viri quot labores nũc veritati commendantes exhibent, tot iam remunerationis suæ pignora, intra spei cubiculum clausa tenent. Sed grauis nunc sentitur æstus in opere: vt quandoq; refrigerium percipiatur ex quiete. Vnde & aptè mox subditur:

Quòd sancti viri ex conscientia bonæ vitæ, fidenter expectant præmium retributionis æternæ.

Caput IIII.

S*Icut seruus desiderat vmbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui: sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeraui mihi.*) Vmbram quippe seruo desiderare, est post tentationis æstum, sudorémque operis, æterni refrigerij requiem quærere. Hanc nanque vmbram seruus ille desiderauerat, qui dicebat: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuũ, Psalm. 41. quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Et rursum: Heu me, quia incolatus meus prolongatus est. Psalm. 19. Qui quasi à labore agri æstum fugiens, atque ad obtinendam requiem re-
G frigerij, tegmen quærens, iterum dicit: Ingrediar in locum Psalm. 41. tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei. Hanc vmbram comprehendere Paulus anhelabat, desiderium habens Philipp. 1. dissolui, & cum Christo esse. Ad hanc vmbram ex desiderij iam perfectione peruenerant qui dicebant: Nos qui portaui- Matth. 20. mus põdus diei & æstus. Bene autem qui desiderare vmbram dicitur, seruus vocatur: quia electus quisque quousque infirmitatis conditione constringitur, sub dominantis corruptionis iugo quasi sub æstus anxietate retinetur. Qui nimirum cùm corruptione exutus fuerit, tunc sibimetipsi liber & tranquillus innotescit. Vnde & rectè etiam per Paulum dicitur: Roma. 8. Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Electos enim nunc pœna corruptionis aggrauat, sed tunc incorruptionis gloria exaltat: & quantum ad præsentis necessitatis pondera, nunc in Dei filiis de libertate nihil ostenditur: tantum verò ad subsequentis libertatis gloriam, tunc in Dei famulis de seruitute nihil appa-
H rebit. Creatura ergo seruitute corruptionis exuta, & dignitate libertatis accepta, in filiorum Dei gloriam vertitur: quia vnita Deo per spiritum, quasi hoc ipsum quod creatura est, transisse ac subegisse declaratur. Sed quia adhuc vmbram desiderat, seruus est: quia quousq; æstum tentationum tolerat, iugum miseræ conditionis portat. Vbi aptè subditur:

Quòd spes remunerationis, alleuiet pondus laboris.

Caput V.

E*T sicut mercenarius præstolatur finem operis sui.*) Mercenarius etenim cùm facienda opera conspicit, mentem protinus ex longinquitate & pondere laboris addicit: cùm verò lassescentem animum ad considerandum operis præmium reuocat, vigorem mox animi ad exercitium laboris reformat: & quod graue perpendit ex opere, leue existimat ex remuneratione. Sic sic electi quique dum mundi huius aduersa patiuntur, cùm † inhonestates, contumelias, rerum damna, cruciatus corporis tolerant, esse grauia quibus exercentur pensant: † al. honestatis contumelias. sed cùm mentis oculum ad æternæ patriæ considerationem tendunt, ex comparatione præmij, quàm sit leuę quod patiũtur, inueniunt. Quod enim valde esse importabile ex dolore ostenditur,

ostenditur, consideratione prouida ex remuneratione leuiga-
A tur. Hinc est quòd Paulus semper seipso robustior contra aduersa erigitur: quia nimirum finem sui operis sicut mercenarius præstolatur. Graue nanque quod sustinet æstimat: sed le-
1. Cor. 11. ue hoc per præmij considerationem pẽsat. Ipse quippe quàm sit graue quod patitur indicat, qui in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter se fuisse testatur: qui à Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepit: qui ter virgis cæsus, semel lapidatus est: ter naufragium passus, nocte & die in profundo maris fuit: qui pericula fluminum, latronum, ex genere, ex gentibus, in ciuitate, in solitudine, in mari, in falsis fratribus pertulit: qui in labore & ærumna & ieiuniis multis, in fame & siti, in frigore & nuditate laborauit: qui foris pugnas, intus timores sustinuit: qui vltra vires graua-
2. Cor. 1. tum se asserit dicens: Supra modum grauati sumus supra virtutem: ita vt tæderet nos etiam viuere. Sed quomodo remunerationis linteo sudores tanti laboris tergat, ipse denuntiat
Roma. 8. dicens: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Finem itaque operis quasi mercenarius præstolatur, qui dum profectum remunerationis considerat, vile æstimat quod penè deficiens laborat. Aptè autem subditur: *Sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeraui mihi.*) Electi quippe conditori rerum seruiunt, & sæpe rerum inopia coangustantur: per amorem Deo inhærent, & tamen vitæ præsentis subsidiis egent. Qui igitur per actiones suas præsentia non quærunt, à mundi compendiis menses vacuos ducunt: Noctes quoque laboriosas tolerant: quia aduersitatum tenebras non solùm vsque ad inopiã, sed sæpe ad corporis vsque cruciatum portant. Despectum nanque egestatéque perpeti, laboriosum bonis mentibus non est: sed cùm vsque ad afflictionem carnis aduersitas vertitur,
8. labor proculdubio ex dolore sentitur. Potest etiam non inconuenienter intelligi, quòd sanctus quisque menses vacuos sicut mercenarius ducit: quia laborem iam sustinet, sed præmium necdum tenet: hoc tolerat, illud expectat. Noctes verò laboriosas enumerat: quia aduersitates sibi præsentis temporis sese in virtutibus exercendo coaceruat. Nam si proficere in mente non appetit, minus fortasse aspera, quæ mundi sunt, sentit. Quæ tamen sententia si ad vocem sanctæ Ecclesiæ ducitur, intellectus eius paulò subtilius indagatur. Ipsa quippe vacuos menses habet, quæ in infirmis suis membris terrenas actiones absque vitę pręmio defluentes sustinet. Ipsa noctes laboriosas enumerat, quæ in membris fortibus multiplices tribulationes portat. In hac etenim vita quædam laboriosa sunt, quædã vacua, quædã verò vacua simul & laboriosa. Amore quippe conditoris, præsentis vitæ tribulationibus exerceri, laboriosum quidem est, sed vacuum non est. Amore autem seculi voluptatibus solui, vacuum quidem est, sed non laboriosum. Amore verò eiusdem seculi aduersa aliqua pati, & vacuum simul est & laboriosum: quia ex aduersitate mens afficitur, & remunerationis premio non repletur. In his itaque sancta Ecclesia, qui in ea positi, adhuc voluptatibus defluunt, & proinde fructu boni operis non ditantur, menses vacuos ducit: quia vitæ tempora sine retributionis munere expendit. In his verò qui æternis desideriis dediti, mundi huius aduersa patiuntur, laboriosas noctes enumerat: quia tribulationum tenebras quasi in caligine vitæ præsentis portat. In his autem qui & transeuntẽ mundum diligũt, & tamen eius contrarietate fatigãtur, simul mẽses vacuos & noctes laboriosas tolerat: quia eorũ vitam & retributio subsequens nulla remunerat: & præsens tribulatio angustat. Rectè autem nequaquam dies, sed in eis menses vacuos habere se perhibet. Mẽsium quippe nomine, dierum collectio & summa signatur. Per diem ergo vnaquæque actio exprimi potuit: per menses autem, actionum finis innuitur. Et sæpe cùm in hoc mundo aliquid agimus, intẽta spei alacritate suspensi, hoc ipsum quod agimus, vacuum nõ putamus: sed postquam ad actionum terminum peruenimus, non obtinẽtes quod appetimus, laborasse nos in vacuum dolemus. Non solùm igitur dies, sed & menses vacuos ducimus, cùm nos in terrenis actibus sine fructu laborasse, nõ ex actionum principio, sed fine pensamus. Cùm enim labores nostros aduersitas sequitur, quasi vitæ nostræ vacui menses arguũtur: quia ex completione actionum agnoscitur, quàm frustra in a-

ctionibus sudabatur. Sed quia in sacro eloquio nonnunquam nox pro ignorantia ponitur: Paulo attestante, qui venturam vitam scientibus discipulis dicit: Omnes vos filij lucis estis, & 1. Thess. 5.
filij diei, non sumus noctis neque tenebrarum: quibus præmisit: Vos autem fratres non estis in tenebris, vt vos dies illa tanquam fur comprehendat: potest hoc in loco ex eorum persona, vox sanctæ Ecclesiæ accipi: qui post ignorãtiæ suæ caliginem, ad amorem rectitudinis redeunt: & veritatis radiis illustrati, fletibus diluunt quod errauerunt. Illuminatus etenim quisque respicit, quàm turpe fuerit quod pro præsentis vitæ
amore laborauit. In eis ergo sancta Ecclesia in quibus ad 9.
vitam reuertitur, laborem suum æstuanti seruo, & desideranti finem mercenario comparat, dicens: *Sicut seruus desiderat vmbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui: sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeraui mihi.*) In comparatione etenim duo sunt quæ præmisit: in expressione etiam fatigationis duo protinus subdidit. Ad ęstuantem quippe menses vacuos reddidit: quia quò magis æternum refrigeriũ quæ-
B ritur, eò magis cõspicitur quàm vacuè pro vita ista laboratur. Ad præstolantem verò laboriosas noctes subintulit: quia quò magis ex termino operis præmium quod assequamur inspicimus, eò magis ingemiscimus diu nos nescisse quod quærimus. Vnde & ipsa pœnitentis cura vigilanter exprimitur, vt laboriosas noctes enumerasse diceretur: quia quantò verius ad Deum reuertimur, tantò subtilius labores quos per ignorantiam in hoc mundo pertulimus, dolendo pensamus. Nam quò vnicuique plus dulce fit, quod de æternis desiderat, eò magis ei graue ostenditur, quod pro præsentium amore tolerabat. Si verò ad solam historiam sequentia verba pensantur: per hæc procul dubio animus dolentis exprimitur, qualiter per diuersos motus desiderij mœstitia impellente variatur. Nam subditur: *Si dormiero, dicam, Quando consurgam? Et rursum expectabo vesperam.*) In nocte quippe dies quæritur, in die vespera desideratur: quia nimirum dolor non permittit placere quę assunt. Cúmque mentem per experimentum præsentium affi-
C cit, semper hanc quasi consolante desiderio, ad alia per expectationem tendit. Sed quia & afflicta mens per appetitum ducitur, & tamen dolor eius etiam seductus desideriis non finitur: rectè subiungitur: *Replebor doloribus vsque ad tenebras.*) Causa autem eiusdem doloris exprimitur, cùm protinus subinfertur:

Quòd vita carnalium, & cogitationum puluere & operum putredine inquinatur.

Caput VI.

I*Nduta est caro mea putredine, & sordibus pulueris. Cutis mea aruit, & contracta est.*) Sed hæc subtilius congruentiúsque disserimus, si ad præmissæ expositionis ordinem redeamus. Somno nanque torpor otij, surrectione autem exercitatio actionis exprimitur. Vesperæ quoque nomine, quia somno congruit, rursus otij desiderium figuratur. Sancta verò Ecclesia quousque vitam corruptionis ducit: flere mutabilitatis suæ damna non desinit. Ad hoc nanque homo conditus fuerat, vt stante mente, in arcem se contemplationis erigeret: & nulla hunc
D corruptio à conditoris sui amore declinaret. Sed in eo quòd ab ingenita standi soliditate voluntatis pedem ad culpam mouit, à dilectione conditoris in semetipso protinus cecidit. Amorem verò Dei, veram scilicet stationis arcem deserens, nec in se consistere potuit: quia lubricæ mutabilitatis impulsu, infra se per corruptionem proruens, etiam à semetipso discessit. Qui nunc quia conditionis suæ soliditate non figitur, alternantis semper desiderij motu variatur: vt & quietus actionem desideret, & occupatus ad otium anhelet. Quia enim fixa mens stare cùm potuit noluit: stare iam non valet, etiam cùm vult. Conditoris quippe sui contemplationem deserens, salutis suæ fortitudinem perdidit: & quolibet posita, semper ægra alium locum quærit. Varietatem ergo humanæ mentis exprimens dicat: *Si dormiero, dicam, quando consurgam? Et rursum expectabo vesperam*) Ac si apertè diceret: Nihil perceptum mẽti sufficit: quia ipsum qui verè sufficere potuit, amisit. In somno nanque surrectionem desidero, in surrectione vesperam expecto: quia & quietus exercitium actionis appeto, & exercitatus otium quietis quæro. Quod tamen in-
telligi & aliter potest. Dormire nanque, est in peccatis 10.

Dormire est in peccatis iacere. iacere. Si enim somni appellatione culpa designata non esset, nequaquam Paulus discipulis diceret: Euigilate iusti, & nolite peccare. *1.Corint.15.* Vnde & auditorem suum admonet dicens: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. *Ephe.5.* Et rursum: Hora est iam nos de somno surgere. *Roma.13.* Vnde & Salomon peccãtem increpat dicens. Vsquequo piger dormis? *Prouer.24.* Electus igitur quisque cùm peccati somno premitur, ad iustitiæ vigilias exurgere conatur: sed sæpe cùm surrexerit, ipsa se extolli virtutum magnitudine sentit. Vnde & tentari se præsentis vitæ aduersitatibus post virtutes desiderat: ne peius ex virtutum confidentia cadat. Si enim seruari se melius per tentationem non cognôsceret, nequaquam Psalmista diceret: *Psalm.25.* Proba me Domine, & tenta me. Bene ergo nunc dicitur: *Si dormiero, dicam: Quando consurgam? Et rursum expectabo vesperam:*) quia, & in peccati somno, lumen iustitiæ quæritur: & cùm virtutum prospera mentem eleuat, adiutrix aduersitas desideratur: vt profectò animus cùm virtutum suarum gaudio plus quàm debet attollitur, per contrarietatem præsentis vitæ edito mœrore solidetur. Vnde & nequaquam, *Formidabo vesperam,* dicitur, sed *Expectabo.* Expectamus etenim prospera, formidamus aduersa. Vir igitur sanctus vesperam expectat, quia cùm exerceri hûc tribulatione necesse est, ipsa ei fit aduersitas prospera. Potest vesperæ nomine, etiam peccati tentatio designari: quæ sæpe tantò acrius mentem lacessit, quantò & eandem mentem spiritus ad superna altius euehit. Nequaquam enim sic in vita per exercitationem iustitiæ, peccatum deseritur, vt in eadem iustitia inconcussê maneatur: quia etsi iam à cordis habitaculo culpam rectitudo eliminat, ipsa tamen culpa quæ repellitur, cogitationis nostræ foribus astans, vt sibi aperiatur, pulsat. Quod Moyses quoque spiritaliter innuit, cùm facta corporaliter temporum momenta narrauit, dicens: *Gene.1.* Facta est lux, atque paulò pòst subiiciens: Factum est vespere. Creator quippe omnium, humanæ culpæ præscius, tunc expressit in tẽpore, quod nunc versatur in mente. † Lux quippe ad vesperum ducitur: *† al. Mane.* quia nimirum lucem rectitudinis vmbra sequitur tentationis. Sed quia electorum lux tentatione non extinguitur, nequaquam nox, sed vespera facta perhibetur: quia nimirum sæpe tentatio in corde electorum lumen iustitiæ abscondit, sed non interimit: & quasi ad pallorem trepidationis pertrahit, sed funditus non extinguit. Electi ergo post somnum surrectionem appetũt, post surrectionem vesperam præstolãtur: quia & de peccato ad iustitiæ lumen euigilant, & in ipso iustitiæ lumine positi, semper se contra illecebras tentationum parant: quas nimirum non timent, sed expectant: quia vtilitati suæ rectitudinis, etiam tentamenta proficere non ignorant. Quantalibet autem contra corruptionem suam virtute contenderint, habere integram salutem nequeunt, quousque dies præsentis vitæ finiatur. Vnde & subditur: *Et replebor doloribus vsque ad tenebras.*) Modò nanque aduersa irruunt, modò ipsa quoque prospera callida hilaritate blandiuntur. Modò surgentia vitia bellum carnis excitant, modò deuicta animum ad elationem vocant. Bonorum igitur vita vsque ad tenebras doloribus repletur: quia quousque tempus corruptionis agitur, interna externáque afflictione concutitur: & salutis securitatem non inuenit, nisi cùm diem funditùs tentationis relinquit. Vnde bene & hæc eadem dolorum causa protinus subinfertur, cùm
11 dicitur: *Induta est caro mea putredine, & sordibus pulueris.*)
Vt enim paulò superius diximus, soliditatem ingenitam voluntariè homo deseruit, & sese in corruptionis voraginem mersit, vnde nunc vel per immunda opera labitur: vel per cogitationes illicitas fœdatur. Vt enim ita dixerim, culpæ suæ pœnaliter subdita, ipsa iam natura nostra facta est extra naturam, & remissa vsque ad peruersa opera dicitur: restricta autem peruersorum operum importuna cogitatione fuscatur. Per expletionem ergo actionis illicitæ, carnem putredo afficit: per leuitatem verò cogitationis improbæ, quasi ante oculos puluis surgit. Consentiendo vitiis putredine atterimur: vitiorum verò imagines in corde tolerando, sordibus pulueris fœdamur. Ait ergo: *Induta est caro mea putredine, & sordibus pulueris.*) Ac si apertè diceret: Carnalem vitam quam patior, aut tabes lubricę operationis polluit, aut ex vitiorum memoria caligo miserę operationis premit. Quod tamen si ex voce

E Ecclesiæ vniuersalis accipimus, aliquando hanc proculdubio carnis putredine, aliquando autem grauari sordibus pulueris inuenimus. Multi quippe in ea sunt, qui dum amori carnis inseruiunt, fœtore luxuriæ computrescũt. Et sunt nonnulli qui à voluptate quidem carnis abstinent, sed tamen tota mente in terrenis actibus iacent. Dicat ergo sancta Ecclesia vnius membri sui vocibus: dicat quid de vtroq; genere hominum tolerat: *Induta est caro mea putredine, & sordibus pulueris:*) ac si apertè insinuet dicens: Sunt pleriq; qui mihi per fidem membra sunt, sed tamen sana vel munda per actionem non sunt: quia aut victi desideriis turpibus ad corruptionis putredinem defluunt: aut terrenis actibus dediti, puluere terrenæ cupiditatis cousperguntur. In illis enim quos lubricos tolero, carnem videlicet putrescentem gemo: in istis autem quos terrena quærentes patior, quid aliud quàm fœdata puluere membra porto? Vnde & aptè simul de vtrisque subiungitur: *Cutis mea aruit, & contracta est.*) In sanctæ quippe Ecclesiæ corpore
F hi, qui solis exterioribus curis inseruiunt, congruè cutis vocantur. Quæ nimirum cutis arescendo attrahitur, quia mentes carnalium dum præsentia diligunt, & quasi iuxtà posita concupiscunt, ad futura tẽdi per longanimitatem nolunt. Qui dum internæ spei pinguedinem negligunt, vt attrahantur arefiunt: quia si eorum corda desperatio non siccaret, nequaquam æstus hæc pusillanimitatis attraheret. Hanc nanque attractionem Psalmista formidauerat, cùm siccitatem mentis *Psalm.62.* metuens dicebat: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Adeps quippe pinguedinis animam replet, cùm hanc contra præsentium desideriorum æstum supernæ spei infusio refouet. Cutis ergo arescens attrahitur, cùm cor rebus exterioribus deditum, atque ex desperatione siccatum, in authoris sui amorem non tenditur, sed in semetipso, vt ita dixerim, rugosa cogitatione replicatur. Pensandum verò est quòd carnales mẽtes idcirco præsentia diligunt, quia vita carnis quàm fugitiua sit, minimè perpendunt. Nam si velocitatem transitus eius aspicerent, hanc etiam prosperantem minimè ama-
G rent. Sancta autem Ecclesia in electis suis quotidie quantus sit rebus exterioribus cursus conspicit: & idcirco in intimis pedem sollicitæ intentionis figit. Vnde & aptè subditur:

Quòd vita carnalis non incongruè telæ comparatur, quæ cùm consummata fuerit, complicata succiditur.
Caput VII.

Dies mei velocius transierunt, quàm à texente tela succiditur.) Congrua valde similitudine tempus carnis, telæ comparatur: quia sicut tela filis, sic vita mortalis diebus singulis proficit: sed quò ad augmentum proficit, eò ad incisionem tendit: quia sicut & superius diximus, cùm tempora percepta prætereunt, ventura breuiantur: & de vniuerso vitæ spatio eò fiunt pauciora quæ veniunt, quò multa sunt quæ transierunt. Tela quippe infra supráque ligata, duobus lignis innectitur vt texatur: sed quo inferius texta inuoluitur, eo superius texenda deplicatur: & vnde se ad augmentum multiplicat, inde fit minus quod restat. Sic nimirum vitæ nostræ tempora & transacta quasi inferius inuoluimus, & ventura à supe-
H riori deplicamus: quia quò plus fiunt præterita, minus esse incipiunt futura. Sed quia nec tela ad expressionem nostri temporis sufficit, nam eius quoque festinationem, vitę nostræ velocitas transit, rectè nunc dicitur: *Dies mei velocius transierunt, quàm à texente tela succiditur.* Tela quippe tarditatem † profectus habet: *† al. prouectus.* vita autem præsens moram defectus non habet. In illa nanque cùm laborantis manus figitur, aduentus terminus elongatur: in ista verò quia tempus semper desinẽs indesinenter consumimus, ad finem nostri transitus, etiam quiescendo peruenimus: & per cursum nostri transitus, etiam dormientes imus. Electi igitur quia præsentis vitæ momenta decurrere sub festinatione conspiciunt: nequaquam in hoc tantæ mobilitatis itinere, cordis intentionem figunt. Vnde 12
& aptè protinus subditur: *Et consumpti sunt absque vlla spe.*) Reproborum mens erga dies vitæ præsentis tanto amore constringitur, vt sic semper hic appetant viuere: quatenus, si valeant, viuendi cursum desiderant nunquam finire. Cogitare quippe ventura despiciunt, spem totam in rebus transeuntibus ponunt: habere nulla nisi quæ prætereunt, concupiscunt. Cúmque nimis transeuntia cogitant, & mansura nullatenus

latenus sperant: sic cæcitate insensibili cordis oculus clauditur, vt æternæ luci nullatenus intendatur. Vnde fit vt sæpe iam corpus molestia quatiat, & vicina mors virtutem vitalis spiritus incîdat: nec tamen curare quæ mundi sunt desinant. Iámque eos vltor ad iudicium pertrahit: & tamen ipsi ordinatione sollicita rebus transeuntibus occupati, nihil aliud cogitant, nisi in hoc mundo, adhuc qualiter viuãt † relinquẽdo omnia, quasi possidendo disponunt: *† al. Relinquenda omnia, quasi possidenda,* quia spes viuendi non frangitur, etiam cùm vita terminatur. Iam ad iudicium trahũtur per sententiam: & tamen adhuc habendis rebus inhærent per curam. Dura etenim mente, abesse mors longè creditur, etiam cùm sentitur. Sícque à carne anima soluitur, vt erga præsentia immoderato amore se retinens, cùm ad æternum supplicium ducitur, hoc ipsum quoque nesciat quò ducatur: & deserens, quæ amare cum termino noluit, repente sine termino inuenit, quæ nunquam præuidit. At contrà electorum mens ad æternitatis intentionem tenditur, etiam cùm præsens eam fœliciter vita comitatur. Magna carnis salute vtitur: nec tamen eius fiducia animus retardatur. † Nullus adhuc mortis articulus erumpit: *† Vel, Nullum articulum.* & quasi præsentem hanc quotidie conspicit. Quia enim vita indesinenter labitur, spes ei viuendi funditùs amputatur. Bene ergo de diebus prætereuntibus dicitur consumpti sunt abque vlla spe. Ac si apertè diceretur: Mentis fiduciam in pręsenti vita non posui: quia omne quod præterit, calcando † despreui: *† al. desperaui, vel superaui.* Vnde & mox aptè subditur:

Quòd ad exhibenda recta opera, exuta carne anima non recurrat: & quòd Deus post mortem non liberat, quos ante mortem gratia ad veniam non reformat. Caput VIII.

Memento quia ventus est vita mea.) Hi etenim vitam carnis quasi permanentem diligunt, qui quanta sit vitæ sequentis æternitas non attendunt: cúmque soliditatem perennitatis non considerant, exilium patriam, tenebras lumen, cursum stationem putant: quia qui maiora nesciunt, iudicare de minimis nequaquam possunt. Ordo quippe iudicij exigit, vt quod examinare nitimur, transcendamus. Si enim pręesse rebus omnibus animus non valet, nequaquam de his certa, à quibus vincitur videt. Idcirco itaque mens reproba pręsentis vitæ cursu æstimare non sufficit: quia admirationi illi' ex amore succumbit. Sancti autem viri † qui ad æterna cor eleuant, *† al. quo vel, cùm.* quàm breue sit quod fine clauditur, pensant: & eo e-rum sensibus vilescit quod præterit, quo intellectu radiante interlucet, quod acceptum nunquam recedit. Cúmque infinitatem perennitatis aspiciunt, nequaquam iam pro magno desiderant, quicquid finis angustat. Sed subleuata mens extra temporum terminos ducitur, etiam cum carne in tempore tenetur: & tantò altius finienda despicit, quantò verius infinita cognoscit. Sed hęc ipsa humanę breuitatis consideratio, auchori nostro magnæ virtutis oblatio est. Vnde & rectè nunc cum deprecatione immolato eiusdem virtutis offertur, cùm dicitur: *Memento quia ventus est vita mea.*) Ac si apertè diceretur. Transeuntem velociter benignus respice: quia & tantò à te videri misericordius debeo, quantò ipse à consideratione breuitatis meæ oculos non auerto. Sed quia dum tempus vitæ præsentis abscinditur, ad operationem promerendæ veniæ vlterius non reditur, rectè subiungitur: *Nec reuertetur oculos meus, vt videat bona.*) Ad videnda bona extincti oculus non redit: quia ad exhibenda recta opera exuta carne anima non recurrit. Hinc est quòd diues quem inferni flamma cruciabat, quia semetipsum reparare operando non posse agnouerat: nequaquam iam sibi, sed relictis fratribus prodesse satagebat, dicens: *Luca.16.* Rogo te pater Abraham, vt mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres: vt testetur illis, ne & ipsi veniant in locum hunc tormentorum. Solet nanque mœstum animum spes, vel falsa refouere. Sed vt pœnam suam reprobi grauius sentiant, spem de venia amittunt. Vnde flammis vltricibus traditus, non sibi, vt diximus sed opitulari fratribus concupiuit: quia nunquam se ignium carere tormentis, adiuncto desperationis supplicio, agnouit. *Eccles.9.* Hinc Salomon ait: Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos, qnò tu properas. Nequaquã ergo ad videnda bona oculus reuertetur: quia retributionem suã

A mens inueniens, ad operationis vsum nullatenus reuocatur. Quia igitur fugit omne quod cernitur, & mansura sunt quæ sequuntur, bene beatus Iob vno versu vtraque complexus est, dicens: *Memento quia ventus est vita mea, nec reuertetur oculus meus, vt videat bona.*) Cursum quippe præsentium contemplatus ait: *Memento quia ventus est vita mea.*) Aeternitatem verò sequentium considerans adiunxit: *Nec reuertetur oculus meus vt videat bona.*) Vbi aptè quoque vniuersi humani generis à redemptionis munere destituti vocem protinus sumit, dicens:
Nec aspiciet me visus hominis.) Visus quippe hominis, est mi- 13
sericordia redemptoris, quæ insensibilitatis nostræ duritiam cùm respicit emollit. Vnde teste quoque Euangelio dicitur: Respexit Dominus Petrum, & recordatus est Petrus verbi, quod dixerat Iesus, & egressus foras, fleuit amarè. *Luca.22.* Exutam verò carne animam nequaquam iam visus hominis aspicit, quia post mortem non liberat, quam ante mortem gratia ad veniam non reformat: Hinc etenim Paulus dicit: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. *1.Cor.6.* Hinc Psalmista
B ait: Quoniam in seculum misericordia eius. *Psal.117.* Quia nimirũ quẽ nequaquam modò misericordia eripit, sola post præsens seculum iustitia addicit. Hinc Salomõ ait: *Ecclesiastes 11.* Quia lignum in quocunque loco ceciderit, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem, ibi erit: quia cùm humani casus tempore, siue sanctus, siue malignus spiritus egredientem animam claustra carnis, acceperit, in æternum secum sine vlla permutatione retinebit: vt nec exaltata ad supplicium proruat, nec mersa æternis suppliciis, vltrà ad remediũ ereptionis ascẽdat. Vir igitur sanctus humani generis dãna cõsiderans, quòd à præsenti seculo sine redẽptoris cogitatione subtrahitur, atque in æternis ignibus irreparabiliter sepelitur, & eius vocem in se suscipiens, dicat: Nec aspiciet me visus hominis, quia nimirum redemptoris gratia quẽ nunc intuetur vt corrigat: tunc respicit vt ab interitu abscondat. In iudicium quippe Dominus veniẽs, peccatorem videt vt feriat, sed non videt vt ad largiendam salutis gratiam recognoscat: culpas examinat, & vitam pereuntium
C ignorat. Vnde & sanctus vir cùm se post præsentem vitã respectu hominis videri nõ posse fateretur, aptè mox subdidit:

Quòd secundum Dei districtam iustitiam etiam qui sancti videntur, macula peccati non carent. Caput IX.

Oculi tui in me, & non subsistam.) Ac si apertè diceret: Districtus ad iudicium veniens, & ad saluandũ non vides & ad feriendum vides, quia quem in præsenti vita dispensationis tuæ miseratione non respicis, respiciendo postmodũ per iustitiam extinguis. Nunc enim peccator quisque Deum non metuit & viuit, blasphemat & proficit: quia scilicet misericors creator, quem expectando vult corrigere, aspiciendo non vult punire, sicut scriptum est: Dissimulans peccata *Sapien.11.* hominum, propter pœnitentiam. Sed tunc peccator cùm respicitur, non subsistit: quia cùm districtus iudex merita subtiliter inquirit, reus ad tormenta non sufficit. Quamuis hoc etiã voci iustorum congruit, quorum mens semper sollicita venturo examini intendit. Omne enim quod agunt, metuunt, dũ
D cautè considerãnt ante quãtum iudicẽ stabunt. Intuentur potẽtiam illius magnitudinis, & pensant quanto reatu constricti sunt propriæ infirmitatis. Enumerant mala proprij operis, & contra hæc exaggerant bona gratiæ conditoris. Considerãt praua quàm districtè iudicet, bona opera quàm subtiliter penset, & perituros se absque ambiguitate præsciunt, si remota pietate iudicentur: quia hoc ipsum quoque quod iustè videmur viuere, culpa est, si vitam nostram cùm iudicat, hãc apud se diuina misericordia non excusat. Hinc enim in hoc eodem libro scriptum est: Astra non sunt munda in conspectu eius. Quia apud eum districtè iudicati, ipsi quoque maculas inquinationis habent, qui per munditiam sanctitatis lucent. Bene ergo dicitur: *Oculi tui in me, & non subsistam.*) Ac si apertè iusti voce diceretur: Si subtili examinatione discutior, † ad perferendum iudicium non assurgo, *† al. perferendo, vel in perferendo iudicio, vel iudiciũ.* quia ad pœnam vita non sufficit, si hanc immanitas iustæ retributionis premit. Bene autem eiusdem humani generis & culpa breuiter & pœna surrogatur, cùm protinus dicitur:

Quòd quem semel culpa ad interitum pertrahit, misericordia ad veniã non reducit. Caput X.

14. S*icut consumitur nubes & pertranſit, ſic qui deſcendit ad inferos, non aſcendet.*) Nubes quippe ad altiora ſuſpenditur, ſed denſata vento impellitur vt currat, calore autem Solis diſſipatur, vt euaneſcat. Sic nimirum corda ſunt hominum quæ per acceptæ rationis ingenium ad alta emigrant, impulſa autem maligni ſpiritus flatu, prauis deſideriorum ſuorum moribus huc illucque pertrahuntur, ſed diſtricto reſpectu ſuperni iudicis, quaſi ſolis calore liquefiunt, & ſemel locis pœnalibus tradita, ad operationis vſum vltrà non redeunt. Vir igitur ſanctus elationis curſum, defectumque humani generis exprimens dicat: *Sicut conſumitur nubes & pertranſit, ſic qui deſcendit ad inferos, non aſcendet.*) Ac ſi apertè loqueretur dicens: In altum currendo deficit, qui ſuperbiendo ad internum rendit: quem ſi ſemel culpa ad pœnam pertrahit, miſericordia vlterius ad veniam non reducit. Vnde & adhuc ſubditur: *Nec reuertetur vltrà in domum ſuam.*) Sicut domus eſt corporis habitaculum corporale, ita vnicuique menti hoc domus ſit, quod ex deſiderio inhabitare conſueuit. Ad domum igitur ſuam vltrà non reuertitur, quia ſemel quiſque æternis ſuppliciis traditus, ad hoc iam vbi amore inhæſerat, nullatenus reuocatur. Poteſt etiam inferni nomine, peccatoris deſperatio deſignari, de qua per Pſalmiſtam dicitur: In inferno autem quis confitebitur tibi? Vnde rurſum ſcriptum
Pſalm. 6. eſt: Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contem-
Prouer. 18. nit. Quiſquis autem impietati ſuccumbit, vitam profectò iuſtitiæ moriendo derelinquit. Qui verò etiam poſt peccatum mole deſperationis obruitur, quid aliud quàm poſt mortem in inferni ſupplicio ſepelitur? Bene ergo dicitur: *Sicut conſumitur nubes & pertranſit, ſic qui deſcendit ad inferos, nõ aſcendet.*) Quia plerunque cum perpetratione nequitiæ etiam deſperatio ſociatur, & via iam reuerſionis abſcinditur. Rectè autem corda deſperantium nubibus comparantur, quia & caligine erroris obſcura ſunt, & peccatorum multiplicitate condenſa: ſed cõſumpta pertranſeunt, quia claritate extremi iudicij irradiata diſſipantur. Solet etiam domus, inhabitatio cordis intelligi.
Mac. 5. Vnde ſanato cuidam dicitur: Vade in domum tuam, quia ni-
mirum dignum eſt, vt peccator poſt veniam ad mentem ſuã redeat, ne iterum quò iuſtè feriatur admittat. Sed qui ad infernum deſcenderit, ad domum ſuam vlterius non aſcendit: quia eum quem deſperatio obruit, à cordis ſui habitaculo foras mittit. Et redire introrſus non valet, quia fuſus exterius, ad deteriora quotidie impulſus cadit. Ad contemplandũ quippe creatorem homo conditus fuerat, vt eius ſemper ſpeciem quæreret, atque in ſoliditate illius amoris habitaret: ſed extra ſe per inobedientiã miſſus, mentis ſuæ locum perdidit, quia tenebroſis itineribus ſparſus, ab inhabitatione veri luminis
15. elongauit. Vnde & aptè adhuc ſubditur: *Neque cognoſcet eum amplius locus eius.*) Locus quippe hominis, ſed non localis, ipſe ſcilicet, conditor extitit, qui hunc vt in ſemetipſo conſiſteret, creauit. Quem nimirum locum tunc homo deſeruit, cùm ſeductoris verba audiens, à conditoris amore diſceſsit. Sed cùm omnipotens Deus redimendo ſe homini etiam corporaliter oſtendit, ipſe, vt ita dixerim, fugitiui ſui veſtigia ſubſequens, ad retinendum quem amiſerit hominem locus venit. Si enim appellari locus nequaquam conditor poſ-
Pſalm. 101. ſet, Deum laudans Pſalmiſta non diceret: Filij ſeruorum tuo-
rum habitabunt ibi. Ibi enim non dicimus, niſi cùm locum ſpecialiter deſignamus. Sed ſunt plerique qui etiam poſt perceptum redemptoris auxilium, ad deſperationis tenebras deuoluuntur, & tantò nequius pereunt, quantò & oblata remedia meſericordiæ contemnunt. Rectè ergo de damnato homine dicitur: *Neque cognoſcet eum amplius locus eius:*) quia à conditore ſuo tantò tunc diſtrictius in iudicio non cognoſcitur, quantò nunc ad reparationis gratiam nec per dona reuocatur. Vnde & notandum ſummopere eſt, quod non ait: Neque cognoſcet amplius locum ſuum, ſed ait: Neque cognoſcet eum amplius locus eius. Dum enim cognitio non homini, ſed loco tribuitur, patenter ipſe conditor loci nomine deſignatur, qui diſtrictus ad examen vltimum veniens,
Lucæ 13. in iniquitate durantibus dicit: Neſcio vos vnde ſitis. Sed e-
lecti quique quo diſtrictè reprobos repelli conſiderãt, eo ſemetipſos quotidie à perpetratæ nequitiæ ſordibus ſollicitius purgãt. Cúmque perituros alios frigeſcere à vitę amore conſpiciunt, ſtudiosè ſe ad pœnitentiæ lamenta ſuccendunt. Vnde & aptè ſubditur: *Quapropter & ego non parcam ori meo.*) Ori etenim ſuo non parcit, qui confiteri malum quod fecit, non erubeſcit. In laborem quippe os mittere, eſt ad hoc confeſſionem perpetratæ iniquitatis occupare. Sed iuſtus ori ſuo non parcit, quia iram iudicis diſtricti præueniens verbis contra ſe propriæ confeſsionis fæuit. Hinc Pſalmiſta ait: Præue- Pſalm. 94.
niamus faciem eius in confeſsione. Hinc per Salomonem di- Prouer. 18.
citur. Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem cõfeſſus fuerit, & dereliquerit ea, miſericordiam conſequetur. Hinc rurſum ſcriptum eſt: Iuſtus in principio accuſator eſt ſui. Sed nequaquam ad confeſsionem os panditur, niſi cùm conſideratione diſtricti iudicij, per pauorem ſpiritus anguſtatur. Vnde & aptè mox ſubditur:

De vtilitate confeſsionis & pœnitentiæ. *Caput XI.*

L*oquar in tribulatione ſpiritus mei.*) Tribulatio quippe ſpiritus linguam commouet, vt reatum praui operis vox confeſsionis impugnet. Sciendum quoque eſt, quia ſæpe & reprobi peccata confitentur, ſed deflere contemnunt. Electi autem culpas ſuas quas vocibus confeſsionis aperiunt, diſtrictæ animaduerſionis fletibus inſequuntur. Vnde beatus Iob bene poſtquam ſe ori ſuo non parcere ſpopondit, tribulationem mox ſpiritus ſubdidit. Ac ſi apertè fateretur: dicens: Sic reatum lingua loquitur, vt nequaquam expers à mœroris ſtimulo per alia ſpiritus vagetur, ſed culpas loquens, vulnus aperio. Culpas verò ad correptionem cogitãs, ſalutem vulneris ex medicamine mœroris quæro. Qui enim mala quidẽ quæ perpetrauit inſinuat, ſed flere quæ inſinuauerit recuſat, quaſi ſubducta veſte vulnus detegit, ſed torpenti mente medicamentum vulneri non apponit. Confeſsionis igitur vocẽ ſolus neceſſe eſt vt mœror excutiat, ne vulnus proditum, ſed neglectum, quò licentius iam per humanam notitiam tangitur, deterius putreſcat. Quò contrà Pſalmiſta plagam cordis, Pſalm. 37.
non ſolùm detexerat, ſed detectæ etiam medicamẽtum mœroris adhibebat, dicens: Iniquitatem meam ego pronuntiabo, & cogitabo pro peccato meo. Pronuntiãdo enim occultum vulnus detegit, cogitando autem quid aliud quàm medicamentum vulneri apponit? Sed afflictæ menti & ſua ſollicitè damna cogitanti, rixa pro ſemetipſa oritur contra ſemetipſam. Nam, cùm ſe ad lamenta pœnitentiæ inſtigat, occulta ſe increpatione dilaniat. Vnde & aptè mox ſubditur: *Confabulabor cum amaritudine animæ meæ.*) Pauore nanque diuini iudicij afflicti, dum quædam malè geſta plangimus, ipſa vi noſtræ amaritudinis ad diſcutiendos nos vigilantius excitati, alia in nobis etiam quæ amplius deſleamus, inuenimus. Nam ſæpe quod torpentes latuit, flentibus ſubtilius innoteſcit: & afflicta mens certius inuenit malum quod ſecerat & neſciebat, eſque rixa ſua verius aperit, quãtum à veritatis pace deuiauit: quia reatum ſuum cuius ſecura non meminit, hũc in ſe commota deprehendit. Succreſcens quippe amaritudo pœnitentiæ, verecundanti cordi importunè ingerit illicita quæ commiſit, diſtrictum contra hæc iudicem oſtendit, ſuppliciorum minas incutit, pauore animam ferit, pudore confundit, motus illicitos increpat, quietem noxiæ ſecuritatis turbat: quæ ei conditor bona contulit, quæ ipſe bonis illius mala reſpondit, enumerat, quòd mirè ab eo conditus, quòd gratuitò nutritus, quòd rationis ſubſtantia in conditione dilatus eſt, quòd conditoris gratia vocatus, quòd ſequi ipſe & vocatus noluit, quod vocantis miſericordia, nec ſurdum hũc renitentémque deſpexit, quòd illuminatus donis, quòd ſua ſponte prauis actibus etiam poſt dona cæcatus eſt, quòd à cæcitatis ſuæ errorib⁹ paternæ ſollicitudinis flagellis expiat⁹, quòd à flagellorum doloribus ad ſalutis gaudia miſericordię medicamento reductus eſt, quòd quibuſdam culpis etſi non grauibus ſubditus, peccare tamen & inter flagella nõ deſinit, quòd peccatorem ſuum ſuperna gratia, nec cõtempta dereliquit. Cum igitur afflictam mentem modò per replicationem donorũ Dei, modò per improperia actionis ſuæ tãta ſeueritate increpat, habet in corde iuſtorũ amaritudo animę linguã ſuam, quę tantò eis ſubtilius loquitur, quãtò & interius auditur. Vnde & nequaquã dicitur: Fabulabor in amaritudine animæ meæ, ſed confabulabor cum amaritudine animæ meæ:

Sæpe reprobi peccata confitentur, ſed deflere cõtemnunt.

quia

quia vis doloris quæ peccata ſingula reputans, torpentem animum ad lamenta excitat, quaſi ad eum verba confabulationis format, in quibus ſemetipſum correctus inueniat, & ad ſui iam cuſtodiam ſollicitior exurgat. Dicat itaque vir iuſtus ex voce ſua, & ſanctę Eccleſię typum tenens, dicat ex noſtra: *Confabulabor cum amaritudine animæ meæ.*) Ac ſi apertius inſinuet, dicens: In tus contra me cum cordis mei dolore colloquor, & foris me à verbere iudicis abſcondo. Sed mens pœnitentiæ doloribus preſſa in ſemetipſa conſtringitur, atque à cũctis delectationib⁹ carnis forti cogitatione ſeparat, ad ſũma proficere appetit, & tamen adhuc de corruptione corporis cõtradictionem ſentit. Vnde & aptè mox ſubditur: *Nunquid mare ſum ego aut cetus, quia circundediſti me carcere?*) Carcere homo circundatur, quia plerunque & virtutum profectibus ad alta
Pſalm. 141. exurgere nititur, & tamen carnis ſuæ corruptione præpedi-
tur. Qua bene exui Pſalmiſta deprecatur dicens: Educ de carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo. Quid verò appellatione maris corda carnalium tumidis cogitationibus fluctuoſa: quid autem ceti nomine, niſi antiquus hoſtis exprimitur? Qui dum mentes ſecularium poſsidendo penetrat, quaſi in eorum lubrica cogitatione natat. Sed cetus carcere conſtringit, quia malignus ſpiritus in inferioribus deiectus, ne ad cœleſtia euolare præualeat, pœnæ ſuæ pondere coarctatur: Petro atteſtante, qui ait: Deus angelis peccanti-
2. Petri. 2. bus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarũ tradidit in iudicio cruciandos reſeruari. Cetus carcere conſtringitur, quia tentare bonos quantum deſiderat prohibetur. Carcere quoque mare circundatur, quia carnalium mentium tumida inſanáque deſideria ad peragenda mala quæ appetunt, impoſsibilitatis ſuæ anguſtia grauantur. Sæpe enim dominari melioribus concupiſcunt, ſed tamen eis diuino iudicio cuncta mirabiliter diſponente ſubſtrati ſunt. Nocere bonis elati deſiderãt, & tamẽ ſubiecti ab eis ſolatia ſperant. Pro explendis voluptatibus carnis, longæuitatem vitæ præſentis cupiunt, ſed tamẽ ab ea ſub celeritate rapiunt. De qui-
Pſalm. 77. bus bene per Pſalmiſtam dicitur: Statuit aquas quaſi in vtre.
Aquæ quippe in vtre ſunt, cùm lubrica eorum deſideria, quia operis effectũ nõ inueniunt, ſub carnali corde deprimuntur. Cet⁹ ergo ac mare circundatione premitur carceris, quia vel malignus ſpiritus vel ſequaces illius, in quorum ſe mentibus colligit, atque in eis vndas tumentium cogitationum voluit, vt implere mala quæ appetunt, nequeant, ſuperna eos diſtrictio anguſtat.

Quid iuſti deſiderio pacis æternæ faciant, ſi carceris huius egredi anguſtias concupiſcunt. *Caput XII.*

17. S*ancti autem viri, quo mundiori corde cœleſtium arcana conſiderant, auctis ad hæc quotidie ardoribus anhelant. Ibi iam plenè ſatiari deſiderant, vnde adhuc parum aliquid ore contemplationis deguſtant. Perfectè cupiunt carnis ſtimulum ſubdere, nihil in cogitatione illicitum de eius iam corruptione tolerare: ſed quia ſcriptum eſt: Corp⁹ quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem intentione iam quidem vltra ſemet ipſos eminent, ſed tamen adhuc infirmitatis ſuæ incertis motibus ſubditi, corruptionis ſuæ ſe carcere clauſos dolent.*
Sapien. 9. *Ait ergo: Nunquid mare ſum ego, aut cetus, quia circundediſti me carcere?*) Ac ſi apertè diceret: Mare vel cetus, iniqui videlicet, eorũmque author malignus ſpiritus, quia effrenari ad ſolam perpetrandæ iniquitatis licentiam appetunt, rectè pœnę ſuę carcere conſtringuntur. Ego autem quia iam æternitatis tuæ libertatem deſidero, cur adhuc meę carcere corruptionis premor? Quod tamen nec à iuſtis ſuperbè requiritur, quia amore veritatis accenſi, infirmitatis ſuæ anguſtias tranſgredi perfectè concupiſcunt. Nec ab authore iuſtorum iniuſtè diſponitur, quia electorum ſuorum vota differens cruciãs purgat, vt ad percipiendum quod deſiderant, quandoque melius ex dilatione conualeſcant. Electi autem quouſque ab intima quiete differuntur, ad cor ſuum redeunt, ibique à carnis ſuæ tumultibus abſconſi, quaſi amœniſsimum ſecretum petunt. Sed in eo ſæpe tentationis aculeos ſentiunt, carnis incentiua patiuntur, & ibi grauiſsimos labores inueniunt, ibi magnam requiem à labore quæſierant. Vnde ſanctus vir poſt inſinuatum corruptionis ſuæ carcerem, ad quietam cordis patriã re-

dire feſtinans, quia eandem rixam, & in intimis inuenit, quam ab exterioribus fugit, protinus ſubdit dicens:

Quòd cùm ad ſilentium mentis noſtræ reuertimur, intra nos in cogitationibus colloquimur, & quàm ſubtilia ſint iudicia diuina metuentes, quaſi in lecturi requie ſomnij viſione turbamur.

Caput XIII.

S*i dixero, conſolabitur me lectulus meus, & releuabor loquens mecum in ſtratu meo, terrebis me per ſomnia, & per viſiones horrore concutiet.*) In ſacro nanque eloquio lectulus, cubile vel ſtratum, ſecretum ſolet cordis intelligi. Hinc eſt enim quod ſub vniuſcuiuſque animæ ſpecie ſponſa occultis ſtimulis ſancti amoris excitata, in Canticis canticorum dicit: In lectulo meo Canti. 3.
per noctes quæſiui quem diligit anima mea. In lectulo quippe, & per noctem dilectus quæritur: quia nimirum inuiſibilis conditoris ſpecies, repreſſa omni corporeæ viſionis imagine, in cubili cordis inuenitur. Vnde & eiſdem ſuis dilectoribus Lucæ 19.
veritas dicit: Regnum Dei intra vos eſt. Et rurſum: Si ego Ioan. 16.
non abiero, paracletus non veniet. Ac ſi apertè diceret: Si ab intentionis veſtræ oculis corpus non ſubtraho, ad intellectum vos inuiſibilem, per conſolatorem ſpiritum non perduco. Hinc de iuſtis per Pſalmiſtam dicitur: Exultabunt ſancti Pſal. 149.
in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis: quia ſcilicet cùm mala ab exterioribus fugiunt, ſecuri intra mẽtium ſecreta gloriantur. Sed tunc lætitia cordium perfecta erit, cùm carnis exterius pugna non fuerit. Nam quouſque caro illicit, quia quaſi noſtræ domus paries quatitur, etiam cubile turbatur. Vnde & rectè per eundem Pſalmiſtam dicitur: Vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius: quia dum nos tentatio carnis concutit, tremefacta noſtra infirmitas etiam mentis cubile cõfundit. Quid verò hoc loco ſomnia, vel viſiones accipimus, niſi imaginationes vltimi diſtrictique examinis? quod iam vtcunque per timorem cernimus, ſed tamẽ vt eſt veraciter non videmus. Sancti itaque viri, vt diximus, ad cordis ſecreta ſemper redeunt, cùm ab hoc mũdo, vel vltra votum proſpera, vel vltra vires aduerſa patiuntur, atque externis laboribus feſsi, quaſi ſtratum vel lectulum cubilia mentis petunt. Sed dum quibuſdam imaginationibus cogitationum, quàm ſint ſubtilia diuina iudicia conſpiciunt, quaſi in ipſa ſtatus ſui requie, ſomnij viſione turbantur. Contemplantur enim quàm diſtrictus iudex veniat, qui dum vi immenſæ magnitudinis cordium ſecreta illuminat, omnes ante oculos culpas reducit. Penſant quãta illa illi ſit verecundia, in conſpectu tunc totius humani generis, angelorum omnium archangelorũmque confundi. Perpendunt, qui poſt confuſionem cruciatus maneat, cùm & reatus animum immortaliter morientem, & indeſinenter deficientem carnem gehenna conſumat. Cùm itaque tam pauida imaginatione mens quatitur. quid aliud quàm in ſtratu triſte ſomnium videtur? Dicat ergo, *Si dixero, conſolabitur me lectulus meus, & releuabor loquens mecum in ſtratu meo, terrebis me per ſomnia, & per viſiones horrore concutiet.*) Ac ſi apertè fateatur, dicens: Si exteriora fugiens, introrſus redeo, & vtcunque requieſcere in cordis cubiculo concupiſco, ibi me, dum diſtrictionis tuæ contemplationem obiicis, vehementer per ipſas meæ prouidentiæ imagines terres. Bene autem dicitur: *Et releuabor loquens mecum in ſtratu meo:*) quia nimirum cùm ad mentis noſtræ ſilentium feſsi reuertimur, quaſi in ſtratu colloquentes, occulta intra nos cogitationum verba verſamus. Sed hæc ipſa noſtra collocutio in pauorem vertitur, quia ex illa vehementius intellectus nobis, qui terrorem diſtricti iudicis † innoteſcat, in mente aperitur. Ne quis verò hæc ſtudeat iux- 18.
ta literam perſcrutari, exquirendum magnopere eſt, quot † al. intẽtẽ, aperitur.
modis tangant animum imagines ſomniorum. Aliquando Somnia ſex modis tangunt animum.
nanque ſomnia ventris plenitudine, vel inanitate, aliquando verò illuſione, aliquando cogitatione ſimul & illuſione, aliquando reuelatione, aliquando autem cogitatione ſimul & reuelatione generantur. Sed duo quæ prima diximus, omnes experimento cognoſcimus: ſubiuncta autem quatuor, in ſacræ ſcripturæ paginis inuenimus. Somnia etenim niſi plerunque ab occulto hoſte per illuſionem fierent, nequaquam hoc vir ſapiens indicaret, dicens: Multos errare fecerunt ſomnia, & illuſiones vanæ. Vel Eccli. 34.
certè. Non augurabimini, nec obſeruabitis ſomnia. Qui- Leuit. 19.

bus profectò verbis, cuius sint detestationis ostenditur, quæ auguriis coniunguntur. E Rursum nisi aliquando ex cogitatione simul & illusione procederent, Salomon minimè dixisset: *Ecclesiastes 5.* Multas curas sequuntur somnia. *Gene. 37.* Et nisi aliquando somnia ex mysterio reuelationis orirentur, Ioseph præferendum se fratribus per somnium non videret: *Matthæi. 2.* nec Mariæ sponsum vt ablato puero in Aegyptum fugeret, per somnium angelus admoneret. Rursùm nisi aliquando somnia cogitatione simul & reuelatione procederent, nequaquam Daniel propheta, *Danie. 2.* Nabuchodonosor visionem differens, à radice cogitationis inchoasset, dicens: Tu rex cogitare cœpisti in stratu tuo quid esset futurum post hæc, & qui reuelat mysteria, ostendit tibi quæ ventura sunt. Et paulò pòst subiungit, dicens: Videbas, & ecce quasi statua vna grandis, statua illa magna, & statura sublimis stabat contra te &c. Daniel itaque dum somnum, & implendum reuerenter insinuat, & ex qua ortum sit cogitatione manifestat, patenter ostenditur: quia hoc plerunque ex cogitatione simul & reuelatione generetur. Sed nimirum cùm somnia tot rerum qualitatibus alternent, tantò eis credi F difficilius debet, quantò & ex quo impulsu veniant, facilius non elucet. Sæpe nanque malignus spiritus his quos amore vitæ præsentis vigilantes intercipit, prospera etiam dormientibus promittit: & quos formidare aduersa considerat, eis hęc durius somnij imaginibus intentat, quatenus indiscretam mentem diuersa qualitate afficiat, eámque aut spe subleuans, aut deprimens, timore confundat. Sæpe autem etiam sanctorum corda afficere somniis nititur, vt ab intentione cogitationis solidæ, ad tempus saltem momentúmque deriuentur, quanuis ipsi protinus animum ab illusionis imaginatione discutiant. Sed hostis insidians quò eos vigilantes minimè superat, eò dormientes grauius impugnat. Quem tamen hæc malignè agere superna dispensatio benignè permittit, ne in electorum cordibus ipse saltem à passionis præmio somnus vacet. Bene ergo rectori omnium dicitur: *Si dixero, Consolabitur me lectulus meus, & releuabor loquens mecum in stratu meo, terrębis me per somnia, & per visiones horrore concuties:*) quia nimi- G rum Deus mirabiliter cuncta dispensat, & ipse facit quod malignus spiritus iniustè facere appetit, qui hoc fieri non nisi iustè permittit. Sed quia iustorum vita, & per vigilias tentatione quatitur, & per somnium illusione fatigatur, foris corruptionis suæ molestias tolerat, intus apud semetipsam grauiter illicitas cogitationes portat. Sed quid est quod faciat, vt pedem cordis à tot scandalorum laqueis euellat? Ecce beatus vir, quanta vndique pressus sit perturbatione cognouimus, sed quod consilium contra hanc inueniat, audiamus. Sequitur:

Quòd suspendium sanctorum sit extolli ad cœlestia, & mors ossium, terrenæ fortitudinis mortificatio. Caput XIIII.

Q*Vamobrem elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea.*) Quid per animam, nisi mentis intentio, quid per ossa nisi carnis fortitudo designatur? Omne autem quod suspēditur, proculdubio ab imis eleuatur. Anima ergo suspendium eligit, vt ossa moriantur: quia dum mentis intentio ad alta se H subleuat, omnē in se fortitudinem vitæ exterioris necat. Sancti enim viri certissimè sciunt, quia habere in hac vita requiem nequaquam possunt, & idcirco suspendium eligunt, quia nimirum desideria terrena deserentes, ad alta animum tollunt. Suspensi autem mortem suis ossibus inferunt, quia amore supernæ patriæ, in virtutum studiis accincti, hoc quod fortes prius in mundo fuerant, vinculo humilitatis insequuntur. *Galat. 2.* Intueri libet quomodo animam suam Paulus suspēderat, qui *Philip. 1.* dicebat: Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus. Et rursum: Desiderium habeo dissolui, & esse cum Christo. Et, Mihi viuere, Christus est, & mori lucrum. Qui gesta terrenæ fortitudinis ad memoriam reuocans, quasi quædam in se *Philip. 3.* ossa numerabat dicens: Hebræus ex Hebræis, secundum legē Pharisæus, secundum æmulationem persequens ecclesiam Dei. Sed suspēdio animæ, quia hęc in se ossa interfecit, proti- *Ibidem.* nus asserit, qui subiungit: Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum, detrimenta. Quæ adhuc ossa in semetipso insinuat vehemētius extincta, cùm subdit: Propter quem, omnium detrimentum feci, & arbitror vt stercora. Mortuis verò ossibus quàm exanimis pendeat, ostendit, qui ilico subiungit, dicens: Vt Christum lucrifaciam, & inueniar in illo non habens meam iustitiam quæ ex lege est, sed eā quę ex fide est Iesu Christi. Sed quia collatis eius testimoniis Paulum ad alta suspensum, mundo mortuum testati sumus, nunc beatum Iob si plenus eodem spiritu, exterioris vitæ concupiscentiam fugiat, ostendamus. Sequitur:

Quòd desperatio sanctorum sit terrenarum abdicatio voluptatum. Caput XV.

D*Esperaui, nequaquam vltrà iam viuam.*) Sunt nonnulli iustorum qui sic cœlestia appetunt, vt tamen à terrenorum spe minimè frangantur. Largita diuinitus patrimonia ad necessitatis subsidium possident, honores sibi temporaliter impensos retinent, aliena non ambiunt, suis licitè vtuntur. Qui tamen ab eisdem rebus quas habent, alieni sunt, quia ad hæc ipsa quæ possident, ex desiderio non tenentur. Et sunt nonnulli iustorum, qui ad comprehendendum culmen perfectionis accincti, dum altiora interius appetunt, exterius cūcta derelinquunt: qui rebus se habitis nudant, gloria honoris expoliant: qui internorum desiderio per assiduitatem se amici mœroris afficiunt, habere de exterioribus consolationem nolunt: qui internis gaudiis dum mente appropiant, vitam in se funditùs corporæ delectationis necant. Talibus nanque per Paulum dicitur: Mortui enim estis, & vita vestra abscon- *Coloss. 3.* dita est cum Christo in Deo. Horum vocem Psalmista expresserat, cùm dicebat: Concupiscit & deficit anima mea in a- *Psalm. 83.* tria Domini. Concupiscunt enim, sed non deficiunt, qui iam quidem cœlestia appetunt, sed adhuc tamen à terrenorum delectationibus minimè lassantur. Concupiscit verò & in atrio Dei deficit, qui cùm æterna desiderat, in amore temporalium non perdurat. Hinc Psalmista iterum dicit: Defecit in *Psalm. 118.* salutari tuo anima mea. Hinc per semetipsam veritas admonet, dicens: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum. Et rursum: Nisi quis renuntiauerit omnibus quæ possidet, nō *Lucæ 24.* potest meus esse discipulus. Horum igitur numero sanctus vir, diuisa à terrenis desideriis mēte, se inserit, qui ait: *Desperaui nequaquam vltrà iam viuam.*) Iusti quippe desperare, est præsentis vitæ bona æternitatis electione deserere, mansura quęrere, & in rebus temporalibus fiduciam non habere. Qui hęc agens, nequaquam se vltrà viuere asserit, quia videlicet viuificatrice morte quotidie à vita se passionis occidit. Absit enim ne vir sanctus de diuinæ misericordiæ largitate desperet, ne gressum cordis à profectu intimi itineris subtrahat, ne amorem conditoris deserens, quasi à duce destitutus in via remaneat, & confossus gladio latrocinantis desperationis ruat. Sed ne eius dicta ad nostri intellectus arbitrium videamur violenter inflectere, debemus ex posterioribus præmissa pensare. Quo enim sensu hæc dixerit, ipse protinus indicat, qui subiungit:

Quòd in breuitate huius vitæ magnificatur homo dono virtutum. Caput XVI.

P*Arce mihi Domine, nihil enim sunt dies mei.*) Neque enim duo sibi hæc verba conueniunt, desperaui, & parce: nam qui desperat, nequaquam iam sibi parci postulat: & qui adhuc sibi parci desiderat, profectò minimè desperat. Aliunde ergo est quòd desperat, aliunde verò quod parci sibi sanctus vir postulat: quia nimirū dum bona vitæ trāseuntis per desperationē deserit, ad obtinenda quę permanent, in spe robustior exurgit. Desperando itaque melius ad spem veniæ ducitur, quia eò certius ventura appetit, quò præsentia verius, & ex desperatione derelinquit. Et notandum quòd vim nobis sui cordis insinuans, vnā quidem de se sententiam protulit, sed hanc tertio insinuādo replicauit. Quod enim superius dixerat: *Elegit suspendiū anima mea:*) hoc replicans addidit: *Desperaui:*) atque ęterna cōcupiscēdo, & tēporalia postponēdo, hoc postremò intulit: *Parce mihi:*) & quod superius dixit, *Mortē ossa mea:*) hoc nimirum subdidit, *Nequaquam vltrà iam viuā.*) Hoc quoque vltimò protulit: *Nihil enim sunt dies mei.*) Bene autē 20. dies suos nihil esse considerat, quia, vt paulò superius sæpe iam diximus, sancti viri quò verius summa cognoscunt, eò sublimius terrena despiciunt, & idcirco præsentis vitæ dies nihil

esse conspiciunt: quia illuminatæ mentis oculos in con- A siderationem æternitatis figunt. De qua dum ad se redeunt, quid se esse nisi puluerem agnoscunt, & infirmitatis suæ conscij, districtè iudicare metuunt? Cùmque vim tanti vigoris aspiciunt, trepidant examinari quod sunt. Vnde & adhuc aptè subiungitur: *Quid est homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?*) Hominem Deus magnificat, quia largitate rationis ditat, infusione gratiæ visitat, honore collatæ virtutis exaltat. Cúmque per semetipsum nihil sit, esse tamen eum cognitionis suæ participem, benignitatis munere concedit. Sed erga eundem magnificatum hominem cor suum Dominus apponit: quia post dona iudicium exerit, merita subtiliter pensat, vitæ pondera vehementer examinat, & tantò ab eo pòst districtius pœnas exigit, quantò hunc impenso munere largius præuenit. Vir igitur sanctus immensitatem supernæ maiestatis aspiciat, atque ad infirmitatem propriam considerationis oculum reducat. Videat, quia caro capere non valet hoc quod de semetipsa veritas per spiritum sanctum docet. Videat, quia etiam subleuatus hominis spiritus B iudicium tolerare non sufficit, quod Deus sub examine districtæ retributionis intendat, & dicat: *Quid est homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?*) Ac si apertè clamet, dicens: Magnificatur homo spiritali munere, sed tamen caro est: & vias eius post munera districtè consideras, sed tamen si remota pietate iudicetur, pondus quod de tua subtilitate imminet, ferre nec subleuatus ad iustitiam spiritus valet: quia etsi hunc vltra se tua dona dilatant, ad inquisitionem tamen tui districti examinis sua eum infirmitas angustat. Vnde & adhuc aptè subiungitur:

Quòd Deus visitat hominem cùm in virtutibus prouehit, & probat eum aliquando, cùm recedendo concuti tentatione permittit. Caput XVII.

V*Isitas eum diluculo, & subitò probas illum.*) Quis nostrum nesciat quia diluculū dicitur, cùm iam nocturna tempora in claritatem lucis mutantur? Nos itaque noctis tenebris pre- C mimur, cùm perpetratione iniquitatis obscuramur. Sed nox in lucem vertitur, cùm erroris nostri obscuritas, veritatis cognitione irradiatur. Nox in lucem vertitur, cùm corda nostra iustitiæ fulgor illuminat, quæ cæcitas culpæ deprimebat. Hoc diluculum discipulorum mentibus oriri Paulus a- *Roma. 13.* spexerat, cùm dicebat: Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Diluculo ergo nos Dominus visitat, quia erroris nostri tenebras, luce suæ cognitionis illustrat, contemplationis munere subleuat, in arcem virtutis exaltat. Sed notandum, quod Deus postquam diluculo visitat, subitò hominē probat, quia & accedendo corda nostra ad virtutes prouehit, & recedendo concuti tentatione permittit. Si enim post virtutum munera, nulla tentatione concutitur, has se habere animus ex semetipso gloriatur. Vt ergo & firmitatis dona habeat, & infirmitatem suam humiliter agnoscat, per accessum gratiæ ad alta sustollitur, & per recessum quid ex semetipso sit, probatur. Quod bene nobis ex historia sacræ lectionis innuitur, qua Salomon & diuinitus accepisse sapientiam, & D tamen post acceptam eandem sapientiam, meretricum statim pulsatus quæstione memoratur. Mox enim vt tantæ reuelationis gratiam accepit, certamen turpium mulierum pertulit: quia nimirum sæpe cùm mentem nostram concessis virtutibus respectus intimę largitatis illuminat, hanc protinus etiam lubricæ cogitationes turbant, vt quę subleuata immenso mu- *3. Reg. 19.* nere exultat, etiam tentatione pulsata, quid sit, inueniat. Sic & Helias visitatus diluculo, sermone cœlos aperuit, & tamen probatus subitò, infirmus per deserta fugiens, vnam mulie- *2. Corin. 12.* rem expauit. Sic Paulus ad tertium cœlum raptus ducitur, paradisi penetrans secreta considerat: & tamen ad semetipsum rediens, contra carnis bellum laborat, legem aliam in mēbris sustinet, cuius in se rebellione fatigari spiritus legem dolet. Diluculo ergo Deus hominem visitat, sed subitò post visitationem probat, quia & collato munere subleuat, & abstracto, ad paululum, ipsum sibi hominem demōstrat. Quod eousque proculdubio patimur, quò deтersa funditùs labe peccati, ad promissæ incorruptionis substantiam reformemur. Vnde & adhuc aptè subditur:

Quòd in vita saporem dulcedinis diuinæ gustamus, sed satiari nisi in regno beatitudinis illa omnino non possumus. Caput XVIII.

V*Squequo non parcis mihi, nec dimittis me vt glutiam saliuam meam?*) 21. Saliua in os ex capite delabitur, ab ore verò ad ventrem deducitur cùm glutitur. Quid itaque est caput nostrum, nisi diuinitas? per quam existendi principiū sumimus, vt creatura simus: Paulo attestante, qui ait: Caput viri Christus, caput autem Christi Deus. *1. Cor. 11.* Quid autem venter noster est nisi mens? quę dum cibum suum, supernum videlicet intellectum suscipit, refecta proculdubio omnium membra actionum regit. Nisi enim sacra eloquia aliquando mentem nomine ventris exprimerent, Salomon vtique non dixisset: Lucerna Do- *Prouer. 20.* mini spiraculum hominis, quæ inuestigat omnia secreta ventris. Quia nimirum dum nos gratia superni respectus illuminat, cuncta etiam mentis nostræ nobis absconsa manifestat. Quid ergo saliuæ nomine, nisi sapor intimæ contemplationis accipitur? quæ ad os à capite defluit, quia de claritate conditoris adhuc in hac vita nos positos, vix gustus reuelationis tangit? Vnde & redemptor noster veniens saliuam luto mi- *Marci. 8.* scuit, & cæci nati oculos reparauit, quia superna gratia carnalem cogitationem nostram per admixtionem suæ contemplationis irradiat, & ab originali cæcitate hominem ad intellectum reformat. Nam quia à paradisi gaudiis expulsum, in hoc iā exilio natura edidit, quasi à natiuitate homo sine oculis processit. Sed sicut sanctus vir insinuat, hæc saliua ad os quidem labitur, vt verò ad ventrem vsque perueniat, non glutitur: quia diuinitatis contemplatio sensum tangit, sed plenè mentem non reficit: quoniam perfectè animus conspicere non valet, quod adhuc quia caligo corruptionis, præpedit, raptim videt. Ecce enim electorum mens iam terrena desideria subiicit, iam cuncta quæ considerat præterire, transcendit, iam ab exteriorum delectatione suspenditur, & quæ sint bona inuisibilia rimatur, atque hæc agens, plerunque in dulcedinem supernæ contemplationis rapitur: iámque de intimis ali- C quid quasi per caliginem conspicit, & ardenti desiderio interesse spiritalibus angelorum ministeriis conatur: gustu incircunscripti luminis pascitur, & vltra se euecta, ad semetipsam relabi dedignatur. Sed quia adhuc corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, inhærere diu luci non valet, quam raptim videt. Ipsa quippe carnis infirmitas transcendentem se animam retrahit, atque ad cogitanda ima ac necessaria suspirantem reducit. Saliua ergo ex capite defluens os tangit, sed ad ventrem minimè peruenit: quia liquore supernæ contemplationis iam quidem intellectus noster infunditur, sed nequaquam mens plenè satiatur. In ore etenim gustus est, in ventre satietas. Saliuam itaque glutire non possumus, quia supernæ claritatis bono satiari non permittimur, quod adhuc ex tenuitate gustamus. Sed quia hoc ipsum quod vtcunque ipsam super nos cognoscimus, ex pietate parcentis est, quòd verò hoc percipere perfectè non possumus, adhuc ex pœna vetustæ damnationis, rectè nunc dicitur: *Vsque quò non parcis mihi, nec dimittis me vt glutiam saliuam meam?*) Ac si apertè dice- D retur: Tunc homini plenè parcis, cùm hunc ad perfectionem tuæ contemplationis admiseris, vt claritatem tuam raptus interius videat, & eum carnis suæ corruptio exterius non repellat. Tunc permittis vt saliuam glutiam, cùm me sapore tuæ claritatis vsque ad abundantiam satietatis infuderis, vt nequāquam iam per indigentiam gustu oris esuriam, sed in te solidatus, irrigato mentis ventre subsistam. Sed qui promereri vult bonum quod expetit, debet malum confiteri quod fecit. Sequitur:

Quòd nisi misericordia Dei subueniat, qui per nos cecidimus, nostris resurgere virtutibus non valemus. Caput XIX.

P*Eccaui: quid faciam tibi faciam tibi ô custos hominum?*) Ecce fatetur malū quod fecit, sed bonū quod Deo in recōpensationem debeat offerre, non inuenit: quia ad abluendam culpam quælibet humanę actionis virt' infirma est, nisi hāc misericordia parcētis foueat, & nō iustitia rectè iudicātis premat. Vnde rectè per Psalmistā dicitur: Melior est misericordia tua super *Psal. 62.* vitam: quia quamlibet videatur innocēs, apud districtum tamen iudicem nostra nos vita non liberat, si ei reatus sui debi-

tum misericordiæ benignitas non relaxat. Vel certè cùm dicitur: *Quid faciam tibi?*) pater ostenditur, quia hæc ipsa bona quæ agere præcipimur, non præceptori, sed nobis profunt.
Psalm.15. Vnde rursum per Psalmistam dicitur: Quoniam bonorum meorum non indiges. Humilitas autem nostræ destitutionis exprimitur, cùm Deus hominum custos vocatur: quia si eius nos custodia minimè protegit, ante occulti hostis insidias, nostræ sollicitudinis oculis vigilans dormit, Psalmista
Psalm.126. rursus attestatur, qui ait: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam. Per nos nanque cecidimus, sed nostris resurgere viribus non valemus. Culpa nos voluntatis propriæ semel strauit, sed pœna culpæ deterius quotidie deprimit. Ad amissam rectitudinem resurgere studiorum conatibus nitimur, sed meritorum pondere grauamur. Vnde & aptè subditur:

Quanta sit miseria mutabilitatis humanæ.
Caput. XX.

QVare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis?) Tunc sibi contrarium Deus hominem posuit, cùm homo Deum peccando deseriquit. Serpentis quippe persuasionibus captus hostis eius extitit, cuius præcepta contempsit. Iustus verò conditor hunc sibi contrarium posuit, quia inimicum ex elatione deputauit. Sed hæc ipsa contrarietas culpæ, facta est homini pondus pœnæ, vt corruptioni suæ malè liber seruiat, qui bene seruus de incorruptionis libertate gaudebat. Salubrem quippe humilitatis arcem deferens, ad infirmitatis iugum superbiendo peruenit, & ceruicem cordis erigendo suppositit: quia qui subesse diuinis iussionibus noluit, sub suis se necessitatibus strauit. Quod melius ostendimus, si ea quæ deiectus sustinet, & prius carnis, & pòst pondera mentis exprimamus. Vt enim taceamus hoc, quòd dolores tolerat, quòd febribus anhelat, sua quadam ægritudine constringitur, ipsa hæc nostri corporis, quę salus vocatur, ægritudo est. Nam ocio tabescit, opere deficit: inedia deficiens, cibo reficitur vt subsistat: refectione lassescens, abstinentia releuatur vt vigeat, aqua perfunditur, ne arescat: linteis tergitur, ne ipsa nimis perfusione liquefiat: labore vegetatur, ne quiete torpeat: quiete refouetur, ne laboris exercitatione succumbat: fatigatur vigiliis, somno reparatur: oppressa somnò, vigiliis excutitur, ne sua peius quiete lassetur: vestibus tegitur, ne frigoris aduersitate penetretur: quæsito calore deficiens, aurarum flatu refouetur. Cúmque inde molestias iuuenit, vnde vitare molestias quæsuit, malè sauciata, vt ita dixerim, de ipso suo medicamine languescit. Remotis ergo febribus, cessantibúsque doloribus ipsa nostra salus ægritudo est, cui curandi necessitas nunquam deest. Quot enim solatia ad viuendi vsum quærimus, quasi tot nostræ ægritudini medicamentis obuiamus. Sed ipsum quoque medicamen in vulnus vertitur, quia exquisito remedio paulò diutius inhærentes, ex eo grauius deficimus, quod prouidè ad refectionem paramus. Sic nimirum debuit præsumptio corripi, sic superbia sterni. Quia enim elatum semel sumsimus spiritum, ecce defluens quotidie portamus lutum.
H Ipsa quoque mens nostra à secreti interioris securo gaudio exclusa, modò spe decipitur, modò pauore vexatur, modò dolore deiicitur, modò falsa hilaritate releuatur: transitoria pertinaciter diligit, eorúmque amissione incessanter atteritur, quia & incessanter cursu rapiente permutatur. Rebus autem mutabilibus subdita, & à semetipsa variatur. Nam quærens quod non habet, anxia percipit: cúmque hoc habere cœperit, tædet hanc percepisse quod quæsuit. Amat sæpe quod despexerat, despicit quod amabat. Cum labore quæ æterna sunt discit, sed horum repentè obliuiscitur, si laborare desierit. Diu quærit, vt parum quid de summis inueniat: sed ad consueta citiùs relabens, nec parum in his quæ inuenerit perseuerat. Erudiri appetens, vix suam ignorantiam superat, sed erudita, grauius contra scientiæ gloriam pugnat. Vix carnis suæ sibi tyrannidem subiicit, sed tamen adhuc intus culpæ suæ imaginem tolerat, cuius iam foris opera vincendo restinxit. In authoris sui inquisitione se erigit, sed reuerberatam hanc, corporearum rerum amica caligo confundit. Semetipsam qualiter incorporea corpus regat, intueri
E uult, & non valet. Requirit mirè, quod sibi respondere non sufficit, & sub eo ignara deficit, quod prudèter requirit. Amplá se simul & angustam considerans, qualé se veraciter æstimet ignorat, quia si ampla non esset, nequaquam tam inuestiganda requireret. Et rursum si angusta non esset, hoc ipsum saltem quod ipsa requirit, inueniret. Bene ergo dicitur: *Posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis.*) Quia dum repulsus homo, & à carne molestias, & à mente quæstiones tolerat, graue nimirum pondus semetipsum portat. Vndique languoribus premitur, vndique infirmitatibus vrgetur, vt qui relicto Deo, se sibi ad requiem sufficere credidit, nihil in se nisi tumultum perturbationis inueniret, inuentúmque se fugere quæreret: sed authore contempto, quò se fugeret, non haberet. Cuius infirmitatis pondera bene quidam sapiens contemplatus, ait: Graue iugum super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorũ, vsque ad diem sepulturæ in matrẽ omnium. Beatus autem Iob ista considerans, & quare ita ordinata sint ingemiscens, non iustitiam redarguit, sed misericordiam inquirit: vt percõtando ipse humiliter pulset, quod
F parcẽdo diuina pietas immutat. Ac si apertè dicat: Cur quasi Eccli.40.
contrarium tibi hominem despicis, qui certus scio, quia perire vel ipsum quem despicere crederis, non vis? Vnde bene adhuc & humilitatem confessionis exprimit, & vocem liberæ inquisitionis adiungit, dicens: *Cur non tollis peccatum meũ,* 23.
& quare non aufers iniquitatem meam?) Quibus profectò verbis quid aliud quàm desiderium præstolati mediatoris innuitur? de quo Ioannes ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccã- Ioan.1.
tum mundi. Vel certè ab humano genere tunc peccatum plenè tollitur, cùm per incorruptionis gloriam nostra corruptio permutatur. Esse nanque à culpa liberi nequaquam possumus, quousque in corpore mortis tenemur. Redemptoris ergo gratiã, vel resurrectionis soliditatem desiderat, qui iniquitatem suam auferri funditùs sperat. Vnde mox & pœnam præuaricationis culpæ, quam ex origine meruit, & iudicium, quod ex propria actione pertimescit, adiungens subdit:

G *Quòd præsens mors sint pœna peccati, & in iudicio, si à peccatore secundum districtionem operum ratio exigatur, non subsistit, nec habei quid respondeat iudici.*
Caput XXI.

E*Ece nunc in puluere dormiam, & si mane me quæsieris, non subsi-* Gene.3.
stam.) Peccanti primo homini dictum est: Puluis es, & in puluerem reuerteris. Mane autem dicitur illa tunc manifestatio mentium, quæ in aduentu iudicis apertis cogitationibus quasi post noctis tenebras demonstratur. De quo nimirum mane per Psalmistam dicitur: Mane astabo tibi & videbo. Quærere autem Dei, est hominem subtili interrogatione discutere, & districtè discutiendo iudicare. Beatus igitur Iob humanæ deiectionis damna considerans videat, quia & præsenti iam pœna premitur, & adhuc de futuris grauius vrgetur: Et dicat: *Ecce nunc in puluere dormiam, & si mane me quæsieris, non subsistam.*) Ac si apertius deplorat, dicens: In præsenti quidem mortem iam carnis patior, & tamen adhuc de futuro iudicio grauiorem morte, districtionis tuæ sententiam pertimesco. Interitũ pro culpa sustineo, sed adhuc ad iudicium veniens, culpas restitui, & post interitum formido. Exteriorem ergo mortem considerans, dicat: *Ecce nunc in puluere dormiam.*) interiorem metuens adiungat: *Et si mane me quæsieris, non subsistam.*) Quantalibet enim iustitia polleãt, nequaquam sibi ad innocẽtiam, vel electi sufficiunt, si in iudicio districtè requirantur. Sed hoc nunc ad solatium suæ ereptionis inuenint, quod nequaquam se posse sufficere humiliter sciunt. Sub humilitatis ergo tegmine à gladio se tantæ animaduersionis abscondunt, & quò terrorem venturi iudicis præstolantes continuo timore trepidant, eò indefinenter agitur, vt paratiores fiant: Sequitur:

Caput octauum beati Iob.

REspondens autem Baldath Suites, dixit: Vsquequo loqueris talia, & spiritus multiplex sermonis oris tui? Nunquid Deus supplantat iudiciũ, aut omnipotens subuertit, quod iustum est? Etiam si filij tui peccauerunt

ei, & dimisit eos in manu iniquitatis suæ, tu tamen si A
diluculo consurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus: si mundus & rectus incesseris, statim euigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum iustitiæ tuæ: intantum vt si priora tua fuerint parua, & nouissima tua multiplicentur nimis. Interroga enim generationem pristinam, & diligenter inuestiga patrum memoriam: (hesterni quippe sumus, & ignoramus, quoniam sicut vmbra dies nostri sunt super terram) & ipsi docebunt te: loquẽtur tibi, & de corde suo proferent eloquia. Nũquid virere potest scirpus absque humore, aut crescere carectum sine aqua? Cùm adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit. Sic viæ omnium qui obliuiscuntur Deũ, & spes hypocritæ peribit. Non ei placebit vęcordia sua, & sicut tela aranearum fiducia eius. Innitetur super domum suam, & non stabit: fulciet eam, & non consurget. Humectus videtur antequam veniat sol, & in ortu suo germen eius egredietur. Super aceruum petrarum radices eius densabuntur, & inter lapides commorabitur. Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, & dicet: Non noui te. Hæc est enim lætitia viæ eius, vt rursum de terra alij germinentur. Deus non proiiciet simplicem, nec porriget manum malignis, donec impleatur risu os tuum, & labia tua iubilo. Qui oderunt te, induentur confusione, & tabernaculum impiorum non subsistet.

Caput XXII.

24. REspondens autem Baldath Suites ait: Vsquequo loqueris talia & spiritus multiplex sermonis oris tui?) Iniustis semper grauia sunt verba iustorum, & quæ ad ædificationem prolata audiunt, hæc quasi superimpositum pondus ferunt. Quod de se apertè Baldath Suites indicat: dicens: *Vsquequo loqueris talia?*) Qui enim vsquequo dicit: quia ædificationis verba iam portare non possit, ostendit. Sed cùm corrigi iniqui despiciunt, bene prolata criminantur. Vnde & protinus subiungit: *Et spiritus multiplex sermonis oris tui.*) Cùm multiplicitas in sermone reprehẽditur, esse proculdubio intelligentiæ grauitas in sensu denegatur. Vis quippe summa loquentium, quadrifaria qualitate distinguitur. Nam sunt nonnulli, quos sentiendi simul ac dicendi amplitudo dilatat, & sunt nonnulli quos sentiendi simul & dicendi inopia angustat. Sunt nonnulli qui efficaciam dicendi habent, sed acumen sentiendi non habent. Et sunt nonnulli qui acumine sentiendi subnixi sunt, sed ex inopia locutionis obmutescunt. Hoc nanque in hominbus cernimus, quod in rebus sæpe insensibilibus videmus. Nam plerunque & abundans aqua ab intimis ducitur, & largis in superficiem meatibus deriuatur. Plerunque angusta in intimis latet, & progrediendi rimas D
difficulter inueniens, foras angustior* exundat. Plerunque minima in absconditis oritur: cúmque patenter qua exeat inuenit, ex largo foramine tenuis procedit, magnísque se meatus dilatant, sed non est quod fundant. Plerunque verò ampla in absconditis surgit, sed angustis pressa meatibus tenuissima prosluit. Sic itaque in aliis os patens emanat, quod largus ingenij fons ministrat. In aliis intellectum nec sensus porrigit, nec lingua fundit. In aliis os siquidem ad loquendum patet, sed ad reddendum parata à sensu lingua nihil accipit. In aliis verò largus sentiendi fons à corde exuberat, sed hunc quasi meatus tenuis impar lingua coangustat. In quibus nimirum quatuor dicendi qualitatibus, soli crimini tertia subiacet, quæ hoc sibi per locutionem arripit, ad quod per ingenium non assurgit. Nam prima laudanda est, quæ vtroque valenter pollet. Secunda miseranda, quæ vtroque humiliter caret. Quarta adiuuanda, quæ explere quod sentit non valet. Tertia vero despicienda atque reprimenda, quæ dum sermone se erigit, sensui iacet: quæ membris inflatione tumentibus similis, ad

De quadrifaria loquẽtium varietate.

** al. exhalat. vel, exudat.*

aures audientium vasta, sed vacua procedit. Quod nunc Baldath beato Iob crimen intorquet, dicens: *Spiritus multiplex sermonis oris tui.*) Qui enim multiplicitatem sermonis oris tribuit, profectò cordis inopiam reprehendit. Ac si apertè dicat: Abundantia spiritus in sermone oris attolleris, sed sensus indigentia coangustaris. Praui autem cùm recta reprehendunt, 25.
ne ipsi quæ iusta sunt nescire videantur, nota omnibus bona, quæ audiendo didicerunt, quasi incognita proferunt. Vnde & Baldath protinus adiũgit: *Nunquid Deus supplantat iudicium, aut omnipotens subuertit quod iustum est?*) Hæc beatus Iob nec loquens negauerat, nec reticens ignorabat. Sed procaces quique, vt diximus, etiam nota iactanter proferunt, vt loquendo docti videantur. Contemnunt moderatè contiecescere, ne credantur ex imperitia tacuisse. Sciendum verò est, quia tunc diuinæ iustitiæ rectitudinem laudant, cùm se ad gaudium incolumitas subleuat, & alios flagella castigant, cùm se conspiciunt rerum prosperitate perfrui, alios aduersitate fatigari. Nam dum peruersè agunt, sed tamen se rectos B
arbitrantur, hoc quod sibi prospera suppetunt, deberi suis meritis credunt, eóque colligunt quod Deus iniustè non iudicat, quòd quasi iustos se aduersitas nulla contristat. Sed si eorum vitam quanlibet breuiter vis supernæ correptionis attigerit, pulsari protinus consilium diuini examinis increpant, quod paulò antè incolumes admirando præferebant, iustúmque esse iudicium quod suis moribus aduersatur, negant, & dũ de diuina æquitate disputãt, ad resultationis verba prosiliunt, & correpti quia deliquerint, grauius delinquunt. Vnde bene etiam per Psalmistam contra peccatoris confessionem dicit: Confitebitur tibi cùm benefeceris ei. Despecta quippe Psal.48.
vox confessionis est, quam format iucunditas prosperitatis. Sola autem confessio habet magni meritum ponderis, quam à veritatis rectitudine nequaquam separat vis doloris, quam vsque ad iudicium vocis exacuit aduersitas testis cordis. Non ergo mirum quòd Baldath diuinam iustitiam laudat, qui nihil aduersi ab eadem iustitia tolerat. Sed quia amicos beati Iob, C
hæreticorum tenere speciem diximus, libet vt paucis quomodo Baldath verba hæreticorum surreptionibus congruãt, demõstremus. Hi quippe dũ sanctam Ecclesiã tẽporali corripi animaduersione conspiciũt, audacius in iactantiam peruersæ prædicationis intumescunt, & superni examinis rectitudinem prætendentes, prosperari se ex meritis asserunt: illam verò affligi dignis retributionibus attestantur, & verbis blandientibus surreptionis aditum protinus inter dolores quærũt, atque aliorum vitam exprobrantes aliorum mortibus feriũt, ac si illi iam iustè defuncti sint, qui de Deo credere digna noluerunt. Vnde Baldath Suites postquam diuinam iustitiam protulit, ilico subiungit: *Etiam si filij tui peccauerunt ei, & dimisit eos in manu iniquitatis suæ, tu tamen si diluculo consurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus: si mũdus & rectus incesseris, statim euigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum iustitiæ tuæ.*) Ac si afflictis catholicis errõrum prædicatores dicant: Vitæ vestræ prouidete, & quàm peruersa teneatis, ex eorum qui inter vos defuncti sunt damnatione cognoscite, quia conditori omnium nisi perfidia vestra displiceret, nequaquam à vobis tam numerosos populos, interitu sæuiente subtraheret. Ait enim: *Etiam si filij tui peccauerunt ei, & dimisit eos in manu iniquitatis suæ.*) Quasi apertè diceret: In iniquitatis suæ manu dimissi sunt, qui vitam nostræ rectitudinis imitari noluerunt. Tu tamen si diluculo cõsurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus. Quia enim se hæretici tenere lucem veritatis æ- 26.
stimant, sanctam ecclesiam quasi in erroris nocte positam, ad diluculum veritatis vocant, quatenus & per cognitionem Dei, quasi per diluculum surgat, & per precem pœnitentiæ præterita diluat. *Si mundus & rectus incesseris.*) Mundus videlicet in cogitatione, rectus in opere. *Statim euigilabit ad te.*) Ac si apertè dicat: Quia is qui nunc tribulationibus tuis virtutem suæ protectionis non exerit, quasi ab adiutorio errantis dormit. *Et pacatum reddet habitaculum iustitiæ tuæ.*) id est, præsentis vitæ contrarietates amouet, & tranquillitatis protinus securitatem præbet. Quia enim peruersi quique temporale gaudium singulare æstimant, diuinæ remunerationis bonũ, quod ipsi anxiè ambiunt, hoc aliis pro magno pollicentur. Vnde plerũque fit, vt aut amissa recuperari spõdeant,

aut ad maiora adhuc præsentis vitæ præmia adiutorium suorum animos extendant. Quod patenter Baldath exprimit, cùm protinus adiungit: *Intantum vt si priora tua fuerint parua, & nouissima tua multiplicentur nimis.*) Si verò habitaculum iustitiæ, consilium mentis vocat, afflictis catholicis errorum magistri paccatum iustitiæ habitaculum promittunt, quia si eos ad sua pertrahunt, profectò à contentione conticescunt. Nanque hi qui pertrahi ad peruersa potuerunt, tantò iam trãquillius temporali pace quieti sunt, quantò longius ab æterna separantur. Opes quoque intelligẽtiæ se sequentibus crescere spondent. Vnde & subditur: *Intantum vt si priora tua fuerint parua, & nouissima tua multiplicentur nimis.*) Sed quia eorum verbis non facilè creditur, quoniam sæpe vita contemptibilis demonstratur, antiquorum patrum sententias proferunt, earúmque rectitudinem in argumentum sui erroris inflectunt. Vnde & subditur.

Quòd antiquorum patrum exempla, ad insinuandum transitoriæ huius vitæ instabilitatem, intuenda sunt.
Caput XXIII.

I*Nterroga enim generationem pristinam, & diligenter inuestiga patrum memoriam.*) Generationem pristinam, ac patrum memoriam nequaquam videri, sed inuestigari admonent, quia hoc in ea nolunt conspici, quod liquidò cunctis patet. Nonnunquam verò more bonorum, quædam moraliter docent, & qualiter ex præteritis præsentia colligantur, insinuant: atque ex his quæ iam à nostris oculis pertransеundo subtracta sunt, quàm nulla sint quæ videntur, demonstrãt. Vnde & adhuc subditur: *Hesterni quippe sumus, & ignoramus, quoniam sicut vmbra dies nostri sunt super terram.*) Generatio itaque pristina interroganda proponitur, vt transire tempus vitæ præsentis sicut vmbra monstretur, quia videlicet si ea quæ erant, & iam transacta sunt, ad memoriam reducimus, patenter cognoscimus quàm celeriter hoc quoque fugiat quod tenemus. Sæpe verò hæretici eosdem nobiscum patres quos veneramur laudant, sed intellectu deprauato, ipsis nos eorũ laudibus impugnant. Vnde & adhuc subditur: *Ipsi docebunt te, loquentur tibi, & de corde suo proferent eloquia.*) Notandum quod superius dixerat: Spiritus multiplex sermonis oris tui: nunc verò reductis ad memoriam patribus dicit: *De corde suo proferent eloquia.*) Ac si vitam sanctæ Ecclesiæ hæretici detestantes dicant: Multiplicitatem spiritus in ore habes, in corde non habes. Sed illi contra te audiendi sunt, qui verba ex corde proferentes, recta viuendo docuerunt. Sæpe autem praui dum suę vitium fortitudinis ignorant, audenter aliorum rectitudinẽ lacerant. Cúmque contra bonos sibi authoritatem increpationis arripiunt, aut ea bona proferunt, quæ non videndo, sed audiendo didicerunt, aut ea aliis mala mentientes ingerunt, quæ ipsi committunt. Sed cùm ea bona proferunt, quæ seruare contemnunt, sciendum est quia plerunque veritas sic per ora aduersariorum sonat, vt eorum linguam mouens, vitam feriat, quatenus culmen rectitudinis loquentes & ignorantes, ipsi sibi & verbis iudices, & factis accusatores fiant. Vnde Baldath mira quidem contra hypocritas subdit, sed mucrone verbi se impetit: quia simulator iustitiæ, nisi ex aliquantulo ipse esset, docere iustum nequaquam tanta temeritate præsumeret. Et quidem fortia sunt valde quæ dicit, sed hæc stultis, non autem sapienti: prauis, non recto dicere debuit: quia & vecordem se asserit, qui hortis sitientibus, in flumine aquam fundit. Sed interim postponentes cui dicitur, pensemus subtiliter quid dicatur, vt nos prolata instruant, quanuis meritum sui authoris impugnent. Sequitur:

Quòd sanctorum bona quæ vera sunt permanent, hypocritarum vero bona, quia falsa sunt, non perseuerant: & quod superbi correctionis impatientes sunt.
Caput XXIIII.

N*Vnquid viuere potest scirpus absque humore, aut crescere carectum sine aquâ?*) Cui Baldath scirpum, vel carectum cõparet, ipse protinus aperit, cùm subiungit: *Cùm adhuc sit in flore nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit: sic viæ omnium qui obliuiscuntur Deum, & spes hypocritæ peribit.*) Scirpi ergo vel carecti nomine, hypocritæ vitam signat, quæ speciem quidem viriditatis habet, sed ad humanos vsus fructum vtilitatis non

E habet, quæ sterilitate operis arida permanens, sola sanctitatis colore viridescit. Sed neque sine humore scirpus, neque sine aqua carectum proficit, quia hypocritarum vita ad bona opera infusionẽ quidem superni muneris percipit, sed in cũctis, quę agit, exteriores laudes appetẽs, à fructu perceptę infusionis inanescit. Sæpe nanq; mira signorũ opera faciunt, ab obsessis corporibus spiritus pellũt, & per prophetię donum, ventura quæque sciẽdo prę ueniũt, sed tamen à largitore tot munerũ, cogitationis intẽtione diuisi sunt: quia per eius dona, nõ eius gloriã, sed proprios fauores quęrunt: cúmque per accepta dona in sua laude se eleuant, ipsis muneribus contra largitorẽ pugnant. Inde quippe contra dantem superbiunt, vnde ei amplius humiles esse debuerunt. Sed eò postmodũ eos districtior sententia percutit, quò nunc superna bonitas, & ingratos largius infũdit. Fitque eis amplitudo muneris, incrementum damnationis, quia irrigati fructũ non ferunt, sed sub viriditatis colore vacui in altũ crescunt. Quos bene per Euangelium veritatis exprimit, dicens: Multi dicent mihi in
F illo die, Domine, domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tũc cõfitebor illis, quia nunquam noui vos, discedite à me qui operamini iniquitatẽ. Scirpus igitur vel carectum absque humore, vel aqua non viuit, quia nimirum hypocritæ non nisi ex superno munere viriditatẽ bonę operationis accipiunt. Sed quia hanc in vsum propriæ laudis arripiunt, in aqua quidẽ virides, sed tamen inanes crescunt. Bene autem subditur: *Cùm adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit.*) Scirpus in flore, est hypocrita in laude. Acutis verò angulis surgens carectum manu non carpitur, quia exasperatis per arrogantiam sensibus de prauitate sua hypocrita corripi dedignatur. In flore suo manum carpentis incidit, quia in laude hypocrita positus, si hũc quisquam corripere audeat, asperitate sua protinus vitam corripientis secat. Sanctus nanque esse non appetit, sed vocari: & cùm fortasse corripit, quasi in opinionis gloria detruncatur.
G Deprehẽsum se in prauitate irascitur, loqui sibi redarguentẽ prohibet, quia velut in occulto vulnere tactus dolet. Qualis imperitis innotuit, talis vult ab omnibus æstimari, & paratior est mori quàm corripi. Redargutione deterior redditur, quia quasi diræ percussionis æstimat iaculũ, puritatis verbũ. Vnde exasperatus protinus in cõtumelias surgit, & quæ mala exaggeret contra vitam correptoris, inquit. Demonstrare longè incomparabiliter reum reprehensorem suum desiderat, vt innocentem se non suis actibus, sed alienis criminibus ostẽdat, ita vt sępe homo redargutionis aliquid se dixisse pœniteat, & quasi à carpẽtis manu, sic à corripientis animo quidam, vt ita dixerim, sanguis mœroris currat. Vnde bene per Salomonẽ dicitur. Noli arguere derisorem, ne oderit te. Ne- *Prouer.9.*
que enim iusto timendũ est, ne derisor cùm corripitur, contumelias inferat, sed ne tractus ad odium, peior fiat. Inter hęc sciendũ est, quòd iustorum bona, quia ex corde incipiunt, vsque ad præsentis vitę terminum crescunt. Hypocritarũ verò opera, quia nequaquam sunt in occulto radicata, sæpe antè
H deficiunt, quàm præsens vita finiatur. Nam plerũque studio sacræ eruditionis insistunt, & quia hanc nõ prę parandis meritis, sed promerendis fauoribus inquirunt, statim vt iudiciũ humanę laudis arripiunt, & per hoc gratiam transitorij profectus assequuntur, tota mẽte secularibus curis inseruiunt, atque à sacra funditùs eruditione vacuãtur, & agendo pòst indicãt, quantũ temporalia diligãt, qui sola prius æterna prædicabant. Plerunque autem assumptæ speciem maturitatis ostẽdunt, quiete silentij, longanimitate patientiæ, continentiæ virtute decorantur. Sed cum per hęc quęsiti culmẽ honoris attigerint, cùmque sibi iam reuerentia à cunctis impenditur, protinus se in lasciuiã voluptatis fundunt, & bona se non ex corde tenuisse ipsi testes sunt, qui hæc citò dimiserũt. Nonnunquã verò quæ possidẽt tribuũt, atq; indigentibus cuncta largiuntur, sed tamen ante vitæ terminum, auaritiæ prurigine accensi, aliena appetunt, qui sua largiri videbantur, & pertinaci pòst crudelitate ambiunt, quod ficta prius pietate reliquerunt. Vnde & rectè nunc dicitur: *Cùm adhuc sit in flore,* 28.
nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit.) Iuxta carnem quippe *Esaiæ. 40.*
& iusti herba sunt, Propheta attestante, qui ait: Omis caro

fœnum.

Esa 40. fœnum. Sed ante omnes herbas arescere scirpus dicitur, quia iustis in bono suo permanentibus, à viriditate assumptæ rectitudinis hypocritarum vita siccatur. Arescunt herbæ etiam reliquæ, quia iustorum opera cum carnis vita deficiunt. Sed herbarum ariditatem scirpus præuenit, quia priusquam de carne hypocrita transeat, ea quæ in se ostenderat, virtutum facta derelinquit. De quibus etiam bene per Psalmistam dicitur: Fiant sicut fœnum ædificiorum, quod priusquam euellatur, exaruit. *Psal.128.* Fœnum quippe ædificij in alto nascitur, sed nequaquam pingui radice solidatur: quia & hypocrita summa quidem agere cernitur, sed non in eis ex cordis puritate roboratur. Quod nimirum fœnum & non euulsum citius arescit, quia videlicet hypocrita, & in præsenti adhuc vita subsistit, & iam sanctitatis opera quasi viriditatis speciem amittit. Quia enim sine intentione rectæ cogitationis bona studuit agere, hæc amittens, indicat se sine radice floruisse. Sed Baldath, sicut prædiximus, cui scirpum vel carectum comparet ilico
I aperit, cùm subiungit: *Sic viæ omnium qui obliuiscuntur Deum, & spes hypocritæ peribit.*) Quid enim in cunctis suis operibus hy- B
pocrita sperat, nisi honoris reuerentiam gloriam laudis, à melioribus metui, sanctus ab omnibus vocari? Sed permanere spes hypocritæ non valet, quia æternitatem non quærens fugit quod tenet. Nequaquam quippe mentis eius intentio in illa gloria figitur, quæ sine fine possidetur: sed cùm transitoriis fauoribus inhiat, perdit, percipiendo quod laborat, veri-
Matt.6. tate attestante, quæ ait: Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Sed hæc spes recipiendæ mercedis diu teneri non potest, quia pro ostensis operibus honor tribuitur, sed vita ad terminum vrgetur: laudes resonant, sed ad finem cum laudibus tempora festinant: & quia nequaquam animus in æternitatis amore radicatur, cum ipsis profectò rebus quas diligit labitur. Nemo nanque valet mobilia diligere, & ipse im-
Nemo potest immobilis stare, qui mobilia diligit. mobilis stare. Qui enim transeuntia amplectitur, eo ipso ad cursum ducitur, quo decurrentibus implicatur. Dicat ergo: Et spes hypocritæ peribit: quia humana laus quam magnis laboribus appetit, impulsa temporum momentis decurrit. Bene C
autem subditur:

Quòd vili precio opus magnum vendit, qui ideo in laboribus continentiæ seruit, vt laus ei ab hominibus impendatur, & cùm tempus retributionis aduenerit, hæc quæmodo placet insania, in tormentis positis displicebit.
Caput XXV.

N*On ei placebit vecordia sua.*) Magna quippe vecordia est, laboriosa agere, & auræ laudis inhiare, forti opere præceptis cœlestibus inseruire, sed terrenæ retributionis præmium quærere. Vt enim ita dixerim, qui pro virtute quam agit, humanos fauores desiderat, rem magni meriti vili precio venalem portat. Vnde cœli regnum mereri potuit, inde nummum transitorij sermonis quærit. Vili ergo precio opus vendit, quia magna impendit, sed minima recipit. Quibus itaque
29. hypocritæ similes, nisi fœcundis & neglectis vitibus existunt? quæ per vbertatem fructum proferunt, sed nequa- D
quam per studium à terra subleuantur. Quod pingues palmites germinant, errantes bestiæ conculcant, & quò hoc vberius aspiciunt, proiectum in infimis, auidius consumunt: quia nimirum hypocritarum opera dum clara monstrantur, quasi pinguia prodeunt, sed dum humanas laudes appetunt, quasi in terra deseruntur. Quæ huius mundi bestiæ, maligni scilicet spiritus comedunt, quia hæc ad vsum perditionis inflectunt, tantóque ardentius rapiunt, quantò & magna clarius innotescunt. Vnde bene per Prophetam dicitur: Culmus stans
Oseæ.8. non est in eo germen & non faciet farinam, quòd etsi fecerit, alieni comedent eam. Culmus quippe germen non habet, cùm vita meritis virtutum caret. Farinam culmus non facit, cùm is qui in præsenti seculo proficit, nil subtilitatis intelligit nullum boni operis fructum reddit. Sed sæpe & cùm fecerit, hanc alieni comedunt: quia & cùm bona opera hypocritæ ostendunt, de his malignorum spirituum vota satiantur. Qui enim per hæc placere Deo non appetunt, nequaquam agri dominum, sed alienos pascunt. Fœcundo itaque hypocrita & neglecto palmiti similis, seruare fructum non valet, quia botrus boni operis in terra iacet. Sed tamen hac ipsa vecordia

A sua pascitur, quia pro bono opere à cunctis honoratur: cæteris præeminet, subiectas hominum mentes tenet, maioribus locis attollitur, fauoribus nutritur. Hæc verò ei sua vecordia placet interim, sed non placebit, quia cùm retributionis tempus aduenerit, in pœna displicet quòd vecors fuit. Tunc se stultè egisse intelligit, cùm pro delectatione laudis, sententiam diuinæ correptionis acceperit. Tunc se vecordem fuisse considerat, cùm se pro temporali quam percepit gloria, perpetua tormenta castigant. Tunc veram scientiam supplicia aperiunt: quia per hæc profectò colligitur, nihil fuisse omnia quæ transire potuerunt. Vnde & rectè subditur:

Quòd ad flatum mortis quasi ad venti vehementis impetum, hypocritarum texturæ rumpatur, & hi qui crucem in angaria portant, Christo non commoriantur.
Caput XXVI.

E*T sicut tela aranearum fiducia eius.*) Bene hypocritarum fiducia, aranearum telis similis dicitur, quia omne quod ad obtinendam gloriam exudant, ventus vitæ mortalis dissipat. Nam quoniam æterna non quærunt, bona temporalia cum tempore amittunt. Pensandum quoque est, quòd sila araneæ per ordinem ducunt, quia sua hypocritæ quasi sub discretione opera disponunt. Aranearum tela studiosè texitur, sed subitò venti flatu dissipatur: quia quicquid hypocrita cum labore peragit, aura humani fauoris tollit, & dum in appetitu laudis opus deficit: quasi in ventum labor euanescit. Sæpe nanque & vsque ad præsentis vitæ terminum, hypocritarum facta perdurant, sed quia per hæc authoris laudem non quærunt, bona ante Dei oculos nunquam fuerunt. Plerunque enim, vt prædiximus, sacræ legis eruditione fulciuntur, doctrinæ verba proferunt: omne quod sentiunt, testimoniis accingunt: nec tamen per hæc vitam audiẽtium, sed proprios fauores quærunt, quia nec proferre alia nouerunt, nisi quæ auditorum corda ad rependendas laudes excitent, non autẽm ad lachrymas accendant. Mens quippe concupiscentiis ex- 30.
terioribus occupata, igne diuini amoris non calet, & idcirco ad supernum desiderium inflammare auditores suos nequeunt verba, quæ frigido corde proferũtur. Neque enim res quæ in seipsa non arserit, aliud accendit. Vnde fit plerunque vt hypocritarum dicta, & audientes non erudiant, & eosdem ipsos qui ea proferunt, elatos laudibus deteriores reddant. Attestante etenim Paulo scientia inflat, charitas verò ædificat. Quem enim charitas ædificando non erigit, scientia inflando *1.Cor.8.*
peruertit. Plerunque se hypocritæ mira abstinentia affligunt, omne robur corporis atterunt, & quasi carnis vitam funditus in carne viuentes extingunt, sicque per abstinentiam morti appropiant, vt penè quotidie morientes viuant. Sed ad hæc humanos oculos quærunt, admirationis gloriam expe-
tunt, veritate attestante, quæ ait: Exterminant facies suas, vt *Matt.6.*
appareant hominibus iciunantes. Nam ora pallescunt, corpus debilitate quatitur, pectus interrumpentibus suspiriis vrgetur. Sed inter hæc, ab ore proximorum sermo admirationis quæritur, nihilque tanto labore aliud, nisi æstimatio humana cogitatur. Quos nimirum bene Simon ille significat, qui dominicæ passionis tempore in angaria crucem portabat, de quo scriptum est: Inuenerunt hominem Cyrenęum, *Matth.27.*
venientem obuiam sibi, nomine Simonem, hunc angariauerunt vt tolleret crucem Iesu. Quod enim per angariam agimus, non hoc ex studio amoris operamur. Crucem ergo Iesu in angaria portare, est afflictionem abstinentiæ pro alia quàm necesse est intentione tolerare. An non Iesu crucem portat in angaria, qui quasi ad præceptum Domini, carnem domat, sed tamen spiritalem patriam non amat? Vnde & Simon idem crucem portat, sed nequaquam moritur: quia omnis hypocrita corpus quidem per abstinentiam afficit, sed tamen per amorem gloriæ, mundo viuit.

Quò contrà per Paulum bene de electis dicitur: Qui au- 31.
tem suut Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis *Gal.5.*
& concupiscentiis. Cum vitiis quippe & concupiscentiis carnem crucifigimus, si sic gulam restringimus, vt iam de mundi gloria nihil quæramus. Nam qui corpus macerat, sed honoribus anhelat, crucem carni intulit, sed mundo per concupiscentiam peius viuit: quia & sæpe per sanctitatis

† al. qui nisi ali. virt. ostend. nullum percipere honorem mereretur.

imaginem, locum regiminis indignus assequitur, † quem nisi aliquid in se virtutis ostenderet, nullo percipere labore mereretur. Sed transit quod delectabiliter obtinet, & pœnaliter, quod sequitur, manet. Sanctitatis nunc fiducia in ore hominum ponitur: sed cùm internus iudex secreta cordis examinat, testes vitæ exterius non quærit. Bene ergo dicitur: *Sicut tela aranearum fiducia eius:*) quia apparente cordis teste, præterit omne, quod exterius de humano fauore confidit. Vnde & adhuc aptè subiungitur:

Quòd instabilis sit domus quæ Christum non habet in fundamento, & quid sit, quòd fatuæ virgines oleum mendicant.
Caput XXVII.

I*Nnititur super domum suam, & non stabit.*) Sicut domus exterioris conuersationis, est ædificium quod inhabitat corpus: ita domus nostræ cogitationis, est res quælibet quam per dilectionem inhabitat animus. Omne quippe quod diligimus, quasi in hoc quiescentes habitamus. Vnde Paulus, quia in supernis cor fixerat, in terra quidem positus, sed tamen à terra extraneus, dicebat: Nostra conuersatio in cœlis est. *Philip. 3.* Mens itaque hypocritæ nihil aliud in omne quod agit, nisi opinionis suæ gloriam cogitat, nec curat quò pòst per meritum ducitur, sed quid interim dicatur. Domus ergo eius, est delectatio fauoris, quam quasi quietus inhabitat: quia per cuncta sua opera ad hanc se intra animum reclinat. Sed stare domus hæc non valet, quia laus cum vita præterit, & humanus fauor in iudicio non subsistit. Vnde & fatuæ virgines quæ oleum in vasis non sumpserat, quia in alienis scilicet vocibus gloriam, & non in suis conscientiis habebant, turbatæ persponsi præsentiam dicunt: *Matth. 25.* Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguntur. Oleum quippe à proximis petere, est gloriam boni operis, à testimonio alieni oris implorare. Mens etenim vacua, cùm cunctis suis laboribus nihil se intus tenuisse inuenerit, testimonium foras quærit. Ac si apertè fatuæ Virgines dicant: Cùm nos repelli sine retributione conspicitis, dicite in nostro opere quid vidistis. Sed frustra tunc
32 hypocrita super hanc domum laudis innititur, quia nihil ei in iudicio attestatio humana suffragatur, quia eādem laudem, quam pòst in testimonium exigit, prius in munere recepit. Vel certè super domum suam hypocrita innititur, cùm vanis fauoribus deceptus, quasi de fiducia sanctitatis eleuatur. Multa quippe hypocritæ in occulto mala faciunt, quædam verò bona in publico. Cúmque ex bonis patentibus laudes recipiunt, ab occultis malis considerationis oculos auertunt, taléſq; se estimant, quales foris audiunt, non quales intus nouerunt. Vnde fit plerunq; vt ad supernum quoque iudicium cum fiducia veniant, quia tales se apud internum arbitrum credunt, quales ab hominibus foris habebantur. Sed stare domus hypocritæ non valet, quia in terrore districti examinis, omnis anteactæ fiducia sanctitatis cadit. Cúmque sibi oris alieni testimonia deesse cognouerit, ad sua se opera enumeranda conuertit. Vnde & adhuc subditur: *Fulciet eam, & non consurget.*) Hoc nanque quod per se stare non valet, fulcitur vt stet: quia cùm vitam suam hyopcrita labefactari in iudicio conspicit, hanc fulciēdo statuere operum enumeratione contendit. An non laudis suæ habitaculum hincinde fulciunt, qui acta sua, vt præfati sumus, in iudicio enumerantes dicunt: Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Sed domus laudis tot allegationibus fulta, minimè consurgit, quia protinus iudex dicit: Nunquam noui vos, discedite à me qui operamini iniquitatem. Et sciendum est, quia hoc quod surgit, ab infimis ad superiora se erigit. Domus ergo hypocritæ surgere non valet, quia per omne quod iuxta præcepta cœlestia agere potuit, à terra nunquā animum leuauit. Iure igitur tunc nequaquam ad præmium retributionis erigitur, quia per hoc quod nunc exhibet, in appetitu temporalis gloriæ iacet.

Quòd illucescente sole iustitiæ, sicci erunt, & aridi hypocritæ, qui virides videntur & humecti.
Caput XXVIII.

33 SEd quia vita hypocritæ scirpi appellatine signata, qualiter in iudicio reprobetur audiuimus: priusquam districtus iu-
E dex appareat, qualis ab hominibus habeatur audiamus. Sequitur: *Humectus videtur scirpus antequam veniat Sol.*) Sæpe in sacro eloquio Dominus, Solis appellatione figuratur sicut per Prophetam dicitur: Vobis autem qui timetis nomen Domini, orietur Sol iustitiæ *Mala. 4.* & sicut repulsi in iudicio impij dicere in sapientiæ libro describuntur: Errauimus à via veritatis, & lumen iustitiæ non luxit nobis, & Sol non est ortus nobis. *Sapien. 5.* Ante Solem igitur scirpus humidus cernitur, quia priusquam diuina districtio in iudicio cadat, omnis hypocrita infusum se sanctitatis gratia ostendat: quasi virens aspicitur, quia iustus æstimatur: honoris locum obtinet, de gloria sanctitatis pollet, à cunctis veneratio defertur, opinio laudis extenditur. Scirpus itaque iste in nocte humidus est, Sole autem veniente siccatur: quia nimirum hypocrita in tenebris vitæ præsentis, sanctus ab omnibus creditur, sed cùm districtus iudex venerit, quàm sit iniquus apparebit. Dicat ergo: *Humectus videtur, antequam veniat Sol:*) quia virentem se nunc humanis oculis exhibet, sed in calore tunc diuini iudicij arescet. Sequitur:
F *Et in ortu suo, germen eius egreditur.*) Herba quælibet nascendo prius à terra producitur, aura & æstibus tangitur, Sole ac pluuiis nutritur, & tunc demum ad proferendum sui seminis germen aperitur. Scirpus verò cùm flore suo nascitur, móxque dum à terra surgit, sui secum seminis germen producit. Bene ergo per herbas reliquas sanctus quilibet, per scirpum verò hypocrita designatur: quia iusti viri priusquam in opere sanctæ conuersationis oriuntur, huius vitæ hyemem tolerant, eósque grauium persecutionum æstus fatigant. Sed cùm recta faciunt, nequaquàm hîc suæ rectitudinis remunerationem quærunt. Cùm verò à præsentis mundi laboribus exeunt, ad æternam patriam veniētes, expectata retributione perfruuntur. At contrà hypocrita, quia mox vt in bono opere nascitur, præsentis mundi recipere gloriam conatur, quasi scirpi more cum germine oritur. Qui pro eo quod bene viuere incipit, quærit statim, vt à cunctis honoretur. Germen itaque in ortu, est remuneratio inchoatione. Sæpe nanque nonnulli
G apertè prauitatis vias deserunt, sanctitatis habitum sumunt, móxque vt prima limina bene viuendi contigerint, obliti qui fuerint, affiigi iam per pœnitentiam de consummatis nequitiis nolunt, laudari autem de inchoata iustitia appetunt, præesse cæteris etiam melioribus concupiscunt. Quos plerunque dum iuxta votum præsens prosperitas sequitur, multò quàm prius fuerant, de sanctitatis habitu peiores fiunt. Nam rebus multiplicibus occupati, atque † ipsa occupatione confisi, non solùm perpetrata minimè deplorant, sed adhuc quæ deplorentur exaggerant.

† al. per ipsas occupationes confusi.

Quid sit non operari in primogenito bouis, & lignorum auferre præputia. *Caput* XXIX.

34 QVi enim mundum deserunt, ad exteriora officia prouehi non debent, nisi per humilitatem diutius in eiusdem mundi contemptu solidentur. Citius nanq; bona depereunt, quæ hominibus ante tempus innotescunt: quia & arbusta plantata, priusquam fixa radice coalescant, si manus concutiens
H tangit, arefacit. At si in altum radix figitur, & terræ humoribus conspersa solidatur, hæc & manus impellit, sed non ledit: hæc & ventorum flatus inflectendo concutiunt, sed non euertunt. Ne ergo eruatur vita cœpti operis, diu ac robustè in alto humilitatis figenda est radix cordis: vt cùm ab humano ore, detractionis aura vel fauoris flauerit, etsi in quālibet partem vtcunque incuruat, animum funditùs non euellat, sed ad statum suum protinus post inflectionem redeat, si apud se fortis in radice perdurat. Quid in rebus excrescentibus pariete surgente robustius? Qui tamen si dum construitur, impellatur, statim sine labore destruitur: si autem per spatium temporis ab humore suo exiccari permittitur, sæpe & arietum ictibus minimè quassatur. Sic sic videlicet bona nostra & intempestiuè manifestata depereunt, & diutius occultata solidantur: quia humanæ occupationis manus cùm incipientem conuersationis nostræ vitam contigerit, quasi recentem parietem impellit, eámque facilè destruit, quia adhuc humorem infirmitatis propriæ non amisit. Cùm verò in longa quietis suæ † adiectione se animus comprimit, quasi more exiccati parietis, contra ictus obdurescit, & cōfractum

† al. abiectione.

protinus

protinus resilit, omne quod solidum ferit. Hinc est quod vitam inchoantium Moyses humanis occupationibus exerceri prohibuit, dicens: *Deut. 15.* Non operaberis in primogenito bouis, & non tondebis primogenita ouium. In primogenito quippe bouis operari, est bonæ conuersationis primordia in exercitio publicæ actionis ostendere. Ouium quoque primogenita tondere, est ab occultationis suæ tegmine, humanis oculis inchoantia bona opera nostra denudare. In primogenito ergo bouis operari prohibemur, atque à primogenitis ouium detondendis compescimur: quia etsi quid robustum incipimus, exercere hoc in aperto citius non debemus. Et cùm vita nostra simplex quid atque innocuum inchoat, dignum est, vt secreti sui velamina non relinquat, ne nudum hoc humanis o-
35 culis quasi subducto vellere ostendat. Ad sola ergo diuina sacrificia boum primogenita ouiúmque proficiant, vt quicquid fortè, simplex, innocuúmque incipimus, hoc ad honorem intimi iudicis, in ara cordis immolemus. Quod ab illo proculdubio tantò libentius accipitur, quantò & ab hominibus occultatum, nulla laudis appetitione maculatur. Sæpe autem nouæ conuersationis primordia adhuc ex carnali vita sunt commixta, & idcirco innotescerre citius non debent, ne cùm laudantur bona quæ placent, deceptus laude sua animus deprehendere in eis nequeat mala, quę latent. Vnde rectè rursum per Moysen dicitur: *Leui. 19.* Quando ingressi fueritis terram, quam ego daturus sum vobis, & plantaueritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum. Poma quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. Ligna quippe pomifera, sunt opera virtutibus fœcunda. Præputia itaque lignorum auferimus, cùm de ipsa inchoationis infirmitate suspecti, primordia nostrorum operum non approbamus. Poma autem quæ germinant, immunda ducimus, nostrísque esibus non aptamus: quia cùm primordia boni laudantur operis, dignum est vt hoc animum non pascat operantis, ne dum accepta laus suauiter carpitur, fructus operis intēpestiuè comedatur. Qui ergo inchoatæ virtutis, ab humano ore laudem receperit, quasi plantati ligni ante tempus pomum comēdit. *Psal. 126.* Hinc per Psalmistam veritas dicit: Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis. Ante lucem quippe surgere, est prius quàm claritas æternæ retributionis appareat, in præsentis vitæ nocte gaudere. Sedendum ergo prius est, vt pòst rectè surgamus: quia quisquis nunc sese sponte non humiliat, nequaquam hunc sequens gloria exaltat. Quod ergo illic ante lucem surgere, hoc hîc hypocritæ in ortu est germen proferre: quia humanas laudes desiderans, vbi ad opus bonum nascitur, ibi mox appetit, vt gloriam retributionis assequatur. *Matt. 12.* An non in ortu suo hi germen protulerant, de quibus veritas dicebat: Amant primos discubitus in conuiuiis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi? Pro eo quòd bene agere incipiunt, quia honorem consequi ab hominibus conantur, quasi scirpi more ab ortu suo cum germine exurgunt. Hi nimirum cùm recta operari appetunt, prius mente sollicita eiusdem operis sui testes quærunt, & tacita cogitatione pertractant: si sunt qui gerenda videāt, si dignè hæc eloqui, qui viderint, possint. Si verò eorum facta nullum fortasse hominum contingat aspicere, hæc se proculdubio æstimāt perdidisse, & interni arbitri oculos quasi absentes deputant: quia ab eo vicem sui operis recipere in posterum recusant. Et quoniā cùm rectum quod hypocrita egerit, videri à multis quærit, bene adhuc de hoc scirpo subiungitur: *Super aceruum petrarum radices eius densabuntur, & inter lapides commorabitur.*) Quid enim radicum nomine, nisi latentes cogitationes accipimus, quæ in occulto prodeunt, sed in ostensione operum per apertum surgunt, sicut & de verbi semine per Prophetam dicitur: *Esaiæ. 37.* Et hoc quod saluatum fuerit de domo Iuda, & quod reliquū est, mittet radicem deorsum, & faciet fructum sursum? Radicem quippe deorsum mittere: est cogitationem bonam in abditis multiplicare. Fructum verò sursum facere, est per efficaciam operis, recta quæ cogitauit ostendere. Lapidum verò nomine, in sacra scriptura homines designātur: sicut sanctæ Ecclesiæ per Esaiam dicitur: *Esa. 54.* Ponam iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos. Qui eosdem lapides quid dixisset, aperuit cùm subiungit: Vniuersos filios tuos doctos à domi-
A no. Et sicut admonente Petro apostolo dicitur: Et vos tanquam lapides viui superædificamini domus spiritales. *1. Pet. 2.* Hoc itaque loco quia lapides dicti sunt, sed tamen viui minimè dicuntur, nuda appellatione lapidum, permixti possunt reprobi & electi figurari.

Quòd in suam destructionem laborant, qui nunciis regis Babylonis bona quæ agunt, quasi diuitias congregatas ostendunt.
Caput XXX.

36 SCirpus itaque iste qui inter lapides commoratur, super aceruum petrarum radices densat: quia omnis hypocrita cogitationes suas in exquirenda hominum admiratione multiplicat. Per omne enim quod hypocritæ faciunt, quia occultis cogitationibus laudes hominum requirunt, quasi radices scirpi in aceruum petrarum mittunt. Operaturi quippe laudes suas cogitant, laudati autem has secum taciti in cogitationibus versant. Gaudent se præcipuos in humana æstimatione claruisse. Cúmque inflati fauoribus apud semetipsos intumes-
B cunt, sæpe mirantur taciti etiam ipsi quod sunt. Videri quotidie semetipsis altiores cupiūt, ac miris inuentionibus in opere excrescunt, quia sicut virtus humilitatis omne vitium eneruat, sic arrogantia roborat. Cogit nanque mentem iuuenescere, & contra vires valere: quia & quod negat vigor valetudinis, amor imperat laudis. Vnde & factis suis, vt diximus, arbitros inquirunt. Si verò eorum operi testes deesse contingat, narrant ipsi quæ gesserint. Cúmque efferri fauoribus cœperint, sæpe eisdem suis operibus quæ egisse se referunt, mentiendo aliquid adiungunt. Cùm verò & vera dicunt, hæc dicendo aliena faciunt, quia quæsitis remunerati fauoribus, ab eorum intima retributione vacuantur. In eo enim quòd bona sua patefaciunt, ostendunt malignis spiritibus, quasi insidiantibus hostibus, quæ prædētur. Quorū profectò vitam illa cunctis notissima Ezechię culpa figurauit, qui postquàm vna prece, & sub vnius noctis spatio, centum octoginta quinque milia hostium angelo feriente prostrauit: postquàm occasui
C proximum, ad altiora cœli spatia solem reduxit: postquam vitam propinquante iam termino coarctatam, in tempora longiora protelauit: susceptis Babylonici regis nuntiis, bona omnia quæ possidebat ostendit: sed Prophetæ voce protinus audiuit: *4. Reg. 20.* Ecce dies venient, & auferentur omnia quæ in domo tua sunt, in Babylonem: non relinquetur quicquam, dicit Dominus. Sic sic nimirum hypocritæ postquam magnis virtutibus excrescunt, quia cauere malignorum spirituum insidias negligunt, & cælari in eisdem virtutibus nolunt, bona sua ostendendo, hostium faciunt: & prodentes subitò amittunt, quicquid diutius studentes operantur. Hinc per Psalmistam dicitur: Tradidit in captiuitatem virtutes eorum, & 37 *Psal. 77.*
pulchritudines eorum, in manus inimici. Virtus quippe & pulchritudo arrogantium, inimici manibus traditur: quia omne bonum quod per concupiscentiam laudis ostenditur, occulti aduersarij iuri mancipatur. Hostes nanque ad rapinam prouocat, qui suas eorum notitiæ diuitias denudat. Quousque enim ab æternæ patriæ securitate disiungimur, per latro-
D num insidiantium iter ambulamus. Qui ergo in itinere deprędari formidat, abscondat necesse est bona quæ portat. O miseri qui affectantes laudes hominū, in semetipsis dissipant fructus laborum: cumque se ostendere alienis oculis appetunt, damnant quod agunt. Quos nimirum maligni spiritus cùm ad iactantiam prouocant, eorum, sicut diximus, opera captiuantes denudant. Vnde sub cuiusdam gentis specie, antiquorum hostium malitiam signans, per Prophetam veritas dicit: *Iohe. 1.* Posuit vineam meam in desertum, decorticauit ficum meam, nudans expoliauit eam, albi facti sunt rami eius. Insidiantibus quippe spiritibus, Dei vinea in desertum ponitur, cùm plena fructibus anima, humanæ laudis cupiditate dissipatur. Ficum Dei gens ista decorticat, quia seductam mentem in fauoris appetitum rapiens, quò hanc ad ostentationem pertrahit, tegmen ei humilitatis tollit, eamque nudans expoliat, quia quousque in bonis suis absconditur, quasi proprij tegminis cortice vestitur. Cùm verò mens hoc quod egerit, videri ab aliis concupiscit, quasi expoliata ficus eum qui se texerat corticem amisit. Vbi aptè subditur: Albi facti sunt rami eius, quia ostensa humanis oculis eius opera can-

descunt, de sanctitate nomen sumitur, cùm recta actio diuulgatur. Sed quoniam subducto cortice rami fici huius arescunt, solerter intuendum est: quia facta arrogantium, humanis oculis ostensa, vnde placere appetunt, inde siccantur. Mens itaque quæ per iactantiam proditur, decorticata rectè ficus vocatur: quia & candida est per hoc quòd cerauitur, & siccitati proxima per hoc quòd tegmine corticis nudatur. Intus ergo sunt seruanda quæ agimus, si ab interno arbitro vicem recipere nostri operis expectamus. Hinc est enim
Matth.6. quod per Euangelium veritas dicit: Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua: vt sit eleemosyna tuà in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi. Hinc est quod de electorum Ecclesia per Psalmistam dicitur: Omnis gloria eius filiæ regum ab intus. Hinc Paulus ait: Gloria nostra
Psalm.44. 2.Corin.1. hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Filia quippe regum Ecclesia, quæ in bono est in opere spiritalium principum prædicatione generata, gloriam intus habet: quia hoc quod agit, in ostentationis iactantia non habet. Gloriam suam Paulus testimonium conscientiæ memorat, quia fauores oris alieni non appetens, vitæ suæ gaudia extra semetipsum ponere ignorat. Occultanda sunt ergo quæ agimus, ne hæc in huius vitæ itinere incautè portantes, latrocinantium
38 spirituum incursione perdamus. Et tamen veritas dicit:
Matth.5. Videant opera vestra bona, & glorificēt patrem vestrum qui in cœlis est. Sed aliud est profectò, cùm in ostensione operis, gloria quæritur largitoris, aliud cùm laus priuata concupiscitur de dono largientis. Vnde & rursus in Euangelio hæc eadem veritas dicit: Attendite, ne iustitiam vestram faciatis co-
Ibidem. ram hominib', vt videamini ab eis. Opus ergo nostrum cùm hominibus ostenditur, in cordis prius examinatione pensandum est, per eiusdem ostensionis studium quid quæratur. Si enim dantis gloriam quærimus, etiam publica nostra opera, in cōspectu illius occulta seruamus. Si verò per hæc nostram laudem concupiscimus, foras ab eius cōspectu iam fusa sunt, etiam si à multis ignorentur. Sed valde perfectorum est, sic ostenso opere, authoris gloriam quærere, vt de illata laude priuata nesciant exultatione gaudere. Tunc solum nanque innoxiè hominibus laudabile opus ostenditur, cùm per despectum mentis veraciter laus impensa calcatur. Quam quia infirmi quique perfectè contemnendo non superant, restat necesse est, vt bonum hoc quod operantur, abscondant. Sæpe enim ab ipso ostensionis exordio, propriam laudem quærunt, sæpe verò in ostēsione operis, authoris patefacere gloriam cupiunt, sed excepti fauoribus, in laudis propriæ cupiditatem rapiuntur: cúmq; semetipsos diiudicare interius negligunt, sparsi exterius ignorant quod agunt, corúmque opus suæ elationi militat, atque hoc se impendere obsequio largitoris putant. Scirpus ergo inter lapides commoratur, quia ibi hypocrita stat, vbi mentis suę intentionem solidat. Nam cùm attestationem percipere multorum ambit, quasi in lapidum collectione subsistit. Sed iste hypocrita scirpi appellatione signatus, cùm corpus abstinentia domat, cùm largiendo quæ possidet, studio pietatis exudat, cùm notitia sacræ legis eruditur, cùm verbo prædicationis vtitur: quis hunc tanta ple-
H num largitate cōspiciens, à gratia æstimet largitoris alienum? Et tamen superna dispensatio largitur huic dona operis, & sortem denegat hæreditatis: operandi munera cumulat, & tamen vitam operantis ignorat: quia cùm perceptum munus ad laudem propriam trahitur, in conspectu lucis intimæ vmbra elationis obscuratur. Vnde & bene subditur: *Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, & dicet: Non noui te.*) De loco suo hypocrita absorbetur, cùm à præsentis vitæ fauoribus morte interueniente separatur. Sed hunc absorptum internus arbiter negat, séque eum nescire denuntiat, quia simulatoris vitam iustè reprobando veritas ignorat, nec recognoscit eius bona quæ egit, quia hæc ex recta intentione non protulit.
Matth.25. Vnde & fatuis virginibus in iudicium veniens dicit: Amen dico vobis, nescio vos. In quibus dum mentis corruptionem considerat, carnis etiam incorruptionem damnat. Sed vtinam hypocritis sua perditio sola sufficeret, & nequaquam peruersa eorum studia ardenter alios ad vitam duplicitatis instigarent. Hoc nanque vniuscuiusq; proprium esse solet, vt qualis ipse fuerit, tales sibi coniungi & alios velit, diuersitatem

E vitæ refugiat, atque hoc imitandum imprimat quod amat. Vnde & apud hypocritarū sensum simplicitas omnis in crimine est. Apertas quippe mentes diiudicant, & puritatem cordis, hebetudinem appellant, omnésq; quos sibi adhærere cupiunt, à simplicitatis itinere diuertunt, & quasi expulsa insipientia eos crudisse se æstimant, in quibus puritatem mentis, id est, arcem sapientiæ debellant. Quia verò non solùm 39
ex sua peruersitate hypocrita, sed adiuncta etiam sequacium perditione reprobatur, postquam non cognosci à iudice dicitur, rectè protinus subinfertur: *Hæc est enim lætitia viæ eius, vt rursum de terra alij germinentur.*) Ac si apertè diceretur: Veniente iudice nequaquam cognoscitur, sed multipliciter supplicia recipit: quia eò latius in sua iniquitate lætatus est, quò & in aliis mala propagauit. Cui enim hîc non sufficit iniquitas propria, torqueatur illic necesse est, etiam ex merito reatus alieni. Nunc itaque simulatores gaudeant, & humana iudicia se obtinuisse glorientur. Despiciatur iustorum simplicitas: atque à calliditate duplicium fatuitas vocetur. Cui de-
F spectus simplicium transit, citius duplicium gloria pecurrit. Vnde & aptè subiungitur:

Quòd serui Dei, quorum vitam nunc æstimatur insania, in nouissimo videbunt, quando introibunt in gaudium Domini sui.

Caput XXXI.

DEVS *non proiiciet simplicem, nec porriget manum malignis.*) Quia nimirum districtus in iudicio apparens, & despectum simplicium glorificando erigit, & malignorum gloriam reprobando confringit. Maligni enim vocantur hypocritæ, qui bona non bene faciunt, & recta quæ agere videntur, sub studio laudis operantur. Manum verò cui porrigimus, hunc videlicet ab imis eleuamus. Malignis ergo Deus manum non porrigit: quia quærentes terrenam gloriam in imo derelinquit, & quālibet recta videantur esse quæ agunt, hos ad gaudia superna non prouehit. Vel certè ideo maligni appellantur hypocritæ, quia benignitatem erga proximos ostendunt,
G & dolos suæ iniquitatis operiunt. Per omne nanque quod vel faciunt, vel loquuntur, simplicitatem exterius exhibent, sed subtilitate interius duplicitatis callent, puritatem superficie simulant, sed semper malitiam sub specie purita-
Deute.22. tis occultant. Quos contra bene per Moysen dicitur: Non indues vestem ex lana, linóque contextam. Per lanam quippe simplicitas, per linum verò subtilitas designatur: Et nimirum vestis quæ ex lana linóque conficitur, linum interius cælat, lanam in superficie demonstrat. Vestem ergo ex lana linoque contextam induit, qui in locutione vel actione qua vtitur, intus subtilitatem malitiæ operit, & simplicitatem foris innocentiæ ostendit. Quia enim sub puritatis imagine deprehendi calliditas non valet, quasi sub lanæ grossitudine linum latet. Bene autem post reproborum supplicia, iustorum remuneratio demonstratur, cùm protinus subditur: *Donec impleatur os tuum risu, & labia tua iubilo.*) Os quippe iustorum tunc risu replebitur, cùm eorum corda finitis peregrinationum fletibus, æternæ lætitiæ exultatione satiabuntur. De hoc risu
H discipulis veritas dicit: Mundus gaudebit, vos autem contri- Ioan.16.
stabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Et rursum:
Videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum Ibidem.
nemo tollet à vobis. De hoc risu sanctæ Ecclesiæ Salomon
ait: Ridebit in die nouissimo. De hoc iterum dicit: Timenti Prouerb.31.
Dominum, bene erit in extremis. Non autem tunc risus erit Eccli.1.
corporis, sed risus cordis. Risus enim nunc corporis de lasciuia dissolutionis: nam risus cordis tunc de lætitia nascetur securitatis: Cùm ergo electi homines implentur gaudio manifestæ contemplationis, quasi ad hilaritatem risus exiliunt in ore mentis. Iubilum verò dicimus, cùm tantam lætitiam corde concipimus, quantam sermonis efficacia non explemus, & tamen mentis exultatio hoc quod sermone non explicat, ore sonat. Bene autem os risu impleri dicitur, & labia iubilo: quia in illa ęterna patria, cùm iustorum mens in exultationem rapitur, lingua in cantum laudis eleuatur. Qui, quoniam tantum vident, quantum dicere non valent, in risu iubilant: quia
non explendo resonant quod amant. Donec autem dicitur, 40
non quòd omnipotens Deus eousque malignos non subleuet, quousque electos suos in iubilationis gaudia assumat,

ac si

ac si pòst à pœna eripiat, quos antè in culpa deserens damnat: sed quod hoc nequaquam vel ante iudicium faciat, cùm dubium hominibus videri possit an fiat. Nam post electorum suorum iubilum, quia malignis manum non porrigat, ex ipsa iam districtione vltimi examinis constat. Sic nanque & per
Psal 109. Psalmistam dicitur: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis: donec ponā inimicos tuos scabellū pedū tuorū. Non quòd à dextris Domini nequaquam Dominus sedeat, postquam inimicos illius feriens, eius potestati substernit: sed quòd in æterna cunctis beatitudine præsidet, & priusquam rebellium suorum corda conculcet. In qua nimirum constat, quia subiectis hostibus sine fine, & posterius regnat:
Matth.1. sicut per Euangelium de Mariæ sponso dicitur: Et non cognouit eam donec peperit filium suum primogenitum: non quòd hanc post natiuitatem Dei cognouerit: sed quòd nequaquam illam contingit, etiam cùm conditoris sui matrem esse nesciuit. Nam quia eam contingere nequaquam valuit, postquam redemptionis nostræ ex eius vtero celebrari mysterium agnouit, de illo profectò tempore necesse erat vt
B Euāgelista testimonium ferret, de quo propter Ioseph ignorantiam dubitari potuisset. Sic itaque nunc dicitur: *Deus non proiiciet simplicem, nec porriget manum malignis, donec impleatur risu os tuum, & labia tua iubilo.*) Ac si apertè diceretur: Vitam simplicium nec ante iudicium deserit, & malignorum mentes percutere deserendo, nec priusquam appareat prætermittit: quia sine fine reprobos cruciet, & electi eius in perpetuum postquam apparuerit, regnent, profectò dubium non est. Sequitur:

Quòd in die iudicij reprobi erubescent, cùm in illa mundi ruina quàm vtilè laborauerint, tunc demum intelligent.

Caput XXXII.

QVI *oderunt te, induentur confusione.*) Iustorum hostes in extremo examine confusio induit: quia cùm transacta mala redundare sibi ante oculos mentis aspexerint, suus eos vndique reatus deprimens * vestit. Ad pœnam hi quippe tunc
* al. vertit ad pœnam. Hi
C factorum suorum memoriam tolerant, qui nunc quasi à sensu rationis extranei gaudentes peccant. Ibi vident quantum debuerint fugere quod amauerunt, ibi conspiciunt quàm lugubre fuerit quod nunc in culpa gratulantur. Tunc animum reatus obnubilat, & recordationis suæ iaculis ipsa se conscientia impugnat. Quis igitur dignè penset, iniquorum confusio quanta tunc erit, quando & foris æternus iudex cernitur, & intus ante oculos culpa versatur? Qui ad hæc idcirco perueniunt, quia sola hîc transeuntia dilexerunt. Vnde & aptè mox subditur: *Et tabernaculum impiorum non subsistet.*) Tabernaculum quippe construitur, vt ab æstu corpus & frigore defendatur. Quid itaque hoc loco tabernaculi nomine, nisi ædificatio terrenæ fœlicitatis exprimitur, per quam super se reprobi casura multiplicant, vt se à præsentis vitæ necessitatibus quasi ab æstu & imbribus defendant? Honoribus nanque excrescere ambiunt, ne despecti videantur: Terrena aggregando exaggerant, ne inopiæ frigore tabescant. Contemnūt curare quod sequitur: & tota intentione satagunt, ne quid in præsentibus
D desit. Student nomen dilatare, ne lateant, & si cuncta ad desiderium suppetant, munitos se in omnibus & fœlices putant. Vbi ergo mentis habitationem construunt, ibi procul dubio tabernacula fixerunt. Aduersa impatienter perferunt, remissè in prosperis lætantur. Sola quæ assunt cogitant, nec ad affectum cœlestis patriæ vlla recordatione respirant. Gaudent sibi suppetere bona quæ cupiunt, atque vbi carne requiescunt, ibi & mentem extinguendo sepeliunt: quia secularis curæ telo trucidati, terrenarum rerum aggerem, quem foris exquirendo multiplicant, hunc semper interius per cogitatio-
41 nem portant. At contrà iusti nec oblata bona hîc pro magno suscipiunt, nec illata mala valde pertimescunt: sed cùm bonis præsentibus vtuntur, ventura mala metuunt: & cùm de malis præsentibus gemunt, bonorum sequentium amore consolantur: sicque temporali refouentur subsidio, sicut viator in stabulo vtitur lecto: pausat, & recedere festinat, quiescit corpore, sed aliud tendit mente. Nonnunquam verò & aduersa perpeti appetunt, in transitorii prosperari refugiunt, ne delectatione itineris, à patriæ peruentione tardentur, ne gressum cordis in via peregrinationis figant, & quandoque ad con-

A spectum cœlestis patrię sine remuneratione perueniant. Gaudent despici, nec dolent se necessitatibus affligi. Qui ergo contra præsentia se aduersa non muniunt, quasi contra æstus & pluuias habere tabernaculum nolunt. Vnde & Petrus iure Matth.17.
reprehenditur, quia necdum mentis perfectione roboratus, veritatis claritate cognita, in terra figere tabernaculum conatur. Iusti itaque hîc se construere negligunt, vbi peregrinos se & hospites nouerunt. Quia enim in propriis gaudere desiderant, esse in alieno fœlices recusant. Iniusti autem quantò longius ab æternæ patriæ hæreditate diuisi sunt, tantò in terra altius fundamenta cogitationis figunt. Hinc est quod ab ipso humanæ conditionis exordio, in electa prole Enoch septimus nascitur. Hinc est quod Cain primum filium suum Enoch vocat, atque ex eius nomine ciuitatem, quam condidit, appellat. Enoch quippe dedicatio dicitur. Iniqui ergo se in primordiis dedicant, quia in hac vita, quæ antè est, cordis radicē plantant: vt hîc ad votum floreant, & à sequenti patria funditus arescant. Iustus verò Enoch septimus oritur, quia
B eorum vitæ festa dedicatione in fine seruatur. Hinc est Heb.12.
quod attestante Paulo, Abraham in casulis habitat, quia habentem fundamenta ciuitatem quam supernus artifex construxit, expectat. Hinc est quòd Iacob greges ouium sequens Gene.33.
humiliter graditur, atque huic Esau obuiam veniens, tumultu multiplicis comitatus cleuatur: quia nimirum & electi hîc elationem non habent, & in bonis carnis reprobi læti tument.
Hinc ad Israēl Dominus dicit: Si elegeris vnum de populo Deut.17.
terræ, & constitueris principem super te, non faciet sibi equos & equites. Et tamen primus rex ab eodem populo electus, repente vt culmen potestatis attigit, tria milia sibimet equites elegit, in elationem protinus prodiit, ad ædificationem percepti culminis erupit: quia foris restringere sub equalitate non poterat, quod intus animus super cætero tumebat.
Quasi munitum sibi diues ille tabernaculum construxerat, Luc.12.
qui dicebat: Anima, habes multa bona reposita in annos multos: requiesce, comede, & bibe, & epulare. Sed quia eius tabernaculum in veritatis fundamento non subsistit, ilico audiuit: Stulte, hac nocte repetunt animam tuam abs te: quæ autem parasti, cuius erunt? Bene ergo dicitur: Tabernaculum impiorum non subsistet, quia vitæ fugientis amatores, dum studiosè se in præsentibus construunt, repentè ad æternam pœnam rapiuntur.

Finis libri octaui Moralium sancti Gregorij.

B. GREGORII PAPAE MORALIVM IN CAPUT NONUM sancti Iob, Liber nonus.

Caput I.

PEruersæ mentes si semel ad studium contrarietatis eruperint, siue prauum, siue rectum quid à contradicentibus audiant, aduersis hoc responsionibus impugnant: quia cùm persona per contrarietatem displicet, nec recta quæ protulerit placent. At contrà bonorum corda, quibus in odium non venit persona, sed culpa, sic peruersa diiudicant, vt quæ recta dicuntur, assumant. Discernendis quippe contradicentium sensibus æquissimi arbitri resident, & sic malè prolata respuunt, vt tamen approbent quæ ex veritate cognoscunt. Solet nanque inter spinarum multitudinem, etiam de frugis semine spica succrescere. Cauta ergo manu operantis agendum est, vt dum spina tollitur, spica nutriatur: quatenus qui studet eradicare quod pungit, nouerit seruare quod reficit. Vnde & beatus Iob, quia Baldath Suites rectè per inquisitionem dixerat: Nunquid Dominus supplantat iudicium, aut omnipotens subuertit quod iustum est? quia vera in hypocritas robustáque protulerat, bene hæc & contra prauos generaliter prolata conspiciens, studium propriæ defensionis calcat, atque audita protinus approbat, dicens:

Libri Iob Caput nonum.

ET respondens Iob, ait: Verè scio quòd ita sit, & quòd non iustificetur homo cõpositus Deo. Si voluerit contẽdere cum eo, non poterit respondere ei vnum pro mille. Sapiens corde est, & fortis robore. Quis restitit ei, & pacem habuit? Qui transtulit montes & nescierunt hi quos subuertit in furore suo. Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur. Qui præcipit Soli & non oritur, & Stellas claudit quasi sub signaculo. Qui extendit cœlos solus, & graditur super fluctus maris. Qui facit arcturum & oriona & hyadas, & interiora Austri. Qui facit magna & incomprehensibilia & mirabilia, quorum non est numerus. Si venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam. Si repente interroget, quis respondebit ei? Vel quis dicere potest: Cur ita facis? Deus cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo curuantur qui portãt orbem. Quantus ergo sum ego, vt respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo? Qui etiam si habuero quippiam iustum, non respondebo: sed meum iudicem deprecabor. Et cùm inuocantem me exaudierit, non credo quòd audierit vocem meam. In turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea, etiam sine causa. Non concedit requiescere spiritum meum, & implet me amaritudinibus. Si fortitudo quæritur, robustissimus est. Si æquitas iudicij, nemo audet pro me testimonium dicere. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me. Si innocentem ostẽdero, prauum me comprobabit. Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, & tædebit me vitæ meæ. Vnum est quod locutus sum, & innocentem & impiũ ipse consumit. Si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentium rideat. Terra data est in manus impii, vultum iudicum eius operit. Quod si non ille est, quis est ergo? Dies mei velociores fuerunt cursore: fugerũt, & non viderunt bonum. Pertransierunt quasi naues poma portantes, sicut aquila volans ad escam. Cùm dixero: Nequaquam ita loquar, commuto faciem meam, & dolore torqueor. Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti. Si autem & sic impius sum, quare frustra laborauí? Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ: tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea. Neque enim viro qui similis mei est respondebo, nec qui mecum in iudicio ex æquo possit audiri. Non est qui vtrunque valeat arguere, & ponere manum suam in ambobus. Auferat à me virgam suam, & pauor eius nõ me terreat. Loquar, & non timebo eum. Nec enim possum metuens respondere.

Quòd qui de vitæ perfectione se erigit, nec initium se habere ostendit. Caput II.

VErè scio quòd ita sit, & quòd non iustificabitur homo compositus Deo.) Homo quippe Deo † non compositus, iustitiam percipit, compositus amittit: quia quisquis se authori bonorum comparat, bono se quod acceperat priuat. Qui enim accepta bona sibi arrogat, suis contra Deum donis pugnat. Vnde ergo despectus erigitur, dignum est vt erectus inde destruatur. Sanctus autem vir, quia omne virtutis nostræ meritum esse vitium conspicit: si ab interno arbitrio districtè iudicetur, rectè subiungitur: *Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere ei vnum pro mille.*) In scriptura sancta millenarius numerus pro vniuersitate solet intelligi. Hinc etenim Psalmista ait: Verbi quod mandauit in mille generationes: cùm profectò constet quòd ab ipso mundi exordio vsq; ad redemptoris aduentum, per Euangelistam non amplius quàm septuaginta & septem propagines numerentur. Quid ergo in millenario numero, nisi ad proferendam nouam sobolem, perfecta vniuersitas præscitæ generationis exprimitur? Hinc & per Ioannem dicitur: Et regnabunt cum eo mille annis: quia videlicet regnum sanctæ Ecclesiæ, vniuersitatis perfectione solidatur. Quia verò monas decies multiplicata in denarium ducitur: denarius per semetipsum ductus in centenarium dilatatur, qui rursus per denarium ductus in millenarium tenditur, cùm ab vno incipimus, vt ad millenarium veniamus, quid hoc loco vnius appellatione, nisi bene viuendi initium, quid millenarij numeri amplitudine, nisi eiusdem bonæ vitæ perfectio designatur? Cùm Deo autem contendere, est non ei tribuere, sed sibi gloriam suæ virtutis arrogare. Sed sanctus vir conspiciat, quia & qui summa iam dona percepit, si de acceptis extollitur, cuncta quæ acceperat amittit, & dicat: *Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere ei vnum pro mille.*) Qui enim cum authore contendit, vnum pro mille respondere non sufficit: quia qui de perfectione se erigit, habere se bene viuendi, nec initium ostendit. Vnum nanque pro mille respõdere non possumus: quia cùm de bonæ vitæ perfectione extollimur, hanc nos nec inchoasse monstramus. Sed tunc de nostra infirmitate verius concutimur, si quàm sit immensa potentia iudicis, considerando pensamus. Vnde & subditur: *Sapiens corde est & fortis robore.*) Quid mirum si conditorem sapientium, sapientem dicimus, quem ipsam esse sapientiam scimus? Et quid mirum quòd fortem esse memorat, quem ipsam esse fortitudinem nullus ignorat? Sed sanctus vir duobus verbis in laudem authoris prolatis, aliquid nobis intimat, vnde nos ad cognitionem nostram trepidos reducat. Sapiens quippe Deus dicitur, quia occulta nostra subtiliter agnoscit: & esse fortis adiungitur, quia valenter cognita percutit. Nec falli ergo à nobis, quia sapiens: nec vitari quia fortis est, valet. Nunc vt sapiens omnia inuisibilis aspicit: tunc vt fortis sine vllo obstaculo quos reprobat, punit. Qui hoc quoque hîc forti sapientia ordinat, vt humana mens cùm contra authorem se eleuat, ipsa se sua elatione confundat. Vnde & subditur: *Quis restitit ei, & pacem habuit?*) Qui enim cuncta mirabiliter creat, ipse vt creata sibimet cõueniant ordinat. In quo ergo conditori resistitur, pacis conuentio dissipatur: quia ordinata esse nequeunt, quæ superni moderaminis dispositionem perdunt. Quæ enim subiecta Deo, in tranquillitate † persistere nequeunt, ipsa se sibimet dimissa, confundunt: quia in se pacem non inueniunt, * cui venienti desuper in authore contradicunt. Sic summus ille angelicus spiritus, qui subiectus Deo in culmine stare potuisset, semetipsum repulsus patitur: quia per naturæ suæ inquietudinem foris vagatur. Sic primus humani generis parens, quia authoris præcepto restitit, carnis protinus contumeliam sensit: & quia subesse conditori per obedientiam noluit, sub semetipso prostratus, & pacem corporis protinus amisit. Bene ergo dicitur: Quis restitit ei & pacem habuit? quia peruersa mens vnde se contra authorem erigit, inde se in semetipsa confundit. Resistere autem Deo dicimur, cùm repugnare eius dispositionibus conamur. Neque enim nostra infirmitas incommutabili eius sententiæ obuiat, sed tamen quod explere non valet, tentat. Nam sæpe humana infirmitas occultè vim dispositionis agnoscit, & tamen hanc si mutare valeat appetit. Contraire satagit, sed ipso se gladio contradictionis frangit. Ordini interno renititur, sed suis victa conatibus, ligatur. Habere ergo pacem resistens non potest: quia dum superbiam confusio sequitur, quod stultè per culpam geritur, hoc in agentis pœnam mirabiliter ordinatur. Sed vir sanctus virtute prophetici spiritus plenus, cùm confusionem generaliter humanæ superbiæ conspicit, ad speciale malum protinus plebis Israëliticæ oculos mentis tendit, & quæ pœna elatos omnes maneat, ex vnius gentis interitu ostendit. Nam repente subiungit, dicens: *Qui transtulit montes, & nescierunt hi, quos subuertit in furore suo.*) In scriptura sacra sæpe montium nomine, prædicantium altitudo

† al. suppositus.

† al. persistere nequeunt.

* al. cùm authori pacis resistere conantur.

tituelo designatur. De quibus per Psalmistam dicitur: Suscipiant montes pacem populo tuo. Electi quippe prædicatores, æternæ patriæ non immeritò montes vocantur: quia per vitæ suæ celsitudinem ima terrarum deserunt, & cœlo propinqui fiunt. Sed montes veritas transtulit, cùm prædicatores sanctos à Iudæa obduratione subtraxit. Vnde recta etiam per Psalmistam dicitur: Transferentur montes in cor maris. In cor enim maris montes translati sunt, cùm prædicantes Apostoli à Iudæa perfidia repulsi ad intellectum gentilium venerunt. Vnde ipsi quoque in suis actibus dicunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quia repulistis illud, & indignos vos iudicastis æternę vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Sed hanc eandem translationem montium hi ipsi nescierunt, qui in Domini furore subuersi sunt: quia cùm de suis finibus Hebræi Apostolos pellerent, lucrum se fecisse arbitrati sunt, quòd prædicationis lumen amiserunt. Exigentibus quippe meritis, iusta animaduersione percussi, tanto intelligentiæ errore cæcati sunt, vt quòd lucem perderent, hoc esse gaudium putarent. Sed repulsis Apostolis, à Romano protinus principe Tito Iudæa destruitur, atque in cunctis gentibus sparsa, dissipatur. Vnde & translatis montibus rectè subiungitur: *Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur.*) De loco quippe suo & terra commota est: cum plebs Israëlitica de Iudææ finibus euulsa, nimirum colla gentibus subdidit, quia subdi authori recusauit. Quæ scilicet terra columnas habuit, quia in sacerdotes & principes, legis doctores atque pharisæos, ruitura ejus fabricæ structura surrexit. In ipsis nanque literæ ædificium tenuit, & tranquillitatis suæ tempore, sacrificium carnalium quasi superimpositæ fabricæ onera portauit. Sed translatis montibus, columnæ concussæ sunt: quia subductis à Iudæa Apostolis, nec ipsi viuere in illa permissi sunt, qui ab illa vitæ prædicatores expulerunt. Dignum quippe erat, vt terrenam patriam subacti perderent, cuius amore nequaquam veriti sunt cœlestis patriæ milites impugnare. Sed expulsis sanctis doctoribus, Iudæa funditùs corruit, & iusto iudicantis examine, in erroris sui tenebris mentis oculos clausit. Vnde & adhuc subditur:

Psal. 71. *Psal. 45.* *Actor. 13.*

Quòd propter malitiam subditorum subtrahatur lux prædicationis, & claudat Deus ora sanctorum doctorum.
Caput III.

QVi præcipit Soli, & non oritur: & stellas claudit quasi sub signaculo.) Aliquando nanque in sacro eloquio Solis nomine, prædicatorum claritas designatur: sicut per Ioannem dicitur: Factus est Sol vt saccus cilicinus. In extremo quippe tempore Sol quasi cilicinus saccus ostenditur: quia fulgens vita prædicantium, ante reproborum oculos, aspera & despecta monstratur. Qui stellarum quoque claritate figurantur, quia dum recta peccatoribus prædicant, tenebras nostræ noctis illustrant. Vnde & subtractis prædicatoribus, per Prophetam dicitur: Prohibitæ sunt stellæ pluuiarum. Quia verò Sol per diem fulget, stellæ obscuritatem noctis irradiant, & plerunque in sacro eloquio diei appellatione æterna patria, noctis autem nomine, præsens vita signatur: prædicatores sancti, vt Sol nostris oculis sunt, cùm contemplationem nobis veræ lucis aperiunt: & velut stellæ in tenebris lucent, cùm per actiuam vitam pro futuris necessitatibus nostris terrena disponunt. Quasi in die vt Sol coruscant, cùm ad contemplandum internæ claritatis patriam, mentis nostræ aciem subleuant, & quasi stellæ in nocte resplendent: quia & cùm terrena agunt, offensurum iamiámque nostri operis pedem, exemplo suæ rectitudinis dirigunt. Sed quia expulsis prædicatoribus, non fuit qui plebi Iudaicę in perfidiæ suæ nocte remanẽti, vel claritatem contemplationis ostenderet, vel actiuæ vitæ lumen aperiret: veritas quippe, quæ hanc repulsa deseruit, subtracto prædicationis lumine, merito suæ prauitatis excæcauit, rectè dicitur: *Qui præcipit Soli, & non oritur: & stellas claudit quasi sub signaculo.*) Oriri quippe ei Solem noluit, à qua prędicantiũ animum diuertit. Et quasi sub signaculo stellas clausit, qui dum prædicatores suos per silentium intra semetipsos retinuit, cæcis iniquorum mentibus cœleste lumen abscondit. Pensandum verò est, quia idcirco aliquid sub signaculo claudimus, vt hoc cùm tempus congruit, ad medium proferamus.

Apoc. 6. *Hier. 3.*

Et sacro eloquio attestante didicimus: quòd Iudæa quæ nũc deseritur, ad sinũ fidei in fine colligatur. Hinc nanq; per Esaiã dicitur: Si fuerit numerus filiorum Israël quasi arena maris, reliquiæ saluæ fient: Hinc Paulus ait: Donec plenitudo gentiũ intraret, & sic omnis Israël saluus fieret. Qui igitur prędicatores suos suos nunc Iudææ oculis subtrahit, sed postmodum ostendit, quasi sub signaculo stellas causit: vt absconsis prius, & pòst coruscantibus astrorum spiritalium radiis noctem perfidiæ suæ, & nunc repulsa non videat, & tunc illuminata deprehendat. Hinc est quòd duo illi prædicatores eximij dilata morte subtracti sunt, vt ad prædicationis vsum in fine reuocentur. De quibus per Ioannem dicitur: Hi sunt duæ oliuę & duo candelabra in conspectu Domini terræ astantes. Quorum vnum in Euangelio per semetipsam veritas pollicetur, dicens: Helias venturus est, & restituet omnia. Quasi ergo sub signaculo stellæ clausæ sunt, quæ & nũc occultãtur ne appareant, & pòst vt prodesse valeant, apparebunt. Sed tamen plebs Israëlitica, quæ vbertim in fine colligitur, in ipsis sanctę Ecclesiæ exordiis crudeliter obduratur. Nam prædicatores veritatis renuit, verba adiutorij spreuit. Quod tamen mira auctoris dispensatione agitur, vt nimirum prædicantium gloria quæ recepta in vno populo latere poterat, in cunctis gentibus repulsa dilatetur. Vnde & aptè mox subditur.

Esaie. 10. *Roma. 11.* *Apoc. 11.* *Matth. 17.*

Quòd cœli extensi sunt, quando dilatatum est Euangelium, & diffusa prædicatio in orbem terrarum.
Caput IIII.

QVi extendit cœlos solus.) Quid nanque cœlorum nomine, nisi hæc eadem cœlestis prædicantium vita designatur? De quibus per Psalmistam dicitur: Cœli enarrant gloriam Dei. Ipsi igitur cœli, ipsi Sol esse memorantur. Cœli scilicet, quia intercedendo protegunt: Sol autẽ, quia prædicando vim luminis ostendunt. Commota igitur terra cœli extensi sunt, quia cùm Iudæa ad vim persecutionis infremuit, Apostolorum vitam Dominus in cunctarum gentium cognitionem dilatauit. Et dum illa per iudicium in mundum captiua dispergitur, isti vbique per gratiam in honore tenduntur. Angusti quippe cœli fuerant, cùm vna plebs tot egregios prædicatores tenebat. Quis enim gentilium Petrum nosset, si in solius Israëlitici populi prædicatione remansisset? Quis Pauli virtutes agnosceret, nisi hunc Iudæa ad nostram notitiam persequendo transmisisset? Ecce iam qui plagis & contumeliis ab Israëlitica plebe repulsi sunt, per mundi fines honorantur. Solus ergo Dominus cœlos tetendit, qui secreti mira dispensatione consilij, prædicatores suos vnde permisit in vna gente opprimi, fecit in mundi cardines inde dilatari. Sed neque ipsa hæc præsenti dedita mundo gentilitas, cùm culpas eius, Apostolorum lingua corripuit, verba vitæ libenter accepit. Nam protinus in elatione contradictionis intumuit, atque ad crudelitatem se persecutionis excitauit. Sed quæ prædicationis verbis contraire nititur, signorum citius admiratione temperatur. Vnde & aptè quoque in auctoris laudem subiungitur:

Psal. 18.

Quòd pauperes Christi, huius mundi potestates in miraculorum virtute calcauerunt.
Caput V.

ET graditur super fluctus maris.) Quid enim maris nomine, nisi in bonorum nece sæuiẽs mundi huius amaritudo signatur? De quo & per Psalmistam dicitur: Congregans quasi in vtrem aquas maris. Aquas etenim maris quasi in vtrem Dominus congregat, cùm miro moderamine cuncta disponens, in suis clausas cordibus carnalium minas frenat. Super fluctus ergo maris Dominus graditur, quia cùm se procellæ persecutionis erigunt, miraculorum eius obstupefactione franguntur. Qui enim tumores humanæ vesaniæ mitigat, quasi erectas in cumulo vndas calcat. Nam cùm morem suum gentilitas destrui nouæ conuersationis prædicatione conspiceret, cùm mundi huius diuites, elationi suæ contraire viderent facta pauperum: cùm sapientes seculi, aduersari sibi imperitorum verba pensarent: in persecutionis protinus tempestatem tumuerũt. Sed qui verborum aduersitate commoti, ad persecutionis procellas insiliunt, signorum, vt diximus, admiratione tẽperantur. Tot ergo in his fluctibus Dominus gressus posuit, quot superbis persecutoribus miracula ostẽdit. Vnde be-

Psal. 32.

Psalm.92. ne rursum per Psalmistam dicitur: Mirabiles elationes maris, mirabilis in excelsis Dominus: quia contra electorum vitam ad persecutionis vndas mundus se mirabiliter extulit, sed has supernorum conditor, † sub eleuata virtute prædicantium mirabilius strauit: ministros etenim suos plus ostendit posse per miracula, quã potestates terrenæ quæ tumuerant per iram. *Hiere.5.* Quod bene etiam per Hieremiam Dominus exteriora narrãs, interiora denuntians, dicit: Posuit arenam terminũ mari præceptum sempiternũ, quod non præteribit, & commouebuntur, & non poterunt, & intumescent fluctus eius, & non transibũt illum. Arenam quippe Dominus mari terminum posuit: quia ad frangendam mundi gloriam, abiectos & paupere elegit. Cuius nimirum maris fluctus intumescunt: cùm potestates seculi, ad commotionem persecutionis exiliunt. Sed transire arenam nequeunt, quia despectorum miraculis & humilitate franguntur. Sed dum mare sæuit, dum per insaniæ suæ fluctus erigitur; quia tamen virtutis intimæ ostensione calcatur, sancta Ecclesia proficit, atque ad statum sui ordinis per temporum incrementa consurgit. Vnde & aptè mox subditur:

† al. sublenata.

Quòd fundata in fide Christi Ecclesia, in hyeme infidelitatis contra persecutorum procellas, primò martyres, deinde doctores effulserunt: quibus post laborum pressuras in interioribus Austri, id est, secreto cœlestis patriæ sinu, præparata est ab æterno cum Angelis sanctis hæreditas.

Caput VI.

6 QVi facit arcturum & orionas & hyadas, & interiora Austri.) Nequaquam sermo veritatis vanas, Hesiodi, Arati & Callimachi fabulas sequitur, vt arcturum nominans, extremam stellarum septem caudam vrsæ suspicetur, & quasi orion gladium teneat, amator insanus. Hæc quippe astrorum nomina, à cultoribus sapientiæ carnalis inuenta sunt, sed scriptura sacra idcirco eisdem vocabulis vtitur: vt res quas insinuare appetit, notitia vsitatæ appellationis exprimãtur. Nam si astra quæ vellet per ignota nobis nomina diceret: homo pro quo hæc eadem scriptura facta est, nesciret proculdubio quid audiret. Sic igitur in sacro eloquio sapientes Dei sermonem trahunt à sapientibus seculi, sicut, in eo pro vtilitate hominis vocem in se humanæ passionis ipse cõditor hominum sumit Deus, vt videlicet dicat: Pœnitet me fecisse hominem super terram: cùm profectò constet quia is qui cuncta prius quàm veniant conspicit, nequaquam postquam aliquid fecerit, pœnitendo resipiscat. Quid ergo mirum si spiritales viri vtuntur verbis carnalium, quando ipse ineffabilis & creator omnium spiritus, vt ad intellectum suum carnem pertrahat, in seipso carnis sermonem format? In scriptura igitur sacra dum nota astrorum nomina audimus, de quibus astris sermo mouetur, agnoscimus. Cùm verò quæ cnarrentur astra perpendimus, restat vt ex eorum motibus ad spiritalis intelligentiæ arcana surgamus. Neq; enim iuxta literam mirum aliquid dicitur, quod Deus arcturum, orionas, & hyadas fecit: de quo nimirum constat quia omnino in mundo nihil sit, quod ipse non fecerit. Sed sanctus vir hæc fecisse Deum dicit: per quæ signari propriè ea quæ spiritaliter geruntur, intelligit.

Quid nanque arcturi nomine, qui in cœli axe constitutus, septem Stellarum radiis fulget, nisi Ecclesia vniuersalis exprimitur, quæ in Ioannis Apocalypsi per septem Ecclesias, septémque candelabra figuratur? Quæ dum dona in se septiformis gratiæ spiritus continet, claritate summæ virtutis irradians, quasi ab axe veritatis lucet. 7 Pensandum quoque est quòd arcturus semper versatur, & nunquam mergitur: quia & sancta Ecclesia persecutiones iniquorum sine cessatione tolerat, sed tamen vsque ad mundi terminum sine defectu perdurat. Sæpe nanque eam reprobi, quia vsque ad internecionẽ persecuti sunt, quasi hanc se funditùs extinxisse crediderunt: sed eò multiplicius ad statum sui † profectus rediit, quò inter manus persequentium moriendo laborauit. Arcturus ergo dum versatur, erigitur: quia tunc sancta Ecclesia valentius in veritate reficitur, cùm ardentius pro veritate fatigatur. Vnde aptè quoque post arcturum protinus orionas subdit. Oriones quippe in ipso pondere temporis hyemalis oriuntur: suo quoque ortu tempestates excitant, & maria terrásque perturbant. Quid igitur post arcturum per orionas, nisi martyres designantur? Qui dum * sanctam Ecclesiam ad statum prædicationis erigunt, pondus persequentium, molestiásque passuri, ad cœli faciem quasi in hyeme venerunt. His etenim natis, mare terráque turbata est: quia dum gentilitas mores suos destrui, apparente illorum fortitudine doluit, in eorum necem non solùm iracundos ac turbidos, sed etiam placidos erexit. Ex orionibus itaque hyems inhorruit: quia clarescente sanctorum constantia, frigida mens infidelium, ad tempestatem se persecutionis excitauit. Orionas ergo cœlum edidit, cùm sancta Ecclesia martyres misit. Qui dum loqui recta rudibus ausi sunt, omne pondus ex frigoris aduersitate pertulerunt. Bene autem protinus hyadas subdit, quæ † iuuenescente verno ad cœli faciem prodeunt, & cùm iam Sol caloris sui vires exerit, ostenduntur. Illius quippe signi initiis inhærent, quod sapientes seculi, Taurum vocant, ex quo augeri Sol incipit, atq; ad extendenda diei spatia feruentior exurgit. Qui itaque post orionas hyadum nomine, nisi Doctores sanctæ Ecclesiæ designantur? Qui subductis martyribus, co iam tempore ad mundi noritiam venerunt, quo fides dlurius elucet, & repressa infidelitatis hyeme, altius per corda fidelium Sol veritatis calet. Qui remota tempestate persecutionis, expletis longis noctibus infidelitatis, tunc sanctæ Ecclesiæ orti sunt, cùm ei iam per credulitatis vernum lucidior annus aperitur. Nec immeritò Doctores sancti hyadum nuncupatione signantur. Græco quippe eloquio hyetos pluuia vocatur, & hyades nomen à pluuiis acceperunt, quia ortæ procul dubio imbres ferunt. Bene ergo hyadum appellatione expressi sunt, qui ad statum vniuersalis Ecclesiæ, quasi in cœli faciem deducti, super arentem terram humani pectoris, sanctæ prædicationis imbres fuderunt. Si enim prædicationis sermo pluuia non esset, Moyses minimè dixisset: Expectetur sicut pluuia eloquium meum: & nequaquam per Esaiam veritas diceret: Mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem: atque hoc quod paulò antè protulimus, Quamobrem prohibitæ sunt Stellæ pluuiarum. Dum ergo hyades cum pluuiis veniunt, ad cœli spatia altiora Sol ducitur: quia apparente Doctorum scientia, dum mens nostra imbre prædicationis infunditur, fidei calor augetur. Et perfusa terra ad fructum proficit, cùm lumen ætheris ignescit, quia vberius frugem boni operis reddimus, dum per sacræ eruditionis flammam, in corde clarius ardemus. Dumque per eos diebus singulis magis magísque scientia cœlestis ostenditur, quasi interni nobis luminis vernum tempus aperitur: vt nouus Sol nostris mentibus rutilet, & eorum verbis nobis cognitus, seipso quotidie clarior micet. Vrgente etenim mundi fine, superna scientia proficit, & largius cum tempore excrescit. Hinc nanque per Danielem dicitur: Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia. Hinc Ioanni in priori parte reuelationis Angelus dicit: Signa quæ locuta sunt septem tonitrua. Cui tamen in eiusdem reuelationis termino præcepit, dicens: Ne signaueris verba Prophetiæ libri huius. Pars quippe reuelationis anterior signari præcipitur, terminus prohibetur: quia quicquid in sanctæ Ecclesiæ initiis latuit, finis quotidie ostendit. Nonnulli verò à Græca litera, quæ y dicitur: hyadas nuncupatas arbitrantur. Quod si ita est, significationi quam diximus, contrarium non est. Doctores enim his Stellis non inconuenienter expressi sunt, quæ à literis nomen trahunt. Sed quanuis hyades ab eiusdem literæ visione non discrepent, certum tamen est, quia hyetos imber dicitur, eo quòd exortæ pluuias apportant. Vir igitur sanctus redemptionis nostræ ordinem contemplatus admiretur, atq; admirans exclamet, dicens: *Qui extendit cœlos solus: & graditur super fluctus maris, qui facit arcturum & orionas & hyadas.*) Extensis etenim cœlis Dominus formauit arcturum, quia in honorem deductis Apostolis, in cœlesti cõuersatione fundauit Ecclesiam. Formato quoq; Arcturo, fecit orionas, quia roborata fide vniuersalis Ecclesiæ, cõtra procellas mũdi edidit martyres. Editis quoq; orionibus protulit hyadas: quia cõualescentibus cõtra aduersa martyribus, ad infundendam ariditatem humanorum cordiũ, doctrinam cõtulit magistrorum. Isti itaq; sunt astrorum spiritalium ordines qui dum summis virtutibus

† vel, prouectus.

al. dum sancta Ecclesia adstatum prædicationis erigitur.

† al. viroscente.

Deute.32.

Daniel.12.

Apo.10.

virtutibus eminent, semper ex supernis lucent. Sed post ista quid restat, nisi vt sancta Ecclesia laboris sui fructum recipiens, ad videnda supernæ patriæ interna perueniat? Vnde & aptè, quia dixit: *Qui facit Arcturum & orionas & hyadas*: protinus addidit: *Et interiora Austri.*) 9. Quid nanque in hoc loco Austri nomine, nisi feruor sancti spiritus designatur? Quo dum repletus quisque fuerit, ad amorem patriæ spiritalis ignescit. Vnde & sponsi voce in Canticorum canticis dicitur: Surge Aquilo & veni Auster, persla hortum meum, & fluent aromata illius. Austro quippe veniente, Aquilo surgens recedit, cùm aduentu sancti spiritus expulsus antiquus hostis, qui in torpore mentem constrinxerat, deserit. Atque hortum sponsi Auster perflat, vt aromata defluant, quia nimirum dum sanctam Ecclesiam donorum suorum virtutibus spiritus veritatis impleuerit, ab ea longè latéque odores boni operis spargit. Interiora ergo Austri, sunt occulti illi angelorum ordines, & secretissimi patriæ cœlestis sinus, quos implet calor spiritus sancti. Illuc quippe sanctorum animæ, & nunc corporibus exutæ, & postea corporibus restitutæ perueniunt, & quasi † in Austri abditis occultantur. Ibi per diem quasi in meridiano tempore, ardentius solis ignis accenditur, quia conditoris claritas mortalitatis nostræ iam pressa caligine manifestius videtur, & velut sphæræ radius ad spatia altiora se eleuat: quia de semetipsa nos veritas subtilius illustrat. Ibi lumen intimæ contemplationis sine interueniente cernitur vmbra mutabilitatis, ibi calor summi luminis sine vlla obscuritate corporis, † ibi inuisibiles angelorũ chori quasi astra in abditis emicant, quæ eò nunc ab hominibus videri nequeunt: quò flamma veri luminis altius perfunduntur. Valde itaque mirum est quòd missis Apostolis Dominus cœlos tetendit, quòd temperatis persecutionum tumoribus maris fluctus gradiens repressit, quòd solidata Ecclesia arcturum statuit, quòd roboratis cõtra aduersa martyribus orionas misit, quod repletis in tranquillitate doctoribus hyadas præbuit: sed post hæc valde est admirabile quòd sinum nobis cœlestis patriæ quasi interiora Austri præparauit. Pulchrum est hoc omne, quod quasi in cœli facie de diuina dispensatione cernitur, sed longè illud & incomparabiliter pulchrius, ad quod inuisibiliter peruenitur. Vnde bene iterum sponsus in sponsæ suæ laudibus dicit: Quàm pulchra es amica mea: quàm pulchra es, oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Pulchram narrat, & pulchram replicat: quia alia est ei pulchritudo morum in qua nunc cernitur, atque alia pulchritudo præmiorum, in qua tunc per conditoris sui speciem subleuabitur: Cuius membra, videlicet omnes electi, quia ad cuncta simpliciter incedunt, eius oculi columbarum vocantur, qui magna luce irradiant, quia & lignorum miraculis corruscant. Sed quantum est omne hoc miraculum quod videri nunc potest? Illud de internis miraculum est mirabilius, quod nunc videri non potest. De quo illic aptè subditur: Absque eo quod intrinsecus latet. Magna quippe est gloria aperti operis, sed longè incomparabilis occultæ remunerationis. Quod ergo per beatum Iob astrorum nomine, hoc Salomonis vocibus oculorum appellatione signatur: & quod per Salomonem dicitur: Absque eo quod intrinsecus latet, hoc nobis beatus Iob intimat, cùm Austri interiora commendat. Sed ecce vir sanctus exteriora nominans, interiora considerans, aperta narrans, occulta penetrans, omne quod interius exteriúsq; agitur, dicere conatur: sed opera summæ magnitudinis quando explicet lingua carnis? Vnde & aptè mox hæc eadem opera melius definiendo comprehendit dicens: 10. *Qui facit magna & inscrutabilia & mirabilia, quorum non est numerus.*) Diuinæ fortitudinis facta tunc verius explemus cùm hæc nos explere nõ posse cognoscimus: tunc facundius loquimur, cùm ab his obstupescendo reticemus. Ad narranda quippe Dei opera habet defectus noster, quàm sufficienter exerat linguam suam, vt quæ comprehendere idoneè non valet, hæc idoneè mutus laudet. Vnde bene per Psalmistam dicitur: Laudate eum in potentibus eius, laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius, laudat, qui se succũbere in eius laudis expletione cõsiderat. Dicat ergo: Qui facit magna & inscrutabilia & mirabiliá, quorũ non est numer°: videlicet magna virtute,

† astra in abditis.

† al. torporis.

Cant.4.

Psalm. 150.

inscrutabilia ratione, innumerabilia multiplicitate. Diuina ergo opera quæ explere dicendo non potuit, facundius deficiẽdo definiuit. Sed in consideratione rerum cur longè extra nos ducimur, qui hoc ipsum quoque quod erga nos agitur, ignoramus? Vnde & aptè subiungitur:

Quòd exigentibus peccatis ita cæcum est genus humanum, vt sæpe quod donum est gratiæ, iram putet: & quod ira est, gratiam æstimet.

Caput VII.

S*I venerit ad me, non videbo eum: & si abierit, non intelligam eum.*) Seclusum quippe ab internis gaudiis genus humanum, exigente culpa mentis oculos perdidit: & quò meritorum suorum passibus graditur, nescit. Sæpe enim gratiæ est donum, quod iram deputat: & sæpe diuinæ districtionis ira est, quod gratiam deputat. Nam plerunque gratiam æstimat dona virtutum, & tamen de eisdem donis elatus corruit. Plerunque velut iram metuit aduersa tentatio num: & tamen eisdem tentationibus pressus, ad virtutum custodiam cautior exurgit. Quis enim Deo se propinquare nõ æstimet, cùm supernis excrescere se muneribus agnoscit, cùm vel prophetiæ donum, vel doctrinæ magisterium percipit, vel ad exercendam curationum gratiam conualescit? Et tamen sæpe mens dum de virtutis suæ securitate resoluitur, insidiante aduersario inopinatę culpę telo perforatur: & inde à Deo in æternum longè fit, vnde ei ad tempus sine cautelæ custodia propinquauit. Et 12. quis se derelictum à diuina iam gratia non deputet, cùm post experimentum munditiæ lacessiri se carnis tentationibus videt, in honesta ad animum congeri, & ante cogitationis oculos, nonnulla improba, & immunda versari? Et tamen cùm fatigant ista nec superant, nequaquam per pollutionem trucidant, sed per humilitatem seruant: vt infirmum se animus in tentatione deprehendens, totum se ad diuinitatis adiutorium conferat, & sui fiduciam funditùs amittat. Sícque fit, & vt inde altius Deo inhæreat, vnde se à Deo profundius cecidisse suspirabat. Accessus igitur recessúsque Dei, à mente nostra minimè cognoscitur, quousque rerum alternãtium finis ignoratur: quia & de tentatione incertum est, vtrum probet, an trucidet: & de donis nequaquam deprehenditur, vtrũ hîc desertos remunerent: an in via nutriant, vt ad patriam perducant. Homo ergo ab internis gaudiis semel expulsus, clausas contra se ianuas secreti spiritalis aspiciat, atque ad semetipsum foras proiectus in carne gemat, & cæcitatis suæ damna considerans, dicat: *Si venerit ad me, non videbo eum: & si abierit, non intelligam.*) Ac si aperè deploret, dicens: Postquam semel sponte oculos perdidi, quoniam quæsitæ noctis cæcitatem patior, nec ortum iam, nec occasum Solis agnosco. Et tamen homo qui infirmitatis pœna premitur, & cæcitatis suæ caligine grauatur, ad supernæ lucis iudicium properat, vt suorum actuum rationem reddat. Vnde mox subditur:

Sæpe gratia putatur ira.

Sæpe ira putatur gratia.

De tentatione incertum est, vtrum probet, vel trucidet.

Quòd magna superbia sit, in iudiciis diuinis rationem quærere.

Caput VIII.

S*I repentè interroget, quis respondebit ei?*) Repentè Deus interrogat, cùm nos ad distrctionẽ sui examinis inopinatos vocat. Sed interrogationi illius homo respondere non sufficit: quia si remota tunc pietate discutitur, in illo examine etiam iustorum vita succumbit. Vel certè interrogat, cùm duris nos percussionibus pulsat: vt cùm mens nostra magna de se in trãquillitate æstimat, semetipsam veraciter qualis sit in perturbatione deprehendat. Et plerunque quoniam percutitur gemit, sed respondere nõ sufficit, quia & ipsa ei percussionis suæ aduersitas displicet: sed tamen semetipsum homo considerãs tacet, & diuina iudicia discutere metuit, qui esse se puluerem agnoscit. Vnde & per Paululum dicitur: O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Respondere Deo nõ posse conuincitur, qui homo nominatur: quia per hoc quòd de humo sumptus est, iudicia superna discutere dignus nõ est. Vnde hîc quoque aptè subiungitur: *Vel quis ei dicere potest, Cur ita facis?*) Authoris facta semper indiscussa veneranda sunt, quia iniusta nequaquã esse possunt. Rationem quippe de occulto eius consilio quærere, nihil est aliud quàm contra eius consiliũ superbire. Cùm ergo factorum causa non deprehẽditur restat vt sub factis illius cum humilitate taceatur: quia nequaquam sufficit sensus

Repentè Deus interrogat.

Roma.9.

carnis, vt secreta penetret maiestatis. Qui ergo in factis Dei rationem non videt, infirmitatem suam considerans, cur non videat, rationem videt. *Roma. 9.* Vnde & per Paulum quoque subsequenter adiungitur: Nunquid dicet figmentum ei qui se finxit, Quare me fecisti sic? Quo enim se cernit figmentum diuini operis, eo semetipsum redarguit, ne contra manum resultet operantis: quia qui benignè quòd non erat, fecit: quod est, iniustè non deserit. Ad semetipsam ergo in percussione mens redeat, & quod apprehendere non valet, non requirat: ne si diuinæ iræ causa discutitur, amplius discussa prouocetur: & quam placare humilitas poterat, inextinguibiliter superbia accendat. Vnde aptè quoque de hac eadem ira protinus subditur:

Quomodo verum sit, quòd nullus iræ Dei resistat, cùm patens sit, quod Moyses & multi alij restiterint. Caput IX.

DEus cuius resistere iræ nemo potest, & sub quo curuantur qui portant orbem.) Mirum valde est, quòd iræ Dei nullum posse resistere dicitur, cùm multos indignationi supernæ animaduersionis obuiasse, eloquia diuina testentur. An non iræ Dei Moyses restitit, qui pro cadente populo erectus, ipsum supernæ percussionis impetum, mortis suæ oblatione restrinxit, dicens: *Exod. 32.* Dimitte illis hanc noxam: alioqui dele me de libro tuo quem scripsisti? *Nume. 16.* An non iræ Dei Aaron restitit, cùm inter viuentes ac mortuos thuribulum sumpsit, atque animaduersionis ignem, incensi fumo temperauit? An non Phinees iræ Dei restitit, *Nume. 25.* qui luxuriantes cum alienigenis, in ipso coitu trucidans, zelum suum diuinæ indignationi obtulit, & furorem gladio placauit? An nõ iræ Dei Dauid restitit, qui angelo ferienti se offerens, placationis gratiam, & ante tempus propositum exegit? An non Helias iræ Dei restitit, qui longo iam tempore terra arente, subductas de cœlo pluuias verbo reuocauit? Quomodo ergo diuinæ iræ nullum posse resistere dicitur, cùm multos sępe restitisse exemplis existentibus demonstratur? Sed si subtiliter & hæc beati Iob eloquia, & illorum facta pensamus: & verum cognoscimus, quia diuinæ iræ non resistitur: & verum, quia multi sæpe restiterunt.

12. *Quomodo sancti iræ Dei quãdoque resistãt.* Omnes etenim sancti qui iræ Dei obuiant, ab ipso accipiunt, vt contra impetum percussionis eius opponantur: atque, vt ita dixerim, cùm ipso se erigunt contra ipsum, eósque diuina vis sibi opponit secum: quia in eo quòd aduersum sæuientis iram foris obtinent, intus eos gratia irascẽtis fouet: & famulantes interius leuat, quos quasi aduersantes exterius tolerat. Portat ergo contradictionem deprecantium quam aspirat, & velut nolenti opponitur, quod ab ab ipso vt fiat, imperatur. Moysi etenim dicit: Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciámque te in gentem magnam. Quid est seruo dicere, dimitte me, nisi deprecandi ausum præbere? Ac si apertè ei diceretur: Pensa, quantum apud me valeas, & congnosce, quia obtinere poteris quicquid pro populo exoras. Quod quia hac mente agitur, statim venia subiuncta testatur. *Quomodo quandoque iræ Dei nẽmo potest resistere.* Cùm verò superna indignatio sese, vt ita dixerim, medullitùs mouet; hanc oppositio humana non retinet: nec se vtiliter cuiuslibet deprecatio obiicit, cùm semel Deus aliquid ab intimis irascendo disponit. Hinc est enim quòd Moyses qui reatum totius plebis apud Deum suis precibus tersit, dumque se obicem obtulit, diuinæ iracundiæ vim placauit: ad petram Oreb veniens, & pro aquæ exhibitione diffidens, repromissionis terram ingredi, Domino irascente non potuit. Et sæpe hac de re affligitur, sæpe desiderio se excitante turbatur, & dispositæ vltionis iracundiam repellere, à semetipso non valuit, qui hanc volente Domino & à populo amouit. *2. Regũ. 24.* Hinc Dauid, qui prostrata plebe postmodum angeli gladium prece compescuit, prius plorans & eiulans, nudis pedibus filium fugit: & quousque perpetrati facinoris vltionem ad plenum reciperet, iram Dei pro semetipso temperare nequaquam valuit. *3. Reg. 17.* Hinc Helias, vt sicut homo parum aliquid quasi de diuina animaduersione sentiret: qui verbo cœlos aperuit, ante indignationem mulieris territus per desertum fugit: & pro semetipso infirmatur in formidine, qui furorem Dei placat aliis per interuentionem. Iræ Dei igitur & resisti valet, quando ipse qui irascitur, opitulatur: & resisti omnino non valet, E quando se & ad vlciscendum excitat, & ipse precem quæ ei funditur, non aspirat. Hinc ad Hieremiam dicitur: Tu ergo noli orare pro populo hoc, & ne assumas pro eis laudem & orationem, quia non exaudiam te, in tempore clamoris eorum ad me. *Hiere. 7.* *Hiere. 15.* Et rursum: Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Qua in re quæri vtiliter potest, cur relictis tot antiquioribus patribus, ad effundendam precem Moyses & Samuel tantummodo præstantius elegantiusque nominantur? Quod tamen facilè agnoscimus, si eius, qua diligere & inimicos pręcipitur, charitatis merita pensamus.

13. Conditoris nanque auribus maximè illa oratio commendatur, quę pro inimicis quoque intercedere nititur. Vnde & per semetipsam veritas dicit: Orate pro persequentibus & calumniantibus vos. *Luc. 6.* Et rursum: Cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus alterum. Cùm verò patrum priorum facta sacro eloquio describente reuoluimus, Moysem & Samuelem exorasse pro aduersantibus inuenimus. F Vnus quippe eorum sæuientis populi persecutiones fugit, & tamen pro vita sui persecutoris interuenit. Alter ex principatu populi deiectus, ipsis suis aduersariis dicit: Absit à me hoc peccatum in Domino, quo minus cessem orare pro vobis. Quid est ergo in difficultate deprecandi, Moysen & Samuelem deducere, nisi apertius indicare: quia eius iræ, neque illi si astarent, obsisterent, qui idcirco pro amicis interuenire citius possent: quia apud hunc intercedere & pro inimicis solerent? Hinc ad eandem Iudæam dicitur: Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli. *Hiere. 30.* Et rursum: Quid clamas ad me super contritione tua? Insanabilis est dolor tuus. Vir igitur sanctus aspiciat: quia nullius interuentu diuina ira restringitur, cùm implacabiliter excitatur, & dicat: Deus cuius resistere iræ nemo potest? Quod bene & ad specialem intellectum ducimus, si eiusdem plebis Israëliticæ damna pensamus, quam redemptor per dispensationis suæ mysterium ostensus, superbientem deseruit, atque ad cognitionis suæ gratiam gentes vocauit. Vnde & aptè mox subditur: G

Quòd pondere diuino omnes curuantur, & nec ipsi perfecti viri qui mũdum regunt, nec ipsi angeli diuinitatis eius immensitatem comprehendant. Caput X.

SVb quo curuantur qui portãt orbem.) Ipsi etenim orbem portant, qui curas præsentis seculi tolerant. Tantorum quippe pondera vnusquisque sustinere cõpellitur, quantis in hoc mundo principatur. Vnde & terræ princeps non incongruè Græco eloquio βασιλεὺς dicitur. Λαὸς enim populus interpretatur. βασιλεὺς igitur βάσις λαοῦ vocatur, quod Latina videlicet lingua basis populi dicit: quia videlicet ipse super se populũ sustinet, qui motus illius, potestatis pondere fixus regit. Quò enim subiectorum suorum onera tolerat, eò quasi superpositam columnam basis portat. Beatus igitur Iob virtute prophetici spiritus plenus, aspiciat quòd Iudæa deseritur, atque ad diuinitatis cultum gentiũ principes inclinantur, & dicat: *Deus cuius resistere iræ nemo potest: sub quo curuantur, qui portant orbẽ.*) H Ac si apertè fateatur dicens: Et subiectos quondam districtè deseris, & erectas potestates gentium misericorditer flectis.

14. Quamuis per hoc quod dicitur: Sub quo curuantur qui portant orbem, possint & angelicæ virtutes intelligi. Ipsi etenim orbem portant, qui regendi mundi curas administrant, Paulo attestante, qui ait: Nónne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis? *Heb. 1.* Ait ergo: *Deus cuius resistere iræ nemo potest: sub quo curuantur qui portant orbem.*) Ac si humilitatem omnis creaturæ conspiciat, & tremefactus dicat: Quis infirmorum hominum tuis nutibus obuiet, cuius se fortitudini, & virtutes angelicæ inclinant? Vel certè quóniam cùm curuamur, superiora non cernimus: erecti essent illi subtilissimi spiritus, si plenè potentiam eius maiestatis attingerent. Sed qui orbem portant, sub Deo curui sunt: quia diuinitatis eius celsitudinem quanuis subleuati videant, nec virtutes tamen angelicæ comprehendunt. Quam vir iustus præ infirmitate non penetrans, sed hanc vtcunque ex subiectis summorum spirituum ministeriis pensans, ad considerationem se propriam sollicita humilitate recolligit, sibíque coram

ram se præ potestate supernæ magnitudinis vilescit, dicens: *Quantus ergo ego sum vt respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo?*) Ac si apertè dicat: Si creatura illa hunc considerare non sufficit, quæ carne non premitur: qua mente de eius ego iudiciis disputo, qui pondere corruptionis angustor? Sicut autem sæpe ad nos verba Dei sunt iudicia illius, quæ nostrorũ actuum sententiam loquuntur: ita verba nostra ad Deum, sunt opera quæ exhibemus. Sed cùm Deo loqui verbis suis homo non valet, qui apud subtile eius iudicium, nullam de suis actibus fiduciam tenet. Vnde & aptè subditur:

Quòd ex iustitia non in nobis, sed in domino gloriandum est. Caput XI.

QVi etiam si habuero quippiam iustum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor.) Vt enim sæpe diximus: Omnis humanà iustitia, iniustitia esse conuincitur, si districtè iudicetur. Prece ergo post iustitiam indiget, vt quæ succumbere discussa poterat, ex sola iudicis pietate conualescat. Quæ cùm plenè à perfectioribus habetur, haberi de illa quippiam dicitur: quia mens humana & comprehensa vix peragit, & valde extrema sunt quæ comprehendit. Dicat ergo: *Qui etiam si habuero quippiam iustum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor.*) Velut, si apertius fateatur, dicens: Et si ad opus virtutis excreuero, ad vitam non ex meritis, sed ex venia conualescõ. Preci itaque innitendum est, cùm recta agimus: vt omne quod iustè viuimus, ex humilitate condiamus.

15. Sed plerunque ipsa nostra deprecatio tam multis tentationibus quatitur, vt penè à conspectu iudicis repulsa videatur, & sæpe hanc creator misericors respicit: sed quia illibatam se vt vult exercere non valet, super se iudicium reprobationis pauet. Vnde & subditur: *Et cùm inuocantem me exaudierit, non credo quòd audierit vocem meam.*) Plerunque etenim mens diuini amoris igne accenditur, atque ad intuenda cœlestia, & arcana subleuatur. Ad summa iam rapitur, & perfecto desiderio compuncta, ab infimis alienatur: sed repentina tentatione percussa, quæ intentione forti erecta in Deum fuerat, obortis cogitationibus transfixa curuatur: ita vt semetipsam discernere nequeat, atque inter vitia virtutésque deprehẽsa, ex qua parte sit valentior nõ agnoscat. Nam sæpe ad hoc vsque perducitur, vt miretur quomodo tam summa comprehendat, quam cogitatio illicita polluit. Et rursum quomodo illicitam cogitationem recipiat, quam super se valide feruor spiritus rapit. Quos alternantes cogitationum *Psalm. 106.* motus in animo bene Psalmista intuens, ait: Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos. Vsque ad cœlos quippe ascendimus, cùm summa penetramus: sed ad abyssos vsque descendimus, cùm repentè à contemplationis culmine per turpia tentamenta deiicimur. Motus itaque animi dum inter vota & vitia alternant, nimirum sibi certitudinem exauditionis obnubilant. Rectè ergo dicitur: *Et cùm inuocantem me exaudierit, non credo quod audierit vocem meam:*) quia mẽs ex ipsa sua mutabilitate fit trepida: & per hoc quod nolens patitur, repulsam se abiectámque suspicatur. Libet intueri vir sanctus quanta se subtilitate diiudicat, ne quid in illo diuina iudicia reprehendant. Infirmitatem nanque suam intuens, ait:

Quod sancti etiam sine causa flagellantur, non vt puniantur, sed vt probentur. Caput XII.

QVantus ego sum qui respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo? De iustitiæ suæ meritis nõ confidens, sed ad solam se spem postulationis cõferens, subdit: *Qui etiã si habuero quippiã iustum, nõ respondebo, sed meũ iudicem deprecabor.*) Sed de ipsa quoque postulatione pauidus adiungit: *Et cùm inuocantem me exaudierit, non credo quòd audierit vocem meã.*) Cur tanta circunspectione trepidat, cur tanta sollicitudine formidat, nisi quia terrorem iudicis in extrema districtione considerat, & vim discussionis illius nõ ferẽs, omne quod gerit, esse sibi insufficiẽs pensat? Vnde & protinus subdit: *In turbine enim conteret me.*)

16. Peccator quisque in turbine atteritur, qui erectus in tranquillitate videbatur: quia quem diu superna longanimitas tolerat, extrema iudicij seueritas necat, quę rectè turbo dicitur, *Psalm. 49.* quia in elementorum commotione reuelatur, Psalmista attestante, qui ait: Deus manifestè veniet, Deus noster, & non

A silebit. Ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida. Vnde & Propheta quoque alius dicit: Dominus in tempestate & turbine viæ eius. *Naum. 1.* In quo nimirum turbine idcirco iustus nequaquam conteritur, quia semper hîc sollicitè metuit, ne conteratur. Perpendit nanque adhuc in præsentis vitæ itinere constitutus, humanis actibus exactor operum quàm districtus appareat: qui quosdam tunc reatu culpæ originalis astrictos, etiam sine operibus damnat. Vnde rectè vir sanctus ex humani generis voce, protinus adiũgit? *Et multiplicabit vulnera mea, etiam sine causa.*) Nonnulli etenim prius à præsenti luce subtrahuntur, quàm ad proferenda bona maláve merita actiuæ vitæ, perueniant. Quos quia à culpa originis sacramenta salutis non liberant: & hîc ex propria nihil egerunt, & illuc ad tormenta perueniunt. Quibus vnum vulnus est, corruptibiliter nasci: aliud, carnaliter emori. Sed quia post mortem quoque æterna mors sequitur, occulto eis iustóque iudicio, etiã sine causa vulnera multiplicantur. *Sine causa vulnera multiplicãtur.* Perpetua quippe tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate pec- B cauerunt. Hinc nanque scriptum est: Non est mundus in conspectu eius, nec vnius diei infans super terrã. Hinc per semet ipsam veritas dicit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. *Ioan. 3.* Hinc Paulus ait: Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri. *Ephe. 2.* Qui itaque nullũ proprium adiũgens, ex solo originis reatu perimitur: quid iste in illo extremo examine, quantũ ad humani sensus æstimationẽ, nisi sine causa vulneratur? Sed tamen sub diuina districtione iustum est, vt propago mortalis, velut infructuosa arbor, & in ramis seruet amaritudinẽ quam traxit ex radice. Ait ergo: *In turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea, etiam sine causa.*) Ac si apertè humani generis damna considerans dicat: Districtus iudex qua eos animaduersione trucidat, quos culpa propriæ actionis damnat, si & illos in æternum percutit, quos reatus arbitrij non addicit? Quæ nimirum dicta, nec à beato Iob discrepare specialiter cognoscimus, si hæc quàm verè prolata sunt, indagamus. Semetipsum nanque subtiliter pensans, C atque in omni actione diiudicans: supernæ districtionis vim quanta sollicitudine pertimescat, insinuat dicens: *In turbine enim conteret me.*) Ac si apertè dicat: Idcirco hunc semper, & in tranquillitate timeo: quia per flagella qualis in turbine veniat, non ignoro. Quę flagella scilicet & metuens præuidit, & præuidens pertulit. Vnde subiungit: *Et multiplicabit vulnera mea etiam sine causa.*) Vt enim sæpe iam diximus, nequaquam beatus Iob percussus est, vt in eo percussio vitium tergeret, sed vt meritum augeret. Vulneratum se itaque sine causa asserens, hoc de se foris loquitur, quod de illo veritas in occulto testatur, dicens: Commouisti me aduersus eum, vt affligerem eum frustra. Vir ergo sanctus superbè non dicit, quod veraciter dicit: nec per hæc verba à rectitudine discrepat, per quæ à iudice non discordat, qui eorundem protinus vulnerum continuationem exprimit, cùm subiungit: *Non concedit quiescere spiritum meum, & implet me amaritudinibus.*)

17. Sæpe iustis exercitium virtutis est, sola exterius aduersa tolerare. Sed vt eorum vires certamen plenæ probationis erudiat, hos D nonnunquam & foris tormenta lacerant, & intus tentamenta castigant. Vnde vir sanctus impletum se amaritudinibus asserit: quia cùm flagella exterius tolerat, illud est grauius quod de tentatione aduersarij in intimis portat. Sed inter hæc mitigat vim doloris, considerata æquitas & potentia ferientis. Vnde subiungit: *Si fortitudo quæritur, robustissimus est: si æquitas iudicij, nemo pro me audet testimonium dicere.*) Ille quippe vitæ causas examinat, qui has per alienum testimonium non explorat: quia qui districtus quandoque ostenditur illator pœnæ, ipse diu tacitus extitit testis culpæ. Hinc enim per prophetam dicitur: Ego sum iudex & testis. *Hier. 29.* Hinc rursum ait: Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar. *Esaia. 24.* Parturiens nanque cum dolore eiicit, quod diu in abditis cum pondere portauit. Post longum ergo silentium, sicut parturiens, Dominus loquitur: quia quod apud se nunc tacitus tolerat, in vltione quãdoque iudicij quasi cum dolore manifestat. Sed requirendum nobis est, iste vir iustus, si pro eo testimonium dicere quisquam præsumeret, nunquid hunc à reatu liberaret? Et si huic alius testimonium non impendit, nunquid ad proferendum pro se testimonium saltem ipse conualescit? Sequitur:

Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, prauum me comprobabit.) Ac si apertè dicat: quid de aliis loquar, qui ipse de me testimonium ferre nõ valeo? Sed quia innocentiæ tuæ testificari non sufficis, nunquid hoc ipsum, quia innocentiam habeas, scis? Subdit:

Quanta sit homini in sui cogitatione difficultas, & quòd recta quæ agimus, sciendo nescire debeamus. Caput XIII.

E*Tiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.*) Plerunque si scimus bona quæ agimus, ad elatioem ducimur: si nescimus, minimè seruamus. Quis enim aut de virtutis suæ conscientia non quantulumcunque superbiat? Aut quis rursum bonum in se custodiat, quod ignorat? Sed contra vtraque quid supereſt, nisi vt recta quæ agimus, sciendo nesciamus: vt hæc & recta æstimemus, & minima: quatenus & ad custodiam sensificet animum scientia rectitudinis, & in tumorem non eleuet æstimatio minorationis? Sed sunt non-
18. nulla quæ sciri à nobis facilè nequeunt, etiam cùm geruntur. Nam sæpe recto studio contra delinquentium culpas accendimur: & cùm vltra æquitatis metas per iram rapimur, hoc zelum iustæ districtionis æstimamus. Sæpe officium prædicationis assumimus, vt per hoc fraternæ vtilitati seruiamus: sed nisi placeamus cui loquimur, nequaquam libenter accipitur quod prædicamus. Cúmque placere mens vtiliter studet, ad amorem laudis propriæ turpiter defluit, & quæ à captiuitate vitiorum alios curabat eruere, ipsa suis fauoribus incipit captiua seruire. Quasi latrunculus quippe est appetitus laudis humanæ, qui recto itinere gradientibus ex latere iungitur, vt ex occultis educto gladio gradientium vita trucidetur. Cúmque propositæ vtilitatis intentio ad studia priuata deducitur: horrendo modo vnum idémque opus culpa peragit, quod virtus inchoatit. Sæpe & ab ipsis exordiis a-
19. liud cogitatio expetit, aliud actio ostendit. Sæpe se fidelem sibi, nec ipsa cogitatio exhibet, quia aliud ante oculos mentis versat, & longè ad aliud ex intentione festinat. Nam plerunque nonnulli terrena præmia appetunt, & iustitiam defendunt: séque innocentes æstimant, & esse defensores rectitudinis exultant. Quibus si spes nummi subrahitur, à defensione protinus iustitiæ cessatur: & tamen defensores iusti-
Deute.16. tiæ se cogitant, sibíque se rectos asserunt, qui nequaquam rectitudinem, sed nummos quærunt. Contra quos bene per Moysen dicitur: Iustè quod iustum est, exequeris. Iniustè quippe quod iustum est exequitur, qui ad defensionem iustitiæ, non virtutis æmulatione, sed amore præmij temporalis excitatur. Iniustè quod iustum est exequitur, qui ipsam quam prætendit iustitiam vænundare minimè veretur. Iustè ergo iustum exequi, est in assertione iustitiæ eandem ipsam iustitiam quærere. Sæpe recta agimus, & nequaquam præmia, nequaquam laudes ab hominibus expectamus: sed tamen mens in sui fiduciam erecta, his à quibus nihil expetit, placere cõtemnit, eorũ iudicia despicit, séque malè liberã per abrupta elationis rapit, & inde sub vitio peius obruitur, vnde quasi de victis vitiis nullis se appetitionib' subiacere gloriatur. Sæpe dum nosmetipsos plus iusto discutimus, de ipso discretionis studio indiscretius erramus, & mentis nostræ acies quò plus cernere nititur, obscuratur: quia & qui importunè Solis radios aspicit, tenebrescit: & inde nihil videre compellitur, vnde videre amplius conatur. Quia igitur ab inquisitione nostra torpentes nos omnino nescimus, aut si subtili nos discusione requirimus, plerunque inter vitia virtutésque caligamus: rectè nunc dicitur: *Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.*) Ac si apertè diceretur: Conditoris contra me iudicia qua temeritate redarguo, qui ipsum me ex infirmitatis caligine ignoro? Vnde bene per Prophe-
Abac.3. tam dicitur: Dedit abyssus vocem suam ab altitudine phantasiæ suæ. Abyssus quippe phantasiæ altitudinem portat, cùm humanus ãnimus, immensa cogitatione caliginosus, semetipsum etiam discutiendo non penetrat. Sed ab hac altitudine vocem dare est: quia dum se deprehendere non potest, cogitur in admirationem consurgere: vt eo perscrutari non audeat, quod super ipsum est: quo incomprehensibilitatem suam ipse cogitans, non valet inuenire quod est. Sed iustorum corda, quia ad perfectum se examinare nequeunt, ægrè hoc exilium cæcitatis ferunt. Vnde & bene subditur: *Et tædebit me vitæ meæ.*) Tædet iustum viuere, quia & operando vitam non definit quærere: & tamen eiusdem vitæ suæ meritum non valet inuenire. Libram quippe examinis à sinu intimæ æquitatis trahit, & inde in se erga effectum inuentionis deficit, vnde super se raptus ad vim inquisitionis excrescit. Sed est cõsolatio nostræ caliginis, reducta ad animum iusta, & incõprehensibilis potentia cõditoris: quæ & iniquos sine vltione non deserit, & rectorum iustitiam incomprensibilitatis immensitate transcendit. Vnde & aptè subiungitur:

Quòd iudicium diuinum, nec peccator, nec iustus effugiat, & quòd quãtalibet iustus simplicitate fuerit, ipsa diuinæ magnitudinis simplicitate superetur. Caput XIIII.

V*Num est quod locutus sum, & innocentem & impium ipse consumit.*) Innocens à creatore consumitur: quia quantalibet eius simplicitas fuerit, diuinæ magnitudinis simplicitate† de- † al. *superatur.*
uoratur. Quanuis enim simplicitatem studiosè seruemus, ex consideratione tamen intimæ puritatis ostenditur, quòd hęc ipsa quam agimus, simplicitas non sit. Impius quoque à conditore consumitur, quia Deo cuncta mirabiliter ordinante, ipsis suis versutiis eius impietas ligatur. Nam non sese supplíciis & nesciens implicat, vnde se aliquid facere scienter exultat. Quia igitur omnipotens Deus, & bonorum innocentiam simplicitate superat, & malorum astutiam penetrans damnat, rectè nunc dicitur: *Vnum est quod locutus sum, & innocentem, & impium ipse consumit.*) Ac si apertè diceretur: Hoc apud me verbum cogitationis potulit: quia nec innocens, si districtè discutior, apparebo, nec impius si apud me latere voluero, à superni examinis acumine abscondor: quoniam districtus iudex cuncta comprehendens, occulta malitiæ mirabiliter penetrat, & suis hanc inuentionibus bene ordinans damnat. Vel certè & innocentem & impium ipse consumere dicitur: quia quamuis in meritis vitę diuisi sint, primæ tamen culpæ merito æquè ad carnis interitum pertrahuntur. Vnde & per Salomonem dicitur: Moritur doctus similiter vt indoctus. Et rursum: Cuncta subiacent vanitati, & omnia pergunt *Eccles.2.*
ad vnum locum. De terra facta sunt, & in terram pariter reuertuntur. Sequitur:

Quòd cùm sancti à pressuris liberari desiderant. Deus in eorum patientia & mortificatione delectatur. Caput XV.

S*I flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentum rideat.*) Quis hæc non per superbiam prolata crederet, nisi sententiam iudicis audiret qui ait: Non estis locuti corã me rectum, sicut seruus meus Iob? Restat ergo vt nullus authoris verba reprehendere audeat, quę constat quia iudex laudat. Sed tantò in intimis suis cautius subtiliúsque rimanda sunt, quãto durius foris sonant. Vir etenim sanctus humani ge-
10. neris damna considerans, vnde & quò venerint pẽsans, quod homo pollicente aduersario, boni malique scientiã appetens scire, perdidit etiã semetipsum, ita vt veraciter dicat: *Etiam si simplex fuero, hoc ignorabit anima mea:*) quòd post expulsionis pœnã flagella quoq; corruptionis sustinet, & adhuc ad carnis, vel certè ad mẽtis interitũ etiam post tormentum tendit, vt rectè dicat: *Et innocentẽ & impium ipse consumit:*) Mediatoris contra hæc gratiã requirit, dicẽs: *Si flagellat, occidat semel.*) Nos enim quia & à Deo mẽte recessimus, & carne ad pulueré redimus, pœna duplæ mortis adstringimur. Sed venit ad nos qui pro nobis sola carne moreretur, qui simplã suam duplæ nostrę iungeret, & nos ab vtraq; morte liberaret. De qua per Paulum dicitur: Quòd autem mortuus est pro peccato, mor- *Roma.6.*
tuus est semel. Dãna ergo vir sanctus nostrę corruptionis aspiciat, & vnam quę duas nostras destruat, mortẽ Mediatoris quęrat, atque hanc desiderãs dicat: *Si flagellat, occidat semel.*) Sed ecce quasi humilitati renititur, quod protinus subinfertur: *Et non de pœnis innocentum rideat.*) Quod tamẽ valde humilimum sine difficultate cognoscimus, si humili hoc mente pensamus. Cunctis etenim liquet, quòd omne desideriũ pœna est, *Prouer.13.*
cùm differtur: Salomone quoque attestante qui ait: Spes quæ *Ridere Dei*
differtur, affligit animã. Redere autem Dei, est humanę nolle afflictioni misereri. Vnde per Salomonẽ rursum Dominꝰ re- *Prouer.1.*
probis

probis in culpa durãtibus dicit: Ego quoq; in interitu vestro A
ridebo, id est, afflictioni vestræ nulla pietate compatiar. Ante redemptoris igitur aduentum, pœnam suam electi omnes habuerunt: quia ęstuante desiderio, incarnationis eius mysteriũ
Lucæ.10. videre cupierunt: ipso attestante, qui ait: Multi dico vobis, iusti & prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt. Pœnæ itaque innocentum, sunt desideria iustorum. Quousque ergo electorum suorum vota Dominus non compatiens distulit, quid aliud quàm innocentum pœnas risit? Itaque vir sanctus venturi redemptoris dona considerans, & votorum suorum dilationem grauiter tolerans dicat: *Si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentum rideat.*) Ac si apertè exoret, dicens: Quia vita nostra quotidie flagello vindictæ pro culpa atteritur, ille iam veniat, qui pro nobis semel sine culpa moriatur: vt de innocentũ pœnis Deus vltra non rideat, si ipse carne pasibilis appareat, in cuius se desideriis mens no-
21. stra castigat. Vel certè si risum Dei, eius lætitiam appellat, de innocentum pœnis ridere Dominus dicitur: quia quò à nobis ardentius quæritur, eò de nobis suauius lætatur. Quasi quoddam quippe ei ex pœna gaudium facimus, cùm per B
sancta desideria pro eius nos amore castigamus. Hinc Psalmi-
Psal.117. sta ait: Constituite diem solennem in consequentationibus, vsque ad cornu altaris. Solennem nanque Domino diem in consequentationibus constituit, quisquis se assiduè in eius desiderio affligit. Qui nimirum solennitatis dies vsque ad altaris cornu tẽdi præcipitur: quia tandiu necesse est vt quisque se afficiat, quousque ad superni sacrificij altitudinem, id est, ad ęterna gaudia pertingat. Iustus igitur vir, quia impleri desiderium suum appetit, non differri, humiliter dicit: *Non de pœnis innocentum rideat.*) Ac si diceret: Vota nostra libenter accipiens vltrà non differat, sed ostendendo exhibeat eum, qui nos in sua expectatione castigat. Quia verò eum specialiter beatus Iob occidi semel petiuit, qui carnis solius mortem in mundi pro nobis fine tolerauit: protinus aperit, qui ipsum quoque ordinem eius pasionis adiungit, dicens: *Terra data est in manus impij, vultum iudicum eius operit.*) Quid nanque terræ nomine, nisi caro exprimitur? Quis appellatione impij, nisi diabolus designatur? Huius impij manus fuerũt hi, qui in redemptoris nostri morte grassati sunt. Terra itaque data est in manus impij, quia antiquus hostis redemptoris mentem corrumpere per se tentando non valuit: sed eius carnem per suos satellites ad triduum permissus extinxit, & dispensationẽ supernæ pietatis nesciens, ex hac ipsa permissione seruiuit. Tribus enim redemptorem nostrum tentationibus pulsans, cor Dei temerare non valuit. Sed cùm Iudæ mentem ad mortẽ carnis eius excitauit, cúmque ei cohortem atque à Pontificibus & Pharisæis ministros tradidit, nimirum iste impius manus ad terram tetendit. Huius terræ iudices, sacerdotes & principes, Pilatus atque illusores milites fuerunt. Iste itaque impius vultũ iudicum eius operuit, quia corda persequẽtium, ne authorem suũ cognoscerent, malitiæ nubilo velauit. Vnde & per Paulũ dici-
2.*Cor.3.* tur: Vsque in hodiernum diem cùm legitur Moyses, velamen
2.*Corin.2.* est positum super cor eorum: Qui rursus ait: Si enim cognouissent, nunquam Dominũ glorię crucifixissent. Vultus ergo iudicum opertus extitit, quia mens persequentium eum quem D
carne tenere potuit, Deũ nec per miracula agnouit. Quia verò antiquus hostis cum iniquis omnibus vna persona est: sic plerunque scriptura sacra de iniquorum capite, id est, diabolo loquitur: vt repentè ad eius corpus, id est, ad sequaces illius
22. deriuetur. Potest ergo nomine impij, infidelis ac persecutor populus designari, cui & hoc cõgruit omnino quod subditur: *Quòd si non ille est: quis ergo est?*) Ac si apertè diceretur: Quis vnquam impius esse putandus est, si ille populus qui ipsam pietatem persequutus est, impius non est? Sed considerata vir sanctus Iudaicæ plebis perfidia, ad semetipsum mentis oculos reuocat: dolet quòd videre nequeat quem amat: mœrore afficitur, quia ex præsenti mundo antè subtrahitur, quàm salus mundi reueletur. Vnde & subditur:

Quòd antiqui patres fuerint, quasi portatores pomorum, prænuntiantes Christum, & odorem Euangelij futuris gentibus porrigentes. Caput XVI.

D*ies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt, & non viderunt bonum.*) Cursoris quippe officium est secutura nuntiare. Omnes igitur electi, qui ante aduentum redemptoris orti sunt, quia hunc aut audiendo tantummodo, aut etiam loquẽdo nuntiarunt, quidam quasi in mundo cursores fuerunt. Sed quia ante præstolatum redemptoris tempus se subtrahi prę-uident, transire se cursore velocius dolent: diésque suos esse breues ingemiscunt, quia vsque ad videdam redemptoris lucem minimè tenduntur. Vnde aptè dicitur: Fugerunt, & non viderunt bonum. Omnia quæ creata sunt, bona sunt: Moyse attestante, qui ait: Vidit Deus cuncta quę fecerat, & erant val- *Gen.1.*
de bona. Sed hoc solum bonum principaliter bonum est, per quod hæc omnia bona sunt, quæ bona non principaliter existunt. De quo bono veritas per Euangelium dicit: Nemo bo- *Lucæ.18.*
nus, nisi solus Deus. Quia igitur antiquorũ patrum prius dies finiti sunt, quàm mundo Deus in carne monstraretur, rectè nunc de eisdem diebus dicitur: *Fugerunt, & non viderunt bonũ.*) Ac si apertè diceretur: Ante expectatum tempus elapsi sunt, qui ad redemptoris præsentiam peruenire nequiuerunt. Vnde B
& adhuc subditur: *Pertranseunt quasi naues poma portantes.*) Hi poma deferentes maria transmeant, ipsi quidem fructuum odore perfruuntur, sed eorundem fructuum aliis cibos ferunt. Quid igitur antiqui patres, nisi naues poma portantes extiterũt? Qui diuinæ incarnationis mysteriũ prophetãtes, ipsi quidem spei odore potiti sunt, sed nobis fructum de eiusdem spei perfectione detulerunt. Quod enim illi expectando odorati sunt, hoc nos cernendo & percipiendo satiamur. Vnde
& redemptor iisdem discipulis dicit: Alij laborauerunt, & *Ioan.4.*
vos in labores eorum introistis. Quorum videlicet dies comparantur nauibus: quia decurrunt. Et rectè poma portantibus: quia electos omnes, quos ante redemptoris præsentiam gestauerunt, per prophetiæ valuerunt spiritum expectatione refouere, non autem manifesta exhibitione reficere. Vel certè, quia naues cùm poma portant, hæc paleis admiscent, vt ad terras illęsa perducant: rectè patrum præcedentium dies
C describũtur nauibus poma portantibus similes, quia antiquorum dicta, in eo quòd mysteria spiritalis vitæ denuntiant, per interfusam hæc historiæ stipulam seruant, & opertum nobis fructũ spiritus deferunt, cùm carnalia loquũtur. Sæpe nanque dum quędam narrant propria, ad diuinitatis eleuantur arcana. Qui crebrò etiam cùm altitudinem diuinitatis aspiciunt, ad incarnationis eius mysteriũ repentè funduntur. Vnde adhuc
aptè subiungitur: *Sicut aquila volans ad escam.*) Moris quippe 23.
est aquilæ, vt irreuerberata acie radios solis aspiciat: sed cũ resectionis indigentia vrgetur, eandem oculorum aciem quam radiis solis infixerat, ad respectum cadaueris incliuat: & quãuis ad alta euolet, pro sumendis tamen carnibus terram petit. Sic videlicet sic antiqui patres fuerunt, qui inquantũ humanitatis infirmitas admittebat, creatoris lucem erecta mente contemplati sunt: sed incarnandum hunc in mundi fine præscientes, quasi à solis radiis ad terram oculos deflexerunt. Et quasi de summis ad ima veniunt, dum hunc Deum supra omnia, & hominem infra omnia agnoscunt. Quem pro humano genere
dum passurum moriturúmque conspiciunt, quia scilicet mor- D
te semetipsos refici, atque reformari ad vitam nouerunt, quasi more aquilæ post contemplatos Solis radios, in cadauere escam quærunt. Libet spectare aquilam Solis radios intuentem, quæ ait: Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Sed ab *Esaiæ.9.*
alto volatu celsitudinis ad terras veniat, escam cadaueris inferius inquirat. Paulò pòst etenim subdit, dicens: Disciplina pa- *Esaiæ.53.*
cis nostræ super eũ, & liuore eius sanati sumus. Et rursum: Et homo est, & quis cognoscet eum? Subleuata ergo in diuinitate mens iusti, cùm dispensationis gratiam ex eius carne considerat, quasi à summis repentè, vt aquila ad escam volat. Sed ecce ille Israëliticus populus immenso dudum prophetiæ spiritu infusus, eiusdem prophetię dona perdidit, atque in ea fide quam præuidendo nuntiauerat, non permansit, & à se redemptoris prę̃sentiam negando repulit, quam cunctis se sequentibus prænuntiando declarauit. Vnde & aptè protinus per cõpasionem ad eorum quoque duritiam sermo conuertitur, atque ab eis quomodo prophetiæ gratia subtrahatur, indicatur. Nam subditur: *Cùm dixero, Nequaquam ita loquar, commuto faciem meam, & dolore torqueor.*) Plebs quippe Iudaica lo-

qui, vt prius noluit, quæ eum quem prædixerat, negauit. Sed commutata facie, torquetur dolore, quia dum interni sui hominis aspectum, quo agnosci à conditore poterat, fœditate perfidiæ polluit, à præsentibus malis incipiens, sub æterna vltione se damnauit. Quasi enim commutata facie ab authore non cognoscitur, quæ perdita bonæ conscientiæ fide reprobatur. Sed nimirum restat, vt suppliciorum dolor torqueat, quem suus non cognoscens conditor ignorat. Quia igitur hæc sub redemptoris nostri significatione trascurrimus, nũc moraliter discutiendo replicemus. *Dies mei velociores fuerunt cursore: fugerunt, & non viderunt bonum.*) Sicut sæpe iam diximus, sic primus homo conditus fuit, vt per augmenta temporum tendi posset eius vita tantummodo, non euolui: sed quia sponte ad culpam decidit, quo attigit vetitum, pertulit decursum, quem nunc homo præsentis vitæ desiderio oppressus, indefinenter & tolerat, & optat. Ne enim siniatur, viuere appetit: sed per augmenta vitæ quotidie ad finem tẽdit. Nec deprehendit valde incrementa tẽporum quàm nulla sint, nisi cùm repentè transacta finiuntur, quæ venientia longa vi-
24. debantur. Vir igitur sanctus statum suæ conditionis aspiciat, & ex humani generis voce damna decursus ingemiscat, dicens: *Dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt, & non viderunt bonum.*) Ac si apertè dicat: Ad hoc homo conditus fuit, vt bonum quod Deus est, videre potuisset: sed quia stare ad lucem noluit, fugiendo oculos amisit: quia quo per culpã cœpit ad ima decurrere, eo secum cæcitatem pertulit, ne intimum lumen videret. De quibus adhuc diebus aptè subiungitur: *Pertransierunt quasi naues poma portantes.*) Naues cùm poma portant, fructus terræ, videlicet per fluctus ferunt. Terra verò hominis paradisus extitit, quæ hunc inconcussum tenere potuit, si per innocentiam stare voluisset. Sed quia ad mutabilitatis vndas per culpam cecidit, ad præsentis vitæ maria post terram venit. Poma etiam terræ huius fuerunt mandati sermo, concessa possibilitas operis, naturæ indita intelligentia conditoris. Sed hæc poma quæ edere in terra renuimus, per maria iam portamus: quia concessa bona tot munerum inconcussi custodire in paradiso noluimus, & seruare nunc in tentationibus conamur. Tendentes ad terminum, aura vitæ præsentis impellimur, mutabilitatis nostræ fluctu fatigamur. Sed quia per crucis mysterium ad ingenita naturę bona restringimur, quasi per lignum poma portamus. Quod tamen intelligi & aliter potest. Naues etenim cùm poma portant, suauitatem odoris habent, sed grauitatem ponderis non habẽt. Et humanum genus à paradisi gaudiis expulsum, vim contemplationis perdidit, robur conditę fortitudinis amisit: cúmque ad superna repetẽda se erigit, fragrat quidem odore memoriæ, sed dignè non exerit pondus vitæ. Pomorum ergo odoribus repletur, & tamen huc illucque leuiter mentis nostræ nauis impellitur: quia & paradisi celsitudinem cùm odoris recordatione meminimus, & importunos tentationum fluctus ex carne toleramus. Vnde & aptè subiungitur:

25. *Sicut aquila volans ad escam.*) Aquila etenim alto valde volatu suspenditur, & annisu prępete ad æthera libratur, sed per appetitum ventris terras expetit, sesęque à sublimibus repentè deorsum fundit. Sic sic humanum genus in parente primo, ad ima de sublimibus corruit. Quod nimirum conditionis suæ dignitas in rationis celsitudine quasi in aëris libertate suspenderat: sed quia contra præceptum, cibum vetitum contigit, per ventris concupiscentiam ad terras venit, & quasi post volatum carnibus pascitur: quia illa libera contemplationis inspiracula perdidit, & deorsum corporeis voluptatibus lætatur. Sicut ergo aquila volans ad escam, dies nostri velociter transeunt: quia quo ima petimus, eo subsistere in vita prohibemur. Sed cùm hæc ante mentis oculos continua cogitatione reuoluimus, duris taciti quæstionibus vrgemur, cur omnipotens Deus condidit quem periturum esse præsciuit? cur is qui summè potens & summè bonus est, nequaquam voluit hominem talem facere, qui perire non posset? Cùm verò hæc tacita mens interrogat, pauet ne ipso interrogationis ausu in superbiam erumpat, séque humiliter comprimit, & cogitationes suas restringit. Sed eò grauius affligitur, quò inter mala quæ sustinet, etiam de conditionis suæ abscondito intellectu cruciatur. Vne hîc quoque aptè subiungitur: *Cùm dixero, Nequaquam ita loquar, commuto faciem meam, & dolore torquor.*) Nequaquam quippe nos ita debere loqui dicimus, cùm nostræ infirmitatis modum ex inquisitione transeuntes, nosmetipsos pauore reprehendimus, & supernæ reuerentiæ consideratione refrenamus. In qua refrenatione scilicet mentis nostræ facies commutatur: quia quæ prius nõ capiens audenter summa requirebat, infirmitatẽ suam postmodum agnoscens, venerari inchoat quod ignorat. Sed in ipsa commutatione dolor est, † quia valde affligitur, quoniã primæ culpæ merito ad intelligenda ea quæ de ipsa sunt, cæcatur. Quæ patitur, iusta esse considerat. Pauet ne in dolore per licentiam locutionis excedat. Ori silentium indicit, sed † excitatus dolor eoipso quo restringitur, augetur. Dicat ergo: *Cùm dixero, Nequaquàm ita loquar, commuto faciem meam, & dolore torqueor.*) Quia tunc grauius plerunque affligimur, cùm quasi per consolationis studium, afflictionis nostræ nobis conamur mala leuigare. Sed quisquis iam subtiliter parentis primi damnatione propagata, humani generis damna considerat, superest vt his adiungere propria metuat. Vnde vir sanctus postquam communia intulit, repentè specialia subiungit dicens:

† vel. qui.

† al. taciturn.

Quantum timere debeat qui scienter peccat, cùm Iob tantis virtutum testimoniis approbatus, sua opera vereatur, & quòd fraus tribus modis committatur. Caput XVII.

V*Erebar omnia opera mea, sciens quia non parceres delinquenti.*) Quæ beatus Iob opera exercuit, sacræ huius historiæ textus ostendit. Holocaustis quippe multiplicibus authorẽ placare studuit: quia iuxta filiorum numerum, vt scriptum est, consurgens diluculo, offerebat holocausta per singulos, eósque non solùm ab immundis actibus, sed à prauo quoque cogitatione mundabat. De quo scriptura teste perhibetur. Dicebat enim: Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordib' suis. Affectum ergo compassionis exercuit: quia ipse de se amicorum quæstionibus exactus, dicit: Flebam quondam super eo qui afflictus erat. Ministerium pietatis impendit, qui ait: Oculus fui cæco, & pes claudo. Castitatis munditiam in corde custodiuit, qui obtestando se aperuit, dicens: Si deceptum est cor meũ super muliere: Humilitatis culmen medullitùs tenuit, qui dicit: Si contempsi iudicium subire cùm seruo meo, & ancilla mea, cùm disceptarent aduersùm me. Beneficia largitatis impẽdit, qui ait: Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea. Et rursum: Si nõ benedixerint mihi latera eius, & de velleribus ouium mearũ calefactus est. Gratiam hospitalitatis exhibuit, qui dicit: Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit. Et inter hæc ad virtutũ cumulum per excellẽtiorem viam charitatis, & inimicos dilexit, qui ait: Si gauisus sum ad ruinam eius, qui me oderat. Et rursum: Non enim dedi ad peccandum guttur meum, vt expeterem maledicens animam eius. Quid ergo vir sanctus sua opera verebatur, qui illa semper exhibuit, ex quibus placari Deus, erga iniquitates solet? Quid ergo est quòd mira opera faciens, hæc ipsa etiam veret pauens, cùm dicit: Verebar omnia opera mea: nisi quòd in sancti viri actibus verbisque colligimus, vt si placere Deo veraciter cupimus, postquam peruersa subigimus, ipsa in nobis etiam bene gesta timeamus? Duo quippe sunt quæ in bonis operibus necesse est, vt studiosè formidentur, desidia videlicet, & fraus: Vnde & per Prophetam apud vetustam translationem dicitur: Maledictus, omnis qui facit opus Dei fraudulenter & desidiosè. Sed sciendum magnopere est, quia desidia per torporem nascitur, fraus per priuatam dilectionem. Illam nanque minor Dei amor exaggerat, hanc autem malè mentem possidens, proprius amor creat. Fraudem quippe in Dei opere perpetrat, quisquis semetipsum inordinatè diligens, per hoc quod rectè egerit, ad remunerationis transitoria bona festinat. Sciendum quoque est, quòd tribus modis fraus ipsa committitur, quia per hanc proculdubio, aut tacita cordis humani gratia, aut fauoris aura, aut res quælibet exterior desideratur. Quò contrà rectè de iusto per Prophetam dicitur: Beatus qui excutit manus suas ab omni munere. Quia enim non solum fraus in accęptione pecuniæ est, munus proculdubio vnum non est. Tres verò sunt

Esaiæ.33.

accęptiones munerum, ad quas ex fraude festinatur. Munus nanque à corde est, captata gratia à cogitatione. Munus ab ore, est gloria per fauorem. Munus ex manu, est præmiũ per dationem. Sed iustus quisque ab omni munere manus excutit: quia in eo quod rectè agit, nec ab humano corde inanem gloriam, nec ab ore laudem, nec à manu recipere donationem quærit. Solus ergo in Dei opere fraudem non facit, qui cùm ad studia bona actionis inuigilat, nec ad corporalis rei præmia, nec ad laudis verba, nec ad humani iudicij gratiam anhelat. Ipsa igitur bona nostra, quia insidiantis culpę euadere gladium nequeunt, nisi sollicito quotidie timore muniantur, per sanctum virum nunc rectè dicitur: *Verebar omnia opera mea.*) Ac si humili confessione diceretur. Quæ apertè egerim, video: sed quid in his latenter pertulerim, ignoro.

27. Sępe enim bona nostra latrocinanti fraude depereunt, quia rectis se nostris actibus concupiscentiæ terrenæ subiungunt. Sæpe desidia interueniẽte deficiunt, quia à feruore quo cœpta sunt, frigescente amore tabescunt. Quia ergo culpæ surreptio, vel in ipso virtutis actu vix vincitur: quid ad securitatem superest, nisi vt studiosè semper, & in virtute timeatur? Sed post hæc valde scrupulosum cordi se obiicit, quod subiungit: *Sciens quòd non parceres deliquenti.*) Si enim delinquenti non parcitur, quis ab æterna morte eripitur, cùm à delicto mundus nemo reperitur? An pœnitenti parcit, & delinquenti non parcit? Quia cùm delicta plangimus, nequaquam iam delinquentes sumus. Sed quid est quòd Petrus cùm negatre spicitur, & redemptoris negati respectu, ad lachrymas vocatur? Quid quòd Paulus cùm redemptoris nomen in terra conaretur extinguere, eius verba de cœlo meruit audire? Sed tamen culpa in vtroque punita est: quia & de Petro, teste Euãgelio scriptum est: Recordatus est Petrus verbi Iesu quod dixerat: & egressus foras, fleuit amarè. Et de Paulo hæc eadem quæ hunc vocauit, veritas dicit: Ego ostendam ei, quãta eum oporteat pro nomine meo pati. Delinquenti ergo Dominus nequaquam parcit, quia delictum sine vltione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccatum parcitur, quia nullatenus sine vindicta laxatur. Sic Dauid audire post confessionem meruit: Dominus transtulit peccatum tuum Et tamen multis post cruciatibus afflictus, ac fugiens, reatum culpæ quam perpetrauerat, exoluit. Sic nos salutis vnda à culpa primi parentis absoluimur, sed tamen reatum eiusdem pulpæ diluentes, absoluti quoque adhuc carnaliter obimus. Bene ergo dicitur: Sciens quòd non parceres delinquenti, quia delicta nostra siue per nos, siue per semetipsum resecat, etiam cùm relaxat. Ab electis enim suis iniquitatum maculas studet temporali afflictione tergere, quas in eis in perpetuum non vult † vindicare. Sed sæpe mens dum plus iusto trepidat, dum pauore quatitur, dum sinistris suspicionibus vrgetur, tædet hanc viuere, quę se ad vitam, vel per labores ambigit peruenire. Vnde & subsequenter adiungitur:

Luc.22.

Acto.15.

Delinquentis nequaquam parcitur.

2.Regũ. 12.

† al. videre.

Quòd sancti viri ita incerti sunt, vt confidant: ita confidunt, vt tamen ex securitate non torpeant. Caput XVIII.

S*I autem & sic impius sum, quare frustra laboraui?*) Si enim remota pietate discutimur, opus nostrum pœna dignum est, quod remunerari præmiis præstolamur. Vir igitur sanctus sub occulto iudicio trepidans dicit: Si autem & sic impius sum, quare frustra laboraui? Non quò hunc laborasse pœnitet, sed quod incertus esset de præmiis, & inter labores dolet. Sciendum verò est, quòd viri sancti ita incerti sunt, vt confidant, atque ita confidunt, vt tamen ex securitate non torpeant. Quia ergo plerunque mens, & impensa rectis actibus trepidat: restat vt postquam bonum opus agitur, lachrymæ † expiationis exquirantur, quatenus ad æterna præmia meritum recti operis subuehat humilitas postulationis.

† al. depreationis.

Quòd quantalibet munditia sancti fulgeant, tamen ex hoc corpore quod corrumpitur in quo sunt, abominabiles se iudicant, & concupiscentiarum sordibus sine quibus non sunt, immundos se reputant. Caput XIX.

28. SEd tamen sciendum est, quia mundos nos ad perfectum reddere, vel vita, vel lachrymæ nõ valent, quousque nos

mortalitas nostræ corruptionis tenet. Vnde & aptè subiungitur: *Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissima manus mea; tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea.*) A quæ enim niuis, sunt lamenta humilitatis. Quæ profectò humilitas, quia ante districti iudicis oculos cæteris virtutibus præeminet, quasi per magni meriti colorem eandet. Sunt nanque nõnulli qui lamenta habent, sed humilitatẽ non habent, quia afflicti plangunt: sed tamen in ipsis fletibus, vel contra proximorum vitam superbiunt, vel contra ordinationem conditoris eriguntur. Hi nimirum aquas habent, (sed niuis aquas non habent,) & mundi esse nequeunt, quia humilitatis fletibus minimè lauantur. Aquis autem niuis à culpa se lauerat, qui confidenter dicebat: Cor contritum humiliatum Deus non spernit. Qui enim lamentis affliguntur, sed murmurando rebelles sunt, mentem quidem conterunt, sed humiliari contemnunt. Quanuis aquæ niuis intelligi & aliter possint. Aqua enim fontis & fluminis ex terra oritur, aqua verò niuis ex aëre proruit. Et sunt plerique qui per orationum lamenta se cruciant, sed tamen totis lamentorum laboribus ad sola terrena desideria exudant: compungũtur in precibus, sed fœlicitatis transitoriæ gaudia exquirũt. Hos itaque niuis aqua non abluit, quia eorũ fletus ab imis venit. Quasi enim ex terræ aqua perfusi sunt, qui pro terrenis bonis in precibus compunguntur. Qui verò idcirco plorant, quoniam præmia æterna desiderant, aqua niuis hos diluit, quia cœlestis compunctio infundit. Nam cùm perennem patriam per lamenta appetunt, eiúsque accensi desideriis plangunt, à summis accipiunt vnde mundentur. Per manus autem quid aliud quàm opera designãtur? Vnde quibusdem per Prophetam dicitur: Manus vestræ sanguine plenę sunt, id est, opere crudelitatis. Notandum verò, quòd vir sanctus non ait: Fulserint mundissimæ manus meę, sed velut mundissimę manus meæ: quia quousque pœna corruptionis adstringimur, quamlibet rectis operibus insudemus, veram munditiam nequaquam apprehendimus, sed imitamur. Vnde & aptè subiungitur: *Tamen sordibus intinges me.*) Deus nos sordibus intingere dicitur, intinctos sordibus demonstrare: quia quantò ad illum verius per bona opera surgimus, tantò subtilius vitæ nostræ sordes agnoscimus, quibus ab eius munditia discordamus. Ait ergo: *Si lotus fuero, quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ, manus meæ, tamen sordibus intinges me.*) Ac si apertè dicat: Quamuis lamentis supernæ cõpunctionis infundar, quamuis per studia rectæ operationis exercear: in tua tamen munditia video quia mundus nõ sum. Intentam quippe Deo animam, ipsa adhuc corruptibilis caro diuerberat, eiúsque amoris pulchritudinem obscœnis & illicitis cogitationum motibus fœdat. Vnde & subditur. *Et abominabuntur me vestimenta mea.*) Quid enim vestimenti nomine, nisi hoc terrenum corpus exprimitur, quo induta anima tegitur, ne in subtilitatis suæ substantia nuda videatur? Hinc etenim Salomon ait: Omni tempore sint vestimenta tua candida, id est, membra corporis à sordidis actibus munda. Hinc Esaias ait: Vestimentum mixtum sanguine, erit in combustionem. Sanguine quippe vestimentum miscere, est desideriis carnalibus corpus inquinare. Quibus nimirum se pollui, Psalmista formidauerat, cùm dicebat: Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ. Hinc voce angeli ad Ioannem dicitur: Habes pauca nomina in Sardis, quæ non inquinauerũt vestimenta sua. More autem sacri eloquij, vestimenta nostra nos abominari referũtur, quia abominabiles reddũt: sicut per Petrum quoque de Iuda dicitur: Hic possidebit agrũ de mercede iniquitatis. Neque enim emptum precio sanguinis, agrum figuli Iudas possidere potuit, qui relatis triginta argenteis, traditionis crimen criminosiori in se protinus morte mulctauit: sed possedit dictum est, possidere fecit. Ita hoc loco: Abominabũtur me vestimẽta mea, dicitur: abominabilem facient, quia nimirum dum contra mentem membra superbiunt, dum sancti desiderij studia, tentationum suarum tumultibus interrumpunt, in ipso suo certamine posita anima agnoscit, quantum adhuc à diuinitate despicitur, quæ corruptionem suam plenè appetens transire, sed non valens fœdo puluere cogitationis inquinatur. Hanc vestimentorũ abominationem senserat, qui dicebat: Video aliam legẽ in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentẽ

Esaiæ.1.

29.

Eccles.9.

Esaiæ.9.

Psal.50.

Apoc.3.

Acto.1.

Rom.7.

Ibidem.

in lege peccati, quæ est in membris meis. Hæc etiam vestimenta in quibus perfectè placere non poterat, quandoque melius resumenda, deponere festinè cupiebat, dicens: Infœlix ergo homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Dicat ergo vir iustus: *Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea:*) quia quantumlibet ad summa, ex compunctione contemplationis ascenderit, quantumlibet in opere se per exercitium laboris accinxerit, indignum tamen adhuc aliquid de corpore mortis sentit, & abominabilem se esse cõsiderat in multis, quę de pondere corruptionis portat.

Quòd graue tormentum sit in cordibus electorum, quòd sensum sui reprehensoris non intelligunt.
Caput XX.

30. CVi hoc quoque fit grauius, quòd sæpe neque hoc intelligit, vnde delinquit. Flagella suscipit, sed districto iudici quid in se maius quídve minus displiceat, non agnoscit. Vnde & subditur: *Neque enim viro qui similis mei est respondebo: neque qui mecum in iudicio ex æquo possit audiri.*) Dum cum quolibet in iudicio ex æquo contendimus, & quid contra nos dicatur, agnoscimus: & in his quæ dicimus, audimur, & quo obiecta patenter apprehendimus, eo audenter ad proposita respondemus. Quia ergo inuisibilis iudex quæ facimus videt, quasi audit quæ dicimus: sed quia id quod ei displicet, nequaquam plenè cognoscimus, quasi quid ipse dicit ignoramus. Vir igitur sanctus vestimentorum suorum abominationem considerans, eò amplius timet, quò audiri in iudicio ex æquo non valet: quia quotiusque corruptionis suæ pondere premitur, hoc in sua grauius pœna tolerat, quòd & sensum sui reprehensoris ignorat. Ac si apertè dicat: In hoc ex æquo non audior, quia & patent cuncta quæ facio, & tamen ipse nescio per quanta reprehendor. Sequitur: *Non est qui vtrunque valeat arguere, & ponere manum suam in ambobus.*) Durum sonat, vt quæratur qui Deum arguat, sed durum non erit si recurrat ad memoriam, quòd ipse per alium Prophetam dicit: per Esaiam quippe admonet, dicens: Quiescite agere peruersè, discite benefacere, quærite iudiciũ, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduã: & venite & arguite me, dicit Dominus. Ei nanque, quem arguimus, rationis authoritate contrà imus. Et quid est quòd Dominus agere sancta nos admonens adiungit: Venite & arguite me: nisi quòd apertè insinuat, quantam bonis actibus fiduciam præstat? Ac si patenter dicat: Recta agite, & animaduersionis meæ motibus non iam per deprecationis gemitum, sed per fiduciam authoritatis obuiate. Hinc etenim Ioannes dicit: Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. Hinc est quod Moyses, quia placet seruiens, auditur tacens, cùm silenti dicitur: Quid clamas ad me? Hinc est quòd irascẽtem retinet, cùm audit: Dimitte me, vt irascatur furor meus contra populum istum. Hinc est quòd arguentem Dominus non habuisse se queritur, cùm per Prophetam dicit: Quæsiui virum qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me, ne dissiparem eam, & non inueni. Hinc est quòd grauiter Esaias deplorat, dicens: Omnes nos cecidimus quasi folium, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos: nõ est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat & teneat te. Sed possunt recti quilibet per acceptæ pœnitentiæ † meritum aliquando præsentis motibus animaduersionis obuiare: non autem valent virtute propria ab humano genere supplicia secuturæ mortis expellere. Vir igitur sanctus humanum genus consideret quò defluxit, æternæ mortis damna conspiciat, cui nimirum constat, quia nequaquam iustitia humana contradicat: videat quàm peruersè homo deliquerit, videat quã districtè conditor cõtra hominem irascatur, & mediatorem Dei & hominis, Deum & hominem requirat.

Esaiæ.1. *1.Ioan.3.* *Exod.14.* *Exod 32.* *Ezech. 22.* *Esaiæ.64.* *† al. innocentiæ.*

Quòd Christus ad nos Deo patri placandos nouus homo venerit, contradictor ad culpam, amicus ad pœnam.
Caput XXI.

31. QVem quia longè pòst venturum considerat, deplorans dicat: *Non est qui vtrunque valeat arguere, & ponere manum suam in ambobus.*) Redẽptor quippe humani generis, mediator Dei & hominis per carnem factus, quia iustus in hominibus solus apparuit, & tamen ad pœnam culpæ, etiam sine culpa peruenit, & hominem redarguit ne delinqueret, & Deo obstitit ne feriret: exempla innocentiæ præbuit, pœnã malitiæ suscepit. Patiendo ergo vtrunque arguit, quia & culpã hominis per iustitiam aspirando corripuit, & iram iudicis moriẽdo temperauit: atque in vtrisque manum posuit, quia & exempla hominibus quæ imitarentur præbuit, & Deo in se opera, quibus erga homines placaretur, ostẽdit. Nullus quippe ante hunc extitit, qui sic pro alienis erratibus intercederet, vt propria non haberet. Æternæ igitur morti tantò quis in aliis obuiare non poterat, quantò hunc reatus de propriis adstringebat. Venit itaque nouus homo ad homines, contradictor ad culpam, amicus ad pœnam: mira monstrauit, crudelia pertulit. Manum ergo suam in ambobus posuit, quia vnde reum recta docuit, inde iratum iudicem placauit. Qui hoc quoque ipsis suis miraculis mirabilius præbuit, quia corda delinquentium mansuetudine potius quàm terrore correxit. Vnde & subditur:

Quòd à timore legis in libertatem Euangelij antiqui sancti transire optabant. Et quid sit quòd Helisęus non per Giezi, sed per se ipsum Sunamitis filium suscitauit. *Caput XXII.*

A *Auferat à me virgam suam, & pauor eius non me terreat.*) Per legem quippe virgam Deus tenuerat, cùm dicebat: Si quis hæc vel illa fecerit, morte moriatur. Sed incarnatus virgam abstulit, quia vias vitæ per mansuetudinem ostendit. Vnde ei per Psalmistam dicitur: Intende prospere procede & regna: propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam. Timeri quippe quasi Deus noluit, sed quasi pater vt amaretur inspirauit. Quod liquidò Paulus dicit: Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, abba pater. Vnde hîc quoque aptè subiungitur: *Loquar, & non timebo eum: neque enim possum metuẽs respõdere.*) Vir etenim sanctꝰ, quia humani generis redemptorem venire mitẽ conspicit, non metũ ad Dominum: sed affectum ad patrem sumit, & timorem despicit, quia per adoptionis gratiam ad amorem surgit. Hinc Ioannes ait: Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Hinc Zacharias dicit: Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi. A peccati igitur morte timor nos suscitare non valuit, sed ad statum vitę aspirata mansuetudinis gratia erexit. Quod bene in Helisęo Sunamitis filium suscitante signatur: qui cum baculo puerum mittens, extincto filio vitam minimè reddit: per semetipsum verò veniens, sęque super mortuum sternens, atque ad eius membra se colligens, huc illucque deambulãs, & in ore mortui septies aspirans, hunc ad rediuiuam lucem, protinus per ministerium compassionis animauit. Author quippe humani generis Deus, quasi mortuum puerum doluit, cùm extinctos nos iniquitatis aculeo miseratus aspexit. Et quia per Moysen terrorem legis protulit, quasi per puerum virgam misit. Sed puer cum baculo mortuum suscitare non valuit, quia Paulo attestante: Nihil ad perfectum adduxit lex. Ipse autem per semetipsum veniens, & super cadauer se humiliter sternens, ad exæquanda sibi mortui membra se colligit: quia cùm in forma Dei esset, non rapinã arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Huc illucque deambulat: quia & Iudæã iuxtà & longè positas gẽtes vocat. Super mortuum septies † osciat: quia per apertionẽ diuini muneris, gratiæ septiformis spiritum in peccati morte iacentibus aspirat. Móxq; viuẽs erigitur: quia is quem terroris virga suscitare non potuit, per amoris spiritum puer ad vitam rediit. Dicat itaque beatus Iob ex sua, dicat ex voce humani generis: *Auferat à me virgam suam, & pauor eius non me terreat: loquar, & non timebo eum.*) Vbi & aptè subiungitur: *Neque enim possum metuens respondere.*) Respondere quippe cuilibet dicimur, cùm factis illius digna opera repensamus. Deo ergo respõdere, est donis eius pręcedẽtibus, nostra obsequia reddere. Vnde & psalmi quidam, in quibus sancta operatio imitanda proponitur, ad respondendum scripti prænotãtur. Rectum itaque Deus hominem cõdidit, eúmque ad peruersa defluentem,

Psalm. 44. 32. *Roma.8.* *1.Ioan.4.* *Lucæ.1.* *4. Regũ.4.* *Heb.7.* *Philip.2.* *† al. inspirat.*

fluentem, cum longanimitate tolerauit. Quotidie culpas aspicit, & tamen viuendi spatia non citius abscindit: dona largitur benignitate sua, & erga malos vtitur patientia sua. Respondere homo tot beneficiis debet, sed tamen respondere metuens, non valet: quia humani generis conditorem qui adhuc seruiliter formidat, proculdubio non amat. Nam tunc solum Deo vera obsequia reddimus, cùm eum propter amoris fiduciam non timemus, cùm nos ad bona opera affectus, non metus dirigit, cùm malum nostræ menti iam non placet, etiam si licet. Nam qui à peruersitatis opere ex timore restringitur, peruersa libenter ageret, si liceret. Nequaquam ergo veraciter rectus est, qui adhuc à prauitatis desiderio liber non est. Bene itaque dicitur. Neque enim possum metuens respondere: quia vera obsequia Deo non reddimus, si ex timore mandatis illius, & non potius ex amore seruimus. Sed cùm menti nostræ eius dulcedinis amor accenditur, omne desiderium præsentis vitæ leuigatur, in tædium delectatio vertitur, atq; hanc cum mœrore mens tolerat, cui victa prius reprobo amore seruiebat: Vnde & aptè subditur:

Beati Iob Caput decimum.

TAedet animam meam vitæ meæ, dimittã aduersum me eloquium meũ. Loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo: Noli me condemnare. Indica mihi, cur me ita iudices? Nunquid bonum tibi videtur si calumnieris me, & opprimas me, opus manuum tuarũ, & consilium impiorum adiuues? Nunquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, & tu videbis? Nunquid sicut dies hominis dies tui, & anni tui sicut humana sunt tempora, vt quæras iniquitatem meam, & peccatum meum scruteris? Et scias quia nihil impium fecerim, cùm sit nemo, qui de manu tua possit eruere. Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu: & sic repentè præcipitas me? Memento quæso, quòd sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Nónne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & neruis compegisti me. Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodiuit spiritum meum. Licet hæc cælesin corde tuo, tamen scio quia vniuersorum memineris. Si peccaui, & ad horã pepercisti mihi, cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris? Et si impius fuero, væ mihi est: & si iustus, non leuabo caput, saturatus afflictione & miseria. Et propter superbiam, quasi leænam capies me, reuersúsque mirabiliter me crucias. Instauras testes tuos contra me, & multiplicas iram tuam aduersum me, & pœnæ militant in me. Quare de vulua eduxisti me? qui vtinam consumptus essem, ne oculus me videret. Fuissem quasi non essem, de vtero translatus ad tumulum. Nunquid non paucitas dierum meorum finietur breui? Dimitte ergo me vt plangam paululum dolorem meum antequam vadam & non reuertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

Quòd sanctis præsens vita vilescit, cùm conditoris dulcedinem senserint: & quanto plus ei propinquant, tanto se amplius accusant. *Caput XXIII.*

TAedet animam meam vitæ meæ.) Sed cùm præsens vita vilesceret, cùm cõditoris amor dulcescere cœperit, sese contra se animus accendit, vt accusare se de culpis debeat, in quibus se ante supernorum nescius defendebat. Vnde adhuc recte subiungit: *Dimittam aduersum me eloquium meum.*) Quasi pro se eloquio suo vtitur, qui praua quæ gessit, defendere excusationibus conantur. Sed aduersum se eloquium dimittit, qui accusare in se hoc incipit, quod errauit. Sæpe verò & cùm delinquimus, ea quoque quæ agimus, diiudicamus. Accusat mens ipsa quod perpetrat, sed quia hoc ex desiderio minimè deserit, erubescit confiteri quod fecit. Cùm verò toto iam iudicio carnis delectationem premit, audaci voce in accusationis suæ confessione se erigit. Vnde rectè nunc dicitur: *Dimittam aduersum me eloquiũ meũ:*) Quia fortis mens relaxare cõtra se verba detestationis inchoat, quæ apud semetipsam prius infirmè verecundata retinebat. Sed sunt nonnulli qui apertis vocibus culpas fatentur, sed tamen in confessione gemere nesciunt, & lugenda gaudentes dicunt. Vnde & adhuc aptè subiungitur:

Quòd iram Dei amaritudo præsentis pœnitentiæ extinguat.
Caput XXIIII.

LOquar in amaritudine animæ meæ.) Qui culpas suas † detestans loquitur, restat vt has in amaritudine animæ loquatur: vt hæc ipsa amaritudo puniat, quicquid lingua per mentis iudicium accusat. Sciendum verò est, qvia ex pœna pœnitentiæ quam sibi mens irrogat, aliquatenus securitatem percipit, atque ad interrogationem superni iudicis fidentior exurgit, vt semetipsum subtilius inueniat, & erga se quæque quomodo disponantur, agnoscat. Vnde & protinus additur. *Dicam Deo, Noli me condemnare. Indica mihi, cur me ita iudices?*) Qui peccatorem se in amaritudine animæ asserit, quid Deo aliud quàm ne condẽnetur, dicit, quia amaritudo prę̃sentis pœnitẽtæ, extinguit supplicia sequentis iræ. Duobus autem modis in hac vita hominem Deus iudicat: quia aut per mala præsentia irrogare iam tormenta sequentia incipit, aut tormenta sequẽtia flagellis præsentibus extinguit. Nisi enim delictis exigentibus iustus iudex & nunc & postmodum quosdam percuteret, Iudas apostolus minimè dixisset: Secundò, eos qui non crediderunt, perdidit. Et de iniquis Psalmista non diceret: Induantur sicut diploide confusione sua. Diploidem quippe duplum vestimentum dicimus. Confusione ergo sicut diploide iuduti sunt, qui iuxta reatus sui meritum, & temporali & perpetua animaduersione feriuntur. Solos quippe pœna à supplicio liberat, quos immutat. Nam quos præsentia mala non corrigunt, ad sequentia perducunt. Si autem nequaquam quosdam pœna præsens à supplicio æterno defenderet, Paulus minimè dixisset: Cùm iudicamur à Domino, corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Hinc voce angelica ad Ioannem dicitur: Ego quos amo, redarguo & castigo. Hinc etiam scriptum est: Quem diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. Sæpe ergo mens iusti vt magis secura sit, altius trepidat: & cùm flagellis cingitur, superni iudicij incertitudine turbatur. Pauet ne initium sequentis damnationis sit omne quod patitur: & per cogitationem interrogat iudicem, qui de vitæ suæ meritis ambigit in percussione. Sed vitæ virtus cùm ad oculos mentis reducitur, quasi consolatio à iudice respondetur: quia nequaquam ad perdendum percutit, quem in actionis innocentia feriendo custodit. Bene itaque nunc dicatur: *Indica mihi, cur me ita iudices.*) Ac si apertè diceretur: Quia flagellando me iudicas, ostende quòd ad iudicium per flagella secutum reddas. Quod tamen intelligi & aliter potest. Nam plerunque vir iustus flagella ad probationem percipit, & vitam suam subtilissima inquisitione discutiens, quãtus se peccatorem & sentiat & fateatur: pro qua tamen specialiter culpa percutitur, minimè cognoscit. atque eò magis in percussione trepidat, quò causas suæ percussionis ignorat. Petit vt semetipsum sibi iudex indicet, quatenus quod ille animaduertendo percutit, hoc in se flendo & ipse castiget. Scit nanque quòd æquissimus iudex iniustè quenquam nostrum nullo modo affligit, & magno metu concutitur: quia & dolet in verbere, & deprehendere in se perfectè non valet, quod deploret. Vnde adhuc subditur:

† al. detestatur & loquitur. *Deus in hac vita iudicat duobus modis.* *Diplois.* *1.Cor.11.* *Apoc.3.* *Heb.12. 34.*

Quòd consilium diaboli totum sit in perditione generis humani.
Caput XXV.

NVnquid bonum tibi videtur si calumnieris, & opprimas pauperem, opus manuum tuarum, & consilium impiorum adiuues?) Hoc nimirum sic per interrogationem dicitur, vt negetur. Ac si apertè diceretur: Tu qui summe bonus es, noui quia bonum

non æstimas, vt pauperem per calumniam premas. Et scio ergo quia non est iniustum quod patior, & eò magis doleo, quò causas iustitiæ ignoro. Notandum verò quòd non ait, vt opprimas innocentem, sed pauperem. Qui enim districtione iudicis nequaquam innocẽtiam, sed paupertatem suam obiicit, non iam de vita audaciam arripit: sed quàm se infirmum conspiciat, ostendit. Vbi & congruè subiungit: *Opus manuum tuarum.*) Ac si apertè dicat: Impiè opprimere non potes, quem te fecisse gratuitò recordaris. Bene autem subditur: *Et consilium impiorum adiuues?*) Quos nanque hoc loco impios, nisi malignos spiritus vocat? Qui cùm redire ipsi ad vitam nequeãt, crudeliter socios ad mortem quærunt. Quorum nimirum consilium fuit, vt beatum Iob diuina correptio tangeret: vt qui in tranquillitate iustus extiterat, saltem per flagella peccaret. Sed impiorum consilium Dominus non adiuuit: quia eorum tentationibus carnem iusti prodidit, animam negauit. Hoc indefinenter contra bonos consilium maligni spiritus ineunt: vt hi quos seruire Deo innocuè in tranquillitate conspiciunt, vexati aduersitatibus, ad voraginem culpæ rapiantur. Sed eorum consilij acumen destruitur, quia pius conditor cum viribus flagella moderatur, ne virtutem pœna transeat, & per astutiam fortium, humana infirmitas excedat. Vnde & bene per Paulum dicitur: Fidelis autem Deus qui non patietur vos tentari suprà quàm potestis, sed faciet cum tentatione etiam prouentum, vt possitis sustinere. Nisi enim misericors Deus cum viribus tentamẽta modificet, nullus profectò est qui malignorum spirituum insidias non corruens portet: quia si mensuram iudex tẽtationibus non præbet, eo ipso protinus stantem deiicit, quo vltra vires onera imponit. Sic autem beatus Iob nequãdo requisiuit ista quæ protulit: sicut & requirendo negat ea quæ ilico subiungit, dicens:

1.Corint.10.

Quòd ante omne tempus, qui semper est, in præsentia sibi cuncta conspiciat.

Caput XXVI.

35 *NVnquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, & tu videbis? Nunquid sicut dies hominis, dies tui? & anni tui sicut humana sunt tempora, vt quæras iniquitatem meam, & peccatum meum scrutaris? Et scias quia nihil impium fecerim.*) Oculi carnei facta temporum non nisi in tempore agnoscunt: quia & ipsi ad videndum cum tempore prodeunt, cum tempore clauduntur, & humanus visus quodlibet opus sequitur, non præcurrit: quia vix existentia aspicit, & ventura nullo modo agnoscit.

Dies quoque & anni hominis à diebus & annis discrepant æternitatis: quia vitam nostram quæ tempore incipitur, tempore finitur, dum intra sinus sui latitudinem format, æternitas deuorat. Cuius nimirum immensitas quia vltrà citrâque super nos tenditur, sine inchoatione & termino eius æternum esse dilatatur: eique nec transacta prætereunt, nec adhuc ventura, quasi quæ non appareant, desunt: quia is qui semper esse habet, cuncta sibi præsentia conspicit, cúmque aspiciendo pòst & antè non tenditur, nulla intuitus mutatione variatur. Dicat ergo: *Nunquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, & tu videbis? Nunquid sicut dies hominis, dies tui, & anni tui sicut humana sunt tempora: vt quæras iniquitatem meam, & peccatum meum scrutaris? & scias quia nihil impium fecerim.*) Ac si humiliter requirens diceret: Cur me in tempore per flagella examinas, quem apud te perfectè & ante tempora scisti? Cur culpas meas verberibus interrogas, quem per æternitatis tuæ potentiam nec priusquam conderes, ignoras? Cuius nimirum potentiæ mox pondus exprimit, cùm subiungit: *Cùm sit nemo qui de manu tua possit eruere.*) Ac si apertè dicat: Quid tibi restat nisi parcere, cuius virtuti nullus valet obuiare? Quoniam nemo est qui animaduersionem tuam ex merito suę virtutis retineat, eo à se facilius tua pietas exigit, vt parcat. Quia autem nos in delictis concepti, in iniquitatibus editi, aut noxiè praua perpetramus, aut incautè etiam recta agendo delinquimus: districtus iudex vnde nobis fiat placabilis, non habemus. Sed cùm nostrum opus eius obtutibus dignum exhibere non possumus: restat vt ad placationem illius suum ei opus offeramus. Vnde & subditur:

Manichæorum error destruitur, & dignitas conditionis humanæ commendatur.

Caput XXVII.

E *MAnus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu, & sic repentè præcipitas me?* Ac si ei humiliter dicat: Quia sub iusto examine dignum non est tua placatione quo feci, pensa misericorditer ne pereat quod fecisti. Quibus etiam verbis peruersum Manichæi dogma destruitur, qui duo esse principia mentiens, à Deo spiritum, à satana verò carnem conditam asserere conatur. Sanctus etenim vir Prophetici spiritus gratia plenus, longè pòst ventura considerat, & errorum genimina præuidens calcat, dicens: *Manus tuæ & plasmauerunt me, & fecerunt me totum in circuitu.*) Qui enim & plasmatum se & factum totum in circuitu à Deo asserit, tenebrarum genti, nec in spiritu suo aliquid nec in carne derelinquit. Nam plasmatum se propter internam hominis imaginem retulit: factum verò totum iu circuitu, in eo quòd ex carnis constat indumento, memorauit. Notandum verò est: quia per hoc quòd se plasmatum Dei manibus asserit, misericordiæ iudicis, dignitatem suæ conditionis opponit. Quanuis enim per coæternum patri verbum cuncta creata sint: in ipsa tamen relatione creationis ostenditur, quantum cunctis animalibus, F quantum rebus vel cœlestibus, sed tamen insensibilibus homo præferatur. Cuncta quippe dixit & facta sunt. Cùm verò facere hominem decernit, hoc quod reuerenter pensandum est præmittit, dicens: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Neque enim de eo sicut de rebus cæteris scriptum est: Fiat, & factum est: neque vt aquæ volatilia, sic terra hominem protulit: sed priusquàm faceret, faciamus dicitur: vt videlicet quia rationalis natura condebatur, quasi cum consilio facta videretur. Quasi per studium de terra plasmatur, & inspiratione conditoris in virtute spiritus vitalis erigitur, vt scilicet non per iussionis vocem, sed per dignitatem operationis existeret, qui ad conditoris imaginem fiebat. Quod igitur per conditionem homo elegantius in terra creaturis cæteris accepit, hoc in flagello positus pietati sui opificis opponit, dicens: *Manus tuæ plasmauerunt me, & fecerunt me totum in circuitu, & sic repentè præcipitas me?*) Ac si apertè dicat: G Cur tanta vilitate despicis, quem cum tanta dignitate condidisti? Et quem ratione rebus cæteris præfers, cur ex dolore supponis? Sed tamen hæc eadem nostra dignitas fulget per imaginem, & longè distat à beatitudinis perfectione per carnem, quia dum spiritus miscetur puluери, quodammodo connectitur infirmitati. Quam scilicet infirmitatem beatus Iob pietati iudicis obiicit, cùm subiungit:

36

Gene.1.

Quòd homo ad veniam perueniat, cùm irremissibile sit peccatum diaboli.

Caput XXVIII.

MEmento quæso quòd sicut lutum fecerisme.) Aogelorum spiritus idcirco irremissibiliter peccauerunt: quia tantò robustius stare poterant, quantò eos carnis commixtio non tenebat. Homo verò idcirco post culpam veniam meruit, quia per carnale corpus aliquid quo semetipsò minor esset, accepit. Vnde & apud respectum iudicis argumentum pietatis est hæc eadem infirmitas carnis, sicut per Psalmistam dicitur: Ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum, H & non disperdet eos. Et multiplicauit vt auerteret iram suam ab eis, & non accendit omnem iram suam, & rememoratus est quia caro sunt. Vt lutum ergo homo factus est, quia de limo est ad conditionem sumptus. Lutum quippe fit, cùm se aqua terræ conspergit. Sicut lutum itaque homo est conditus: quia quasi aqua infundit puluerem, cùm anima rigat carnem. Quod sanctus vir benè pietati iudicis obiicit, cùm postulans dicit: *Memento quæso quòd sicut lutum feceris me.*) Ac si apertè dicat: Infirmitatem carnis considera, & reatum iniquitatis laxa. Vbi aptè quoque mors eiusdem carnis adiungitur, cùm protinus subinfertur: *Et in puluerem deduces me.*) Ac si patenter postulet, dicens: Memento quæso quòd per carnem à terra venio, & per eius interitum ad terram tendo. Materiam itaque originis, & pœnam finis aspice, & culpæ citius transeuntis parce.

Psalm.77.

Quomodo Deus hominem plasmat, plasmatum viuificat, viuificatum custodit.

Caput XXIX.

SEd quia qualitatem protulit hominis conditi, nunc subiungit ordinem propagati, dicens: *Nónne sicut lac mulsisti me, & sicut* 37

& sicut caseum me coagulasti? Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & neruis compegisti me.) Plasmatus quippe homo sicut lutum factus est, propagatus autem & sicut lac mulgetur semine, & sicut caseus coagulatur in carne. Carnib' & pelle induitur: ossibus neruísque solidatur. Per lutum ergo primæ conditionis qualitas, per lac verò, sequentis ordo conceptionis exprimitur, quia per coagulationis incrementa ducitur, vt paulisper in ossa roboretur. Sed angusta Dei laus est descriptio creati corporis, nisi etiam subsequenter exprimatur mira aspiratio viuificationis. Vnde & subditur: *Vitam & misericordiam tribuisti mihi.*) Sed incassum nobis bona conditor tribuit, si non omne quod tribuerit, ipse custodiat. Sequitur: *Et visitatio tua custodiuit spiritum meum.*) Hæc autem quæ de exteriori homine diximus, etiam interiori quemadmodum possint congruere, libet, vt breuiter replicando monstremus: *Memento quæso quòd sicut lutum feceris me.*) Sicut lutum quippe homo noster interior existit: quia sancti spiritus gratia terrenæ menti infunditur, vt ad intellectum sui conditoris erigatur. Humana nanque cogitatio quæ peccati sui sterilitate aruit, per vim B sancti spiritus quasi irrigata terra viridescit. Sed sæpe dum perceptis superni doni virtutibus sine interruptione vtimur: ad priuatam fiduciam, vsu continuę prosperitatis eleuamur: Vnde fit plerúque vt idem, qui subleuauerat, parũper spiritus deserat quatenus ipsum sibi hominẽ ostendat. Quod sanctus vir protinus exprimit, cùm subiungit: *Et in puluerem deduces me.*) Quia enim per subtractionem spiritus, mens aliquantulum in tentatione deseritur, quasi ab humore pristino terra siccatur: vt infirmitatem suam derelictus sentiat, & sine infusione supernæ gratiæ, quantum homo aruit, agnoscat. Qui, aptè quoque reduci ad puluerem dicitur: quia dimissus sibi cuiuslibet tentationis aura raptatur. Sed dum relicti concutimur, ea quæ afflati cognouimus, subtilius iam dona cogitamus. Vnde subiungit: *Nónne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti?*) Mens etenim nostra cùm per sancti spiritus gratiam ab vsu vetustę conuersationis abstrahitur, sicut lac mulgetur: quia in quadam nouæ * inchoationis teneritudine & subtilitate formatur, & sicut caseus coagulatur: quia in constipatione pinguescẽtis cogitationis astringitur, vt nequaquam iam per desideria diffluat, sed in vno amore se colligens, ad solidam reformationem surgat. Plerunque verò contra hæc eadem rudimenta spiritalia ex vsu veteri caro submurmurat, & mens bella tolerat ex homine quem foris portat. Vnde subiungit: *Pellibus & carne vestisti me.*) Pelle quippe & carnibus interior homo vestitur, quia in eo quòd ad superna erigitur, carnalium motuum obsidione vallatur. Sed tendentem ad iustitiam nequaquam in tentatione conditor deserit, quia per infusionem gratiæ etiam peccantem præuenit: sed subleuatam mentem & ad bella exterius laxat, & interius roborat. Vnde adhuc aptè subiungitur: *Ossibus & neruis compegisti me.*) Carnibus & pelle vestimur, sed ossibus neruísque compingimur: quia etsi tẽtatione foris irruente concutimur, intus tamen nos conditoris manus roborat, ne frangamur. Carnis itaque motibus nos humiliat ad dona, sed per ossa virtutum roborat contra tentamenta. Ait ergo: *Carne & pelle vestisti me, ossibus & neruis compegisti me.*) Ac si apertè dicat: Foris me ad probationem deseris, sed tamen intus ne peream, virtutibus astringendo custodis. Qui idcirco nobis benè viuedi rectitudinem tribuit, quia benignè præterita quæ deliquimus, parcit. Vnde & adhuc aptè subiungitur: *Vitam & misericordiam tribuisti mihi.*) Vita quippe tribuitur, cùm malignis mentibus benignitas aspiratur. Sed vita sine misericordia accipi nequaquam valet, quia ad obtinenda Dominus iustitię bona non adiuuat, si prius misericorditer anteactas nequitias non relaxat. Vel certè vitam nobis & misericordiam tribuit: quia ea qua nos misericordia, ad bene viuendum præuenit, etiam subsequẽte custodit. Nisi enim misericordiam subroget, seruari non valet vita quam præbet. Ipso quippe quotidie vsu humanæ vitæ veterascimus: & exterioris hominis impulsu, cogitatione lubrica ab interioribus eximus. Et nisi nos superna visitatio vel ad amorem compungendo viuificet, vel ad timorem flagellando restauret, repentino lapsu mens funditùs tota destruitur, quæ longo virtutis studio innouata videbatur. Vnde subditur: *Et visitatio tua custodiuit spiritum meum.*) Humanum quippe spiritum visitatio su-

* al.coagulationis.

38.

A perna custodit, cùm hũc virtutibus ditatum, vel flagello percutere, vel compungere amore non desinit. Nam si dona præstat, sed hunc continuè restaurando non subleuat, citius bonum perditur, quod non à largiente custoditur. Sed ecce vir sanctus dum se humiliter agnoscit, conferenda generaliter diuinæ misericordiæ secreta apprehendit: cúmque infirmitatem suam veraciter fatetur, repentè ad cognoscendam vocationem gentium sublimiter rapitur. Nam protinus subditur:

Quòd vocatio gentium, ab antiquo in Dei consilio absondita sit. Caput XXX.

LIcet hæc cæles in corde tuo, tamen scio quia vniuersorum memineris.) Ac si apertè dicat: Cur de me trepido, qui & vniuersas gentes quia colligas? scio. Quod tamen in corde cælas: quia hoc adhuc aperto sermone non indicas. Sed qui vniuersorum reminiscẽris, me proculdubio de venia certum facis. Sciendum verò est, quia in quibusdam factis & * certi de venia reddimur, & post perpetratas culpas ad absolutionis nostrę fiduciam correctione & pœnitẽntia subsequente roboramur, perpetratæ tamen nostræ nequitiæ adhuc memoria tangimur, & B cogitatione illicita auersi nolentésque pulsamur. Vnde & aptè subiungitur:

39.

* al.incerti.

Quòd peccata præterita etiam cùm per pœnitentiam abluta fuerint, importuna cogitatio recurrens nobis perducat ad mentem. Et quid sit quòd per Moysen homo nocturno pollutus somno, extra castra egredi iubetur, & non reuerti permittitur, nisi lotus aqua post solis occasum.

Caput XXXI.

SI peccaui, & ad horam pepercisti mihi, cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris?) Ad horam Dominus peccatori parcit, cùm reatum culpæ concessis protinus fletibus diluit. Sed ab iniquitate nostra mundos nos esse non patitur: quia volentes quidem culpam fecimus, sed nonnunquam nolentes eius memoriam cum delectatione toleramus. Sæpe nanque hoc quod à conspectu iam iudicis fletu interueniente deletum est, ad animum redit, & deuicta culpa ad delectationem rursus inserpere nititur, atque in antiquo certamine rediuiua C pulsatione reparatur: ita vt quod prius egit in corpore, hoc importuna cogitatione postmodum verset in mente. Quod cautè ille conspicere athleta spiritalis nouerat, qui dicebat: Computruerunt & deteriorauerunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ. Quid nanque cicatrices, nisi sanationes sunt vulnerum? Laxatas ergo nequitias ad delectationem memoriæ redire conspexerat, qui cicatrices deflebat. Cicatrices quippe computrescere, est sanata iam peccatorum vulnera, rursus in tentationem serpere, atque ex eorum suggestionibus post superductam cutem pœnitentiæ, fœtorem culpæ iterum, dolorémque sentire. Quia videlicet in re & nihil foris opere agitur, & sola intus cogitatione peccatur: districtóque se reatu mens obligat, nisi hoc sollicitis lamentis tergat. Vnde bene per Moysen dicitur: Si fuerit inter vos homo qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, & non reuertetur priusquam ad vesperum lauetur aqua, & post So- D lis occasum regredietur in castra. Nocturnum quippe est somnium tentatio occulta, per quam tenebrosa cogitatione turpe aliquid corde concipitur: quod tamen corporis opere non expletur. Sed somnio nocturno pollutus, egredi extra castra præcipitur: quia videlicet dignum est, vt qui immunda cogitatione polluitur, indignum se cunctorum fidelium societatibus arbitretur, culpæ suæ meritum ante oculos ponat, & ex bonorum se æstimatione despiciat. Pollutum ergo extra castra exire, est turpi impugnatione laborantem, sese ex continentium comparatione despicere. Qui ad vesperum lauatur aqua, cùm defectum suum conspiciens ad pœnitentiæ lamenta conuertitur, vt fletibus abluat omne quod in animo occulta inquinatio accusat. Sed post occasum Solis ad castra redeat: quia deferuescente tentationis ardore, necesse est, vt iterum fiduciam erga societatem bonorum sumat. Post aquæ quippe lauationem, occumbente Sole ad castra reuertitur, qui post lamenta pœnitentiæ, frigescente flamma cogitationis illicitæ, ad fidelium merita præsumenda reparatur: vt iam se à cæteris longè esse non æstimet, qui mundum se per obitum intimi ardoris gau-

Psal.37.

40.

Deut.23.

det. Sed inter hæc ſciendum eſt, quòd idcirco nonnunquam impulſu illicitæ cogitationis affligimur: quia in quibuſdã terrenæ conuerſationis actibus (quanuis licitis) libenter occupamur. Cúmque vel in minimis terrena actio per deſiderium tangitur: creſcente contra nos antiqui hoſtis fortitudine, mẽs noſtra non minima importunitate tentationis inquinatur: Vnde & ſacerdos legis, membra hoſtiæ per fruſta conciſa, caput atque ea quæ erga iecur ſunt, iubetur ignibus cremare: pedes verò atque inteſtina hoſtiæ, prius aqua diluere. Nos quippe ipſos ſacrificium Deo offerimus, cùm vitam noſtram cultui diuino dedicamus. Qui membra hoſtiæ per fruſta conciſa ſuper ignem ponimus, cùm vitæ noſtræ opera virtutibus diſtinguentes immolamus. Caput, atque ea quæ iuxta iecur continẽtur, incendimus, cùm in ſenſu noſtro quo omne corpus regitur, atque in occultis deſideriis flamma diuini amoris ardemus. Et tamen præcipitur, vt pedes atque inteſtina hoſtiæ lauentur. Pedibus enim terra tangitur, inteſtinis verò ſtercora geſtantur: quia plerunque iam ex deſiderio in æternitatem ſuccendimur: iam toto deuotionis ſenſu ad appetitum noſtræ mortificationis inhiamus, ſed quia adhuc terrenum præ infirmitate aliquid agimus, nonnulla etiam quæ iam ſubegimus, illicita in corde toleramus. Cúmque cogitationes noſtras immunda tentatio inquinat, quid aliud quàm inteſtina noſtræ hoſtiæ, ſtercus portant? Sed vt comburi debeant, lauentur: quia nimirum neceſſe eſt vt immundas cogitationes timoris fletus diluat, quas in acceptione ſacrificij ſupernus amor incendat. Et quicquid mens vel de inexperto certamine vel de conuerſationis priſtinæ memoria paritur, lauetur: vt tantò ſuauius in conſpectu ſui ſpectatoris ardeat, quantò cùm ei aſsiſtere cœperit, nil terrenum ſecum vel lubricum in ara ſuæ orationis imponit. Vir igitur ſanctus humanæ mẽtis damna conſpiciat, quòd plerunque ſe cõgitatione illicita inquinat: & poſtquam reatum operis iudex relaxat, & ſua plorans, noſtra quæ ploremus aperiat dicens: *Si peccaui, & ad horam peperciſti mihi, cur ab iniquitate mea mundum me eſſe non pateris?*) Ac ſi apertè dicat: Si culpam venia abſtulit, cur hanc & à memoria non deterſit?

Quòd viri ſancti in præſenti vita tentationum miſeria afficiuntur, impij verò non reluctantur, ſed quieſcunt in eis.
Caput XXXII.

41 SAepe autem ita mens in culpæ recordatione concutitur: vt ad perpetrationem illius longè grauius quàm prius, quando capta fuerat, vrgeatur: & deprehenſa trepidat, ſéque ipſam variis motibus impulſa perturbat: metuit quidem ne vincatur tentationibus, ſed reſiſtens, hoc ipſum quod longo labore certaminis affligitur, perhorreſcit. Vnde & aptè ſubiungitur. *Et ſi impius fuero, væ mihi eſt: & ſi iuſtus, non leuabo caput, ſaturatus afflictione & miſeria.*) Impius namque væ habet, iuſtus miſeriam: quia & æterna damnatio reprobum ſequitur, & electus quiſque doloribus tranſitoriæ aduerſitatis expiatur. Impius caput leuat, ſed elatus euadere væ quod ſequitur, non valet. Iuſtus labore ſui certaminis afflictus, caput leuare non ſinitur: ſed preſſus à perpetua afflictione liberatur. Iſte ſe in voluptatibus erigit: ſed ſuppliciis ſequentibus mergit. Iſte ſe in dolore deprimit, ſed tamen à pondere æternæ animaduerſionis abſcondit. Conſideret ergo vir ſanctus, quòd aut renitens homo vitiis, præſentis labore efficitur: aut ſuccumbens, perpetuæ afflictioni mancipatur, & dicat. *Et ſi impius fuero, væ mihi eſt: & ſi iuſtus, non leuabo caput, ſaturatus afflictione & miſeria.*) Ac ſi apertè deploret, dicens: Aut ſubſtratus carnis deſideriis, ſupplicio æterno ſubiicior, aut repugnans illicitis motibus, pœna præſenti crucior: quia à labore certaminis liber non ſum. Sed ſuperna diſpẽſatio idcirco nos tota ſibi intentione ſeruientes, carnis noſtræ permittit impugnationibus concuti, ne mens noſtra in ſuperbiam audeat præſumptione ſuę ſecuritatis eleuari, vt dum pulſata trepidat, in ſolo authoris adiutorio ſpei pedem robuſtius figat. Vnde & adhuc aptè ſubiungitur:

Quòd aliquando iuſti, ne de ſua iuſtitia intumeſcant, cadere permittuntur. *Caput XXXIII.*

ET *propter ſuperbiam, quaſi leænam capies me*) Leæna cùm eſcam catulis exquirit, inhianter in foueam captionis ruit. Sicut enim ex quibuſdam regionibus fertur, fit in eius itinere fouea, in quam pecus deponitur, vt illuc ſe eius appetitu proiicere leæna prouocetur: quæ anguſta ſimul & alta præparatur, vt in eam ruere ambiendo valeat, ſed hanc ſaliendo nullo modo euadat. Alia quoque fouea quæ priori cohæreat, effoditur: quæ tamen ei in qua pecus eſt, extremæ partis apertione coniungitur: in qua nimirum cauea ponitur, vt leæna corruens, quia deſuper terroribus vrgetur, cùm quaſi in ſecretiori parte foueæ occultare ſe appetit, caueam volens intret: cuius iam fœuitia nequaquam pertimeſcitur, quia clauſa in cauea leuatur. Quæ enim ſua ſponte in foueam corruit, ad ſuperiores partes circunſpecta vectibus redit. Sic ſic nimirum humana mens capta eſt, quæ in libertate arbitrij condita, dum nutrire deſideria carnis appetiuit: quaſi leæna catulis eſcam quæſiuit atque in deceptionis ſuæ foueam cecidit, quæ ſuadente antiquo hoſte, ad cibum prohibitum manum tetendit, ſed in fouea protinus caueam inuenit: quia ſponte ad mortem veniens, corruptionis ſuæ mox carcerem pertulit. Sed cùm multa agere conatur, & non valet, eiuſdem corruptionis ſuæ obſtaculis quaſi caueæ vectibus ligatur, atque ad auras liberas gratia interueniente reducitur. Iam quidem eam in quam ceciderat damnationis foueam euaſit: quia ſecuturę mortis ſupplicium, manu redemptoris adiuta, ad veniam redeundo ſuperauit. Sed tamen coarctata caueam tolerat: quia ſupernæ quoque diſciplinæ nexibus cingitur, ne per carnis deſideria vagetur. Quæ ergo ſponte ſua in foueam cecidit, ad auras liberas clauſa redit: quia & per libertatem arbitrij in culpam corruit, & tamen hanc à ſuis motibus, conditoris gratia coactam nolentémque conſtringit. Poſt foueam itaque caueam patitur, quæ erepta ex æterno ſupplicio, à prauæ voluntatis motibus, ſub cœleſtis artificis diſpenſatione religatur. Rectè igitur dicit: *Et propter ſuperbiam, quaſi leænam capies me:*) quia & liber homo per cibũ ſibi mortẽ intulit, & reductus ad veniã, ſub diſciplina melius clauſus viuit: Quaſi leæna ergo prõpter ſuperbiam captus eſt: quia inde nunc eum diſciplina ſuæ corruptionis deprimit, vnde tranſgreſsionem præcepti non timens, audacter in foueam ſaltum dedit. Sed ſi parumper obtutus mentis à culpa primi parentis auertimus, nos adhuc quotidie vt leænam capi per vitium elationis inuenimus. Sæpe nanque homo acceptis virtutibus in audaciam ſuæ præſumptionis erigitur: ſed mira diſpenſatione pietatis, ante eius oculos res quælibet in quam corruat, ordinatur. Dúmq; per culpam aliquid appetit, quid aliud quàm prædã in fouea concupiſcit? Sua ſponte inhiãs cadit, ſed ſuis ſurgere viribus non valet. Qui cùm ſe nihil ex ſe eſſe conſiderat, diſcit proculdubio cuius adiutorium requirat. Quem tamen ſuperna miſeratio captum quaſi à fouea euehit: quia hunc infirmitate cognita ad veniam reducit. Leænæ itaq; more, propter ſuperbiam ad ſuperiores partes in caueam remeat, qui cùm de virtute extollitur, lapſus ad deſideria in humilitate religatur. Quia enim prius propria præſumptione perierat, mira pietate agitur, vt infirmitatis ſuæ iam notitia clauſus viuat. Quod quia ſanctus viuat crebrò accidere hominibus cõſpicit, noſtri in ſe periculi vocem ſumit: vt cùm eius fletus agnoſcimus, quæ in nobis ſunt flenda, diſcamus. Sed cùm mentem noſtram elatio erigit, ſummi à nobis protinus compunctio amoris recedit: cùm verò ſuperna nos gratia viſitat, ſtatim per lachrymas ad ſua deſideria inſtigat. Vnde & aptè ſubiungitur:

Quòd ſancti viri cùm à Deo relinquuntur, ruinæ ſuæ diſpendia non ſentiunt: cùm verò viſitans reuertitur ad eos Deus, mirabili cruciatu compunctionis ſemetipſos, quales fuerant, diſcutiunt.
Caput XXXIIII.

R*Euerſúſque mirabiliter me crucias.*) Cùm ab authore relinquimus, nec ipſa vllatenus deſtitutionis noſtræ damna ſentimus. Quò enim longè nos conditor deſerit, eò mens noſtra inſenſibilius obdureſcit, nulla quæ Dei ſunt, diligit, nequaquam ſuperna concupiſcit: & quia amoris intimi calorem non habet, frigida deorſum iacet, ac miſerãdo modo fit quotidie tantò ſecurior, quantò peior: cùmque vnde ſit lapſa, non meminit, & ſupplicia ſecutura non metuit, quantum lugenda ſit, neſcit. At ſi afflatu ſancti ſpiritus tangitur, ad conſiderationem

tionem protinus ſuæ perditionis euigilat, in cœleſtium inquiſitione ſe excutit, amoris ſummi æſtibus inardeſcit, quæ ſe circumprimunt, damna conſiderat, & plorat proficiens, quæ prius læta torpebat. Bene ergo conditori dicitur: *Reuerſúſque mirabiliter me crucias.*) quia omnipotens Deus vnde mentem noſtram viſitans, ad amorem ſuum erigit, inde hanc per lachrymas grauius affligit. Ac ſi apertè dicat: Relinquendo me nequaquam afficis: quia inſenſibilem reddis: ſed cùm reuerteris, crucias: quia dum te inſinuas, mihi me, quàm ſim lugendus, demonſtras. Vnde nequaquam ſe pœnaliter, ſed mirabiliter aſſerit cruciari: quia dum per fletum mens ad ſumma rapitur, compunctionis ſuæ pœnam gaudens miratur: & libet
43. aſſici, quia afflictione ſua ſe conſpicit ad alta ſubleuari. Sæpe autem cùm nos à ſancti deſiderij exercitatione torpeſcere ſuperna pietas cernit, exempla ſe ſequentium noſtris obtutibus obiicit, vt mens per otium remiſſa, quo in aliis vigilantiam † profectus conſiderat, eo in ſe pigritudinem torporis erubeſcat. Vnde & rectè ſubiungitur:

† *al. proueſtus?*

Quòd electi contra nos teſtes Dei ſunt, vt qui negligimus præcepta, ex aduerſo confundamur per ſanctorum exempla.
Caput XXXV.

Teſtes Dei. INſtauras teſtes tuos contra me, & multiplicas iram tuam, & pœnæ militant in me.) Teſtes enim dei ſunt, qui per exercitium ſancti operis teſtantur quæ electos ſecutura ſint præmia veritatis. Vnde hos quoque quos pro veritate paſſos agnoſcimus, Græco eloquio martyres, id eſt, teſtes vocamus. Et per Ioannem voce angelica Dominus dicit: In diebus meis Antipas
Apoc 2. teſtis meus fidelis, qui occiſus eſt apud vos. Sed teſtes ſuos cõtra nos Dominus inſtaurat, cùm electorũ vitam prauitati noſtræ contrariam, ad arguendos nos inſtruendóſque multiplicat. Contra nos ergo teſtes illius inſtaurãtur: quia cuncta quæ agunt, ſtudiis noſtræ prauitatis aduerſa ſunt. Vnde & ſermo veritatis aduerſarius vocatur, cùm mediatoris voce per Euangelium dicitur: Eſto conſentiens aduerſario tuo citò dum es
Matth. 5. cum illo in via. Atque de hoc eodẽ redemptore reprobi perſequentes dicunt: Contrarius eſt operibus noſtris. Et paulò C poſt: Diſſimilis eſt aliis vita illius. Teſtes itaque ſuos contra nos Dominus inſtaurat: quia bona quæ facere ipſi negligimus, hæc ad correptionem noſtram fieri ab aliis demonſtrat: vt qui præceptis non accendimur, ſaltem exemplis excitemur, atque in appetitu rectitudinis nil ſibi mens noſtra difficile æſtimet, quod perfectè peragi ab aliis videt. Et fit plerunque vt cùm alienæ vitæ bona conſpicimus, noſtra ſollicitius damna timeamus: & eo pateſcat quantò pòſt pondere animaduerſionis * impetimur, quo nunc à bonorum moribus longè diſcrepamus. Vnde & teſtium inſtauratione memorata, protinus aptè ſubiungitur: *Et multiplicas iram tuam.*) Eo nobis multiplicari ira Dei dicitur, quo eſſe multiplex indicatur: quia ex ipſa nunc bonorum vita & labore cognoſcimus, ſi emendari dum tempus eſt, nolumus, quanta poſt animaduerſione feriamur. Electos quippe Dei cernimus & pia agere, & crudelia multa tolerare. Hinc ergo colligitur, diſtrictus iudex quanta illic feriat diſtrictione quos reprobat, ſi hîc ſic cruciat
1. Petri. 4. D quos amat, Petro atteſtante, qui ait: Tempus eſt vt iudiciũ incipiat de domo Dei: ſi autem primũ à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Euãgelio? Omnipotẽs igitur Deus cùm contra nos teſtes inſtaurat, iram multiplicat: quia quo bonorũ vitam noſtris oculis obiicit, eo prauitatis perpetratæ duritiam qua diſtrictione in iudicio percutiat, oſtendit. Nam cùm ſolis ſe ſequentibus dona exaggerat, torpentes iam quia reliquerit, demonſtrat. Cùm bona ergo in aliis cernimus, valde neceſſe eſt vt & exultationem noſtræ formidini, & formidinẽ noſtræ exultationi miſceamus: quatenus & de alienis profectibus charitas gaudeat, & de ſuis infirmitatibus conſcientia conſtricta contremiſcat. Sed cùm fraterno profectu reficimur, cùm diſtrictionem ſuper nos interni iudicis ex ipſo noſtro torpore penſamus, quid reſtat niſi vt ad diſcutiẽdum ſe animus redeat, & quicquid in ſe reprobum, quicquid prauum deprehendit, affligat? Vnde & aptè ſubiungitur: *Et pœnæ militant in me.*) Conſideratis quippe dei teſtibus, pœnæ in nobis militant: quia dũ miranda illorum facta conſpicimus, vitam noſtrã, quæ ex eorum nobis cõparatione diſplicet, ſtudioſa afflictione cruciamus, vt quicquid in nobis polluerunt opera, diluent lamenta:

* *al impedimur.*

A & ſi quid adhuc culpa delectationis inquinat, pœna mœroris tergat. Beatus igitur Iob: quia vitam patrum præcedentium conſpicit, quid in ſe gemere debeat, ſubtilius agnoſcit: Sed magni doloris magiſterio, dum ſua plangit, ad lamenta nos inſtruit: vt quo virtutes in aliis cernimus, eo apud diſtrictum iudicem noſtra ſollicitè delicta timeamus. Sequitur: *Quare de vulua eduxiſti me? Qui vtinam conſumptus eſſem, ne oculus me videret.*) Quod nimirum prima oratione iam protulit dicens: *Quare non in vulua mortuus ſum?* Qui hoc quoque quod hîc adiicit ſubdens: *Fuiſſem quaſi non eſſem, de vtero tranſlatus ad tumulum:*) illic verbis aliis non aliter adiũgit, dicens: Sicut abortiuum abſconditum non ſubſiſterem, vel qui concepti non viderunt lucem. Quia verò hæc ſuperius latè diġeſsimus, pro vitando lectoris faſtidio, expoſita replicare declinamus. Sequitur:

Quòd cùm peccatum animum pulſat, ſi breuitas delectationis aſpiciatur, non multum iuuat.
Caput XXXVI.

NVnquid non paucitas dierum meorum finietur breui?) Cautum 44.
B ſe ac ſollicitum viuere oſtendit, qui breuitatem præſentis vitæ conſiderans, non eius vſum, ſed terminum conſpicit: vt ex fine colligat, nihil eſſe quod tranſiens delectat. Hinc
Eccles. 11. nanque per Salomonem dicitur: Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis & multorum: qui ẽtùm venerint, vanitatis arguentur præterita. Hinc rurſum ſcriptum eſt: In omni-
Eccle. 7. bus operibus tuis memorare nouiſsima tua, & in æternum nõ peccabis. Igitur cùm culpa animum tentat, mens neceſſe eſt vt breuitatem ſuæ delectationis aſpiciat, ne ad viuacem mortem iniquitas rapiat, cùm conſtet quòd ad terminum citius morta-
† *vel. percurrat.* lis vita † præcurrat. Sed ſæpe oculus contemplationis noſtræ confunditur, dum dolor noſter flagellis crebreſcentibus aggrauatur. Libet præſentis vitæ exilium gemere, ſed præ ipſa afflictione mens non valet damna ſuæ cæcitatis æſtimare: vnde protinus ſubdit:

Quòd ſi peccatum, meui ex conſuetudine obligati ſumus, flendo dolere non poſſumus, niſi pietatis ſuperna reſpectu compungamur.
Caput XXXVII.

DImitte ergo me vt plangam paululum dolorem meum.) Sicut enim moderata afflictio lachrymas exprimit, ita immoderata ſubducit: quia mœror ipſe quaſi ſine mœrore fit, qui afflicti mentem deuorans, ſenſum doloris tollit. Vir igitur ſanctus feriri pluſquam ſufficit, pertimeſcit, dicens: *Dimitte ergo me, vt plangam paululum dolorem meum.*) Ac ſi apertè dicat: Flagella tuæ percuſsionis tempera: vt moderatis doloribus, æſtimare mala quæ patior, flendo conualeſcam. Quod tamen intelligi & aliter poteſt. Sæpe nanque peccator iniquitatis ſuæ vinculis ita conſtringitur, vt pondus quidem peccatorum toleret, ſed tamen quia tolerat, ignoret. Sæpe autem ſi cognoſcat, quanto reatu premitur, erumpere in lachrymis conatur, & nõ poteſt: vt hunc in ſe mente libera, & conuerſatione integra perſequatur. Flere ergo dolorẽ ſuũ non valet, qui & iniquitatis ſuæ reatum conſiderat: & tamen præ terrenæ occupationis pondere, hunc & gemere nequaquam vacat. Flere dolorem ſuum non valet, qui prauæ quidẽ conſuetudini contraire nititur: ſed tamẽ adhuc ſuccreſcentibus deſideriis carnis grauatur. Huius doloris præſentia Prophetæ mentem cruciauerat, cùm dicebat: Dolor meus cõtra me eſt ſemper, quoniam ini- *Pſal. 37.*
quitatem meam ego pronuntiabo, & cogitabo pro peccato meo. Sed ſolutis iniquitatis vinculis, dimiſſum ſe nouerat qui *Pſal. 115.*
exultabat, dicens: Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Tunc igitur ad plangendum dolorem nos Dominus dimittit, cùm & mala nobis quæ fecimus, demonſtrat: atque ad hæc eadem flenda quæ cognoſcimus, adiuuat. Culpas oculis obiicit, & pia manu gratiæ, vincula cordis ſoluit: vt ad vacationem pœnitentiæ mens noſtra ſe erigat, & carnis ſoluta compedibus, in authorem ſuum libera greſſum amoris tendat. Plerunque etenim vitam noſtram ipſi reprehen- 45.
dimus, ſed tamen libenter agimus hoc quod in nobis rectè reprobamus. Ad iuſtitiam ſpiritus nos erigit, ad conſuetudinem caro reſtringit. Amori ſuo mens renititur, ſed protinus delectata captiuatur. Bene itaque dicitur: *Dimitte ergo me, vt plangam paululum dolorem meum.*) Quia niſi à reatu culpæ

quo nos ligauimus, misericorditer dimittamur, perfectè flere non possumus hoc quod in nobisipsis contra nosmetipsos dolemus. Sed tunc veraciter reatus nostri dolor plangitur, cum tenebrosa illa inferni retributio intento timore præuidetur. Vnde aptè subiungitur:

Quòd pœnæ infernales nec transitoriæ sint, nec phantasticæ, sed solidæ & perpetuæ.

Caput XXXVIII.

ANtequam vadam & non reuertar ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine.) Quid enim tenebrosæ nomine, nisi tetra tartari clausura signantur? Quæ æternæ mortis caligo operit, quia damnatos quousque in perpetuum à vitæ luce disiungit. Nec immeritò infernus terra dicitur: quia quicunque ab eo capti fuerint, stabiliter tenentur. Scriptum quippe est: Generatio præterit, & generatio aduenit, terra verò in æternum stat. Rectè igitur inferni clausura, tenebrosa terra nominantur: quia quos puniendos accipiunt, nequaquam pœna transitoria, vel phantastica imaginatione cruciant: sed vltione solida perpetuæ damnationi seruant. Quæ aliquando tamen laci appellatione signantur: Propheta attestante, qui ait: Portauerunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum. Infernus ergo & terra nominatur, quia susceptos stabiliter tenet: & lacus dicitur, quia hos quos semel cœperit, semper fluctuantes & trepidos tormentis circunfluëtibus absorbet. Sanctus autem vir siue sua siue humani generis voce dimitti se postulat, antequam vadat, non quia ad terram tenebrosam qui culpam deflet iturus est: sed quia ad hanc procul dubio qui plangere negligit, vadit, sicut debitori suo creditor dicit: Solue debitum, priusquam pro debito constringaris, qui tamen non constringitur, si quod debet soluere, non moriatur. Vbi & rectè subditur: *Non reuertar.*) Quia nequaquam vltra misericordia parcentis liberat, quos semel in locis pœnalibus iustitia iudicantis damnat, Quæ adhuc subtilius loca describuntur, cùm dicitur: *Terram miseriæ & tenebrarum.*) Miseria ad dolorem pertinet, tenebræ ad cæcitatem. Ea ergo quæ à conspectu districti iudicis expulsos tenet, miseriæ & tenebrarum terra perhibetur: quia foris dolor cruciat, quos diuisos à vero lumine, intus cæcitas obscurat. Quanuis miseriæ & tenebrarum terra intelligi & aliter potest. Nam hæc quoque terra in qua nascimur, est quidem miseriæ, sed tenebrarum non est: quia multa hîc corruptionis nostræ mala patimur, sed tamen adhuc in ea per conuersionis gratiam ad lucem redimus: veritate suadente, quæ ait: Ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant. Illa verò simul miseri æ& tenebrarum terra est, quia quisquis ad tolerãda eius mala descenderit, nequaquã vlterius ad lucẽ redit. In cuius adhuc descriptione subiũgitur: *Vbi vmbra mortis, & nullus ordo.*) Sicut mors exterior ab anima diuidit carnẽ: ita mors interior à Deo separat animã. Vmbra ergo mortis est obscuritas diuisionis, quia dãnatus quisq; cũ æterno igne succẽditur, ab interno lumine tenebratur. Natura verò ignis est, vt ex seipso & lucem exhibeat & cõcrematione m. Sed trãsactorũ vltrix illa flamma vitiorũ, cõcrematione m habet, & lumen non habet. Hinc est enĩ quod reprobis veritas dicit: Discedite à me maledicti in ignẽ æternũ, qui paratus est diabolo & angelis eius. Quorum rursus omnium corpus in vnius persona significãs, dicit: Ligate ei manus & pedes, & mittite eum in tenebras exteriores. Si itaque ignis qui reprobos cruciat, lumen habere potuisset, is qui repellitur, nequaquam mitti in tenebras diceretur. Hinc etiam Psalmista ait: Super eos cecidit ignis, & non viderunt solem. Ignis enim super impios cadit, sed sol igne cadente non cernitur: quia quos illa gehennæ flamma deuorat, à visione veri luminis cæcat: vt foris eos dolor combustionis cruciet, & intus pœna cæcitatis obscuret: quatenus qui authori suo corde & corpore deliquerunt, simul corde & corpore puniantur, & vtrobique pœnas sentiant: qui dum hîc viuerent, prauis suis delectationibus ex vtroque seruiebant. Vnde bene per Prophetam dicitur. Descenderũt in infernum cum armis suis. Arma quippe peccantium sunt membra corporis, quibus peruersa desideria quæ concipiunt exequuntur. Vnde rectè per Paulum dicitur: Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. Cum armis ergo ad infernum descendere, est cum ipsis quoque membris quibus desideria voluptatis expleuerunt, æterni iudicij tormenta tolerare: vt tunc eos vndique dolor absorbeat, qui nunc suis delectationibus subditi, vndique contra iustitiam iustè indicantis pugnant.

Quomodo supplicia damnatorum ex iustitia iudicis ordinem habeant, in eis autem, qui ea patiuntur confusionem.

Caput XXXIX.

MIrum verò est valde quod dicitur: *Vbi nullus ordo.*) Neque enim omnipotens Deus qui mala bene punit, inordinata esse vllo modo vel tormenta permittit: quia ipsa quoque supplicia quæ ex lance iustitiæ prodeunt, inferri sine ordine nequaquam possunt. Quomodo nanque in suppliciis ordo non erit, dum damnatum quenq; iuxta modum criminis, retributio sequitur vltionis? Hinc quippe scriptum est: Potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior instat cruciatio. Hinc in Babylonis damnatione dicitur: Quantum exaltauit se, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Si igitur iuxta modum culpæ, pœna distinguitur: cõstat nimirum quòd in suppliciis ordo seruatur. Et nisi tormentorum summam, meritorum acta dirimerẽt, nequaquam iudex veniens dicturum se messoribus esse perhiberet: Colligite primùm zizania, & ligate ea in fasciculos ad comburendum. Si enim nullus in suppliciis ordo seruabitur, cur comburenda zizania in fasciculos ligantur? Sed nimirum fasciculos ad comburendum ligare est hos, qui æterno igni tradendi sunt, pares paribus sociare: vt quos similis culpa inquinat, par etiam pœna constringat: & qui nequaquam dispari iniquitate polluti sunt, nequaquam dispari tormento crucientur: quatenus simul damnatio cõterat, quos simul elatio subleuat, quosq; non dissimiliter dilatauit ambitio, non dissimilis angustet afflictio, & par cruciet flamma supplicij, quos in igne luxuriæ par succendit flamma peccati. Sicut enim in domo patris mansiones multæ sunt pro diuersitate virtutis, sic damnatos diuerso supplicio gehennæ ignibus subiicit disparilitas criminis. Quæ videlicet gehenna quanuis cunctis vna sit, non tamen cunctos vna eadémque qualitate succendit. Nam sicut vno Sole omnes tangimur, nec tamen sub eo vno ordine omnes æstuamus, quia iuxta qualitatem corporis sentitur etiam pondus caloris: sic damnatis & vna est gehenna quę afficit, & tamen non vna omnes qualitate comburit: quia quod hîc agit dispar valetudo corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorum. Quomodo ergo nullus inesse ordo suppliciis dicitur, in quibus profectò quisque iuxta modum culpæ cruciatur? Sed sanctus vir postquam vmbram mortis intulit, quanta sit confusio in damnatorum mente subiungit: quia ipsa quoque supplicia quæ ordinata per iustitiam veniunt, ordinata proculdubio in corde morientium non sunt. Vt enim paulò superius diximus, dum damnatus quisque foris flamma succenditur, intus cæcitatis igne deuoratur, atque in dolore positus, exterius interiúsq; confunditur, vt sua deterius confusione crucietur. Repulsis ergo ordo in supplicio non erit: quia in eorum morte atrocius ipsa cõfusio mẽtis sæuit. Quam tamen mira potentia iudicantis æquitas ordinat, vt pœna animam quasi inordinata confundat. Vel certè abesse ordo suppliciis dicitur: quia quibuslibet rebus in pœnam surgentibus, propria qualitas non seruatur. Vnde & protinus subinfertur: *Et sempiternus horror inhabitat.*) In huius vitæ tormentis timor dolorem habet, dolor timorem non habet: quia nequaquam mentem metus cruciat, cùm pati iam cœperit, quod metuebat. Infernum verò & vmbra mortis obscurat, & sempiternus horror inhabitat: quia eius ignibus traditi, & in suppliciis dolorem sentiunt, & in doloris angustia pulsante se semper pauore feriuntur: vt & quod timent tolerent, & rursum quod tolerant, sine cessatione pertimescant. De his etenim scriptum est: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Hîc flamma quæ succendit, illuminat, illic, vt superius verbis Psalmistæ docuimus, ignis qui cruciat, obscurat. Hîc metus amittitur, cùm tolerari iam cœperit quod timebatur: illic & dolor dilaniat, & pauor angustat. Horrendo igitur modo, erit tunc reprobis dolor cum formidine, flamma cum obscuritate. Sic sic videlicet à damnatis sentiri pondus summæ æquitatis debet: vt qui à voluntate conditoris nequaquam sunt veriti discrepare dum viuerẽt, in eorum quandoque

doque interitu ipsa à suis qualitatibus etiam tormenta discordent: quatenus quo se impugnant, cruciatus augeant, & cùm variè prodeũt, multipliciter sentiantur. Quæ tamen supplicia in se demersos & vltra vires cruciant, & in eis vitæ subsidium extinguentes seruant: vt sic vitam terminus puniat, quatenus semper sine termino cruciatus viuat, qui & ad finem per tormenta properat, & sine fine deficiens durat. Fit ergo miseris mors sine morte: finis sine fine: defectus sine defectu: quia & mors viuit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit. Quia igitur & mors perimit, & non extinguit: dolor cruciat, sed nullatenus pauorem fugat: flamma comburit, sed nequaquam tenebras discutit: quantum per notitiam præsentis vitæ colligitur, supplicia ordinem non habent, quæ non suam per omnia qualitatem tenent, quanuis illic ignis & ad consolationem non lucet, & tamen vt magis torqueat, ad aliquid lucet.

Nam sequaces quoque suos secum in tormento reprobi flamma illustrante visuri sunt, quorum amore deliquerunt: quatenus qui eorum vitam carnaliter contra præcepta conditoris amauerunt, ipsorum quoque eos interitus in augmentum suæ damnationis affligat. Quod profectò Euangelio attestante colligimus, in quo veritate nuntiãte, diues ille quem contigit ad æterni incendij tormenta descendere, quinque fratrum describitur meminisse, qui Abraham petiit, vt ad eorum eruditionem mitteret, ne illuc eos quandoque venientes par pœna cruciaret. Qui igitur ad doloris sui cumulum propinquorum absentium meminit: constat procul dubio quia eos, ad augmentum supplicij, paulò pòst potuit etiam præsentes videre. Quid autem mirum si secum quoque reprobos aspiciat cremari, qui ad doloris sui cumulum, eum quem despexerat, in sinu Abrahæ Lazarum vidit? Si ergo ei vt pœna crescerẽt, & vir electus apparuit: cur non credendum si quòd videre in supplicio eos etiam quos contra Deum dilexerat, possit? Qua ex re colligitur, quòd eos quos inordinatè nunc reprobi diligunt, miro iudicij ordine, secum tunc in tormentis videbunt: vt pœnam propriæ punitionis exaggeret illa authori præposita carnalis cognatio, pari ante oculos vltione damnata. Ignis itaque qui in obscuritate cruciat, credendum est, quia lumen ad tormentum seruat. Quod si approbare testimoniis in sua expresione non possumus: superest vt è diuerso doceamus. Tres quippe Hebrææ gentis pueri, per Chaldæi regis imperium succensis camini ignibus, ligatis manibus, pedibúsque proiecti sunt: quos tamen cùm idem rex in camini incendio miseratus exploraret, illæsis vestibus deambulantes vidit. Vbi apertè colligitur, quia mira dispositione conditoris, ignis qualitas in diuersa virtute temperata, & vestimenta non attigit, & vincula incendit, sanctisque viris & ad inferendum tormentum flamma friguit, & ad solutionis ministerium exarsit. Sicut ergo electis ignis ardere nouit ad solatium, & tamen ardere ad supplicium nescit: ita è diuerso gehennæ flamma reprobis & nequaquam lucet ad consolationis gratiam, & tamen lucet ad pœnam, vt damnatorum oculis ignis supplicij & nulla claritate candeat, & ad doloris cumulum, delecti qualiter crucientur, ostendat. Quid autem mirum si gehennæ ignem credimus habere supplicium simul obscuritatis & luminis, quando experimento nouimus, quia & tædarum flamma lucet obscura? Tũc edax flamma comburit, quos nunc carnalis delectatio polluit: tunc infinitè patens inferni baratrum deuorat, quos nunc inanis elatio exaltat, atque qui quolibet ex vitio hîc voluntatem callidi persuasoris expleuerunt: tunc cùm duce suo reprobi ad tormenta peruenient. Et quanuis angelorum atque hominum longè sit natura dissimilis, vna tamen pœna implicat, quos vnus in crimine reatus ligat. Quod bene ac breuiter insinuat Propheta qui ait: Ibi Assur & omnis multitudo eius, & in circuitu eius sepulchra illius. Quis nanque Assur superbi regis nomine, nisi ille per elationem cadens antiquus hostis exprimitur, qui pro eo quòd multos ad culpam pertrahit, cum cuncta sua multitudine ad inferni clausura descendit? Sepulchra autem mortuos tegunt. Et quis alius mortẽ acrius pertulit, quàm is qui conditorem suum despiciens, vitam reliquit? Quem videlicet mortuum cùm humana corda suscipiunt, eius proculdubio sepulchra fiũt. Sed in circuitu illius sepulchra eius sunt, quia in quorum se mentibus nunc per desideria sepelit, hos sibi postmodum per tormenta coniungit. Et quoniam nunc in semetipsis reprobi malignos spiritus illicita perpetrãdo suscipiunt, tunc sepulchra cum mortuis ardebunt.

Quòd nihil prodest quæ maneant peccatores tormenta cognoscere, nisi ad hoc demus operam, vt possimus euadere.

Caput XL.

ECce quæ maneat damnatos pœna cognouimus: & instruente nos sacro eloquio quantus in damnatione ignis, quanta in igne obscuritas, quãtúsque in obscuritate pauor sit nullatenus ambigimus. Sed quid prodest ista prænosse, si non contingat euadere? Tota ergo intentione curandum est, vt cùm vacationis tempus accipimus, bene viuendi studio, malorum vltricia tormenta fugiamus! Hinc quippe per Salomonem dicitur: Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erit apud inferos, quò tu properas. Hinc Esaias ait: Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum, dum prope est. Hinc Paulus dicit: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Hinc rursum ait: Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. Sed plerunque se ad vitam rectitudinis animus accingit, torporem † discutit: tantóque in cœlestibus desiderio rapitur, vt penè nil ex eo inferius remansisse videatur. Et tamen cùm ad carnis curam reducitur, sine qua præsentis vitæ via nullo modo expletur, ita hunc inferius depressum tenet, ac si adhuc de summis nulla contigisset. Auditis verbis cœlestis oraculi, in amorem patriæ cœlestis erigitur: sed resurgente præsentis vitæ studio, sub terrenæ curæ aggere sepelitur: atque in terra cordis nequaquam supernæ spei semen proficit, quia cogitationis infimæ spina densescit. Quam videlicet spinam per semetipsam veritas manu sanctæ exhortationis eradicat, dicens: Nolite solliciti esse in crastinum. Contra hanc quoque per Paulum dicitur: Carnis curam ne feceritis in concupiscentiis. Sed in his nimirum ducis ac militis verbis agnoscimus: quia tunc ab ea mortifero vulnere animus pungitur, cùm in ea † mensura æquitatis non tenetur. Neque enim adhuc mortali in carne viuentibus, funditùs cura carnis abscinditur: sed vt discretè animo seruiat, temperatur. Nam quia sollicitos nos esse veritas in crastinum prohibet, habere vtcunque curam in præsentibus non negat, quam tendi ad tempus quod sequitur, vetat. Et nimirum Paulus cùm carnis curam fieri in concupiscentia non sinit, proculdubio in necessitate concedit. Discretione ergo magni moderaminis carnis cura frenanda est, vt seruiat, & minimè principetur, ne quasi domina animum vincat: sed subacta mentis dominio, quasi ancilla famuletur: vt iussa assit, atque ad nutum cordis repulsa dissiliat: vt vix à tergo sanctæ cogitationis appareat, & nunquam contra faciem recta cogitantis obsistat: Quòd bene nobis historia sacræ lectionis innuitur, cùm Abraham tribus angelis occurrisse memoratur. Ipse quippe venientibus extra ostium occurrit, Sara verò post ostium stetit: quia videlicet vt vir ac dominus domus spiritalis, noster scilicet intellectus, debet in cognitione trinitatis, claustra carnis excedere, & quasi habitationis infimæ ianuã exire: cura autem carnis vt fœmina foris non appareat, & videri iactanter erubescat: vt quasi post tergum viri sit sub discretione spiritus, solis necessariis intenta, nequaquam sciat procaciter detegi, sed verecundè moderari. Cui tamen sæpe cùm dicitur vt de se minimè præsumat, sed totam se in diuinæ spei fiduciam transferat, despicit, & cessante studio adesse sibi vitæ subsidia posse diffidit. Vnde & hæc eadem Sara promissiones Dei audiens ridet, sed ridens corripitur, correpta autem protinus fœcundatur: & quæ in iuuentute vigens fœcundari non potuit, annis fracta senilibus, vtero marcescente concepit: quia cum cura carnis sui confidentiam habere desierit, contra spem ex diuina promissione accipit, quod habituram se ex humana ratione dubitauit. Vnde & bene Isaac, id est risus dicitur, qui generatur: quia cùm supernæ spei fiduciam concipit, quid mens nostra aliud quàm gaudium parit? Curandum itaque est ne aut necessitatis metas cura carnis transeat, aut in eo quod moderatè exequitur, de se præsumat. Sæpe verò animus fallitur, vt quòd voluptuosè appetit, necessarium suspicetur: quatenus omne quodlibet, vitæ debitam vtilitatem putet. Et sæpe quia effectus pro-

uidentiam ſequitur, in ſui fiduciam mens leuatur. Cúmque ſibi adeſſe quod deeſſe cæteris viderit, cogitatione tacita de magnitudine ſuæ prouiſionis hilareſcit: tantóque iam à vera prouiſione longè fit, quantò ipſam quoque elationem quam patitur, neſcit. Vnde ſolerti ſemper cuſtodiæ intentione penſandum eſt vel quid opere agimus, vel quid corde verſamus, ne aut mentem præpediens, foris ſe terrena cura multiplicet, aut ſaltem de eius moderamine intus ſe cogitatio exaltet, vt cùm diuina iudicia temporali circunſpectione metuimus, ſempiterni ſupplicia horroris euadamus.

Libri noni Moralium ſancti Gregorij finis.

B. GREGORII IN VNDECIMVM CAPVT textus beati Iob, Liber decimus.

Caput I.

QVOTIES in arenæ ſpectaculum fortis athleta deſcenderit, hi qui impares viribus exiſtunt, viciſsim ſe eius expugnationi ſubiiciunt: & vno victo cõtra hunc protinus alter erigitur: atque hoc ſubacto, alius ſurrogatur: vt luctantis vires quandoq; molliores inueniant, quas ipſa ſua crebreſcens victoria fatigat: quatenus cùm nouus quiſque congreditur, is qui vinci virium qualitate non valet, perſonarum ſaltem mutatione ſuperetur. Sic ſic in hoc hominum Angelorumq́ue ſpectaculo beatus Iob fortis athleta prodiit, quantúmq; contra mutationem aduerſantium valeat, continuatione indefenſi roboris oſtendit. Cui primus ſe Eliphas, ſecundus autem Baldath obiicit, atq; ad extremum ſe Sophar in eius expugnatione ſupponit: qui ad inferendos ictus totis ſe conatibus erigunt, ſed tamen ad feriendam altitudinem robuſti pectoris non pertingunt. Ipſa quippe eorum verba patenter inſinuant, quòd ictus in auras iactant: quia cùm ſanctum virum non rectè redarguunt, expreſſa in vacuum verba percutionis perdunt. Quód liquidò oſtenditur, cùm Sophar Naamathitis reſponſio à contumeliis inchoatur, qui ait:

Beati Iob caput vndecimum,

REſpondens autem Sophar Naamathites, dixit: Nunquid qui multa loquitur, non audiet, aut vir verboſus iuſtificabitur? Tibi ſoli tacebunt homines, & cùm cæteros irriſeris, à nullo confutaberis? Dixiſti enim: Purus eſt ſermo meus, & mundus ſum in conſpectu tuo. Atque vtinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia ſua tibi, vt oſtenderet tibi ſecreta ſapientiæ, & quòd multiplex eſſet lex eius: & intelligeres quòd multo minora exigaris ab eo, quàm meretur iniquitas tua. Forſitan veſtigia Dei comprehendes, & vſque ad perfectum omnipotentem reperies. Excelſior cœlo eſt, & quid facies? Profundior inferno, & vnde cognoſces? Longior terra menſura eius, & latior mari. Si ſubuerterit omnia, vel in vnum coarctauerit: quis contradicet ei, vel quis dicere ei poteſt, Cur ita facis? Ipſe enim nouit hominum vanitatem, & videns iniquitatem nónne conſiderat? Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquam pullum onagri ſe liberum natum putat. Tu autem firmaſti cor tuum, & expandiſti ad eum manus tuas. Si iniquitatem quæ eſt in manu tua abſtuleris à te, & non manſerit in tabernaculo tuo iniuſtitia: tunc leuare poteris faciem tuam abſque macula, & eris ſtabilis, & non timebis. Miſeriæ quoque obliuiſceris, & quaſi aquarum quæ præterierunt, non recordaberis: & quaſi meridianus fulgor conſurget tibi ad veſperam. Et cùm te conſumptum putaueris, orieris vt lucifer, & habebis fiduciam propoſita tibi ſpe, & defoſſus ſecurus dormies. Requieſces, & non erit qui te exterreat: & deprecabuntur faciem tuam plurimi. Oculi autem impiorum deficient, & effugium peribit ab eis, & ſpes illorum, abominatio animæ.

Quòd rectè dictis ſemper procaces ex aduerſo reſpondeant.

Caput II.

NVnquid qui multa loquitur, nónne & ipſe audiet? aut vir verboſus iuſtificabitur? Mos eſſe procacium ſolet, vt rectè dictis ſemper è diuerſo reſpondeant, ne ſi ad prolata conſentiant, inferiores eſſe videantur. Quibus iuſtorũ verba quamlibet pauca ſonuerint, multa ſunt, quia quo eorum vitia reſecant, auditum grauant. Vnde & ad crimen trahitur hoc quod recta prædicatione contra crimina profertur. Ipſum quippe qui ex veritate fortes ſententias dixerat, Sophar redarguens, verboſum vocat: quia cùm ab ore iuſtorum ſapientia culpas increpat, ſtultorum auribus ſuperfluitas loquacitatis ſonat. Praui nanque nil rectum niſi quod ipſi ſenſerint, putant: & iuſtorum verba eo otioſa æſtimant, quo ſuis hæc ſenſibus inueniunt diuerſa. Nec fallacem quidem Sophar ſententiam protulit, quòd vir verboſus iuſtificari nequaquam poſsit: quia dum quiſque per verba diffluit, perdita grauitate ſilentij, mentis cuſtodiam amittit. Hinc quippe ſcriptum eſt: Cultus iuſtitiæ, ſilentium. Hinc Salomon ait: Sicut vrbs patens & abſque murorum ambitu, ita vir qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum. Hinc rurſum dicit: In multiloquio peccatum non deerit. Hinc Pſalmiſta teſtatur dicens: Vir linguoſus non dirigetur ſuper terram. Sed virtus veræ ſcientiæ perditur, quæ ſub diſcretionis cuſtodia non profertur. Certum itaque eſt quòd verboſus iuſtificari vir nequeat. Sed bonum benè non dicitur: quia non intenditur cui dicatur. Vera quippe contra malos ſententia, ſi bonorum rectitudinem impedit, [vim] ſuam perdit, & eo retula diſſijit, quo illud eſt forte quod ferit.

Esaiæ.32. *Prouer. 25.* *Prouer. 10.* *Pſalm. 139.*

Quòd iuſti ex reprehenſione corrigantur, ſuperbi verò ad defenſionis ſuæ inſaniam erigantur.

Caput III.

QVia antem praui audire bona patienter nequeunt, & cùm vitæ emendationem negligunt, ad verba ſe reſponſionis accingunt, apertè Sophar inſinuat, qui ſubiungit: *Tibi ſoli tacebunt homines, & cùm cæteros irriſeris, à nullo confutaberis?*) Imperita mens, vt diximus, veritatis ſententias grauiter tolerat, & ſilentium pœnam putat: atque omne quod rectè dicitur, dedecus ſuæ irriſionis arbitratur, quia cùm vera vox, prauorum ſe auribus admouet, memoriam culpa mordet, & in redargutione vitiorum, quo intus cognitione mens tangitur, foris ad ſtudium contradictionis excitatur. Ferre vocem non valet: quia tacta in vulnere ſui reatus dolet, & per hoc quod generaliter contra peruerſos dicitur, ſe impeti ſpecialiter ſuſpicatur. Quod enim intus egiſſe ſe meminit, audire foris erubeſcit. Vnde mox ſe ad defenſionem præparat, vt reatus ſui verecundiam per verba prauæ refutationis tegat. Sicut enim rectè de quibuſdam quæ ab eis non rectè geſta ſunt, correptionis vocem, miniſterium charitatis æſtimant: ſic peruerſi contumeliam deriſionis putant. Illi ſe protinus ad obedientiam ſternunt, iſti ad inſaniam ſuæ defenſionis eriguntur. Illi correptionis adiutorium, vitæ ſuæ patrocinium deputant, per quod dum præſentis vitij culpa corripitur, venturi iudicis ira temperatur. Iſti cùm ſe impeti redargutione conſpiciunt, gladium percuſionis credunt: quia dum per correptionis vocem culpa detegitur, præſentis gloriæ opinio fœdatur. Hinc quippe in laudem iuſti per Salomonem dicit veritas: Doce iuſtum & feſtinabit accipere. Hinc prauorum contumaciam deſpicit dicens: Qui erudit deriſorem, ipſe ſibi facit iniuriam. Nam fit plerunque

Prouerb.9. *Ibidem.*

runque vt cùm correpta in ſe mala defendere nequeunt, ex verecundia peiores fiant, ac ſic in ſua defenſione ſuperbiant: vt quædam vitia contra vitam corripientis exquirant, & eo ſe criminoſos non æſtiment, ſi crimina & aliis imponant. Qui cùm vera inuenire nequeunt, fingunt: vt ipſi quoque habeant, quod non impari iuſtitia increpare videantur. Vnde & Sophar quia quaſi irrideri ſe per increpationem doluit, protinus mentiendo ſubiungit: *Dixiſti enim, purus eſt ſermo meus, & mundus ſum in conſpectu tuo.*) Qui beati Iob dictorum meminit, quàm falsò hoc voci illius impingatur, agnoſcit. Quomodo enim mundum ſe dicere potuit, qui ait: Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me? Sed habet hoc prauorum malitia: vt cùm vera in ſe flere mala renuit, fingat aliena. Nam quaſi ſolatio facinoris vtitur, ſi falſis vocibus, & vita corripientis inquietur. Sciendum verò eſt quòd plerunque peruerſi verbo tenus bona optant, vt mala eſſe quæ in præſentibus habentur, oſtendant: & quaſi fauentes proſpera expetunt, vt benigni videantur. Vnde & Sophar protinus ſubiicit, dicens: *Atque vtinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia ſua tibi.*) Ipſe quippe ſibi homo loquitur, cùm per hoc quod ſentit, nequaquam diuinitatis ſpiritu à carnalis prudentiæ intellectu ſeparatur, cùm caro ſenſum exerit, & mentem quaſi ad intelligentiam prouocans, foras mittit. Vnde & adhuc Petro terrena ſapienti veritas dicit: Non enim ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum. Cui tamen recta confitenti dicitur: Caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cœlis eſt. Quid autẽ Dei labia, niſi iudicia eius accipimus. Clauſis nanque labiis vox premitur, & ſenſus tacentis ignoratur: apertis autem, ſermo dum promitur, animus loquentis † innuitur: Labia itaque ſua Deus aperit, cùm voluntatem ſuam hominibus per aperta iudicia oſtendit. Quaſi enim reſerato ore loquitur, cùm remota obſcuritate diſpoſitionis intimæ renuit occultare, quod vult. Nã velut clauſis labiis ſenſum nobis ſuũ non indicat, cùm per occulta iudicia cur quid faciat, cælat. Sophar itaque beatũ Iob, vt de carnali intellectu redarguat, ſéque ipſum quantæ ſit benignitatis oſtendat, ea bona optat, quæ & cùm habentur, ignorat, dicẽs: *Atque vtinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia ſua tibi.*) Ac ſi patenter dicat: Imperitiæ tuæ potius quàm pœnæ compatior: quia ſola carnis prudentia prædituin, à veritatis te ſpiritu vacuum agnoſco. Si enim Dei iudicia occulta cognoſceres, tam procaces contra illum ſententias non ſonares. Et quia omnipotens Deus cùm ad conſideranda nos ſua iudicia ſubleuat, ignorantiæ noſtræ protinus cæcitatẽ fugat: quæ apertis eius labiis, ad nos eruditio prodeat: protinus adiungendo manifeſtat, dicens:

Matth. 16. & Mar. 8. *Matth. 16.* *† al. inuenitur.*

Quòd ſecreta ſapientiæ Dei nullus inquirendo valet inuenire, & quòd charitas Dei cum miſericordia eadem ſit: quia ad innumera opera mentem multiformiter accendit.

Caput IIII.

VT oſtenderet tibi ſecreta ſapientiæ, & quòd multiplex ſit lex eius.) Publica ſapientiæ ſupernæ ſunt opera, cùm omnipotens Deus regit quos creat, perficit bona quæ inchoat, & aſpirando adiuuat, quos viſitationis ſuæ lumine illuſtrat. Cunctis etenm liquet, quia quos gratis condidit, benignè diſponit. Et cùm ſpiritalia dona largitur, ipſe perficit quod ipſe ex munere ſuæ benignitatis inchoauit. Secreta verò ſapientiæ ſupernæ ſunt opera, cùm Deus quos creauit, deſerit: cùm bona quæ præueniendo cœperat, nequaquam proſequendo conſummat, cùm claritate nos ſuæ illuſtrationis illuminat: & tamen permiſsis carnis tentationibus tenebris cæcitatis pulſat, cùm dona quæ contulit, minimè cuſtodit, cùm & mentis noſtræ ad ſe deſideria excitat, & tamen occulto iudicio, difficultate nos noſtræ imbecillitatis anguſtat. Quæ nimirum ſecreta eius ſapientiæ pauci valent inquirere, ſed nullus inuenire: quia quod ſuper nos de nobis ab immortali ſapientia non iniuſtè diſponitur, iuſtum profectò eſt vt à nobis adhuc mortalibus ignoretur. Sed hæc ipſa ſapientiæ illius ſecreta conſpicere, vtcunque iam incomprehenſibilitatis eius eſt potentiam videre: quia etſi in ipſa conſiliorum eius inquiſitione deficimus, deficiendo tamen verius diſcimus quem timeamus. Ad hæc ſe Paulus ſapientiæ illius ſecreta tetenderat, cùm dicebat: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientię Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis cõſiliarius eius fuit? Qui ſuperius etiam ex ipſa inquiſitione laſſeſcens, ſed tamen ad cognitionẽ infirmitatis propriæ laſſeſcendo proficiens, præmittit dicens: O homo tu qui es, qui reſpondeas Deo? Nunquid dicet figmentum ei qui ſe finxit, quare me feciſti ſic? Qui igitur ad occulta Dei pertingere non valens, ad infirmitatis ſuæ cognitionẽ rediit, atque ad eruditionem ſe propriam deficiẽdo reuocauit, vt ita dicam, ſecreta ſapientiæ nõ inueniens inuenit: quia cùm ad ſuperna conſilia requirenda laſſeſceret, didicit vt humilius timeret: & quẽ ſua infirmitas à cognitione intima repulit, hũc ei verius humilitas iunxit. Sophar itaque & per ſcientiæ ſtudium peritus, & per audaciã tumidæ locutionis ignarus: quia ipſe grauitatem non habet, meliori optat, quod habet, dicens: *Atque vtinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia ſua tibi: vt oſtenderet tibi ſecreta ſapientiæ.*) Qui eam quoque qua ſe ſuper amicum pollere æſtimat, optando † ſapientiam oſtentat: cùm protinus ſubdit: *Et quòd multiplex ſit lex eius.*) Quid hoc loco Dei lex accipi, niſi charitas debet? per quã ſemper in mente leguntur præcepta vitæ, qualiter in actione teneantur. De hac etenim lege veritatis voce dicitur: Hoc eſt præceptum meũ, vt diligatis inuicem. De hac Paulus ait: Plenitudo legis eſt dilectio. De hac iterum dicit: Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Lex etenim Chriſti quid congruentius intelligi quàm charitas poteſt? Quam tũc verè perficimus, cùm fraterna onera ex amore toleramus. Sed hæc eadem lex multiplex dicitur: quia ſtudioſa ſollicitudine charitas ad cuncta virtutum facta dilatatur. Quæ à duobus quidẽ præceptis incipit, ſed ſe ad innumera extendit. Huius nanque legis initium, dilectio Dei eſt & proximi. Sed Dei dilectio per tria diſtinguitur: quia ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute diligi conditor iubetur. Qua in re notandum eſt quòd diuinus ſermo cùm Deum diligi præcipit, non ſolùm narrat ex quo, ſed etiã informat ex quanto, cùm ſubiungit, ex toto: vt videlicet qui perfectè Deo placere deſiderat, ſibi de ſe nihil relinquat. Proximi autem dilectio ad duo præcepta deriuatur, cùm & per quendam iuſtum dicitur. Quod ab alio tibi odis fieri, vide ne tu alteri facias. Et per ſemetipſã veritas dicit: Quę vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Quibus duobus ſcilicet vtriuſque teſtamenti mãdatis, per vnũ malitia cõpeſcitur, per aliud benignitas prærogatur: vt malũ quod pati non vult quiſque nõ faciens, ceſſet à nocẽdi opere, & rurſum bonũ quod ſibi fieri appetit, impendens, erga vtilitatem ſe proximi exerceat ex benignitate. Sed hæc nimirũ duo dũ ſollicita intẽtione cogitantur, cor ad innumera virtutum miniſteria tenditur, ne vel ad inferenda quæ non debet, deſideriis inquieta mẽs feruea t, vel ergã exhibẽda quæ debet, otio reſoluta torpeſcat. Nam cùm cauet alteri facere quod nequaquam vult ab altero ipſa tolerare, ſollicita ſe intẽtione circunſpicit, ne ſuperbia eleuet: & vſque ad deſpectum proximi, animũ deiiciens exaltet, ne ambitio cogitationẽ dilaniet: cúmq; hanc ad appetẽda aliena dilatat, anguſtet, ne cor luxuria polluat, & ſubiectũ deſideriis per illicita corrũpat: ne ira exaſperet, & vſque ad proferendã contumeliam inflãmet: ne inuidia mordeat, & alienis felicitatibus æmula, ſua ſe face conſumat: ne immoderatè linguã loquacitas pertrahat, eamq́; vſque ad laſciuiam obtrectationis extendat: ne odiũ malitia excitet, & os vſque ad iaculum maledictionis irritet. Rurſum cùm cogitat, vt ea alteri faciat, quæ ſibi ipſa fieri ab altero expectat, penſat nimirũ, vt malis bona, & bonis meliora reſpondeat: vt erga procaces manſuetudinem longanimitatis exhibeat: vt malitiæ peſte languentibus, gratiam benignitatis impendat: vt diſcordes pace vniat, & concordes ad concupiſcẽtiam verę pacis accingat: vt indigentibus neceſſaria tribuat: vt errantibus viã rectitudinis oſtendat: vt afflictos verbo & cõpaſsione mulceat: vt accẽſos in huius mundi deſideriis increpatione reſtringat: vt minas potẽtũ ratiocinatione mitiget: vt oppreſſorũ anguſtias quanta præualet ope leuet, vt foris reſiſtentibus opponat patientiam: vt intus ſuperbientibus exhibeat cum patientia diſciplinam: vt erga errata ſubditorum ſic mãſuetudo zelũ temperet, quatenus à iuſtitiæ ſtudio nõ eneruet: ſic ad vltionẽ zelus feruea t, ne tamen pietatis limitem fer-

† al. ſcientiam. *Ioan. 15.* *Roma. 13.* *Galat. 6.* *6.* *Thob. 4.* *Matth. 7.*

5. *Roma. 11.*

uendo transcendat: vt ingratos beneficiis ad amorem prouocet: vt gratos quoſque miniſteriis in amore ſeruet: vt proximorum mala cùm corrigere non valet, taceat: vtq́ue cùm corrigi loquendo poſſunt, ſilentium conſenſum eſſe pertimeſcat: vt ſic ea quæ tacet, toleret, nec tamen in animo virus doloris occultet: vt ſic maleuolis munus benignitatis exhibeat, ne tamen per gratiam à iure rectitudinis excedat: vt cuncta proximis quæ præualet impendat, ſed hæc impendẽdo non tumeat: vt ſic in bonis quæ exhibet, tumoris præcipitium paueat, ne tamẽ à boni exercitio torpeſcat: vt ſic quæ poſſidet, tribuat: quatenus quanta ſit largitas remunerantis, attendat, ne cùm terrena largitur, ſuam pluſquam neceſſe eſt inopiam pertimeſcat, & in oblatione muneris, hilaritatis lumen triſtitia obſcuret. Bene ergo lex Dei multiplex dicitur: quia nimirum cùm vna eadémque ſit charitas, ſi mentem plenè cœperit, hanc ad innumera opera multiformiter accendit. Cuius diuerſitatem breuiter exprimimus, ſi in electis ſingulis bona illius perſtringendo numeremus. Hæc nanque primum per Abel & electa Deo munera obtulit, & fratris gladium non reluctancto tolerauit. Hæc Enoch & inter homines ſpiritaliter viuere docuit, & ad ſublimem vitam ab hominibus etiam corporaliter abſtraxit. Hæc Noë deſpectis omnibus, ſolùm Deo placabilem oſtendit, atque in arcæ fabricam ſtudio longi laboris exercuit, & mundo ſuperſtitem pio opere exercendo ſeruauit. Hæc per Sem & Iaphet humiliter verenda patris erubuit, & ſuperiecto dorſis pallio quæ non videbat, abſcondit. Hæc Abrahæ dextram quia ad mortem filij obediendo extulit, hunc prolis innumeræ, gentium patrem fecit. Hæc Iſaac mentem quam ſemper ad munditiam tenuit, caligantibus ætate oculis, ad videnda longè pòſt ventura dilatauit. Hæc Iacob compulit, & amiſſum bonum filium medullitùs gemere, & prauorũ filiorum præſentiam ſub æquanimitate tolerare. Hæc Ioſeph docuit à fratribus venundatum, libertate animi infracta ſeruitium perpeti, & eiſdem pòſt fratribus mente nõ elata principari. Hęc Moyſen delinquente populo, & vſque ad petitionem mortis in precibus ſtrauit, & vſque ad interfectionem populi per zeli ſtudium erexit: vt & pro pereunte plebe ſeſe morti obiiceret, & contra peccantem protinus vice Domini iraſcentis ſęuiret. Hęc Phinees brachium in vltionem peccantium erexit: vt arrepto gladio coëuntes transfigeret, & iram Domini iratus placaret. Hæc Ioſue exploratorem docuit: vt & prius contra falſiloquos ciues veritatem verbo defenderet, & hãc poſtmodum gladio contra hoſtes allegaret. Hæc Samuẽl & in principatu humilem præbuit, & integrum in deiectione ſeruauit: qui cùm perſequẽtem ſe plebem diligeret, ipſe ſibi † teſtimonium extitit, quia culmen ex quo deiectus eſt, non amauit. Hæc Dauid ante iniquum regem & humilitate commouit ad fugam, & pietate repleuit ad veniã: qui perſecutorem ſuum, & timendo fugit vt dominum, & tamen cùm poteſtatem eum feriendi reperit, non agnouit inimicum. Hæc Nathan & contra peccantem regem in authoritatem liberæ increpationis ſuſtulit, & cùm regis culpa deeſſet, in petitione humiliter ſtrauit. Hæc per Eſaiam nuditatẽ carnis in prædicatione non erubuit, & ſubducto carnali velamine, ſuperna myſteria penetrauit. Hæc Heliã, quia feruoris zelo viuere ſpiritaliter docuit, ad vitam quoq; & corporaliter abſtraxit. Hæc Heliſæum, quia magiſtrum ſimpliciter diligere inſtituit, magiſtri ſpiritu dupliciter impleuit. Per hanc Hieremias ne in Aegyptum populus deſcenderet, reſtitit: ſed tamẽ & inobedientes diligens, quò deſcendi prohibuit, & ipſe deſcendit. Hæc Ezechielẽ, quia prius à terrenis deſideriis ſuſtulit, pòſt per cincinnũ capitis in aëre librauit. Hæc in Daniele, quia à regiis dapibus gulam compeſcuit, ei & eſurientiũ ora leonum clauſit. Hæc tribus pueris, quia in tranquillitate poſitis incẽdia vitiorum ſubdidit, tribulationis tempore, & flãmas in fornace tẽperauit. Hæc in Petro & minis terrentium principum fortiter reſtitit, & in circunciſione ſubmouenda, minorum verba humiliter audiuit. Hæc in Paulo & manus perſequentium humiliter pertulit, & tamen in circunciſionis negotio longè ſe imparis prioris ſenſum audenter increpauit. Multiplex ergo iſta lex Dei eſt, quæ ſingulis rerum articulis non permutata congruit, & cauſis ſe variantibus non variata coniungit. Cuius nimirum legis multiplicitatẽ bene Paulus enumerat dicẽs: Charitas patiens eſt, benigna eſt: non æmulatur, non inflatur, non agit perperam, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, nõ irritatur, nõ cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, cõgaudet autem veritati. Patiens quippe eſt charitas: quia illata mala æquanimiter tolerat. Benigna verò eſt: quia pro malis bona largiter miniſtrat. Non æmulatur: quia per hoc quòd in præſenti mundo nil appetit, inuidere terrenis ſucceſsibus neſcit. Non inflatur: quia cùm præmiũ internæ retributionis anxia deſiderat, de bonis ſe exterioribus non exaltat. Non agit perperã: quia quo ſe in ſolum Dei ac proximi amorem dilatat, quicquid à rectitudine diſcrepat, ignorat. Non eſt ambitioſa: quia quo ardenter intus ad ſua fatagit, foris nullatenus aliena cõcupiſcit. Nõ quærit quæ ſua ſunt: quia cuncta quæ hîc tranſitoriè poſſidet, velut aliena negligit: cùm nihil ſibi eſſe proprium, niſi quod ſecum permaneat, agnoſcit. Non irritatur: quia & iniurijs laceſſita, ad nullos ſe vltionis ſuæ motus excitat: cùm pro magnis laboribus maiora pòſt præmia expectat. Non cogitat malum: quia in amore munditiæ mentem ſolidans, dum omne odium radicitus eruit, verſare in animo quod inquinet, neſcit. Non gaudet ſuper iniquitate: quia quo ſola dilectione erga omnes inhiat, nec perditione aduerſantium exultat. Congaudet autem veritati: quia vt ſe cæteros diligẽs, per hoc quod rectum in aliis conſpicit, quaſi de augmento proprij profectus hilareſcit. Multiplex ergo iſta lex Dei eſt, quæ contra vniuſcuiuſque culpæ iaculum, quod perimendã mẽtem impetit, inſtructionis ſuæ munimine ſemper occurrit: vt quia antiquus hoſtis varia circunfuſione nos obſidet, ipſa hunc de nobis multipliciter expugnet. Quam nimirum legẽ ſi ſollicita cõſideratione penſamus, authori noſtro quantùm quotidie delinquamus, agnoſcimus. Si autem culpas perpendimus, profectò æquanimiter flagella toleramus: nec ex dolore charitas ad impatientiam proruit, cùm ſuo ſe iudicio cõſcientia addicit. Vnde Sophar quid diceret, ſciens: ſed cui diceret, neſciens: poſtquam præmiſit dicens: vt oſtenderet tibi ſecreta ſapientiæ, & quòd multiplex ſit lex eius: protinus adiungit:

Quòd ſæpe magnis doctoribus contingit, vt nimia charitate feruentes, modum correctionis excedant: & quid ſit quòd per Moyſen dicitur: Qui caſu ferro de manubrio lapſo nolens hominem occiderit, ad vnũ leuiticarum vrbium confugiat. Caput V.

ET intelligeres quòd multo minora exigaris à Deo, quàm meretur iniquitas tua.) Dolor quippe, vt diximus, flagelli temperatur, cùm culpa cognoſcitur: quia tantò quiſque patientius ferramentum medici tolerat, quantò putridum conſpicit eſſe quod ſecat. Qui igitur multiplicitatem legis intelligit, cuncta quæ patitur, quàm ſint minora perpendit: quia per hoc quòd culpæ pondus agnoſcitur, afflictionis pœna leuigatur. Sed inter hæc ſciendum eſt, quia ſine magna iniquitate non fuerit quòd Sophar virum iuſtum vſque ad obiectionem iniquitatis increpauit. Vnde & eorum audaciam veritas iuſtè redarguit, ſed benignè ad gratiam reducit: quia apud miſericordẽ iudicem nequaquam ſine venia culpa relinquitur, cùm per feruorem zeli ex eius amore peccatur. Sæpe nanque magnis hoc doctoribus mirandiſque contingit: vt quo alta charitate feruent, eo modum correptionis exaggerent, & lingua aliquid quòd non debet, dicat: quia mentem dilectio quantum debet, inflammat. Sed verbum prolatæ contumeliæ tanto citius parcitur, quãtò & ex qua radice prodeat, pẽſatur. Vnde & per Moyſen Dominus præcepit dicens: Si quis abierit cum amico ſuo ſimpliciter in ſyluam ad ligna cædenda, & lignum ſecuris fugerit manu, ferrúmque lapſum de manubrio amicum eius percuſſerit, & occiderit, hic ad vnam ſupradictarum vrbium fugiet, & viuet: ne fortè proximus eius cuius effuſus eſt ſanguis, doloris ſtimulo perſequatur, & apprehendat eum, & percutiat animam eius. Ad ſyluam quippe cum amico imus, quotiens cum quolibet proximo ad intuenda delicta noſtra conuertimur: & ſimpliciter ligna ſuccidimus, cùm delinquentium vitia pia intentione reſecamus. Sed ſecuris manu fugit, cùm ſeſe increpatio pluſquam neceſſe eſt in aſperitatem pertrahit. Ferrúmque de manubrio

8. 1.Cor.13.

Quomodo charitas eſt patiens & benigna.

7. *Virtus charitatis.* Gene.4. Gene.5. Gene.7. Geneſis.9. Gene.22. Gene.27. Gene.37. Gene.42. Exod.32. Nume.25.Ioſue.9. 1.Reg.3. † al. teſtimonio. 1.Reg.24. 2.Reg.12. Eſa.20. 4.Reg.2. Ibidem. Hiere.42. Ezech.8. Danie.14. Danie.3. Act.15.

9.

brio proſilit, cùm de correptione ſermo durior excedit: & amicum percutiens occidit, quia auditorem ſuum prolata cõtumelia à ſpiritu dilectionis interficit. Correpti nanque mẽs repentè ad odium proruit, ſi hanc immoderata † increpatione pluſquam debuit, addicit. Sed is qui incautè ligna percutit, & proximum extinguit, ad tres neceſſe eſt vrbes fugiat, vt in vna earum defenſus viuat: quia ſi ad pœnitentiæ lamenta conuerſus, in vnitate ſacramenti ſub ſpe, fide & charitate abſconditur, reus perpetrati homicidij nõ tenetur, eúmque extincti proximus, & cùm inuenerit nõ occidit: quia cùm diſtrictus iudex venerit, qui ſeſe nobis per naturę noſtrę cõſortiũ iunxit, ab eo proculdubio vindictam de culpæ reatu nõ expetit, quem ſub eius venia ſpes, fides & charitas abſcondit. Citius ergo culpa dimittitur, quæ nequaquam malitiæ ſtudio perpetratur. Vnde & Sophar iniquum vocat, quem ſuperna ſententia laudauerat, nec tamen à venia reprobatus excluditur, quia ad verba contumeliæ diuini amoris zelo permouetur. Qui pro eo quòd beati Iob merita non agnoſcit, ex imperita adhuc irriſione ſubiungit, dicens:

Quòd in quibuſdam donis ſuis, quaſi ex veſtigiis bonitatis conſpicimus deum. Caput VI.

FOrſitan veſtigia Dei comprehendes, & vſque ad perfectum omnipotentem reperies.) Quid Dei veſtigia, niſi benignitatem illius viſitationis vocat? Quibus nimirum progredi ad ſuperna prouocamur, cùm eius ſpiritus afflatu tangimur: & extra carnis anguſtias ſubleuati, per amorem agnoſcimus contemplandam authoris noſtri ſpeciem, quam ſequamur. Nam cùm mentem noſtram ſpiritalis patriæ amor inflammat, quaſi ſequẽtibus iter inſinuat, & † ſubiecto cordi velut quoddã veſtigium dei gradientis imprimitur: vt ab eo rectis cogitationum greſsibus via vitæ teneatur. Quem enim hoc dum cernimus, reſtat neceſſe eſt, vt per veſtigia ſui amoris indagemus: quatenus vſque ad contemplationis ſpeciem quandoque mens veniat, quã nunc quaſi à tergo ſubſequens, per ſancta deſideria explorat. Hæc Pſalmiſta authoris noſtri veſtigia bene ſequi nouerat, cùm dicebat: Adhæſit anima mea poſt te. Quem reperire quoque vſque ad viſionem ſuæ celſitudinis ſatãgebat, cùm dicebat: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Tunc quippe cognitione manifeſta omnipotens Deus reperitur, cùm mortalitatis noſtræ ſunditùs corruptione calcata, ab aſſumptis nobis in diuinitatis ſuæ claritate conſpicitur. Nunc autem à carnali cogitatione animum infuſione ſpiritus gratia ſubleuat, & in contemptum rerum tranſeuntium exaltat, totúmque mens quod appetebat in infimis, deſpicit: atque ad ſuperna deſideria igneſcit, & contemplationis ſuæ vi extra carnem tollitur, quæ corruptionis ſuæ pondere adhuc in carne retinetur. Incircunſcripti luminis iubar intueri conatur & non valet, quod infirmitate preſſus animus, & nequaquam penetrat, & tamen repulſus amat. Iam nanque de ſe conditor per quod ametur, oſtendit, ſed viſionis ſuæ ſpeciẽ amãtibus ſubtrahit. Sola ergo eius veſtigia conſpicientes gradimur, qui hunc per donorum ſuorum ſigna ſequimur, quem necdum videmus.

Quòd Deus in naturæ ſuæ altitudine, humanæ ſimul atque angelicæ ſubtilitati ſit inueſtigabilis Caput VII.

QVę nimirum veſtigia comprehendi nequeunt: quia vnde, vbi, quibúſve modis veniant eius ſpiritus dona, neſciuntur: veritate atteſtante, que ait, Spiritus vbi vult, ſpirat: & vocẽ eius audis, & neſcis vnde veniat, aut quò vadat. In retributionis autẽ culmine reperiri omnipotens per contemplationis ſpeciem poteſt, ſed tamen ad perfectum non poteſt: quia etſi hunc in claritate ſua quandoque conſpicimus, non tamen eius eſſentiam plenè contuemur. Angelica etenim, vel humana mens cùm ad incircunſcriptum lumen inhiat, eoipſo ſe quo eſt creatura, coanguſtat, & ſuper ſe quidem per † prouectum tendit, ſed tamen eius fulgorem comprehendere, nec dilatata ſufficit: qui & tranſcendẽdo & portãdo omnia, & implendo concludit. Vnde & adhuc ſubditur: *Excelſior cœlo eſt, & quid facies? Profundior inferno, & vnde cognoſces? Longior terra menſura eius, & latior mari.*) Quod Deus cœlo excelſior, inferno profundior, terra longior, marique latior eſſe deſcribitur: tãtò ſpiritaliter debet intelligi, quãtò de eo quicquam nefas eſt iuxta corporea lineamenta ſentire. Sed cœlo eſt excelſior, quia in circunſcriptione ſui ſpiritus cuncta tranſcendit. Inferno profundior, quia tranſcendendo ſubuehit. Terra longior, quia creaturæ modum perennitate ſuæ æternitatis excedit. Mari latior, quia rerum temporalium fluctus ſic regens poſsidet, vt hos ſub omnimoda potentiæ ſuæ præſentia coanguſtando circundet. Quanuis poſsint & cœli appellatione angeli, & inferni vocabulo dæmonia deſignari, per terram verò iuſti homines, per mare autem peccatores intelligi. Excelſior itaque eſt cœlo: quia ipſi quoque electi ſpiritus, viſionem tantæ celſitudinis perfectè non penetrant. Profundior inferno eſt, quia malignorum ſpirituum aſtutias longè ſubtilius quàm ipſi putauerant, iudicans damnat. Terra longior, quia longanimitatem noſtram patientia diuinæ longanimitatis exuperat, quæ nos & peccantes tolerat, & conuerſos ad præmia remunerationis expectat. Mari latior, quia vbique facta peccantium, retributionis ſuæ præſentia occupat, vt & cùm non præſens per ſpeciem cernitur, præſens per iudicium ſentiatur. Cuncta tamen ad ſolum referri hominem poſſunt, vt ipſe ſit cœlum: cùm iam per deſiderium ſummis inheret. Ipſe infernus: cum tentationum ſuarum caligine perturbatus in infimis iacet. Ipſe terra: quia in bono opere fixæ ſpei vbertate fructificat. Ipſe mare: quia in quibuſdã trepidus quatitur, & aura ſuæ mutabilitatis agitatur. Sed cœlo eſt excelſior Deus: quia potentiæ eius magnitudine vincimur, etiam cùm ſuper noſmetipſos eleuamur. Inferno profundior: quia nimirum plus indicat, quàm ipſe ſe humanus animus in tentationibus inueſtigat. Terra longior: quia fructus vitæ quos in fine retribuit, nequaquam nunc, vel ſpes noſtra comprehendit. Mari latior quia humana mens fluctuans, multa de his quæ ventura ſunt, coniicit: ſed cùm iam cernere quæ æſtimauerat, cœperit, anguſtam ſe fuiſſe in ſua æſtimatione cognoſcit.

Excelſior igitur cœlo ſit, cùm ipſa in eum noſtra contemplatio deficit. Vnde & Pſalmiſta cor in altum poſuerat: ſed nondum ſe eum contigiſſe ſentiebat, dicens: Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, nec potero ad eam. Inferno profundiorem nouerat, qui ſemetipſum diſcutiens, ſed eius ſubtiliora iudicia pertimeſcens, dicebat: Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum, qui autem iudicat me, Dominus eſt. Longiorem terra viderat, cùm minora ei eſſe humanæ mentis vota penſabat, dicens: Qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter quàm petimus, aut intelligimus. Latiorem mari conſpexerat, qui timendo penſabat: quia nequaquam mens humana immenſitatem diſtrictionis eius agnoſceret, quantumlibet inquirendo fluctuaret, dicẽs: Quis nouit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Cuius benè potentiam egregius nobis doctor inſinuat, cùm breuiter narrat: Vt poſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum. Habet quippe Deus latitudinem: quia dilectionem ſuam vſque ad collectionem perſequentium tendit. Habet longitudinem: quia ad vitæ patriam nos longanimiter tolerando perducit. Habet ſublimitatem: quia ipſorum quoque intelligentiam, qui recepti in ſupernam fuerint congregationem, tranſcendit. Habet profundum: quia damnatis inferius diſtrictionis ſuæ iudicium incomprehenſibiliter exerit. Quæ ſcilicet quatuor nobis in hac vita poſitis ſingulis exercet: quia & latitudinem amando, & longitudinem tolerando, & celſitudinem, non ſolùm noſtram intelligentiam, ſed etiam vota ſuperando, & profunditatem ſuam exhibet, occultos & illicitos cogitationum motus diſtrictè iudicando. Sed eius celſitudo & profunditas quàm ſit inueſtigabilis, nullus agnoſcit: niſi qui vel contemplatione ad ſumma prouehi, vel occultis motibus reſiſtens, tentationum cœperit importunitate turbari. Vnde & beato Iob dicitur: *Excelſior cœlo eſt, quid facies? Profundior inferno, & vnde cognoſces?*) Ac ſi apertè deſpecto diceretur. Profunditatem eius atque excellentiam quando tu cognoſcere ſufficis, qui vel virtute ad ſumma euehi, vel temetipſum reprehendere in tentationibus neſcis? Sequitur:

† al. increpatio.

† al. ſubſtrato.

Pſalm.62. Pſalm. 41.

† al. profectum.

10. Ioan.3.

11. Pſal.138. 1.Cor.4. Ephe.3. Pſal.89. Ephe.3. Homo eſt cœlũ, infernus, terra & mare.

Quòd cœlum, & infernus, & mare, & terra coarctantur in vnum, cùm vna eadémque mens, & deum per contemplationem intuetur: & ex carnis mole ad tentationum tenebras redit, & quasi à tertio cœlo elapsa, lege membrorum & stimulo carnis fluctuans agitatur.

Caput VIII.

SI *subuerterit omnia, vel in vnū coarctauerit, quis contradicet ei? vel quis dicere ei potest, cur ita facis?*) Subuertit Dominus cœlum
cùm terribili & occulta dispensatione, humanæ contempla-
tionis celsitudinem destruit. Subuertit infernum, cùm cuius-
libet mentem in suis tentationibus pauidam, cadere etiam ad
deteriora permittit. Subuertit terram, cùm fructificationem
boni operis aduersis irruentibus intercidit. Subuertit mare
cùm fluctuationem nostræ titubationis emergente subito
pauore confundit. Dubietate quippe sua cor anxium, hoc
ipsum quia titubat, valde formidat, & quasi mare subuerti-
12. tur, cùm ipsa in Deum nostra trepidatio, considerato eius iu-
dicij terrore, turbatur. Quia igitur, quomodo cœlum vel
infernus, terra vel mare subuertitur, breuiter diximus: nunc
aliquantulum laboriosius restat, vt hæc qualiter in vnum co-
arctari valeant, demonstremus. Sæpe nanque contingit, vt
ad summa iam mentem spiritus eleuet, sed tamen hanc im-
portunis caro tentationibus impugnet. Cúmque ad contem-
planda cœlestia animus ducitur, obiectis actionis illicitæ i-
maginibus reuerberatur. Nā carnis repētè hunc stimulus sau-
ciat, quē extra carnē contēplatio sancta rapiebat. Cœlū ergo
simul infernúsque coarctatur, cùm vnā eandémque mentem
& subleuatio contemplationis illuminat, & importunitas tē-
tationis obscurat: vt & videat intendendo quod appetat, &
succūbēdo in cogitatione, toleret quod erubescat. De cœlo
quippe lux oritur, infernus autē tenebris possidetur. In vnū
ergo cœlū infernúsque redigitur, cùm mens quæ iam lucem
patriȩ supernȩ considerat, etiam de carnis bello tenebras oc-
cultæ tentationis portat. Certè iam Paulus tertij cœli culmen
ascenderat, iam paradisi secreta cognouerat, & tamen adhuc
Roma.7. carnis bella tolerans gemebat, dicens: Video aliam legem in
membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum
me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Quid
ergo in huius tanti prædicatoris pectore, nisi cœlum, Deus,
infernúmque coarctauerat, qui & visionis intimæ iam lumen
acceperat, & tamen adhuc tenebras de carne tolerabat? Super
se viderat quod lætus appeteret, in se cernebat quod metu-
ens doleret. Iam cœlestis patriæ lux irradiauerat, sed adhuc
tentationis obscuritas animum confundebat. Cum cœlo er-
go infernum pertulit: quia & illuminatum securitas erexit, &
tentatum gemitus strauit. Et sæpe contingit vt fides in men-
te iam vigeat, sed tamen ex parte aliquantula in dubietate
contabescat: quatenus & certa se à visibilibus eleuet, & ex
quibusdam se incerta perturbet. Nam plerunque ad æterna
appetenda se erigit, & subortis cogitationum stimulis agita-
13. ta, sibimetipsi contradicit. In vnum ergo terra maréque
coarctatur, cùm vnam eandémque mētem, & certitudo soli-
dæ fidei roborat, & tamen ex aliquantula mutabilitate per-
fidiæ, aura dubietatis versat. An non in suo pectore coarcta-
ri terram maréque cognouerat, qui & per fidem sperans, &
per infidelitatem fluctuans, dicebat: Credo Domine, adiuua
Mar.9. incredulitatem meam? Quid itaque est, quòd & se credere
asserit, & adiuuari in se incredulitatem quærit, nisi quòd co-
arctari in suis cogitationibus terram cum mari deprehende-
rat, qui & exorare certus iam per fidem cœperat, & adhuc in-
certus vndas perfidiæ ex incredulitate tolerabat? Quod ta-
men occulta fieri dispensatione permittitur: vt cùm mens
iam surgere ad rectitudinem cœperit, prauitatis suæ reliquiis
impugnetur: quatenus hæc ipsa impugnatio, aut resistentem
exerceat, aut delectationibus seductam frangat. Rectè ita-
que nunc dicitur: *Si subuerterit omnia, vel in vnum coarctauerit:*
quis contradicet ei? vel quis dicere ei potest, cur ita facias?) quia nimi-
rum diuinum iudicium, nec aduersitate valet imminui, nec
inquisitione cognosci: cùm vel virtutes quas tribuerat, sub-
trahit: vel has omnino non adimens, vitiorum concuti impu-
gnatione permittit. Sæpe nanque in elationem cor attollitur,
cùm lætis successibus in virtute roboratur: sed dum latentes
motus audaciæ in cogitatione conditor conspicit, se sibi ho-
minem ostendendo derelinquit: vt eius mens derelicta quid
sit, inueniat: quæ malè in se secura gaudebat. Vnde cùm sub-
uerti omnia, vel in vnū coarctari diceret, protinus additur:

Quòd ex vitiis vitia nascuntur, & qui minima negligit, paulatim cadit.

Caput IX.

IPse *enim nouit hominum vanitatem, & videns iniquitatem nónne considerat?*) Ac si præmissa patefaciendo subiungeret, dicēs:
Quia tolerando succrescere vitia conspicit, iudicando dona
confundit. Rectus verò in † discretione ordo seruatur, cùm † *al. descriptione.*
prius nosci vanitas, & pòst considerari iniquitas perhibetur.
Omnis quippe iniquitas vanitas, non tamen omnis vanitas
esse iniquitas solet. Vana nanque agimus, quotiens transito- *Euanescere*
ria cogitamus. Vnde & euanescere dicitur, quòd repentè ab
intuentium oculis aufertur. Psalmista ait: Vniuersa vanitas *Psalm.38.*
omnis homo viuens: quoniam per hoc quòd viuendo ad in-
teritum tendit, rectè quidem vanitas dicitur, sed nequaquàm
rectè etiam iniquitas appellatur: quia etsi de pœna est culpæ
quod deficit, non tamen hoc ipsum culpa est, quòd à vita per
currit. Vana sunt itaque quæ transeunt. Vnde & per Salomo-
nem dicitur: Omnia vanitas. Aptè autē post vanitatem pro- *Eccle.1.*
tinus iniquitas subinfertur: quia dum per quædam transitoria
ducimur, in quibusdam noxiè ligamur: cúmque mens incom-
mutabilitatis statum non tenet, à semetipsa defluens, ad vitia
prorumpit. † Vanitas ergo ad iniquitatem labitur, quæ assue- † *al. A vanitate.*
ta rebus mutabilibus dum ex aliis ad alia semper impellitur,
suborientibus culpis inquinatur. Potest autem & vanitas 14.
culpa intelligi, & iniquitatis nomine, reatus grauior demon-
strari. Si enim aliquando vanitas culpa non esset, Psalmista nō *Psalm.38.*
diceret: Quanquam in imagine Dei ambulet homo, tamen
vanè conturbatur. Thesaurizat, & ignorat cui congreget ea:
quia quamuis Trinitatis imaginem in natura seruemus, vanis
tamen delectationis motibus perturbati, in conuersatione
nostra delinquimus, vt modis nos semper alternantibus cu-
pido concutiat, metus frangat, lætitia mulceat, dolor affligat.
Ex vanitate ergo, vt & superius dictum est, ad iniquitatem
ducimur, cum prius per leuia delicta defluimus, vt vsu cun-
cta leuigante, nequaquam pòst committere etiam grauiora
timeamus. Nam dum moderari lingua ociosa verba negligit,
more inolitæ remissionis capta, audax ad noxia prorumpit:
dum gulæ incumbitur, ad leuitatis protinus insaniam prodi-
tur: cúmque mens subigere delectationem carnis renuit, ple-
runque & ad perfidiæ voraginem ruit. Vnde bene Paulus ple-
bis Israëliticæ damna conspiciens, vt imminentia ab audito-
ribus mala compesceret, curauit ex ordine transacta narrare,
dicens: Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, *1.Cor.10.*
quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare & *Exod.32.*
bibere, & surrexerunt ludere. Esus quippe potúsque ad lu-
sum impulit, lusus ad idololatriam traxit: quia si vanitatis cul-
pa nequaquam cautè compescitur, ab iniquitate protinus
mens incauta deuoratur, Salomone attestante, qui ait: Qui *Eccle.19.*
modica spernit, paulatim decidit. Si enim curare parua negli- *Parua non*
gimus insensibiliter seducti, audenter etiam maiora perpe- *sunt negli-*
tramus. Et notandum quòd non videri, sed considerari ini- *genda.*
quitas dicitur: Studiosius quippe conspicimus, quæ conside-
ramus. Deus itaque hominum vanitatem nouit, iniquitatem
considerat: quia nec minora delicta inulta deserit, & ad ma-
iora ferienda sese intentius accingit. Quia igitur à leuioribus
malis incipitur, & ad grauiora peruenitur: vanitas mentē ob-
nubilat, iniquitas cæcat. Quæ nimirum mens amisso mox lu-
mine, tantò se altius per tumorem erigit, quantò & iniquita-
tis capta laqueis, à veritate longius recedit. Vnde & aptè
quoque quò vanitas cum iniquitate pertrahat, exprimit: cùm
repentè subiungit:

Quòd diuina miseratio, quasi domesticum animal loris aduersitatum electos plerumque ligat, ne per desideriorum syluam effrenum libertate discurat.

Caput X.

VIr *vanus in superbiam erigitur.*) Vanitatis quippe finis est, 15. *Vanitatis*
vt cùm peccato mentem sauciat, hanc ex culpa au- *finis.*
dacem reddat: quatenus sui reatus oblita, quæ amisisse se in-
nocentiam non dolet, iusto excæcata iudicio, simul & hu-
militatem

militatem perdat. Et fit plerunque vt prauis desideriis ser-
uiens, à iugo se diuini timoris excutiat, & quasi in malorum
perpetratione iam libera, omne quod voluptas suggerit, im-
plere contendat. Vnde cùm vir vanus se erigere in superbiā
dicitur, ilico subinfertur: *Et quasi pullum onagri se liberum na-*
tum putat.) Per pullum quippe onagri, omne agrestium genus
exprimitur, quod naturæ dimissum motibus, loris dominan-
tium non tenetur. Agri nanque animalia † libertatem ha-
bent, & ire quò appetunt, & quiescere cùm lassantur. Et
quanuis insensatis animalibus homo longè sit melior, hoc ta-
men plerunque homini non licet, quod brutis animalibus
licet. Quæ enim ad aliud minimè seruantur, eorum motus
proculdubio nequaquam sub disciplina restringitur. Homo
autem quia ad sequentem vitam ducitur, necesse profectò
est, vt in cunctis suis motibus, sub dispositione disciplinæ
religetur, & quasi domesticum animal loris vinctum seruiat,
atque æternis dispositionibus restrictum viuat. Qui ergo im-
plere cuncta quæ desiderat, per effrenatam libertatem quæ-
rit, quid aliud quàm pullo onari esse similis concupiscit: vt
disciplinæ hunc lora nō teneant, sed audenter vagus per syl-
uam desideriorum currat? Sæpe autem diuina miseratio quos
prodire in effrenationem illicitæ libertatis conspicit, obie-
ctione prosperæ aduersitatis frangit: quatenus elisi discant,
quàm reproba erectione tumuerant: vt iam flagelli experi-
mentis edomiti, quasi iumenta domestica præceptorum lo-
ris mentis colla subiiciant, & vitæ præsentis itinere ad nu-
Psalm.72. tum præsidentis pergant. Quibus bene loris ligatum se no-
uerat, qui dicebat: Vt iumentum factus sum apud te, & ego
semper tecum. Vnde & sæuus ille persecutor ab agro persi-
dæ voluptatis ad domum fidei deductus, rectoris sui calca-
Acto.9. ribus punctus audiebat: Durum est tibi contra stimulum cal-
citrare. Restat ego vt si esse iam similes pullo onagri nolu-
mus, in cunctis quæ appetimus, nutum prius intimæ dispen-
sationis exquiramus: vt mens nostra in omne quod nititur,
superni regiminis loro teneatur, & inde magis vota sua ad
vitam impleat, vnde vitæ suæ studia, & contra propriam vo-
luntatem calcat. Multa Sophar fortia protulit, sed quod me-
liori se hæc loquitur, nescit. Vnde adhuc increpando sub-
iungit: *Tu autem firmasti cor tuum, & expādisti ad eum manus tuas.*)
Firmari cor non hoc loco per virtutem dicitur, sed per in-
sensibilitatem. Omnis nanque animus qui districtionis in-
timæ cōsiderationi se subiicit, ex eius protinus timore mol-
lescit, eúmque sagitta diuinæ formidinis penetrat: quia in-
firma viscera per humilitatem gestat. Quisquis autem per-
tinacia insensibilitatis obdurescit, quasi cor firmat, ne hoc
iacula timoris superni confodiant. Vnde quibusdam per
Ezech.36. Prophetam Dominus misericorditer dicit: Tollam à vobis
cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. Cor quippe la-
pideum tollit, cùm à nobis superbiæ duritiam subtrahit: &
cor carneum tribuit, cùm eandem protinus nostrā duritiam
ad sensibilitatem vertit. Per manus verò, vt iam crebrò
docuimus, opera designantur. Cùm culpa igitur manus ad
Deum expandere, est contra largitoris gratiam de virtute
operum superbire. Qui enim in conspectu æterni iudicis
loquens sibi dona quæ facit, tribuit: ad Deum manus super-
biens tendit. Sic profectò contra electos reprobi, sic contra
catholicos hæretici semper effrenantur: vt cùm obiurgare
facta nequeunt, bonos reprehendere de factorum elatione
moliantur: quatenus eos quos redarguere ex infirmitate a-
ctionis non valent, ex crimine tumoris accusent. Vnde &
ea bona quæ exterius fiunt, nequaquam bona esse iam cen-
sent, quæ quasi per studium turgidæ cogitationis exhiben-
tur: qui semper humilitate tumentes increpant, & quod di-
ctis suis semetipsos feriunt, ignorant. Sed quia iustum virum
Sophar hactenus reprehendendo corripuit, nunc velut do-
cendo subiungit:

Quòd in oratione faciem absque timore leuamus, cùm tales nos post orationem exhibemus, quales per orationis tempus iudici apparere optamus. Et quòd contemplatiua vita stabilitatē perdidisse dicenda nō est, etiam si aliquando deficiat, cùm semper id quod amittit, inquirat.

Caput XI.

SI *iniquitatem quæ est in manu tua, abstuleris à te, & non manserit in* 16.
tabernaculo tuo iniustitia: tunc leuare poteris faciem tuam absque
macula, & eris stabilis, & non timebis.) Omne peccatum aut sola
cogitatione committitur aut cogitatione simul & opere per-
perpetratur. Iniquitas ergo in manu est, culpa in opere. Iniu-
stitia verò in tabernaculo, iniquitas in mēte. Mēs quippe no-
stra tabernaculum non incongruè vocatur, in qua apud nos-
metipsos abscondimur, cùm foris in opere non videmur. So-
phar itaque quia iusti viri amicus est, nouit quid dicat: sed
quia iustum increpat, hæreticorum tenens speciem, proferre
rectè etiam quæ nouit, ignorat. Sed nos calcantes hoc quod
ab eo tumidè dicitur, pensemus eius verba quàm vera sint si
rectè dicerentur. Prius enim à manu iniquitatem subtrahi, &
pòst à tabernaculo admonet iniustitiam abscindi: quia quis-
quis iam praua à se opera exterius resecat, necesse profectò
est, vt ad semetipsum rediens, solerter sese in mentis inten-
tione discernat, ne culpa quàm iam in actione non habet, ad-
huc in cogitatione perduret. Vnde bene etiam per Salo-
monem dicitur: Præpara foris opus tuum, & diligenter exer- *Prouer.24.*
ce agrum tuum: vt postea ædifices domum tuam. Quid nan-
que est præparato opere, agrum diligenter exterius exercere,
nisi euulsis iniquitatis sentibus, actionem nostram ad frugem
retributionis excolere? Et quid est post agri exercitium, ad
ædificium domus redire, nisi quòd plerunque ex bonis ope-
ribus discimus, quantam vitæ munditiam in cogitatione con-
struamus? Penè cuncta nanque bona opera ex cogitatione
prodeunt. Sed sunt nonnulla cogitationis acumina quæ ex o-
peratione nascuntur. Nam sicut ab animo opus sumitur, ita
rursus ab opere animus eruditur. Mens quippe diuini amoris
exordia capiens imperat bona quæ fiant. Sed postquam fieri
imperata cœperint, ipsis suis exercitata actionibus discit, cùm
imperare bona inchoauerat, quantum minus videbat. Foris
ergo ager excolitur, vt domus postmodum construatur: quia
plerunque ab exteriori opere † videmus, quantam subtilita- † *al. sumimus.*
tem rectitudinis in corde teneamus. Quem benè Sophar ser-
uare ordinem studuit, cùm prius auferri iniquitatem à mani-
bus, & pòst tabernaculo iniustitiam dixit: quia nequaquam
plenè animus in cogitatione erigitur, quando adhuc ab eo
extrinsecus in opere erratur. Quæ si perfectè duo hæc ter- 17.
gimus, ad Deum statim sine macula faciem leuamus. Interna
quippe facies hominis, mens est: in qua nimirum recognosci-
mur, vt ab authore nostro diligamur. Quam scilicet faciem
leuare, est in Deo animū per studium orationis attollere. Sed
eleuatam faciem macula inquinat, si intendentem mentem
reatus sui conscientia accusat: quia ab spei fiducia protinus
frangitur, si intenta precibus, necdùm deuictæ culpæ memo-
ria mordetur. Diffidit nanque accipere se posse quod appetit,
quæ profectò reminiscitur nolle se adhuc facere, quod diuini-
tùs audiuit. Hinc per Ioannem dicitur: Si cor nostrum non *1.Ioan.3.*
reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Deum, & quic-
quid petierimus, ab eo accipiemus. Hinc Salomon ait: Qui a- *Prouer.28.*
uertit aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabi-
lis. Cor quippe nos in petitione reprehendit, cùm resistere se
præceptis eius quem postulat, meminit, & oratio fit execra-
bilis, cùm à censura auertitur legis: quia dignum profectò est,
vt ab eius beneficiis sit quisque extraneus, cuius nimirum ius-
sionibus non vult esse subiectus. Qua in re hoc est salubre re-
medium, vt cùm se mens ex memoria culpæ reprehendit, hoc
prius in oratione defleat quod errauit: quatenus cùm erroris
macula fletibus tergitur, in petione sua cordis facies ab au-
thore munda videatur: Sed curandum nimis est, ne ad hoc
rursus proruat, quod se mundasse fletibus exultat, ne dum
deplorata iterum culpa committitur, in conspectu iusti iudi-
cis ipsa etiam lamenta leuigentur. Solerter quippe debemus
meminisse quod dicitur: Ne iteres verbum in oratione tua. *Eccle.7.*
Quo videlicet dicto vir sapiens nequaquam nos prohibet
sæpe veniam petere, sed culpas iterare. Ac si apertè dicat:
Cùm malè gesta defleueris, nequaquam rursus facias quod
in precibus iterum plangas. Vt ergo ad precem facies sine
macula leuetur, ante orationis semper tempora debet sollici-
tè conspici, quicquid potest in oratione reprobari, talém-
que se mens cùm ab oratione cessat, exhibere festinet: qua-
lis apparere iudici in ipso orationis tempore exoptat. Sæpe

nanque immunda quædam, vel illicita in animo versamus, quotiens à precibus vacamus. Sed cùm se mens ad studium orationis erexerit, earum rerum imagines reuerberata patitur, quibus libenter prius otiosa premebatur, & quasi iam faciem anima ad Deum leuare non sufficit: quia in se nimirum inquinata mente, maculas pollutæ cogitationis erubescit. Sæpe curis mundi libenter occupamur. Cúmque post hæc studio orationis intendimus, nequaquam se mens ad cœlestia erigit: quia pondus hanc terrenæ sollicitudinis in profundum mersit, & in prece facies munda non ostenditur, quia cogitationis infimæ luto maculatur. Nonnunquam verò corà cunctis excutimus, & ab illicitis motibus etiam cùm à prece vacat, † prohibemus: sed tamen quia nos culpas rarius committimus, aliena pigrius delicta relaxamus: & quò peccare nos ter animus sollicitius metuit, eò districtius hoc quod in se ab alio delinquitur, abhorrescit. Vnde fit vt eò inueniatur quisque tardus ad veniam, quò proficiendo factus est cautus ad culpam: & quo ipse excedere in alterum metuit, hoc quod in se exceditur, puniri durius exquirit. Sed quid in hac doloris macula reperiri deterius potest, quæ in conspectu iudicis charitatem non inquinat, sed necat? Vitam quippe animæ quælibet culpa polluit, seruatus verò contra proximum dolor occidit. Menti nanque vt gladius figitur, & mucrone illius ipsa viscerum occulta perforantur. Qui scilicet à transfixo corde si prius non educitur, nihil in precibus diuinæ opis obtinetur: quia & vulneratis membris imponi salutis medicamina nequeunt, nisi ferrum à vulnere antè subtrahatur. Hinc est enim quòd per semetipsam veritas dicit: Nisi remiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester qui in cœlis est, remittet vobis peccata vestra. Hinc admonet dicens: Cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersum alterum. Hinc rursum ait: Date, & dabitur vobis: dimittite, & dimittetur vobis. Hinc contra institutionem postulationis, conditionem posuit pietatis, dicens: Dimitte nobis debita nostra, sicut & non dimittimus debitoribus nostris: vt profectò bonum quòd à Deo compuncti petimus: hoc primùm cùm proximo conuersi faciamus. Tunc igitur verè sine macula faciem leuamus, cùm nec nos prohibita mala committimus, nec ea quæ † in nos [à proximis] commissa sunt, ex proprio zelo retinemus. Graui nanque mens nostra orationis suæ tempore confusione deprimitur, si hanc aut sua adhuc operatio inquinat, aut alienæ malitiæ seruatus dolor accusat. Quæ duo quisque dum terserit, ad ea quæ subnexa sunt, protinus liber exurgit. *Et eris stabilis, & non timebis.*) Quia nimirum tantò minus iudicem trepidat, quantò in bonis actibus solidius stat. Timorem quippe superat, qui stabilitatem seruat: quia dum sollicitus studet peragere quod mansuetè conditor imperat, securus etiam cogitat, quod terribiliter intentat. Sciendũ præterea est quòd nonnulla bona sunt ad quæ indefessi persistimus: & rursum nonnulla sunt à quibus continuè deficientes labimur, atq; ad hæc magnis conatibus per interualla temporum reformamur. In actiua etenim uita sine defectu mens figitur: à contemplatiua autem infirmitatis suæ pondere victa lassatur. Illa quippe tantò firmius durat, quantò ad vicina se erga vtilitatem proximi dilatat: hæc tantò celerius labitur, quàtò & carnis claustra transgrediens, super semetipsam ire conatur. Illa per plana se dirigit, & idcirco pedẽ operis robustius figit. Hęc autem quò super se alta appetit, ad se eò citius fessa descendit. Quod bene ac breuiter Ezechiel insinuat, cùm eorũ quæ viderat motus animalium narrat, dicens: Non reuertebantur cùm incederent. Ac paulò pòst subiicit adiungens: Et animalia ibant & reuertebãtur. Sãcta quippe animalia aliquãdo vadunt, & minimè redeunt: aliquando vadunt, & protinus reuertuntur: quia electorũ mentes cùm per collatã sibi actiuæ vitæ gratiã, erroris vias deserunt, redire ad mala mundi nesciũt, quę relinquerunt, cùm verò per contẽplationis aciem, ab hac se eadẽ actiua vita suspẽdunt, eunt & redeũt: quia per hoc quòd diu persistere minimè in contẽplatione sufficiunt, sese iterum ad operationẽ fundũt: vt in his quæ sibi iuxta † sunt, se exercẽdo refoueant, & super se rursum surgere cõtemplando cõualescant. Sed dum hæc eadem cõtemplatio more debito per temporum interualla repetitur, indeficiẽter proculdubio, & in eius soliditate persistitur: quia etsi infirmitatis suæ pondere superata mens deficit: hanc tamen iterum continuis conatibus reparata comprehendit. Nec stabilitatem suam in ea perdidisse dicenda est, à qua & si semper deficit, hanc & cùm perdiderit, semper inquirit: Sequitur:

18. † al. obuiamus.

Matth. 6. Ibidem. Luc. 6. Matth. 6. † vel. in nobis. 19. Ezech. 1. † ad. subiecta.

Quòd post tentationes huius sæculi in quibus consumpti videntur electi, quasi sol repente à tenebris erumpant.

Caput XII.

MIseriæ quoque obliuisceris, & quasi aquarum quæ præterierunt, non recordaberis.) Mala vitæ præsentis tantò durius animus sentit, quantò pensare bonum quod sequitur, negligit: † & quia nõ vult præmia cõsiderare, quæ restant, grauia æstimat esse quę tolerat. Vnde & contra flagelli ictum, cogitatio cæca cõqueritur, & quasi infinita calamitas creditur, quę diebus cursu labentibus quotidie finitur. At si semel quisque ad æterna se erigat, atque in his quę incõmutabiliter permanẽt, oculum cordis figat, propè nihil esse hoc conspicit, quicquid ad finem currit. Præsentis vitæ aduersa tolerat: sed quasi nihil esse omne quod labitur, pensat. Quò enim se internis gaudiis robustius inserit, eò minus exterius dolores sentit. Vnde Sophar nequaquam veritus ausu temerario docere meliorem, exhortatur ad iustitiam, & demonstrat quàm nulla iusti oculis videatur pœna. Ac si apertè dicat: Si degustas gaudium quod intus permanet, leue fit protinus omne quod foris dolet. Bene autem præsentis vitæ miseriasaquis prætereuntibus comparat, quia calamitas transiens, electi mentẽ nequaquam vi concussionis † obruit: sed tantùm tactu mœroris infundit. Nam madet quidem per cruorem vulneris, sed à suæ certitudine non frangitur salutis. Sæpe autẽ non solùm flagella atterunt, sed in vniuscuiusque iusti animo malignorum quoque spirituum tentamenta grassantur, vt exterius ex percussione doleat, & intus aliquatenus ex tentatione fũigescat. Sed nequaquam gratia deserit: quæ quò nos durius ex dispẽsatione percutit, eò amplius ex pietate custodit. Nam cùm tenebrescere per tentationem cœperit, sese iterum lux interna succendit. Vnde & subditur: *Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperum.*) Fulgor quippe meridianus in vespere, est virtutis renouatio in tentatione: vt repẽtino charitatis feruore mens vigeat, quæ iam iámque lumen sibi gratiæ occubuisse formidabat. Quod adhuc Sophar subtilius aperit, cùm subiungit: *Et cùm te consumptum putaueris, orieris vt lucifer.*) Sæpe nanque tot tentamenta nos obsident, vt ipsa nos eorum numerositas penè ad lapsum desperationis inclinet. Vnde plerunque cùm mens in tædium vertitur, vix ipsa virtutis suæ damnã considerat, & tota dolens quasi iam, & à sensu doloris aliena frangitur, & enumerare nõ valet, quãto cogitationum tumultu vastatur, Ruituram se per momenta cõspicit, eique ne arma repugnationis arripiat, grauius mœror ipse cõtradicit. Circũductos quolibet oculos obscuritas obsidet, & cùm visum tenebrę semper impediãt, mœsta mẽs nihil aliud quàm tenebras videt. Sed apud misericordem iudicem sæpe hæc ipsa quæ ad nisum quoque orationis aggrauat, pro nobis subtilius tristitia exorat. Nam mœroris nostri caliginem conditor conspicit, & subtracti luminis radios refundit, ita vt erecta protinus per dona mens vigeat, quam paulò antè decertantia vitia superbiæ calce deprimebant. Mox torporis pondus discutit, atque ad contemplationis lumen post turbationis suæ tenebras erumpit. Mox in gaudium profectus attollitur: quæ inter tentamenta peius cadere ex desperatione cogebatur. Sine cogitationis certamine præsentia despicit, sine dubitationis obstaculo de ventura retributione confidit. Iustus ergo cùm se cõsumptum putauerit, vt lucifer oritur: quia mox vt tenebrescere tentationum caligine cœperit, ad lucem gratiæ reformatur, & in seipso monstrat diem iustitiæ, qui casurus paulò antè timuit noctem culpæ.

E F G H † al. cumque, vel qui quia. † al. subruit. 20. 21. † al. præsentiam.

Rectè autem lucifero, iusti vita comparatur. Solem quippe præcurrens lucifer nuntiat. Et quid nobis sanctorum innocentia, nisi sequentis iudicis claritatem clamat? In eorum nanque admiratione conspicimus, quid de maiestate veri luminis æstimemus. Nec dum redemptoris nostri † potentiam videmus, sed tamen virtutem illius in electorum suorũ moribus

moribus admiramur. Quia igitur bonorum vita in consideratione sua oculis nostris vim veritatis obiicit, clarus ad nos lucifer ante solem venit. Sciendum verò est, quòd hæc quæ ex tentationum spiritualium aduersitate discussimus, iuxta exteriora quoque mala nil obstat intelligi. Sancti etenim viri quia summa medullitùs diligunt, in infimis dura patiuntur: sed in fine gaudij lumen inueniunt, quod habere in hoc spatio percurrentis vitæ contemnunt. Vnde nunc per Sophar dicitur: *Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperum.*) Peccatoris enim lumen in die, est obscuritas in vespere: quia in præsentis vitæ fœlicitate attollitur, sed aduersitatis tenebris in fine deuoratur. Iusto autem meridianus fulgor ad vesperum surgit, quia quanta sibi claritas maneat, cùm iam occumbere cœperit, agnoscit. Hinc nanque scriptum est: Timenti Deum, bene erit in extremis. Hinc per Psalmistam dicitur: Cùm dederit dilectis suis somnum, hæc est hæreditas Domini. Qui in huius quoque vitæ adhuc certamine positus, cùm se consumptum putauerit, vt lucifer oritur: quia foris cadens, intus innouatur: & quò magis exterius aduersa tolerat, eò vberius virtutum lumine interius coruscat: Paulo attestante, qui ait: Sed licet is quis foris est noster homo corrumpitur, tamen is qui intus est, renouatur de die in diem. Id enim quod in præsenti est momẽtaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ põdus operatur in nobis. Et notandũ est quòd nequaquã cùm cõsumptus fueris sed cùm te consumptũ putaueris dicit: quia & quod videmus, in dubietate est, & quod speramus, in certitudine. Vnde & idẽ Paulus non se cõsumptum nouerat, sed putabat, qui & in aduersa tribulationũ corruẽs, vt lucifer resplendebat, dicens: Quasi moriẽtes, & ecce viuimus: quasi tristes, semper autẽ gaudentes: sicut egentes, multos autẽ locupletãtes. Sciendũ quoque est quod bonorũ mens quò duriora pro veritate tolerat, eò æternitatis præmia certius sperat. Vnde & aptè subditur: *Et habebis fiduciam, proposita tibi spe.*) Tantò nanque spes in Deum solidior surgit, quantò pro illo quisque grauiora pertulerit: quia nequaquã retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hîc prius pia tribulatione seminatur. Hinc enim per Psalmistam dicitur: Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient in exultatione portantes manipulos suos. Hinc Paulus ait: Si commorimur, & conuiuemus: si sustinemus, & conregnabimus. Hinc discipulos admonet dicens: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Hinc sanctorum gloria Ioannis angelus indicans ait: Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni. Quia igitur nunc per tribulationem feritur, vt pòst gaudij fructus metatur, tantò maior fiducia mentem roborat, quantò hanc fortior pro veritate afflictio angustat. Vbi aptè protinus adiungitur: *Et defossus securus dormies.*) Sicut enim malis præsens securitas labor est, ita bonis præsens labor perpetuam securitatem parit. Vnde & defossum se securum dormire iam nouerat, qui dicebat: Ego enim iam delibor, & tempus meæ resolutionis instat: bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, de reliquo reposita mihi est corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa iustus iudex. Quia enim cõtra mala transeuntia sine defectu certauerat: de mansuris nimirum gaudiis sine dubietate præsumebat. Quanuis defossus, & aliter intelligi potest. Sæpe nanque rebus transitoriis occupati, pensare negligimus per quanta peccamus: sed si reducto considerationis oculo, à sinu cordis terrenæ cogitationis aper excutitur, quicquid in mente latebat, inuenit. Vnde sancti viri animorum suorum latebras perscrutari nõ desinunt, seséque subtiliter indagãtes, terrenarũ rerum curas abiiciunt: & effossis plenè cogitationibus, cùm nullo se reatu criminis morderi deprehẽdunt, velut in stratu cordis apud se securi requiescunt. Latere quoq; ab huius mundi actibus appetunt, semper sua considerant: & cũ loro regiminis minimè constringũt, iudicare quæ aliena sunt, recusant. Defossi ergo securi dormiunt: quia dũ sua intima vigilanter penetrãt, à laboriosis se huius mundi oneribus sub quietis otio occultant. Vnde & adhuc subditur: *Requiesces, & non erit qui te exterreat.*) Quisquis enim præsentẽ gloriam quærit, profectò desepectũ

A B C D

Eccle. 1. Psalm. 126. 2. Cor. 4. 2. Cor. 6. 22. Psalm. 125. 2. Tim. 2. Acto. 14. Apoca. 7. 2. Tim. 4. Præsentia quærens admissionem metuit.

metuit. Qui semper ad lucra inhiat, semper videlicet damna formidat. Cuius enim perceptione reficitur, eius rei proculdubio, & amissione sauciatur: & quo obligatus mutabilibus ac perituris inhæret, eo longè in infimis ab arce securitatis iacet. At cõtrà quisquis in solo æternitatis desiderio figitur, nec prosperitate attollitur, nec aduersitate quassatur: dũ nil habet in mundo quod appetat, nihil est quod de mũdo pertimescat. Hinc etenim Salomon ait: Non contristabit iustum quicquid ei acciderit. Hinc iterũ dicit: Iustus quasi leo confidens absq; terrore erit. Bene itaque nunc dicitur: Requiesces, & non erit qui te exterreat. Quia tantò quisque à se plenius pauorem qui ex mundo est, abiicit, quàtò in semetipso verius concupiscẽtiam mundi vincit. An non absque terrore qui ex mundo est, Paulus in corde requieuerat, qui dicebat: Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundũ, neque creatura alia, poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu, domino nostro? Cuius videlicet fortitudo charitatis, vera sanctæ Ecclesiæ voce laudatur, cùm per Cantica canticorum dicitur: Valida est vt mors dilectio. Virtuti etenim mortis, dilectio comparatur: quia nimirum mentem quem semel cœperit à delectatione mundi, funditùs occidit: & tantò hanc valentius in authoritatem erigit, quantò & insensibilem contra terrores reddit.

Prouer. 12. Prouer. 16. Canti. 8. de pœnit. dist. 11. Valida. 23.

Sed inter hæc sciendum est, quòd praui cùm recta prædicant, valde difficile est, vt ad hoc quod taciti ambiunt, non erumpant. Vnde & Sophar protinus adiungit: *Et deprecabuntur faciem tuam plurimi.*) Neque enim iusti viri idcirco se per innocentiæ itinera arcta custodiunt, vt ab aliis exorentur. Sed suæ hæretici, seu peruersi quilibet, per hoc quòd inter homines quasi innocenter viuunt, videri intercessores pro hominibus volunt, & cùm sancta loquentes insinuãt quod ipsi appetunt, hoc aliis pro magno pollicentur: dúmque cœlestia prædicãt, in suis repentè sponsionibus ostendunt, quod amant. Sed ne diu terrena pollicendo patescant quod sunt, ad verba rectitudinis citius recurrunt. Vnde mox subditur.

Quòd in æterna miseria, nullum sit impiis effugium: Et quòd abominatio sit sanctorum delectatio peccatorum.

Caput XIII.

OCuli autem impiorum deficient, & effugium peribit ab eis.) Quòd oculorũ nomine † vera intentio exprimatur, per Euangelium veritas attestatur: dicens: Si oculus tuus fuerit simplex, totũ corpus tuũ lucidum erit: quia videlicet si operationem nostram intentio munda præuenerit, quamlibet aliter hominibus videatur, interni tamen iudicis oculis mundum subsequentis actionis corpus ostenditur. Oculi ergo impiorum, intentiones sunt in eis carnalium desideriorum. Qui idcirco deficiunt, quia æterna negligunt, & sola semper transitoria præstolantur. Adipisci quippe terrena cogitant, multiplicari rebus temporalibus exoptãt, ad mortem quotidie cursu rerum labentium tendunt: sed cogitare mortalia mortaliter nesciunt. Carnis vita per momenta deficit, & tamen carnale desiderium crescit. Res habita instanti fine corripitur, & habendi anxietas non finitur. Sed cùm mors impios subtrahit, eorum profectò desideria cum vita terminãtur. Quorum scilicet oculi tunc superna vltione deficiunt: quia suo hîc iudicio à terrena deficere delectatione noluerunt. Hos illorum oculos à iucunditate pristina claudi Psalmista conspexerat, cùm dicebat: In illa die peribunt omnes cogitationes eorum: quia æterna mala nunquam cogitatata reperiunt, & subitò amittunt bona temporalia, quæ diu tractando tenuerunt. A quibus & omne effugium perit: quia eorum malitia ab animaduersione distrícti iudicis quo se valeat occultare, non inuenit. Nã nunc iniqui cùm tristia aliqua, vel aduersa patiũtur, effugij latebras inueniunt: quia ad voluptatẽ protinus desideriorũ carnalium recurrũt. Ne enim paupertas cruciet, diuitiis animum demulcent. Ne despectus proximorum deprimat, sese dignitatibus exaltant. Si fastidio corpus atteritur, antepositis epularum diuersitatibus nutritur. Si quo animus mœstitiæ impulsu deiicitur, mox per interposita iocorum blandimenta releuatur. Tot ergo hîc habent effugia, quot sibi præparant delectamenta. Sed quandoque [ab] eis effugium perit: quia eorum mens amissis omnibus, se solummodo & iudicem

† al. vis intentionis. Matth. 6. Psal. 145.

conſpicit. Tunc voluptas ſubtrahitur, ſed voluptatis culpa ſeruatur, & repentè miſeri pereundo diſcunt, quia peritura tenuerunt. Qui tamen quouſque corporaliter viuunt, quærere nocitura non deſinunt. Vnde adhuc ſubditur: *Et ſpes illorum abominatio animæ.*) Quid hîc peccator totis cogitationibus ſperat, niſi vt poteſtate cæteros tranſeat: cunctos rerum multiplicitate tranſcendat: aduerſantes dominando ſubiiciat: obſequentibus mirãdus innoteſcat: iræ ad votum ſatisfaciat: benignum ſe cùm laudatur, oſtendat: quicquid gula appetit, offerat: ad hoc quod voluptas imperat, operis expletione cõcurrat? Bene ergo ſpes illorum abominatio animæ dicitur: quia ea quæ carnales ambiunt, ſpiritales quique iudicio rectitudinis auerſantur. Nam quod peccatores voluptatatem
24. æſtimant: hoc iuſti proculdubio pœnam putant. Abominatio eſt igitur animæ, ſpes prauorum: quia nimirum ſpiritus deficit, vbi caro requieſcit. Vt enim caro mollibus, ſic anima duris nutritur: illam blanda refouent, hanc aſpera exercent: illa delectationibus paſcitur, hæc amaritudinibus vegetatur. Et ſicut carnem dura ſauciant, ſic ſpiritum mollia necant: ſicut illam laborioſa interimunt, ita hunc delectabilia extinguunt. Spes itaque carnalium, abominatio animę dicitur: quia inde in perpetuum ſpiritus interit, vnde ad tempus caro ſuauiter viuit. Sed hæc Sophar rectè diceret, niſi beatus Iob cũcta largius etiam viuendo prædicaſſet. At poſtquam ſanctiorem monere de vita nititur, doctioremque ſe erudire ſapientiæ magiſterio conatur, ipſe dictorum ſuorum pondus leuigat, qui in diſcretione interpoſita, omne quod loquitur, deſtruit: quia liquorem ſcientiæ pleno vaſculo ſuperfundit. Sic nanque ab indiſcretis opes ſcientiæ, ſicut à ſtultis ſæpe opes corporalis ſubſtantiæ poſsidentur. Nonnulli enim qui rerum terrenarum multiplicitate ſubnixi ſunt, aliquando multa & habentibus tribuunt: vt ipſi cunctis hæc largius habere videantur. Ita peruerſi cùm vera ſapiunt, recta quædam etiã rectioribus loquuntur: nõ vt alios audientes doceant, ſed vt ipſi quanta doctrina polleant, innoteſcant. Præire ſe quippe ſapientia cunctos æſtimant, & idcirco nihil ſe cuilibet dicere, vltra menſuras ſuæ magnitudinis putant. Sic praui quilibet, ſic omnes hæretici ſuperba voce meliores docere non metuunt: quia omnes ſe inferiores arbitrantur. Sed ſancta Eccleſia, elatos quoſque ab æſtimationis ſuæ culmine reuocat, & diſcretionis manu ad æqualitatis compagem reformat. Vnde beatus Iob qui eiuſdem ſanctæ Eccleſiæ membrum eſt, videns quòd amicorum mens per verba prolatæ eruditionis intumuit, ilico reſpondit dicens:

Caput duodecimum textus beati Iob.

RESpondens autem Iob dixit: Ergo vos eſtis ſoli homines, & vobiſcum oritur ſapientia? Et mihi eſt cor ſicut & vobis, nec inferior veſtri ſum. Quis enim hæc quæ noſtis, ignorat? Qui deridetur ab amico ſuo ſicut ego, H inuocabit Deum, & exaudiet eum. Deridetur enim iuſti ſimplicitas, lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus ſtatutum. Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deũ cùm ipſe dederit omnia in manus eorum. Nimirum interroga iumenta, & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & reſpondebit tibi, & narrabunt piſces maris. Quis ignorat quòd omnia hęc manus Domini fecerit? In cuius manu anima omnis viuentis, & ſpiritus vniuerſæ carnis hominis. Nónne auris, verba diiudicat, & fauces, comedentis, ſaporem? In antiquis eſt ſapiẽtia, & in multo tempore prudentia. Apud ipſum eſt ſapientia & fortitudo, & ipſe habet conſilium & intelligentiam. Si deſtruxerit, nemo eſt qui ædificet: ſi incluſerit hominem, nullus eſt qui aperiat. Si cõtinuerit aquas, omnia ſiccabuntur: & ſi emiſerit eas, ſubuertent terram. Apud ipſum eſt fortitudo & ſapientia. Ipſe nouit & deci- E pientem, & eum qui decipitur: Adducit conſiliarios in ſtultum finem, & iudices in ſtuporem. Baltheum regum diſſoluit, & præcingit fune renes eorum. Ducit ſacerdotes inglorios, & optimates ſupplantat. Commutans labium veracium, & doctrinam ſenum auferens. Effundit deſpectionem ſuper principes, & eos qui oppreſſi fuerant, releuat. Qui reuelat profunda de tenebris, & producit in lucem vmbrã mortis. Qui multiplicat gentes, & perdit eas: & ſubuerſas in integrum reſtituit. Qui immutat cor principum populi terræ: & decipit eos, vt fruſtra incedant per inuium. Palpabunt quaſi in tenebris & non in luce, & errare eos faciet quaſi ebrios.

Caput XIIII.

ERgo vos eſtis ſoli homines, & vobiſcum oritur ſapientia?) Quiſquis ſe præire omnes ratione eſtimat, quid iſte aliud quã F ſolum ſe eſſe hominem exultat? Et ſæpe cõtingit, vt cùm per tumorem mens in altum ducitur, in deſpectu omnium, ſui admiratione ſubleuetur. In cogitatione etenim proprij fauores oriuntur, ſibiſque de ſingularitate ſapientiæ † blanditur. Ipſa fatuitas penſat ea quæ audierit, ac verba quę profert, & miratur ſua, ridet aliena. Qui ergo ſolum ſe ſapere eſtimat, quid aliud quàm hanc eandem ſecum oriri ſapientiam putat? Nam quam adeſſe aliis abnuit, ſoli ſibi hanc tribuens, profectò intra tempora ſuæ breuitatis claudit. Penſandũ verò eſt, vir ſanctus quanta diſcretione vtitur: vt amicorum ſuperbiẽtium arrogantia comprimatur, cùm protinus adiungit. *Et mihi eſt cor ſicut & vobis, nec inferior veſtri ſum.*) Quis enim neſciat, quantum beati Iob vita atque ſcientia, amicorum eius ſcientiam excedat? Sed vt eorum ſuperbiam corrigat, eſſe ſe inferiorem negat: & ne ſuæ humilitatis limitẽ trãſeat, eſſe ſe ſuperiorem tacet: nec præferendo ſe, ſed cõferendo, indicat, quod G de ſe hi, qui ſibi longè ſunt impares, diſcant: vt dum ſponte inflectitur ſapientia quæ eminet, nequaquam ſe contra vires erigat ſcientia quæ iacet. Quos bene mox ad æqualitatis ſenſum reuocat; quia tumere valde quaſi de ſingularitate magnitudinis penſat, cùm ſubſequenter adiungit: *Quis enim hæc quæ noſtis, ignorat?*) Ac ſi apertè dicat: Cùm cunctis ſint nota quæ dicitis, de dictorum ſcientia ſingulariter cur tumetis? Quia igitur elationẽ arrogantium ad æqualitatis communionem reuocans, correptione perfecta redarguit, ad doctrinæ nunc ſentẽtias erumpit: vt amici eius humiliati, prius diſcerent veritatis pondera quàm reuerenter audirent. Sequitur:

Quòd viri virtutum cùm deridentur ab impiis, ad teſtem conſcientiæ Deum concurrant, in quo gloriantur. Caput XV.

QVi deridetur ab amico ſuo, ſicut ego, inuocabit Deum, & exau- 26.
diet eum.) Sæpe enim infirma mẽs cùm de bonis actibus aura humani fauoris excipitur, ad gaudia exteriora deriuatur: vt poſtponat quod intus appetit, & in hoc libẽter reſoluta iaceat, quod foris audit: ita vt beatã nõ tam fieri quàm dici ſe gaudeat. Cúmq; laudis ſuę vocib' inhiat, quod eſſe cœperat, relinquit. Inde ergo à Deo diſiungitur, vnde in Deo laudãda videbatur. Nonnunquam verò recto operi animus conſtanter innititur, & tamen humanis irriſionibus vrgetur: miranda agit, & opprobria recipit, & qui exire foras per laudes potuit, repulſus cõtumeliis, ad ſemetipſum redit: & eò ſeipſum intus robuſtius in Deo ſolidat, quò foris non inuenit in quo requieſcat. Tota enim ſpes in authorem figitur, & inter irriſionum cõuitia ſolus interior teſtis imploratur: atque afflicti animus ſit Deo tantò proximus, quantò & à gratia humani fauoris alienus, in precem protinus funditur: & preſſus exterius, ad penetranda quæ intus ſunt, mũdius liquatur. Bene itaque nũc dicitur: Qui deridetur ab amico ſuo, ſicut ego, inuocabit Deum, & exaudiet eum: quia bonorũ menti dum prauũ exprobrant, oſtendunt quem ſuorũ actuum teſtem quærant. Quæ dum compuncta ſeſe in precibus accingit, inde intra ſe ſupernæ exauditioni iungitur, vnde extra ſe ab humana laude ſeparatur. Notandum verò quàm prouidè interponi- 27.
tur, *Sicut ego:*) quia ſunt nonnulli quos & humanæ irriſiones deprimunt

† al. blanditur ipſa fatuitas.

deprimunt, & tamen diuinis auribus exaudibiles non ſunt. A Nam cùm deriſio contra culpam naſcitur, profectò nullũ virtutis meritum in deriſione generatur. Baal etenim ſacerdotes clamoſis hunc vocibus implorantes; deriſi ab Helia fuerant,
3.Reg.18. cùm dicebat: Clamate voce maiori, Deus enim veſter eſt, & forſitan loquitur, aut in diuerſorio eſt. Sed hæc eius irriſio ad virtutis vſum non fuit: quia per culpæ meritum fuit. Prouidè ergo nunc dicitur: *Qui deridetur ab amico ſuo ſicut ego, inuocabit Deum, & exaudiet eum:*) Quia illum facit humana deriſio Deo proximum, quem ab humanis prauitatibus, vitæ innocentia ſeruat alienum. Sequitur:

De ſapientia ſanctorum, & prudentia filiorum huius ſeculi.

Caput XVI.

Sapientia huius mundi.

DEridetur enim iuſti ſimplicitas.) Huius mundi ſapientia eſt cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare, quæ falſa ſunt, vera oſtendere, quæ vera ſunt, fallacia demonſtrare. Hæc nimirum prudentia vſu à iuuenibus ſcitur, hæc à pueris precio diſcitur: hanc qui ſciunt, cæteros deſpiciendo ſuperbiunt: hanc qui neſciunt, ſubiecti & timidi in aliis mirantur: B quia ab eis hæc eadem duplicitas, iniquitatis nomine palliata diligitur, dum mentis peruerſitas, vrbanitas vocatur. Hæc ſibi obſequentibus præcipit honorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere: irrogata ab aliis mala multiplicius reddere: cùm vires ſuppetunt, nullis reſiſtentibus cedere, cùm virtutis poſsibilitas deeſt, quicquid explere

Sapientia iuſtorum.

per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate ſimulare. At contrà ſapientia iuſtorum, eſt nil per oſtenſionem fingere, ſenſum verbis aperire: vera vt ſunt diligere, falſa deuitate, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quàm facere: nullam iniuriæ vltionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed hæc iuſtorum ſimplicitas deridetur: quia ab huius mundi ſapientibus puritatis virtus, fatuitas creditur. Omne enim quod innocẽter agitur, ab eis proculdubio ſtultum putatur, & quicquid in opere veritas approbat, carnali ſapientiæ fatuum ſonat. Quid nanque ſtultius videtur mundo, quàm mentem verbis oſtendere, nil callida machinatione ſi- C mulare, nullas iniuriis contumelias reddere, pro maledicentibus orare, paupertatem quærere, poſſeſſa relinquere, rapienti non reſiſtere, percutienti maxillam alteram præbere? Vnde bene huius mundi dilectoribus ille egregius Dei ſapiens di-
Exod.8. cit: Abominationes Aegyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro? Oues quippe Aegyptij edere dedignantur: ſed quod abominãtur Aegyptij, hoc Iſraëlitæ Deo offerunt: quia ſimplicitatem conſcientiæ quam iniuſti quique velut infimã abiectámque deſpiciunt, hanc iuſti in virtutis ſacrificium vertũt, & excolentes recti puritatem ac manſuetudinem Deo immolant, quam abominantes reprobi fatuitatem putant. Quæ nimirum iuſti ſimplicitas breuiter, ſed ſufficienter exprimitur, cùm protinus ſubinfertur:

Quòd iuſtorum ſimplicitas, apud ſe intus quaſi lampas fulgeat, & ſuperborum faſtus eorum humilitatem contemnat.

Caput XVII.

28. LAmpas contempta apud cogitationes diuitum.) Quid hoc loco D ſignatur nomine diuitum, niſi elatio ſuperborum: qui vẽturi iudicis reſpectum non habent, dum ſuperbis apud ſe cogitationibus tument? Nam ſunt nonnulli quos cenſus per tumorem non eleuat, ſed miſericordiæ opera exaltant. Et ſunt nonnulli qui dum terrenis ſe opibus abundare conſpiciunt, veras Dei diuitias non requirunt, atque æternam patriam non amant: quia hoc ſibi ſufficere quòd rebus temporalibus fulciuntur, putant. Non eſt ergo cenſus in crimine, ſed affectus. Cuncta enim quæ Deus condidit, bona ſunt: ſed qui bonis malè vtitur, profectò agit, vt quaſi per edacitatis ingluuiẽ, eo quo viuere debuit, pane moriatur. Pauper ad requiẽ Lazarus venerat, ſuperbum verò diuitem tormenta cruciabant. Sed tamen dives Abraham fuerat, qui ſinu Lazarum tenebat: qui tamen authori ſuo colloquens dicit: Loquar ad Deum meũ, cùm ſim puluis & cinis? Quid itaque iſte diuitias ſuas æſtimare nouerat, qui ſemetipſum puluerem cinerémque penſabat? Aut quando hunc res poſſeſſæ extollerent, qui de ſe quoque, earum videlicet poſſeſſore, tam abiecta ſentiret? Atque iterum ſunt nonnulli quibus & res terrenæ non ſuppetunt, & tamen apud ſe per faſtum tumoris eriguntur. Hos & cenſus ad oſtenſionem potentiæ minimè ſubuehit, & tamen morum proteruia inter reprobos diuites addicit. Quoſcunque ergo ſequentis vitæ amor non humiliat, hoc in loco ſacer ſermo diuites appellat: quia in iudicij quoque vltione non diſcrepant, vtrum rebus, an ſolis moribus intumeſcant. Qui cùm vitam ſimplicium in hoc mundo humilem abiectámque deſpiciunt, elatis protinus deſpectibus irrident. Nequaquam quippe his hoc exterius adeſſe conſiderant, ad quod ipſi totis conatibus anhelant. Quaſi ſtultos ergo deſpiciunt, qui ſcilicet ea non habent, quæ ipſi vtique vel habendo vel ſolummodo amando mirantur: & quaſi mortuos deputant, quos nequaquam ſecum viuere carnaliter penſant. Qui enim ab huius mundi appetitu moritur, à terrenis mentibus profectò omni modo extinctus æſtimatur. Quod bene noſtri miraculum redemptoris ſignat, cùm ab immundo ſpiritu hominem liberat, de quo nimirum ſcriptum eſt: Clamans & multum diſcer- Mar.9.
pens eum, exiit ab eo, & factus eſt ſicut mortuus, ita vt multi dicerent, quia mortuus eſt. Ieſus autem tenens manum eius, eleuauit eum, & ſurrexit, Velut mortuus quippe oſtenditur, B quia à maligni ſpiritu poteſtate liberatur, quia quiſquis iam terrena deſideria ſubegit, vitam in ſe carnalis conuerſationis extinguit, & mundo mortuus apparet, quia poſſeſſore prauo qui per immunda deſideria ſe agitabat, caret. Quẽ multi mortuum dicunt, quia qui ſpiritaliter viuere neſciunt, eum qui carnalia bona non ſequitur, extinctum fundiùs arbitrantur.

29.

Sed quia ipſi quoque deriſores ſimplicium, Chriſtianitatis nomine cenſentur, reuerentia religionis preſsi, exhibere malum publicæ irriſionis erubeſcunt. Vnde fit vt apud ſe tumidi tacentéſque derideant, quos abiectos valde atque infimos per ſimplicitatem putant. Bene ergo dicitur: *Lampas contempta apud cogitationes. diuitum.*) Quia ſuperbi quique dum penſare bona ſequentia, vt ſuperius diximus, † neſciunt: penè nihil eſſe æſtimant, quem non vident habere quod amant. Sæpe nanque contingit vt electus quiſque qui ad æternam fœlicitatem ducitur, continua hic aduerſitate deprimatur, non hunc rerum abundantia fulciat, non dignitatum gloria honorabilem oſtendat, nulla ei obſequentium frequentia ſuppetat, nulla hunc humanis oculis veſtium pompa componat: à cunctis verò deſpicabilis cernitur, & huius mundi gloria indignus eſtimatur: ſed tamen ante occulti iudicis oculos virtutibus emicat, vitæ meritis coruſcat, honorari metuit, deſpici non refugit: corpus continentia afficit, ſola in animo dilectione pinguéſcit, mentem ſemper ad patientiam præparat, & erectus pro iuſtitia, de perceptis contumeliis exultat, afflictis ex corde compatitur, de bonorum proſperitatibus quaſi de propriis lætatur, ſacri verbi pabula in mente ſollicitus ruminat, & inquiſitus quodlibet eloqui dupliciter ignorat. Bene itaque iuſti ſimplicitas, & lampas eſſe dicitur, & contempta. Lampas, quia interius lucet: & contempta, quia exterius non lucet. Intus ardet flamma charitatis, foris nulla gloria reſplendet decoris. Lucet ergo & deſpicitur, qui flagrans virtutibus, abiectus æſtimatur. Mentes quippe carnalium penſare bona non valent, niſi quæ carnaliter vident. Hinc eſt quòd Dauid ſanctum pater ipſe deſpexerat, quem prophetæ Samuẽlis oculis præſentare recuſabat. Qui ad vnctionis gratiam dum ſeptem filios deduxiſſet, à Propheta requiſitus an numerum ſobolis expleſſet, cum magna deſpectione reſpondit: Eſt adhuc puer paruulus qui paſcit oues. Quo deducto & electo protinus au- 1.Reg.16.
diuit: Homo videt in facie, Deus autem intuetur cor. Lampas ergo Dauid per innocentiam fuerat, ſed tamen valde contempta, quia exteriora cernentibus non lucebat. Sciendum verò eſt quòd iuſtus quiſque aut temporalem gloriam non habet, aut hanc ſub ſemetipſo frãgit ſi habet, vt honori ſuo liber emineat, ne ei victus delectatione ſuccumbat. Hinc enim eſt quòd ille prædicator egregius ante humanos oculos Apoſtolatus ſui gloriam humiliauerat, qui dicebat: Non vſi ſumus 1.Theſ.2.
hac poteſtate, cùm poſsim' oneri eſſe, vt Chriſti Apoſtoli, ſed facti ſumus paruuli in medio veſtrum. Eius verò auditoribus nimirũ tumor diuitum adhuc in corde remanſerat, cùm dicebant: Epiſtolæ graues ſunt & fortes, præſentia autẽ corporis infirma, & ſermo cõtemptibilis. Quem enim talia dicere poſ- 2.Cor.10.
ſe cognouerãt, ſecum communiter viuere non poſſe iudicabant. Cúmque eum & humilem videndo cernerent, & altum

† al. non appetunt.

sermone pensarent, sua eos elatio compulit, vt quem per scripta timuerant, per prælentiæ verba despicerent. Quid igitur Paulus nisi cótempta lampas apud cogitationes diuitum fuit, qui vnde magisterium humilitatis exhibuit, inde ǎ rudibus discipulis superbiæ contumelias recepit? Horrendo etenim modo languor superbientium vnde detumescere debuit, excreuit, dum mens elata carnalium hoc quasi dedignabile repulit, quod magister imitabile ostendit. An contempta lampas non erat, qui tot virtutibus emicans, tanta à persecutoribus aduersa tolerabat? Legatione in catena fungitur, eiúsque vincula in omni prætorio manifestantur, virgis cæditur, multísque ex genere, ex gentibus, periculis vrgetur, lapidibus Lystris tunditur, pedibus extra vrbem trahitur, quia extinctus æstimatur. Sed vsquequo lampas ista cõtemnitur, vsquequo despicabilis habetur? Nunquid non fulgorem suum nullatenus exerit, & nunquam quanta claritate candeat ostendit? Ostendit planè. Nam cùm lampas contempta apud cogitationes diuitum diceretur, protinus additur: *Parata ad tempus statutum.*) Statutum quippe contemptæ lampadis tempus, est extremi iudicij prædestinatus dies, quo iustus quisque qui nunc despicitur, quanta potestate fulgeat, demonstratur,

30 Tunc enim cum Deo iudices veniunt, qui nunc pro Deo iniustè iudicantur. Tunc eorum lux tantò latius emicat, quantò eos nunc manus persequentium durius angustat. Tunc reproborũ oculis patescet quòd cœlesti potestate subnixi sunt, qui terrena omnia sponte reliquerunt. Vnde electis suis veritas dicit: Vos qui secuti estis me in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israël. Neque enim plusquam duodecim iudices illa interni consessus curia non habebit, sed nimirum duodenario numero quantitas vniuersitatis exprimitur: quia quisquis stimulo diuini amoris excitatus, hîc possessa reliquerit, illic procul dubio culmen iudiciariæ potestatis obtinebit, vt simul tunc iudex cum iudice veniat, qui nunc consideratione iudicij, sese spontanea paupertate castigat. Hinc est enim quod de sanctæ Ecclesiæ sponso per Salomonem dicitur: Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ. Hinc Esaias ait: Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui. Hinc eosdem seniores veritas non iam famulos, sed amicos denuntiat, dicens: Non iam dicam vos seruos, sed amicos meos. Quos nimirum Psalmista intuens ait: Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus. Quorum dum celsitudinem cordis aspiceret, mundi gloriam qua calce calcarent, protinus addidit: Nimis confortatus est principatus eorum. Ac ne paucos esse crederemus, quos proficere vsque ad summam tantæ perfectionis agnoscimus, ilico adiunxit: Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur. Quot itaq; nunc pro amore veritatis sese libenter humiliant, tot tunc in iudicio lampades coruscant. Dicatur igitur rectè: *Lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus statutum.*) Quia vniuscuiusque iusti anima velut adiecta contemnitur, cùm degens inferius gloriam non habet, sed admirabilis cernitur, dum desuper fulget. Libet inter hæc ad redemptoris vias, mentis oculos attollere, sensimque à membris ad caput peruenire. Ipse enim nobis lampas veraciter extitit, qui pro redemptione nostra in Cruce moriens, tenebrosis nostris mentibus lucem per lignum fudit. Hac nos lampade Ioannes illuminari conspexerat, cùm dicebat: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, &c. Quam tamen apud cogitationes diuitum contemptam vidit, cùm paulò pòst subdit: In propria venit, & sui eum non receperunt. Huius lampadis flammas Herodes explorare voluit, cùm eius miracula videre concupiuit, sicut scriptum est: Erat enim ex multo tempore cupiens videre eum, eo quòd audisset multa de illo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Sed lampas hæc ante eius oculos nullo radio lucis emicuit: quia ei qui se non piè, sed curiosè quæsierat, nil de se mirabile ostendit. Inquisitus quippe redemptor tacuit, expectatus miracula exhibere contempsit, seséque apud se in occultis retinẽs, eos quos exteriora quærere comperit, ingratos foris reliquit: magis eligens apertè à superbientibus despici, quàm à nõ credentibus vacua voce laudari. Vnde & protinus lampas ista contempta est, sicut illic subditur: Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba. Sed contempta lampas quæ in terra irrisiones tolerat, de cœlo lucidius per iudicium coruscat. Vnde hîc aptè subiungitur: *Parata ad tempus statutum.*) De quo videlicet tempore per Psalmistam dicitur: Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Hinc in Euangelio per semetipsam veritas denuntiat, dicens: Tempus meum nondum aduenit. Hinc Petrus ait: Quem oportet cœlum suscipere, vsque ad tempora restitutionis. Lampas ergo quæ nunc contemnitur, ad statutum tempus ventura præparatur: quia ipse peccata in die vltimo iudicat, qui nunc peccantium derisiones portat. Et tantò tunc durius districtionem exerit, quantò nunc vocandis peccatoribus suam lenius patientiam sternit. Qui enim diu conuertendos expectat, non conuersos sine retractatione cruciat. Quod per Prophetam scilicet breuiter insinuat, dicens: Tacui, semper siluì, patiens fui, sicut parturiens loquar. Vt enim iam prædiximus, parturiens cum dolore eiicit hoc quod in intimis tempore longo gestauit. Qui ergò semper siluit, sicut parturiens loquitur: quia venturus iudex, qui sine vltione diu facta hominum pertulit, quandoque cum feruore examinis, quasi cum dolore mentis, quantæ animaduersionis sententiam intus seruauerit, ostendit. Nemo igitur hanc lampadem cùm latet despiciat, ne contemptores suos cùm de cœlo fulserit, exurat. Cui enim nunc non ardet ad veniam, tunc procul dubio ardebit ad pœnam. Quia ergo per supernam gratiam vocationis tempus accipimus, dum adhuc licentia superest, eius iram, qui vbique est, mores in melius commutando, fugiamus. Solùm quippe animaduersio illa non inuenit, quem correctio abscondit. Hæc nos largiente Domino in duobus iam corporibus transcurrisse sufficiat. Quia enim sacri libri sequentia mysteriorũ virtutibus extensa, complecti breuiter exponendo non possumus, ea necesse est vt aliis voluminibus reseruemus, quatenus lector tantò feruentior ad legendi studium redeat, quantò ex lectionis quoque intercisione respirat.

Finit liber decimus Moralium sancti Gregorij, & totius operis pars secunda.

B. GREGORII PAPAE LIBER VNDECIMVS tertiam inchoans partem Moralis expositionis, quo continuatur textus capitis duodecimi beati Iob.

Caput I.

QVANVIS in prolixo opere esse culpabilis stili mutabilitas non debet, ne quis tamen me ex locutionis meæ immutatione reprehendat, in Epistola libris præmissa causam reddidi cur tertiam huius operis partem ad aliarum vsque similitudinem minimè emendando perduxi. Quibus scilicet exclusis, hoc quoque additur, quod ab eo versu quo dicitur: Abundant tabernacula prædonum, eiusdem partis expositio incipit, & vsque ad hoc quod scriptum est: Dulcedo eorum vermis, differendo pertingit. Quæ nimirum tam multa sunt, vt in vno corpore comprehẽdi non possent, nisi sub magna breuitate dicerentur. Qui ergo ab aliis actibus vacat, legat cætera multiplicitèr dicta. Qui verò ad studiosè legendum non vacat, huius partis ei breuitas placeat, in qua non tam quæ sentimus dicimus, quàm ea quæ sunt dicenda signamus. Igitur quoniam in ea multa, sicut me loquente excepta sunt, ita dereliqui: immutationem stili lector meus æquanimiter accipe, quia & sæpe eosdem cibos edentibus, diuersitas placet coctionis. Sed quoties partes singulas ad legendum sumis, reducere semper ad memoriam eam, quam proposui causæ originem stude, quia & per beatum Iob, qui dolens dicitur, passiones Domini eiúsque corporis, id est, sanctæ Ecclesiæ designantur, & amici eius hæreticorum tenent speciem:

nent speciem: qui, vt sæpe iam diximus, Deum dum defendere nitũtur, offendunt. Qui dũ fictè consulunt, sanctorum mẽtem fortiter affligunt, nec tamen per cuncta quæ loquuntur, à veritatis cognitione despiunt, sed plerunque & stultis prudentiam, & fictis vera permiscent, vt dum ex veritate aliquid prærogant, facilè ad falsitatem trahant. Vnde amici quoque beati Iob modo despicabilia, modo autem mira sunt quæ loquũtur, quę tamẽ sanctus vir aliquãdo reprobãdo conuincit, aliquando verò approbãdo suscipit, atque ad vsum rectitudinis pertrahit etiam quæ ab eis recta sed non rectè proferuntur. Itaque inopiam suam despicientes despicit, atque in sterquilinio corpore positus, in quanto virtutum culmine apud se sedeat, ostendit: cùm nil esse præsentis vitæ diuitias memorat, quas abundare & reprobis narrat, dicens:

Quòd aliud est quod omnipotens Deus misericorditer tribuit, aliud quod iratus haberi permittit,

Caput II.

1. ABundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum, cùm ipse dederit omnia in manibus eorum.) Facilè est hominem tunc diuitias despicere cùm habet, difficile verò est eas cùm non habet, viles æstimare. Vnde patenter ostenditur quatenus contemptus terrenarum rerum in beati Iob cogitatione fuerit, qui tunc dicit nulla esse quæ abundant reprobis, quando omnia amisit. Ait ergo: *Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant deum:*) quia plerunque mali eo magis contra Deum superbiunt, quo ab eius largitate & contra meritum ditantur: & qui prouocari bonis ad meliora debuerant donis peiores fiunt. Sed intelligendum nobis est, quomodo prædones appellentur, dum protinus additur: *Cùm ipse dederit omnia in manibus eorum.*) Si enim prædones sunt, violenter abstulerunt. Et dubium non est, quia violentorum non sit adiutor Deus. Quomodo igitur ipse dat, quod hi qui prædones sunt, nequiter tollunt? Sed sciendum est, quia aliud est quod omnipotens Deus misericorditer tribuit, aliud quod iratus haberi sinit. Nam quod prædones peruersè faciunt, hoc dispensator æquissimus fieri non nisi iustè permittit, vt & is qui rapere finitur, cæcatus mente culpam augeat, & is qui rapinam patitur, iam in eiusdem rapinæ damno pro alia quam antè perpetrauit culpa feriatur. Ecce enim quidam in montis † al. vertice. † fauce constitutus insidiatur itinerantibus, sed is qui iter agit, iniqua fortasse quædam aliquando perpetrauit, eíque omnipotens Deus malum suum in præsenti vita retribuens, atque hunc insidiatoris manibus tradens, vel spoliari rebus, vel etiam interire permittit. Quod ergo prædo iniustè appetiit, hoc æquissimus iudex iustè fieri permisit, vt & ille reciperet quod iniustè fecerat, & iste grauius quandoque feriatur, per cuius nequissimam voluntatem, culpam omnipotens Deus in alterum iustè vindicauit. Ille purgatur qui opprimitur, in isto reatus augetur qui opprimit: vt vel de profundo nequitiæ quandoque ad pœnitentiam redeat, vel non reuertens, tantò grauius æterna damnatione feriatur, quantò diu est in sua iniquitate toleratus. Cum illo ergo misericorditer agitur vt peccatum finiat, cum isto districtè vt multiplicet, nisi ad pœnitentiam recurrat. In illo mala purgantur, dum vim sustinet, in isto cumulantur, dum facit. Omnipotens itaque Deus quod fieri prohibet, iustum est vt fieri sinat, vt vnde nunc expectat, & non conuersos diu tolerat, quandoque inde plus feriat. Bene ergo dicitur: *Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum, cùm ipse dederit omnia in manibus eorum:*) quia quod iniqui tollunt, eis hoc ipse dat, qui illis ad rapinam posset resistere, si misereri voluisset. Quod tamen intelligi de rebus quoque spiritalibus potest. Nam plerunque nonnulli doctrinæ dona percipiunt, sed ex eisdem donis intumescunt, & magni præ cæteris videri volunt. Atque omnipotentem Deum prouocare, est de eius donis inter proximos superbire. Qui etiam prædones non immeritò vocantur, quia dum loquuntur quæ non faciunt, in vsum locutionis suæ verba iustorum tollunt. Sed quia hæc ipsa superna eis gratia tribuit, quorum tamen vitam in prauis moribus relinquit, per semetipsos quidem prædones sunt, sed tamen bona quæ habent, diuinitùs acceperunt. Sequitur: *Nimirum interroga iumenta, & docebunt te volatilia cœli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris.*) Quid per iumenta nisi sensu pigriores, quid per cœli volatilia, nisi summa atque sublimia sapientes intelligere debemus? De iumentis nanque, id est, sensu pigrioribus scriptum est: Animalia tua habitabunt in ea. Et quia sublimia sapientes, in verbis nostri redemptoris euolant, scriptum est: Ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius. Quid verò per terram, nisi terrena sapientes? Vnde & primo homini cœlestia deferenti dictum est: Terra es, & in terram ibis. Quid per pisces maris, nisi curiosos huius seculi debemus accipere? de quibus Psalmista ait: Pisces maris, qui perambulant semitas maris. Qui in magnis rerum inquisitionibus quasi in abditis fluctibus latent. Quid autem cuncta hæc inquisita doceant, adiungit dicens: *Quis ignorat quòd omnia hæc manus Domini fecerit?*) Ac si apertè dicat: Siue sensu tardiores, seu sublimia sapientes, siue terrenis actibus deditos, seu huius mundi occupatos inquisitionibus requiras, cuncta hæc creatorem omnium Deum fatentur, & de potestate eius concorditer sentiunt, quanuis sub ea non concorditer viuant. Quod enim iustus quisque etiam viuendo loquitur, hoc iniustus plerunque de Deo vel sola voce compellitur fateri, fitque vt mali, authori omnium † cui operibus resistunt, attestatione famulentur: quia quem impugnare moribus ausi sunt, creatorem omnium negare non possunt. Quod tamen intelligi etiam iuxta solam speciem literę vtiliter potest, quia omnis respecta creatura quasi dat vocem attestationis propriæ, ipsam quam habet speciem suam. Iumenta vel volatilia, terram vel pisces requirimus, dum consideramus quæ nobis concorditer respondent, quòd cuncta Dominus fecerit: quia dum nostris oculis suas species ingerunt, se à semetipsis non esse testantur. Eoipso enim quòd creata sunt, per ostensam speciẽ creatori suo quasi vocem confessionis reddunt: qui quia omnia condidit, qualiter etiam debeant administrari disposuit. Vnde subditur:

Quòd spiritus aliquando pro substantia animæ, aliquando pro efficientia spiritali ponatur.

Caput III.

IN *cuius manu anima omnis viuentis, & spiritus vniuersæ carnis hominis.*) Per manum quippe potestas exprimitur. Anima igitur omnis viuentis & spiritus vniuersæ carnis hominis, in eius potestate est à quo est, vt ipse prouideat qualiter sit, qui præstitit esse quod non fuit. Potest verò per animam omnis viuentis iumentorum vita signari. Omnipotens autem Deus iumentorum animam vsque ad corporeos sensus viuificat, hominum verò spiritum vsque ad spiritalem intellectum tendit. In eius ergo manu est anima omnis viuentis, & spiritus vniuersæ carnis hominis, dum & in illo præstat animæ vt viuificet carnem, & in isto ad hoc viuificat animam, vt ad intelligendam perueniat æternitatem. Sciendum verò est, quia in sacro eloquio spiritus hominis duobus modis poni consueuit. Aliquando nanque spiritus pro anima, aliquando pro effectu spiritali ponitur. Pro anima nanque spiritus dicitur, sicut de nostro ipso capite scriptum est: Inclinato capite tradidit spiritum. Si enim aliud spiritum quàm animam Euangelista diceret exeunte vtique spiritu, anima remansisset. Pro effectu quoque spiritali spiritus dicitur, sicut scriptum est: Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem. Angeli quippe, id est, nuntij, in sacro eloquio nonnunquam prędicatores vocantur, sicut per Prophetam dicitur: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est. Omnipotens ergo Deus angelos suos spiritus facit, quia prædicatores suos spiritales efficit. Hoc autem loco anima omnis viuentis ipsa corporis vita signatur, spiritu vniuersæ carnis hominis, effectus intelligentiæ spiritalis exprimitur. Sequitur:

Quòd electi, cibi diuini sentiunt saporem, reprobi verò sonum eius audiunt, sed corde frigido qualiter sapiat, nesciunt.

Caput IIII.

NÓnne *auris verba diiudicat, & fauces comedentis, saporem?*) Penè nullũ latet quòd quinq; sensus corporis nostri videlicet visus, audit', gustus, odoratus, & tact' in omne quod sentiunt atque discernũt, virtutẽ discretionis & sensus à cerebro trahunt. Et cùm vnus sit iudex sensuũ cerebri, qui intrinsecus præsidet, per meatus tamẽ proprios sensus quinque discernit, Deo mira operante, vt neq; oculus audiat, neque auris videat,

neque os olfaciat, neque naris guſtet, neque manus odoretur. Et cùm per vnum ſenſum cerebri omnia diſponantur, quilibet tamen horum ſenſus aliud facere non poteſt, præter id quod ex diſpoſitione conditoris accepit. Ex iſtis ergo corporalibus exterioribus, interiora & ſpiritalia colligenda ſunt, vt per id quod in nobis publicum eſt, tranſire debeamus ad
4 ſecretum quod in nobis eſt, & noſmetipſos latet. Induendum quippe eſt, quia cùm vna ſit ſapientia, alium minus, alium magis inhabitat, alij hoc, alij illud præſtat, & quaſi cerebri more, nobiſmetipſis velut quibuſdam ſenſibus vtitur, vt quanuis ipſa ſibimet nunquam ſit diſſimilis, per nos tamen diuerſa & diſſimilia ſemper operetur, quatenus iſtæ ſapientię, ille ſcientiæ donum percipiat, iſte genera linguarum, ille gratiam curationum habeat. Sed in his verbis beati Iob, quibus ait: *Auris verba diiudicat, & fauces comedentis ſaporem:*) etiam de electis ac reprobis aliquid videtur innuere, quia verba ſapientiæ quæ reprobi audiunt, electi non ſolùm audiunt, ſed etiam guſtant, vt eis in corde ſapiat, quod reproborum non mentibus, ſed ſolummodo auribus ſonat. Aliud nanque eſt nominatum cibum audire ſolummodo, aliud verò etiam guſtare. Electi itaque cibum ſapientię ſic audiunt, vt deguſtent, quia hoc quod audiunt, eis per amorem medullitùs ſapit. Reproborum verò ſcientia vſque ad cognitionem ſonitus tenditur, vt quidem virtutes audiant, ſed tamen corde frigido qualiter ſapiãt, ignorent. Quibus videlicet verbis beatus Iob amicorum ſuorum impeririam, & eorum qui de doctrina ſapientiæ inflantur, arrogantiam reprobat, quia aliud eſt de Deo aliquid ſcire, aliud verò hoc quod cognoſcitur, fauce intelligentiæ guſtare. Rectè ergo dicitur: Nónne auris verba diiudicat, & fauces comedentis, ſaporem? Ac ſi apertè arrogantibus diceretur: Doctrinæ verba quæ vobis vſque ad aurem veniunt, mihi etiam per ſaporem intimum intelligentiæ fauces tangunt. Quia verò infirma ætas etiam cùm rectè ſapit, ad prædicandum non debet incautè proſilire, ſubditur: *In antiquis eſt ſapientia, & in multo temporeprudentia.*) Illa enim
G dicta in ſapientiæ radice ſolidata ſunt, quæ per viuendi vſum, etiam actuum experimento conualeſcunt. Sed quia multis & longior vita tribuitur, & ſapientiæ gratia non confertur, rectè adhuc in cuius iudicio ipſa dona pendeant, demonſtratur, dum ſubditur: *Apud ipſum eſt ſapientia & fortitudo, ipſe habet conſilium & intelligentiam.*) Hæc non incongruè de vnigenito ſummi patris accipimus, vt ipſum eſſe
1.Corinth.1. Dei ſapientiam & fortitudinem ſentiamus. Nam Paulus quo-
Ioan.1. que noſtro intellectui atteſtatur, dicens: Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam, qui apud ipſum ſemper eſt, quia in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Habet autem Deus conſilium & intelligẽtiam: conſilium videlicet, quia diſponit ſua: intelligentiam, quia
5 cognoſcit noſtra. Poteſt quoque conſilij nomine, ipſa occulti iudicij mora ſignari, vt quòd aliquando tardius delinquentes percutit, non quia iniquorum culpa non cõſpicitur, ſed vt damnationis eorum ſententia, quæ pro agenda pœnitentia differtur, quaſi tarda ex conſilio prodire videatur.
H Quod ergo foris quandoque aperta ſententia indicat, hoc apud omnipotentem Dominum ante ſecula in conſilio latebat. Sequitur:

Quod illos includat Deus quibus non aperit, & illos deſtruat quos relinquit. Caput V.

SI *deſtruxerit, nemo eſt qui ædificet, ſi incluſerit hominem nullus eſt qui aperiat.*) Omnipotens Deus humanum cor deſtruit, cùm relinquit: ædificat, dum replet. Neque enim humanam mentem debellando deſtruit, ſed recedendo: quia ad perditionem ſuam ſufficit ſibi dimiſſa. Vnde plerunque fit, vt cùm audientis cor exigentibus culpis omnipotẽtis Dei gratia non repletur, incaſſum exterius à prædicatore moneatur, quia mutum eſt os omne quod loquitur, ſi ille interius in corde non
Pſalm. 126. clamet, qui aſpirat verba quæ audiuntur. Hinc Propheta ait:
Eccle.7. Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eam. Hinc Salomon dicit: Conſidera opera Dei, quòd nemo poſsit corrigere quẽ ille deſpexerit. Nec mirum ſi à corde reprobo prædicator minimè auditur, dum nonnunquam ipſe quoque Dominus in his quæ loquitur, reſi-
Gene.4. ſtentium moribus impugnatur. Hinc eſt enim quòd Cain & E diuina voce admoneri potuit, & mutari non potuit: quia exigente culpa malitiæ, iam intus Deus cor reliquerat, cui foris ad teſtimonium verba faciebat. Bene autem ſubditur: *Si incluſerit hominem, nullus eſt qui aperiat.*) Quia omnis homo per id quod malè agit, quid ſibi aliud quàm conſcientiæ ſuæ carcerem facit, vt hunc animi reatus premat, etiam ſi nemo exterius accuſet? Qui cùm iudicante Deo in malitiæ ſuæ cæcitate relinquitur, quaſi intra ſemetipſum clauditur, ne euadendi locum inueniat, quem inuenire minimè meretur. Nam ſæpe nonnulli à prauis actibus exire cupiunt, ſed quia eorundem actuum pondere premuntur, in malæ conſuetudinis carcere incluſi, à ſemetipſis exire non poſſunt. Et quidam culpas proprias punire cupientes, hoc quod rectè ſe agere eſtimant, in
† grauiores culpas vertunt: fitque modo miſerabili, vt quod † *al. in grauioribus peccatis.*
exitum putant, hoc incluſionem inueniant. Sic videlicet reprobus Iudas cùm mortem ſibi contra peccatum intulit, ad æternæ mortis ſupplicia peruenit, & peius de peccato pœnituit quàm peccauit. Dicatur ergo: Si incluſerit hominem,
F nullus eſt qui aperiat: quia ſicut nemo obſiſtit largitati vocantis, ita nullus obuiat iuſtitiæ relinquentis. Includere itaq; Dei, eſt clauſis non aperire. Vnde & ad Moyſen dicitur de *Exod.4.*
Pharaone: Ego obdurabo cor eius. Obdurare quippe per iuſtitiam dicitur Deus, quando cor reprobum per gratiam non emollit. Recludit itaque hominem quem in ſuorum operum tenebris relinquit. Quaſi enim aperire hanc incluſionem cum Iſaac primogenito filio voluit, cùm hũc fratri præponere benedicendo conatus eſt. Sed filium quem pater voluit, Dominus reprobauit, & quem Dominus voluit, pater etiam nolendo benedixit: vt qui primogenita fratri pro eſca vendiderat, primogenitorum benedictionem non acciperet, quam ex cupidine gulæ reliquiſſet: qui terrena ambiens fugitiua ſequens, hæreditare cupiens benedictionem, reprobatus eſt. Non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquiſiſſet eam, quia videlicet fructum non habent lamenta, quæ ſtudent cum gemitu deſiderare peritura. Aperire itaque Iſaac nec filio potuit, quem Deus omnipotens iuſto iudicio in ſuæ carcere malitiæ incluſit. Sequitur:

Quòd ſi cordi noſtro ſpiritus ſancti irrigatio defuerit, omnis terræ plantatio areſcit. Caput VI.

SI *continuerit aquas, omnia ſiccabuntur. Si miſerit eas, ſubuertent terram.*) Si aqua ſciẽtia prædicationis accipitur, ſicut ſcriptum eſt: Aqua profunda, verba ex ore viri, & torrens redun- *Prouer.18.*
dans fons ſapientiæ, cùm aqua continetur, cuncta ſiccantur: quia ſi ſcientia prædicatorum ſubtrahitur, eorum qui virideſcere in ſpe æterna poterant, corda protinus areſiunt, vt in deſperata ſiccitate remaneant, dum fugitiua diligentes, neſciunt ſperare manſura. Sin verò aquæ nomine ſancti Spiritus gratia deſignatur, ſicut veritatis voce in Euangelio dicitur: Qui *Ioan.7.*
credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluẽt aquæ viuæ: vbi ſtatim Euangeliſta ſubiunxit: Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum: congruus in his ſermonibus intellectus patet, quibus ait: Si continuerit aquas, omnia ſiccabuntur: quia ſi ſancti Spiritus gratia ab audiẽtis mente ſubtrahitur, areſcit protinus intellectus, qui iam per ſpem virideſcere in audiente videbatur. Quòd autem non aquam, ſed aquas memorat, pluralitatis appellatione, ad ſeptiformem donorum ſpiritalium gratiam recurrit: quia quaſi tot aquis vnuſquiſque infunditur, quot donis repletur. De quibus aptè ſubiungitur: *Si emiſerit eas, ſubuertent terram.*) Quid enim terra, niſi peccator accipitur, cui per ſen-
tentiam dictum eſt: Terra es, & in terram ibis? Manet itaq; *Gene.3.*
terra immobilis, cùm præceptis dominicis peccator obedire contemnit, cùm ceruicem ſuperbiæ erigit, atque à veritatis lumine oculos mentis claudit. Sed quia ſcriptum eſt: Pedes eius ſteterunt, & mota eſt terra: quia cùm veritas in corde figitur, mentis immobilitas agitatur, ſi ſancti Spiritus gratia ſuperno munere iuxta vocem prædicantis infunditur, ſtatim terra ſubuertitur: quia peccatricis mentis duritia ab immobilitatis ſuæ obſtinatione permutatur, vt tantùm ſe poſtmodum præceptis dominicis flendo ſubiiciat, quantùm ſuperbiendo prius contra Dominum ceruicem cordis erigebat. Videas nanq; quod terra cordis humani, aqua diuini muneris infuſa, pòſt

pòſt libenter iniurias tolerat, quas prius vehementer irrogabat: pòſt etiam ſua tribuat, quæ prius & aliena rapiebat: pòſt carnem abſtinẽdo cruciet, quæ prius ſatietate carnis per mortifera turpitudinum oblectamenta defluebat: pòſt etiam perſecutores diligat, quæ prius diligere etiam ſe amantes nolebat,
7. Cùm igitur mens humana diuinò munere infuſa, contra hoc quod conſueuerat, agere cœperit, terra ſubuerſa eſt: quia deorſum miſſa eſt quæ prius eminebat, & ſurſum leuata eſt fa-
† *al. profundo.* cies quæ prius in † profunda premebatur. Libet in huius rei exemplo, vnum è multis ad medium, Paulum vocare, qui cùm acceptis contra Chriſtum epiſtolis Damaſcum pergeret, ſancti ſpiritus gratia in itinere infuſus, ab illa ſua protinus crudelitate mutatus eſt, & poſtmodum plagas pro Chriſto accepit, quas veniebat inferre Chriſtianis: & qui prius carnaliter viuens, in mortem conabatur ſanctos Domini tradere, gaudet
† *al. vitam.* poſtmodum pro vita ſanctorum ſuæ carnis † ſacrificium im-
1.Tim.1. molare. Illæ crudelitatis eius frigidæ cogitationes, verſæ ſunt in ardorem pietatis. Et qui prius fuit blaſphemus & perſecutor, humilis pòſt factus eſt piúſque prædicator. Qui lucrum B maximum putauit, ſe in diſcipulis Chriſtum occidere, iam vitam ſuam Chriſtum æſtimat, & mori lucrum. Emiſſa ergo aqua terra ſubuerſa eſt, quia Pauli mens mox vt ſancti ſpiritus gratiam accepit, ſtatum ſuæ immobilitatis atque crudelitatis immutauit. Quo contrà per Prophetam Dominus, contra Ephraim queritur dicens: Ephraim factus eſt ſubcinericius pa-
Oſee.7. nis, qui non reuerſatur. Panis nanque ſubcinericius ſuper ſe cinerem portans, partem mundiorem deorſum premit, parrémque ſuperiorem tantò ſordidiorem habet, quantò in ea cinerem tolerat. Mens itaque quæ terrena cogitat, quid ſuper ſe aliud quàm cineris molem portat? Sed ſi reuerſari voluerit, mundam faciem quam deorſum preſſerat, ſuperius reducit, cùm cinerem quem portabat, excuſſerit. Si igitur terrenarum cogitationum cinerem à mente excutimus, quaſi panem ſubcinericium reuerſamus: vt illa noſtra intentio iam poſtponi debeat, quam prius cogitationis infimæ cinis premebat, & munda facies ad ſuperiora veniat, vt recta noſtra intẽtio mole C iam terreni deſiderij non prematur. Quod nequaquam agere poſſumus, niſi ſancti ſpiritus gratia perfundamur: quia videlicet omnipotens Deus ſi aquas emiſerit, ſubuertent terram.
8. Sequitur: *Apud ipſum eſt fortitudo & ſapientia.*) Paulò ſuperius dictum fuerat: Apud ipſum eſt ſapientia & fortitudo: nũc autem dicitur: *Apud ipſum eſt fortitudo & ſapientia.*) Quia enim
† *al. hominem fecit.* omnipotens Deus cum pietatis ſuæ myſterio † homo factus eſt, prius manſuetudinis doctrinam protulit, & poſtmodum in iudicio, quantæ ſit fortitudinis oſtendit, rectè ſuperius ſapientia ante fortitudinem memoratur, cùm de patris vnigenito dicitur: Apud ipſum eſt ſapientia & fortitudo. Quia verò ad iudicandum veniens, in ſuæ virtutis apparebit, & repulſis reprobis, electis ſuis in regno perpetuò, qualiter ſit ſapientia patris, indicabit, rectè in ſubſequenti ſententia apud ipſum eſſe prius fortitudo, & pòſt ſapientia dicitur. In verbis itaque prioribus quibus ait: Apud ipſum eſt ſapientia & fortitudo: apertè indicat quia hoc quod manſuetus edocuit, qua- D liter credendum fuerit, in iudicij virtute terribilis oſtendet. In verbis verò ſubſequentibus quibus ait: Apud ipſum eſt fortitudo & ſapientia: luce clarius demonſtrat, quòd prius in iudicio per virtutem reprobos deſtruet, & poſtmodum electorum mentibus æterni perfecto lumine infulgebit. Sed quia ante extremi diem iudicij, iudicare quotidie occultis diſpoſitionibus facta mortalium non deſiſtit, ad hoc quod nunc agitur, reditur, cùm ſubditur:

Quòd ſapientia huius mundi, ſtultitia eſt apud Deum. Caput VII.

IPſe nouit & decipientem, & eum qui decipitur. *Adducit conſiliarios in ſtultum finem, & iudices in ſtuporem.*) Cùm omnis qui proximum ſuum decipere conatur, iniquus ſit, & iniquis veritas dicat: Nunquam noui vos, diſcedite à me omnes qui operamini
Matth.7. iniquitatem: qualiter hoc in loco dicitur, quia Dominus decipientem nouit? Sed quia ſcire Dei, aliquãdo cognoſcere dicitur, aliquando approbare, & ſcit iniquum, quia cognoſcendo iudicat, Neque enim iniquam quempiam iudicaſſet, ſi nequaquam cognoſceret: & tamen iniquum neſcit, quia eius facta non approbat. Et nouit ergo, quia deprehendit: & nõ no- A uit, quia hunc in ſuæ ſapientiæ ſpecie non recognoſcit: ſicut de veraci quolibet viro dicitur, quia falſitatem neſciat: non quia cùm vel ab aliis falſum dicitur, hoc reprehendere ignorat, ſed eandem ipſam fallaciam & ſcit in examine, & neſcit in amore; vt videlicet ipſe hanc non agat, quam actam ab aliis damnat. Et fit plerunque vt nonnulli inſidiis vacantes, alienæ vitæ peruerſitatis ſuæ laqueos tendant: & cùm quis neſciens, eiſdem laqueis capi conſpicitur, vtrum hæc diuinitus videantur, fortaſſe dubitatur, mirantũrque homines, ſi hæc Deus videat, cur fieri permittat: ſed ipſe nouit decipiẽtem & eum qui decipitur. Nouit enim decipientem: quia plerunque anteriora eius mala conſpicit, & hunc iuſto iudicio cadere etiam in alia peccata permittit. Nouit decipientem, quia in manu ſuorum operum dimiſſum hunc, vt ad peiora proruat deſerit; ſicut ſcriptum eſt: Qui nocet, noceat adhuc, & qui in ſordibus *Apoc.22.*
eſt, ſordeſcat adhuc. Nouit quoque & eum qui decipitur, quia ſæpe committunt homines mala quæ ſciunt, & idcirco permittuntur decipi, vt cadant in mala etiam quę neſciunt. Quod tamen deceptis aliquando ad purgationem, aliquando verò ad vltionis initium fieri ſolet. Adducit autem conſiliarios in ſtultum finem, cùm etiam bonum quodlibet non bona intentione faciunt, ſed ad temporalis muneris retributionem tendunt. Si enim ipſe ſummi patris vnigenitus, quia per hoc quòd factus eſt homo, æterna nuntiauit, magni conſilij angelus eſt vocatus: rectè conſiliarios prædicatores accipimus, qui ſuis auditoribus conſilium vitæ præbent. Sed cùm prædicator quiſque ideo æterna prædicat, vt temporalia lucra conſequatur, profectò in ſtultum finem deducitur, quia illuc per laborem tendit, vnde per mẽtis rectitudinem fugere debuit.

Quòd qui de caſtimonia ſuperbiunt, nonnunquam Deo diſpenſante, in immunditiam carnis cadere permittantur. Caput VIII.

BEne autem ſubitur: *Et iudices in ſtuporem.*) Omnes enim qui 9.
examinandis aliorum moribus præſunt, rectè iudices vocantur. Sed cùm is qui præeſt, ſubiectorum vitam nequaquã ſollicitè diſcutit, nec quem qualiter corrigat agnoſcit, in ſtuporem iudex deductus eſt: quia qui iudicare malè acta debuit, nequaquam ea quæ iudicanda ſunt, deprehendit. Sequitur: *Balteum regum diſſoluit, & præcingit funes renes eorum.*) Qui membrorum ſuorum motus bene regere ſciunt, non immeritò reges vocantur. Sed cùm de ipſa continẽtia elatione mens tangitur, plerunque omnipotens Deus eius ſuperbiam deferens, hanc in immunditiã operis cadere permittit. Regum itaque balteum diſſoluit, quãdo in his qui bene regere ſua membra videbantur, propter elationis culpam, caſtitatis in eis cingulum deſtruit. Quid verò in fune accipitur niſi peccatum? ſicut per Salomonem dicitur: Iniquitates ſuæ capiunt impium, *Prouer.5.*
& funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. Et quia in renibus carnis delectatio principatur, diſtrictus conſcientiarum iudex, qui regum balteum diſſoluit, fune præcingit renes eorum, quatenus diſſoluto caſtitatis cingulo, ſcilicet eorum membris delectatio peccati dominetur: vt quos in occulto ſuperbia inquinat, quàm ſint deteſtabiles, etiam in publico oſtendat. Sequitur:

Quòd apud deum ſine gloria ſint, qui de prælatione ſua ab hominibus gloriam quærunt. Caput IX.

DVcit ſacerdotes inglorios, & optimates ſupplantat.) Magna ſacerdotis gloria, eſt rectitudo ſubditorum. Vnde bene egregius prædicator diſcipulis dicit: Quæ enim eſt noſtra ſpes *1.Theſſ.2.*
aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum? Sed cùm ſacerdotes vitam diſcipulorum negligunt, & nullum de eorum profectibus ante Dominum fructum ferunt, quid aliud quàm inglorij dicuntur? quia ante diſtrictum iudicem nimirum gloriam tunc non inueniunt quam modo in ſubditorum ſuorum moribus prædicationis ſtudio non exquirunt. Bene autem dicitur: *Et optimates ſupplantat.*) Quia cùm mentem regentium iudicio deſerit, hæc internum retributionis præmium non requirit, & in eo ſupplantatur quo fallitur, vt pro æterna gloria de principatu temporali gratuletur. Supplantãtur igitur optimates, quia dum vera cœleſtis patriæ præmia negligunt, in ſuis hîc voluptatibus cadunt. Sequitur:

Commutans labium veracium, & doctrinam senum auferens.) Cùm sacerdos non agit bona quæ loquitur, ei etiam sermo subtra-
Psalm. 49. hitur, ne loqui audeat quod non operatur, sicut per Prophetam dicitur: Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Vnde etiam deprecatur dicens: Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque. Perpendit nanque quòd omnipotens Deus, veritatis verbum facientibus tribuit, & non facientibus tollit. Qui ergo hoc de ore suo non auferri petiit, quid aliud quàm gratiam bonæ operationis quæsiuit? ac si apertè diceret: A bono opere errare me non sinas, ne dum a-
10 mitto ordinem bene viuẽdi, rectitudinem perdam loquendi.

Et plerunque doctor qui docere audet quod negligit agere, cùm desierit bona loqui quæ operari contempsit, docere subiectos incipit praua quæ agit: vt iusto omnipotentis Dei iudicio, in bona iam nec linguam habeat, qui habere bonam vitam recusat, quatenus cùm mens eius terrenarum rerum amore incenditur, de terrenis rebus semper loquatur.
Matthæ. 12. Vnde in Euangelio veritas dicit: Ex abundantia cordis os loquitur: Bonus homo de bono thesauro profert bona, & ma-
1. Ioan. 4. lus homo de malo thesauro profert mala. Hinc etiam Ioannes ait: Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur. Bene ergo dicitur: *Commutans labium veracium, & doctrinam senum auferens:*) quia hi qui prius cœlestia prædicãdo veraces erant, dum temporalia diligentes, ad terrena corruunt, labium veracium commutatur, & senum doctrina tollitur: quia diligentes temporalia, priorum suorum præcepta minimè sequuntur, vt locum regiminis quasi ad fructum voluptatis teneant, non ad vsum laboris. Quod tamen apertius de Iudæis valet intelligi, qui ante incarnationem Domini veraces fuerunt, quia hunc venturum esse crediderunt atq; nuntiauerunt: sed postquam in carne apparuit, hunc esse negauerunt. Labium itaque veracium mutatũ est: quia quem venturum dixerant, negauerunt præsentem. Et doctrina senum ablata est, quia nequaquam ea credendo secuti sunt, quæ patres suos prædi-
Mala. 4. xisse meminerunt. Vnde etiam Helia veniente promittitur quòd reducat corda filiorum ad patres eorum, vt doctrina senum quæ nunc à Iudæorum corde ablata est, tunc miserante Domino redeat, quando hoc intelligere de Domino cœperint filij, quod prædicauerunt patres. Sin verò senes eosdem quoque Iudæos accipimus, qui suadente perfidia, veritatis verbo contraire conati sunt, doctrina senum ablata est, postquam hanc Ecclesia ex gentibus videlicet iuuencula ac-
Psalm. 118. cepit quæ per Psalmistam dicit: Super seniores intellexi. Quam quia operando tenuit, qualiter super seniores intellexit ostendit, dum protinus subdit, dicens: Quia mandata tua exquisiui. Quia enim studuit operando implere quod didicit, accipit intelligere quod doceret. Vnde adhuc aptè subditur: *Effundit despectionem super principes, & eos qui oppressi fuerant releuat.*) Cùm enim Iudæorum populus in legis mandato permaneret, & cuncta gentilitas nulla Dei præcepta cognosceret, & illi per fidem principari videbantur, & isti in profundo pressi iacuerunt per infidelitatem. Sed cùm incarnationis dominicæ mysterium Iudæa negauit, gentilitas credidit, & principes in despectionem ceciderunt, & hi qui oppressi in culpa perfidiæ fuerant, in veræ fidei libertatem leuati
Thren. 2. sunt. Hunc verò Israëlitarum casum longè antè Hieremias intuens ait: Factus est Dominus velut inimicus, præcipitauit Israël, præcipitauit omnia mœnia eius, dissipauit munitiones
11 eius. Mœnia autem in vrbibus pro ornamento sunt, munitiones verò in defensionem. Et alia sunt dona quæ nos muniunt, alia quæ ornant. Prophetiæ quippe doctrina, genera linguarum, curationum virtus, quasi quædam mœnia mentis sunt. Quæ etsi quisque non habeat, stare munitus per fidem & iustitiam potest, quanuis ornatus virtutum altitudine minimè esse videatur. Spes verò, fides & charitas, non nostra mœnia sed munitiones sunt, quæ si habere negligimus, hostilibus insidiis patemus. De Iudæa ergo quia prophetiam atque doctrinam, vel miraculorum signa abstulit, mœnia præcipitauit. Quia verò spem, fidem, atque charitatem propter eius duritiam auferri permisit, munitiones eius dissipare studuit. Rectus verò ordo seruatus est, vt prius mœnia, & pòst munitiones dissipatæ dicerentur: quia cùm peccatrix anima
E relinquitur, prius ab ea virtutum dona quæ ad manifestationem spiritus data sunt, & postmodum spei, fidei, atque charitatis fundamenta destruuntur. Quæ cuncta Dominus à perfidis ablata gentilitati tribuit, atq; ex his quæ infidelibus abstulit, mentes fidelium ornauit: vnde scripium est: Et speciei domus diuidere spolia. Cùm enim virtutum spolia à Iudæis
Psalm. 67. abstulit, domui cordis gentilium quam per fidem inhabitare dignatus est, speciem donorũ dedit. Quod videlicet gestum est, cùm verba Dei, Iudæorum populus ad solam literam, quæ occidit, acciperet, & conuersa gentilitas per spiritum, qui viuificat, penetraret. Vnde mox subditur:

Quòd mira Dei dispensatione agitur, vt omnia in hac vita habeantur incerta, ne quis de accepta gratia intumescat, vel de peccatorum immanitate desperet.

Caput X.

Q*Vi reuelat profunda de tenebris, & producit in lucem vmbram mortis.*) Cùm enim quæque mystica de occultis prophetarum verbis à credẽtibus agnoscuntur, quid aliud quàm pro-
F funda de tenebris reuelantur? Vnde ipsa quoque veritas discipulis in parabolis loquens ait: Quod dico vobis in tene-
Matth. 10. bris, dicite in lumine. Cùm enim mysticos allegoriarum nodos per explanationem soluimus, in lumine dicimus quod in tenebris audiuimus. Vmbra autem mortis erat legis duritia, quæ vnumquenq; peccantem morte corporis puniri sanciebat. Sed postquam Redemptor noster asperitatem legalis sanctionis per mansuetudinem temperauit, nec iam pro culpa mortem carnis inferri constituit, sed mors spiritus quantum timẽda esset indicauit, in lucem procul dubio vmbram mor-
12 tis produxit. Ista etenim mors in qua caro separatur ab anima, vmbra illius mortis est, in qua anima separatur à Deo. In lucem ergo vmbra mortis producitur, cùm intellecta morte spiritus, mors carnis minima timetur. Quod tamen & aliter intelligi potest. Principes etenim non immeritò vocantur, qui magno consilij iudicio suis cogitationibus semper principantur, omnésque stultos motus potestate sapientiæ
G comprimũt. Sed sæpe contingit vt in occulto animus de ipsa sua sapientia in elationis fastum subleuetur, & sub eis vitiis corruat, de quibus se victorem fuisse gaudebat. Rectè ergo dicitur: *Effundit despectionem super principes.*) Sed quia nonnunquam hi qui in vitiis iacere videntur, ad pœnitentiæ lamenta currunt, séque contra culpas quibus subiacebant erigunt, aptè subiungitur: *Et eos qui oppressi fuerant, releuat,*) Nonnulli enim superno illustrati munere, aspiciunt in quanta peccatorum suorum turpitudine iacent, factorum maculas lachrymis lauant, & sub se postmodum carnis suæ motus deprimunt, à quibus antè premebantur. Quod nimirum magna omnipotentis Dei dispensatione agitur, vt videlicet in hac vita omnia habeantur incerta, & nullus ex habita castitate superbiat: quia effundit despectionem super principes. Nullus ex vitiorum suorum depressione desperet: quia eos qui oppressi fuerant, releuat. Et quoniam cùm hæc aguntur, ex occultis Dei consiliis super vnumquemq; sententia aperta producitur, rectè subiungitur: *Et reuelat profunda de tenebris.*)
H Profunda enim de tenebris Dominus reuelat, quando apertam sententiam ex occultis suis consiliis indicat, vt de vnoquoque quæ sentiat, ostendat. Quia enim videt nunc creator omnia, & ipse in consiliis non videtur, rectè de illo per Psalmistam dicitur: Posuit tenebras latibulum suum. Sed quasi
Psalm. 17. de istis tenebris ad lumen exit, quando quid de vniuscuiusq; actibus sentiat, ostendit. Et quia cùm is qui peccatorum suorum pondere premebatur, ad rectitudinis statum ducitur, prius ipsam mortem conspicit, in qua & deficere cõsueuerat, & hanc considerare nesciebat, rectè additur: *Et producit in lucem vmbram mortis.*) Vmbra enim mortis est praua operatio quæ de imitatione antiqui hostis, quasi de corporis lineamẽtis exprimitur. De quo etiam sub cuiusdam significatione di-
Apoc. 6. citur: Et nomen illi mors. Et plerunque eius maligna cogitatio mentes hominum latet, atque per hoc quòd nescitur, amplius præualet. Vmbra ergo mortis in lucem producitur, dum sanctorum mentibus maligna operatio antiqui hostis, vt destrui possit, aperitur. Sequitur:

Quòd beatus Iob prophetiæ spiritu intellexit vocationem gentium, & reprobationem Iudæorum. *Caput XI.*

13. Q*Vi multiplicat gentes, & perdit eas, & subuersas in integrum re-*
A *stituit.*) Intelligi fortasse valet, quoniam gentes Dominus multiplicat & perdit: quia nascuntur quotidie morituri. Et subuersas in integrum restituit, quia resurgent qui fuerint mortui. Quod tamen melius accipimus, si hoc qualiter in earum mente agitur, sentiamus. Multiplicat enim gentes & perdit, quia eas & per fœcunditatem sobolis extendit, & tamen in propria infidelitate derelinquit. Sed subuersas in integrum restituit: quia quas in infidelitatis casu reliquerat, quandoque ad fidei statum reducit. Quibus videlicet in mentis integritatem restitutis, antiquus ille populus qui fidelis Deo esse videbatur, reprobatus, corde repulsus est, vt sua perfidia deceptus, contra ipsum pòst insurgeret quem antè prædicauit. Sequitur: *Qui immutat cor principum populi terræ, & decipit eos, vt frustra incedant per inuium. Palpabunt quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet quasi ebrios.*) Cor enim principum terræ immutatum est, cùm in Iudea summi sacerdotes & seniores populi, illi conabantur suo consilio obsistere, quem prius venturum esse prædicabant. Cúmque eius nomen persequendo molirentur B extinguere, decepti sua malicia, incedere per inuium frustra conabantur: quia crudelitati eorum patere via non poterat, contra authorem omnium. Miracula cernebant, virtute terrebantur: sed credere renuentes, adhuc signa quærebant, cùm
Ioan. 6. dicerent: Quod ergo tu facis signum, vt videamus & credamus tibi quod operaris? Bene itaque dicitur: *Palpabunt quasi in tenebris, & non in luce.*) Qui enim inter tot aperta miracula trepidat, quasi in tenebris palpat, quia quod tangit, nõ videt. Omnis verò qui errat, nunc huc, nunc illuc ducitur. Et quia aliquando ostendebantur credere cùm dicerent: Nisi esset
Mar. 6. hic à Deo, non poterat facere quicquam: aliquãdo verò hunc à Deo esse negabant, cùm despicientes dicerent: Nónne hic est fabri filius? nónne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, Ioseph & Simõ, & Iudas, & sorores eius nónne omnes apud nos sunt? rectè subiungitur, *Et errare eos facies quasi ebrios.*)
14. Videbant quippe eum & suscitare mortuos, & tamẽ esse mortalem. Quis non crederet Deum, quem conspicie-
C bant suscitare mortuũ? Sed rursum cùm hunc mortalem cõspicerent despiciebant credere hunc esse immortalem Deum. Per hoc ergo quòd omnipotens Deus talem se eorum oculis exhibuit, qui posset & diuina ostendere, & humana pati, errare eos quasi ebrios fecit: vt eorum superbia quæ incarnationis eius mysterium despicere maluit quàm sequi, & contra humanitatem eius se extolleret, & intus lucẽtem deitatis eius potentiam miraretur. Quæ cuncta quia beati Iob oculis, præsentia per prophetiæ spiritum facta sunt, rectè subiungitur:

Caput decimumtertium beati Iob.

Ecce omnia hæc vidit oculus meus, & audiuit auris mea, & intellexi singula. Secundum scientiam vestram & ego noui, nec inferior vestri sum. Sed tamen ad omnipotentem loquar, & D disputare cùm Deo cupio, prius vos ostendens fabricatores mendacij, & cultores peruersorum dogmatum. Atque vtinam taceretis, vt putaremini esse sapientes. Audite ergo correctiones meas, & iudicium labiorum meorum attendite. Nunquid Deus indiget vestro mẽdacio, vt pro illo loquamini dolos? Nunquid faciem eius accipitis, & pro Deo iudicare nitimini? Aut placebit ei quem cælare nihil potest, aut decipietur, vt homo, vestris fraudulentiis? Ipse vos arguet, quoniam in abscondito faciem eius accipitis. Statim vt se cõmouerit, turbabit vos, & terror eius irruet supervos. Memoria vestra cõparabitur cineri, & redigentur in lutum ceruices vestræ. Tacete paulisper, & loquar quodcunque mihi mens suggesserit. Quare lacero carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis? Etiam si occiderit me, in ipso sperabo. Veruntamen vias meas in conspectu eius arguam, & ipse erit saluator meus. Nõ enim veniet in conspectu eius omnis hypocrita. Audite sermonem meum, & ænigmata percipite auribus vestris. Si fuero iudicatus, scio quòd iustus inueniar. Quis est qui iudicetur mecum? Veniat. Quare tacens consumor? Duo tantum ne facias mihi, & tunc à facie tua non abscondar. Manum tuam longè fac à me, & formido tua non me terreat. Voca me, & ego respondebo tibi: aut certè loquar, & tu responde mihi. Quãtas habeo iniquitates & peccata, scelera mea & delicta ostende mihi. Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris. Scribis enim enim contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescẽtiæ meæ. Posuisti in neruo pedem meum, & obseruasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti. Qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum quod comeditur à tinea.

Quòd cùm aliquid ostenditur, cuius intellectus non tribuitur, propheta non est.

Caput XII.

E*Cce omnia.*) In illo enim ea quæ secutura erant, videbat assistentia, cui nec futura veniunt, nec præterita discedunt, sed cuncta simul ante eius oculos asistunt. Et quia ea ipsa quæ ventura erant, alia esse vidit in operibus, alia in dictis, rectè subiungitur: *Et vidit oculus meus, & audiuit auris mea.*) Sed vtilitatem dicta non habent, si intellectu carent. Vnde apertè subditur: *Et intellexi singula.*) Cùm enim aliquid ostenditur vel auditur, si intellectus non tribuitur, prophetia minimè est. Vidit nanque Pharao per somnium quæ erant Aegypto ventura, sed quia nequiuit intelligere quod vidit, Propheta scili- Gen. 41.
cet non fuit. Aspexit Balthasar rex articulum manus scriben- Dani. 5.
tis in pariete, sed Propheta nõ fuit, quia intellectum rei quam viderat, non accepit. Vt igitur beatus Iob prophetiæ spiritum se habere testetur, non solum vidisse se & audisse, sed etiam intellexisse omnia asserit. De quo intellectu, quia non extollitur, subiuncta eius verba testantur, cùm ait: *Secundum scientiam vestram & ego noui, nec inferior vestri sum.*) Quibus videlicet dictis innotuit, quantæ humilitatis fuit, qui se eis inferiorem negat, quorum longè vitam sanctè viuendo transcenderat. Nam & secundum eorum scientiam se nosse confirmat: qui sciendo cœlestia, eorum terrenas cogitationes per prophetiæ quoque spiritum transibat. Sequitur:

Quòd loqui cum Deo, sit orare humiliter: disputare autem, ex conscientiæ confidentia, pro meritis postulare audacter.

Caput XIII.

S*Ed tamen ad omnipotentem loquar, & disputare cum Deo cupio.*) Cum omnipotente loquimur, dum eius misericordiam deprecamur. Cum eo verò disputamus, dum nos illius iustitiæ coniungẽtes, facta nostra subtili indagatione discutimus. Vel certè cum Deo disputare, est eum qui hîc eius præceptis paruit, cum illo postmodum ad iudicandos populos iudicem venire, sicut cuncta relinquentibus prædicatoribus dicitur. Vos qui secuti estis me in regeneratione, cùm sederit filius Matth. 19.
hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israël. Vnde & per Esaiam Dominus dicit: Eripite iniuriam accipientẽ, iudicate Esa. 1.
pupillo, & iustificate viduam, & venite disputemus. Rectum quippe est, vt cum Deo de populis in iudicio disputẽt, qui ad verba Dei præsens seculum perfectè derelinquunt. Loqui ergo ad orationem, disputare ad iudicium pertinet. Vir igitur sanctus modo ad omnipotentem loquitur, vt cum omnipotente postmodum disputet: quia ille cum Deo postmodum iudex veniet, qui hîc ei modo in prece familiaris extiterit. Sed sancta Ecclesia, cuius sæpe iam beatũ Iob speciem tenere prædiximus, nõ solum tunc de iniquis iudicat, cùm vltimi iudicij dies aduenerit: sed nunc etiã de cunctis prauè agentibus vel stultè sentientibus iudicare non cessat. Vnde subditur: 15.

Prius vos ostendens fabricatores mendacij, & cultores peruersorum dogmatum.) Quibus videlicet verbis apertè ostenditur, quòd amici eius quasi ex hæreticorum specie sancti viri iudiciis aduersantur. Liquet enim quia catholicorum figuram non teneant, qui cultores peruersorum dogmatum vocantur. Qua in re hoc quoque oportet intendi, quòd mendacij fabricatores dicuntur. Sicut enim ædificium lapidibus, ita mendacium sermonibus fabricatur. Vbi enim non dolosa locutio, sed sensus veritatis est, quasi munita moles non ex fabrica, sed ex natura consurgit. Sequitur: *Atque vtinam taceretis, vt putaremini esse sapientes.*) Sicut clausa ianua, in domo quæ intus membra lateant ignoratur, sic plerunque stultus si tacuerit, vtrum sapiens sit an stultus, absconditur: si tamen nulla alia opera prodeant, quæ sensum etiam tacentis loquantur. Sanctus igitur vir amicos suos aspiciens velle apparere quod non erant, eos ad tacendum admonuit, ne possent apparere quod erant.

Prouer.17. Vnde & per Salomonem dicitur: Stultus si tacuerit, sapiens putabitur. Sed quia stultus cùm loquitur, per hoc quòd sua infert, sapientium verba pēsare non sufficit, rectè adhuc postquam silentium indixit, adiungit: *Audite ergo correptiones meas, & iudicium labiorum meorum attendite.*) Bene autem prius correptionem, & postmodum iudicium intulit: quia nisi per correptionem prius tumor stulti deprimatur, nequaquam per intelligentiam iudiciū iusti cognoscitur. Sequitur: *Nunquid Deus indiget vestro mēdacio, vt pro illo loquamini dolos?*) Deus mendacio nō eget: quia veritas fulciri nō quærit auxilio falsitatis. Hæretici autem quia ea quæ prauè de Deo intelligunt, ex veritate tueri non possunt: quasi ad probandum radium luminis, vmbram falsitatis requirunt. Et pro eo dolos loquuntur, dum infirmas mentes in intellectu illius stulta seductione decipiunt. Sequitur: *Nunquid faciem eius accipitis, & pro Deo iudicare nitiminiⁿ?*) Stulti cùm prudentium facta conspiciunt, hæc eis omnia reprehensibilia esse videntur, suæque imperitiæ at-
16 que infirmitatis obliti, tantò intentius de alienis iudicant, quantò sua profundius ignorant. At contrà iusti cùm prauorum facta redarguunt, semper suæ infirmitatis conscij, eos etsi exterius sæuiendo, tamen interius compatiendo reprehendunt: quia illius solius est peccata hominum sine compassione discutere, qui ex naturæ suæ omnipotentia ignorat peccare. Quia igitur amici beati Iob, ita eius facta reprehenderant, ac si in se ipsi reprehēsibile nihil haberent, rectè nunc dicitur: *Nunquid faciem eius accipitis, & pro Deo iudicare nitiminiⁿ?*) Faciem quippe eius accipere, est authoritatem illius in iudicio sumere: & quasi pro Deo iudicare nititur, qui cùm infirma quæque in altero reprehendit, apud se introrsus per compassionem non infirmatur. Sequitur: *Aut placebit ei quem cælare nihil potest, aut decipietur, vt homo, vestris fraudulentiis?*) Fraudem Deo hæretici exhibent, quia ea astruūt, quę nequaquam ipsi pro quo loquuntur placent, eúmq; dum quasi defendere nituntur, offendunt, dum in aduersitate eius corruunt, cui videntur ex prædicatione famulari. Vnde & per Psalmistam

Psalm. 8. dicitur: Vt destruas inimicum & defensorem. Omnis quippe hereticus omnipotenti Deo inimicus & defensor est, quia vnde hunc quasi defendere nititur, inde veritati illius aduersatur. Quia autem latere Deum nihil potest, hoc in eis indicat, quod intus sentiunt, non quod famulari foris videntur. Quia igitur eorum fraudulentiis Deus vt homo non fallitur, rectè subiungitur: *Ipse vos arguet, quoniam in abscondito faciem eius accipitis. Statim vt se cōmouerit, turbabit vos, & terror eius irruet super vos.*) Hoc quod in abscondito accipi asserit faciem Dei, duobus modis valet intelligi. Sunt nanque nonnulli qui & veritatem in corde sentiunt, & tamen quæ falsa sunt, de Deo foris loquuntur. Ne enim vinci videantur, & cognoscunt veritatem interius, & tamen hanc exterius impugnant. Vnde & nunc bene dicitur: *Ipse vos arguet, quoniam in abscondito faciem eius accipitis.*) Ac si apertè diceretur: Tantò magis de falsitate apud eum estis reprehensibiles, quantò & apud vosmetipsos quod verum est videtis. Et sunt nonnulli qui quādo ad mentem redeunt, Dei iustitiam & rectitudinem contemplantur, & orando ac flendo contremiscunt: sed postquam contemplationis hora transierit, sic audaces ad iniquitates redeunt, ac si post dorsum eius positi, à iustitiæ eius lumine minimè videantur. Hi itaque apud se in abscondito

E quasi corporaliter videntem accipiunt faciem Dei: quia ei & cùm præsentes sunt, blandiuntur fletibus, & cùm quasi à conspectu illius recedunt, moribus detrahunt. Qui tantò amplius de malis suis feriendi sunt, quantò & in occulto cogitationis, recta Dei iudicia cognoscunt. Vnde & subditur:

Statim vt se commouerit, turbabit vos, & terror eius irruet super vos.) Cùm sit naturæ incommutabilis omnipotens Deus, in ira iudicij perturbabilis non est. Sed humano verbo motus Dei, dicitur ipsa rectitudinis eius districtio, qua humana prauitas feritur. Iusti autem viri antè Deum metuunt, quàm eius contra eos ira moueatur: & ne commotum sentiant, tranquillum timent. At contrà peruersi tunc iam feriri pertimescunt, cùm feriuntur: eosque tunc terror eius à somno sui torporis excusitat, cùm vindicta perturbat. Vnde & per Prophetam dicitur: Et tantum sola vexatio intellectum dabit auditui. Cùm enim de præceptis Dei contemptis atque despectis verberari per vindictam cœperint, tunc intelligunt quod audierunt. Et Psālmista ait: Cùm occideret eos, tunc inquirebant eum. Bene itaque dicitur: Statim vt se commouerit, turbabit vos, & terror eius irruet super vos; quia reprobis cordibus non timor requiem, sed pœna timorem parit. Sequitur:

17 Esaiæ. 28. F Psalm. 77.

Quòd superborum gloria in fine luto & cineri comparetur.

Caput XIIII.

Memoria vestra comparabitur cineri.) Omnes qui cogitatione terrena huic sæculo conformantur, per omne quod agunt, huic mundo relinquere sui memoriam conantur. Alij bellorum titulis, alij altis ædificiorum mœnibus, alij disertis doctrinarum sæcularium libris instanter elaborant, sibíque memoriæ nomen ædificant. Sed cùm ipsa ad finem celerius vita percurrat, quid in ea fixum stabit, quando & ipsa celeriter mobilis pertransit? Aura etenim cinerem rapit, sicut scriptum est: Non sic impij non sic, sed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ. Rectè ergo stultorum memoria cineri comparatur: quia illic ponitur, vbi ab aura rapiatur. Psalm. 1.

G Quantumlibet etenim quisque pro facienda gloria sui nominis elaboret, memoriam suam quasi cinerem ponit, quia hanc citius ventus mortalitatis rapit. Quo contrà de iusto scriptum est: In memoria æterna erit iustus. Eo ipso enim quo facta sua solius Dei oculis imprimit, nomen suæ memoriæ in æternitate figit. Sequitur: *Et redigentur in lutum ceruices vestræ.*) Psalm. 111.

Sicut per oculum visus, sic per ceruicem solet superbia designari. Cēruix itaque in lutum redigitur, cùm superbus quisque humiliatur in morte, & elata caro tabescit in putredine. Intueamur enim qualia in sepulchris iaceant diuitum cadauera, quæ illa in extincta carne sit imago mortis, quæ tabes corruptionis, & certè ipsi erant qui extollebantur honoribus, habitis rebus tumebant, despiciebant cæteros, & quasi solos se esse gaudebant: & dum non perpenderent quò tendebant, nesciebant quid erāt. Sed in lutum ceruix redacta est: quia despecti iacent in putredine, qui tumebant in vanitate. In lutum ceruix redigitur, quia quantùm carnis potentia valeat, tabes corruptiobis probat. Sequitur: *Tacere paulisper, vt loquar quodcumque mihi mens suggesserit.*) Sensu carnis locutos indicat, quos idcirco ad silentium restringit, vt ea quæ illi mens suggesserit dicat. Ac si apertè dicat: Non ego carnaliter, sed spiritaliter loquor, quia per sensum spiritus audio, quæ per ministerium corporis profero. Vnde mox ad alta conscendit, séque in mysteriis eleuat, & increpationem quam protulerat, ad mystica verba permutat, dicens:

H

Quòd sancti viri carnes suas dentibus lacerant, cùm internis sensibus carnalia opera sua discutiunt. *Caput XV.*

Quare lacero carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis?) In scriptura sacra dentes aliquando sancti 18
prædicatores, aliquando verò interni accipi sensus solent. De sanctis enim prædicatoribus sponsę dictum est: Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascēderunt de lauacro. Vnde & vni eorum ostensis in figura gentibus dicitur: Macta & manduca, id est, vetustatem earum contere, & in corpus Ecclesiæ videlicet in tua mēbra cōuerte. Rursum quia dētes, interiores sensus accipi solent: Hieremias propheta testatur dicens: Fregit ad numerum dentes meos. Per dentes etenim cibus frangitur, vt glutiatur. Vnde non immeritò in dentibus internos sensus acci- Canti. 4. Acto. 10. Thren. 3.

accipimus, qui singula quæ cogitant, quasi mandunt & comminuunt, atque ad ventrem memoriæ transmittunt. Quos Propheta ad numerum fractos dicit: quia iuxta mensuram vniuscuiusque peccati, intelligentiæ cæcitas generatur in sensibus, & secundum quod quisque egit exterius, in eo obstupescit, quod de internis atque inuisibilibus intelligere potuit. Vnde rectè etiam scriptum est: Omnis homo qui comederit vuam acerbam, obstupescent dentes eius. Quid nanque vua acerba, nisi peccatum est? Vua quippe acerba, est fructus ante tempus. Quisquis enim præsentis vitæ delectationibus fatiari desiderat, quasi fructus ante tempus comedere festinat. Qui igitur vuam acerbam comedit, dentes eius obstupescunt: quia qui præsentis mundi delectatione pascitur, interni eius sensus ligantur, vt iam spiritalia mandere, id est, intelligere nequeant: quia vnde in exterioribus delectati sunt: inde in intimis obstupescunt. Et dum peccato anima pascitur, panem iustitiæ edere non valet: quoniam ligati dentes ex peccati cōsuetudine, iustū quod intus sapit, edere nequaquā possunt. Hoc igitur loco, quia dentes, vt prædiximus, internos sensus accipimus, considerare magnopere quid agere iusti soleant, debemus. Qui plerunque si qua in se quamlibet leuiter carnalia esse deprehendunt, hæc in internis sensibus retractantes, vehementer in semetipsis insequuntur, afflictione se conterunt, magnisque cruciatibus, vel minima in se praua diiudicant, atque hæc per pœnitentiam damnant. Quod idcirco agunt, vt in conspectu æterni iudicis, & ipsi inueniri, in quantum est posibile, irreprehensibiles debeāt: & hi qui eos sic se iudicare conspiciunt, emendare semetipsos à culpis grauioribus inardescant. Quod videlicet beatus Iob, coram amicis suis temporalem gloriam tenentibus, & transeuntia bona laudantibus, fecerat: sed tamen eorum sensum ad cognoscendam vtilitatem flagelli sui perducere non valebat: vt scilicet pensare possent, quòd non solùm prospera omnipotens Deus tribueret, sed nonnunquam etiam aduersa propitius irrogaret. Vnde bene nunc dicit: *Quare lacero carnes meas dentibus meis?*) Ac si apertè dicat: Cur internis sensibus carnalia si qua fuerint in me facta discutio, si meis spectatoribus prodesse non possum? Vbi & aptè subditur:

Exech. 18. & Hier. 31. A

Quòd sancti viri animam suam in manibus portant, cùm bonorum operum exempla proximis ostendunt. *Caput XVI.*

19. Animam in manibus portare.

Et animam meam porto in manibus meis.) Animā in manibus portare, est intentionem cordis in operatione ostendere. Habent nanque hoc iusti proprium, vt in omne quod dicunt, atque in omne quod agunt, non solùm profectum suum, sed etiam proximorum ædificationem quærant. Et aliquando in quibusdam semetipsos diiudicant, vt pigros auditores ad considerandos semetipsos reuocent. Aliquando bona opera ostendunt, vt spectatores eorū erubescāt non imitari quod vident. Nam scriptum est: Videant vestra bona opera, & glorificent patrem vestrum qui est in cœlis. Qui igitur intentionem suam per opera insinuat, animam suam in manibus portat. Sed cùm iustus quisque nec se diiudicando, nec bona opera ostendendo, vtilitati proximorum proficit, per hoc quod egerit, ad verba doloris redit. Vnde rectè nunc dicitur: *Quare lacero carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis?*) Id est, cur me vel districtè coram hominibus diiudico, vel quid appetam in opere ostendo: si vtilitati proximorum, nec mala diiudicando, nec bona ostendendo proficio? Sed tamen iusti etiam cùm hæc dicunt nunquàm à præbendo proximis bono exemplo deficiunt. Vnde adhuc coram amicis suis beatus Iob virtutem patientiæ exhibens & ostendens, ait: Matth. 5.

Quòd virtus patientiæ non in prosperis, sed in aduersis agnoscatur. *Caput XVII.*

Etiam si occiderit me, in ipso sperabo.) Nunquam est patientiæ virtus in prosperis. Ille autem verè est patiens, qui & aduersis atteritur, & tamen ab spei suæ rectitudine nō curuatur. De reprobi nanque sensu scriptum est: Confitebitur tibi, cùm beneseceris ei. In hoc itaque mēs iusta ab iniusta discernitur: quòd omnipotētis Dei laudem, & inter aduersa confitetur, quod non cum rebus frangitur, nō cum casu gloriæ ex- Verè patiēs. Psalm. 48.

terioris cadit, sed in hoc magis qualis cum rebus fuerit demōstrat, quæ & sine rebus robustior stat. Sequitur: *Veruntamen vias meas in conspectu eius arguam, & ipse erit saluator meus.*) Cùm Paulus apostolus dicat: Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur: eo tunc Dominus saluator inuenitur, quo nūc pro timore Dei, peccatum nostrum à nobismetipsis redarguitur. Vnde electi quique culpis suis nunquam sciunt parcere, vt possint culparum iudicem placatum inuenire. Et verè eum postmodum inuenire saluatorem credunt, quem districtè modo iudicem metuunt. Nam qui sibi nunc in culpa parcit, ei postmodum in pœna non parcitur. Dicit ergo: Veruntamen vias meas in conspectu eius arguam. Quæ verò vtilitas de hac argutione sequatur, adiungat: Et ipse erit saluator meus.) Sequitur: 1. Cor. 11.

Quòd hypocritæ dum hominum iudicia quærunt, diuino se iudicio non exhibent: nec ante deum venit, cuius vitam deus moresque contemnit: & quòd duobus modis sancti in conspectu dei veniant.

Caput XVIII.

Non enim veniet in conspectu eius omnis hypocrita.) Cùm constet quòd iudex veniens, agnos ad dexteram, hædos vead sinistram ponat: qua nunc ratione dicitur: In conspectu eius hypocritam non esse venturum: qui scilicet si inter hœdos erit, ad sinistram iudicis apparebit? Sed sciendum est quòd duobus modis in conspectu Domini venimus. Vno quidem quo hic peccata nostra subtiliter perpendentes, in eius nos conspectu punimus: & flendo diiudicamus. Nam quoties conditoris nostri potentiam ad sensum reducimus, toties in conspectu illius stamus. Vnde rectè per virum Dei Heliam dicitur: Viuit dominus Deus Israël, in cuius conspectu sto. Alio quoque modo in conspectu Domini venimus, cùm in extremo iudicio ante tribunal eius assistimus. Hypocrita igitur per examen vltimum, ante conspectum iudicis venit: sed quia modo culpas suas considerare ac deflere dissimulat, in conspectu Domini venire recusat. Sieut enim iusti viri cùm districtionem venturi iudicis contemplantur, peccata sua ad memoriam reducunt: deflent quæ commiserunt, & districtè se iudicant ne iudicentur: ita hypocritæ quo exterius hominibus placent, eo se interius aspicere negligunt: totosque se in verbis proximorum fundunt, & sanctos se esse æstimant, quia sic se haberi ab hominibus pensant. Cúmque mentem per verba suæ laudis sparserint, nunquam hanc ad cognitionem reducunt culpæ: nunquàm considerant vbi internum iudicem offendant: nihil de eius districtione metuūt: quia sic se placuisse ei, sicut hominibus credunt. Qui si terrorem eius ad mentem reducerent, hoc ipsum quod in mala intentione positi placent hominibus, plus timerent. Bene itaque dicitur. Nō enim veniet in conspectu eius omnis hypocrita: quia districtionem Dei ante oculos non ponit, dum placere humanis oculis concupiscit. Qui si mentem suam discutiens, semetipsum in conspectu Dei poneret, profectò iam hypocrita non esset. Sequitur: *Audite sermonem meum: & ænigmata percipite auribus vestris.*) Per hoc quòd ænigmata nominat, figuratas se habere locutiones demonstrat. Vnde aptè quoque voce fidelis populi subditur: B 20. Duobus modis in cōspectu Domini venimus. 3. Reg. 17. C D

Quòd sancti etsi hoc agant, quòd exterius non laborantur in opere, nequaquam hoc agunt, vt non laborentur in cogitatione.

Caput XIX.

Si fuero iudicatus, scio quia iustus inueniar.) Quod ab eiusdem etiam beati Iob persona non discrepat: quando hoc ipse foris de seipso loquitur, quod de illo veritas hosti eius interius dixerat: Vidisti seruum meum Iob, quòd nō sit ei similis super terram? Et quidē idem vir valde est inferius quod de se memorat, quā quod de illo Dominus dixerat. Aliud est enim iustum esse, aliud est ei similem non esse. Humiliter igitur de semetipso sensit, qui dum iustus sine comparatione extitit: non se præ cæteris, sed iustum tantummodo inueniri posse memorauit. Hoc tamen in eius verbis videtur habere quęstionis, quod qui superius dixit: Vias meas in conspectu eius arguam: & inferius dicit: Consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ: & peccata sua subtiliter agnoscens, adhuc longè inferius adiungit: Signasti quasi in sacculo delicta mea, Iob. 1. 21.

nunc ait: Si fuero iudicatus, scio quia iustus inueniar. Neque enim simul conuenire queunt peccata, & iustitia. Sed sanctus vir sibi iniquitatem tribuens, & omnipotenti Domino purgationem suam: & peccatorem se cognoscit ex se, & iustum se factum non ignorat ex munere. Qui in recto quoque opere positus ex abundanti gratia meruit flagella sustinere. Iamque se in iudicio iustum inueniri gaudet, qui se ante iudicium percussum videt. Vnde & cùm longè pòst dicat: Signasti quasi in sacculo delicta mea, statim subdit: Sed curasti iniquitatem meam. Qui ergo iustum inueniri se in iudicio memorat, nequaquam se iustè flagellatum negat quamuis flagello eius Dominus non peccata studuit tergere, sed merita augere. Sequitur: *Quis est qui iudicetur mecum? veniat.*) Sancti viri ita se in operibus suis Deo authore custodiunt, vt omnino vnde accusentur, exterius non inueniatur: interius verò in cogitationibus suis tanta se cautela circunspiciunt, vt si fieri valeat, semper irreprehensibiles interni iudicis oculis asistant. Sed quantùm agere possunt, ne exterius labantur in opere, tantùm interius agere nequaquã possunt, vt nunquam labantur in cogitatione. Humana enim conscientia eoipso quo ab intimis recedit, semper in lubrico est. Vnde fit vt etiam sancti viri frequenter labantur in corde. Beatus ergo Iob tam voce sua, quàm voce electorum loquens dicat: *Quis est qui iudicetur mecum? veniat.*) Quia enim in exterioribus actibus vnde reprehendatur nõ habet: liberè accusatorem quærit. Quia verò etiam iustorum corda semetipsa nonnũquam de stulta cogitatione reprehendunt, propter hoc fortasse subditur: *Quare tacens consumor?*) Tacens enim cõsumitur, qui de stulta se cogitatione reprehendens, apud semetipsum dente conscientiæ mordetur. Ac si apertè dicat: Si vixi vt accusatorem exterius nullum timerem: vtinam sic vixissem, vt intra memetipsum accusatricem conscientiam nõ haberem. Tacens enim cõsumitur, qui intus in se inuenit vnde vratur. Sequitur: *Duo tantum ne facias mihi: & tunc à facie tua non abscondar.*) Hoc loco quid Dei faciem, nisi animaduersionem debemus accipere? In qua dum peccata respicit, punit. A qua videlicet nullus etiam iustus absconditur: si duo quæ postulat, non amoueantur, de quibus subdit:

Quòd sancti patres ad eam legem venire desiderabant, in qua non timore seruirent, sed amore. Caput XX.

22. *MAnum tuam longè fac à me, & formido tua non me terreat.*) In quibus videlicet duobus quid aliud per prophetiæ vocem, quàm tempus gratiæ & redemptionis inquirit? Lex nãque sub percussione vltionis populum tenuit: vt quisquis sub illa peccaret, protinus morte puniretur. Nec plebs Israëlitica ex amore, Domino, sed ex timore seruiebat. Nunquam verò impleri iustitia per timorem potest, quia iuxta Ioannis vocem, Perfecta charitas foras mittit timorem. Et Paulus quoque adoptionis filios consolatur, dicens: Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorũ, in quo clamamus, abba pater. Ex voce igitur generis humani, legalis percussionis duririam transire cõcupiscens, atque à formide peruenire ad dilectionem appetens, quæ duo à se omnipotens Deus longè faciat exorat, dicens: Manum tuam longè fac à me, & formido tua non me terreat, id est, percussionis duritiam remoue à me, formidinis pondus tolle, sed irradiante gratia dilectionis, spiritum securitatis infunde: quia si longè à percussione & formidine non fuero, scio quia à districtione tui examinis nõ abscõdar: quoniam in conspectu tuo iustus esse non valet, qui tibi non per dilectionem, sed per formidinem seruit. Vnde & ipsam conditoris sui præsentiam, qua familiariter ac corporaliter quærit: vt per hanc & audiat quod ignorat, & in his audiatur quæ nouit. Nam protinus adiungit: *Voca me, & respondebo tibi: aut ceriè loquar, & tu responde mihi.*) Qui dum humanis oculis per assumptam carnem apparuit, sua hominibus peccata aperuit, quæ & perpetrabant & nesciebant. Vnde subditur:

1. Ioan. 4. Roma. 8.

Quòd à luce veritatis in tantas ignorantiæ tenebras corruerimus, vt nosipsos ignoremus. Caput XXI.

QVantas habeo iniquitates & peccata, scelera mea & delicta ostende mihi.) Quanuis vocare ac respondere intelligi, & aliter posit. Vocare enim Dei, est nos amando & eligendo respicere. Respondere autem nostrum, est amori illius bonis operibus parere. Vbi aptè additur. Aut certè loquar, & tu responde mihi. Loquimur nanque, cùm eius faciem per desiderium postulamus. Respondet verò Deus loquentibus, cùm nobis se amantibus apparet. Sed quia quisquis æternitatis desiderio anhelat, semetipsum subtiliter reprehendens, facta sua discutit: & ne quid in illo sit, in quo authoris sui faciem offendat quærit, rectè subiungit: *Quantas habeo iniquitates & peccata: scelera mea & delicta ostende mihi.*) Iste in hac vita iustorũ labor est, vt semetipsos inueniant: & inuenientes, flẽdo atque corrigẽdo ad meliora perducant. Et quanuis inter iniquitatem atque peccatum nihil distare perhibeat Ioannes apostolus qui ait: Iniquitas peccatum est: ipso tamen vsu loquendi plus iniquitas quàm peccatum sonat: & omnis se homo liberè peccatorem fatetur: iniquum verò dicere nonnunquam erubescit. Inter scelera verò & delicta hoc distat, quòd scelus etiam pondus peccati transit, delictum verò pondus peccati non transit: quia & cùm offerri sacrificium per legem iubetur, nimirum præcipitur sicut pro peccato, ita etiam pro delicto. Et nonnunquam scelus in opere est; delictum verò plerunque in sola cogitatione. Vnde & per Psalmistam dicitur: Delicta quis intelligit? Quia videlicet peccata operis tantò citius cognoscuntur, quantò exterius videntur: peccata verò cogitationis eo ad intelligendum difficilia sunt, quo inuisibiliter perpetrantur. Quisquis igitur æternitatis desiderio anxius, apparere venturo iudici desiderat mundus: tantò se subtilius nunc examinat, quantò nimirum cogitat, vt tunc terrori illius liber asistat, & ostendi sibi exorat vbi displicet: vt hoc in se per pœnitentiam puniat, séque hãc diiudicans iniudicabilis fiat. Sed inter hæc intueri necesse est, quanta peregrinationis nostræ pœna nos perculit, qui in eam cæcitatem venimus, vt nosipsos ignoremus. Perpetramus mala: nec tamen hæc celerius deprehendimus, vel perpetrata. Exclusa quippe mens à luce veritatis, nihil in se nisi tenebras inuenit: & plerunque in peccati foueam pedem porrigit, & nescit. Quod nimirum de sola exilij sui cæcitate patitur: quia ab illuminatione Domini repulsa, & semetipsam videre perdidit, quæ authoris sui faciem non amauit. Vnde & subditur: *Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum?*) Humanum genus contemplationem lucis intimæ habuit in paradiso: sed sibimetipsi placens, quo à se recessit, lumen conditoris perdidit, eiusque faciem declinando, ad ligna paradisi fugit: quia post culpam videre metuebat, quem amare consueuerat. Sed ecce post culpam venit in pœnam: ex pœna autem ad amorem redit: quia quisquis fuerit culpæ fructus, inuenit: atque illam faciem quam timuit in culpa, excitatus requirit ex pœna: vt iam caliginem cæcitatis suæ fugiat, atque hoc ipsum quòd authorem suum non videt, grauiter perhorrescat. Quo videlicet desiderio compunctus sanctus vir clamat: *Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum?*) quia si vt amicum aspiceres, tuæ me visionis lumine non priuares. Qui mobilitatem quoque cordis humani subsequens adiungit:

Ioan. 3.

23. Distantia inter scelera & delicta.

Psalm. 18.

Quòd rectè homo folio comparetur, qui tentationibus suis, quasi ventorum flatibus agitatur. Caput XXII.

COntra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam: & stipulam siccam persequeris?) Quid est enim homo nisi folium, qui videlicet in paradiso ab arbore cecidit? Quid est nisi folium, qui tentationis vento rapitur, & desideriorum flatibus leuatur? Mens quippe humana quot tentationes patitur, quasi tot flatibus mouetur. Hanc enim plerunque ira perturbat: cùm recedit ira, succedit inepta lętitia. Luxuriæ stimulis vrgetur: æstu auaritiæ longè latéque ad ambienda quæ terrena sunt tenditur. Aliquando hanc superbia eleuat: aliquando verò inordinatus timor in infimis deponit. Quia ergo tot tentationum flatibus eleuatur & ducitur: rectè folio homo comparatur. Vnde bene quoque per Esaiam dicitur: Cecidimus quasi folium vniuersi: & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Quasi ventus quippe nos iniquitas abstulit: quia nullo fixos virtutis pondere in vanam elationem leuauit. Bene autem post folium, etiam stipula appellatur

Homo, folium. 24.

Esa. 64.

tur homo. Qui enim arbor fuit in conditione, folium à semetipso factus est in tentatione: sed pòst stipula apparuit in deiectione. Quia enim de alto cecidit folium: quia verò per carnem terræ proximus fuit, etiam cùm stare videbatur, stipula esse memoratur. Sed quia viriditatem intimi amoris perdidit, iam stipula sicca est. Consideret itaque vir sanctus, & homo quantæ vilitatis sit, & Deus quantæ districtionis, & dicat: *Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam: & stipulam siccam persequeris?*) Ac si apertè deploret dicens: Cur tanta rectitudine impetis eum, quem sic infirmum esse in tentatione cognoscis? Sequitur:

Quòd peccata nostra Deus scribere dicitur, cùm ea vel diutius punit, vel retinet puniendа. Caput XXIII.

SCribis enim contra me amaritudines.) Quia omne quod loquimur, transit: quod verò scribimus, manet: Deus non loqui sed scribere amaritudines dicitur, cùm diu super nos eius flagella perdurant. Semel quippe peccanti homini dictũ est: Terra es, & in terram ibis. Et sæpe apparentes angeli hominibus præcepta dederũt. Moyses legislator per districtionem peccata coërcuit. Ipse vnigenitus summi Patris ad nos redimendos venit: moriendo mortem absorbuit: vitam perpetuam denuntiauit nobis, quam ostendit in se. Sed tamen illa quæ in paradiso data est de morte carnis nostræ sententia, ab ipso initio generis humani, vsquæ ad finem seculi nõ mutatur. Quis est enim homo qui viuit: & non videbit mortem? Quod bene rursum Psalmista intuens ait: Tu terribilis es, & quis resistet tibi? extunc ira tua. Qui videlicet peccanti in paradiso homini iratus semel de mortalitate carnis nostræ sententiam fixit, quæ nunc & vsque ad vltimum mutari nullo modo valebit. Dicat ergo: *Scribis contra me amaritudines.*) Vbi adhuc subditur:

Psalm. 57.

Quòd grauia sint in conspectu Dei peccata iuuentutis & senum: si & iusti sic metuunt qui in adolescentiæ teneritudine deliquerunt. Caput XXIIII.

25. *ET consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.*) Ecce vir iustus, quia in iuuentute sua se peccasse non inuenit, adolescentiæ facta pertimescit. Sed sciendum est: quia sicut in corpore, ita sunt etiam incrementa ætatis in mente. Prima quippe hominis ætas infantia est, cùm etsi innocenter viuit, nescit tamen fari innocentiam quam habet. Ac deinde pueritia sequitur: in qua iam valet dicere quod vult: cui succedit adolescentia, quæ videlicet prima est ætas in operatione: quam iuuentus sequitur, scilicet apta fortitudini: ac postmodum senectus, etiam per tempus iam congrua maturitati. Quia igitur primam ætatem aptam bonis actibus adolescentiam diximus: & iusti viri cùm in magna mentis maturitate proficiunt, nonnunquam ad memoriam actionum suarum initium reducunt: séque tantùm de suis primordiis reprehendunt, quantùm ex grauitate mentis altius profecerunt: quia eo indiscretos se fuisse inueniunt, quo discretionis artem postmodum plenius consequuntur: rectè nunc per sancti viri vocem, adolescentiæ peccata formidantur. Quod si ad ipsam literam est tenendum, hinc considerandum est quantùm sint grauia peccata iuuenum & senum: si & illud sic iusti metuunt, quod in infirma ætate deliquerunt. Sequitur:

Quòd pes hominis in neruo ponitur, cùm prauа eius intentio, districto iudicio puniendа ligatur. Caput XXV.

POsuisti in neruo pedem meum, & obseruasti omnes semitas meas: & vestigia pedum meorum considerasti.) In neruo Deus pedes hominis posuit: quia prauitatem illius, forti districtionis suæ sententia ligauit. Cuius omnes semitas obseruat: quia subtiliter singula eius quæque diiudicat. Semita etenim angustior solet esse quàm via. Quia autem vias actiones, non immeritò semitas ipsas actionũ cogitationes accipimus. Deus itaque omnes semitas obseruat: quia in singulis quibusque nostris actibus, etiam cogitationes pensat. Et vestigia pedum considerat: quia intentiones nostrorum operum quàm rectè ponantur, examinat: ne & hoc quod bonum agitur, nõ recto desiderio agatur. Possunt quoque per pedum vestigia, quædam malè acta signari. Nam pes in corpore est vestigiũ in via. Et plerunque dum quædam praua agimus, intuentibus hoc fratribus, exemplum malum præbemus: & quasi inflexo extra viam pede sequentibus vestigia distorta relinquimus: dum per nostra opera ad scandalum aliena corda prouocamus. Valde autem laboriosum est custodire ne mala homo facere audeat, ne in bonis actibus per intentionem titubet: & inter recta opera sinistra eum cogitatio illudat. Quæ tamen cuncta omnipotens Deus subtiliter examinat: atque in iudicio singula repensat. Sed quando homo qui carnis suæ infirmitate constringitur, contra cuncta valeat subtiliter assurgere: atque inconcussa cogitatione rectitudinem tenere? Vnde aptè subditur: *Qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimẽtum quod comeditur à tinea.*) Sicut enim vestimentũ à de se exorta tinea comeditur: ita homo in semetipso habet putredinem, de qua consumatur: atque hoc est, quod est, vnde consumatur vt non sit. Quod intelligi & aliter potest, si ex voce tentati hominis dicatur: Qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum quod comeditur à tinea. Homo enim quasi putredo consumitur: dum carnis suæ corruptione conteritur. Cui quia immunda tentatio non aliunde, sed à semetipso nascitur: more tineæ carnem tentatio, quasi vestem de qua exiit consumit. In semetipso quippe habet homo vnde tentetur. Quasi ergo tinea vestem consumit, quæ ex veste eadem processit. Sciendum quoque quòd tinea sine sonitu perforat vestimentum: & plerunque cogitatio ita transfigit mentem, vt mens ipsa non sentiat, nisi postquam fuerit eius aculeo transfixa. Bene ergo dicitur quòd homo tanquam vestimentum à tinea consumitur: quia nonnunquam tentationum nostrarum vulnera non cognoscimus, nisi postquam ab eis confossi in mente fuerimus. Quam videlicet infirmitatem nostram bene adhuc sanctus vir considerans, adiungit:

Caput decimumquartum textus beati Iob.

HOmo natus de muliere, breui viuẽs tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet. Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos & adducere eum tecum in iudicium? Quis potest facere mundum de immundo cõceptum semine? Nónne tu qui solus es? Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est. Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt. Recede ergo paululum ab eo, vt quiescat, donec optata veniat, sicut mercenarij dies eius. Lignum habet spem. Si præcisum fuerit, rursum virescit, & rami eius pullulant. Si senuerit, in terra radix eius, & in puluere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit: & faciet comam, quasi cùm primum plantatum est. Homo verò cùm mortuus fuerit, & nudatus atque consumptus, vbi quæso est? Quomodo si recedant aquæ de mari, & fluuius vacuefactus arescat: sic homo cùm dormierit, nõ resurget. Donec atteratur cœlũ, non euigilabit, nec cõsurget de somno suo. Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abscondas me donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus in quo recorderis mei? Putásne mortuus homo rursum viuat? Cũctis diebus quibus nũc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Vocabis me, & ego respondebo tibi. Operi manuum tuarum porriges dexteram. Tu quidẽ gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis. Signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam. Mons cadens defluit, & saxum trãsfertur de loco suo. Lapides excauãt aquę, & alluuione paulatim terra consumitur: & homines ergo similiter

perdes. Roborasti eum paululum, vt in perpetuum transiret. Immutabis faciem eius, & emittes eum. Siue nobiles fuerint filij eius, siue ignobiles, non intelliget. Attamen caro eius dum viuet, dolebit: & anima illius super semetipso lugebit.

Humanæ vitæ breuitatem, & calamitatem describit. Caput XXVI.

26. HOmo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis.) In sacro eloquio mulier aut pro sexu ponitur, aut
Gala. 4. pro infirmitate. Pro sexu quippe, sicut scriptum est: Misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege. Pro
Eccle. 42. infirmitate verò, sicut per quendam sapientem dicitur: Melior est iniquitas viri, quàm benefaciens mulier. Vir etenim, fortis quilibet & discretus vocatur: mulier verò, mes infirma vel indiscreta accipitur. Et sæpe contingit, vt etiã discretus quisque subitò labatur in culpã: atq; indiscretus alius, & infirmus bonã exhibeat operationẽ. Sed is qui indiscretus atq; infirmus est, nonnunquã de eo quod bene egerit, amplius eleuatur, atque grauius in culpã cadit: discretus verò quisque
F ex eo quod malè se egisse intelligit, ad districtionis regulam arctius se reducit: & inde altius ad iustitiam proficit, vnde ad
Ibidem. tẽpus à iustitia cecidisse videbat. Qua in re rectè dicitur: Melior est iniquitas viri, quàm benefaciẽs mulier: quia nonnunquam etiã culpa fortiũ, occasio virtutis fit, & virtus infirmorum, occasio peccati. Hoc igitur loco mulieris nomine, quid nisi infirmitas designatur, cùm dicitur: *Homo natus de muliere?*) Ac si apertius dicatur: Quid in se habebit fortitudinis, qui natus est ex infirmitate? *Breui viuens tẽpore, repletur multis miseriis.*) Ecce viri sancti vocibus, pœna hominis breuiter est expressa: quia & angustat ad vitã, & dilatat ad miseriã. Si enim subtiliter cõsideretur omne, quod hîc agitur, pœna & miseria est.
Omne quid hic agitur: miseria est. Ipsi enim corruptioni carnis seruire ad necessaria atq; concessa, miseria est: vt cõtra frigus vestimẽta, contra famẽ alimẽta, contra æstũ frigora requirantur. Quòd multa cautela custoditur salus corporis, quòd etiam custodia amittitur, amissa cum graui labore reparatur: & tamen reparata in dubio sem-
G per est: quid hoc aliud quã mortalis vitæ miseria est? Quòd amamus amicos, suspecti ne offendi valeant: formidamus inimicos, atque securi de eis non sumus vtique, quos formidamus inimicos, atque securi de eis non sumus vtique, quos formidamus: quod plerunque inimicis sic cõfidẽter quasi amicis loquimur: & nonnunquam pura verba proximorum, & multum nos fortasse diligentium, quasi verba suscipimus inimicorũ: & qui falli nunquam, vel fallere volumus, ex cautela nostra grauius erramus: quid itaq; hoc nisi humanę vitæ miseria est? Quòd amissa cœlesti patria repulsus homo delectatur exilio, grauatur curis, & tamẽ cogitare dissimulat quã graue sit, quia multa cogitãtur: quòd priuatus est interno lumine, & tamẽ in hac vita diu vult perpeti cæcitatẽ suam: quid hoc aliud quàm de pœna nostra nata miseria est? Sed quanuis diu hîc stare desideret: ipso tamen cursu mortalis, vitę impellitur, vt egrediatur. Vnde vir sanctus rectè subiungit: *Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra: & nunquam in eodem statu permanet.*) Quasi flos enim egreditur, quia ni-
27. H tet in carne: sed conteritur, quia redigitur in putredinẽ. Quid enim sunt nati homines in mundo, nisi quidã flores in campo? Tendamus oculos cordis in hanc latitudinẽ mundi præsentis, & ecce quasi tot floribus, quot hominibus plenus est.
Psalm. 102. Vita itaque in carne, flos in fœno est. Vnde bene per Psalmi-
Esa. 40. stam dicitur: Homo, sicut fœnum dies eius: & sicut flos agri, ita florebit. Esaias quoque ait: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius sicut flos agri. Homo etenim more floris procedit ex occulto, & subitò apparet in publico: qui statim ex publico per mortẽ retrahitur ad occultũ. Carnis nos viriditas ostendit: sed ariditas pulueris ab aspectibus retrahit. Quasi flos apparuimus qui non eramus: quasi flos arescimus, qui tẽporaliter apparebamus. Et quia per momenta homo quotidie cõpellitur ad mortem: rectè adiungit: *Et fugit velut vmbra: & nunquam in eodem statu permanet.*) Sed cùm sol quoque indesinenter cursum suum peragat, nunquámque se in stabilitate figat: cur cursus vitæ hominis vmbrę potius quàm Soli comparatur, nisi quia amisso amore cõditoris, calorẽ cordis perdidit, & in solo iniquitatis suæ frigore remansit? Quia iuxta
E veritatis vocem: Abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorũ. Qui igitur in amore Dei, cordis calorem nõ habet: Matth. 24.
nec tamen vitam quã diligit tenet: scilicet velut vmbra fugit. Vnde rectè quoque de illo scripum est: quia secutus est vmbram. Bene autẽ dicitur: *Et nunquã in eodem statu permanet.*) quia dum infantia ad pueritiam, pueritia ad adolescentiam, adolescentia ad iuuentutem, iuuentus ad senectutẽ, senectus transit ad mortem: in cursu vitæ præsentis ipsis suis augmentis ad detrimenta impellitur: & inde semper deficit, vnde se proficere in spatium vitæ credit. Fixum etenim statum hîc habere non possumus, vbi transituri venimus: atque hoc ipsum nõstrum viuere, quotidie à vita trãsire est. Quem videlicet lapsum primus homo ante culpã habere nõ potuit: quia tempora eo stante transiebãt. Sed postquam deliquit, in quodam se quasi lubrico tẽporalitatis posuit: & quia cibũ comedit vetitũ, status sui protinus inuenit defectũ. Quã tamẽ mutabilitatem non solùm exterius, sed interius quoque homo patitur, dum ad meliora opera exurgere conatur. Mens etenim mu-
F tabilitatis suę põdere ad aliud semper impellitur quàm est, & nisi in statu suo arcta custodiæ disciplina teneatur, semper in deteriora dilabitur. Quæ enim semper stãtem deseruit, statũ quem habere potuit, amisit. Vnde nunc cùm ad meliora nititur, quasi contra ictum fluminis conatur. Cùm verò ab intẽtione ascendendi resoluitur, sine labore ad ima reducitur.

Quia enim in ascensu labor est, in descensu otium: intratũ-
28. ros per angustam portam Dominus admonet, dicens: Con-
Luc. 13. tendite intrare per angustam portam. Dicturus quippe angustæ portæ introitum, præmisit, contendite: quia nisi mentis contentio ferueat, vnda mundi non vincitur, per quam animo semper ad ima reuocatur. Quia igitur homo velut flos
Prouerb. 3. nascitur & conterit: quia sicut vmbra fugit, atque in statu suo nunquam permanet, quid in hac consideratione subiungat, audiamus. Sequitur: *Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculo tuos, & adducere eum tecum in iudicium?*) Consideraui quippe superius & omnipotentis Dei potentiam, & infirmitatem
G suam: deduxit ante oculos se & Deum, pensauit quis cum quo ad iudiciũ veniat. Vidit hinc hominem, inde conditorem, id est, puluerem, & Deum: & rectè ait: *Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos?*) Omnipotenti Deo oculos aperire, est iudicia exercere, quẽ fertur videre. Nã quasi clausis oculis non vult aspicere, quem non vult ferire. Vnde mox de ipso quoque iudicio adiungit: *Adducere eum tecum in iudicium?*) Sed quia contemplatus est ad iudicium venientem Deum, rursum cõsiderat infirmitatẽ suam. † Videt quia † al. Videtur.
mundus per semetipsum esse non possit, qui vt esse possit, de immunditia processit, atque subiungit: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nónne tu qui solus es.*) Is qui per se solus est mundus, mundare præualet immunda. Homo enim in corruptibili carne viuens, habet tentationum immũditias impressas in semetipso: quia nimirũ eas traxit ab origine. Ipsa quippe propter delectationem carnis eius cõceptio, immunditia est. Vnde & Psalmista ait: Ecce enim in iniqui- Psalm. 50.
tatibus conceptus sum, & in delectis peperit me mater mea. Hinc est ergo quòd plerunque tentatur & nolens. Hinc est quòd immunda quædam in mente patitur, quanuis ex iudicio reluctetur: quia conceptus de immunditia, dum ad munditiam tendit, hoc conatur vincere quod est. Quisquis autẽ occultæ tentationis motus, atque immunditiam cogitationis cuicerit, nequaquam sibi suam mũditiam tribuat: quia de immundo conceptum semine, nullus facere mundum potest, nisi is qui mundus per semetipsum solus est. Qui ergo iam ad locum munditiæ mente peruenit, conceptionis suæ viam respiciat per quam venit: atque inde colligat, quia ex sua virtute non habet munditiam viuendi: cui de immunditia factũ est initium subsistendi. Potest verò hoc in loco intelligi: quia beatus Iob incarnationem redemptoris intuitus, solùm vidit in mundo hominem de immundo semine non esse conceptum: qui sic in mundum venit ex virgine, vt nihil haberet de immunda conceptione. Neque enim ex viro & fœmina, sed ex sancto spiritu & Maria virgine processit. Solus ergo in carne sua verè mundus extitit, qui delectatione carnis tangi non potuit: quia nec per carnalem huc delectationem venit.

B. GREGORII MORALIVM LIBER DVODECIMVS CONTINVANS decimumquartum caput textus beati Iob.

Caput I.

MOS iustorũ est tantò sollicitius prę sentẽ vitam quàm sit fugitiua cogitare, quantò studiosius nouerint cœlestis patriæ bona
B ęterna perpendere. Ex his enim quæ manentia intus aspiciunt, foris fugam rerum labentium subtilius attendunt. Vnde beatus Iob cùm de lapsu humani temporis sententiam protulisset dicens: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore:* & rursum, *Et fugit velut vmbra: Et, nunquam in eodem statu permanet,* adhuc de breuitate vitæ eius adiungit: *Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est.*) Hoc etenim apud nos velut non esse considerat, quod tanta velocitate transcurrit. Quia verò apud omnipotentem Deum etiam labentia stant, apud eum esse numerum nostrorum mensium perhibet. Vel certè in diebus breuitas temporis: in mensibus verò quasi multiplicata dierum spatia designantur. Nobis ergo breues dies sunt. Sed quia vita nostra post tenditur, apud
Prouerb. 3. Deum numerus nostrorum mensium esse memoratur. Vnde per Salomonem dicitur: Longitudo dierum in dextera eius. Sequitur:

Quid sit quòd Ezechiæ quindecim animi sunt additi ad vitam: cùm ei per Esaiam dictum sit: Morieris tu, & non viues.

Caput II.

C *Constituisti terminos eius qui præteriri non poterunt.*) Nulla quæ in hoc mundo hominibus fiunt, absque omnipotentis Dei occulto consilio veniunt. Nam cuncta Deus secutura præsciens, ante secula decreuit, qualiter per secula disponantur. Statutum quippe iam homini est, vel quantùm hunc mundi prosperitas sequatur, vel quantùm aduersitas feriat: ne electos eius, aut immoderata prosperitas eleuet, aut nimia aduersitas grauet. Statutum quoque est quantùm in ipsa vita mortali temporaliter viuat. Nam etsi annos quindecim
4. Reg. 20. Ezechiæ regi ad vitam addidit omnipotens Deus, cùm eum mori permisit, tunc eum præsciuit esse moriturum. Qua in re quæstio oritur, quomodo ei per Prophetam dicatur: Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues: cui cùm mortis sententia dicta est: protinus ad eius lachrymas, est vita addita. Sed per Prophetam Dominus dixit, quo tempore mori ipse merebatur, per largitatem verò misericordiæ, illo eum tempore ad mortem distulit, quod ante secula ipse præsciuit. Nec Propheta igitur fallax, quia tempus mortis innotuit, quo vir ille mori merebatur: nec dominica statuta conuulsa sunt, quia vt ex largitate Dei anni vitæ crescerent, hoc quoque ante secula præfixum fuit: atque spatium vitæ quod inopinatè foris est additum, sine augmento in præscientia
2. fuit intus statutum. Bene ergo dicitur: *Constituisti terminos eius: qui præteriri non poterunt.*) Quod tamen intelligi etiam iuxta spiritum valet: quia nonnunquam in virtutibus proficere conamur, & quædam dona percipimus: à quibusdam verò repulsi in imis iacemus. Nemo enim est, qui tantum virtutis apprehendat, quantum desiderat: quia omnipotens Deus interiora discernens, ipsis spiritalibus profectibus modum ponit: vt ex hoc homo quod apprehendere conatur, & non valet, in illis se non eleuet quæ valet. Vnde ille quoque egregius prædicator, qui raptus ad tertium cœlum fuerat, paradisi arcana penetrauerat, esse post reuelationem tranquillus atque intentatus non valebat. Sed quia omnipotens Deus terminos constituit homini, qui præteriri non poterant: & eleuauit hunc ad cognoscenda sublimia, & reduxit iterum ad infirma toleranda, vt modi sui mensuram aspiciens, dum securitatẽ comprehendere conaretur, & non posset: ne per elationem extra se iret, per humilitatem cogeretur intra suos semper terminos redire. Sequitur:

Quòd sancti quasi mercenarij in laboribus huius mundi gemunt & ad retributionis suæ denarium suspirant.

Caput III.

R*Etede paululum ab eo, vt quiescat donec optata veniat sicut mercenarij dies eius.*) Hoc loco recede dicitur, vim flagelli amoue. Quis enim valet Deo recedente requiescere, cùm solus ipse sit requies, & à quo quisque quantò longè fuerit, fit tantò & inquietus? Itaque sic recede ab eo dicitur, vt intelligas, feriendo. Aptè autem subiungitur: *Donec optata veniat sicut mercenarij dies eius.*) Mercenarius quantò longè est à fine operis, tantò & à retributione mercedis. Ita vir quisque sanctus in hac vita positus, dum longè se esse ab exitu vitæ præsentis conspicit, lõgè se esse ab æternis gaudiis gemit. Quid est ergo dicere: Recede paululum ab eo vt quiescat, nisi iã flagella vitæ præsentis subtrahe, & bona æternæ quietis ostende? Vnde etiam de ipsa quiete additur: Donec optata veniat sicut mercenarij dies eius. Tunc nanque homini optata, sicut mercenarij dies eius venit, quando æternam requiem pro recompensatione sui laboris acceperit. Quantum verò ad præsentis vitę speciem spectat, adhuc beatus Iob humanũ genus multis miseriis repletum, quàm sit despectum insinuat: quãtúmque ipsa insensibilia ipsum præire videantur narrat, cùm dicit:

Quòd sanctorum mors in nobis per exemplum fructificat.

Caput IIII.

L*Ignum habet spem. Si præcisum fuerit, rursum virescit, & rami eius* 3.
pullulant. Si senuerit radix eius in terra, & in puluere mortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit: & faciet comam, quasi cum primum plantatum est. Homo verò cùm mortuus fuerit, & nudatus atque consumptus, vbi quæso est?) Sed quia hoc iuxta literam patet, debemus sensum ad interiora reducere: & qualiter hæc iuxta spiritum intelligi debeant, perscrutari. In scriptura etenim sacra, ligni nomine aliquando crux, aliquando vir iustus, etiam iniustus, aliquando verò incarnata Dei sapientia figuratur. Crux etenim ligno signatur, cùm dicitur: Mittamus li- Hier. 11.
gnum in panem eius. Lignum quippe im panem mittere est, dominico corpori crucem adhibere. Rursum ligni nomine vir iustus, aut etiam iniustus exprimitur: sicut per Prophetam Dominus dicit. Ego Dominus humiliaui lignum sublime, & Ezec. 17.
exaltaui lignum humile. Quia iuxta eiusdem veritatis vocem: Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exalta- Luca. 14.
bitur. Salomon quoque ait: Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem: in quocunque loco ceciderit, ibi erit. In Eccles. 11.
die etenim mortis suæ iustus ad Austrum cadit, peccator ad Aquilonem: quia & iustus per feruorem spiritus ad gaudia Esaia. 14.
ducitur, & peccator cum apostata angelo, qui dixit: Sedebo in monte testamẽti, in lateribus Aquilonis, in frigido suo corde reprobatur. Rursum per lignum incarnata Dei sapientia figuratur, sicut de ea scriptum est: Lignum vitæ est his qui ap- Prouer. 3.
prehenderint eam: & sicut ipsa ait: Si in viridi ligno hæc fa- Luca. 23.
ciunt, in arido quid fiet? Hoc itaque loco cùm lignum præfertur homini, quid homo nisi carnalis quisque accipitur? Et
D quid ligni nomine, nisi iusti vniuscuiusque vita designatur? Lignum etenim habet spem: si præcisum fuerit, rursum virescit: quia cùm in morte passionis pro veritate iustus afficitur, in æternę vitę viriditate recuperatur: Et qui hîc virebat per fidem, illic virescit per speciem. Et rami eius pullulãt: quia plerunque ex passione iusti, fideles quique ad amorem cœlestis patriæ multiplicãtur, & viriditatem vitæ spiritalis accipiunt, dum hîc pro Deo fortiter egisse gratulantur. Sequitur: *Si senuerit in terra radix eius, & in puluere mortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam cùm primum plantatum est.*) Quid radix iusti, nisi sancta prædicatio: quia ab ipsa oritur, & in ipsa subsistit, & quid terræ vel puluerís nomine, nisi pec-
cator accipitur? cui voce cõditoris dicitur: Terra es, & in ter- Gene. 3.
ram ibis. Vel certè sicut habet nostra trãslatio: Puluis es, & in puluerem reuerteris. Iusti igitur radix in terra senescit, & in puluere truncus emoritur: quia apud corda prauorũ, eius prædicatio despecta, cũctísque viribus effœta creditur. Et in puluere truncus emoritur: quia inter manus persequentiũ corpus illius examinatur. Iuxta Sapientię etenim vocem: Visi sunt o- Sapien. 3.
culis insipientium mori, & æstimata est afflictio exitus illorũ:

Sed iste cuius radix in terra senuit, & in puluere truncus mortuus est, ad odorem aquæ germinat: quia per afflatum sancti spiritus, in electorum cordibus exemplo sui operis germen virtutis facit. Aquæ etenim appellatione, nonnunquàm sancti spiritus irrigatio designari solet, sicut scriptum est: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. *Et faciet comam quasi cùm primum plantatum est.*) Succiso trunco comam facere, est extincto corporaliter iusto, ipso suæ passionis exemplo multorum corda suscitare, & ex fide recta viriditatem veritatis ostendere. Bene autem dicitur: Quasi cum primum plantatum est. Omne quod hîc à iustis agitur, secunda plantatio est: quia prima videlicet plantatio non in opere iustorum, sed in præscientia conditoris est. Et quia cuncta quæ agunt electi, sicut prius interius conspiciuntur atque disponuntur: ita postmodum exterius perficiunrur, bene dicitur: Faciet comam quasi cum primum plantatum est, id est, viriditatem suam ostendit in effectu operis, quam prius habuit in præscientia conditoris. Potest etiam radix iusti, ipsa natura humanitatis intelligi, ex qua subsistit. Quæ videlicet radix senescit in terra, cùm natura carnis deficit in puluerem redacta. Cuius in puluere truncus emoritur, quia extinctum corpus, à sua specie dissipatur. Sed ad odorem aquæ germinat: quia per aduentum sancti spiritus resurgit. Et faciet comam quasi cùm primum plantatum est, quia ad illam speciem redit ad quam percipiendam creatus fuerat, si in paradiso positus, peccare noluisset. Quod fortasse etiam de Domino ipso, scilicet bonorum omnium capite, valet intelligi: iuxta hoc vtique quod prædiximus, quia de semetipso ait: Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Se enim lignũ viride, & nos lignum aridum dixit: quia ipse in se* vim diuinitatis habuit, nos verò qui puri homines sumus, liguum aridum appellamur. Habet ergo lignum spem, si præcisum fuerit, quia rursum virescit: quoniam & si occîdi per passionem potuit, per resurrectionis gloriam rursus ad vitæ viriditatem venit. Huius rami pullulant, quia ex resurrectione illius multiplicati, longè latéque fideles creuerunt. Huius radix in terra quasi senuit, quia eius prædicatio Iudæorum perfidiæ despecta fuit. Et in puluere truncus emortuus est: quia in corde persequentium, quod perfidiæ suæ vento leuabatur, contemptibilis & despectus est habitus: quia carne potuit occidi. Sed ad odorem aquæ germinauit, quia per virtutem Dei, extincta caro illius ad vitam rediit, iuxta quod scriptum est: Quem Deus suscitauit à mortuis. Quia enim Deus trinitas est, extinctam carnem vnigeniti filij sancta trinitas, id est, pater & idem filius, & spiritus sanctus resuscitauit. Et fecit comam quasi cumprimum plantatum est: quia illa Apostolorum debilitas quæ in morte illius expauit, & negauit, & negando aruit: per resurrectionis eius gloriam rursus ad fidem viruit. In cuius ligni comparatione quid omnis homo nisi puluis est? Vnde & subditur. *Homo verò cùm mortuus fuerit, & nudatus atque consumptus, vbi quæso est?*) Nullus homo sine peccato est, nisi ille qui in hunc mundum non venit ex peccato. Et quia omnes in culpa ligamur, ipsa amissione iustitiæ morimur: concessa prius in paradiso veste innocentiæ nudamur: interitu etiam carnis subsequente consumimur. Homo itaque peccator moritur in culpa, nudatur à iustitia, consumitur in pœna. Hanc nuditatem peccatoris filij tegere dignatus est pater, qui eo redeunte dixit: Citò proferte stolam primam. Prima quippe stola, est vestis innocentiæ, quam homo bene conditus accepit, malè à serpente persuasus perdidit. Contra hanc rursum nuditatem dicitur: Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet. Vestimenta quippe custodimus, cùm præcepta innocentiæ seruamus in mente: vt cùm nos iudici culpa nudat, ad amissam redeuntes innocentiam pœnitentia operiat. Bene autem dicitur: *Vbi quæso est?*) quia peccator homo illic stare noluit, vbi conditus fuit: hîc verò, vbi cecidit, diu esse prohibetur. Patriam volens perdidit: à peregrinatione verò sua quam diligit, inuitus expellitur. Vbi ergo est qui in eius amore non est, vbi verum esse est? Sequitur: Quomodo si recedant aquæ de mari, & fluuius vacuefactus arescat, sic homo cùm dormierit, non resurget.) Mare mẽs hominis, & quasi fluct' maris sunt cogitationes mentis, quæ aliquando per iram tumescunt, per gratiam tranquillæ fiunt, per odium cum amaritudine defluunt. Sed cùm homo moritur, aquę maris recedunt, quia iuxta Psalmistæ vocem: In illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Et rursum de moriente scriptum est: Amor quoque & odium simul peribunt. Arescit ergo fluuius vacuefactus: quia sub ducta anima, vacuum remanet corpus. Quasi enim alueus fluminis vacuus, est corpus exanime. Qua in re vigilanter intuendum est: quia vita præsens, videlicet quousque anima moratur in corpore, mari comparatur & fluuio. Aqua enim maris amara est, fluminis dulcis. Et quia hîc viuentes modo quibusdam amaritudinibus afficimur, modo autem dulcedine tranquilli ac mites inuenimur, præsentis vitæ decursus comparatione exprimitur maris & fluminis.

Ioan. 4. *Ioan. 7.* ** al. lumen.* *Act. 2.* *Nullus homo sine peccato est.* *Lucæ 15.* *Apoca. 16.* *Psalm. 145.* *Eccles. 9.* *Vita præsens comparatur mari & fluuio.*

Quòd nisi prius elementa ardore soluantur, resurrectio mortuorũ non fit.

Caput V.

S Ed in his durum valde videtur esse quod subditur: *Sic homo cùm dormierit, non resurget.*) Cur itaque laboramus, si in resurrectionis retributionem non tendimus? Quomodo autem dicitur: Non resurget, cùm scriptum sit: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur? Et rursum: Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Et per semetipsam veritas dicit: Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem eius, & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ. Sed subiuncta sententia indicat, quæ discretio in præmissa lateat. Nã subditur: *Donec atteratur cœlum, non euigilabit, nec consurget de somno suo.*) Liquet enim quia non resurget, scilicet donec atteratur cœlũ: quia nisi mundi huius finis aduenerit, humanum genus à somno mortis ad vitam non euigilabit. Non ergo quia omnino non resurgat, sed quia ante contritionem cœli, humanum genus minimè resurgat, insinuat. Notandum quoque est, cur postquam superius hominem mortuum dixit, inferius non mortuum, sed dormientem nominat, eúmque de somno suo minimè resurgere, donec cœlum atteratur narrat, nisi quòd patenter datur intelligi: quia in comparatione ligni reuirentis, hominem mortuum peccatorem nominat, à vita scilicet iustitiæ extinctum. Vbi autem de morte carnis loquitur, non hanc mortem, sed somnum maluit vocare, spem proculdubio resurrectionis insinuans: quia sicut citius homo à somno euigilat, ita concitè ad conditoris nutũ à morte corporis resurget. Vehementer enim ab infirmis mẽtibus nomen mortis pertimescitur, somni autem vocabulum non timetur. Vnde & Paulus discipulos admonet, dicẽs: Nolumus autem ignorare vos fratres de dormientibus, vt nõ contristemini sicut & cæteri qui spem non habent. Si enim credimus quòd Iesus mortuus est & resurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum adducet cùm eo. Quid est quòd prædicator egregius mortem Domini, mortem vocat: mortem seruorum domini, non mortem, sed somnum nominat, nisi quia infirma corda audientium respiciens, medicamentum prædicationis suæ mira arte componit: & illum quẽ iam resurrexisse nouerant, eis mortuum insinuare non dubitat: eos verò qui necdum resurrexerant, vt spem resurrectionis insinuet, non mortuos, sed dormientes vocat? Non enim verebatur dicere mortuum quem auditores iam resurrexisse cognouerant: & verebatur dicere mortuos, quos resurgere vix credebant. Batus igitur Iob quia carne mortuos ad vitam rursus euigilare non dubitat, eos dormientes potius quàm mortuos appellat. Sequitur:

Ioan. 5. *1. Thess. 4.*

Quòd ante aduentum Christi nemo tam probatæ vitæ fuit, quin ad infernum descenderet: & quod ibi loca sint in quibus sancti dei quiescebant: & item alia inferiora in quibus mali puniebantur.

Caput VI.

Q *Vis mihi tribuat vt inferno protegas me?*) Quia ante aduentum mediatoris Dei & hominis, omnis homo quanuis mundæ probatæque vitæ fuerit, ad inferni claustra descendit, dubium non est: quoniam homo qui per se cecidit, per se ad paradisi requiem redire non potuit, nisi veniret ille, qui suæ incarnationis mysterio eiusdem nobis paradisi iter aperiret. Vnde & post culpam primi hominis, ad paradisi aditum romphæa flammea posita esse memoratur, quæ & versatilis dicitur, pro eo quod quandoque veniret tempus, vt etiam remoueri potuisset. Nec tamen ita iustorum animas ad infernum dicimus descendisse, vt in locis pœnalibus tenerentur. Sed esse superiora inferni loca, esse alia inferiora credẽda sunt: vt & in superioribꝰ iusti requiescerent, & in inferioribus iniusti cruciarentur. Vnde & Psalmista propter præuenientem se Dei gratiam dicit: Eripuisti animam meam ex inferno inferiori. Beatus igitur Iob ante mediatoris aduentum ad infernum se descendere sciens, conditoris sui illic protectionem postulat: vt à locis pœnalibus alienus existat, vbi dum ad requiem ducitur, à suppliciis abscondatur. Vnde subiungit:

Psalm. 85.

Quòd furor districtionis diuinæ tunc pertransit, cùm electorum animas in infernum descendens redemptor noster secum eduxit.

Caput VII.

E *T abscondas me donec pertranseat furor tuus.*) Furor etenim omnipotẽtis Dei in hoc quotidie vim suæ districtionis peragit, quòd viuentes indignè, dignis suppliciis demergit. qui furor nunc quidem transit, sed in fine pertransit: quia modo agitur, sed in mundi termino consummatur. Qui tamen iste furor, quantum ad electorum animas, in redemptoris nostri aduentu pertransijt: quia eas ab inferni clausstris ad paradisi gaudia mediator Dei & hominum, dum ipse illuc piè descenderet, reduxit. Inter hæc verò sciendum est, quòd furoris nomen diuinitati non congruit: quia naturam Dei simplicem perturbatio nulla confundit. Vnde ei dicitur: Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos. Sed quia iustorum animæ, per mediatoris aduentum erant quandoque ab inferni locis, quanuis non pœnalibus, liberandæ: hoc quoque iustus vir præuidet, & petendo subiungit:

Quòd tempus in quo recordatus est nostri Deus, primus eius aduentus sit, in quo nos iustificauit: & secundus, in quos nos glorificabit.

Caput VIII.

E *T constituas mihi tempus in quo recorderis mei?*) At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege: vt eos qui sub lege erant, redimeret. Hanc itaque redemptionem vir Domini præsciens, in qua erant multi etiam ex gentilitate liberandi, sicut ipse ait: Licèt hæc cæles in corde tuo, tamen scio quia vniuersorum memineris: apud omnipotentem Deum tẽpus, sibi constitui suæ recordationis petit. Hinc est enim quod in Euãgelio Dominus dicit: Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum: omnia videlicet electa. Non enim ab inferno rediens Dominus, electos simul & reprobos traxit, sed illa exinde omnia sustulit, quæ sibi inhæsisse præsciuit. Vnde etiam per Osee prophetam dicit: Ero mors tua ô mors, ero morsus tuus inferne. Quod enim occidimus, agimus vt penitus non sit. Ex eo enim quod mordemus, partem abstrahimus, partémque relinquimus. Quia ergo in electis suis funditùs Dominus occidit mortem, mors mortis extitit. Quia verò ex inferno partem abstulit, partémque reliquit, non occîdit funditùs, sed momordit infernum. Dicit ergo: Ero mors tua ô mors, id est, in electis meis te funditùs perimo. Ero morsus tuus inferne: quia sublatis eis te ex parte transfigo. Sciens igitur beatus Iob hunc aduentum ad inferos redemptoris nostri, petat quod futurum præuidit, & dicat: Et constituas mihi tempus in quo recorderis mei. Sequitur: *Putásne mortuus homo rursum viuat?*) Solent iusti viri in eo quod ipsi certum ac solidum sentiunt, quasi ex dubietate aliquid proferre, vt infirmorum in se verba transferant. Sed rursum per fortem sententiam infirmanti dubietati omnimodo contradicunt: quatenus per hoc quòd dubiè proferre cernũtur, infirmis aliquatenus condescendant: & per hoc quòd certam sententiam proferunt, infirmorum mentes dubias ad solidi-tatem trahant. Quod nimirum dum faciunt, exemplum nostri capitis sequuntur. Passioni quippe Dominus propinquãs infirmantium in se vocẽ sumpsit, dicens: Pater mi si possibile est, transeat à me calix iste: eorúmque timorem, vt abstraheret, susceepit: & rursus per obediẽtiam vim fortitudinis ostẽ-

8. *Galat. 4.* *Ioan. 12.* *Osee. 13.* *Matth. 26.*

dens, ait: Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu: vt cùm hoc imminet quod fieri nolumus, sic per infirmitatem petamus, vt non fiat: quatenus per fortitudinẽ parati simus, vt voluntas conditoris nostri etiam contra voluntatem nostram fiat. Hoc igitur exemplo nonnunquam à fortibus infirmitatis verba suscipienda sunt: vt per eorum post prædicamenta fortia, infirmorum corda gratius roborẽtur. Vnde beatus Iob cùm quasi dubitantis verba protulit, dicens: Putásne mortuus homo rursum viuat? ilico sententiam suæ certitudinis adiunxit, qua ait:

Certitudinem suam de resurrectione sanctus Iob indicat, qui immutationem suam tanto desiderio expectat.

Caput IX.

C *Vnctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.*) Qui itaque immutationem suam tanto desiderio expectat, quàm sit de resurrectione certus, insinuat: & cursum vitæ præsentis quantum despiciat, innotescit: quia hunc militiam appellat. Per militiam quippe semper ad finem tenditur, & quotidie conclusionis terminus expectatur. Cursum itaque vitæ huius despicit, & statum soliditatis requirit, qui per hoc quòd mutabiliter militat, ad immutationem suam peruenire festinat. Iustis quippe in hac vita ipsa sarcina suæ corruptionis onerosa est, quod vigiliæ defatigãt: somnus queritur, vt vigiliarum labor atque anxietas temperetur. Sed nõnũquam etiam somnus occidit, fames corpus atterit, atque vt eius necessitas repellatur, cibi requiruntur: sed sæpe & cibi grauant, qui ad repellendũ debilitatis grauamen quæsiti fuerant. Grauis itaque est sarcina corruptionis, quæ nisi ita grauis esset, Paulus nequaquam diceret: Vanitati creatura subiecta est, non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe: quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorũ Dei. Scimus enim quòd omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc. Sanctus ergo vir incorruptionis statum desiderans dicat: Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. In qua immutatione quid agatur, adiungit:

9. *Roma. 8.*

Quòd tunc vocanti Deo respondeat, quando in incorruptione similis ei erit: nunc autem corruptibilis incorruptibilis non aperiè respondet.

Caput X.

V *Ocabis me, & ego respondebo tibi.*) Respondere cuilibet dicimur, cùm eius factis cõgrua ad vicem opera reddimus. In illa igitur commutatione vocat Dominus & respondet homo: quia ante incorrupti claritatem incorruptus homo ostenditur post corruptionem. Nunc etenim quousque subditi corruptioni sumus, authori nostro minimè respondemus: quia dũ corruptio ab incorruptione lõgè est, similitudo apta nostræ responsioni non est. De illa verò immutatione scriptum est: Cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Tunc ergo vocanti Deo veraciter respõdemus quando ad summæ incorruptionis iussum incorruptibiles surgimus. Et quia hoc percipere creatura ex semetipsa non valet, sed solius omnipotentis Dei dono agitur, vt ad tantam incorruptionis gloriam permutetur: rectè subiũgitur:

1. Ioan. 3. *10.*

Quòd humana natura nisi dei gratia erigatur, per se non conualescit. *Caput XI.*

O *Peri manuum tuarum porriges dexteram.*) Ac si apertè dicat: Idcirco creatura corruptibilis persistere ad incorruptionem poterit, quia tuę potestatis manu erigitur, & tui respectus gratia vt persistat, tenetur. Humana nanque creatura, coipso quòd creatura est, in semetipso habet sub se defluere: sed à cõditore suo homo accepit, vt & super se contemplatione rapiatur, & in semetipso in corruptione teneatur. Creatura ergo ne sub se defluat, sed in incorruptione persistat, ad incorruptibilitatis statum authoris sui dextera leuatur. Potest quoq; dexteræ nomine, filius designari: quia omnia per ipsum facta sunt. Operi igitur manuum suarum porrexit omnipotens Deus dexteram suam: quia vt abiectum atque in infimis iacens ad summa erigeret genus humanum, incarnatũ ad hoc vnigenitum misit. Ex cuius nobis incarnatione datum est, vt qui ex voluntate propria in corruptionẽ cecidimus, vocãti nos Deo quandoque ad incorruptionis gloriam, respõdere valeamus. Quia in re largitatẽ diuinæ misericordiæ pensare quis valeat,

quòd ad tantam perducit gloriam, hominem post culpam? Pensat Deus mala quę facimus, & tamen per benignitatis suę gratiam ea misericorditer relaxat. Vnde & subditur:

Quòd omnia nostra opera quasi in sacculo sigillata sunt, quandiu non pœnitemus, donec excutiantur in iudicio: & quòd ea quæ hic pœnituimus, nequaquam Deus in vltimo examine iudicat.

Caput XII.

TV *quidem gressus meos dinumerasti, sed parcis peccatis meis.*) Gressus Deus dinumerat, cùm singula quæque nostra opera propter retributionem signat. Quid enim in gressibus, nisi vnaquæque nostra actio designatur? Omnipotens itaque Deus & gressus dinumerat, & peccatis parcit: quia & subtiliter acta nostra considerat, & tamen hæc pœnitentibus misericorditer relaxat. Qui & duritiam in peccantibus conspicit, sed tamen hanc præueniente gratia ad pœnitentiam emollit. Culpas ergo dinumerat, cùm nosipsos ad singula quæ fecimus, deflenda conuertit, quas misericorditer relaxat: quia ea dum nos punimus, ipse nequaquam in extremo examine iudicat: Paulo attestante, qui ait: Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Vnde adhuc subditur:

1.Corin. 11. *Signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam.*)

11. Signantur quasi in sacculo delicta nostra, quia hoc quod nos exterius agimus, nisi pœnitentia interueniente diluamus, in secreto iudiciorum Dei sub quadam occultatione seruatur: vt quandoque etiam de sigillo secreti exeat ad publicum iudicij. Vnde etiam per Moysen dicitur: Nonne hæc congregata sunt apud me, & signata in thesauris meis? In die vltionis reddam illi. (Deut. 32.) Cùm verò pro malis quæ fecimus, disciplinæ flagello atterimur, & hæc per penitentiam deflemus: iniquitatem nostram signat & curat: quia nec inulta hîc deserit, nec in iudicio punienda reseruat. Signat igitur delicta: quia ea hîc subtiliter attendit, vt feriat: curat verò, quia hæc flagellum funditùs relaxat. Vnde iniquitatem quoque illius persecutoris sui quem in terra prostrauerat, signando curauit, cùm de illo ad Ananiam dixit: Vas electionis mihi est iste, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus, & filiis Israël. (Act. 9.) Ego enim ostendam illi, quanta eum oporteat pro nomine meo pati. Cui enim adhuc pro transactis excessibus venturas passiones minatur: profectò hoc quòd deliquerat, in corde signatum tenebat. Sed proculdubio delicta eius signādo curauerat, quem vas electionis vocabat. Vel certè peccata nostra signātur in sacculo, cum mala quæ fecimus, sollicito semper corde pensamus. Quid nanque est cor hominis, nisi sacculus Dei? Vbi dum studiosè conspicimus per quanta deliquimus, peccata nostra quasi in Dei sacculo signata portamus. An non peccatum suum Dauid signatum tenebat in sacculo, qui dicebat: Iniquitatem meam ego agnosco, & delictum meum coram me est semper? (Psalm. 50.) Et quia culpas quas nos intuendo, & pœnitendo cognoscimus, pius nobis conditor relaxat, rectè post signata in sacculo delicta, subiungitur: *Sed curasti iniquitatem meam.*) Ac si apertè dicat: Quæ modò signas vt pœnitendo videam, agis proculdubio ne in retributione videantur. Sequitur:

Quòd quibusdam subitis, & repentinis tentationibus, excellentes viri, qui quasi montes sunt, aliquando ruant: & alij nonnulli lentis, & mollibus blandimentis, quasi aquis fluxu continuo excauantibus fortè propositum mentis, vsque in luxuriam permittente Deo dissoluuntur. *Caput XIII.*

MOns *cadens defluit, & saxum transfertur de loco suo. Lapides excauant aquæ, & alluuione paulatim terra consumitur: & homines ergo similiter perdes.*) Hoc crebrò agitur, vt cedentibus rupibus, saxum ad loca alia transferatur: vt aquæ lapides excauēt, & paulatim terra alluuionibus cōsumatur. Sed magna nobis intentione discutiendum est quod infertur: *Et homines ergo similiter perdes.*) Quid est enim hoc quòd cadenti monti, & saxo translato, quòd excauato lapidi, & per alluuionem terræ consumptæ, perditio humana comparatur, nisi hoc quod patenter datur intelligi: quia duo sunt genera tentationum? Vnum quod in mente etiam iusti hominis per repentinum euentum agitur, quatenus sic subitò tentetur, vt hunc inopinato prouentu cōcutiat & prosternat, casúmque suum non nisi postquam ceciderit, videat. Aliud verò quod paulatim venit in mentem, & resistentem animum lenibus suggestionibus inficit: & omnes in eo vires iustitiæ non nimietate sua, sed asiduitate consumit. Quia ergo alia est tentatio quæ iustos plerunque subita inuasione prosternit, dicatur: Mons cadens defluit, & saxum transfertur de loco suo, id est, mens sancta cuius locus iustitia fuerat, impulsu subito transfertur ad culpam. Rursum quia alia est tentatio quæ se cordi hominis leuiter infundit, omnémque duritiam fortitudinis corrūpit atque consumit, dicatur: Lapides excauant aquæ: quia videlicet duritiam mentis absorbent asidua & mollia blandimenta libidinis, & lētum atque subtile vitium corrumpit durum & forte propositū mentis. Vnde subditur: *Et alluuione paulatim terra consumitur.*) Sicut enim influente aqua paulatim terra consumitur: sic leniter surripēte vitio, mens etiam fortis absorbetur. 12. Vnde bene subiungitur: *Et homines ergo similiter perdes.*) id est, quia cùm tentationem iusto iudicio eius mēti, qui stare in alto cernitur, repente dominari permittis, cadere ac defluere montē facis: & cùm voluntas ad vitium cōmutatur, quasi ad locū alium transfertur saxum. Cùm verò tentationem lentā atque subtilem, sed tamē asiduā eorū, qui fortes esse creduntur, præualere mentis finis: quasi lapides excauant aquæ, & alluuione paulatim terra cōsumitur: quia nimirum suggestione leni subacta mētis duritia mollitur. Videamus, Dauid ille quantū mons altus fuerit, qui tanta Dei mysteria prophetico spiritu valuit contemplari: sed aspiciamus quàm subito casu defluxit, qui dum in solario deambulans, alienam coniugem concupiuit & abstulit: eiusque virum cū damno sui exercitus interemit, repētino casu mons cecidit, cùm mens illa mysteriis cœlestibus assueta, inopinata tentatione deuicta est: tamque immanissimæ turpitudini subacta. (3. Regū. 11.) Saxum itaq; de loco suo translatū est, cùm prophetæ animus à prophetiæ mysteriis exclusus, ad cogitandas turpitudines venit. Videamus etiam qualiter lapides excauāt aquæ, & alluuione paulatim terra cōsumitur. Salomon quippe inmoderato vsu atque asiduitate mulierū ad hoc perductus est, vt tēplum idolis fabricaret: & qui prius Deo templū cōstruxerat, asiduitate libidinis, etiam perfidię substratus, idolis cōstruere templa non timnit, (3. Regū. 11. 32. q. 4. Salomon.) Sicque factum est, vt ab asidua carnis petulantia, vsque ad mentis perfidiam perueniret. Quid itaque aliud quàm aquæ excauarunt lapidem: & alluuione paulatim terra cōsumpta est? Quia surripente paulisper infusione peccati, terra cordis illius ad cōsumptionē defluxit. Cōsiderat ergo beatus Iob vtrasque tētationes, vel subitam, & immensam, vel lentam atque longiorem: cōsideret casus hominum, & ex his quæ exterius accidunt, rapiat interius contemplationem, dicens: *Mons cadens defluit, & saxum transfertur de loco suo. Lapides excauant aquæ, & alluuione paulatim terra consumitur: & homines ergo similiter perdes?*) id est, sicut hæc insensibilia modò subitò corruūt: modò paulisper infusa aquarū mollitie consumuntur: ita etiam eum quem rationabilem cōdidisti, vel subita tentatione deiicis, vel longa ac lenta consumi permittis. Atque mox eandem rationabilem creaturam verbis sequentibus explicat, dicens: *Roborasti eum paululum, vt in perpetuum transiret.*) Paululum roboratus est homo, quia hîc viuendi vires ad modicum accepit, vt in perpetuū transeat, vbi eius vitam terminus non cōcludat. Sed in hac breuitate vbi roboratus est, colligat vnde in perpetuitate inueniat, vel vt semper gaudeat, vel suscepta supplicia non euadat. Qui pro eo quòd paululum roboratus est, vt in perpetum transeat, apertè mox subditur:

Quòd sanctorum animæ quæ intus claritatem dei vident, quod extra est, non ignorant: carnalium verò animæ, vtrùm filij, vel cætera quæ maxime amauerunt, bene vel malè se habeant, nesciunt.

Caput XIIII.

IMmutabis *faciem eius, & emittes eum.*) Facies hominis immutatur, cum eius species morte atteritur. Emittitur verò, quia ab his quæ volens tenuit, transire ad æterna cogitur nolens; dumque ad illa perducitur, hæc quæ diu cogitata tenuit, qualiter sese habitura sint relicta, nescit. Vnde & additur: *Siue nobiles fuerint filij eius siue ignobiles, non intelliget.*) Sicut enim hi
13. qui adhuc viuentes sunt, mortuorum animæ quo loco habeantur, ignorant: ita mortui vitam in carne viuentium post eos qualiter disponatur: quia & vita spiritus, longè est à vita

vita carnis: & sicut corporea atque incorporea diuersa sunt genere, ita etiam distincta cognitione. Quod tamen de animabus sanctis sentiendum non est: quia quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid quod ignorent. Sed carnales quique quia amorem præcipuum filiis impendunt, hoc eos beatus Iob nescire postmodum asserit, quod hîc vehementer amauerunt: vt siue nobiles siue ignobiles sint filij, nesciāt, quorum eos semper cura fatigabat. Quod tamen si intelligi spiritaliter debet, non incongruè filiorum nomine, opera designantur: sicut de muliere Paulus dicit: Quia salua erit per filiorum generationē. (1. Tim. 2.) Neque enim mulier quæ continentiæ studens, nequaquam filios generet, salua non erit, sed per generationem filiorum saluari dicitur: quia per effectum bonorum operum perpetuæ saluti sociatur. Nobiles ergo sunt filij, recta opera: ignobiles autem facta peruersa. Et sæpe homo agere quælibet bona intentione nititur: sed tamen pro multis quæ surripiūt, eius acta apud omnipotentem Deum qualiter habeātur, incertum est. Siue itaque nobiles fuerint filij eius siue ignobiles, non intelliget: quia subtili examine discussa, vtrum approbentur eius opera an reprobentur, ignorat. Et hîc ergo homo in dolore laboris est positus, & illuc ducitur in timore suspicionis. Vnde adhuc de ipso præsentis vitæ labore subiungitur: *Attamen caro eius dum viuit, dolebit: & anima eius super semetipso lugebit.*) De coniugibus Paulus dicit: Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. (1. Corin. 7.) Sed tribulationem carnis hîc pati possunt, etiam iam qui spiritaliter viuunt. Cur ergo inesse coniugibus carnis tribulatio quasi specialiter dicitur, quę etiam à vita spiritalium longè nō est, nisi quòd hi frequenter maiores tribulationes ex carne suscipiunt, qui carnis voluptatibus delectātur? Bene autem dicitur: *Et anima eius super semetipso lugebit:*) quia quisquis gaudere in se appetit, eoipso iam in luctu est, quo à vera lætitia recesit. Vera quippe lætitia mentis, creator est. Dignum itaque est, vt in se semper homo mœrores inueniat, qui derelicto creatore, in se gaudium quærebat. Sequitur:

Caput decimumquintum beati Iob.

REspondens autem Eliphas Themanites dixit: Nunquid sapiens respōdebit quasi in ventum loquens, & implebit ardore stomachum suum? Arguis verbis eum qui nō est æqualis tibi: & loqueris quod tibi non expedit. Quantum in te est, euacuasti timorem: & tulisti preces coram Deo. Docuit enim iniquitas tua os tuū, & imitaris linguam blasphemantium. Condemnabit te os tuum, & non ego: & labia tua respōdebunt tibi. Nunquid primus homo tu natus es, & ante omnes colles formatus? Nunquid consilium Dei audisti, & inferior te erit eius sapiētia? Quid nosti quod ignoremus? quid intelligis quod nesciamus? Et senes & antiqui sunt in nobis, multo vetustiores quā patres tui. Nunquid grande est vt consoletur te Deus? Sed verba tua praua hoc prohibent. Quid te eleuat cor tuū, & quasi magna cogitās, attonitos habes oculos. Quid tumet contra Deum spiritus tuus, vt proferas de ore tuo huiusmodi sermones? Quid est homo vt immaculatus sit: & vt iustus appareat natus de muliere? Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis: & cœli nō sunt mundi in conspectu eius: quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquā iniquitatē? Ostendā tibi, audi me: quod vidi narrabo tibi. Sapiētes confitentur, & non abscondunt patres suos. Quibus solis data est terra, & nō transiuit alienus per eos. Cunctis diebus suis impius superbit, & numerus annorum incertus est tyrannidis eius. Sonitus terroris semper in auribus illius: & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur. Nō credit quòd reuerti posit de tenebris ad lucem, circunspectans vndique gladium. Cum se mouerit ad quærendum panem, nouit quòd paratus sit in manu eius tenebrarum dies. Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut regem qui præparatur ad prælium. Tetendit enim aduersus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est. Cucurrit aduersus eum erecto collo, & pingui ceruice armatus est. Operuit faciem eius crassitudo, & de lateribus eius aruina dependet. Habitabit in ciuitatibus desolatis & in domibus desertis, quæ in tumulos sunt redactæ. Non † ditabitur, nec perseuerabit substantia eius, nec mittet in terram radicem suā. († al. habitabitur.) Non recedet de tenebris. Ramos eius arefaciet flamma: & auferetur spiritus oris eius ab eo. Non credat frustra errore deceptus, quòd aliquo precio redimēdus sit. Antequam dies eius impleātur, peribit, & manus eius arescent. Lædetur quasi vinea in primo flore botrus eius, & quasi oliua proiiciens florem suum. Congregatio enim hypocritæ sterilis, & ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. Concepit dolorem, & peperit iniquitatem, & vterus eius præparat dolos.

Quòd cùm peruersi vera mala contra bonos non inueniunt, falsa fingunt, vt aliis derogando, ipsi iusti videantur. *Caput. XV.*

REspondens *autem Eliphas Themanites dixit: Nunquid sapiens respondebit quasi in ventum loquens, & implebit ardore stomachum suum?*) 14.
Crebrò iam diximus beatum Iob typum sanctæ vniuersalis Ecclesiæ, amicos verò illius hæreticorum speciē tenere: qui quasi ex defensione Domini, occasionem stultæ locutionis inueniunt, & contumeliosa contra bonos verba iaculantur. Quibus cuncta quæ à fidelibus sentiuntur, quasi in ventum prolata displicent. Vnde nunc dicitur: *Nunquid sapiens respondebit quasi in ventum loquens?*) Nec bonorum verba dicta rationis, sed stimulos furoris existimant. Vnde & subditur: *Et implebit ardore stomachum suum.*) Quia ea etiam quæ se sciunt contumeliosè dicere, student semper vt dictum est, ex Domini defensione palliare. Vnde Eliphas subdit: *Arguis verbis eum qui non est æqualis tibi, & loqueris quod tibi non expedit.*) Nullum verò existimant timorem Domini habere, nisi eum quem potuerint ad suæ confessionis stultitiam trahere. Vnde adiungit: *Quantum in te est, euacuasti timorem, & tulisti preces coram Deo.*) Tulisti dicitur, abstulisti: ac si apertè dicat: De tua iustitia præsumens, creatoris tui gratiam despicis deprecari. Cum enim vera mala hæretici contra bonos non inueniunt, fingunt quæ redarguant, vt iusti esse videantur, & fit plerunque vt ad aperta contumeliarum verba perueniant. Vnde adhuc subditur: *Docuit enim iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blasphemantium.*) Iniquitas os docet, quando ex mala vita concipitur, quod peius dicatur. Quia autem beatus Iob tāto in ore liber fuerat, quanto iustus in opere, ab amicis suis hæreticorū typum tenētibus, & de iniqua vita, & de audaci ore reprehēditur, vt dicatur: *Docuit enim iniquitas tua os tuum.*) Ac si apertè ei diceretur: Quod peruersè loqueris, ex peruersiore didicisti vita. Sæpe verò hæretici dum quasi venerantur Deū, eius mysteriis contradicunt: & humilitatem putant, si veritatem denegant. Sunt nanque nōnulli qui Deo se iniuriam irrogare existimant, si eum veram carnem assumpsisse fateātur, aut si hunc veraciter pro nobis carne mori potuisse crediderint. Cunque Deo quasi plus honoris conantur tribuere, coguntur laudes veras bonitatis illius negare. Quid enim ei est in charitatis suæ laude potētius, quam vt illa sibi pro nobis digna ad susceptionem assumptione faceret, quæ ei videntur indigna? Sancta autem Ecclesia verā carnem, veram mortem illius cōfitetur, sed hæc dicens, ab hæreticis irrogare Deo contumeliam creditur. Vnde nunc dicitur: *Et imitaris linguā blasphemantium.*) Cui si quid in hoc mūdo aduersitatis euenerit, hoc ei cōtingere ex ipsa hac iniuria suæ confessionis dicūt. Vnde adhuc subditur: *Condēnabit te os tuū, & non ego, & labia tua respōdebunt tibi.*)

Quia enim ex errore confessionis existimant mala aduersitatis erumpere, labia sua ei asserunt respondere, vt culpa eloquij sit causa flagelli. Aliquando verò eam comprimere
15 quasi ratiocinantes volunt. Vnde Eliphas beatum Iob reprehendere quasi ex ratione conatur dicens: *Nunquid primus homo tu natus es, & ante colles formatus? Nunquid consilium Dei audisti, & inferior te erit eius sapientia?*) Ac si verbis apertioribus dicat: Qui de æterno loqueris, pensa quia temporalis es. Qui de eius sapientia disputas, pensa quia eius consilium ignoras. Sed quia ad hoc hæretici verba dominicæ defensionis assumunt, vt docti esse videantur, & dum diuinam gloriam defendere videntur, suam scientiam hominibus innotescunt, ipsa hoc Eliphas subiuncta verba testantur, qui loqui quidem de sapientia Dei cœpit, sed statim ad suam elationem cecidit, dicens: *Qui nosti quod ignoramus, quid intelligis quod nesciamus?*) Quæ videlicet dicta patenter ostendunt, ex qua mentis elatione prodeat, quicquid quasi ad dominicam defensionem sonat. Sequitur: *Et senes antiqui sunt in nobis, multò vetustiores quàm patres tui.*) Quia omnes hæretici à sancta vniuersali Ecclesia sunt egressi, testatur Ioannes qui ait: Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Sed vt ea quæ asserunt, commendare stultis mentibus hominum, quasi de antiquitate possint, antiquos patres se habere testantur: atque ipsos doctores Eclesiæ suæ professionis magistros dicunt. Cúmque præsentes prædicatores despiciunt, de antiquorum patrum magisterio falsa præsumptione gloriantur: vt ea quæ ipsi dicunt, etiam antiquos patres tenuisse fateantur, quatenus hoc, quod rectitudine astruere non valent, quasi ex illorum authoritate confirment. Quia verò scriptum est: Quem diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit: sæpe sancta Ecclesia multis in hac vita aduersitatibus laborat, & reproborum vita tantò sine flagello dimittitur, quantò ad nulla præmia seruatur. Sed afflictiones sanctæ Ecclesiæ videntes hæretici, eam despiciunt, & tot illam flagellis atteri, ex praua professionis merito suspicantur. Vnde adhuc subditur: *Nunquid grande est, vt consoletur te Deus? Sed verba tua prauà hoc prohibent.*) Ac si ei patenter dicat: Si professionem fidei corrigeres, iamdudum consolationem à flagellis habere potuisses. Sequitur: *Quid te eleuat cor tuum, & quasi magna cogitans, attonitos habes oculos?*) Sæpe iustorum mens, ita ad altiora contemplanda suspenditur, vt exterius eorum facies obstupuisse videatur. Sed quia hanc contemplationis vim in occulto agere hæretici ignorant, hoc à iustis & recta sapientibus fieri magis per hypocrisim quàm per veritatem putant: quia hoc quod ipsi habere nequeũt, inesse veraciter aliis non suspicantur. Sequitur:

Quòd sæpe iustorum & iniustorum similia sunt verba & opera, intentio tamen diuersa. Nota in sequentibus hæresim Manichæorum. Caput XVI.

16 *Quid tumet contra Deum spiritus tuus, vt proferas de ore tuo huiuscemodi sermones?*) Plerunque iusti aliquibus necessitatibus afflicti, sua opera coguntur fateri, quod beatus Iob fecerat, quem post iustitiam flagella deprimebant: sed cùm eorum dicta iniusti audiunt, hęc per elationem potius quàm per veritatem existimant prolata. Ex suis enim cordibus verba iustorum pẽsant, & dici humiliter posse verba bona non existimant. Sicut enim grauis culpa est, sibi hoc hominem arrogare quod non est: sic plerunque culpa nulla est, si humiliter bonum dicat quod est. Vnde sæpe contingit vt iusti & iniusti habeant verba similia, sed tamen semper cor longè dissimile: & ex quibus dictis Dominus ab iniustis offenditur, in eisdem quoq; à iustis placatur. Nam Pharisæus ingressus templum, dicebat: Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo: sed iustificatus magis Publicanus, quàm ille exiit. Ezechias quoque rex cùm molestia corporis afflictus, ad extremitatem peruenisset vitæ, in oratione compunctus dixit: Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto. Nec tamen Dominus hanc confessionem perfectionis eius despexit, aut renuit, quem mox in suis precibus exaudiuit. Ecce Pharisæus se iustificauit in opere, & Ezechias iustum asseruit etiam in cogitatione, atq; vnde ille offendit, inde iste Dominum placauit. Cur itaque hoc? nisi quia omnipotens Deus singulorum verba à cogitationibus pensat, & in eius auribus superba non sunt quæ humili corde proferuntur. Vnde beatus Iob cùm sua opera protulit, contra Deum nullo modo tumuit, quia ea quæ veraciter fecerat, humiliter dixit. Sed solent hæretici errorum suorum dictis, vera aliqua permiscere: & amici beati Iob quanuis in reprehensione eius omnimodo fallantur, possunt tamen & quædam vera dicere, quæ ex illius assiduitate didicerunt. Quorum dicta si omnia refutanda essent, Eliphas sententiam Paulus Apostolus minimè protulisset, dicens: Apprehendit sapientes in astutia eorum. Quia igitur & ea quæ recta dicunt, contra beatum Iob rectè non dicunt: nos in eorum dictis & calcemus vitium indiscretionis, & discutiamus vires rectitudinis. Sequitur: *Quid est homo, vt immaculatus sit?*) Eo enim ipso quo dicitur homo, terrenus exprimitur & infirmus: homo enim ab humo appellatus est. Et quomodo esse valet sine macula, qui sponte sua ad infirmitatem concidit factus de terra? Vbi additur: *Et vt iustus appareat natus de muliere*) Primam quippe viro iniustitiam mulier propinauit in paradiso. Quomodo ergo iustus apparebit qui de illa natus est, quæ iniustitiæ propinatrix extitit? Sequitur:

Quòd sancti qui propter excellentiam vitæ, cœli dicuntur, ex semetipsis ante districtum Dei iudicium, ad perfectum mundi esse non possunt. Caput XVII.

17 *Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis, & cœli non sunt mundi in conspectu eius.*) Hoc cœlorum nomine repetiit, quod sanctorum prius appellatione signauit. Nam de eisdem sanctis scriptum est: Cœli enarrant gloriam Dei. Qui per naturam omnes in semetipsis propriam mutabilitatem habent, sed dum immutabili veritati studiosè semper inhærere desiderãt, inhærendo agunt, vt immutabiles fiant. Cúmque ad hanc toto affectu se tenent, quandoque accipiunt, vt super semetipsos ducti vincant hoc, quòd in semetipsis mutabiles extiterunt. Quid enim mutabilitas, nisi mors quædam est? Quædum rem quamlibet in aliud immutat, quasi occidit quod fuerat, vt incipiat esse, quod non erat. Et de authore omnium scriptum est. Qui solus habet immortalitatem: quia videlicet in semetipso solus immutabilis est. De quo per Iacobum dicitur: Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Ipsa enim mutabilitas vmbra est, quæ quasi obscuraret lucem, si hanc per aliquas vicissitudines permutaret. Sed quia in Deo mutabilitas non venit, nulla eius lumen vmbra vicissitudinis intercidit. Bene autem dicitur: *Cœli non sunt mundi in conspectu eius:*) quia per semetipsos ante districtum Dei iudicium nec ipsi esse mũdi ad perfectum possunt, qui munditiæ prædicatores fiunt, Ioanne attestante, qui ait: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Si igitur inter sanctos illius nemo immutabilis est, & cœli in conspectu illius non sunt mundi, quis apud te de iustitiæ opere præsumat? Vnde & subditur:

Quòd quasi aquas homo iniquitatem bibit, cùm sine timore obstaculo peccatum deglutit. Caput XVIII.

18 *Quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquas iniquitatem?*) Qui immaculatum prius hominem & iustum per se posse esse negauerat, hunc abominabilem & inutilem appellat: abominabilem scilicet propter immunditiam maculæ: inutilem verò propter iniustitiam imperfectæ vitæ. Qui tamen abominabilis & inutilis intelligi & aliter potest. Aliquando enim homo peruersus quædam rectè agere videtur, sed per ea quæ iniqua sunt, etiam ea quæ eius recta sunt, destruuntur. Et quia multum Deo displicent mala, neque illa placent quæ videntur bona. Qui ergo in malis suis Deo abominabilis est, in bonis est inutilis: quia dum se per praua opera Deo execrabilem exhibet, nec illud de eo quod rectum videtur placet. Bene autem dicitur: *Qui bibit quasi aquas iniquitatem.*) Hoc nanque quod comeditur, cum mora glutitur, quia manditur, vt glutiatur. Quod autem bibitur, tantò ad glutiendum moram non habet, quantò nullam & ad mãdendum necessitatem habet. Culpa ergo quia à † stulto homine sine vlla retractione perpetratur, quasi aqua iniquitas bibitur. Quia enim illicita sine timore facit, quasi potum iniustitiæ sine obstaculo glutit. Sequitur: *Ostendam tibi, & audi me: quod vidi, narrabo tibi.*) Habent hoc omnes arrogantes proprium, vt

† al. ab iusto.

prium, vt cùm rectum quid vel parum senserint, in vsum hoc elationis inflectant, atque vnde per intellectum sibimeipsis altiores fiant, inde per tumorem in foueam elationis cadant, seque doctis doctiores existiment, reuerentiam sibi à melioribus exigant, & docere sanctiores quasi ex authoritate contendant. Vnde nunc dicitur: *Ostendam tibi, & audi me.*) Et quia cum minore authoritate docet is, qui audita, quàm is qui ea, quæ viderit loquitur, vt fortiorem sibimet authoritatem Eliphas arroget, dicit: *Quod vidi, narrabo tibi.*) Quia verò nõnunquam hæretici de damnatis suis patribus confunduntur, & tamen eorum sententias quasi cum authoritate ad medium proferunt, ex quorum stultitia iure reprobantur: rectè ipsa hæreticorum audacia subinfertur, cùm dicitur: *Sapientes confitentur, & non abscondunt patres suos.*) In quorum & laudem prosiliunt, & eos velut solos Ecclesiæ præfuisse gloriantur. Vnde adhuc subditur: *Quibus solis data est terra, & non transiuit alienus per eos.*) Solis suis patribus datam terram existimant, quia solos errorum suorum magistros rexisse veraciter Ecclesiam putant. Quis verò alienus, nisi apostata angelus vocatur? Vnde & per Psalmistam de cunctis simul malignis spiritibus dicitur: Quoniam alieni insurrexerunt in me, & fortes quæsierunt animam meam. Hæretici igitur quia doctorum suorum corda apostatę angelo existimant non fuisse subiecta, transisse per eos alienum denegant. Cui videlicet alieno per vnum quenquam transire, est iniquas in corde eius cogitationes immittere. Vnde & per Prophetæ vocem de malignis spiritibus contra stantem animam dicitur: Et dixerunt animæ meæ, incuruare vt transeamus. Sed Eliphas Themanites quia quædam narraturus audiri vult, quanuis multa quæ dicenda sunt sciat, sed quia beato Iob dicenda non erant, nesciat: audiamus sententias quas contra beatum Iob protulit. Nec enim debemus cui, sed solùm pensare quid dixit: Sequitur:

Quòd sancti etsi ad horam insolescant, nequaquam tamen in superbia perseuerant. Caput XIX.

Vnctis diebus suis impius superbit.) Solet etiam electi in quibusdam suis cogitationibus atque actibus superbire. Sed qui electi sunt, cunctis diebus suis superbire nõ possunt: quia priusquam vitam finiant, ad humilitatis metum ab electione corda commutant. Impius verò diebus suis omnibus superbit, quia sic vitã terminat, vt ab elatione minimè recedat. Circunspicit quod temporaliter floret, & pensare negligit quò in æternum ducitur. In hac vita carnis fiduciam ponit, eáque diu permanere existimat, quæ ad presens tenet. Solidatur in elatione animus, in despectu adducitur omnis propinquus: quàm repentina mors surrepat, nunquam considerat: quàm sit eius incerta fœlicitas nunquam pensat. Qui si incertitudinem fugacis vitæ conspiceret, incerta pro certo nequaquam teneret. Vnde & bene subditur:

Quòd Deus non attendat quantum quisque faciat, sed quantum velit. Et quòd ideo finem nostrum latere nos voluit, vt semper ad mortem parati simus. Caput XX.

19 *Et numerus annorum incertus est tyrannidis eius.*) Superbire enim minimè debuisset, etiam si annorum suorum numerum certum habere potuisset, vt sciens quantum viueret, prescire quãdo se ab elatione remoueret. At postquam præsens vita semper incerta est, tantò semper mors surripiens timeri debet, quantò nunquam præuideri valet. Bene autem superbiam impij, tyrannidem vocat. Propriè enim tyrannus dicitur, qui in communi republica non iure principatur. Sed sciendum est, quia omnis superbus iuxta modum proprium, tyrannidem exercet. Nam quòd nonnunquam alius in republica, hoc est, per acceptam dignitatis potentiam, alius in prouincia, alius in ciuitate, alius in domo propria, alius per latentem nequitiam hoc exercet apud se in cogitatione sua. Nec intuetur Dominus quantum quisque mali valeat facere, sed quantum velit. Et cùm deest potestas foris, apud se tyrannus est, cui iniquitas dominatur intus: quia etsi exterius non affligit proximos, intrinsecus tamen habere potestatem appetit vt affligat. Et quia omnipotens Deus corda pensat, iam in eius oculis impius egit quod cogitauit. Ad hoc autem conditor noster latere nos voluit finem nostrum, vt dum incerti sumus quando moriamur, semper ad mortem parati inueniamur. Vnde rectè postquam dictum est: Cunctis diebus suis impius superbit, adiungit: Et numerus annorum incertus est tyrannidis eius: ac si apertè diceret: Cur quasi de certo extollitur, cuius vita sub pœna incertitudinis tenetur? Sed omnipotens Deus prauè agentibus non solùm ventura supplicia reseruat, sed eorum corda hîc etiam vbi delinquunt, pœnis implicat, vt eo ipso quo peccant, semetipsos feriant, vt semper trepidi semperque suspecti mala ab aliis pati metuant, quæ se aliis fecisse meminerunt. Vnde adhuc de hoc impio subditur:

Quòd reprobi non tantùm ad futura supplicia reseruantur, sed iam hîc eorum corda conscientiæ igne torqueuntur. Caput XXI.

Sonitus terroris semper in auribus illius, & cùm pax sit, ille insidias suspicatur.) Nil autem simplici corde fœlicius, quia quo innocentiam erga alios exhibet, nihil est quod pati ab aliis formidet. Habet enim quasi arcem quandam fortitudinis simplicitatem suam. Nec suspectus est pati, quod se fecisse non meminit. Vnde bene per Salomonem dicitur: In timore Domini, fiducia fortitudinis. Qui rursum ait: Secura mens, quasi iuge conuiuium. Quasi enim continuatio refectionis est, ipsa tranquillitas securitatis. At contrà mens praua semper est in laboribus, quia aut molitur mala quæ inferat, aut metuit ne hæc sibi ab aliis inferantur. Et quicquid contra proximos excogitat, hoc contra se excogitari à proximis formidat. Fit vndique suspecta, vndique trepida. Omnis qui ad memoriã venit, exquirere contraria creditur. Cui ergo tranquillitas securitatis deest, huic proculdubio terroris sonitus semper in auribus est. Et sæpe contingit vt illi quilibet proximus suus simpliciter loquatur, nil aduersum cogitet. Sed cùm pax sit, ille insidias suspicatur, quia qui semper dolosè agit, simpliciter erga se agi nõ æstimat. Et quia scriptum est: Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit: inuolutus iniquitatis suæ tenebris, iam de luce desperat. Vnde sequitur: *Non credit quòd reuerti possit de tenebris ad lucem, circunspectans vndique gladium.*) Quia dum feriri se vndique insidiis credit, salute desperata, semper ad nequitiam excrescit. Aliquando verò iste peruersus etiam superna iudicia attendit, & super se hæc euenire metuit. Sed cùm stipendium vitæ præsentis quærit, hæc eadem iudicia quæ metuere cœperat, auaritiæ deuictus insania contemnit. Et quidem mori se posse in peccato existimat, sed tamen à peccato non cessat. Vnde & subditur: *Cùm se mouerit ad quærendum panem, nouit quòd paratus sit in manu eius tenebrarum dies.*) Panis etenim, stipendium vitæ præsentis, tenebrarum verò dies, tempus vltionis accipitur. In actu itaque suo aliquandiu iste peruersus iram superni iudicis perpendit præsentem, sed à malo non auertitur, vt etiam ipsa quoque ab eius interitu valeat auerti. Accusante se autem cõscientia feriri metuit: sed tamen semper angit quo feriatur. Contemnit reditum suum, desperat veniam, superbit in culpa, sed tamen testem suæ nequitiæ intus habet timorem. Et quamuis praua videatur foris audacter agere, de his tamen apud semetipsum cogitur trepidare. Vnde scriptum est: Cùm enim sit timida nequitia, dat testimonium condemnationi, quia cùm illicita quisquis perpetrat, pauet quod facit: & apertus damnationis testis est ipse timor iniquitatis: quia & timetur quod agitur, & tamen malum non vincitur quod timetur. De quo & adhuc subditur: *Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut regem qui præparatur ad prælium.*) In omne quod iniquus agit, tribulatione & angustia vallatur, quia cor eius anxietate & suspicione confunditur. Alius occultè appetit vi aliena diripere, qui laborat in cogitationibus ne deprehendi valeat. Alius relicta veritate mentiri deliberat, vt audientium animum fallat. Sed quantus labor est sollicitè custodire, ne ipsa eius fallacia deprehendi queat? Ponit quippe ante oculos quid sibi à veritatem scientibus responderi possit, & cum magno cogitatu pertractat, quomodo per argumenta falsitatis, documenta veritatis exuperet. Hinc inde se circuntegit, & contra hoc vbi deprehendi potuerit, veritati similem responsionem quærit: qui si velit verum dicere, vtique sine labore potuisset. Plana quippe veri-

Hiere.9. tatis via, & graue est iter mendacij. Vnde & per Prophetam dicitur. Docuerunt enim linguam suam loqui mendacium: vt iniquè agerent, laborauerunt. Bene ergo dicitur: Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum: quia apud semetipsum in labore timoris deficit, qui securitatis sociam viam veritatis reliquit. Qui bene regi præparato ad prælium comparatur, quia in eo ipso malo quod agit, & terretur & festinat, & ex conscientia trepidat, & ex desiderio anhelat, metuit & superbit, pauescit suspicionibus, & mentem per audaciam e-
21 rigit. Sciendum quoque est, quia rex qui præparatur ad prælium, sic de hoste suspectus est, vt eundem quoque quem ducit exercitum metuat, ne labefactetur, ne destitutione militum iaculis pateat inimicorum. Iniquus ergo angustia vallatur, sicut rex qui præparatur ad prælium: quia videlicet falsa agens, falsa loquens, formidat, ne suos amittat milites, id est, argumenta falsitatis, & veritatis iaculis pateat, si ei fortasse defuerit quod ex fallacia opponat. Sed quanuis animus trepidet, quanuis cõscientia accuset, cupiditate tamen sua iniquus vincitur, & suppresso pauore, audaciam de iniquitatibus sumit. Et sæpe etiam vltione menti proposita, se contra Deum erigit, quælibet ab eo aduersa perpeti deliberat, dummodo hîc, dum valet omne quod placet agat. Vnde & subditur:

Quòd hi contra Deum manum tendunt, qui mala agentes Deum contemnunt: & pingui contra eum ceruice armantur, qui ex opulẽtia rerum sæculariũ inflati, quasi ex pinguedine vitæ præsentis contra creatorem se erigunt. Caput XXII.

T*Etendit enim aduersus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est. Cucurrit aduersus eum erecto collo, & pingui ceruice armatus est.*) Hæc de ipso iniquorum capite, scilicet antichristo, apertius sentiuntur, qui contra Deum manum erigens, roborari dicitur: quia paruo tempore permittitur exaltari, vt cùm ad modicum gloriari finitur, eo in perpetuum atrocius puniatur. Sed quia eius membra sunt omnes iniqui, hoc quod in fine mũdi ille tunc singulariter acturus est vnus, videamus modo qualiter à malis agatur singulis. Sunt nanq; nonnulli, qui & si qua aliquando agere contra omnipotentis Dei iudicium nituntur, ipsa impossibilitate explendæ suæ voluntatis fracti, ad semetipsos respiciunt, atq; ad eum quem contemnere voluerant, conuertuntur: & qui discedere longè poterant, si quod vellent implere valuissent, per hoc aliquando saluantur, quia quod nequiter voluerũt, implere nequiuerunt. Vnde ad se reducti, cuius sint conditionis aspiciunt & plangunt se contraria veritati voluisse. Et sunt nonnulli qui hoc quod peruersè contra Deum appetunt, iusto Dei iudicio, implere nequius permittuntur. Et cùm eos malitia accendit, potentia roborat, tantò iam semetipsos in errore cognoscere nequeunt, quantò in rebus affluentibus extra se semper per potentiam trahuntur. De quorum nunc intentione dicitur: *Tetendit enim aduersus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est.*) Contra Deum quippe manum tendere, est in operatione praua, despectis Dei iudiciis, perseuerare. Et quia tunc magis irascitur Deus, quando permittit impleri quod saltem cõcipi in cogitatione non debuit, contra omnipotentem inquis iste roboratur: quia prosperari in mala sua actione permittitur, quatenus & peruersa faciat, & tamen fœliciter viuat. De quo adhuc subditur: *Cucurrit aduersus eum erecto collo.*) Erecto collo contra Deum currere, est ea quæ creatori displicent, cum audacia perpetrare. De quo rectè dicitur: Cucurrit, id est in malo opere obstaculum de
22 aduersitate non habuit. De quo adhuc additur. *Et pingui ceruice armatus est.*) Pinguis ceruix est opulenta superbia, affluentibus videlicet rebus quasi multis carnibus fulta. Potens igitur iniquus pingui ceruice contra Deum armatur, quia rebus temporalibus tumens, contra præcepta veritatis, quasi de magnitudine carnis erigitur. Quid enim paupertas, nisi quædam macies, & quid rerum abundantia, nisi pinguedo est vitæ præsentis? Pingui ergo ceruice se contra Deum erigit, qui temporalem abundãtiam in superbiam assumit. Habent enim hoc potentes & iniqui proprium, vt fallacibus diuitiis occupati veras Dei opes negligant, & quantò minus quod verum est inquirunt, tantò amplius falsis diuitiis extollantur. Cura

E etenim multiplex terrenarum rerum quia occupat, excæcat. Vnde adhuc aptè subiungitur: *Operuit faciem eius crassitudo.*) Visus quippe in facie est, in qua & prima corporis honorabilior pars est. Non ergo immeritò mentis intentio per faciem designatur, quam quòlibet vertimus, illuc videmus. Faciem ergo crassitudo operit, quia desiderata terrenarum rerum abundantia oculos mentis premit, & hoc quod in eis esse honorabile debuit, antè Dei oculos fœdat, quia curis multiplicibus aggrauat. Quibus tamen nec solùm sufficit vt ipsi superbiant, nisi & hi qui eis coniuncti sunt, de eorum pinguedine etiam ipsi glorientur. Nam sunt nonnulli qui patronis maioribus adiuti superbiunt, & de eorum potentia contra inopes extolluntur. Vnde & adhuc subditur: *Et de lateribus eius aruina dependet.*) Quia aruina pinguedo carnis est, & latera dicere diuitum solemus hos, quos eis coniunctos cernimus, aruina de eius lateribus dependet: quia quisquis potenti & iniquo adhæret, ipse quoque de eius potentia velut ex pinguedine rerũ tumet, vt patroni peruersi iniquitatẽ sequẽs, Deum
F non timeat, quos valet & quantum valet pauperes affligat: de gloria temporali cor eleuet. Cùm ergo talis est qui iniquo potenti adhæret, de eius profectò latere aruina dependet. De quibus adhuc subditur: *Habitabit in ciuitatibus desolatis, & in*
23 *domibus desertis, quæ in tumulos sunt redactæ.*) Quia enim à conuersatione conuiuentium ciuitas appellatur, ciuitates desolatæ sunt ipsi obsequentium cunei peruersorum, quorum clamoribus peruersus iste laudatur, cum ad praua opera per nequitiam rapitur. Vnde scriptum est: Laudatur peccator in desiderio animæ suæ, & qui iniqua agit, benedicitur. Domus Psalm.9. verò desertæ, sunt cogitationes prauæ, quas iniquus iste inhabitat, quia per omne quod agit, iniquorum hominum placere cogitationibus appetit. Quæ ciuitates desolatæ, & domus desertæ rectè nominantur, quia nisi omnipotens Deus, talium cõuersationes cogitationésque præcedentibus eorum culpis relinqueret, ad grauiora perpetranda minimè peruenirent. Bene autem dicitur: *Quæ in tumulos sunt redactæ.*) Ruen-
G tia nanque domorum atque ciuitatum ædificia tumulos faciunt, quoniam dum praui quique confusis actionibus sibimetipsis ad peruersa opera iunguntur, ostendunt procul dubio, quia de ædificio vitæ ceciderunt. Sequitur: *Non habitabitur, nec perseuerabit substãtia eius, nec mittet in terram radicem suam.*) Quòd hîc, non habitabitur, dictum est: in quibusdam codicibus reperi, non ditabitur: sed sensus non discrepat, quanuis à se sermo discordet. Ille enim virtutibus ditatur, cuius mentem inhabitat omnipotens Deus. Sed quia superbi cogitatio ab authoris sui gratia non inhabitatur, profectò per hoc virtutibus non ditatur. Propter hoc ergo quòd interius est vacuus, ditatur, non inhabitatur: propter hoc verò quòd transitorium foris tumet, rectè subiungitur: *Nec perseuerabit substantia eius.*) Ac si apertè dicatur: Hoc quod habere videtur exterius, transit: & illud quod transire non poterat, interius non habet. Vnde & aptè subiungitur: *Nec mittet in terram radicem suam.*) Quòd si de hac terra dictum accipimus, liquet proculdubio quia arbor quæ in terra radicẽ nõ habet, vel tenuis-
H simis commota flatibus cadit. Et superbus quisque dum contra omnipotentem Dominum roboratur, dum currit erecto collo, & pingui ceruice contra authorem erigitur, stare quasi arbor videtur. Sed status eius sine radice est: quia velut ad lenem flatum, sic ad motum occultæ sententiæ vita eius eruitur. Sin verò hoc loco terram, æternæ vitæ retributionem ac- Psalm.141. cipimus, de qua Propheta ait: Portio mea in terra viuentium: iniquus iste in terram radicem suam nõ mittit, quia nunquam ad æternæ vitæ desiderium, cordis sui cogitationem plantat.

Quod enim radix arbori, hoc vnicuique hominum cogi- 24
tatio sua est: quia in hoc quod exterius videtur, per illud tenetur quod exterius non videtur. Vnde & per Prophetam dicitur: Mittet radicẽ deorsum & faciet fructũ sursum, Cùm Esaiæ. 37. enim cogitationem nostram ad compatiẽdum indigenti proximo tendimus, quasi radicem deorsum mittimus, vt retributionis fructum superius faciamus. Sequitur: *Non recedet de tenebris.*) Si superbus iste à culpa ad iustitiam redire voluisset, de tenebris recederet. Sed quia lucem iustitiæ non quærit, de tenebris non recedit. Cuius etiam exemplo hi qui ei adhærent, in terrenis profectibus anhelant, auaritiæ facibus accendunt

duntur, desideriorum carnalium ignibus vruntur. Vnde & subditur: *Ramos eius arefaciet flamma.*) Si enim sibi quosdam æternam patriam quærentes adiungeret, ramos in se virides haberet. Sed quia ipsi quoque qui ei coniuncti sunt, terrenis desideriis æstuant, & dum desiderium flamma, clientium eius animos accendit, scilicet ramos eius arefacit, vt fructum boni operis non ferant; quia ad appetenda infima per nequitiam anhelant. Bene autem subditur: *Et auferetur spiritu oris sui.*) Superbus etenim quisque quò in hac vita plus valet, eò sibi linguæ frena audacius relaxat, vt loquatur peruersa quælibet, nullúmque de verbis suis metuat, istos contumeliis seriat, illos maledictionibus iaculetur. Nonnunquam verò in blasphemiam contra conditorem rapitur, sicut de talibus per
Psal.72. Psalmistam dicitur: Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transiuit super terram. Vnde & diues in igne positus,
Luc.16. stillari sibi aquam ex digito Lazari in linguam postulat. Qua ex re intelligitur, quia vbi amplius peccauerat, ibi atrocius ardebat. Rectè ergo nunc dicitur: *Et auferetur spiritu oris sui.*) quia eo percussionis sententiam accepit, quo oris sui spiritum sub B diuina formidine non restrinxit. Sequitur:

Quòd eleemosynas ex rapinis pauperum, vel ex aliis malis operibus contractas non suscipiat Deus. Et qui in his diuites sunt, nullo precio redimantur. Caput XXIIII.

N*On credit frustra errore deceptus, quòd aliquò precio redimendus sit.*) Quotiens post culpam eleemosynas facimus, quasi pro prauis actibus precium damus. Vnde & per Prophetam
Psal.48. de eo qui hæc non agit, dicitur: Non dabit Deo propitiationem suam, nec precium redemptionis animæ suæ. Nonnunquam verò diuites elati, inferiores opprimunt, & aliena rapiunt: & tamen quasi quædam aliis largiuntur: & cùm multos deprimant, aliquando quibusdam opem defensionis ferunt, & pro iniquitatibus quas nunquam deserunt, dare precium videntur. Sed tunc eleemosynæ precium nos à culpis liberat, cùm perpetrata plangimus, & abdicamus. Nam qui & semper C peccare vult, & quasi semper eleemosynam largiri, frustra precium tribuit, quia non redimit animam quam à vitiis non compescit. Vnde nunc dicitur: *Non credat frustra errore deceptus, quòd aliquo precio redimendus sit.*) Quia eleemosyna superbi di-
25 uitis eum redimere non valet, quam perpetrata simul rapina pauperis ante Dei oculos ascendere non permittit. Quod fortasse intelligi aliter potest, quia, sæpe superbi diuites cùm eleemosynam tribuunt, non hanc pro æternæ vitæ desiderio, sed pro extendenda vita temporali largiuntur, mortem se posse differre donationibus credunt. Sed non credat frustra errore deceptus, quòd aliquo precio redimendus sit, quia obtinere ex impenso munere non valet, vt finem debitum euadat, cuius etiam nequitia intercidit vitam. Vnde & subditur: *Antequam dies eius impleantur, peribit: & manus eius arescent.*) Præfixi dies singulis ab interna Dei præscientia, nec augeri possunt, nec minui: nisi contingat vt ita præsciantur, vt aut cum optimis operibus longiores sint, aut cum pessimis breuiores, sicut Ezechias augmentum dierum meruit impensio- D ne lachrymarum: & sicut de peruersis scriptum est: Indisciplinatis obuiat mors. Sed sæpe iniquus quamuis in occulta Dei præscientia longa vitę eius tempora non sint prędestinata, ipse tamen quia carnaliter viuere apperit, longos animo dies proponit. Et quia ad illud tempus peruenire non valet quod expectat, quasi antequam dies illius impleantur, perit. Quod tamen intelligere & aliter possumus. Plerunque enim quosdam cernimus & peruersè agere, & vsque ad senectutem vltimam peruenire. Quomodo enim dicitur: *Antequam dies eius impleantur, peribit:*) cùm in quibusdã sæpe videamus, quia ætate longa iam membra deficiunt, & tamen prauitatem suã eorum desideria exequi non desistunt? Sunt nanque nonnulli qui post vitam perditam, ad semetipsos redeunt, & accusante se conscientia, peruersa itinera relinquunt, commutant opera, antiquæ suæ prauitati contradicunt, terrenas actiones fugiunt, desideria superna sectantur: sed priusquam in eisdem sanctis desideriis solidentur, per torporem mentis ad ea quæ diiudicare cœperant, redeunt: atque ad mala quæ fugere disposuerant, recurrunt. Quia enim sæpe contingit vt pro vtilitate multorum etiam sancti viri exterioribus actibus seruiant, A & populorum gubernationibus occupẽtur, hoc infirmi aspicientes, & per vetustam adhuc superbiam quærentes imitari, exterioribus se actionibus inserunt: sed quantò ad eas non eruditi spiritalibus veniunt, tantò eas carnaliter exequuntur. Nisi enim prius cor longo studio & diutina conuersatione in desideriis cœlestibus conualescat, cùm ad exteriora agenda refunditur, ab omni statu boni operis eradicatur. Vnde rectè quoque de hoc iniquo dicitur: *Antequam dies eius impleantur, peribit.*) Quia & si quid boni fortasse cœpit agere, priusquam in eo per longitudinem temporis conualescat, ad exteriora relabitur, & peruersè deserit, quæ rectè inchoasse videbatur. Vnde & aptè subditur: *Et manus eius arescent.*) Quia dum exterioribus actibus intempestiuè inuoluitur, ab omni nimirum bona operatione siccatur. Vnde adhuc bene subditur:

Quòd hypocritæ ideo aridi & infœcundi sint in conspectu Dei, quia coram hominibus opera sua congregant. Caput XXIIII.

L*Ædetur quasi vinea in primo flore botrus eius, & quasi oliua proiiciens florem suum. Congregatio enim hypocritæ sterilis.*) Notandum quòd sic de hoc iniquo generaliter loquitur, vt tamen diuinus sermo ad specialem eius nequitiam deriuetur. Qui enim dicens: Lædetur quasi vinea in primo flore botrus eius, & quasi oliua proiiciens florem suum: protinus subdit: Congregatio enim hypocritæ sterilis: patenter indicat, quia in hoc iniquo reprobationis sententiam contra eius hypocrisin fe- 26.
rat. Sed nunc pensandum nobis est, qualiter hypocrita sicut vinea in primo flore, vel sicut oliua florem proiiciens lædatur. Si florentem vineam per inæqualitatem aëris immoderatum frigus attigerit, protinus ab omni humore viriditatis arefacit. Et sunt nonnulli qui post peruersa itinera, sanctas vias sectari appetunt, sed priusquam in eis, vt diximus, desideria bona roborentur, quædam illos præsentis seculi prosperitas accipit, quæ eos rebus exterioribus implicat, & eorum mentem dum à calore intimi amoris retrahit, quasi ex frigore extinguit, & quicquid in eis de virtutum flore apparere videbatur, interficit. In terrenis quippe actibus valde frigescit animus, si necdũ fuerit per intima dona solidatus. Vnde necesse est vt loca maiora vel exteriora opera quæ humanis sunt necessitatibus profutura, illi exercenda suscipiant, qui hæc diiudicare atque sub semetipsis premere ex virtute intima nouerunt. Nam cùm infirmus quisque vel ad locum regiminis, vel ad exteriora agenda trahitur, quo quasi extra se ducitur, eradicatur: quia & arbor quæ radices in altum prius non mittit, citius ventorum impetu sternitur. Si se ad altum vertice extollit, eo citius ad ima corruit, quo altius in aëre sine radicibus excreuit. Nonnunquam verò florentem vineam non frigus, sed æstus arefacit. Cumque immoderato calore tangitur, discusso flore botrus tabescit. Et plerunque contingit, vt hi qui ad bona opera recta intentione non veniunt, cùm placere se hominibus vident, ad exercenda hæc eadem opera vehementius accendantur, humanis placitura oculis agere anxiè studeant, & quasi in sancto studio seruescant. Quid itaque istos, nisi in flore æstus contigit, quos humanæ laudis appetitio à fructu alienos fecit? Vnde & bene subditur: *Et quasi oliua proiiciens florem suum.*) Oliua quippe cùm in flore est, si immoderata nebula tangitur, à plenitudine fructuum vacuatur. Et quoties inchoantes quique bona opera, laudari ab aspicientibus cœperint, atque in suis laudibus delectari, fit caligo intelligentiæ in cogitatione, vt iam discernere nequeant, qua intentione quid faciant, & fructum pendant operis, velut ex nebula fauoris. Vnde bene per Salomonem dicitur: Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, Cant.7. si flores fructus parturiunt. Florent quippe vineæ, cùm mentes fidelium bona opera proponunt. Sed fructus non pariunt, si ab eo quod proposuerint, aliquibus victi erroribus infirmantur. Non ergo intuendum est si vineæ floreant, sed si 27.
flores ad partum fructuum conualescant, quia mirum non est si quis bona inchoet, sed valde mirabile est, si intentione recta in bono opere perduret. Vnde fit plerunque vt si in bono opere recta intentio non tenetur, etiam ipsum hoc opus

quod bonum creditur, amittatur. Nam quosdam sæpe vidimus terrena quæ possederãt reliquisse, & nil iam transitorium quærere, nullis pro hac vita iurgiis immisceri. Cùm itaque hoc in se fidelis anima ostendit, quasi oliua florem protulit. Sed cùm quidam ex talibus rursus cœperint mundi gloriam quàm contempserant querere, & terrenis rebus quas spreuisse videbantur, insatiabiliter inhiare, vacare iurgiis, proximorum læsiones exquirere, nimirum proiecit oliua florem quem proposuit: quia rudimenta boni studij ad perfecta opera non perduxit. Sed sciendum est, quia hæc semper eis eueniunt, qui Deum puro ac simplici studio non sequuntur. Vnde rectè subditur: *Congregatio enim hypocritæ sterilis.*) Cœpta enim bona non amitteret, si hypocrita non fuisset. Cõgregant verò & hypocritæ bona opera, sed eorum sterilis est ipsa congregatio, quia per hoc quod agunt, fructum recipere in æterna retributione non appetunt. Fœcundi ac virides in suis operibus, humanis oculis videntur: sed in conspectu occulti iudicis, infœcundi & aridi apparent. Sæpe verò æstu auaritiæ accensi, eò maiora de se opera humanis oculis ostendunt, quò ampliora sibi ab hominibus offerri munera appetunt. Vnde adhuc subditur:

Quid sit munus ab ore & à manu percipere
Caput XXV.

ET *ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.*) Sicut enim corpus in tabernaculo, sic mens habitat in cogitatione. Sed ignis tabernacula deuorat, cùm æstus auaritiæ cogitationes deuastat. Et fit plerunque vt hypocrita aurum vel quæq; bona corporàlia ab hominibus accipere cõtemnat: sed quia hæc non accipit, maiores ab eis recipere laudes quærat, & fortasse munus se accepisse non æstimat, quia bona corporalia recipere recusat. Vnde sciendum est: quia aliquando munus à manu, aliquando verò ab ore porrigitur. Nam qui nummum tribuit, munus ex manu dedit. Qui autem verbum laudis impendit, munus ab ore protulit. Hypocrita itaq; etsi exteriora dona quę terrenæ forsitan necesitati congruunt, accipere recusat, plus est quod sibi retribui appetit, cùm vltra meritum laudari desiderans, munus ab ore quærit. Et quia in ipso laudis appetitu, nimio cor ardore succẽditur,
28 dicatur rectè: Et ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. Sin verò eorum tabernacula, corpora debemus accipere, in quibus illorum animæ habitant, ignis eorum tabernacula deuorat: quia qui hîc in mẽte ardent igne auaritiæ, illic etiam in carne concremantur ignibus gehennæ. Et quia mens hypocritæ nunquam vacat à malitiæ cogitatione, nam siue terrena quæq; seu laudem appetat, hæc aliis inuidet quæ sibi tribui anhelat: & tantò cœteros ostendere peruersos molitur, quantò videri sanctior omnibus appetit, vt eo quòd alij despicabiles fiunt, ipse reuerentior semper appareat. Vnde fit vt de opinione proximi ante humana iudicia, linguæ suæ laqueos prætendat, vt eorum quibus placere appetit, solus æstimationem capiat. Vnde & sequitur: *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem, & vterus eius præparat dolos.*) Dolorem quippe concipit, cùm peruersa cogitat. Iniquitatem parit, cùm explere cœperit quod cogitauit. Inuidendo dolorem concipit, derogando iniquitatem parit. Graui quippe est iniquitas, quando is qui peruersus est, ostendere alios peruersos molitur, vt inde ipse quasi sanctus appareat, quòd alios sanctos non esse docuerit. Sciendum verò quòd in sacro eloquio, ventris vel vteri nomine mens solet
Prouer. 20. intelligi. Hinc est enim quod per Salomonem dicitur: Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ inuestigat omnia secreta ventris. Lux enim gratię quæ desuper venit, spiraculum homini præstat ad vitam. Quæ videlicet lux omnia secreta ventris inuestigare dicitur, quia occulta mentis penetrat, vt ea quæ de seipsa latebant animam, ante eius oculos flenda re-
Hiere. 4. ducat. Hinc Hieremias ait: Ventrem meum ventrem meum doleo. Qui vt ventrem suum quid dixisset ostenderet, adiunxit: Sensus cordis mei turbati sunt. Vteri itaque nomine, rectè mens accipitur, quia sicut proles in vtero concipitur, sic cogitatio in mente generatur: & sicut in ventre cibi, ita continentur in mente cogitationes. Vterus itaq; hypocritæ præparat dolos, quia tantò semper maiorem malitiam cõtra proximos in mente concipit, quantò solus præ omnibus videri innocentior quærit. Hæc idcirco Eliphas protulit, quia beatum Iob tanto percussum verbere propter hypocrisin putauit. Sed eius verba etsi multis congruunt, ab ipso solo aliena sunt, pro quo solo dicebantur: quia sanctus vir nihil in suis actibus duplicitatis habuit, quem testis veritas de cordis simplicitate laudauit.

Libri duodecimi Moralium sancti Gregorij finis.

B. GREGORII MORALIVM LIBER DECIMUSTERTIUS, exponens duo capita textus beati Iob, scilicet decimumsextum & decimumseptimum.

Caput I.

ESSE hoc peruersorum proprium solet, quòd sua mala per conuitium bonis ingerant, priusquam de eis ipsi veraciter accusentur: & dum metuunt increpari de his quæ faciunt, aduersantes suis prauitatibus iustos hæc facere testantur. Sancti autem viri patienter audiunt etiam quæ se nunquam fecisse meminerunt, quanuis ea mala quæ sibi ingeri conspiciunt, ab ipsis suis criminatoribus nouerint perpetrata, & cùm eos prædicando corrigere non possunt, patiendo tolerant, quatenus si fructum cõuersionis eorum consequi non valent, ex ipsis tamen præmium longanimitatis acquirant. Vnde & sancta Ecclesia Dauid Prophetæ vocibus dicit: Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores: quia videlicet dum hæreticos vel quoslibet reprobos quos corrigere non valet, tolerat, facta peccantium supra dorsum portat. Beatus itaque Iob videns Eliphas amicum suum multa contra se de hypocrisi conquerentem, qui ex consolationis verbo ad amaritudinem increpationis eruperat, & simulatus consolator apparebat, per patientiam suam typum seruat Ecclesiæ, quæ nouit talia audiendo tolerare, & cùm eius sermo admittitur, ratiocinando destruere, & dicit:

De patientia sanctorum.

Psalm. 128.

Caput decimumsextum beati Iob.

RESpondens autem Iob, dixit: Audiui frequenter talia. Consolatores onerosi omnes vos estis. Nunquid habebunt finem verba ventosa, aut aliquid tibi molestum est si loquaris? Poteram & ego similia vestri loqui. Atque vtinam esset anima vestra pro anima mea. Consolarer & ego vos sermonibus, & mouerem caput meum super vos. Roborarem vos ore meo, & mouerem labia mea, quasi parcens vobis. Sed quid agam? Si locutus fuero, nõ quiescet dolor meus: & si tacuero, non recedet à me. Nunc autem oppressit me dolor meus, & in nihilum redacti sunt omnes artus mei. Rugæ meæ testimonium dicunt cõtra me, & suscitatur falsiloquus aduersus faciem meam, contradicens mihi. Collegit furorem suũ in me, & comminans mihi, infremuit contra me dentibus suis. Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est. Aperuerunt super me ora sua, & exprobrantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis. Conclusit me Deus apud iniquum, & manibus impiorum me tradidit. Ego ille quondam opulentus, repentè contritus sum. Tenuit ceruicem meam, confregit me, & posuit me sibi quasi in signum. Circundedit me lanceis suis, conuulnerauit lumbos meos. Non pepercit, & effudit in terram viscera mea. Cõcidit me vulnere super vulnus,

super vulnus, irruit in me quasi gigas. Saccum consui super cutem meam, & operui cinere carnem meam. Facies mea inrumuit à fletu, & palpebræ meæ caligauerunt. Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces. Terra ne operias sanguinem meum, neque inueniat in te locum latendi clamor meus. Ecce enim in cœlo testis meus, & conscius meus in excelsis. Verbosi amici mei. Ad Deum stillat oculus meus. Atque vtinam sic iudicaretur vir cum Deo, quomodo iudicatur filius hominis cum collega suo. Ecce enim breues anni trãseunt: & semitam per quam non reuertar, ambulo.

Caput II.

AVdiui frequenter talia.) Electi quippe frequenter aliena mala quasi sua audiunt, & ab his eis crimen impingitur, à quibus crimina impacta perpetrantur. Hac autem responsione beatus Iob illud Ecclesiæ tempus significat, quo oppressa ab aduersariis, temporali eorum potentia quasi deiecta creditur. Vnde sequitur: *Consolatores onerosi omnes vos estis.*) Siue enim hęretici seu praui quilibet, cùm laborare bonos in aduersitate conspiciunt, in eo quòd illos consolari appetunt, mala eis persuadere conantur. Vnde non immeritò bonorum mentibus onerosa fit eorum consolatio, quia inter verba dulcedinis, virus propinare cupiunt erroris, & dum dictis lenibus dolores quasi leuigant, peccati onus imponere festinant. Sed electi viri etiam cùm temporali gloria priuantur, interni vigorem iudicij non amittunt. Nam sciunt & foris aduersa perpeti, & tamen interius infracti, rectã sine pauore defendere. Vnde subiungitur: *Nunquid habebunt finem verba ventosa?*) Ventosa enim verba sunt, quæ inflationi temporali potius quàm rectitudini seruiunt. Sæpe autem mali etiam bona dicunt, sed quia bene non dicunt, ventosa verba proferunt. Nam dicta eorum & si quando sana sunt per sententiam, inflata tamen sunt per elationem. In hoc verò quod dictum est: *Consolatores onerosi omnes vos estis:*) quid aliud beati Iob magisterio docemur, nisi vt quisque perpendere sollicitè sciat, ne luctus tempore, verba increpationis inferat? Si enim sunt quædam quæ increpari iure debeant, in afflictione postponenda sunt, ne consolator increpando dolorem augeat, quem lenire proposuerat. Sequitur: *Aut aliquid tibi molestum est si loquaris?*) Mali viri cùm aliis sibi similibus conuitiosa verba proferunt, eo citius obmutescunt, quo de se talia mox audiunt, quàlia suis auditoribus dicunt. Cùm autem bonos viros per conuitiosa verba iaculantur, nil eis molestiæ ex conuitio nascitur, quia contra tacentes loquuntur, nec compelluntur audire quod sunt, quia iusti conuitia non reddunt, etiam dum coguntur audire quod non sunt. Bene ergo dicitur: Aut aliquid tibi molestum est si loquaris? Ac si ei apertè diceretur. Eo plus loqueris, quo à me molestum aliquid de tua actione non audis. Vnde & subditur:

Quòd pro qualitate personarum temperanda sit correctio doctorum.
Caput III.

POteram & ego similia vestri loqui.) Narrat iustus quid facere potuit, sed ne iustitiam deserat, quod facere potuit declinat. Sequitur: *Atque vtinam esset anima vestra pro anima mea, consolarer & ego vos sermonibus, & mouerem caput meum super vos. Roborarem vos ore meo, & mouerem labia mea, quasi parcens vobis.*) Aliquando necesse est vt prauis mentibus quæ humana prædicatione corrigi nequeunt, diuina flagella optari benignè debeant. Quod cùm magno sit amoris studio, videlicet non errantis pœna, sed correptio quæritur, & oratio potius quàm maledictio esse monstratur. In his autem verbis hoc beatus Iob monstratur intendere, vt amici qui dolori illius per charitatem compati nẽsciebant, ab experimento discerent, alienę afflictioni qualiter misereri debuissent, atque edomiti doloribus à sua passione traherent consolationem aliis qualiter inferrent, & tunc salubrius intrinsecus viuerent, cùm aliquid extrinsecus de infirmitate sentirent. Notandum quòd nõ ait: Vtinam esset anima mea pro anima vestra, sed Vtinam esset anima vestra pro anima mea: quia profectò sibi maledíceret, si se illis fieri similem optaret. Illis verò meliora voluit, quos sibi fieri similes quæsiuit. Consolamur verò prauos in flagello constitutos, cùm de exteriore percussione interiorem in eis conualescere salutem inducamus. Caput etiam mouemus, 3.
cum mentem, quæ principale nostrum est, ad compassionem inflectimus. Eosque inter flagella roboramus, cum doloris eorum vim verbis mitibus lenimus. Sunt nanque nonnulli qui dum interna nesciunt, de malis exterioribus desperabiliter affliguntur, de quibus per Psalmistam dicitur. In miseriis *Psal. 139.*
non subsistent. Ille etenim bene nouit in exterioribus miseriis subsistere, qui scit semper de spe interna gaudere. Quòd verò non ait parcens, sed quasi parcẽs vobis, nequaquam hoc negligenter prætereundum puto: quia sancta Ecclesia disciplinæ vigorem cum permixtione mansuetudinis seruans, alialiquando malis & quasi parcens non parcit, aliquando verò, & quasi non parcens parcit. Quod melius ostendimus, si ipsa quæ plerunque accidunt, proferamus. Ponamus itaque ante oculos mentis, duos prauos intra sanctam Ecclesiam esse cõstitutos, quorum sit vnus potens & proteruus, alter mitis & subditus. Si qua miti & subdito culpa surripuerit, hanc protinus increpando prædicator insequitur & corripitt, eúmque corripiendo à culpa liberat, atque ad viam rectitudinis reformat. Quid itaque huic nisi non parcens pepercit? quia dum correptionis verbum non distulit, citius hunc à culpa liberauit. Liberè enim arguens non pepercit, sed in eo quòd correxit, pepercit. At contrà potens & proteruus, cùm aliquid perpetrasse cognoscitur, tempus quæritur, vt de malo quod fecit increpetur. Nisi enim prædicator sustineat quando proferre congruè correptionem possit, auget in eo malum quod insequitur. Sæpe enim contingit, vt talis sit, qui nulla increpationis verba suscipiat. Quid itaque in huius culpa prædicatori agendum est, nisi vt in sermone admonitionis quem pro communi salute omniũ auditorũ facit, tales culpas ad mediũ deducat, quales eũ perpetrasse consideret, qui & præsto est, & de se solo adhuc argui non potest, ne deterior fiat? Et cùm generaliter contra culpam inuectio intẽditur, correptionis verbum libenter ad mentem ducitur, quia potens prauus ignorat, quòd sibi hoc specialiter dicatur. Quid itaque isti prædicator suus nisi parcẽs minimè pepercit? cui & specialiter correptionis verba non intulit, & tamen vulnus illius sub communi admonitione percussit. Vnde fit plerunque, vt eo vehementius perpetratam culpam lugeat, quo reatum suum, & cùm se percussum sentiat, nesciri putat. Magna itaque prædicationis arte agendum est, vt qui ex aperta correptione deteriores fiunt, quodam temperamento correptionis ad salutem redeant. Vnde etiam Paulus dicit: Quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circundamus, & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent, honesta autem nostra nullius egent. Sicut enim inhonesta membra in corpore, ita quidã sunt intra sanctam Ecclesiam potentes & proterui. Qui dum aperta inuectione feriri nequeunt, quasi honore tegminis velantur. Sed hæc de occultis potentium delictis loquimur. Nam quando & aliis cognoscentibus peccant, aliis etiam cognoscentibus increpandi sunt: ne si prædicator taceat, culpam approbasse videatur, atque hæc crescens in exemplum veniat, quam pastoris lingua non secat. Sancta ergo Ecclesia, cùm per prædicatores suos quædam facta malorum sub dispensatione inuectionis increpat, labia quasi parcens mouet, sed tamen parcendo non parcit, quia ab inuectione culpæ generaliter non tacet, quam specialiter tacet. Sequitur: *Sed quid agam? Si locutus fuero, non quiescet dolor meus, & si tacuero, non recedet à me.*) Hoc personæ beati Iob qualiter congruat nullus ignorat. Sed si ad sanctæ Ecclesiæ typum trahatur, hæc & cùm loquitur, dolor minimè quiescit, quando locutione sua peruersos minimè corrigi conspicit. Et cum tacet, dolor minimè recedit, quia etsi aduersa conticuerit, hoc ipsum amplius quod tacet gemit, quia se tacente, peruersorum culpas excrescere conspicit. Sequitur:

4. *Ars corrigendi proteruos.*
1. Cor. 12.

Quanta aduersitatum tempore à falsis & fictis fratribus patiantur electi.
Caput IIII.

NVnc autem oppreßit me dolor meus, & in nihilum redacti sunt omnes artus mei.) Dolore suo sancta Ecclesia premitur, quãdo in malitia sua crescere peruersos intuetur. Et quia dum praui crescunt, etiam infirmi qui in ea sunt, ad sequenda studia prauitatis irritantur, rectè additur: *Et ad nihilum redacti sunt omnes artus mei.*) Sicut enim per ossa fortes, sic per artus, infirmi quique designari solent. Membra ergo Ecclesiæ ad nihilum rediguntur, quando ex imitatione prauorum in hoc mundo crescentium, infirmi quique deterius infirmantur. Videntes etenim fœlicitatem malorum, sæpe ab ipso fidei statu delabuntur, bona temporalia appetunt, & veluti in nihilum ridiguntur: quia dum manentem Dei essentiam deserunt, diligentes transitoria, quasi ad non esse tendunt. Bene autem dicitur: *Nunc autem oppreßit me dolor meus:*) quia videlicet tempus doloris Ecclesiæ modo est, & tempus gaudij postmodum sequetur. Sæpe verò contingit vt sancta Ecclesia non solum infideles atque extra positos aduersarios toleret, sed eorum quoque insidias atque aduersitatem vix ferat, quos intus habet. Vnde beati viri voce aptè mox subditur: *Et rugæ*
5 *meæ testimonium dicunt contra me.*) Quid per rugas, nisi duplicitas designatur? Rugæ itaque sunt sanctæ Ecclesiæ, omnes qui in ea dupliciter viuunt, qui fidem vocibus clamant, operibus denegant. Hi nimirum pacis tempore, quia huius mundi potestatibus eandem fidem honori esse conspiciunt, fideles se esse mentiuntur. Sed cùm sanctam Ecclesiam subdita aduersitatis procella turbauerit, illico ostẽdunt quid in perfida mẽte moliũtur. Has autem rugas in electis suis sancta Ecclesia non habet, quia videlicet nesciunt aliud de se foris ostendere, & intus aliud habere. Vnde rectè egregius prædicator dicit: Vt *Ephe.5.* exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam. Maculam quippe & rugam non habet quæ & turpitudine operis, & duplicitate sermonis caret. Sed quia nũc intra sinum fidei multos etiam reprobos tenet, cùm tempus persecutionis exarserit, ipsos hostes patitur, quos prædicationis verbis alere antè videbatur. Dicat itaque: Rugæ meæ testimonium dicunt contra me, id est, ipsi me insequendo increpãt, qui nunc in meo corpore positi, duplicitatis suæ in se malitiam non emendant. Vnde bene adhuc subditur: *Et suscitatur falsiloquus aduersus faciem meam, contradicens mihi.*) Etiam pacis suæ tempore sancta Ecclesia falsiloquium patitur, dum sunt in ea multi qui de æternitatis promissione diffidunt, & tamen se fideles esse mentiuntur. Qui dum prædicationi eius apertè contradicere non præsumũt, falsiloquium non contra faciem, sed quasi post dorsum patitur. Sed cùm malitiæ tempus eruperit, is qui nunc metuens derogat, ad contradicendum ante faciem venit, quia verbis veræ fidei, apertis vocibus obsistit. Sciendum verò est, quia cùm hæc à carnalibus patimur, non tam ipsi sunt qui in nostra morte sæuiunt, quàm malignus spiritus, qui eorum mentibus principatur, sicut per Paulum dicitur: Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum. *Ephe.6.* Vnde cùm hic quoque de falsiloquo loqueretur, aptè mox ad describendum eius falsiloqui principem, verba conuertit, dicens:

Quòd sicut pauperes spiritu & simplices ad prædicandum Christus elegit, ita astutos & duplices antichristus ad falsitatis prædicationem assumet.
Caput V.

COllegit furorem suum in me, & comminans mihi, infremuit contra me dentibus suis: hostis meus terribilibus oculis me intuitus est.) Quid aliud omnes iniqui quàm mẽbra sunt diaboli? Ipse itaque per eos agit, quicquid in eorum cordibus vt agere debeant immittit.
6 Habet autem etiam nunc diabolus contra sanctam Ecclesiam furorem, sed sparsus eius furor est, quia occultas tentationes per singulos mouet. Cùm verò contra eam in aperta persecutione proruperit, furorem suum in eam colligit, quia in afflictione illius tota se intentione constringit. Membra autem eius hoc pacis tempore idcirco contra electos collectum furorem non habent: quia malitiam suam minus se sentiunt posse implere quàm volunt. Cùm verò sibi suppetere licentiam prauitatis aspexerint, tantò hãc audacius feriunt, quantò & contra illam ex vnanimitate glomerantur.

E Rectè itaque nunc dicitur: *Collegit furorem suum in me.*) Cuius adhuc furor vt latius exponatur, dicitur: *Et comminans mihi, infremuit contra me dentibus suis.*) De quo & subditur: *Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est.*) Ille quippe antiquus hostis Ecclesiæ cõtra hanc dentibus fremit, eamque terribilibus oculis intuetur, quia per alios crudelia exercet, & per alios quæ exerceat prouidet. Dentes namq; huius hostis, sunt bonorum persecutores atq; carnifices, qui eius membra laniant, dum electos illius suis persecutionibus affligunt. Oculi verò huius hostis sunt hi, qui contra eam prouident mala quæ faciant, suisq; consiliis persecutorum eius crudelitates inflammant. Antiquus ergo eius aduersarius fremit contra eam dentibus suis, dum per crudeles reprobos in ea insequitur vitam bonorum. Intuetur hanc terribilibus oculis, quia prauorum consiliis non cessat mala exquirere, in quibus hãc semper deterius affligat. Nam sicut incarnata veritas in prædicatione sua pauperes idiotas & simplices elegit: sic econtrario damnatus ille homo quem in fine mundi apostata angelus assumit, *Antichristus scilicet.*
F ad prædicandam falsitatem suam, astutos ac duplices, atque huius mundi scientiam habentes electurus est. Vnde & per 7
Esaiam dicitur: Væ terræ cymbalo alarum quæ est trans *Esaia.18.* flumina Aethiopiæ, quæ mittit in mari legatos & in vasis papyri super aquas. Terra quippe cui væ dicitur, ille principaliter homo damnatus est, qui alarum cymbalum vocatur: quia hi qui per superbiam in altitudinem cogitationis euolant, eundem peruersum hominem prædicando sonant. Quæ scilicet terra rectè trans flumina Aethiopiæ esse perhibetur. Aethiopia etenim nigrum populum mittit, & omnem hominem mundus iste quia peccatorem profert, quasi nigrum Aethiopia populum parit. Sed terra cui væ dicitur, trans flumina Aethiopiæ esse perhibetur, quia damnatus ille homo tanta immensitate iniquus est, vt omniũ peccantium peccata transcendat. Qui mittit in mare legatos, quia prædicatores suos in seculum spargit. De quibus rectè subditur qualiter mittãtur, dum dicitur: In vasis papyri super aquas. Ex papyro quippe
G charta est. Quid itaque per papyrum, nisi secularis scientia designatur? Vasa ergo papyri sunt corda doctorum secularium. In vasis igitur papyri super aquas legatos mittere, est prædicationem suam in sapientum carnalium sensibus ponere, & defluentes ad culpam populos vocare. Qui ergo illic per vasa papyri, ipsi hîc quia carnaliter vident, per oculos designantur. De quibus & adhuc subditur: *Aperuerunt super me ora sua exprobrantes.*) Ora sua reprobi exprobrantes aperiunt, cùm & erroris sui mala prædicare non metuunt, & prædicamenta rectæ fidei irrident. De quibus sciendum est quia illos præcipuè in sancta Ecclesia persequuntur, quos multis conspiciunt esse profuturos, qui vitam carnalium verbo correptionis conterunt, eósque in Ecclesiæ corpore spiritaliter vertunt. Vnde & subditur:

Quòd Christi maxillam percutit, qui veritatis persequitur prædicatores, & doctrinæ Euangelicæ contradicit, & de varijs pressuris Ecclesiæ. *Caput VI.*

H *PErcusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis.*) Maxilla *Thren.1.* quippe Ecclesiæ, sancti prædicatores sunt, sicut sub Iudææ specie per Hieremiam dicitur: Plorans plorauit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius: quia in aduersitate Ecclesię illi amplius plangunt, qui vitam carnalium confringere prædicando nouerunt. Per ipsos quippe sancta Ecclesia iniquos à vitiis conterit, & quasi glutiens in sua membra cõuertit. Vnde ipsi quoque primo prædicatori velut maxillæ Ecclesiæ dicitur: Occide & manduca. Hinc est etiam quòd *Iudi.15.* Sanson maxillam asini tenuit, & hostes peremit, quia redemptor noster simplicitatem atque patientiam prædicantium, suæ manu virtutis tenens, à vitiis suis carnales interfecit. Et maxilla in terram proiecta postmodum aquas fudit, quia data morti prædicatorum corpora, magna populis monstrauere miracula. Maxillam ergo Ecclesiæ peruersi feriunt, cùm bonos prædicatores insequuntur. Et quia tunc reprobi grande se aliquid fecisse æstimant, cùm vitam prædicatorum necant, post percussionem maxillæ aptè subiungitur: *Satiati sunt pœnis meis.*) Illa quippe eos pœna satiat, quæ mentem Ecclesiæ præcipuè castigat, Sequitur: *Conclusit me Deus apud iniquum, & manibus*

omnibus impiorum me tradidit.) Electorum populus apud iniquum concluditur, cùm eius caro antiqui hostis persecutionibus temporaliter datur. Qui non spiritui sed manibus impiorum traditur, quia quò hunc in mente capere nequeunt, eò contra carnem illius crudelius inardescunt. Sed sanctus Ecclesiæ populus cùm aduersa perpeti grauiter cœperit, & infirmos suos conspexerit ad deteriora delabi, pacis suæ tempora ad mentem reuocat, quando fideles suos prædicationis suæ opulentia pascebat. Vnde aptè subiungitur: *Ego ille quondam opulentus, repentè contritus sum*) In eo quòd se repentè contritũ asseruit, infirmorũ mentẽ improuidã designauit. Qui dũ mala quæ ventura sunt præuidere nesciunt, tantò eis grauiora fiunt, quantò ab eis inopinata tolerant. Firmis autem mentibus repentè aduersa non veniunt, quia priusquam veniant præuidentur. Quod tamen nunc quoque sancta Ecclesia in quibusdam retro labentibus patitur, qui post doctrinæ opulentiam, subitis aliquando vitiis conteruntur, vt sic in quibusdam malis corruant, ac si verbi pabulum nunquam habuissent. Sequitur: *Tenuit ceruicem meam, confregit me, & posuit sibi quasi in signum.*) Sicut in malis ceruix superbiam, sic in bonis libertatis erectionem signat. Vnde nonnunquam ipsa quoque superbia pro erectionis authoritate ponitur, sicut per Prophetam Dominus sanctæ Ecclesiæ pollicens dicit:
Esa.60. Ponam te in superbiam seculorum. Et quia persecutionis tempore infirmi quidam vera quæ sentiunt, prædicare liberè non præsumunt, rectè de hoc hoste dicitur: *Tenuit ceruicem*
9 *meam, confregit me.*) Fortasse autem hi ceruicis appellatione signati sunt, qui pacis eius tempore plusquam decet eriguntur, & sub occasione defendendæ rectitudinis, vitio deseruiunt elationis. Qui persecutionis tempore idcirco aduersa plus sentiunt, quia de prosperis extolluntur. De quibus bene dicitur: *Tenuit ceruicem meam, confregit me*) Id est, elationem quam in infirmis habui, districtione suæ percussionis inclinauit. *Et posuit me sibi quasi in signum.*) Constat nimirum quia idcirco signum ponitur, vt sagittarum emissione feriatur. Fidelis itaque populus in signum hosti suo esse positus, quia eum semper suis ictibus impetit, eúmque suis persecutionibus affligit. Qui enim in hac vita assidua mala toleraret, velut in signum positus, ictus excipit ferientis. Vnde & prædicator egregius cùm persecutionum mala tolerarer, atque sub persecutione aduersariorum gemeret, teneram discipulorum mentẽ de suis afflictionibus cõsolans ait: Ipsi enim
1.Thess.3. scitis quòd in hoc positi sumus. Ac si eis apertè dicat: Quid in hoc tempore vulnera nostra miramini, qui si æterna gaudia quærimus, huc ad hoc venimus vt feriamur? Sequitur: *Circundedit me lanceis suis, conuulnerauit lumbos meos, non pepercit, & effudit in terram viscera mea.*) Hæc iuxta literam beato Iob congruere posse videbantur, per hoc quod dicitur: Circundedit me lanceis suis, conuulnerauit lumbos meos, non pepercit: nisi subderetur quod de eo minimè scriptum legitur, Effudit in terram viscera mea. Ex qua re necesse est, vt dum hæc iuxta literam inuenire non possumus, ea quæ in verbis eius secundum historiã sonant, iuxta spiritum requiramus. Sãcta Ecclesia lanceis ab hoste suo circundatur, quando in mẽbris suis ab impugnatore callido tẽtationũ iaculis impetitur. Bene autem circundari lanceis dicimur, quia antiquus hostis tentationis suæ vulnere ab omni parte nos impetit. Sæpe enim dum gula restringitur, vt libido subigatur, inanis gloriæ aculeus mentem pulsat. Si autem corpus abstinentiæ afflictione non atteritur, contra mentem libidinis flamma se excitat. Sæpe dum seruare parsimoniam nitimur, ad tenaciam labimur. Et sæpe dum possessa effusè tribuimus, ad auaritiam ducimur, quia rursum colligere quærimus quod tribuamus. Dum ergo antiqui hostis iacula vbique nos impetunt, rectè nunc dicitur: *Circundedit me lanceis suis.*) Et quia omne peccatum hostis quidem callidus suadet, si nos eius suasionibus consentiendo perpetramus, aptè subiungitur: *Conuulnerauit*
1.Petr.1. *lumbos meos.*) In lumbis quippe luxuria est. Vnde & is qui cupiebat voluptatem libidinis à corde extinguere, prædicauit dicens: Succincti lumbos mentis vestræ. Cùm ergo antiquus hostis fidelem populum ad luxuriam pertrahit, hunc proculdubio in lumbis ferit. Vbi notandum quoque est quòd non ait: Vulnerauit, sed Conuulnerauit lumbos meos. Sicut enim

A loqui aliquando vnius est, colloqui verò duorum, vel fortasse multorum; sic antiquus hostis quia nos ad culpam sine nostra voluntate non rapit, nequaquàm lumbos nostros vulnerare, sed conuulnerare, dicitur: quia hoc quod nobis ille malè suggerit, nos sequentes ex voluntate propria implemus, & quasi cum ipso nos pariter vulneramus, quia ad perpetrandum malum ex libero simul arbitrio dicimur. Sequitur: *Non pepercit.*)
Ac si dicat, non destitit. *Et effudit in terram viscera mea.*) Quid 10.
aliud sanctæ Ecclesiæ viscera debemus accipere, nisi eorum mentes qui eius quædam in se mysteria continent, qui ad intima sacramenta deseruiunt? Sed antiquus aduersarius cùm fideles quosdam qui interioribus sacramentis deseruire videbantur, ad secularia negotia pertrahit, eius proculdubio viscera in terram fundit: quia illos in rebus infimis conculcat, qui prius in occultis ac spiritalibus actibus latebant, Sequitur: *Concidit me vulnere super vulnus.*) In infirmis suis sancta Ecclesia vulnere super vulnus conciditur, quando peccatum peccato additur, vt culpa vehementius exaggeretur. Quem enim auaritia
B pertrahit ad rapinam, rapina ducit ad fallaciam, vt perpetrata culpa ex falsitate etiam defendatur: quid iste nisi super vulnus concisus est vulnere? Vnde bene quoque per Prophetam dicitur: Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem *Osea.4.* tetigit. Solet enim sanguinis nomine signari peccatum. Vnde is qui à peccatis liberari desiderat, per pœnitentiam clamat: Libera me de sanguinibus. *Psal.50.* Sanguis ergo sanguinem tangit, cùm culpa culpam cumulauerit. Et quia cùm vulnus vulneri additur, vires contra nos antiqui hostis vehementius excrescunt, rectè subiungitur: *Irruit in me quasi gigas.*) Facilè quippe inimico resistitur, si non ei, vel in multis lapsibus, vel in vno diutius consentiatur. Sin verò eius suasionibus anima subesse consueuerit, quãtò se ei crebrius subiicit, tantò eum sibi intolerabiliorem facit, vt ei reluctari non valeat: quia nimirum malignus aduersarius contra hanc ex praua consuetudine deuictam, quasi more gigantis pugnat. Sed tamen plerunque
C sancta Ecclesia etiam post perpetratas culpas, mentes fidelium ad pœnitentiam reuocat, & peccata operis virtute spontaneæ afflictionis mundat. Vnde bene subditur. *Saccum consui super cutem meam, & operui cinere carnem meam.*) Quid in sacco & cinere nisi pœnitentia, quid in cute & carne, nisi peccatum carnis debet intelligi? Cùm ergo quidam post lapsum carnis ad pœnitentiam redeunt, quasi saccus super cutem consuitur, & cinere caro operit: quia culpa carnis per pœnitentiã tegitur, ne in districti iudicis examine ad vltionẽ videat. Infirma autem membra sua sancta Ecclesia cùm à peccatis retrahit, atque ad pœnitentiæ remedium ducit, hæc proculdubio fletibus adiuuat, vt ad recipiendam authoris sui gratiam conualescant, & per fortes plangit quod non fecit, quod in membris suis debilibus quasi ipsa fecit. Vnde bene adhuc subditur:

Quòd prælati sanctæ Ecclesiæ subditorum peccata quasi propria plangunt, & dum viderint aliquos pœnitentes, aliquos in malis perseuerantes, iudicia diuina mirantur.
D *Caput VII.*

FAcies mea intumuit fletu.) Facies quippe sanctæ Ecclesiæ sunt 11.
hi qui in locis regiminum positi, apparent primi, vt ex eorum specie sit honor fidelis populi, etiã si quid in corpore latet deforme. Qui nimirum prælati plebibus plangunt culpas infirmantium, séque sic de alienis lapsibus, ac si de propriis affligunt. Et sæpe dum quosdã vident ad veniã post culpas redire, quosdã in iniquitate persistere, occulta omnipotẽtis Dei iudicia mirãtur, sed penetrare nequeunt. Obstupescunt enim quæ non intelligunt. Vnde & aptè subditur: *Et palpebræ meæ caligauerunt.*) Palpebræ enim rectè appellati sunt, qui ad præuidenda pedum itinera vigilant. Sed cùm occulta Dei iudicia, nec præpositi vigilantes intelligũt, palpebræ sanctæ Ecclesiæ caligant. Sed vt sæpe iam me dixisse memini, beatus Iob sanctæ Ecclesiæ typum tenens, modò voce corporis, modò autem voce capitis vtitur, & dum membris eius loquitur, repentè ad verba capitis leuatur, Vnde hîc quoque subiungitur:

Quòd sanguis Christi melius loquitur quàm Abel: quia sanguis Abel vltionem, sanguis verò Iesu veniam impetrat.
Caput VIII.

H *Æec passus sum absque iniquitate manus meæ, cùm haberem mundas ad Deum preces.*) Absque iniquitate enim manus suæ pertulit, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, & tamen dolorem crucis pro nostra redemptione tolerauit. Qui solus præ omnibus mundas ad Deum preces habuit: quia & in ipso dolore passionis pro persecutoribus orauit, dicens: Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Quid enim dici, quid cogitari in prece mundius potest, quàm cùm & illis misericordia intercessionis tribuit, à quibus toleratur dolor? Vnde factum est, vt redemptoris nostri sanguinem, quem persecutores sæuientes fuderant, postmodum credentes biberent, eúmque esse Dei filium prædicarent. De quo videlicet sanguine aptè subiungitur: *Terra, ne operias sanguinem meum, nec inueniat in te latenti locum clamor meus.*)
Gene.3. Peccanti homini dictum est: Terra es, & in terram ibis. Quæ scilicet terra redemptoris nostri sanguinem non abscondit: quia vnusquisque peccator redemptionis suæ precium sumens, confitetur ac laudat, & quibus valet proximis innotescit. Terra etiam sanguinem eius non operuit: quia sancta Ecclesia redemptionis suæ mysterium in cunctis iam mundi partibus prædicauit, Notandum quod subditur: *Neque
12. inueniat in te latendi locum clamor meus.*) Ipse enim sanguis redẽptionis qui sumitur, clamor nostri redemptoris est. Vnde e-
Heb.12. tiam Paulus dicit: Et sanguinis aspersionem melius loquentem quàm Abel. De sanguine Abel dictum fuerat: Vox san-
Gene.4. guinis fratris tui clamat ad me de terra. Sed sanguis Iesu melius loquitur quàm Abel: quia sanguis Abel mortem fratricidæ fratris petijt, sanguis autem Dominivitam persecutoribus impetrauit. Vt ergo in nobis sacramentum dominicæ passionis non sit ociosum, debemus imitari quod sumimus, & prædicare cæteris quod veneramur. Locum enim latendi clamor eius in nobis inuenit, si hoc quòd mens reddidit, lingua tacet. Sed ne in nobis clamor eius lateat, restat vt vnusquisque iuxta modulum suum, viuificationis suæ mysterium proximis innotescat. Libet mentis oculos ad dominicæ passionis horam reducere, cùm Iudæi persequentes sæuirent, discipuli timentes fugerent. Qui enim in carne mori videbatur, nequaquam Deus esse credebatur. Vnde hîc aptè subditur:

Quòd testis filij sit pater & conscius: quia in omni trinitatis opere vnũ consilium est, & vna voluntas. Caput IX.

E *Ecce enim in cœlo testis meus, & conscius meus in excelsis.*) Cùm enim filius labefactaretur in terra, erat ei testis in cœlo. Testis quippe filij pater est, de quo ipse in Euangelio dicit:
Ioan.5. Et qui misit me pater, ipse testimonium perhibet de me. Qui rectè etiam conscius dicitur: quia vna voluntate, vno consilio pater cum filio semper operatur. Cuius etiam testis est, quia nemo nouit filium nisi pater. Tũc ergo in cœlo testẽ, & conscium in excelsis habuit, quando hi qui eum morientem in carne cernebant, diuinitatis eius potentiam considerare nesciebant. Et cùm ignorarent homines, in morte tamen mediatoris Dei & hominum nouerat, qui cum ipso operabatur pater. Quod fortasse etiam ad vocem eius corporis referri
13. valet. Sancta nanque Ecclesia idcirco aduersa vitæ præsentis tolerat, vt hanc superna gratia ad præmia æterna perducat. Carnis suæ mortem despicit: quia ad resurrectionis gloriam intendit. Et transitoria sunt quæ patitur, perpetua quę prestolatur. De quibus nimirum bonis perpetuis dubietatem non habet, quia fidele iam testimonium redemptoris sui gloriam tenet. Carnis quippe eius resurrectionem mente conspicit, atque ad spem fortiter conualescit: quia quod in suo videt iam factum capite, sperat in eius quoque corpore, quod videlicet ipsa est, absque dubietate secuturum. Quam
Psalm.88. scilicet Ecclesiam Psalmista conspiciens in perpetua perfectione mansuram, sub appellatione lunæ describit, dicens: Luna perfecta in æternum. Quem quia ad resurrectionis spẽ dominica resurrectio roborat, rectè subiunxit: Et testis in cœlo fidelis: quia vt de sua resurrectione non trepidet, iam eum in cœlo qui resurrexit à mortuis, testem habet. Fidelis itaque populus cùm aduersa patitur, cùm duris tribulationibus fatigatur, ad spem sequentis gloriæ mentem erigat, & de redemptoris sui resurrectione confidens dicat: *Ecce enim in*
cœlo testis meus, & conscius meus in excelsis.) Qui rectè conscius dicitur, quia naturam nostram, non solùm creando nouit, sed etiam assumendo. Scire enim eius, est nostra suscepisse. Vnde etiam per Psalmistam dicitur: Ipse enim scit figmentum Psalm.102.
nostrum. Quid enim mirum si figmentum nostrum dicatur specialiter scire, dum constet nihil esse quod nesciat? Sed figmentum nostrum scire eius, est hoc in seipso ex pietate suscepisse. Quæ tamen vox cum beato Iob congruere nobis etiam singulis potest. Omnis enim qui ex eo quod agit, humanas laudes appetit, testem in terra quærit. Qui autem de actibus suis omnipotenti Deo placere festinat, testem se in cœlo habere considerat. Et sæpe contingit, vt ipsa quoque in nobis bona opera ab incautis hominibus reprehendantur. Sed qui testem in cœlo habet, reprehensiones hominum metuere non debet. Vnde adhuc subditur: *Verbosi a-
g. 14.
mici mei: ad Deum stillat oculus meus.*) Quid enim per oculum, nisi cordis intentio designatur? sicut scriptum est: Si fuerit o- Matth.6.
culus tuus simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Quia cum bona intentione quid agitur, eius intentionis actio apud Deum minimè fuscatur. Cùm ergo verbosi amici sunt, id est, cùm & ipsi derogant, qui in fide sociantur, ad Deum necesse est vt oculus stillet, quatenus nostra intentio tota in amoris intimi compunctione defluat, & tantò subtilius se ad interiora erigat, quantò per exteriora opprobria repulsa, intus redire cogitur, ne foras euanescat. Sequitur: *Atque vtinam sic iudicaretur vir cum Deo, quomodo iudicatur filius hominis cum collega suo.*) Peccatores quidem nos esse semper agnoscimus, sed tamen sæpe in flagello positi, pro quo magis peccato flagellemur, ignoramus: & nosipsos subtili inquisitione discutimus, vt si quo modo possimus, causam percussionis nostræ inuestigare valeamus. Quæ dum plerunque nos latet, fit nobis oneri cæcitas nostra, & de eo quod patimur, plus dolemus. Quisquis verò cum collega suo ad iudicium accedit, & quod sentit dicit, & quicquid contradicitur agnoscit: & quò voluerit, pulsat, & nouit vnde
pulsatur. Qui enim diuina animaduersione percutitur, dum nouit quidẽ quia vapulat, sed cur vapulet ignorat, quasi dicit ipse quod sentit, sed quid contra se dicitur, nescit: quia ipse quidem ingemiscit in verbere, sed Deus apertè non declarat, pro qua eum feriat vltione. Ibique nunc dicitur: *Atque vtinam sic iudicaretur vir cum Deo, quomodo iudicatur filius hominis cum collega suo.*) Ac si apertè diceretur: Sicut in omni quod dico audior, sic omne quod de me dicitur, audirem. Quod tamen in hac vita fieri nullatenus potest: quia magna est interpositio oculis cordis nostri ad contemplandam subtilitatem Dei, ipsa videlicet infirmitas nostra. Sed tunc ad purum intuebimur eum à quo nunc subtiliter intuemur, cùm hac infirmitate deposita, ad contemplationis internæ gratiam venerimus, de qua Paulus dicit: Tunc cognoscam
sicut & cognitus sum. Vnde beatus Iob videns eandem co- 1.Cor.1.
gnitionem plenissimè hîc perfici nullatenus posse, de cæcitate quidem vitæ præsentis gemit, sed tamen se de eius breuitate consolatur, dicens: *Ecce enim breues anni transeunt, & semi-*
tam per quam non venerar, ambulo.) Omne quod transit, breue est, etiam si tardius terminari videatur. In mortis autem semita per quam non reuertimur, ambulamus: non quò ad vitam carnis minimè resurgendo reducimur, sed quòd ad labores huius vitæ mortalis, vel ad conquirenda laboribus præmia iterum non venimus.

Caput decimumseptimum beati Iob.

Spiritus meus attenuabitur, dies mei breuiabuntur: & solum mihi superest sepulchrum. Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus. Libera me, & pone me iuxta te: & cuiusuis manus pugnet contra me. Cor eorum longè fecisti à disciplina, propterea non exultabunt. Prædam pollicetur sociis: & oculi filiorum eius deficient. Posuit me quasi in prouerbium vulgi, & exemplum sum coram

ram eis. Caligauit ad indignationem oculus meus, A
& membra mea quasi in nihilum redacta sunt. Stupebant iusti super hoc, & innocens contra hypocritam suscitabitur. Et tenebit iustus viam suam, & mundis manibus addet fortitudinem. Igitur omnes vos conuertimini & venite, & non inueniam in vobis vllum sapientem. Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum, Noctem verterunt in diem, & rursum post tenebras spero lucem. Si sustinuerò, infernus domus mea est, & in tenebris straui lectulum meum. Putredini dixi, Pater meus, mater mea est, & soror mea vermibus. Vbi est ergo nunc præstolatio mea, & patientiam, meam quis considerat? In profundissimum infernum descendent omnia mea. Putásne saltem ibi erit requies mihi?

Quòd timore iudicij quanto finem suum magis propinquare cognoscunt electi, eo semetipsos terribilius discutiunt.
Caput X.

25. S*Piritus meus attenuabitur*) Attenuabitur spiritus timore iudicij, quia electorum mentes quò amplius extremo iudicio propinquare se sentiunt, eò ad discutiendas semetipsas terribilius contremiscunt, & si quas in se carnales vnquam cogitationes inueniunt, pœnitentiæ ardore consumunt: nec cogitationes suas dilatari carnali voluptate permittunt, quia eo semetipsas diiudicantes subtilius feriunt, quo districtum iudicem præstolantur vicinum. Vnde fit vt propinquum sibi semper exitum suspicentur. Nam reproborum mentes idcirco multa nequiter agunt, quia hîc se viuere diutius arbitrantur. Iustorum ergo attenuatur spiritus, sed crassescit iniquorum. Quo enim per elationem tument, eo attenuationẽ spiritus non habent. Iusti verò dum breuitatem suæ vitæ cõsiderant, elationis & immunditiæ culpas declinant, Vnde & subditur: *Dies mei breuiabuntur, & solum mihi superest sepulchrum.* Qui enim considerat qualis erit in morte, semper fit timidus in operatione, atque vnde in oculis suis iam quasi non viuit, inde veraciter in oculis sui cõditoris viuit. Nil quod transeat appetit, cunctis presentis vitæ desideriis contradicit, & penè mortuũ se considerat, quia moriturũ minimè ignorat. Perfecta enim vita est mortis imitatio, quam dum iusti sollicitè
Eccli.7. peragunt, culparum loqueos euadunt. Vnde scriptum est: In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Vnde & beatus Iob, quia dies suos considerat breuiari, & solum sibi superasse sepulchrum pensat, aptè subiungit: *Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus.*) Ac si apertè dicat: Culpam non feci, & flagella suscepi. Sed hac in re animum mouet, quia in multis se huius historiæ locis peccasse confitetur, qua ratione peccasse se nunc abnegat? Sed ad hæc ratio celeriter occurrit, quia nec tantum peccauit, vt flagella mereretur, nec tamen esse sine peccato potuit. Nam quia non pro corrigenda culpa, sed pro gratia au- D
genda percussus est, iudex ipse testatur, qui laudat & ferit. Et rursum quia sine peccato non fuerit, nec ipse negat, qui à iudice laudatur, atq; ideò laudẽ quia nõ negat. Sed credo quòd
16. melius hæc verba discutimus, si dicta ex voce capitis sentiamus. Redẽptor etenim noster ad ereptionẽ nostrã veniẽs, & non peccauit, & amaritudinẽ pertulit, quia pœnam culpæ nostræ sine culpa sua suscepit, de cuius voce subditur: *Libera me, & pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.*) Ipse etenim non peccauit in cogitatione, vel opere, ipse in amaritudine moratus est per passionem, ipse liberatus est per resurrectionem, ipse iuxta patrem positus est per ascensionem, quia profectus in cœlum sedet ad dexterã Dei. Et quia post ascensionis eius gloriam Iudæa in discipulorum eius persecutione commota est, rectè nunc dicitur: *Et cuiusuis manus pugnet contra me.*) Tunc quippe in membris illius furor persequentium sæuit, cùm contra fidelium vitam flamma crudelitatis exarsit. Sed quò ire[illegible] qui, aut quid agerent, dum is quem persequebantur in terra, iam sedebat in cœlo? De quibus adhuc subditur:

Quòd reproborum corpus sub disciplina sit, mens verò procul.
Caput XI.

C*Or eorum longè fecisti à disciplina.*) Si enim disciplinæ custodiam nossent, & nequaquã redemptoris nostri præcepta contemnerent, ipsa eos carnis suæ mortalitas ad amorem vitę immortalis excitasset. Hoc ipsum nanque, in hac vita corruptioni nos esse subiectos, iam de flagello disciplinæ est. Aestu enim & frigore, fame sitíque turbari, morbis affici, quãdoque etiã extingui, quid sunt hæc aliud quàm flagella peccati? Sed sunt nonnulli qui & flagella tolerant, & tamen mẽtem ad flagellantis metum minimè reformãt, Vnde rectè nunc dicitur: *Cor eorum longè fecisti à disciplina.*) Quia etsi corpus sub disciplina est, cor sub disciplina non est: dum & flagellatur quisque, & tamen ad humilitatem mentis nõ reducitur. Neque ita hoc dicitur, ac si omnipotens & misericors Deus longè cor hominis à disciplina faciat, sed quòd sponte delapsum, ibi remanere vbi cecidit iudicando permittat: sicut ei in oratione quoque dicimus: Et ne nos inducas in tentationem, id est, in-
B duci minimè permittas. *Propterea non exaltabuntur.*) Cor enim si sub disciplina esset, superiora appeteret, adipiscendis bonis transeuntibus non inhiaret. Quorum igitur cor sub disciplina non est, rectè de illis dicitur: *Propterea non exaltabuntur:*) quia dum in infimis voluptatibus dimissi, terrena bona semper desiderant, cor ad superna gaudia nunquam leuant. Exaltarentur quippe, si mentem ad spem patriæ cœlestis erigerent. Sed qui per disciplinam custodire vitam minimè student, sed ex desiderio in imis iacent: &, quod est grauius, iacẽdo se erigũt. quia de rebus transitoriis extolluntur. Extolli autem possunt, sed exaltari nequeunt, & inde profundius in imo sunt, vnde se apud se altiores fiunt. Cor itaq; quod sine disciplina est, exaltari nõ valet, quia humana mens sicut malè eleuata in infimis premitur, sic bene pressa in sublimibus leuatur. Sequitur:

Matt.6. Lucæ.10. Quomodo oremus: & ne nos inducas in tẽtationem.

Quòd sucij diaboli sint apostatæ angeli, qui cum eo corruerunt: filij verò, qui per delectationem ab eo gignuntur.
Caput XII.

C P*Ræda m pollicetur sociis, & oculi filiorum eius deficient*) Postquam de multitudine iniquorum, id est, de antiqui hostis corpore, beatus Iob sententiam protulit, mox ad ipsum eorũ principem, id est, caput omnium perditorum, sententiam ver-
tit, atque à plurali numero ad singularem redit. Ita quippe 17.
vnum corpus sunt diabolus, & omnes iniqui, vt plerũque nomine capitis censeatur corpus, & nomine corporis appelletur caput. Nam capitis nomine censetur corpus, cùm de peruerso homine dicitur: Ex vobis vnus diabolus est. Et rursum no- Ioan.6.
mine corporis appellatur caput, cùm de ipso apostata angelo dicitur: Inimicus homo hoc fecit. Iste igitur princeps omniũ peruersorum alios socios habet, atque alios filios. Qui nanque Matt.3.
sunt eius socij, nisi apostatæ angeli, qui cum eo de cœlestis patriæ sede ceciderunt? Vel quos alios filios habet, nisi peruersos homines, qui de eius praua persuasione in malitiæ operatione generantur? Vnde etiam veritatis voce infidelibus dicitur: Vos ex patre diabolo estis. Peruersus itaque iste author Ioan.8.
erroris prædam sociis pollicetur, quia malignis spiritibus prauorum promittit animas in eorum fine rapiendas. *Et oculi filiorum eius deficient.*) Quia dum intentiones hominum ad sola terrena speranda excitat, hoc illos amare facit, quod diu tenere non possunt. Neque enim valet amoris praui intentio permanere, quando & hoc quod amat, ipsũmque qui amat, constat sub celeritate deficere. Possunt quoque & per socios fortasse intelligi crudelissimi quique & omni malitia iam repleti: per filios verò hi qui adhuc deceptoriis promissionibus illusi, augendæ prauitati nutriuntur: vt illos iam velut ex merito malitiæ diabolus quasi socios habeat, qui iam non habent in perditione quo crescant: istos autem quasi filios, quos promissionibus lactat, vt ad peiora proficiant. Sed oculi filiorum eius deficient, quia prauorum intentiones cadunt, cùm omne quod hîc appetunt, deserunt: & illic quod doleant, sine fine patiuntur. Sequitur: *Posuit me quasi in prouerbium vulgi, & exemplum sum coram eis.*) Hæc beatus Iob dicat ex se, dicat ex vocibus omnium electorum. Omnis quippe qui flagello percutitur, quasi in prouerbium ponitur vulgi, quia stultus quisque dum cuiquam maledicere appetit, ex illius similitudine maledictionem sumit, quem percussum temporaliter

videt, eámque pœnam suo optat aduersario, quam euenisse conspicit iusto. Sicque fit vt non rectè sapientibus, in exemplum deducatur rectus, dum & pœna iusti esse damnatio creditur, & quæ illi maneat gloria, nulla spe fidei præuidetur. Sequitur:

Quod iusti cùm vident sanctorum innocentiam à peccatoribus opprimi, iudicia dei mirantur, ad quorum secreta non penetrant.

Caput XIII.

18. C*Aligauit ad indignationem oculus meus, & membra mea quasi in nihilum redacta sunt.*) Ad indignationem oculus caligat, quando ipsi quoque qui in dominico corpore, id est, in Ecclesia lumen veritatis habent, dum se diutius à prauis despici ac dedignari conspiciunt, de occulti iudicij admiratione turbantur, & secretum Dei penetrare nequeunt, cur præualere peruersi contra bonorum innocentiam permittuntur. Quis etenim non obstupescat, cùm Herodias apud temulentum regem saltatu filiæ obtinet, vt caput amici sponsi, prophetæ & plusquam prophetæ, ante ora conuiuantium in disco deferatur? Sed cùm iusti ad indignationem caligant, infirmi plerunque vsque ad infidelitatem corruũt. Vnde subditur: *Et membra mea quasi in nihilum sunt redacta.*) Membrorum quippe nomine, teneritudo exprimitur infirmorum, qui dum peruersos prospiciunt florere, iustósque cruciari, ad hoc nonnunquam perueniunt, vt se bona vel inchoasse pœniteant, atque ita ad agenda mala citius recedunt, ac si eorum vitæ nocuerit bonum quod inchoauerunt. Hoc autem quod ait: Caligauit ad indignationem oculus meus, verbis planioribus aperit adiungens:

De decollatione Ioanis baptistæ.

Quòd contra hypocritas sancti suscitantur, cùm eorum gloriam honorémque contemnunt, & ad sola bona cœlestia mentem erigunt, quæ sibi cum malis communia esse non possunt.

Caput XIIII.

S*Tupebunt iusti super hoc, & innocens contra hypocritam suscitabitur.*) Hoc loco innocens necdum perfectus iustus accipitur, qui bona adhuc inchoans, etsi nocere aliis non nouit, perfecta tamen ipse agere nequaquam valet. Et quia corda paruulorum, dum peruersos florere in præsenti vita conspiciunt, inuidiæ facibus succenduntur: tantò enim quisque plus inuidet aliis bona præsentia, quantò ea ipse minus contempserit. Nam quod haberi ab omnibus non valet simul totum, huic desit quod alter habuerit. Succenditur verò contra hypocritam innocens, dum gloriæ simulatoris inuidet etiam qui nulli nocere solet. Sin verò hoc in loco innocens quilibet in bono perfectus accipitur, contra hypocritam innocens suscitatur, quando hunc & florere conspicit, & tamen cum suo eum flore contemnit, & prædicando quæ recta sunt, tantò eum despiciendum cæteris esse denunciat, quantò eum conspicit illa anxiè quærere, quæ cum eo diu non valeant permanere. In quo adhuc sensu subiungitur: 19. *Et tenebit iustus viam suam, & mundis manibus addet fortitudinem.*) Considerato quippe hypocrita, iustus viam suam tenet, quia dum illum ex peruersa voluntate obtinere ea quæ mundi sunt intuetur, ipse ad amorem cœlestium robustius stringitur, sciens quia desideriis præmia æterna non deerunt, dum & prauis & duplicibus cordibus bona temporalia non negantur. Qua ex re mundis quoque manibus addit fortitudinem, quia conspiciens peruersos obtinere terrenã gloriam, bona sua opera prouehit ad perfectionem, & tantò altius temporalia despicit, quantò hæc abundare etiam malis cernit. Quàm enim sint despicienda considerat, quæ Deus omnipotens etiam peruersis præstat. Si enim principaliter magna essent, nequaquam hæc conditor aduersariis suis tribueret. Vnde & indignum sibi esse perpendit, vt illa bona appetat, quæ abundare conspicit & malis, sed ad percipienda cœlestia mentem suam dirigit, quæ sibi cum reprobis communia esse non possunt. Igitur postquam exteriores profectus malorum, bonorum verò interiores intulit, exhortationis verba protulit dicens: *Igitur vos omnes conuertimini, & venite.*) Quæ videlicet exhortationis verba propriè ad electos format, quos ad æternitatem vocat. Qui duobus modis inuitantur, scilicet, vt conuertantur, & veniant: conuertantur nimirum fide, veniant opere. Vel certè conuertantur deserendo mala, & veniant bona faciendo, sicut scriptum est: Declina à malo, & fac bonum. Mirandum verò quod subditur: *Et non inueniam in vobis vllum sapientem.*) Quid est quòd eos ad sapientiam vocat, & tamen optat ne illos sapientes inueniat, nisi quòd ad veram sapientiam venire non possunt, qui falsæ suæ sapientiæ fiducia decipiuntur? de quibus scriptum est: Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Et quibus rursum dicitur: Nolite prudentes esse apud vósmetipsos. Vnde idem prædicator egregius hos quos canaliter sapientes inuenerat, vt sapientiam veram perciperẽt, prius fieri stultos quærebat, dicens: Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiens. Et per semetipsam veritas dicit: Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Quia ergo hi qui apud semetipsos sapientes sunt, ad veram sapientiam peruenire non possunt, rectè beatus Iob conuersionem aditurum desiderans, exoptat ne in eis vllum sapientem inueniat. Ac si eis apertè dicat: Stulti esse apud vosmetipsos discite, vt in Deo verè sapientes esse valeatis. Sequitur:

Psalm. 36. *Esaiæ. 5.* *Roma. 12.* *1. Cor. 3.* *Matt. 11. & Luca. 10.*

Quòd cogitationes sanctorum, siue in lucris animarum, siue in dispensatione rerum temporalium torqueant corda eorum, quia alternantibus prosperitatibus, & in nocte timent ne ruant, & in die suspecti sunt ne præsumant.

Caput XV.

D*Ies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum.*) Sancta electorum Ecclesia per diurna & nocturna tempora conspicit vitæ suæ spatia transire, quia noctem in aduersitatibus, diem verò in prosperitatibus habere consueuit. Quasi enim lux ei oritur ex tranquillitate pacis, & nox ex dolore persecutionis. Sed cùm post quietis ocia ad excrescentis contra se persecutionis laborem redit, dies suos transire testatur. In quibus tamen diebus solet tantò grauioribus curis premi, quantò à se de ipsa tranquillitate pacis subtiliores à iudice rationes cogitat exquiri. In tranquillitate enim pacis modò animarum lucra cogitat, modò terrenarum rerum dispensationes curat. Quæ videlicet terrenorum actuum dispensationes tantò bonis mentibus grauiores sunt, quantò earum intuitu, ab intuendis cœlestibus, vel ad modicum auelluntur. Vnde bene beatus Iob siue sua, siue voce vniuersalis Ecclesiæ, postquam dies suos transisse testatur, illico subiunxit: *Cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meũ.*) Quia dum bonis mentibus temporalis fœlicitas transit, etiam cura eis terrenæ dispensationis subtrahitur, quæ eas in cogitationibus torquere videbatur. Dum enim erectæ semper esse ad percipienda cœlestia appetunt, eoipso quo aliquando ex dispensatione terrena ad ima cogitanda descendunt, torqueri se sentiunt. Vnde fit vt ipsa quoque aduersitas persecutionis vertatur in magnam exultationem lætitię propter adeptam quietem cordis. Vnde & aptè subditur: *Noctẽ verterunt in diem.*) Dissipatæ etenim cogitationes noctem in diem vertunt, quia nonnunquam iustis amplius placet ex aduersitate mala perpeti, quàm ex prosperitate terrenæ dispensationis cura fatigari. Sed quia nouerunt cautius, & aduersa transire, & prospera rursus illucescere, aptè subiungitur: *Et rursum, post tenebras spero lucem.*) Lux enim post tenebras speratur, quia vel post noctem vitæ prę̃sentis æternum lumen percipitur, vel ita hîc aduersitas atque prosperitas alternãt, vt sibi succedere vicissim non desinant. Vnde fit vt in luce nox in suspitione sit, & in nocte lux in præsumptione, sicut scriptum est: In die bonorum ne immemor sis malorũ, & in die malorum ne immemor sis bonorum. Sed ecce quia authoris nostri gratia redempti sumus, hoc iam cœlestis muneris habemus, vt cũ à carnis nostrę inhabitatione subtrahimur, mox ad cœlestia prę̃mia ducamur, quia dum cõditor ac redẽptor noster claustra inferni penetrãs, electorum exinde animas eduxit, nos illo ire nõ patitur, vnde iam alios descendendo liberauit. Hi verò qui ante eius aduentum in hunc mundũ venerunt, quantamlibet iustitiæ virtutem haberẽt, ex corporibus educti in sinu cœlestis patriæ statim recipi nullo modo poterant: quia necdũ ille venerat qui inferni claustra sua descensione

Eccli. 11.

censione solueret, & iustorum animas in perpetua iam sede collocaret. Vnde beatus Iob & afflictionem sentiens, & adhuc differri retributionem iustorum sciens, aptè subiungit:

Quòd sancti licèt ad infernum post mortem ab Adam vsque ad Christum descenderint, ibi tamen quasi in lectulo quiescebant, solas tenebras pro pœna habentes, & hoc eis summum tormentum erat, quòd expectatum saluatorem nondum videbant.

Caput XVI.

21. S*I sustinuero, infernus domus mea est, & in tenebris strauí lectulum meum.*) Priores etenim sancti & sustinere aduersa poterant, & tamen è corporibus educti, adhuc ab inferni locis liberari non poterant: quia necdum venerat, qui illuc sine culpa descenderet, vt eos qui ibi tenebantur ex culpa, liberaret. Tunc verò homo suum lectulum in tenebris strauit, quando lucem iustitiæ persuasori callido consentiendo deseruit. Et quia in ipsis quoque inferni locis iustorum animæ sine tormento tenebanẽ, vt & pro originali culpa adhuc illuc descenderent, & tamen ex propriis actibus supplicium non haberent, quasi in tenebris lectulum strauisse, est in inferno sibi requiem præparasse. Graue etenim tædium electis fuit, post solutionem carnis, adhuc speciem non videre creatoris. Quod tędium non immeritò beatus Iob tenebras vocat. Sed quia ex pœna infirmitatis venit, rectè eandem mox infirmitatem subdit, dicens:

Quòd natura corrupta & prauá consuetudo vermes concupiscentiarum in nobis generant, & ex putredine huius carnis huiusmodi soboles oriatur.

Caput XVII.

P*Vtredini dixi, Pater meus es, mater mea, & soror mea vermibus.*) Quid est hoc quòd dixit putredini, Pater meus es, nisi quòd omnis homo ab origine iam vitiata descendit? Vnde & additur. Mater mea & soror mea vermibus: quia videlicet & ab ipsa putredine, & cum ipsa in hunc mundum venimus. Quantum enim ad materiam corruptibilis carnis, mater nostra ac soror vermes sunt, quia & de putredine processimus, & cum putredine venimus quam portamus. Quod si intelligi spiritaliter potest, & mater natura: & consuetudo non immeritò soror vocatur, quia ab illa cum ista sumus. Quæ videlicet mater & soror vermes sunt, quia ex natura corruptibili, & consuetudine peruersa cogimur, vt quasi quibusdam vermibus, sic inquietis cogitationibus in mente fatigemur. Carnis enim natura vitiata, & consuetudo peruersa, quia innumeras curas in corde infirmitatis nostræ generant, bene mater & soror vermes vocantur. Mordent enim animum curæ, dum inquietant. Non enim cessant iusti viri, vel sollicitè cogitare & pertractare quid agant, vel prouidè inspicere quò post præsentem vitam ducendi sunt. Quia ergo tunc electi ante aduentum Domini, & in labore vitæ præsentis se esse cernebant, & tamen post præsentem vitam necdum cœlestia bona percipere, multis cogitationibus vrebantur. Expectabant enim gratiam redemptoris sui, nec tamen ad eam poterant in carne viuendo peruenire. Vnde & aptè subditur: *Vbi est ergo nunc præstolatio mea?*) Quæ esse potuit præstolatio iustorum, nisi iustus & iustificans Deus? qui ad pœnas humani generis sponte descenderet, & captiuos mortis, iustitiæ suæ virtute liberaret? Huius enim præsentiam minimè cessabant intenta cogitatione præstolari, quã quãdoque esse venturam nouerant, sed venire citius quærebant. Vnde non ait: Vbi est ergo præstolatio mea? sed ait: Vbi est ergo nunc præstolatiò mea? Dum enim addit nunc, ostendit quia quod quandoque venturum erat, venire citius desiderabat. Sequitur: *Et patientiam meam quis considerat?*) Expressit desiderium quò festinat in carne positus redimi, & ab inferis ad superna reuocari. Et quidem paucorum hominum ista fuit perpendere, vt scirent de præsentis vitæ laboribus, vel de subsequenti post mortem dilatione cogitare. Quod vtrunque iusti ante aduentum redemptoris nostri se perpeti dolebant. Vnde & rectè dicitur: *Et patientiam meam quis considerat?*) Equidem non deest qui patientiam consideret, sed cùm citiùs non exaudit, quasi minus considerare Deus dicitur. Ipsa enim humani generis, quæ venit in mundi fine, redemptio, ab his qui à mundi initio præcesserunt, tarda credebatur: quia longo temporis spatio à cœlestium remuneratione disiuncti sunt, veritate attestante, quæ ait: Multi prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt. Itaque quod nunc dicitur: Patientiam meam quis considerat? ardentis desiderij vota panduntur. Neque enim, vt prædiximus, iustorum patientiam non considerat Deus: sed quasi non considerare dicitur, ad votum desiderij minus citius apparere, & in prolixiora tempora dispensationis suæ gratiam differre. Dicat ergo *Patientiam meam quis considerat?*) quia quod disponenti breue est, longum est amanti. Vnde adhuc dilationis suæ damna considerans, hoc quod iam prædixerat, repetit: & descensurus ad ima, vocem doloris ingeminat, dicens: *In profundissimum infernum descendent omnia mea.*) Cùm constet quòd apud inferos iusti non in locis pœnalibus, sed in superiori quietis sinu tenerentur, magna nobis oboritur quæstio, quid nam sit quod beatus Iob asserit, dicens: *In profundissimum infernum descendent omnia mea.*) Qui si ante aduentum mediatoris Dei & hominũ in infernũ descensurus erat, liquet tamen quia in profundissimum infernum descensurus non erat. An ipsa superiora loca inferi, profundissimum infernum vocat? Quia videlicet quantum ad sublimitatem cœli, iam huius aëris spatium non immeritò dici infernus potest. Vnde cum apostatæ angeli à cœlestibus sedibus in hoc caliginoso aëre sint demersi, Petrus apostolus dicit: Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit in iudicio cruciandos reseuari. Si itaque quantum ad celsitudinem cœli, aër iste caliginosus infernus est, quantum ad eiusdem aëris altitudinem, terra quæ inferius iacet, & infernus intelligi, & profundus potest: quantum verò ad eiusdem terræ altitudinem, & illa loca inferi, quę superiora sunt aliis receptaculis inferni, hoc loco non incongruè inferni profundissimi appellatione signantur: quia quòd aër ad cœlum, terra ad aërem, hoc ille est superior infernorum sinus ad terram. Sed mirum valde est quod adiungit: *Descendent omnia mea.*) Cùm enim sola anima descensura esset ad inferni loca, quid est quod sanctus vir illuc perhibet omnia sua descendere, nisi quòd ibi se esse totum vidit, vbi pondus suæ remunerationis intelligit? Quia hoc quod ex se insensibile in terra deserit, quousque ad incorruptionem resurrectionis redeat, se esse non sentit. Omnia itaque sua in infernũ profundissimum descensura perhibet, quò solam suam animam descensuram videt, quia ibi totus est, vbi sentire posset quod reciperet. Vel certè in infernum omnia eius descendunt: quia laborum omnium retributio, adhuc in sola inferni quiete recipi præstolabatur. Et quasi illuc descendit omne quod egit: quia ibi quietem retributionis suæ ex omnibus inuenit. Vnde etiam ipsa quies præstolata subiungit, cùm illicò subinfertur: *Putásne saltem ibi erit requies mihi?*) In quibus nimirum verbis & innotescit quod desiderat, & tamen esse se adhuc de suscipienda requie dubium, designat: ne cuius sancta opera tot flagella secuta sunt, occulto iudicio superni iudicis, post flagella temporalia etiam mansura tormenta sequerentur. Qua in re cum magno nobis timore pensandum est, quis nostrum iam de requie æterna securus sit, si de ea adhuc, & ille trepidat, cuius virtutis præconia, & ipse iudex qui percutit, clamat. Si enim iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt? Beatus etenim Iob, ad requiem se post flagella peruenturum nouerat: sed vt nostra timore corda concuteret, ipse visus est de æternæ quietis retributione dubitare, cùm dicit, *Putásne?*) vt nos videlicet perpendamus quanta debemus formidine venturum iudicium semper expauescere, quando & ille qui à iudice Iudarus est, adhuc de retributione iudicij, in suis vocibus securus non est.

Quòd Christus sit expectatio iustorum.

Luc. 10. *2. Petr. 2.*

Libri decimitertij Moralium sancti Gregorij finis.

B. GREGORII EXPOSITIO MORALIS IN BEATVM IOB LIBER DECIMUS QUARTUS.

Caput I.

SVperiori huius operis parte tractauimus, quòd omnipotens Deus ut mentes corrigeret sub lege positorum, beati Iob vitam ad testimonium adduxit, qui legem non nouit, & tamen tenuit, qui præcepta vitæ quæ scripto non acceperat, custodiuit. Huius prius actio Deo attestante laudatur, & probari postmodum diabolo insidiante permittuntur: vt per tentamenta tribulationis ostēderet, quantum prius in tranquillitate profecisset. Huius vitam inimicus generis humani more suo improbus, & laudari Deo attestante cognouit, & tamen ad tentandum expetiit. Quem cùm tot damnis rerum, tot orbitatibus percussum sternere nequiuisset, vxorem ei in stimulum malæ suasionis excitauit: vt saltem per familiaria verba corrumperet, quem per tot sternere nuntiorum tormenta minimè valeret. Sed cùm adiutorio fœminæ, quod contra Adam prius in paradiso obtinuit, contra hunc secundum in sterquilinio positum, roborari non potuit, ad alia se tentandi argumenta conuertit: vt amicos eius quasi consolantes adduceret, & tamen eorum mentes in asperitatem increpationis excitaret, quatenus eum, cuius patientiam flagella non vicerant inter flagella saltem aspera verba superarent. Sed inimicus callidè insidians, fraudem quam contra sanctum virum parauerat, pertulit: quia sancto viro quot occasiones perditionis intulit, tot causas victoriæ ministrauit. Contra tormenta quippe patientiā, contra verba sapientiā tenuit: quia & dolores verberū æquanimiter sustinuit, & stultitiam malè suadentium sapiēter frenauit. Sed quia in ipsis passionibus, doctisque locutionibus sanctæ Ecclesiæ typum tenet, amicis eius, vt sæpe iam diximus, quædam recta, & quædam stulta loquentibus, non immeritò hæretici figurantur: qui pro eo quòd sancto viro amici sunt, multa de reprobis recta dicunt: sed pro eo quod speciem hæreticorū tenent, plerunque in oris sui excessu dilabūtur, & verborum suorum iaculis, sancti viri pectus feriūt, sed contra mentem inexpugnabilem ipsa sua percussione fatigātur. Nos igitur subtili debemus discretione distinguere, & quid sit in eorum verbis quod verè de reprobis sentiunt, & quid quod contra beatum Iob satuum sonant.

Caput decimumoctauum textus beati Iob.

RESpondens autem Baldath Suites, dixit: Vsque ad quem finem verba iactabis? Intellige prius: & sic loquamur. Quare reputati sumus vt iumenta, & sordui mus coram te? Quid perdis animam tuā in furore tuo? Nunqnid propter te derelinquetur terra, & transferentur rupes de loco suo? Nónne lux impij extinguetur, nec splendebit flamma ignis eius? Lux obtenebrescet in tabernaculo illius, lucerna quæ super eum est extinguetur. Arctabuntur gressus virtutis eius, & præcipitabit eum consilium suum. Immisit enim in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat. Tenebitur planta illius laqueo, & exardescet contra eum sitis. Abscondita est in terra pedica eius, & decipula illius super semitam. Vndique terrebunt eum formidines, & inuoluent pedes eius. Attenuetur fame robur eius, & inedia inuadat costas illius. Deuoret pulchritudinem cutis eius, & cōsumat brachia illius primogenita mors. Auellatur de tabernaculo suo fiducia eius, & calcet super eum quasi rex interitus. Habitent in tabernaculo illius socij eius qui non est, aspergatur in tabernaculo eius sulphur. Deorsum radices eius siccentur: sursum autem atteratur messis eius. Memoria illius pereat de terra, & non celebretur nomē eius in plateis. Expellet eum de luce in tenebras, & de vrbe trāsferet eum. Non erit semē eius, neque progenies in populo suo, nec vllæ reliquiæ in regionibus eius. In die eius stupebunt nouissimi, & primos inuadet horror. Hæc sunt ergo tabernacula iniqui, & iste locus eius, qui ignorat Deum.

Quòd superbi cùm se despici suspicantur, ad contumelias prosiliunt.

Caput II.

R*Espondens autem Baldath Suites, dixit: Vsque ad quem finem verba iactabis? Intellige prius, & sic loquamur.*) Omnes hæretici sanctam Ecclesiā in quibusdam incognitis superbire pūtant, quædam verò nec intelligere suspicātur. Vnde Baldath Suites beatum Iob quasi in superbiam astruit erupisse, quem fatet verba iactare. Sed signat ipse quanta elatione tumuerat, qui beatū Iob loqui quę nō intelligeret putabat. Et quia omnes hæretici in estimatione sua à sancta se Ecclesia despici conqueruntur, aptè subiungitur: *Quare reputati sumus vt iumenta, & sordui mus coram te?*) Humanæ mentis est propriū, hoc sibi fieri suspicari, quod facit. Arbitrātur enim se despici, qui bonorum mores despicere cōsueuerunt. Et quia in his quæ cōprehendi valent ratione, contra hæreticos ostendit Ecclesia rationabile nō esse quod astruunt, æstimari se ab eius iudicio velut iumenta suspicantur. Ex qua despectus sui suspicione protinus ad dedignationē prosiliunt, atq; ad eiusdem Ecclesiæ cōtumelias excitātur. Vnde subditur: *Quid perdis animam tuam in furore tuo?*) Hæretici vel zelū rectitudinis, vel spiritalē gratiā sanctę prædicationis, nō virtutis pondus, sed insaniam furoris æstimant. Quo furore videlicet perire fideliū animas arbitrantur, quia inde interire Ecclesiæ vitā credunt, vnde eā cōtra se † inseruire cōspiciunt. Sequitur: *Nunquid propter te derelinquetur terra?*) Se enim vbique Deū colere, se totū mundū existimant occupasse. Quid est ergo dicere: Nunquid propter te derelinquetur terra, nisi hoc sepe fidelibus dicūt, quia si hoc est verū quod vos dicitis, omnis à Deo terra derelicta est, quam iam præ multitudine nos tenemus. Sancta autē vniuersalis Ecclesia prædicat, saluari veraciter nisi intra se non posse, asserens, quòd omnes qui extra ipsam sunt, minimè saluabūtur. At contrà hæretici qui etiam extra ipsam saluari se posse cōfidunt, in quolibet loco sibi diuinū adiutoriū adesse profitentur. Vnde dicunt: *Nunquid propter te derelinquetur terra?*) id est, vt quisquis extra te fuerit, minimè saluetur? Vnde etiā subditur: *Et transferētur rupes de loco suo.*) Hæretici rupes vocant eos quos sublimibus in humano genere excedere sensibus estimāt, quos profectò se habere gloriantur. Cùm verò sancta ecclesia peruersos quosque prędicatores intra sinū rectæ fidei colligere studet, quid aliud quàm de locis propriis rupes mouet, vt intra eam recta sentiētes humiliter iaceant, qui in peruersis suis sensibus prius rigidi stabant? Sed hoc fieri hæretici omnino contradicunt, & propter eius vocem, rupes de loco proprio transferri renituntur: quia videlicet nolunt vt ad eam venientes vera humiliter sentiant hi, qui apud eos elatis sensibus falsa sapiebant.

Quòd & bona malis, & mala bonis in hac vita indifferenter euenīt, in vita verò æterna sola vera bona bonis, & vera mala malis seruantur.

Caput III.

PLerunque verò hæretici cùm quosdam in sancta Ecclesia, vel inopia, vel flagellis laborantes aspiciunt, semetipsos mox in arrogantiam iustitiæ extollunt, & quicquid aduersum fidelibus euenisse conspiciunt, hoc factum pro eorū iniquitatibus putant, nescientes nimirum, quia actionum meritum præsentis vitæ qualitas nullatenus probat. Nam plerūque & bona malis, & mala bonis eueniunt, pro eo quòd & vera bona bonis, & vera mala malis in æterna retributione seruantur.

seruatur. Baldath itaque typum hæreticorum de prosperitate vitæ præsentis sese extollentium tenens, aduersus beati Iob flagella quasi ex eorum voce contra iustorum opprobria inflatur, & disertè quidem contra impios disputat, sed quàm peruersè contra iustum talia dicat, ignorat, nam subiecit, dicens: *Nónne lux impij extinguetur, nec splendebit flamma ignis eius?*) Hæc si in præsentis vitæ definitione denuntiat, fallitur: quia plerunque & impiis inesse lumen prosperitatis cernitur, & pios tenebrę ignobilitatis ac paupertatis abscondunt. Sin verò ad hoc eius sermo dirigitur, vt ostendat quid impij in suo fine patiantur, veraciter dicitur: *Nónne lux impij extinguetur, nec splendebit flamma ignis eius?*) Quod si dici de impio rectè potuit, contra sanctum tamen virum in flagello constitutum, dici non debuit. Sed nos vires brachiorum illius in suis sententiis perpendentes, pensemus, quàm validè iacula intorquet, & desinamus aspicere intorquendo quem impetit, nimirum scientes, quia frustratis ictibus lapidem ferit. Dicat ergo:

Quòd vnusquisque reproborum flammam propriam habeat in corde illius concupiscentiæ, à qua abstrahitur & illicitur.

Caput IIII.

N*Onne lux impij extinguetur?*) Quia habent & impij lucem suam, prosperitatem scilicet vitæ præsentis. Sed lux impij extinguetur, quia fugitiuæ vitæ prosperitas cū ipsa citius vita terminatur, vbi aptè subditur: *Nec splendebit flamma ignis eius.*) Omnis nanque impius habet flammam ignis proprij, quem in corde suo ex feruore desideriorum temporalium accendit, dum modo istis, modo illis cupiditatibus æstuat, & cogitationes suas per multiplicia blandimenta seculi amplius inflammat. Ignis autem si flammam non habet, nequaquam suso lumine splendet. Flamma itaque ignis, eius est decor, vel potestas exterior, quæ de interno eius ardore procedit: quia quod anxiè in hoc mundo adipisci desiderat, plerunque ad cumulum perditionis suæ obtinet: & siue in potestate culminis, siue in diuitiis multiplicatur, quasi per exteriorem gloriam lucet. Sed non splendebit flamma ignis eius, cùm in die exitus, omnis exterior decor subtrahitur, & solo suo intrinseco ardore concrematur. Flamma ergo ab igne subtrahitur, cùm gloria exterior ab interno eius ardore separatur. Habent etiam & iusti flammam ignis sui, sed nimirum quæ resplendeat, quia videlicet eorum desideria in bonis operibus lucent. Iniquorum verò flamma minimè splendet, quia per hoc quòd mala appetunt, ad tenebras pertrahuntur. Vnde & sequitur: *Lux obtenebrescet in tabernaculo illius.*) Si plerunque tristitiam tenebras accipimus, non immeritò lucem accipere gaudium debemus. Lux ergo in tabernaculo illius tenebrescit, quia in eius conscientia quam malè inhabitat gaudiū quod de temporalibus rebus fuerat, deficit. Vnde & aptè subiungitur: *Et lucerna quæ super eum est, extinguetur.*) Vt enim de vsu multorum loquar, lucerna lumen in testa est: lumen verò in testa, est gaudium in carne. Lucerna ergo quæ super eum est extinguitur: quia cùm malorum suorum retributio impium sequitur, in eius mente gaudium carnale dissipatur. Bene autem de lucerna hac non dicitur, quæ apud eum est, sed quæ super eum est: quia iniquorum mētem terrena gaudia possidēt, sicque eam in voluptatibus absorbent, vt super ipsam sint, nō apud ipsam. Iusti autem etiā cùm prosperitatē vitæ præsentis habent, eam sub semetipsis premere nouerūt, vt hoc quod apud se in bonis hilarescunt, grauitatis cōsilio trāseant, & virtutis regimine excedant. Lucerna ergo impij quæ super eum est, extinguitur, quia citius eius gaudiū deficit, quod eum totum in hac vita possedit. Et qui nunc malè se in voluptatibus dilatat, eum pòst in suppliciis pœna coangustat, Vnde adhuc subditur: *Arctabuntur gressus virtutis eius.*) Nunc enim quasi totiens virtutis suæ gressus exerit, quotiens potestatis suæ violentias exercet. Sed gressus virtutis eius arctabuntur, quia vires malitiæ illius, quas nūc in voluptate sua exhibet, postmodum pœna constringit. Sequitur:

Quòd sapientes huius seculi in proprium sensum præcipites ruunt.

Caput V.

ET *præcipitabit eum consilium suum*) Habet nunc consilium omnis iniquus præsentia appetere, æterna deserere, iniusta agere, iusta deridere: sed cùm iudex iustorum iniustorum quę venerit, suo vnusquisque impius consilio præcipitatur: quia per hoc quod hic appetere pratuis cogitationibus elegit, in æterni supplicij tenebras mergitur. Quem enim hīc gloria temporalis extollit, illic sine termino pœna premit. Qui hīc in voluptate lætatus est, illic perpetua vltione cruciatur. Et fit plerunque vt ipsa huius mundi prosperitas, quæ ab impiis inhianter appetitur, eorum gressus ita obliget, vt etiā cùm ad bona opera voluerint redire, vix possint: quia recta agere non valent, cùm huius mundi amatoribus displicere timent. Vnde agitur, vt per gloriam, quam impius ex peccato assequitur, eius adhuc peccata amplius multiplicentur: quod bene Baldath exprimit, cùm subiungit:

Quòd dignitas ad quam ambitiosè cùm culpa peruenitur, sine culpa relinqui non possit.

Caput VI.

I*mmisit enim in rete pedem suum, & in maculis eius ambulat.*) Qui pedes in rete mittit, non cùm voluerit eiicit. Sic qui in peccatis se deiicit, non mox vt voluerit, surgit, & qui in maculis retis ambulat, gressus suos ambulando implicat, & cùm expedire ad ambulandum nititur, ne ambulet obligatur. Sæpe nanque contingit, vt quis huius mundi delectatione persuasus, in eo ad honoris gloriam pertingat, vt ad desideriorum suorum effectum perueniat, & peruenisse se ad hoc quod expetiit, lætetur. Sed quia bona mundi non habita, in amore sunt, & plerunque habita vilescunt, percipiendo discit, quàm sit vile quod expetiit. Vnde reuocatus ad mentem exquirit, qualiter sine culpa fugiat, quòd se cum culpa conspicit adeptum sed ipsa eum dignitas quæ implicauit tenet, & sine culpis aliis fugere non valet hoc, vbi non sine culpis peruenit. Immisit ergo in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat, quia cùm expedire nititur, tunc veraciter conspicit quàm duris nexibus tenetur. Neque enim verè obligationem nostram cognoscimus, nisi cùm euadere nitentes, quasi leuare pedes conamur. Vnde & hanc eandem obligationem aptè subiungit:

Tenebitur planta illius laqueo) Quia videlicet stringitur finis in peccato. Et quia hostis generis humani, cùm vniuscuiusque vitā in culpa obligat, ad eius mortē anxius anhelat, rectè subiūgitur: *Et exardescet cōtra eum sitis.*) Antiquus quippe noster inimicus, cùm in peccato vitam illaqueat, sitit: vt mortem peccatoris bibat. Quod tamen & aliter intelligi potest. Nam peruersa mens cùm in peccatum se venisse conspicit, quadam cogitationis superficie cuadere peccati laqueos quærit, sed vel terrores, vel opprobria hominū timēs, eligit in ęternū mori, quàm ad tempus aliquid aduersitatis perpeti. Vnde totum se vitiis inserit, quibus iam se semel obligatum sentit. Cuius ergo vsque ad finem vita in culpa constringitur, eius planta laqueo tenetur. Sed quia se quo malis obligatum pensat, eo de suo reditu desperat, ipsa iam desperatione acrius ad huius mundi concupiscentias æstuat, sit desideriorum feruor in mente, & peccatis præcedentibus irretitus animus, ad maiora etiam delicta succenditur. Vnde & subditur. *Et exardescet contra eum sitis*) In eius quippe animo contra eum sitis exardescit, quia quo agere peruersa consueuit, eo ad ebibenda mala vehementer accenditur. Impio quippe sitire, est huius mundi bona concupiscere. Vnde & redemptor noster ante Pharisæi domum hydropicum curat: & cùm contra auaritiam disputaret, scriptum est: Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant auari, & deridebant illum. Quid est ergo quòd ante Pharisæi domum hydropicus curatur, nisi quòd per alterius ægritudinem corporis, in altero exprimitur ægritudo cordis? Hydropicus quippe quo amplius biberit, amplius sitit: & omnis auarus ex † potu sitim multiplicat, quia cùm ea quę appetit adeptus fuerit, ad appetenda alia amplius [& amplius] anhelat. Qui enim adipiscendo plus appetit, huic sitis ex potu crescit. Sequitur:

Quòd honor temporalis, & amor lucri, & cætera huiusmodi, quasi esca sunt in laqueo, quibus cùm appropinquauerit improuidè errans, captus tenetur. Et quòd sit quædam affinitas vitiorum & morum, secundum quam deceptiones suas, diabolus optimè considerat.

Caput VII.

A*bscondita est in terra pedica eius, & decipula illius super semitam.*) In terra pedica absconditur, cùm culpa sub terrenis

† al. in suo re vel feruore.

† al. peccato

commodis occultatur. Inimicus quippe insidians ostendit humanæ menti in terreno lucro quid appetat, & occultat peccati laqueum, vt eius animam stringat: quatenus videat quid est quod concupiscere valeat, & tamen nequaquam videat, in quo culpæ laqueo pedem ponat. Decipula verò à decipiendo vocata est. Et tunc ab antiquo hoste super semitam decipula ponitur, quando in actione huius mundi quam mens appetit, peccati laqueus paratur, quæ videlicet non facilè deciperet, si videri potuisset. Sic quippe decipula ponitur, vt dum esca ostenditur, nequaquam ipsa à transeunte videatur. Quasi esca quippe in laqueo est, lucrum cum culpa, & huius mundi prosperitas cum iniquitate. Dum itaque à concupiscente lucrum apetitur, quasi pedem mentis apprehendit decipula, quæ non videtur. Sæpe ergo proponuntur animo cum culpa, honores, diuitiæ, salus & vita temporalis, quæ mens infirma dum quasi escam videt, & decipulam non videt, per escam quam videns appetit, in culpa constringitur, quæ non videtur. Existunt etenim qualitates morum, quæ certis vitiis sunt vicinæ. Nam mores asperi, aut crudelitati, aut superbiæ solent esse coniuncti: mores autem blandi, & quam decet paulò amplius lætiores, nónunquam luxuriæ & dissolutioni. Intuetur ergo inimicus, generis humani vniuscuiusque mores, cui vitio sint propinqui, & illa opponit ante faciem, ad quæ cognoscit facilius inclinari mentem: vt blandis ac lætis moribus sæpe luxuriã, nonnunquã vnam gloriã: asperis verò mentibus iram, superbiam vel crudelitatem proponat. Ibi ergo decipulam ponit, vbi esse semitam mentis conspicit: quia illic periculum deceptionis inserit, vbi viam esse inuenerit propinquę cogitationis. Et quia peruersus homo omne quod facit, etiam pati metuit, atque hoc sibi ab omnibus fieri æstimat, quod ipse omnibus quibus valet, parat, rectè sequitur: *Vndique terrebit eum formidines.*) Tales enim contra se omnes esse suspicatur, qualis ipse esse contra omnes nititur. Quæ nimirum formidines quid in eius actione faciãt, subinfertur cùm dicitur: *Et inuoluent pedes eius.*) Pedes quippe si inuoluti fuerint, gressus liberos habere nõ possunt, & nullũ carpere iter valent: quia sua eos inuolumenta retinent. Praua itaque desideria ad pesimam actionem trahunt, sed pesima actio restringit in formidine. Quæ videlicet formido inuoluit pedes, ne in rectam exire valeant actionem. Et sæpe contingit, vt idcirco quisque bonus esse metuat, ne hoc à prauis ipse patiatur, quod se bonis fecisse reminiscitur: dúmque hoc pati quod fecit metuit, vndique territus, vndique suspectus, quasi pedes inuolutos habet: qui timore irretitus, nil liberè agere præualet, quia in bono opere quasi inde gressum perdidit, vnde ad mala quæ concupierat excesit. Sequitur: *Attenuetur fame robur eius, & inedia inuadat costas illius.*) Scripturę sacræ more, optare videtur quod futurum præuidet, scilicet non maledicentis animo, sed prædicentis: Omnis itaque homo, quia ex anima & carne consistit, quasi ex robore & infirmitate compositus est. Ex ea enim parte qua spiritus rationalis est conditus, non incongruè dicitur robustus: ex ea verò qua carnalis, infirmus est. Robur ergo est hominis anima rationalis, quæ impugnantibus vitiis resistere per rationem valet. Vnde & superius per beatum Iob dictum est: Roborasti eum paululum, vt in perpetuum pertransiret. Ex rationali quippe anima habet homo, vt in perpetuum viuat. Huius ergo iniqui robur fame attenuatur, quia eius anima nulla interni cibi refectione pascitur. De qua scilicet fame Deus per Prophetam loquitur: Emittam famem in terram, non famen panis: neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. Bene autem subditur: *Et inedia inuadat costas illius.*) Costæ enim viscera constringunt, vt latentia intrinsecus earum soliditate muniatur. Costæ ergo vniuscuiusque sunt sensus animi, qui latentes cogitationes muniunt. Inedia igitur inuadit costas quando omni spiritali refectione subtracta, sensus mentis deficiunt, & cogitationes suas regere, vel tueri non possunt. Inedia inuadit iniqui costas: quia fames interna sensus mentis extenuat, vt cogitationes suas nullatenus regat. Nam dum sensus mentis obtusi fuerint, cogitationes ad exteriora prodeunt, & quasi costis infirmantibus, ea quæ in occulto sana latere potuerant, foras viscera funduntur. Vnde fit vt cogitationibus exterius sparsis, exterioris gloriæ specie deceptus appetat animus, nihil, diligãtque nisi quod pulchrum foris viderit. Contra quem adhuc aptè subiungitur:

Astutia inimici.

Amos.8.

Quòd primogenita mors, sit superbia. Et quòd multi diuites possent habere sine culpa opes & gloriam, si hæc cum humilitate haberent.

Caput VIII.

DEuoret pulchritudinem cutis eius, & consumat brachia illius primogenita mors.) Pulchritudo cutis, est gloria temporalis, quæ dum foris concupiscitur, quasi species in cute retinetur. Brachiorum verò nomine non incongruè opera designantur, quia corporale opus brachiis agitur. Quid autem mors nisi peccatum est, quod ab interiore vita animam occidit? Vnde scriptum est: Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, quia ille pòst in carne fœliciter resurget, qui in hac vita positus, à mentis suæ morte resurrexit. Si igitur peccatum mors, non incongruè primogenita mors, superbia valet intelligi, quia scriptũ est: Initium omnis peccati, superbia. Pulchritudinẽ igitur cutis eius, & brachia illius primogenita mors deuorat: quia iniqui gloriam vel operationem, superbia supplantat. Potuit enim etiam in hac vita sine culpa gloriosus existere, si superbus minimè fuisset: potuit auctoris sui iudicio, quibusdam suis operibus commendari, nisi hæc ipsa opera ante eius oculos elatio supplantaret. Sæpe enim quõsdam diuites videmus, qui opes & gloriam habere sine culpa potuissent, si hæc habere cum humilitate voluissent. Sed extolluntur rebus, inflantur honoribus, dedignantur cæteros, omnémque vitæ suæ fiduciam in ipsa abundantia rerum ponunt. Vnde & quidam diues dicebat: Anima habes multa bona reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Quas cogitationes dum supernus iudex aspicit, de ipsa hac eum sua fiducia euellit. Vnde hîc quoque aptè subditur:

1.

Apoc.20.

Eccli.10.

Luc.12.

Quòd possunt esse corda sanctorum sine regno peccati licet sine peccato non possint.

Caput IX.

EVellatur de tabernaculo suo fiducia eius, & calcet super eum quasi rex interitus.) Hoc loco interitus nomine, ipse hostis generis humani, qui interitum intulit, designatur: qui per suum quendam satellitem exprimitur, de quo ad Ioannem dicitur: Nomen illi mors. Iste itaque interitus, in die exitus quasi rex super impiũ calcat: quia quẽ prius blandis persuasionibus decepit, ad extremum violẽtis nexibus ad suppliciũ rapit: tantóque eum durius deprimit, quantò in prauis actibus vehementius adstringit. Qui hîc quoque reprobi mentẽ dum possidet, calcat: quia quotiẽs cã delectationibus presit, quasi toties super eam pedes suæ tyrannicæ dominationis posuit.

7.

Si verò interitus nomine non apertè diabolus, sed peccatũ debet intelligi, ex quo contingit reprobos ad interitum trahi: talis nimirum interitus quasi rex calcat mentem, cùm eam non resistentem possidet. Non enim potest in hac vita homini posito, tentatio deesse peccati: sed aliud est peccato tẽtãti resistere, aliud dominãti seruire. Iniquus autem quisque, quia resistere peccati suasionibus nescit, subiugari autem eius domino nõ pertimescit, rectè de eo dicitur: *Calcet super eum quasi rex interitus.*) Huius quippe interitus regnum à discipulorum cordibus repellebat Apostolus, cùm dicebat: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Non enim ait, non sit, sed non regnet: quia non esse non potest, non autem regnare in cordibus bonorum potest. Quia ergo cùm quælibet culpa cor iniqui pulsauerit, resistens illud non inuenit, sed suo dominio substernit, dicaẽ rectè: *Euellatur de tabernaculo suo fiducia eius, & calcet super eum quasi rex interitus.*) De tabernaculo suo ergo fiducia eius euellitur, quãdo peruersus quisque, qui multa sibi ad votum in hac vita parauerat, repentina morte dissipatur. Et calcat super eum quasi rex interitus, quia vel hîc vitiis premitur, vel mortis suæ tempore per hoc quòd ad supplicia rapitur, potestati dæmonicæ subiugatur. Quod idcirco ita in reproborum mentibus agitur: quia & cùm occasio pérpetrandi peccati deest, desideriorum cogitationes eorum cordibus nullatenus desunt. Et cùm semper diabolum sequantur in opere, valde tamen se illi obligant in cogitatione. Prius ergo culpa in cogitatione est, postmodũ verò

9.

verò in opere. Vnde filiæ Babylon dicitur: Descende, sede in puluere virgo filia Babylon, sede in terra. Cùm enim semper puluis terra sit, non tamen terra semper est puluis. Quid ergo per puluerem, nisi cogitationes debemus accipere? Quæ dum importunè, ac silenter in mente euolant, eius oculos excæcant. Et quid per terram, nisi terrena actio designatur? Et quia reproborum mens prius ad praua cogitanda deiicitur, & postmodum ad facienda: rectè filiæ Babylon, quæ ab internæ rectitudinis iudicio descendit, per ferientem sententiam dicitur, vt prius in puluere, & pòst in terra sedeat: quia nisi se in cogitatione prosterneret, in malo opere non inhæsisset. Sequitur:

Esaiæ.47.

Quòd peccatum congruè incendio sulphuris comparetur, quod fœtet & ardet.

Caput X.

HAbitent in tabernaculo illius socij eius qui non est.) id est, in mente eius, apostatæ Angeli per cogitationes nequissimas conuersantur, eius videlicet socij, qui idcirco iam non est, quia à summa essentia recessit, & per hoc quotidie excrescente defectu quasi ad non esse tendit, quo semel ab eo qui verè est, cecidit: qui rectè quoque non esse dicitur, quia bene esse perdidit, quanuis naturæ essentiam non amisit.

10.

Adhuc tamen easdem iniqui cogitationes subtilius exprimens subiungit, dicens: *Aspergatur in habitaculo eius sulphur.*) Sulphur quid aliud quàm fomentum ignis est? Quod tamen sic ignem nutrit, vt fœtorem grauissimum exhalet. Quid itaque in sulphure nisi peccatum carnis accipimus? Quod dum peruersis cogitationibus quasi quibusdam fœtoribus mẽtem replet, æterna ei incendia præparat, & dum fœtoris sui nebulam in mente reproba dilatat, contra eam flammis subsequentibus quasi nutrimẽta subministrat. Nam quia per sulphur fœtor carnis accipitur, ipsa sacri eloquij historia testatur, quæ cõtra Sodomam ignem & sulphur pluisse Dominum narrat. Qui cùm carnis eius scelera punire decreuisset, in ipsa qualitate vltionis notauit maculam criminis. Sulphur quippe fœtorem habet, ignis ardorem. Qui itaque ad peruersa desideria ex carnis fœtore arserant, dignum fuit vt simul igne & sulphure perirent: quatenus ex iusta pœna discerent, ex iniusto desiderio quid fecissent. Hoc ergo in tabernaculo iniqui sulphur aspergitur, quotiens peruersa carnis delectatio in eius mente dominatur. Quem quia indefinẽter prauæ cogitationes possident, eúmque ferre boni operis fructum vetant, rectè subiungitur: *Deorsum radices eius siccentur, sursum autem atteratur messis eius.*) Quid nanque radicum nomine, quæ in occulto sicæ sunt, & germen in apertum ferunt, nisi cogitationes accipimus, quæ dum non videntur in corde, visibilia opera producunt? Vnde & messis nomine, eadem aperta operatio signatur, quę videlicet ex latenti radice producitur. Et quia omnis iniquus prius in cogitationibus tentationum arescit, & post ea à bonis actibus deficit, rectè per Baldath dicitur: *Deorsum radices eius siccentur, sursum autem atteratur messis eius.*) Quia dum prauus quisque cogitationes suas in infimis rebus ponit, & sempiternæ viriditatis gaudia appetere negligit, quid aliud quàm radices suas deorsum siccari permmittit? Cuius sursum messis atteritur: quia omnis eius operatio à superno iudicio quasi nihilum deputatur, etiam si ante humanos oculos bona videatur. In imo itaque radices sunt, & superius messis: quia hîc prius bonas cogitationes mittimus, vt quandoque bonorum operum fructum percipere in æterna retributione mereamur. Sed iniquus quisque cùm bonas cogitationes deserit, & ad ea quæ sunt exterius semetipsum fundit, deorsum siccantur radices eius. Sursum verò messis eius atteritur: quia qui hîc sterilis persistit, post hanc vitam ad nulla præmia vocatur. Sequitur:

Gene.19.

De Antichristi damnatione, & de persecutione quam facturus est, & de morte Enoch & Heliæ.

Caput XI.

11. MEmoria illius pereat de terra, & non celebretur nomen eius in plateis.) Intuendum est nobis, quia sic Baldath Suites de vnoquoque iniquo loquitur, vt latenter ad caput omnium iniquorum eius verba vertantur. Caput quippe iniquorum diabolus est. Ipse quippe in vltimis temporibus illud vas perditionis ingressus, Antichristus vocabitur, qui nomen suum longè latéque diffundere conatur. Quod nunc vnusquisque imitatur, cùm de memoria terreni nominis, gloriam laudis suę extendere nititur, atque opinione transitoria lætatur. Sic ergo hæc verba intelligantur de vnoquoque iniquo, vt referri quoque debeant ad ipsum specialiter caput iniquorum. Dicat itaque: *Memoria illius pereat de terra; & celebretur nomen eius in plateis.*) Plateæ quippe appellatione Græca, à latitudine sunt vocatæ. Memoriam verò suam in terra statuere Antichristus conatur, cùm in terrena gloria appetit, si esset possibile, in perpetuum permanere. Nomen suum in plateis celebrari gaudet, cùm longè latéque operationem suæ iniquitatis extendit. Sed quia diu hæc eius iniquitas non finitur extolli, dicatur: *Memoria illius pereat de terra, & non celebretur nomen eius in plateis:*) id est, citius laudem terrenæ potestatis amittat, & omne gaudium sui nominis perdat, quod longè latéque in breui temporis prosperitate diffuderat. Sequitur: *Expellet eum de luce in tenebras.*) De luce ad tenebras ducitur, cùm de honore vitæ præsentis ad supplicia æterna damnatur. Vnde & apertius subditur: *Et de orbe transferet eum.*) De orbe quippe transfertur, cùm superno apparente iudice, de hoc mundo tollitur, in quo peruersè gloriatur. Qui pro eo quòd cum omnibus sequacibus suis, sine mundi interueniente, damnabitur: rectè subiungitur: *Non erit semen eius, vegno progenies in populo suo, nec vlla reliquiæ in regionibus eius.*) Scriptum quippe est, quia dominus Iesus interficiet eum spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui. Dum ergo eius iniquitas cum mundi statu terminatur, progenies eius in populo suo non relinquetur: quia & ipse & eius populus cum eo ad supplicium pariter vrgetur: & omnes iniqui qui de eius peruersa persuasione in prauis actionibus nati sunt, illustratione aduentus Domini, æterno interitu cum eodem suo capite ferientur. Ac nulla eius progenies in mundo remanet: quia districtus iudex iniquitates illius cum ipso mundi fine concludit. Quòd verò hæc apertè de Antichristo intelligi debeant, demonstratur cùm subditur:

A

B

1.Thes.2.

12. *In diebus eius stupebunt nouissimi, & primos inuadet horror.*) Tanta enim tunc contra nos iniquitate effrenabitur, vt etiam electorum corda non paruo pauore feriantur. Vnde scriptum est: Ita vt in errorem inducantur, si fieri potest etiam electi. Quod videlicet dicitur, non quia electi casuri sunt, sed maguis terroribus trepidaturi. Tunc verò contra eum certamen iustitiæ & nouissimi electi habere narrantur & primi: quia scilicet & hi qui in fine mũdi electi reperiuntur, in morte carnis prosternendi sunt, & illi etiam qui à prioribus mundi partibus processerunt, Enoch scilicet & Helias ad medium reuocabuntur, & crudelitatis eius sæuitiam in sua adhuc mortali carne passuri sunt. Huius vires in tantam potestatem laxatas, nouissimi obstupescunt, & primi metuunt: quia licet iuxta hoc quòd spiritu superbiæ subleuatur, omnem temporalem eius potestatem despiciunt: iuxta hoc tamen, quòd ipsi adhuc in carne mortali sunt, in qua cruciari temporaliter possunt, ipsa quæ fortiter tolerant, supplicia perhorrescunt: ita vt in eis vno eodemque tempore & constantia ex virtute sit, & pauor ex carne: quia etsi electi sunt, vt tormentis vinci nequeant, per hoc tamen quòd homines sunt, & ipsa metuunt tormenta, quæ vincunt. Dicatur ergo: *In diebus eius stupebunt nouissimi, & primos inuadet horror:*) quia videlicet tanta tunc signa monstraturus, & crudelia ac dura facturus est, vt ad stuporem perducat, quos in fine mundi inuenerit, & priores patres, qui in eius expugnationem seruati sunt, carnalis mortis dolore transfigat. Igitur quia de iniquis omnibus, vel de ipso iniquorum capite multa narrauit, generali mox diffinitione subiungit: *Hæc sunt ergo tabernacula iniqui, & iste locus eius, qui ignorat Deum.*) Superius enim dixerat: Expellet eum de luce ad tenebras, & de orbe transferet eum. Cuius cùm mala subiungeret, adiunxit: Hæc sunt tabernacula iniqui, & iste locus eius, qui ignorat Deum: videlicet indicans, quia is qui nunc Deum ignorando extollitur, tunc ad propria tabernacula peruenit, quando eum sua iniquitas in supplicia demergit: & locum suum quandoque inuenit tenebras, qui dum hîc de falsa gauderet luce iustitiæ, locum tenebat alienum. Peruersi enim in omne quod per simulationem faciunt, nomen gloriæ iustorum, quasi locum occupare alienum nituntur. Sed ad locum suum tunc perueniunt, cùm

C

Matt.24.

D

[† al. Hic.] iniquitatis suæ merito, perpetuo igne cruciantur. † Hinc nanque per omne quod agunt, percipiendæ laudis desiderio seruiunt: & per imaginem bonorum operum, sinum mentis ad auaritiam extẽdunt. Eat igitur nunc iniquus, & multis apparatibus tumidus, sua hîc habitacula construat, nomen gloriæ extendat rura multiplicet, séque abundantibus opibus delectet: [† al. profectò.] cùm verò ad supplicia æterna perueniret, † perfectè cognoscet, quia hæc sunt tabernacula iniqui, & iste locus eius, qui ignorat Deum. Rectè verò hæc Baldath dixerat, sed cui diceret ignorabat. Vehementer autem iustum cor affligitur, quando contra illud sententiæ ex iniusta æstimatione proferuntur. Vnde beatus Iob protinus respondit, dicens:

Caput decimum nonum textus beati Iob.

RESpondens autem Iob, dixit: Vsquequo affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus? En, decies confunditis me, & non erubescitis opprimentes me. Nempe & si ignoraui, mecum erit ignorantia mea. At vos contra me erigimini, & arguitis me opprobriis meis. Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo iudicio afflixerit me, & flagellis suis me cinxerit. Ecce, clamabo vim patiens, & nemo audiet. Vociferabor, & non est qui iudicet. Semitam meam circũsepsit, & transire non possum, & in calle meo tenebras posuit. Spoliauit me gloria mea & abstulit coronam de capite meo. Destruxit me vndique, & pereo, & quasi euulsæ arbori abstulit spem meã. Iratus est contra me furor eius, & sic me habuit quasi hostem suum. Simul venerunt latrones eius, & fecerunt sibi viam per me, & obsederunt in gyro tabernaculum meum. Fratres meos longè fecit a me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me. Dereliquerunt me propinqui mei, & qui me nouerant, obliti sunt mei. Inquilini domus meæ, & ancillæ meæ sicut alienum habuerũt me, & quasi peregrinus fui in oculis eorum. Seruum meum vocaui, & non respondit, ore proprio deprecabor illum. Halitum meum exhorruit vxor mea, & orabam filios vteri mei. Stulti quoque despiciebant me: & cùm ab eis recessissem, detrahebant mihi. Abominati sunt quondam consiliarij mei, & quem maximè diligebam, auersatus est me. Pelli meæ, consumptis carnibus adhæsit os meum, & derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini? Quis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei? Quis mihi det, vt exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? Scio enim quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. Quare ergo nunc dicitis, Persequamur eũ, & radicem verbi inueniamus contra eum? Fugite ergo à facie gladij, quoniam vltor iniquitatum gladius est, & scitote esse iudicium.

Caput XII.

13 *VSque quò affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus.*) Sancti viri eloquia, vt sæpe iam diximus, aliquando ex persona propria, aliquãdo verò ex voce capitis, aliquando autem ex typo sunt vniuersa-

E lis Ecclesiæ sentienda. Valde verò affligitur anima iustorum, quando illi contra bonos districtas sententias intorquent, qui bene viuere ignorant: & ex voce sibi iustitiam vendicant, quam moribus impugnant. Vnde amicis beati Iob, vt sæpe iam diximus, hæreticorum typum tenentibus, rectè ab eodem respondetur: *Vsque quo affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus.*) Atteruntur enim boni sermonibus iniquorum, quando contra eos illi in verbis tument, qui aut in peruersa fide, aut in prauis moribus iacent. Sequitur: *En decies confunditis me.*) Numeratis vicibus locutionum amicorum Iob, adhuc nisi quinquies locutos eos cognoscimus: sed propter hoc quòd ab eis quinquies increpationes audierat, quorum increpationibus quinquies ipse respondit, decies se perhibet esse confusum: quia & in eo grauiter laborauit, quòd frustra increpatus est: & in eo confusionem pertulit, quòd verba doctrinæ non audientibus dixit. Itaque cùm audiens taceret, & cùm loquens non audiretur, ipse laborem pertulit, qui & tacendo patienter, & eis loquendo inutiliter, cordis dolorem F sensit. Vnde & superius dicit: Quid agam? Si locutus fuero, non quiescit dolor meus: & si tacuero, non recedit à me. Sin verò ad typum sanctæ Ecclesiæ hæc verba referimus, liquet quòd magnum eius est gaudium, seruare decalogi præcepta. Sed hanc peruersi decies cõfundũt, quia per omne quod peccant prauis suis moribus, decalogi præcepta relinquunt, & toties bonis confusionem faciunt, quoties in suis actibus diuinis vocibus obsistunt. Sequitur: *Et non erubescitis opprimentes me*) Sunt nonnulli quos ad perpetrandam nequitiam oborta subita malitia inuitat, sed tamen humana verecundia reuocat. Et plerunque per hoc quòd exterius erubescunt, ad interiora sua redeunt, & cõtra se internum iudicium sumunt: quia si propter hominem mala facere metuunt, quantò magis propter Deum qui cuncta inspicit, nec appetere mala debuerunt? In quibus fit, vt mala maiora corrigant per bona minima, scilicet per exteriorem verecundiam, interiorem culpam. Et sunt quidam qui postquam Deum in mente con- G tempserint, multo magis humana iudicia spernunt: atq; omne malum quod appetunt, audacter peragere non erubescunt. Quos ad perpetrandum malum occulta iniquitas inuitat, & nulla aperta verecũdia ne tardat, sicut & de quodã iniquo iudice dicitur: Deum non timebat, & hominem non verebatur. [Luca.18.] Hinc est etiam quod de quibusdam impudenti fronte peccantibus dictum est: Et peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt. [Esaia.3.] Plerunque ergo tales sunt aduersarij sanctæ Ecclesiæ, qui à perpetrandis malis, nec timore Domini, nec hominum pudore refrenantur. Quibus bene per beatum Iob dicitur: *Et non erubescitis opprimentes me*: quia etsi prauum fuit mala voluisse, peius est malè appetita non erubescere. Sequitur: *Nempe & si ignoraui, mecum erit ignorantia mea.*) Habent hoc hæretici proprium, vt de inani scientiæ suæ arrogantia inflentur: & rectè credentium simplicitatem sæpe derideant, & nullius esse meriti vitam humilium ducant. At contrà sancta Ec- 14
clesia in omne quod veraciter sapit, sensum suum humiliter deprimit, ne scientia infletur, ne in requisitione occultorum H tumeat: & perscrutari aliqua quæ vltra vires sunt illius, præsumat. Vtilius etenim studet nescire, quæ perscrutari non valet, quàm audacter definire quæ nescit. Scriptum quippe est: [Prouer.25.] Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est maiestatis opprimetur à gloria. Dulcedo etenim mellis si plus quam necesse est, sumitur: vnde delectatur os, inde vita comedentis necatur. Dulcis quoque est requisitio maiestatis: sed qui plus hanc scrutari apperit, quàm humanitatis cognitio permittit, ipsa hunc eius gloria opprimit: quia velut immoderatè mel sumptum, perscrutantis sensum dum non capitur, rumpit. Nobiscum verò esse dicitur, quod pro nobis est. Et rursum, non nobiscum esse dicitur, quod contra nos est. Quia ergo scientia sua hæretici cor inflat: fideles autem cognitio ignorantiæ suæ humiliat, dicat beatus Iob voce sua, dicat etiam confessione vniuersalis Ecclesiæ: *Nempe & si ignoraui, mecum erit ignorantia mea.*) Ac si apertè hæreticis dicatur: Omnis vestra scientia vobiscum non est: quia contra vos est, dum stulta elatione vos erigit. Mea verò ignorantia mecum est, quia pro me est: quoniam dum perscrutari de Deo aliquid superbè non audeo, in veritate me humiliter seruo. Et

seruo. Et quia hæc ipsa hæretici quę scire quærũt, ad vsum solius elationis arripiunt: vt contra fideles & humiles docti videantur: rectè subiungitur:

Quòd prius mundandi sunt hi, per quos aliorum peccata mundantur: & quid sit, quòd omnis Israel cùm ad vlciscendum scelus Beniamin, iubente Domino ascendisset, semel & iterum cæsus est, & sic demum tertiò victor extitit.

Caput XIII.

AT *vos contra me erigimini.*) Sed hæc fortasse melius verba perpẽdimus, si ipsis specialiter amicis beati Iob quemadmodum congruant, demonstremus. Ipsi etenim percussum iustum videntes, ad sua intima redire debuerunt: & nequaquam beatum Iob verbis increpationis premere, sed se deflere: quia si sic percussus fuerat, qui ita seruiebat, qua vltione feriri merebantur, qui non ita seruierant? Quibus bene dicitur: *At vos contra me erigimini.*) Ac si eis apertius dicatur: Qui erigi contra vosmetipsos, ex mea percussione debuistis.

15. Ordo quippe erectionis in bono iste est, vt primum contra nos, postmodum contra malos erigamur. Nam qui contra bonos erigitur, per superbiam inflatur. Contra nosmetipsos enim erigimur, quando mala propria recognoscentes, districta nosmetipsos pœnitentiæ vltione ferimus, quando nequaquam nobis in peccatis parcimus, & nullis erga nos cogitationum blandimẽtis inclinamur. Qui si districtè prius nostra in nobis mala insequimur, iustum quoque est, vt etiam contra aliena mala vtiliter erigamur: & ea quæ in nobis punimus, etiã in aliis redarguendo superemus. Sed hanc erectionẽ mali nesciunt, quia se relinquunt, & bonos impetunt. Sibi se intra conscientiam suam mollitie blandæ adulationis inclinant, & contra bonorum vitam districtione asperitatis eriguntur. Vnde amicis beati Iob in eius flagello tumẽtibus, rectè nunc dicitur: *At vos contra me erigimini:*) id est, vosmetipsos redarguendos relinquitis, & me districtis sententiis increpatis. Qui enim semetipsum prius non iudicat, quid in alio rectum iudicet, ignorat. Etsi nouit fortasse per auditum quòd rectum iudicare debeat, rectè tamen iudicare aliena merita non valet, cui conscientia innocentiæ propriæ nullam iudicij regulam præbet. [3. quæst. 7: Qui sine. Ioan.8.] Hinc est enim quòd insidiantibus quibusdam: & puniendam adulteram deducentibus dicitur: Qui sine peccato est vestrũ, primus in illam lapidem mittat. Ad aliena quippe punienda peccata ibant, & sua reliquerant. Reuocantur itaque intus ad conscientiam, vt prius propria corrigant, & tunc aliena reprehendant. Hinc est quòd cùm tribus Beniamin in carnis scelere fuisset obruta, collectus omnis Israël vlcisci iniquitaem voluit, sed tamen semel & iterum in belli certamine ipse prostratus est. Consulto autem Domino si ad vlciscendum ire debuissent, iussum est. Qui iuxta diuinę vocis imperium perrexit, & semel, & secundò perdidit, & tũc demum peccatricem tribum valde feriens penè funditus extinxit. Quid est quòd in vltionem sceleris inflammatur, & tamen prius ipse prosternitur, nisi quòd prius ipsi purgãdi sunt, per quos aliorum culpæ feriuntur: vt ipsi iam mũdi per vltionem veniant, qui aliorum vitia corrigere festinant? Vnde necesse est, vt cùm cõtra nos vltio diuini examinis cessat, nostra seipsam conscientia reprehendat: atque ad lamenta pœnitentiæ ipsa se contra semetipsam erigat, nec contra bonos elata & sibi humilis, sed contra se rigida sit, bonis verò omnibus sub-
16. missa. Superbis ergo corripientibus, rectè nunc dicitur: *At vos contra me erigimini, & arguitis me opprobriis meis.*) Omnes elati graue esse opprobrium deputant mala temporalia: & tantò vnumquemque esse à Deo despectum credunt, quantò hunc afflictum percussionis flagello conspiciunt. Nil etenim in moribus, nil in actibus quęrunt: sed quoslibet in hac vita percussos viderint, esse iam diuino iudicio damnatos arbitrantur. Vnde bene nunc beati Iob voce dicitur: *Et arguitis me opprobriis meis:*) quia hi qui eum iustum ante flagella nouerant, iniustum esse ex ipsa iam sua percussione iudicabant. Vnde & [Heb.12.] sæpe hæretici, quia affligi quosdam intra sanctam Ecclesiam vident (scriptum quippe de Deo est: Flagellat omnem filium quem recipit) tribulationes fidelium, non nisi ex peccato esse suspicantur, seque ideo iustos credunt, quia in prauitatis suæ sensu dimissi, sine flagello duruerunt. Sequitur:

A *Quòd ideo non iusto Dei iudicio se dicat afflictum, quia apud se afflictionis causam non inueniebat: non attendens flagello merita augeri, non peccata puniri.*

Caput XIIII.

S*Altem nunc intelligite, quia Deus non æquo iudicio afflixerit me.*) O quàm durũ sonat vox iusti verberibus afflicti: quam tamẽ non elatio, sed dolor expressit! Sed iustus nõ est, qui iustitiam in dolore deserit. Beatus autem Iob, quia mite cor habuit, nec in dura voce peccauit. Nam si hunc peccasse in hac voce dicimus, implesse diabolum astruimus quod proposuit, dicens: Tange os eius & carnem, si non in faciem benedixerit tibi. Grauis itaque quæstio oritur: Si etenim non peccauit in eo quod dicit: *Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo iudicio afflixerit me:*) Deum, quod dici nefas est, iniustè egisse aliquid consentimus. Si verò peccauit, diabolus de illo quod promisit exhibuit. Astruendum est igitur, quia & Deus rectè circa beatum Iob egerit: & tamen beatus Iob ex eo quòd dicit se non iusto Dei iudicio afflictum, mentitus non sit: & antiquus B hostis in eo quod de beati viri promiserat culpa, mentitus sit. Nonnunquam nanque ideo praua creduntur verba bonorum, quia interiori sua intelligentia minimè pensantur. [*Cur nonnũquam praua credantur verba bonorum.*] Beatus enim Iob vitam suam attẽderat, & ea quæ patiebatur, flagella pensabat, & videbat æquum non esse, vt ad talem vitam talia flagella reciperet. Et cùm dicit nõ æquo se iudicio afflictum, hoc libera voce locutus est, quod in secreto suo Dominus de illo aduersario eius dixerat: Commouisti me aduersus eum, vt affligerẽ eum frustra. Quod enim dicit Deus, quia frustra beatum Iob afflixerit, hoc rursum beatus Iob asserit, quia nõ æquo iudicio à Domino sit afflictus. In quo itaque peccauit, qui à sententia authoris sui in nullo discrepauit? Sed fortasse aliquis dicat, id nos de nobis bonum dicere quod de nobis 17.
in occulto iudex dixerit, sine peccato esse non posse. Nam quem iustus iudex laudat, esse hunc iure laudabilem non dubitatur. At verò si se ipse laudauerit, iam eius iustitia laude digna esse non creditur. Quod videlicet rectè dicitur: si quod C iudex iustus per æquam sententiam perhibet, hoc de se is, de quo agitur, præsumat pòst dicere per elatam mentem. Nam si ipse quoque in humili cogitatione permanens, exigente causa vel dolore, bona de se veracia dixerit, intantum à iustitia non recessit, inquantum à veritate nullo modo discrepauit. [*Quomodo liceat alicui bona de se ipso dicere.*] Vnde Paulus quoque apostolus multa de se fortia pro discipulorum suorum ædificatione narrauit: sed hæc narrando minimè deliquit: quia à veritatis tramite: & attestatione certa & corde humili non recessit. Iustam itaque beatus Iob vitam suam sentiens, dicat non se esse iusto iudicio afflictum. Nec peccat in hac voce, in qua non discrepat ab authore: quia is quem Deus frustra percussit, ipse quoque semetipsum asserit, non iusto iudicio afflictum. Sed rursus alia quæstio oritur, quam iam in huius operis memini exordio solutam, cùm omnipotens Deus frustra nil faciat, cur beatum Iob frustra se afflixisse testetur? Iustus enim conditor noster tot verberibus in beatum Iob, non vitia illius curauit extinguere, sed merita augere. Aequum ergo fuit quod fecit per augmentum boni D meriti: non tamen videbatur æquum, quòd causas credebatur punire peccati. Beatus autem Iob peccata sua illis flagellis deleri credidit, non merita augeri: & idcirco non æquum iudicium vocat, quia vitam suam cum flagellis examinat. Ergo si vita & flagella pensantur, non ęquum fuit quod beatus Iob, sicut dixi, per iram districtionis sibi fieri credidit. Si verò misericordia iudicis attenditur, quia per pœnam iusti viri vitæ eius merita cumulantur, æquum vel potius misericors iudicium fuit. Igitur & vera Iob dixit, dum vitam cum flagello pensauit: & Deus non iniusto iudicio Iob afflixit, quia merita ex flagello cumulauit: & diabolus quod promiserat, non impleuit: quia beatus Iob inter verba quæ durum sonant, à vera sententia & mente humili non recessit. Sed hæc afflicti verba minus fortasse intelligimus, nisi sententiam iudicis cognoscimus. Qui cùm inter vtrasque partes sententiam daret, dicit amicis Iob: Non estis locuti coram me rectũ, sicut seruus meus Iob. Quis ergo stulta mẽte beatum Iob in locutione sua peccasse fateatur, dum ipsa voce iudicis rectè locutus asseritur? Quam quidem vocem si ad personam sanctæ Ecclesiæ referamus, infirmis eius membris non incongruè aptamus, quæ per-

secutionis eius tempore dum & merita illius & flagella consi-
derant, quia iniustos florere conspiciunt, & iustos interire:
18 hoc iustum esse nullatenus suspicantur. Bene autem beati viri
voce subditur: *Et flagellis suis me cinxerit.*) Aliud quippe est
flagellis percuti, aliud cingi. Flagellis nanq; percutimur, cùm
consolationem & in doloribus ex rebus aliis habemus. Nam
cùm tanta nos afflictio deprimit, vt ex nullius rei consolatio-
ne respirare animus possit, non iam flagellis solummodo fe-
rimur, sed etiam cingimur: quia tribulationum verbere ex
omni parte circundamur. Cinctus enim flagellis Paulus fue-
rat, cùm dicebat. Foris pugnę, intus timores. Cinctus flagel-
2.Corint.7. lis fuerat, cùm dicebat: In periculis ex genere, periculis ex
2.Corint.11, gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, &c. quæ
ita enumerat, vt nusquam se habuisse requiem ostendat. San-
cta verò Ecclesia cùm tribulationum suarum flagellis cingi-
tur, in ea infirmi quique in pusillamitatis casu rediguntur: ita
* al.despe-ctos. vt se eò iam * desperatos existimant, quo exaudiri se tardius
vident. Rectè adhuc etiam ex eorum typo sancti viri voce
subiungitur: *Ecce clamabo vim patiens, & nemo audiet: vociferabor, & non est qui iudicet.*) Omnipotēs Deus quid nobis profu-
turum esse valeat sciens, dissimulat exaudire dolentium vo-
cem, vt augeat vtilitatem, vt purgetur vita per pœnam, &
quietis tranquillitas quæ hîc inueniri non valet, alibi quæra-
tur. Sed hanc dispensationis gratiam nonnulli etiam fidelium
ignorant. Ex quorum etiam persona nunc dicitur: *Ecce cla-
mabo vim patiens, & nemo exaudiet: vociferabor, & nō est qui iudicet.*) Non est enim qui iudicet dicitur, quando iudicare dissimu-
lat ipse qui est, quia causam nostram contra aduersarium, præ-
ter eum qui iudicet non est. Nec tamen hoc sine iudicio est,
quòd iudicium differtur: quia cùm hæc beatus Iob diceret,
& sancti viri merita, & aduersarij pœna crescebat. Hoc ipsum
ergo iudicium differre iudicis est. Sed aliud est quòd iustè in-
trinsecus disponit Deus, aliud quod foris flagellis attritus ex-
petit animus. Vnde adhuc de ipsa verberum depressione sub-
iungit.

Quòd electi nonnunquam ignorantia vel infirmitate peccant, sed ad amissam iustitiam per pœnitentiam redeunt. Caput XV.

SEmitam meam circumsepsit, & transire non possum, & in calle meo tenebras posuit.) Circunseptam verberibus semitam suam
vidit, cùm transire ad securitatem cupiens, euadere flagella
non potuit. Et quia se percutti aspexi, nec tamen percussione
dignam vitam in semetipso reperit, quasi in calle cordis, igno-
rantiæ suæ tenebras inuenit: qui cur ita flagellaretur penetra-
re non potuit. Quod ad infirma quoque membra sanctæ Ec-
clesiæ non incongruè refertur, quando per hoc quod prauè se
egisse meminerunt, à bono quoque opere retardantur, & ex
infirmitate propria timidi, bona contra hæc fortia aggredi
non præsumunt. Timent enim magna bona incipere, qui se
in suis actibus infirmos esse meminerunt. Et cùm plerunque
etiam bonum quod eligant nesciunt, quasi in calle suo posita
tenebras perhorrescunt. Nam sæpe ita de suo opere fit ani-
mus incertus: vt ignoret omnino quid virtus, quid culpa sit.
19 In calle ergo suo tenebras inuenit, qui in his quæ agere ap-
petit, quid eligere debeat, nescit. Quia igitur sæpe infir-
mitate, nonnunquam verò ignorantia peccatur, ex infirmi-
tatis membris dicitur: *Semitam meam circunsepsit, & transire non possum.* (Ex eis verò qui ad ipsum opus bonum quod eligant
caligant, subditur: *Et in calle meo tenebras posuit.*) Ex pœna etenim culpæ est, videre bonum quod agere debeat, & tamen implere non posse: & rursum, ex grauiori pœna culpæ est, quod agere debeat, nec videre. Vnde & contra hæc ytraque
Psalm.26. Psalmistæ voce dicitur: Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Contra ignorantiæ enim tenebras illuminatio, contra infirmitatem verò salus est Dominus, quando & ostendit quid debeat ad agendum appeti, & vires præbet, vt quod ostenderit, possit impleri. Sequitur:

Quòd corona à capite abstrahitur, cùm à præpositis bona spiritualia negliguntur. Caput XVI.

SPoliauit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo.) Quòd
cuncta hæc beati viri in afflictione positi personæ conueniant, dubium non est. Sed quia historiæ verba patent, iuxta literam expositione non indigent. Oportet ergo vt per sen-
E sus debeant mysticos inuestigari. Ait nanque: *Spoliauit me gloria mea.*) Gloria quippe vniuscuiusque iustitia est. Sicut
verò vestimentum tegit à frigore, ita iustitia munit à morte.
Vnde non immeritò iustitia vestimento comparatur, cùm
per Prophetam dicitur: Sacerdotes tui induantur iustitia. Psalm.131.
Quia verò afflictionis suæ tempore hoc iustitiæ vestimen-
tum, quod apud Deum protegit, sancta Ecclesia in membris
suis infirmantibus amittit, dicatur rectè: *Spoliauit me gloria mea:*) id est, iustitia ab infirmis ablata est, quæ ab eis auferri
non posset, si medullitùs inhæsisset. Sed idcirco tolli potuit,
quia more vestimenti exterius adhæsit. Qua in re quærēdum
est, quomodo sanctæ Ecclesiæ membra dici valeant, qui po-
tuerunt iustitiam perdere, quam tenere videbātur. Sed scien-
dum est, quòd plerunque à membris eius infirmantibus iu-
stitia ad tempus amittitur: sed cùm per cognitionem culpæ
postmodum ad pœnitentiam redeunt, sese ad eandem iusti-
tiam quam perdiderāt, fortius quàm credebatur adstringunt.
Vbi adhuc subditur: *Et abstulit coronam de capite meo.*) Sicut ca-
F put corporis prima pars est, ita principale interioris hominis Eccle.10.
mens est. Corona verò victoriæ præmium est, quod desuper
ponitur: vt qui certauerat, remuneretur. Quia ergo multi ad-
uersitatib' pressi, minimè in certamine perdurāt, in eis sancta
Ecclesia quasi coronam de capite amittit. Corona quippe in
capite, est superna remuneratio in mente. Et sunt plerique qui
dum aduersitatibus affliguntur, superna præmia cogitare ne-
gligunt, & ad perfectionem victoriæ peruenire non possunt.
In his itaque corona de capite aufertur, quia supernum & spi-
ritale præmium de mentis cogitatione tollitur, vt exteriora
iam tranquilla appetant: & æterna præmia quæ cogitare con-
sueuerant, non requirant. Vel certè caput fidelium non im-
meritò sacerdotes accipimus, qui pars membrorum Domini
prima sunt. Vnde & per Prophetam, caput & cauda exterminari dicitur: vbi videlicet & capitis nomine sacerdotes, &
caudæ appellatione prophetæ reprobi designantur. Corona
ergo de capite aufertur, cùm supernæ remunerationis præmia
G etiam ipsi deserunt, qui in hoc Ecclesiæ corpore præesse vi-
debantur. Et plerunque ducibus cadentibus, latius succum-
bit exercitus qui sequebatur. Vnde mox post damna maio-
rum, de multimoda labefactione Ecclesiæ subsecutus adiun-
xit: *Destruxit me vndique, & pereo: & quasi auulsæ arbori abstulit* 20
spem meam.) Quasi vndique enim Ecclesia destruitur, atque
in infirmis membris deperit, quādo ipsa quæ videbantur for-
tia, corruunt: quando corona de capite abstrahitur, id est,
quando, æterna præmia etiam à præpositis negliguntur. Bene
autem de infirmis cadendibus subditur: *Et quasi auulsæ arbori abstulit spem meam.*) Arbor quippe vento impellitur, vt cadat.
Et quem minæ terrent, vt ad iniustitiam corruat: quid aliud
quàm arbor flatum venti pertulit, & statum suæ rectitudinis
amisit? Quasi enim ex vento spem perdidit, qui prauorum
minis ac persuasionibus deuictus, æterna quæ sperabat præ-
mia reliquit. Et quia plerunq; contingit, vt pœnas quis me-
tuens iustitiam deserat: fit iudicante Deo, vt etiam iustitiam
deserens, pœnas quas timuit, non euadat: & qui mentis inte-
ritum minimè timuit, etiam carnis mala toleret, quæ timebat.
Vnde adhuc subditur:

Quòd qui percussione flagelli superatur, non quasi filius, sed quasi hostis feritur. Caput XVII.

IRatus est contra me furor eius, & sic me habuit quasi hostem suum.) 1.Corin.10.
Prædicatore quippe egregio attestante didicimus: quia fi-
delis est Deus qui non patietur nos tētari supra id quod pos-
sumus ferre: sed faciet cum tentatione prouentum vt possi-
mus sustinere. Per Prophetam quoque Dominus dicit: Pla-
ga inimici percussi te, castigatione crudeli. Qui ergo ita per- Hiere.30.
cutitur, vt vires illius à percussione superentur, non hunc
Dominus iam quasi filium per disciplinam, sed quasi hostem
per iram ferit. Cùm ergo virtutem nostræ patientiæ flagella
transeunt, valde metuendum est ne peccatis nostris exigen-
tibus, non iam quasi filij à patre sed quasi hostes à Domino
feriamur. Et quia fit plerunque, vt etiam maligni spiritus af-
flictorum cordibus multa suadeant: atque inter flagella quæ
exterius feriunt, cogitationes noxias in mentibus fundant,
post furorem Domini rectè subiungitur:

Quòd diaboli,

Quòd diaboli, latrones Dei dicuntur: ideo latrones, quia semper nocendi voluntatem habent: ideo Dei, quia etiam in hoc quod malè volunt diuinæ seruiunt voluntati, quæ per eorum ministerium iustè homines vel punit vel damnat.

Caput XVIII.

Latrones Dei spiritus maligni.

SImul venerunt latrones eius, & fecerunt sibi viam per me.) Latro-
nes nanque eius, maligni sunt spiritus, qui exquirendis
hominum mortibus occupantur. Qui viam sibi in afflictiō-
rum cordibus faciunt, quando inter aduersa quæ exterius to-
lerantur, cogitationes quoque prauas immitere nō desistunt.
De quibus adhuc dicitur: Et obsederunt in gyro tabernacu-
lum meum.) Id gyro enim tabernaculum obsident, quando
ex omni latere suis tentationibus mentem cingunt. Quam
modò lugere de temporalibus, modò desperare de æternis,
modò in impatientiæ ruere, atque in Deum blasphemiæ ver-
ba iaculari, pessima suggestione persuadent. Quæ tamen ver-
ba, vt iam prædiximus, beato Iob etiam iuxta historiam con-
gruunt: qui dum mala quæ pertulit, ante oculos congessit non
B quasi corrigendum filium, sed quasi hostem percussum se esse
iudicauit. Per quem sibi etiam latrones eius viam fecerunt,
quia maligni contra eum spiritus licentiam percussionis acce-
perunt. Cuius in gyro tabernaculum obsederunt: quia sub la-
tis rebus & filiis, etiam corpus eius omne vulneribus attriue-
21. runt. Sed mirum valde est, cùm latrones diceret: cur addi-
dit, eius, vt videlicet eosdem latrones Dei esse monstraret.
Qua in re, si voluntas ac potestas malignorum spirituum dis-
cernatur, cur latrones Dei dicantur, aperitur. Maligni quippe
spiritus, ad nocendum nos incessabiliter anhelant, sed cùm
prauam voluntatem ex semetipsis habeant, potestatem tamen
nocendi non habent, nisi eos voluntas summa permittat. Et
cùm ipsi quidem iniustè nos lædere appetunt, quemlibet ta-
men lædere, non nisi iustè à Domino permittuntur. Quia er-
go in eis voluntas iniusta est, & potestas iusta: & latrones di-
cuntur, & Dei, vt ex ipsis fit quod inferre mala iniustè deside-
rant, & ex Deo, quòd desiderata iustè consummant. Sed quia,
C vt sæpè iam diximus, sanctus vir positus in dolore pœna-
rum, modò suis, modò Ecclesiæ, modò redemptoris nostri
vocibus vtitur: & plerunque sic sua narrat, vt tamen per ty-
pum ea quæ sunt sanctæ Ecclesiæ ac redemptoris nostri pro-
ferat: postposita paulisper cura historiæ, in his quæ subiun-
git, qualiter redemptoris nostri vocibus congruat, demon-
stremus. Sequitur:

Allegoricè ad Christum & synagogam referuntur sequentia.
Caput XIX.

Ioan.1. FRatres meos longè fecit à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à
me. Deseliquerunt me propinqui mei: & qui me nouerant, obliti sunt
mei.) Hoc melius ostendimus, si Ioannis ad medium testimo-
nium proferimus, qui ait: In propria venit, & sui eum non re-
ceperunt. Ab eo quippe fratres longè facti sunt & noti reces-
serunt: quem tenentes legem, prophetare Hebræi nouerant,
& præsentem minimè recognoscebant. Vnde rectè dicitur:
Deseliquerunt me propinqui mei, & qui me nouerant, obliti sunt mei.) D
Iudæi etenim propinqui per carnem, noti per legis instru-
ctionem, quasi obliti sunt quem prophetauerant, dum eum &
Sacerdotes inquilini: Dei. incarnandum verbis legis canerent, & incarnatum verbis per-
fidiæ negarent. Sequitur: *Inquilini domus meæ & ancillæ, sicut alienum habuerunt me.*) Inquilini domus Dei fuerunt sacerdotes,
quorum origo in Dei seruitio deputata iam per officium in
conditione tenebatur. Ancillæ autem non immeritò intelli-
guntur leuitarum animæ ad secreta tabernaculi, quasi ad
interiora cubiculi familiarius seruientes. Dicat ergo de sacer-
dotibus sedula cura seruientibus, dicat de Leuitis ad interio-
ra domus Dei obsequētibus: Inquilini domus meæ & ancillæ
sicut alienum habuerunt me: quia incarnatum Dominum,
quem dudum per legis verba prædixerant, cognoscere ac ve-
nerari noluerunt. Qui adhuc apertius, quòd ab eorum per-
uersa voluntate non sit cognitus, manifestat, cùm subdit: *Et quasi peregrinus fui in oculis eorum.*) Redemptor etenim noster
dum à synagoga cognitus non est, in domo sua quasi pere-
Hier.14. grinus extitit. Quod apertè Propheta testatur, dicens: Quare
sicut colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad
manendum? Quia enim vt Dominus auditus nō est, non pos-
A sessor agri, sed colonus est creditus. Qui quasi viator ad ma-
nendum tantummodo declinauit: quia paucos ex Iudæa ab-
stulit, & ad vocationem gentium pergens, iter cœptum pere-
git. Peregrinus ergo in eorum oculis fuit: quia dum solà quæ
videre poterant, cogitabant, non valuerunt intelligere in Do-
mino, quod videre non poterant. Dum enim despiciunt car-
nem visibilem, non peruenium ad inuisibilem maiestatem.
Dicatur igitur rectè: Et quasi peregrinus fui in oculis eorum:
De quo adhuc populo aptè subiūgitur: *Seruū meū vocaui, & nō respondit.*) Quid enim Iudaicus populus nisi seruus fuit; qui
non amore filij obsequebatur Domino, sed timore Seruili?
Quo contrà nobis per Paulum dicitur: Non accepistis spiri- Roma.8.
tum seruitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filio-
rum, in quo clamamus, abba pater. Hunc igitur seruum voca-
uit Dominus, quia collatis muneribus quasi emissis eum vo-
cibus ad se ducere studuit. Sed non respondit, quia digna o-
pera donis eius reddere contempsit. Vocat enim nos Deus,
cùm muneribus præuenit: respondemus verò vocationi eius,
B cùm dignè iuxta percepta munera deseruimus. Quia ergo tot
muneribus Iudaicum populum præuenit, dicat: *Seruum meum vocaui.*) Sed quia etiam post eum tot munera contempsit, sub-
iungat: *Et non respondit.*) Sequitur:

Quòd multiphariè olim Deus locutus est patribus in prophetis, nouissimè ore proprio locutus est.
Caput XX.

ORe proprio deprecabar illum.) Ac si apertius diceret: Ego 22.
ille qui ante incarnationem meam tot ei præcepta fa-
cienda per prophetarum ora mādaueram, incarnatus ad eum
veniens, ore eum proprio deprecabar. Vnde & Matthæus,
cùm præcepta ab eo dari in monte describeret, ait: Aperiens
os suum dixit. Ac si patenter dicat. Tunc os suum aperuit, qui Matth.5.
prius aperuerat ora prophetarum. Hinc est etiam quod de il-
lo ab sponsa præsentiam eius desiderante dicitur: Osculetur
me osculo oris sui. Sancta quippe Ecclesia quot præcepta ex Canti.1.
eius prædicatione cognouit, quasi tot oris eius oscula acce-
C pit. Bene autem dicitur, *Deprecabar*:) quia in carne monstratus
dum mandata vitæ humiliter dixit, quasi superbiētem seruum
vt viueret, rogauit. Vbi & aptè subditur:

Quòd halitus Christi odor sit carnis eius.
Caput XXI.

HAlitum meum exhorruit vxor mea.) Quid vxor Domini nisi
synagoga accipitur, in legis fœdere, carnali ei intelligen-
tia subiecta? Halitus verò ex carne est. Sed infidelis populus
carnem Domini carnaliter intellexit, quia purum hunc homi-
nem credidit. Halitum ergo eius vxor exhorruit: quia syna-
goga eum quem videbat hominem, Deum credere expauit.
Cùmque ab eius ore verba corporaliter audiret, in eo intelli-
gere diuinitatis arcana recusauit, & creatorem non esse credi-
dit, quem creatum vidit. Carnis ergo halitum carnalis vxor
exhorruit, quæ carnalibus sensibus dedita, incarnationis e-
ius mysterium non agnouit. Sequitur:

Quomodo Deus cùm spiritus sit, membra corporalia habere dicatur.
Caput XXII.

ET orabam filios veteri mei.) In Deo qui corporis forma non
circunscribitur, membra corporis, id est, manus, oculus,
vterus ita nominātur, vt ex mēbrorū vocabulis, effectus eius *Cur in Deo mēbra corporis nominantur.*
potentiæ designetur. Oculos quippe habere dicitur: quia cū-
cta videt: Manus habere describitur, quia cuncta operatur: In
vtero autē proles concipitur, quæ in hac vita profertur. Quid
ergo vterum Dei, nisi eius cōsilium debemus accipere, in quo
ante secula per prædestinationem cōcepti sumus, ita vt creati
per secula producamur? Deus ergo qui manet ante secula, vte-
ri sui filios orauit, quia eos quos potenter per diuinitatē cōdi-
dit, incarnatus veniens humiliter rogauit. Sed quia in ipsa car-
ne quę apparuit, ab eorum æstimatione despectus est, subiun-
gitur: *Stulti quoque despiciebant me.*) Sapientibus à veritatis fide
cadentibus, rectè de stultis quoque additur: quia dum Domi-
num Pharisei ac Legisperiti despicerent, eorum incredulitatē
etiam populi turba secuta est: quæ in eo quòd hominē vidit,
redemptoris mundi prædicamēta despexit. Nam sæpe stulto-
rum nomine hi qui sunt in plebe pauperes, designātur. Vnde
& per Hieremiam dicitur: Dixi, forsitā pauperes sunt & stul- Hiere.5.
ti, ignorātes viam Domini, & iudicium Dei sui. Relictis autē

mundi sapientibus atque diuitibus, Redemptor noster quærere pauperes, & stultos venerat. Vnde nunc quasi in augmentum doloris dicitur: *Stulti quoque despiciebant me.*) Ac si apertè diceretur: Ipsi etiam me despexerunt, pro quibus sanandis stultitiam prædicationis assumpsi. Scriptum quippe est: Quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. (*1. Petri.1.*) Verbum quippe Dei, sapientia est: sed stultitia huius sapientiæ dicta est caro verbi: vt quia carnales quique per carnis suæ prudentiam pertingere non valebant ad sapientiam Dei, per stultitiam prædicationis, id est, per incarnationem verbi sanarentur. Ait ergo: *Stulti quoque despiciebant me.*) Ac si apertè diceretur: Et ab ipsis despectus sum, pro quibus stultus æstimari veritus non sum. Et quia Iudæorum plebs cùm miracula nostri redemptoris cerneret, hunc ex signis honorabat, dicens: Hic est Christus: cùm verò humanitatis eius infirma conspiceret, eum creatorem credere dedignabatur, dicens: Non, sed seducit turbas: rectè subiungitur:

23 *Et cùm ab eis recessissem, detrahebant mihi.*) Quasi accedebat quippe ad corda populorum Dominus, cùm eis miracula demonstraret: & quasi recedebat, cùm nulla signa ostenderet. Sed recedenti Domino detrahebant, cùm à miraculis quiescenti præbere fidem nolebant. Sed quid mirum cum perpeti ista à plebibus, cùm ipsi quoque qui legis doctores esse videbantur, qui eum verbis propheticis incarnãdum esse perhibebant, & incarnatum viderunt, & ab eo tamen perfidiæ interruptione diuisi sunt? De quibus subditur: *Abominati sunt me quondam consiliarij mei: & quem maximè diligebam, auersatus est me.*) Cunctis liquet, quia Deus consiliariis non eget, qui ipsis quoque consiliariis hominum sapientiæ consilium præbet. De quo etiam scriptum est: Quis cognouit sensum Domini, aut quis eius consiliarius fuit? (*Esaiæ. 40. & Ro.11.*) Sed quemadmodum cùm panis vel vestimentum egenti tribuitur, hoc se Dominus accepisse testatur: ita cùm nescienti cuilibet rectum consilium datur, hoc ipse accepit, cuius ille membrum est qui eruditur. Omnes etenim fideles membra nostri redemptoris sumus: & sicut ipse in nobis per misericordiam largitatis pascitur, ita ipse in nobis per doctrinæ consilium iuuatur. Scribæ itaque & legis doctores qui erudire populos ad vitam consueuerant, quid aliud quàm futuri redemptoris consiliarij fuerunt? Qui tamen dum incarnatum Dominum conspicerent, consiliis suis multos ab eius fide diuiserunt, quanuis prius ad credendum incarnationis eius mysterium per prophetarum verba multos docuisse viderentur. Et quia ille apud Deum magis in amore est, qui ad eius amorem plurimos trahit: adhuc de eodem legis doctorum atque Pharisæorum ordine subditur: Et quem maximè diligebam, auersatus est me. Ipse enim ordo suadente perfidia, à fide veritatis auersus est, qui prius in labore prædicationis seruiens, maximè diligebatur: quem non solùm ad non credendum, sed vsque ad persequendum quoque Dominum populorum turba secuta est, & vsque ad passionem illius sæuitiæ facibus accensa. In qua videlicet passione discipulorum corda turbata sunt. Vnde & nunc subditur:

Quòd allegoricè passionis tempore, adhærente Christo sexu firmiori fugerunt Apostoli: & dubitantibus de resurrectione discipulis, tantum in eis supererant labia sermonis.

Caput XXIII.

PEl*li mea consumptis carnibus, adhæsit os meum.*) In osse fortitudo, in carnibus verò infirmitas corporalis designatur. Quia igitur Christus & Ecclesia vna persona est: quid per os, nisi ipse Dominus designatur? Quid per carnem, nisi discipuli, qui passionis eius tempore infirma sapuerunt? Per pellem verò quæ exterior carne manet in corpore, quid nisi illæ sanctæ fœminæ figurantur, quæ ad præparanda subsidia corporis, exterioribus Domino ministeriis seruiebant? Nam cùm eius discipuli quanuis necdum firmi veritatis fidem populis prædicarent, ossi suo inhærebant carnes. Et cùm sanctæ mulieres ea quæ necessaria erant, exteriora præpararent, quasi pellis exterius manebat in corpore. Sed cùm ad crucis horam ventum est, eius discipulos grauis ex persecutione Iudæorum timor inuasit: fugerunt singuli, mulieres adhæserunt.

E Quasi ergo consumpta carne, os Domini pelli suæ adhæsit: quia fortitudo eius, passionis tempore fugientibus discipulis, iuxta se mulieres inuenit. Stetit equidem aliquandiu Petrus, sed tamen pòst territus negauit. Stetit etiam Ioannes, cui ipso crucis tempore dictum est: Ecce mater tua. (*Ioan.19.*) Sed perseuerare minimè potuit: quia de ipso quoque scriptum est, quòd adolescens quidam sequebatur illum amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum: at ille reiecta sindone, nudus profugit ab eis. (*Matth.24.*) Qui etsi pòst, vt verba redemptoris sui audiret, ad horam crucis redit, prius tamen territus fugit. Mulieres autem non solùm non timuisse neq; fugisse, sed etiam vsque ad sepulchrum stetisse memorantur. Dicat ergo: *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum.*) Hoc est, hi qui meæ fortitudini propinquius inhærere debuerant, passionis meæ tempore timore consumpti sunt: & eas quas ad exteriora ministeria posui, in passione mea sine formidine inhærere mihi fideliter inueni. Vbi & apertè subintelligitur, quòd hæc verba per mysterium dicantur, dum sequitur:

24 F *Et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.*) Quid enim circa dentes aliud quàm labia habemus, etiam si nulla flagella patiamur? Sed quid per labia, nisi locutio, quid per dentes, nisi sancti Apostoli designantur? Qui in hoc Ecclesiæ corpore idcirco sunt positi, vt vitam carnalium correptione mordeant, eamque à suæ pertinaciæ duritia confringant. Vnde & eidem primo Apostolorum, quasi denti in eius corpore posito dicitur: Macta, & manduca. (*Actor.10.*) Sed quia passionis eius tempore, isti dentes præ timore mortis amiserũt morsum correptionis, amiserunt fiduciam roboris, amiserunt efficaciam omnimodæ operationis, ita vt duo ex illis ambulantes, post eius mortem ac resurrectionem in via loquerentur & dicerent: Nos sperabamus, quia ipse esset redempturus Israël: (*Lucæ.24.*) rectè nunc dicitur: *Et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.*) Confabulabantur adhuc de illo, sed iam in illo minimè credebant. Tantummodo ergo labia circa dentes eius remanserant: quia virtutem bonæ operationis amiserant, & sola de illo confabulationis verba retinebant. G Perdiderant morsum correptionis, & habebant motum locutionis. Labia itaque tantummodo circa dentes relicta sunt, quia adhuc quidem confabulari nouerant: sed prædicare iam eum, aut mordere infidelium vitia formidabant. Peractis itaque his quæ in voce capitis dixit, ad propria beatus Iob verba reuertitur, dicens: *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.*) Hoc habere solet proprium mens piorum, quòd cùm iniusta ab aduersariis patitur, non tam ad iram, quàm ad preces mouetur: vt si moderari eorum prauitas placidè valeat, plus deprecari eligant quàm irasci. Vnde rectè nunc dicitur: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.*) Ecce eos à quibus se per contumelias affligi considerat, amicos vocat: quia bonis mentibus etiam ipsa fiunt prospera, quæ videntur aduersa. Nam peruersi quique bonorum dulcedine aut conuertuntur, vt redeant: & eo ipso amici sunt, quo boni fiunt, aut in malitia perseuerant: & in hoc quoque etiam nolentes amici sunt, quia si qua bonorum delicta sunt, H ea suis persecutionibus etiam nescientes purgant. Notandum quoque, quòd eis quæ secretò apud Deum gesta sunt, beati viri in publico verba concordant. A satan quippe percussus fuerat: nec tamen percussionem suam satanæ tribuit, sed tactum se manu Domini appellat, sicut ipse quoque Satan dixerat: Mitte manum tuam, & tange os eius & carnem, si non in faciem benedixerit tibi. Sciebat quippe vir sanctus, quia & per hoc ipsum quod peruersa voluntate contra se Satan egerat, potestatem non à semetipso, sed à Domino habebat. Sequitur:

Quòd superbi rectores ita infirmos affligant, quasi ipsi de infirmitate nihil habeant: & quòd diuina manu afflictis non tam increpatio, quàm consolatio debeatur.

Caput XXIIII.

25 Q*Vare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini?*) Non abhorret à locutione pietatis, quòd à Deo se perhibet persequi. Est nanq; persecutor bonus, sicut de semetipso ore prophetico Dominus dicit: Detrahẽtẽ occultè aduersus proximum suum, hũc persequebar. (*Psalm.100.*) Cùm verò sanctus quisq; flagellari permittitur, scit quòd persecutionem contra commissa vitia

missa vitia ex interna dispensatione patiatur. Crudeles autem A persecutorum mentes cùm potestatem feriendi appetunt, contra bonorum vitam non studio purgationis, sed liuoris facibus accenduntur. Et quidem hoc faciũt, quod Deus omnipotens fieri permittit. Sed dum vna causa cum Deo, etiam per eos agitur: non tamen voluntas vna in eadem causa seruatur: quia cùm omnipotens Deus amando purgationem exhibet, iniustorum prauitas sæuiendo malitiam exercet. Quod ergo dicitur: *Quare persequimini me sicut Deus:*) ad exteriorem hoc percussionem retulit, non ad intimam intentionem: quia etsi hoc agunt exterius, quod Deus agi disposuit, non tamen hoc quod Deus, in sua actione appetunt, vt boni ex afflictione purgentur. Quòd intelligi & aliter potest. Tantò enim omnipotens Deus iustius aliena vitia percutit, quantò in semetipso nihil habet vitiorum. Homines verò cùm per disciplinam alios feriunt, sic alienam infirmitatem debent percutere, vt etiam ad suam nouerint oculos reuocare: vt ex semetipsis considerent, quantum aliis feriendo parcãt, cùm se quoque ipsos dignos percussionibus non ignorant. Itaque nunc B dicitur: *Quare persequimini me sicut Deus?*) Ac si apertè diceretur: Ita me ex infirmitatibus meis affligitis, ac si ipsi more Dei de infirmitate nihil habeatis. Vnde considerandum est, quòd si qui fortasse sint qui asperitate correptionis indigeant: tunc eis dura correptio à nobis admouenda est, cùm Dei manus cessat à verbere. Cùm verò superna flagella insunt, non à nobis iam correptio, sed cõsolatio debetur: ne dum in dolore increpationem iungimus, percussionem percussioni sociemus. Bene autem subditur: *Et carnibus meis saturamini?*) Quorum mens proximorum pœnas esurit, saturari proculdubio alienis carnibus quærit. Sciendum quoque est, quia hi etiam qui alienæ vitæ detractione pascuntur, alienis proculdubio carnibus saturantur. Vnde per Salomonem dicitur: Noli esse in conuiuiis potatorum, neque comedas cum eis qui carnes ad vescendum conferunt. (*Prouer.23.*) Carnes quippe ad vescendum cõferre, est in collocutione derogationis vicissim proximorum vitia dicere. De quorum illic pœna mox subditur: Quia vacantes potibus, & dantes symbolum consumentur, & vestietur C pannis dormitatio. Potibus vacant, qui de opprobrio alienæ vitæ se deebriant. Symbolum verò dare, est, sicut vnusquisque solet pro parte sua cibos ad vescendum, ita in confabulatione detractionis verba conferre. Sed vacantes potibus, & dantes symbolum consumentur: quia sicut scriptum est: Omnis detractor eradicabitur. Vestietur autem pannis dormitatio: quia despectum & inopem à cunctis bonis operibus mors sua inuenit, quem hîc ad alienæ vitæ exquirenda crimina, detractionis suæ languor occupauit. Sed tot dura quæ

26. beatus Iob sustinet, dignum non est vt per silentium transeant, eaque à notitia hominum ignorantiæ obscuritas tegat. Tanti quippe ædificari ad seruandam patientiam valent, quãti implente se superna gratia eius patientię facta cognouerint. Vnde & idem beatus Iob in exemplum vult pertrahi flagella quæ sentit, qui statim subiungit dicens:

Quòd per plumbi laminam, Iudæorum corda accipiantur, in quibus lex D *scripta diuinitus cito deleri potuit. Per silicem verò gentiles, in quibus lex magno labore sculpta perseuerat.*

Caput XXV.

Q*Vis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei? Quis mihi det vt exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice?*) Cuncta quæ beatus Iob pertulit, quia forti patrum sententia edoctus grauis ille Iudęorum populus agnouit, stylo ferreo & plumbi lamina scripta sunt. Quia verò hæc etiam dura gentilium corda cognouerunt, quid ea in silice sculpta videmus? Et notandum, quia in plumbo quod scribitur, ipsa metalli mollitie citius deletur: in silice verò tardius quidẽ valent literæ imprimi, sed difficilius deleri. Non ergo immeritò per plũbi laminã Iudæa exprimitur, quæ præcepta Dei & sine labore percepit, & cum celeritate perdidit. Rectè per silicem gentilitas figuratur, quæ verba sacri eloquij vix custodienda suscipere potuit, sed tamẽ fortiter suscepta seruauit. Per stylũ verò ferreũ, quid aliud quàm fortis Dei sententia designatur? Vnde per Prophetam dicitur: Peccatum Iudæ scriptũ est, stylo ferreo in vngue adamantino in vngue finis est corporis. (*Hier.17.*) Ita vero lapis durus est adamas, vt ferro nõ valeat secari. Per stylum verò ferreum fortis sententia, per vnguem verò adamantinum finis signatur æternus. Peccatum itaque Iudæ stylo ferreo in vngue adamantino scriptum dicitur: quia culpa Iudæorum per fortem Dei sententiam in fine seruatur infinito. Rectè quoque per plumbi laminam eos accipimus quos auaritiæ pondus grauat, quibus per increpantem Prophetam dicitur: Filij hominum vsquequo graui corde? (*Psal.4.*) Per plumbum nanque cuius natura grauis est ponderis, peccatum auaritiæ specialiter designatur: quod mentem quam infecerit, ita grauem reddit, vt ad petẽda sublimia attolli nequaquam possit.

Quid sit quod in Zacharia scriptum est de talento plumbi & massa plumbea missa in os amphoræ, super quam sedebat impietas; & de duabus mulieribus alas habentibus.

Caput XXVI.

HInc enim in Zacharia scriptum est: Leua oculos tuos, & vide, Quid est hoc quod egreditur? & dixi: Quid nam est? Et ait: Hæc est amphora egrediens, & dixit: Hæc est oculus eorum in vniuersa terra. (*Zacha.5.*) Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna sedens in medio amphoræ, & dixit: Hæc est impietas. Et proiecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os eius. Quid de hac visione amphoræ & mulieris & plumbi, vt latius quid cognouisset, ostẽderet: adhuc secutus adiunxit: Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum, & habebant alas quasi alas milui, & leuauerunt amphoram inter terram & cœlum. Et dixi ad angelum qui loquebatur in me: Quò istæ deferunt amphoram? Et dixit ad me: Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar. Quod Prophetæ testimonium inutiliter pro documento plumbi protulimus, si non etiam repetentes exponamus. Ait enim: Leua oculos, & vide. Quid est hoc quod egreditur? Et dixi: Quid nam est? Et ait: Hæc est amphora egrediens. Volens Deus Prophetæ ostendere humanum genus, ex qua ab eo maximè culpa dilabatur, per imaginem amphoræ quasi patens os auaritiæ designauit. Auaritia quippe velut amphora est, quæ os cordis in ambitu apertum tenet. Et dixit: Hæc est oculus eorum in vniuersa terra. Multos obtusi sensus homines cernimus, & tamen eos in malis actibus astutos videmus: Propheta quoque attestante, qui ait: Sapientes sunt vt faciant mala, bene autem facere nesciunt. (*Hier.4.*) Hi itaque sensu torpent, sed in his quæ appetunt, auaritiæ stimulis excitãtur: & qui ad bona videnda cæci sunt, excitantibus pręmiis ad peragenda mala vigilantes fiunt. Vnde rectè de hac eadem auaritia dicitur: Hæc est oculus eorum in vniuersa terra. Ecce talentum plumbi portabatur. Quid est talentum plumbi, nisi ex eadem auaritia pondus peccati? Et ecce mulier vna sedens in medio amphoræ. Quam mulierem ne fortassis quæ esset dubitare possimus, ilico angelus innotuit. Nam illic mox sequitur: Et dixit: Hæc est impietas. Et proiecit eam in medio amphoræ. Impietas in medio amphoræ proiicitur: quia nimirum in auaritia semper impietas tenetur. Et misit massam plumbi in os eius. Massa plumbi in os mulieris mittitur: quia scilicet impietas auaritiæ, peccati sui pondere grauatur. Si enim ad ea quæ deorsum sunt, non ambiret, erga Deum ac proximos impia nequaquam existeret.

28. Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earũ. Quid aliud in his duabus mulieribus accepimus, nisi duo principalia vitia, superbiam videlicet & gloriam inanem? quæ impietati absque vlla dubitatione coniuncta sunt. Quæ & in alis suis spiritum habere narrantur, quia in actionibus suis satanæ voluntati deseruiunt. Ipsum quippe Propheta spiritum appellat: de quo Salomõ ait: Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. Et de quo in Euangelio Dominus dicit: Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida & inaquosa. (*Matth.12.*) Spiritus in alis earũ est: quia superbia & inanis gloria per omne quod agunt, satanæ voluntati famulãtur. Et habebãt alas, quasi alas milui. Miluus semper naturæ studet insidiari pullorũ. Istę ergo mulieres alas habent, quasi alas milui: quia actiones earũ diabolo sunt procul dubio similes, qui insidiatur semper vitæ paruulorum. Et leuauerunt amphorã inter cœlum & terram. Superbia & vana gloria habent hoc proprium: vt eum quem infecerint, in cogitatione sua super cæte-

ros homines extollant: & modò per ambitum rerum, modò per desiderium dignitatum, quem semel captum tenuerint, quasi in honoris altitudinem eleuent. Qui autem inter cœlum & terram est, & ima deserit, & superiora minimè attingit. Leuant ergo istæ mulieres amphoram inter cœlum & terram, quia superbia & inanis gloria mentem per auaritiam honoris captam ita eleuant: vt quoslibet proximos despiciẽtes, quasi ima deserant, & alta gloriantes petant. Sed tales quique dum superbiunt, & eos mente transeunt cum quibus sunt, & superioribus ciuibus minimè iunguntur. Amphora ergo leuata inter terram & cœlum dicitur: quia auari quique per superbiam atque inanem gloriam & proximos iuxta se despiciunt: & superiora quæ vltra ipsos sunt, nullatenus apprehendunt. Inter terram itaque & cœlum feruntur: quia nec æqualitatem fraternitatis in infimis per charitatem tenent, nec tamen summa pertingere sese extollendo præualent. Et dixi ad Angelum qui loquebatur in me: Quo istæ deferunt amphoram? Et dixit ad me: Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar. Eidem amphoræ ædificatur domus in terra Sennaar. Sennaar quippe fœtor eorum dicitur. Et sicut bonus odor ex virtute
2.Corint.2. est, Paulo attestante qui ait: Odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo: ita econtrario fœtor ex vitio. Radix enim est omnium malorum cupiditas. Et quia quodlibet malum per auaritiam gignitur, dignum est vt domus auaritiæ in fœtore construatur. Sciendum quoque est, quòd Sennaar latissima vallis est, in qua turris à superbientibus ædificari cœperat, quæ linguarum facta diuersitate destructa est. Quæ scilicet turris Babylon dicta est, pro ipsa videlicet confusione mentium atque linguarum. Nec immeritò ibi auaritiæ amphora ponitur, vbi Babylon, id est confusio ædificatur: quia dum per auaritiam & impietatem certum est omnia mala exurgere, rectè hæc ipsa auaritia atque impietas in confusione perhibentur habitare. Hæc paucis per excessum diximus, vt peccati pondus exprimi per plumbi laminam monstraremus. Quæ tamen beati Iob verba sanctæ quoque Ecclesiæ congruunt, quæ duo sacri eloquij testamenta custodiens, quasi secundò sermones suos scribi expedit, dicens: *Quis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei? quis mihi det vt exarentur in libro?*) Quæ quia forti sententia, modò per pondus auaritiæ grauibus, modò autem duris cordibus loquitur, stylo ferreo in plumbi lamina, vel celte in silice scribit. Sed iure beatum Iob redemptoris nostri eiusque
29 Ecclesiæ vti vocibus dicimus, si quid de eodem redemptore nostro quod apertè loquitur, inuenimus. Quo etenim pacto credendum est: quia ex eo aliquid per figuram insinuat, si eum nobis apertis vocibus non demonstrat? Sed iam quod de eo sentit aperiat, omnésque nobis ambages cogitationum tollat. Sequitur: *Scio enim quòd redemptor meus viuit.*) Qui enim non ait conditor, sed redemptor: apertè eum denuntiat, qui postquam omnia creauit, vt nos de captiuitate redimeret, inter nos incarnatus apparuit, suaque passione nos à perpetua morte liberauit. Et notandum quanta fide se in virtute eius
2.Corint.13. diuinitatis adstringat, de quo per Paulum dicitur: Quia etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei. Ait nanque: *Scio enim quod redemptor meus viuit.*) Ac si apertis vocibus dicat: Infidelis quisque illum flagellatum, derisum, palmis cæsum, corona spinea coronatum, sputis illitum, crucifixum, mortuum nouerit: ego illum post mortem viuere certa fide credo, libera voce profiteor: quia redemptor meus viuit, qui inter impiorum manus occubuit. Sed quid beate Iob per resurrectionem illius etiam de tuæ carnis resurrectione confidis, aperta quæso voce profitere. Sequitur:

Quòd multi puri homines quales nos sumus, cùm Christo surrexerunt, ne de resurrectione nostra vlla dubitatio haberetur, & quòd resurrectionem nostram etiam in elementis suis mundus imitatur. Caput XXVII.

ET *in nouissimo die de terra surrecturus sum.*) Quia videlicet resurrectionem quam in se ostẽdit, in nobis etiam quandoq; facturus est. Resurrectionẽm quippe quam in se ostendit, nobis promisit: quia sui capitis gloriam sequuntur membra. Redemptor ergo noster suscepit mortem, ne mori timeremus. Ostendit resurrectionem, vt nos resurgere posse confidamus. Vnde & eandem mortem non plusquam triduanam esse voluit, ne si in illo resurrectio differretur, in nobis omnimodo desperaretur. Quod bene de illo per Prophetam dicitur: De torrente in via bibit, propterea exaltabit caput. *Psalm.109.* Quasi enim de quodam flumine nostræ passionis nõ in mansione bibere, sed in via, dignatus est: quia mortem transitoriè, id est ad triduum contigit, atque in ea morte quam contigit, nequaquam sicut nos vsque ad finem seculi remansit.

Quòd virga Leui, quæ floruit reliquis aridis permanentibus, Christus fit: qui primitiæ dormientium surrexit: reliquorum resurrectione in finem mundi dilata. Caput XXVIII.

DVm ergo die tertio resurrexit: quid in eius corpore, id est, Ecclesia sequatur ostendit. Exemplo quippe monstrauit, quod promisit in præmio: vt sicut ipsum resurrexisse fideles agnoscerent, ita in seipsis in fine mundi resurrectionis præmia sperarent. Ecce nos per mortem carnis vsq; ad finem mundi remanemus in puluere: ille autem die tertia ab ariditate mortis viruit, vt diuinitatis suæ nobis potentiam ipsa innouatione suæ carnis ostenderet. Quòd bene per Moysen virgis duodecim in tabernaculo positis demonstratur. Nam *Numer.17.* cùm Aaron sacerdotium, qui de tribu Leui fuerat, despiceretur, nec digna tribus quæ offerret, holocausta crederetur, duodecim virgæ, iuxta duodecim tribus in tabernaculo poni præceptæ sunt: & ecce virga Leui viruit, & quicquid virtutis in munere Aaron haberet, ostẽdit. Quo videlicet signo quid innuitur, nisi quòd omnes qui vsque ad finem mundi iacemus in morte, quasi virgæ reliquæ in ariditate remanemus? Sed cunctis virgis in ariditate remanentibus, virga Leui ad florem rediit: quia corpus Domini, veri scilicet sacerdotis nostri, in mortis ariditate positum, in florem resurrectionis erupit. Quo flore Aaron rectè sacerdos esse cognoscitur: quia hac resurrectionis gloria redemptor noster, qui de tribu Iuda ac Leui ortus est, intercessor pro nobis esse monstratur. Ecce ergo iam virga Aaron post ariditatem floret, sed virgæ duodecim tribuum in ariditate remanent: quia iam quidem corpus Domini post mortem viuit, sed nostra adhuc corpora vsque ad finem mundi à resurrectionis gloria differuntur. Vnde cautè hanc eandem dilationem intulit, dicens: *Et in nouissimo die de terra surrecturus sum.*) Habemus ergo spem re- 30
surrectionis nostræ considerata gloria capitis nostri. Sed ne quis vel cogitatione tacita forsitan dicat, quòd idcirco ille resurrexit à morte: quia vnus idémque Deus & homo mortem quam ex humanitate pertulit, ex diuinitate superauit: nos verò qui puri homines sumus, à mortis surgere damnatione non possumus: rectè in resurrectionis eius tempore, etiam multorum sanctorum corpora resurrexerunt: vt & in se nobis exemplum ostenderet, & de aliorum qui nobis per puram humanitatem similes fuerunt, nos resurrectione roboraret: quatenus cum se homo desperaret percipere quod in se ostẽderat Deus homo, hoc in se fieri posse præsumeret, quod in ipsis factum cognosceret, quos puros fuisse homines non dubitaret. Sunt verò nonnulli qui considerantes quod spiritus à carne soluitur: quòd caro in putredinem vertitur, quòd putredo in puluerem redigitur, quòd puluis ita in elementa soluitur, vt nequaquam ab humanis oculis videatur, resurrectionem fieri posse desperent: & dum arida ossa inspiciunt, hæc vestiri carnibus, rursúmque ad vitam viridescere posse diffidant. Qui si resurrectionis fidem ex obedientia non tenent, certè hanc tenere ex ratione debuerant. Quid enim quotidie, nisi resurrectionem nostram in elementis suis mundus imitatur? Per quotidiana quippe momenta lux ipsa temporalis quasi moritur, dum superuenientibus noctis tenebris, ea quæ aspiciebatur, subtrahitur: & quasi quotidie resurgit, dum lux ablata oculis oppressa iterum nocte reparatur. Per momenta quoque temporum cernimus arbusta viriditatem foliorum amittere, à fructuum prolatione cessare: & ecce subitò quasi ex arescenti ligno velut quadam resurrectione veniente videmus folia erumpere, fructus grandescere, & totam arborem rediuiuo decore vestiri. Indesinenter cernimus parua arborum semina terræ humoribus commendari: ex quibus non longè pòst aspicimus magna arbusta surgere,

folia, pomáque proferre. Cõsideremus ergo paruum cuiuslibet arboris semen quod in terrã iacitur, vt arbor ex illo proillo producatur: & comprehendamus, si possumus, vbi in illa tanta breuitate seminis tam immensa arbor latuit, quæ ex illo processit: vbi lignum, vbi cortex, vbi viriditas foliorum, vbi vbertas fructuum. Nunquid nam in semine tale aliquid videbatur cùm in terram iaceretur? Et tamen occulto rerum omnium opifice cuncta mirabiliter ordinante, & in mollitie seminis latuit asperitas corticis, & in teneritudine illius absconsa est fortitudo roboris, & in siccitate eius vbertas fructificationis. Quid ergo mirum, si tenuissimum puluerem, vel à nostris oculis in elementis redactum, cùm vult, in hominem reformat, qui ex tenuissimis seminibus immensa arbusta redintegrat? Quia ergo rationales sumus conditi, spem resurrectionis nostræ ex ipsa debemus rerum specie & contemplatione colligere. Sed quia in nobis sensus torpuit rationis, accessit in exemplum gratia redemptoris. Venit nanque conditor noster, suscepit mortem, ostendit resurrectionem: vt qui resurrectionis spem ex ratione tenere noluimus, hanc ex eius adiutorio & exemplo teneremus. Dicat igitur beatus Iob: *Scio quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum.*) Et quisquis resurrectionis in se virtutem fieri posse desperat, verba in gentilitate positi viri fidelis erubescat, & penset quanto pœnæ sit pondere feriendus, si adhuc non credit suam, qui iam resurrectionem Domini cognouit factam: si & ille suam credidit, qui adhuc
31. domini Iesu sperabat esse faciendam. Sed ecce resurrectionem audio, effectum tamen eiusdem resurrectionis exquiro. Credo nanque, quia resurrecturus sim, sed volo vt audiam qualis. Sciẽdum quippe mihi est, vtrum in quodam alio subtili fortasse, vel aëreo, an in eo quo moriar corpore resurgã? Sed si in aëreo corpore surrexero, iam ego non ero qui resurgo. Nam quomodo est vera resurrectio, si vera esse non poterit caro? Aperta ergo ratio suggerit: quia si vera caro non fuerit, proculdubio resurrectiõ vera nõ erit. Nec enim rectè resurrectio dici potest, vbi non resurgit quòd cecidit. Sed has nobis beate Iob dubietatis nebulas tolle: quia per acceptam sancti spiritus gratiam, de spe nobis loqui nostræ resurrectionis cœpisti: apertè indica, si caro nostra veraciter resurgat. Sequitur:

Qualiter Eutychius de resurrectione senserit, & quomodo per Gregoriũ præsente Tiberio Augusto conuictus sit & correctus. Caput XXIX.

ET *rursum circundabor pelle mea*) Dum apertè pellis dicitur, omnis dubitatio veræ resurrectionis aufertur: quia sicut Eutychius Cõstantinopolitanæ vrbis episcopus scripsit, corpus nostrum in illa resurrectionis gloria erit impalpabile, vẽtis aëréque subtilius. In illa enim resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritalis potẽtiæ, sed palpabile per veritatem naturæ. Vnde etiam redemptor noster dubitantibus de sua resurrectione discipulis, ostendit manus & latus, palpanda ossa carnémque præbuit, di-
Lucæ 24. cens: Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa nõ habet, sicut me videtis habere. Qui cùm eidem Euticio in Constãtinopolitana vrbe positus, hoc Euangelicæ veritatis testimonium protulissem, ait: Idcirco Dominus hoc fecit, vt dubitationem resurrectionis suæ de discipulorũ cordibus amoueret, Cui inquã: Mira est res valde quam astruis, vt inde nobis dubietas surgat, vnde discipulorum corda à dubietate sanata sunt. Quid enim deterius dici potest, quàm vt hoc nobis de eius vera carne dubiũ fiat, per quod discipuli eius ad fidẽ ab omni sunt dubietate separati? Si enim non hoc habuisse astruitur quod ostendit, vnde fides discipulis eius confirmata est, inde nostra destruitur. Qui adiungebat etiam, dicẽs: Corpus palpapile habuit quod ostẽdit: sed post confirmata corda palpantiũ, omne illud in Domino quod palpari potuit, in subtilitatem est aliquam redactũ. Ad hæc ipse respondi, di-
Roma.6. cens: Scriptum est: Christus resurgens à mortuis, iam nõ moritur, mors illi vltra nõ dominabitur. Si quid ergo in eius corpore post resurrectionem potuit immutari, contra veridicam Pauli sententiam, post resurrectionem Dominus rediit in mortem. Quod quis dicere, vel stultus præsumat, nisi qui
1.Cor.15. veram carnis eius resurrectionem denegat? Tunc mihi obiecit, dicens: Cùm scriptum sit: Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt, qua ratione credendum est resurgere veraciter carnem? Cui inquam: In sacro eloquio aliter caro dicitur iuxta naturam, atque aliter iuxta culpam, vel corruptionem. Caro quippe iuxta naturam, sicut scriptum est: Hoc nũc *Gene.2.* os ex ossibus meis, & caro de carne mea: &, Verbum caro fa- *Ioan.1.* ctum est, & habitauit in nobis. Caro verò iuxta culpam, sicut *Gene.6.* scriptũ est: Non permanebit in hominibus istis spiritus meus, eo quòd sunt caro. Et sicut Psalmista ait: Memoratus est, quia *Psal.77.* caro sunt: spiritus vadens, & non rediens. Vnde & discipulis *Galat.4.* Paulus dicebat: Vos autem in carne non estis, sed in spiritu. Neq; enim in carne nõ erant, quibus epistolas transmittebat, sed quia passiones carnaliũ desideriorũ vicerãt, iam liberi per virtutem spiritus in carne non erant. Quod ergo Paulus apostolus dicit: Quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt: carnẽ vult secundũ culpã intelligi, nõ carnẽ secundũ naturam. Vnde & mox, quia carnem secundũ culpã diceret: ostendit subdens: Neque corruptio incorruptelam possidebit. In illa ergo cœlestis regni gloria caro secundum naturam erit, sed secundum passionum desideria non erit, quia deuicto mortis aculeo, in æterna incorruptione regnabat. Quibus 32.
dictis idem Eutycyius cõsentire se protinus rspondit, sed tamen adhuc corpus palpabile resurgere posse denegebat: Qui etiam in libello quem de resurrectione scripserat: Pauli quo- 1.Cor.15.
que Apostoli testimonium indiderat, dicentis: Tu quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur: & quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum. Hoc nimirum ostendere festinans, quia caro vel impalpabilis, vel ipsa non erit: dum sanctus Apostolus de resurrectionis agens gloria, non corpus quod futurum est seminari dixerit. Sed ad hæc citius respondetur. Nam Paulus apostolus dicens: Non corpus quod futurũ est seminas, sed nudũ granũ: hoc insinuat quod videmus: quia granum cum culmo, & foliis nascitur, quod sine culmo & foliis seminat. Ille itaq; in augmẽto gloriæ resurrectionis nõ dixit grano seminis deesse quod erat, sed adesse quod non erat, iste autẽ dum verum corpus resurgere denegat, nequaquam dicit adesse quod deerat, sed de esse quod erat. Tunc itaque de hac re in longa contentione perducti, grauissima à nobis cœpimus simulatione resilire, cùm piæ memoriæ Tiberius Constantinus imperator secretò me & illum suscipiens: quid inter nos discordiæ versaretur agnouit, & vtriusque partis allegationem pensans, eundem librum quem de resurrectione scripserat: suis quoque allegationibus destruens, deliberauit, vt flammis cremari debuisset. A quo vt egressi sumus, me ægritudo valida, eundem verò Eutychium ęgritudo, & mors protinus est secuta. Quo mortuo, quia penè nullus erat qui eius dicta sequeretur, dissimulaui cœpta persequi, ne in fauillas videret verba iaculari. Dum tamẽ adhuc viueret, & ego validissimis febribus ægrotarem, quicunque noti mei ad eum salutationis gratia pergebant, vt eorum relatione cognoui, ante eorum oculos pellem manus suæ tenebat dicens: Cõfiteor, quia omnes in hac carne resurgemus. Quod, sicut ipsi fatebantur, omnino prius negare cõ-
D sueuerat. Sed nos ista postponentes, in beati Iob sermonibus subtiliter exquiramus, si vera erit resurrectio, verúmq; corpus in resurrectione. Ecce enim iam de spe resurrectionis dubi- 33.
tare non possumus, dum ait: *Et in nouissimo die de terra surrecturus sum.*) Dubietatem quoque de reparatione vera corporis abstulit, qui ait: *Et rursum circundabor pelle mea.*) Qui adhuc ad auferendas ambages nostræ cogitationis subdit: *Et in carne mea videbo Deum.*) Ecce resurrectionem, ecce pellem, ecce carnem apertis fatetur vocibus. Quid ergo remanet vnde possit mens nostra dubitare? si itaque iste vir sanctus ante effectũ resurrectionis dominicæ, reducẽdam carnem in integro statu credidit, qui erit reatus nostræ dubitationis, si vera carnis resurrectio, nec post exemplũ creditur redemptoris? Si enim post resurrectionem corpus palpabile non erit, profectò alius surgit quàm moritur, quod dictu nefas est credere, quia ego morior, & alius resurgat? Vnde quęso te beate Iob subiunge, quæ sentis, & huius nobis quæstionis scrupulum tolle. Sequitur:

Quòd post resurrectionem caro nostra, & eadem futura sit per naturam, & diuersa per gloriam. Caput XXX.

QVem *visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.*) Si enim, sicut quidam errorum sequaces arbitrantur, post resurrectionem corpus palpabile non erit, sed inuisibilis corporis subtilitas caro vocabitur: quanuis substantia carnis non sit, profectò alius est qui moritur, & alius qui resurgit. Sed beatus Iob hanc eis sententiam veridica voce destruit, qui ait: *Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei cõspecturi sunt, & non alius.*) Nos autem beati Iob fidem sequentes, & redemptoris nostri post resurrectionem corpus palpabile veraciter credentes, fatemur carnem nostram post resurrectionem futuram, & eandem & diuersam: eandem per naturã, diuersam per gloriam: eandem per veritatem, diuersámque per potentiam. Erit itaque † spiritalis, quia & incorruptibilis. Erit palpabilis, quia non amittet essentiam veracis naturæ. Sed sanctus vir eandem resurrectionis fiduciam qua spe teneat, quãta certitudine præstoletur, adiungit. Sequitur: *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.*) Nil nos habere certius credimus, quã hoc quod in sinu tenemus. In sinu ergo suo spem repositam tenuit, quia vera certitudine de spe resurrectionis præsumpsit. Sed quia venturum diẽ resurrectionis innotuit, iam nunc seu voce sua, seu typo sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ prauorũ facta redarguit, & iudiciũ quod in resurrectionis die sequitur, prædicit. Nã protinus subdit: Quare ergo nunc dicitis, Persequamur eum, & radicẽ verbi inueniamus contra eum? Fugite ergo à facie gladij, quoniam vltor iniquitatum gladius est, & scitote esse iudicium.) Priori quippe sententia iniquorũ facta reprehẽdit, sequenti autẽ ex diuino iudicio pœnas innotuit. Ait enim: Quare ergo nũc dicitis: Persequamur eum, & radicem verbi inueniamus cõtra eum? Peruersi quilibet quia malo studio bene prolata audiũt, & in lingua iusti accusationis aditum inuenire appetunt, quid aliud quàm contra eum verbi radicẽ quærunt, ex qua videlicet loquendi originẽ sumãt, & ramos prauæ loquacitatis in accusatione dilatent? Sed vir sanctus cùm à prauis talia sustinet, non contra eos, sed magis pro ipsis dolet, & malè cogitata redarguit, ac mala eis quę fugiant ostendit, dicens: *Fugite ergo à facie gladij, quia vltor iniquitatum gladius est, & scitote esse iudicium.*) Omnis qui peruersa agit: eo ipso quo hoc despicit, esse Dei iudiciũ nescit. Si enim hoc timendum sciret, quæ in illo sunt punienda, non ageret. Nam sunt plerique qui extremum esse iudicium verbo tenus sciunt, sed peruersè agendo testantur quia nesciũt. Qui enim hoc non formidat vt debet, necdum cognouit cum quanto turbine terroris adueniat. Si enim pensare pondus tremendi examinis nosset, iræ diem vtique timendo præcaueret. Faciẽ quoque gladij fugere, est animaduersionis districtæ sententiam prius quàm appareat placare. Vitari nanquæ terror iudicis non nisi ante iudicium potest. Modò non cernitur, sed precibus placatur. Cùm verò in illo tremendo examine sederit, & videri potest & placari iam non potest: quia facta prauorum quæ diu sustinuit tacitus, simul omnia reddet iratus. Vnde necesse est nunc timere iudicem, cum necdum iudicium exercet, cùm diu mala sustinet, cùm mala adhuc tolerat quæ videt: ne cùm semel manum in retributione vltionis excusserit, tantò in iudicio districtius feriat, quantò ante iudicium diutius expectat.

E

† *al. subtilis*

F

G

34.

Libri decimiquarti Moralium sancti Gregorij finis.

B. GREGORII MORALVM LIBER DECIMVSQVINTVS, EXPONENS consequenter duo capita textus sancti Iob: incipiendo à capite vicesimo.

REspondens autem Sophar Naamathites, dixit: Idcirco cogitationes meæ variè succedunt sibi, & mens in diuersa rapitur. Doctrinam qua me arguis, audiam: & spiritus intelligentiæ meæ respondebit mihi. Hoc scio à principio ex quo positus est homo super terram, quòd laus impiorum breuis sit: & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Si ascenderit vsque ad cœlum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur: & qui eum viderant, dicent: Vbi est? Velut somnium auolans non inuenietur: trãsiet sicut visio nocturna. Oculus qui eum viderat, non videbit, neque vltrà intuebitur eum locus suus. Filij eius atterentur egestate: & manus illius reddent ei dolorem suum. Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient. Cùm enim dulce fuerit in ore eius malum, abscondet illud sub lingua sua. Parcet illi: & non derelinquet illud, & cælabit in gutture suo. Panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. Diuitias quas deuorauit, euomet: & de ventre illius extrahet eas Deus. Caput aspidum suget, & occidet eum lingua viperę. Non videat riuulos fluminis torrentis, mellis & butyri. Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur. Iuxta multitudinem à diuentionum suarum, sic & sustinebit: quoniam confringens nudauit pauperis domum, rapuit & non ædificauit eam: nec est satiatus vẽter eius. Et cùm habuerit quæ concupierat, possidere non poterit. Non remansit de cibo eius, & propterea nihil permanebit de bonis eius. Cùm satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, & omnis dolor irruet super eum. Vtinam impleatur venter eius, vt emittat in eum iram furoris sui, & pluat super illum bellum suum. Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æreum. Gladius deductus & egrediens de vagina sua, & fulgurans in amaritudine sua. Vadent & venient super eum horribiles, omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis eius. Deuorabit eum ignis qui non succenditur, affligetur relictis in tabernaculo suo. Reuelabunt cœli iniquitatem eius, & terra consurget aduersus eum. Apertum erit germen domus illius, detrahetur in die furoris Dei. Hęc est pars hominis impij à Deo, & hæreditas verborum eius à Domino.

H

Caput I.

QVia amici beati Iob nequaquam peruersi esse potuerunt, Sophar Naamathitis verba testantur, qui de ore eius terrorem venturi iudicij audiens, protinus adiungit: *Idcirco cogitationes meæ variè succedunt sibi, & mens in diuersa rapitur.*) Ac si apertis vocibus dicat: Quia extremi iudicij terrorem considero, idcirco cogitationum tumultibus in timore confundor. Tantò se quippe animus amplius in cogitatione dilatat, quantò illud esse terribile quod imminet pensat. Et in diuersa mens rapitur, quando modò mala quæ egit, modò bona quæ agere neglexit, modò reprehensibilia in quibus est, modò recta quæ sibi adhuc deesse conspicit, sollicito pauore perpendit. Sed amici beati Iob cùm asiduitate vitæ illius edocti bene viuere nouerint, pensare tamen subtiliter Dei iudicia nescientes, mala hîc iustorum quempiam posse recipere non credebant. Vnde & eundem sanctum virum iniquum esse suspicati sunt, quem flagellatum viderunt, atque ex hac suspicione agebatur: vt in eius quoque increpationem dilaberentur: ad quam tamen increpationem quasi sub quadam reuerentia descendunt. Vnde Sophar subiicit, dicens: *Doctrinam qua me arguis, audiam: & spiritus intelligentię*

intelligentiæ meæ respondebit mihi.) Ac si apertè dicat: Tua quidem verba audio, sed an rectè prolata sint, spiritu meæ intelligentiæ discerno. Nam qui dicentis verba despiciunt, doctrinam eius non ad adiutorium, sed ad occasionem certaminis sumunt: vt audita potius iudicent quàm sequantur. His itaque sub quodam moderamine præmissis, in apertam iam beati viri exprobrationem prosilit, cùm subiungit:

Quòd quicquid inter initium & finem clauditur, breue sit: & quòd in articulo mortis hypocritarum gloria euanescat.

Caput II.

HOc scio à principio ex quo positus est homo super terram, quòd laus impiorum breuis sit: & gaudium hypocritæ ad instar puncti.) Liquet nunc quia suæ intelligentiæ spiritu inflatus, eas quas contra impios sententias profert, in beati Iob redargutionibus inflectit. Quem enim prius iusta agere, & postmodum pœnas tolerare conspexit, omne in illo hypocrisim estimat fuisse, quod vidit, quia videlicet à iusto Deo iustum famulum affligi posse non credidit. Sed nos easdem eius sententias quas non rectè rectas protulit, sollicita intentione pensantes exequamur: & contemnentes, quod falsum contra beatum Iob loquitur, intueamur quàm vera dicat, si hæc contra impios loqueretur. Ait itaque: *Hoc scio à principio, ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum breuis sit.*)

Dicturus breuitatem vitæ præsentis, cordis oculum ad exordium reduxit originis: vt ex anteactis colligat, quàm nulla sunt, quæ videntur aliqua esse dum sunt. Si enim ab ipso humani generis exortu vsque ad hoc tempus in quo sumus, mentis oculos ducimus, omne quod finiri potuit, quàm breue fuerit, videmus. Ponamus enim quemlibet hominem à primo die mundi conditum, vsque ad hodiernum diem vitam ducere, hodie tamen eandem vitam quam quasi longam ducere videbatur, finire: ecce finis adest, præterita iam nulla sunt, quia cuncta transierunt. Futurum in hoc mundo nihil est, quia nullum ad vitam, vel breuissimum restat momentum. Vbi est ergo longum tempus quod inter initium finémque deprehensum, ita consumitur, ac si nec breue vnquam fuisset? Impij itaque quia præsentem vitam diligunt, in ea proculdubio elati percipere laudem quærunt. Linguæ fauoribus extolluntur, nec esse boni, sed dici appetunt. Quam videlicet laudem longam esse existimant, dum assequuntur: sed breuem intelligunt fuisse, dum amittunt. In fine quippe eis ostenditur, quàm nihil fuerit quod amauerunt. Vnde rectè contra eosdem impios dicitur: Hoc scio à principio ex quo positus est homo super terram, quòd laus impiorum breuis sit. Vbi aptè subiungitur: *Et gaudium hypocritæ ad instar puncti.*) Sæpe hypocrita dum sanctum se simulat, & iniquum exhibere minimè formidat, ab omnibus honoratur, eísque sanctitatis gloria defertur ab his qui exteriora cernunt, sed interiora perspicere nequeunt. Vnde fit vt gaudeat in prima sessione, hilarescat in primo recubitu, inflectur in prima salutatione, eleuetur in reuerenti voce obsequentium, & superba cogitatione tumeat in famulatu subditorum, sicut vóce quoque veritatis de talibus dicitur: Omnia verò opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias suas. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus rabbi. Sed hoc eorum gaudium æternitati comparatum, quid erit quando irruente mortis articulo, ita consumitur, ac si omnino non fuerit? Cuius nimirum gaudij lętitia pertransiit, & pœna permanet, & cùm res amittitur, causa durat. Bene autem dicitur: *Gaudium hypocritæ ad instar puncti.*) In puncto enim stilus mox, vt ponitur, leuatur, nec mora vlla agitur, vt per exprimendam lineam trahatur. Gaudium ergo hypocritæ ad similitudinem puncti est, quia apparet ad momentum, sed disparet in perpetuum, & sicut stilus in puncto, dum ponitur, leuatur, sic hypocrita præsentis vitæ gaudia dum tangit, amittit. De quo subditur:

2.

Matth. 23.

Quòd huius seculi gloriam electi reputant sicut stercus, & quòd non estimatione humana, sed ex diuino iudicio quisque sit sanctus.

Caput III.

Tomus primus.

SI ascenderit vsque ad cœlum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur.) Superbia hypocritæ vsque ad cœlum ascendere dicitur: quando eius elatio cœlestem agere vitam videtur. Cuius etiam caput quasi nubes tangit, quando principalis pars, videlicet intellectus illius, sanctorum præcedentium coæquari meritis creditur. Sed quasi sterquilinium in fine perdetur, quia in morte sua cùm ad tormenta ducitur, stercoribus vitiorum plenus, à malignis spiritibus conculcatur. Gaudia etenim vitæ præsentis quæ iniusti æstimant magna bona, iusti stercora deputat. Vnde scriptum est: De stercore boum lapidatus est piger. Is ergo qui Deũ sequi noluerit, ab amore æternæ vitæ pigrescit. Et quoties rerũ tẽporalium damno percutitur, ex his nimirum afflig itur, quæ iusti viri velut stercora contemnunt. Qui ergo ex terrenarum rerum percussione atteritur, quid aliud quàm de boum stercore lapidatur? Et rectè hypocrita sterquilinio similis dicitur: quia dum temporalem gloriam habere appetit, modò per cogitationem apud semetipsum tumet, modò eãdem gloriam aliis inuidet: eámque alios veraciter habentes irridet. Quot ergo vitiis plenus est, quasi tot stercoribus in conspectu æterni iudicis illius pectus fœtet. Dicatur igitur: *Si ascenderit vsque ad cœlum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit: quasi sterquilinium in fine perdetur.*) Qui etsi cœlestem vitam se agere simulat, etsi intellectum suum esse similem veris prædicatoribus ostendat, quasi sterquilinium tamen in fine perdetur, quia mens illius pro vitiorum suorum fœtore damnabitur. Sequitur: Et qui eum viderant, dicent: *Vbi est?*) Plerunque hypocritarum vita etiam ab omnibus reproba in fine cognoscitur: vt signis iam apertioribus, qui fuerint ostendantur. Qui ergo hunc elatum viderunt, de extincto dicent: *Vbi est?*) Quia neque hîc vbi elatus fuerat apparet, neque in æternitatis requie, de qua esse putabatur. De cuius breuitate vitæ adhuc aptè subiugitur:

A

5.

Eccle. 22.

B

C

Quòd sanctitas hypocritarum, somniantium similitudinem habeat, in quibus est ostensio phantasmatis, non certitudo virtutis.

Caput IIII.

VElut somnium auolans non inuenietur, transiet sicut visio nocturna.) Quid est vita hypocritæ, nisi quædam visio phantasmatis, quæ hoc ostendit in imagine, quod non habet ex veritate? Vnde rectè quoque somnio comparatur, quia ab eo omnis laus & gloria quasi dum tenetur, amittitur. Sæpe nanque in nocturna visione, nonnulli pauperes, factos se diuites admirãtur, deferri sibi honores aspiciunt, diuitiarum moles, obsequẽtium multitudinem, pulchritudinem vestium, abundãtiam ciborum sibimet adesse considerant, gaudent se euasisse penuriam, quam cum gemitu tolerabant: sed repentè cùm euigilãt, inueniunt quàm falsum fuerit quod gaudebant, eósque euigilasse pœnitet: quia vigilantes inopia vera tenet. Sic hypocritarum mentes dum aliud est quod agunt, atque aliud quod hominibus ostendunt, laudes de ipsa sanctitatis ostentatione recipiunt: in estimatione hominum multis melioribus præferũtur, & cùm intus apud se tacita cogitatione superbiant, foris se humiles demonstrãt. Cúmque ab hominibus immoderatè laudãtur, tales esse se quoque apud Deũ existimãt, quales se gaudent hominibus innotuisse. Vnde fit vt eriã æternæ vitę percepturos se præmia præsumant, & qui hîc de humanis fauoribus exultant, illic se habituros requiem omnino non dubitẽt. Sed inter hæc occulta vocationis hora surrepit: & cùm carnis oculos claudunt, mantis aperiũt, móxque vt supplicia æterna receperint, ibi videt, qua virtutum æstimatione diuites in somnis fuerunt. Bene ergo de hoc hypocrita dicitur: *Transiet velut visio nocturna.*) Quia hoc quod se ad momentum diuitem humanis æstimationibus videt: de ostẽsione est phantasmatis non de soliditate virtutis. Nam cùm mẽs eius in morte carnis euigilat, cognoscit proculdubio, quia fauores circa se hominum dormiens videbat. Sequitur:

D

Quòd locus hypocritæ sit cor adulantium, & quòd vitia adolescentiæ eius, cum eo in puluerem deueniant, cùm vsque ad mortem in iniquitate perseuerant.

Caput V.

OCulus qui eum viderat, non videbit: neque vltrà eum intuebitur locus suus.) Quis est locus hypocritæ, nisi cor adulantiũ? Ibi quippe requiescit, vbi fauores inuenerit. Oculꝰ ergo qui eũ viderat, nõ videbit: quia subtractꝰ morte, stultis amatoribꝰ suis

abſconditur, qui eum conſueuerãt admirãdo cõſpicere. Nec vltrà eum locus ſuus intuebitur, quia linguæ adulantium hũc ad iudicium fauoribus non ſequuntur. Sed tamen quouſque viuit, ea quæ ipſe agit, etiam ſequaces ſuos docere non deſinit, & per erroris ſui prauitatem, alios quoque ad eam quam exhibet, generat ſimulationem. De quibus hîc aptè ſubditur: *Filij eius atterentur egeſtate.*) Scriptum eſt: In maleuolam animam, non introibit ſapientia. Et per Pſalmiſtam dicitur: Diuites eguerunt, & eſurierunt. Si enim de exteriori fame egeſtas eorum, & eſuries diceretur, profectò diuites non eſſent, qui pane corporis indigerent. Sed quia dum exterius multiplicantur, interius inanes fiunt, & diuites pariter & egentes eſſe memorantur; quia videlicet pane ſapientiæ ſatiari minimè merentur. Filij itaque huius hypocritæ atteruntur egeſtate, quia hi qui in hypocriſi ex eius imitatione naſcuntur, dum veritatis ſoliditatem non tenent, in cordis egeſtate deficiunt. *Et manus illius reddent in dolorem ſuum.*) Quid per manus niſi opera deſignantur? Manus itaque illius ei dolorem reddent: quia damnationẽ iuſtã ex iniqua recipiet operatione. Bene autem non dabunt, ſed reddent dicit: quia peruerſæ eius actiones, æternum ei ſupplicium quaſi quoddam debitum ſoluẽt. Sed prius quàm ad æterna ſupplicia perueniat, qualem ſe hîc exhibeat, plenius adiungat. Sequitur: *Oſſa eius implebuntur vitiis adoleſcentiæ eius, & cum eo in puluere dormient.*) Origo prauæ inchoationis, cauſas culpæ etiam præſumendo multiplicat. Dum enim mala agere quiſque cœperit: vſu iam deterius in hoc quod inchoauerat excreſcit. Quid itaque adoleſcentia huius hypocritæ, niſi inchoatio prauitatis eſt? In adoleſcentia quippe iam libido ferueſcere inchoat. Et tunc adoleſcẽtiam hypocrita habet, cùm appetere, & ampleſcti libidinem gloriæ cœperit. Quam in eo dum adulantium blanda fomenta multiplicant, robuſtiorem reddunt, & quaſi in oſſa conuertunt. Hoc enim quod malè cœpit, peius quotidiè per conſuetudinem roborat. Dicatur itaque: *Oſſa eius implebuntur vitiis adoleſcentiæ eius:*) quia duræ in eo prauitatum conſuetudines à vitio ſumptæ, ſunt peſſimæ inchoationis. Vnde ſcriptum eſt in prouerbiis: Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea. Quæ nimirum oſſa cùm eo in puluere dormiẽt, quia eouſque in illo iniquæ conſuetudines perdurant: quò hunc ad mortis puluerem pertrahant. Cum eo enim in puluere oſſa vel vitia dormire, eſt vſque ad puluerem eum non deſerere, id eſt, vſque ad mortem ab iniquitate minimè ceſſare. Tenent igitur illum prauæ conſuetudines quæ ſemel cœperunt, atque quotidie duriores exiſtunt. Et cum illo in puluere dormiunt, quia non niſi cum eius vita finiuntur. Sed hæc intelligi & aliter poſſunt. Habet nanque hypocrita nonnunquam forte ac validum aliquid in operatione, ſed dum multa bona ſe ſimulat habere quæ non habet, perdit etiam ea quæ habet. Vnde bene nunc dicitur: *Oſſa eius implebuntur vitiis adoleſcentiæ eius.*) Quia cùm leuis ac mobilis multa pueriliter facit, etiam in his quæ fortia egerit, in vitio molleſcit. Quæ videlicet eius oſſa cum eo in puluere dormient, quia ſcilicet ſicut puluis, eſt omnis ſimulatio illa quam agit: ita & in illo ſi quid habet validum, omni ſoliditate vacuatur: vt per virtutis arrogantiam hoc quoque perdat, quod in eo potuit eſſe virtutis. Oſſa ergo cum eo in puluere dormire, eſt cum prauis eius actibus etiam ſi qua ſunt bene acta, deperire. Sequitur: *Cùm enim dulce fuerit in ore eius malum, abſcondet illud ſub lingua ſua.*) In ore hypocritæ malum dulce eſt, quia ei eſt iniquitas ſuauis in mente. Os quippe cordis, cogitatio eſt: de qua ſcriptum eſt: Labia doloſa in corde, & corde locuta ſunt mala. Sed hoc malum quod in ore hypocritæ dulce eſt, ſub lingua eius abſconditur, quia aſperitas malitiæ quæ latet in mente, ſub tegmine blandæ locutionis operitur. Malum nanque in lingua, & non ſub lingua eſſet, ſi loquens hypocrita malitiam ſuæ prauitatis aperiret. Sed ſicut plerique iuſtorum, cùm quoſdam agere peruersè conſpiciunt, qui duris ſunt increpationibus feriendi, in lingua aſperitatem ſumunt, ſed ſub lingua mentis ſuæ benignitatem contegunt. Vnde & ſanctæ Eccleſiæ ſponſi voce dicitur: Mel & lac ſub lingua tua. Qui enim mentis ſuæ dulcedinem aperire infirmis nolunt, ſed loquentes quadam eos aſperitate feriunt, & tamen inter verba aſpera quaſi latenter quiddam dulcedinis intermittunt, hi videlicet non in lingua, ſed ſub lingua habent dulcedinem: quia inter dura quæ proferunt, emittunt quædam blanda & dulcia, quibus contriſtati mens poſſit ex benignitate refoueri. Ita peruerſi quique, quia malum non in lingua, ſed ſub lingua habẽt, ſermonibus dulcia prætẽdunt, & cogitationibus peruerſa moliuntur. Hinc eſt enim quòd Ioab Amaſæ mentum dextera tenuit, ſed ſiniſtram ad gladium latenter mittens, eius viſcera effudit. Dextera quippe mentum tenere, eſt quaſi ex benignitate blandiri. Sed ſiniſtram ad gladium mittit, qui latenter ex malitia percutit. Hinc de ipſo quoque eorum capite ſcriptum eſt: Sub lingua eius labor & dolor. Qui enim nõ apertè mala quæ cogitat oſtendit, laborem ac dolorem eorum, quorum mortem appetit, non in lingua exerit, ſed ſub lingua premit. Bene autem de hoc hypocrita ſubditur:

Sapien. 1. *Pſalm. 33.* 4. *Prouer. 22.* 5. *Canti. 4.* *Pſalm. 11.* *2. Reg. 3.* *Pſalm. 9.* 6.

Quòd peccatores abſcondentes peccata ſua, parcant ſibi: & quòd ſcientia legis de qua gloriantur, non viuificet eos: ſed animam tanquam venenum inficiat. *Caput VI.*

Parcet illi, & non derelinquet illud, & celabit in gutture ſuo.) Malo enim quod diligit parcit: quia non hoc in ſemetipſum pœnitendo perſequitur. Vnde & additur: *Non derelinquet illud.*) Si enim vellet relinquere, nequaquam parceret: quia perſequeretur. Sed hoc cælat in gutture, quia ſic ſeruat in cogitatione, vt nunquam proferat in voce. Sequitur: *Panis eius in vtero illius, vertetur in fel aſpidum intrinſecus.*) Quod panis in vtero, hoc eſt ſatietas temporalis delectationis in mente. Satietur ergo nunc hypocrita illata laude, delectetur honoribus, panis eius in vtero illius vertetur in fel aſpidum intrinſecus: quia ſatietas tranſitoriæ delectationis, in retributionis fine ad amaritudinem vertetur, & fel aſpidum, id eſt, malignorum ſpirituum, perſuaſio fuiſſe cognoſcitur: quod hîc laus gloriæ eſſe credebatur. Tunc enim iniqui vident quòd antiqui ſerpentis veneno infecti ſunt, dum flammis vltricibus traditi, cum eodem ſuo perſuaſore cruciantur. Panis itaque iſte aliud in ore ſapit, ſed aliud in vtero: quia tranſitoriæ delectationis lætitia dulcis eſt, cùm hîc quaſi mandendo agitur: ſed amareſcit in vtero: quia peracta lætitia deglutitur ad pœnam. Vel certè quia panis, ſcripturæ ſacræ intelligentia non inconuenienter accipitur, quæ mentem reficit, eſque boni operis vires præbet, & plerunque hypocrita etiam ſacri eloquij erudiri myſteriis ſtudet: non tamen vt ex eiſdem viuat, ſed vt cæteris hominibus quàm ſit doctus appareat, panis eius in vtero illius in fel aſpidum intrinſecus vertetur, quia dum de ſacræ legis ſcientia gloriatur, vitæ potum conuertit ſibi in veneni populum, & inde reprobus moritur, vnde ad vitam erudiri videbatur. Neque hoc autem inconuenienter accipitur, quòd nonnunquam hypocrita, dum doctrinæ verbo ad oſtenſionem ſtudet, diuino iudicio cęcatus, hoc ipſum verbum prauè intelligit, quod malè quærit. Cùm in errorem hæreſeos labitur, contingit ei, vt ſicut de felle aſpidum, ſic infœlix de pane moriatur: & in doctrina ſua mortem inuenit, quia in verbis vitæ vitam minimè quæſiuit. Sæpe verò euenit, vt diuinæ admonitionis eloquia, etiamſi rectè hypocrita intelligat: quia in opere nequaquam ſeruat, hæc etiam prius quàm præſentis vitæ curſum finiat, amittat: vt perdat ſcire, quod ſciendo noluit agere. Vnde & ſubditur:

Pſalm. 49.

Quòd hypocritæ in reprobum ſenſum iuſtè traduntur: & quia contemnunt finem, quæ dicunt, ad vltimum nec dicunt, nec faciunt.

Caput VII.

Diuitias quas deuorauit, euomet: & de ventre illius extrahet eas Deus.) Vult hypocrita ſcire diuina eloquia, nec tamen facere. Vult doctè loqui, nec viuere. Pro eo ergo quòd non agit quę nouit, etiã hoc quod nouit amittit: vt quia ſciẽtię ſuę purã operationẽ nõ ſociat, contẽpta puritate boni operis, & ſcientiam perdit. Diuitias igitur ſacræ legis quas legendo deuorauit, obliuiſcendo euomit, eaſq; de ventre illius Deus extrahit: quia quod obſeruare noluit, iuſto iudicio de eĩ memoria euellit: ne præcepta Dei ſaltẽ in lingua teneat, quę nõ ſeruauit in vita. Vnde per Prophetã dicitur: Peccatori autem dixit Deꝰ, Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamẽtũ meum

meum per os tuum? Quæ etiam verba doctrinæ ſi quando contingat, vt hypocrita vſque ad finem videatur in ore retinere, inde magis damnabitur, vnde bono Dei munere etiam malus minimè priuatur. Scriptum quippe eſt: Memoria retinentibus mandata eius, vt faciant ea. Qui ergo mandata illius memoria retinet, ſed nequaquam facit, hic in doctrinæ verbis ſententias quibus damnetur, tenet.

Pſalm. 102.

Quid ſit quòd Zacharias volumen volans vidit, cuius longitudo viginti cubitorum, & latitudo decem cubitorum erat.

Caput VIII.

Hinc quippe in Zacharia ſcriptum eſt: Quid tu vides Zacharia? Et dixi: Ego video volumen volans, longitudo eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum. Et dixit ad me: Hæc eſt maledictio quæ egredietur ſuper faciem vniuerſæ terræ: quia omnis fur, ſicut ibi ſcriptum eſt, iudicabitur. Quid nanque eſt volumen volans, niſi ſcriptura ſacra? Quæ dum de cœleſtibus loquitur, ad ſuperiora mentis noſtræ leuat intentionem, quia dum illam ſuper nos eſſe aſpicimus, ima attendere, id eſt, concupiſcere deuitamus. Quæ latitudinem decem cubitorum, longitudinem verò viginti habere perhibetur: quia latitudo operationis noſtræ ſimpla eſt, & longanimitas ſpei in duplum tenditur, quoniam pro bono noſtro opere, & hîc nobis mentis requies, & illic gaudia æterna præparantur, veritate atteſtãte, quę ait: Si quis reliquerit domum, aut agros, &c. centuplum in hoc ſeculo recipiet, & in futuro vitam æternam poſſidebit. Centenarius quippe numerꝰ decẽplicato denario fit perfectus. Hîc itaque centuplum recipit, qui etſi nihil habuerit, ipſa tamen perfectione mentis iam in hoc ſeculo habere nihil quærit. Quia ergo per hanc duplum nobis pro ſimplo redditur, rectè hoc volumen per viginti cubitos in longum tenditur, quod per decem dilatatur. Sed quia hæc ipſa ſacra eloquia ad æternã damnationem ſunt eis, qui illa vel ſcire nolunt, vel certè ſciendo contemnunt, rectè de hoc volumine dicitur: Hæc eſt maledictio quæ egredietur ſuper faciem vniuerſæ terræ. Et cur maledictio dicatur adiungit: quia omnis fur, ſicut ibi ſcriptum eſt, iudicabitur. Hypocrita igitur, quia ſecundum verba legis quæ nouit, viuere contemnit, & de doctrina fauores quærit, fur iudicabitur: quia per hoc quòd iuſta loquitur, laudem ſibi vitæ iuſtorum rapit. De quo adhuc bene ſubditur:

Zacha. 5. 7. *Matth. 9.* *Marc. 10.* *Luca 18.* *Zacha. 5.* 8.

Quòd qui ſuggeſtionẽ diaboli, quaſi leniter ab initio ſuadentis libenter accipit, poſtmodum captus veneno tentationis violentæ necatur.

Caput IX.

Caput aſpidum ſuget, & occidet eum lingua viperæ.) Aſpis paruus eſt ſerpens, vipera verò prolixioris eſt corporis: & aſpides oua gignunt, atque ex ouis eorum filij procreantur: viperæ autem cùm conceperint, filij earum in ventre ſæuiunt, qui ruptis lateribus matrum ex earum ventribus procedunt. Vnde & vipera, eo quòd vi pariat, nominatur. Vipera itaque ſic naſcitur vt violenter exeat, & cum matris ſuæ extinctione producatur. Quid ergo per aſpides paruos, niſi latentes ſuggeſtiones immundorum ſpirituum figurantur, qui cordibus hominum partua prius perſuaſione ſurrepunt? Quid verò per linguam viperæ, niſi violenta diaboli tentatio deſignatur? Prius enim leniter ſurrepit: poſtmodum verò etiam violenter trahit. Caput itaque aſpidum ſugit: quia initium ſuggeſtionis occultæ paruum prius in corde naſcitur, ſed occidit eum lingua viperæ: quia poſtmodum capta mens veneno violentæ tentationis necatur. Primum ſubtilibus conſiliis ad cor hominis immundi ſpiritus loquuntur, qui dum leniter perſuadent, quaſi venenum aſpidum fundunt. Vnde ſcriptum eſt: Oua aſpidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt. Qui comederit de ouis eorum, morietur: & quod confotum eſt, erumpet in regulum. Oua quippe aſpidum prauis hominibus rumpere, eſt malignorum ſpirituum conſilia, quæ in eorum cordibus latent, peruerſis operibus aperire. Telas quoque araneæ texere, eſt pro huius mundi concupiſcentia, temporalia quęlibet operari. Quæ dum nulla ſtabilitate ſolidata ſunt, ea procul dubio ventus vitæ mortalis rapit. Bene autẽ additur: Qui comederit de ouis eorum, morietur, quia qui immundorũ ſpiritum conſilia recipit, vitam in ſe animæ occidit. Et quod cõfotum eſt, erumpet in regulum: quia conſilium maligni ſpiritus quod corde tegitur, ad plenam iniquitatem nutritur. Regulus nanque ſerpentum rex dicitur. Quis verò reprobum caput eſt, niſi antichriſtus? Quod ergo confotum fuerit, erũpet in regulum, quia is qui in ſe enutriẽda aſpidis conſilia recipit, membrum iniqui capitis factus, in corpus antichriſti accreſcit. De hoc itaque hypocrita dicitur: Caput aſpidum ſuget, & occidet eum lingua viperæ, quia cùm iniquam ſuggeſtionem antiqui hoſtis libenter ſuſcipit, violentis ſe poſtmodum eius tentationibus deuictus tradit. Vnde & in paradiſo quoq; ſtanti homini verba blandæ perſuaſionis intulit: ſed quem ſemel rapuit ad conſenſum, iam nunc etiam renitẽtem trahit, & corruptionis ſuæ delectationibus deuictum, penè violẽter interficit. Sed fortaſſe hæc ipſa intelligere etiam per contrariam interpretationem valemus. Nam quia veneno ſuo aſpis concitè, vipera autem tardius occidit, per aſpidem violenta & ſubita, per viperam verò lenis & diuturna tentatio deſignatur. Vnde & illi mors in ſuctione capitis, viperæ autem in lingua eſſe perhibetur: quia repentina tentatio ſæpe inopinatã mentem mox vt ſugit interficit, longa verò tentatio: quia prauia diutius perſuadendo ſuggerit, velut ex lingua vipera, occidit. Et quia omnis hypocrita immundorum ſuggeſtione ſpirituum, quaſi ſerpentum veneno, † penetratus, quæ ſunt ſuperna ſancti ſpiritus dona, nequaquam conſiderat, dum intentionem cordis in exterioribus fauoribus diuulgat, rectè ſubiungitur:

Fſa. 59. 9. † *vel penetratus.*

Quòd per mel dulcedo diuinitatis, per butyrum dulcedo miſericordiæ, quã Chriſtus Deus & homo nobis oſtendit, non incongruè accipiatur.

Caput X.

Non videat riuulos fluminis torrentis mellis & butyri.) In Euãgelio Dominus dicit: Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Vbi Euangeliſta ſubiungit, dicens: Hoc autem dixit de ſpiritu quem accepturi erant, credentes in eum. Riuuli ergo ſunt fluminis, dona ſpiritus ſancti. Riuulus eſt fluminis charitas, riuulus eſt fluminis fides, riuulus eſt fluminis ſpes. Sed quoniam omnis hypocrita, nec Deum, nec proximum diligit, cùm tranſitoriam mũdi gloriam quærit, riuulos fluminis nõ videt, quia irrigatione non infunditur charitatis. Hypocrita dũ præſentia lucra quærit, munera futura deſpicit, & fidem non habens, riuulum fluminis mente non videt, quia eſt fides, rerum argumentum nõ apparentium. Et dum retinet hypocrita quæ videntur, ſpem negligit eorum quæ non videntur. Riuulũ ergo fluminis per deſiderũ non videt: quia ſolis viſibilibus intendit. Et ſcriptũ eſt: Quod enim videt quis, quid ſperat? Riuulos ergo fluminis vidiſſet, ſi à præſentis mundi gloria oculos clauderet, eóſque ad cœleſtis patriæ amorem aperiret. Et notandum quòd non riuos, ſed riuulos dicit. Accipi enim riuuli fluminis poſſunt ea dona ſpiritualia, quæ in amantis mentem ita de cœleſtibus ſubtiliter currunt, vt per os carnis expleri non poſſint. Sæpe nanque amantis animus tanto contemplationis munere repletur, vt videre valeat, quod loqui non valet. Fluminis autem torrens, eſt ipſa inundatio ſpiritus ſancti, quæ in contemplantis animum exuberanti infuſione colligitur, cùm mens pluſquam intelligere ſufficit, repletur. Et ſciendum quia cùm nos ſpiritus ſancti gratia infundit, melle nos pariter & butyro replet. Mel enim deſuper cadit, butyrum verò ex animaliũ lacte colligitur. Mel itaque ex aëre, butyrum verò ex carne eſt. Summi autẽ patris vnigenitus, cùm ſit Deus ſuper omnia, homo eſt factus inter omnia. Qui cùm nos dulcedine diuinitatis ſuæ, & myſterio incarnationis repleuit, melle nos pariter & butyro ſatiauit. Quia ergo ſpiritus Chriſti mentem quam repleuerit, & diuinitatis eius dulcedine, & incarnationis fide lętificat: iſti riuuli torrẽtis fluminis mellis ſimul & butyri eſſe memorantur, quia & de coghitione Dei alta mentem ſuauitate reficiunt, & de incarnationis gratia chariſmatis hanc myſterio perungunt. Sed iſte hypocrita quia in exterioribus fauoribus fuſus, hæc interna dona non percipit, ad quæ poſt ſupplicia tendat, adiungit, cùm ſubditur:

Ioan. 7. *Rom. 8.* 9.

Quòd peccatores in morte ideo non conſumuntur, vt ſemper ſuperſit in eis quod conſumatur.

Caput XI.

LVet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur.) Persoluit enim in tormento ea quæ hîc illicita seruauit desideria, & flammis vltricibus traditus, semper moritur, quia semper in morte seruatur. Non enim in morte consumitur: quia si consumetur vita morientis, cum vita etiam pœna finiretur. Sed vt sine fine crucietur, viuere sine fine in pœna compellitur, vt cuius vita hîc mortua fuit in culpa, illic eius mors viuat in pœna. Dicat ergo: *Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur*:) quia cruciatur, & non extinguitur: moritur, & viuit: deficit, & subsistit: finitur semper, & sine fine est. Hæc solo auditu valde sunt terribilia, quanto magis passione? Sed quia multitudo iniquitatis eius exigit, vt carere suppliciis nũquam possit, aptè subiungitur: *Iuxta multitudinem adinuentionum suarum, sic & sustinebit.*) Qui enim multa inuenit ad culpam, nouis inuentionibus cruciatur in pœna. Nam quod hîc suspicari non potuit, hoc illic vltioni traditus sentit. Sicut enim exercitati in bonis operibus electi nonnunquam plus student agere, quàm eis dignatus est Dominus iubere: carnis enim virginitas nequaquam iussa est, sed tantummodo laudata: nam si illa iuberetur, nimirum coniugium iam culpa crederetur: & tamen multi virtute virginitatis pollent, vt videlicet plus impendant obsequio, quàm acceperunt præcepto: sic plerunque peruersi quique in prauis actibus exercentur, vt plus inueniant in peruersa operatione quod faciant, quàm ex vsu reproborum iniquitatis accipere exempla potuerunt. Vnde & amplioris retributionis tormento feriuntur, quia & ipsi ex semetipsis amplius actiones prauas, de quibus feriri debeant, inuenerunt. Bene itaque dicitur:

Quòd licèt omnium damnatorum immania sint tormenta, grauius tamen puniuntur adinuentores malorum, qui studio malignitatis ea flagitia ex se excogitauerunt, quorum exempla in aliis reprobis inuenerunt. Caput XII.

10. *IVxta multitudinem adinuentionum suarum, sic & sustinebit.*) Non enim inueniret iniquitatem nouam, nisi & quæreret: & nõ quæreret, nisi ex studio perpetrare festinaret. Pensatur ergo in tormento eius nimietas malæ cogitationis: & dolorem recipit dignæ retributionis. Et quanuis damnatorum omnium sit dolor infinitus, grauiora tamen tormenta recipiunt, qui multa in iniquitatibus, ex suis quoque desideriis inuenerunt. Sed quia Sophar huius hypocritæ intulit pœnam, protinus adiungit culpam, nec vnam quamlibet narrat, sed eam de
1.*Tim.*6. qua omnes oriunt. Scriptum quippe est: Radix omnium ma-
† *al.Cum.* lorum est cupiditas. † Cui ergo cupiditas daminari dicitur, subiectus proculdubio malis omnibus demonstratur. Nam subiungit: *Quoniam confringens nudauit pauperis domum, rapuit & non ædificauit eam, nec est satiatus venter eius.*) Domum pauperis confringit & nudat, qui eum quem per potentiam conterit, spoliare quoque per auaritiam non erubescit. Rapit eam, & non ædificat. Ac si apertè diceretur: Qui hanc ædificare debuit, insuper rapit. Vẽturus nãque in iudicio Domin⁹ dictu-
*Matth.*25. rus est reprobis: Esuriui, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me, & cætera. Ex qua culpa subiungitur: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Si igitur tanta pœna mulctatur, qui non dedisse sua conuincitur, qua pœna feriendus est, qui redarguitur aliena abstulisse? Rapuit ergo & non ædificauit eam, quia non solùm de suo nil tribuit, sed etiam quod erat alienum, tulit. Bene autem subditur: *Nec est satiatus venter eius.*) Venter quippe iniqui auaritia est, quia in ipso colligitur, quicquid peruerso desiderio glutitur. Liquet verò quia auaritia desideratis rebus non extinguitur, sed augetur.
† *al.excrescit.* Nam more ignis cùm ligna quæ consumat acceperit, † accrescit: & vnde videtur ad momentum flamma comprimi, inde paulò pòst cernitur dilatari. Et sæpe omnipotens Deus cùm auaræ menti vehementer irascitur: prius ei permittit ad votum cuncta suppetere, & postea per vltionem subtrahit, vt pro eis debeat supplicia æterna tolerare. Vnde & subditur: Et cùm habuerit quæ concupierat, possidere non poterit. Maioris quippe iracundiæ est, cùm hoc tribuitur quod malè desideratur, atque inde repentina vltio sequitur: quia hoc quoque obtinuit, quod Deo irascente concupiuit. Vnde & per Psalmistam dicitur, cùm escam carnis malè populus desi- *Psalm.*77.
derasse perhibetur: Adhuc esca eorũ erat in ore ipsorum, & i- *Nume.*11.
ra Dei ascendit super eos, & occidit plurimos eorum. Solent nanque tardius apparere diuina iudicia, cùm præpediuntur, ne impleri debeãt mala vota. Nõ quãtò citius malũ votũ impleri permittitur, plerunque tantò celerius punitur. Vnde ergo hypocrita festinè multiplicatur vt potens sit, inde agitur cum celeritate ne sit: quia & arbusta quæ tardius crescunt, annosa perdurant: & quæ in temporis breuitate proficiunt, celerius arescunt: & quasi cùm festinant esse, tendunt ad non esse. Sequitur: *Remansit de cibo eius.*) Cibus eius, est omne 11.
hoc quod peruerso desiderio concupiuit. Sed percusso hypocrita, de cibo suo nil remanet, quia cùm ipse ad æterna supplicia ducitur à cunctis bonis quæ hîc possederat, alienatur. Vnde adhuc subditur: *Propterea nihil permanebit de bonis eius.*) Si enim de bonis suis ei aliquid permaneret, secum quæ habuerat, tolleret. Sed quia omnia ambiens, timere iudicem noluit, ex hac vita subtractus, ad iudicem nudus vadit. Cui tamen iniquo ad retributionem minus est, quòd in subsequenti pœna cruciatur, si in hac saltem vita liber esse permittitur. Sed nulla est libertas in culpa, quia scriptum est: Vbi spiritus Domini, ibi libertas. Et plerunque peruersæ men- 2.*Cor.*3.
ti, ipsa sua culpa fit pœna. Vnde & rectè subiungitur:

Quòd auaritia ex copia non extinguitur, sed augetur: & quòd ea quæ auaris Deus ad tempus habere permittit, postmodum subtrahit, vt iam hæc vltio incipiat à viuis, quæ perficietur in mortuis. Caput XIII.

CVm satiatus fuerit, arctabitur.) Prius quippe anhelat peruariti am concupita congregare. Et cùm quasi in quodã ventre auaritiæ multa cõgesserit, satiatus arctatur: quia dum anxiatur qualiter acquisita custodiat, ipsa eum sua satietas angustat. Diuitis enim cuiusdam vberes fructus ager attule- *Lucæ*12.
rat, sed quia vbi eos tãtos reponeret non habebat, dixit: Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos? Et dixit: Hæc faciam. Destruam horrea mea, & maiora ædificabo. Qui ergo ex abundantia coangustatus dicebat: Quid faciã, quasi multo cibo pressus æstuabat. Pensemus quot votis appetiit, vt vberes fructus ager illius afferret. Ecce autem vota completa sunt, quia fructus vberes ager attulerat. Sed quia ad recondendum loca non sufficiunt, multiplicatus diues quid faciat ignorat. O angustia ex satietate nata. De vbertate agri, angustatur animus auari. Dicens nanque, Quid faciam, profectò indicat, quia votorum suorum affectibus pressus, sub quodã rerum fasce laborabat. Bene ergo dicitur: *Cùm satiatus fuerit, arctabitur*:) quia mens auari quæ prius ex abundãtia requiem quæsierat, pòst ad custodiam grauius laborabat. Vnde hîc quoque adhuc subditur: *Æstuabit, & omnis dolor irruet in eum.*) Prius nãque dolorem habuit in ipsa suæ cõcupiscentiæ fatigatione, qualiter concupita raperet, quomodo alia blandimentis, alia terroribus auferret: at postquam acquisitis rebus peruenit ad desiderium, alius hunc dolor fatigat, vt cũ sollicito timore custodiat, quod cum graui labore meminit acquisitum. Hinc inde insidiatores metuit, atque se hoc perpeti quod ipse fecit aliis, pertimescit. Formidat † potentiorẽ † *al. potio-*
alterum, ne hunc sustineat violentum: pauperem verò cùm *rem. vel. pa-*
conspicit, suspicatur furem. Ipsa quoque quæ congesta sunt, *uore.*
curat magnopere ne ex naturæ propriæ defectu per negligẽtiam consumantur. In his itaque omnibus, quia timor ipse pœna est, tanta infelix patitur, quanta pati timet. Post hoc quoque ad gehennam ducitur, & æternis cruciatibus manci- *Omnis do-*
patur. Omnis ergo dolor super eum irruit, quem & hîc prius *lor super a-*
pœna concupiscentiæ, postmodum verò cura custodie, & il- *narum ir-*
lic quandoque pœna vltionis cremat. Mira autem est secu- *ruit.*
ritas cordis, aliena non quærere: sed vniuscuiusque diei victu 12.
contentum manere. Ex qua videlicet securitate etiam perennis requies nascitur, quia à bona & tranquilla cogitatione ad gaudia æterna transitur. Quo contrà reprobi, & hîc fatigantur in desideriis, & illic in tormentis, eisque de labore cogitationis, labor doloris nascitur, dum ab æstu auaritiæ trahuntur ad ignem gehennæ. Et quia, vt suprà iam diximus, sæpe peruersus quisque quantò citius peruenit ad desiderium, tantò facilius rapitur ad tormentum, optando subiungitur:

subiungitur: *Vtinam implebitur venter eius, vt emittat in eum iram furoris sui, & pluat super illum bellum suum.*) Super hunc hypocritam bellum suum Dominus pluit, cùm iudiciorum suorum
Bellum Deo gladiis eius opera percutit. Bellum nanque Deo pluere, est
pluere. iniqui vitam districtis sententiis desuper ad interitum vrgere. Bellum Deo pluere, est superbientia contra se corda percutere, & mentem aridam quasi quibusdam guttis pluuiæ densescentibus, iudiciorum suorum iaculis ferire: vt cùm iam ad iudicium rapitur, modo meminerit, quia malè concupiuit, & concupita peius congregare studuit, modo doleat, quòd congregata deserit, quãdoque autem & vltionis ignem sentiat, quem ne bene viueret, præuidere cõtempsit. Sequitur: *Quòd qui præsentes necessitates, quæ sunt quasi arma ferrea metuentes, multa per auaritiam rapiunt, arcum æneum diuinæ vltionis incurrunt.* Caput XIIII.

FVgit arma ferrea, & irruet in arcum æreum) Sciendum quòd auaritia aliquando per elationem surrepit, aliquando verò per timorem. Sunt nanque nonnulli qui dum potiores videri appetunt, ad alienarum rerum ambitum succenduntur. Et sunt nonnulli qui dum sibi subsidiorum necessaria deesse timent, mentem ad auaritiam relaxant, & aliena ambiunt, cũ sua sibi sufficere non posse suspicantur. Omnis verò necessitas non incongruè ferrum vocatur, quia vitam inopis mœroris vulnere cruciat, sicut de eius quoque necessitatibus scriptum est, qui à fratribus venditus afflictam vitam ducebat: Ferrum petransiuit animam eius. Quid ergo sunt arma ferrea, nisi necessitates vitæ præsentis, quæ duræ premunt, & *Psalm.*104.
vitam inopis insequuntur? Ferrum quippe ærugo consumit, æs autem consumere difficilius solet. Ferro ergo necessitas præsens quæ transitoria est: ære autem sententia æterna figuratur. Et quia iudicium supernum ab iniqui mente non attenditur, iustè arcui comparatur, quoniam velut ex insidiis percutit, dum illud is qui percutitur, non attendit. Fugiet ergo arma ferrea, & irruet in arcum æreum, quia dum præsentes necessitates metuens, multa per auaritiã rapit, extremi iudicij
Iniquus fu- districtis se percussionibus anteponit. Et cùm fugit arma
giens arma, ferrea, ab arcus ærei sagittis inuenitur: quia mala temporalia
irruit in ar- stultè præcauens, sententia æterna percutitur. Qui enim hîc
cum. inopiæ duritiam cum culpa fugit: illic perpetuitatem iustæ vltionis inuenit. Sed priusquam ad iudicium rapiatur, adhuc quæ iniquus iste hîc operetur, insinuat. Sequitur:

Quòd qui diabolo tentanti consentit, de vagina cogitatinis educitur per suggestorem, & vltro egreditur per liberam voluntatem. Caput XV.

EDuctus & egrediens de vagina sua, & fulgurans in amaritudine sua.) Iniquus iste, insidiatur deprædationibus proximorum, sed dum praua in cogitatione machinatur, quasi adhuc gladius in vagina est: dum verò malũ quod cogitauit, iniquè perficit, de vagina sua egreditur: quia de occultatione cogitationis suæ per iniquitatem malæ operationis aperitur. Ostenditur in opere, qualis latuit in cogitatione. Et notandum quòd ait: Eductus & egrediens de vagina sua: eductus scilicet per seductorem, egrediẽs verò per propriam voluntatem. Nam is qui ducitur, ducentem proculdubio sequitur: qui autem egreditur, secundum suam pergere voluntatem videtur. Qui ergo ad mala quæque opera, & ab antiquo hoste tragitur, & tamen suo libero arbitrio in eorum desideriis obligatur, de vagina sua eductus, & egrediens dicitur, quoniã hoc quòd ex praua cogitatione exit ad pessimam operationem, & illius est spiritus qui suggessit, & eius nequitiæ qui ex propria voluntate consensit. Cuius adhuc potentiæ terror ostenditur, cùm protinus subinfertur: *Et fulgurans in amaritudine sua.*) Fulgur quippe cùm repentè desuper venit, cũ terrore ante oculos clarescit, claritatẽ ostendit, & anteposita percutit. Sic hic videlicet iniquus cùm gloriam vitę presentis assumpserit, vnde in hoc mundo per potentiam clarus ostenditur, inde agitur, vt in vltimo feriatur. Quasi fulgurare iniqui est in huius vitæ honore clarescere. Sed quia splendor gloriæ illius æternis gehennæ suppliciis mancipatur, rectè nunc dicitur: *Fulgurans in amaritudine sua.*) Qui enim modò quasi ex terrore, & claritate feriens gaudet, inde pòst supplicia in perpetuũ sustinet. Et quidem de quodam diuite scri- *Lucæ*16.
ptum est: quia epulabatur quotidie spendidè. Sed aliud est

splendere, atque aliud fulgurare. Nonnunquam quippe splendor sine percussione est, fulguris verò nomine splendor exprimitur cum percussione. Qui itaque in potestate positus a- *Aliud est splendere, aliud fulgurare.*
liis nocet, non incongruè fulgurans dicitur: quia vnde ipse contra bonos quasi ex luce gloriæ extollitur, inde bonorum vita cruciatur. Sequitur:

Quòd horribiles diaboli dicuntur, qui vadunt & veniunt, dum vitia vitiis occurrentia, adinuicem sibi in corde captiuo succedunt. Caput XVI.

VAdent & venient super eum horribiles.) Qui hoc loco horribiles, nisi maligni spiritus appellãtur, bonis videlicet mẽ- *Horribiles maligni spiritus.*
titibus pauendi atque fugiendi? Et quia iidem maligni spiritus certis quibusque vitiis singuli obsequi sunt credẽdi: cùm peruersus iste alia quidem vitia ad momentum deserere videtur, sed alia agere incipit, super hunc profectò horribiles vadunt & veniunt: quia peruersi mentem, etsi alia mala deserunt, alia occupant. Sæpe nanque videas iniquum in terrena potestate constitutũ, graui furore commoueri, quicquid ita suggesserit exequi: & cùm furor abscesserit, mox eius mẽtem luxuria deuastat: cùm luxuria ad tempus intermittitur, elatio protinus quasi de continentia in eius cogitatione subrogatur, atque vt à cæteris timeatur, appetit videri terribilis. Sed cùm res exigit, vt lõqui quid † humiliter debeat, quasi postposito terrore su- † *al. duplicciter.*
perbiæ, remissa locutione blanditur, & cùm superbus videri desierit, duplex effici non pertimescit. In cuius ergo mentem vitia vitiis succedunt, rectè de eo dicitur: Vadent & venient super eum horribiles: quia quot vitiis decedentibus & succedentibus premitur, tot malignis spiritibus eius animus quasi euntibus ac redeuntibus deuastatur. Sed hæc quæ agit, extrinsecus per partes prodeunt: nam menti eius simul omnia mala colligantur. Vnde & subditur: *Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis eius.*) Quãuis enim hypocrita actiones bonas in superficie ostendat, quædam tamẽ in eo malorum operum tenebræ apparent, sed tamen minus prodit in opere, quàm in eius latet cogitatione. Nam qui cuncta simul in effectu non explet, cuncta quæ noceant, in mente tacitus tenet. Omnes ergo tenebræ in occultis eius absconditæ dicuntur, quia etsi in se mala omnia non ostendit, omnia tamen inferre proximis appetit.

Quòd ab ipsa mundi origine ignis gehennæ creatus est, in quo qui in carne, & anima peccauerunt, in vtroque ardebunt. Caput XVII.

SEd mens ista sic reproba qua vltione sit ferienda, subiun- 14.
git. Sequitur: *Deuorabit eum ignis qui non succendetur.*) Miro valde modo paucis verbis expressus est ignis gehennæ. Ignis nanque corporeus, vt esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis. Qui cùm necesse est vt seruetur, per congesta ligna proculdubio nutriturnec valet nisi successus esse, & nisi refotus subsistere. At contrà gehennæ ignis cùm sit incorporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succẽditur, nec lignis nutritur: sed creatus semel durat inextinguibilis, & succensione non indiget, & ardore nõ caret. Bene ergo de hoc iniquo dicitur: Deuorabit eum ignis, qui nõ succedetur: quia omnipotẽtis iustitia futurorũ præscia, ab ipsa mundi origine gehennę ignem creauit, qui in pœna reproborum esse semel ineiperet: sed ardorem suum etiam sine lignis nunquam finiret. Sciendum verò est quòd omnes reprobi, quia ex anima simul & carne peccauerunt, illic in anima pariter, & carne cruciantur. Vnde per Psalmistam dicitur: Pones *Psal.*20.
eos vt clibanum ignis, in tempore vultus tui: Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis. Clibanus nanque intrinsecus ardet, is verò qui ab igne deuoratur, ab exteriori incipit parte concremari. Vt ergo sacra eloquia, ardere & exterius, & interius reprobos demonstrarent, eos & ab igne deuorari, & sicut clibanum poni testãtur, vt per ignem crucientur in corpore, & per dolorem ardeant in mente. Vnde hîc quoque cùm de hoc impio diceretur: Deuorabit eũ ignis qui non succendetur: protinus de eius spiritu additur:

Quòd amatores huius vitæ, & hîc de corpore nolentes educuntur, & in inferno in corpore tenentur inuiti. Caput XVIII.

AFfligetur relictus in tabernaculo suo.) Iniqui enim tabernaculum carò est, quia ipsam lætus inhabitat, & si sit possibã-

le, optat vt eam nunquam relinquat. Iusti verò quia gaudium E
suum in spe cœlestium ponunt, eorúmque cõuersatio in cœlis est, cùm adhuc in carne sunt, quasi in carne iam non sunt: quia nulla carnis delectatione pascuntur. Vnde & quibusdã dicitur: Vos autem non estis in carne, sed in spiritu. Neque enim in carne non erant, qui per magistri epistolas exhortationis eloquia suscipiebant: sed quasi iam non in carne esse, est de amore carnalium nihil habere. At contrà iniquus iste, quia omne gaudium suum in carnali vita posuit, in tabernaculo carnis habitauit. Quam videlicet carnem cùm in resurrectione receperit, cum ea gehennæ igni traditus ardebit. Tunc ab ea educi appetit: tunc eius tormenta euadere, si valeat, quærit: tunc incipit velle vitare quod amauit. Sed quia eandem carnem Deo præposuit, iudicãte Deo agitur, vt ex ea amplius in igne crucietur. Hîc itaque eam relinquere non vult, & tamen ab ea abstrahitur: illic eam relinquere appetit, & tamen in ea propter supplicia seruatur. Ad augmentum itaque tormenti, & hîc de corpore nolens educitur, & illic in corpore tenetur inuitus. Quia ergo eius spiritus carnem quã F
sibi malè amando præposuit, euadere in tormento volet & non valet: rectè nunc dicitur: *Affligetur relictus in tabernaculo suo.*) De cuius accusatione mox dicitur:

Quòd hypocritarum mala quæ modò videntur abscondita, & angelis, & hominibus in fine patebunt.
Caput XIX.

15. R*Euelabunt cœli iniquitatem eius, & terra cõsurget aduersus eum.*) Quid per cœlos, nisi iustos: & quid per terram, nisi peccatores accipimus? Vnde & in dominica oratione petimus: Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra: vt videlicet
Matth. 6. voluntas nostri conditoris sicut in omnibus iustis perficitur,
Lucæ 11. ita & in omnibus quoque peccatoribus impleatur. De iustis
Psalm. 18. quoque scriptum est: Cœli enarrãt gloriam Dei. Et peccanti homini sententia infertur, quia dicitur: Terra es, & in terram
Gene. 3. ibis. Huius itaque impij ad illud terribile iudicium deducti, reuelant cœli iniquitatem, & terra consurgit aduersus eum, G
vt qui hîc nec bonis vnquam, nec malis pepercit, in illo eum tremendo examine, & iustorum vita, & peccatorum pariter accuset. Et grauius quidem est, si quid iustis potius quàm
Ezech. 24. peccatoribus noceat. Vnde & per Prophetã dicitur: Sanguis eius in medio eius est, super limpidissimã petram effudit illum, nõ effudit illum super terram, vt possit operiri puluere. Per terram videlicet, & puluerem peccatores, per petram verò limpidissimam iustum signans, qui grauibus, peccatorũ contagiis non exasperatur. Sanguis ergo super limpidissimã petram effunditur, quando malitia cruentę mẽtis in afflictione iustæ animæ grassatur. Cùm ergo sit grauius iustos, quàm iniustè iniustos affligere, multò tamen est grauius, & iustis pariter, & iniustis nocere. Quia ergo hic iniquus, & iustis pariter nocuit & iniustis, in accusatione condẽnationis reuelabunt cœli iniquitatẽ eius, & terra cõsurget aduersus eũ, quia & illis obstitit, qui cœlestia, & eos presit, qui ima sapuerunt. Possunt verò per terram non solùm peccatores & reprobi, sed & hi qui terrenis actibus occupati, eleemosynarũ & lachrymarum ope ad æternam vitam perueniunt, designari: de quibus per Psalmistã dicitur, cùm venire Dominus ad
Psalm. 49. iudicium nuntiaretur: Aduocauit cœlos sursum & terrã, vt discerneret populum suum. Cœlos quippe sursum aduocat, cùm hi qui sua omnia relinquentes, cõuersationẽ cœlestis vitæ tenuerunt, ad cõsedendũ in iudicio vocantur, atque cũ eo iudices veniunt. Terra etiam sursum vocatur, cùm hi qui ter-
Matth. 25. renis actibus obligati fuerant, in eis tamen plus cœlestia quã terrena lucra quæsierunt, quibus dicitur: Hospes eram, & collegistis me: nudus, & operuistis me. Hypocritæ itaque huius, cœli iniquitatem reuelant, atque aduersus eum terra consurgit: dum & hi qui cum Deo iudices veniunt, & hi qui per iudicium liberantur, prauitatis illius testes existunt. Nihil ergo de his quæ egit, in tempore damnationis eius absconditur, & si quidem acta illius modo hominibus per duplicitatem multa celantur: sed in damnationis die quicquid in eo intrinse-
16. cus latebat, ostenditur. Vnde aptè subiungitur: *Apertum erit germen domus illius, detrahetur in die furoris Dei.*) Tunc germen domus illius aperitur, cùm omne malum quod in conscientia illius nascebatur, ostenditur. Modò quippe germen domus hypocritæ manet occultum, quia etsi bona in imagine apparet eius operatio, sed latet intentio. Aliud est nanque quod agit, aliud quod intendit. Sed cùm adueniente iudice, vniuscuiusque conscientia ad testimonium fuerit deducta. Vnde scriptum est: Cogitationibus accusanti- *Roma. 2.*
bus, aut etiam defendentibus: in hoc hypocritæ germen domus aperitur: quia in eius mente cogitatio peruersa detegitur. Et in die furoris Dei detrahitur: quia ostensa ira iudicis, flammis vltricibus traditus, ab eius conspectu separatur. Qui enim summa cogitare dum viueret noluit, peccatorum suorum pondere depressus, à facie iudicis in ima suppliciorum cadet. Nunc autem & peccantem considerat iudex & tolerat, atque ad conuersionem singulos, quia dies patientiæ, & necdum est dies furoris, expectat. Sed in hoc die patientiæ quasi immobilis manet hypocrita, dum & multa mala perpetrat, & hunc flagella nulla castigant. Sed in furoris die detrahetur, quia vindictæ tempore captus ad supplicia, ab interni iudicis vultu separatur. Sequitur:

Quòd sancti partem suam non à Domino, sed ipsum Dominum accipiunt, peccatores verò quia extra Deum partem quærunt, partem suam igni inueniunt.
Caput XX.

H*Aec est pars hominis impij à Deo: & hæreditas verborum eius à Domino.*) Si enim bene agere in hac positus vita voluisset, partem apud Dominum cœlestis regni consortium haberet. Sed quia prauis subdi desideriis elegit, partem suam à Domino in tormentis inuenit, quia eiusdem Domini participare gratiã non quæsuit. Bene autẽ dicitur: *Et hæreditas verborum eius à Domino.*) Qui enim pro magnis malis in supplicium mergitur, fortasse credebatur quòd pro verbis quæ malè dixerat, minimè iudicaretur. Sed cùm districta Dei omnipotentis iustitia supplicium à reprobis pro peruersis actibus exigit, eis mala vsque ad verborum retributionem reddit, vt qui de magnis malis debitores sunt, suppliciis traditi, etiam nouissimum quadrantem soluant. Illis enim minima parcuntur, qui maiora in se districtè mala defleuerunt. Nam quos magna premunt, etiam mala minima in gehenna pariter affligunt. Sancti autem viri non partem à Domino accipere, sed partem suam ipsum Dominum habere desiderant. Vnde Propheta deprecatur, dicens: Portio mea Do- *Psalm. 118.*
minus. Iniquus verò quia portionem suam habere ipsum Dominum non quæsuit, partem suam extra Dominum ignem inuenit, vt ab eius facie exclusus, quia gaudere in ipso non appetit, sub ipso crucietur. Hæc Sophar ita intulit, vt per ea, quæ contra hypocritam dixerat, beati Iob vitam feriret, existimans, quòd is qui à Domino percussus esset, cuncta bona quæ egerat, mente simplici nõ egisset. Quem enim percussum vidit, Deo displicuisse credidit. Sed amici beati Iob etiam in hac re hæreticorum speciem tenent, qui in sancta Ecclesia dum quosdam bene agentes, aspiciunt sub flagellis gemere, eos existimant bona merita in bonis actibus H
non habere: & malos credunt, quòd affligi verbere diuino conspiciunt, videlicet nescientes, quia multæ tribulationes iustorum: & flagellat omnẽ filium quem recipit. Sed beatus Iob more sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ quæ à peruersis verborum iacula æquanimiter tolerat, & cùm superborum dicta audit, humilitatis suæ tramitem non relinquit, cum magna cordis humilitate subiunxit, dicens:

Caput vigesimum primum textus beati Iob.

R*Espondens autem Iob, dixit: Audite quęso sermones meos: & agitę pœnitentiã: Sustinete me, vt ego loquar, & pòst mea, si videbitur, verba ridete. Nũquid contra hominem disputatio mea est, vt meritò non debeam contristari? Attendite me & obstupescite, & superponite digitum ori vestro. Et ego quando recordatus fuero, pertimesco: & concutit carnem meam tremor. Quare ergo impij viuunt,*

uunt, subleuati sunt, confortatique diutiis? Semẽ eo- A
rum permanet coram eis: propinquorum turba & nepotum in conspectu eorum. Domus eorum securæ sunt, & pacatæ: & nõ est virga Dei super illos. Bos eorũ concepit. & non abortiuit: vacca peperit, & nõ est priuata fœtu suo. Egrediũtur quasi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus. Tenent tympanum & citharam, & gaudẽt ad sonitum organi. Ducũt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Qui dixerunt Deo: Recede à nobis, sciẽtiam viarum tuarum nolumus. Quis est omnipotens vt seruiamus ei? Et quid nobis prodest, si orauerimus illum? Verũtamen quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longè sit à me. Quoties lucerna impiorũ extinguetur, & superueniet eis inũdatio: & dolores diuidet furoris sui. Erunt sicut pa- B
leæ ante faciem venti, & sicut fauilla quã turbo dispergit. Deus seruabit filiis illius dolorẽ patris, & cùm reddiderit, tunc sciet. Videbũt oculi eius interfectionem suam, & de furore omnipotentis bibet. Quid enim ad Deum pertinet de domo sua post se? Et si numerus mensiũ eius dimidietur: nũquid Deum docebit quispiam scientiam, qui excelsos iudicat? Iste moritur robustꝰ & sanus, diues & fœlix; viscera eius plena sunt adipe, & medullis ossa illius irrigantur. Alius verò moritur in amaritudine animæ suę, absque vllis opibus: & tamen simul in puluere dormient, & vermes operient eos. Certè noui cogitationes vestras, & sententias cõtra me iniquas. Dicitis enim: Vbi est domus principis, & vbi tabernacula impiorum? Interrogate quemlibet de viatoribus, & hæc eadem illum C
intelligere cognoscetis. Quia in die perditionis seruatur malus, & ad diem furoris ducetur. Quis arguet coram eo viam eius, & quæ fecit quis reddet illi? Ipse ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit. Dulcis fuit glareis cocyti, & post se omnem hominem trahit: & ante se innumerabiles. Quomodo igitur consolamini me frustra, cùm responsio vestra repugnare ostensa sit veritati?

Quòd boni in locutionibus suis aut sibi aut suis auditoribus prodesse intendunt.
Caput XXI.

A*Vdite quæso sermones meos: & agite pœnitentiam.*) Qui enim cùm diceret: Audite, addidit, Quæso, cum quanta humilitate loquatur insinuat: dum contra se superbientes rogat, vt eorum sensum ad saluris doctrinam reducat. Sancti autem vi- D
ri dum intra vniuersalem Ecclesiam non solùm docere recta, sed etiam peruersa tolerare parati sunt, irrideri non metuunt. Vnde & subditur: *Sustinete me, vt & ego loquar: & pòst mea, si videbitur, verba ridete.*) Boni etenim cùm loquũtur, duo sunt quæ in suis locutionibus attendunt, vt videlicet aut sibi & auditoribus suis: aut sibimet solis prosint, si auditoribus prodesse non possunt. Cùm enim bene audiuntur bona quæ dicunt, sibi simul & auditoribus prosunt. Cùm verò ab auditoribus deridentur, sibi procul dubio profuerunt, quos à culpa silentij liberos fecerunt. Beatus itaque Iob vt sibi & suis auditoribus prosit, dicat: *Audite quæso sermones meos, & agite pœnitẽtiam.*) Vt autem ipse quod debet, exoluat, etiam si auditoribus prodesse non valeat, adiungit: *Sustinete me, vt & ego loquar: & pòst mea, si videbitur, verba ridete.*) Et notandum, quia dum subiungeret: Agite pœnitentiam, præmisit, Audite: cùm verò subderet: Pòst mea, si videbitur, verba ridete: præmisit, Sustinete me. Audire quippe volentis est, sustinere nolentis. Amici ergo eius si doceri appetũt, audiant: si autẽ irridere parati sunt, sustineant quæ dicuntur: quia videlicet superbis mentibus pondus graue est oneris, doctrinæ humilitatis. Sequitur:

Quòd Iob quia inter flagella Deo displicuisse se credidit, ideo tristabatur. Et quod qui Deo placet, licèt hominibus displiceat, non est vnde contristetur.
Caput XXII.

N*Vnquid contra hominem disputatio mea est, vt meritò non debeam contristari?*) Omnis qui Deo placens, hominibus displicet: causas tristitiæ nullas habet. Qui autẽ aut hominibus placens, Deo displicet, aut simul Deo & hominibus displicere se credit: si hunc tristitia non afficit, à virtute sapientiæ alienus existit, Beatus autẽ Iob displicuisse Deo inter flagella se credidit: & idcirco animum ad tristitiam reuocauit: quia despiciendus non erat, cui se displicuisse formidabat. Si autem de vitæ suæ meritis contra hominem disputaret, nequaquam cõtristari debuisset: sed quia per flagella præsentia anceps factus de anteacta vita fuerat, in flagello tristitiam iure requirebat. Vnde etiam subdit: *Attendite me & obstupescite.*) Id est, considerate quæ egi, & admiramini in hac percussione quæ patior. Qui adhuc rectè infert dicens: *Et superponite digitum ori vestro.*) Ac si apertè dicat: Scientes bona quæ egi, & considerantes mala quæ patior: vosmetipsos etiam à verborum culpa compescite: atque in meis percussionibus vestra damna formidate. Vel certè quia digitis quæque discernimus, non incongruè per digitum discretio designatur. Vnde & per Psalmistam dicitur: Benedictus dominus Deus meus, qui docet *Psal. 143.*
manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Per manus videlicet operationem, per digitos verò discretionem signans. Digitus ergo ori superponitur, cùm per discretionẽ 18.
lingua refrenatur: ne per hoc quod loquitur, in stultitiæ culpam delabatur. Ait ergo: Superponite digitum ori vestro, id est, locutioni vestræ discretionis virtutem adiungite: vt per hæc quæ recta contra hypocritam dicitis, quibus sint dicenda, videatis. Sequitur: *Et ego quando recordatus fuero, pertimesco: & concutit carnem meam tremor.*) Quia beatus Iob actuum suorum oblitus non fuerat, extrema locutio eius ostendit. Qua ex re hoc quod ab eo nunc amicis dicitur: Et ego quando recordatus fuero, pertimesco: & concutit carnem meam tremor: constat nimirum quòd per irrisionem dicatur. Ac si apertè diceretur: Si me aliquid hypocritæ habuisse meminero, in pœnitentiæ mox fletu contremisco. Carnem verò suam, si recordatus fuerit, tremore perhibet concuti, id est, infirmitatem operis vltionis pauore fatigari. Sed quia multa Sophar de subita damnatione impij, in quibus beati Iob patiẽtiam momordit, asseruit, sanctus vir contra eius dicta subiungit, dicens:

Fœlicitatis huius vitæ enumerat gaudia.
Caput XXIII.

Q*Vare ergo impij viuunt, subleuati sunt, confortatique diuitiis?*) Nisi enim eos patientia diuina toleraret, nequaquam diu vitam in peccatis ducerent. Subleuantur nanque diuitiis, cùm esse potentes incipiunt: confortantur verò, cùm diu in hac vita subsistere permittuntur. Quos enim substantia eleuat, in suæ fastu potentiæ dierum longitudo confortat. Vel certè subleuati & confortati referuntur: quia subleuantur honoribus, confortantur rebus. Sed sunt plerique, qui & honoribus subleuati, & diuitiis confortati, ea quæ in hac concupiscunt vita accipiunt: successione autem sobolis priuantur. Istis nimirum ipsa sua potentia pœna est, cùm & magnam se habere hæreditatem considerant, & hæredes non habent quibus relinquant. Quid itaquæ prodest si asint omnia, & desint filij qui successores fiant? Sequitur: *Semen eorum permanet coram eis.*) In augmentum magnæ fœlicitatis, cum magno patrimonio dantur & hæredes: ac ne qua necessitas saltem temporalis ab oculis subtrahat eos, in quibus animus exultat, de hoc eorum semine dicitur: *Permanet coram eis.*) Quid autem si filij dati sunt, sed ipsi sterilitate feriuntur? Sic in eis genus extinguitur, sicut parentum sterilitate extingui timebatur. Sequitur: *Propinquorum turba & nepotum in conspectu eorum.*) Ecce adest vita, assunt honores & diuitiæ, assunt filij, assunt nepotes. Quid si qua mentem intestina cogitatio exurat, & securitatis gaudia domestica rixa transuerberet? Quæ est mundi huius fœlicitas, si læta non est? Sequitur: *Domus eorum securæ sunt & pacatæ, & non est virga Dei super illos.*) Securæ & pacatæ sunt: quia peccantes viuunt, lugenda agunt, & gaudia non relinquunt. Virga eos supernæ disciplinæ

non percutit: & tantò amplius in culpa proficiunt, quantò minus ex culpa feriuntur. Sed quia intus quæ prosperantur audiuimus, in agris quoque quæ prosperitas arrideat, videamus. Sequitur: *Bos eorum concepit, & non abortiuit: vacca peperit, & non est priuata fœtu suo.*) Vulgaris locutionis vsus est, vt bouem masculum, & vaccam fœminam vocent: sed literaturæ locutio bouem communis generis appellat. Vnde nunc dicitur: *Bos eorum concepit, & non abortiuit: vacca peperit, & non est priuata fœtu suo.*) Dominis gregum prima fœlicitas est, si grex sterilitatem non habens concipit: secunda, si conceptus ad partum venit: tertia autem, si hoc quod partum est, per nutrimenta ad prouectum ducatur. Vt ergo tota simul adesse impiis demonstraret, eorum greges beatus Iob asserit concepisse, & non abortisse: peperisse, & fœtu proprio non esse priuatos. Minor autem est fœlicitas, si cùm greges crescunt, custodes quoq; gregum non proficiunt. Vnde & ad fœcunditatem gregum, mox fœcunditas familiæ subrogatur. Nam dicitur: *Egrediuntur quasi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus.*) Vt sicut maiora ad habendum concessa sunt: ita multi germinent ad custodiendum. Sed quia dixit: Exultant lusibus: ipsum quoq; infantium lusum in domo iniquorum ne vilem valde esse crederemus, subiungens ait: *Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi.*) Ac si patenter dicat: Cùm Domini honoribus & rebus tument, subiecti in ludicris actibus gaudent. Sed ô beate vir, quid tam multa nobis de iniquorum voluptatibus narras? Iam diu est quòd in eorum descriptione loqueris, post multa breuiter distingue quæ sentis. Sequitur:

Quicquid temporale est, subitum est: & ad instar puncti momentaneum. Caput XXIIII.

19 DVcunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.) Ecce beate vir, eorum gaudia diu narraueras: quomodo nunc asseris quod in puncto ad inferna descendāt, nisi quòd omnis longitudo temporis vitæ præsentis punctus esse cognoscitur, cum fine terminatur? Cùm enim ad extremum quisque perducitur, de præterito iam nil tenet, quia tempora cuncta delapsa sunt, in futuro nil habet: quia vnius horæ momenta non restant. Vita ergo quæ sic angustari potuit, punctus fuit. Vt enim prædiximus, in puncto stilum ponimus & leuamus. Quasi ergo in puncto vitam tetigit, qui hanc accepit & amisit. Potest in puncto hoc quoque intelligi: quòd sæpe hi qui diu in iniquitate tolerati sunt, subita morte rapiūtur, vt nec flere ante mortem liceat quæ peccauerūt. Sed quia nonnunquam etiam vita iustorum subito fine terminatur, melius illud accipimus, si hoc de eorum temporali vita sentiamus: quia quicquid transire potuit, subitum fuit. Amicis autem beati Iob, qui idcirco hunc iniustum esse crediderunt: quia flagellatum viderunt, rectè eiusdem sancti viri voce de iniquorum flore & perditione ostensum est: quia præsentis vitæ prosperitas innocentiæ testis non est: quia multi ad perennem vitam per flagella redeunt: & plerique ad infinita supplicia perducendi sine flagello moriuntur. De quibus adhuc subditur:

Quòd ideo peruersi Deo dicunt, Recede à nobis: quia eius doctrinam & regulam charitatis contemnunt. Caput XXV.

QVi dixerunt Deo, Recede à nobis.) Hæc verbis dicere vel stulti minimè præsumunt: sed tamen peruersi omnes Deo, Recede, non verbis sed moribus, dicunt. Qui enim illa agunt quæ Deus omnipotēs prohibet: quid aliud faciunt quàm suum animum contra omnipotentem claudunt? Sicut enim eius præcepta cogitare, eum ad se introducere est: ita eius mandatis obsistere, eum à cordis inhabitatione repellere est. Dicunt ergo: Recede à nobis, qui ei ad se aditum præbere recusant, eúmque prauis actibus impugnāt, etiam si verbis laudare videantur. Dicunt etiam: *Scientiam viarum tuarum nolumus:*) eoipso quo eius scientiam apprehendere contemnunt. Sunt nanque nonnulli qui ex eo quod veritas dicit: [*Luca.12.*] Seruus qui non cognouit voluntatem Domini sui, & facit digna plagis, vapulabit paucis: & seruus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens iuxta eam, vapulabit multis: nolunt scire quod faciant, & quasi minus se vapulaturos existimant, si nesciant quod operari debuerunt. Sed aliud est nescisse, aliud scire noluisse. Nescit nanque qui apprehendere vult & non valet. Qui autem vt nesciat, aurem à voce veritatis auertit, iste non nesciens, sed contemptor addicitur. 20

Via autem Dei pax, via Dei humilitas, via Dei patientia est. [*Via Domini.*] Sed quia hæc omnia iniqui despiciunt, dicunt: *Scientiam viarum tuarum nolumus.*) Dum enim in præsenti vita superbiunt: dum honoribus inflantur: dum etiam si non habent, appetunt: vias Dei in sua cogitatione contemnunt. Quia enim via Dei in hac vita humilitas fuit, ipse hic Deus Dominus redemptor noster ad probra, ad contumelias, ad passionem venit: & aduersa huius mundi æquanimiter pertulit, prospera fortiter vitauit, vt prospera doceret æternæ vitæ appeti, & aduersa præsentis vitæ non formidari. Sed quia iniqui gloriam vitæ præsentis appetunt, ignominiam fugiunt, dicere memorantur. *Scientiam viarum tuarum nolumus.*) Scire quippe nolunt, quod facere contemnunt. Quorum adhuc verba subduntur, cùm dicitur:

Quòd si inuisibilia visibilibus in ordine creaturarum præstant: quantò ergo magis inuisibilis omnium visibilium & inuisibilium conditor, omnia superat. Caput XXVI.

QVis est omnipotens vt seruiamus ei?) Mens enim hominis malè exterius fusa, sic in rebus corporeis sparsa est, vt neque ad semetipsam intus redeat, neque eum qui est inuisibilis, cogitare sufficiat. Vnde carnales viri iussa spiritalia contemnentes, Deum quia corporaliter non vident, quandoque ad hoc perueniunt, vt etiam non esse suspicentur. Vnde scriptum est: Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. Vnde [*Psalm.13.*] nunc quoque dicitur: *Quis est omnipotens vt seruiamus ei?* Plerunque enim plus appetunt homines seruire hominibus, quos corporaliter vident, quàm seruire Deo quem non vident. Per omne enim quod faciunt, ad finem oculorum tendunt: & quia in Deum oculos corporis tendere non possunt, ei obsequia præbere vel despiciunt, vel si cœperint, fatigantur. Esse enim, sicut dictum est, non credunt, quem corporaliter non intuentur. Qui si authorem omnium Deum humiliter quærerent, id quod non videtur esse, ea re, quæ videtur, melius in semetipsis iuuenirēt. Ipsi quippe ex anima inuisibili & corpore visibili subsistunt: & si hoc ab eis quod non videtur abstrahitur, ilico corruit quod videtur. Et patent quidem carnis oculi: sed videre quicquam vel sentire non possunt. Sensus enim visionis periit: quia habitator recessit, & domus carnis remanet vacua: quia abscessit ille inuisibilis spiritus, qui per eius respicere fenestras solebat. Quia ergo rebus visibilibus inuisibilia præstantiora sunt, carnales quique ex semetipsis pensare debuerunt: atque per hanc, vt ita dixerim, scalam considerationis tendere in Deum: quia eò est, quo inuisibilis permanet: & eò summus permanet, quò comprehendi nequaquam potest. Sunt verò nonnulli qui Deum, & esse & incomprehensibilem esse non ambigunt: qui tamen ab eo nō ipsum, sed dona exteriora quærunt. Quæ cum ei seruientibus deesse conspiciunt, ipsi seruire contemnunt. De quorum adhuc verbis adiungitur:

Quæ in oratione postulanda sint, & quomodo. Caput XXVII.

ET quid nobis prodest, si orauerimus illum?) Cùm Deus in oratione non quæritur, citius in oratione animus lassatur. Quia cùm illa quisque postulat, quæ fortasse iuxta occultum iudicium Deus tribuere recusat, ipse quoque venit in fastidium, qui non vult dare quod amatur. Sed se magis Dominus quàm ea quæ condidit vult amari, æterna potius quàm terrena postulari, sicut scriptū est: Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Qui enim non ait, dabuntur, sed adiicientur: profectò indicat aliud esse quod principaliter datur, aliud quod superadditur. [*Matth.6.*] Quia enim nobis in intentione æternitas, in vsu verò temporalitas esse debet, & illud datur, & hoc nimirum ex abundanti superadditur. Et tamen sæpe homines dum bona temporalia postulant, æterna verò præmia non requirunt, petunt quod adiicitur, & illud non desiderant vbi adiiciatur. Nec lucrum suæ esse petionis deputant, si hîc sint temporaliter pauperes, & illic beatitudine diuites in æternum viuant: sed

solis, vt

solis, vt dictum est, visibilibus intenti, labore postulationis renuunt inuisibilia mercari. Qui si superna quærerent, iam cum fructu laborem exhiberent: quia cùm mens in precibus ad authoris sui speciem anhelat, diuinis desideriis inflammata, supernis coniungitur: ab inferioribus separatur: amore feruoris sui se aperit vt capiat: & capiens inflammat: & superiora amare iam sursum illi est, dúmque magno desiderio ad cœlestia inhiat, miro modo hoc ipsum quod accipere quærit, degustat. Sequitur:

Quòd sancti habeant in manu bona temporalia, quia ita vt res postulat, hilari animo tribuunt: reprobi verò non tam ea habent, quàm ab eis capti mente tenentur. Caput XXVIII.

21. [*Bona temporalia in manu sunt habenda.*] VEruntamen quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium eorum longè sit à me.) Bona in manu habet, qui despiciendo temporalia sub dominio mentis premit. Nam quisquis ea nimiè diligit, se magis quàm sibi ipsa supponit. Multi etenim iustorum in hoc mundo diuites fuerunt, rebus & honoribus fulti: habere multa videbantur: quorum mentem quia eorum quæ aderant delectatio nimia non possidebat, bona illorum in manu erant: quia potestati animi subiecta tenebantur. At contrà iniqui ita se totis desideriis in exteriorum rerum appetitionibus fundunt: vt non magis ipsa habita teneant, sed ab his quæ habent, captiua mente teneantur. Quia igitur non sunt in manu eorum bona sua: rectè subiungitur: *Consilium eorum longè sit à me.*) Quid nanque est iniquorum consilium, nisi terrenam gloriam quærere, æternam negligere, salutem temporalem cum damno interiori appetere, & dolores transitorios ad æternos gemitus commutare? Vir igitur sanctus has iniquorum cogitationes intuens aspernetur, & dicat: Consilium eorum longè sit à me. Quia nimirū esse bonum incomparabiliter videt: ad breue tempus eligit hîc sub flagello gemere, quàm æternæ vltionis supplicia tolerare. Sed neque in hac vita hi qui in ea prosperari appetunt, continuè prosperantur. Nam plerumque eorum gaudia, suborti gemitus interrumpunt. Vnde subditur:

Quòd lucerna carnalium extinguitur, quoties diuitiis vel honoribus vel gloria priuantur. Caput XXIX.

QVoties lucerna eorum extinguetur.) Sæpe impius lucernam suam, filiorum vitam æstimat: sed cùm filius qui nimiè amatur, subtrahitur, lucerna impij quæ videbatur, extincta est. Sæpe impius præsentis honoris gloriam lucernam putat: sed dum sublata dignitate deiicitur, lucerna extincta est, quæ ei iuxta desideriū lucebat. Sæpe impius opes terrenæ substantiæ adesse sibi, quasi magnam luminis lucernam putat: sed cùm irruente damno diuitias quas plus se amabat, perdiderit, quid iste aliud quàm lucernā in cuius lumine † gaudebat amisit? [*† al. gradiebatur.*] Qui ergo gaudere de æternis non appetit, neque hic vbi solidari vult, potest continuè lætari. Nam quoties lucerna impiorum extinguetur: & superueniet eis inūdatio, & dolores diuidet furoris sui. Inūdatio impiis superuenit, cùm dolorum fluctus ex aliqua aduersitate patiuntur. Omnipotens enim Deus cùm se despici, & in terrena videt concupiscentia lætari: hoc quoque doloribus percutit, quod sibi videt in cogitatione impij præferri: Bene autem dicitur: *Et dolores diuidet furoris.*) Qui enim æternos dolores impio per retributionē seruat: & aliquādo eius mētem etiam temporali dolore trāsuerberat, quia hîc quoque & illic percutit, furoris sui super impium dolores diuidit. Neque enim pœna præsens quę iniusti animum à prauis desideriis nō immutatat, ab ęternis suppliciis liberat. Vnde & [*Psal.10.*] per Psalmistam dicitur: Pluit super peccatores laqueos, ignis, sulphur & spiritus procellarū, pars calicis eorū. Dicendo etenim laqueos, ignis, sulphur & spiritus procellarum, multos nimirum dolores intulit. Sed quia ab eis doloribus peccator qui non corrigitur, ad æterna supplicia vocatur, eosdem dolores non iam totum calicē, sed partem calicis dixit: quia videlicet eorū passio hîc quidem per dolores incipitur, sed in vltione perpetua consummatur. De quorum adhuc fine subiungitur:

Quòd reproborum vita fauillæ & paleæ comparetur. Caput XXX.

22. ERunt sicut paleæ ante faciem venti, & sicut fauilla quam turbo dispergit.) Iniquus cùm in potestate conspicitur, cùm valde in oppressionibus & violentiis effrenatur, ab infirmorum cogitationibus grauis nimium, & quasi in † hoc mundo radicatus æstimatur [*† al. in hūc mundum.*]. Sed cùm districti iudicis sententia venerit, omnes iniqui quasi paleæ ante ventum erunt: quia, vt ita dicā, iræ flatu subitò leuantur atque asportantur ad ignem: quos hîc in suis quondam præiudiciis quasi duri ponderis superiacentem molem indigentium, lacrymæ mouere non poterāt. Et ad rapientis iudicij manus leues sunt: qui per iniustitiam proximis graues fuerunt: *Et sicut fauilla quam turbo dispergit.*) Ante omnipotentis Dei oculos iniqui vita fauilla est: quia etsi apparet ad momētum viridis, ab eius tamen iudicio iam cōsumpta cernitur: quia consumptioni est æternę deputata. Hāc fauillam turbo dispergit: quia Deus manifestus veniet, Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius ardebit: & in circuitu eius tempestas valida. Huius enim tempestatis turbine ab æterni conspectu iudicis iniqui rapiuntur: & qui hîc mentem desiderio peruerso solidauerant, ibi paleæ & fauilla videbuntur: quia eos ad æterna supplicia turbo rapiens asportat. Sequitur:

Quòd peccata patrum redundant in filios vsque ad tertiam & quartam progeniem. Caput XXXI.

DEus seruabit filiis illius dolorem patris, & cùm reddiderit, tunc sciet.) Scriptum nouimus: Qui reddis peccata patrum in [*Exo.20.*] filios ac nepotes in tertiam & quartam generationem. [*Ezech.18.*] Et rursum scriptum est: Quid est quod inter vos parabolam vertitis [*Hier.31.*] in prouerbium istud in terra Israël, dicentes: [*de pœnit. dist.4.*] Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt? Viuo ego dicit dominus Deus, si erit vobis vltra parabola hæc in [*Quid est.*] prouerbium in Israël. Ecce omnes animæ meæ sunt, vt anima patris, ita & anima filij mea est. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. In vtraque igitur hac sentētia dum dissimilis sensus inuenitur, auditoris animus vt discretionis viam subtiliter requirat instruitur. Peccatum quippe originale à parentibus trahimus: & nisi per gratiam baptismatis soluamur, etiam parentum peccata portamus: quia vnum adhuc videlicet cum illis sumus. Reddit ergo peccata parentum in filios, dum pro culpa parentis, ex originali peccato anima polluitur prolis. Et rursum non reddit parentum peccata in filios: quia cùm ab originali culpa per baptismum liberamur, iam non parentum culpas, sed quas ipsi committimus, habemus. Quod tamē intelligi etiam aliter potest: quia quisquis praui parentis iniquitatē imitatur, etiam ex eius delicto constringitur. Quisquis autem parentis iniquitatem non imitatur, nequaquam delicto illius grauatur. Vnde fit vt iniquus filius iniqui patris non solùm sua quę addidit, sed etiam patris peccata persoluat: cum † vitiis patris, quibus iratum Dominum non ignorat, etiam suam adhuc malitiam adiungere non formidat. [*† vel. viis.*] Et iustū est vt qui sub districto iudice vias parentis iniqui non timet imitari, cogatur in vita præsenti etiam culpas parentis iniqui persoluere. Vnde & illic dictum est: Anima patris mea est, & anima filij mea est. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur: quia in carne nonnunquam filij etiam ex patris peccato perimuntur. Deleto autem originali peccato, ex parentum nequitia in anima non tenentur. [*Cur paruuli plerunque à dæmonibus arripiātur.*] Quid enim est quòd paruuli filij plerunque à dæmonibus arripiuntur, nisi quòd caro filij ex patris pœna mulctatur? In semetipso enim percutitur pater iniquus, & percussionis vim sentire contemnit. Plerunque percutitur in filiis, vt acrius vratur: & dolor patris carni filiorum redditur, quatenus per filiorum pœnas mēs patris iniqua puniatur. [*Cur prouectiores filij ex parentū culpa feriātur.*] Cùm verò non paruuli sed iam prouectiores filij ex parentū culpa feriuntur, quid aliud apertè datur intelligi, nisi quòd illorum etiam pœnas luunt, quorum facta secuti sunt? Vnde & rectè dicitur: Vsque ad tertiam & quartam progeniem. Quia enim vsque ad tertiam & quartam progeniem, eam quam imitantur filij parentum vitam possunt videre, vsque ad eos vltio extenditur, qui viderunt quod malè sequerentur. 23.

Et quia impiorum oculos culpa claudit, sed in extremum pœna aperit, rectè subiungitur: *Et cùm reddiderit, tunc sciet.*) Nescit enim impius mala quæ fecit, nisi cùm pro eisdem malis puniri iam cœperit. Vnde & per Prophetam dicitur: Et tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui. Tunc nanque intelligit quod audiuit, cùm se iam pro contemptu ve-

Nume.28. xari doluerit. Hinc per Balaam de semetipso dicitur: Dixit homo cuius obturatus est oculus: dixit auditor sermonum Dei, qui visionem omnipotentis intuitus est, qui cadet: & sic aperientur oculi eius. Consilium quippe contra Israëlitas præbuit, sed pòst in pœna vidit quid prius ex culpa cõmiserit. Electi autem quia nec peccare debeant præuident: eis videlicet oculi ante casum patent. Iniquus verò post casum oculos aperit: quoniam post culpam iam in pœna sua conspicit: quia malum debuit vitare quod fecit. De cuius inutili iam tunc scientia subinfertur. *Videbunt oculi eius interfectionem suam, & de furore omnipotentis bibet.*) Qui si in hac vita positus, culpam suam videre voluisset, de omnipotentis postmodum furore non biberet. Sed qui hîc auertit oculos à respectu criminis, illic declinare non valet sententiam damnationis. Sæpe verò hi qui supplicia æterna non metuunt, praua agere pro temporali saltem percussione pertimescũt. Sed sunt nonnulli qui ita in iniquitate duruerunt, vt nec in ipsis metuant feriri quæ amant, dummodo quæ peruersè cogitauerint expleant. Vnde hoc in loco de iniqui huius obduratione subiungitur. *Quid enim ad eum pertinet de domo sua post se: aut si numerus mensium eius dimidietur?*) Neque enim sic debemus accipere, vt iniquus iste postea quàm damnatus æternis suppliciis fuerit, de domo sua, id est, cognatis quos reliquerit, minimè cogitabit:
Lucæ 16. cùm per semetipsam veritas dicat: quia diues qui in inferno sepultus fuerat, de quinq; fratribus quos reliquerat, etiã in supplicio positus curam gerebat. Omnis nanque peccator prudens erit in pœna, qui stultus fuit in culpa: quia ibi iam dolore constrictus, ad rationem oculos aperit, quos hîc voluptati deditus clausit: & pœna torquente exigitur vt sapiat, qui hîc excæcante se superbia desipiebat. Cui tamen sua sapientia iam tunc minimè proderit: quia hoc vbi operari iuxta sapientiam debuit, tempus amisit. Pro summo hîc nanque bono concupiscit germen generis habere: domum familia & opibus replere, & diu in hac carnis corruptione viuere. Sed si fortasse aliquid ad eius desiderium veniat, quod tamen obtinere non possit, nisi cum offensione conditoris, eius animus ad paululum perturbatus cogitat, quia si hoc egerit hic, vnde offensam sui conditoris incurrat: in domo, in filiis, in vita percutitur. Sed superbia sua protinus instigatus obdurescit: & quamlibet in domo, quamlibet in vita percussionem sentiat, nequaquam curat, dummodo quæ cogitauerit expleat: & quousque viuit, voluptates suas perficere non desistit. Ecce enim domus eius pro culpa percutitur: sed quid ad eum pertinet de domo sua post se? Ecce pro vltione praui operis ea quæ esse potuit vitæ longitudo breuiatur: sed quid ad eum pertinet, si numerus dierum eius dimidietur? Et in hoc ergo se peccator contra Deum erigit, vbi Deus omnipotens eius erectionem frangit: & nec illata percussio mentem humiliat, quam in deliberatione contra Dominum obstinatio obdurat. Et notandum quàm grauis culpæ reatus sit, & pœnam pro culpa menti proponere, & tamen nec tormenti metu sub iugo conditoris ceruicem cordis inclinare.

Quòd secreta Dei iudicia nemo ad plenum intelligat.
Caput XXXII.

24 SEd ecce cùm hæc audimus, cordi nostro quæstio oritur: cur omnipotens & misericors Deus in tantam cæcitatem cadere rationem mentis humanæ permiserit? Ne verò quisquam vltra quàm debet occulta Dei iudicia discutere præsumat, rectè subiungitur: *Nunquid Deum quispiam docebit scientiam, qui excelsos iudicat?*) Cùm in his quæ de nobis agũtur ambigimus, debemus alia quæ nobis sunt certa conspicere: & eam quæ de nostra nobis incertitudine surrexerat, cogitationis querelam placare. Ecce enim quòd electos ad vitam flagella reuocant: & à malis actibus reprobos nec flagella compescunt, omnipotentis Dei iudicia super nos valde occulta sunt, & iniusta non sunt. Sed si tendamus oculum mentis ad superiora, in illis aspicimus quia de nobis quid iustè conqueri non habemus. Omnipotens enim Deus angelorum merita discernens, alios in æterna luce sine lapsu permanere constituit: alios sponte lapsos à statu suæ celsitudinis, in æternæ damnationis vltione prostrauit. Nobiscum igitur iniustè nil agit, qui & subtiliorem nobis naturam iustè iudicauit. Dicat ergo: *Nunquid Deum quispiam docebit scientiam, qui excelsos iudicat?*) Qui enim super nos mira facit, constat proculdubio quia de nobis scienter omnia disponit. His itaque præmissis adiungitur, vbi humanus animus in requisitione fatigatur. *Nam subditur: Iste moritur robustus & sanus, diues & fœlix, viscera eius plena sunt adipe, & medulis ossa illius irrigantur: alius verò moritur in amaritudine animæ suæ absque vllis opibus.*) Ista cùm ita sint, quis omnipotentis Dei secreta discutiat, cur hæc ita esse permittat? Sed electis & reprobis vita quidem dispar est: carnis autem in morte corruptio dispar non est. Vnde subiungitur: *Et tamen simul in puluere dormient, & vermes operient eos.*) Quid ergo mirum si prosperitate vel aduersitate præsentis seculi dissimiliter ad momentum currunt, qui per corruptionem carnis † ad terram similiter redeunt? Illa est ergo solummodo vita cogitanda, in qua cum resurrectione carnis ad finem dissimilem pertingitur retributionis. Quæ est enim iniquis salus aut robur, qui adeps & diuitiæ: dum totum hîc cum celeritate relinquitur: & illic retributio quæ nunquam relinqui possit inuenitur? Sicut autem huius iniqui lætitia transit ad pœnam, ita afflicti innocentis pœna transit ad lætitiam. Nec diuitiæ ergo debent mentem extollere, nec inopia perturbare. Vnde beatus Iob inter damna rerum nulla admittit ad animum damna cogitationum: sed ad eos qui se in percussione despiciunt, redarguendo subiungit dicens:

25 † al. ad æterna.

Quòd hæretici de sanctis sentiant iniqua, qui nequaquam eos flagellari à Deo nisi propter peccata existimant, & quòd vermis terrenæ sollicitudinis non rodat iustum, qui deuorat impium.
Caput XXXIII.

CErtè noui cogitationes vestras, & sententias contra me iniquas. *Dicitis enim: Vbi est domus principis, & vbi tabernacula impiorum?*) Impium enim crediderant, quem ablatis rebus temporaliter destructum videbant. Sed sanctus vir tantò eos alta consideratione diiudicat, quantò inter damna quæ pertulerat, infracta rectitudine stabat. Quid enim ei foris rerũ damna nocuerant, qui illum non amiserat quem interius amabat? Hoc verò quod dicitur: *Simul in puluere dormient, & vermes operient eos:*) si quis forsitan accipere per allegoriam velit, explere breuiter possumus, si de iniquo hoc diuite ea quæ sunt iam dicta replicemus. Dicitur nanque: *Viscera eius plena sunt adipe.*) Sicut enim ex abundanti cibo adeps, ita ex abundantia rerum superbia nascitur, quæ impinguat mentem diuitiis, dum eleuatur animus superbientis. Superbia quippe cordis quasi quædam pinguedo est crassitudinis. Vnde quia plerique ex abundantia peccata perpetrant, per Prophetam dicitur: Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. Sequitur: *Et medullis ossa illius irrigantur.*) Amatores huius seculi quasi ossa habent, quando in hoc mundo fortitudinem dignitatum possident. Sed si in exteriori dignitate desint terrenæ & domesticæ diuitiæ, quantum ad iudicium suum ossa quidem habent, sed medullas in ossibus non habent. Quia ergo sic iste amator huius seculi exteriori potestate fulcitur, vt etiam interiori terrenæ domus abundantia saginetur, dicitur: *Et medullis ossa illius irrigantur.*) Vel certè ossa sunt huius diuitis prauæ & duræ consuetudines: medullæ verò in ossibus, sunt ipsa desideria malè viuendi, quæ neque ex prauitatis satisfactione satiantur. Quæ medullæ quasi ossa irrigant, cùm praua desideria peruersas consuetudines suas in voluptatum delectatione conseruant.

Psalm.17.

Quòd peccatores hoc scient in pœnis, quod excæcati in superbia dum viuerent scire nolebant: sed quia tempus operandi tunc non erit, nihil eis hæc scientia proderit.
Caput XXXIIII.

ET sunt nonnulli qui in hoc mundo diuitias non habent, sed habere concupiscunt, elati esse appetunt: quanuis in hoc mundo quod cupiunt, obtinere non possint & cùm nullis rebus vel honoribus sulti sunt, per mala tamen desideria in conspectu interni iudicis reos conscientia addicit. Talis etenim quisque plerunque ideo affligitur: quia ditescere ac superbire non prænalet. De quo & subditur: *Alius verò moritur in amaritudine animæ suæ absque vllis opibus.*) Ecce vnde diues superbo corde & inaniter gaudet, inde pauper alius superbo corde inanius affligitur. Bene autem de vtrisque subiungitur

26

Et tamen

Et tamen simul in puluere dormient, & vermes operient eos.) In puluere enim dormire, est in terrenis desideriis oculos mentis claudere. Vnde vnicuique peccanti & in culpa sua dormienti di-
Ephe.5. citur: Surge qui dormis, & exurge à mortuis: & illuminabit te Christus. Vermes verò, qui de carne nascuntur, eos simul operiunt: quia siue diuitis siue pauperis superbientis animũ curæ carnales premunt. In rebus etenim terrenis pauper & diues reprobus, quanuis non pari prosperitate fulciantur, pari tamẽ auxietate turbantur: quia quod ille iam cum metu habet, iste cũ anxietate appetit: sed quia habere nõ valet, dolet. Dicatur ergo: *Simul in puluere dormient, & vermes operient eos:*) quia etsi non simul rebus temporalibus subleuantur, simul tamẽ in cura rerum temporalium mentis torpore sopiuntur. Simúlque eos vermes operiunt: quia vel istum vt concupita habeat, vel illum ne habita amittat, carnales cogitationes premunt. Beatus autem Iob qui nec habitis rebus elatus fuerat, nec amissas cum anxietate requirebat: quia nullis exterioris damni cogitationibus mordebatur, eum vermes cordis non operuerant. Et quia in terrena cura mentem suam non deiecerat, nequaquam in puluere dormiebat. Sequitur: *Certè noui cogitationes ve-*
1.Cor.1. *stras & sententias contra me iniquas.*) Cùm scriptum sit: Quis scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? qua ratione nunc dicitur: Certè noui cogitationes vestras? Sed tunc spiritus hominis ignoratur ab altero, cùm ver-
Matth.7. bis vel operibus non demonstratur. Nam cùm scriptum sit: Ex fructibus eorum cognoscetis eos: per hoc quod foris agitur, quicquid intus latet, aperitur. Vnde rectè quoque per Sa-
Prouer.17. lomonem dicitur: Quomodo in aquis resplẽdent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus. Proinde beatus Iob cùm amicorum colloquentium cogitationes nosse se diceret, adiunxit: *Et sententias contra me iniquas:*) vt ex patenti re ostenderet, quia hoc quod in eis latebat, inuenisset. Vnde ipsas quoque eorum iniquas sententias adiungit, dicens:

Quòd impij in hoc seculo sibi tabernacula figant, & domos & principatus constituant: sancti verò, viatores dicuntur, & pertranseunt, nec in hoc mundo radices sui amoris figere dignantur.
Caput XXXV.

DIciti enim: *Vbi est domus principis, & vbi tabernacula impiorum?*) Infirmi quique qui in hoc mundo florere appetunt: & sicut magna mala, sic flagella pertimescunt, in eis quos flagellatos aspiciunt, culpas ex pœna metiuntur. Quos enim percussos cernunt, Deo displicuisse suspicantur. Vnde amici beati Iob quem percussum viderunt, impium fuisse crediderunt: videlicet æstimantes quia si impius non fuisset, eius tabernacula permanerent. Sed ista non cogitat, nisi qui adhuc infirmitatis tædio laborat: qui in præsentis seculi delectatione gressum cogitationis figit: qui transire ad æternam patriam perfectis desideriis nescit. Vnde bene subiungitur: *Interrogate quemlibet de viatoribus, & hæc eadem illum intelligere cognoscetis: quia in diem perditionis seruatur malus, & ad diem furoris ducitur.*) Sæ-
27. Sepe diu tolerãtur dãnandi. pe etenim diuina patientia tolerat, quos iam ad supplicia præscita condemnat, permittit florere, quos adhuc cernit deteriora perpetrare. Quia enim videt ad quam damnationis foueam tendant: hoc eis pro nihilo esse existimat, quòd hîc peruersi relinquenda multiplicant. Sed quisquis præsentis vitæ gloriam diligit, magnã esse fœlicitatem deputat hîc secundũ votum florere: quanuis cogatur postmodum supplicia æterna tolerare. Solus ergo ille conspicit nil esse quòd iniquus floret: qui iam gressum cordis ab amore præsentis seculi amouit. Vnde rectè cùm de subsquenti damnatione impij diceretur, præmittitur: *Interrogate quemlibet de viatoribus, & hæc eadem illum intelligere cognoscetis.*) Viator quippe dicitur, qui præsentem
Viator. vitam, viam sibi esse, & non patriam attendit: qui in dilectione præteruentis seculi cor figere despicit: qui non remanere in transeuntibus, sed ad æterna peruenire concupiscit. Qui enim in hac vita viator esse non appetit, huius vitæ prospera minimè contemnit: & ea quæ ipse desiderat, cùm abundare aliis viderit, miratur. Vnde Dauid propheta quoniam à dilectione præsentis seculi iam corde transierat: iniqui gloriam
Psal.36. describens dicebat: Vidi impium superexaltatum & eleuatũ sicut cedros Libani. Sed quia cor huic mundo non subdidit, hunc iure despexit, dicens: Transiui, & ecce non erat. Esset quippe aliquid in eius æstimatione impius, si ipse ab hoc seculo per intentionem minimè transisset. Sed is cui non transeũti magnum aliquid esset, trãseunti animo quàm nihil esset apparuit: quia dum æterna retributio cogitatur, præsens gloria quàm sit nulla cognoscitur. Hinc Moyses cùm supernæ contemplationis gloriam quæreret, dixit: Trãsiens videbo visio- Exod.3.
nem. Nisi enim gressum cordis à seculi amore remouisset, nequaquam intelligere superna potuisset. Hinc Hieremias propheta luctum cordis sui considerari deposcẽs, ait: O vos om- Thren.1.
nes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus. Qui enim præsentem vitam non quasi viam trãseunt, sed quasi patriam attendunt, luctum cordis electorũ considerare nesciunt. Illos ergo vt dolorem suum considerent exquirit, quos in hoc mundo contigit animum non fixisse. Hinc per Salomonem dicitur: Aperi os tuum muto: & cau- Prouer.31.
sis omnium filiorum qui pertranseunt. Muti enim dicuntur qui prædicatorum verbis contradicendo minimè resistunt. Qui etiam pertranseuntes sunt: quia intentionem mentis in amore vitæ præsentis figere dedignantur. Igitur quia malus ad diem perditionis seruatur, & ad diem furoris ducitur, hoc nõ nisi qui est viator, intelligit: quoniam qui cor in præsentibus fixit, quæ † iniquo seruantur supplicia non deprehendit. De † al. quæ iniquum sequãtur sup.
quo adhuc subditur:

Quòd antichristum in fine seculi Deus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui.
Caput XXXVI.

QVis arguet coram eo viam eius: & quæ fecit, quis reddet illi? Sæpe malus indignationem conditoris sui quam in æternum passurus est, & in hac quoq; vita positus experitur, dum prosperitatem quam amat amittit, & aduersitatem quam formidat inuenit, Et quanuis increpari de suis prauitatibus à iustorum lingua etiam in prosperis valeat: scimus tamen quòd cùm facta sua peruersum quemque deiiciunt, iustorum increpatio conualescit. Qua autem ratione nunc dicitur: Quis arguet coram eo viam eius: dum etiã iustis tacentibus hoc quoque notum sit: quia toties hic iniqui via arguitur, quoties eius prosperitas interueniente aduersitate turbatur? Sed beatus 28.
Iob dum de omnium malorum corpore loqueretur, subitò ad omnium iniquorum caput verba conuertit. Vidit enim quòd in fine mundi satan hominem ingrediens, quem sacra scriptura antichristum appellat: tanta elatione extollitur: tanta virtute principatur: tantis signis & prodigiis in sanctitatis ostensione eleuatur, vt argui ab homine eius facta non valeãt: quia cum potestate terroris † adiungit etiam signa ostensæ † vel. adiũguntur.
sanctitatis, & ait: *Quis arguet coram eo viam eius?*) Quis videlicet hominum illum increpare audeat, cuius visum ferre pertimescit? Sed tamen eius viam non solùm Helias & Enoch, qui in eius exprobrationem ad medium deducuntur, sed etiam omnes electi arguunt dum contemnunt, dum virtute mentis eius malitiæ resistunt. Sed quia hoc ex diuina gratia & nõ suis viribus faciunt, rectè nunc dicitur: *Quis arguet coram eo viam eius?*) Quis etenim nisi Deus, cuius adiutorio electi vt resistere valeant fulciuntur? Aliquando enim in scriptura sacra cùm interrogando quis ponitur, omnipotẽs designatur. Vnde scri-
ptum est: Quis suscitabit eum? De quo per Paulum dicitur: Gene.49.
Quem Deus suscitauit à mortuis. In eo ergo quòd sancti viri Galat.1.
eius iniquitati contradicunt, non ipsi sunt qui viam eius arguunt: sed ille est ex cuius gratia confortantur. Et quia præsentia eius qua in homine venturus, multo atrocior in persecutione erit, quàm nunc cùm minimè cernitur: quia specialiter adhuc illo vase suo proprio non gestatur: bene dictum est: *Coram eo.*) Multi enim nunc vias antichristi diiudicantes corripiunt: sed hoc quasi in eius absentia faciunt, dum illum arguunt, quem adhuc specialiter non intuentur. Cùm verò in illo damnando homine venerit, quisquis eius præsentiæ resistit: coram eo viam eius arguit, cuius vires & conspicit & contemnit. Vel certè viam eius arguere, est prosperitatem cursus eius æterno supplicio interueniente turbare. Quod quia solus Dominus propria virtute facturus est: de quo scriptum est: Quem dominus Iesus interficiet spiritu oris 1.Thess.2.
sui, & destruet illustratione aduentus sui: rectè dicitur: Quis arguet coram eo viam eius? Vnde & sequitur: *Et quæ fecit, quis reddet illi?*) Quis nimirum nisi Dominus? Qui solus

illi perdito homini quæ fecit reddet, dum poteſtatem eius tam validam per aduentum ſuum æterna damnatione contriuerit. Sed elatus iſte princeps malorum, in hac vita quandiu eſt poſitus, quid agat audiamus. Sequitur:

Quòd congeries mortuorum ſit multitudo peccantium: in quorum membris, quaſi in ſepulchris ſuis, ſatan vigilat.
Caput XXXVII.

29 IPſe *ad ſepulchra ducetur & in congerie mortuorum vigilabit.*) Quia ſepulchra mortuos tegunt: quid aliud per ſepulchra, quàm reproborum corda ſignantur: in quibus extinctæ à vita beatitudinis animæ velut in ſepulchris latent? Iniquus ergo iſte ad ſepulchra ducetur: quia in prauorum cordibus recipietur: quoniam ſoli eum illi ſuſcipiunt, in quibus mortuæ à Deo animæ reperiuntur. De quo rectè etiam dum eius ſupplicia deſcribuntur, per Prophetam dicitur: In circuitu illius
Exech.32. ſepulchra eius, omnes interfecti, & qui ceciderunt gladio. Ille quippe in inferno iuxta ipſum ſunt, in quibus idem malignus ſpiritus mortuus iacet. Qui iniquitatis eius gladio percuſi
Pſalm.143. ceciderunt. Vnde ſcriptum eſt: Qui liberaſti Dauid ſeruum tuum de gladio maligno. Rectè autem dicitur. *Et in congerie mortuorum vigilabit:*) quia nunc in congregatione peccantium aſtutiæ ſuæ inſidias exerit. Pro eo autem quia in mundo raritas bonorum eſt, & multitudo malorum: rectè mortuorum
Matthæ.7. congeries nominatur, vt ipſa iniquorum multitudo ſignetur. Lata enim via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui ingrediuntur per eam. Satanæ itaque in congerie mortuorum vigilare, eſt in reproborum cordibus malitiæ ſuę aſtutias exercere. De quo adhuc ſubditur:

Quòd diaboli ſuggeſtiones dulces ſunt his: quos amor huius mundi voluit in profundum damnationis.
Caput XXXVIII.

DVlcis *fuit glareis cocyti.*) Græca lingua cocytus luctus dicitur: qui tamen luctus fœminarum vel quorumlibet infirmantium ſolet intelligi. Sapientes verò huius ſeculi à luce veritatis excluſi, quaſi vmbras quoſdam de veritatis inquiſitione tenere conati ſunt. Vnde cocyton fluuium currere apud inferos putauerunt: videlicet deſignantes, quòd hi qui digna doloribus opera faciunt, in infernum ad luctum decurrunt. Sed nos deſpiciamus vmbram carnalis ſapientiæ, qui iam de veritate lucem tenemus: & cognoſcamus voce beati
Pſalm.30. viri cocyton luctum infirmantium dici. Scriptum quippe eſt: Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum. Qui enim in Deo confortari renuunt, ad luctum per animi infirmitatem tendunt. Glareas verò lapillos fluminum appellare conſueuimus, quos aqua dèfluens trahit. Qui ergo per glareas cocyti, niſi reprobi deſignantur, qui ſuis voluptatibus dediti, quaſi ſemper à flumine ad ima detrahuntur? Qui enim contra voluptates huius ſeculi ſtare fortiter nolunt, glareæ cocyti fiunt: quia ſuis quotidie lapſibus ad luctum tendunt, vt in æternum pòſt lugeant, qui modo ſe in ſuis voluptatibus delectabiliter relaxant. Et quia antiquus hoſtis ſuum vas illum reprobum hominem ingreſſus, dum dona peruerſis tribuit, dum eos in hoc mundo honoribus extollit, dum eorum oculis prodigia oſtendit, dum fluxæ mentes hunc in ſuis prodigiis admirantur & ſequuntur, bene de eo dicitur: *Dulcis fuit glareis cocyti.*) Cùm enim hunc electi deſpiciunt, cùm mentis calce contemnunt, illi eum ſequentes diligunt, qui velut aqua voluptatis ad perpetuum luctum trahuntur: qui per terrenam concupiſcentiam more glareæ quotidianis lapſibus ad ima dilabuntur. Aliis nanque guſtum ſuæ dulcedinis per ſuperbiam: aliis per auaritiam: aliis per inuidiam: aliis per fallaciam: aliis per luxuriam porrigit: & ad quanta vitiorum genera pertrahit, quaſi tot ſuæ dulcedinis potus propinat. Nam cùm aliquid ſuperbum in mentem perſuadet, fit dulce quod dicit: quia videri prælatus cæteris hominibus peruerſus appetit. Dum menti auaritiam infundere molitur, fit dulce quod occultè loquitur: quia per abundantiam neceſsitas vitatur. Dum aliquid de inuidia ſuggerit, fit dulce quod dicit: quia peruerſa mens dum alium decreſcere viderit, exultat ſe eo minorem minimè videri. Cùm aliquid de fallacia perſuadet, fit dulce quod ſuggerit: quia eo ipſo quo fallit cæteros, prudens videtur ſibi. Cùm luxuriam deceptæ menti loquitur, fit dulce quod ſuadet: quia in voluptate animum reſoluit. Quot ergo vitia carnalium cordibus inſerit, quaſi tot potus ſuæ eis dulcedinis porrigit. Quem tamen, vt prædixi, eius dulcedinem non percipiunt, niſi qui præſentibus voluptatibus dediti, ad perpetuum luctum trahuntur. Bene ergo dicitur: *Dulcis fuit glareis cocyti:*) quia amarus electis, & ſuauis eſt reprobis. Illos enim ſolummodo ſuis delectationibus paſcit, quos quotidianis lapſibus ad gemitum impellit. Sequitur:

Quòd diabolus ab initio mundi multo plures ante ſe traxit, quàm finis mundi habeat, cùm antichriſtus venerit.
Caput XXXIX.

ET *poſt ſe omnem hominem trahit, & ante ſe innumerabiles.*) 30
Hoc loco homo, humana ſapiens dicitur. Sed cùm plus ſint omnes quàm innumerabiles, quærendum eſt nobis, cur ante ſe innumerabiles, & poſt ſe omnes trahere dicatur, niſi quòd antiquus hoſtis reprobum tunc hominem ingreſſus, cunctos quos carnales inuenerit, ſub ſuæ iugum ditionis rapit? Qui & nunc priuſquam appareat, innumerabiles quidem, non tamen omnes carnales trahit: quia quotidie à carnali opere ad vitam multi reuocantur: atque ad ſtatum iuſtitiæ alij per breuem, alij verò per longam pœnitentiam redeunt. Et nunc innumerabiles rapit, cùm falſitatis ſuæ ſtupenda hominibus ſigna non exhibet. Cùm verò coram carnalium oculis miranda eis prodigia fecerit: poſt ſe tunc non innumerabiles, ſed omnes trahit: quia qui bonis præſentibus delectantur, poteſtati illius ſe abſq; retractatione ſubiiciunt. Sed ſicut prefati ſumus, quia plus eſt omnem hominem quàm innumerabiles trahere: cur prius dicitur quia omnem hominem trahit, & pòſt in augmento innumerabiles ſubiiciuntur? Ratio nanque expetit, vt prius quod minus eſt, & pòſt in augmento quod plus eſt, diceretur. Sed ſciendum quia hoc loco plus fuit innumerabiles dixiſſe quàm omnes. Pòſt ſe enim omnem hominem trahit: quia in tribus annis & dimidio omnes quos in ſtudiis vitæ carnalis inuenerit, iugo ſuæ dominationis aſtringit. Ante ſe verò innumerabiles traxit: quia per quinque milia & adhuc amplius annorum curricula, quanuis carnales omnes trahere minimè potuit: multo tamen plures ſunt in tam longo tempore hi, quos ante ſe innumerabiles rapit, quàm omnes quos in tam breui tempore rapiendos inuenerit. Bene ergo dicitur: Poſt ſe omnem hominem trahit, & ante ſe innumerabiles: quia & tunc minus tollit, cùm omnes tulerit: & nunc amplius diripit, cùm corda omnium inuadit. Hæc beatus Iob, quia contra iniquorum principem mirè diſſeruit, qui in hac vita extolli permittitur, ſed in aduentu Domini deſtruetur: de ſe patenter oſtendit, quia flagella dominica non ex offenſione ſuſceperit: quoniam ſi iniquus quiſque in hac vita permittitur proſperari, neceſſe eſt vt electus Dei debeat ſub flagelli freno retineri.
Ex qua re amicos arguit, dicens: *Quomodo igitur conſolamini me fruſtra, cùm reſponſio veſtra repugnare oſtenſa ſit veritati?*) Amici beati Iob eum conſolari non poterant, in quo ſuis ſermonibus veritati contraibant. Cúmque hunc hypocritam vel impium dicerent, per hoc quòd ipſi mentientes perpetrabant culpam, augebant proculdubio pœnam iuſti vulneribus afflicti. Nam ſanctorum mentes quia veritatem diligunt, etiam culpa fallaciæ torquet alienæ. Quantò enim graue mendacij eſſe crimen aſpiciunt, tantò hoc non ſolùm in ſe, ſed etiam in aliis oderunt.

Libri decimiquinti Moralium ſancti
Gregorij finis.

B. GREGORII

B. GREGORII MORALIVM CAPVT VIGESIMUM ſecundum textus libri beati Iob: principium verò libri decimiſexti expoſitionis in eundem librum.

REſpondens autem Eliphas Themanites, dixit: Nunquid Deo comparari poteſt homo, etiam cùm perfectæ fuerit ſcientiæ? Quid prodeſt Deo ſi iuſtus fueris: aut quid ei confers ſi immaculata fuerit vita tua? Nunquid timens arguet te: & veniet tecum in iudicium, & non propter malitiam tuam plurimam, & infinitas iniquitates tuas? Abſtuliſti enim pignus fratrum tuorum ſine cauſa: & nudos ſpoliaſti veſtibus. Aquam laſſo non dediſti: & eſurienti ſubtraxiſti panem. In fortitudine brachij tui poſsidebas terram: & potentiſsimus obtinebas eam. Viduas dimiſiſti vacuas: & lacertos pupillorum comminuiſti. Propterea circundatus es laqueis, & conturbat te formido ſubita. Et putabas tenebras te nõ viſurum, & impetu aquarum inundantium non oppreſſum iri. An cogitas quòd Deus excelſior cœlo ſit, & ſuper ſtellarum verticem ſublimetur? Et dicis: Quid enim nouit Deus? Et quaſi per caliginem iudicat. Nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat. Nunquid ſemitam ſeculorum cuſtodiri cupis, quam calcauerunt viri iniqui: qui ſublati ſunt ante tempus ſuum: & fluuius ſubuertit fundamentum eorum? Qui dicebant Deo: Recede à nobis: & quaſi nihil poſsit facere omnipotens, æſtimabant eum, cùm ille impleſſet domos eorum bonis. Quorũ ſententia procul ſit à me. Videbunt iuſti, & lætabuntur: & innocẽs ſubſannabit eos. Nónne ſuccisa eſt erectio eorum, & reliquias eorũ deuorabit ignis? Acquieſce igitur ei, & habeto pacem, & per hæc habebis fructus optimos. Suſcipe ex ore illius legẽ, & pone ſermones eius in corde tuo. Si reuerſus fueris ad omnipotẽtem, ædificaberis: & longè facies iniquitatem à tabernaculo tuo. Dabit pro terra ſilicẽ, & pro ſilice torrentes aureos. Erítque omnipotens contra hoſtes tuos, & argẽtum coaceruabitur tibi. Tunc ſuper omnipotentẽ deliciis afflues, & eleuabis ad Deũ faciem tuã. Rogabis eum, & exaudiet te: & vota tua reddes. Decernes rem, & veniet tibi, & in viis tuis ſplendebit lumen. Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria: & qui inclinauerit oculos ſuos ipſe ſaluabitur. Saluabitur innocens: ſaluabitur autem munditia manuum ſuarum.

Quòd iuſtitia noſtra non indigeat Deus.
Caput I.

OVi contra veritatis verba in allegatione deſiciunt: ſæpe etiam nota replicant, ne tacendo victi videantur. Vnde Eliphas beati Iob ſermonibus preſſus, ea dicit quæ nullus ignorat. Ait enim: *Nunquid Deo comparari poteſt homo, etiam cùm perfectæ fuerit ſcientiæ?*) In comparatione enim Dei ſcientia noſtra ignorantia eſt. Ex Dei nanque participatione ſapimus, non comparatione. Quid ergo mirũ cùm illud quaſi per doctrinam dicitur: quod ſciri potuit etiã ſi taceretur? Qui adhuc Dei potentiam quaſi defendẽdo ſubiungit: *Quid prodeſt Deo ſi iuſtus fueris: aut quid ei confers, ſi immaculata fuerit vita tua?*) In omni quippe quod bene agimus, noſmetipſos, non autem Deum iuuamus. Vnde & per Pſalmiſtã dicitur: Dixi domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum Pſal.15.
meorũ non eges. Ipſe enim verè nobis Dominus: quia & vtique Deus eſt, qui bono non indiget ſeruientis, ſed bonitatem confert quam recipit: vt oblata bonitas nõ ipſi, ſed prius accipientibus, & pòſt reddentibus proſit. Nam etſi in iudiciũ Dominus veniẽs dicit: Quandiu feciſtis vni de his fratribus meis Matth. 25.
minimis, mihi feciſtis: mira hoc pietate loquitur ex ſuorũ cõpaſsione membrorũ. Et ipſe nos per hoc quòd caput noſtrũ eſt, adiuuat: qui per noſtra bona opera in ſuis membris adiuuatur. Adhuc adiungit Eliphas quod nullus ignorat, dicens: *Nunquid timens arguet te, & veniet tecum ad iudicium?*) Quis hoc vel deſipiens ſentiat, quòd Dominus ex timore nos arguat, & ex metu iudicium contra nos ſuum proponat? Sed qui verba ſua metiri neſciunt, proculdubio ad otioſa dicta dilabuntur.
B In quibus ſi ſe minimè reprehendunt: ſtatim ad noxia & contumelioſa verba proſiluntur. Vnde Eliphas qui otioſa intulit, ad contumelioſa protinus verba prorupit, dicens: *Et non propter malitiam tuam plurimam, & infinitas iniquitates tuas.*) Ecce à torpenti corde ad verba venit otioſa: ab otioſis autem verbis per crimen fallaciæ ad cõtumelias exarſit. Iſti quippe ſunt caſus culpæ creſcentis, vt lingua cùm nõ reſtringitur, nequaquã vbi ceciderit iaceat, ſed ſemper ad deteriora deſcendat. Ea verò quæ ſubiuncta ſunt quia valde iuxta hiſtoriam patent, exponenda ad literam non ſunt. Sed quia amicos beati Iob hæreticorum ſpeciem tenere diximus, ipſum verò ſignificationem ſanctæ Eccleſiæ gerere, iam nunc Eliphas verba quomodo hæreticorum falſitati congruant, demonſtremus. Nam ſequitur:

Quid ſit quòd per Moyſen iubetur, vt ante ſolis occaſum debitori fratri pignus reſtituatur.
Caput II.

C ABſtuliſti *enim pignus fratrum tuorum ſine cauſa: & nudos ſpoliaſti veſtibus. Aquam laſſo non dediſti: & eſurienti ſubtraxiſti panem. In fortitudine brachij tui poſsidebas terram: & potentiſsimus obtinebas eam.*) In ſcriptura ſacra pignoris appellatione aliquan- 2.
do dona ſpiritus ſancti, aliquando verò ſignatur confeſsio peccati. Pignus nanque accipitur donum ſpiritus ſancti: ſicut per Paulum dicitur: Qui dedit nobis pignus ſpiritus. Ad hoc 2.Cor.1.
enim pignus accipimus, vt de promiſsione quæ nobis fit, certitudinem teneamus. Donum ergo ſancti ſpiritus pignus dicitur: quia per hoc noſtra anima ad interioris ſpei certitudinem roboratur. Rurſum pignoris nomine, peccati confeſsio Exod.22.
ſolet intelligi: ſicut in lege ſcriptum eſt: Cùm debet tibi quippiam frater tuus, & abſtuleris pignus ab eo, ante Solis occaſum pignus reſtitue. Frater etenim noſter debitor nobis efficitur, cùm quilibet proximus in nos aliquid deliquiſſe monſtratur. Peccata quippe debita vocamus. Vnde peccatori ſeruo dicitur: Omne debitum dimiſi tibi. Et in dominica ora- Matth.18.
tione quotidie precamur: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut Matth.6.
D & nos dimittimus debitoribus noſtris. A debitore autem noſtro pignus accipimus, quando ab eo qui in nos peccaſſe cognoſcitur, peccati eius iam confeſsionem tenemus, per quam relaxare peccatum quod in nos perpetratum eſt poſtulamur. Qui enim peccatum quod commiſit fatetur, & veniam petit, iam quaſi pro debito pignus dedit. Quod nimirum pignus ante Solis occaſum reddere iubemur: quia priuſquam in nobis per dolorem cordis ſol iuſtitiæ occidat, debemus ei confeſsionem venię reddere, à quo confeſsionem accipimus culpæ: vt qui ſe deliquiſſe in nos meminit, à nobis mox relaxatum ſentiat, quod deliquit. Quia ergo ſancta Eccleſia quoſlibet ab hæreticis ad veritatem fidei reuertentes recipit, prius vt confiteri erroris ſui culpam debeant perſuadet: quaſi ſub hæreticorum ſpecie per Eliphas dicitur: *Abſtuliſti enim pignus fratrum tuorum ſine cauſa.*) id eſt, ab his qui à nobis ad te veniunt, inutiliter confeſsionem erroris exegiſti. Si verò, vt prediximus, pignus ſancti ſpirittus dona ſentiamus, hæretici ſanctam Eccleſiam fratrum ſuorum pignus dicunt abſtuliſſe: quia eos qui ad illam veniunt, dona ſpiritalia ſuſpicantur amittere. Vnde & ſequitur:

Quòd hæretici in catholica Ecclesia panem sanæ doctrinæ, & vestimenta disciplinæ negant esse, apud se esse affirmant, ideóque catholicis insultant. Caput III.

ET *nudos spoliasti vestibus.*) Eos quos hæretici peruersis prædicationibus trahunt, præcepta doctrinæ suæ quasi quædam vestimenta habere existimant: & tandiu illos vestitos putant, quandiu hæc quæ ipsi prædicauerunt, ab illis seruari considerant: ex quibus cùm quidam ad sanctam Ecclesiam redeunt, eos protinus doctrinæ vestimenta perdidisse suspi-
3 cantur. Sed cùm nudus expoliari nequeat, quærendum nobis est: quomodo prius nudi, & pòst spoliati memorantur? Sed sciendum est quia omnis qui cordis puritate perfruitur, eoipso quo duplicitatis in se tegumentum non habet, nudus est. Et sunt nonnulli apud hæreticos, qui cordis quidem puritatem habent, sed tamen doctrinæ eorum dogmata peruersa suscipiunt. Hi nimirum & ex sua puritate nudi sunt, & quasi ex eorum prædicatione vestiuntur. Et quia tales quique facile ad sanctam Ecclesiam redeunt, eo quòd duplicitatis malitia non vtuntur, eos hæretici nudos fatentur, quos ab ea dicunt vestibus expoliatos: quia simplices quosque pigros atque hebetes putant, quos praua sua dogmata perdidisse considerant. Sequitur: *Aquam lasso non dedisti, & esurienti subtraxisti panem.*) Hæretici quique, quo veritatis soliditatem non tenent, eo nonnunquam student, vt loquaciores appareant: & contra catholicorum fidem quasi de doctrinæ scientia gloriantur: Cunctos quos aspiciunt, prauis ad se trahere sermonibus quærunt: & vnde sibi alios ad interitum sociant, inde se agere aliquid viuaciter putant. Eos vero lassos dicimus, qui sub huius seculi onere laborioso fatigantur. Vnde & per se-
Matthæ.11. metipsam veritas dicit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Hæretici igitur, quia sua dogmata prædicare non cessant, sanctam Ecclesiam quasi de imperitia irrident, dicentes: Aquam lasso non dedisti, & esurienti panem subtraxisti. Se enim aquam lasso dare existimant, cùm quibusdam sub terreno fasce laborantibus sui poculum erroris præbent. Et panem se esurientibus non subtraxisse suspicantur: quia etiam de inuisibilibus atque incomprehensibilibus requisiti, cum superba audacia respondent. Et tunc se doctos præ omnibus credunt, cùm loqui de incognitis infœlicius præsumũt. Sancta verò Ecclesia dum quempiam videt esurire, quod ei non prosit accipere: aut si iam sunt sibi cognita, modestè supprimit: aut si adhuc videtur incognita, humiliter fatetur: eósque ad ordinatæ humilitatis sensum reuocat, cùm per suum illis prædicatorem dicit: Non
Roma.12. plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.
Roma.11. Et rursum: Noli altum sapere sed time. Atque iterum: Altio-
Eccle.3. ra te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Et rursum:
Prouer.25. Mel inuenisti: comede quod sufficit tibi, ne fortè satiatus euomas illud. Mel quippe inuenire, est sancti intellectus dulcedinem degustare. Quod tunc sufficienter comeditur, quando nostra intelligentia iuxta mensuram sensus sub moderamine tenetur. Nam satiatus mel euomit, qui plus appetens penetrare quàm capit, & illud perdit vnde potuit nutriri. Quia ergo sancta Ecclesia ab infirmis mentibus prohibet alta perscruta-
4 ri, beato Iob dicitur: Esurienti subtraxisti panem. Et quia eius quoque magnitudini hæretici inuidẽt, quòd in fide vera populos vniuersaliter tenet, cùm terrenæ prosperitatis tempus inueniunt, contra eam in superbis vocibus excedunt: & exprobrantes aperiunt, quantum prius eius potentiæ latenter inuidebant. Nam sequitur: *In fortitudine brachij tui possidebas terram: & potentissimus obtinebas eam.*) Ac si patenter dicant: Quòd in prædicatione tua terram vniuersaliter occupasti, potentia fortitudinis, nõ ratio veritatis fuit. Quia enim Christianos principes prędicationem eius tenere conspiciunt, hoc quod ei à populis creditur, nõ virtutem rectitudinis, sed caussam secularis potentiæ esse suspicantur. Sequitur: *Viduas dimisisti vacuas: & lacertos pupillorum comminuisti.*) Plebes quæ hæreticis prædicantibus sunt subiectæ, ex carnali intelligentia errorum eorum semina peruersa concipiunt, eisq; in sua damnatione sociantur. Sed cùm sancta Ecclesia ipsos errorum prædicatores vel ratione victos ad se suscipit: vel studio peruersitatis obduratos sub disciplinæ suæ vincula restringit: destituti hæretici cùm remanere apud se plebes sine prædica-
E toribus vident, quid aliud à sancta Ecclesia quàm viduas vacuas relictas dolent? Et quia subtractis hæreticorum magistris, eorum discipulos in suo opere infirmitari suspicantur, quasi lacertos pupillorum comminutos ab Ecclesia esse conqueruntur. Vel certè quia sancta Ecclesia dum quosdam ab hæreticis venientes suscipit: liquet nimirum quòd pristino eorum errori contradicit. Nam sunt nonnulli qui ita virginitati carnis student, vt nuptias damnent: & sunt nonnulli qui ita abstinentiam laudant, vt sumentes alimenta necessaria detestentur. De quibus per Paulum dicitur: Prohibentium nu- 1.Timot.4.
bere, iubentium abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus. Quia ergo eos à carnali intentione suæ superstitionis reuocat, hæretici cùm hos aspiciunt aliter viuere quàm docuerunt, lacertos eorum ab operatione quam prius tenuerãt, comminutos esse ab Ecclesia detestantur. Vnde & in hoc tempore disciplinæ, si quid ei aduersitatis euenerit, hoc euenisse ex digna peccatorum re-
F tributione suspicantur. Nam subditur: *Propterea circundatus es laqueis, & conturbat te formido subita.*) Illum formido subita conturbat, qui considerare negligit, quid ex districtione iudicis venientis immineat. Quia ergo fidelem populum hæretici culpis perfidiæ oppressum credunt, circundatum laqueis accusant. Et quia existimant quòd futura non præuideat, in percussione sua hunc subita formidine conturbatum putant. Qui adhuc insultantes adiungunt: *Et putabas te tenebras non visurum, & impetu aquarum inundantium non oppressum iri.*) Ac si apertè dicant: Securitatem pacis in spe tibi proposueras: & idcirco de præsumptione tua quasi de luce gaudebas, nec te vnquam opprimi tribulationibus existimasti. Sed ecce dum superuenientibus malis affligaris, an sint recta quæ tenes, ipsæ quæ te opprimunt tribulationum tenebræ ostendunt. Quas videlicet tribulationes Eliphas aquis innundantibus comparat: quia dum aliæ super alias irruunt, quasi aquis tumentibus vndæ vndas sequuntur. Sequitur:

Caput V.

G AN *cogitas quòd Deus excelsior cœlo sit, & super stellarum vertices sublimetur? & dicis: Quid enim nouit Deus? & quasi per caliginem iudicat. Nubes latibulum eius: nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat.*) Sunt plerique ita hebetes, vt for- 5
midare nesciant, nisi quod corporaliter vident. Vnde fit, vt Deum non metuant, quem videre non possunt. Hæretici autem quia se esse sapientes arbitrantur, verba contra catholicos irrisionis proferunt: atque ab eis illum non timeri suspicantur, quem videre corporaliter nequeunt: vt quasi per torporem sensus authorem suum existiment, quia cœlo excelsior est, & super stellarum vertices sublimatur, ex longinquo videre non posse: & quia inter nos & cœlestem sedem partes aëreæ intersunt, quasi in nube latens per caliginem iudicet, & superioribus intentus, minus ima perpendat: & dum cœli cardines ambiendo constringit, inferiora non videat. Sed quis de Deo ista vel desipiens suspicetur? Qui nimirum dum sit semper omnipotens, sic intendit omnibus, vt assit singulis: sic adest singulis, vt simul omnibus nunquã desit. Nam etsi quos-
H dam peccãtes deserit, eisdem tamen ipsis adest per iudicium, quibus deesse cernitur per adiumentum. Sic itaque exteriora circundat, vt interiora impleat: sic interiora implet, vt exteriora circundet: sic summa regit, vt ima deserat: sic imis præsens est, vt à superioribus non recedat: sic latet in sua specie, vt tamen cognoscatur in operatione: sic cognoscitur in suo opere, vt tamen comprehendi non valeat à cognoscentis æstimatione: sic adest, vt videri nequeat: sic videri non valet, vt tamen eius præsentiam ipsa sua iudicia testentur: sic se nobis intelligendnm præbet, vt tamen ipsum nobis radium sui intellectus ohnubilet: & rursum sic caligine nos ignorantiæ reprimit, vt tamen menti nostræ radiis suæ claritatis intermicet: quatenus & subleuata quippiam videat, & reuerberata contremiscat: & quia eum sicuti est videre non potest, aliquatenus videndo cognoscat. Sed hæc hæretici sanctam Ecclesiam scire non æstimant: quia stulto iudicio solos se esse sapientes putant. Ex quorum adhuc typo subiungitur: *Nunquid semitam seculorum custodire cupis, quam calcauerũt viri iniqui?*) Sicut semita redẽptoris nostri humilitas, ita semita seculorum superbia est. Seculorum itaq; semitam viri iniqui calcant: quia per huius vitæ

huius vitæ desideria in elatione perambulant. De quibus adhuc iniquis subditur:

Deus mutat sententiam, consilium verò immobile manet. Caput IIII.

6 QVi *sublati sunt ante tempus suum, & fluuius subuertit fundamentum eorum.*) Cùm tempus vitæ à diuina nobis præscientia sit proculdubio præfixum: quærendum valde est, qua ratione nunc dicit: quòd iniqui ex præsenti seculo ante tempus proprium subtrahantur? Omnipotens enim Deus & si plerunque mutat sententiam, consilium nunquam. Eo ergo tempore ex hac vita quisque subtrahitur, quo ex diuina potentia ante tempora præscitur. Sed sciendum quia creans & ordinans nos omnipotens Deus iuxta singulorum merita, disponit, & terminum: vt vel malus ille breuiter viuat, ne multis bene agentibus noceat: vel bonus iste diutius in hac vita subsistat, vt multis boni operis adiutor existat: vel rursum malus longius differatur in vita, vt praua adhuc opera augeat: ex quorum tentatione purgati iusti verius viuant: vel bonus citius subtrahatur, ne si hìc diu vixerit, eius innocentiam malitia corrumpat. Sciendum tamẽ quia benignitas Dei est, peccatoribus spatium pœnitentiæ largiri. Sed quia accepta tempora nõ ad fructum pœnitentiæ, sed ad vsum iniquitatis vertũt, quòd à diuina misericordia mereri poterãt, amittunt. Quanuis omnipotẽs Deus illud tempus vniuscuiusque ad mortem præsciat, quo eius vita terminatur: nec alio in tẽpore quisquam mori potuit, nisi ipso quo moritur. Nam si
4. Regum. 20. Ezechiæ anni additi ad vitam quindecim memorantur: tempus quidem vitæ creuit ab illo termino, quo mori ipse merebatur. Nam diuina dispositio eius tempus tunc prę sciuit, quo hunc postmodum ex præsenti vita subtraxit. Cùm ergo ita sit, quid est quod dicitur: quia iniqui sublati sunt ante tempus suum, nisi quòd omnes qui præsentem vitam diligunt, longiora sibi eiusdem vitæ spatia promittunt? Sed cùm eos mors superueniens à præsenti vita subtrahit, eorum vitæ spatia quę sibi longiora quasi in cogitatione tendere consueuerant, intercidit. De quibus rectè dicitur:

Quòd reprobi in hac vita ciuitates ædificant, & delectationum suarum solennia dedicant, sancti verò dedicationem sabbati sui expectant. Caput V.

ET *fluuius subuertit fundamentum eorum.*) Iniqui enim dum corde transire ad æterna negligunt, & cuncta præsentia fugitiua esse non intuentur, mentem in amore præsentis vitæ figunt, & quasi longæ habitationis in ea sibi fundamen-
Gene.4. tum construunt: quia in terrenis rebus per desiderium solidantur. Sic primus in terra Cain ciuitatem construxisse describitur, qui videlicet peregrinus apertè monstratur: quia
† al. quæ videlicet peregrinus à summis &c. † ipse in terra fundamentum posuit, qui à soliditate æternæ patriæ alienus fuit. Peregrinus quippe à summis fundamentum in infimis posuit, * qui stationem cordis in terrena delectatione collocauit. Vnde & in eius stirpe Enoch, qui dedicatio interpretatur, primus nascitur: in electorum verò
* vel. quia. progenie Enoch septimus fuisse memoratur: quia videlicet reprobi in hac vita quæ antè est, semetipsos ædificando dedicant: electi verò ædificationis suæ dedicationem in fine temporis, id est, in septimo tempore expectant. Videas nanque plurimos temporalia sola cogitare, honores quærere, ambiendis rebus inhiare, nil post hanc vitam requirere. Quid itaque isti nisi in prima se generatione dedicãt? Videas electos nil præsentis gloriæ quærere: libenter inopiam sustinere: mala mundi æquanimiter perpeti, vt possint in fine coronari. Electis ergo Enoch in septima generatione nascitur: quia sui dedicationem gaudij in extremæ retributionis gloria requirunt. Et quia quotidiano temporis lapsu ipsa præsentis vitæ mortalitas decurrit, atque reproborum dedicationem eosdem reprobos subtrahendo destruit: rectè de iniquis dicitur: Et fluuius subuertit fundamẽtũ eorũ, id est, ipse cursus mutabilitatis statum in eis subruit peruersę cõstructionis. Sequitur: *Qui dicebant Deo: Recede à nobis.*) Hæc etiam beatum Iob dixisse quis ambigat? Sed quæ in eius dictis exposuimus, propter legentis fastidium replicare deuitamus. Sequitur: *Et quasi nil possit facere omnipotens, æstimabant eum.*) In his quoque sermo, & non sententia immutatur. Nam quod per beatum

A Iob dictum est: Quis est omnipotens vt seruiamus ei, hoc per Eliphas dicitur: Et quasi nihil possit facere omnipotens, æstimabant eum. Sequitur: *Cùm ille impleffet domos eorum bonis.*) 7.
Malorum domos Dominus bonis implet: quia etiam ingratis sua dona non denegat: vt aut benignitatem conditoris erubescant, & ad bonitatem redeant: aut redire omnimodo contemnentes, inde illic grauius puniantur, vnde hìc & bonis Dei largioribus mala reddiderunt: vt duriora eos tunc supplicia puniant, quorum hic malitiam, nec dona vicerunt. Sequitur: *Quorum sententia procul sit à me.*) Hoc etiam per beatum Iob dictum est. Ait nanqne: Quorum consilium longè sit à me, quanuis aliud sentẽtia, atque aliud consilium possit intelligi. Sententia quippe in ore est, consilium in cogitatione. Dum ergo Eliphas longè se à malorum sententia, beatus verò Iob à consilio optauit: constat nimirum quia iste malorum verbis, ille verò etiam cogitationi desiderat esse dissimilis. Sequitur:

B *Quòd iusti in hac vita in peccatis reproborum tabescunt, adhuc de suo fine incerti, postmodum verò iam non habentes quod metuant, in interitu eorum gaudebunt, vnáque erit eis cum iudice & districtio & voluntas.* Caput VI.

VIdebunt *iusti, & lætabuntur, & innocens subsannabit eos.*) Iusti cùm hìc iniustos errare conspiciunt, de errore pereuntium lætari non possunt. Si enim gaudent erroribus, iusti non sunt. Rursum si per insultationem lætantur, eo quòd tales non sunt, quales alios esse conspiciunt, omnino superbi sunt. Vnde & Pharisæus iustificationem perdidit: quia Publicani meritis gaudendo se prætulit, dicens: Gratias ago tibi, quia nõ Lucæ.18.
sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti adulteri, velut etiam hic publicanus. Rursum si dicimus quòd perfecto gaudio exultare iusti possunt de more prauorũ, quale est in hoc mundo gaudium de vltione peccantium, in quo adhuc incerta est vita iustorum? Discernamus igitur tempora tremoris & exultationis. Vident etenim nunc iniustos iusti, & de eorum nequitia tabescunt. Cúmque eos perire conspiciunt, de sua
C quoque vita suspecti fiunt. Quando ergo videbunt iusti iniquorum interitum & lætabũtur, nisi cùm districto iudici perfecta iã securitate exultationis inhæserint, cũ in illo extremo examine illorum damnationem conspiciũt, & de se iam quod metuant non habebunt? Nunc itaque reprobos aspiciunt & gemunt, tunc aspiciunt & subsannant: quia eos exultando cõspiciunt, quos modo nec sine gemitu iniqua perpetrantes, nec sine metu vident pro iniquitate morientes. Vnde per hoc quod subditur: quia de damnatione eorum vltima dicatur, ostenditur, nam protinus subinfertur:

Quòd gloria peccatorũ succidetur in fine, & ipsas carnis reliquias, quas in sepulchro deseruerat, anima rursum accipiet, vt pariter flamma gehennæ corpus & animam affligat. Caput VII.

NOnne *succisa est erectio eorum, & reliquias eorum deuorauit ignis?*) Hìc nanque iniqui erecti sunt, quia prauis actionibus extolluntur, quia & peruersè agunt, & tamen pro peruersis a-
D ctibus minimè feriuntur. Peccant & florent, peccata augent, & terrena bona multiplicant. Sed eorum erectio tunc succiditur, cùm vel à præsenti vita ad interitum, vel à conspectu æterni iudicis ad æternum gehennæ incendium pertrahuntur. Qui etsi hìc mortuam suam carnem relinquunt, ipsam quoque in resurrectione recipiunt, vt cum carne ardeant, in qua peccauerunt. Sicut enim eorum culpa in mente fuit & corpore, ita eorum pœna in anima erit pariter & carne. Quia ergo nec hoc eis erit à tormento liberum, quod hìc mortuũ relinquunt, rectè nunc dicitur: *Reliquias eorum deuorabit ignis*. Se-
quitur: *Acquiesce igitur ei, & habeto pacem, & per hæc habebis fructus optimos. Suscipe ex ore illius legem, & pone sermones eius in corde tuo.*) Culpa superbiæ est docere meliorem. Quàm sæpe hæretici perpetrant, qui de his quæ praue sentiunt, quasi docere catholicos præsumunt. Tunc enim eos putant Deo acquiescere, si illos contigerit eorum peruersitatibus consentire. Et acquiescentibus pacem promittunt: quia contra eos qui sibi consentiunt, iam iurgari desistunt. Fructus autem optimos sibi consentientibus pollicentur: quia eos solos bona opera agere existimant, quos ad sua dogmata se trahere exultant. Quibus & hoc congruit quod adiungit: 8.

Suscipe ex ore illius legem.) Quia ea quæ ipsi sentiunt, ex ore Dei procedere suspicantur. *Et pone sermones eius in corde tuo:*) Ac si apertè astruat, dicens: Quos nunc vsque in ore, & nõ in corde tenuisti. Quia enim eorum peruersa dogmata respuit, non eum verba Dei in sensu, sed in ostensione habuisse criminantur. Vnde quasi sub quadam specie dulcedinis infundunt virus pestiferæ persuasionis, vt verba Dei Ecclesiam in corde suo ponere admoneant. Quæ si vnquam à corde illius recessissent, ab illis talia nullatenus audiret. Sequitur: *Si reuersus fueris ad omnipotentem, ædificaberis, & longè facies iniquitatem à tabernaculo tuo.*) Fidelem populum hæretici à Deo discessisse existimant: quia eum suis prædicationibus resistentem vident. Quem cùm malis præsentibus afflictum conspiciunt, quasi per admonitionem ad conditoris gratiam trahere conantur, dicentes: *Si reuersus fueris ad omnipotentem, ædificaberis.*) Ac si apertè dicant: Quia nostris dogmatibus resistendo à Domino recessisti, idcirco à iustitiæ ædificatione destructus es. Tabernaculum verò aliquando accipimus habitaculum corporis, aliquando verò habitaculum cordis. Nam sicut anima habitamus in corpore, ita per cogitationes habitamus in mẽte: Iniquitas ergo in tabernaculo mẽtis, est peruersa inuentio in studio cogitationis: Iniquitas autem in tabernaculo corporis, per expletionem operis actio carnalis. Eliphas itaque quia amicus beati viri extitit, quædam vera sentiens, & tamen in his in quibus à rectitudine deuiat, hæreticorum speciem tenens, beatum Iob ex virtutibus flagellatum nesciens, errasse credidit, quem percussum vidit, eíque si reuersus ad omnipotentem fuerit, pollicetur dicens: *Longè facies iniquitatem à tabernaculo tuo:*) ac si patenter dicat: Quisquis ad Deum post errata reuertitur, in cogitatione simul & in opere mundatur. Sequitur:

Quòd infirmi sanante Deo ita conualescant, vt postmodum doctrinæ claritate effulgeant. *Caput VIII.*

9. D*Abit pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos.*) Quid per terram, nisi infirmitas actionis, quid per duritiam silicis, nisi fortitudo signatur? Quid per torrẽtes aureos, nisi doctrinam intimæ claritatis accipimus? Omnipotens autem Deus ad se conuersis pro terra dat silicem: quia pro infirma actione fortitudinem tribuit robusti operis. Dat etiam pro silice torrentes aureos: quia pro robusto opere doctrinam multiplicat claræ prædicationis, vt peccator quisque conuersus, & ex infirmo fortis existere valeat, & in sua fortitudine vsque ad proferenda verba intimæ claritatis exurgat, quatenus in eo & infirmitas actionis in qua velut terra soluitur, bene viuendi fortitudine solidetur, & rursus cùm sensus ex vita trahitur, ex ipsa fortitudine torrentes aurei defluant: quia in ore bene viuentium doctrinæ claritas inundat. Sequitur: *Eritque omnipotens contra hostes tuos, & argentum coaceruabitur tibi*) Quos magis alios hostes patimur quàm malignos spiritus? Qui in nostris nos cogitationibus obsident, vt ciuitatem valeant nostræ mentis irrumpere, eámque sub sui iugo dominij captam tenere. Argenti autem nomine, sacra eloquia designari testatur Psalmista, qui ait: Eloquia Domini eloquia casta, argentũ igne examinatum. Et sæpe cùm eloquiis sacris intendimus, malignorum spirituum insidias grauius toleramus: quia mẽti nostræ terrenarum cogitationum puluerem spargunt, vt intentionis nostræ oculos à luce intimæ visionis obscurent. Quod nimirum Psalmista pertulerat, cùm dicebat: Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei. Videlicet patẽter insinuans: quia mandata Dei perscrutari non poterat, cùm malignorum spirituum insidias in mente tolerabat. Quod etiam in Isaac opere sub Allophylorum prauitate cognoscimus designari, qui puteos quos Isaac foderat, terræ congerie replebant. Hos enim nos nimirum puteos fodimus, cùm in scripturæ sacræ abditis sensibus alta penetramus. Quos tamẽ occultè replent Allophyli, quando nobis ad alta tendentibus immundi spiritus terrenas cogitationes ingerũt, & quasi inuentam diuinæ scientiæ aquam tollunt. Sed quia nemo hos hostes sua virtute superat, per Eliphas dicitur: *Eritque omnipotens contra hostes tuos, & argentũ coaceruabitur tibi.*) Ac si apertè diceretur: Dum malignos spiritus Dominus sua à te virtute repulerit, diuini intus eloquij talentum lucidum excrescit. Sequitur:

Psalm.11. *Psalm. 118.* *Gene. 26.*

Quòd deliciis affluunt multiplices intellectus, qui in scripturis sanctis discernere sciunt. *Caput IX.*

T*Vnc super omnipotentem deliciis afflues.*) Super omnipotentem deliciis affluere, est in amore illius scripturæ sacræ epulis satiari. In cuius nimirum verbis tot delicias inuenimus, quot ad profectum nostrum intelligentię diuersitates accipimus, vt modò nuda nos pascat historia, modò sub textu literæ velata medullitus nos reficiat moralis allegoria, modò ad altiora suspendat contemplatio, in præsentis vitæ tenebris iam de lumine æternitatis intermicans. Et sciendum quòd quisquis deliciis affluit, in quadã sui remissione soluitur, atq; à laboris studio quasi ex lassitudine relaxatur: quia nimirum anima, cùm internis deliciis abundare cœperit, terrenis iam operibus incubare minimè consentit, sed amore conditoris capta, & sua captiuitate iam libera, ad cõtemplandã eius speciem deficiendo suspirat, & quasi lassescendo cõualescit: quia dum sordida onera portare iam nõ valet, ad illum per quietẽ properat quem intus amat. Hinc etiã in admiratione sponsæ scriptum est: Quę est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluẽs? Quia nimirũ sancta Ecclesia, nisi verborũ Dei deliciis affluerit, de deserto vitæ præsentis ascẽdere ad superiora nõ posset. Deliciis ergo affluit, & ascendit, quia dum mysticis intelligentiis pascitur, ad superna quotidie cõtemplãda subleuatur. Hinc etiam Psalmista ait: Et nox illuminatio mea in deliciis meis: quia dum per intellectũ mysticũ studiosa mens reficitur, iam in ea vitæ præsentis obscuritas fulgore diei subsequentis illuminatur, vt etiã in huius corruptionis caligine in intellectũ illius vis futuri luminis erumpat, & verborũ deliciis pasta prægustando discat, quid de pabulo veritatis esuriat. Sequitur: *Et lauabis ad Deum faciem tuã.*) Ad Deum faciem leuare, est cor ad sublimia inuestigãda attollere. Nã sicut per corporis faciẽ homini, ita per interiorem imaginem Deo noti atque cõspicabiles sumus. Cùm verò reatu culpæ deprimimur, ad Deũ leuare cordis nostri faciem veremur. Dum enim nulla bonorum operum confidentia fulcitur, intueri summa mens trepidat, quia ipsa se cõscientia accusat. Cùm verò iam pœnitentiẽ lamẽtis culpa diluitur, & sic perpetrata plangũtur, vt plangẽda minimè perpetrentur, magna menti fiducia nascitur, & ad cõspicienda supernæ retributionis gaudia cordis nostri facies leuatur. Sed hęc Eliphas rectè diceret, si infirmum moneret. Cùm verò iustũ virum propter flagella despicit, quid aliud quàm verba sciẽtię nesciens fundit? Quę nimirum dicta si ad hæreticorum typum ducimus, ipsi falsis promissionibus ad Deũ nos faciem leuare pollicentur. Ac si fideli populo patẽter dicant: Quandiu prædicationem nostram non sequeris, cor in infimis premis. Quia verò Eliphas beatum Iob ad Deum reuerti admonuit, à quo videlicet idem vir beatus nunquam recessit, adhuc pollicendo subiungit: *Rogabis eum, & exaudiet te.*) Rogant quippe Dominum, sed exaudiri minimè merentur, qui iubentis Domini præcepta contẽnunt. Vnde scriptum est: Qui declinat aurem suam ne audiat legẽ, oratio eius erit execrabilis. Quãdiu ergo Eliphas beatũ Iob non exaudiri credidit, hunc nimirũ in suo opere errasse iudicauit. Vnde & adhuc subdit. *Et vota tua reddes.*

10.

Cant. 8. *Psalm. 138.* *Prouerb. 28.*

Qui vota vouit, sed hæc præ infirmitate soluere non valet, ei ex peccati pœna agitur, vt volenti bonum posse subtrahatur. Cùm verò in conspectu intimi iudicis ea quæ obstitit culpa detergitur, fit protinus vt votum posibilitas sequatur. Sequitur: *Decernes rem, & veniet tibi.*) Hoc esse proprium infirmantium iudicium solet, vt tantò quempiam existimẽt iustum, quantò hunc adipisci conspiciunt omne quod appetit: cùm videlicet nouerimus nonnunquam bona terrena iustis subtrahi, quæ largo munere tribuuntur iniustis, quia & desperatis ægris medici quicquid poposcerint, dari præcipiunt, & eis quos reduci posse ad salutem præuident, quæ appetunt dari contradicunt. Sed si dicta hæc Eliphas de donis spiritalibus intulit, sciendum quòd res decernitur & venit, cùm virtus quæ ex desiderio appetitur, largiente Deo etiam effectu prosperatur. Vnde & adhuc subditur:

Cur volenti bonũ posse subtrahatur. *Cur bona iustis subtracta tribuantur iniustis.*

Quòd apud Deum nulla est iustitia hominis, si eam extollis arrogantia mentis. *Caput X.*

Et in

E*T in viis tuis splendebit lumen.*) In viis quippe iustorum lumen, splendere, est per mira opera virtutum signa suæ claritatis aspergere vt quocunque per intentionem pergunt, ab intuentium cordibus peccati noctem excutiant, & ex emplo sui operis in eis iustitiæ lumen fundant. Sed quantalibet sit iustitia operis, apud internum iudicem nulla est, si hanc eleuat tumor mentis. Vnde & subditur: *Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria: & qui inclinauerit oculos suos, ipse saluabitur.*) Quæ nimirum sententia à veritatis ore non discrepat, dicentis: Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Vnde & per Salomonem dicitur: Antequam conteratur, exaltatur cor hominis, & antequam glorietur, humiliatur. Rectè autem dicitur: Qui inclinauerit oculos suos, ipse saluabitur: quia quantum per membrorum ministerium deprehẽdi potest, prima superbiæ ostensio esse in oculis solet. Hinc enim scriptum est: Et oculos superborum humiliabis. Hinc de ipso superbiente capite dicitur: Omne sublime videt. Hinc de illa quæ ei per infidelitatem adhæsit, scriptũ est: Generatio cuius excelsi sunt oculi, & palpebræ eius in altum surrectæ. Oculos ergo inclinare, est nullũ respiciendo despicere, sed se minorem atque imparem cunctis quos aspicit, æstimare. Saluabitur itaque qui oculos inclinat: quia qui falsum superbiæ verticem deserit, veritatis altitudinem ascẽdit. Sequitur: *Saluabitur innocens: saluabitur autem munditia manum suarum.*) Quæ scilicet sentẽtia si de cælestis regni retributione promittitur, veritate fulsitur: quia cùm de Deo scriptũ sit: Qui reddit vnicuique secũdum opera eius, illum in extremo examine iustitia æterni iudicis saluat, quem hîc eius pietas ab immundis operibus liberat. Sin verò ad hoc saluari quisque hîc munditia manum suarum creditur, vt suis viribus innocens fiat, proculdubio erratur: quia si superna gratia nocentem non præuenit, nunquam profectò inueniet quem remuneret innocentem. Vnde veridici Moysis voce dicitur: Nullusque apud te per se innocens est. Superna ergo pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, vt subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum quod iam appetimus, agat nobiscum, quod tamen per impensam gratiam in extremo iudicio ita remunerat in nobis, ac si solis processisset ex nobis.

Lucæ 14. *Prouer. 18.* *Psalm. 17.* *Iob. 41.* *Prouer. 30.* *Roma. 2.* *Quẽ iustitia saluet in extremo examine.* *Nota errorẽ* *Exodi. 34.* *Superna pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis.*

12.

Quia enim diuina nos bonitas, vt innocentes faciat, præuenit, Paulus ait: Gratia autem Dei sum id quod sum. Et quia eandem gratiam nostrum liberum arbitrium sequitur, adiungit: Et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui. Qui dum se de se nihil esse conspiceret, ait: Non autem ego. Et tamen quia se esse aliquid cum gratia inuenit, adiunxit: Sed gratia Dei mecum. Non enim diceret mecum, si cum præueniente gratia subsequens liberum arbitrium non haberet. Vt ergo se sine gratia nil esse ostenderet, ait: Non ego. Vt verò se cum gratia operatum esse per liberum arbitrium demonstraret, adiunxit: Sed gratia Dei mecum. Munditia itaque manum suarum innocens saluabitur: quia qui hîc præuenitur dono, vt innocens fiat, cùm ad iudicium ducitur, ex merito remuneratur. Quæ cuncta Eliphas, sicut prædictum est, etsi rectè protulit, cui tamen proferret ignorauit: quia docere meliorem non debuit, sed audire. Quæ tamen omnia per typum hæreticorum promissionibus congruunt, qui cùm fideles quosque in præsenti vita afflictos inueniunt, eos ex culpa perfidiæ percussos arbitrantur, eisque si sua dogmata sequantur, salutem innocentiæ per bonorum operum munditiam promittunt. Sed mens fidelium tantò eos altius despicit, quantò illos innocentiam non videt habere quam pollicentur. Vnde bene per Salomonem dicitur: Frustra iactatur rete ante oculos pennatorum. Penati quippe sunt bonorum spiritus, qui dum ad altiora per spem veritatis euolant, apposita prauorum hominum deceptionis retiacula declinant. Sequitur:

1. Corin. 15. *Ibidem.* *Typus hæreticorum.* *Prouerb. 1.*

Caput vigesimum tertium beati Iob.

REspondens autem Iob ait: Nunc quoq; in amaritudine est sermo meus, & manus plagę meę aggrauata est super gemitum meũ. Quis mihi tribuat vt cognoscã, & inueniam illum, & veniã vsque ad solium eius? Ponam coram eo iudicium, & os meum replebo increpationibus, vt sciam verba quæ mihi respondeat, & intelligam quid loquatur mihi. Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat. Proponat æquitatem contra me, & perueniet ad victoriam iudicium meum. Si ad Orientem iero, non apparet. Si ad Occidentem, non intelligam eum. Si ad sinistram, quid agam? Non apprehendam eum. Si me vertam ad dexteram, non videbo illum. Ipse verò scit viam meam, & probabit me quasi aurum quod per ignem transit. Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodiui & non declinaui ex ea. A mandatis labiorum eius non recessi, & in sinu meo abscondi verba oris eius. Ipse enim solus est, & nemo auertere potest cogitationẽ eius, & anima eius quodcunque voluit hoc fecit. Cùm expleuerit in me voluntatem suam, & alia multa similia præsto sunt ei. Et idcirco à facie eius turbatus sum, & considerans eum, timore sollicitor. Deus molliuit cor meum, & omnipotens conturbauit me. Non enim perij propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.

Roma. 16. 13.

Quòd iusti quanto plus in hoc mundo laborauerint, tanto amplius contemplari deum desiderant. *Caput XI.*

R*Espondens autem Iob dixit: Nunc quoque in amaritudine est sermo meus, & manus plagæ meæ aggrauata est super gemitum meũ.*) More suo beatus Iob planioribus verbis inchoat, sed dicta sua alta mysterii prosecutione consummat. Mederi quippe dolor afflicti ex amicorum consolatione debuerat, sed quia consolatio ad blandimenta fallaciæ erupit, afflicti dolor inhorruit. Quia enim Eliphas spondere conuerso meliora non timuit, quasi ex noxio medicamine vulnus creuit. Vnde rectè dicitur: *Nunc quoque in amaritudine est sermo meus, & manus plagæ meæ aggrauata est super gemitum meum:*) quia videlicet inordinatæ consolationis intentio, percussionem quam minuere debuit, multiplicauit. In quibus nimirum verbis per typum sanctæ Ecclesiæ etiam fidelium dolor exprimitur, qui eo amplius gemunt, quo malos blandiri conspiciunt, qui iuxta Pauli vocem: Per dulces sermones & benedictiones seducũt corda innocentium. Quæ etiam verba ad considerandam subtilius mentem fidelium rectè referuntur. Qui esse sine amaritudine nesciunt, etiam si in hoc mundo prosperari videantur. Quibus cùm aduersitas euenit, eum quem inuenit, ingeminat dolorem. Vnde rectè dicitur: *Nunc quoque*) vt apertè monstretur: quia electorum mens sine amaritudine, & in prosperitate non fuerit. Bene autem dicitur: *Et manus plagæ meæ aggrauata est super gemitum meum*) Manus quippe plagæ est fortitudo percussionis. Primam nanque percussionem suam electi considerant: quia à conditoris sui visione diuisi sunt: quia nequaquam illuminationis intimæ claritate perfruuntur, sed in præsentis vitæ exilio quasi in cæcitatis loco religati gemunt. Semper ergo habẽt in hac manu plagæ gemitum suum. Sed cùm adhuc etiam aduersa in hac vita accidũt, manus plagæ eorum etiam super gemitũ grauatur. Erat enim plagę gemitus etiã cùm præsentis vitę aduersa deessent. Sed amaritudo primæ percussionis, ex tentatione crescit aduersitatis. Dicit ergo: *Et manus plagæ meæ aggrauata est super gemitũ meũ:*) quia iustum quemque in hac vita aduersitas non lætum perculit, sed in eo dolorem vulneris multiplicauit. Fit tamen miro omnipotentis Dei moderamine, vt cùm in hoc mundo mens iusti aduersitatibus plus laborat, authoris sui contemplandam faciem amplius sitiat. Vnde hic aptè subiungitur:

Quòd electi dum Deum cognoscunt per fidem, desiderant videre per speciem, & cùm fidei oculis eum præsentem angelis quasi in solio suo intuentur, inueniunt apud ipsum causas rationabiles, & iustas quæ extrinsecus videntur iniustæ. *Caput XII.*

Q*Vis mihi tribuat, vt cognoscam & inueniam illum, & veniã vsque ad solium eius?*) Electus quisq; nisi Deũ cognouisset, vtiq;

non amaret. Sed aliud est cognoscere per fidem, atque aliud per speciem, aliud inuenire per credulitatem, aliud per contemplationem. Ex qua re agitur, vt electi omnes eum quem fide cognouerunt, videre quoque per speciem anhelent. Cuius amore flagrantes æstuant: quia eius dulcedinis suauitatem iam in ipsa suæ fidei certitudine degustant. Quod bene ille in Gerasenorum regione sanatus à dæmonibus designat, qui vult abire cum Iesu: sed ei à magistro salutis dici-
Lucæ 8. tur: Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecerit Deus. Amanti enim adhuc dilatio imponitur, vt ex dilati amoris desiderio, meritum retributionis augeatur. Fit ergo nobis omnipotẽs Deus dulcis in miraculis, & tamen in sua celsitudine manet occultus, vt & quiddam monstrando de se, occulta nos inspiratione in suo amore succendat, & tamen abscõdendo maiestatis suæ gloriam, amoris sui vim per æstum desiderij augeat. Nisi enim sanctus vir videre hunc in sua maiestate quæreret, non vtique subinferret: *Et veniam vsque ad so-*
14. *lium eius.*) Quid nanque est solium Dei, nisi illi angelici spiritus qui scriptura teste, throni vocati sunt? Qui ergo vsque ad solium Dei venire vult, quid aliud quàm interesse angelicis spiritibus concupiscit? vt nulla iam defectiua temporum momenta sustineat: sed ad permanentem gloriam in contemplatione æternitatis exurgat. Quæ tamen verba etiam in hac
† al. eueniunt. vita positis iustis † inconueniunt. Nam cùm contra votum suum atque desiderium quodlibet agi conspiciunt, ad occulta Dei iudicia recurrunt, vt in eis videant quia inordinatè intus non disponitur, quod inordinatum foris currere videtur. Cùm enim præsidentem angelicis spiritibus creatorem omnium, fidei oculis contemplantur, ad eius nimirum soliũ veniunt. Et quia considerant quoniam is qui mirè angelos regit, iniustè homines non disponit, profectò inueniunt causales rationes quàm iustæ sint, dum ipsæ causæ extrinsecus videantur iniustæ: dúmque id humiliter faciunt, semetipsos sępe in sua voluntate reprehendunt, sua in se nonnunquam vota diiudicant, dum meliora esse ea quæ disponit conditor, pensant. Vnde bene adhuc subditur:

Quòd qui subtile Dei iudiciũ intuetur, amaritudine pœnitentiæ seipsum persequitur. Caput XIII.

P*Onam coram eo iudicium, & os meum replebo increpationibus.*) Coram Deo iudicium ponere, est intra secretum mentis per fidei contemplationem ad tremendum examen maiestatis illius, oculos nostræ considerationis aperire, quid peccator homo mereatur attendere, & occultus nunc & tacitus iudex quàm terribilis pòst appareat considerare. Ex qua re agitur, vt ad cognitionem sui anima subtilius reuocetur, & quo occultum iudicem suum magis terribilem videt, eo de suis actibus formidolosius angustetur. Anxiè trepidat, culpas suas lamentis insequitur, pœnitendo increpat, qualem fuisse se meminit. Vnde nunc quoque postquàm dictum est: *Ponam coram eo iudicium:* rectè subiungitur: *Os meum replebo increpationibus.*) Qui enim sibi in conspectu Dei iudicium ponit, os suum increpationibus replet: quia dum subtile examen tremendi cõtra se iudicis contemplatur, amarè se pœnitentiæ inuectione H persequitur. Sæpe autem dum culpas nostras pensare negligimus, quæ earum reprehensio in iudicio sequatur, ignoramus: dum verò eas pœnitendo persequimur, quid nobis de eis iudex in suo examine dicere posit, inuenimus. Vnde adhuc aptè subiungitur: *Vt sciam verba quæ mihi respondeat, & intelligam quid loquatur mihi.*) Tunc enim culpas plangimus, cũ pensare cœperimus. Sed tunc subtilius pensamus, cùm sollicitius plangimus, atque ex lamentis in corde nostro plenius nascitur, quid peccantibus diuina districtio minatur, quæ erunt illa reproborũ improperia, qui terror, quæ implacabilis maiestatis animaduersio. Tanta enim tunc Dominus reprobis iratus dicit, quanta eos pati ex æquitate permiserit. Quæ nimirum verba animaduersionis illius, iusti dummodo sollicitè metuunt, euadunt. Sed quis in illo examine inueniri iustus valeat, si secundum suæ fortitudinis maiestatem, vitam hominum discutiat Deus? Aptè ergo subiungitur:

Quòd nihil nobis fortitudo diuina prodesset, nisi nobis per assumptam humanitatem congrueret. Caput XIIII.

E N*Olo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat.*) Mens etenim quamlibet iusti, si ab omnipotente Domino districtè iudicatur, mole magnitudinis premitur. In quibus nimirum verbis hoc quoque intelligendum est, quod sanctus vir dum Dei fortitudinem deuitat, quid eius aliud quàm infirmitatem desiderat? Et scriptum est: 15.
Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Vnde & pro *1. Corin. 1.*
tinus adiungit: *Proponet æquitatem contra me, & perueniet ad victoriam iudicium meum.*) Quis enim alius nisi mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus æquitatis nomine designatur? *Ibidem.*
de quo scriptum est: Qui factus est sapientia nobis à Deo & iustitia. Quæ scilicet iustitia dum in hunc mundum contra vias peccatorum venit antiquum hostem vincimus, à quo capti tenebamur. Dicat ergo: *Nolo multa fortitudine contendat mecum, ne magnitudinis suæ mole me premat: proponat æquitatem contra me, & perueniet ad victoriam iudicium meum:*) id est, ad redarguendas vias meas incarnatum filium mittat, & tunc insidiantem aduersarium per absolutionis meæ iudicium victor ex-
F cludam. Si enim in diuinitatis fortitudine, sic vnigenitus filius inuisibilis maneret, vt nil de nostra infirmitate susciperet, infirmus homo ad eum inuenire accessum gratiæ quando potuisset? Consideratum quippe pondus eius magnitudinis opprimeret potius quàm iuuaret. Sed fortis super omnia, apparuit infirmus inter omnia, vt dum nobis ex assumpta infirmitate congrueret, ad permanentem nos suam fortitudinem eleuaret. In altitudine enim sua diuinitas à nobis vt pote paruulis apprehendi non poterat, sed strauit se hominibus per * humilitatem, & quasi in iacentem ascendimus: *† al. humanitatem.*
surrexit, & leuati sumus. Vnde hoc quoque mox subditur, per quod diuinitas inuisibilis atque incomprehensibilis demonstretur. Nam sequitur:

Quòd Deus implens omnia, si in parte quæritur, non inuenitur. Caput XV.

S*I ad Orientem iero, non apparet: si ad Occidentem, non intelligam eum: si ad sinistram, quid agam? Non apprehendam eum. Si me ver-*
G *tam ad dexteram, non videbo illum.*) Creator quippe omnium in parte non est: quia vbique est. Et tunc minus inuenitur, quãdo is qui totus vbique est, in parte quæritur. Incircunscriptus nanque spiritus omnia intra semetipsum habet, quæ tamen & implendo circundat, & circundando implet, & sustinendo transcẽdit, & transcendendo sustinet. Bene autem postquam dictũ est: Si ad Oriẽtem iero, nõ apparet: si ad Occidentem, non intelligam eum, si ad sinistram, quid agam? Non apprehendã eum: si me vertam ad dexteram nõ videbo illum, ilico adiunxit: *Ipse verò scit viam meam.*) Ac si apertè dicat: Videre non valeo videntem me, & eum qui me subtiliter intuetur, intueri non possum, vt videlicet ostendat, quia tãtò cautius formidandus est, quantò conspicabilis non est. Qui enim ita nos aspicit, vt à nobis aspici nequeat, eo magis timendus est, quo cũcta videns minimè videtur. Cùm enim contra nos latere quempiam in insidiis credimus, eo illũ amplius metuimus, quo minimè videmus. Cúmque eius insidias nequaquam deprehendimus vbi sunt, & ibi eas metuimus vbi nõ sunt. Creator autẽ noster qui vbique tot' est, & cernẽs cuncta nõ cernitur, tantò magis metuendus est, quantò inuisibilis permanẽs, de nostris actibus quãdo & quid decernat, ignoratur. Quæ tamen verba intelligi & aliter possunt. Ad orientem quippe imus, cùm mentem in consideratione maiestatis eius attollimus. Sed non apparet: quia qualis in natura sua est, à cogitatione mortali videri non præualet. *Si ad Occidentem, non intelligam eum.*) Ad occidentem imus, cùm sub- 16.
leuatum in Deo cordis oculum, sed ipsa immensitate luminis reuerberatum, ad nosmetipsos reducimus, & lassati discimus valde super nos esse quod quærebamus, nostrámque mortalitatem considerantes, indignos nos adhuc esse deprehendimus, qui immortalem videre valeamus. *Si ad sinistram, quid agam? Non apprehendam eum.*) Ad sinistram ire, est peccatorum delectationibus consentire. Et nimirum constat, quia Deum apprehendere non valet, qui adhuc in delectatione peccati per sinistram iacet. *Si me vertam ad dexteram, non videbo illum.*) In dexteram proculdubio vertitur, qui de virtutibus eleuatur. Sed Deum videre non valet, qui priuata lætitia de bonis actibus gaudet: quia in eo cordis

Deute. 17. dis oculum tumor elationis premit. Vnde bene aliàs dicitur: Non declines ad dexteram, aut ad sinistram. In quibus cunctis plerunque se anima discutit, nec tamen plenè deprehendere seipsam valet. Vnde hic aptè subditur: *Ipse verò scit viam meam.*) Ac si patenter dicat: Ego me & districtè discutio, & perfectè scire non possum: & tamen ille quem videre non valeo, videt subtiliter cuncta quæ ago. Sequitur: *Et probabit me quasi aurum quod per ignem transit.*) Aurum in fornace ad naturę suæ claritatẽ proficit, dum sordes amittit. Quasi aurum ergo quod per ignem transit, probantur animæ iustorum, quibus exustione tribulationis, & subtrahuntur vitia, & merita augentur. Nec elationis fuit, quòd sanctus vir in tribulatione se positum auro comparauit: quia qui Dei voce iustus ante flagella dictus est, non idcirco tẽtari permissus est, vt in eo vitia purgarentur, sed vt merita crescerent. Aurum verò igne purgatur. Minus ergo de se æstimauit ipse quàm erat, dum tribulationi traditus, purgari se credidit, qui purgandum in se aliquid non habebat. Sciendum verò est, quia quanuis de se humilia sentiat animus iustorum, ea tamen quę agunt, quam sint recta conspiciunt, sed de eorum rectitudine non præsumunt. Vnde adhuc subditur: *Vestigia eius secutus est pes meus. Viam eius custodiui, & non declinaui ex ea. A mandatis labiorum eius non recessi, & in sinu meo absconde verba oris eius.*) Sed in his omnibus an se esse aliquid existimet videamus. Sequitur:

Quòd solus Deus principaliter & immobiliter est, de quo per Moysen dictum est, Qui est, misit me ad vos. Caput XVI.

I*Pse enim solus est.*) Qua sententia subiuncta ostendit: quia in tot bonis quæ egerat, nil esse se credidit. Sed hæc ipsa superius verba repetentes, vt possumus perstringamus. *Vestigia eius est secutus pes meus.*) Quasi quidẽ nãq; gressus Dei sunt quas cernimus operationes eius, quibus bonus quisque malúsque regitur, quibus iusti iniustíque suis ordinibus disponuntur, quibus & subiectus quisque ad meliora quotidie ducitur, & aduersus deteriora corruens toleratur. De quibus nimirum gresibus Propheta dicebat: Visi sunt gressus tui Deus. Nos itaque cùm virtutem longanimitatis, atque pietatis eius intuemur, & intuentes imitari cõtendimus: quid aliud quàm gressuum eius vestigia sequimur: quia extrema quædam eius
Math. 5. operationis imitamur. Hæc enim patris sui vestigia veritas admonebat imitari, cùm diceret: Orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri qui in cœ-
17. lis est, qui solem suum oriri facit super malos & bonos. Potest tamen beatus Iob qui certa fide iam dixerat: Scio quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: sic in futura operatione incarnandæ sapientiæ intendere, sicut nos eiusdem sapientiæ iam præterita opera per fidem videmus, quod mediator Dei & hominum benignus ad tribuendum, humilis ad sustinendum, patiens ad exemplum præbendum fuerit. Cuius nimirum vitam dum beatus Iob superno spiritu repletus, sollicita intentione conspiceret futuram mansuetudinis illius humilitatem præuidens, quasi ad exemplum sibi propositũ recurrit: vt quicquid in hac vita ageret, ad imitationis illius vestigia ligaret, quatenus qui occultæ dispositionis eius sublimia videre nõ poterat quasi in terra cõspiciẽs ad imitationem eius vestigia teneret. De qui-
1. Petri. 2. bus eius vestigiis per Petrum dicitur: Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exẽplum, vt sequamur vestigia eius: De quo adhuc subditur: *Viam eius custodiui, & non declinaui ex ea.*) Custodit etenim & non declinat, qui hoc vbi intendit operatur. Custodire quippe per intentionem, est nõ declinare per operationẽ. Hæc nãque est sollicitudo iustorũ, vt actus suos quotidie iuxta vias veritatis examinent, & eas sibi in regulã proponentes, à rectitudinis earum tramite nõ declinẽt. Super semetipsos quippe quotidie ire contendunt, & quod in virtutũ verticem prouehuntur, cauta reprehẽsione diiudicant, quicquid de eis ex semetipsis remanet infra semetipsos, & totos se illò festinãt trahere, vbi se inueniunt ex parte peruenisse. Sequitur: *A mandatis labiorum eius nõ recessi.*) Sicut bene obsequentes famuli dominorum suorum vultibus semper intenti sunt, vt ea quę præceperint, festinè audiant, & implere cõtendant: sic iustorum mentes per intentionem suam

A omnipotenti Domino assistũt, atque in scriptura eius quasi os eius intuẽtur, vt quia per eã Deus loquitur omne quod vult, tantò à voluntate eius non discrepent, quanto eandem volũtatem illius in eius eloquio agnoscunt. Vnde fit vt eius verba non per eorum aures superuacuè trãseant, sed hæc in suis cordibus figãt. Vnde hîc subditur: *Et in sinu meo absconde verba oris eius.*) In sinu etenim cordis verba oris eius abscõdim', quãdo mandata illius non transitoriè, sed implenda opere audimus. Hinc est quod de ipsa matre Virgine scriptum est: Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. *Lucæ. 2.*
Quæ nimirum verba, & cùm ad operationem prodeũt, in sinu cordis absconsa latent, si per hoc quod foris agitur, intus agẽtis animus non eleuatur. Nam cùm conceptus sermo ad opus ducitur, si per hoc humana laus quæritur, sermo Dei in sinu mentis proculdubio non occultatur. Sed nosse velim beate vir, cur te tanta intentione examines, cur tanta sollicitudine astringas? Sequitur: *Ipse enim solus est, & nemo auertere potest co-* 18.
B *gitationem eius.*) Nunquid nanque non sunt angeli & homines, cœlum & terra, aër & maria, cuncta volatilia, quadrupedia, atque repentia? Et certè scriptum est: Creauit, vt essent omnia. *Gene. 1.*
Cùm ergo in rerum natura tam multa sint, cur beati viri voce nunc dicitur: Ipse enim solus est? Sed aliud est esse, aliud principaliter esse, aliud mutabiliter, atque aliud immutabiliter esse. Sunt enim hæc omnia, sed principaliter non sunt: quia in semetipsis minimè subsistunt, & nisi gubernantis manu teneãtur, esse nequaquam possunt. Cuncta nanque in illo subsistũt à quo creata sunt, nec ea quæ viuunt, sibimetipsis vitam tribuunt, neque ea quę mouentur & non viuunt, suis nutibus ad motum ducuntur, sed ille cuncta mouet, qui quædam viuificat, quædam verò non viuificata in extremam essentiam mirè ordinans seruat. Cuncta quippe ex nihilo facta sunt, eorúmque essentia rursum ad nihilum tenderet, nisi eam author omnium regiminis manu retineret. Omnia itaq; quæ creata sunt, per se nec subsistere præualent, nec moueri, sed intãtum subsistunt, inquantum vt esse debeant, acceperunt. Intantum mo-
C uentur, inquãtum occulto instinctu disponuntur. Ecce enim peccator flagellandus est de rebus humanis. Arescit in eius laboribus terra, concutitur in eius naufragiis mare, ignescit in eius sudoribus aër, obtenebrescit contra eum inundationibus cœlum, inardescunt in eius oppressionibus homines, mouentur in eius aduersitate & angelicæ virtutes. Nunquid nam hæc quæ inanimata, vel quæ viuentia diximus, suis instinctionibus, & non magis diuinis impulsionibus agitantur? Quicquid est itaque quod exterius sæuit, per hoc ille intuendus est, qui hoc interius disponit. In omni igitur causa solus ipse † intuendus est, qui principaliter est. Qui etiam ad Moy- *† al. metuẽdus.*
sen dicit: Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israël. Qui est, misit me ad vos. Cùm itaque flagellamur per ea quæ videmus, *Exod. 3.*
illum debemus sollicitè metuere, quem non videmus. Vir itaque sanctus despiciat quicquid exterius terret, quicquid per essentiam suam, nisi regeretur, ad nihilum tenderet: & mentis oculos suppresis omnibus intueatur vnum, in cuius essentiæ comparatione esse nostrum non esse est, & dicat: Ipse enim
D solus est. De cuius mox immutabilitate aptè subiungitur:

Quòd sententiam Dei licèt quidam deprecando auerterint, hoc ipsum erat apud eius clementiam, vt sic fieri posset. Caput XVII.

E*T nemo auerterere potest cogitationem eius.*) Sicut enim immutabilis natura est, ita immutabilis cogitatione. Cogitationem quippe eius nullus auertit: quia nemo resistere occultis eius iudiciis præualet. Nam etsi fuerunt quidam qui deprecationibus suis eius cogitationem auertisse viderentur, ita fuit eius interna cogitatio, vt sententiam illius auertere deprecando potuissent, & ab eo acciperent quod agerent apud ipsum. Dicat ergo: Et nemo auertere poterit cogitationem eius: quia semel fixa iudicia mutari nequaquam possunt. Vnde scriptum est: Præceptum posuit, & non præteribit. Et rursum. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Et rursum: Non enim cogitationes meæ sicut cogitationes vestræ, *Psal. 148.*
neque viæ meæ sicut viæ vestræ. Cùm ergo exterius mutari *Lucæ. 21.*
videtur sententia, interius consilium non mutatur: quia de vnaquaque re immutabiliter intus constituitur, quicquid foris *Esa. 55.*
mutabiliter agitur. Sequitur:

Quòd etiam quæ contra voluntatem Dei fieri videntur, voluntati eius non obsistunt. Vt quòd eo ordine voluntas peruersa diaboli in hoc vtilitati sanctorum seruiat vt purget eos. Caput XVIII.

19. ET *anima eius quodcunque voluit hoc fecit.*) Cùm sit cunctis corporibus exterior, cũctis mentibus interior Deus, ea ipsa vis eius qua omnia penetrat, cunctáque disponit, anima illius appellatur. Cuius videlicet voluntati, nec illa obsistunt quæ contra voluntatem illius fieri videntur: quia ad hoc nõnunquam permittit fieri etiam quod non præcepit, vt per hoc illud certius impleatur quod iubet. Apostatæ quippe angeli peruersa voluntas est, sed tamen à Deo mirabiliter ordinatur, vt ipsæ quoque eius insidiæ vtilitati bonorum seruiãt, quos purgant dum tentãt. Sic itaque eius anima quodcũque voluit hoc fecit, vt inde quoque voluntatem suã impleat, vn de voluntati illius repugnari videbatur. Terreatur ergo vir iustus, & tãtę maiestatis pondus cõsiderans, infirmum se esse deprehendat. Sed inter verba hæc percũctari libet ac dicere: O beate Iob inter tot flagella positus, cur adhuc aduersa formidas? Iã tribulationibus cingeris, iam innumeris afflictionibus angustaris. Malum timeri debet, quod necdum susceptũ est, tu in tãto positus dolore quid metuis? Sed ecce vir iustus nostris inquisitionibus satisfaciens adiungit: *Cùm expleuerit in me voluntatẽ suam, & alia multa similia præstò sunt ei.*) Ac si apertè dicat: Iam perpendo quæ patior, sed adhuc formido quæ pati possum. Explet enim in me voluntatem suam: quia multis me persecutoribus affligit. Sed multa similia præstò sunt ei, quia si ferire cogitat, adhuc inuenit vbi plaga crescat. Hinc itaque pensandum est quàm pauidus ante flagellum fuit, qui etiam percussus adhuc metuit ne feriatur. Incomprehensibilem quippe vim ei inesse considerans & potestatis & examinis, esse vir iustus noluit nec de flagello securus. Vnde adhuc metuens adiungit: *Et idcirco à facie eius turbatus sum, & considerans eum timore sollicito.*) Bene à facie Domini turbatur, qui terrorem maiestatis illius cordis sui obtutibus proponit, & eius rectitudinis pauore concutitur, dum se reddendis rationibus conspicit idoneum non esse, si districtè iudicetur. Rectè autem dicitur: Et considerans eum, timore sollicitor: quia diuinæ animaduersionis vim cùm minimè quisque considerat, mimè formidat, & tantò magis in hac vita quasi securus est, quãtò à cõsideratione internæ districtionis alienus. Semper etenim iusti viri ad cordis secretarium redeunt, vim occultæ districtionis intuẽtur, maiestatis intimæ iudicio afsistunt, vt eo magis quandoque securi sint, quo hîc quandiu viuerent, securi esse noluerunt. Nam malorum mentes cùm renuunt considerare quod timeant, ad hoc quandoque gaudentes perueniunt, quod timentes nullo modo euadant. Sed ecce de beato Iob nouimus, quod crebris Dei sacrificiis deditus, quod hospitalitatibus, quod indigentiis pauperum impensus, quod suis etiam subditis humilis, quod sibi aduersantibus benignus fuit, & tamen tot flagella suscepit, nec iam securus extitit inter flagella, sed adhuc metuit, adhuc diuinæ districtionis vim considerans contremiscit. Quid nunc itaque miseri, quid peccatores dicemus, si sic timet qui sic egit? Sed tanti timoris pondus an à semetipso habeat, innotescat. Sequitur: *Deus mollinit cor meum, & omnipotens conturbauit me.*) Ex diuino munere cor iusti molliri dicitur: quia superni iudicij timore penetratur. Molle est enim quod penetrari potest, durum quod penetrari non potest. Vnde per Salomonem dicitur: Beatus homo qui semper est pauidus, qui verò mentis est duræ, corruet in malum. Virtutem ergo suæ formidinis non sibi, sed authori tribuit, qui ait: *Deus mollinit cor meum, & omnipotens conturbauit me.*) Non autem secura, sed perturbata sunt corda bonorum: quia dum futuri examinis pondus considerant, quietem hîc habere non appetunt, securitatem suam districtionis intimæ consideratione perturbant. Qui tamen inter ipsa timoris supplicia sæpe animum reuocant ad dona, & vt semetipsos consolatione refoueãt, inter hoc quod metuunt, reducunt oculum ad dona quæ acceperunt, vt spes subleuet, quẽ timor premit. Vnde & sequitur:

20. Prouer.28.

Quòd in corda iustorum in ipso orationis sacrificio sæpe carnales se cogitationes ingerunt, & ea polluunt. Caput XIX.

E NON *enim perij propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.*) Ille enim in flagello positus, à salute corporis propter imminentes tenebras perit, qui idcirco pro trãsactis percutitur, vt à futuris suppliciis abscondatur. Flagella quippe bonorum, aut vitia perpetrata purgant, aut ea quæ poterant perpetrari futura deuitãt. Beatus autem Iob, quia in flagello positus, nec à peccatis præcedẽtibus purgabatur, nec ab imminentibus tegebatur, sed eius tantummodo in flagello virtus augebatur, fiducialiter dicit: *Non enim perij propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.*) Qui enim semper diuinæ formidinis pondus aspexit, eius cordis faciem caligo peccati non operuit. Et eius quem supplicia nulla sequebãtur, salutem corporis propter imminentes tenebras nõ amisit. Et notandum quòd ipse priora denuntians, nequaquam ait: Faciem meam non tetigit, sed non operuit caligo. Sæpe enim etiam corda iustorum subortæ cogitationes polluunt, terrenarum rerum delectationibus tangunt: sed dum citius manu sanctæ discretionis abiguntur, festinè agitur ne cordis faciem caligo operiat, quę hanc iam ex illicita delectatione tangebat. Nam sæpe in ipso orationis sacrificio importunè se cogitationes ingerunt, quæ hoc rapere, vel maculare valeant, quod in nobis Deo sublentes immolamus. Vnde Abraham cùm ad occasum Solis sacrificium offerret, insistẽtes aues pertulit, quas studiosè, ne oblatum sacrificium raperent, abegit. Sic nos cùm in ara cordis holocaustum Deo offerimus, ab immundis hoc volucribus custodiamus, ne maligni spiritus & peruersæ cogitationes rapiant, quòd mens nostra offerre se Domino vtiliter sperat. Sequitur:

F Gene.15.

Caput vigesimumquartum textus beati Iob.

AB omnipotente non sunt abscondita tẽpora: qui autem nouerunt eum, ignorant dies illius. Alij terminos trãstulerunt, diripuerunt greges, & pauerunt eos. Asinum pupillorum abegerunt, & abstulerunt pro pignore bouem viduæ. Subuertẽrũt pauperum viam, & oppresserunt pariter mansuetos terræ. Alij quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum, vigilantésque ad prædam præparant panem liberis. Agrum non suum demetunt, & vineam eius quam vi oppresserant, vindemiant. Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore, quos imbres montium rigant: & non habentes velamen amplexantur lapides. Vim fecerunt deprædantes pupillos, & vulgum pauperem spoliauerunt. Nudis & incedentibus absque vestitu, & esurientibus tulerunt spicas. Inter aceruos eorum meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt. De ciuitatibus fecerunt viros gemẽre, & anima vulneratorum clamauit, & Deus inultum abire non patitur. Ipsi fuerunt rebelles lumini. Nescierunt vias eius, nec reuersi sunt per semitas illius. Mane primo consurgit homicida, interficit egenum & pauperem, per noctem verò erit quasi fur. Oculus adulteri obseruat caliginem, dicens: Non me videbit oculus, & operiet vultũ suũ. Perfodiunt in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, & ignorauerunt lucem. Si subitò apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis: & sic in tenebris quasi in luce ambulant, Leuis est super faciem aquæ. Maledicta sit pars eius in terra, nec ambulet per viam vinearum. Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium, & vsque ad inferos peccatum illius. Obliuiscatur eius misericordia. Dulcedo illius vermes. Non sit in recordatione, sed conteratur sicut lignum infructuosum. Pauit enim sterilem, & quæ non parit, & viduæ bene non fecit. Detraxit fortes in fortitudine

G H

titudine sua, & cùm steterit, non eredet vitæ suæ. Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbia: oculi autem eius sunt in viis illius. Eleuati sunt ad modicum, & non subsistent, & humiliabuntur sicut omnia & auferentur, & sicut summitates spicarum conterentur. Quod si non est ita, quis me potest arguere esse mentitum, & ponere ante Deum verba mea?

Quòd omnipotentem Deum fideles quique, & sciunt per fidem, & nesciunt per speciem: Magnóque moderamine attẽdendum est, in naturę humanæ circunscriptione, non plus sapere quàm oportet sapere. Caput XX.

21. AB *omnipotente non sunt abscondita tempora: qui autem nouerunt eum, ignorant dies illius.*) Quid dies Dei, nisi ipsa eius æternitas appellatur? quæ nonnũquam vnius diei pronuntiatione exprimitur, sicut scriptũ est: Melior est dies vna in atriis tuis super milia. Nonnunquã verò pro sua longitudine, dierum multorum appellatione signatur, de quibus scriptum est: In seculum seculi anni tui. Nos itaque intra tempora voluimur, per hoc quòd creatura sumus: Deus autem qui creator est omnium, æternitate sua tempora nostra comprehẽdit. Ait ergo: *Ab omnipotente non sunt abscondita tempora: qui autem nouerunt eum, ignorant dies illius.*) Quia ipse quidem nostra cõprehensibiliter conspicit, nos autem ea quæ eius sunt, comprehendere nullatenus valemus. Sed natura Dei cùm simplex sit, mirandũ valde cur dicit: Qui nouerunt eum, ignorant dies illius. Neque enim aliud ipse, atque aliud dies eius sunt. Deus nanque hoc est quod habet. Æternitatem quippe habet, sed ipse est æternitas. Lucem habet, sed lux sua ipse est. Claritatem habet, sed ipse est claritas sua. Non est ergo in eo aliud esse, & aliud habere. Quid est itaque dicere, qui nouerunt eum, ignorat dies illius, nisi quia & qui cognoscunt eum, adhuc nesciunt? Nam & qui iam eum fide tenent, adhuc per speciem ignorant. Et cùm ipse sibi sit æternitas, quem veraciter credimus, qualiter tamẽ sit ipsa eius æternitas, ignoramus. In hoc nanque quod de diuinæ naturæ potentia audimus, ea nonnunquã cogitare consueuimus, quæ per experientiam scimus. Omne enim quod cœpit & desinit, initio & fine cõcluditur. Quòd si mora aliquantula differtur, vt finiatur, longum dicitur: in qua videlicet longinquitate cùm quisque mentis oculos reducit retro per memoriam, tendit antè per expectationem, quasi per spatium temporis dilatat in mente. Cúmque audit æternitatem Dei, humano more intendenti animo longa vitæ spatia proponit, in quibus metiatur semper, & quid abiit retro quod retineatur in memoria: & quid antè restat quod expectetur ex intentione. Sed quoties in æternitate ista cogitamus, æternitatem necdum cognouimus. Ibi quippe est quod nec initio incipitur, nec fine terminatur, vbi neque expectatur quod veniet, neque percurrit quod debeat recordari, sed est vnum quod semper esse est. Quod etsi nos & angeli cum initio esse videre incipimus, esse tamen hoc sine initio videmus, vbi sic semper sine fine esse est, vt nunquam se animus tendat ad sequentia, ac si multiplicentur quæ sunt, & longa fiant. Nam & si per prophetiæ spiritum dictum est: Domine qui regnas in æternum, & in seculũ & adhuc: more sacri eloquij, humano modo spiritus hominibus est locutus, vt ibi adhuc diceret, vbi expectatio nõ inesset. Adhuc enim æternitas non habet, quæ semper esse habet, in qua nulla pars suæ longitudinis præterit, vt pars alia succedat, sed totum simul esse est, & nil deest quod cernat, in qua omne quod est, animus videt, & tardum non esse, & longum esse. Sed hæc de æternitatis diebus loquentes, conamur magis videre aliquid quàm videmus. Dicatur igitur rectè: Qui autem nouerunt eum, ignorant dies illius: quia etsi iam Deũ per fidẽ nouimus qualiter tamẽ sit eius æternitas sine preterito ante secula, sine futuro post secula, sine mora longa, sine præstolatione perpetua, nõ videmus. Beatus itaq; Iob sanctæ Ecclesiæ typum tenens, quia sub magno se sciẽtiæ freno moderat, ne plus sapiat quàm oportet sapere, & dies Dei non posse comprehendi testificans, ad hæreticorum mox superbiam respectum mentis reducit, qui alta sapere appetunt, & quod capere vtcunque nõ possunt, perfectè se scire gloriantur. Nam sequitur:

Psalm.83. Psalm.101.

A

Quòd hæretici patrum instituta transgrediuntur, & actiuos viros à ministerio sanctorum auertunt. Caput XXI.

ALij *terminos transtulerunt, diripuerunt greges, & pauerunt eos.*) Quos aliorum nomine, nisi hæreticos designat, qui à sanctæ Ecclesiæ gremio extranei existunt? Ipsi enim terminos transferuunt: quia constitutiones patrum preuaricando transcẽdunt. De quibus nimirum constitutionibus scriptum est: Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui. Qui greges diripiunt & pascunt: quia imperitos quoque peruersis ad se persuasionibus trahũt, & doctrinis pestiferis ad interficiendum nutriunt. Nam quòd gregum nomine imperiti populi designentur, sponsi verba testantur, qui sponsam suam alloquitur, dicens: Nisi cognoueris te ô pulchra inter mulieres, egredere & abi post vestigia gregum: id est, nisi honorem tuum, quo ad similitudinem Dei es condita, bene viuendo cognoueris, à conspectu meę contemplationis egredere, & imperitorum vitam imitare populorum. Sequitur: *Asinum pupillorum abegerunt, & abstulerunt pro pignore bouem viduæ.*) Quos hoc loco pupillos accipimus, nisi electos Dei, in mentis teneritudine positos? qui magna fidei gratia nutriuntur, & patris sui iam pro se mortui faciem necdum vident. Et sunt plerique in Ecclesia qui quosdam conspiciunt cœlestia appetere, terrena omnia despectui habere, quanuis ipsi in huius mundi laboribus insudent, eis tamen quos ad cœlestia anhelare conspiciunt, de rebus quas in hoc mundo possident, huius vitæ adiutorium ferunt. Et quanuis ipsi agere spiritalia nequeant, ad summa tamen tendentibus libenter subsidia ministrant. Portare enim asinus onera hominum solet. Quasi ergo quidam asinus electorum est, qui terrenis actibus deseruiens, deportat onera vsibus hominum. Et sæpe cùm hæretici quemlibet talem à sanctæ Ecclesiæ gremio auertunt quasi pupillorum asinum abigunt: quia cùm hunc ad perfidiam suã pertrahunt, à ministerio bonorum repellunt. Quæ autem vidua, nisi sancta Ecclesia debet intelligi, quæ occisi viri sui interim visione priuata est? Bos autem huius est viduæ, vnusquisque prædicator. Et sæpe contingit, vt hæretici peruersis suis dogmatibus ipsos etiam qui prædicatores videbantur, trahant. Bouem ergo viduæ auferunt, cùm de sancta Ecclesia etiam prædicantem tollunt. Vbi rectè est adiunctum: *Pro pignore.*) Pignus nanque cùm tollitur, aliud quidem est quod tenetur, sed tamen adhuc aliud quæritur. Et plerunque hæretici ideo eos conantur auferre qui prædicant, vt eorum etiam sequaces trahant. Pro pignore ergo bos viduæ tollitur, quando idcirco ipse qui prædicabat rapitur, vt alij sequãtur. Ex cuius ruina plerunque agitur, vt hi quoque de sanctæ Ecclesiæ gremio exeant, qui in ea bonis moribus præditi, mites atque humiles esse videbantur. Vnde & subditur: *Subuerterunt pauperum viam, & oppresserunt pariter mansuetos terræ.*) Paupertatis nanque nomine, sæpe humilitas designari solet. Et nonunquam hi qui mansueti atque humiles videntur, si seruare discretionem nesciunt, exemplis aliorum cadunt. Sunt verò nonnulli hæretici qui populis admisceri fugiunt, sed secessum vitæ secretioris petunt, qui plerunque eos quos inueniunt, eò amplius peste suę persuasionis inficiunt, quò quasi ex vitæ meritis reuerentiores videntur. De quibus subditur:

Prouer.22. 22. Canti.1.

B

Quòd hæretici, vt sanctiores æstimentur, solitariam sibi vitam eligunt, & sanctorum verba suo sensu exponentes, adiutoribus suis panem præbent erroris. Caput XXII.

ALij *quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum*) Onager enim agrestis est asinus. Et rectè hoc in loco onagris cõparantur hæretici: quia in suis voluntatibus dimissi, à vinculis sunt fidei, & rationis alieni. Vnde scriptum est: Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui. Onager quippe in solitudine assuetus est, quia dum terram cordis sui disciplinæ virtute non excolit, ibi habitat vbi fructus non est. Qui in desiderio animæ suæ ventum amoris sui attrahit: quia ea quæ ex desiderio scientiæ in mente concipit, inflare præualent, non ædificare. Contra quos dicitur: Scientia inflat, charitas verò ædificat. Vnde hîc quoque congruè infertur: *Egrediuntur ad opus suum.*) Non enim Dei, sed suum opus peragunt, dum non recta dogmata, sed propria desideria sequuntur. Scriptum quippe est: Ambu-

23. Hiér.2. 1.Cor.8. Psalm.100.

C D

lans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Qui ergo non in via immaculata ambulat, sibi magis quàm Domino ministrat. *Ad prædã vigilant hæretici.* Sequitur: *Vigilantes ad prædam præparant panem liberis.*) Ad prædam vigilant, qui verba iustorum ad sensum proprium semper rapere conantur, vt per hæc peruersis filiis panem erroris parent. De quo videlicet pane apud Salomonem verbis mulieris prauitatis hæreticæ typum gerentis, dicitur: *Prouerb. 9.* Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior. Sequitur: *Agrum non suum demetunt, & vineam eius quem vi oppresserant, vindemiant.*) Potest agri nomine, scripturæ sacræ latitudo signari, quam hæretici non suam demetunt: quia ex ea sententias longè à suis sensibus diuersas tollunt. Quæ vineæ quoque appellatione exprimitur, quia per veritatis sentẽtias botros virtutum profert. Cuius vineę Dominum, id est, scripturæ sacræ conditorem, quasi vi opprimunt: quia eius sensum in verbis sacri eloquij inflectere violenter conantur, qui dicit: *Esa. 43.* Seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Et eandem vineam vindemiant, qui ex ea sententiarum botros, pro suæ intelligentiæ intentione coaceruant. Potest agri, vel vineæ nomine, vniuersa eccesia designari, quam peruersi prædicatores demetunt, & autorem eius in membris suis opprimendo vindemiant: quia creatoris nostri gratiam persequentes, dum quosdam de illa qui recti videbantur rapiunt, quid aliud quàm spicas, vel botros animarum tollunt? De quibus adhuc subditur: *Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore.*) Sicut vestimenta corpus, sic bona opera protegunt animã. Vnde cuidam dicitur: Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet. Hæretici itaque cùm in quorundam mentibus bona opera destruunt, nimirum velamina indumẽtorum tollunt. *Apoc. 16.* Bene autem dicitur: *Quibus non est operimentum in frigore.*) Operimentum quippe ad iustitiam pertinet, frigus ad culpam. Et sunt nonnulli qui in quibusdam rebus peccata faciunt, in quibusdam verò recta opera sequuntur. Qui ergo ex aliis actibus delinquit, atque ex aliis iustitiã peragit, quid iste nisi in frigore vestitur? Et alget & tegitur: quia ex alio opere feruescit ad iustitiã, qui ex alio frigescit ad culpã. Sed cũ hæretici bona opera talibus subtrahunt, agunt ne in frigore habeant quo vestiantur. Rectè ergo dicitur: *Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus nõ est operimentum in frigore:*) vt videlicet solũ culpæ frigus interimat, quos calor alterius operis ex parte aliqua tegebat. 24. Potest verò per frigus desiderium, per vestimentum operatio signari. Et sunt plerique qui adhuc aduersis desideriis æstuant, sed contra se spiritaliter decertantes, rectis sibi operibus repugnant: & bonis actibus tegunt hoc, quod sinistrum sibi resultare per tentationẽ sentiunt. Hi itaque vnde mala desiderant, inde algent: vnde autem bona operantur, inde vestiti sunt. Cùm verò hæretici peruersis allegationibus rectę fidei eis opera subtrahũt, quid agunt, nisi vt hi qui adhuc desideriorum carnalium frigora sentiunt, sine bonorũ actuum vestimẽto † moriantur? *† al. algescant.* Sequitur: *Quos imbres montium rigant, & non habentes velamen, amplexantur lapides.*) Imbres montium sunt verba doctorum. De quibus montibus voce sanctæ Ecclesiæ dicitur: *Psalm. 120.* Leuaui oculos meos ad montes. Hos itaque imbres montium rigant, quia sanctorum patrum fluenta satiant. Velamen autem, vt iam prædiximus, boni operis tegmen accipimus, quo quisque tegitur, vt ante omnipotentis Dei oculos, prauitatis eius fœditas operiatur. Vnde scriptũ est: *Psalm. 31.* Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata. Quos autẽ lapidũ nomine, nisi fortes in sancta Ecclesia viros accipimus? quibus per primũ pastorem dicitur: Et vos tanquam lapides viui superędificamini. Hi itaque qui de nullo suo opere confidũt, & ad sanctorum martyrum protectionem currunt, atque ad sacra eorum corpora fletibus insistunt, promereri se veniã eis intercedentibus deprecantur. Quid ergo isti in hac humilitate faciunt, nisi quia bonæ actionis velamen non habent, lapides amplexantur? Sequitur:

Descriptio persecutionis, quam in membris suis, sancta Ecclesia ab hæreticis patitur.

Caput XXIII.

V*Im fecerunt deprædantes pupillos, & vulgum pauperem spoliauerunt.*) Cùm prosperitatem vitæ præsentis hæretici non habẽt, infirmis mẽtibus verbis blandioribus peruersa persuadent. Si qua verò illis prosperitas temporis pręsentis arriserit, etiam violẽter trahere quos pręualent, non desistunt. Pupillorum itaque nomine designãtur hi qui adhuc sunt teneri intra sanctam Ecclesiam constituti, quorum vitam misericors pater moriendo seruauit: qui ad bonam iam intentionẽ deducti sunt, sed adhuc in bonis actibus nulla virtute roborantur. Hæretici igitur deprædantes pupillos vim faciunt: quia contra infirmas fidelium mentes, verborum & operum violentia grassantur. Vulgus autẽ pauper, est populus indoctus, qui si veræ sapientiæ diuitias haberet, vestimentum suæ fidei nequaquam amitteret. Quasi quidem quippe intra sanctam Ecclesiam senatores sunt, viri doctiores: qui cùm scientiam in corde multiplicant, veris apud se diuitiis abundãt. Sed hęretici vulgum pauperem spoliant: quia dum doctos non præualent, indoctos quosque à velamine fidei, prædicatione pestifera denudant. Sequitur: *Nudis & incedentibus absque vestitu, & esurientibus tulerunt spicas.*) 25. Quod ait nudis, hoc replicat absque vestitu: sed aliud est nudum esse, aliud nudum incedere. Omnis enim qui nec bona nec mala operatur, nudus est & otiosus: qui autem mala agit, nudus incedit: quia sine velamine boni operis per iter prauitatis pergit. Sunt verò nonnulli qui malum suæ nequitiæ cognoscentes, satiari pane iustitiæ festinant, percipere sacri eloquij dicta desiderant. Qui quoties patrum sententias pro ædificandis mentibus in cogitatione versant, quasi de bona segete spicas portant. Hæretici igitur nudis & incedentibus absque vestitu, & esurientibus spicas tollunt: quia siue quidam otiosi sint, & in nullis se bonis exerceant, seu pariter impudicitiæ absque velamine boni operis pergant, etiam si quando iam ad pœnitentiã redire cupiũt, & pabulum verbi concupiscunt, eis esurientibus spicas tollunt: quia in eorum mente perniciosis persuasionibus patrum sententiam destruunt. Nec immeritò spicas signare patrum sententias dicimus, quia sæpe dum per figurata eloquia proferuntur, ab eis tegmẽ literæ quasi aristarũ paleas subtrahimus, vt medulla spiritus reficiamur. Sequitur: *Inter aceruos eorum meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt.*) Omnes qui sanctam Ecclesiam persequuntur, quid aliud quàm torcular calcant? Quod diuina agi dispositione permittitur, vt animarum botri in spiritale vinum defluant, quæ carne corruptibili exutæ, ad regna cœlestia velut in apothecã currant, Nam iniusti dum iustos deprimunt, quasi botros sub pedibus mittunt. Compressi autem botri ad superni conuiuij satietatem exuberant, qui prius quasi in huius aëris libertate pendebant. Vnde Dauid propheta sanctæ Ecclesiæ afflictionem conspiciens, psalmum pro torcularibus scribit. Sed omnes qui vitam fidelium persequuntur, calcant & sitiunt: quia agendo crudelia ferociores fiunt, & impietatis suæ meritis cæcati, eo ambiunt grauiora facere, quo iam grauia fecerunt. Hæretici autem cùm per se potestatem persecutionis non habent, huius seculi potentes commouent, eorúmque mentes ad persequendum trahunt, & quibus valent persuasionibus accendunt. Quos cùm crudelia agere contra catholicorum vitam conspiciunt, quasi in ipso Solis feruore requiescunt. Bene ergo nunc dicitur: *Inter aceruos eorum meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt:*) Quia eorum se multitudi adiungunt, quos iam vident grauia agere, & adhuc sitire grauiora. Quorum feruor dum eorum desideria satiat, in eorum actibus, quasi in meridie quiescunt. Sequitur: *De ciuitatibus fecerunt viros gemere.*) Quia ciuitates à conuiuentibus populis appellantur, non immeritò ciuitatum nomine veræ sunt fidei Ecclesiæ designatæ, quæ in singulis mundi partibus positæ, vnam catholicam faciunt, in qua fideles omnes de Deo recta sentientes concorditer viuunt. Hanc nanque in euangelio 26. Dominus conuiuantium populorum etiam per locorum distinctionem concordiam designauit, cùm satiaturus de quinque panibus populum, quinquagenos per turmas, vel centenos discumbere præcepit: *Matth. 14. Marci. 6. Lucæ. 9. Ioan. 6.* vt videlicet turba fidelium escam suam, & locis disiuncta & moribus coniuncta perciperet. Iubilæi quippe requies quinquagenarij numeri mysterio continetur, & quinquagenarius bis ducitur, vt ad centenarium perducatur. Quia ergo prius à malo quiescitur opere, vt pòst anima plenius quiescat in cogitatione, alij quinquageni,

quageni, alij autem centeni discumbunt: quoniam sunt nonnulli qui iam à prauis actibus habent requiem operis, & sunt nonnulli qui à peruersis cogitationibus habent iam requiem mentis. Hæretici igitur quia peruersis sæpe huius mundi potentibus adhærentes, bonorum socialem vitam, atque concordiam persequuntur, rectè nunc dicitur: *De ciuitatibus fecerunt viros gemere.*) Quos rectè beatus Iob memorat viros, quia illos magis hæretici extinguere ambiunt, qui perfectis gressibus per viam Dei nõ fluxè & eneruiter, sed viriliter currũt. Qui cùm vulnus perfidiæ ingeri in paruulorum fidelium mẽte conspiciunt, semper ad clamorem & gemitus redeunt. Vnde & rectè dicitur: *Et anima vulneratorum clamabit, & Deus inultum abire non patitur.*) Vulneratur quippe anima iustorum, cùm fides turbatur infirmorum, quibus iam hoc ipsum clamare, est de alieno lapsu tabescere. Sed Deus inultum abire non patitur: quia etsi iusto ordine iniustum aliquid fieri iustè permittit, inultum tamen abire non sinit iniustum quod fieri iustè permisit: quia & per reproborum iniustitiam quasdam quas inesse considerat culpas percutit electorum, & tamen æterna iustitia ferire non negligit iniustitiam ferientium. Sequitur.

Quòd hæretici qui bona quæ intelligunt, malè interpretando peruertunt, & facere contemnunt, postmodum ita dantur in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt, nec hoc ipsum intelligunt, quòd malè agunt.

Caput XXIIII.

I*Psi fuerunt rebelles lumini.*) Plerunque peruersi & cognoscunt recta quæ sequi debeant, & tamen sequi despiciunt quę cognoscunt. Lumini ergo rebelles sunt: quia sua desideria sequẽdo, bonum despiciunt quod nouerunt. Qui ergo non per ignorantiam, sed per superbiam delinquunt, elationis suæ scutum iaculis veritatis obiiciunt, ne salubriter in corde feriantur: Ex qua videlicet eorum superbia agitur, vt quia nolunt facere quæ cognoscunt, nec cognoscant iam bona quæ faciãt, sed sua eos cæcitas à veritatis lumine funditùs excludat. Vnde & aptè subditur: *Nescierunt vias eius, nec reuersi sunt per semitas illius.*) Qui enim prius sciendo rebelles sunt, postmodum cæcantur vt nesciant, sicut de quibusdam dicitur: *Roma. 1.* Quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerũt. De quibus paulopòst additur: Tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quę non conueniunt. Quia enim glorificare noluerunt quem cognouerũt, reprobo sensui traditi, ad hoc relicti sunt, vt nescirent iam pensare mala 27. quæ faciebant. Bene autem dicitur: *Nescierunt vias eius, nec reuersi sunt per semitas illius.*) Angustior quippe est semita quàm via. Qui autem bona manifestiora agere contemnunt, nequaquam ad subtiliora intelligenda perueniunt. Expectauit autem omnipotens Deus, vt per eius semitas pergerent, sed vtinam per eas vel reuerti voluissent, vt vitæ itinera quæ noluerunt per innocentiam, saltem per pœnitentiam tenerent. Qua in re quanta sint misericordiæ viscera Dei omnipotentis ostenditur qui eos quos à se discedentes aspicit, vt reuertantur quærit. Vnde post enumeratas culpas delinquentium, synagogam per vocem propheticam reuocat, dicens: *Hier. 3.* Ergo saltum amodo voca me, pater meus, dux virginitatis meæ tu es. Sequitur:

Quòd qui in fraterno odio sunt, homicidæ dicantur.

Caput XXV.

M*Ane primo consurgit homicida, interficit egenum & pauperem. per noctem verò erit quasi fur.*) Cùm homicida in nece proximorum per nocturnum maximè silentium soleat grassari, cur hoc in loco mane primo consurgere ad interficiendum egenum & pauperem dicitur, in nocte verò quasi fur esse perhibetur? Sed ipsis verbis literæ dum sibi non congruunt, ad indaganda spiritus secreta reuocamur. In scriptura sacra mane aliquando aduentus dominicæ incarnationis, aliquando aduentus iam terribilis & districti iudicis, aliquãdo verò præsentis vitæ prosperitas poni consueuit. Mane etenim aduentus dominicæ incarnationis extitit, sicut Propheta dicit: *Esaia. 21.* Venit mane & nox: quia & nouæ lucis primordia in redemptoris præsentia fulserunt, & tamen à persecutorum cordibus perfidiæ suæ tenebræ non sunt detersæ. Rursum per mane aduentus iudicis designatur. Vnde per Psalmistam dicitur: *Psal. 100.* In matutinis interficiebam omnes peccatores terræ: & sicut electorũ quoque personam exprimens, ait: *Psal. 5.* Mane astabo tibi & videbo. Rursum per mane præsentis vitæ prosperitas designatur, sicut per Salomonem dicitur: *Eccles. 10.* Væ tibi terra, cuius rex est puer, & cuius principes mane comedũt. Quia enim mane primum diei tempus est, & vesperæ extremum, nequaquam reficiendi sumus de huius vitæ prosperitate quæ præuenit, sed de his quæ in fine diei, id est, in mundi termino sequuntur. Mane ergo comedũnt, qui de huius mundi prosperitatibus extolluntur, & dum præsentia vehementer curant, futura non cogitant. Omnis enim qui odit fratrem suum, homicida est. *1. Ioan. 3.* Mane itaque primò consurgit homicida, quia in præsentis vitæ gloria peruersus quisque erigitur, & illorum vitam deprimit, qui dum sequẽtem gloriam sitiunt, quasi satiari in vespere exquirunt. Prauus etenim quisque in hoc mundo dignitatem trãsitoriæ potestatis arripiens, tantò se acrius ad peragenda mala dilatat, quantò per charitatis viscera nullum amat. Quotiens enim cogitationibus contra bonos sæuit, totiens innocentiũ vitam interimit. Qui si disponente Deo subitò gloriam acceptæ potestatis amiserit, locum mutat, sed mentem non mutat: quia ad hoc protinus dilabitur, quod subinfertur: *Per noctem verò erit quasi fur.* 23. In nocte quippe tribulationis atque deiectionis suæ, etsi exercere crudelitatis manum non valet, eis tamen quos præualere conspicit, consilia peruersitatis præbet. Huc illucque discurrit, & quæque potest in bonorum læsionem suggerit. Qui rectè quasi fur dicitur, quia in ipsis suis peruersis consiliis metuit ne deprehendatur. Qui ergo contra egenum & pauperem mane homicida est, per noctem quasi fur abscõditur: quia peruersus quisq; qui in prosperitate vitæ præsentis humilium vitam deprimendo interimit, in aduersitate atque deiectione positus, per iniqua consilia latenter lædit, atque id quod per se explere non valet, adhærendo huius mundi potentibus exercet. Sequitur: *Oculus adulteri obseruat caliginem, dicens: Non me videbit oculus.*) Hoc etiam iuxta literam nil obstat intelligi, quia qui adulterium perpetrare desiderat, tenebras exquirit. Sed quia contra hæreticos sententia promitur, dignum est vt hoc quod dicittur, mysticè sentiatur. Nam Paulus ait: *1. Cor. 4.* Non enim sumus, sicut plurimi adulterantes verbum Dei. Adulter quippe in carnali coitu non prolem, sed voluptatem quærit. Et peruersus quisque ac vanæ gloriæ seruiens, rectè adulterare verbum Dei dicitur, quia per sacrum eloquium non Deo filios gignere, sed suam scientiam desiderat ostẽtare. Quem enim libido gloriæ ad loquendum trahit, voluptati magis quàm generationi operam impendit. Vbi & aptè subditur: *Non me videbit oculus:*) quia adulterium quod in mente agitur, valde est difficile vt ab humano visu penetretur. Quod peruersa mens tantò securius perpetrat, quantò se ab hominibus videri non metuit quos erubescat. Sciendum quoque est, quia sicut is qui adulterium facit, carnem alienæ coniugis sibi illicitæ coniungit: ita omnes hæretici cùm fidelem animam in suo errore rapiunt, quasi cõiugem alienam tollunt: quia videlicet mens Deo spiritaliter inhærens, & ei quasi in quodam amoris thalamo coniuncta, cùm peruersis persuasionibus ad prauitatẽ dogmatis perducitur, quasi aliena coniũx à corruptore maculatur. Bene autem subditur: *Et operiet vultum suum.*) Idcirco faciem suam adulter operit, ne cognoscatur. Omnis autem qui sentiendo vel agendo nequiter viuit, vultum suum operit: quia ad hoc peruersitate dogmatis vel operis tendit, vt ab omnipotente Deo in iudicio recognosci non possit. Vnde quibusdam in fine dicturus est: *Matth. 7.* Nunquam noui vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem. Quid autem vultus cordis humani est, nisi similitudo Dei? Quem videlicet vultum peruersus operit, vt cognosci nequeat, cùm vitam suam vel malis actibus, vel perfidiæ errore confundit. Sed talis quisque cùm prosperitate vitæ præsentis iustos † fulciri conspicit, eis peruersa suadere minimè præsumit: *† al. fulgere.* si qua verò illos procella aduersitatis inuenerit, ad verba protinus pestiferæ persuasionis erumpit. Vnde & subditur: *Perfodiunt in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, & ignorauerunt lucem.*) Qui nanque hoc loco domorum nomine, nisi conscientiæ designantur, in quibus habitamus, cùm tractando quid agimus? Vnde cuidam *Lucæ. 8.*

sanato dicitur: Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit: id est, à peccati iam vitio securus ad conscientiam reuertere, & in vocem prædicationis excitare: † Iusti itaque cùm in præsenti seculo die prosperitatis clarescunt, eis errorum magistri peruersa suadere metuunt. *† al. Iustis itaque cùm in præs. sec. dies &c.* Sed consilia exquirunt, deiectionem prosperitatis eorum summopere præstolantur, vt in aduersitatis tenebris eorum mentes suadendo perfodiant, quibus prosperè viuentibus peruersa loqui minimè audebant. Quos mox vt in aduersitate viderint, exurgunt, & non nisi ex peccati merito talia illos perpeti asserunt: quia solam præsentis vitæ gloriam diligentes, flagellum damnationem credunt. In tenebris ergo domos perfodiunt, quia bonorum mentes ex ipsa eorum corrumpere aduersitate moliuntur. Bene autem dicitur: *Sicut in die condixerant sibi:*) quia cùm iustos conspicerent prosperitatis luce claruisse, quoniam loqui non poterant, ad maligna solummodo contra eos consilia vacabant.

29 Siue autem hæretici siue peruersi quilibet, cùm iustos in deiectione conspiciunt, gaudent: cùm verò eos ad regendæ potestatis viderint culmen erumpere, perturbantur, metuunt, afflictionibus tabescunt. Vnde & subditur: *Si subitò apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis.*) Iniqui semper afflictionem fidelium expectant, eósque in tribulatione videre desiderant. Et in tenebris domos perfodiunt, dum cor innocentium, sed tamen infirmorum, deiectionis tempore pessima collocutione corrumpunt. Sed plerunque contingit vt dum bonos quosque in deiectione conspiciunt, subitò occulta dispensatione diuina iustus quispiam qui videbatur oppressus, aliqua seculi potestate fulciatur, eique prosperitas vitæ præsentis arrideat, quem prius aduersitatis tenebræ premebant. Quam nimirum prosperitatem illius cùm peruersi conspiciunt, sicut dictum est, perturbantur. Mox enim ad corda sua redeunt, ante mentis oculos reuocant quicquid se peruersè egisse meminerunt, vindicari in se omne vitium formidant, & vnde lucet ille qui potestatem suscipit, inde peruersus quisque qui corrigi metuit in tristitia tenebrescit. Bene ergo dicitur: *Si subitò apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis.*) Aurora quippe mens iusti est, quæ peccati sui tenebras deserens, ad lucem iam erumpi, æternitatis, sicut de sancta quoque Ecclesia dicitur: *Canti.6.* Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens? Quo igitur iustus quisque iustitiæ luce irradians, in præsenti vita honoribus sublimatur, eo ante peruersorum oculos tenebræ mortis fiunt: quia qui peruersa se egisse meminerunt, corrigi pertimescunt. Semper nanque desiderant in suis prauitatibus relaxari, incorrecti viuere, & de culpa gaudium habere.

Quorum ipsa lethalis lætitia conuenienter exprimitur, cùm protinus subinfertur: *Et sic in tenebris quasi in luce ambulant.*) Peruersa etenim mente gaudent in facinoribus, per culpam suam quotidie ad supplicium trahuntur, & securi sunt. Vnde & per Salomonem dicitur: Sunt impij qui ita securi sunt, quasi *Eccles.8.* iustorum facta habeant. De quibus rursum scriptum est: Qui lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. Sic *Prouerb.2.* itaque in tenebris quasi in luce ambulant: quia ita gaudent in nocte peccati, ac si eos lux iustitiæ circunfundat. Vel certè quia tenebræ vitam præsentem non inconuenienter exprimunt, in qua alienæ conscientiæ non videntur. Lux verò nostra patria æterna est, in qua dum vultus aspicimus, corda in nobis nostra vicissim videmus. Iniqui autem quia vitam præsentem iam diligunt, atque hæc exilij tempora complectuntur, ac si iam in patria regnet, rectè dicitur: Sic in tenebris quasi in luce ambulant: quia sic in præsenti cæcitate læti sunt,
30 ac si iam æternæ patriæ luce perfruantur. Sequitur: *Leuis est super faciem aquæ.*) A plurali numero ad singularem redit: quia plerunque vnus mala inchoat, & imitando multi subsequuntur. Sed eius principaliter culpa est, qui peruersis sequentibus exempla præbuit iniquitatis. Vnde ad illum redit crebrò sententia, qui author extitit in culpa. Aquæ autem superficies huc illúcque aura impellitur, & nulla stabilitate solidata passim mouetur. Iniqui igitur mens plusquàm aquæ superficies leuis est: quia quælibet hanc aura tentationis attigerit, sine tarditate aliqua retractationis trahit. Si enim cor fluxum cuiuslibet peruersi cogitamus, quid aliud quàm in vento positam aquæ superficiem cernimus? Nunc nanque illum aura superbiæ impellit, nunc aura luxuriæ, nunc aura inuidiæ, nunc aura fallaciæ pertrahit. Super faciem ergo aquæ leuis est is, quem quilibet erroris ventus cùm venerit impellit. Vnde bene quoque per Psalmistam dicitur: Deus meus pone illos vt *Psalm.82.* rotam, & sicut stipulam ante faciem venti. Vt rota quippe ponuntur iniqui, quia in circuitu laboris missi, dum ea quæ antè sunt neglegunt, & ea quæ deserenda sunt sequuntur, ex posterioribus eleuantur, & in anterioribus cadunt. Qui rectè quoque stipulæ ante faciem venti comparantur: quia irruente aura tentationis, dum nulla subnixi sunt ratione grauitatis, eleuantur vt corruant, & sæpe eo se alicuius meriti existere æstimant, quo eos in alta flatus erroris portat. Sequitur:

Quòd hæretici quia nec in fide Ecclesiæ, nec in via charitatis ambulant, etsi ab hominibus ad tempus videntur benedicti, ipsi tamen maledictione æterna damnantur.

Caput XXVI.

M*Aledicta sit pars eius in terra, nec ambulet per viam vinearum.*) Quisquis in vita præsenti recta agit & aduersa sustinet, laborare quidem † in aduersitate cernitur, sed ad benedictionem hæreditatis perpetuæ consummatur. *† vel ex.* Quisquis verò peruersa agit, & tamen prospera recipit, séque à malis acribus nec donorum largitate compescit, prosperari quidem conspicitur, sed reatu perpetuæ maledictionis ligatur. Vnde rectè nunc dicitur: *Maledicta sit pars eius in terra.*) Quia etsi ad tempus benedicitur, in reatu tamen maledictionis tenetur. De quo & aptè subditur: *Nec ambulet per viam vinearum.*) Via nanque vinarum, est rectitudo Ecclesiarum. Qua in re siue hæreticum, siue carnalem quempiam nil obstat intelligi, quia via vinearum, id est, rectitudo Ecclesiarum amittitur, dum vel fides recta, vel rectitudo iustitiæ non tenetur. Ille nanque per viam vinearũ ambulat, qui sanctæ vniuersalis Ecclesiæ prædicationem pensans, neque à fidei, neque à bonorum actuum rectitudine declinat. In via quippe vinearum ambulare, est sanctæ Ecclesiæ patres velut dependentes botros aspicere, quorum verbis dum intendit in labore itineris, amore debriatur æternitatis. Sequitur:

Quòd quidam sicut in peccato immoderati fuerunt, & vltra modum frigidi, ita cùm calescere incipiunt, nimij sunt, nec in aliquo habent mensuram. Caput XXVII.

A*D nimium calorem transeat ab aquis niuium.*) Idcirco iniquitas frigori comparatur: quia peccantis mentem torpore constringit. Vnde scriptum est: Sicut frigidam facit cisterna *Hiere.6.* aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam. Quo contra charitas calor est: quia videlicet mentem accendit quam replet. De quo calore scriptum est: Abundabit iniquitas, refri- *Matth.24.* gescet charitas multorum. Et sunt nonnulli qui dum iniquitatum suarum frigora declinant, ad veram fidem vel ad sanctitatis habitum veniunt. Sed quia plusquam necesse est de suis sensibus præsumunt, sæpe in fide quam accipiunt, ea quæ non capiunt, perscrutari volunt, vt ratione magis in Deo quàm fide teneantur. Quia verò humana mens perscrutari non valet diuina secreta, omne quod ratione perscrutari nõ possunt, credere contemnunt, & per inquisitionem nimiam in errorem labuntur. Hi itaque cùm necdum crederent, vel adhuc ad iniquitatis opera vacarent, aquæ niuium fuerunt. Sed cùm carnalia facta deserentes, in fide ad quam perducti sunt, plus appetunt perscrutari quàm capiunt, amplius profectò calent, quàm calere debuerunt. Bene ergo de hoc peruerso *Propheta nõ optat mala.* quolibet prophetantis duntaxat sententia, non optantis dicitur: *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium.*) Ac si apertè diceretur: Qui humiliter sub disciplinæ vinculo non restringitur, ab infidelitate sua, vel peruersi operis frigore, per immoderatam sapientiam in errorem labitur. Vnde bene quoque egregius prædicator discipulorum suorum cordibus hûc exquisitæ sapientiæ nimium calorem deuitans, ait: Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Ne fortasse nimius calor interimeret, quos prius aquæ niuium, id *Roma.12.* est, infidelitas vel torpentium actionum frigora morituros tenebant. Et quia valde difficile est, vt is qui se sapientem æstimat, mentem ad humilitatem reducat, & recta prædicantibus credat, sensúmque suæ peruersitatis abiiciat, rectè subiungitur:

Quòd

Quòd peccatum vsque ad inferos ducitur, quod ante mortem per pœnitentiam non emendatur.

Caput XXVIII.

E*T vsque ad inferos peccatum illius.*) Peccatum quippe vsque ad inferos ducitur, quod ante finem vitæ præsentis per correctionem ac pœnitentiam non emendatur. De quo videlicet peccato per Ioannem dicitur: Est peccatum ad mor-
31. *1.Ioan.5.* tem non pro illo dico vt roget quis, Peccatum nanque ad mortem, est peccatum vsque ad mortem: *Peccatũ ad mortem.* quia scilicet peccatum quod hîc non corrigitur, eius venia frustra postulatur. De quo adhuc subditur: *Obliuiscatur eius misericordia.*) Omnipotentis Dei misericordia obliuisci eius dicitur, qui omnipotentis Dei iustitiæ fuerit oblitus: quia quisquis eum nunc iustum non timet, postea inuenire non valet misericordem. Quæ nimirum sententia non solùm ei intenditur, qui veræ fidei prædicamenta deserit, sed etiam qui in fide recta positus carnaliter viuit: quia vltio æternæ animaduersionis non euaditur, vtrum in fide, an in opere peccetur. Nam etsi damnationis dispar est qualitas, culpæ tamen quæ nequaquam per pœnitentiam tergitur: nulla absolutionis suppetit facultas. Sequitur.

Quòd carnalis dulcedo delectationis in conscientia nutrit vermem doloris, & tota carnalis voluptas ad putredinem fœtoris festinat.

Caput XXIX.

D*Vlcedo illius vermis.*) Qui in hoc appetit mundo prosperari, cæteros excedere rebus & honoribus tumere, huic nimirum cura secularis in delectatione est, & quies in labore. *Quies in labore, & fatigatio in quiete.* Valde etenim fatigatur, si desit cura seculi qua fatigetur. Quia autem naturæ est vermium, momẽtis singulis incessanter moueri, non immeritò signatur nomine vermiũ, inquietudo cogitationum. *Naturæ est vermiũ incessanter moueri.* Peruersæ itaque mentis dulcedo vermis est: quia inde delectabiliter pascitur, vnde per inquietudinẽ incessanter agitatur. Potest quoque apertius vermis nomine caro designari. Vnde & superius dicitur: Homo putredo, & filius hominis vermis. Luxuriosi igitur cuiuslibet atque carnis voluptatibus dediti, quanta sit cæcitas demonstratur, cùm dicitur: *Dulcedo illius vermis.*) Quid nanque caro, nisi putredo ac vermis est? Et quisquis carnalibus desideriis anhelat, quid aliud quàm vermem amat? Quæ enim sit carnis substantia, testantur sepulchra. Quis parentum, quis amicorum fidelium, quamlibet dilecti sui tangere carnem scaturientem vermibus potest? Caro itaque cùm concupiscitur, pensetur quis sit exanimis, & intelligitur quid amatur. Nil quippe sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quàm vt vnusquisque hoc quod viuum diligit, quale sit mortuum penset. Considerata etenim corruptione carnali, citius cognoscitur: quia cùm illicitè caro concupiscitur, tabes desideratur. Bene ergo de luxuriosi mente dicitur: *Dulcedo illius vermis:*) quia is qui in desiderio carnalis corruptionis æstuat, ad fœtorem putredinis anhelat. Hæc sicut in huius partis tertiæ initio promisisse me memini, sub breuitate transcurri: vt ea quæ in hoc opere sequuntur, quia magna obscuritate implicata sunt, opitulante Deo latius differantur.

Libri decimisexti Moralium sancti Gregorij, tertiæ partis operis totius, finis.

B. GREGORII

MORALIVM LIBER DEcimus septimus, continuans textum capitis vicesimiquarti sancti Iob.

Caput I.

QVoties in sancti viri historia per nouum volumen enodare mysterium typicæ expositionis aggredimur, oportet vt ex eiusdem viri, vel nomine, vel passione significationem mysticam principaliter proferamus: quatenus habitaculorum more, dum superscriptionem tituli in ipsa postis fronte præfigimus, quia cuius est domus agnoscitur, securius intretur. Crebrò autẽ dixisse me memini, quoniam beatus Iob passiones redemptoris nostri, eiúsque corporis, id est, sanctæ Ecclesiæ, & passione sua signauit & nomine. Iob quippe interpretatur dolens. Et quis alius in hoc dolente figuratur, nisi is de quo scriptum est: Verè languores nostros ipse tulit, *Esaiæ.53.* & dolores nostros ipse portauit? *Ibidem.* De quo rursum dicitur: Liuore eius sanati sumus. Amici verò eius, hæreticorum speciẽ tenent, qui, vt sæpe iam diximus, Deum dum defendere nituntur, offendunt. Sanctus ergo vir per vulnera & verba sic loquatur sua, vt etiam nostra significet, & plerunque per prophetiæ spiritum ventura narret; præsentia transcendat: nonnunquam verò sic de præsentibus differat, vt de futuris reticescat. Cognita itaque discretionis huius custodia, cum immutatione vocis illius nostra quoque intelligentia alternet: vt tantò verius eius sensibus congruat, quantò se & cum eius vocibus immutat. Verbis itaque præcedentibus sanctus vir per disertas prudentiæ arte sententias iniqui cuiuslibet culpas protulit, & quàm sit damanda eius actio expressit. De cuius pœna mox subiicit, dicens:

Quòd malorum vitam in eo videt Deus, quòd iudicat: in eo quòd non miseretur, ignorat. Caput II.

N*On sit in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum.*) In recordationem enim conditoris non reducitur, quisquis vsque ad finem vitæ vitiis subiugatur. Nam si hunc superni respectus memoria tangeret, procul dubio ab iniquitate reuocaret. Eius quippe merita exigunt, vt funditùs ab authoris recordatione deleatur. Sciendum verò est, quòd recordari Deus nequaquam propriè dicitur. Qui enim obliuisci nõ potest, quo pacto recordari potest? Sed quia eos nos, quorum recordamur, amplectimur: ab his autem quorũ obliuiscimur, elongamur: humano vsu & recordari Deus dicitur, cùm dona tribuit: & obliuisci, cùm in culpa derelinquit. Sed quia cuncta pensat; cuncta sine intermissionis alternatione considerat, & recordatur bonorum, quorum tamen nunquam obliuiscitur: & nullatenus recordatur malorum, quos tamen per iudicium semper intuetur. Quasi enim redit ad bonorum memoriam, quam tamen nunquam deseruit: & quasi nequaquam malos respicit, quorum tamen facta considerat, sed super hæc damnationis iudicium in vltimis seruat. Hinc enim scriptum est: Oculi Domini contemplantur bonos & malos. Hinc per *Psalm.15.* Psalmistam dicitur: Vultus Domini super facientes mala: vt *Psal.33.* perdat de terra memoriam eorum. Cõsiderat igitur quos puniat, sed eosdem ipsos antè non vidit, quos nescit. Nam quibusdam in fine dicturus est: Nescio vos vnde sitis: discedite à *Matt.7.* me omnes operarij iniquitatis. Miro igitur modo prauorum vitam, & intuetur & obliuiscitur: quia quos per districtionem sententiæ iudicat, quantum est ad memoriam misericordiæ ignorat. Qui quoniam in eius recordationem non veniunt, quasi infructuosum lignum ex eius iudicio conteruntur. Terra quippe eos temporali sumptu aluit, prædicationis desuper pluuia infudit. Sed quia eorum vita nequaquam fructum boni operis protulit, iratus hanc agricola abscidit: vt iuxta veritatis sententiam locum nõ occupet, quem tenere alius ad fructum valet. De hoc infructuoso ligno per Ioannem dicitur: *Matt.3.* Iam securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Hoc autem loco vt æterna reprobi supplicia designẽtur, nequaquam lignum dicitur abscindi, sed conteri: quia videlicet reprobos mors quidem carnis abscindit, sed pœna subsequens conterit. Quasi enim hic inciditur, cùm à præsenti vita separatur. Sed in gehenna conteritur, cùm perpetua damnatione cruciatur. Vir autem sanctus, quia districtam peruersi pœnam protulit, protinus ad culpam recurrit: vt ex iniustitiæ immensitate edoceat, quòd tanta eius damnatio non sit iniusta. Sequitur.

Quòd reprobi infructuosam carnem in huius mundi deliciis enutriunt, & animam Christo marito viduam contemnunt.

Caput III.

P*Auit enim sterilem & quæ nõ parit, & viduæ bene nõ fecit.*) Quæ hoc loco sterilis, nisi caro nominatur? Quæ dũ sola præ-

ſentia appetit, bonas gignere cogitationes neſcit. Quæ autem vidua, niſi anima nuncupatur? Quam quia ſibi conditor coniungere voluit, ad thalamum vteri virginalis venit, Pſalmiſta atteſtante, qui ait: Et ipſe tanquam ſponſus, procedens de thalamo ſuo. Quæ rectè vidua dicitur: quia eius vir pro ea mortem pertulit, & nunc in cœli penetralibus ab eius oculis occultus, quaſi in parte alterius regionis viuit. Iniquus ergo ſterilem paſcit, & viduæ benefacere negligit: quia carnis deſideriis ſeruiens, curam animæ vitámque contemnit. Tota nanque intentione omníque ſtudio cogitat, † quomodo ſine vllis neceſſitatibus caro moritura ſubſiſtat, & curare animæ vitam deſpicit, quæ vel in morte vel in beatitudine procul dubio in perpetuum viuit. Rectè autem cùm diceretur, *Pauit ſterilem*:) protinus adiungitur: *Et quæ non parit.*) Quaſdam nanque ex ſacra hiſtoria fœminas nouimus ſteriles extitiſſe, & tamen in tempore extremo peperiſſe. Caro autem non ſolùm ſterilis, ſed etiam quæ non parit dicitur: quia ſuo ſenſu bonas cogitationes gignere, nec in vltimis valet. A vigore enim iam proprio deficit, & tamen adhuc tráſitoria concupiſcere non deſiſtit: iamque à priſtino robore laſſata, penè ab ipſo quem diligit mundo repellitur, & tamen adhuc anniſu improbo obtinere temporalia conatur. Agere iam peruerſa non ſufficit, ſed tamen cogitare vel quæ non agit nequaquam deſiſtit. Rectè ergo non ſolùm ſterilis, ſed etiam non pariens dicitur: † quia ſuo ſenſu, vt diximus, ad bonæ cogitationis prolem, nec cùm infirmata fuerit, fœtatur. Quod tamen intelligi etiam de hæreticis prædicantibus poteſt. Vnuſquiſque enim prædicator erroris, dum plebem extra vnitatem Eccleſiæ poſitam docet, profectò ſterilem & eam quæ parere non valet paſcit: quia & † ei vſum ſui laboris impendit, quæ ſpiritales fructus nequaquam reddit. Bene autem viduæ non facit, quia videlicet ſanctę vniuerſali Eccleſiæ, cuius vir aduerſa mortis pertulit, viuere ac deſeruire contemnit. Viduæ enim benefacere, eſt in eius, quæ mortui viri ſui amore conteritur, conſolatione laborare. Vnde & Pſalmiſtæ voce hæc eadem vidua, ſcilicet ſancta Eccleſia queritur, dicens: Conſolantem me quæſiui, & non inueni. Tunc ſolùm quippe conſolantem inuenit, cùm ex ea morte quam vir eius pertulit, multos intra ſemetipſam ſurgere ad vitam cernit. Sæpe autem prædicator erroris, huius mundi diuitibus iungitur, qui pro eo quòd terrenis occupationibus incubant, dictorum apprehendere aſtutias ignorant: & cùm potentes eſſe exterius ambiunt, peruerſæ prædicationis laqueo ſine labore capiuntur. Vnde & ſubditur: *Detraxit fortes in fortitudine ſua.*) In fortitudine quippe ſuæ prauitatis fortes quoſque detrahit, cùm per ſui erroris aſtutiam mũdi huius potentes rapit. Quos contra per Paulum dicitur: Infirma mundi elegit Deus, vt confunderet fortia. Fortitudo autem peruerſi prædicatoris, eſt elata ſcientia locutionis, qua inflatus, cæteros deſpicit, atque in contemptu omnium, quaſi ſingulariter apud ſe peritus, intumeſcit. Qui magna de ſe ſentiens, ſed vera de Domino ignorans, longè à fidei cognitione diſiungitur, & tamen videri fidei prædicator conatur. Vnde adhuc ſubditur:

Et cùm ſteuerit, non crederet vitæ ſuæ.) Stat in hoc mundo peruerſus quiſque prædicator, quouſq; terreno viuit in corpore. Sed vitæ ſuæ credere renuit, quia de Deo vera cognoſcere contemnit. Vitæ enim ſuæ crederet, ſi de conditoris ſui ſubſtantia recta ſentiret. Hæc itaque ſuperius de quolibet iniquo prolata dicebamus, ſed repente ad erroris prædicatorem intellectum vertimus, quomodo peccator diu toleratur. Vnde ſciendum eſt, quia ſic ad ſpeciem ducimur, vt nequaquam tamen à genere funditùs euellamur. Nam peruerſus quiſque etiam ſi rectam fidem in ſinu vniuerſalis Eccleſiæ tenere videatur, ſtat, & vitæ ſuæ non credit: quia recta quidem ſunt quæ per fidem de conditore intelligit, ſed tamen fidei opera tenere contemnit, & incredulitatis redarguitur, qui ab eo quod ſe oſtendit credere viuendo reprobatur. Hinc enim per Ioannem dicitur: Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt. Hinc Paulus ait: Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. Hinc Iacobus dicit: Fides ſine operibus mortua eſt. Sed inter hæc cõditor mira diſpenſatione conſilij & culpas reſpicit, & viuendi tempora impendit: vt longiora temporalis vitæ ſpatia, aut conuerſo fiant in adiutorium muneris, aut non conuerſo ad augmentum damnationis. Vnde adhuc ſubditur:

Quòd multum timere debent hi, quos ad pœnitentiam Deus expectat, & quod contemptus clementiæ prouocat iram.

Caput IIII.

D*Edit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbia.*) Quiſquis delinquit & viuit, idcirco hunc diuina diſpenſatio in æquitate tolerat, vt ab iniquitate compeſcat. Sed qui diutius toleratur, nec tamen ab iniquitate compeſcitur, munus quidem ſupernæ patientiæ percipit, ſed reatus ſui vinculis ex ipſo ſe munere arctius aſtringit. Nam quia accepta pœnitentiæ tempora diuertit ad culpam, diſtrictus in vltimis iudex impenſa argumenta miſericordiæ conuertit ad pœnam. Hinc nanque per Paulum dicitur: An ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem ſecundum duritiam tuam & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei. Hinc Eſaias ait: Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit. Ac ſi apertè nos deterreat, dicens: Vita quidem pueri in longum trahitur, vt à factis puerilibus corrigatur, ſed ſi à peccati perpetratione, nec temporis longinquitate compeſcitur, hæc ipſa vitæ lõginquitas quam per miſericordiam accepit, ei ad cumulum maledictionis creſcit. Vnde neceſſe eſt, vt cùm nos diutius expectari conſpicimus, ipſa prærogatæ pietatis tempora, quaſi damnationis argumenta timeamus, ne ex clementia iudicis creſcat ſupplicium peccatoris, & vnde quiſque eripi à morte poterat, inde grauius ad mortem tendat. Quod idcirco plerunque agitur, quia nequaquam à præſentibus mentis oculus ſeparatur. Conſiderare nanque peccator redemptoris vias negligit, & idcirco in ſuis itineribus ſine ceſſatione veteraſcit. Vnde & ſubditur:

Quòd peccatores non vias Dei, ſed ſuas ſuſpiciunt.

Caput V.

O*Culi enim eius ſunt in viis illius.*) Vias enim ſuas peccator intuetur: quia ſola cogitare, ſola cernere nititur, quæ ſibi ad commodum temporale ſuffragentur. Hinc etenim Paulus dicit: Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti. Via nanq; elati, ſuperbia: via raptoris, auaritia: via eſt lubrici, concupiſcentia carnalis. In viis ergo ſuis iniquus quiſque oculos deprimit: quia ſolis vitiis vt per hæc animo ſatisfaciat, intendit. Vnde per Salomonem dicitur: Oculi ſtultorum in finibus terræ: quia hoc ſolùm tota cordis intentione conſpiciũt, per quod ad finem terreni deſiderij perducantur. Nequaquam verò ſuæ conſiderationis obtutum in terra peccator figeret, ſi ad ſancta ſui redemptoris itinera mentis oculos leuaret. Vnde per Salomonem rurſum dicitur: Oculi ſapientis in capite eius: quia videlicet ſapiens quiſque illum tota intentione conſiderat, cuius ſe membrum eſſe per fidem pénſat. Has nanque humanæ conuerſationis vias videre contempſerat, qui dicebat: In mandatis tuis exercebor, & conſiderabo vias tuas. Ac ſi apertè ſpondeat, dicens: Quæ mea ſunt, iam videre refugio: quia per imitationis tuæ viam, pergere conuerſionis greſſibus inardeſco. Qui enim præſenti iam mundo contradicit, amoris excitatione cõtinua, redemptoris ſui vias cordis oculis obiicit, vt mens proſpera fugiat, ad aduerſa præparetur, nihil quod demulcet appetat, nihil quod deterrere creditur, pertimeſcat, mœrorem gaudium deputet, præſentis vitæ gaudia, damna mœroris putet, abiectionis detrimenta non timeat, ſed per hæc manentis gloriæ locum quærat. Has etenim vias ſequentium monſtrabat oculis veritas, cùm dicebat: Si qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Ad has vias tumentia diſcipulorum corda reuocabat, cùm locum iam gloriæ quærerent, ſed eiuſdem gloriæ iter ignorarent, dicens: Poteſtis bibere calicem quem ego bibituru ſum? Confeſsionis quippe illius celſitudinem à dextris ſiniſtriſque quæſierant, ſed quanta ad hanc eſſet itineris anguſtia non videbant. Vnde & eorum mox oculis imitandus paſsionis calix obiicitur, vt videlicet ſi ad ſublimitatis gaudia tenderent, prius viam humilitatis inuenirent. Quia igitur conſiderare peccator vias Dei negligit, ſed ſolis in quibus carnaliter delectetur intendit, rectè nunc dicitur: Oculi enim eius ſunt in viis illius. Sequitur: *Elevati ſunt ad modicum, & non ſubſiſtent.*)

Iniquorum

Iniquorum gloria cùm plerunque in annorum multitudinem tenditur, ab infirmorum mentibus eſſe longa & quaſi ſtabilis æſtimatur. Sed cùm repentinus hanc finis intercipit, breuem procul dubio fuiſſe redarguit, quoniam determinans innoteſcit: quia quod præterire potuit, modicum fuit. Eleuantur ergo ad modicum, & minimè ſubſiſtunt: quia eo ipſo quo videri alti appetunt, à vera Dei eſſentia longè per elationem fiunt. Subſiſtere etenim nequeunt, quia ab æternæ eſſentiæ ſoliditate diuiduntur, atque hanc primam ruinam tolerant, quia per priuatam gloriam in ſemetipſis cadunt. Hinc enim per Pſalmiſtam dicitur: Deieciſti eos cùm alleuarentur: quia eò intrinſecus corruunt, quò malè extrinſecus ſurgunt. Hanc breuitatem gloriæ temporalis aſpiciens iterum dicit: Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum ſuper cedros libani: tranſiui, & ecce non erat. Hinc iterum ait: Puſillum adhuc, & non erit peccator. Hinc Iacobus dicit: Quæ eſt enim vita veſtra? Vapor eſt ad modicum parens. Hinc Propheta breuitatem gloriæ carnalis penſans, denuntiat, dicens: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius ſicut flos fœni. Iniquorum quippe potentia fœni floribus comparatur: quia nimirum carnalis gloria dum nitet, cadit: dum apud ſe extollitur, repentino intercepta fine terminatur. Sic nanque aurarum flatu in altum ſtipula rapitur, ſed caſu concito ad ima reuocatur. Sic ad nubila fumus attollitur, ſed repentè in nihilum tumeſcendo diſſipatur. Sic ab infimis nebula denſeſcendo ſe erigit ſed exortus hanc Solis radius, ac ſi non fuerit abſtergit. Sic in herbarum ſuperficie nocturni roris humor aſpergitur, ſed diurni luminis ſubito calore ſiccatur. Sic ſpumoſæ aquarũ bullæ inchoantibus pluuiis excitatæ, ab intimis certatim prodeunt, ſed cò celerius diruptæ depereunt, quò inflatæ citius extenduntur. Cúmque excreſcunt vt appareant, creſcendo perangunt ne ſubſiſtant. De iniquis igitur temporalis gloriæ elatione tumentibus, ſed tamẽ nulla ſoliditate durantibus, dicatur rectè: Eleuati ſunt ad modicum, & non ſubſiſtent. De quibus adhuc ſubditur: *Et humiliabuntur ſicut omnia, & auferentur.*) Sic prouectus eſſe contemplationis debet, vt ex paucis ad multa, ex multis ad omnia conſideranda rapiatur: quatenus gradatim educta proficiat, & tranſitoria omnia comprehendendo diiudicans, ipſa penè incomprehenſibiliter excreſcat. Vnde ſanctus vir cùm prauorum gloriam defectúmque diſcuteret, ad cuncta protinus mentis oculum tetendit, dicens: *Humiliabuntur ſicut omnia, & auferentur.*) Omnia profectò terrena. Ac ſi apertè dicat: Stare vllo modo nequeunt, quia ipſa quoque fugiunt quibus innituntur: dúmque temporalia diligunt, cum his ex temporis volubilitate percurrunt. Sed quæri poteſt cùm per Salomonem dicitur: Generatio præteriit, & generatio aduenit, terra verò in æternum ſtat: cur beatus Iob omnia humiliari aſſerat & auferri? Quod tamen facilè diſcutimus, ſi terra & cœlum vel qualiter tranſeat vel qualiter maneat diſtinguamus. Vtraque nanque hæc per eam quam nunc habent imaginem tranſeunt, ſed tamen per eſſentiam ſine fine ſubſiſtunt. Hinc nanque per Paulum dicitur: Præterit enim figura huius mundi. Hinc per ſemetipſam veritas dicit: Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. Hinc ad Ioannem angelica voce perhibetur: Erit cœlum nouum, & terra noua. Quæ quidem non alia condenda ſunt, ſed hæc ipſa renouantur. Cœlũ igitur & terra & tranſit & erit: quia & ab ea quam nunc habet, ſpecie per ignem tergitur, & tamen in ſua ſemper natura ſeruatur. Vnde per Pſalmiſtam dicitur: Mutabis ea, & mutabuntur. Quam quidem vltimam commutationem ſuam ipſis nobis nunc viciſſitudinibus nuntiant, quibus noſtris vſibus indeſinenter alternant. Nam terra à ſua ſpecie hyemali ariditate deficit, vernali humore viridéſcit. Cœlum quotidie caligine noctis obducitur, & diurna claritate renouatur. Hinc ergo fidelis quiſque colligat & interire hæc, & tamen per innouationem refici, quæ conſtat nunc aſsiduè velut defectu reparari.

Quòd in die iudicij, impiis quaſi ariſtis proiectis in ignem, iuſtitiæ ſanctorum quantus ſit candor patebit.

Caput VI.

INter hæc igitur vir ſanctus cùm prauorum curſum conſpicit, quanta quãdoque animaduerſione deficiant innoteſcit, dum protinus ſubdit: *Et ſicut ſummitates ſpicarum con*[illegible] Spicarum quippe ſummitates, ariſtæ ſunt. Ariſtæ at[illegible] iunctæ in ſpica prodeunt, ſed creſcendo pauliſper, [illegible]tæ & rigidæ diſiunguntur. Sic nimirum ſic ad huius [illegible] gloriam praui diuites ſurgunt. Naturæ enim ſibi coram[illegible] ne coniuncti ſunt, ſed contra ſe viciſsim creſcendo diu[illegible]tur. Alius quippe alium deſpicit, & alter in alterum inu[illegible] facibus igneſcit. Qui ergo ex tumore mentis à charitatis v[illegible]tate ſe ſeparant, quaſi ariſtarum more contra ſe rigidi ſta[illegible] Quid ergo prauos huius mundi diuites dixerim, [illegible] ariſt[illegible] quaſdam generis humani? Qui dum contra ſe ſuperbiunt, [illegible] bonorum vitam vnanimiter affligunt: aduerſum ſe quidem diuiſi ſunt, ſed tamen concorditer grana deorſum pr[illegible] Nunc igitur ariſtæ ad alta proſiliunt, grana latent: quia & reproborum potentia eminet, & electorum gloria non appa[illegible]ret. Illi ſe honorum faſcibus oſtendunt, iſti in humilitate [illegible] deprimunt. Sed trituræ tempus aduenit, quod & ariſtarum rigiditatem frangat, & ſolida grana non conterat. Tunc quippe ſuperbia iniquorum comminuitur, tunc electorum vi[illegible] quanta integritate fulgeat, declaratur: quia cùm iniuſti de[illegible]ciunt, ex hac ipſa ariſtarum contritione agitur, vt grana appareant quæ latebant. Cúmque ariſtæ franguntur, granorum candor oſtenditur: quia iniquis in ſupplicia æterna cadentibus ſanctorum iuſtitia quanta veritate candeat, demõſtratur. Vnde rectè quoque per Ioannem dicitur: Cuius ventilabrum in manu ſua eſt, & permundabit aream ſuam: & triticum quidem recondet in horrea ſua, paleas autem comburet igni inextinguibili. Beatus igitur Iob, prauorum elatio quanta animaduerſione frangatur, aſpiciat, eóſque ariſtis pereuntibus comparans, dicat: Sicut ſpicarum ſummitates conterentur: quia nimirum rigiditas ſuperborum trituræ vltimæ fortitudine frangitur, quæ nunc electorum vitam deſpiciens eleuatur. Sequitur:

Quòd ſit indignum & iniuſtum, vt ſancti ſi in aliquo offendant, à malè viuentibus increpentur.

Caput VII.

Q*Vod ſi non ita eſt, quis me arguere poterit eſſe mentitum, & ponere ante Deum verba mea?*) Si ita non eſt vt loquitur, profectò de falſitate hunc omnes arguere poſſunt. Cur ergo dicitur: Si non ita eſt, quis me arguere poterit eſſe mentitum: dum ſcilicet nouerimus quòd fallacem cuilibet reprehendere licet? Sed ſi loquentis ſenſum ſubtili interrogatione diſcutimus, quàm ſint recta quæ protulit, citius inuenimus. Iuſtus nanque etſi quid vnquam delinquendo loquitur, dignum non eſt vt ab iniuſtis & prauè viuentibus iudicetur. Vnde ſanctus vir amicorum ſuperbiam deprimens, non ſolùm ſi ita eſt, verumetiam ſi ita non eſt vt protulit, nequaquam ſe reprehendi poſſe confidit: quia nimirum illi rectè redarguere falſa poſſunt, qui falſa agere neſciunt. Nam correptionis auſum contra fallaciam perdunt, qui adhuc falladiter viuunt. Ait ergo: *Quod ſi ita non eſt, quis me poterit arguere eſſe mentitum?*) Ac ſi apertè dicat: Ita ſunt cuncta vt protuli, quæ tamen ſi ita non eſſent, à vobis redargui nequaquam poſſem: quia dum adhuc propriæ ſuccumbitis, alienam reprehendere fallaciam non valetis. Vbi & aptè ſubditur: *Et ponere ante Deum verba mea.*) Quiſquis enim dicta fallacia veraciter reprehendit, audita cogitans, aut hæc ex regula veritatis penſans, verba ante Deum ponit: quia apud ſe in conſpectu veritatis examinat, quid foris contra fallaciam decernat. Ante Deum quippe verba ponere, eſt cõſiderato intimo iudice, ex teriora dicta penſare. Vir autem ſanctus ab amicis ſuperbientibus verba ſua ante Deum poni poſſe non æſtimat. Ac ſi apertè dicat: Idcirco quæ loquor, ponere ante iudicem non valetis, quia eius vobis faciem peccantes abſconditis. Quod tamen & ex typo ſanctæ Eccleſiæ nil obſtat intelligi, quæ cùm de infirmis ſuis ab hæreticorum irriſione reprehenditur; ipſam irriſionis eorum aſtutiam dedignatur: quia tolerabilius Deo eſt, vt in infirmitate quis atque ignorantia cum humilitate iaceat, quàm cum elatione alta comprehendat. Sed quia ſanctus vir multa contra eos protulit, qui fugitiua poteſtate ſuperbiunt, & ventoſis honoribus intumeſcunt, Baldath Suites ex eius correptione proficiens, apud quem vera ſit potentia agnoſcit, dicens:

Caput vigesimum quintum beati Iob.

REspondens autem Baldath Suites dixit: Potestas & terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis. Nunquid est numerus militum illius? Et super quem non surget lumen illius? Nunqnid iustificari potest homo comparatus Deo: aut apparere mundus natus de muliere? Ecce luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius: quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis?

Quòd angeli præpositi gentibus inter se non dissident, dum pro meritis singulorum, quisque sui ministerij opus implet, in quibus voluntati diuinæ obsequitur.

Caput VIII.

7 POtestas & terror apud eum est, *qui facit concordiam in sublimibus suis.*) Ac si apertè dicat: Solus corda mortalium veraciter F terret, qui ex diuinitatis suæ potentia veraciter hæc possidet. Humana enim potentia quem terrorem incutit, quæ iure eiusdem potentiæ quando careat nescit? Rectè autem dicitur: Qui facit concordiam in sublimibus suis: quia multa sibimet inferius dissident, sed ad concordem supernorum plenitudinem currunt, & ex internæ pacis causa agitur, vt sæpe ea quæ sunt exterius, sine pace disponantur. Nam bonos omnipotens Deus ad meritum prouehit, cùm contra eorum vitam malos sæuire permittit. Atque in concordia componuntur summa, dum confunduntur in infima: quia inde in cœlestibus electos suos Angelorum choris sociat, vnde in terrenis & infimis reproborum mentes suis nutibus aduersantes portat. Sed inter hæc libet inquirere si pax in sublimibus summa retinetur, quid est quod per Angelum Danieli dicitur: Ego
Daniel. 10. veni propter sermones tuos: princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus: & ecce Michaël vnus de
G principibus primis, venit in adiutorium mihi. Et paulò post: Nũc reuertar vt prælier aduersum principem Persarum. Cùm enim egrederer, apparuit princeps Græcorum adueniens. Quos itaque alios principes gentium, nisi Angelos appellat, qui sibi resistere exeunti potuissent? Quæ ergo esse pax in sublimibus potest, si inter ipsos quoque angelicos spiritus præliandi certamen agitur, qui semper conspectui veritatis asistunt? Sed quia certa Angelorum ministeria dispensandis singulis quibusq; gentibus sunt prælata, cùm subiectorum mores aduersum se vicissim præpositorum spirituum opem merentur, ipsi qui præsunt spiritus, contra se venire referuntur. Is nanque Angelus qui Danieli loquebatur, captiuis Israëlitici populi in Perside cõstitutis prælatus agnoscitur. Michaël autem eorum qui ex ea dem plebe in Iudæa terra remanserant, præpositus inuenitur. Vnde & ab hoc eodem Angelo paulo pòst Danieli dicitur: Nemo est auditor meus in omnibus his, nisi Michaël princeps vester. De quo & hoc quod præmissimus, dicit: Et ecce Michaël vnus de principibus primis venit in adiutoriũ mihi. Qui dum nequaquam simul esse, H sed venire in adiutorium dicitur: apertè ei populo prælatus agnoscitur, qui captiuus in alia parte tenebatur. Quid est ergo Angelum dicere. Ego veni propter sermones tuos: princeps autem regni Persarum restitit mihi: nisi sua subditis opera nuntiare? Ac si apertè dicat: Precum quidem tuarum merita exigunt, vt Israëliticus populus à iugo suæ captiuitatis exuatur, sed est adhuc quod in eodem populo, Persarum dominio purgari debeat: vnde ereptionem illius, Persarum princeps mihi iure contradicat, quanuis preces tuas eorum quoque lachrymæ qui in Iudæa relicti sunt, adiuuent. Vnde hoc quoque quòd diximus subiungit: Michaël princeps vester, venit in adiutorium mihi. Cúmque vt aduersus principem Persarum prælietur, egreditur: Græcorum sibi princeps adueniens apparet. Qua ex re innuitur quòd aduersum Græcos quoque aliquid Iudæa commiserat, quorum profectò causa ereptioni illius resistebat. Prophetæ igitur preces Angelus exaudit, sed Persarum princeps resistit: quia etsi iam vita iusti deprecantis ereptionem populi exigit, eiusdem tamen populi adhuc vita contradicit, vt quia necdum plænè hi qui in captiuitatatem fuerant ducti, purgati sunt: iure eis adhuc Persæ dominentur. Michaël adiuuat, sed Græcorum princeps ad prælium venit: quia mereri quidem veniam tam longa oppressorum captiuitas poterat, sed ereptionis eorum beneficio hoc quoque quod in Græcos deliquerant, obuiabat. Rectè ergo dicitur, quòd contra se Angeli veniunt, quia subiectarum sibi gentium vicissim merita contradicunt. Nam sublimes spiritus eisdem gentibus principantes nequaquam pro iniusta agentibus decertant, sed eorum facta iustè iudicantes examinant. Cúmque vniuscuiusque gentis vel culpa vel iustitia ad supernæ curiæ consilium ducitur, eiusdem gentis præpositus vel obtinuisse in certamine, vel non obtinuisse perhibetur. Quorum tamen omnium vna victoria est sui super se opificis voluntas summa, quam dum semper aspiciunt, quod obtinere non valent, nunquam volunt. Bene ergo dicitur: Qui facit concordiam in sublimibus suis. Sequitur:

Quòd sancti Angeli contra diabolum potestatiuè decertant: & quæcunque contra eum appetunt, possunt.

Caput IX.

NVnquid est numerus militum eius? In cognitione humanæ rationis supernorum spirituum numerus non est: quia quanta sit illa frequentia inuisibilis exercitus nescit: de quo
per Danielem dicitur: Milia milium ministrabant ei, & decies Daniel. 7.
milies centena milia asistebant ei. Supernorum ciuium numerus infinitus & definitus deprimitur: vt qui Deo est numerabilis, esse hominibus innumerabilis demonstretur: quanuis aliud est asistere, aliud ministrare. Asistunt enim illæ procul dubio potestates, quæ ad quædam hominibus nuntianda non exeunt. Ministrant verò hi, qui ad exempla officia nuntiorum veniunt, sed tamen ipsi quoque contemplatione ab intimis non recedunt. Et quia plures sunt qui ministrãt, quàm hi qui principaliter asistunt, asistentium numerus quasi de-
8 finitus, ministrantium verò infinitus ostenditur. Angelicos *Angelici*
verò spiritus rectè Dei milites dicimus, quia decertare eos *spiritus mi-*
G contra potestates aëreas non ignoramus. Quæ tamen certa- *lites Dei di-*
mina non labore, sed imperio peragunt: quia quicquid agen- *cuntur.*
do contra immundos spiritus appetunt, ex adiutorio cuncta regentis possunt. De hac nanque militia, nascente rege nostro scriptum est: Subitò facta est cum Angelo multitudo Luca. 2.
militiæ cœlestis. Cui tamen militiæ electorum quoq; hominum numerus iungitur, qui per sublime mentis desiderium, à terrenæ conuersationis seruitute liberantur. De quibus per Paulum dicitur: Nemo militans Deo, implicat se negociis 2. Timo. 2.
secularibus. Qui licet nunc pauci appareant, in inuisibili tamen patria innumerabiles regnant: quia etsi ex comparatione prauorum pauci sunt, in congregationis suæ frequentia metiri nequaquam possunt. Quia verò eorundem militum virtus non propriis viribus, sed supernæ gratiæ infusione roboratur, rectè subiungitur. *Et super quem non surget lumen illius.*) Lumen quippe Dei, est gratia præueniens. Quæ si in nostro corde nequaquam gratuita consurgeret, profectò mens nostra in peccatorum suorum tenebris obscura remaneret. Vnde & subditur:

Quòd quandiu sumus in corpore huius mortis, à peccato immunes esse non possumus. Caput X.

NVnquid iustificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mũdus natus de muliere?) Versus iste superius à beato Iob dicitur: & nunc in eius exprobratione replicatur. Omnis nanque vir iustus, Dei illustratione iustus est, non comparatione. Humana quippe iustitia authori comparata, iniustitia est: quia etsi in ipsa sui conditione homo persisteret, creatori non posset æquari creatura. Cui tamen ad grauiora defectus pondera, accessit & culpa, quam serpens insidians intulit, & mulier infirmata persuasit. Vnde nunc quia homo per mulierem culpæ subditam nascitur, reatus primi infirmitas in prole propagatur. Et quia in radice putruit humani generis ramus, in conditionis suæ viriditate minimè subsistit. Vnde rectè nunc dicitur: *Numquid iustificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere?*) Ac si apertè diceretur: Ne contra authorem suum homo superbiat, consideret vnde huc venit, & intelligat quid sit. Sed ecce nonnulli per donum spiritus adiuti, contra infirmitatem suæ carnis eriguntur, virtutibus

tutibus emicant, signorum quoque miraculis coruscant: nullus tamen est qui sine culpa vitam transeat, quousque carnem corruptionis portat. Vnde adhuc subditur. *Ecce etiam luna non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius.*) Quid per lunam, nisi cuncta simul Ecclesia: quid per stellas, nisi singulorum bene viuentium animæ designantur: qui inter prauorum hominum conuersationes, dum magnis virtutibus eminent,
Philip. 2. quasi in tenebris noctis lucent? Vnde per Paulum quoque discipulis dicitur: Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. Quia enim sancta Ecclesia lunæ appellatione exprimi-
Abac. 3. tur, Propheta testatur, dicens: Eleuatus est sol, & luna stetit in ordine suo. Eleuato enim sole, in suo ordine luna statuitur: quia ascendente ad cœlos Domino, sancta protinus Ecclesia in prædicationis authoritate roboratur. Et quia stellarum nomine electi signantur, rursum Paulus insinuat, dicens: Stel-
9. la enim à stella differt in claritate. Luna ergo non splendet, &
1. Cor. 15. stellæ non sunt mundæ in conspectu eius: quia nec sancta Ecclesia virtute propria tot miraculis emicat, nisi hanc præ- B uentientis gratiæ dona perfundant: nec singulorum bene viuentium mentes à peccatorum maculis mundæ sunt, si remota pietate iudicentur: quia apud districti iudicis oculos, sua vnumquẽque corruptibilitas inquinat, nisi hunc quotidie gratia parcentis tergat. Electorum quippe animus prodire ad libertatẽ iustitiæ nititur, sed adhuc compede infirmitatis tenetur: & culpas quidem subigere perfectè desiderat, sed quousque corruptione carnis astringitur, eius vinculis etiam cùm non vult ligatur. Hinc itaque colligat, quanto peccatorum pondere presi sint, qui contra hæc decertare negligunt, si plenè culpam nec illi superant, qui contra hanc viriliter pugnant. Vnde & postquam dictum est: Ecce enim luna non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius protinus additur: *Quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis?*) Ac si apertè diceretur: Si ipsi quoque esse sine contagio non valent, qui inter præsentis vitæ tenebras virtutibus lucent, quanto reatu iniquitatis obstricti sunt, qui adhuc carnaliter viuunt? Si à peccato esse liberi nequeunt, qui iam in cœlestibus desideriis conuersantur, quæ peccatorum pondera tolerant, qui carnis suæ voluptatibus dediti, adhuc putredinis iugum portant? Hinc Petrus ait: Si iustus vix saluabitur, impius
1. Petr. 4. & peccator vbi parebunt? Hinc per Esaiam dicitur: Super humum populi mei spinæ & vepres ascendent, quanto magis
Esaiæ. 32. super omnem domum gaudij ciuitatis exultantis? Humum quippe populi sui Dominus electorum omnium mentem vocat, super quam spinas ac vepres ascendere perhibet, quia nec ipsam quoque esse absque punctionibus vitiorum videt. Domus verò gaudij ciuitatis exultantis, est mens prauorum, quæ dum ventura supplicia conspicere negligit, in carnis voluptate se deserens, inaniter hilarescit. Ait ergo: Super humum populi mei spinæ & vepres ascendent, quanto magis super omnem domum gaudij ciuitatis exultantis? Ac si apertè dicat: Si & illorum mentem vitia deprimunt, qui se pro cœlestis patriæ desiderio affligunt, quibus culpis substrati sunt, qui sine vlla formidine sese in carnis voluptate derelinquunt? Notandum verò in sermone suo quantum Baldath ordinem conditionis nostræ tenuit & natiuitatis, qui hominem non vermem, sed putredinem: filium verò hominis vermem vocat. Primus nanque humani generis parens, homo non filius hominis, ex quo quisquis prodiit, non solùm homo, sed filius quoque hominis fuit. Sicut ergo ex homine filius, ita ex putredine nascitur vermis. Vnde rectè homo putredo, filius verò hominis vermis vocatur. Primus quippe homo putredo, non vermis: quia etsi per mortem putruit, non tamen ex putredine per natiuitatem venit. Qui autem hominis est filius, vermis dicitur: quia iam ex mortalium corporum corruptione propagatur. Igitur quia amicorum verba finita sunt: beatus Iob altiori acumini prosecutionis innititur, eiúsque dicta tam sunt valida quam extrema: quia & sic vsus esse iurisperitorum solet, vt argumentum quo aduersariis suis eminere se præuident, ad prosecutionis conclusionem seruent.

Caput vigesimum sextum beati Iob.

A REspondens autem Iob dixit: Cuius adiutor es? nunquid imbecillis, & sustẽtas brachium eius, qui nõ est fortis? Cui dedisti consilium? Forsitan illi qui non habet sapientiam, & prudentiam tuam ostendisti plurimam. Quem docere voluisti? Nónne eum qui fecit spiramentum? Ecce gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis. Nudus est infernus coram illo: & nullum est operimentum perditioni. Qui extendit aquilonem super vacuum: & appendit terram super nihilum. Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum. Qui tenet vultum solij sui, & expandit super illud nebulam suam. Terminum circundedit aquis, vsque dum finiantur lux & tenebræ. B Columnæ cœli contremiscunt, & pauent ad nutum eius. In fortitudine illius repente maria congregata sunt: & prudentia eius percussit superbum. Spiritus eius ornauit cœlos, & obstetricante manu eius eductus est coluber tortuosus. Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum eius. Et cùm vix paruam stillam sermonis eius audierimus: quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?

Caput XI.

REspondens autem Iob dixit: *Cuius adiutor es? Nunquid imbellis, & sustentas brachium eius qui non est fortis?*) Adiuuare imbecillem charitatis: est adiuuare potentem velle, elationis. Quia igitur amici eius hæreticorum speciem tenentes, quasi adiuuantes Deum, sapientiam suam ostendere conabantur, iustè Baldath reprehenditur, vt dicatur: Cuius adiutor es? *Nunquid imbecillis, & sustentas brachium eius qui non est fortis?*) Ac si apertè C dicat: Dum eum iuuare niteris, sub cuius magnitudine succumbis, omne quod impendis solatium, de ostentatione est, non de pietate. Sed inter hæc sciendum est, quòd plerunque etiam Deum, qui videlicet imbecillis non est, humiliter agẽtes adiuuamus. Vnde & per Paulum dicitur: Adiutores enim
Dei sumus. Nam cùm ei quem ipse per internam gratiã infun- 1. Cor. 3.
dit, nos exhortationis voce concurrimus, hoc quod ille per spiritum sanctum agit intrinsecus, nos exterius ministerio vocis adiuuamus: & tunc solùm nostra exhortatio ad perfectio-
nem ducitur, cùm in corde Deus fuerit qui adiuuetur. Vnde Ibidem.
& aliàs dicit: Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Plantare quippe & rigare, adiuuare est. Quod vtrunque vacuum erit ministerium, si in corde Deus non dat incrementum. Sed qui de sensu suo alta sapiunt, esse humiliter Dei adiutores nolunt, quia dum se Deo vtiles esse æstimant, à fructu se vtilitatis alienant. Vnde
& veritatis voce discipulis dicitur: Cùm feceritis omnia quæ Luc. 17.
D præcepta sunt vobis dicite: Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus. Sequitur: *Cui dedisti consilium, forsitan illi qui non habet sapientiam?*) Dare stulto consilium, charitatis est: dare sapienti, ostentationis: dare verò ipsi sapientiæ, peruersitatis. Et quia hi quos tenere hæreticorum speciem diximus, per locutionem suam ostentationi potius quàm vtilitati seruiebant, rectè adhuc contra Baldath subditur: *Et prudentiam*
tuam ostendisti plurimam.) Omnis cui prudentia recta est, pluri- Roma. 12.
ma non est: quia iuxta Pauli vocem, non plus appetit sapere quàm oportet sapere. Cui verò est plurima, non est recta: quia dum vltra modum tenditur, in quolibet latere culpæ declinatur. Prudentiam verò suam plurimam ostendunt, qui videri præ aliis prudentiores appetunt. Vnde fit plerunque vt cùm moderatè sapere nesciunt, etiam fatua loquantur. Pro qua re ipse adhuc excessus prudentiæ subiungitur, vt dicatur: *Quem docere voluisti? nónne eum qui fecit spiramentum?*) Per spiramentum viuimus, per prudentiam sapientes sumus. Prius autem nostrum est viuere, postmodum sapere: quia vt sapientes esse valeamus, prius agitur vt simus. Qui ergo vitam dedit, ipse procul dubio & prudentiam contulit.

Baldath autem quia beatum Iob flagellatum pro culpa credidit, occultum Dei iudicium, quod humiliter venerari debuit, ſuperba niſus eſt temeritate penetrare. Ipſi ergo ſe per prudẽtiam prætulit, cuius iudicium non intelligendo iudicauit. Ipſi ſe per prudentiam prætulit, à quo viuendi ſpiraculum accepit: ac ſi plus ipſo eſſet ſapiens, à quo habebat vt eſſet. Sed quia beatus Iob ſanctæ Eccleſiæ typum tenens, pauca in ſuperborum correptione protulit, quos tenere hæreticorum ſpeciem non ignorauit, ſicut ſuperius dixit: Diſputare cum Deo cupio, prius vos oſtendens fabricatores mendacij, & cultores peruerſorum dogmatum: repente ſe ad doctrinam erigit, & contra elatorum imperitiam, ſcientiæ ſuæ latitudinem per ſententias expendit, dicens:

Quòd potentes huius ſeculi quaſi gigantes ex propria ſuperbia confunduntur, & ideo magis ſuppoſiti ſunt, vnde tumidè appetunt multis præeſſe. Caput XII.

11 E*Cce gigantes gemunt ſub aquis.*) Dignum quippe erat, vt per increpationem prius tumorem ſapientiæ terrenæ retunderet, & per doctrinam poſtmodum ad plena myſteriis verba tranſiret. Gigantes enim vel apoſtatas Angelos, vel ſuperbos quoſque homines, nil obſtat intelligi. Hinc enim per Prophetam dicitur: Mortui non viuant, gigantes non reſurgant. Quos nanque mortuos, niſi peccatores nominat? Et quos gigantes, niſi eos qui de peccato etiam ſuperbiunt, appellat? Illi autem non viuunt, quia peccando vitam iuſtitiæ perdiderunt. Iſti etiam reſurgere poſt mortem nequeunt: quia poſt culpam ſuam inflati per ſuperbiam, ad pœnitentiæ remedia non recurrunt. Hinc rurſum ſcriptum eſt: Vir qui erraverit à via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur: quia quiſquis iter rectitudinis deſerit, quorum ſe numero niſi ſuperborum ſpirituum iungit? Bene autem contra elatos dicitur: *Ecce gigantes gemunt ſub aquis.*) Ac ſi apertè diceretur: Cur de ſcientia homo ſuperbiat, cùm ignorantiæ abyſſus & ipſos ſuperbiſsimos Angelorum ſpiritus premat? Si autem gigantum nomine, potentes huius ſeculi deſignantur, in aquis poſſunt populi figurari, Ioanne atteſtante, qui ait: Aquæ enim ſunt populi. Bene autem contra ſuperbientem dicitur: *Ecce gigantes gemunt ſub aquis*:) quia elati omnes dum in hac vna † *al. honorẽ* aſſequi † honorum celſitudinem cupiunt, ſub ponderibus *celſitudinis.* populorum gemunt. Nam quantò quis hîc altius erigitur, tantò curis grauioribus oneratur, eſſque ipſis populis mente & cogitatione ſupponitur, quibus ſuperponitur dignitate. Et bene his verbis ac breuiter indicatur, quia omnis ſuperbia eo ipſo in imo iacet, quo in alta ſe erigit, vt inde magis cunctis ſuppoſita ſit, vnde cunctis expetit ſupereſſe. Homo quippe in ſublimibus eleuatus, tantos ſuper ſe ſuſtinet, quantos ſuppoſitos regit. Hi autem qui talibus ſociantur, ipſi etiam laboris eorum participatione deprimuntur. Nam cum eis laborem etiam tolerant ponderis, dum pariter gloriam affectant honoris. Vnde cum diceret: Ecce gigantes gemunt ſub aquis, protinus adiunxit: *Et qui habitant cum eis.*) Ac ſi dicat: Pariter gemunt, qui eorum gloriæ ex delectatione ſociantur. Ipſa autem occupatio ſecularium dignitatum tantò facilioribus vitiis premitur, quantò maioribus curis grauatur. Humanus nanque animus videre & deuitare peccata vtinam valeat vel quietus. Quia ergo vidit deſideratas rerum celſitudines abſq; peccatis miniſtrari non poſſe: & quia diuinæ iræ non abſconditur quicquid illicitum perpetratur: aptè ſecutus adiunxit: *Nudus eſt infernus coram illo, & nullum eſt operimentum perditioni.*) Quod Paulus Apoſtolus quoque ait: Omnia enim nuda & aperta ſunt oculis eius. Inferni verò & perditionis nomine, diabolum omnéſq; damnationis eius ſocios deſignauit. Quis verò ille ſit, coram quo infernus eſt nudus, ſequitur dicens:

Quòd inſtè Deus diaboli poteſtatem ſuper corda vacua extendat: & item ex gratia, cui vult, miſeretur. Caput XIII.

Q*Vi extendit Aquilonem ſuper vacuum.*) Aquilonis nomine, in ſacro eloquio appellari diabolus ſolet, qui vt torporis frigore gentium corda conſtringeret, dixit: Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Qui ſuper vacuum extenditur: quia illa corda poſsidet, quæ diuini amoris gratia non replentur. Sed tamen omnipotenti Deo ſuppetit, etiam vaſa diaboli cunctis virtutibus vacua ſuæ gratiæ munere implere, in eiſq; diuini † amoris ſoliditatem ponere, quos nulla conſpicit rectitudinis actione roborari. Vnde aptè ſubiungitur: *Et appendit terram ſuper nihili.*) Quid enim terræ nomine, niſi ſancta Eccleſia deſignatur, quæ dum verba prædicationis ſuſcipit, fructum boni operis reddit? De qua per Moyſen dicitur: Audiat terra verba ex ore meo, expectetur ſicut pluuia eloquium meum. Et quid per nihilum, niſi gentiles populi deſignantur? De quibus per Prophetam dicitur: Omnes gentes velut nihilum & inane reputatæ ſunt. In eo ergo nihilo terra ſuſpenditur, quod prius vacuum ab Aquilone tenebatur: quia illa corda gentilium repleta ſunt charitate Dei, quæ præſſa prius fuerant torpore diaboli. Poteſt verò & per hoc vacuum Iudææ infidelitas, & per terram, ſicut diximus, ſanctæ Eccleſiæ fructificatio deſignari. Vir ergo ſanctus Iudææ pereuntis caſum aſpiciat, & gentilitatis merita ad veniam redeuntis cernat, ac dicat, *Qui extendit Aquilonem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihili.*) Nam quia Iudæorum corda fide vacua, diabolo ſunt ſubdita, extendit Aquilonem ſuper vacuum. Quia verò nullis exiſtẽtibus meritis, ſicut dictum eſt: Pro nihilo ſeruos facies eos, ſuper gentes Dominus fundauit Eccleſiam ſuam, quæ per Prophetam nihilum ſunt vocatæ, aptè ſecutus adiungit: Appendit terram ſuper nihili. Hoc verò quo ordine factum ſit, mirifica ſubdens ratione contexit. Ait enim:

Quòd ſecundum capacitatem audientium contemperare ſe debeat lingua doctorum. Et quid ſit quod in lege ſcriptum eſt, quòd qui foderit ciſternam & non operuerit eam, ſi ceciderit in eam bos vel aſinus, dominus ciſternæ reddet pretium iumentorum. Caput XIIII.

Q*Vi ligat aquas in nubibus ſuis, vt non erumpant, pariter deorſum.*) Quid hoc loco aquam, niſi ſcientiam: quid nubes niſi prædicatores appellat? Nam quia in ſacro eloquio aliquãdo aqua ſcientia dicitur: Salomone atteſtante didicimus, qui ait: Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons ſapientiæ. Aqua ſignari ſcientiam Dauid Propheta teſtatur dicens: Tenebroſa aqua in nubibus aëris, id eſt occulta ſcientia in prophetis, qui ante aduentum Domini dum occultis ſacramentis grauidi, myſteria immenſa geſtarent, intuentium oculis, eorum intelligentia caligabat. Nubium verò nomine quid hoc in loco aliud quam prædicatores ſancti, id eſt, Apoſtoli deſignantur, qui per mundi partes circunquaq; tranſmiſi, & verbis nouerant pluere, & miraculis coruſcare? Quos Eſaias Propheta longè antè intuens, dixit: Qui ſunt iſti qui vt nubes volant? Quia igitur vir iſte prophetico plenus ſpiritu, in hac locutione ſua ad laudem Dei initia naſcentis Eccleſiæ deſiderat exordiri, ſtudet eius ordinem ab Apoſtolorum prædicatione narrare, qui curauerunt ſummopere rudibus populis plana & capabilia, non ſumma atque ardua prædicare. Nam ſi ſcientiam ſanctam, quæ hic aquæ nomine deſignatur, vt hauriebant corde, ita ore funderent, immenſitate eius auditores ſuos opprimerent potius quàm rigarent. Vnde religata intrinſecus ſcientia, vt non pariter deorſum erumperet, auditores ſuos diſtillatione verborum nutriens, nubes illa loquebatur, dicens: Non potui loqui vobis quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus, tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam. Quis enim ferre potuiſſet, ſi raptus ad tertium cœlum, raptus in paradiſum, etiam arcana verba audiens, quæ loqui homini non liceret, tam immenſos ſupernæ ſcientiæ ſinus aperiret? Aut cuius non virtutem auditoris opprimeret, ſi ea quæ intrinſecus haurire poterat, inquantum carnis lingua ſufficeret, extrinſecus inundans aquæ huius immenſitas emanaſſet? Vt verò auditores rudes non inundatione ſcientiæ, ſed moderata prædicationis diſtillatione foueantur, ligat Deus aquas in nubibus, vt non erumpant pariter deorſum: quia doctorum prædicationem temperat, vt auditorum infirmitas, doctorum rore nutrita conualeſcat. Quod bene in Euangelio myſtica deſcriptione narratur, dum dicitur: Aſcendit Ieſus in nauiculam Petri, & rogauit vt à terra reduceret puſillum, & ita ſedens prædicabat turbis. Per nauem Petri, quid aliud quàm cõmiſſa Petro Eccleſia deſignatur? De qua vt Dominus turbis confluentibus prædicet, eam à terra paululum reduci iubet. Quam nec in altum duci, & tamen à terra præcipit remoueri: profectò ſignificans prædicatores ſuos

al. timoris.

catores ſuos rudibus debere populis, nec alta nimis de cœleſtibus, nec tamen terrrena prædicare. Aqua itaque ligatur in nubibus: quia prædicatorum ſcientia infirmorum mentibus loquens, quantum ſentire valet, docere prohibetur. Nam plerunque ſi auditorum cor verbi immenſitate corrumpitur, lingua docentium indiſcretionis pœna mulctatur. Vnde ſcriptum eſt: Si quis aperuerit ciſternam & foderit, & non operuerit eam, ceciderítque bos, vel aſinus in eam, dominus ciſternæ reddet preciũ iumentorũ. Quid eſt enim aperire ciſternã, niſi intellectu valido ſcripturæ ſacrę arcana penetrare? Quid autẽ per bouẽ & aſinũ, mundũ ſcilicet & immundũ animal, niſi fidelis quiſque & infidelis accipitur? Qui ergo ciſternam fodit, cooperiat, ne illuc bos vel aſinus ruat: id eſt, qui in ſacro eloquio iam alta intelligit, ſublimes ſenſus corã non capientibus per ſilentium tegat, ne per ſcandalum mentis, aut fidelem paruulum, aut infidelem qui credere potuiſſet, interimat. Ex morte enim iumentorum debet precium: quia illud ſcilicet admiſiſſe conuincitur, vnde ad agendam pœnitentiam reus tenetur. Quiſquis nanque ad alta ſcientiæ fluenta peruenienS, cùm hæc apud bruta audientium corda non contexerit, pœnæ reus addicitur, ſi per verba eius in ſcandalum, ſiue munda, ſeu mens immunda capiatur. Operienda eſt itaque ciſterna: quia coram paruulis mentibus tegenda eſt alta ſcientia, ne vnde cor docentium ad ſũma attollitur, inde infirmitas auditorum ad ima dilabatur. Dicatur igitur rectè. Qui ligat aquas in nubibus, vt non erumpant pariter deorſum. Pariter nanque aquæ erumperent, ſi coram infirmis auditoribus, quanta eſt ſcientia ex ore loquentis emanaret: ſi ſimul ſe omnis plenitudo prædicationis effunderet, & nil ſibi cum proficientibus reſeruaret. Dignum quippe eſt vt qui prædicat, audientis modum conſideret: quatenus ipſa prædicatio cum auditoris ſui incrementis creſcat. Sic quippe agere vnuſquiſque prædicator debet, ſicut cum illo diuinitùs agitur, vt nequaquam cuncta quæ ſentit, infirmis inſinuet: quia & quouſque ipſe carne mortalitatis infirmus eſt, ea quæ ſuperna ſunt cuncta non ſentit. Prædicare ergo rudibus nõ debet quantum cognoſcit, quia & ipſe de ſupernis myſteriis cognoſcere non valet quanta ſunt. Hinc eſt enim quòd Paulus apoſtolus, poſtquam myſteriis cœleſtibus interfuit, dicit: Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Vnde & continuè hic ſequitur:

Quòd in hac vita gloria Dei ex parte cognoſcitur, ſed ſicut eſt nondum videtur. Caput XV.

Q*Vi tenet vultum ſolij ſui, & expandit ſuper illud nebulam ſuã.*) In vultu ſolet cognitio demonſtrari. Solij ergo eius vultus tenetur: quia à nobis in hac vita regni eius gloria, non quanta intrinſecus habetur agnoſcitur. Super quòd rectè expandi nebula dicitur: quia ſicut eſt illa cœleſtis regni gloria, non videtur. Nam corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. A videndo ergo eo nebula aſpergimur: quia ipſa noſtræ ignorantiæ obſcuritate caligamus. Vnde rectè per Pſalmiſtam dicitur: Caligo ſub pedibus eius, & aſcendit ſuper Cherubin, & volauit, volauit ſuper pennas ventorum, & poſuit tenebras latibulum ſuum. Caligo nanque eſt ei ſub pedibus, quia non in ea claritate ab inferioribus cernitur, qua in ſuperioribus dominatur. Aſcendit enim ſuper Cherubin & volauit. Cherubin quippe plenitudo ſcientiæ dicitur. Proinde ſuper plenitudinem ſcientiæ aſcendiſſe perhibetur, & volaſſe: quia maieſtatis eius celſitudinem ſcientia nulla comprehendit. Volauit igitur: quia longè in altum ab intellectu noſtro ſe rapuit. Volauit ſuper pennas ventorum, quia ſcientiam tranſcendit animarum. Qui poſuit tenebras latibulum ſuum: quia dũ caligine noſtræ infirmitatis obſcuramur, per ignorantiam noſtram nobis abſconditur, ne à nobis modo in æterna, & intima claritate videatur. Vnde ei & in Canticis canticorum à ſponſa dicitur: Fuge delecte mi, fuge.

Fugit nos, dicimus, quoties menti noſtræ id quod reminiſci volumus, non occurrit. Fugit nos, dicimus, quoties id quod reminiſci volumus, memoria non tenemus. Sancta ergo Eccleſia poſtquam mortem ac reſurrectionem Domini, aſcenſionémque deſcribit, clamat ei prophetico plena ſpiritu: Fuge dilecte mi, fuge. Ac ſi diceret: Tu qui ex carne comprehenſibili factus es, ex diuinitate tua, intelligentiam noſtri ſenſus excede, & in teipſo nobis incomprehenſibilis permane. Tenet ergo vultum ſolij ſui, qui maieſtatis ſuæ potentiã mortalibus abſcondit. Sed ſi eius ſolium angelicas virtutes accipimus, ipſis quippe velut ſedi regię præſidet, ſui nobis ſolij vultum tenet: quia quandiu in hac mortali carne ſubſiſtimus, quæ, quantáque ſunt illa angelorum miniſteria, non videmus. Et expandit ſuper illud nebulam ſuam, quia proculdubio & cor noſtrum ad quærendum ſubleuat: & tamen occulta moderatione agitur, vt ipſa requiſitionis ſuæ immenſitate reprimatur. Vnde ſcriptum eſt: Dedit abyſſus vocem ſuam, ab altitudine phantaſiæ ſuæ. Exclamare enim mens humana in admiratione compellitur, dum altitudinine conſiderationis in requiſitionibus ſuis eoipſo quo latius extenditur, anguſtatur. Vel certè quia ſolium Dei ipſi nos ſumus, vultum ſolij ſui nõ immeritò tenere dicitur, dum noſtra ſcientia progredi ad altiora prohibetur. Super quod ſolium ſuum nebulam Deus aſpergere dicitur: quia inuiſibilis manens, occulta ſuper nos iudicia exerit, vt & fiat in promptis quod videre poſsimus: & tamen origo facti lateat in abditis, vt cur fiat, neſcire debeamus. Vnde & aptè ſubditur:

Quòd nulli æternitatis ſcientia tribuatur, quandiu vita hæc tranſitoria agitur. Caput XVI.

T*Erminum circundedit aquis, vſque dum finiantur lux & tenebræ.*) Quia plerunque in ſacro eloquio, vt ſuprà diximus, aquarum nomine populi deſignãtur, aquas Dominus termino circundat: quia humani generis ita ſcientiã moderatur, vt quouſque viciſſitudines alternantium temporum tranſeant, perfectè ad cognitionem claritatis intimæ non pertingat. Sin verò lucis nomine iuſtos accipimus, tenebrarum verò appellatione peccatores: vnde & Paulus dicit: Eratis aliquãdo tenebræ, nunc autem lux in Domino: hoc ipſum quod diximus, ſentiri nil obſtat: quia perfecta æternitatis ſcientia nulli tribuitur, quouſque curſus iuſtorum, iniuſtorũmque finiatur. Sed quia mirum non eſt carnales populos ſuperna neſcire, ſanctus vir in eiuſdem diuinæ potentiæ admiratione ſe erigit: & quòd ipſam quoque angelorum, perfectorũmque hominum ſcientiam tranſeat, intuetur dicens:

Quòd electi, & ipſi angeli maieſtatem diuinam quam aſſiduè vident, contremiſcunt, non timore, ſed admiratione. Caput XVII.

C*Olumnæ cœli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius.*) Quid aliud columnas cœli, quàm vel ſanctos angelos, vel ſummos Eccleſiæ prædicatores appellat? Super quos in cœleſtibus creſcens vniuerſalis ſpiritalis fabricæ ſtructura ſurrexit: ſicut aliàs ſancta ſcriptura teſtatur, dicens: Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei. Nam quiſquis in Dei opere recta intentione firmatur, columna in ſtructura fabricæ ſpiritalis erigitur: vt in hoc templo quod eſt Eccleſia, poſitus, & vtilitati ſit & decori. Eos verò Iob columnas cœli, quos Apoſtolus columnas vocat Eccleſiæ, dicens: Petrus, & Iacobus, & Ioannes qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi. Poſſumus etiam columnas cœli, & ipſas Eccleſias non inconuenienter accipere, quæ multæ vnam catholicam faciunt, toto terrarum orbe diffuſam. Vnde & ſeptem Eccleſiis ſcribit Ioannes apoſtolus, vt vnam catholicam ſeptiformis gratiæ plenam ſpiritu deſignaret. Et de Domino nouimus dixiſſe Salomonem: Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem. Qui ſe vt id de ſeptem Eccleſiis diXiſſe innoteſceret, ſecutus etiam ſacramenta ipſa, diligenter inſeruit, dicens: Immolauit victimas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam, miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem & mœnia ciuitatis. Si quis eſt paruulus, veniat ad me. Immolauit enim Dominus victimas, ſeipſum offerendo pro nobis. Miſcuit vinum, præceptorum ſuorum poculum ex narratione hiſtorica, & intelligentia ſpiritali contemperans. Vnde aliàs dictum eſt: Calix in manu Domini, vini meri, plenus eſt mixto. Et poſuit menſam, id eſt, ſcripturam ſacram: quæ feſſos ad ſe, atque à ſeculi oneribus venientes pane verbi nos reficit, & contra aduerſarios ſua refectione nos roborat. Vnde & aliàs ab Eccleſia dicitur: Poſuiſti in

conspectu meo mensam, aduersus eos, qui tribulant me. Misit ancillas suas, Apostolorum videlicet animas, in ipso suo initio infirmas, vt vocarent ad arcem, & mœnia ciuitatis: quia dum æternam vitam denuntiant, ad alta nos mœnia supernæ ciuitatis leuant: quæ profectò mœnia, nisi humiles non ascẽdunt. Vnde illic ab eadem sapientia subditur: Si quis est paruulus, veniat ad me. Ac si apertè dicat: Quisquis se apud se magnum æstimat, aditum sibi mei accessus angustat: quia tãtò ad me altius pertingitur, quantò vniuscuiusque mẽs apud
15 se verius humiliatur. Sed quantalibet quisque virtute proficiat, quantalibet scientia excrescat, penetrare non sufficit, quo nos condiror moderamine iudiciorum regit. Dicat ergo: *Columnæ cœli contremiscunt, & pauent ad nutum eius.*) Quia in plerisque nec ipsi pertingere ad voluntatis eius celsitudinem præualent, qui eiusdem voluntatis præmia denunciantes vident. Quod, sicut superius diximus, de sanctis quoque angelis nil obstat intelligi: quia ipsæ quoque virtutes cœlestium, quæ hunc sine cessatione conspiciunt, in ipsa sua contemplatione contremiscunt. Sed idem tremor ne eis pœnalis sit, nõ timoris est, sed admirationis. Quia verò quantus pauor sit admirationis eius intulit, nunc ordinem nostræ salutis narrat. Sequitur:

Quòd incarnato Domino secularium corda concorditer crediderunt: & superbus diabolus sapientia non virtute superatus est, quoniam dum eum in quem nihil habebat, iniustè appetiit, quem iure tenebat, amisit.

Caput XVIII.

Mare præsens seculũ. IN fortitudine illius repentè maria congregata sunt, & prudentia eius percussit superbum.) Quid aliud maris nomine, quàm præsens seculum designatur, in quo corda hominum terrena quærentium, diuersis cogitationum fluctibus intumescunt: qui elatione superbiæ concitati, dum alterna intentione se impetunt, quasi aduersante se vnda collidunt? Sed iam in fortitudine illius maria congregata sunt, quia incarnato Domino, discordantia secularium corda concorditer credunt. Iam Petrus in mari ambulat: quia nimirum Christi prædicatoribus, illa quondam tumida humili auditu corda substrata sunt: vt rectè etiam in Euangelio huius mundi mansuetudinem figurauerit, quòd procellosa maris aqua Domini pedibus presso tumore calcata est. Sed quonam modo id actum sit, aperitur, dum dicitur: Et prudentia eius percussit superbum. Quis hîc superbus alius appellatur, nisi ille qui dixit: Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo? Et de quo voce Dei dicitur: Qui factus est vt nullum timerẽt, & ipse est rex super nos omnes filios superbiæ. De quo etiam huic sententiæ Dauid propheta concordat, dicens: Tu humiliasti, sicut vulneratum, superbum. Sed quanuis simplici naturæ diuinitatis non sit aliud esse, & aliud sapere: nec aliud sapere, & aliud fortem esse: quippe quia ipsa fortitudo quæ sapientia, & ipsa sapientia quę diuinitatis essentia est: vigilanter tamen intuẽdũ puto, quòd vir iste prophetico plenus spiritu, superbum diabolum, prudentia Dei potius maluit dicere, quàm fortitudine esse percussum. Non enim ait fortitudo, sed prudentia eius percussit superbum. Nam quanuis, sicut dictum est, propter naturam simplicem Dei fortitudo sapientia sit: Dominus tamen diabolum, quantũ ad faciem spectat, non virtute, sed ratione superauit. Ipse nanque diabolus in illa nos parentis primi radice supplãtans, sub captiuitate sua, quasi iustè tenuit hominẽ, qui libero arbitrio conditus, ei iniusta suadenti consensit. Ad vitam nanque conditus in libertate propriæ voluntatis, sponte sua factus est debitor mortis. Delenda ergo erat talis culpa, sed nisi per sacrificium deleri non poterat. Quærendum erat sacrificium. Sed quale sacrificium poterat pro absoluendis hominibus inueniri? Neque etenim iustum fuit, vt pro rationali homine brutorum animalium victimæ cæderentur. Vnde ait Apostolus: Necesse est ergo exemplaria cœlestium his mundari, ipsa autem cœlestia melioribus hostiis quàm istis. Ergo si bruta animalia propter rationale animal, id est, pro homine dignæ victimæ non fuerunt: requirendus erat homo qui pro hominibus offerri debuisset, vt pro rationali peccante rationalis hostia mactaretur. Sed quid, quòd homo sine peccato inueniri non poterat, & oblata pro nobis hostia quando nos à peccato mundare potuisset, si ipsa hostia, peccati contagione nõ careret? Inquinata quippe inquinatos mundare non potuisset. Ergo vt rationalis esset hostia, homo fuerat offerendus vt verò à peccatis mũdaret hominem, homo, & sine peccato. Sed quis esset sine peccato homo, si ex peccati commixtione descenderet? Proinde venit propter nos in vterum virginis filius Dei, ibi pro nobis factus est homo. Sumpta est ab illo natura, non culpa. Fecit pro nobis sacrificium, corpus suum exhibuit pro peccatoribus, victimam sine peccato, quæ & humanitate mori, & iustitia mundare potuisset. Hunc ergo cùm post baptisma vidit antiquus hostis, mox tentationibus impetiit, & per diuersos aditus ad interiora eius molitus irrepere, victus est, atque ipsa inexpugnabilis mentis eius integritate prostratus. Sed quia ad interiora non valuit, ad eius se exteriora cõuertit: vt quia mentis virtute victus est, eum quem decipere tentatione non valuit, carnis saltem videretur morte superare: atque, vt ante nos dictum est, permissus est in illud quod ex nobis mortalibus mediator acceperat. Sed vbi potuit aliquid facere, ibi ex omni parte deuictus est: & vnde accepit exterius potestatem dominicæ carnis occidendæ, inde interior potestas eius qua nos tenebat, occisa est. Ipse nanque interius victus est, dum quasi vicit exterius: & qui nos iure debitores mortis tenuit, iure in nobis ius mortis amisit: quia per satellites suos eius carnem perimendam appetiit, in quo nil ex culpæ debito inuenit. Dominus ergo noster pro nobis mortem soluit indebitam, vt nobis mors debita non noceret. Bene itaque dictum est: Prudentia eius percussit superbum: quia antiquus hostis per excessum præsumptionis suæ eum etiam perdidit, quem iniquæ persuasionis lege possedit: & dum audacter eum in quo nihil sibi competebat, appetit, iure illum quem quasi iustè tenebat, amisit. Prudentia itaque non virtute percussus est, qui dum ad tentandum Deum soluitur, ab homine possidendo religatur: vt inde eum qui sub ipso erat, perderet, vnde cum illo qui super ipsum est, congredi præsumpsisset. Occiso autem carne Domino, quæ prædicatores eius virtutum gloria sit secuta, narratur, cùm subditur:

Incarnato domino discordantia corda concordauerũt. Prudentia Christus percussit superbum. *Esaiæ.14.* *Iob.41.* *Psalm.88.* *Heb.9.*

Quòd Apostoli accepto spiritu sancto, ornati sunt miraculis, & constanter obedire Deo magis quàm hominibus parati fuerint.

Caput XIX.

SPiritus eius ornauit cœlos.) Quos cœlos, nisi eos de quibus scriptum est: Cœli enarrant gloriam Dei? Quos tunc ornauit spiritus, cùm repleuit. Quod Luca referente didicimus, qui ait: Factus est repentè de cœlo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totum domum vbi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, sedítque super singulos eorum. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus, dabat eloqui illis. Ex eo ergo acceperunt ornamenta virtutis, quos immensa antè possederat fœditas timoris. Scimus enim quòd ille Apostolorũ, id est, cœlorum primus, ante acceptam huius spiritus gratiam, quoties dum mori timuit, vitam negauit. Qui nõ pœnis, non afflictionibus, nõ terribili potestate cuiusquã, sed vnius mãcipij sola est interrogatione prostratus. Et quidẽ mancipium, ne sexus firmior terribile demõstraret, ancilla est inquirente tẽtatus. Rursúsq; vt talis sexus infirmitas, etiam officij sui deiectione vilesceret, non ab ancilla tantummodo, sed ab ostiaria est ancilla requisitus. Ecce quàm vilis est ad tentandum persona requisita: vt apertè proderetur, quanta cum timoris infirmitas possideret, qui nec ante vocem ostiariæ ancillæ subsisteret. Sed iam hic paulo antè timidus, qualis post aduentum spiritus extiterit, videamus. Certè Luca testante didicimus, contra sacerdotes ac principes quanta Dominum authoritate prædicauit. Nam cùm facto miraculo quæstio fuisset exorta, & sacerdotum principes, seniores ac scribæ in Apostolorum persecutionem concurrerent, eos in medio statuentes, in qua virtute miraculum fecerint, percunctari curauerunt. Quibus repletus Spiritu sancto Petrus dixit: Principes populi & seniores, si nos hodie diiudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste saluus est factus: notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israël: quia in nomine Iesu Christi

Psalm.18. *Actor.2.* *De negatione Petri.* *De eius fortitudine & constantia.* *Ioan.12.* *Acto.4.*

sti Nazaræni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis, in hoc iste astat coram vobis saluus. Cúmque erga hæc persequentium furor excresceret, eósque sacerdotes ac principes Iesum prædicare prohiberent, contra iram principum qua authoritate Petrus excreuerit, indicatur, cùm illic protinus subditur: Petrus verò & Apostoli dixerunt: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Sed cùm authoritatem prædicantium, resistentium præcepta non premerent, ad flagella peruenitur. Nam subditur: Tunc principes sacerdotum cæsis denũtiauerunt, ne loquerentur, in nomine Iesu, & dimiserunt eos. Sed quia Apostolorum virtutem premere, nec flagella valuerunt, potẽter ostenditur, cùm protinus subinfertur: Et illi quidem ibant gaudẽtes à conspectu concilij, quoniã digni habiti sunt pro nomine Iesu contumliam pati. Mox etiã post flagellorũ gaudia quid agerent, indicatur. Omni autẽ die in templo, & circa domos nõ cessabant docẽtes & euangelizantes Christũ Iesum. Ecce ille paulò antè timidus, iam linguis loquitur, corusat miraculis, infidelitatẽ sacerdotum ac principũ libera voce increpat, ad prædicandum Iesum exemplũ authoritatis cæteris præstat: ne in nomine eius loqui debeat, verberibus prohibetur, nec tamen cõpescitur. Contemnit flagella cædentiũ, qui paulò antè requirentiũ verba timuerat: & qui ancillæ vires requisitus expauit, vires principum cæsus premit. Sancti enim spiritus iam virtute solidatus, huius mundi altitudines libertatis calce deprimebat: vt in imo esse decerneret, quicquid contra creatoris gratiã
18. altum tumeret. Hæc sunt ornamenta cœlorum, hæc sunt dona Spiritus, quæ diuersis manifestari virtutibus solẽt, quas occultæ dispensationis munere diuisas, Paulus enumerat dicens: Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Quæ mox generali definitione concludens, ait: Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis, prout vult. de his etiam cœlis in Psalmo dictum est: Verbo Domini cœli firmati sunt. De his quoque ornamentis spiritus subditur: Et spiritu oris eius omnis virtus eorum. Bene itaque dicitur: Spiritus eius ornauit cœlos: quia prædicatores sancti nisi promissa paracleti dona perciperent, nullo fortitudinis decore claruissent. Sed quia sanctis Apostolis virtutum gratia decoratis, vitæ prædicatio contra infidelium corda conualuit: & antiquus hostis obsessas infidelium mẽtes prædicatorum vocibus expulsus reliquit, post ornamenta cœlorum aptè subiungitur:

1.Cor.12. *Psalm.32.*

Quòd mediante manu diuina antiquus hostis à peccatorum cordibus, quasi de cauernis suis eiectus est.

Caput XX.

ET obstetricante manu eius eductus est coluber tortuosus.) Quis enim colubri appellatur nomine, nisi antiquus hostis, & lubricus, & tortuosus, qui decipiendo homini colubri ore locutus est? De quo per Prophetam dicitur: Leuiathan serpentem, vectem tortuosum. Qui idcirco loqui serpentis ore permissus est, vt ex ipso vase eius homo cognosceret, qualis esset qui intus habitaret. Serpens quippe non solùm tortuosus est, sed etiam lubricus. Qui ergo in rectitudine veritatis non stetit, tortuosum animal intrauit. Quia igitur suggestioni eius, si primò non resistitur, repente totus ad interiora cordis dum non sentitur, illabitur, verba ad hominem per animal lubricum fecit. Cauernæ verò huius colubri, corda fuerant iniquorum. Quæ quia ad prauitatem propriam traxit, quasi in eorum habitatione requieuit. Sed obstetricante manu Domini, tortuosus coluber de propriis cauernis repulsus est: quia dum nobis diuina gratia medetur, is qui nos tenuerat antiquus à nobis hostis eiicitur, sicut incarnata veritas dicit: Nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Vnde iam nunc sanctos omnes non tenendo possidet, sed tentando persequitur. Nam quia non in eis intrinsecus regnat, contra eos pugnat extrinsecus: & quia intus dominium perdidit, bella molitur foris. Ille enim eum de carnalibus hominum cordibus expulit, qui propter homines ad incarnationem venit: dúmque corda infidelium tenuit, quasi manum ad latibula serpẽtis misit. Vnde rectè per Prophetam dicitur: Delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis: & in cauerna reguli qui ablactatus fuerat, manum suam mittet. Non nocebunt, & non occident in vniuerso monte sancto meo. Quem nãque infantem ab vbere, vel eum qui ablactatus fuerit, nisi Deum appellat? Quid verò foramine aspidis & cauernis reguli, nisi corda signauit iniquorum? Quia antiquus hostis dum totum se in eorum consensum contulit, quasi in foramine proprio coluber tortuosus, sinus astutiæ colligẽdo glomerauit. Quem & aspidis nomine appellat occultè sæuientẽ, & reguli apertè ferientem. Manum ergo suam Dominus in foramine reguli atque aspidis misit, quando iniquorum corda diuina potestate tenuit: & comprehensum exinde aspidem vel regulum, id est, captiuum diabolum traxit: vt in mõte sancto eius, quæ est Ecclesia, electis fidelibus non noceret. Hinc nanque in Canticis canticorum sponso venienti dicitur: Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermõ, de cubilibus leonum. Quid aliud leonum nomine, quàm dæmonia designantur, qui ira contra nos atrocissimæ crudelitatis insæuiunt? Et quia peccatores ad fidem vocati sunt, quorum quõdam corda, leonum cubilia fuerunt, dum vicisse mortem Dominus eorum confessione creditur, quasi de leonum cubilibus coronatur. Remuneratio quippe victoriæ corona est. Toties ergo ei coronam fideles offerunt, quoties hunc vicisse mortem ex resurrectione confitentur. Leo ergo de cubilibus suis pellitur: quia obstetricante manu Domini, tortuosus coluber in cauernis quas tenuerat, habitare prohibetur. Nam victus à fidelium cordibus exiit, qui super hæc antea sceptro perfidiæ regnauit. Ecce in paucis breuibúsque sententiis sanctus vir aduentus dominici ordinem retulit, pondera expressit: quid ex eius incarnatione fieri potuit, admirando narrauit.

Esaiæ.27. *Esa.11.* *Canti.4.*

Quòd terribilis erit Deus in iudicio, qui etiam cùm iudicandus venit, vna voce suos persecutores strauit: & quanta sit eius ira, cuius intolerabilis est etiam mansuetudo.

Caput XXI.

SEd qui mira fecit in humilitate veniens, considerari non potest, cum quanto terrore venturus est, in maiestatis suæ fortitudine apparens. Ordo primi aduentus illius pensari, & conspici intantum potuit, inquantum ad redimẽdos carnales veniẽs, diuinitatis suæ magnitudinem carnalibus oculis temperauit. Quis verò eius celsitudinis terrorem ferat, cùm secũdi aduentus potentia per ignem iudicium exercens, in potestatis suæ maiestate canduerit? Vnde vir sanctus aduentum illius narrat primum, sed lassatur ad secundum, dicens: *Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum eius. Et cùm vix paruam stillam sermonum eius audiuerimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?*) Quid hoc loco viarum nomine, nisi actiones Domini appellat? Vnde & per Prophetam Dominus dicit: Non enim sunt viæ meæ sicut viæ vestræ. Aduentum ergo Domini narrans, vias Dei ex parte retulerat: quia alia eius actio fuit qua nos cõdidit, alia qua redemit. Ea itaque quæ de Domini actione narrauit, extremi iudicij comparatione leuigans, ait: *Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum eius.*) Quod & paruam stillam sermonum eius appellat: quia quicquid altum, quicquid terribile in hac vita positi, de eius consideratione cognoscimus, ex immensitate cœlestium secretorum, velut tenuis ad nos gutta superni liquoris emanat: *Et quis poterit tonitruũ magnitudinis eius intueri?*) Ac si apertè dicat: Si humilitatis eius admiranda vix ferimus: horrendum atque terribilem maiestatis eius aduentum, qua virtute tolerabimus? Hunc tonitrum aduentus illius etiam Psalmista insinuat, dicens: Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida. Hunc Sophonias propheta denuntiat, dicens: Iuxta est dies Domini magnus, iuxta & velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies illa dies iræ, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. Terrorem ergo districti examinis, quem Sophonias tubam, beatus verò Iob tonitrum appellat, Ioël quoque considerans, ait: Conturbẽtur omnes habitatores terræ, quia venit dies Domini: quia propè est dies tenebrarũ & caliginis, dies nubis & turbinis. Magnus enim dies

De horrẽdo aduentu ad iudicium. *Psal.49.* *Sophon.1.* *Ioel.2.*

Domini & terribilis valde, & quis sustinebit eum? Sed quàm incomprehensibilis sit, atque inconsiderabilis illa magnitudo, qua in secunda ostensione venturus est: bene vtcunque perpēdimus, si primi aduētus pōdera sollicita consideratione pensamus. Certè vt nos à morte redimeret, mori Dominus venit, & defectum nostræ carnis in suo corpore pœnásque tolerauit. Qui priusquam ad crucis patibulum perueniret, teneri, conspui, illudi, & alapis cædi se pertulit. Ecce ad quanta propter nos venire probra consensit: & tamen priusquam se teneri permitteret, persecutores suos requisiuit, dicens: Quem quæritis? Cui ilico responderunt: Iesum Nazarenum. (*Ioan.18.*) Quibus cùm repentè diceret: Ego sum: vocem solummodo mitissimæ responsionis edidit, & armatos persecutores suos protinus in terram strauit. Quid ergo facturus est cū iudicaturus venerit, qui vna voce hostes suos perculit, etiam cùm iudicandus venit? Quod est illud iudicium quod immortalis exierit, qui in vna voce nō potuit ferri moriturus? Quis eius iram toleret, cuius & ipsa non potuit mansuetudo tolerari? Consideret ergo vir sanctus, & dicat: Cùm vix paruam stillam sermonum eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?

Libri decimiseptimi Moralium sancti Gregorij finis.

B. GREGORII MORALIVM LIBER DEcimusoctauus.

Caput I.

PLerunque in sacro eloquio sic nonnulla mystica describuntur, vt tamen iuxta narrationem historicam prolata videantur. Sed sæpe dicta talia in eadem historica narrratione permixta sunt, per quæ superficies historiæ cuncta cassetur: quæ nil historicum resonat, aliud in eis indum quirere lectorem cogunt. His enim dictis quæ aperta credimus, cùm interiecta aliqua obscurius inuenimus, quasi quibusdam stimulis pungimur: vt ad aliqua altius intelligenda vigilemus, & obscurius prolata sentiamus, ea etiam quæ apertè dicta putauimus. Cùm ergo beatus Iob de sermone Domini, & de magnitudine tonitrui loqueretur, eisdem verbis protinus subinfertur:

Vicesimumseptimum caput textus beati Iob.

ADdidit quoque Iob assumens parabolam suam, & dixit: Viuit Deus qui abstulit iudicium meum, & omnipotēs, qui ad amaritudinem adduxit animam meam: quia donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium. Absit à me vt iustos vos esse iudicem. Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. Iustificationem meam quam cœpi, tenere non deseram. Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. Sicut impius inimicus meus, & aduersarius meus quasi iniquus. Quæ est enim spes hypocritæ, si auarè rapiat, & non liberet Deus animam eius? Nunquid Deus audiet clamorem eius, cùm venerit super eum angustia? Aut poterit in omnipotente delectari, & inuocare Deum omni tempore? Docebo vos per manum Dei, quæ omnipotens habeat, nec abscondam. Ecce vos omnes nostis: & quid sine causa vana loquimini? Hæc est pars hominis impij apud Deum, hæreditas violentorum, quam ab omnipotente suscipient. Si multiplicati fuerint filij eius, in gladio erunt, & nepotes eius saturabuntur pane. Qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur in interitu, & viduæ illius non plorabūt. Si comportauerit quasi terram argentum, & sicut lutum præparauerit vestimenta, præparabit quidem, sed iustus vestietur illis, & argentum innocens diuidet. Aedificauit sicut tinea domum suam, & sicut custos fecit vmbraculum. Diues cùm dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inueniet. Apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas. Tollet eum ventus vrens, & auferet, & velut turbo rapiet eum de loco suo. Emittet super eum, & non parcet. De manu eius fugiens, fugiet: stringet super eum manus suas, & sibilabit super illum intuens locum eius.

Caput II.

ADdidit quoque Iob assumens parabolam suam, & ait.) Quo profectò versu ostenditur huius sanctissimi viri dicta quàm mysticè sint prolata: dum parabola, id est, similitudo assumpta narratur ab eo, qui nihil inferius per comparationem, vel similitudinem loquitur. Absit enim ne hoc loco parabolam illud musicæ organum sentiamus. Neque enim fas est credere, quòd in afflictione pœnarum musicis vteretur, cùm per scripturam suam veritas dicat: Musica in luctu, importuna narratio est. (*Eccli.22.*) † Nominata ergo parabola, ex textu ipso loquente iam discimus, ne iuxta textum tantummodo eius verba pensemus. (*† al. Ergo parabolam ecce textu, &c.*) Ad eam itaque similitudinem cuncta trahenda sunt, qua figuratè Ecclesia designatur. Et in ipso quidē locutionis exordio dicta apertè prolata sunt, sed subiunctis obscurioribus implicantur. Nam plana, vt solet, locutione inchoat, sed verba sua per mysticos sensus grauida narratione consummat: itaque ait:

Quòd sancti contra verba detrahentia, vtuntur sapientia: contra persecutorum gladios, patientia.

Caput III.

VIuit Deus qui abstulit iudicium meum, & omnipotens qui ad amaritudinem adduxit animam meam.) Quibus nimirum verbis beatus Iob & sua narrat, & sanctæ Ecclesiæ tempora afflictæ significat, in quibus aperta infidelium perficacia premitur, & persecutionis amaritudine perturbatur. Duobus nanque modis Ecclesia tentari ab aduersariis solet: vt videlicet persecutionem, aut verbis patiatur, aut gladiis. Sancta verò Ecclesia summopere habere sapientiam & patientiā studet. Sed exercetur eius sapientia cùm tētatur verbis: exercetur eius patientia cùm tentatur gladiis. Nunc verò de ea persecutione loquitur, in qua non gladiis, sed falsis assertionibus lacessitur. Multos enim nouimus, qui cùm in hac vita aliqua aduersa patiuntur, Deum esse non credunt. Nonnulli verò Deum esse æstimant, sed res humanas minimè curare. De illis quippe per Dauid dicitur: Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. (*Psalm.13.*) Isti verò apud se dicunt: Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso? Et rursus: Et dixerunt, nō videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. (*Psalm.72.*) Vir ergo iste sanctæ Ecclesiæ typum gestans, in ipsa afflictionis suæ amaritudine constitutus, contra vtrosq; respondit. Nam quia essentiā vita habet, mors non habet, vt Deū esse fateretur, ait: *Viuit Deus.*) Vt verò eum, res humanas curare perhiberet, subdidit: *Qui abstulit iudicium meum, & ad amaritudinem adduxit animam meam.*) Ista etenim quæ patitur, non casu se perpeti, sed Deo omnia disponente testatur: nec tentatori suo amaritudinis suæ potestatem tribuit, sed authori. Scit nanque, quia diabolus licèt afflictionem iustorum semper appetat: tamē si ab authore nostro potestatem non accipit, ad tentationis articulum nullatenus cōualescit. Vnde & omnis voluntas diaboli iniusta est, & tamen permittente Deo omnis potestas iusta. Ex se enim tentare quoslibet iniustè appetit, sed eos qui tentandi sunt, prout tentandi sunt, non nisi tentari Deus iustè permittit.

Vnde etiam in libris Regum, de diabolo scriptum est: Quia spiritus Domini malus irruebat in Saul. (*1.Reg.18.*) Vbi iustè quæritur: si Domini, cur malus: & si malus, cur Domini dicatur? Sed duobus verbis comprehensa est potestas iusta in diabolo,

diabolo, & voluntas iniusta. Nam & ipse dicitur spiritus malus per nequissimam voluntatem: & idem spiritus Domini per acceptam iustissimam potestatem. Bene ergo dicitur: Viuit Deus, qui abstulit iudicium meum, & omnipotens qui ad amaritudinem adduxit animam meam: quia etsi hostis sæuit, qui ferire appetit, creator tamen est qui eum ad aliquid præualere permittit. Sed quia sanctus vir ad aliquid inuocata Dei vita se constrinxit: audiamus quid sese constringendo subiungit. Sequitur:

Quòd illud genus mendacij in quo quis vitam præstando mentitur, facillimè relaxari credēdum sit: & de mendacio obstreticum Aegypti.

Caput IIII.

QVia donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.) Quod prius iniquitatem, hoc postmodum repetens, mendacium dicit. Nàm & omne mendacium iniquitas est, & omnis iniquitas mendacium: quia profectò ab æquitate discrepat, quicquid à veritate discordat. Sed inter hoc quod ait, Loqui: & postmodum subdit, Meditari: magna distantia est. Nonnunquam enim peius est mendacium meditari, quàm loqui. (*Peius est quandoque mendacium meditari quā loqui.*) Nam loqui plerunque præcipitationis est; meditari verò studiosæ prauitatis. Et quis ignoret in quanta distantia culpa distinguitur: vtrum præcipitatione aliquis, an studio mentiatur? Sed vir sanctus, vt perfectè adhęreat veritati, nec studio se perhibet, nec præcipitatione mentiri. Summopere enim cauendum est omne mendacium, quanuis nonnunquam sit aliquod mendacij genus culpæ leuioris, si quisquam vitam præstando mentitur. Sed quia scriptum est: Os quod mentitur, occidit animam: & (*Sapien.1.*), Perdes omnes qui loquuntur mendacium: (*Psalm.5.*) hoc quoque mendacij genus perfecti viri sūmopere fugiūt, vt nec vita cuiuslibet per eorū fallaciam defendatur: ne suæ animæ noceant, dum præstare vitam carni nituntur alienæ quamquam hoc ipsum peccati genus facillimè credimus relaxari. (*22.quæst. 2. Si quælibet.*) Nam si quælibet culpa sequenti solet pia operatione purgari, quanto magis hæc facilè abstergitur, quam mater boni operis pietas ipsa comitatur? Nonnulli verò de obstetricū fallacia conantur asserere hoc mendacij genus non esse peccatum: maximè quòd illis mentientibus scriptum est: Quia ædificauit illis Dominus domos. (*De mendacio obstetricum. Exod.1.*) In qua magis recompensatione cognoscitur, quid mendacij culpa mereatur. Nam benignitatis earum merces, quæ eis in æterna potuit vita retribui, pro † admissa culpa mendacij, in terrenam est recompensationem declinata: (*† al. admixta.*) vt in vita sua quā mentiendo tueri voluerunt, ea quæ fecerunt, bona reciperent: & vlterius quod expectarent, mercedis suæ præmium non haberent. Nam si subtiliter perpendatur, amore vitæ præsentis mentitæ sunt, non intentione mercedis. Parcendo quippe conatæ sunt infantium vitam tegere, mentiendo suā. Et licèt in testamento veteri nonnulla possint talia reperiri, penè nunquam tamen hoc, vel tale genus mendacij à perfectis admissum, studiosus ibi lector inueniet: quanuis mendacium quandam tenere veritatis imaginem videatur, & sub veteri forsitan testamento minoris culpæ esse potuit, in quo per taurorum hircorúmque victimas, sacrificium non fuit ipsa veritas, sed vmbra veritatis. Nam in testamento nouo præceptis altioribus manifestata per carnem veritate proficimus: iustúmque est, vt facta quædam quæ in illo populo vmbræ veritatis deseruierāt, deseramus. (*3. 22. quæst. 2. Si quis.*) Si quis verò per testamentum vetus vult suum tueri mendacium, quia minus illic quibusdam fortasse nocuerit, dicat, necesse esse rerum alienarum raptum: dicat, retributionem iniuriæ, quæ infirmis illic concessa sunt, sibi nocere non posse. Quæ omnia cunctis liquet, quanta animaduersione veritas insequitur, quæ nobis iam significationis suæ vmbra postposita, in vera carne declaratur. Sed quia sanctus vir, nec loqui se, nec meditari mendacium spondet: hæc ipsa in quibus veritati congruit, exequendo subiungit: *Absit à me, vt iustos vos esse iudicem. Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.*) (*Prouerb.17. parte 1. dist. 46. cap. Sunt nonnulli.*) Ab innocentia quippe recederet, si bona de malis æstimaret: Salomone attestante, qui ait: Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, vterque abominabilis est ante Deum. Sunt nanque nonnulli qui dum malè facta hominum laudibus efferunt, augent quæ increpare debuerunt. Hinc enim per Prophetam dicitur: Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis. (*Ezech.13.*) Ad hoc quippe puluillus ponitur, vt mollius quiescatur. Quisquis ergo malè agentibus adulatur, puluillum sub capite, vel cubito iacentis ponit: vt qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quiescat. Hinc rursum scriptum est: Ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum. (*Ibidem.*) Parietis quippe nomine, peccati duritia designatur. Aedificare ergo parietem, est contra se quempiam obstacula peccati construere. Sed parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur: vt quod illi peruersè agentes ædificant, ipsi adulantes quasi nitidum reddant. Sed sanctus vir, sicut mala de bonis nōn æstimat, ita iudicare bona de malis recusat, dicens: *Absit à me vt iustos vos iudicem: donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.*) Vbi aptè subiungit: *Iustificationem meam quam cœpi, tenere non deseram.*) Cœptam nanque iustificationem desereret, si in peccantium laudem declinaret. Sed quia tunc verius à peccatis alienis abstinemus, cùm prius nos à propriis custodimus: cur de eis peccare pertimescat, rationis causam insinuat, cùm subiungit:

Quòd sanctos cor suum non reprehendit, quos peccati consensus non accusat. *Caput V.*

NEque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.) Ac si apertè dicat: Pro vobis non debeo ad culpam pertrahi, qui peccare in propriis formidaui. Sciendum verò est, quòd quisquis à præceptis dominicis dicordat opere, quoties ea audit, à corde suo reprehenditur: atque confunditur: quia id quod non fecerit, memoratur. Nam in quo se errasse considerat, ipsa se latenter conscientia accusat. Vnde Dauid Propheta deprecatur, dicens: Tunc non confundar, dum respicio omnia mandata tua. (*Psal.118.*) Grauiter nanque vnusquisque confunditur, quando mandata Dei, vel legendo, vel audiendo respicit, quæ viuendo contēpsit. (*1.Ioan.3.*) Hinc enim Ioannis voce dicitur: Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deū: & quicquid petierimus ab eo, accipiemus. Acsi diceret: Si id quod præcipit, facimus: id quod petimus, obtinebimus. Valde nanque apud Deum vtraque hæc sibi necessariò congruunt: vt & oratione operatio & operatione fulciatur oratio. Hinc enim Hieremias ait: Scrutemur vias nostras, & quæramus, & reuertamur ad Dominum. (*Thre.3.*) Leuemus corda nostra cum manibus ad Deum in cœlos. Vias etenim nostras scrutari, est cogitationum interna discutere. Corda verò cum manibus leuat, qui orationem suam operibus roborat. Nam quisquis orat, sed operari dissimulat: cor leuat, & manus non leuat. Quisquis verò operatur, & non orat: manus leuat, & cor non leuat. Iuxta ergo Ioannis vocem, tunc cor fiduciam in oratione accipit, cùm sibi vitæ prauitas nulla contradicit. De qua rectè fiducia à sancto viro nunc dicitur: *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea*) Ac si apertè dicat: Nequaquam se fecisse reminiscitur, vnde in suis precibus confundatur. (*4.*) Sed quæri potest quo pacto à corde suo reprehendi se denegat, qui se peccasse superius accusat, dicens: Peccaui: quid faciam tibi ô custos hominum? Vel certè: Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me. Sed sciendum est, quòd sunt peccata quæ à iustis vitari possunt, & sunt nonnulla quæ etiam à iustis vitari non possunt. Cuius enim cor in hac corruptibili carne consistens, in sinistra cogitatione non labitur, vel si vsque ad consensus foueam non mergatur? Et tamen hæc ipsa praua cogitare, peccare est. Sed dum cogitationi resistitur, à confusione sua animus liberatur. Mens ergo iustorum, etsi libera est à peruerso opere, aliquando tamen corruit in peruersa cogitatione. Et in peccatum ergo labitur: quia saltem in cogitatione declinatur: & tamen vnde semetipsam postmodum flendo reprehendat, non habet: quia antè se reparat, quàm per consensum cadat. Rectè ergo is qui peccatorem se confessus est, nequaquam se à suo corde reprehendi confitetur: quia & si qua illicita fortasse cogitando defuit vnquam rectitudini, forti tamen mentis certamine restitit cogitationi. Sequitur:

Quòd sancti pessimorum consortia execrantur.

Caput VI.

Sicut impius inimicus meus, & aduersarius meus quasi iniquus.) In sacro eloquio, sicut & quasi aliquando non pro similitudine ponitur, sed pro veritate. Vnde est illud: Vidimꝰ gloriã eius, gloriã quasi vnigeniti à patre. Vnde & hîc quoque, sicut & quasi pro affirmatione potius quàm pro similitudine dictũ videtur. Inter impium verò & iniquum hoc distare nonnũquã solet: quia omnis impius iniquus, nõ tamẽ omnis iniquus est impius. Impius nanque pro infideli ponitur, id est, à pietate religionis alienus. Iniquus vero dicitur, qui prauitate operis ab æquitate discordat, vel si fortasse Christianæ fidei nomen portat. Beati igitur Iob voce typica, sancta Ecclesia, quia alios rectæ fidei contradicentes tolerat, impium se habere fatetur inimicum. Quia verò alios sub prætextu fidei intus positos in prauis operibus patitur, iniquũ suum aduersarium detestatur. Si autem sicut & quasi oportet magis, vt pro similitudine positum sentiamus; sancta Ecclesia eos quos viuentes carnaliter intra se tolerat, de similitudine impiorum notat. Intus quippe ei inimicus est, qui fidelem se dum affirmat vocibus, moribus negat. Et quia eum velut infidelem æstimat, qui illam specietenus intus positus vitio prauæ actionis impugnat, rectè dicit: Sicut impius inimicus meus, & aduersarius meus quasi iniquus. Ac si apertè dicat: A me etiam fide discrepat, qui mihi opere non concordat. Sequitur:

Ioan. 1.
Distantia inter impiũ & iniquũ.
Impius.
Iniquus.

Quòd sancti non per hypocrisin fauorem hominum rapiant, licèt aliquando ad eruditionem proximorum bona sua ostendant.

Caput VII.

Quę enim spes est hypocritæ, si auarè rapiat, & non laberet Deus animam eius?) Hypocrita qui Latina lingua dicitur simulator, iustus esse non appetit, sed videri. Et idcirco auarus raptor est: quia dum iniquè agens desiderat de sanctitate venerari, laudem vitæ rapit alienæ. Studium verò esse hypocritarum solet, vt & quod sunt, supprimant: & hoc quod non sunt, esse se hominibus innotescant: quatenus mensuram suã per æstimationem trãseant, & præire se cæteros actionis nomine ostendant. Refugiunt videri quod sunt, & ante oculos hominum superducta quadam innocentiæ honestate se vestiunt. Vnde rectè per Euangelium voce nostri redemptoris increpantur, cùm eis dicitur: Væ vobis hypocritæ, quia similes facti estis sepulchris dealbatis, quæ foris quidem apparent hominibus speciosa, intus verò sunt plena ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Ita & vos foris quidem apparetis hominibus iusti, intus verò pleni estis auaritia & iniquitate.

Matt. 23. & Lucæ. 11.

Quo contrà omnes veraciter sancti, non solùm gloriam supra modum suum omnino non appetunt: sed etiam hoc ipsum videri refugiunt, quod esse meruerunt. Vnde ille prædicator egregius veritatis, contra pseudoapostolos loquens, dum virtutes eximias operationis suæ pro discipulorum eruditione narraret, dũ tot se pericula tolerasse coaceruata persecutione describeret: & post hæc vsque ad tertium cœlum, rursũmque in paradisum raptum se esse memoraret, vbi tanta cognoscere potuisset, quanta loqui omnino non posset: erat de se adhuc fortasse admirabiliora locuturus, sed ab humana laude alta se consideratione temperans, subdit: Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Habebat ergo adhuc dicendum de se aliquid, qui parcit dicere: sed egit vtrunque doctor egregius, & loquendo quæ egerat, discipulos instrueret, & tacendo sese intra humilitatis limitem custodiret. Nimis nanque esset ingratus, si de se discipulis tota reticeret: & fortasse nimis incautus, si de se tota, vel discipulis proderet: sed mirabiliter, vt dictum est, egit vtrunque, vt loquendo erudiret vitam audientium, & tacendo custodiret suam. Sciendum verò est, quòd sancti viri quoties de se aliquid sequentibus innotescunt, morem creatoris sui imitantur. Nam Deus qui nos prohibet, ne proprio ore laudemur, per scripturam sacram laudes suas loquitur: non quia ipse eis indiget, qui proficere laudibus nescit: sed dum suam nobis magnitudinem narrat, nostram ad se imperitiam subleuat: & bona sua loquendo nos edocet, quem omnino homo non cognosceret, si de se tacere voluisset. Idcirco ergo laudes suas indicat, vt valeamus eum audientes cognoscere, cognoscentes amare, amantes sequi, sequentes adipisci, adipiscentes verò eius visione perfrui. Vnde Psalmista ait: Virtutem operum suorum annunciabit populo suo, vt det illis hæreditatem gentium. Ac si apertè dicat: Idcirco fortitudinem suæ operationis insinuat, vt eum qui audierit, donis ditescat. Mortem ergo sui creatoris imitantes sancti viri, nõnunquam quædam de se, vt audientes instruant, non vt ipsi proficiant, manifestant: & tamen in his alta se consideratione custodiunt, ne dum alios à terrenæ intentione erigunt, ipsi in terrenæ laudis appetitione mergantur. Quorum plerunque dicta imitãtur hypocritæ, sed dictorum sensum penitus ignorant: quia quod iusti agunt ad vtilitatem proximi, hoc ipsi faciunt ad extensionem nominis sui. Sanctus autem vir hypocritas intuens, nequaquam gloriam futuram appetere, sed cupere præsentem tenere ait: Quæ enim spes est hypocritæ:) quia dum præsentia diligit futura minimè sperat. Scriptum nanque est: Quod enim videt quis, quid sperat? Idcirco ergo ab hypocrita ad æterna præmia per spem minimè tenditur: quia quod aliò quærendum fuerat, hîc se tenere gloriatur. Cuius quia culpa prolata est, etiam pœna subiungitur, cùm protinus subinfertur: *Nunquid clamorem eius audiet Deus, cùm venerit super illum angustia?*) Clamorem eius angustiæ tempore Deus non audit, quia tranquillitatis tempore in præceptis suis ipse clamantem Dominum nõ audiuit. Scriptum quippe est: Qui auertit aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Sanctus itaque vir intuens, quia omnes qui nunc operari recta contemnunt, extremo se tempore ad petitionis verba conuertunt, dicit: *Nunquid clamorem eius audiet Deus?*) Quibus profectò verbis, vocibus nostri redẽptoris obsequitur, qui ait: Nouissimè veniunt & fatuæ virgines dicẽtes: Domine domine, aperi nobis. Et respondetur eis: Amen dico vobis, nescio vos: quia tantò magna tunc exercetur seueritas, quantò nunc maior misericordia prorogatur: & districtè tũc iudicium non correctis exerit, qui pietatem nunc delinquentibus patienter impendit. Hinc etenim Propheta ait: Quærite Dominum dum inueniri potest: inuocate eum dum propè est: tunc videbitur, & propè non erit. Necdum in iudicio apparuit: & si quæritur, inuenitur. Nã miro modo cùm in iudicio apparuerit, & videri potest, & nõ potest inueniri. Hinc Salomon sapientiam refert, & suauiter blandientem, & terribiliter iudicantem, dicens: Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam. Cuius vocem quoque insinuat, subdẽs: Vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia, cupient, & imprudentes odibunt scientiam? Cõuertimini ad correctionem meam: en proferam vobis spiritum meum, & ostendam verba mea. En vidimus qualibus verbis expressa est dulcedo vocantis. Videamus nunc quibus insinuatur modis seueritas increpantis, vt in fine quandoque se exerceat districtio punientis. Quia vocaui, inquit, & renuistis: extendi manũ meam, & nõ fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Dicat iam qualiter feriat, quos ad se nullatenus reuertentes tanta longanimitate sustentat. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsanabo cùm vobis quod timebatis aduenerit, cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane consurgent, & nõ inuenient me. Ore itaque sapientissimi Salomonis cuncta de superno iudicio diligenter expressa sunt: quia & prius dulciter vocat, & postmodum terribiliter increpat, & ad extremũ irretractabiliter damnat. Bene ergo dicitur: Nunquid clamorem eius audiet Deus, quando venerit super illum angustia? Quià nimirum omnis hypocrita tunc remedium in clamore non inuenit, qui nunc tempus congruum clamoris perdit. De cuius adhuc prauitate subiungitur:

1. Corin. 12.
Psalm. 110.
Roma. 8.
Clamãs non auditur.
Prouer. 28.
Matth. 25.
Esaiæ 55.
6.
Prouerb. 1.
Ibidem.
Ibidem.

Quòd qui in hoc mundo delectatur, in Deo delectationem habere non possit.

Caput VIII.

Vt poterit in omnipotente delectari?) Qui enim terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. esse quidẽ sine delectatione anima nunquã potest. Nã aut infimis delectãt, aut summis: & quãtò altiori studio exercetur ad summa, tanto maiori fastidio torpescit ad infima: quãtóque acriore cura inardescit ad infima, tãto tepore damnabili frigescit

Animam non potest esse sine delectatione.

gescit à summis. Vtraque enim simul & æqualiter amari non possunt. Vnde Ioannes apostolus sciens inter spinas amorum secularium, supernæ charitatis messem germinare non posse, priusquam æterni amoris semina proferat, de audientium cordibus sancta verbi manu, amorum secularium spinas eradicat, dicens: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Móxque subiungit: Quia si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Ac si apertè dicat: Vtrique se amores in vno corde non capiunt, nec in eo seges superne charitatis pullulat, in quo illam spinæ infimæ delectationis necant. Atque illas ex hac infima delectatione nascentes enumerat punctiones, dicens: Quia omne quod in mũdo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex patre, sed ex mundo est: & mũdus transit, & concupiscentia eius. Delectari ergo in Deo hypocrita non valet: quia in eius mente desideria superna nõ prodeunt, quam profectò spinæ terreni amoris premunt. De quo aptè subditur: *Et inuocare Deum in omni tempore?*) Tunc quippe hypocrita Deum inuocat, cùm hunc terrenarum rerum tribulatio angustat. Nam cùm in hoc sęculo effectum quæsitæ fœlicitatis inuenerit, authorem qui hanc ipsam fœlicitatem tribuit, non requirit. Quia verò, vt prædiximus, esse ars docentium debet, vt in auditorum suorum mẽtibus prius studeant peruersa destruere, & postmodum recta prædicare, ne bonum sanctæ prædicationis semen plena malis cõrda non capiant: vnde ad Hieremiam dicitur: Ecce constitui te hodie super gentes & regna, vt euellas, & destruas, & dispердas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Prius itaque iubetur vt destruat, & postmodum ædificet: prius vt euellat, & postmodum plantet: quia nequaquam rectæ veritatis fundamentum ponitur, nisi prius erroris fabrica destruatur. Beatus Iob postquam causas vniuersalis Ecclesiæ, amicorum suorum dictis quasi contra hæreticorum verba respondit, eorũmque elationem multimoda respõsione destruxit, iam docere se perhibet: vt videlicet apertè videatur in his quæ subdidit, recta plantare: in his verò quæ præmisit, euulsisse peruersa. Sequitur:

Ioan. 2.
1. Ioan. 2.
Hiere. 1.

Quòd superbi sibi attribuunt quod sapiunt, sancti verò totum Deo ascribunt.

Caput IX.

Docebo vos per manum Dei quæ omnipotens habeat, nec abscondam.) Sic beatus Iob loquitur verbis suis, vt aliquid signet ex nostris. Nam sancta Ecclesia docens, inquantum cognoscere expedit, nihil veritatis ãbscondit. Quia enim manus Dei vocatur filiꝰ, omnia quippe per ipsum facta sunt, per manum dei docere se perhibet eos quos in propria sapientia remanere fatuos videt. Ac si aperè dicat: Ego ex me aliquid ne scio: sed quicquid de veritate sentio, hoc ex eiusdem veritatis largitate comprehendo. Vos idcirco recta non sapitis: quia hanc eandem vestram sapientiam non Dei manui, sed vobismetipsis datis. Nam hostes sanctæ Ecclesiæ, si quid veri aliquando sentiunt, id propriis viribus tribuunt: & tantò magis se priuant superna sapientia, quantò illã quasi ex suo ingenio habere priuatã volunt. Quibus aliquãdo datur ad iudiciũ suum, vt rectè quidem aliqua sciant, sed ex ipsa hac scientia obligatiores ad pœnam fiunt. Vnde aptè subditur: *Ecce vos omnes nostis: & quid sine causa vana loquimini?*) Scriptum est: Seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non paruit: & nõ fecit secundum voluntatem eius, plagis vapulabit multis. Qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Rursũmque scriptum est: Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi. Ad maioris ergo culpæ cumulum hostes suos sancta Ecclesia perhibet & scire quod sequi debeant, & sequi nolle quod sciant. De quibus aliàs dictum est: Descendant in infernum viuentes. Viui sunt qui sentiunt, quæ erga illos fiunt. Mortui enimnec sciunt omnino, nec sentiunt. Mortui itaque qui non sentiunt, pro nescientibus: viuentes verò qui sentiunt, pro scientibus poni solent. Viuentes ergo in infernum descendere, est scientes sentientẽsque peccare. Sequitur:

7.
Lucæ. 12.
Iacobi 4.
Psalm. 54.

Quòd hæretici & successores eorum iudicium dei euadere non possunt, quibus in errore suo sepultis, gaudent hi quos illi corrumpunt, cùm ad viam veritatis reducuntur.

Caput X.

Hæc est pars hominis impij apud Deum, & hæreditas violentorum quam ab omnipotente suscipient.) Quam profectò partem hæreditatémque protinus insinuat, cùm subiungit: *Si multiplicati fuerint, filij eius in gladio erunt, & nepotes eius non saturabuntur pane.*) Non absurdè impij vocantur hæretici, qui per errorem prauí dogmatis, à cognitione sunt veritatis alieni, quos sequenti verbo etiam violentos appellat: quippe qui scripturæ sacræ sententias recta dogmata continentes, ad intellectum prauum conantur violenter inflectere. Violenti ergo sunt, & si non rebus hominum, certè sensibus præceptorum. Filij autem violentorum sunt sequaces hæreticorũm, qui dum eorum errori consentiunt, quasi ex eorum prædicatione generantur. Sed multiplicati in gladio erunt: quia quanuis modo immensa multitudine in perdita libertate succrescunt, venturi tamen iudicis sententia feriuntur. Vnde per Moysen Dominus dicit: Gladius meus manducabit carnes. Dei enim gladius carnes comedet: quia in extremo iudicio eius sentẽtia eos qui carnaliter sapiunt, occidet. Quia in re quærendum est, cur dicatur quòd hanc partem atque hæreditatem suam praui ab omnipotente percipiũt: Sed rectè cõsiderantibus liquet: quia etsi à seipsis habuerunt iniustè agere, supernæ tamen æquitati suppetit, iniustè acta, iustè iudicare: vt diuina sentẽtia ordinet in pœnam, quos inordinata sua actio traxit ad culpã. De quibus aptè subiungitur: *Et nepotes eius non saturabuntur pane.*) Nepotes quippe hæreticorum sunt qui de errantium filiorum prædicatione nascuntur. Quos nequaquam panis satiat: quia dum in sacri verbi pabulo plus quærunt sentire quàm cupiũt, semper à veritatis cognitione seiunant: & prædicamenta doctrinæ quæ student ad quęstionem quærere, habere non valẽt ad refectionem. Quia verò nõnullos ex eisdem hæreticis, sancta Ecclesia colligit, nonnullos in malitia sua pertinaces relinquit, protinus additur: *Qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur in interitu.*) Ex eo videlicet hæreticorum populo derelicti sepeliuntur in interitu: quia dum ad lucem veritatis nõ redeunt, profectò in pœna perpetua intelligentia terrenã deprimuntur. Et quia nonnunquam dum author errantium plebium rapitur ad pœnam, seductæ plebes reformantur ad veritatis sciẽtiam: & tunc ad veram cognitionem redeunt subditi, cùm ad æterna supplicia peruenìunt, qui malè fuerant prælati: subiungitur: *Et viduæ illius non plorabunt.*) Quas viduas eius accipimus, nisi subiectas plebes morte illius fœliciter destitutas? Quia sæpe, vt dictũ est, dum prædicator erroris ad æterna supplicia rapitur, subiectæ plebes illius ad cognitionis veræ gratiã reuertũtur. His enim plebibꝰ peruersus prędicator quasi maritus prę-fuit: quia malè eis coniunctus inhæserat corruptor mẽtis. Nequaquam ergo viduæ, vel destitutæ plorant: quia morte praui doctoris viam veritatis inueniunt, ex cuius interitu affligi posse videbantur. Vel certè non plorant viduæ: quia in suo errore remanentes, dum sanctum fuisse æstimant prædicatorem suum, spe falsa ne lugeant consolantur. Sequitur:

Impij vocãtur hæretici.
Violenti.
Filij violẽtorum.
Deut. 32.

Quòd catholici hæreticos eisdem authoritatibus quas proferunt, superant, & quasi Goliam proprio gladio detruncant.

Caput XI.

Si comportauerit sicut terram argentum, & sicut lutum præparauerit vestimenta: præparabit quidem, sed iustus vestietur illis, & argentum innocens diuidet.) Argentum intelligi sacri eloquij claritas solet, sicut aliàs dicitur: Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum. Et quia nonnulli eloquium Dei non interius per exhibitionem, sed exterius per ostensionem habere concupiscunt: idcirco per Prophetam dicitur: Disperierunt omnes inuoluti argento. Hi nimirum, qui eloquio Dei non interiori refectione se replent, sed exteriori ostẽsione se vestiunt. Vnde & horum argentum, id est, hæreticorum eloquium terrę cõparatur: quia de scriptura sacra vt aliquid sciãt, ex appetitu terrenæ laudis elaborant. Qui etiam sicut lutum præparant vestimenta: quia fluxè & inquinabiliter ea quibus se tueri volunt, scripturæ sacræ contexunt testimonia. Præparabit quidem, sed iustus vestietur illis: quia vir recta fide plenus, quę sanctis solet ad iustitiam deputari, eaipsa scripturę sacrę quę hęreticus affert, testimonia colligit, & erroris eius per tinaciam inde conuincit. Contra nos nanque dum sacræ legis testimonia apportant, secum nobis afferunt vnde vincantur. Vnde & Dauid typum Domini, Golias verò hæreticorũ su-

8.
Psal. 11.
Sopho. 2.

perbiam signans: hoc rebus locuti sunt, quòd nos verbis aperimus. Golias quippe cum gladio, Dauid verò cum pera pastorali venit ad prælium. Sed eundem Goliam Dauid superans, suo gladio occidit. Quod nos quoque agimus, qui promissa Dauid membra ex eius fieri dignatione meruimus. Nam cum superbientes hæreticos, & sacræ scripturæ sententias deferentes, eisdem verbis atque sententiis quas proferunt, vincimus, quasi elatum Goliam suo gladio detruncamus. Iustus ergo vestietur eis vestimentis quæ præparat iniustus: quia vir sanctus eisdem sententiis ad veritatem vtitur, qui se peruersus quisque doctum ostendere contra veritatẽ conatur: *Et argentum innocens diuidet.*) Argentum innocentem diuidere, est eloquia Domini minutè discretéque exponere, & vnicuique quid dignè congruat coaptare. Nam eloquium Domini quod hîc argentum, vel vestimementa, hoc alibi
Psalm. 118. spolia nominatur. Quod etiam Psalmista testatur per comparationem, dicens: Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa. Quæ spolia idcirco vocata sunt: quia ad fidem Domini gentilitate transeunte, Iudæi sacris eloquiis
9. quibus induti fuerant, exuuntur. De hac quoque argenti, vel spoliorum diuisione aliàs dicitur: Beniamin lupus rapax,
Gene. 49. mane comedet prædam, vespere diuidet spolia. Quibus profectò dictis Paulus apostolus designatur, de Beniamin stirpe progenitus, qui mane prædam comedit: quia in primordiis suis fideles quos potuit rapiens, crudelitati propriæ satisfecit. Vespere spolia diuisit: quia fidelis postmodum factus, sacra eloquia exponendo distribuit. Quanuis hoc argentum quod diuidit innocens, intelligi & aliter potest. Hæretici nanque, vt facilè valeant peruersa suadere, dictis suis quędam recta permiscent, vt animos audientium ex rectis sensibus
Luc. 17. trahant, ex peruersis feriant. Qui in præceptis Dei, quia sana insanáque locutione variantur, bene in Euangelio decem leprosorum sunt specie designati, quorum colori sano dum
Roma. 12. vitiosus candor aspergitur, immoderato candore fœdantur. Vnde admonemur non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Qui etiam quia nec Deum diligunt, de quo malè sentiunt: nec proximum, à quo diuiduntur, decalogi præceptis aduersi sunt, atque ideo ad deprecandum Dominum decem veniunt. Pro eo autem quòd sanis insana miscuerunt, coloris diuersitate variantur. Sed quia in eius
Lucæ. 17. præceptis offenderant, id illud vnde offenderant vocant, dicentes: Iesu præceptor: vnde & mox curari meruerunt. Ergo quia vir catholicus quæ ab eis rectè, vel quæ prauè sentiuntur, intelligit: argentum innocens diuidit, id est, quæ ab eis salubriter, vel quæ pestiferè fuerint dicta discernit. Sequitur: *Ædificauit sicut tinea domum suam, & sicut custos fecit vmbraculum.*) Tinea sibi domum corrumpendo ædificat. Nec meliori potuit comparatione hæreticus demonstrari, qui locum suæ perfidiæ non nisi in mẽtibus quas corruperit, facit: qui etiam sequaces suos ab æterno igne liberos esse pollicetur. Spondet quippe eis refrigerium quietis æternæ, sed verba eius soliditatem non habent, quia plenitudine veritatis carent. Vnde subiungitur: *Et sicut custos fecit vmbraculum.*) Vmbraculum nanque custodis nullo fundamendo solidatur, sed tempore
mox transeunte destruitur. Et promissa ab hæreticis requies, cum tempore destruitur, quæ post hanc vitam nullatenus inuenitur. Et quia sæpe hæretici in contemptu vniuersalis ecclesiæ, potentum seculi patrociniis fulciuntur, eisque diuites protectione atque administratione quanta præualent opitulari non cessant: ipse etiam quilibet diues contra conditorem suum rebus temporalibus intumescens, sancti viri nunc sententia tangitur, atque ab speciali hæreticorum interitu, ad generalem elatorum omnium definitionem sermo deriuatur, cùm subditur: *Diues cùm dormierit, nihil secum auferet:*
Psalm. 75. *aperiet oculos suos, & nihil inueniet.*) Cui nimirum sententiæ Psalmista concinens dicit: Turbati sunt omnes insipientes corde: dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Vt enim in sua manu diuites post mortem quicquam inueniant, eis ante mortem dicitur, diui-
Luc. 16. tias suas in quorum manibus ponant: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

E *Quòd præsentes diuitiæ somno comparantur, quæ subitò marcescunt: & quòd superbi in nouissimo ad inopiam redacti, impellente diabolo quasi vento vrente à fornace vitiorum impelluntur in incendia tormentorum.* Caput XII.

D*iues cùm dormierit, nihil secum auferet.*) Res suas cùm moreretur, secum tolleret, si ad petentis vocem cùm viueret, sibi tulisset. Nam terrena omnia quæ seruando amittimus, largiendo seruamus: patrimoniúmque nostrum retẽtum perditur, manet erogatum. Diu enim cùm rebus nostris durare non possumus: quia aut nos illas moriendo deserimus, aut illæ nos viuentes quasi deserunt pereundo. Agẽdum ergo nobis est, vt res absolutè perituras, in non pereuntem cogamus transire mercedem. Sed mirandum valde est quod dicitur: *Cùm dormierit, aperiet oculos suos, & nihil inueniet.*) Vt dormiamus quippe, oculos claudimus, & euigilantes aperimus. Sed hac in re, quia homo ex anima constat & corpore, cùm vnius rei somnus dicitur, alterius vigiliæ demonstrantur: quia cùm corpus obdormiscit in morte, tunc anima euigilat in vera cognitione. Et dormit ergo diues, & oculos aperit: quia cũ carne moritur, eius anima videre cogitur, quod prouidere cõtẽpsit. Tunc profectò in vera cognitione euigilat, tunc nihil esse conspicit quod tenebat. Tunc se vacuã inuenit, quæ plenam rebus præ cæteris se hominibus esse lætabatur. Dormit, & nihil secum aufert: nihil nimirum de rebus quas tenuit. Nam culpa rerum simul ducitur, quanuis hîc omnia pro quibus culpa perpetrata est, relinquantur. Eat ergo nunc, & acceptis rebus tumeat, seséque super cæteros extollat, glorietur se habere quod proximus non habet. Veniet quandoque tempus vt euigilet: & tunc cognoscat quàm vacuum fuerit, quod in somno tenuerat. Sæpe nanque contingit dormienti inopi, vt se per somnium diuitem videat, atque ex eisdem rebus animum extollat, lætetur se habere quod non habuit, iámque dedignari quærat, à quibus dedignatum esse se doluit. Sed repentè euigilans, euigilasse se doleat, qui interim diuitiarum imaginem vel dormiens tenebat. Gemit enim
G protinus sub paupertatis pondere, & inopiæ suæ angustiis premitur: & eo peius, quo ad tempus breuissimum, vel vacuè diues fuit. Sic sic nimirum huius mundi sunt diuites, qui rebus acceptis tument. Bene operari de sua abundantia nesciunt, quasi dormientes sunt diuites: sed paupertatem suam euigilantes inueniunt, quia nihil secum ad illud iudicium quod permanet, ferunt: & quantò nunc ad breue tempus sublimius elati sunt, tantò contra se in perpetuum grauius ingemiscunt. Dicat ergo: Aperiet oculos suos, & nihil inueniet: quia illic aperit ad supplicia, quos hîc ad misericordiam clausos tenebat. Aperit oculos suos, & pietatis fructum non inuenit, quos hîc clausos tenuit cùm viueret. Tardè quoque illi oculos aperiunt, qui teste Sapientia, damnationis suæ tempore dicturi referuntur: Quid nobis profuit superbia, di- Sapien. 5.
uitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius percurrens. Vilia & fugitiua fuisse quæ tenuerant, iam amissa cognoscunt: quæ quandiu aderant, stultis eorum cordibus magna & mansura
H videbantur. Serò diues aperuit oculos, quando Lazarum re- Luc. 16.
quiescentem vidit, quem iacentem ante ianuam videre contemsit. Intellexit ibi quod hîc facere noluit: in damnatione sua cognoscere cõpulsus est quid fuit quod perdidit, quando indigentem proximum non agnouit. De quo adhuc subditur: *Apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas.*) Videamus nunc inopiam ardentis diuitis, cuius Ibidem.
tanta abundantia fuit epulantis. Ait enim: Pater Abraham miserere mei: & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Quibus verbis nobis non hoc innotescitur, quia illic in tanto ardore vna tunc ad sufficientiam refrigerij aquæ stilla requiratur: sed quòd is qui de abundantia peccauerit, illic æstuanti nimis cremetur inopia. Videmus enim in verbis diuitis ex subtilissimo Dei iudicio, quàm digna tali culpæ pœna responderit. Agente nanque inopia, illic vsque ad minima petenda compulsus est, qui hîc agente tenacia, vsque ad minima neganda peruenit. Quid retribui subtilius, quid districtius potest? Guttam aquæ petiit, qui micas panis negauit. Apprehendit eum quasi aqua inopia. Non immeritò

aquæ

aquæ tunc illa inopia comparatur: quia in inferno cruciat qui susceptos in profundis absorbẽs, solet lacus nomine designari. Vnde per Prophetam quoque humani generis voce dicitur: Lapsa est in lacum vita mea. Ereptorum verò exultatio-
Thren. 3. Psal. 29. ne cantatur: Domine Deus meus clamaui ad te, & saluasti me. Domine abstraxisti ab inferis animam meam, saluasti me à descendentibus in lacum. Nocte opprimet eum tempestas.)

II. Quid hoc loco noctem, nisi absconditum tempus repentini exitus appellat? Tempestatis verò nomine, iudicij turbi-
Psal. 49. nem designat. Quod etiam Psalmista testatur, dicens: Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit: ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida. De qua
Prouerb. 1. tempestate etiam sapientia per Salomonem dicit: Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo cùm vobis quod timebatis aduenerit: cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit. Et quia ipsa venturi exitus ignorãtia nox vocatur, nocte opprimit eum tempestas, id est, turbo eum diuini iudicij dum ignorat apprehendit. Hinc est
Matt. 24. B nanque quod per semetipsam veritas dicit: Si sciret paterfamiliãs qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati: quia qua hora nõ putatis, filius hominis veniet. Hinc etiam contra malum seruum
Ibidem. dicitur: Si autem dixerit malus seruus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire, & cœperit percutere conseruos suos: manducet autẽ & bibat cum ebriis: veniet dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat. Hinc Paulus
1. Thess. 5. discipulis dicit: Vos autem fratres non estis in tenebris, vt vos dies illa tanquam fur comprehẽdat. Omnes enim vos filij lu-
Lucæ. 12. cis estis, & filij diei, nõ sumus noctis neque tenebrarum. Hinc superbienti diuiti Dei voce dicitur: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem præparasti, cuius erunt? Nocte animam reddere perhibetur, qui mortem nõ prouidens, in tenebris cordis abstrahitur. Ait ergo: Nocte opprimet eum tẽpestas. Quia enim non vult agere bona quę videt, deprehẽditur interitus sui tẽpestate quam nõ videt. De quo adhuc subditur: *Tollet eum ventus vrens, & auferet.*) Quis hoc loco ventus C
vrens, nisi malignus spiritus vocatur, qui desideriorum flammas in corde excitat, vt ad æternitatem suppliciorum trahat? Peruersum ergo quemlibet ventus vrens tollere dicitur: quia insidiator malignus spiritus, qui viuentem quemque accendit ad vitia, morientem trahit ad tormẽta. Nam quia ventus vrẽs immundus spiritus solet intelligi, qui malæ suggestionis flatu ad terrena desideria iniquorum corda succendit: Hieremias
Hie. 1. propheta testatur, dicens: Ollam succensam ego video, & faciem eius à facie Aquilonis. Olla nanque succensa est cor humanum, secularium curarum ardoribus, desideriorũmque anxietatibus feruens. Quæ à facie Aquilonis succenditur, id est,
Esa. 14. diaboli suggestionibus inflammatur. Ipse enim vocari nomine Aquilonis solet, qui dixit: Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium. Ab huius igitur vrentis venti, vniuscuiusque electi mens adustione temperatur: quando in ea vitiorum feruor extinguitur, & desideriorum carnalium flamma frigescit. Vnde & sancta Ec-
Canti. 2. D clesia in sponsi sui laudibus læta clamat: Sub vmbra illius quẽ desideraueram sedi. De huius ardoris temperie ei per Esaiam
Esa. 55. promittente Domino dicitur: Pro saliunca ascendet abies, &
† al. saliuncula. pro vrtica crescet myrtus. Pro † saliunca nanque in ea ascẽdit abies, dum in sanctorum corde pro adiectione terrenæ cogitationis, altitudo supernæ contemplationis exoritur. Vrtica verò ignea omnino naturæ est. Myrtus autem temperatiuæ fertur esse virtutis. Pro vrtica igitur crescit myrtus, cùm iustorum mentes à prurigine & ardore vitiorum, ad cogitationum temperiem tranquillitatémque perueniunt, dum iam terrena non appetunt, dum flammas carnis desideriis cœlestibus
12. extingunt. Propter hoc quoque mentis refrigerium cœli-
Lucæ. 1. tus datum Mariæ dicitur: Virtus Altissimi obumbrabit tibi.
Mariæ obumbratio. Quanuis hac in re per obumbrationis vocabulum, incarnandi Dei vtraque potuit natura signari. Vmbra enim à lumine formatur & corpore. Dominus autem per diuinitatem lumen est: qui mediante anima, in eius vtero fieri dignatus est per humanitatem corpus. Quia ergo lumen incorporeum in eius erat vtero corporandum, ei quæ incorporeum concepit ad corpus dicitur: Virtus altissimi obumbrabit tibi, id est, corpus

A in te humanitatis accipiet incorporeum lumen diuinitatis. Sed iam de iniquo quolibet quod cœpimus, exequamur. Tollit ergo eum ventus vrens: quia videlicet malignus spiritus eum quem nunc succenderit igne peruersæ concupiscentiæ, rapit postmodum ad flammas gehennæ. Sequitur: *Et velut turbo rapiet eum de loco suo.*) Locus peruersorum est temporalis vitæ delectatio, & carnis voluptas. Quasi turbine igitur vnusquisque de loco suo rapitur, cùm à cunctis suis delectationibus extremo territus die separatur. De quo extremo die aptè mox subditur:

Quòd Deus cùm sanctos flagellat, parcit eis: reproborum verò flagella præsentia, sunt initia tormentorum.

Caput XIII.

E*Mittet super eum, & non parcet.*) Peccatorem Deus quoties feriendo corrigit, ad hoc flagellum emittit, vt parcat. Cùm verò eius vitam in peccato permanentem feriendo concludit, flagellum emittit, sed nequaquam parcit. Qui enim B flagellum emisit vt parceret, ad hoc emittit quandoque vt nõ parcat. In hac nanque vita Dominus tantò magis studet, vt parcat, quantò magis expectando flagellat: sicut ipse angeli ad Ioannem ait: Ego quos amo, arguo & castigo. Et sicut Apoc. 3.
aliàs dicitur: Quem diligit Dominus, castigat: flagellat autem Hebr. 12.
omnem filium quem recipit. Econtra autem de flagello damnationis scriptum est: In operibus manuum suarum compre- Psalm. 19.
hensus est peccator. De quo per Hieremiam Dominus dicit, dum incorrigibiliter delinquentes populos videt, quos non iam sub disciplina, filios, sed sub dictricta percussione hostes intuetur: Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli. Et Hiere. 30.
quod hîc dicitur: Non parcet, ibi quoque verbis aliis declaratur: Quid clamas super contritione tua? insanabilis est dolor tuus. Vnde hoc semper electi prouident, vt antè ad iustitiam redeant, quàm sese ira iudicis inextinguibiliter accendat, ne vltimo flagello deprehensis simul eis finiatur vita cum culpa. Flagellum nanque tunc diluet culpam, cùm mutauerit vitam.
C Nam cuius mores non mutat, non expiat actiones. Omnis ergo diuina percussio, aut purgatio in nobis vitæ præsentis est, aut initium pœnę sequentis. Propter eos enim qui ex flagello proficiunt, dictum est: Qui fingis dolorem in præcepto. Quia dum flagellatur iniquus, & corrigitur: audire præceptum noluit, audit dolorem. Dolor ergo in præcepto fingitur ei, qui à malis operibus quasi præcepti vice, dolore cohibetur. De his verò quos damnant flagella & non liberant, dicitur: Percussisti eos, nec doluerunt: attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam. His flagella ab hac vita inchoant, & in æterna percussione perdurant. Vnde per Moysen Dominus dicit: Ignis exarsit ab ira mea, & ardebit vsque ad inferos deorsum. Quãtum ad presentem etenim percussionem spectat, rectè dicitur: Ignis exarsit ab ira mea. Quãtum verò ad eternam damnationem, aptè mox subditur: Et ardebit vsq; ad inferos deorsum. Licet à quibusdam dici soleat illud quod scriptum est: Nõ iudicat Deus bis in idipsum. Qui tamen hoc quod per Prophetã Naum. 1.
de iniquis dicitur, non attendunt: Et duplici contritione con- Hier. 7.
tere eos. Et quod aliàs scriptũ est: Iesus populos de terra Ae- Iudæ. 1.
gypti saluans, secundò eos qui non crediderunt, perdidit. Quibus tamen si consensum præbemus, quamlibet culpam bis feriri non posse: hoc ex peccato percussis atque in peccato suo morientibus debet æstimari: quia eorum percussio hîc cœpta, illic perficitur: vt incorrectis vnum flagellum sit quod temporaliter incipit, sed in æternis suppliciis consummatur: quatenus eis qui omnino corrigi renuunt, iam præsentium flagellorum percussio, sequentium sit initium tormentorum. Emittet ergo super eum, & non parcet. Sequitur: *De manu* 13.
eius fugiens fugiet.) Ille etenim de manu fugit ferientis, qui suæ prauitatem corrigit actionis. Vel certè quia in sacro eloquio manus operatio solet intelligi, de manu percussi fugit, qui dum praui interitum conspicit: vias prauitatis relinquit. Vnde adhuc subditur: *Stringet super eum manus suas.*) Manus quippe stringere, est vitæ suæ opera in rectitudine confirmare: Vnde etiam Paulus ait: Remissas manus & dissoluta genua erigite. Dum itaque alienum interitum conspiciunt, Heb. 12.
reuocantur ad cor, vt recogitent suum, & vnde alius ad tormenta ducitur, à tormento alius inde libertatur. Stringit

Omnis diuina percussio aut est purgatio in nobis vitæ præsentis, aut initium pœnæ subsequentis. Psalm. 93. Hiere. 5. Deut. 32.

ergo super eum manus suas: quia conspicit in aliena pœna quid timeat: & dum delinquentem sic percussum conspicit, dissoluta sua opera, iustitiæ vigore constringit. Sicque fit vt qui iniquus viuens, multos ad culpam traxerat delectatione peccati, quosdam moriens à culpa reuocet terrore tormenti. *Psalm.57.* Quod etiam prouenire bonis Psalmista testatur, dicens: Lætabitur iustus cùm viderit vindictam impiorum, manus suas lauabit in sanguine peccatorum. In peccatorum morientium sanguine iusti lauantur manus: quia dum eorum pœna conspicitur, conspicientis vita mundatur. Sequitur: *Et sibilabit super illum, intuens locum eius.*) Quid in sibilo, nisi intentio admirationis exprimitur? Si verò in sibilo alia fortasse significatio quæritur moriente peccatore, hi qui interitu eius aspiciunt, os in sibilo stringunt: dum ad ea quæ contempserant, verba spiritalia conuertuntur: vt iam credere & prædicare incipiant, quæ prius dum iniquum florere cernerent, non credebant. Nam fit plerunque vt infirmorum animus eo magis de auditu veritatis trepidet, quo florere contemptores veritatis videt. Sed dum iusta vltio iniustos subtrahit, alios à prauitate compescit. *Prouerb.21.* Vnde per Salomonem dicitur: Mulctato pestilente, sapientior erit paruulus. Vir igitur sanctus postquam potentum pœnas, qui extolluntur in seculo, sufficienter expleuit, rursus ad hæreticorum superbiam, qui extolluntur in eloquio, verba conuertit.

Textus beati Iob caput vigesimumoctauum.

Habet argentum venarum suarum principia, & auro locus est in quo conflatur. Ferrum de terra tollitur, & lapis solutus calore, in æs vertitur. Tempus posuit tenebris, & vniuersorum finem ipse considerat. Lapidem quoque caliginis & vmbram mortis diuidit torrens à populo peregrinante, eos, quos oblitus est pes egentis hominis, & inuios. Terra de qua oriebatur panis, in loco suo igni subuersa est. Locus sapphyri lapides eius, & glebæ illius aurum. Semitam ignorauit auis, nec intuitus est oculos vulturis. Non calcauerũt eam filij institorum, nec pertransiuit per eam leæna. Ad silicem extendit manum suam, subuertit à radicibus montes. In petris riuos excîdit, & omne preciosum vidit oculus eius. Profunda quoque fluuiorum scrutatus ast, & abscondita produxit in lucem. Sapientia verò vbi inuenitur, & quis est locus intelligentiæ? Nescit homo precium eius, nec inuenitur in terra suauiter viuentium. Abyssus dicit, Non est in me: & mare loquitur, Non est mecum. Non dabitur aurum obryzum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonycho preciosissimo, vel sapphyro. Non adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabũtur pro ea vasa auri excelsa & eminẽtia, nec commemorabuntur in comparatione eius. Trahitur autem sapientia de occultis: non adæquabitur ei topazium de Aethiopia, nec tincturæ mundissimæ componentur. Vnde ergo sapientia venit, & quis est locus intelligentiæ? Abscondita est ab oculis omnium viuentium, volucres quoque cœli latet. Perditio & mors dixerunt: Auribus nostris audiuimus famam eius. Deus intelligit viam eius, & ipse nouit locum illius. Ipse enim fines mundi intuetur, & omnia quæ sub cœlo sunt respicit. Qui fecit ventis pondus & aquas appendit mensura. Quando ponebat pluuiis legem, & viam procellis sonantibus: tunc vidit illam, & narrauit, & præparauit, & inuestigauit, & dixit homini: Ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo, intelligentia.

Quòd hæretici, de sanctis libris assertionum suarum principia assumunt, sed miscent mendacia. Et quòd frustra extra vnitatem Ecclesiæ quasi pro Ecclesia pœnas patiantur: cùm martyrium non faciat pœna, sed causa: nec clarescere potest aliquis fulgore virtutis, qui non arserit in officina charitatis.

Caput XIIII.

14 *Habet argentum venarum suarum principia, & auro locus est in quo cõflatur.*) In argento eloquiũ, in auro vitæ vel sapientiæ claritas designari solet. Et quia hæretici sic de eloquij sui nitore superbiunt, vt nulla sacrorum librorum authoritate solidentur, qui libri ad loquendum nobis quasi quædam argenti venæ sunt: quia de ipsis locutionis nostræ originem trahimus, eos ad sacræ authoritatis paginas vocat: vt si verè loqui desiderant, inde sumere debeant, quid loquantur. *Libri sacri sunt quasi venæ argenti.* Et ait: *Habet argentum venarũ suarum principia.*) Ac si apertè dicat: Qui ad veræ prædicationis verba se præparat, necesse est, vt causarum origines à sacris paginis sumat: vt omne quod loquitur, ad diuinæ authoritatis fundamentum reuocet, atque in eo ædificium locutionis suæ firmet. Vt enim prædiximus, sæpe hæretici dum sua student peruersa astruere, ea proferunt quæ profectò in sacrorum librorum paginis non tenentur. Vnde & discipulum suum prædicator egregius admonet, dicens: O Timothee, depositum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates: *1.Timot.6.* quia dum laudari hæretici tanquam de excellenti ingenio cupiunt, quasi noua quædam proferunt, quæ in antiquorum patrum libris veteribus non tenentur: sicque fit vt dùm videri sapiẽtes desiderãt, miseris suis auditoribus stultitiæ semina spargant. Bene autem subditur: *Et auro locus est in quo conflatur.*) Ac si apertè dicat: Vera fidelium sapientia, cui vniuersalis Ecclesia locus est, tribulationem vobis persequẽtibus patitur, sed à cunctis peccatorum sordibus persecutionis vestræ igne purgatur. Vnde scriptum est: In igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis. *Prouer.17.* Quo in loco potest hoc quoque conuenienter intelligi, vt de sua hæretici increpari stulta passione videantur. Nam sæpe pro Iesu Christi, Domini ac redemptoris nostri nomine multa patiuntur, seséque eisdem passionibus eius fieri martyres sperant. Quibus sancti viri voce nunc dicitur: Auro locus est in quo conflatur. Nam iuxta hoc quod iam & ante nos dictum est, quisquis extra vnitatem Ecclesiæ patitur, pœnas pati potest, martyr fieri non potest: quia auro locus est in quo conflatur. Quid itaque ad hæc hæretici dicitis? Conflari per afflictionem carnis, vel etiam per martyrium vultis, sed locum in quo debeatis conflari, nescitis. Audite quid sancti prædicatoris voce dicitur: Auro locus est in quo conflatur. Hunc ergo conflationis locum quærite, hanc fornacem qua aurum aptè purgari valeat, inuenite. Vna est Ecclesia in qua qui conflari voluerit, ab omni etiam poterit peccatorum sorde purgari. Si quid pro Deo amaritudinis, si quid tribulationis extra hanc positi sustinetis, incendi potestis tantummodo, non purgari. Dicat Hieremias, dicat, quomodo conflationis vestræ ignis omni virtute sit vacuus: *Hiere.6.* Frustra conflauit conflator. Malitiæ enim eorum non sunt consumptæ. Ecce ignis exterius conflans, & duræ passionis admouet pœnam, & tamen erroris non excoquit culpam, & tormenta crudelium dat pœnarum, & bonorum non facit incrementa meritorũ. Huius etiam conflationis ignis qui extra catholicam toleratur Ecclesiam, quàm nullius omnino virtutis sit, Paulus Apostolus insinuat, dicens: Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. *1.Corin.13.*
15 Alij quippe praua de Deo sentiunt, alij recta Deo authore tenent: sed vnitatem cum fratribus non tenent. Illi errore fidei, isti verò schismatis perpetratione diuisi sunt. Vnde & in ipsa prima parte decalogi vtrarunq; partium culpæ reprimuntur, cùm diuina voce dicitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virture tua. *Deute.6.* Atq; mox subditur: Diliges proximum tuum sicut teipsum, Qui enim de Deo peruersa sentit, liquet profectò,

fectò, quia Deum non diligit. Qui verò de Deo recta sentiẽs, à sanctæ Ecclesiæ vnitate diuisus est, constat quia proximum non amat, quem habere socium recusat. Quisquis ergo ab hac vnitate matris Ecclesiæ siue per hæresim de Deo peruersa sentiendo, seu errore schismatis proximum non diligendo diuiditur, charitatis huius gratia priuatur: de qua hoc quod præmisimus, Paulus dicit: *1.Cor.13.* Si tradidero corpus meum ita vt ardeã, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Ac si aperta voce diceret: Extra locum suum, conflationis mihi ignis adhibitus, tormento me cruciat, mundatione non purgat. Hunc omnes sanctæ pacis amatores, summo studio locum quærunt, hunc quærentes inueniunt, hunc inuenientes tenẽt: scientes, peccatorum remissio vel vbi vel quãdo, vel qualibus detur. Vbi quippe, nisi in Ecclesiæ matris sinu? Quando, nisi ante venturi exitus diem? Quia ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis: *1.Cor.6.* &, Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum propè est. *Esa.55.* Qualibus, nisi conuersis, qui ad paruulorum imitationem, magistra humilitate formantur? *Matth.19.* Quibus dicitur. Sinite paruulos venire ad me, talium enim est regnum cœlorum: *Matth.18.* &, Nisi cõuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.

Quia reprobi dum seruos dei præditos virtutibus vident: quia de præsentibus non possunt, de præteritis eos accusant.

Caput XV.

Quia ergo nõ nisi in catholica Ecclesia veri martyres fiũt, dicitur rectè: Auro locus est in quo conflatur: quia non clarescet anima in fulgore æternæ pulchritudinis: nisi, vt ita dicam, prius hîc arserit in officina charitatis. Pensandum prętereа est quod occulto consilio omnipotens Deus quosdam ab ipsis exordiis suis innocentes custodiens, vsque ad virtutum prouehit culmen: vt ætate crescẽte simul in eis proficiat & annorum numerositas, & celsitudo meritorum. Alios verò in exordiis suis deserens, scaturientibus vitiis, ire per abrupta permittit. Plerunque tamen etiam eos respicit, & ad sequendum se, sancti amoris igne succendit: atque inolitas in eorum cordibus prurigines vitiorum vertit in feruorem virtutum, & eo magis ignescunt ad desiderium requirendæ pietatis Dei, quo magis erubescunt memoriam iniquitatis suæ: sicut sæpe contingit, vt in pugnæ certamine miles ante ducis sui oculos constitutus, hostili virtuti turpiter cedat, & eneruiter præbens terga feriatur, qui tamen hoc ipsum quod turpiter cessit erubescens, ante ducis sui oculos, maiores ex ipsa verecundia vires sumit: tantáque pòst fortia exercet, quantis & præsentem gloriam virtutis peragat, & præteritæ ignominiã debilitatis tegat. Sic ergo nonnũquam quidem in Dei seruitio ex anteacta acrius debilitate roborantur, eósque ad custodiẽda mandata & futurorum trahit desiderium, & impellit memoria præteritorum: vt hinc ad ventura amor prouocet, illinc
16. de præteritis verecundia instiget. Quos tamen aduersarij Ecclesiæ dum summis pręditos virtutibus viderint, eísque in præsenti vita vnde derogent quia inuenire nequaquam possunt, accusare illos de præteritis moliuntur, sicut Moysem nostrum Manichæus impetit, in quo sequentium virtutum gratiam, transacti homicidij conatur culpa fœdare. In quo non attendit postmodum quàm patiens ad sustinẽdum, sed priusquam præceps ad feriendum fuerit. Talibus ergo aduersariis beatus Iob subtilissima consideratiõe obuians, postquam dixit: Habet argentum venarum suarum principia, & auro locus est, in quo conflatur, aptè subditur:

Quòd contemni non debeat, qui se à terrenis occasionibus separauit. *Caput XVI.*

Ferrum de terra tollitur.) Solent hæretici de iustitiæ suæ contra nos elatione gloriari, atque opera sua ostentationis inflatione iactare: nósque iniquos, vt diximus, aut esse aut fuisse criminantur. Per humilimam ergo confessionem & veracem defensionem contra eos vir sanctus loquitur, dicens: Ferrum de terra tollitur. Ac si apertè dicat: Fortes viri qui acutissimis linguarum gladiis in hac acie defendendæ fidei ferrum fiunt, aliquando terra in infimis actionibus fuerunt. Peccanti quippe homini dictum est: *Gene.3.* Terra es, & in terram ibis. Sed de terra ferrum tollitur, cùm fortis propugnator Ecclesiæ à terrena, quam prius tenuit, actione separatur. Non ergo in eo debet despici quicquid fuit, qui iam cœpit esse, quod non fuit. An non Matthæus in terra inuentus est, qui terrenis negotiis implicatus, telonij vsibus seruiebat? *Matth.9.* Sed de terra sublatus in fortitudinem ferri conualuit: cuius videlicet lingua quasi acutissimo gladio, Euangelij administratione Dominus infidelium corda transfixit, & cui infirmus prius despectúsque fuerat per terrena negotia, fortis postmodum factus est ad cœlestia prędicamenta. Vnde adhuc subiungitur:

Quod corda dura cùm diuini amoris igne tacta fuerint liquefiunt, & quæ credere noluerant, prædicare incipiunt.

Caput XVII.

Et lapis solutus calore, in æs vertitur.) Tunc lapis calore soluitur, cùm cor durum, atque à diuini amoris igne frigidum eodem diuini amoris igne tãgitur, & in feruore spiritus liquatur: vt ad sequentem vitam desideriorum æstu ardeat, quam prius audiens, insensibilis manebat. Ex quo ardore scilicet & emollitur ad amorem, & roboratur ad operationem: vt sicut prius durus fuerat in amore seculi, ita se postmodum fortem exerat in amore Dei, & quod antè audire renuebat, iam & credere & prædicare incipiat. Lapis ergo solutus calore, in æs vertitur: 17. quia dura mens superni amoris igne liquefacta, ad veram fortitudinem commutatur: vt peccator qui prius insensibilis extiterat, postmodum & per authoritatem fortis, & per prædicationem sonorus fiat. Quod bene per Esaiam dicitur: Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem. *Esa.40.* Fortitudinem mutamus, cùm conuersi, tanta virtute præsens seculum fugimus, quãta hoc ante quærebamus. Quia autem malè ab aduersariis catholicorum moribus anteacta vita reputatur, rectè subditur: *Tempus posuit tenebris, & vniuersorum finẽ ipse considerat.*) Ipse posuit tempus tenebris, iniquis videlicet modum, quo iniqui esse desistant. Vnde eis per Apostolum dicitur: *Ephe.5.* Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Sicut aliis quoque discipulis idem doctor egregius dicit: Nox præcessit, dies autem appropinquauit. *Roma.13.* Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamus nos arma lucis: sic vt in die honestè ambulemus. Vnde & in Canticis cãticorum Ecclesia veniente dicitur: Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens? *Canti.6.* Aptè enim Ecclesia auroræ comparata describitur, quæ per cognitionem fidei, à peccatorum suorũ tenebris in clara luce iustitiæ commutatur. Tempus ergo posuit tenebris, & vniuersorum finem ipse considerat. *Vniuersorũ finem Deus considerat.* Vniuersorum nomine, & electos voluit & reprobos comprehendi. Nam bona faciens & ordinans Deus, mala verò non faciens, sed ab iniquis facta, ne inordinatè eueniant, ipse disponens, considerat vniuersorum finem, & patienter tolerat omnia, atque intuetur electorum terminum, quòd ex malo mutentur ad bonum. Intuetur etiam reproborum finem, quòd de malo opere dignum se trahantur ad supplicium. Vidit finem persequentis Sauli, quò prostratus diceret: Domine, quid me vis facere? *Act.9.* Vidit finem quasi obsequentis discipuli, quòd pro cõmisso scelere guttur laqueo stringeret, séque & peccantem puniret, & deterius puniendo deciperet. Vidit Niniuitas delinquentes, sed considerauit finem delinquentium pœnitentia correctorum. Vidit quoque Sodomam delinquentem, sed considerauit finem ardoris luxuriæ, ignem gehennæ. Vidit gentilitatis finem, quòd possessa iniquitatum tenebris, quandoque fidei luce clarescerct. Vidit etiam Iudææ terminum, quòd ab ea luce fidei quam tenebat, obduratæ perfidiæ se tenebris cæcaret. Vnde adhuc congruè subditur:

Quòd inter sanctos & reprobos ignis diuinus in iudicio diuidet. *Caput XVIII.*

Lapidem quoque caliginis & vmbram mortis diuidit torrens à populo peregrinante.) Quid durus ille perfidia Iudæorum populus, qui authorem vitæ per fidem videre noluit, quem per prophetiam prędixit, nisi lapis caliginis fuit: quia & crudelitate durus extitit, & infidelitate nebulosus? Qui alio quoque vocabulo vmbra mortis dicitur. Vmbra quippe talis exprimitur, qualia eius rei de qua trahitur fuerint lineamẽta. Quis autem mortis nomine, nisi diabolus vocatur? De quo per quandam ministri sui significationem dicitur: Et nomen illi mors. *Apoc.6.* Cuius ille populus vmbra extitit: quia iniquitatẽ illius sequẽs, eius in se imaginem expressit. Quid verò torrẽtis nomine, nisi

ille à conspectu tremendi iudicis per vltimum examen egrediens, atque electos & reprobos diuidens ignis vocatur? Vnde & per Prophetam dicitur: Fluuius igneus rapidúsque egrediebatur à facie eius. *Daniel.7.*

Quòd Iudæa quæ apud se panem legis habuerat, & quæ regibus claruerat & prophetis, quasi sapphiris & glebis aureis: quia mortem & resurrectionem Christi credere noluit, igne inuidiæ succensa, funditùs periit.

Caput XIX.

18 QVis autem in hoc mundo peregrinatur populus nisi qui ad sortem electorum currens, habere se patriam nouit in cœlestibus: & tantò magis se illic sperat inuenire propria, quantò hîc cuncta quæ prætereunt, esse à se deputat aliena? Peregrinus itaque est populus, omnium numerus electorum, qui hanc vitam quoddam sibi exilium deputantes, ad supernam patriam tota cordis intentione suspirant, de quibus Paulus dicit: Confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere: Hanc peregrinationem idem quoque Apostolus tolerabat, cùm diceret: Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, & non per speciem. Huius peregrinationis ærumnam satagebat euadere, cùm dicebat: Desiderium habeo dissolui, & cum Christo esse. Et rursum: Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Huius peregrinationis pondus graue sentiebat Psalmista, cùm diceret: Heu me, quia incolatus meus prolongatus est: habitaui cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima mea. Ab hac eripi quantocyus anhelabat, cùm supernis desideriis flagrans diceret: Sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Sed hoc desiderium nesciunt, qui cor in terrenis voluptatibus defigũt. Dum enim sola quæ sunt visibilia diligunt, profectò inuisibilia vel si credunt esse, non diligunt: quia dum nimis se exterius sequuntur, etiam mente carnales fiunt. Simul enim in hac vita vterque populus currit, sed non simul ad perpetua peruenit: quia lapidem caliginis & vmbram mortis diuidit torrens à populo peregrinante. Ac si apertè dicat: Eos quos modò vel infidelitas excæcat, vel crudelitas obdurat: flammarum fluuius à conspectu æterni iudicis exiens, ab electorum tunc populo separat: vt tunc à bonis ignis districti examinis diuidat, quos nunc in suis concupiscentiis tenebræ vitiorum excæcant. Potest fortasse in torrentis nomine, ipsa irrigatio sanctæ prædicationis intelligi: iuxta id quod per Salomonem dicitur: Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant illum corui de torrentibus. Peruersi quippe dum diuina iudicia reprehendunt, subsannãt patrem. Et quilibet hæretici dum prædicationem sanctæ Ecclesiæ, fœcunditatémque illius deridendo contemnunt, quid aliud quàm partum matris despiciunt? Quam non immeritò eorum quoque matrem dicimus, quia de ipsa exeunt, qui contra ipsam loquuntur: Ioanne attestante, qui ait: A nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum. Corui verò de torrentibus veniũt, cùm prædicatores veri ad defensionem sanctæ Ecclesiæ, à sacrorum librorum fluentis procedunt. Qui etiam rectè corui vocati sunt: quia nequaquam de iustitiæ luce superbiunt, sed per humilitatis gratiam, peccatorum in se nigredinem confitentur. Vnde etiam ab electorum Ecclesia dicitur: Nigra sum, sed formosa. Et Ioannes ait: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus. Qui videlicet corui subsannãtis oculum effodiunt: quia prauorum ac pertinacium hominum intentionem vincunt. Ex hoc itaque testimonio si hîc quoque torrens prædicatio debet intelligi, lapidem caliginis & vmbram mortis diuidit torrens à populo peregrinante: quia sanctorum prædicatio obduratas mentes reproborum deserit, & ad pia humilium se corda conuertit. Vnde adhuc subditur: *Eos quos oblitus est pes egentis hominis, & inuios.*) Quis hoc loco alius accipitur egens homo, nisi ille de quo per Paulum dicitur: Qui propter nos egenus factus est, cùm diues esset? Cuius videlicet egentis hominis pedes sancti prædicatores fuerunt, per quorum præsentiam gentilitatem circuiens, mundum perambulauit vniuersum. De quibus per Prophetam dicitur. Et inambulabo in eis. An pes eius non erat, qui tentus in compe-

Hebr.11. *2. Corint.5.* *Philip.1.* *Psalm.119.* *Psalm.41.* *Prouer.30.* *1. Ioan.2.* *Canti.1.* *1. Ioan.1.* 19 *2. Corint.8.*

E dibus dicebat: Pro quo legatione fungor in catena? Sed eorum qui vmbra mortis & lapis caliginis extiterunt, pes hominis egentis oblitus est: quia in ipso initio nascentis Ecclesiæ, dum sancti Apostoli cœlorum regnum Iudææ prædicare voluissent, videntes quòd eis nihil omnino proficerent, ad prædicandum gentibus defluxerunt, sicut ipsi in suis actibus dicunt: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. De quibus & per Psalmistam dicitur: Transferentur montes in cor maris: quia repulsi sunt à Iudæa Apostoli, in hoc gentilitatis salum translati sunt. Qui sunt ergo qui immensa duritia pro obscuritate cordis, quasi quidam lapis caliginis, & vmbra mortis à peregrinante sanctorum populo diuiduntur, nisi hi quos pes egentis hominis est oblitus, id est, quos prædicatores Domini, videlicet per humilitatem pauperis, pro superbiæ suæ tumore reliquerunt, eorúmque omnino obliti sunt, dum prædicationis suæ semina ad solam fructificationem gentium transtulerunt? *Ephe.6.* *Acto.13.* *Psalm.45.*

F Quos rectè quoque & inuios vocat: quia dum in infidelitate sua obdurati sunt, verbis vitæ ad cor viam præbere noluerunt. Sed Iudæa hæc quæ sic obduruit, vel qualis dudum fuerit, vel quid pòst pertulerit, audiamus. Sequitur: *Terra de qua oriebatur panis, in loco suo igne subuersa est.*) Panem Iudæa dare consueuerat, quæ legis verba proferebat. Quam videlicet legem, quia intelligere iam reprobi atque explanare non poterant, Propheta Hieremias in lamentis deplorat, dicens: Paruuli petierunt panem, & qui frangeret eis non erat. Sed hæc terra in loco suo igne subuersa est: quia fidelium signa conspiciens, inuidiæ se face concremauit. Quia enim semper inuidia de superbia nasci solet, in loco suo igne periit: quæ idcirco arsit inuidia, quia superbiam non reliquit. Terra ergo quæ prius panem habuit, pòst igne subuersa est: quoniam synagoga quæ mandata Dei per legem protulit, nascentem Ecclesiam persequens, inuidiæ se igne consumpsit. An non æmulationis suæ sacibus ardebat, cùm redemptoris nostri signa conspiciens, per quosdam suos diceret: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit: vel certè, Videtis, quia nihil proficimus, ecce totus mundus post eum vadit? Videbant vnde conuerti debuerant, atq; exinde peruersiores fiebant. Quærebant extinguere, quem cernebant mortuos viuificare: In ore tenebant legem, sed legis persequebantur authorem. Terra ergo de qua oriebatur panis, in loco suo igne subuersa est: quia Iudæa in semetipsa & prius habuit legem quæ reficeret, & pòst inuidiam quæ concremaret. De cuius adhuc descriptione subiungitur: *Locus sapphyri lapides eius, & glebæ illius aurum.*) Auget reatum culpæ sequentis præconium gloriæ præcedentis. Nam vniuscuiusque casus tantò maioris est criminis, quantò priusquam caderet, maioris potuit esse virtutis. Dicatur ergo de Iudæa, dicatur quid fuerit, & præcedẽtium magnitudo virtutum crescat ad cumulum sequentiũ delictorũ. Locus sapphyri lapides eius, & glebæ illius aurum. Quid enim hoc loco per lapides, nisi sanctorum ac fortium mentes accipimus? In scriptura etenim sacra aliquando lapides in malo, aliquando verò in bono accipi solent. Nam cùm lapis pro insensibilitate ponitur, dura per lapides corda signantur. Vnde & per Ioannem dicitur: Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Qui videlicet nomine lapidum corda gentilium disignat, dura tunc atq; insensibilia per infidelitatem. Et per Prophetam Dominus pollicetur, dicens: Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Rursum per lapides, mentes fortium designari solent. Vnde & per Petrum sanctis dicitur: Et vos tanquam lapides viui superædificamini domus spiritales. Et per Prophetam Dominus venienti Ecclesiæ pollicetur, dicens: Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, & ponam iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles, vniuersos filios tuos doctos à Domino. Strauit nanque in illa per ordinem lapides: quia in ea sanctas animas meritorum diuersitate distinxit. Fundauit eam in sapphyris, qui scilicet lapides, coloris aërei in se similitudinem tenent: quia robur Ecclesiæ in animabus cœlestia appetentibus solidatur. Et quoniam iaspis viridis est coloris, iaspidem propugnacula *Threno.4.* *Ioan.11.* *Ezech.11.* *1. Petri.2.* *Esaiæ.54.*

pugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles, vniuersos filios tuos doctos à Domino: Strauit nanque in illa per ordinẽ lapides: quia in ea sanctas animas meritorũ diuersitate distinxit. Fũdauit eã in sapphyris, qui scilicet lapides coloris aërei in se similitudinem tenent: quia robur Ecclesiæ in animabus cœlestia appetentibus solidatur. Et quoniam iaspis viridis est coloris, iaspidem propugnacula eius posuit, quia illi contra aduersarios pro sanctæ Ecclesiæ defensione obiecti sunt, qui internis desideriis virentes, nulla teporis † reproba ariditate marcescũt. Portas verò eius posuit in lapides sculptos. Hi quippe portæ sunt Ecclesiæ, per quorum vitam atque doctrinam intrat in eam multitudo credentiũ. Qui pro eo etiam quòd magnis operibus pollent, & id quod loquentes asserunt, viuentes ostẽdunt, non puri, sed sculpti lapides esse memorantur. In quorum enim vita recta operatio cernitur, quasi in eisdem ipsis exprimitur, quod egerunt. Vbi omnem quoque sanctorum numerum generali collectione concludens, subdidit: Omnes terminos tuos in lapides desiderabiles. Et tanquam si audientes ista peteremus, vt hos lapides quos diceret, indicaret, adiunxit dicens: Vniuersos filios tuos doctos à Domino. Quia igitur de Iudæa nunquam sanctæ animæ quæ cœlestem vitam ducerent, defuerunt, dicitur: Locus sapphyri lapides eius. Et quia magna vitæ ac sapientiæ claritate per fidem fulsit, adiungitur: Et glebæ illius aurum. Quid per glebas, nisi collectiones singulorum ordinum ac multitudines designantur? Glebę autem ex humore & puluere constringuntur. Omnes ergo qui rore gratiæ infusi, ex mortis debito se puluerẽ esse veraci cognitione confessi sunt, dum vitæ virtute clarescerent, quasi aureæ in illa glebæ iacuerunt. Glebas hęc terra habuit in prophetis, glebas in doctoribus, glebas in patribus antiquis, qui magna se infusione gratiæ in professionis, & operis vnanimitate tenuerunt. Dicat ergo: Et glebæ illius aurum: quia in ea multitudo spiritalium tanto maiori virtute claruit, quanto se in Deum ac proximum maiori vnanimitate constrinxit. Sed hoc aurum perfidiæ est postmodum tenebris obscuratum. Cuius profectò nigredinem Hieremias propheta intuens deplorat, dicens: Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? Aurũ nanque obscuratum est: quia in eis antiquus ille fidei atque innocentiæ splendor, irruente perfidia, malitiæ se nocte fuscauit. Quia igitur quid fuit, audiuimus: locus scilicet sapphiri lapides eius, & glebæ illius aurum: nunc iam dilectus ille Deo populus, cur tanta hęc bona perdiderit, audiamus. Sequitur: *Semitam ignorauit auis, nec intuitus est oculus vulturis.*) Quis hoc loco auis nomine, nisi ille signatur, qui corpus carneum quod assumpsit, ascendendo ad æthera librauit? Qui aptè quoque etiam vulturis appellatione exprimitur. Vultur quippe dum volat, si iacens cadauer conspicit, ad esum se cadaueris deponit, & plerunque sic in morte capitur, dum ad mortuum animal de summis venit. Rectè ergo mediator Dei & hominum, redemptor noster vulturis appellatione signatur, qui manens in altitudine diuinitatis suæ, quasi quodam volatu sublimi cadauer mortalitatis nostræ conspexit in infimis, & sese de cœlestibus ad ima submisit. Fieri quippe propter nos homo dignatus est, & dum mortuum animal petiit, mortem apud nos, qui apud se erat immortalis, inuenit. Sed huius vulturis oculus fuit ipsa intentio nostræ resurrectionis: quia ipse ad triduũ mortuus, ab æterna nos morte liberauit. Ille ergo perfidus Iudææ populus mortalem vidit, sed quomodo morte sua nostram mortem destrueret, minimè attendit. Conspexit quidem vulturem, sed oculos vulturis non aspexit. Qui dum humilitatis eius vias quibus nos ad alta subleuauit, considerare noluit, semitam auis ignorauit. Neque enim pensare studuit, quòd eius nos humilitas leuaret ad cœlestia: & mortis eius intentio reformaret ad vitam. Semitam igitur ignorauit auis, nec intuitus est oculus vulturis: quia etsi vidit eum quem in morte renuit, videre noluit quanta vitæ nostræ gloria de eius morte sequeretur. Vnde & ad crudelitatem quoque persecutionis exarsit, verba vitę † recipere renuit: prædicatores regni cœlorum prohibendo, sæuiendo, feriendo repulit. Qui scilicet repulsi Iudęam ad quam missi fuerant deferentes, in gentilitatis collectionem dispersi sunt. Vnde adhuc subditur:

† vel reprobi. *Thren.4.* *† al. percipere.*

A *Quòd apostolis & successoribus eorum quasi Ecclesiasticis negotiatoribus à Iudæa repulsis, ad gentes, quasi silices duros, manus prædicationis conuersa est.* *Caput XX.*

NOn calcauerunt eam filij institorum, nec pertransiuit per eam leæna.) In cunctis latinis codicibus institores positos reperimus, in Græcis verò negotiatores inuenimus. Ex qua re colligi valet, quòd hoc in loco pro negotiatoribus institores, scriptores ignorando posuerũt. Institores enim negotiatores dicimus, pro eo quòd exercendo operi insistunt. Sed vterque sermo licèt in voce dissonet, in intellectu non discrepat: quia omnes qui fidelium mores instituunt, spiritale negotium gerunt: vt cùm prædicationem suis auditoribus præbent, ab eis fidem & opera recta percipiant, sicut de sancta Ecclesia scriptum est: Sindonem fecit & vendidit: de qua & pauló pòst illic dicitur: Vidit quòd bona est negotiatio eius. Qui hoc loco institores, nisi prophetæ sancti vocati sunt, qui synagogę mores ad fidem instituere curauerunt prophetando? Quorum nimirum filij, sancti Apostoli nuncupantur, qui vt Deum hominem crederent: ad eandem fidem ex eorum sunt prædicatione generati. De quibus Ecclesiæ per Psalmistam dicitur: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij constitues eos principes super omnem terram. Sed quia repulsi Apostoli à synagogæ finibus sunt egressi, rectè nunc dicitur: *Non calcauerant eam filij institorum.*) Calcarent quippe eam institorum filij, si prædicatores sancti eiusdem synagogę vitia calce virtutis premerent. Si autem institores eosdem sanctæ Ecclesiæ prædicatores accipimus: institorum filios, pastores & doctores, qui Apostolorum vitam secuti sunt, nil obstat intelligi. Qui synagogam minimè calcauerunt: quia dum eorum patres, id est, Apostoli ab illa repulsi sunt, ipsi quoque ab eius vocatione cessauerunt. *Prouer.31.* *Psal.44.*

Per quam videlicet synagogam leæna non pertransiit: quia sancta Ecclesia collectioni gentium dedita, nequaquam sese ad illum Iudææ populum diutius occupauit. Rectè autẽ Ecclesia leęna nuncupatur: quia malè viuentes in vitiis, ore sanctæ prædicationis interficit. Vnde & ipsi primo pastori quasi huius leænæ ori dicitur: Macta & manduca. Quod mactatur quippe, à vita occiditur: id verò quod comeditur, in comedentis corpore commutatur. Macta ergo & manduca dicitur, id est, à peccato eos in quo viuunt interfice: & à seipsis illos in tua membra conuerte. Et quia hæc Ecclesia corpus est Domini: ipse etiam Dominus Iacob voce leo vocatur ex se, leæna vocatur ex corpore, dum ei sub Iudæ specie dicitur: Ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna. Quis suscitabit eum? Hæc igitur leæna nequaquam dicitur: quia per Iudæam transiit, sed non pertransiit. Apostolis nanque prædicantibus prius ex illa tria milia, postmodum quinque milia crediderunt. Ecclesia itaque per synagogam transiit, sed non pertransiit: quia ex illa ad fidem paucos rapuit, sed tamen illum infidelium populum à perfidia funditùs non extinxit. Sed quod sæpe iam diximus, repulsa ab infidelitate Iudæorum, deflexit ad vocationem gentium. Vnde adhuc de eadem leæna dicitur: *Ad silicem extendit manum suam, subuertit à radicibus montes.*) Manum quippe ad silicem extendit: quia ad duritiam gentium suæ brachiũ prædicationis misit. Vnde & idem beatus Iob passionis sũę historiam præsciens gentibus innotescendam, dicit: Scribantur hæc stylo ferreo in plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice. Quid verò hoc in loco montes nisi huius seculi potentes accipimus, qui pro terrena substantia in altum tument? De quibus Psalmista ait: Tange montes, & fumigabunt. Sed montes à radicibus sunt euersi: quia prædicante sancta Ecclesia, summæ huius seculi potestates in adoratũ omnipotẽtis Dei ab intima cogitatione ceciderunt. Radices enim mõtium cogitationes sunt intimæ superborum. Et à radicibus mõtes cadũt: quia ad colendum Deũ, potestates seculi ab imis cogitationibus prosternuntur. Rectè etenim per radicẽ cogitatio occulta signatur: quia per hoc quod intus nõ cernitur, erũpit, quod videatur foris. Vnde & in bonam partem per Prophetã dicitur: Emittet id quod saluatũ fuerit de domo Iuda, & quod reliquũ est, mittet radicem deorsum, & faciet fructum sursum. Ac si apertè diceretur: In imis cogitatio nascitur, vt in summis retributio reddatur. Dicat ergo: Ad silicem extendit manum suã, subuertit à radicibus montes: quia dum duritiam gentiũ san- 22. *Actor 10.* *Genc.49.* *Esa.37.* *Psal.143.*

cta prædicatio petiit, superborũ altitudinem funditùs strauit. Quia verò eos quos à cogitationibus terrenis euacuat, donis cœlestibus replet, & quos infimis curis exhaurit, supernis rigat fluentis, mox subditur: *In petris riuos excidit.*) Id est, in duris gentilium cordibus fluuios prædicationis aperuit, sicut per Prophetam quoque de irriganda dicitur ariditate gentilium:
Psalm.106. Posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum. Atque in Euangelio promittit Dominus dicens:
Ioan.7. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina aquæ viuæ de ventre eius fluent. Quod promissum tunc audiuimus, etiam nunc completum videmus. Ecce enim in sanctis prædicatoribus, & non ex Iudæa progenitis, per cunctam Ecclesiam in toto orbe diffusam, fluenta cœlestium mandatorum vbertim manant ore gentilium. Quia enim in petris riuos aperuit, ex duris quoque cordibus fluuius sanctæ prædicationis emanauit. Sequitur: *Et omne preciosum vidit oculus eius.*) Sciendum magnopere est: quia tantò vnaquæque anima fit
1. Reg.15. preciosior ante oculos Dei, quantò præ amore veritatis despectior fuerit ante oculos suos. Hinc ad Saul dicitur: Nónne cùm paruulus esses in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israël? Ac si apertè diceret: Magnus mihi fuisti, quia despectus tibi: sed nunc quia magnus tibi es, factus es despectus
Esaiæ.5. mihi. Vnde & per Prophetam dicitur: Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Tantò
Psalm. 137. 23 ergo fit quisque vilior Deo, quantò preciosior sibi: tantò preciosior Deo, quantò propter eum vilior sibi: quia humilia respicit, & alta à longè cognoscit. *Omne itaque precio-*
Ioan. 1. *sum vidit oculus eius.*) In scriptura sacra videre Dei, aliquando pro eligere ponitur, sicut in Euangelio scriptum est: Cùm
1.Corinth.1. esses sub ficu, vidi te: id est, positum te sub vmbra legis, elegi. Vidit ergo preciosum: quia humilia eligit. Infirma enim mũdi elegit Deus, vt confunderet fortia. Vidit preciosum, cum humanam animam de se abiectam sapientiæ gratiæ suæ illu-
Hiere.15. stratione respexit. De qua videlicet anima per Prophetam dicitur: Si separaueris preciosum à vili, quasi os meum eris. Vilis quippe Deo est mundus præsens, preciosa verò ei est anima humana. Qui ergo preciosum à vili separat, quasi os Domini vocatur: quia per eum Deus verba sua exerit, qui ab amore præsentis seculi, loquendo quæ potest, humanam animam euellit. Et quia testamenti noui doctores ad hoc vsque perducti sunt, vt occultas quoque allegoriarum caligines in veteri testamento rimentur, rectè subditur?

Quòd populus Christianus, in fluuiis legis & Prophetarum reuelante Christo, scrutatus sit profundos intellectus, & produxerit in lucem, quæ Moyses velata facie absconderat.

Caput XXI.

PRofunda quoque fluuiorum scrutatus est, & abscondita produxit in lucem.) Quid nanq; hîc aliud flumina, nisi antiquorum patrum dicta nuncupantur? Quis enim pensare sufficiat, quàm vehemens fluuius dum legem conderet, ex pectore Moysi erupit? Quàm vehemens fluuius ex Dauid corde defluxit? quanta à Salomonis ore atque omnium Prophetarum fluminum fluenta manarunt? Sed horum fluminum Iudæa speciem tenuit, dum literæ superficiem seruans, eorum profunda nesciuit. Nos verò qui veniente Domino in eis interna spiritalia quæ rimus, eorum profunda rimamur. Quod ipse Dominus facere dicitur: quia id nos agere ipso donante præualemus. Per nos ergo, qui non literam quæ occidit, sed spiritum qui viuificat, sequimur: profunda fluuiorum Dominus scrutatur, & abscondita in lucem producit: quia dicta legis quæ caligi-
Matth.10. nosa nimis historia obscurat, nunc expositio spiritalis illuminat. Vnde & loquens in parabolis per Euangelium veritas discipulis præcepit, dicens: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Apertè nanque dicta exponentium fecerunt nobis esse iam conspicuas sententias antiquorum patrum. Vnde Esaias Propheta sanctæ Ecclesiæ expositionis verba cõspiciens, & non
Esaiæ.33. allegoriarum tenebris obscura, exclamauit dicens: Locus fluuiorum riui latissimi & patentes. Testamenti enim veteris dicta, quasi angusti & clausi riui tuerant, qui immensas scientiæ suæ sententias collectione obscurissima constringebant. At contra doctrina sanctæ Ecclesiæ riui & lati & patentes sunt: quia eius dicta & inuenientibus multa sunt, & quærentibus
E plena. Ait ergo: *Profunda fluuiorum scrutatus est, & abscondita produxit in lucem.*) Quia dum suis expositoribus intelligentiæ spiritum infudit, antiquas prophetantium obscuritates aperuit. Et hoc iam sancta Ecclesia per spiritum agnoscit, quod synagoga prius per literam intelligere omnino non valuit. Exod.34.
Vnde & Moyses cùm populo loqueretur, faciem velabat: vt videlicet designaret quòd ille Iudeorum populus legis verba cognosceret, sed eiusdem claritatem legis omnimodo non
2.Corint.3. videret. Vnde rectè & per Paulum dicitur: Vsque in hodiernum enim diem cùm legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum. Sed quia dicta Dei nullatenus sine eius sapientia penetrantur: nisi enim qui spiritum eius acceperit, eius nullo modo verba cognoscit, sanctus vir de inuestiganda eadem Dei sapientia verba subiungit, dicens:

Quòd nihil Deo dignè recõpensari potest, cuius gratia est, quòd inuẽtus à nobis, & quòd passus est pro nobis. *Caput XXII.*

SApientia verò vbi inuenitur, & quis est locus intelligentiæ? Nescit 24
homo pretium eius, nec inuenitur in terra suauiter viuentium. Abyssus dicit, Non est in me: & mare loquitur, Non est mecum. Non da-
F bitur aurum obryzum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius.) Notandum prius est, quòd duo sibi proposuit, & duo subdidit respondendo. Ad id nanque quod superius dixit: *Sapientia verò vbi inuenitur, & quis est locus intelligentiæ?* Isto versu respondit: *Abyssus dicit, Non est in me: & mare loquitur. Non est mecum.*) Ad id verò quod dixerat: *Nescit homo pretium eius, nec inuenitur in terra suauiter viuentium:*) inferiorem versum reddidit, dicens: *Non dabitur aurum obryzum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius.*) At vtraque ergo respondit, sed augendo quod obiecerat, non soluẽdo. Cùm Sapientiæ nanque locum quæreret, ac deinde inferius responderet, Abyssus dicit, non est in me, non vbi esset, sed vbi non esset, indicauit. Rursus cùm ab homine eius pretium diceret ignorari, atque ad hoc inferius redderet, Non dabitur aurum obryzum pro ea, non quid esset eius pretium, sed quid non esset, ostendit. Cunctis autem liquet, quòd neque hæc humana sapientia vel
G teneri loco, vel emi diuitiis potest. Sed vir sanctus mysticis sensibus plenus, ad alia nos intelligenda transmittit, vt non creatam, sed creantem sapientiam requiramus. Nam nisi in verbis istis allegoriarum secreta rimemur, ea vtique quæ sequuntur, omnino sunt digna despectu, si ex sola historica narratione pensentur. Paulò pòst nanque dicit: *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum.*) Et cùm, sicut nouimus, vitrum longè atque dissimiliter auro sit vilius, cur post auri nomen, metalli vtique precioſi, pro immensa laude vitrum quoque dixit sapientiæ non æquari? Ipsa ergo literæ difficultate compellimur, vt ad sententias horum verborum mysticas vigilemus. Vir itaque sanctus quam sapientiam contemplatur, nisi eam
1.Corinth.1. de qua Paulus Apostolus dicit, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam? De qua per Salomonem scriptum est? Sa-
Proverb.9. pientia ædificauit sibi domum: & de qua Psalmista ait: Om-
Psalm.103. nia in sapientia fecisti. Huius nimirum sapientiæ homo pretium nescit: quia nihil dignum æstimationis illius inuenit. Non autem hoc sapientiæ pretium, & esse dicitur & nesciri:
H sed idcirco nesciri, quia deest: eo scilicet loquendi genere, quo in angustiis quisq; deprehensus, cùm remedium subuentionis non inuenit, fateri solet: quia quid faciat, nescit. Huius ergo sapientię pretium nescire, & digni operis meritum, quo illam percipiat, non inuenire. At hoc nanq; pretium damus, vt eius vice rem quam appetimus, possidere debeamus. Quid
Roma.11. autem nos dedimus, vt hanc sapientiam, quæ Christus est, percipere mereamur? Gratia quippe redempti sumus. Illa nanque sola opera malè viuendo dedimus, quibus si iusta retributio seruaretur, non Christus, sed supplicia redderentur. Sed aliud homo per iustitiam meruit, aliud per gratiam accepit. Testatur Paulus, priusquam mens illius sẽmen gratuitæ veritatis acciperet, quibus sentibus premebatur erroris. Qui prius,
1.Timo.1. inquit, fui blasphemus & persecutor & cõtumeliosus, sed misericordiam consecutus sum: quia ignorans feci in credulitate. Testatur pro qualibus Christus mori dignatus est: Cùm adhuc, inquit, peccatores essemus, secundum tempus Christus pro impiis mortuus est. † Qui ergo veniente sapientia
† vel Quia
Roma.5. inuenti sumus, quid boni operis dedimus, quo accipere eandem sapientiam mereremur? Huius itaque sapienriæ homo precium

precium nescit: quia quisquis à brutis animalibus rationis in-
A tellectu discretus est, quoniam quòd suis meritis non sit saluatus, intelligit: nihil se dedisse boni operis vt ad fidem veniret, agnoscit. Quasi enim ad percipiendũ sapientiam precium dare, est cognoscendum Deum actionis suæ mercede præue-
Roma.11. nire. Non esse huius sapientiæ precium cognouerat, qui dice-
Ephe.2. bat: Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Hinc iterum scriptum est: Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, vt ne quis glorietur. Hinc de semetipso iterum loquitur, dicens: Gratia Dei sum
1.Corin.15. id quod sum. Ex cuius nimirum aspiratione gratiæ, quia virtutum opera protinus in corde generantur, vt ex libero quoque arbitrio subsequatur actio, cui post hanc vitam retributio
25. æterna respondeat, ilico adiecit. Et gratia eius in me vacua nõ fuit. Sed sunt nonnulli qui saluos se suis viribus exultant, suisque præcedentibus meritis redemptos se esse gloriantur. Quorum profectò assertio inuenitur sibimetipsis contraria: quia dum & innocentes se asserunt, & redempcos, hocipsum in se redemptionis nomen euacuant. Omnis nanque qui redi-
B mitur, ex aliqua proculdubio captiuitate liberatur. Vnde ergo quilibet iste redẽptus est, si prius non fuit sub culpa captiuus? Liquet itaque quia multũ desipit quisquis hæc sapit. Hominis quippe meritum superna gratia nõ vt veniat, inueniet: sed postquã venerit, facit: atque & ad indignam mentẽ veniẽs Deus dignam sibi exhibet veniendo, & facit in ea meritum quod remuneret, qui hoc solum inuenerat, quod puniret.

Quòd latro in cruce subita repletus gratia, habuit fidem, spem, & charitatem. *Caput XXIII.*

LIbet inter hæc mentis oculos ad illum latronem reducere, qui de fauce ascendit crucem, de cruce paradisum. Intueamur qualis ad patibulo venerit, & à patibulo qualis abscesit. Venit reus fraterno sanguine, venit cruentus, sed interna gratia est mutatus in cruce: & ille qui mortem fratri intulit,
Lucæ.23. morientis Domini vitam prædicauit, dicens: Memento mei
Latro in cruce clauatus. Domine, dum veneris in regnum tuum. In cruce clauã manus
Roma.10. eius pedésque ligauerant, nihílque in eo à pœnis liberum nisi cor & lingua remanserant. Inspirante Deo totum illi obtulit, quod in se liberũ inuenit, vt iuxta hoc quod scriptũ est: Corde crederet ad iustitiam, ore confiteretur ad salutem. In corde autem fideliũ tres summopere manere virtutes testatur Apo-
1.Cor.13. stolus, dicens: Nunc autem manent fides, spes, charitas. Quas cunctas subita repletus gratia, & accepit latro, & seruauit in cruce. Fidem nanque habuit, qui regnaturum Dominum credidit, quem secum pariter morientem vidit. Spem habuit, qui regni eius aditum postulauit, dicens: Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum. Charitatem quoque in morte sua viuaciter tenuit, qui fratrem & collatronem pro simili scelere morientem, & de iniquitate sua arguit, & ei vitam quam non cognouerat, prædicauit, dicens: Neque tu times Deum, qui in eadem es damnatione, & nos quidem iustè: nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali gesit. Ille qui talis ad crucem venit ex culpa, ecce qualis à cruce recedit ex gratia. Cõfitebatur Dominum quem videbat secum humana infirmitate morientem, quando negabant Apostoli eum, quem mira-
26. cula viderant diuina virtute facientem. Sed hi qui saluari hominem propriis viribus astruunt, eandem confessionem hominis ab ipsius esse hominis virtute suspicantur. Quod si ita
Psal.110. esset, in Dei laude Psalmista non diceret: Confessio & magnificentia opus eius. Ab eo itaque accipimus recta confiteri, à quo nobis & magna dantur operari. Quia ergo nil boni operis dedimus, quo hanc sapientiam percipere mereremur: dicatur rectè: *Nescit homo pretium eius:*) quoniam quisquis iam ratione vtitur, tantò altius sub huius sapientiæ intellectu se despicit, quantò eiusdem sapientiæ verius interna cognoscit, vt indignum se ad hanc peruenisse videat, per quam gratuitò agitur, vt dignus fiat. De qua bene mox subditur:

Quòd qui huius mundi suauitatibus se exponunt, & inter blandimenta voluptatum versantur, ab intellectu sapientiæ & cognitione diuina penitus alieni sunt.

Caput XXIIII.

NEc inuenitur in terra suauiter viuentium.) Quid hoc in loco terræ signatur nomine, nisi anima humana? De qua Psal-
Psal.142. mista dicit: Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Hæc autem sapientia inueniri in terra suauiter viuentium non valet: quia
A quisquis adhuc huius vitę voluptatibus pascitur, ab æternę sapientiæ intellectu separatur. Nam si verè saperet, expulsus ab internis gaudiis de ea in quam cecidit, exilij sui cæcitate lugeret. Hinc nanque per Salomonem dicitur: Qui apponit scien-
Eccles.1. tiam, apponit & dolorem: quia quãtò plus homo cœperit scire quid perdidit, tãtò plus lugere incipit corruptionis suę sententiam quàm inuenit. Considerat nanque vnde, quò lapsus est: quòd à paradisi gaudis ad ærumnas vitæ præsentis, ab angelorum societatibus venit ad curas necessitatum: pensat in quot iam periculis iacet, qui prius sine periculo stare contem-
Psalm.30. platus quippe iaterna gaudia visionis Dei & socialem frequẽtiam angelorum persistentium, reduxit oculos ad ima, vidit quò iaceret qui ad hoc conditus fuerat, vt in cœlestibus stare potuisset: pensauit vbi esset, & quò deesset, ingemuit: proie-
B ctúmque se à vultu oculorum Dei doluit, quia in cõparatione lucis intimæ, grauiores senserat exilij sui tenebras quas tolerabat. Hinc est quòd animum suum ex præsenti vita nul- 27.
lius gratiæ consolationem admittit: dicens: Negaui consolari
Psalm.76. animam meã. Nam plerũque huius seculi diuites solent mẽtis tædio affecti, bona temporaliter accepta conspicere, & tristitiam delinire. Cùm enim mœrore quodam se tangi sentiunt, equos aspiciunt, auri argentíque sui vascula contemplantur, prædia circumeunt. Cúmque per hæc temporalia oculos libenter trahunt, obortum animæ mœrorem vincunt. Vnde eis
Lucæ 6. & in Euangelio veritas dicit: Væ vobis diuitibus, qui hîc habetis consolationem vestram. Sed sanctus vir qui hoc luget, quia ab æternis gaudiis cecidit, consolationẽ de temporalibus non admittit dicens: Negaui consolari animam meam. Ac si apertè dicat: Qui de temporalium amisione non lugeo, de tẽporalium abundantia consolari nequaquam possum. Cui tanquam si nos audientes ista diceremus: Quid igitur quæris, qui
C Psal.76. consolari in his quæ mundi sunt, renuis? ilico adiecit: Memor fui Dei, & delectatus sum. Ac si apertè dicat: Terrenarum rerum me nec abundantia refouet, authoris autem mei quẽ adhuc videre non valeo, vel sola memoria delectat. Hæc est igitur amaritudo sapiẽtium: quia dum spe in alta erecti sunt, nul-
Eccles.7. lis hîc gaudiis animum sternunt. Hinc enim scriptum est: Cor sapientium, vbi tristitia est, & cor stultorum, vbi lætitia. Hinc
Iaco.4. Iacobus dicit: Miseri estote, & lugete, & plorate, & risus vester in luctum couuertatur, & gaudium in mœrorẽ. Hinc per semetipsam veritas attestatur, dicens: Beati qui lugent nunc,
Matth.5. quoniam ipsi consolabuntur. Inueniri ergo sapientia in eorũ terra non potest, qui suauiter viuunt: quia tantò verius stulti sunt, quantò maiora perdentes, in minimis lætãtur. Hinc Pe-
2.Petri.2. trus eandem prauorum stultitiam reprehendit, dicens: Voluptatem existimantes diei delicias coinquinationis & maculæ. Hinc Salomon ait: Risum deputaui errorem, & gaudio dixi,
Eccles.2. Quid frustra deciperis? Dicat itaque vir sanctus de sapientia:
D Nec inuenitur, in terra suauiter viuentium: quia nimirum qui in hoc mundo suauiter viuunt, ita adhuc stulti sunt, vt hoc ipsum quoque nesciant, vnde ceciderunt. Sequitur:

Quòd filij huius seculi dum carnaliter sapientes esse appetunt, Deum in se esse nequaquam ostendunt: quia duplicium & fictorum corda quasi abyssus sunt, & amarás & inquietas animas spiritus sanctus minimè inhabitat. *Caput XXV.*

AByssus dicit, Nõ est in me.) Quid hoc loco abyssum nisi corda hominum vocat? quæ & per lapsum fluida, & per duplicitatis sunt caliginem tenebrosa. Quæ nimirum abyssus nõ esse in se hanc sapientiam profitetur: quia iniqua mens dum esse sapiens carnaliter appetit, stultum se ad spiritalia ostendit. Nam quia teste Paulo, sapiẽtia huius mundi stultitia est apud
1.Cor.13. Deum: tantò quisque amplius intus stultus fit, quantò conatur exterius sapiens videri. De hac abysso per Ioannem dicitur: Vidi angelum descendentem de cœlo, habentem clauem
Apoca.20. abysi, & catenam magnam in manu sua, & apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus & satanas, & ligauit eum per annos mille, & misit in abyssum, & clausit,

& signauit super illum, vt non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni. Millenario etenim numero non quantitatem temporis, sed vniuersitatem qua regnat Ecclesia, designauit. Antiquus autem serpens ligatus catena in abyssum mittitur: quia religatus à bonorum cordibus, apud reproborum mentes reclusus eis atrocius dominatur. Qui paulò pòst quoque de puteo abysi educi describitur: quia de iniquorum cordibus nunc occultè sæuientibus, tunc accepta contra Ecclesiam potestate, in vim apertæ persecutionis erumpet. Hæc itaque abyssus in qua nunc diabolus seruatur occultus, non esse in se sapientiam dicit: quia alienam se à vera sapientia iniquis operibus ostendit. Dum enim malitiam quisque tegit in corde, ore autem blandimenta exibet dum cogitationes suas duplicitate obnubilat, dum puritatis verba quasi fatuitatem deuitat, dum vias simplicis innocentiæ declinat, quasi habere abyssus Dei sapientiam recusat. Et quia huic mundo mentes deditæ, præsentis vitæ curis & sollicitudinibus perturbantur: & idcirco eiusdem sapientiæ tranquillitate perfrui nequaquam possunt, rectè subiungitur: *Et mare loquitur, Non est mecum.*) Quid enim maris nomine, nisi secularium mentium amara inquietudo signatur? Quæ dum se vicissim inimicitiis impetunt, quasi aduersantes se vndæ collidunt. Rectè etenim mare vita secularium dicitur: quia dum procellosis actionum motibus concitatur, ab internæ sapientiæ quiete atque stabilitate disiungitur. Quo contra bene per Prophetam dicitur: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum & trementem sermones meos? A terrenis autem mentibus tantò longius spiritus fugit: quantò apud has quietem non inuenit. Hinc est enim quod de quibusdam per Psalmistam dicitur: Contritio & infœlicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt. A qua nimirum contritione perturbationis nos Dominus reuocat dicēs: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam: tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Quid enim in hac vita laboriosius, quàm terrenis desideriis æstuare? aut quid hîc quietius, quàm huius seculi nihil appetere? Hinc est quòd Israëliticus populus custodiam sabbati accepit in munere: hinc econtra est Aegyptus muscarum multitudine percussa. Populus nanque qui Deum sequitur, accipit sabbatum, id est, requiem mentis: in nullo in hac vita desideriorum carnalium appetitu fatigetur. Aegyptus verò quæ huius mundi speciem tenet, muscis percutitur. Musca enim nimis insolens & inquietum animal est. In qua quid aliud, quàm insolentes curæ desideriorum carnalium designantur? Vnde aliàs dicitur: Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti: quia cogitationes superfluę quæ assiduè in animo carnalia cogitante & nascuntur & deficiunt, eam suauitatem qua vnusquisque intrinsecus per spiritum vnctus est, perdunt: quoniam integritate eius perfrui non permittunt. Aegyptus ergo muscis percutitur: quia eorum corda qui terrenam vitam diligunt, dum desideriorum suorum inquietudinibus feriuntur, turbis cogitationum carnalium ad ima depressa sunt: vt ad quietis intimæ desiderium non leuentur. Vnde cùm mira ope pietatis ad cor veritas venit, prius ab eo cogitationum carnalium æstus eiicit, & pòst in eo virtutum dona disponit. Quod bene nobis sacra Euangelij historia innuit, in qua dum ad resuscitandam filiam principis inuitatus Dominus duceretur, protinus additur: Et cùm eiecta esset turba, intrauit, & tenuit manum eius, & surrexit puella. Foras ergo turba eiicitur, vt puella suscitetur: quia si non prius à secretioribus cordis expellitur importuna secularium multitudo curarum, anima quæ intrinsecus iacet mortua non resurgit. Nam dum se per innumeras terrenorum desideriorum cogitationes spargit, ad considerationem sui sese nullatenus colligit. In his itaque inquietudinum fluctibus habitare sapientiam non posse cognoscens, ait: *Et mare loquitur, Non est mecum.*) Nullus quippe eam plenè recipit, nisi qui ab omni se abstrahere actionum carnalium fluctuatione contendit. Vnde & aliàs dicitur: Sapientiam scribe in tempore otij, & qui minoratur actu, ipse percipiet eam. Et rursum: Vacate & videte, quoniam ego sum Deus. Sed quid est quòd plerosq; antiquorum patrum nouimus hanc sapientiam & intrinsecus

Esaiæ. 66.
Psalm. 13.
Matthæ. 11.
28
Exod. 16.
Exod. 8.
Matth. 9.
Eccle. 38.
Psalm. 45.
29

E viuaciter tenuisse, & curas mundi extrinsecus solenniter ministrasse? An perceptione huius sapientiæ Ioseph priuatum dicimus, qui famis tempore totius Aegypti curas suscipiens non solùm Aegyptiis alimenta præbuit, sed vitam quoq; exterorum aduenientium ministerij sui arte seruauit? An ab hac sapientia Daniel alienus extitit, qui à Chaldęorum rege in Babylonia princeps magistratuum effectus, tantò maioribus curis occupatus est, quantò & sublimiori dignitate omnibus prælatus? Cùm igitur constet plerunque etiam bonos non terreno studio terrenis curis implicari: patenter agnoscimus, quia sic nonnunquam ciues Hierusalem angarias soluunt Babyloniæ, sicut sæpe ciues Babyloniæ impendunt angarias Hierusalem. Nam sunt nonnulli qui verbum vitæ pro sola sapientiæ ostentatione prædicant, eleemosynarum opem pro appetitu vanæ gloriæ subministrant. Et quidem Hierusalem videntur esse quæ agunt, sed tamen Babyloniæ ciues sunt. Sic itaque aliquando contingit, vt qui solam cœlestem patriam
F diligunt, terrenæ patriæ curis subiacere videantur. Quorum tamen ministerium à prauorum operibus plerunque in actu, nonnunquam verò ante supernum iudicem in sola cogitatione discernitur. Pleni quippe superna sapiętia discernunt qualiter debeant & ad aliud vacare intrinsecus, & ad aliud extrinsecus occupari: vt si fortè occulta Dei ordinatione aliquid eis non appetentibus de huius seculi curis imponitur, cedāt Deo quem diligunt: & præ amore eius intrinsecus solam illius desiderent visionem, præ timore verò eius impositam sibi extrinsecus humiliter expleant actionem: vt & vacare Deo appetant ex gratia dilectionis, & rursum curas superimpositas ex conditione expleant seruitutis. Cúmq; occupationes extrinsecus perstrepunt, intrinsecus in amore pacatissima quies tenetur, atque occupationem tumultus exterius perstrepētis, dispensat interius præsidens iudex ratio, & tranquillo moderamine ea quæ circa se minus sunt tranquilla, disponit. Sicut enim vigor mentis frenandis præest motibus carnis, sic sępe superimpositos tumultus occupationis bene regit amor quie-
G tis: quia exteriores curæ si peruerso amore non appetuntur, non confuso sed ordinato animo ministrari queunt. Sancti etenim viri nequaquam eas appetunt, sed occulto ordine sibi superimpositas gemunt: & quanuis illas per meliorem intentionem fugiant, tamen per subditam mentem portant. Quas quidem summopere, si liceat, vitare festināt: sed timentes occultas dispensationes Dei, tenent quod fugiunt, & exercent quod vitant. Intrant enim ad cor suum, & ibi consulunt quid velit occulta voluntas Dei: seséque subditos debere esse summis ordinationibus cognoscentes, humiliant ceruicem cordis iugo diuinæ dispensationis. Quisquis verò talis est, quilibet tumultus versentur extrinsecus, nunquam ad eius interiora perueniunt. Itaque agitur vt aliud intrinsecus voto, aliud extrinsecus teneatur officio, & hac sapientia non iam turbulenta atque confusa, sed tranquilla corda repleantur. Bene ergo de ea dicitur: quia abyssus dicit, Non est in me: & mare loquitur, Non est mecum. Ac si apertè diceretur: Perturbatæ mentes secularium eoipso clamant, quoniam à vera sapientia
H longè diuisæ sunt, quo quietæ non sunt. Quia verò hæc Dei sapientia manens cum patre ante sęcula, incarnanda erat in fine seculorum, vt ad redimendum genus humanum, non sanctos Angelos, non iustos homines mitteret, sed in manifestatione visionis per semetipsam veniret, rectè subiungitur.

Quomodo conformentur se homines diuinæ voluntati.

Cur ad redimendum hominem non misit Deus Angelum, sed ipse venit. Caput XXVI,

N*On dabitur aurũ obryzum pro ea.*) Quid nanque per aurum obryzum, nisi sancti Angeli designātur? Qui rectè & aurum vocantur, & obryzum: aurum quia fulgent claritate iustitiæ: obryzum, quia nullum habuerunt vnquam contagium culpæ. Homines verò iusti quandiu in hac carne corruptibili mortaliter viuunt, aurum quidem esse possunt, obryzum omnino non possunt: quia corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Nam quanuis in hac vita ex magnæ iustitiæ claritate resplendeant, nequaquàm tamen ad purum peccatorum sordibus carent: Ioanne Apostolo attestante, qui dicit: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est: & affirmante Iacobo qui astruit, dicens

Qui I per aurum obryzum.
Sapien. 9.
1. Ioan. I.

Iaco. 3.
Psalm. 142.
30.
Ioan. 8.
Ioan. 9.

cens: In multis enim offendimus omnes. Propheta etiam deprecante, qui ait: Ne intres in iudicium cum seruo tuo: quia
A non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Aurum ergo obryzum illi nuncupantur, qui in ea qua conditi sunt innocentia perdurantes, & fulgent claritate iustitiæ, & nullis vel minimis maculantur sordibus culpæ. Sed quia pro hac sapientia nullus angelorum redemptor humani generis mittendus fuit, ne quis spem in his, quos in adiutorio hominum sæpe apparuisse didicimus, angelis poneret, dictum est: *Non dabitur aurum obryzum pro ea.*) Ac si apertè diceretur: Per semetipsam sapientia manifestabitur, vt humanum genus à culpa redimatur. Nullus vice eius angelus mittitur: quia per creatorem necesse est vt creatura liberetur. Vnde & in Euangelio Dominus dicit: Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis. Sed vir sanctus spiritu eiusdem sapientiæ repletus, quosdam in Iudæa præuidit non esse desituros, qui spem in legislatore ponerent, & suæ salutis authorem Moysen putarent: sicut & cuidam sanato maledicentes dicunt: Tu
B discipulus fis eius, nos enim Moysi discipuli sumus. Vnde adhuc congruè subinfertur: *Nec appendetur argentum in commutatione eius.*) Quia enim argento sæpe eloquia diuina designantur, possunt argenti vocabulo etiam eiusdem eloquij scriptores intelligi, quorum vita inter turbas hominum resplenduit luce virtutum. Sed quia lex peccata indicare potuit, non auferre: non quisquam veterum patrum, non legislator Moyses humani generis redemptor extitit. Argentum ergo in commutatione huius sapientiæ non appenditur: quia quilibet sancti esse potuerunt, in comparatione vnigeniti filij nullius meriti fuisse pensantur: qui nisi huius sapientiæ seruos se cognoscerent, sancti nullatenus fuissent. Ad hoc quippe illi missi sunt, vt in cordibus hominum viam huic sapientiæ prædicando præpararent, neque vt pro ea, sed per eam subiectos populos regerent. Quia enim certum erat quòd per accessum temporum, deficientis seculi languores excrescerent, actum est vt æterna Dei sapientia in fine seculorum per semetipsam veniret ad grandem hunc, & nimiæ infirmitatis ægrotum, id est, per totum mundum iacens languidum genus humanum: vt transmissis prius prædicatoribus, quasi quibusdam vitatoribus, tantò postmodum maior fieret potentia medici, quantò magis moribus creuisset ægroti. Quia verò nullus vice eius ad saluandos nos mittitur, dicatur rectè: *Nec appendetur argentum in commutatione eius*:) quoniam vita iustorum prædicantium quantalibet sanctitatis luce pollcat, aduentum nobis supernæ sapientiæ per suam præsentiam non commutat. Sed fuere multi gentilium, qui mundi huius sapientum disciplinis dediti, ea quæ sunt inter homines honesta seruarent, & saluandos seruata honestate se crederent, nec iam mediatorem Dei & hominum quærerent, cùm quasi sufficientem sibi philosophorum doctrinam tenerent. In quorum despectu mox subditur:

Cur Dei sapientia in mundum venerit.

Quòd sapientia huius seculi quæ tincta est coloribus Rhetorum, Christo comparata nihil sit, & nulla philosophiæ honestas ad salutem sine Christo proficiat.

Caput XXVII.

N*On conferetur tinctis Indiæ coloribus.*) Quid enim per Indiam quæ nigrum populum mittit, nisi hic mundus accipitur? in quo vita hominum per culpam obscura generatur. Tincti autem colores Indię, sunt huius mundi sapientes, qui quanuis per infidelitatem, & plerunque per actionem fœdi sint, ante humanos tamen oculos superinductæ honestatis colore fucantur. Sed cœterna Dei sapientia tinctis Indiæ coloribus non confertur: quia quisquis hanc veraciter intelligit, ab his hominibus quos mundus sapientes coluit, quàm longè distet, agnoscit. Ipsáque eius mandatorum verba ab huius mundi sapientibus differunt: qui dum intendunt eloquētiæ, eorum dicta quasi pulchra apparent specie, & fucatione tincturæ: & cùm virtute rerum careant, aliud se esse quàm sunt, verborum compositionibus quasi superductis coloribus mentiuntur. At contrà doctrina sapientiæ & prædicatione pulchra est, & pura veritate conspicua, nec aliud se per fallaciam prætendit exterius, & aliud reseruat interius, neque in dictis suis pulchra videri appetit nitore sermonis, sed integritate veritatis. In mandatis igitur suis Dei

Differunt verba sapientiæ mũdi, & sapientiæ Dei.

sapientia non confertur tinctis Indiæ coloribus: quia dum fucata eloquentię ornamenta non habet, quasi vestis sine tinctu
C ra placet. Quam fucationem tincturæ bene Paulus despexerat, cùm dicebat: Quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus. Malebat quippe hanc sapientiam sola puritate veritatis ostendere, non autem eloquij tinctione fucare. Sequitur: *Nec lapidi sardonyco preciosissimo vel sapphiro.*) Sardonycum, vel sapphirum lapides preciosos esse quis nesciat? Et dum multi alij preciosi sint lapides, qui longè istos æstimatione magnitudinis antecellant, cur sapphirus vel sardonycus potissimum preciosus nominatus est, cùm vterque lapis iste aliorum lapidum comparatione vilissimus sit? nisi vt eos lapides qui preciosi describuntur, dum preciosos non esse cognoscimus, in eorum intelligentia aliud exquiramus. Sardonycus quippe terræ rubræ similitudinem tenet. Sapphirus verò aëream habet speciem. Possunt ergo in sardonico per terram rubram homines, in sapphiro autem per aëream visionem angeli designari. Nam cùm rubræ terræ speciem lapis sardonicus habeat, non immeritò hominem desig-
D nat: quia & Adam qui primus est conditus, Latino sermone terra rubra nominatur. Quid est ergo quod dicitur: quia hæc sapientia lapidi sardonyco, vel sapphiro non confertur, nisi quòd is qui est Dei virtus, & Dei sapientia, mediator scilicet Dei & hominum, homo Christus Iesus, tanta magnitudine excellat omnia, vt ei nec in terra primi homines, nec in cœlo angeli comparentur? Vnde & per Psalmistam dicitur: Quis in nubibus æquabitur domino, aut quis similis erit Deo inter filios Dei? Possunt autem per sardonicum lapidem patres testamenti veteris, per sapphirum verò prædicatores exprimi testamēti noui. Illi quippe quanuis magnam iustitiæ vitam tenerent, carnali tamen † propagini seruiebant. Quia igitur constat quòd quædam terrena agerent, non immeritò per sardonycum lapidem qui, vt prædiximus, terræ rubræ tenent speciem, designantur. Per sapphirum verò qui ætherei est coloris, testamenti noui congruè prædicatores accipimus, qui carnalis propaginis desideria postponentes, cœlestia sola sectati sunt. Vnde & Propheta conspiciens cuncta carnis desideria, sanctos Apostolos spiritali ardore transcēdere, admiratus ait: Qui sunt hi qui vt nubes volant? Ac si apertè dicat: Nos per terram gradimur, qui adhuc coniugiis implicamur, & propagandæ soboli opera carnis impendimus: isti verò in terra non ambulant, sed vt nubes volāt, qui dum cœlestia appetūt, de terrenis desideriis nihil tāgunt. Ait ergo: Quia Dei sapientia sardonyco, vel sapphiro lapidi nō confertur. ac si patenter insinuet, dicens: Ei qui homo inter homines cernitur, nec in antiquis quisquam, nec in nouis patribus æquatur: quia ex deitate habet quod in humanitate quenquā similē non habet. Vnde adhuc subditur: *Nō adæquabitur ei aurum vel vitrũ.*) Quis hoc sanum sapiens iuxta literā sentire dignetur? Vitrum quippe, vt superius diximus, auro longè est vilius, & postquā dictum est, quòd aurũ huic sapientiæ non adæquatur, adhuc quasi crescendo subiungitur: quòd ei quoque nec vitrũ possit æquari. Sed ipsa nos litera ab historico intellectu deficiēs, ad
D indagandum allegoriæ mysteriũ mittit. Auri nanque metallũ nouimus potiori metallis omnibus claritate fulgere. Vitri verò natura est, vt extrinsecus visu pura, intrinsecus perspicuitate perluceat: In alio metallo quicquid intrinsecus continetur, absconditur, in vitro verò quilibet liquor qualis cōtinetur interius, talis exterius demōstratur: atque, vt ita dixerim, omnis liquor in vitreo vasculo clausus patet. Quid ergo aliud in auro vel vitro accipimus, nisi illam supernā patriam, illam beatorũ ciuium societatē, quorũ corda sibi inuicē, & claritate fulgent, & puritate translucent? Quā Ioannes in Apocalypsi cōspexerat, cùm dicebat: Et erat structura muri eius ex lapide iaspide: ipsa verò ciuitas aurum mundũ, similis vitro mūdo. Quia enim sancti omnes summa in ea beatitudinis claritate fulgebūt, instructa auro dicitur. Et quoniā ipsa eorum claritas vicissim sibi in alternis cordibus patet, & cùm vniusciuisque vultus attenditur, simul & conscientia penetratur: hoc ipsum aurum vitro mundo simile esse memoratur. Ibi quippe vniusciuisque mentē ab alterius oculis, membrorũ corpulentia nō abscondet, sed patebit animus: patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia, sicque vnusquisque tunc erit

1. Cor. 2.
Adam.
Psal. 88.
31.
† *al. propagationi.*
Esaiæ 60.
Apoc. 21.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

cõſpicabilis alteri, ſicut nunc eſſe nõ poteſt cõſpicabilis ſibi.
32. Nunc autem corda noſtra quandiu in hac vita ſumus, quia E
ab altero in alterum videri non poſſunt, non intra vitrea, ſed
intra lutea vaſcula concluduntur: cui ſcilicet luto per paſsio-
nem mentis inhærere Propheta formidabat, cùm diceret. E-
ripe me de luto, vt non inhæream. Quod nimirum habitacu-
Pſalm.68. lum corporum Paulus domum terreſtrem nominat, dicens:
2.Cor.5. Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitatio-
nis diſſoluatur, quòd ædificationẽ ex Deo habemus, domum
non manufactam, æternam in cœlis. In hac itaque terreſtri
domo quouſque viuimus, ipſum, vt ita dicam, corruptionis
noſtræ parietem mentis oculis nullatenus penetramus, & vi-
ciſsim in aliis videre occulta non poſſumus. Vnde ſancta Ec
cleſia ſponſi ſui ſpeciem videre in diuinitate deſiderans, nec
tamen valens, quia æternitatis illius formam quam intueri
concupiuerat, ab eius oculis aſſumpta humanitas abſconde-
Canti.2. bat: in Canticis canticorum mœrens dicit: En ipſe ſtat poſt
parietẽ noſtrũ. Ac ſi apertè dicat: Ego hunc in diuinitatis ſuæ
iam ſpecie videre deſidero, ſed adhuc à viſione illius per aſ- F
ſumptæ carnis parietem excludor. Quouſque itaque in hac
corruptibili carne viuimus, cogitationes noſtas in alterutrũ
non videmus. Vnde rurſum per eundem Paulum dicitur:
1. Cor.2. Quis ſcit hominum quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis
1.Cor.4. qui in ipſo eſt? Et rurſum: Nolite iudicare ante tempus, donec
veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum,
& manifeſtabit conſilia cordium. Illa itaque ciuitas quæ ſua
viciſsim ſingulis corda manifeſtat, ex auro dicitur ſimilis vi-
tro mundo, vt deſignetur auro clara, vitro perſpicua. Sed
quanuis in ea ſancti omnes tanta claritate fulgeant, tanta per-
ſpicuitate transluceant, ei tamen ſapientiæ de cuius imagine
habent omne quod ſunt, æquari non poſſunt. Bene ergo dici-
tur: *Non adæquabitur ei aurum vel vitrũ.*) Ad hoc enim ſancti
omnes ad illa gaudia æterna perueniunt, vt eſſe Deo ſimiles
1.Ioan.3. poſsint, ſicut ſcriptum eſt: Cùm apparuerit, ſimiles ei erim[9],
Pſalm.34. quoniam videbimus eum ſicuti eſt, Et tamen ſcriptũ eſt: Do-
mine Deus virtutum quis ſimilis tibi? Et iterum: Aut quis erit G
ſimilis Deo inter filios Dei? Vnde ergo ſimiles, & vnde non
ſimiles, niſi quia huic ſapientiæ, & ſimiles erunt ad imaginẽ,
& tamen nõ erunt ſimiles ad æqualitatem? Aſpiciendo quip-
pe æternitatem Dei, fit eis vt æterni ſint, & dum viſionis eius
donum percipiunt, ex perceptione beatitudinis imitantur,
quòd vident. Et ſimiles ergo ſunt, quia beati fiunt: & tamen
creatori ſimiles non ſunt, quia creatura ſunt. Et habent itaq;
quandam Dei ſimilitudinem, quia non habent finem: & ta-
men incircunſcripti æqualitatem non habent, qui habent cir-
circũſcriptionem. Dicatur igitur rectè: Non adæquabitur ei
aurum vel vitrum, quia quantalibet ſancti claritate, & per-
ſpicuitate fulgeant: aliud eſt homines eſſe ſapientes in Deo,
atque aliud eſſe hominem ſapientiam Dei. Quam profectò
ſapiẽtiam ille veraciter agnouit, qui mediatori Dei & homi-
num aliquem comparare ſanctorum minimè præſumpſit. Vn
33. de & ſubditur: *Nec commutabuntur pro ea vaſa auri excelſa & eminentia*) Excelſum quippe vas auri Helias extitit, & excel-
ſum vas auri Hieremias, excelſa atq; eminentia auri vaſa pri- H
ores patres fuere. Sed hæc Dei ſapientia, vt à carnali nos
conuerſatione redimeret, apparuit in carne, & qui illam ve-
raciter non agnouit, mediatorem Dei & hominum, homi-
nem Ieſum Chriſtum vnum eſſe ex prophetis putauit, quem
electorum oculi fide tenuerunt Deum, cùm viderent homi-
Matth. 16. nem. Vnde ab eo ſanctis diſcipulis dicitur: Quem dicunt ho-
mines eſſe filium hominis? Cui cùm protinus reſponderent:
Alij Ioannem Baptiſtam, alij Heliam, alij verò Hieremiam,
aut vnum ex prophetis: de ſuo mox ſenſu requiruntur: Vos
autem quem me eſſe dicitis? Cui protinus Petrus totius Ec-
1.Cor.1. cleſiæ voce reſpondens ait: Tu es Chriſtus filius Dei viui.
Quia igitur iuxta Pauli vocem Chriſtum nouimus Dei vir-
tutem, & Dei ſapientiam, Petrus pro hac ſapientia vaſa auri
excelſa, & eminentia commutare noluit quia de illa non a-
liud quàm erat, intellexit. Magnum quippe, vt dictum eſt,
vas auri Ioannes: magnum vas auri Helias, vel Hieremias
fuit. Sed quiſquis eundem Deum quemlibet eorum eſſe cre-
diderit, vas auri excelſum, & eminens pro ſapientia commu-
tauit. Eccleſia verò pro hac ſapiẽtia vaſa auri excelſa, & emi-
nentia non cõmutat: quia Chriſtum filium dei nõ vnum eſſe
prophetarum, ſed vnum prophetarum Dominum credit. Ip-
ſam quippe ad ſe veniſſe ſapientian videns, noluit ſe in illis
aureis vaſis figere, ſed in eam ſtuduit fide certiſsima pertran-
ſire. Vnde in Canticis canticorũ dicit: Inuenerunt me vigi- *Cantic.3.*
les qui cuſtodiunt ciuitatem. Num quem diligit anima mea,
vidiſtis? Paululum cùm pertrãſiſſem eos, inueni quem diligit
anima mea. Quos enim vigiles qui cuſtodiũt ciuitatem, niſi
priores patres, vel prophetas accipimus: qui ſtuduerunt ad
cuſtodiã noſtram ſanctę prædicationis voce vigilare? Sed cũ
redemptorem ſuum Eccleſia quæreret, in ipſis antiquis præ-
dicatoribus ſpem figere noluit, cùm dixit: Paululum cũ per-
tranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea. Illum quippe
inuenire non poſſet, ſi iſtos pertrãſire noluiſſet. In iſtis ſe cu-
ſtodibus infideles fixerãt, qui Chriſtũ Dei filium vnum quẽ-
libet eſſe illorum credebant. Voce igitur ac fide Petri inuen-
tos vigiles ſancta Eccleſia tranſiit, quæ prophetarũ Dominũ
vnumquemlibet ex prophetis credere contempſit. Dicatur
ergo: Nec comutabuntur pro ea vaſa auri excelſa & eminen-
tia: quia electi quique ſanctorũ vitam, & venerantur ex ſub-
limitate, & tamen non ſuſcipiunt ad errorem. Quos enim pu-
ros homines eſſe ſciunt, Deo homini omnino nõ conferunt.
Vnde adhuc ſubditur: *Nec commemorabuntur in cõparatione eius.*)
Omnes enim ſupernæ patriæ electi ſancti quidem & iuſti
ſunt: ſed participatione ſapientiæ, non comparatione. Quid
enim ſunt homines Deo comparati? Lumen autem ſapientia:
lumen & ſerui ſapientiæ vocari ſolent. Sed illa lumen illumi-
nans, iſti lumen illuminatum, ſicut ſcriptum eſt: Erat lux ve- *Ioan.1.*
ra quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mun- *Matth.5.*
dum. Iſtis autem tantummodo dicitur: Vos eſtis lux mundi.
Iuſtitia quidem ſapientia, iuſtitia & ſerui ſapientiæ nuncu-
pantur: ſed iſta iuſtitia iuſtificãs, iſti autem iuſtitia iuſtificata
De Deo quippe qui ſapientia eſt, dicitur: Vt ſit ipſe iuſtus & *Roma.3.*
iuſtificãs: iſti verò dicunt: Vt nos efficeremur iuſtitia Dei in *1.Cor.5.*
ipſo. Aliter ergo venerandum eſt lumen illuminãs, aliter lu-
men illuminatum: aliter iuſtitia iuſtificans, aliter iuſtitia iuſti
ficata. Sapientia verò eſt, & ſapit: nec habet aliud eſſe, aliud 34.
ſapere: ſerui autem ſapientiæ eſſe quidem ſapientes poſſunt,
nec tamen hoc habent eſſe quod ſapere: nam eſſe poſſunt, &
ſapientes non eſſe. Habet vitam ſapientia, ſed non aliud ha-
bet, & aliud eſt: quippe cui hoc eſt eſſe quod viuere. Serui
autem ſapientiæ cùm habent vitam, aliud ſunt, & aliud ha-
bent: quippe quibus non eſt hoc ipſum eſſe quod viuere: nã
poſſunt iuxta aliquid eſſe, nec viuere. Aliud quippe illis eſt
eſſe, aliud viuere: quia in ipſo parente primo eſſentiam ha-
buere per initium, vitam per acceſſum, quoniam prius de ter-
ra factus eſt homo, & poſtmodum, ſicut ſcriptum eſt: Inſpira- *Gene.2.*
uit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in ani-
mam viuentem. Sapientia verò habet eſſentiã, habet vitã: ſed
hoc quod habet, ipſa eſt. Proinde incõmutabiliter viuit: quia
nõ ex accidenti, ſed eſſentialiter viuit. Sola ergo cũ patre &
ſancto ſpiritu veraciter eſt, cuius eſſentiæ comparatũ eſſe no-
ſtrum non eſſe eſt. Huic ſi coniungimur, ſumus, viuimus, ſa-
pimus: huic ſi comparamur, nec ſapimus, nec viuimus omni-
no, nec ſumus. Hinc eſt quòd ſancti omnes quando in Dei
viſione proficiunt, quantò magis diuinitatis interna con-
ſpiciunt, tantò magis ſe nihil eſſe cognoſcunt. Nuſquam
quippe legitur quòd Abraham cinerem & puluerem ſe eſ-
ſe profeſſus eſt, niſi cùm habere Dei meruit collocutionem.
Ait enim: Loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis *Gene.18.*
& cinis? Eſſe enim ſe aliquem fortaſſe crederet, ſi veracem eſ-
ſentiam quę ſuper ipſum eſt, minimè ſenſiſſet. At verò vbi ad
immutabilem contemplandum ſuper ſe raptus eſt, impletus
tantæ contemplationis potentia, dum videret illũ, nil ſe eſſe
niſi puluerem vidit. Hinc eſt etiam quòd Propheta repletus
eadẽ ſapientia, exclamat: Memento Domine quòd puluis ſu-
mus, qui rurſus eiuſdem incõmutabilitatem eſſentiæ contẽ-
platus, ait: Omnes ſicut veſtimentũ veteraſcẽt, & ſicut oper- *Pſalm.101.*
torium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, &
anni tui non deficient. Hinc ad Moyſen dicitur: Ego ſum *Exod.3.*
qui ſum: & dices filiis Iſraël: Qui eſt, miſit me ad vos. Solus
quippe veraciter eſt, qui ſolus incommutabiliter permanet.
Nam omne quod modò ſic, & modò aliter eſt, iuxtà nõ eſſe
eſt:

eſt: Permanere enim in ſtatu ſuo nõ poteſt. Atq; aliquo mo- A
dò ad non eſſe itur, dum ab eo quod fuerat, ſemper ad aliud,
per momenta temporum ducitur? Vt ergo in participatione
illius eſſentiæ aliquid ſimus, cognoſcamus noſmetipſos: quia
propè nihil ſumus. Bene itaque dicitur: nec commemorabũ-
tur in comparatione eius: quia vaſa auri excelſa & eminentia,
quæ ex participatione ſapientiæ nobis venerãda ſunt, in cõ-
paratione ſapientiæ etiam memoranda non ſunt. Quia verò
hæc ſapientia humanis cordibus latenter infunditur, ſicut de
Ioan 3. ſancto ſpiritu quoque dictum eſt: Spiritus vbi vult ſpirat: &
& vocem eius audis, & neſcis vnde veniat, aut quò vadat, id-
circo ſubiungitur: *Trahitur enim ſapientia de occultis.*) De occul-
tis ſapientia trahitur: quia cùm ſit inuiſibilis, non niſi inuiſi-
biliter inuenitur. Quæ rectè quoque trahi dicitur: quia ſicut
flatum trahimus, vt corpus viuat: ſic ab intimis ſapientiæ ſpi-
Pſalm.118. ritus ducitur, vt ad vitam anima ſubſiſtat. Vnde Pſalmiſta ait:
Os meum aperui, & attraxi ſpiritum. Quæ nimirum ſapien-
tia, humana carne cũ anima rationali ſuſcepta, dũ ab intimis
apparuiſſet in promptu, mundus hic quia authorem ſuum in-
uiſibilem videre non potuit, quem viſibilem conſpexit ho-
minem, eum quoque & inuiſibilẽ agnouit Deũ. Conuerſa eſt
ab infidelitatis ſuæ tenebris, ſuperba prius ſua auerſione gen-
tilitas, oſtenſis ſignis atque prodigiis creuit fides: propagata
autem fide, in veneratione omnium ſanctæ Eccleſiæ culmen
emicuit. Cui cùm deeſſent aperti aduerſarij, tentari cœpit à
ſuis. Nam multæ quoque in ea hæreſes exortæ, contra eam
duri certaminis bella parauerunt. Exercenda quippe eſt hoc
tempore per laborẽ, quæ ſequenti tendit ad remunerationẽ.
Qua ex re factũ eſt, vt ea nonnulli prodirent, qui mediatorẽ
Dei & hominum, hominẽ Chriſtum Ieſum, purum hominẽ
creatum dicerent, ſed gratia deificatum: tantúmque ei ſancti-
tatis tribuerent, quantũ de ſanctis cæteris, eius videlicet fa-
mulis agnouiſſent. Quos beatus Iob prophetiæ ſpiritu affla-
35. tus, ſententiæ ſuæ definitione redarguit, dicens: *Non adæ-
† al.peccato rem populũ fœditate meritorum.* quabitur ei topazium de Aethopia.*) Quid per Aethiopiam niſi
præſentem mundum accipimus? quæ coloris nigredine de-
ſignat† peccatorum populum, fœditatemque meritorum. A-
liquando verò Aethiopiæ nomine ſpecialiter gentilitas deſi-
gnari ſolet, infidelitatis prius nigra peccatis. Quam veniente
Domino Abacuc Propheta vidit timore perterritam, & ait:
Tabernacula Aethiopum expaueſcent, tabernacula terræ
Madian. Dauid quoque Propheta videns quòd ad Iudæam
redimendam veniret Dominus: ſed antè gentilitas crederet,
Roma.11. & poſtmodum Iudæa ſequeretur, ſicut ſcriptum eſt: Donec
plenitudo gentium introiret, & ſic omnis Iſraël ſaluus fieret,
Pſalm.67. dicit: Aethiopia præueniet manus eius Deo, id eſt, priuſ-
quàm Iudęa credat, ſaluandam ſe offert omnipotenti Domi-
no peccatis nigra gentilitas. Topazium verò precioſus lapis
eſt: & quia Græca lingua pan omne dicitur, pro eo quòd o-
mni colore reſplendet, topazium quaſi topandium vocatur.
Dum verò in Deum conuerſa gentilitas credidit, ex ea multi
ita ſunt dono ſpiritus locupletati, vt quaſi multis coloribus,
ſic multis virtutibus luceant. Sed ne acceptis quiſquam
virtutibus extollatur à ſancto viro nunc dicitur: *Non adęqua-* D
bitur ei topaziũ de Aethiopia.) Ac ſi apertè dicat: Null[9] ſanctorũ
Lucæ 1. quibuſlibet virtutibus plenus, ex iſta tamẽ nigredine mundi
collectus, æquari ei poteſt de quo ſcriptum eſt: Quod naſce-
tur ex te ſanctũ, vocabitur filius Dei. Nos quippe etſi ſancti
efficimur, nõ tamen ſancti naſcimur: quia ipſa naturę corrup-
tibilis cõditione conſtringimur, vt cum Propheta dicamus:
Ecce enim in iniquitatibus cõceptus ſum, & in peccatis pe-
Pſalm.50. perit me mater mea. Ille autem ſolus veraciter ſanctus natus
eſt, qui vt ipſam conditionem naturæ corruptibilis vinceret,
ex commixtione carnalis copulæ conceptus non eſt. Huic ſe
ſapientiæ quaſi quoddam topazium de Aethiopia ęquari vo-
luit, cùm quidam hæreſiarches dixit: Non inuideo Chriſto
Deo facto, quoniam ſi volo, & ipſe poſſum fieri. Qui Ieſum
Chriſtum dominum noſtrum, nõ per myſteriũ cõceptionis,
ſed per profectum gratiæ Deum putauit, peruerſa allegatione
aſtruens eum purum hominem natum: ſed vt Deus eſſet, per
meritum profeciſſe, atque ob hoc æſtimans & ſe & quoſlibet
alios poſſe ei coæquari, qui filij Dei per gratiam fiunt, non
intelligens, non attendens: quia non adæquabitur ei topa-
zium de Aethiopia. Aliud eſt enim natos homines gratiã ad-
optionis accipere: aliud vnum ſingulariter per diuinitatis po-
tentiam Deum ex ipſo conceptu prodiiſſe. Nec æquari poteſt
gloria vnigeniti habita per naturam aliis, accepta per gratiã. 39.
Mediator quippe Dei atque hominum, homo Chriſtus Ie- *In hæreticum.*
ſus, non ſicut iſte hæreticus deſipit, alter in humanitate, alter
in deitate eſt. Non purus homo conceptus atque editus, pòſt
per meritum, vt Deus eſſet, accepit: ſed nuntiante angelo, &
adueniente ſpiritu, mox verbum in vtero, mox intra vterum *Modus incarnationis verbi.*
verbum caro, & manente incommutabili eſſentia, quæ ei
eſt cum patre, & cum ſancto ſpiritu coæterna, aſſumpſit intra
virginea viſcera: vnde & impaſsibilis pati, & immortalis mori,
& æternus ante ſecula, temporalis poſſet eſſe in fine ſeculorũ:
vt per ineffabile ſacramentum, conceptu ſancto, & partu in-
uiolabili, ſecundum veritatem vtriuſque naturę, eadem virgo *Luc.1.*
& ancilla Domini eſſet & mater. Sic quippe ei ab Elizabeth
dicitur: Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?
Et ipſa virgo concipiens dixit: Ecce ancilla Domini, fiat mi-
B hi ſecundum verbum tuum. Et quanuis ipſe aliud ex patre, a-
liud ex virgine, non tamen alius ex patre, alius ex virgine: ſed
ipſe eſt æternus ex patre, ipſe temporalis ex matre, ipſe qui fe-
cit, ipſe qui factus eſt, ipſe ſpecioſus forma præ filiis hominũ *Eſaiæ 53.*
per diuinitatem, & ipſe de quo dictum eſt: Vidimus eum, &
non erat aſpectus, & non eſt ſpecies ei, neque decor, per hu-
manitatem. Ipſe ante ſecula de patre ſine matre, ipſe in fine ſe-
culorum de matre ſine patre. Ipſe conditoris templum, ipſe
conditor templi, ipſe author operis, ipſe opus authoris: ma-
nens vnus ex vtraque, & in vtraque natura, nec naturarum
copulatione confuſus, nec naturarũ diſtinctione geminatus.
Sed quia non hæc tractanda ſuſcepimus, ad exponendi ordi-
nem redeamus. Notandum nobis eſt quòd ſanctus vir, vt lon-
gè diſtare ab hac ſapientia angelo demonſtraret, dicit: Non
dabitur aurum obryzum pro ea. Qui vt antiquos etiam patres
ſacri eloquij tractatores inferiores oſtenderet, adiunxit: Nec
appendetur argentum in commutatione eius. Vt philoſo-
C phorum quoque ſapientiam huic monſtraret longè ſubeſſe,
intulit. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus: atque ſub-
iũxit: Nec lapidi ſardonycho precioſiſsimo, vel ſapphiro. Vt
in illa quoque ſuperna ciuitate nullũ peruenire ad æqualitatẽ
vnigeniti demonſtraret, addidit: Non adæquabitur ei aurum
vel vitrum. Vt prophetas quoque ei ſubeſſe oſtenderet, ad-
iunxit: Nec commutabuntur pro ea vaſa auri excelſa & emi-
nentia, nec commemorabuntur in comparatione eius. Trahi-
tur enim ſapiẽtia de oculis. Ad extremum verò vt ipſos quo-
que in Eccleſia hæreticos increparet, qui à gentilitatis errore
venientes, fidem quam percipiunt, per ſuperbiam ſcindunt,
addidit: Nõ adæquabitur ei topazium de Aethiopia. Ac ſi pa-
tenter inſinuet, dicens: Hi qui ex peccati nigredine ad con-
uerſionẽ veniunt, æquari deo [homini] omnino non poſſunt,
quanuis multis colorũ virtutibus reſplendere videãtur. Quo-
rum vt ſuperbia refutetur, aptè ſubiungitur: *Nec tincturæ mun-
diſsimæ componentur.*) Tincturæ enim mundiſsimæ vocantur
hi qui veraciter ſunt humiles, & veraciter ſancti: qui ſciunt
D quidem, quia ex ſemetipſis virtutum ſpeciem non habent:
ſed hanc ex dono gratiæ deſuper venientis tenent. Tincti e-
nim nõ eſſent, ſi ſanctitatem naturaliter habuiſſent. Sed mun-
diſsimæ tincturæ ſunt: quia humiliter cuſtodiunt ſuperueniẽ-
tem in ſe virtutum gratiam quam acceperunt. Hinc eſt enim *Cant.6.&*
quòd ſponſi voce de ſancta Eccleſia dicitur: Quæ eſt iſta quę *Canti.1.*
aſcendit dealbata? Quia enim ſancta Eccleſia cœleſtem vitam
naturaliter non habet, ſed ſuperueniẽte ſpiritu pulchritudine
donorum componitur, non alba, ſed dealbata memoratur. Et
notandum quòd ſuperius cùm dixiſſet, Nõ conferetur tinctis
Indię coloribus, eoſdem colores nõ intulit mundos. Hoc ve-
rò in loco vt tincturam veracium virtutum ab illa philoſo-
phorum fucatione diſtingueret, tincturas dicens, addidit mũ-
diſsimas. Tincturę enim mundiſsimæ rectè nominãtur hi qui
prius per praua opera fœdi fuerãt: ſuperueniente tamen ſpiri-
tu, nitore gratiæ veſtiuntur, vt longè aliud appareãt eſſe quàm
erant. Vnde etiam baptiſma, id eſt, tinctio dicitur ipſa noſtra
in aquam deſcenſio. Tingimur quippe, & qui prius indecori
eramus deformitate vitiorum, accepta fide reddimur pulchri
gratia, & ornamento virtutum. Sequitur:

Quòd quandiu mortaliter viuitur, per quasdam imagines, non in propria natura potest videri Deus. Caput XXVIII.

VNde ergò sapientia venit, & quis est locus intelligentiæ? Abscondita est ab oculis omnium viuentium.) Pensandum magnopere est quòd à sancto viro requiritur, vnde sapientia veniat. Ab eo etenim venit à quo orta est. Sed quia ab inuisibili & coæterno patre nascitur, eius via occulta est. Vnde & per Prophetam dicitur: Generationem illius quis enarrabit? Locus verò intelligentiæ eius est mens humana, quam hæc Dei sapientia dum repleuerit, sanctam facit. Quia ergo & inuisibilis est de quo prodiit, & incertum nobis est in cuius mente intellecta requiescat, rectè nunc dicitur: Vnde ergo sapientia venit, & quis est locus intelligentiæ? Sed hoc valde mirum est quod protinus subinfertur: *Abscondita est ab oculis omnium viuentium.*) Sapientia quippe quæ Deus est, si omnium viuentium oculis occulta esset, hanc proculdubio sanctorum mo vidisset. Sed ecce huic sententiæ Ioannem audio concordantem, qui ait: Deum nemo vidit vnquam. Rursùmque cùm testamenti veteris patres intueor, multos horum, teste ipsa sacræ lectionis historia, Deum vidisse cognosco. Vidit quippe Iacob dominum, qui ait: Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Vidit Moyses Deum, de quo scriptum est: Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem sicut loqui solet homo ad amicum suum. Vidit idem Iob Dominum, qui dicit: Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te. Vidit Esaias Dominum qui ait: Anno quo mortuus est rex Ozias vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elcuatum. Vidit Michæas Dominum, qui ait: Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cœli asistentem ei à dextris, & à sinistris. Quid est ergo quòd tot testamenti veteris patres Deum se vidisse testati sunt, & tamen de hac sapientia quæ Deus est, dicitur: Abscondita est ab oculis omnium viuentium: & Ioannes ait: Deum nemo vidit vnquam, nisi hoc quod patenter datur intelligi: quia quandiu hîc mortalier viuitur, videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest: vt anima gratia spiritus afflata, per figuras quasdam Deum videat, sed ad ipsam vim eius essentiæ non pertingat. Hinc est enim quòd Iacob qui Deum se vidisse testatur, hunc non nisi in angelo vidit. Hinc est quòd Moyses qui cum Deo facie ad faciem loquebatur, sicut loqui solet homo cum amico suo: ei inter ipsa verba suæ locutionis dicit: Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostẽde mihi temetipsum manifestè, vt videam te. Certè enim si Deus non erat cum quo loquebatur, ostẽde mihi Deum diceret, & nõ ostẽde temetipsum. Si autem Deus erat cum quo facie ad faciem loquebatur, cur petebat Deum videre quem videbat? Sed ex hac eius petitione colligitur: quia eum sitiebat per incircunscriptæ naturæ suæ claritatem cernere, quem iam cœperat per quasdam imagines videre: vt sic superna essentia mentis eius oculis adesset: quatenus ei ad æternitatis visionẽ nulla imago creata tẽporaliter interesset. Et viderũt ergo patres testamenti veteris Dominum, & tamen iuxta Ioannis vocem: Deum nemo vidit vnquam & iuxta beati Iob sententiam: sapientia quæ Deus est, abscondita est ab oculis omnium viuẽtium: quia in hac mortali carne consistentibus, & videri potuit per quasdã circunscriptas imagines: & videri non potuit per incircunscriptum lumen æternitatis. Sin verò à quibusdam potest in hac adhuc corruptibili carne viuẽtibus, sed tamen inestimabili virtute crescentib', quodam cõtemplationis acumine æterna Dei claritas videri, hoc quoque à beati Iob sententia non abhorret, qui ait: Abscondita est ab oculis omnium viuentium, quoniã quisquis sapientiam, quæ Deus est, videt: huic vitæ funditùs moritur, ne iam eius amore teneatur. Nullus quippe eam vidit, qui adhuc carnaliter viuit: quia nemo potest Deum simul amplecti & seculum. Qui enim Deum videt, eo ipso moritur, quo vel intentione cordis, vel effectu operis ab huius vitæ delectationibus tota mente separatur. Vnde adhuc ad eundem quoque Moysen dicitur: Non enim videbit me homo, & viuet. Ac si apertè diceret: Nullus vnquã Deum spiritaliter videt, & mũdo carnaliter viuit. Vnde Paulus quoq; apostolus qui adhuc Dei inuisibilia, sicut ipse testatur, ex parte cognouerat: iam huic mũdo totũ se mortuum esse perhibebat, dicens: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Sicut enim iam longè superius diximus, non sufficit, vt diceret mundo crucifixus sum, nisi etiam præmitteret, mihi mundus crucifixus est: vt nõ solùm se mundo mortuũ, sed etiã mundum sibi mortuũ esse testaretur: quatenus nec ipse mundũ, nec ipsum iã mundus appeteret. Si enim duo fortasse in vno loco sint, quorum vnus viuus, alter verò sit mortuus, etsi mortuus viuentẽ nõ videt, viuus tamen mortuum videt. Prædicator autẽ Dei vt ostenderet, quia per abiectionem qua se humiliando deiecerat, talis iam factus esset, vt nec ipse mundum, nec mundus ipsum cõcupiscereet, nõ solùm ait se mundo crucifixum, vt ipse mundi gloriã quam appeteret, tanquam mortuus nõ videret: sed etiam mundum sibi asseruit crucifixum, in quo tanta se humilitate deiecerat, vt ipse & mũdus tanquã ad eum mortuus, Paulum humilem atque despectum iã videre nequaquam posset. Sciendum verò est quòd fuere nõnulli qui Deũ dicerent etiã in illa regione beatitudinis, in claritate quidem sua cõspici, sed in natura minimè videri. Quos nimirum minor inquisitionis subtilitas fefellit. Neque enim illi simplici, & incõmutabili essentiæ aliud est claritas, & aliud natura: sed ipsa ei natura sua claritas, ipsa claritas natura est. Quia enim suis dilectoribus hæc Dei sapientia se quãdoque ostenderet, ipse pollicetur dicens: Qui diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo meipsum illi. Ac si patenter dicat: Qui in vestra me cernitis, restat vt in mea me natura videatis. Hinc rursus ait: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deũ videbunt. Hinc Paulus dicit: Nunc videmus per speculũ in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tũc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Sed quia de Deo per primũ Ecclesiæ prædicatorem dicitur: In quem desiderant angeli prospicere: sunt nonnulli qui nequaquã Deum videre, vel angelos suspicantur: & tamen dictum per veritatis sententiam scimus: Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei qui in cœlis est. Nunquid ergo aliud veritas, aliud prędicator insonat veritatis? Sed si sententia vtraque confertur: quia sibi nequaquã discordet, agnoscitur. Deum quippe angeli & vident, & videre desiderãt, & sitiunt intueri, & intuentur. Si enim sic videre desiderãt vt effectu sui desiderij minimè perfruantur, desiderium sine fructu anxietatem habet, & anxietas pœnam. Beati verò angeli ab omni pœna anxietatis longè sunt: quia nunquam simul pœna, & beatitudo conueniũt. Rursum cùm eos dicimus Dei visione satiari: quia & Psalmista ait: Satiabor dum manifestabitur gloria tua: considerandum nobis est quoniam satietatem solet fastidium subsequi. Vt ergo rectè sibi vtraque conueniant, dicat veritas: Quia semper vident: dicat prædicator egregius, Quia semper videre desiderant. Ne enim sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur: ne autem sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Et desiderant igitur sine labore, quia desiderium satietas comitatur: & satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur. Sic quoque & nos erimus quando ad ipsum fontem vitæ venerimus. Erit nobis delectabiliter impressa sitis simul atque satietas. Sed longè abest ab ista siti necessitas, longè à satietate fastidium; quia & sitientes satiabimur, & satiati sitiemus. Videbimus igitur Deum, ipsũmque erit præmium laboris nostri, vt post mortalitatis hui' tenebras, accessa eius luce gaudeamus. Sed cùm eius lucem dicimus accessam, obsistit animo quod Paulus dicit: Qui lucem habitat inaccesibilem, quem vidit nullus hominũ, sed nec videre potest. Et rursum audio quod Psalmista ait: Accedite ad eum, & illuminamini. Quomodo ergo accedẽdo illuminamur, si ipsam lucem qua illuminari possumus, non videmus? Si verò accedẽdo ad eũ ipsam qua illuminamur, lucem videmus, quomodo inaccesibilis esse perhibetur? Qua in re pensandum est quòd inaccesibilem dixit, sed omni homini, sed humana sapiẽti. Scriptura quippe sacra omnes carnaliũ sectatores, humanitatis nomine notare solet. Vnde idẽ Apostolus quibusdã discordãtibus dicit: Cũ enim sit inter vos zel' & cõtẽtio, nõnne carnales estis, & secũdũ hominẽ ambulatis? Quib' paulo pòst subiicit: Nõne homines estis? Et vnde aliãs testimoniũ protulit, quòd oculus nõ vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit, quæ præparauit Deus

Esaiæ 53.
37. *Quomodo sapientia abscondita sit ab oculis omnium viuentium.*
1.Ioan.4. Gene.32. Exod.33.
Esa.6.
3.Reg.12.
Exod.33.
Ibidem.
38.
Galat.6.
Matth.5.
1.Cor.13.
39.
1.Petr.1.
Matth.18.
Psalm.16.
1.Tim.6.
Psalm.35.
Humanitatis nomine in scriptura notantur omnes carnalium sectatores.
1.Cor.3.
1.Cor.2.

diligentibus se. Et cùm hoc hominibus dixisset, abscondit um, mox subdidit: Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum: ipsum se ab hominis vocatione discernens, qui raptus supra hominem diuina iam saperet. Ita etiam hoc loco cùm lucem Dei inaccesibilem perhiberet, vt ostenderet quibus, subdidit: Quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest. More suo homines vocans omnes humana sapientes: quia qui diuina sapiunt, videlicet supra homines sunt. Videbimus igitur Deum, si per cœlestem conuersationem supra homines esse mereamur. Nec tamen ita videbimus sicut videt ipse seipsum. Longè quippe dispariliter videt creator se, quàm videt creatura creatorem. Nam quantum ad immensitatem Dei, quidem nobis modus figitur contemplationis: quia eo ipso pondere circunscibimur, quo creatura sumus.

Non videbimus Deũ sicut videt ipse seipsum.

40. Sed profectò non ita conspicimus Deum, sicut ipse conspicit se, sicut non ita requiescimus in Deo, quemadmodum ipse requiescit in se. Nam visio nostra, vel requies erit vtcunque similis visioni, vel requiei illius: sed æqualis non erit. Ne enim iaceamus in nobis, vt ita dicam contemplationis penna nos subleuat, atque à nobis ad illum erigimur intuendum, raptíque intentione cordis, & dulcedine contemplationis, aliquo modo à nobis imus in ipsum: & iam hoc ipsum ire nostrum minus est requiescere, & tamen sic ire perfectè requiescere est. Et perfecta ergo requies est, qua Deus cernitur, & tamen adæquanda non est requiei illius: quia non à se in alium transit, vt quiescat. Est itaque requies, vt ita dicam, similis atque dissimilis: quia quod illius requies est, hoc nostra imitatur. Nam vt beati atque æterni simus in æternum, imitamur æternum. Et magna nobis est æternitas imitatio æternitatis. Nec exortes sumus eius quem imitari possumus: quia & videntes participamur, & participantes imitamur. Quæ nimirum visio nunc fide inchoatur, sed tunc in specie perficitur, quando cœternam Deo sapientiam quam modò per ora prædicantium quasi per decurrentia flumina sumimus, in ipso suo fonte biberimus.

Libri decimioctaui Moralium sancti Gregorij finis.

B. GREGORII EXPOSITIONIS MORALIS LIBER DECIMVS NONVS, continuans caput vicesimum octauum textus beati Iob,

Caput I.

QVid mirum si æterna Dei sapientia conspici non valet, quando ipsa quoque inuisibilia quæ per eam condita sunt, humanis oculis comprehendi non possunt? In rebus ergo creatis discimus creatorem omnium quanta humilitate venerentur: vt in hac vita vsurpare sibi de omnipotentis Dei specie mens humana nil audeat, quod solum electis suis præmium in subsequenti remuneratione seruat. Vnde benè postquam dictum est: Abscondita est ab oculis omnium viuentium, ilicò subinfertur: *Volucres quoque cœli latet.*) In scriptura enim sacra volucres aliquando in malo, aliquando in bono dantur intelligi. Per volucres quippe nonnunquam potestates aërię designantur, bonorum studiis aduersę. Vnde veritatis voce dicitur: Quoniam semen quod secus viã cecidit, venerunt volucres, & comederunt illud: quia nimirũ maligni spiritus humanas mẽtes obsidentes, dum cogitationes noxias ingerunt, verbum vitæ à memoria euellunt. Hinc rursum cuidã diuiti superba sapienti dicitur: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis nõ habet vbi caput suum reclinet. Vulpes valde fraudulenta sunt animalia, quæ in fossis, vel specubus se abscõdũt: cũmque apparuerint, nunquam rectis itineribus, sed tortuosis anfractibus currunt. Volucres verò, vt nouimus, alto volatu se in aëra subleuant. Nomine ergo vulpium, dolosa atque fraudulenta: nomine autem volucrum, hęc eadem superba dęmonia designantur. Ac si dicat: Fraudulenta & elata dæmonia in corde vestro, id est, in cogitatione superbiæ inueniunt habitationem suam: filius autem hominis vbi caput suum reclinet non habet, id est, humilitas mea requiem in superba mente vestra nõ inuenit. Quasi enim quodam volatu volucris illa prima se extulit, quæ per elatam cogitationem dixit: In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, & ero similis altissimo. Ecce quàm alta superbè volando petiit. Quem etiam volatum, & primis hominibus persuasit. Ipsi quippe volando quasi super se ire conati sunt, quando eis dictum est, vt gustarent, & essent sicut dij. Cũmque similitudinem diuinitatis appetunt, immortalitatis munera perdiderunt. Qui in terram moriendo non issent, si super terram humiliter stare voluissent. At contra in bono volucres poni solent, sicut in Euangelio Dominus cùm similitudinem regni cœlestis ex grano sinapis denuntiaret, dixit: Cui simile est regnum Dei, & cui simile æstimabo illud? Simile est grano sinapis quod acceptum homo misit in hortum suum, & creuit, & factum est in arborem magnam & volucres cœli requieuerunt in ramis eius. Ipse quippe est granum sinapis, qui in horti sepultura plãtatus, arbor magna surrexit. Granum nãque fuit, cùm moreretur, arbor cùm resurgeret. Granum per humilitatem carnis: arbor per potentiam maiestatis. Granum, quia vidimus eum, & nõ erat aspectus: arbor autem, quia speciosus forma præ filiis hominum. Huius arboris rami sancti prædicatores sunt. Et videamus quàm latè tendantur. Quid enim de eis dicitur: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. In istis ramis volucres requiescunt: quia sanctæ animæ quæ quibusdam virtutum pennis à terrena cogitatione se subleuant, in eorum dictis atque consolationibus ab huius vitæ fatigatione respirãt. Hoc igitur in loco postquam de sapientia dictum est: Abscõdita est ab oculis omnium viuentium, rectè subiungitur: Volucres quoque cœli latet: quia in hac corruptibili carne constituti, naturæ eius potentiam ipsi quoque videndo non penetrant, qui iam per meritum sanctæ contemplationis volant. Vbi aptè subiungitur:

Matth.13.
Matth.8.
Matth.13.
2.
Psal.18.

Quòd maligni spiritus famam tantùm de Deo per scripturas sanctas, & miracula audiunt, sed de eius sapientia nihil intelligunt.

Caput II.

PErditio & mors dixerunt, *Auribus nostris audiuimus famam eius.*) Qui perditionis & mortis nomine, nisi maligni spiritus designantur? Qui inuentores mortis, & perditionis extiterunt, sicut de ipso eorum principe sub ministri eius specie per Ioannem dicitur: Et nomen illi mors. Cui subiecti omnes superbi spiritus, de hac sapientia, quæ Deus est, dicunt: Auribus nostris audiuimus famam eius: quia nimirum visionem illius plena beatitudine habere nequiuerunt. Videre perfecte coæternam Deo sapientiam, hoc est quod habere. Vnde ad Ioannem de munere vincentis dicitur: Dabo illi calculum candidum, in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. In hac enim vita scire aliquid, vel videre possumus, etiam quod non accipimus, habere. Nomen verò nouum in calculo scriptum, id est, in æterno præmio notitiam Dei humanis mentibus inusitatam scire nemo potest, nisi qui hanc etiam acceperit habere. Quia itaque, vt diximus videre Deum, hoc est quod habere: ideo iniqui spiritus hanc sapientiam non vident: quia repulsi per superbiam nequaquam eam habere potuerunt. Ad lucem quippe eius clauserunt oculos cordis, superfusis eius radiis repugnantes, sicut intelligi etiam de eisdem malignis spiritibus potest, quod scriptum est: Ipsi rebelles fuerunt lumini. Famam ergo sapientiæ malignis spiritibus audisse, sed eandem sapientiam non vidisse, est & eius potentiam ex virtute illius cognouisse, & tamen sub ea humiliter stare noluisse. Vnde & veritatis voce de ipso malignorũ spirituum capite dicitur: Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit. Sequitur:

Apoca.6.
Apoca.2.
Ioan.8.

Quòd solius Dei est scire seipsum, & quos prædestinauerit, & ad quos veniat & in quibus quiescat. Caput III.

D*Eus intelligit viam eius, & ipse nouit locum illius.*) Hæc coæterna Deo sapientia aliter viam habet, atque aliter locum. Locum verò si quis intelligit non localem. Nam teneri corporaliter non potest Deus: sed, vt dictum est, locus intelligitur non localis. Locus sapientiæ pater est, locus patris sapientia, sicut ipsa sapientia attestante dicitur: Ego in patre, & pater in me. Aliter ergo ipsa sapientia habet viam, atque aliter locum. Viam per humanitatis transitum, locum verò per statum diuinitatis. Inde enim non transit, vnde æterna est: sed inde trãsit, vnde propter nos apparuit temporalis. Sic nanque in Euangelio scriptum est: Quia egrediens ab Hierico Dominus transibat. Duo autem cæci sedentes iuxta viã, clamauerunt dicẽtes: Domine miserere nostri fili Dauid. Ad quorum vocem, sicut illic scriptum est, stetit Iesus, & lumen reddidit. Quid est autem transeundo audire, stando lumẽ restituere, nisi quod per humanitatem suam nobis misertus est, qui per diuinitatis suæ potentiam, à nobis mentis nostræ tenebras excludit? Qui enim propter nos natus & passus est, qui resurrexit, ascendit in cœlum, quasi transit Iesus: quia hęc nimirum actio temporalis est. Sed stans eos tetigit, & illuminauit: quia non sicut illa dispensatio temporalis, ita verbi æternitas trãsit, quæ in se manens innouat omnia. Stare enim Dei, est incõmutabili cogitatione mutabilia cuncta disponere. Qui ergo clamorem petentiũ transiens audiuit, stans lumẽ reddidit: quia etsi propter nos temporalia pertulit, inde tamẽ nobis lucem tribuit, vnde habere mutabilitatis transitum nescit. Quia igitur quãdo per carnem appareret hominibus incertũ fuit, rectè nunc dicitur: *Deus intelligit viam eius, & ipse nouit locum illus.*) Ac si apertè diceretur: Humanę cogitationi occulta sunt, vel quando per carnẽ ad homines sapientia veniat, vel quomodo apud patrem inuisibilis, etiam cùm foris apparuerit, persistat. Quanuis hoc intelligi & aliter potest. Nam via eius non inconuenienter accipitur hoc ipsum quod venit ad cor, seséque nobis intrinsecus infundit. Locus verò eius fit cor, ad quod veniens permanet. De hac quippe via illius dicitur: Vox clamantis in deserto, parate viam Domino: id est, in corde vestro venienti sapientiæ aditum reserate, sicut aliâs dicitur: Iter facite ei, qui ascendit super occasum. Super occasum fuit ascendere, ipsam mortem quam pertulerat, resurgendo superasse. Ait ergo: Ei qui ascendit super occasum, iter facite: id est: resurgenti Domino in vestris cordibus per fidem viam præbete. Hinc Ioanni per spiritum dicitur: Præibis ante faciem Domini parare vias eius. Quisquis etenim prædicando à sordibus vitiorum corda audientiũ mũdat, venienti sapientiæ viam præparat. Habet ergo viam ista sapientia, habet & locum. Viam qua venit, locum quo manet, sicut ipsa ait: Si quis diligit me, sermonem meũ seruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionẽ apud eum faciemus. Via est igitur qua venit, loc' quo manet. Sed quando venit quæ vbique est? An venire est sapientiæ, per illuminationem mentis nostræ, indicare præsentiam maiestatis suæ? Et quia hominibus incertũ est, vel in cuius corde veniat, vel in quo postquam venerit, permanẽdo requiescat, rectè nũc dicit: Deus intelligit viã eius, & ipse nouit locum illius: quia solius diuinæ visionis est cernere, vel quibus modis intellectus sapientiæ ad cor hominis veniat, vel cuius mens intellectum vitæ quem perceperit, mortiferis cogitationibus non amittat. Et quia hęc eadem sapientia per humanitatis gratiã manifestata, in cunctis mundi patribus, electorum fuerat corda repletura, rectè subditur: *Ipse enim fines mundi intuetur, & omnia quæ sub cœlo sunt, respicit.*) Respicere quippe Dei, est ea quæ amissa ac perdita fuerant, ad suam gratiam reformare. Vnde scriptum est: Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo. Respiciendo nanque leuitatis nostræ mala coërcuit, & magna merita maturitatis dedit. Vnde adhuc subditur:

Ioan. 14.
3.
Marci. 10.
Matth. 3.
Psalm. 67.
Lucæ 1.
Ioan. 14.
4.
Respicere Dei.
Prouer. 20.

Quòd animas vagas & mobiles, diuina gratia virtute constantiæ & stabilitate iustitiæ stabilit, & aliquando ne extollantur, reprimit tentationibus, quos sublimat virtutibus.

Caput IIII.

Q*Vi fecit ventis pondus.*) Velocitate enim ac † subtilitate ventorum in scriptura sacra solent animæ designari, sicut per Psalmistã de Deo dicitur: Qui ambulat super pennas ventorum, id est, qui trãsgreditur virtutes animarũ. Fecit ergo ventis põdus: quia dum superna sapiẽtia replet animas, eas maturitate indita graues reddit: nõ illa grauitate qua dicitur: Filij hominum vsquequo graui corde? Aliud nãque est granẽ esse per consilium, aliud per peccatum: aliud est grauem esse per constantiã, aliud per culpam. Ista enim grauitas pondus habet oneris, illa virtutis. Põdus ergo accipiunt animæ vt ab intentione Dei non iam leui motu dissiliant, sed in eum fixa cõstantiæ grauitate cõsistant. Adhuc ille populus leuiter mouebatur, de quo per Prophetã dicitur: Abiit vagus in viã cordis sui: viam eius vidi, & dimisi eum. Graue autem consilium cordis omnem inconstantiã vagationis expellit. Et quoniam sunt animæ quæ leui motu nunc ista, nunc illa desiderent, omnipotens Deus quia ipsas leues fluctuationes mentiũ non leuiter pensat, vagationem cordis relinquendo diiudicat. Sed cùm per gratiã respicit vagam mentem, in consilij stabilitatẽ figit. Rectè ergo nunc dicitur: Qui fecit ventis pondus: quia cùm leues motus animi misericorditer dignatur aspicere, hunc protinus ad cõstantiæ maturitatẽ format. Vel certè vẽtis pondus facere, est cõcessam hîc electis de virtutibus gloriam permixta infirmitate temperare. Vnde & subditur: *Et aquas appendit mensura.*) Aquæ in scriptura sacra aliquando spiritum sanctũ, aliquãdo scientiam sacram, aliquãdo scientiam prauam, aliquando tribulationem, aliquãdo defluentes populos, aliquando mentes bonorum fidei prædicamenta sequentium, designare solent. Per aquã quippe sanẽti spiritus infusio designatur, sicut in Euãgelio dicitur: Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Vbi Euãgelista secutus adiunxit: Hoc autem dixit de spiritu quẽ accepturi erant credentes in eum. Rursum per aquam sacra scientia designatur, sicut dicitur: Aqua sapientiæ salutaris potabit eos. Per aquam quoque praua scientia appellari solet, sicut apud Salomonem mulier quę typũ hæreseos tenet, callidis suasionibus blanditur, dicens: Aquæ furtiuæ dulciores sunt. Aquarum etiam nomine nonnunquam solẽt tribulationes intelligi, sicut per Psalmistam dicitur: Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Per aquam populi designantur, sicut per Ioannem dicitur: Aquæ verò sunt populi. Per aquam quoque non solùm fluxus decurrentium populorum, sed etiam bonorum mentes fidei prædicamenta sequentium, designantur: sicut Propheta ait: Beati qui seminatis super omnes aquas. Et per Psalmistam dicitur: Vox Domini super aquas. Hoc ergo in loco, quid aquarum nomine, nisi electorum corda signantur, quæ per intellectum sapientiæ, auditum iam supernæ vocis acceperunt? De quibus rectè dicitur:

E
† aliâs, sublimitate.
Psalm. 17.
Psalm. 4.
Esaiæ 57.
F
Aqua in scriptura sacra diuersa designant.
Ioan. 7.
G
Eccle. 15.
Prouer. 9.
Psalm. 68.
Apoc. 17.
Esaiæ 32.
Psalm. 28.

Curipsi sancti qui ad summa rapiuntur, tentationibus reprimuntur.

Caput V.

E*T aquas appendit mensura.*) Quia sancti ipsi qui sancto subleuante spiritu ad summa rapiuntur, quandiu in hac vita sunt, ne aliqua elatione superbiant, quibusdam tentationibus reprimuntur: vt nequaquã tantum proficere valeant, quantũ volunt: sed ne extollantur superbia, fit in eis ipsarum quædã mensura virtutũ. Hinc est enim quòd Helias dũ tot virtutibus in alta profecisset, quadã mẽsura suspensus est, dũ Iesabel postmodũ quanuis reginã, tamen mulierculã fugit. Perpẽdo quippe hunc miræ virtutis virum, ignem de cœlo trahere, & secundo quinquagenarios cũ suis omnibus petitione subdita concremare, verbo cœlos à pluuiis claudere, verbo cœlos ad pluuias aperire, suscitantem mortuos, ventura quoque prę uidentem: & ecce rursus animo occurit, quo pauore ante vnam mulierculũ fugerit. Considero virũ timore perculsum, de manu Dei mortem petere, nec accipere: de manu mulieris mortem fugiendo vitare. Quærebat enim mortem dũ fugeret, dicens: Sufficit mihi, tolle animã meam: neque enim melior sum quàm patres mei. Vnde ergo sic potens, vt tot illas virtutes faciat? Vnde sic infirm', vt ita fœminam pertimescat: nisi quia aquę appẽdunt mẽsura: vt ipsi sãcti Dei homines, & multũ valeant per potentiã Dei, & rursum quadam mensura

H
5.
3. Reg. 19.
Exemplum de Helia.

moderati

moderati sint per infirmitatem suam? In illis virtutibus Helias, quid de Deo acceperat, in istis infirmitatibus quid de se esse poterat, agnoscebat. Illa potentia virtus fuit, ista infirmitas custos virtutis. In illis virtutibus ostendebat, quid acceperat: in istis infirmitatibus hoc quod acceperat, custodiebat. In miraculis mõstrabatur Helias, in infirmitatibus seruabatur. Sic Paulum video fluminum & latronum, ciuitatis & solitudinis, maris ac terræ pericula sustinentem, frenantem ieuniis ac vigiliis corpus, sustinentem frigoris, & nũditatis ærũnam, ad Ecclesiarum custodiã, vigilanter se ac pastoraliter exerentem, ad tertium cœlum raptum, rursũmque eum in paradisum raptum, & audisse arcana verba quæ non licet homini loqui: & tamen satanæ angelo ad tentandum conceditur, orat vt eximi debeat, & non exauditur. Cuius cùm ipsa initia conuersionis aspicio, perpendo quòd ei superna pietas cœlos aperit, seséque illi Iesus de sublimibus ostendit. Qui lumẽ corporis ad tempus perdidit, lumen cordis in perpetuum accepit. Ad Ananiam mittitur, vas electionis vocatur: & tamen de ciuitate eadem quam post visionem Iesu ingressus fuerat, fugiens recedit, sicut ipse testatur, dicens: Damasci præpositus gentis Arethæ regis custodiebat ciuitatem Damascenorum, vt me comprehenderet: & per fenestram in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus eius. Cui licenter dicam: O Paule in cœlo iam Iesum conspicis, & in terra adhuc hominem fugis? In paradisum duceris, secreta Dei verba agnoscis, & adhuc à satanæ angelo tentaris? Vnde sic fortis vt ad cœlestia rapiaris? Vnde sic infirmus, vt in terra hominẽ fugias, & adhuc à satanę angelo aduersa toleres: nisi quia ipse, qui te subleuat, rursum subtilissima te mensura moderatur: vt & in miraculis tuis nobis prædices virtutem Dei, & rursum in timore tuo reminisci nos facias infirmitatis nostræ? Quæ tamen infirmitas ne in desperationem nos pertrahat cùm pulsat, dum de infirmitate tua Dominum rogares, quia auditus non es, nobis quoque locutus es, quid audisti? Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Aperta ergo voce Dei ostenditur: quia custos est virtutis, infirmitas. Tunc quippe benẽ interius custodimur, cùm per dispensationem Dei tolerabiliter tentamur exterius, aliquãdo vitiis, aliquando pressuris. Nam eis quoque quos viros nouimus fuisse virtutum, tentationes atque certamina non defuere vitiorum. Hinc est enim quòd ad cõsolationem nostram idem prædicator egregius de se quædam talia prodere dignatur, dicens: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Ad ima quippe pertrahit caro, ne extollat spirit': & ad alta sustollit spiritus, ne prosternat caro. Spiritus leuat, ne iaceam' in infimis: caro aggrauat, ne extollamur ex summis. Si non subleuante spiritu nos caro tentaret, perfectione proculdubio tẽtationis suæ in ima deiiceret. Rursum verò si non tentante carne ad summa nos spiritus subleuaret, in superbię casu ipsa nos peius subleuatione prosterneret. Sed sit certo moderamine, vt dũ vnusquisque sanctorum iam quidem interius ad summa rapitur; sed adhuc tentatur exterius, ne desperationis lapsum, nec elationis incurrat: quoniam nec tentatio exterior culpam perficit, quia interior intentio sursum trahit: nec rursum intentio interior in superbiam eleuat, quia tentatio exterior humiliat dũ grauat. Sicque magno ordine cognoscimus in interiori profectu quid accipimus, in exteriori defectu quid sumus. Et miro modo agitur, vt nec de virtute quisquam extolli debeat, nec de tentatione desperare: quia dum spiritus trahit, & caro retrahit, subtilissimo iudicij interni moderamine, infra summa, & supra infima in quodam medio anima libratur. Bene ergo dicitur: *Et aquas appendit mensura.* Sequitur: *Quando ponebat pluuiis legem, & viam procellis sonantibus: tunc vidit illam & enarrauit, & præparauit, & inuestigauit.*) Solent per pluuias prædicantium dicta signari. Vnde de Moysen dicitur: Expectetur sicut pluuia eloquium meum. Quorum videlicet verba cùm blandè persuadent, pluuiæ sunt: cùm verò terribilia de venturo iudicio intonant, sonantes procellæ. Et notandum quòd pluuiis lex ponitur: vt via procellis sonantibus aperiatur. Lex quippe est ipsis prædicatorib' posita, vt viuendo impleant quod loquẽdo suadere festinãt. Nam lo-

Exemplum de Paulo.
6.
Custos virtutis infirmitas.
Roma. 7.
Deute. 32.
Ibidem.

Tomus primus.

A quendi authoritas perditur, quando vox opere nõ adiuuatur. Hinc enim per Psalmistã dicitur: Peccatori autẽ dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meũ per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos post te. Sermones etenim Dei post se prædicator proiicit, cùm hoc, quod dicit, facere contẽnit. Quãdo autẽ dictis eius alter obediat, dum ipse respuit opere, quod prædicat voce, & dissimulat audire quod narrat? De ista prædicationis lege scriptum est. Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. Qui autem fecerit, & docuerit sic, magnus vocabitur in regno cœlorum. Regnum cœlorum, videlicet Ecclesiã præsentem appellat, de qua scriptum est: Et colligent de regno eius omnia scandala. In supẽrno etenim regno, scandala quæ ex eo colligi debeant, non habentur. Qui ergo soluit opere, & sic docet voce, in isto regno cœlorum erit minimus, in illo nec minimus. Viam autem procellis sonantibus posuit, cùm prædicatoribus suis, ad corda hominum terrore venturi iudicij perculsa, aditũ fecit. Prius itaque lex ponitur, vt postmodum via pandatur: quia illa vox cor audientis penetrat, quę hoc quod sonuerit, opere conseruat. Tunc autem cùm legem pluuiis, & viam procellis sonantibus poneret, hanc sapientiam Deus vidit, enarrauit, præparauit & inuestigauit. Visitata sacri eloquij locutione videre Dei dicitur, videre nos facere, sicut iusto viro Dominus dicit: Nunc cognoui quòd timeas Deum. Et Israẽlitæ præmonentur: Tentat vos Dominus, Deus vester, vt sciat si diligitis eum: id est, vt scire vos faciat. Tunc ergo cùm legem pluuiis poneret, hoc est mandatũ custodiæ prædicatoribus daret, hanc incarnatam sapientiam videri, & enarrari à prædicatoribus, præparari & inuestigari ab auditoribus fecit. Sibi quippe illam præparat, quisquis illam bene viuendo in diem iudicij propitiam parat. Et notandum quòd de ea quatuor dicta sunt. Ait enim: Vidit, enarrauit, præparauit, inuestigauit. Vidit nanque, quia species est: enarrauit, quia verbum: præparauit, quia remedium: inuestigauit, quia occultum. Sed hoc quod æterna Dei sapientia species patris, & verbum dicitur, quando ab humana mente penetratur? Quis nãque intelligat, vel verbum sine tempore, vel speciem sine circunscriptione? Dicendum ergo erat aliquid, quod de illa homo cognosceret in se. Vnde aptè subditur:

B
Psal. 49.
Matth. 5.
Matth. 13.
7.
Iob. 28.
Gen. 22.
Deut. 13.

Quòd in eo sapientiam Domini se habere potest homo cognoscere, si timeat Deum, & quem in sua natura non intelligit, in se quodammodo cognoscit. Caput VI.

E*T dixit homini: Ecce timor Domini ipse est sapientia, & recedere à malo inielligentia.*) Ac si apertè diceretur: Ad temetipsum homo reuertere, cordis tui secreta perscrutare. Si Deum te timere deprehendis, profectò constat quia hac sapientia plenus es. Quam si adhuc cognoscere non potes quid sit in se, iam cognoscis interim quid sit in te. Quæ enim apud se ab angelis metuitur, apud te timor Domini vocatur: quia hanc habere te certum est, si timere te Deum incertum non est: Hinc etiam per Psalmistam dicitur: Initium sapientiæ timor Domini: quia tunc penetrare inchoat, cùm hoc extremi iudicij pauore perturbat. Ad parutitatem igitur nostram diuinus sermo se attrahit: sicut cùm pater cum paruulo filio loquitur, vt ab eo possit intelligi, sponte balbutit. Quia enim naturam sapiẽtiæ penetrare non possumus quid sit in se, ex condescensione Dei audiuimus quid sit in nobis, cùm dicitur: Ecce timor Domini, ipsa est sapientia. Sed quia ille veraciter vim diuini timoris intelligit, qui se à cunctis prauis operibus custodit, rectè dicitur: Et recedere à malo intelligentia. Ea igitur quæ sequuntur, quia prophetiæ spiritu plena sunt, ipsa sacræ historiæ verba testantur, cùm dicitur:

C
D
Psal. 110.

Caput vigesimumnonum textus beati Iob.

ADdidit quoque Iob assumens parabolam suam, & dixit: Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me? Quãdo spẽdebat lucerna eius super caput meum, & ad lumen eius am-

bulabam in tenebris. Sicut fui in diebus adolescētiæ meæ, quādo secretò Deus erat in tabernaculo meo. Quando erat omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei. Quando lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei. Quando procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi, Videbant me iuuenes, & abscondebantur, & senes assurgentes stabant. Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo. Vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat. Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimoniū reddebat mihi, eo quòd liberassem pauperem vociferantem, & pupillum cui non esset adiutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Iustitia indutus sum, & vestiui me sicut vestimento, & diademate iudicio meo. Oculus fui cœco, & pes claudo. Pater eram pauperum, & causam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam. Cōterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. Dicebámque: In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies. Radix mea aperta est secus aquas, & ros morabitur in messione mea. Gloria mea semper innouabitur, & arcus meus in manu mea instaurabitur. Qui me audiebant, expectabant sententiam, & intenti tacebant ad consilium meum. Verbis meis addere nihil audebāt, & super illos stillabat eloquiū meum. Expectabant me sicut pluuiam, & os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum. Si quando ridebam ad eos, non credebant: & lux vultus mei non cadebat in terram. Si voluissem ire ad eos, sedebam primus. Cúmque sederem quasi rex circunstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.

Caput VII.

A*Ddidit quoque Iob assumens parabolam suam.*) Quia enim parabola similitudo nominatur, apertè constat quòd per exteriorum verborum formam, mysteria loquitur, qui ad loquendum, parabolam assumpsse memoratur. Cùm etenim sua narrat, quæcunque sunt sanctæ Ecclesiæ ventura denuntiat: & per hoc quod ipse patitur, indicat quid illa patiatur. Nonnunquam verò sic suæ historiæ verba permiscet, vt nil allegoricum insonet: nonnunquam verò sic suos dolores loquitur, ac si ex voce dolentis Ecclesiæ loquatur. In hac verò vltima sui parte sermonis, vltimum tempus designat Ecclesiæ: quando aduersarios suos, id est, carnales quosque, vel hæreticos atq; gentiles, quos nunc studet sapientiæ authoritate comprimere, effrenata iactantia elatos cogitur irrisa tolerare. Vnde in hoc quoque sermone dicitur: Nunc autem deridentur me iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei. Et ipsa ordinis ratio exposcit, vt per verba beati Iob vltima, extremi sanctæ Ecclesiæ designentur dies, quando persecutione crescente, apertas hæreticorū voces tolerare compellitur, cùm motus cordis sui quos nunc intra cogitationum signus contegunt, tunc in voce manifestati erroris aperiunt. Nunc enim, sicut per Ioannem dicitur, draco in abysso clausus tenetur: quia diabolica malitia in eorum subdolis cordibus occultatur. Sed sicut illic scriptum est, educetur draco de puteo abysi: quia quod modò præ timore tegitur, tunc contra Ecclesiam publicè de iniquorum cordibus omne serpentiū virus aperitur. Nunc enim abscondit se sub blandiēte lingua sæuiēs cōscientia, & malitia calliditatis, quasi quadā se tegit abysso simulationis: nunc Dominus, sicut Psalmistæ voce dicitur, cōgregat sicut in vtre aquas maris. Vter quippe, carnalis est cogitatio. Aquæ ergo maris in vtre congregatæ sunt, cùm amaritudo peruersæ mentis non erumpit exterius in vocem prauæ libertatis. Veniet profectò tempus quando contra hanc peruersi atque carnales aperta voce prędicēt, quod nunc occulta cogitatione moliūtur. Veniet tēpus, quādo catholicam Ecclesiam, non solum iniustis vocibus, sed etiam crudelibus plagis premant. Ab aduersariis nanque suis duobus mōdis Ecclesia persecutionē patitur, scilicet aut verbis, aut gladiis. Sed cùm verbis persecutionē sustinet, exercetur eius sapientia: cum verò gladiis, exercetur eius patientia. Sed verborū persecutiones ab hæreticis nunc etiam quotidie toleramus, cū ipsi hæretici linguis nobis subdolis, & falsa humilitate blādiuntur. Persecutiones verò gladiorum iuxta finem mundi secuturæ sunt: vt grana cœlestibus horreis recondenda, tantò verius à peccatorum paleis exuantur, quantò acrius affliguntur. Tunc electi omnes qui in illa fuerint tribulatione comprehensi, reminiscuntur horū temporum, in quibus nunc Ecclesia fidei pacem tenet, & superba hæreticorum colla comprimit, non potentatu culminis, sed iugo rationis. Reminiscunt nostri, qui quieta fidei tēpora ducimus: qui etsi in bellis coarctamur gentium, non tamen in dictis expugnamur patrum. Beatus ergo Iob sanctæ Ecclesiæ typum tenens, quæ tunc in illis angustiis inuenitur: & tamen nostræ, vt dixi, quietis reminiscitur, sua transacta narrat, & aliis ventura denuntiat, dicens:

Tantas tribulationes Ecclesiæ in fine mundi venturas, per spiritum prophetiæ sanctus Iob præuidit, vt comparatione earum huius temporis pressuræ desiderari non immeritò videantur. *Caput VIII.*

Q*Vis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos?*) Multa enim talia sancta Ecclesia doloribus pressa dictura est. Tantis quippe illam futurum est tribulationibus angustari, vt hęc tempora cum magno suspirio desideret, quæ nos cum magno dolore toleramus. Dicat ergo, dicat per vocem beati Iob: Quis mihi tribuat vt sim iuxta menses pristinos? Quia enim statutus dierum numerus, menses vocantur: quid aliud nomine signat mēsium, nisi collectiones animarum? Dies quippe dum colliguntur in mēsibus, subtrahuntur: quia & in hoc tempore sancta Ecclesia dum veritatis luce splendentes animas colligit, in intimis abscondit. Aliquando etiam mensis pro perfectione ponitur, sicut Propheta ait: Erit mensis ex mense, perfectio videlicet eis in requie, quibus nunc perfectio fuerit in operatione. Reminiscatur ergo perfectionis pristinæ, reducat ad memoriam quanta prædicatione sua collectis animabus reportabat lucra, & angustata tribulationib' dicat: Quis mihi tribuat vt sim iuxta menses pristinos? In quibus profectò mensibus qualis fuerit, enumerando subiungit, dicens: *Secundum dies quibus Deus custodiebat me, quando splendebat lucerna eius super caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris.*) Tunc quippe videt ex se, persecutione cogente, infirmorum multos cadere, quos nunc vt mater intra pacis sinum paruulos fouet, & intra tranquillas fidei cunas continet, quia admixti fortibus, ipsa fidei tranquillitate nutriuntur. Tunc verò tales multi casuri sunt, & per viscera charitatis, quicquid in dāno paruulorū sustinet, se perpetī animus perfectorū dolet. Infirmorum etenim damna, ad corda fortium per cōpassionē transeunt. Vnde per Paulū dicitur: Quis infirmatur, & ego nō infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Tātò enim quisque perfectus est, quātò perfectè sentit dolores alienos. Vnde sācta Ecclesia infirmis tunc cadentibus augustata, cùm horū reminiscitur temporū, iure dictura est: Secūdum dies quibus Deus custodiebat me: quia se tunc in illis æstimat cadere, quæ se nunc in istis respicit custodiri. Bene autem dicitur: Quando splendebat lucerna eius super caput meum, & ad lumen eius ambulabā in tenebris. Lucernæ enim nomine, lumē signatur sacræ scripturę, de qua ipse Ecclesię pastor dicit: Habemus firmiorē propheticum sermonem, cui bene facitis attendētes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. Et Psalmista ait: Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine. Quia autem principale nostrū mens est, appellatione capitis mens vocatur. Vnde per Psalmistam dicitur: Impinguasti in oleo caput meū. Ac si apertè dicat: Charitatis pinguedine replesti mentem meam. Nunc ergo lucerna super caput Ecclesiæ splendet: quia sacra eloquia

Apoc.20.

Psalm.32.

Esa.66. 9.

2.Cor.11.

2.Petr.1.

Psalm.118.

Psalm.22.

quia tenebras nostræ mentis irradiant, vt in hoc caliginoso vitæ præsentis loco, dum verborum Dei lucem percipimus, quæ sunt agēda, videamus. Nunc ad lumen in tenebris ambulat: quoniam sancta vniuersalis ecclesia etsi alienæ occulta cogitationis non penetrat, quia quasi faciem non cognoscit in nocte, tamen ponit gressus boni operis directa lumine supernæ locutionis. Sequitur:

Reminiscitur Ecclesia fœcunditatis suæ, quam in primo tempore habuit, quanuis circa mundi finem maxima prædicationis virtute roboretur. *Caput IX.*

S*Icut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secretò Deus erat in tabernaculo meo.*) Sicut vniuscuiusque hominis, sic sanctę Ecclesiæ ætas describitur. Paruula quippe tunc erat, cum à natiuitate recens verbum vitæ prædicare non poterat. Hinc enim de illa dicitur: Soror nostra paruula est, & vbera non habet: quia nimirum sancta Ecclesia priusquā proficeret per incrementa virtutis, infirmis quibusque auditoribus præbere non potuit vbera prędicationis. A dulta verò Eccesia dicitur, quādo Dei verbo copulata, sancto repleta spiritu, per prædicationis ministerium in filiorum conceptione fœcundatur, quos exhortādo parturit, conuertēdo parit. De hac eius ætate Domino dicitur: Adolescentulæ dilexerunt te. Vniuersæ quippe Ecclesiæ, quæ vnam catholicam faciunt, adolescētulæ vocantur: non iam vetustæ per culpam, sed nouellæ per gratiam: non senio steriles, sed ætate mētis ad spiritalem congruæ fœcunditatē: Tunc ergo cùm in diebus illis Ecclesia quasi quodam senio debilitata, per prędicationem filios parere non valet reminiscitur fœcunditatis antiquæ, dicens: Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ. Quanuis post eosdem dies quibus deprimitur, iam tamen circa ipsum finem temporum, grādi prædicationis virtute roboretur. Nam susceptis ad plenum gentibus, omnem Israēliticum populum, qui tunc inuentus fuerit, in fidei signum trahit. Scriptum quippe est: Donec plenitudo gentium introiret, & sic omnis Israēl saluus fieret. Sed ante illa tempora erūt dies, in quibus ab aduersariis paululum videbitur oppressa, cùm & horum dierum reminiscitur, dicens: *Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secretò Deus erat in tabernaculo meo.*) Quid hoc loco tabernaculum, nisi habitationem mentis accipimus? Quia per omne quod cogitando agimus, in consilio nostri cordis habitamus. Quisquis autem mandata Dei tacitus cogitat, secretò illi Deus in tabernaculo est. Habitationem etenim cordis sui ante Dei esse oculos viderat, qui dicebat: Et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. Exteriora nanque opera patent oculis hominum, lōgè verò incomparabiliter interiores ac subtilissimę cogitationes nostræ patent oculis Dei. Omnia enim, sicut scriptum est, nuda & aperta sunt oculis eius. Et sæpe in exteriori opere ante oculos hominum inordinati apparere metuimus, & in interiori cogitatione illius respectum non metuimus, quem videntem omnia non videmus. Multò enim magis intrinsecus Deo, quàm extrinsecus hominibus conspicabiles sumus. Vnde & sancti omnes foris se intúsque circunspiciunt, & vel reprehendendos se exterius, vel iniquos se interius videri inuisibiliter timent. Hinc est quòd animalia quæ per Prophetam videntur, in circuitu & intus plena oculis esse memorantur. Quisquis enim exteriora sua honestè disponit, sed interiora negligit, in circuitu oculos habet, sed intus non habet. Sancti verò omnes quia & exteriora sua circunspiciunt, vt bona de se exempla fratribus præbeant, & interiora sua vigilanter attendunt, quia sese irreprobabiles interni iudicis obtutibus parant, & in circuitu oculos & intus habere perhibentur: magisque se quo Deo placeant, in sua interna componunt, sicut per Psalmistam quoque de sancta Ecclesia dicitur: Omnis gloria eius filiæ regis ab intus. Sed quia exteriora sua etiam irreprehensibilia custodit, iure de ea subdidit: In fimbriis aureis circumamicta varietatibus: vt & pulchra sibi intus sit, & aliis foris, & se prouehens per internam gloriam, & alios erudiens per exteriora operum exempla. Beatus igitur Iob dicat ex se, dicat ex persona vniuersalis Ecclesiæ: *Quando secretò Deus erat in tabernaculo meo.*) Vt enim demonstret quantum intus profecerit, secretò Deum fuisse in suo tabernaculo perhibet. Vt etiam ostendat rectitudinis opera quantum extrinsecus custodiuit, adiungit: *Quando erat omnipotens mecum & in circuitu meo pueri mei.*) Omnes enim qui diuina præcepta metuunt, Dei tabernacula fiunt. Vnde, vt supra iam diximus, per semeipsam veritas dicit de eo qui illius mandata custodit: Ego & pater meus veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Quo contrà peruersi quique dum interna non appetunt, in suis se cogitationibus foras fundunt. Vnde eis per Prophetam dicitur: Redite præuaricatores ad cor. Et rursum: Væ qui cogitatis inutile. In actionibus quippe suis verētur homines, quos corporaliter vident, & Deum sibi præsentem non æstimant esse, quem non vident. Quo contrà in laude iusti dicitur, dum Aegypti regem contēneret, & Dei mādatis obediret: Quia inuisibilem tanquam videns sustinuit. Peruersum quippe terræ principem quasi non vidit, quem ab oculis sui cordis abiecit. Regem verò inuisibilem tanquam videns sustinuit: quia ab eius timoris intuitu, mentis oculos non deflexit. Sancta itaque Ecclesia in magnis tunc tribulationibus deprehensa, cùm multos à Deo conspicit praua cogitatione discedere, videt profectò mentis eorum habitaculum discedente Deo vacuū remanere, & iure deplorans, dicit: *Quando secretò Deus erat in tabernaculo meo.*) Quibus verbis non immeritò etiam simulatio religionis plangitur: quia nonnulli etiam nunc Christiani esse non appetunt, sed videri. His videlicet Deus in publico est, nō in secreto. Sed sancta Ecclesia Deum in secreto habere desiderat: quia illos verè fideles respicit, quos ad fidei vitam corde pleno permanere cognoscit. Quæ iuxta exteriorem quoque vigoris sui rectitudinē dicit: *Quando erat omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei.*) Pueri scilicet vocantur, qui cœlestibus mandatis inseruiunt. Vnde per Prophetam Dominus dicit: Ecce ego & pueri mei quos mihi dedit Deus. Et rursus in Euangelio. Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Nunc ergo in circuitu eius sunt pueri: quia in cunctis serè gēntibus reperiuntur, qui cœlestia mandata custodiunt, & spiritalis disciplinę regulis obsequuntur. Qui profectò tunc ad obsequium pueri deerūt, quando praui qui reperti fuerint, spiritalia eius mandata contemnunt. Sequitur:

Canti.8.

Cant.1.

Rom.11.

10.

Psal.18.

Hebr.4.

Ezech.10.

Psal.44.

Ioan.14.

Esaiæ 46. 11.

Esa.8.

Ioan.21.

Iacob.3.

Phil.4.

Quòd tunc Ecclesia pedes prædicatorum butyro lauabat, cùm beatorum operum pinguedine & obedientiæ adipe collectum de gloria prædicationis pulverem eis detergebat. *Caput X.*

Q*Vando lauabam pedes meos butyro.*) Quia Christum & Ecclesiam vnam esse personam crebrò iam diximus, illum videlicet huius corporis caput, hanc autem illius capitis corpus: aliter hæc verba iuxta vocem capitis accipi, atque aliter iuxta vocem corporis debent. Quos ergo pedes Domini, nisi sanctos prædicatores accipimus? De quibus dicit: Et ambulabo in eis. Butyro ergo pedes lauantur: quia prædicatores sancti bonorum operum pinguedine replentur. Etenim vt suprà iam diximus, vix ipsa prędicatio sine aliquo trāsitur admisso. Nam quilibet prædicans, aut ad quantulancunque indignationem trahitur, si contemnitur: aut ad quantulancàque gloriam, si ab audientibus veneratur. Vnde & Apostolis pedes loti sunt, vt à quamlibet paruo contagio in ipsa prædicatione contracto, quasi à quodam itinere collecto puluere mundarentur. Et beatus Iacobus dicit: Nolite plures magistri fieri fratres mei. Et paulo post: In multis enim offendimus omnes. Pedes ergo lauantur butyro: quia pinguedine boni operis infunditur atque mundatur collectus puluis de gloria prædicationis. Vel certè butyro pedes lauantur dum sanctis prędicatoribus debita ab audientibus stipendia conferuntur, & quos fatigat iniunctus prædicationis labor, exhibita à discipulis pinguedo boni operis fouet: non quòd ideo prædicent vt alantur, sed ideo alantur vt prædicent: id est, vt prædicare subsistant, non vt intentionem sumendi victus transeat actio prędicationis, sed ad vtilitatem prædicationis deseruiant ministeria sustentationis. A bonis ergo prædicatoribus non causa victus prædicatio impenditur, sed causa prædicationis accipitur victus. Et quoties prædicantibus necessaria ab audientibus conferuntur, † non solent de rerum munere, sed conferentium gaudere mercede. Vnde per Paulum dicitur: Non quero datum, sed requiro fructum. Datum quippe est res ipsa quæ impenditur: fructus verò dati est, si benigna mēte futuræ mercedis studio aliquid impēdatur. Ergo datum in re accipi-

† *al. non solum de rerū munere, sed de conferentium gaudent mercede.*

mus, fructum in corde. Et quia discipulorum suorum Apostolus mercede potius quàm munere pascebatur, nequaquam datum, sed fructum se quærere fatetur. Vnde & subdidit protenus, dicens: Habeo autem omnia, & abundo. Butyro ergo lauantur pedes, cùm prædicatores sancti, vt diximus, ipsa prædicatione fatigati, auditorũ suorum bonis operibus fouentur. Fessos nanque pedes butyro vnxerat ille qui audiebat: Viscera sanctorum requieuerunt per te frater. Hoc butyro vnctus fuerat pes qui in catena tenebatur, dicens: Det misericordiam Dominus Onesiphori domui: quia sæpe me refrigerauit, & catenam meam non erubuit. Si ergo ex voce capitis hæc verba pensamus, rectè pedes, sicut dictum est, prædicatores accipimus. Si autem sentire ista ex voce solius corporis debemus, nimirum pedes Ecclesiæ sunt inferiorum operum ministri: qui dum ad vsus necessarios ea quæ sunt exterius exercent, per extremum ministerium velut pedes terræ inhærent. Sed debent hi qui præsunt, qui doctrinæ studio inuigilant, solerti cura occupatorum corda requirere, eisque eam quam ipsi vacando percipiunt, crebræ admonitionis voce, infusionem pinguedinis ministrare. Nam quia in vno corpore inuicem pro se membra sollicita sunt, sicut illorum ministeriis nostra extrema fulciuntur: ita necesse est vt nostris studiis illorum interiora repleãtur. Quando igitur sancti doctores quibusdam ad extrema ministeria deditis, vnctionem dominicæ incarnationis prædicant, butyro eloquij pedes lauant. Solent etiam pedes ipsa itineris asperitate lacerari. Vnde & omnino difficile est in terrenis actionibus huius vitæ iter agere, & nulla ex labore itineris vulnera sustinere. Cùm ergo vigilantes præpositi, auditores suos curis exterioribus intentos ad cor reuocant, vt quæ inter ipsa licita opera admiserint mala, cognoscant, & quæ cognouerint, defleant, pedes butyro lauant: quia eorum vulneribus, pœnitentiæ vnguenta subministrant. Reminiscatur igitur tunc Ecclesia vehementer afflicta, quomodo pacis suæ tempore per exhortationis verbum membra in se etiam extrema mundabat, & dicat: Quando lauabam pedes meos butyro. Quod de beato Iob admirabiliter libet intueri, qui inter tot curas rerum, inter tot affectus pignorũ, inter tot studia sacrificiorum, subiectis suis quamlibet extremis, bona sequentis vitæ prædicabat: vt eos de cœlestibus imbueret, qui sibi ad terrena opera deseruirent. Quid ad hæc nos episcopi dicimus, qui commissis nobis verbum vitæ impendere non curamus, quando coniugatum virum prohibere non valuit à butyro prædicationis, vel secularis habitus, vel magnæ occupatio facultatis.

Ibidem.

Ad Philemonem.

2. Timot. 1.

12

Quòd petra riuos olei fundebat, cùm corda discipulorum spiritus sancti vnctione Christus implenit.
Caput XI.

SEd seruata veritate historiæ, ad sanctæ Ecclesiæ iam verba redeamus, quæ per beatum Iob, id est, per os membri sui loquitur, quanta sint quæ tempore extremo patietur, cùm transactorum suorum reminiscitur, vt per eam videlicet verbi pinguedinem operantium vita lauaretur. Quæ ipsam quoq; prædicatorum suorum vigilantiam plenius exequens, subdit: *Et petra fundebat mihi riuos olei.*) Quia petræ nomine Christus accipitur, prædicator egregius fatetur, dicens: Petra autem erat Christus. Quæ videlicet petra nunc ad vsum sanctæ Ecclesiæ olei riuos fundit: quia in ea loquens Dominus prædicamenta vnctionis intimæ emanat, De hac petra olei riuus exiit, Liber Matthæi, liber Marci, liber Lucæ, & liber Ioannis. In diuersis huius mundi partibus quot prædicamẽta edidit, tot petra hæc per ora Apostolorum omnium olei riuos fudit. Toties adhuc de petra hac olei riuus funditur, quoties à sancto spiritu vngendis mentibus auditorum, ea quæ in libris veteribus de Christo dicta sunt, explanantur. Et riui vocantur olei: quia decurrunt & vngunt. In quibus quisquis tingitur, quisquis vngitur, interius impinguatur. De qua nimirum pinguedine Psalmista ait: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Potest nomine olei, ipsa sancti spiritus vnctio designari, de qua per Prophetam dicitur: Computrescit iugum à facie olei. Iugum quippe à facie olei computrescit: quia dum sancti spiritus gratia vngimur, à captiuitatis nostræ seruitute liberamur: dúmque maligni spiritus dominatio superba repellitur, iugum conteritur, quo libertatis nostræ colla premebantur. De hoc rursus oleo scriptum est: Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei. Filius quippe olei, fidelis populus dicitur, qui ad fidem Dei interna sancti spiritus vnctione generatur. Multis ergo tunc sancta Ecclesia tribulationibus depressa, dona spiritus & mira quæ nũc habet prædicamenta ad memoriam reuocet, & suum silentium deploret, dicens: *Petra fundebat mihi riuos olei.*) Quibus verbis congruè subiicit: *Quando procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabant mihi cathedram. Videbant me iuuenes & abscondebantur, & senes assurgentes stabant. Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo. Vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat.*) Mos veterum fuit, vt seniores in porta consisterent, & causas introëuntium iudicarent, quatenus tantò esset pacificus vrbis populus, quantò ad hanc discordes ingredi non liceret. Sed nos sacram historiam venerãtes, hæc egisse beatum Iob pro cultu iustitiæ certum tenemus, atque ad indaganda allegoriæ mysteria ducimur. Quid ergo per ciuitatis portam, nisi bona quæque actio designatur, per quam anima ad cõuentum regni cœlestis ingreditur? Vnde & Propheta ait: Qui ex altas me de portis mortis, vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. Portæ quippe mortis, sunt actiones prauæ, quæ ad interitum trahunt. Quia autem Sion speculatio dicitur, portas Sion, actiones bonas accipimus, per quas supernam patriam ingredimur, vt regis nostri gloriam contemplemur. Quid verò per cathedram, nisi magisterij authoritas designatur? Græca autem lingua platea pro latitudine dicitur. Nunc ergo sancta Ecclesia ad ciuitatis portam procedit: quia vt aditum cœlestis regni percipiat, in sanctis se actionibus exerit. Cui in platea paratur cathedra, quia in magnæ authoritatis latitudine sui magisterij exhibet libertatem. Quæ enim recta quæ sentit, publica voce prædicat, quasi in platea super cathedram sedet, cùm nullum de sua prædicatione metuit, nullius pressa terroribus, sub silentio abscondit. An non in publico ad docendum præsidet, quam simul & sentiendi veritas, & docendi potestas fulcit? Sed cùm ad portam procederet, & in platea super cathedram sederet, quid à leuibus, quídve à grauibus ageretur, adiungit dicens: *Videbant me iuuenes, & abscondebantur, & senes assurgentes stabãt.*) Si historiæ intendimus, quæ dixit credimus: si allegoriæ, quæ prædixit videmus. Iuuenes nanq; dici solent qui nulla consilij grauitate fulciuntur. Senes verò non eos scriptura sacra vocare consueuit, qui sola quantitate temporum, sed morum grandæuitate maturi sunt. Vnde per quendam Sapientem dicitur: Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neq; numero annorum computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita & immaculata. Vnde rectè quoque Dominus ad Moysen dicit: Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israël, quos tu nosti quòd senes populi sunt. In quibus quid aliud quàm senectus cordis requiritur, cùm tales iubentur eligi, qui senes esse sciuntur? Si enim senectus in eis corporis quæreretur, à tantis sciri poterant, à quantis videri. Dum verò dicitur: Quos tu nosti quòd senes populi sunt, profectò liquet, quia senectus mentis, non corporis eligenda nuntiatur. Sanctam ergo Ecclesiam vident nunc iuuenes & absconduntur, senes verò ei assurgentes assistunt: quia vigorem eius atque rectitudinem immaturi formidant, grandæui glorificant. Leues quippe sunt qui fugiunt, graues verò atque perfecti hanc vitæ suæ meritis assurgendo venerantur. Disciplinam quippe illius perfecti diligunt, imperfecti reprehendunt. Vident ergo hanc iuuenes & absconduntur: quia deprehendi in suis occultis actibus metuunt. Senes verò assurgentes stant: quia perfecti quique ex humiliate indicant, quantum in bona operatione profecerunt. Sed quia hæc de suis loquitur, narret quoque qualiter ab exteris timeatur. *Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo. Vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat.*) Qui hoc loco alij duces intelligi vel principes possunt, nisi hæreticæ prauitatis authores? De quibus per Psalmistam dicitur: Effusa est contentio super principes eorum, & seduxerunt eos in inuio, & non in via. Ipsi etenim dum dispensationem Dei peruersè interpretari non metuunt, profectò plebes subditas non in eam viam quæ Christus est, sed in inuium trahunt.

E

Esaiæ 5.

F

Porta bona actio.

Psalm. 9.

G

Sapien. 4.

Numer. 11.

H

14

13

Psalm. 61.

Esaiæ. 10.

Psalm. 106.

trahunt. Super quos rectè quoque effusa contentio dicitur: quia suis sibi vicissim allegationibus contradicunt. Arrius quippe tres personas in diuinitate suscipiens, tres etiam deos credidit. Quem contra Sabellius vnum Deum suscipiens, vnam credidit esse personam. Inter quos sancta Ecclesia rectũ prædicationis suæ tramitem indeclinabiliter tenens, & vnum Deum prædicans, tres personas contra Sabellium asserit, & tres personas asserens, vnum Deum contra Arium confitetur. Quia autem in sacro eloquio Manicheus virginitatem laudari comperit, coniugia damnauit. At contrà Iouinianus quia concedi coniugia cognouit, virginitatis munditiam despexit. Vnde fit vt semper hæreticis peruersa intelligentia cõfusis, vicissim sibi eorum nequitia & in culpa concordet, & in sentẽtia discrepet. At contrà sancta Ecclesia per medias vtrarumq; partium lites, ordinata pace graditur: & sic scit superiora bona suscipere, vt nouerit etiã inferiora venerari, quatenus nec summa æquet infimis, nec rursum ima despiciat, cùm summa veneratur. Nũc ergo hæreticarum plebium principes, authoritatem sanctæ Ecclesiæ perpendentes cessant loqui, & quasi otiosus digitum superponunt, dum falsis querelis non ratione vocis se reprimi, sed virtutis manu significant. Vocem suã duces cohibent: quia nimirum hi qui post se errãtes populos trahere conantur, ne loqui peruersa nunc audeant, & authoritatis frenantur pondere, & virtute rationis. Quorum lingua suo gutturi adhæret: quia etsi peruersa loqui libera voce non audeant, intus tamen apud se contegunt cuncta, quæ contra veram fidem proponere falsa moliuntur. Horum ergo temporũ, sequenti tribulatione deprehensa, reminiscẽs Ecclesia deplorat, dicens: Quando procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi. Videbant me iuuenes, & abscondebantur, & senes assurgentes stabant. Principes cessabãt loqui, & digitum superponebant ori suo. Vocem suam duces cohibebant, & lingua eorum gutturi suo adhærebat. Ac si apertè dicat: Cùm prædicare mihi voce publica licuit, omnis qui meæ veritati non fuit subiectus, expauit. Illo nanque tempore cùm sancta Ecclesia aduersitate premitur, prauis quibusque prædicatoribus licentia locutionis datur. Quod longè antè Hieremias intuens ait: Sed & lamiæ nudauerunt mammã, lactauerunt catulos suos. Quid nanque lamias, nisi hæreticos appellat, humanam quidem faciem, sed beluina per impietatẽ corda gestantes? Qui tunc mammam nudãt, cùm errorem suũ liberè prædicant. Tunc catulos lactant: quia malè sequaces paruulorum animas dum peruersa insinuant, ad impietatem nutriendo confimant. Sequitur:

A

15.

Thren. 4.

Quòd rectoribus Ecclesiæ summopere attendendum est, quòd in disciplinæ rigore mansueti sint.
Caput XII.

AVris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi.) Dum beatificari se ab audientibus, sibíque testimoniũ reddi à videntibus fatetur, beatus Iob qualis in sermone, qualis in opere fuerit, ostẽditur. Neque enim aut in opere iam perfectus est, cui adhuc linguæ prauitas contradicit: aut in sermone laudabilis, qui hoc quod loquitur, opere non ostendit. Vt igitur beatus Iob amicorum suorũ increpationibus exactus, vtraque se habuisse perhibeat, sese & audiẽtibus & vidẽtibus venerationi fuisse manifestat. Quod si ad vocem sanctę Ecclesię referamus, ille eius verba beatificat, qui ea quę audierit, opere consummat. Ille ei testimonium reddit, qui exemplis vitæ illius bene viuendo respondet. Sanctam etenim Ecclesiã ille veraciter videt, cuius testatur vita quia videt. Ad hoc nãque bonorum intra eam rectitudo cernitur, vt quique hanc viderint, à suis prauitatibus corrigantur. Nec dum ergo intra sanctam Ecclesiam videt bonos, qui non est emendatus à malis. Sed vnde ei testimonium reddatur, ostenditur cùm subiungit: *Eo quòd liberassem pauperem vociferantem, & pupillum cui non erat adiutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum.*) Magnæ misericordiæ ista sunt opera, liberare vociferantem pauperem, pupillo adiutorium ministrare, perituru cripere, cor viduæ consolari. Superius enim dictum est quid exhibuit per doctrinam. Ait nanque: *Auris audiens beatificabat me.*) Nunc autem narrat quę per misericordiam impendit, dicens: Eo quòd liberassem pauperem vociferantem & pupillũ cui non erat adiutor. Vox quippe cum opere sibi necessariò cõcordat. Hæc beatus Iob & exhibuit subditis, & tamen per sanctam Ecclesiam exhibenda signauit. Quæ vtrunque nunc incessabiliter exercet, vt videlicet filios suos & loquendo pascat, & defendendo protegat, quatenus & per verba bonos satiet, & per patrocinia tueatur à malis. Bene autem scriptum est: Germinet terra herbam virentem & facientem semen, & lignum fructiferum faciẽs fructum iuxta genus suũ. Quod sic est veraciter factum, vt significaret faciendum. Per terram quippe figuratur Ecclesia, quæ & verbi nos pabulo reficit, & patrocinij vmbraculo custodit, quæ & loquendo pascit, & opitulando protegit: vt non solùm herbam refectionis proferat, sed & cum fructu operis, arborẽ protectionis. Perpendendum quoque video his qui plebium gubernationibus præsunt, quod superius dicens: Videbant me iuuenes, & abscondebantur: nunc astruit: *Cor viduæ consolatus sum.*) Quanta disciplina regiminis, vt ante eum iuuenes abscondantur, quanta mansuetudo pietatis, vt per eum viduarum corda consolentur. Sunt nanque nonnulli ita districti, vt omnem etiam mansuetudinem benignitatis amittant: & sunt nonnulli ita mansueti, vt perdant districti iura regiminis, Vnde cunctis rectoribus vtraque summopere sunt tenenda, vt nec in disciplinæ vigore benignitatem mansuetudinis, nec rursum in mansuetudine districtionem deserant disciplinæ: quatenus nec à compassione pietatis obdurescant, cùm contumaces corrigunt, nec disciplinæ vigorem molliant, cùm infirmorum animos consolantur. Regat ergo disciplinæ vigor mansuetudinem, & mansuetudo ornet vigorem, & sic alterum commendetur ex altero, vt nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta. Hæc autem quæ supra diximus pietatis opera, sancta Ecclesia & corporaliter exhibet, & spiritaliter exhibere non cessat. Nam pauperem vociferantem liberat, cùm peccatori veniam deprecanti, eas, quas commiserat culpas relaxat. De talibus quippe pauperibus dicitur: Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Et talium pauperum clamor est, Psalmistæ voce dicentium: Citò nos anticipet misericordia tua: quia pauperes facti sumus nimis. Pupillum verò cui non est adiutor liberat, dum vnusquisque mortuo antiquo patre diabolo, ad sanctæ Ecclesiæ sinum currens, in ea exhortationis adiutorium inuenit, qui iam desideria mundi persequentis fugit. Potest pupilli nomine, fidelis quisque etiam propter mortem boni patris intelligi: cuius ad tempus visione destitutus est, quanuis solatio destitutus non est. Benedictio etiam perituri super eam venit, cùm peccatoris interitum præuenit, & cum sanctis exhortationibus, à culpæ fouea reducit. Vnde scriptum est: Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudnem peccatorum. Si enim magnæ mercedis est à morte eripere carnem quandoque morituram, quanti est meriti à morte animam liberare, in cœlesti patria sine fine victuram? Cor autem viduæ consolatur, dum fideli cuique animæ qui æternas Domini retributiones narrat, quasi viri sui bona ad memoriam reuocat. Cui quia spiritaliter anima iuncta est, eo mortuo vidua dicitur, sed sanctæ Ecclesiæ vocibus ex eius resurrectione refouetur. Magnam ergo consolationẽ cor viduæ suscipit, quando fidelis anima in verbis Ecclesiæ de aduẽtu illius aliquid, cui spiritaliter est coniuncta, cognoscit. Sequitur: *Iustitia indutus sum, & vestiui me sicut vestimento.*) Vestimento vtique cùm vestimur, ex omni parte circundamur. Ille ergo iustitia sicut vestimento vestitur, qui se vndique bono opere protegit, & nullam partem actionis suæ peccato nudam relinquit. Nam qui in aliis actionibus iustus est, in aliis iniustus: quasi hoc latus cooperuit, illud nudauit, nec iam bona sunt opera quæ subortis aliis prauis operibus inquinantur. Hinc enim per Salomonẽ dicitur: Qui in vno offenderit, multa bona perdet. Hinc Iacobus dicit: Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omniũ reus. Quam videlicet sententiã suam ipse diligenter exposuit, cùm subiunxit: Qui enim dixit, Nõ mœchaberis, dixit &, Non occides. Quod si nõ mœchaberis, occidas autem factus es trãsgressor legis. Cordis ergo oculis circunquaque porrectis, vndique nobis adhibenda custodia est. Vnde rectè quoque per Salomonẽ dicitur: Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit. Dicturus enim custodia, præmisit omni, vt

B

C

D

Parte 1. dist. 45. cap. Sũt namque.

16.

Matth. 5.

Psal. 58.

Iaco. 5.

17.

Eccle. 9.

Iaco. 2.

Prouer. 4.

videlicet vnusquisq; hincinde se diligenter inspiciat, & quandiu in hac vita est, contra spiritales inimicos in acie se positum sciat, ne mercedem quam per has actiones colligit, per alias amittat, ne hinc hosti fores obstruat, & aliunde aditum pandat. Si qua etenim ciuitas contra insidiantes inimicos magno valletur aggere, fortibus cingatur muris, ex omni parte insomni muniatur custodia: vnũ verò in ea foramen tantummodo immunitum per negligentiam relinquatur, inde proculdubio hostis ingreditur, qui vndique exclusus videbatur. Pharisæus nanque ille qui in templum oraturus ascendit, ciuitatem mentis suæ quanta munitione vallauerit, audiamus:
Lucæ.18. Ieiuno, inquit, bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Qui præmisit: Gratias ago tibi, magna certè munimina adhibuit. Sed videamus vbi insidianti hosti immunitum foramen reliquit: quia non sum sicut publicanus iste. Ecce ciuitatem cordis sui insidiantibus hostibus per elationem aperuit, quam frustra per ieiunium & eleemosynas clausit. Incassum munita sunt cætera, cùm locus vnus de quo hosti patet aditus, munitus non est. Gratias rectè egit, sed peruersè se super publicanum extulit. Ciuitatem cordis sui extollendo prodidit, quam abstinendo & largiendo seruauit. Victa est per abstinentiam gula, destructa ventris ingluuies, superata est largitate tenacia, auaritia depressa. Quibus hoc laboribus actum credimus? Sed ô quot labores vno vitio percussi ceciderunt, quanta bona vnius culpæ gladio sunt perempta! Vnde magnopere oportet & bona semper agere, & ab ipsis nos bonis operibus cautè in cogitatione custodire: ne si mentem eleuant, bona non sint, quæ non authori militant, sed elationi.

Quòd qui vitia superant, cùm de victoria sua superbiunt, ipso hoste super seruente intereunt.

Caput XIII.

Libri non canonici ad ædificationem Ecclesiæ æditi sunt.

DE qua re non inordinate agimus, si ex libris, licet non canonicis, sed tamen ad ædificationem Ecclesiæ æditis, testimonium proferamus. Eleazar nanque in prælio elephantem feriens strauit, sed sub ipso quem extinxit occubuit.
1.Marc.6. Quos ergo iste significat quem sua victoria oppressit, nisi eos qui vitia superant, sed sub ipsa quæ subiiciunt, superbiendo succumbunt? Quasi enim sub hoste quem prosternit moritur, qui de culpa quam superat eleuatur. Pensandum ergo magnopere est: quia bona prodesse nequeunt, si mala quæ subrepunt non cauentur. Perit omne quod agitur, si non sollicitè in humilitate custoditur. Vnde bene quoque de ipso primo
Gene.2. parente dicitur: Posuit eum Dominus in paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret. Operatur quippe qui agit bonum quod præcipitur, sed quod operatus fuerit non custodit, cui hoc subrepit quod prohibetur. Beatus igitur Iob quia ex omni parte bono se opere texerat, dicat: Iustitia indutus
18 sum, & vestiui me sicut vestimento. Vbi protinus subdidit:
† al.Iustorũ iudicijs rectè diademata. *Et diademate iudicio meo.*) Iustorum † iudicia rectè diademati comparantur: quia per magni operis gloriam, ad retributionis ducunt coronam. Quæ nimirum iudicia secum quotidie introrsus agunt: quid Deo, quid proximo debeant, solerter aspiciunt, atque ad agenda bona se vehementer accendunt, & de perpetratis malis districtè redarguunt. Vnde bene
Prouer. 12. quoque per Salomonem dicitur: Cogitationes iustorum iudicia. Iusti quippe ab omni strepitu seculari ad corda sua redeunt, ibíque ascendunt tribunal mentis, atque ante oculos
Matth.7. se & proximum statuunt, deducunt ad medium regulam testamenti, qua dicitur: Quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis. Transferunt in se personam proximi, & sollicitè attendunt, quid sibi si ita essent, fieri vel non fieri iustè voluissent: sicque districto iure atque iudicio causam suam & proximi iuxta tabulas diuinæ legis in foro cordis examinant. Bene ergo dicitur: Cogitationes iustorum iudicia: quia ipse eorum intimus motus cordis quasi quædam libra est iudiciariæ potestatis. Quibus peractis, quia retributionem inferius non requirunt, rectè eorum iudicia diademati comparantur. Diadema quippe in superiori parte corporis ponitur. Iustorum ergo iudicium diadema dicitur: quia per hoc non in terrenis & infimis, sed sursum remunerari concupiscunt. Sequitur:

E *Quòd in proferenda sententia nihil perperam agendum sit, ne qualibet temerè dicta indiscussa & imperita reddamus:*

Caput XIIII.

Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, & causam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam.) Inter hæc lectoris animus forsitan quærat, cur beatus Iob suas tam subtiliter virtutes enumeret. Sanctorum quippe virorum est, bona quæ fecerint occultare, ne contingat eos lapsum elationis incurrere. Vnde per semetipsam veritas dicit: Attendite ne iu-
Matthæ.6. stitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Hinc est etiam quòd duos cæcos iuxta viam sedentes illu-
Matth.9. minans præcepit dicens: Videte ne quis sciat. De quibus illico scriptum est: Abeuntes diffamauerũt eum per totam terram illam. Sed quærendum nobis est, quid sit hoc quod ipse omnipotens, cui hoc est velle quod posse, & taceri virtutes suas voluit, & tamen ab his qui illuminati sunt, quasi inuitus indicatur: nisi quòd seruis suis se sequentibus exemplum dedit, vt ipsi quidem virtutes suas occultare desiderent, & tamen, vt alij eorum exemplo proficiant, prodantur inuiti, & facta quidem sua occultando seipsos custodiãt, sed dum produntur inuiti, bona ad proximos suos exempla transmittant. Occultentur ergo studio, necessitate publicentur, & eorum occultatio sit custodia propria, eorúmque publicatio sit vtilitas aliena. Rursum quia scriptum est: Neque accendunt lu-
Matthæ.5. cernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Aliquando sancti viri & coram hominibus compelluntur bona facere, aut eadem hominibus sua facta narrare, sed ad eum finem omnia referentes, vt non ipsi eisdem operibus, sed pater eorum qui in cœlis est, debeat glorificari. Dum enim sancta prædicant, ipsa prædicatio eorum fortasse despicitur, quorum vita nescitur. Compelluntur ergo vitam suam dicere, vt auditorum suorum valeãt vitam mutare. Et facta sua referunt, vt venerationi sint: ve-
G nerati appetunt, vt reuerẽter audiantur. Scriptum quippe est:
Ezech.1. Cùm eleuarentur animalia de terra, eleuabantur pariter & rotæ: quia videlicet cùm auditorum mentes prædicantium vitam suspiciunt, necessariò vtique etiam vim prædicationis admirantur. Hinc est ergo quòd prædicatores boni & hono-
19 rem propter elationem fugiunt, & honorari tamen propter imitationem velint. Sic nimirum Paulus Apostolus discipulis loquens & honorem fugit, & tamen quantum esset honoran-
1.Thessa. dus ostendit. Nam cùm Thessalonicensibus diceret: Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ, Deus testis est: secutus adiunxit: Neque quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neq; ab aliis, cùm posimus oneri vobis esse vt Christi Apostoli, sed facti sumus paruuli in medio vestrum. Rursus Co-
2.Corint.4. rinthiis, honorem fugiens, dicit: Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum, nos autem seruos vestros per Iesum Christum. Quos tamen videns falsorum Apostolorum persuasionibus à veræ fidei tramite
H deuiare, eis se summopere quantum esset venerandus ostendit, dicens: In quo quis audet, in insipientia dico, audeo & ego. Hebræi sunt, & ego. Israëlitæ sunt, & ego. Semen Abrahæ sunt, & ego. Ministri Christi sunt, & ego. Vt minus sapiens dico, plus ego. Quibus etiam subiungit: quòd ei quoque tertij cœli secreta patuerint, quòd raptus etiam paradisi arcana penetrauit. Ecce honorem fugiens, seruum se discipulorum prædicat. Ecce honorem pro vtilitate audientiũ quærens, falsis Apostolis vitæ suæ merita superponit. Egit quippe doctor egregius, vt dum ipse qualis esset, agnoscitur, & vita & lingua malè prædicatium eius cõparatione vilesceret: illos videlicet commendaret, si se absconderet, cúmq; se non ostenderet, errori locum dedisset. Miro igitur modo & humilitatis exhibet gratiam, & vtilitatis quærit incrementum, vt & seruum se discipulorum prædicet, & aduersariis potiorem demonstret. Ostendit discipulis quid humilitatis acceperit: ostendit aduersariis quid sublimitatis. Innotescit discipulis qualis apud se maneat in cogitatione. Innotescit aduersariis qualis foris appareat in operatione. Sancti ergo viri cùm coguntur bona narrare quæ faciunt, non elationi seruiunt, sed vtilitati.

vtilitati. Vnde beatus Iob amicis suis se iniustè increpãtibus, A
atque idcirco nesciẽtibus bona sua loquẽdo aperit, vt nimirũ discerent, non contra eius vitam increpãtes erigi, sed hanc tacentes imitari: quanuis, vt supra iam diximus, hunc ad memoriam facta sua reducere, inuicta ab increpantibus desperatio compellebat. Nam inter tot dolores vulneris & verba desperationis, cùm bona quæ fecit narrat, quasi collapsum verbis & verberibus ad spem animum reformat. Dicat ergo bona quæ fecit, vt non cogatur inter tot mala de se desperare quæ audit: *Oculus fui cæco, & pes claudo.*) Cùm sancti operis exempla pensamus, intuendum nobis prius est quàm rectus narrandi ordo seruetur, vt antè iustitiæ, & pòst misericordiæ opera describãtur. Ille quippe bene agit quæ pia sunt qui scit prius seruare quæ iusta: vt collatus in proximis riuus misericordię, de iusti-
20. tiæ fonte ducatur. Nam multi proximis quasi opera misericordiæ impendunt, sed iniustitiæ facta non deserunt. Qui si veraciter proximis misericordiã facere student, sibiipsis prius debuerant iustè viuẽdo misereri. Vnde scriptum est: Miserere B
animæ tuę placens Deo. Qui ergo misereri vult proximo, à se
Eccle.30. trahat necesse est originem miserendi Scriptum nanque est:
Deut.6. Diliges proximum tuũ sicut teipsum. Quomodo ergo alteri miserendo pius est, qui adhuc iniustè viuendo fit impius sibi-
Eccle.14. metipsi? Vnde per quendam sapientem dicitur: Qui sibi nequã
Ad misericordiam exhibendam duo requiruntur. est, cui bonus erit? Ad exhibendam quippe misericordiam vt indigentibus plenè exterius valeat impendi, duo sibi necessaria congrũt, id est, homo qui præbeat, & res quæ præbeatur. Sed longè incomparabiliter melior est homo quàm res. Qui itaque indigenti proximo exteriorem substãtiam præbet, sed vitam suam à nequitia nõ custodit, rem suam Deo tribuit, & se peccato. Hoc quod minus est, obtulit authori, & hoc quod maius est, seruauit iniquitati. Bene itaque per beatũ Iob prius dicitur: Iustitia indutus sum & vestiui me sicut vestimento, & sicut diademate iudicio meo. Ac deinde subiungitur: Oculus fui cęco, & pes claudo. Quia tunc est apud Deum oblatio veræ rectitudinis, cùm de radice iustitiæ procedũt rami pietatis. Sed quia in ipso misericordiæ opere plus solet apud internum C
iudicem animus pensari quàm factum, notandum quòd cæci oculum fuisse se asserit, pedẽ claudi. Hæc etenim dicens, profectò indicat quia & illi per semetipsum manum præbuerat, & hunc portando sustinebat. Ex qua re colligitur, super egenos ac debiles quantum misericordiæ illius viscera fundebantur. Vnde & subditur: *Pater eram pauperum.*) Quæ videlicet verba si ad vocẽ sanctæ Ecclesiæ typica interpretatione referamus, ipsa est oculus cæco, quia per verbum lucet: ipsa pes claudo, quia per adiutorium continet. Cæcos enim prædicando illuminat, claudos verò opitulando sustentat. Cæcus quippe est, qui adhuc quò pergat non videt. Claudus autem est, qui non potest ire quò videt. Crebrò nanque peccatum aut ignorantia aut infirmitate perpetratur, vt vel nesciat homo quid velle debeat, vel non omne quod voluerit possit. Quod contrà re-
Psal.26. ctè per Psalmistam dicitur: Dominus illuminatio mea & salus mea. Quia enim Dominus & scientiam & virtutem præbet, & contra ignorantiam illuminatio, & contrà infirmitatem sa-
D
Psal.24. lus vocatur. Hinc etiam de iniquis dicitur: Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum, vt scilicet per tenebras quò ire debent non videant: qui etsi recta viderent, in eis tamen per lubricum stare non possent. Isti itaque per lubricum inter bona claudicant, illi per tenebras quæ bona sequantur ignorant. Sancta itaque Ecclesia extremis tribulationibus deprehensa, antiquorum reminiscitur temporum, quando & docendo illuminare consueuerat, & adiũuãdo firmare, & præcedentis membri sui ore loquitur, dicens: *Oculus fui cæco, & pes claudo.*)
21. Quæ quia duos in se populos collegit, Iudaicum scilicet atque gentilem, rectè etiam potest cęco Gentilis, claudo autem Iudaicus populus designari. Gentilis quippe quasi oculos non habuit: quia non recepta lege non vidit quò ire debuisset. At contrà Iudaicus habens oculos, claudus fuit: quia legem quidem sciendo tenuit, sed in ea gressum recti operis non tetendit. Si enim Gentilis populus cæcus minimè fuisset,
Esaiæ 9. Propheta nõ diceret: Populus qui sedebat in tenebris, lucem vidit magnam, Rursum si Israëliticus populus à bono opere
Psal.17. minimè claudicasset, nequaquam voce Domini Psalmista dixisset: Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterari sunt, & claudicauerunt à semitis suis. Qui nimirum populus clau-
A
dus idcirco nominatur: quia sanum gressum in operatione nõ habuit, quippe qui vtroque pede vti noluit, dum vnum testamentum recepit, aliud spreuit. Quem cùm ad se venientẽ sancta Ecclesia suscipit, quia ei iam vetus tenenti, & nouum testamentum inserit, ad dirigendos gressus illius quasi alterum pedem iungit. Qui fidelis sanctæ Ecclesiæ populus adhuc rectè subiũgit: *Pater eram pauperum:*) quia videlicet humiles qui pauperes spiritu dicti sunt; ex eius prædicatione generantur. Sed oportet vt in his omnibus ipsa historię subtiliter verba pensemus. Ait enim: *Pater eram pauperum, & causam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam.*) Plerunque enim multa homines pauperibus largiuntur, non quia eosdem pauperes diligunt, sed quia si minimè tribuant, iram iudicij superni formidant: qui si Deum non metuerent, quæ habent dare noluissent. Et quidem in bono opere primus incipiẽtium gradus est, vt qui adhuc proximum sicut se nescit diligere, iam tamen incipiat iudicia superna formidare. Quia igitur aliud est bonum opus ex præcepto, aliud verò etiam ex affectu facere: sanctus vir vt mẽtem nobis suæ operationis insinuet, dicat. Pater eram pauperum. Non enim patronum se vel proximum vel adiutorem pauperum, sed patrem fuisse testatur: quia nimirum magno charitatis officio studium misericordiæ vertit in affectum naturæ, vt eos quasi filios cerneret per amorem, quibus quasi pater præerat per protectionem. Quia igitur vis misericordię illius naturam fuerat imitata, patrem se pauperum fuisse commemorat. Vbi etiam subdit: Et causam quam nesciebam diligentissimè inuestigabam. In quibus videlicet verbis pensanda sunt omnia quàm distinctè narrantur, quòd nulla ab eo merces prætermittitur. Iustus quippe est in actionibus suis, pius in infirmitatibus proximorum, strenuus in negociis pauperum. Qui enim æternæ retributionis bona cogitat, necesse
Eccle.7. est vt ad omnem se causam secuturæ mercedis extendat. Hinc
2.Tim.3. enim per Salomonem dicitur: Qui Deum timet, nihil negligit. Hinc etiam Paulus ait: Ad omne opus bonum parati. Sed inter hæc sciendum est, quia aliquando in actionibus nostris minora bona prætermittenda sunt pro vtilitate maiorum. Nam quis ignoret esse boni operis meritum, mortuum sepelire? Et tamen cuidam qui ad sepeliendum patrem se dimitti
Lucæ 9. poposcerat, dictum est: Sine vt mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade & annuntia regnum Dei. Postponendum nanque erat obsequium huius ministerij officio prædicationis: quia illo carne mortuos in terram conderet, isto autem anima mortuos ad vitam resuscitaret. Per Prophetam quoque
Esaiæ 1. primatibus synagogæ dicitur: Quærite iudicium, subuenite
1.Cor.6. oppresso. Et tamen Paulus Apostolus dicit: Contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandũ. Auditores etenim suos ad virtutem sapientiæ, ad linguarum genera, ad prophetiæ quoque indaganda mysteria succendebat, dicens:
1.Cor.12. Aemulamini spiritalia, magis autem vt prophetetis. Sed quia
1.Cor.6. spiritalia dona non caperent, si terrena eos negocia deprehensisset, longè antè præmisit, dicens: Contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum. Ac si apertè dicat: Qui minoris meriti sunt in Ecclesia, & nullis magnorum donorum virtutibus pollent, ipsi de terrenis negociis iudicent, quatenus per quos magna nequeunt, bona minora suppleantur. Quos & contemptibiles nominat, & tamen sapientes vocat, cùm dicit: Sic non est sapiens inter vos quisquam qui pos-
Ibidem. sit iudicare inter fratrem suum? Qua ex re quid colligitur, nisi vt hi terrenas causas examinent, qui † exteriorum rerum
† al.exterior rem. sapientiam perceperunt? Qui autem spiritalibus donis ditati sunt, profectò terrenis non debent negociis implicari, vt dum non coguntur inferiora bona disponere, exercitati va-
22. leant bonis superioribus deseruire. Sed curandum magnopere est, vt hi qui donis spiritalibus emicant, nequaquam proximorum infirmantium negocia fundितùs deserant, sed hæc aliis quibus dignum est, tractanda committant. Vnde Moyses quoque ad populum viros pro se septuaginta constituit, vt quantò se ab exterioribus † causis absconderet, tan-
† al.laboribus. tò ardentius interna penetraret. Sícque fit vt summi viri magis ad spiritalia dona proficiant, dum eorum mentes res infimæ non conculcant, & rursum viri in Ecclesia vltimi sine bono opere non viuant, dum in rebus exterioribus in-

ueniunt recta quæ agant. Sancta quippe Ecclesia sic consistit vnitate fidelium, sicut corpus nostrum vnitum est compage membrorum. Alia nanque sunt membra in corpore quæ intuendæ luci deseruiunt, alia quæ à terreno actu minimè disiunguntur. Oculus quippe luci intenditur, & ne cæcari valeat, à puluere custoditur. Pes verò tunc suum officium rectè peragit, cùm suscipiendum terræ puluerem non refugit. Quæ tamen corporis membra vicissim sibi sua officia impartiendo copulantur, vt pes oculis currat, & oculus pedi prospiciat. Sic itaque sic sanctæ Ecclesiæ membra debent & officio esse distincta, & charitate coniūcta, vt summi viri eorum viam prouideant, qui in terrenis negociis vacant: quatenus velut ad lumen oculorum pes ambulet, & rursum quicquid terrenis ne-
† *al. moriū.* gociis implicati agunt, hoc ad † maiorem vtilitatem referant, vt pes cuius via prospicitur, non sibi tantummodo, sed etiam oculis gradiatur. Dum itaq; sibi inuicem alterna administratione conueniunt, miro modo agitur, vt quia electi quique vicissim sibimet impendendo quod valent faciunt, eorum fiant opera etiam quæ facere ipsi non possunt. Sed inter hæc sciendum est, quia cùm proximorum causis exterioribus qui aptè deseruiant, desunt, debent hi quoque qui spiritalibus donis pleni sunt, eorum infirmitatibus condescendere, terrenísque illorum necessitatibus inquantum decenter valeant, charitatis condescensione seruire. Nec tædere animum debet, si sensus eius contemplationi spiritalium semper intentus, aliquando dispensandis rebus minimis quasi minoratus inflectitur, quando illud verbum per quod constat omnis creatura, vt prodesset hominibus, assumpta humanitate voluit paulominus ab Angelis minorari. Quid ergo mirum si homo se propter hominem attrahit, dum creator hominum & Angelorum, formam hominis propter hominem suscepit? Nec tamen minoratur sensus cùm sic attrahitur: quia tantò subtilius superiora penetrat, quantò humilius pro amore cōditoris nec interiora contemnit. Quid indignum nobis vel difficile est, si supra infráque animum ducimus, qui eadem manu corporis lauamus faciem, qua etiam calceamus pedem? Beatus igitur Iob quia cùm magna ageret, minima non despexit, dicat:

23 *Et causam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam.*) Qua in re notandum video, ne ad proferendam sententiam vnquam præcipites esse debeamus, ne temerè indiscussa iudicemus, ne quælibet mala audita nos moueant, ne passim dicta sine probatione credamus. Quod profectò perpetrare pertimescimus, si authoris nostri subtilius facta pensamus. Ipse quippe vt nos à præcipitata sententiæ prolatione compesceret, cùm
Gene.18. omnia nuda & aperta sint oculis eius, mala tamen Sodomæ noluit audita iudicare, qui ait: Clamor Sodomorum & Gomorræorum multiplicatus est, & peccatū eorum aggrauatum est nimis: descendam & videbo vtrum clamorem qui venit ad me: opere compleuerint, an non est ita, vt sciam. Omnipotens itaque Dominus & omnia sciens, cur ante probationem quasi dubitat, nisi vt grauitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum antè præsumamus credere quàm probare? Et ecce per Angelos ad cognoscenda mala descendit, móxque facinorosos percutit, atque ille patiens, ille mitis, ille
Sapien.12. de quo scriptum est: Tu autem Domine cum tranquillitate iudicas, ille de quo scriptum est rursum: Dominus patiens est redditor, in tanto crimine inuolutos inueniens, quasi patientiam prætermisit, & diem extremi iudicij expectare ad vindictam noluit, sed eos igne iudicij ante iudicij diem præuenit. Ecce malum quasi cum difficultate credidit cùm audiuit, & tamen sine tarditate percussit, cùm verum agnoscendo reperit: vt nobis videlicet daret exemplum, quòd maiora crimina & tardè credenda sunt cùm audiuntur, & citius punienda sunt cùm veraciter agnoscuntur. Huius ergo diligentiæ beatus Iob sollicitudinem gerens ait: *Et causam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam.*) Quæ scilicet verba etiam per vocem Ecclesiæ ad interpretationem typicam possumus non inconuenienter referre. Ipsa quippe per electos suos cùm mala carnalium iudicat, hoc quod nescit inuestigat: quia mala quæ nescit operando, inuestigat per iudicium corrigendo. Sancta itaque Ecclesia cùm iniustorum fuerit ad tempus improbitate compressa, reminiscitur dicens: Causam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam. Ac si apertè dicat: Mala quæ in

E electis meis agendo non noueram, in iniquis hominibus districtè iudicando plectebam. Et quia nunc virtute prædicationis suæ diabolum conterit, atque ex eius ore vniuscuiusque quem suscipit animam rapit. Sequitur:

Quòd dentibus diaboli prædam eripit, qui ab errore vel malitia aliquem prædicando conuertit.

Caput XV.

Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.) O qualem de ore diaboli prædam tulit, quando ipsum raptorem Saulem conuertendo rapuit, quando adhuc spirans minarum, acceptis epistolis pergebat Damascum, & dum persequendo fideles, congregaret plebem diabolo, cognoscendo fidem ipse aggregatus est Christo. Toties ex iniqui dentibus Ecclesiam prædam tulit, quoties ex erroris morsu animam prædicando diripuit. Quis nanque iniquus verius dici potest quàm diabolus? Cuius molas conterimus, quòties differendo contra eius insidias, occulta illius machinamenta
F monstramus, ac si de eius dentibus prædam tollimus: quia mentem quam iam ad peccatum frangendo momorderat, ad salutem vitæ conuertendo reuocamus. Per molas quippe 24
occultæ eius insidiæ, per dentes verò aperta iam culpæ perpetratio demonstratur. De quibus nimirum molis ac dentibus per Psalmistam scriptum est: Deus verò conteret dentes eo- *Psalm.57.*
rum in ore ipsorum, molas leonum confringet Dominus. Sed sanctus vir antè se asserit molas conterere, vt pòst de dentibus illius prædam potuisset auferre: quia tunc veraciter prædam de eius dentibus tollimus, cùm prius molas illius conterere scimus. Prius enim necesse est occulta consiliorum illius machinamenta prodere, vt auditoris nostri animam valeamus postmodum ab aperto lapsu reuocare. Huius iniqui molas ipse summus pastor Ecclesiæ prædicādo conterebat, cùm dice-
ret: Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester diabo- *1. Petri.5.*
lus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. Contra hunc leonem sancta Ecclesia quia eius īsidias cōspicit, fidei caulas munit. Cuius toties mo-
G las frangit, quoties hæreticorum argumenta destruit: totiésque ab eius dētibus prædam diripit, quoties ab errore, quempiam prædicando conuertit. Et quia plerique iustorum tunc erunt qui se Ecclesiasticæ pacis tempore ab hoc mundo exituros esse crediderunt, beatus Iob dum sua narrat, voces quoque iustorum sequentium indicat, dicens:

Quòd sancta Ecclesia filios suos in nido pacis enutriat.

Caput XVI.

Dicebámque: In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.) Quid hoc loco per nidi nomen exprimitur, nisi tranquilla quies fidei, qua vtriusquisque infirmus nutritur? Multitudo quippe illa bonorum, quæ persecutionum temporibus fuerit deprehensa, nutrimentorum suorum dies quasi in nido sic in loco quietis, explere se credidit. Nam nisi sancta Ecclesia infirmos quosque filios nunc in nido pacis enutriret, Psalmista non diceret: Etenim passer inuenit sibi domum, &
turtur nidum, vbi reponat pullos suos. Iam quippe domum *Psalm.83.*
H inuenit sibi passer: quia æternum cœli habitaculum, noster redemptor intrauit. Et turtur inuenit nidum: quia sancta Ecclesia amore cōditoris affecta crebris gemitibus vtitur, & velut nidum sibi, id est, pacatissimam fidei quietem construit, in qua crescentes filios quasi plumescentes pullos, quousq; ad superiora euolent, charitatis gremio calefactos fouet. Igitur quia tunc erunt, qui pacis tempore se ad superna migrare, id est, à nido euolare crediderunt, eorum vox beati Iob voce præuenitur, cùm ait: *Dicebámque: In nidulo meo moriar.*) Quia verò hoc ipsum sibi pacis ocium ex multorum dierum longitudine promittebant, rectè subiungit dicens: *Et sicut palma multiplicabo dies.*) Palma enim tardè proficit, sed diu in viriditate subsistit. Cùm multis autē difficultatibus sancta Ecclesia ad fidei statum venit, & pro collectione plurimorum, in eiusdem fidei gloria diutius stare concupiscit. Sicut palma ergo multiplicare se dies crediderit, quæ emergēnte subitæ tentationis articulo, pacis suæ gratiam & tardè à fidelibus adeptam, & citius ab infidelibus interceptam dolet. Nec imme- 25
ritò iustorum vita palmæ comparatur: quia scilicet palma inferius tactu aspera est, & quasi aridis corticibus obuoluta: superius

superius verò & visu & fructibus pulchra: inferius corticum suarum inuolutionibus angustatur, sed superius amplitu-
A dine pulchræ viriditatis expanditur. Sic quippe est electorū vita, despecta inferius, superius pulchra: in imo ista quasi multis corticibus obuoluitur, dum innumeris tribulationibus angustatur: in summo verò illa quasi pulchræ viriditatis foliis amplitudine retributionis expanditur. Habet quidem aliud palma, quo à cunctis arborum generibus differt. Omnis nanque arbor in suo robore iuxta terram vasta subsistit, sed crescendo superius angustatur, & quantò paulisper sublimior, tātò in altum subtilior redditur. Palma verò minor ab imis inchoat, & iuxta ramos, ac fructus ampliori robore exurgit, &
Parte 1. dist. 47. cap. Omnes huius. quæ tenuis ab imis proficit, vastior ad summa succrescit. Quibus itaque alia arbusta nisi terrenis mentibus inueniuntur esse similia, inferius vasta, superius angusta? quia nimirū omnes huius seculi dilectores, in terrenis rebus fortes sunt, in cœlesti-
Contra huius seculi dilectores. bus debiles. Nam pro temporali gloria vsque ad mortem desudare appetunt, & pro spe perpetua, ne parum quidem in la-
B bore subsistunt. Pro terrenis lucris quaslibet iniurias tolerāt, & pro cœlesti mercede vel tenuissimi verbi ferre contumelias recusant: terreno iudici toto etiā die assistere fortes sunt, in oratione verò coram Domino vel vnius horæ momento lassantur. Sæpe nuditatem, deiectionem, famem, pro acquirēdis diuitiis atque honoribus tolerant, & earum rerum se abstinentia cruciant, ad quas adipiscendas festinant: superna autem laboriosè quærere tantò magis dissimulant, quantò ea retribui tardius putant. Hi itaque quasi aliarum arborum more deorsum vasti sunt, sursum angusti: quia fortes in inferiora subsistunt, sed ad superiora deficiunt. At contrà ex qualitate palmarum designatur proficiens vita iustorum, qui nequaquam sunt in terrenis studiis fortes, & in cœlestibus debiles, sed longius atque distantius studiosos se Deo exhibēt, quàm seculo fuisse meminerunt. Nam cùm quibusdam per præ-
Rom.6. dicatorem nostrum dicitur: Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhi-
C bete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem: eorū proculdubio infirmitati condescenditur, ac si eis apertius diceretur: Si nequaquam amplius potestis, saltem tales estote in fructu bonorum operum, quales fuistis dudum in actione vi-
† al. sancta libertas charitatis quā in carne, &c. tiorū, ne debiliores vos habeat † sancta libertas hæredes, quos in carne validos habuit vsus terrenæ voluptatis. Sunt verò nonnulli qui cùm cœlestia appetunt, atque huius mūdi noxia facta derelinquunt, ab inchoatione sua quotidie inconstan-
26 tiæ pusillanimitate deficiunt. Quibus hos nisi arbustis reliquis similes dixerim, qui nequaquam tales superius surgunt, quales inferius oriuntur? Hi quippe ad conuersionem venientes, non tales quales cœperunt perseuerāt, & quasi more arborum, inchoatione vasti sunt, sed tenues crescunt: quia paulisper per augmenta temporum patiuntur detrimenta virtutum: Sensim quippe in eis desideria superna languescunt, & qui robusta ac fortia proposuerant, debilia atque infirma consummant: dúmque ætatis augmento proficiunt, quasi flexibiles crescunt.
D Palma verò, sicut dictum est, vastior in summitate est quàm esse cœperit ex radice: quia sæpe electorum conuersio plus finiendo peragit, quàm proponit inchoando, & si tepidius prima inchoat, feruētius extrema consummat: videlicet semper inchoare se æstimat, & idcirco infatigabilis in nouitate perdurat. Hanc scilicet iustorum constātiam Propheta intuens ait:
Esaiæ 40. Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinē suam, assument pennas vt aquilæ, current & non laborabunt, ambulabūt & non deficiēt. Mutant quippe fortitudinem: quia fortes student esse in spiritali opere, qui dudum fuerant fortes in carne. Assumunt autem pennas vt aquilæ: quia contemplando volāt. Currunt & non laborāt, quia velocibus magna celeritate prædicant. Ambulant & nō deficiunt: quia intellectus sui velocitatem retinent, vt tardioribus condescēdant. In cunctis verò bona quæ accipiunt, quantò aliis libenter accommodāt, tantò ipsi incommutabiles in nouitate perdurant: & qui tenues à radice inchoationis exeunt, fortes in culminis perfectione conualescūt. Dicat itaque beatus Iob ex persona sua, dicat ex voce sanctæ Ecclesiæ his, quos pacis tempore ad se conuersos habuerat, atque in bonis moribus perseueraturos credebat:

Dicebámque: In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.) Quasi enim palmam multiplicare se dies credidit, quæ mentes fidelium ad extremum vsque robustiores exurgere putabat. Cùm enim multorum corda persecutionibus cœperint lassata mollescere, dolet iam in se quasi ad debilitatem tendere, quos mirabatur fortia proposuisse. Et quia mente semper spiritali scientiæ intendit, rectè subiungitur: *Radix mea aperta est secus aquas.*) Iuxta aquas enim radix aperitur, quando ad percipienda veritatis fluenta latenter cogitatio mentis † expanditur. Vt † *al. aperitur.* enim in superiori libro iam diximus, solet in sacro eloquio radicis nomine, occulta cogitatio designari. Radicē igitur nostram secus aquas aperimus, cùm infusioni intimæ cogitationem taciti cordis intendimus. Quæ scilicet verba si ad vo- 27.
cem sanctæ Ecclesiæ ducimus, radix illius ipsa debet incarnatio redemptoris intelligi. Quæ iuxta aquas aperta est, dum Deus inuisibilis per assumptionē humanitatis suæ patuit aspectibus visionis nostræ. Creator quippe qui in diuinitate videri non poterat, assumpsit à nobis vnde videretur à nobis. Radix ergo secus aquas aperitur: quia author humani generis per humanitatem suam hominibus demonstratur. Vnde rectè quoque per Psalmistam dicitur: Et erit tanquam lignum quod *Psalm.1.*
plantatum est secus decursus aquarum. Decursus quippe aquarum sunt quotidiani transitus deficientium populorum. Et de semetipsa veritas dicit: Si in ligno viridi hæc faciunt, in arido quid fiet? Lignum ergo secus decursus aquarum est, qui fructum & protectionem sui nobis vmbraculi proferens, apparuit creator in carne, vt humanum genus per resurrectionem robustum figeret, quod per defectum quotidie ibat in mortem. Sequitur: *Et ros morabitur in messione mea.*) Subaudis, dicebam. Messio enim sanctæ Ecclesiæ non inconuenienter accipitur, cùm perfectæ animæ corporibus abstractæ, velut maturæ segetes à terra decisæ, ad cœlestia horrea demigrant: quod quia non nostra virtute, sed cœlesti gratia largiente agitur, bene ait: *Et ros morabitur in messione mea.*) Ros nanque desuper cadit, messis deorsum colligitur. Ergo ros morabitur in messione: quia gratia desuper veniens agit, vt digni sumus qui de inferioribus colligamur. Ipsa quippe nos desuper infundente, fructum bonorum operum ferimus. Vnde rectè quoque per Paulum dicitur: Gratia Dei sum id quod sum, & *1. Cor. 15.*
gratia eius in me vacua non fuit. Si enim quæratur quid sit ros desuper veniens, ait: Gratia Dei sum id quod sum. Si intueamur messem, sub rore crescentem, ait: Et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui. Sequitur: *Gloria mea semper innouabitur, & arcus meus in manu mea instaurabitur.*) Subaudis, dicebam. Superiori quippe sententiæ coniūgitur, quod locutione continua subinsertur, cùm ait: *Dicebámque: In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.*) Ac deinde subiungitur: *Radix mea aperta est secus aquas, & ros morabitur in messione mea. Gloria mea semper innouabitur, & arcus meus in manu mea instaurabitur.*) Cunctis vera scientibus liquet, quòd ad vetustam vitam vitia pertinent, virtutes ad nouam. Hinc enim Paulus dicit: Exuentes vos veterem hominem *Colo.3.*
cum actibus suis, & induentes nouum. Hinc rursus ait: Vetus *Roma.6.*
homo noster simul crucifixus est. Hinc Psalmista ex typo humani generis loquens, inter malignos spiritus deprehensis dicit: Inueteraui inter omnes inimicos meos. A feruore etenim *Psal.6.*
mētis vel inter spiritales inimicos vel inter carnales quosque proximos, ipso aliquo modo viuendi vsu veterascimus, & assumptæ nouitatis speciē fuscamus. A qua tamen vetustate quotidie si studio circumspectionis inuigilamus orando, legendo, bene viuendo renouamur: quia vita nostra dum lachrymis lauatur, bonis operibus exercetur, sanctis meditationibus tenditur, ad nouitatem suam sine cessatione reparatur. Beatus igitur Iob sic sua narrat, vt nostra significet: quia sancta Ecclesia cùm fideles suos conspicit ad vitæ veteris culpas redire, eos quos nouitatem mentis intuetur perdere, cogitur plorare. Prædicator quippe egregius discipulis suis dicit: Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? *1. Thes.2.*
Nónne vos ante Dominum? Sancta ergo Ecclesia quasi amissam gloriam deplorat, cùm fideles suos ad vitam veterem redire considerat. Ait enim: Dicebam, gloria mea semper innouabitur: quia eos quos in se nouæ vitæ militare credidit, vetustis desideriis seruire cognoscit.

28 Arcus autem nomine in ſacro eloquio aliquando malorum
Arcus. inſidiæ, aliquando dies iudicij, aliquando verò ipſa eadem ſa-
cra eloquia deſignantur. Per arcum quippe inſidiæ figuran-
Pſalm.63. tur, ſicut per Pſalmiſtam dicitur: Intenderunt arcum ſuum,
rem amaram. Per arcum quoque dies extremi iudicij deſigna-
Pſalm.59. tur, ſicut per eundem rurſum Pſalmiſtam dicitur: Oſtendiſti
populo tuo dura, potaſti nos vino compunctionis. Dediſti
metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus. In ar-
cu enim quantò longè trahitur chorda, tātò de eo diſtrictior
exit ſagitta. Sic nimirum ſic extremi iudicij dies quantò lon-
gè differtur vt veniat, tantò cùm venerit, de illo diſtrictior
ſententia procedit. Idcirco autem diuerſis nunc cladibus per-
cutimur, vt his correcti, paratiores tunc inueniri valeamus.
Vnde illic præmiſſum eſt: Oſtendiſti populo tuo dura, fla-
gella videlicet ſeculi quę ſecuturum grauius iudicij diem prę-
currunt. Potaſti nos vino compunctionis: vt terrena gaudia
in lachrymas verterentur. Dediſti metuentibus te ſignifica-
tionem, vt fugiant à facie arcus. Ac ſi diceret: Hoc tempus
miſericordiæ eſt, illud tempus iudicij erit. Per iſta ergo hu-
ius temporis flagella ſignificas, quomodo tunc percuſſurus es
quando non parcens iudicas, qui ſic diſtrictè modo percutis
quando parcis. Aliquando autem per arcum etiam ſacra ſcrip-
tura ſignatur. Ipſa quippe arcus eſt Eccleſiæ, ipſa arcus eſt
Domini, de qua ad corda hominum ſicut ferientes ſagittæ, ſic
Pſalm.7. terrentes ſententiæ veniunt. Vnde rectè quoque per Pſalmi-
ſtam dicitur: Arcum ſuum tetendit & parauit illum, & in ip-
ſo parauit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit. Arcum
nanque ſuum Dominus tetendit: quia cunctis peccatoribus
per ſcripturam ſacram minas exhibuit. In quo arcu ſcilicet va-
ſa mortis præparat: quia ſecundum eloquij ſui ſententiam, eos
qui nunc corrigi negligunt, reprobos damnat. In quo etiam
ſagittas ſuas ardentibus effecit, quia in eos quos per terrorem
corrigit, accenſas verborum ſententias emittit. De hoc præ-
Eſaiæ.7. dicatorum arcu per Eſaiam dicitur: Cum ſagittis & arcu e-
grediuntur illuc: quia nimirum ſancti Apoſtoli ad feriendam
gentilis vitæ duritiam cum diſtrictis verborum ſpiculis ve-
nerunt. Quid igitur hoc in loco arcus nomine, niſi ſacrum e-
loquium debet intelligi? In chorda etenim teſtamentum no-
uum, in cornu verò teſtamentum vetus accipitur. In arcu au-
tem dum chorda trahitur, cornu curuatur. Sic in hoc eodem
ſacro eloquio dum teſtamentum nouum legitur, duritia teſta-
menti veteris emollitur. Ad eius nanque ſpiritalia, & blanda
præcepta illius literæ ſe rigor inclinat: quia teſtamentum no-
uum dum quaſi quodam bonæ operationis brachio trahitur,
in teſtamēto veteri ſeueritatis iura flectuntur. Nec indecen-
ter dicimus chordam teſtamento nouo congruere, quod de
incarnatione dominica certum eſt extitiſſe. Quaſi ergo chor-
da trahitur, & cornua curuantur: quia dum in teſtamento no-
uo incarnatio mediatoris agnoſcitur, ad ſpiritalem intelligen-
tiam rigor teſtamēti veteris inclinatur. Ait igitur ſanctus vir:
*Dicebā, Gloria mea ſemper innouabitur, & arcus meus in manu mea in-
ſtaurabitur.*) Arcus in manu, eſt ſcriptura ſacra in operatione.
In manu etenim arcum tenet, qui diuina eloquia quæ intelle-
ctu cognoſcit, operatione perficit. Inſtauratur ergo arcus in
manu, dum quicquid in ſacro eloquio ſtudendo cognoſcitur,
Canti.4. viuendo completur. Hinc etiam Salomon dum fortes ſpirita-
lis pugnæ deſcriberet bellatores, ait: Omnes tenentes gla-
dios, ad bella doctiſsimi. Quid nanque in diuina ſcriptura per
Ephe.6. gladium figuretur, Paulus aperuit, dicens: Et gladium ſpiri-
29 tus, quod eſt verbum Dei. Salomon autem non ait: Om-
nes habentes gladios, ſed tenentes: quia videlicet verbum
Dei non eſt mirabile ſolūmodo ſcire, ſed facere. Habet quip-
pe, ſed non tenet gladium, qui diuinum quidem eloquium
nouit, ſed ſecundum illud viuere negligit. Et doctus eſſe ad
bella iam nō vellet, qui ſpiritalem quem habet gladium mini-
mè exercet. Nam reſiſtere tentationibus omnino nō ſufficit,
qui hunc verbi Dei tenere gladium malè viuendo poſtponit.
Sancta itaque Eccleſia quæ ſubſequenti perſecutione depri-
mitur, malorum abundantiam, & bonorum inopiam penſans,
beati Iob vocibus damna ſua prænuntiat, dicens: *Dicebám-
que: In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies. Radix
mea aperta eſt ſecus aquas, & ros morabitur in meßione mea. Gloria
mea ſemper innouabitur, & arcus meus in manu mea inſtaurabitur.*)

E Quæ videlicet cuncta conſiderans, nequaquam ſpe caſſa fal-
lebatur. Nam perfecti quique multos nunc eius conſpiciunt
adiutores, ſed penſant proculdubio quòd emergente perſe-
cutionis articulo, ex his plerique hoſtes illius fiunt, qui eſſe
pacis tempore eius ciues vidētur. Non autem de omnibus ita
deſperant: ſed tamen plerunque contingit, vt hi de quibus
maiorem fidei fiduciam habuerant, ipſi eiuſdem fidei hoſtes
atrociores fiant: vt eos tunc videant contra ſacra eloquia a-
gere, ex quorum ſe operatione crediderant hæc eadem ſacra
eloquia ad prædicationis gratiam reſtaurare. Quæ tamē tem-
pora iam nunc inchoaſſe ingemiſcimus, cùm multos intra
Eccleſiā poſitos cernimus, qui aut nolunt operari quod intel-
ligunt, aut hoc ipſum quoque ſacrum eloquium intelligere ac
noſſe contemnunt. A veritate etenim auertentes auditum, ad
fabulas conuertuntur, dum omnes quæ ſua ſunt quærunt, non
quæ ſunt Ieſu Chriſti. Scripta Dei vbique reperta opponun-
tur oculis, ſed hæc cognoſcere homines dedignantur. Penè
F nullus quærit ſcire quod credidit. Multitudo ergo bonorum
præcedentium arcum ſuum deſtrui dolebat, quæ ſacrum elo-
quium reſtaurari ſemper per ſtudium ſubſequentiū credebat.

Libri deciminoni Moralium ſancti Gregorij finis.

B. GREGORII MORALIS EXPOSITIONIS LIBER VIGESIMVS, CONTINUANS reliqua capitis vigeſiminoni textus beati Iob.

Caput I.

QVanuis omnem ſcientiam atque doctri-
nam ſcriptura ſacra ſine aliqua compara-
G tione tranſcendat, vt taceam quòd vera
prædicat, quòd ad cœleſtem patriam vo-
cat, quòd à terrenis deſideriis, ad ſuper-
na amplectenda cor legentis immutat,
quòd dictis obſcurioribus exercet for-
tes, & paruulis humili ſermone blanditur: quòd nec ſic clau-
ſa eſt vt paueſci debeat, nec ſic patet, vt vileſcat: quòd vſu
faſtidium tollit, & tantò amplius diligitur, quantò amplius
meditatur: quod legentis animum humilibus verbis adiuuat,
ſublimibus ſenſibus leuat: quòd aliquo modo cum legenti-
bus creſcit quòd à rudibus lectoribus, quaſi recognoſcitur, &
tamen doctis ſemper noua reperitur: vt ergo de rerum pon-
derē taceam, ſcientias tamen omnes atque doctrinas ipſo e-
tiam locutionis ſuæ more tranſcendit: quia vno eodémque
ſermone dum narrat textum, prodit myſterium, & ſic ſcit
præterita dicere, vt eoipſo nouerit futura prædicare, & non
immutato dicendi ordine, eiſdem ipſis ſermonibus nouit &
anteacta deſcribere, & agenda nuntiare: ſicut hæc eadem bea-
H ti Iob verba ſunt, qui dum ſua dicit, noſtra prædicit, dúm-
que lamenta propria per ſermonem indicat, ſanctæ Eccleſiæ
cauſas per intellectum ſonat. Ait enim: *Qui me audiebant,
expectabant ſententiam, & intenti tacebant ad conſilium meum.
Verbis meis addere nihil audebant, & ſuper illos ſtillabat eloquium
meum. Expectabant me ſicut pluuiam, & os ſuum aperiebant quaſi ad
imbrem ſerotinum.*) Hanc etenim apud beatum Iob fuiſſe ſubie-
ctorum reuerentiam indubitāter credimus. Sed ſicut iam ſæ-
pe diximus, ſancta Eccleſia hæreticorum, vel carnalium tri-
bulationibus preſſa, præteritorum reminiſcitur temporum, in
quibus omne quod ab ea dicitur, cum metu à fidelibus audi-
tur, & aduerſariorum ſuorum proteruiam deplorans, dicit:

*Quantæ reuerentiæ Iob fuerit apud auditores ſuos, & quantæ
diſcretionis in ſermonibus proferendis.*
Caput II.

Q*Vi me audiebant expectabant ſententiam, & intenti tacebant ad
conſilium meum.*) Ac ſi apertè dicat: Non vt hi proterui
ac tumidi, qui dum veritatis verba ſuſcipere renuunt, prędica-
tionis meæ ſententias quaſi docendo pręcurrunt. Cuius nunc
diſcipuli intenti ad eius conſilium tacent: quia verba eius
non

non audent impugnare, ſed credere. Vt enim proficere ex ip- A
ſis poſsint, ea procul dubio non iudicatari, ſed ſecuturi au-
diunt. De quibus rectè ſubiungitur: *Verbis meis addere nihil au-
debant:*) quia nimirum tunc hæretici cùm contra hanc liberta-
te peſsima fuerint effrenati, dictis eius addere aliquid præſu-
munt, cùm prædicamentorum eius rectitudinem quaſi emē-
dare moliuntur. Quæ adhuc de bonis auditoribus ſubdit: *Et
ſuper illos ſtillabat eloquium meum.*) In hac ſtillatione eloquij,
quid aliud quàm menſura prædicationis accipitur? quia opor
tet vt exhortationis gratia ſingulis iuxta capacitatem ingenij
conferatur. Per hoc ergo quod dicitur: Verbis meis addere
nihil audebant, reuerētia laudatur audientium. Per hoc verò
quod ſubditur: *Et ſuper illos ſtillabat eloquium meum.*) indi-
catur diſpenſatio magiſtrorum. Debet enim ſubtiliter is qui
docet perſpicere, ne plus ſtudeat, quàm ab audiēte capiatur,
prædicare. Debet enim ad infirmitatem audientiū ſemetip-
ſum contrahendo deſcendere, ne dum prauis ſublimia, &
idcirco non profutura loquitur, ſe magis curet oſtendere,
2. quàm auditoribus prodeſſe. Iubente autem Domino, non B
Exod.37. ſolùm phialæ ad menſam tabernaculi, ſed etiam cyathi præ-
parantur. Quid enim per phialas, niſi larga prædicatio, quid
verò per cyathos, niſi minima & tenuis de Deo locutio deſi-
gnatur? In menſa igitur Domini, & phialæ prępara̅tur & cya-
thi: quia videlicet in doctrina ſacri eloquij, nō ſolùm exhibē-
da ſunt magna & arcana, quæ deebriāt, ſed etiā parua & ſub-
tilia quæ quaſi per guſtum notitiā præſtant. Huius ergo diſ-
cretiſsmæ diſpenſationis ſuæ, ſancta Eccleſia extremis preſſa
temporibus reminiſcatur, & dicat: Super illos ſtillabat elo-
quium meū. Vbi aptè quoque ſubiūgitur: *Expectabant me ſicut
pluuiam, & os ſuū aperiebant quaſi ad imbrē ſerotinū.*) Verba quip-
pe ſanctę prędicationis ſicut pluuiā ſuſtinemus: cùm vera hu-
militate ariditatem noſtri cordis agnoſcimus, vt potu ſanctæ
Pſalm.142. prædicationis irrigemur. Vnde Deo rectè per Pſalmiſtā di-
citur: Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. His doctrinæ flu-
Eſa.55. entis infundi Propheta nos admonet, dicēs: Sitientes venite
ad aquā. Qui dum in extrema parte iam ſeculi verba ſanctæ C
prædicationis accipimus, quaſi ad imbrē ſerotinū os cordi a-
Pſalm.11. perimus. Nā ſi os in corde nō eſſet, Pſalmiſta nō diceret: La-
bia doloſa in corde, & corde locuti ſunt mala. Os igitur cor-
dis quia verbis intēdimus vltimę prædicationis, hoc velut ſe-
rotinis aperim⁹ fluētis. Quę nimirū prędicatio ex eius ad nos
Pſalm.14. ſacrificio prodiit, qui p̄ Pſalmiſtā dicit: Eleuatio manuū mea-
rum ſacrificium veſpertinū. Quia enim redēptor noſter iux-
ta mundi finē vim perſequentiū pertulit, ſemetipſum pro no-
Hiere.5. bis ſacrificium veſpertinum dedit. De hoc imbre ſerotino a-
liàs ſcriptum eſt: Dabo vobis pluuiā temporaneā & ſerotinā.
Temporaneam quippe pluuiam dedit: quia electis ſuis priori
tempore legis intellectum contulit. Serotinam quoque plu-
uiam tribuit: quia prædicari diebus vltimis incarnationis ſuæ
myſterium fecit. Quod quia ſancta Eccleſia quotidie annun-
tiare non deſinit, ora cordis audientium velut ex imbre ſero-
tino infundit. Sequitur:

*Quòd prælatus quiſque ea circa ſubditos ſuos debet vti cenſura, vt eis
pro tempore ſit ſe grauem exhibeat, vt non reddat odioſum, ſic hila-
rem, vt non faciat vilem.* *Caput III.*

S*I quando ridebam ad eos, non credebant: & lux vultus mei non
cadebat in terram.*) Hæc ſi iuxta hiſtorię verba percipimus,
credi neceſſe eſt quòd vir ſanctus talem ſe exhibuerit ſubdi-
tis, vt etiam ridens timere potuiſſet. Sed cùm ſuperius patrē
ſe pauperū, viduarum verò conſolatorem fuiſſe perhibet, ma-
gna valde diſcretione res indiget, quomodo in tanto terrore
regiminis, tanta quoq; affuerit lenitas, & manſuetudo pieta-
tis. Sine magna enim benignitatis lenitate non fuit hoc, quod
ſe patrem pauperū, & viduarum conſolatorem dicit. Sed rur-
ſum ſine magna ſeueritate nō potuit etiā ridēs timeri. Qua in
rę quid aliud docemur, niſi quod talis debet eſſe diſpenſatio
regiminis, vt is qui pręeſt, ea ſe circa ſubditos mēſura mode-
retur, quatenus & arridēs timeri debeat, & iratus amari? vt eū
nec nimia letitia vilē reddat, nec immoderata ſeueritas odio-
ſum. Sæpe enim ſubiectos frangimus, dum plus iuſto vigorē
iuſtitiæ tenemus. Qui profectò vigor iam iuſtitię nō erit, ſi ſe
ſub iuſto moderamine nō cuſtodit. Et ſæpe à diſciplinę metu
reſoluim⁹ ſubditos, ſi noſtro regimini hilaritatis frena relaxa-

mus: quia dum nos quaſi licenter lætos aſpiciunt, audacter ipſi
ad illicita reſoluuntur. Sed vt rectoris vultus etiam lætus 3.
debeat timeri, neceſſe eſt vt ipſe vultum ſui conditoris ſine
ceſſatione timeat. Illi etenim menti difficile de lætitia credi-
tur, quæ quod ſe pro amore Domini continuè affligat, à ſub-
ditis ſcitur. Qui enim inceſſanti æſtu ſpiritalis deſiderij ſuper-
na appetit, valde de ea in dubium venit hoc quod aliquando
ante homines hilareſcit. Vnde & idem beatus Iob non longè
pòſt dicturus eſt: Semper enim quaſi tumentes ſuper me flu-
ctus timui Deum. Sic quippe metuebat iudicem ſuum, quaſi
imminentes impetus fluctuum, iam iamque moriturus. Cuius
ergo ita mentem mœror diuini timoris infuderat, rectè hilari-
tati illius ſubditi non credebant: quia cogebantur ridenti non
credere, cuius cor in timore conditoris nouerant, quàm
continua mœſtitia tenebat. Hoc quoque iuxta hiſtoriam non
inconuenienter accipitur, quod protinus ſubinfertur:

*Quòd ſanctorum lux in terrenorum deſideriis non eſt, quorum
conuerſatio in cœlis eſt,* *Caput IIII.*

B E*T lux vultus mei non cadebat in terram.*) Scriptum quippe
eſt: Oculi ſtultorum in finibus terrę. Rurſúmque per eun- *Eccles.2.*
dem Salomonem dicitur: Oculi ſapientis in capite eius. Pau-
lus quoque ait: Caput viri Chriſtus. Oculi ergo ſapientis in *1.Cor.11.*
capite eius ſunt, dum redemptoris ſui ſemper opera quæ imi-
tari debeat, contemplatur. Lux ergo vultus eius in terram nō
cecidit: quia ea quæ terrena ſunt, per concupiſcentiam non aſ-
pexit. Sed quia ſuperficiem hiſtoriæ ſub breuitate diſcuſsi-
mus, quid in his intellectu myſtico lateat, perpendamus. V-
nam eſſe perſonam Chriſtum & Eccleſiam plerunque iam di-
ximus, & ſæpe vox capitis ad vocem corporis: ſæpe vox cor-
poris ad vocem capitis tranſit. Qui enim ſunt in carne vna, nil
obſtat vt conueniant etiam in voce vna. Dicat ergo voce ca-
pitis de electis ſuis, dicat Eccleſia: *Si quando ridebam ad eos, non
credebant.*) Ridere etenim Dei, eſt ſanctorum vias proſequen-
ti fauore proſperari: ſicut de his quoque per vſum dicitur,
quos in hoc ſeculo fœlicitatis blandimenta comitantur: Arri-
C ſit illis tempus. Vnde econtrà ira appellatur Domini, à bonis
actionibus infirmari: ſicut ſcriptum eſt: Nequando iraſcatur *Pſalm.2.*
Dominus, & pereatis de via iuſta. Si igitur iraſci Dominus
perhibetur, cùm viam iuſtitiæ homines perdunt, rectè arride-
re Dominus dicitur, cum bona noſtra opera fauor gratiæ ſu-
pernæ comitatur.

*Quòd graue peccatum ſit incauta ſecuritas: & valde vtile ſit, etiam cùm
ſtamus, formidare ruinam.* *Caput V.*

SEd electi quique quandiu in hac vita ſunt, ſecuritatis ſibi
confidentiam non promittunt. Horis enim omnibus con-
tra tentamēta ſuſpecti, occulti hoſtis inſidias metuunt: qui etiā
tentatione ceſſante, vel ſola grauiter ſuſpicione turbātur. Nam
ſæpe multis graue periculum incauta ſecuritas fuit: vt callidi
hoſtis inſidias non tentati, ſed iam proſtrati cognoſcerent. Vi-
gilandum quippe ſemper eſt, vt mens continuè ſollicita nun-
quam relaxetur intentione ſuperna: ne laborioſa deſerens, in
cogitationibus fluxis, quaſi in quibuſdam mollibus ſtramen-
tis iacens, venienti corruptori diabolo mēs ſe reſoluta proſti-
D tuat. Semper verò eſt ad certamen aduerſarij erigendus ani-
mus: ſemper contra occultas inſidias cautela prouidēda. Hinc
etenim Abacuc propheta ait: Super cuſtodiam meam ſtabo. *Abac.2.*
Hinc rurſum ſcriptum eſt: Statue tibi ſpeculā: pone tibi ama- *Hier.31.*
ritudines, qui euāgelizas Sion. Hinc per Salomonem dicitur:
Beatus vir qui ſemper eſt pauidus: qui autem mentis eſt duræ, *Prouer.28.*
corruet in malum. Hinc iterū dicit: Vnuſquiſque enſis ſuper *Cantic.3.*
femur ſuum, propter timores nocturnos. Nocturni quippe ti-
mores ſunt inſidiæ tentationis occultæ. Enſis autem ſuper fe-
mur, eſt cuſtodia vigilans: carnis illecebras premens. Ne ergo
nocturnus timor, id eſt, occulta & repētina tentatio ſubrepat:
ſemper neceſſe eſt, vt femur noſtrum ſuperpoſitus cuſtodiæ
enſis premat. Sancti etenim viri ſic de ſpe certi ſunt, vt ta- 4.
men ſemper ſint de tentatione ſuſpecti: quippe quibus dici- *Pſalm.2.*
tur: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: vt
& de ſpe exultatio, & de ſuſpicione naſcatur tremor. Quorum
voce iterū Pſalmiſta ait: Lætetur cor meū vt timeat nomē tuū. *Pſalm.85.*
Qua in re notandum quòd non ait: Lætetur vt ſecurū ſit: ſed,
Lætetur vt timeat. Meminerunt nanque quanuis eorum actio
proſperetur, quia adhuc in hac vita ſunt: de qua per eundem

Iob dicitur: Tentatio est vita humana super terram. Meminerunt rursum quod scriptum est: Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam: & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Meminerunt & metuunt, & certitudinem sibi in se promittere non præsumunt: sed positi inter gaudium spei, & tentationis metum, confidunt & timent: confortantur & titubant: † certificantur & suspecti sunt. Bene ergo per vocem electi membri sub figura nostri capitis dicitur: Si quando ridebam ad eos, non credebat mihi: quia redemptori nostro quasi arridenti non credimus, dum multis iam eius donis testantibus, & gratiam fauoris eius accipimus: & tamẽ adhuc sub eius iudicio de nostra infirmitate titubamus. Videamus qualiter Paulo, & arriderit iam per supernam gratiam: & ipse adhuc quasi non credit per suspicionis metum. Iam è cœlo illi Dominus loquens, eiusque interius oculos aperiens, exterius claudens, potentiam suæ maiestatis ostenderat: iam de eo Ananiæ dixerat: Vas electionis mihi est iam ad tertium cœlum super se raptus fuerat: iam in paradisum ductus, arcana verba quæ dicere non posset audierat: & tamen adhuc timidus dicit: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar: Ecce arridenti sibi diuinæ gratiæ iam credit per spem: & nedum tamen credit per securitatem. Iam quia bene hæc verba redemptoris nostri vocibus congruunt, etiam subiuncta testantur, cùm dicitur: *Et lux vultus mei non cadebat in terram.*) Quid nanque terra nisi peccator vocatur: cui prima sententia dictum est: Terra es, & in terram ibis? Lux ergo vultus Domini in terram nequaquam cadit: quia visionis eius claritas peccatoribus non apparet. Scriptum nanque est: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Quasi enim lux in terram caderet, si in extremo iudicio veniens, claritatem maiestatis suę peccatoribus aperiret. Quòd si hęc verba ex sanctæ Ecclesię voce suscipimus, non incongruè intelligere poterimus, lucẽ vultus eius in terram non cadere: quia occupatis in terrenis actionibus, vetat summa contemplationis suæ mysteria prædicare. Dici enim infirmis fortia prohibet, ne dum incapabilia audiunt, prædicationis verbis quibus subleuari debuerãt, opprimantur. Lux quippe ipsa corporea quæ oculos sanos irradiat, infirmos obscurat: & dum lippiẽtibus oculis claritati Solis intenditur, plerunque eis cæcitas ex luce generatur. Sancta itaque Ecclesia oppressa persecutionis tẽpore, memor autem præteritæ discretionis suæ dicat: Lux vultus mei non cadebat in terram. Sed quia ex eius capite hæc verba intelligere cœpimus, in ipso adhuc quod sequitur exequamur. Nam subditur:

Sapien. 9.
† al. certi mor. ntur.
Act. 9.
1. Corin. 9.
Gene. 3.
Esa. 26.

Quòd in eorum cordibus qui carnem animæ præponunt, Christus non primum locum habet, sed vltimum.
Caput VI.

Si voluissem ire ad eos, sedebam primus.) Quia in corde reproborum priori loco actiones carnis sunt, & posteriori actiones animæ: in eorum proculdubio cogitationibus Christus non primus, sed vltimus sedet. Sed electi quique quia ea præ omnibus, quæ æterna sunt, cogitant: & posteriori cura ac minima si qua sunt temporalia disponunt, quibus & magistra voce veritatis dicitur: Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis: in eorum corde Dominus primus sedet: Vbi aptè præmittitur: Si voluissem ire ad eos. Quia enim, sicut scriptum est, omnia operatur, secundum consilium voluntatis suæ, non secundum nostrum meritum: sed quia ipse ita vt vult, visitatione sua nos Dominus illustrat. Itaque & cùm vult venit: & cum venerit, primus sedet: quia & aduentus eius in corde nostro gratuitus est: & appetitus eius desiderij, in cogitatione nostra, æqualis cæteris desideriis non est. Sequitur:

Matth. 6.
Ephe. 1.

Quòd prædicator circunstantem Ecclesiæ exitum quem regit, diuinarum promissionum authoritatibus debeat consolari.
Caput VII.

Quomodo Christus qua si rex sedet in corde nostro.

Cvmque sederem quasi rex circunstante exercitu: eram tamen mœrentium consolator.) Quasi rex Dominus sedet in corde: quia circunstrepentes regit animorum motus in nostra cogitatione. In mente quippe quam inhabitat, dum torpentia excitat, inquieta sœnat, frigida accendit, accensa moderatur, emollit rigida, fluxa restringit: ex ipsa hac diuersitate cogitationum quasi quidam illum exercitus circunstat. Siue certè quasi rex sedet circunstante exercitu: quia præsidentem illum mentibus electorum circunstat turba virtutum. Qui etiam mœrentium consolator est, ex ea promissione qua dicit: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Et rursus: Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum: & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Ea verò quæ de sanctæ Ecclesiæ capite diximus, nil obstat si ad vocem quoque eiusdem Ecclesiæ referamus. In ea quippe ordo doctorum quasi rex præsidet, quem fidelium suorum turba circunstat. Quæ scilicet multitudo fidelium rectè quoque exercitus dicitur: quia in procinctu bonorum operum indefinenter quotidie contra tentationum bella præparatur. Corda quoque merentium sancta ecclesia consolatur, dum per præsentis peregrinationis ærumnas afflictas mentes electorum pensat: & has æternæ patriæ promissione lætificat. Considerat etiam quòd cogitationes fidelium diuino sint timore percussæ: & quos de Deo conspicit districta audisse vt timeant, agit quoque quatenus & mansuetudinem pietatis eius audiant vt præsumant. Sic nanque sancta Ecclesia fidelibus suis de pietate & iustitia redemptoris in prædicationis serie spem miscet & metum: quatenus nec incautè de misericordia confidant, nec desperatè iustitiam timeant. Nam verbis sui capitis formidãtes refouet: dicens: Nolite timere pusillus grex: quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. Atque iterum præsumentes terret, cùm dicit: Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Rursum formidantes refouet, dicens: Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlo. Sed in semetipsis præsumentes deterret, cùm ait: Videbam satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Formidantes refouet, cùm dicit: Oues meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Sed in semetipsis præsumentes deterret, dicens: Dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Formidantes refouet, dicens: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Præsumentes deterret, dicens: Cùm venerit filius hominis, putas inueniet fidem in terra? Metuentes refouet, cùm latroni dicit: Hodie mecum eris in paradiso. Sed terret præsumentes, dum Iudas ex Apostolatus gloria in tartarum labitur. De quo per sententiæ definitionem dicitur: Duodecim vos elegi, & vnus ex vobis diabolus est. Formidantem, refouet, cùm dicit: Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltra? Nunquid non contaminata, & polluta erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus tuis multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus. Sed præsumentem deterret, cùm dicit: Quid clamas super contritione tua? insanabilis est dolor tuus. Formidantem refouet, dicens: Ergo saltem amodò voca me, pater meus: dux virginitatis meæ tu es. Sed præsumentem deterret, dicens: Pater tuus Amorrhæus: & mater tua Cethea. Formidantem refouet, cùm ait: Reuertere aduersatrix Israël: & nõ auertam faciem meam à vobis, quia sanctus ego sum, dicit Dominus: & non irascar in perpetuum. Sed præsumentem deterret, cùm Prophetam suum ab intercessione prohibet, dicens: Non assumas pro eis laudem & orationem: quia non exaudiam clamorem eorum in tempore afflictionis: quia si steterint coram Moyses & Samuël, non est anima mea ad populũ istum.

Fructus illius sessionis.
Matth. 5.
5.
Sancta ecclesia in prædicatione sua spem miscet, & metum.
Lucæ 12.
Lucæ 22.
Lucæ 10.
Ibidem.
Io. xv. 10.
Matth. 24.
Ibidem.
Lucæ 23.
Ioan. 6.
Lucæ 16.
Hiere. 3.
Hiere. 30.
Hiere. 3.
Ezech. 16.
Hiere. 3.
Hiere. 7.

Quòd in prælatis ecclesiæ sese complecti debeant, & affectus misericordiæ & districtio disciplinæ.
Caput VIII.

Sancta itaque Ecclesia auditorum suorum mentem, & de misericordiæ benignitate subleuat, & de iudicij districtione perturbat: quatenus in prædicatione sua dum bene vtrunque permiscet, electi eius nec de exhibita iustitia præsumant, nec de præterita iniquitate desperent. Sed hoc quod ait: *Cùm sederem quasi rex circunstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator:* sciendum nobis est quòd valde lectorem ædificare etiam iuxta historiam potest, si perpendat quomodo bonis rectoribus mixta sit, & regendi authoritas & benignitas consolandi. Ait enim: Cúmque sederem quasi

rex circunstante exercitu: ecce authoritas regiminis. Eram tamen mœrentium consolator: ecce ministerium pietatis.

6. Disciplina enim vel misericordia multum destituitur, si vna sine altera teneatur. Sed circa subditos suos inesse rectoribus debet, & iustè consolans misericordia, & piè sæuiens disciplina. Hinc est quòd semiuiui illius vulneribus qui à Samaritano in stabulum ductus est, & vinum adhibetur & oleum: vt per vinum mordeantur vulnera, per oleum foueantur: quatenus vnusquisque qui sanandis vulneribus præest, in vino morsum districtionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis: per vinum mundentur putrida, per oleum sananda foueantur. Miscenda est ergo lenitas cum seueritate, faciendumque quoddam ex vtraque temperamentum: vt neque multa asperitate exulcerent subditi, neque nimia benignitate soluantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca significat, in qua cùm tabulis virga simul ac manna est: quia cum scripturæ sacræ scientia est in boni rectoris pectore, si est virga districtionis, sit & manna dulcedinis. Hinc etiam Dauid ait: Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Virga etenim percutimur, & baculo sustentamur. Si ergo est districtio virgæ quæ feriat, sit & consolatio baculi quæ sustentet. Sit itaque amor, sed non emolliens: sit rigor, sed non exasperans: sit zelus, sed non immoderatè sæuiens: sit pietas, sed non plus quàm expediat parcens. Intueri libet in Moysi pectore misericordiam cum seueritate sociatam. Videamus amantem piè, & districtè sæuientem. Certè cùm Israëliticus populus ante Dei oculos penè ineuitabilem contraxisset offensam, ita vt eius rector audiret: Descende, peccauit populus tuus: ac si ei diuina vox diceret: Qui in tali peccato lapsus est, iam meus non est: atque subiungeret: Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam: ille semel & iterum pro populo cui præerat, obicem se ad impetum Dei irascentis opponens ait: Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quẽ scripsisti. Pensemus ergo quibus visceribus eundem populum amauit, pro cuius vita de libro vitæ deleri se petiit. Sed tamen iste qui tanto eius populi amori constringitur, contra eius culpas pensemus quanto zelo rectitudinis accendatur. Mox enim vt petitione prima, ne delerentur, culpæ veniam obtinuit, ad eundem populum veniens ait: Ponat vir gladium suum super femur suum, ite & redite de porta vsque ad portam, per medium castrorum & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suũ. Ceciderunt que in die illo quasi viginti tria milia hominum. Ecce qui vitam omnium etiam cum sua morte petiit, paucorum vitam gladio extinxit. Intus arsit ignibus amoris: foris accensus est zelo seueritatis. Tanta fuit pietas, vt se pro illis coram Domino morti offerre non dubitaret: tanta seueritas, vt eos quos diuinitùs feriri timuerat, ipse iudicij gladio feriret. Sic amauit eos quibus præfuit, vt pro eis nec sibi parceret: & tamen delinquentes sic persecutus est quos amauit, vt eos etiam Domino parcente prosterneret. Vtrobique legatus fortis, vtrobique mediator admirabilis: causam populi apud Deum precibus, causam Dei apud populum gladiis allegauit. Intus amans diuinæ iræ supplicando obstitit: foris sæuiens culpam feriendo consumpsit. Sucurrit citius omnibus ostensa morte paucorum. Et idcirco omnipotens Deus fidelem famulum suum citiùs exaudiuit agentem pro populo: quia vidit quid super populum acturus esset ipse pro Deo. In regimine ergo populi vtrunque Moyses miscuit: vt nec disciplina deesset misericordiæ, nec misericordia disciplinæ. Vnde hîc quoque iuxta vtranque virtutem dicitur: *Cúmque sederem quasi rex circunstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.*) Sedere quippe circunstante exercitu, vigor est ac disciplina regiminis. Mœrentium verò corda consolari, ministerium pietatis. Sed quia inter hæc necesse est, vt expositionis sermo ad spiritalem intelligentiam recurrat: sancta Ecclesia ab aduersiis suis extremis temporibus pressa, reminiscitur transacti iura regiminis: reminiscitur & quanta afflictis exhibuerit beneficia pietatis. Cuius videlicet disciplina, & misericordia tunc à leuibus irridetur. Vnde & subditur.

parte 1. dist. 45. cap. Disciplina.
Lucæ 10.
Psalm. 22.
Exemplum in Moyse.
Exodi. 32.

Tomus primus.

Caput trigesimum textus beati Iob.

Vnc autem derident me iuniores tẽpore, quorum non dignabar partes ponere cum canibus gregis mei. Quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo: & vita ipsa putabantur indigni. Egestate & fame steriles: qui rodebant in solitudine, squalentes calamitate & miseria. Et mandebant herbas, & arborum cortices: & radix iuniperorum erat cibus eorum. Qui de conuallibus ista rapientes, cùm singula reperissent, ad ea cum clamore currebant. In desertis habitabant torrentium, & in cauernis terræ, vel super glaream. Qui inter huiuscemodi lætabantur: & esse sub sentibus delitias computabant. Filij stultorum & ignobilium, & in terra penitus non parentes. Nunc in eorum cãticum versus sum: & factus sum eis in prouerbium. Abominantur me, & longè fugiunt à me: & faciem meam conspuere nõ verentur. Pharetram enim suam aperuit & afflixit me: & frenum posuit in os meum. Ad dexteram Orientis calamitates meæ ilico surrexerunt. Pedes meos subuerterunt: & oppresserunt quasi fluctibus semitis suis. Dissipauerunt itinera mea: insidiati sunt mihi & præualuerunt: & non fuit qui ferret auxilium. Quasi rupto muro, & aperta ianua irruerunt super me, & ad meas miserias deuoluti sunt. Redactus sum in nihilum. Abstulit quasi ventus desiderium meum: & velut nubes pertransiit salus mea. Nunc autem in memetipso marcescit anima mea, & posident me dies afflictionis. Nocte os meum perforatur doloribus: & qui me comedunt, non dormiũt. In multitudine eorum consumitur vestimentũ meũ, & quasi capitio tunicæ succinxerũt me. Comparatus sum luto, & assimilatus sum fauillæ & cineri. Clamo ad te, & non exaudis me: sto, & non respicis me. Mutatus es mihi in crudelem: & in duritia manus tuę aduersaris mihi. Eleuasti me, & quasi super ventum ponẽs, elisisti me validè. Scio quia morti trades me: vbi constituta est domus omni viuenti. Veruntamen non ad consumptionem eorum emittis manum tuam: & si corruerint, ipse saluabis. Flebam quondam super eo qui afflictus erat: & cõpatiebatur anima mea pauperi. Expectabã bona, & venerũt mihi mala: præstolabar lucem & eruperunt tenebræ. Interiora mea efferbuerunt absque vlla requie, præuenerunt me dies afflictionis. Mœrens incedebam: sine furore consurgens in turba clamabam. Frater fui draconum: & socius struthionum. Cutis mea denigrata est super me, & aruerunt ossa mea præ caumate. Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium.

Quòd hæreticorum derisio nullius est inter patres authoritatis.
Caput IX.

Vnc autem derident me iuniores tempore.) Omnes hæretici ætati vniuersalis Ecclesiæ comparati, iuniores tempore congruè vocantur: quia ipsi ab ea, non autem ipsa egressa est illis. Vnde rectè quoque per Ioannem dicitur: A nobis exierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansistent vtique nobiscum. Iuniores ergo tempore sanctam Ecclesiam irrident, cùm hi qui ab ea egressi sunt, doctrinæ eius verba despiciunt, de quibus adhuc subditur: *Quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei.*) Quis est grex sanctæ Ecclesię, nisi multitudo fidelium? Vel qui alij huius gregis canes vocantur, nisi doctores sancti, qui eorundem fidelium custodes extiterunt? Qui dum pro Domino suo diur-

7.
1. Ioan. 2.

nis nocturnísque vigiliis intenti clamauerunt:magnos, vt ita
Psalm. 67. dixerim, latratus prædicationis dederunt. De quibus eidem E
Ecclesiæ per Psalmistam dicitur: Lingua canum tuorum ex
inimicis ab ipso. Nonnulli quippe ab idolorum cultibus re-
uocati, facti sunt prædicatores Dei. Lingua ergo canum Ec-
clesiæ ex inimicis prodit: quia conuersos gentiles Dominus
Esa.36. etiam prædicatores facit. Vnde Iudæorum tarditas, qui pro
Deo loqui noluerunt, increpante Propheta reprehenditur,
qui ait:Canes muti, nõ valẽtes latrare. Patres verò hæretico-
rum, dicimus eos videlicet quos hæresiarchas vocamus de
quorũ peruersa prędicatione, id est, locutionis semine, sequẽ-
tes sunt populi in errore generati. Sancta ergo Ecclesia cum
canibus gregis sui hęreticorũ patres ponere dedignatur:quia
inuentores errorũ diiudicando respuit, eósque inter veros pa-
tres numerare contemnit. Qui & si quosdam visi sunt à gen-
tilitatis errore reuocasse, quorundam mores ad honesta agẽ-
da docuisse:pro eo tamen quod de Deo recta non senserunt,
eos cum canibus gregis sui non ponit: quia cum rectis præ-
dicatoribus non ascribit. Liquet enim quòd Arrius, Foti- F
nus, Macedonius, Nestorius, Eutychius, Dioscorus, Seuerus,
multíque his similes docẽdo atque suadendo conati sunt pa-
tres videri: sed errores eorum sancta vniuersalis Ecclesia di-
stricta seueritate diiudicans, eos inter custodes gregis sui nõ
Act.20. numerat, quos eiusdẽ gregis vnitatem dissipãtes damnat. De
quibus voce Pauli Ephesiis dicitur: Scio quia post discessum
meum ingredientur ad vos lupi graues, nõ parcentes gregi.
Et quia nonnunquã hæretici quantò magis in perfidiæ error-
em dilabuntur, tantò amplius in exteriori sese operatione
custodiunt, ita vt agere præ cæteris magna videantur: sancta
vniuersalis Ecclesia cuncta eorum opera despicit, quæ ex au-
thoritate fidei non prodire perpendit. Vnde rectè quoque
beati Iob voce subiungitur: *Quorum virtus manuum erat mihi
pro nihilo: & vita ipsa putabantur indigni.*) Virtus quippe in ma-
nu, est magnitudo in operatione. Sed virtus manuum hære-
ticorum sanctæ Ecclesiæ pro nihilo ducitur:quia nullius esse
meriti conspicit vera fide perdita quicquid operantur. Cha-
ritatem quippe Dei & proximi deserunt, qui & de Deo falsa
sentiunt, & à proximis iurgando diuiduntur. Sed virtutem
manuum sine charitate testatur prædicator egregius nõ vale-
re, qui ait:Si distribuero omnes facultates meas in cibos pau-
perum: & si tradidero corpus meum vt ardeam: charitatem
8. autem non habeam, nihil mihi prodest. Nonnunquam ve-
rò hæretici signa quoque ac miracula faciunt, sed vt hîc præ-
Matth.7. mia afflictionis suæ, abstinentiæque recipiant, videlicet lau-
des quas quærunt. Vnde & redemptoris voce dicitur: Mul-
ti mihi dicens in illa die, Domine Domine, nónne in nomine
tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, &
in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor
illis, quia non noui vos: discedite à me qui operamini iniqui-
tatem. Qua nimirum sententia quid datur intelligi, nisi vt
in hominibus charitatis humilitas: non autem debeant virtu-
tum signa venerari? Vnde nunc sancta Ecclesia etiam si qua
fiant hæreticorum miracula despicit: quia hæc sanctitatis
specimen non esse cognoscit. Probatio quippe sanctitatis H
non est signa facere, sed vnumquéque vt se diligere: de Deo
autem vera cognoscere, de proximo verò meliora, quàm de
semetipso sentire. Nam quia vera virtus in amore est, non au-
tem in ostensione miraculi: veritas demonstrat, quæ ait: In
Ioan.13. hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectio-
nem habueritis ad inuicem. Qui enim nõ ait: In hoc cognos-
cetur quia mei discipuli estis, si signa feceritis, sed ait: Si dile-
ctionem habueritis ad inuicẽ: apertè indicat, quia veros Dei
famulos non miracula, sed sola charitas probat. Testimo-
nium ergo superni discipulatus, est donum fraternę dilectio-
nis. Quam videlicet dilectionem, quia omnes hæretici habe-
re refugiunt, dum ab vniuersalis Ecclesiæ vnitate diuidun-
tur, iure de eis dicitur: Quorum virtus manuum erat mihi
pro nihilo. Et quia ad eadem signa quæ exhibent, nulla hu-
militate concordant, rectè subditur: Et vita ipsa putabantur
indigni. Vel certè omnes hæreticos sancta Ecclesia vita ipsa
fatetur indignos: quia nimirum sub nomine Christi militant
contra nomen Christi. De quibus adhuc subditur:

Quòd hæretici quò de Deo plus volunt sapere, eò plus amittunt.

Caput X.

E*Gestate & fame steriles.*) Omnes hæretici dum in sacro elo-
quio plus secreta Dei student perscrutari quàm capiunt,
fame sua steriles fiunt. Neque enim ea quærunt ex quibus se-
metipsos ad humilitatem erudiant, mores in tranquillitate
disponant, patientiam seruent, longanimitatem exhibeant:
sed ea solummodo quæ eos doctos, atque loquaces demon-
strant: illa scire appetunt, ex quibus singulariter eruditi vi-
deantur. Plerunque enim audacter de natura diuinitatis tra-
ctant, cùm semetipsos miseri nesciant. Egestate ergo ac fame
sua steriles fiunt: quia ea perscrutari desiderant, ex quibus
bonæ vitę germina non producant. Vltra se quippe sunt quæ
perscrutantur: dúmque ad hoc tendunt quod comprehen-
dere nequeunt, ea cognoscere negligunt ex quibus erudiri
potuerant. Quam bene eorum audaciam prædicator egre- Roma.12.
gius refrenat, dicens: Non plus sapere quàm oportet sapere, Prouer.23.
sed sapere ab sobrietatem. Hinc Salomon ait: Prudentiæ tuæ Prouer.25.
pone modum. Hinc rursum dicit: Mel inuenisti, comede
quod sufficit tibi: ne fortè saturatus euomas illud. Dulcedi-
nem quippe spiritalis intelligentiæ, qui vltra quàm capit co-
medere appetit, etiam quod comederat euomit: quia dũ sum-
ma intelligere vltra vires quærit, etiam quæ bene intellexerat
amittit. Hinc rursum dicit: Sicut qui mel multum comedit,
nõ est ei bonum: sic qui perscrutator est maiestatis, opprimi-
tur à gloria. Gloria quippe inuisibilis conditoris, quæ mode-
ratè inquisita nos erigit, vltra vires perscrutata premit. Itaque
hæretici quia de sublimitate intelligẽtiæ quantò amplius re-
pleri ambiunt, tantò amplius inanescunt, bene de eis dici-
tur: Egestate & fame steriles. Immoderatis nanque ausibus
cognitionis supernæ scientiam quo plus appetunt, plus amit-
tunt. At contrà hi qui in sancta Ecclesia veraciter sunt hu- 9.
miles, & veraciter docti, norunt de secretis cœlestibus, &
quædam considerata intelligere, & quædam non intellecta
G venerari: vt & quæ intelligunt, veneranter teneant: & quæ
necdum intelligunt, humiliter expectent. Vnde nobis per
Moysen dicitur: vt comedentes agnum, quicquid de eo re-
liquum fuerit, igni comburamus. Agnum quippe comedi- Exod.12.
mus, cùm multa dominicæ humanitatis intelligendo recon-
dimus in ventrem mentis. Ex quo quædam nobis remanent
quæ comedi nequeunt: quia multa adhuc de illo restant quæ
intelligi nequaquam possunt. Quæ tamen igne comburen-
da sunt: quia ea quæ capere de illo non possumus, humiliter
sancto spiritui referuamus. Quæ plerúque humilitas ea etiam
electorum sensibus aperit, quæ ad intelligendum impossi-
bilia esse videbantur. Nam peruersæ hæreticorum mentes
dum sibi superbè intellectum tribuunt, quasi certas dare sen-
tentias etiam de incognitis præsumunt vnde fit vt ipsa eos e-
latio quæ intus apud semetipsos eleuat, à veritate foras repel-
lat: vixque in dictis Dei exteriora capiant, qui se secreta spi-
ritalia penetrasse singulariter putabant. Vnde hîc quoquo
subditur:

Quòd hæretici ad medullam scripturæ sacræ non perueniunt, sed corticem eius rodant, & vix exteriora eius agnoscant.

Caput XI.

Q*Vi rodebant in solitudine, squalentes calamitate & miseria, &
mandebant herbas, & arborum cortices.*) Rodi solet quod
comedi non potest. Hæretici autẽ quia scripturã sacram in-
telligere sua virtute moliunt, eam proculdubio apprehende-
re nequaquam possunt: quam dum non intelligunt, quasi nõ
edunt. Et quia per supernam gratiam non adiuti hanc come-
dere nequeunt, quasi quibusdam illam nisibus rodunt. Exte-
rius quippe illam contrectant, cùm quidam conantur: sed nõ
ad eius interiora perueniunt. Qui quia ab vniuersalis Eccle-
siæ societate disiuncti sunt: non quolibet rodere, sed in soli-
tudine memorantur. Ad quam nimirum solitudinẽ, quia prę-
dicatores falsi sequaces suos traherẽt, longè antè veritas prę-
monuit, dicens: Si dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite Matth.24.
exire. Qui rectè perhibentẽ calamitate, & miseria squalidi: quia
& morum sunt pernicie, & sensum prauitate despecti. Qui
herbas

herbas quoque & arborum cortices mandunt: quia elationis A
suæ obice repulsi, in sacro eloquio magna & intima percipe-
re nequeunt: sed vix in illo quædam tenera & exteriora co-
gnoscunt. Per herbas quippe dicta planiora: per arborum
cortices patrum eloquia exteriora signantur. Qui ergo ea
scire appetunt, ex quibus docti nequaquam sint, sed esse vi-
deantur: dum in sacris voluminibus vim charitatis erga Deũ
ac proximum medullitùs non exquirunt, quasi herba, vel
cortice pascuntur: quia vel ima, vel exteriora sunt, quæ men-
tes superbientium nutriunt. Vel certè herbas mandere, est
de scriptura sacra minima præcepta seruare, maiora con-
Matth.23. temnere. Quos bene veritas increpat, dicens: Væ vobis scri-
bæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentam, & ane-
thum, & cuminum: & reliquistis quæ grauiora sunt legis.
Qui arborum quoque cortices mandunt: quia sunt nonnulli
qui in sacris voluminibus solam literæ superficiem venera-
ntur, nec quicquam de spiritali intellectu custodiunt: cùm ni-
hil in verbis Dei amplius, nisi hoc quod exterius audierint,
esse suspicantur. Quos tamen in cunctis erroribus suis inanis B
gloriæ appetitus possidet, eósque honoris ambitus captiuos
tenet: & plerunque per ipsa quæ loquuntur, nihil aliud quã
Roma.16. terrena lucra appetũt. De quibus per Paulum dicitur: Huius-
& Philip.3 modi enim Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri.
Vnde rectè quoque subiungitur:

*Quòd hæreticorum intentio in auaritia sit: de cuius radi-
ce punctiones peccatorum nascuntur.*

Caput XII.

E*T radix iuniperorum erat cibus eorum.*) Arbor nanque iu-
niperi pro foliis punctiones habet. Sic quippe sunt hir-
suta quę profert, vt spinis similia contrectantem pungere va-
leant. Spina verò est omne peccatum: quia dum trahit ad de-
lectationem, quasi pungendo lacerat mentem. Vnde iusti
Psalm.31. vòce & pœnitentis dicitur: Conuersus sum in ærumna mea
dum confringitur spina: quia scilicet mens ad lamentum ver-
titur, vt peccati punctio pœnitendo frangatur. In translatio-
ne verò alia non confringi, sed cõfigi spina perhibetur: quod
C videlicet ab eodẽ sensu nõ dissonat: quia pœnitentis animus
ad luctũ ducitur, dum perpetrata culpa in memoria fixa reti-
10. netur. Quid ergo per radicẽ iuniperi, nisi auaritia designa-
1.Time.6. tur, ex qua peccatorum omnium spinę producuntur? De qua
per Paulum dicitur: Radix omnium malorum est cupiditas.
Ipsa quippe lateriter oritur in mente, sed pũctiones peccato-
rum omnium patenter producit in opere. Quas videlicet pũ-
ctiones ab hac radice surgentes, statim prædicator egregius
insinuat, cùm subdit: Quam quidam appetentes errauerunt à
fide, & inseruerunt se doloribus multis. Qui enim multos do
lores dixit, quasi nascentes innotuit ex hac radice pũctiones.
In iuniperis ergo peccata in radice verò iuniperorum quid a-
liud quàm auaritiam, id est, materiam intelligimus peccato-
rum? Quia igitur plerunque hæretici sola in verbis suis exte-
riora lucra sectantur: nec ignorant quia peruersa astruũt, sed
erroris prædicamenta non deserunt, dum sumptus percipere
quasi doctorum volunt: bene de eis sancti viri nunc voce
dicitur: Et *radix iuniperorum erat cibus eorum:*) quia dum totis D
mentis suæ sensibus auaritiam cogitãt, quasi eo alimento ve-
scuntur, de quo nasci proculdubio peccatorum sequentium
punctiones solent. Qui si quando in sacro eloquio quædam
quasi prudẽter inueniunt, quæ dum non intelligunt, pro suis
esse assertionibus suspicantur: mox miseris auditoribus suis
quorum non animas, sed substantias appetunt, hæc vociferã-
tes aspergunt. Vnde congruè subinfertur:

*Quòd hæretici de humilitate sanctæ scripturæ aliqua testimonia
extorquentes, quasi victores exclamant: & vbi deest authori-
tatis occasio, quæ malè sentiunt, clanculò persuadent.*

Caput XIII.

Q*Vi de conuallibus ista rapientes, cum singula reperissent, ad ea cum
clamore currebant.*) De conuallibus illa rapiunt: quia hæc
de humilibus dictis patrum, superbo spiritu colligunt. Quæ
dum pro suis se patribus inuenisse gloriantur, ad ea cum cla-
moribus currunt: quia videlicet omne quod sentiũt, appetitu
laudis ad aures hominum diffamare conantur. Sequitur: *In de-
sertis habitabant torrentium, & in cauernis terræ, vel super glaream.*)

Torrentes dicimus riuos qui aquis hyemalibus colliguntur:
† qui certis etiam temporibus arescunt. Iure itaque inuentores † al.quia.
peruersorum dogmatum torrentes vocantur: quia à calore
charitatis frigidi, quasi in torpore temporis hyemalis excre-
scunt: quia non perpetua plenitudine profluunt, sed catholi-
corum allegationibus quasi ęstiuis solibus exiccãtur. Et qui-
dem inuentores peruersorum dogmatum cõtra sanctam Ec-
clesiam exorti, feruore iam veritatis extincti sunt: sed tamen
eorum discipuli ea quæ illi docuerunt, tenere ac defendere
non desistunt. Hi ergo qui illorum sequũtur errores, in deser-
tis torrentium habitant, id est, in eorum prædicatione confi-
dunt, quorum eloquia catholicorum iam responsione & ra-
tiocinatione siccata sunt. Quid verò aliud cauernas terræ, 11.
quàm occultas hæreticorum prædicationes accipimus? Sic e-
nim hæretici inter se clandestinis conuenticulis coëunt: vt er-
rori suo reuerentiam, quam ex ratione non valent, præbeant
ex occultatione: & infirmis animabus prauitatis sermo tantò
reuerendus appareat, quantò secretus. Vnde apud Salomo-
nem mulier ex typo hæreseos dicit: Aquæ furtiuæ dulciores Prou.9.
sunt, & panis absconditus suauior: Quæ occulta scilicet præ-
dicamenta detestatur veritas, dicens: Si quis vobis dixerit:
Ecce hîc est Christus, aut ecce illic, nolite credere. Et rur- Matth.24.
sum: Si dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire: ecce
in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab o-
riente, & paret vsque in occidentem: ita erit & aduentus filij
hominis. Hoc itaque illic in penetralibus, quòd hîc dicitur in
cauernis. In cauernis ergo hæretici habitant: quia plerunque
errorem suum secretis prædicationibus occultant: vt quo se
doctioribus prudentioribúsque non indicant, eo ad se vehe-
mentius imperitos trahant. Vnde bene etiam subinfertur: *Vel
super glaream.*) Glaream quippe illos minutissimos lapides di-
cimus, quos aqua pluuialis trahit. Doctores igitur peruerso-
rum dogmatum super glaream habitant: quia illas hominum
mẽtes trahunt, quę nulla grauitatis stabilitate solidantur: quas
velut de loco semper ad locum flumina errorum ducunt.
C Vnde & prædicator egregius cùm auditores suos non tem-
poraliter duci, sed forti cuperet grauitate solidari, admonuit
dicens: Vt iam non simus paruuli fluctuantes, nec circunfe-
ramur omni vento doctrinæ. Sancta itaque Ecclesia ab ad-
uersariis ad modicum depressa, cùm sibi audaces errantium
mentes insultare conspexerit: quæ eorum conuersatio fuerit,
ad memoriam reducit, dicẽs: In desertis habitant torrentium,
& in cauernis terræ, vel super glaream. Quia enim eorum per-
uersa prædicatio amisso igne charitatis ex frigore mentis
conualuit, profectò in torrentium desertis habitauit. Quia
verò aperta & libera non fuit, in cauernis latuit. Quia autem
plebem non fixam, sed mobilem tenuit: non super petram,
sed super glaream mansit, de quibus adhuc subditur:

*Quòd hæretici delicias æstimant, cùm errori suo
quos decipiunt associant.*

Caput XIIII.

Q*Vi inter huiuscemodi lætabantur: & esse sub sentibus delicias
computabant.*) Quid nomine sentium, nisi eas quas iam su-
prà diximus, punctiones peccatorum intelligimus? Quia au-
tem peruersæ mentes gaudent in iniquitatibus quas flere de-
buerunt: omnes hæretici tantò se inani lætitia extollunt, quã-
tò magis ad peiora conualescunt, atque esse sub sentibus deli-
cias deputant: quia inde peruersam mentem ad gaudium sub-
leuant; vnde spinas peccatorum portant. Nam si quando ad
errorem suum valuerint quempiam trahere sese per lætitiam
iactant: atque vnde sibi peccata quotidie etiam alios perden-
do congregant, inde se esse quasi duces ad iustitiam exultant.
Bene ergo dicitur: Qui inter huiuscemodi lætabantur: & esse
sub sentibus delicias computabant. Trahunt enim quos va-
lent ad perditionem suam: & se sub peccatis esse, vel culpis
culpas addere non credunt: sed virtutum opulentiam cu-
mulare.

*Quòd imitatores reproborum filij eorum dicantur, stulti, quia erroneis
ignobiles, quia à generositate cœlesti immunes.*

Caput XV.

F*Filij stultorum & ignobilium, & in terra penitus non parentes.*) Eo-
rum videlicet filij, qui fuerunt errorum magistri. Filij igi-
tur dicuntur, non de eorum semine, sed de imitatione ge-

nerati:qui docendo peruersa, stulti fuerunt per ignorantiam viuēdo nequiter, ignobiles per actionem. Qui redemptori nostro nulla sapientiæ,nulla vitæ cognatione coniuncti sunt.
Prouer.31. De quo Salomonis voce in laude sanctæ Ecclesiæ dicitur: Nobilis in portis vir eius. Hi itaque quia peruersa errantium exempla secuti sunt, filij stultorū & ignobilium esse memorantur. Rectè autem subiungitur: *Et in terra penitus nō parentes.*) Quia dum hîc videri aliquid appetunt, nimirum à terra viuētium exortes fiunt. Sed hoc quod in hæreticorum typo diximus: omnino nil obstat si etiam de peruersis atq; carnalibus, quanuis in recta fide positis, sentiamus. Neque enim sancta electorum Ecclesia solos sibi aduersarios deputat, qui ab eius fide positi extrà dissentiunt, sed eos quoque qui vitam illius malè viuendo interius premunt. Contēpletur igitur ærumna irruentis aduersitatis afflicta, quomodo prosperitatis suæ tēpore, iniquorum & intra se viuentium prauitate grauata sit. Contempletur quòd exigentibus meritis quorundam non iniustè in illa vita turbata sit omnium, & dicat: *Qui rodebant in solitudine, squalentes calamitate & miseria.*) Sicut in prima huius operis parte præfatus sum: per virtutem contemplationis nonnunquam solet intelligi solitudo mentis. Sed hoc in loco cùm solitudo per obiurgationem dicitur, quid aliud
Thren.1. quàm boni destitutio demonstratur? Vnde & sub Iudææ typo Hieremias peccatoris animam deplorat, dicens: Quomodo sedet sola ciuitas plena populo? Sed cùm per beatum Iob de prauis dicitur: Rodebant in solitudine: libet intueri
Psalm.72. 12. hoc etiam quod per Psalmistam dictum est: Inimici eius terram lingent. Duo quippe sunt genera hominum ambitioni suæ seruientium: vnum videlicet quod semper ad auaritiam blandimentis vtitur linguæ: aliud verò quod aperta vi intendit rapinæ. Nam rodimus, cùm aliquid exterius forti adnisu atterimus. Lambitur enim quando hoc quod edi facilè non potest, impressa linguæ lenitate gustatur. Omnes igitur etiam sub specie fidei prauè viuentes, qui aliena appetunt, sed ea quæ appetunt, rapere nequaquam possunt: blandis enim sermonibus, & quasi mollitie dulcedinis concupita abstrahere conantur: quid aliud quàm terram lingunt? quia terrena quæque quæ virtute nequeunt auferre, mollitie linguæ moliuntur. Qui verò in hoc mundo aliqua potestate suffulti sunt, & concupiscentes aliena, blandiri quidem ex fraude despiciunt: quia etiam iniusto robore possunt implere quod volunt: hi hoc quod appetunt, non lambunt, sed rodunt: quoniam propinquorum vitam fortitudine virium velut adnisu dentium demoliuntur. Conspiciat itaque sancta Ecclesia veras diuitias æternæ patriæ: conspiciat frequentiam supernorum ciuium: conspiciat in electis suis cultum mentis, & innumerabilium dona virtutum: atque ab eis ad prauorum vitam omni bono destitutam, mentis oculum reuocet: & ex illorum comparatione videat, qualiter ista cunctis virtutibus sit vacua: quia superna deseruit, & infima concupiuit. Videat quomodo plerunque id quod appetit, si fortasse præualet, etiam violenter rapit. Videat tales
† esse quasi in terra positos. † se quasi intra se positos diu tolerasse: atque ex eorum culpis vsque ab bonorum quoque pericula ac detrimenta peruenisse, & dicat: *Qui rodebant in solitudine.*) Ac si apertè conqueratur, dicens: Aliena etiam violenter rapiendo non roderent, nisi prius ipsi in interioribus suis soli ac vacui à virtutum cultura remanerent. Bene autem eorum qualitatem explicat dicens: *Squalentes calamitate & miseria.*) Aegra nanque caro si studiosè curari negligitur, squalore desuper ducto in infirmitate deterius grauatur: & dum calamitati ægritudinis negligentiæ miseria additur, grauior molestia oborto squalore toleratur. Natura igitur humana benè cōdita, sed ad infirmitatem vitio proprię voluntatis lapsa, in calamitatem cecidit: quia pressa innumeris necessitatibus, nihil in hac vita nisi vnde affligeretur, inuenit. Sed cum eisdem naturæ nostræ necessitatibus plerunque plusquam expedit, deseruimus, mentisque curam negligimus, ex miseria negligentiæ infirmitati nostræ addimus squalorem culpæ. Necessitates nanque naturales hoc habere valde periculosum solent, quòd sæpe in eis minimè discernitur, quid circa illas per vtilitatis studium, & quid per voluptatis vitium agatur. Crebrò enim occasione seductionis inuenta, dum necessitati debita reddimus, voluptatis vitio deseruimus, & infirmitatis velamine ante discretionis oculos excusatio nostra se palliat, ac quasi sub patrocinio explendæ vtilitatis occultat. Infirmitatem verò naturæ nostræ per negligentiam relaxare, nihil est aliud quàm calamitati miseriā addere, ac vitiorum squalorem ex eadem miseria multiplicare. Vnde sancti viri in omne quod agunt, studiosissima intentione discernunt, ne quid plus ab eis naturæ suę infirmitas quàm sibi debetur exigat: ne sub necessitatis regimine in eis vitium voluptatis excrescat. Aliud enim ex infirmitate, aliud ex tentationis suggestione sustinēt: & quasi quidā rectissimi arbitri inter necessitatē voluptatémq; cōstituti, hāc cōsolādo subleuant, illā premendo frenāt. Vnde fit vt & si infirmitatis suę calamitatē tolerent: tamen ad squalorē miseriæ per negligentiā nō descendāt. Hoc ipsum enim esse calamitate, est necessitates naturæ ex carnis adhuc corruptibilis infirmitate sustinere. Quas videlicet necessitates cupiebat euadere, qui dicebat: De necessitatibus meis eripe me. Sciebat enim plerunq; voluptatū culpas ex necessitatū occasione prorūpere: & ne quid spōte illicitū admiteret, hoc ipsū satagebat euelli quod nolens ex radice tolerabat. Ac cōtrà praui gaudent in his corruptionis suæ necessitatibus: quia nimirum eas ad vsum voluptatū retorquent. Cū enim reficiēdis cibo corporibus naturę seruiunt, per delectationem gulę, in voluptatis ingluuie distēduntur. Cū tegendis membris vestimenta quærunt, nō solùm quæ tegant, sed etiam quæ extollāt expetunt: & contra torporem frigoris, nō solùm quę per pinguedinem muniāt, sed etiam quæ per mollitiam delectent: non solùm quæ per mollitiem tactum mulceant, sed etiam quæ per colorem oculos seducant. Necessitatis igitur causam in vsum voluptatis vertere, quid est aliud quàm calamitati suæ squalorem miseriæ sociare? Pressa itaque tempore aduersitatis Ecclesia, reminiscatur eorum ex quorum merito talia sustinet, & dicat: *Qui rodebant in solitudine, squalentes calamitate & miseria.*) Calamitate scilicet non squalerent, si in istis necessitatibus voluptatum miseriam non superadderent. Quas videlicet necessitates ex parentis primi culpa meruimus. Hi verò qui calamitati suæ miseriam adiungunt, ex cruciatu pœnæ ad augmenta prorumpunt culpæ. Sed vtinam tales cùm ad melius permutari despiciunt, ita peruersa agerent, vt non ea etiam aliis propinarent. Vtinam illis mors sua sola sufficeret: & non virulentis persuasionibus alienam etiam vitam necarent. Inuident enim alios esse quod non sunt: dolent alios adipisci quod perdunt. Nam si qua fortè in aliorum actibus exoriri bona concupiscunt: mox ea manu pestiferæ exprobationis euellunt. Vnde & sequitur: *Et mandebant herbas & arborum cortices.*) Quid enim per herbas nisi tenera ac terræ proxima bene inchoantium vita? & quid per arborum cortices, nisi exteriora opera eorum, qui iam sublimia appetunt, designantur? Praui nanque cùm recta incipientes aspiciunt, aut irridendo, aut quasi consulendo contradicunt. Cum verò iam quosdam pensant ad summa proficere: quia eorum profectus funditùs dissipare nequeunt, à quibusdam illos suis operibus diuertunt. Herbas itaque eis & arborum cortices mandere, est vel studia bene inchoantium, vel operationes quorundam iam more arborum ad superiora tendentium, pestiferis persuasionibus quasi quibusdam malitiæ suæ dentibus dissipare. Herbas mandunt reprobi, cùm infirmorum initia irridendo consumunt. Arborum quoque cortices mandunt, cùm manu peruersi consilij à vita rectè credentium, tegmen bonorum operum subtrahunt. Hos autem in quibusdam actibus velut arbores expoliant, illos verò velut herbas (quia despicientes trahunt) quasi quæ calcant comedunt. Quorundam iam fortitudinem in alta surgentem ex parte demoliuntur, quorundam verò teneritudinem, & adhuc in imis positam penitus conterunt. Dicat igitur: Mandebant herbas & arborum cortices: quia prauis irrisionibus in nonnullis exteriora opera, in nonnullis autem per spem virentia corda dissipabant. Vel certè herbas mādere, est leuia quædam ac tenera de antiquis patribus imitari. Arborum verò cortices edere, est eorū opera superficietenus agere, sed intentionem rectam in eisdem operibus nō tenere. Sunt enim nonnulli qui dum præsentis mundi

Discretio sanctorum virorum in omni actione.

Psalm.58.

Contrarium praui agūt, calamitati suæ miseriā sociantes.

gloriam eiusdem mundi actionibus adipisci non possunt, speciem sanctitatis appetunt, habitum venerationis sumunt, imitatores antiquorum patrum videri concupiscunt, & quædam quidem praua ac leuia peragunt, sed eorum fortia, & quæ ex solius charitatis radice prodeunt, imitari contemnunt. Hi videlicet herbas edunt: quia magna negligunt, & vilibus satiantur. Plerunque tamen etiam quædam quasi robustiora opera exercent: sed intētionem rectam in eisdem operibus non tenent. Quibus profectò arborum cortices mandere, est exteriores electorum actus assumere, & intentionem bonam in bonis actibus non habere. Dum enim pro humana laude recta opera exquirunt: sed imitari cor rectè operantium negligunt, ex solis arborum corticibus replentur. Toto nanque desiderio præsentis vitæ gloriam, vel abundantiam quærunt. Vnde & rectè subiungitur: *Et radix iuniperorum erat cibus eorum.*) Intus enim quanuis per fidem positi, dum plerunque auaritiæ cogitationibus seruiunt, quasi illud comedunt, vnde in extremo vitæ suppliciorum aspera proferuntur. Qui dum frugem diuini eloquij non concupiscunt, sed ad rerum temporalium ambitum seruiunt: nequaquam pane tritici, sed radice iuniperi satiantur. Ipsa quippe eos ab imis atque infimis oborta occupant quæ illos more iuniperi postmodum ex duritia tribulationum velut ex asperitate foliorum pungant. Contemnentes nanque Deum hîc minimè sentiunt quantum sit malum quod agunt. Adhuc enim iuniperi radicem comedunt: sed huius radicis quàm sint rami asperi, non attendunt: quia nimirum praua actio modo quasi ex radice delectat in culpa, sed postmodum quasi ex ramis pungit in pœna. Vbi & bene subiungitur: *Qui de conualibus ista rapientes, cùm singula reperissent, ad ea cum clamore currebant.*) In comparatione videlicet supernorum, omnis præsens vita conuallis est. Hi autem quia sublimia montium, id est, fortia acta sanctorum contemplari nesciunt: semper in oblectatione infima quasi in conuallibus conuersantur: & dum quodlibet lucrum vel parui stipendij inueniunt, cum clamore currunt: quia hoc abstrahere etiam iurgando moliuntur. In conualle enim repertis singulis cum clamore currere, est subortis causarum occasionibus etiam pro parua stipe litigare. Plerunque autem quem sanctum bona actio ostētat, oborta terreni commodi occasio examinat. Videas nanque nonnullos iam sublimia agere, iam in abstinentiæ, iam in doctrinæ opere patrum præcedentium exempla sectari: sed cùm repentè præsentis vitæ lucrum, quasi fructum conuallis inuenerint, ad hoc cum clamore currunt: quia quasi dirupta ad illud superductæ sanctitatis tranquillitate prosiliunt. Possunt quoque per herbas atque arborū cortices non solùm, vt prædictum est, bonorū opera, sed in hac vita consolationes ac prosperitates intelligi. Sæpe enim omnipotēs Deus electos suos cum donis interioribus ditat, exterioribus etiam honoribus subleuat. Cúmque eos præferendo cæteris honorabiles reddit, latius imitabiles ostendit: & nonnunquam praui eorum quidem vitam despiciunt, sed fœlicitatem in hoc mundo assequi cōcupiscunt. Quia igitur blandimenta hîc trāsitoriæ cōsolationis quærunt, herbas comedunt: quia in cogitationibus suis exteriorē eorum gloriam meditantur, arborum cortices mandunt. Et quoniam in his omnibus soli auaritiæ tota intentione deseruiunt, radice iuniperi replentur. Quę cuncta de cōuallibus rapiunt: quia ex amore huius infimæ, & corruptibilis vitæ immensis cupiditatibus inardescunt. Et cùm singula rapiunt, ad ea cum clamoribus currunt: quia videlicet sanctorū patrū, quorum merita adipisci non quærunt, loca eorum atq; regimina apprehēdere satagunt: & cùm trāquillè nequeunt, hæc plerunque assequi, etiam dirupta concordię pace moliuntur. Qui pro eo quod longè à patrum præcedentium actione disiuncti sunt, rectè subiungitur: (In desertis habitabant torrentium: & in cauernis terræ, vel super glaream.) In bona enim parte rectè torrentes, sanctos prædicatores accipimus: qui dum in præsenti vita diuinis nobis eloquiis influunt, aquarum multitudine, quasi in hyeme colliguntur. Qui & æstiuo sole adueniente se subtrahunt: quia cùm æternæ patriæ lux emicuerit, prædicare cessabunt. Horum torrentium deserta, sunt vitæ temporalis commoda. Ea nanque deserunt, & ad lucra se cœlestia adipiscenda conuertunt. Cuncta autem hæc torrens ille reliquerat qui dicebat: Propter quam omnia detrimētum feci, & arbitror vt stercora. Sed quia prauorum mentes ea in hac vita adipisci appetunt, quæ despicientes iusti derelinquunt, in desertis torrentium habitare referuntur. Illa enim quæ sanctis indigna sunt, ipsi percipere pro magno concupiscunt. Cauernæ autem terræ, sunt cogitationes prauæ, in quibus se ab humanis oculis abscondunt. Praui quippe vt sunt, ab hominibus videri refugiunt: dúmque aliud quam sunt, simulant, sese in conscientiæ suæ latibulis quasi in cauernis occultant. Qui cuncta hæc non agerent, nisi de æterna & solida vita desperarent, nisi in hoc incerto temporalitatis animum figerent. Vnde bene subditur: *Vel super glaream.*) Glarea namque est vita præsens, quæ indesinenter ad terminum suum ipso defectu mutabilitatis, quasi impulsu fluminis ducitur. Super glaream itaque habitare, est fluxui vitæ præsentis inhærere: & ibi intentionem ponere, vbi gressum nequeat fixè stando solidare. Est aliud in glarea quod nequaquam debeat tacendo præteriri: quia cum pes in eius superficie ponitur, ipsa eius volubilitate labitur, atq; ad ima deuoluitur. Cui videlicet rei in nullo discrepat vita prauorum: quia cùm pro amore mundi aliqua student licita atque honesta agere, quasi planum in superficie pedem ponunt, sed repentè pes ad ima labitur: quia eorum actio dum plura semper appetit, vsque ad iniqua & illicita descēdit. Cùm ergo sancta ecclesia huius tēporis contraria tolerat, ad vitam carnalium, quos aduersos sibi etiam in prosperis sustinuit, per memoriā recurrat, & quorum merito hæc patiatur, agnoscat, dicens: *In desertis habitabāt torrentium, & in cauernis terræ, vel super glaream.*) Quia enim patrū doctrinis destituti sunt, in desertis torrentium: quia in occultis se cogitationibus tegunt, in cauernis terræ: quia verò in præsentis seculi mobilitate intentionem suam figere appetunt, super glaream habitare referūtur. Sed vtinam tales, quia peccato nolunt impugnare tentantia, flēdo tergerent, vel cōmissa: vtinam mala sua saltem perpetrata cognoscerent: atque sterili siculneæ cophinum stercoris, id est, infructuosæ menti pinguedinem lamentationis admouerent. Sed habet hoc plerunque humanus animus proprium, quod mox vt in culpam labitur, à sui adhuc lōgius cognitione separetur. Hoc ipsum nanque malum quod agit, menti se obicem ante oculum rationis interserit. Vnde fit vt anima prius volūtariis tenebris obsessa, postmodū bonū iā nec quod quærat agnoscat. Quātò enim magis malis adhæret, tantò minus intelligit bona quæ perdit. Lux quippe veritatis quia subtiliter reproborū culpas examinat, qua habita negligitur, eo permittit districtus iudex vt nec amissa requiratur: & cùm ab actu repellitur, fugit à sensu: vt cuius quasi facies in opere contemnitur, eius per recordationem iam nec terga videantur. Hinc itaque est quod reprobi subiecti flendis sceleribus gaudēt, de quibus per Salomonem dicitur: Qui lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis. Hinc est quod lachrymarum causas tripudiantes peragunt: Hinc est quod mortis suæ negocium ridentes exequuntur. Vnde hîc quoque aptè subiungitur:

Philip.4.

Prouerb. 2.

Quòd peccatores flagitiorum consuetudinem, quæ vtique animam crebris punctionibus cruentant & lacerant, delitiosam putant.

Caput XVI.

QVi inter huiusmodi lætabantur: & esse sub sentibus delicias computabant.) Inter huiusmodi lætantur: quia nimirum attendunt transitoria quæ percipiunt, & intueri negligunt permanentia bona quæ perdunt. Cúmque amore temporalium flagrant, veram lætitiam volentes ignorant. Quam si studiosè cognoscere quererent, quàm flenda sunt gaudia quę appetunt, viderent. Sed dum meliora scire contemnunt, sola sibi velut summa eligūt, quæ visibiliter oculis fugaci seductione blandiuntur. Visibilia scilicet sequētes cor figunt: & tantò extrinsecus gaudent, quantò recordationē sui intrinsecus nō habent. Miscentur tamen eorum gaudiis plerūque tribulationes: atque ex rebus ipsis ex quibus superbiūt, flagellātur. Neque enim sine grauibus curarum molestiis possunt temporalia quæ appetunt, vel non habita quærere, vel quæsita seruare: interæquales præstantiorem gloriam appetere: à minoribus reuerentiam plusquam oportet exigere, & minus quàm debent

eandem maioribus exhibere: plerunque potentiam per iniu-
stitiam ostendere: semper praua agere: & tamen ne opinio-
nem prauitatis habeant, formidolosè custodire. Hæc profe-
ctò omnia miseros pungunt: sed easdem punctiones ipso re-
rum temporalium victi amore non sentiunt. Vnde & rectè
nunc dicitur: *Et esse sub sentibus delicias computabant:*) quia pec-
catorum delectationibus pressi, ex affectu vitæ præsentis
quàm sint aspera, quæ patiuntur, ignorant. Lætantur itaque
sub sentibus: quia rebus quidem temporalibus gaudent: sed
tamen dum dispensare sine tribulatione eadem temporalia
non valent, ea cura punguntur miseri qua premuntur. Ma-
nent sub sentibus, & hoc ipsum delicias æstimant: quia & du-
ra quidem ex præsentis vitæ amore tolerant: & tamen affectu
nimiæ cupiditatis obligati, laborem eiusdem tolerantiæ vo-
Thre.3. luptatem putant. Vnde rectè Hieremias totius in se humanæ
conuersationis speciem sumens, per lamentum queritur, di-
cens: Inebriauit me absynthio. Vt enim in superiori iam par-
te prædiximus, ebrius quisque quod patitur nescit. Qui verò
absynthio inebriatur, & hoc quod sumpsit amarum est: &
tamen non intelligit eandem amaritudinem qua repletur.
Humanum igitur genus recto Dei iudicio in voluptatibus
suis sibi dimissum, atque per easdem voluptates spontaneis
tribulationibus traditum, absynthio est ebrium: quia & ama-
ra sunt quæ pro huius vitæ amore tolerat: & tamen eandem
amaritudinem cæcitate cupiditatis quasi insensibilitate ebrie-
tatis ignorat. Mundi enim gloriam sitiens, dum multas pro ea
tribulationes reperit, amarum est quod bibit. Sed quia hoc
nimis inhianter sumpsit: eiusdem amaritudinis malum discer-
16. nere iam præ ipsa ebrietate non sufficit. Amant enim per-
uersi homines pro huius mundi gloria etiam tribulationes,
cunctísque pro ea sudoribus libenter seruiunt, & grauium
laborũ iugo deuotissimè colla submittũt. Quod bene sub E-
Osee.10. phraim specie Oseæ prophetante describitur, qui ait: E-
phraim vitula docta diligere trituram. Vitula enim trituræ
laboribus assueta, relaxata plerunque ad eundem laboris v-
sum etiam non compulsa reuertitur. Ita prauorum mens hu-
ius mundi seruitiis dedita, & rerum temporalium fatigatio-
nibus assueta, etiam si sibi liberè vacare liceat, subesse tamen
terrenis sudoribus festinat, & vsu miseræ conuersationis tri-
turam laboris quærit: vt à iugo mundanæ seruitutis cessare
non libeat, etiam si liceat. Quod videlicet iugum Dominus
Luce 21. à discipulorum ceruice subleuans, cùm dicit: Attendite vo-
bis ne fortè grauentur corda vestra in crapula & ebrietate: i-
lico adiunxit: Et in curis huius vitæ: & superueniat in vos
Matth.11. repentina dies illa. Et rursus: Venite ad me omnes qui labo-
ratis & onerati estis: & ego reficiam vos. Tollite iugum meũ
super vos: & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.
Quid est enim Dominum mitem se in magisterio atque hu-
milem dicere, nisi relictis exercendæ elationis difficultati-
bus, plena quædam bene viuendi itinera demonstrare? Sed
quia prauorum mentes plus per aspera elationis quàm per
blanda humilitatis ac mansuetudinis delectantur: esse sub sen-
tibus delicias deputant. Dura enim præ amore seculi quasi
quædam mollia ac delectabilia ferre parati sunt, dum in hac
vita rerum culmina apprehendere conantur. Cessationem
Dominus à mũdi laboribus imperat, sanctæ quietis dulcedi-
nem persuadet: & tamen vesana iniquorum mens plus se as-
sequi aspera carnaliter, quàm tenere blanda spiritualiter gau-
det: plus acerbitate fatigationis, quàm quietis dulcedine pa-
Exod.16. scitur. Quod apertè in semetipso nobis Israëliticus populus
ostendit: qui dum refectionem mannæ desuper perciperet,
ab Aegypto ollas carnium, pepones, porros cepásque concu
piuit. Quid enim signatur in manna, nisi esca gratiæ, suaue sa-
piens, ad refectionem interioris vitæ, bene vacantibus desu-
per data? Et quid per ollas carnium, nisi carnalia opera vitę, in
tribulationum laboribus quasi ignibus excoquenda? Quid
per pepones, nisi terrenæ dulcedines? Quid per porros ac ce-
pas exprimuntur, quæ plerunque qui comedunt lachrymas
emittunt, nisi difficultas vitæ præsentis, quæ à dilectoribus
suis, & non sine luctu agitur, & tamen cum lachrymis ama-
tur? Manna igitur deserentes, cum peponibus ac carnibus
porros cepasque quæsierunt: quia videlicet peruersæ mentes
dulcia per gratiam quietis dona despiciunt: & pro carnalibus

E voluptatibus laboriosa huius vitæ itinera etiam lachrymis
plena concupiscunt: contemnũt habere vbi spiritualiter gau-
deant, desideranter appetunt, vbi & carnaliter gemant. Horũ
itaque væcordiam veridica voce Iob reprehendat: quia ni-
mirum peruerso iudicio, perturbata tranquillis, dura lenibus,
aspera mitibus, transitoria æternis, suspecta securis antepo-
nunt. Horum vęcordiæ sancta Ecclesia recordetur, cùm sæ-
uis extrinsecus aduersitatibus premitur, quos intra se velut fi-
deles continuit: sed eorum vitam aduersantem fidei diu tole-
rauit, & dicat. Qui inter huiuscemodi lætabuntur, & esse sub
sentibus delicias computabant: quia nimirum mala quæ agũt,
ex iniquorum præcedentium prauitate didicerunt. Vnde &
rectè subiungitur: *Filij stultorum & ignobilium.*) Sciendum 17.
nobis est quòd alij intra sanctam Ecclesiam vocantur stulti,
sed tamen nobiles: alij verò stulti & ignobiles. Stulti nanque
dicuntur, sed esse ignobiles nequeunt: qui carnis prudentiam
contemnentes, profuturam sibi stultitiam appetunt: & ad
nobilitatem internæ prolis, virtutis nobilitate subleuantur:
F qui stultam sapientiam mundi despiciunt: & sapientem Dei
stultitiam concupiscunt. Scriptum quippe est: Quod stultum *1.Cor.1.*
est Dei, sapientius est hominibus. Hanc nos stultitiam Pau- *Ibidem.*
lus comprehendere admonet, dicens: Si quis videtur inter
vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiens. Hanc *Matth.19.*
stultitiam qui perfectè secuti sunt, voce sapientiæ audire me-
ruerunt: Vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sede-
rit filius hominis in sede maiestatis suæ: sedebitis & vos su-
per sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Ec-
ce relinquentes temporalia, gloriam potestatis æternæ mer-
cati sunt. Quid itaque in hoc mundo stultius, quàm sua de-
serere? Et quid in æternitate nobilius, quàm cum Deo iudi-
cęs venire? Horum scilicet iudicum nobilitas Salomone
attestante memoratur: cùm hoc quod iam præfatus sum di-
citur: Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatori- *Prouer.31.*
bus terræ. Valde quippe nobiles considerant quos senatores
vocat. Hanc in se nobilitatem Paulus aspexerat, cum cogni-
G tioni cõditoris per spiritũ iunct⁹ dicebat: Gen⁹ ergo cũ simus *Act.17.*
Dei, non debemus æstimare auro, vel argẽto, aut lapidi scul-
pturę artis, & cogitationi hominis diuinũ esse simile. Genus
videlicet Dei dicimur: nõ ex eius natura æditi, sed per spiritũ
illius, & voluntariè conditi, & adoptiuè recreati. Tantò ergo
ad hanc nobilitatem quisq; erigitur, quantò per acceptam i-
maginem ad similitudinẽ illius ex imitatione renouatur. At
contrà sunt stulti & ignobiles, qui dum supernã sapientiã se-
metipsos sequentes fugiunt, in sua ignorãtia quasi in abiectę
prolis vilitate sopiũtur. Quo enim id ad quos conditi sunt,
non intelligunt: eo etiam cognationem acceptæ per imaginẽ
generositatis perdunt. Stulti sunt ergo & ignobiles quos ab
æternæ hereditatis consortio repellit seruitus mentis. Scriptũ
quippe est: Omnis qui facit peccatũ, seruus est peccati. Et vo *Ioan.8.*
ce egregij prędicatoris dicitur: Sapiẽtia huius mũdi, stultitia
est apud Deũ. Qui ergo dum terrena saperent, ab intima ge- *1.Corin.3.*
nerositate repulsi sunt, stulti simul & ignobiles fuerunt. Quo
rum dum plerique actus imitantur, filij stultorum & ignobi-
H lium fiũt: dúmq; eos sensibus ac moribus sequũtur, stulti sunt
quia verã sapientiã nõ intelligunt: & ignobiles, quia nulla spi-
ritus libertate renouãtur. Sed hi quãuis iniquorũ actus exer-
ceant, plerũque tamen in hac vita occupant loca iustorũ: atq;
eorum se filios æstimant, quorũ per honoris concupiscentiã
officia exterius administrant. Quos sancta Ecclesia per cor-
reptionem ad cognitionem sui reuocat: vt videlicet in prauis
desideriis positi, quorum sint filij attendant. Non enim eo-
rum sunt filij, quorum loca tenent, sed quorũ opera exercẽt.
Dicatur igitur rectè, Filij stultorũ & ignobiliũ. Vbi aptè sub-
iungitur: *Et in terra penitus non parentes.*) Sicut enim plerique in
terra sunt, & à cognitione hominũ abiectione vilitatis suæ,
quasi quadã superductione velaminis absconduntur: ita sunt
nonnulli in Ecclesia, qui dum abiectioni prauorum operum
subdunt, diuino conspectui noti non sunt. Quibus & quan- *Matth.25.*
doque dicendũ est: Amen dico vobis, nescio vos. Esse er-
go in terra & apparere, est in fide recta per virtutem operis
nobilitatem mentis ostendere. Esse verò in terra & peni-
tus non apparere, est in Ecclesia quidem per fidem consi-
stere: sed nil dignum fidei in opere demonstrare. Hi itaque
intra

intra sanctam Ecclesiam diuinitatis oculis & videntur per iu-
A dicium, & tamen per bonæ vitæ meritum non videntur: quia
ea quę confitendo tenent, viuendo non exhibent. De quibus
ad Tit.1. Paulus dicit: Confitentur se nosse Deum, factis autem negãt.
Hi in sancta Ecclesia fidem quam tenere se asserunt, premunt
potius quàm venerantur: dum sua magis illius nomine, quàm
28. eius adipisci lucra concupiscunt. Electi ergo dum seruare
fidei meritum rectis operibus curant, ad authoris sui notitiam
etiam inter reproborum tumultus appropinquant. Quod
bene in Euangelio in muliere sanguinis fluxu laborante si-
Luca.8. gnatum est: de qua cùm Dominus diceret: Quis me tetigit?
Petrus ratiocinando respondit: Turbæ te comprimunt & af-
fligunt: & dicis, quis me tetigit? Sed audire causas veræ ratio-
nis meruit, cùm ei Dominus dixit: Tetigit me aliquis. Nam
& ego noui virtutem exisse de me. Ecce turbæ premebant
Dominum, sed tamen sola tetigit quæ ad illum humiliter ve-
nit: quia nimirum multi etiam in sancta Ecclesia reprobi veri-
tatem cognoscendo premunt, quam bene viuendo tangere
negligunt. Premunt & longè sunt: quia diuinam notitiam B
† al. professi vocibus. † professionibus sequuntur, moribus fugiunt. Premunt in-
quam, sed longè sunt: quia eidem fidei quam loquendo a-
struunt, agendo malè contradicunt. Sicut ergo hoc testimo-
nio docemur, quia nonnulli dominum tangendo non tan-
gunt, ita nonnulli videntur à Domino etiam cùm non viden-
tur: quia occultis eius obtutibus & ad damnationis suppliciũ
apparent, & ad electionis meritum non apparent. Dicatur igi-
tur rectè: *Et in terra penitus non parentes:*) quia etsi illos specie-
tenus Ecclesia tenuit, eos tamen intra illam conditor quasi
non vidit quos ignorauit. Qui tranquillitatis tempore idcir-
co fidem verbo tenus tenent: quia eandem fidem florere ge-
neraliter vident. Sed cùm repentina contra illam procella ad-
uersitatis oboritur, mox ab ea, negatione publica disiungun-
tur: & quicquid prius quasi venerantes tenuerant, contra
hoc postmodum deridentes pugnant. Vnde aptè subditur:

Quòd hæreticorum opprobria & contemptus ad patientiam sanctorum cooperantur in bonum: & frenum silentij oportere imponi, vbi prædicatio videtur contemni. C

Caput XVII.

NVnc in eorum cãticum versus sum: & factus sum eis prouerbium.)
Quibus videlicet verbis illud sanctæ Ecclesiæ tempus
exprimitur, quo publicè à reprobis irridetur: quando iniquis
crescentibus, in opprobrium fides, & veritas erit in crimen.
Tantò quippe despectior vnusquisque erit, quantò iustior es-
se potuerit: tantò abominabilis, quantò laudabilis. Sancta ita-
que electorum Ecclesia afflictionis tempore prouerbiũ pra-
uis efficitur: quia cùm bonos mori per tormenta conspiciunt,
ab eis similitudinem maledictionis sumunt. Quo enim transi-
toriam mortem vident, sed permanentem vitam non vident:
tantò magis deridendo mala præsentia fugiunt, quantò per
intellectum intrinsecus ad bona permanentia nõ pertingunt.
Sed ea quæ subiuncta sunt, quia obscurioribus sententiis im-
plicata non sunt: debemus sub breuitate transcurrere: vt ad ea
in quibus laborandum est, valeamus citius peruenire. Sequi- D
tur: *Abominantur me & longè fugiunt à me: & faciem meam conspuere non verentur.*) Longè à sancta Ecclesia fugiunt omnes ini-
qui, non passibus gressuum, sed qualitatibus morum: longè
fugiunt non loco, sed merito: dum crescente superbia, aper-
ta eam exprobratione contemnunt. Faciem nanque eius con-
spuere est, nõ tantum in absentia bonis detrahere, sed vnum-
quenque iustum etiam in præsentia confutare. Quos tunc
praui dum apertè irridendo despiciunt, in eorum contume-
19. liis fluxa verba quasi defluentes saliuas emittunt. Sed scit
sancta Ecclesia in passionibus crescere, atque inter oppro-
bria honorabilem vitam tenere: scit nec aduersis deiici, nec de
prosperis gloriari: nouit contra prospera mentem suã in deie-
ctione sternere: nouit cõtra aduersa animũ ad spẽ superni cul
minis exaltare: scit bona sua misericordiæ redemptoris, scit
mala sua iustitiæ tribuere iudicis: quòd & bona illo largiente
habeat, & mala illo permittente patiatur. Vnde & mox de
Domino subiungit, dicens: *Pharetram enim suam aperuit, & afflixit me.*) Quid per pharetram Dei, nisi occultum consilium de-
signatur? Sagittam verò de pharetra Dominus iacit, quando

de occulto consilio apertam sententiam emittit. Quia enim
flagellatur quis, cognoscimus: sed qua ex causa flagellum ve-
niat, ignoramus. Cùm verò post flagella, vitæ correctio se-
quitur: etiam ipsa consilij virtus aperitur. Pharetra enim clau-
sa, est consilium occultum. Sed aperta pharetra affligimur,
quando per id quod post flagellum sequitur, quo consilio
flagellamur, videmus. Cùm peccata Dominus videt, & tamen
manum ad vindictam non commouet, quasi clausam pha-
retram tenet. Sed feriẽdo indicat, quantum ei in nobis displi-
cuit hoc quod diu videndo tolerauit. Sancta itaque electorũ
Ecclesia tribulationibus pressa dicat: *Pharetram enim suam aperuit, & afflixit me.*) Quæ aduersariorum voces insolentes susti-
nens, dum cernit quòd eius prædicatio non admittitur, quo-
rundam duritiam deferens, prædicationis suæ verba modera-
tur. Perpendens etenim persecutores suos ad exhortationis
suæ vocem deteriores existere, magis eligit tacere. Cúmque
indignos qui audiant, conspicit, prædicationem suam obdu-
cto silentio astringit. Vnde aptè subiungit: *Et frenum posuit in os meum.*) Frenum sibi apud quosdam positum cognouerant,
qui dicebant: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, *Act.13.*
sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ
vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Frenum silentij sibi super-
impositum sancti viri apud dura reproborum corda conspi-
ciunt, qui per Prophetam dicunt: Quomodo cantabimus can- *Psal.136.*
ticum Domini in terra aliena? Frenum poni etiam Paulus ad-
monuit, qui discipulo præcepit, dicens: Hæreticum post pri- *Ad tit.3.*
mam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuer-
sus est qui eiusmodi est, & delinquit proprio iudicio condẽ-
natus. Sancti quippe doctores plerunque alta consideratione
resistentium corda conspiciunt, & dum ea derelicta diuinitùs
vident, afflicti gementésque conticescunt. An non aliquando
frenum Salomon doctoribus imponit, qui dicit: Noli argue-
re derisorem, ne oderit te? Sed si ab increpatione idcirco reti- *Prouer.9.*
cemus, quia contra nos insurgere derisoris odia formidamus,
non iam lucra Dei, sed nostra quærimus. Qua in re sciendum
est, quòd nonnunquam cùm redarguuntur praui, deteriores
existunt. Ipsis ergo & non nobis parcimus, si ab eorum redar-
gutione pro eorum amore cessamus. Vnde necesse est, vt ali-
quando toleremus tacendo quod sunt, quatenus in nobis di-
scant † videndo quod non sunt. Quia igitur sancta Ecclesia *† al. bene viuendo.*
quæ verba sua semper per charitatem exerit, ea etiam non-
nunquam ex charitate restringit, dicat: Frenum posuit in os
meum. Ac si apertè fateatur dicens: Quia in quibusdam pro-
fectum non vidi prędicationis, ab eis impetũ temperaui, vt vi
tã meam saltem per patientiam discerent, cùm verba mea ad-
mittere per oblatam prædicationem nollent. Sed plus no- 20.
bis hoc plerunque in tribulationibus dolet, quò eas ab illis
patimur, in quibus germano amore confidebamus. Vnde &
subditur:

Quòd nonnunquam qui in Ecclesia sub nomine Christi militant, Christi in eadem nomen impugnant.

Caput XVIII.

AD dextram Orientis calamitates meæ ilico resurrexerunt,) Ad si-
nistram quippe calamitates surgerent, si à quibuslibet ex-
tra religionem positis, & apertè Christum negantibus, perse-
cutionis aduersa sustineret. Cùm verò ab aliquibus quasi fi-
delibus tentationem cruciamentorum patitur, quasi ad dex-
teram illam calamitates oriuntur: quia hi qui sub Christi no-
mine militant, Christi in ea nomen impugnant. Ipso enim lo-
cutionis vsu, pro dextro habere dicimur, quod pro magno
pensamus, pro sinistro verò id quod despicimus: quod Za- *Zacha.3.*
charias apertè insinuat, dicens: Et ostendit mihi Iesum sacer-
dotem magnum, stantem coram angelo Domini, & satan
stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei. Qui vt patentius hoc
quod præmisit ostẽderet, secutus adiunxit: Et dixit Dominus
ad satan: Increpet Dominus in te, satã qui elegit Hierusalem.
Nunquid nõ est iste terroris erutus de igne? Et Iesus indutus
erat vestibus sordidis. Sordidis enim vestibus Iesus indutus e-
rat, quia quanuis alienus ab omni peccato, tamẽ in similitudi-
ne venit carnis peccati. Cui venienti satan à dextris stetit.
Pro magno nãque Dominus Iudaicum populũ, & pro nihilo
gentes habere videbatur. Sed postquam incarnatus apparuit,
gentilitas quę pro sinistro habita fuerat, credidit: Iudaicus ve-

rò populus ad perfidiam declinauit. Satan ergo illi à dextris stetit: quia illum ei populum rapuit, qui dudum dilectus fuit. Sed quia ipse Iudaicus populus modo perditus in fine est quandoque crediturus, Propheta testante, qui ait: Reliquiæ saluæ fient: satan à dextris suis Dominus remouit, dicens: *Ibidem.* Increpet Dominus in te satan: & eiusdem populi liberationem indicans subdit: Quia elegit Hierusalem. Qui nimirum populus quia ad gehennæ incendia perfidia duce defluebat, sed dum ad fidem reducitur, ab eodem æterni ignis incendio *Zacha.3.* liberatur, statim de eo illic subditur: Nunquid non est iste torris erutus de igne? Sicut ergo illic pro dextra plebs Iudaica, ita hoc in loco dextræ vocabulo, fidelis populus sanctæ *Matthæ.25.* Ecclesiæ designatur. Vnde & venturus iudex hœdos ad sinistram, agnos ad dextram ponit. Sed cùm sanctam Ecclesiam aduersitatis tempore ipsi quoq; lacessunt, qui fideles esse videbantur, ei proculdubio calamitates ad dextram surgunt.

21 Bene autem hæc ipsa dextra Orientis vocatur. De ipso *Zacha.6.* quippe eiusdem capite scriptum est. Oriens est nomen eius. Nam quia ab Oriente lux surgit, rectè Oriens dicitur, cuius iustitiæ lumine, nostræ iustitiæ nox illustratur. Ad Orientis ergo dextram calamitates surgunt, quia hi quoq; ad persecutionem prosiliunt, qui electa membra redemptoris nostri esse credebantur. Iuxta quam videlicet calamitates rectè ilicò asferit surgere: quia dum non erant extranei qui persequuntur, ab eis repentè mala & ilicò fiunt. Si verò dextra, hi qui veraciter fideles sunt, appellantur, calamitates ad dextram Orientis surgunt: quia erumpente persecutionis articulo crudeles prauorum impetus iusti patiuntur. Sequitur:

Quòd dum maligni spiritus vel peruersi homines extrema Ecclesiæ membra persequuntur, videtur Deus non ferre auxilium, cùm statim non eripit, cùm eos quos amat, aliquando vtiliter derelinquat. Caput XIX.

PEdes meos subuerterunt, & oppresserũt quasi fluctibus semitis suis.) Quid per pedes Ecclesiæ, nisi extrema illius membra signantur? Quæ dum ad opera terrena deseruiunt, tantò celerius ab aduersariis falli possunt, quantò sublimia minus intelligunt. Hos itaque pedes aduersarij subuertunt, videlicet cùm extrema membra illius ad sui dogmatis errorem trahunt. Subuersi pedes viam tenere nequeunt, cùm infirmi quique persecutorum suorum vel promissionibus persuasi, vel minis territi, vel cruciatibus fracti, ab itinere recto deuiant. Bene autem aduersariorum semitæ fluctibus comparantur cùm dicitur: Et oppresserunt quasi fluctibus semitis suis: quia scilicet vita prauorum insolenti inquietudine molesta, ad obruendam, vt ita dixerim, nauem cordis quasi tempestas illabitur. De qua videlicet tempestate per Salomonem dicitur: Quasi *Prouer. 10.* tempestas transiens non erit impius. Cúmque infirmus quisque peruersos florere conspicit, hunc in peruersitatis pelagus vnda miseræ imitationis mergit. Sequitur: *Dissipauerunt itinera mea, insidiati sunt mihi, & præualuerunt, & non fuit qui ferret auxilium.*) Dicat hæc beatus Iob de malignis spiritibus, videlicet hostibus occultis, dicat vniuersa Ecclesia de prauis persecutoribus, scilicet aduersariis apertis. Ipsi quippe eius itinera dissipant, cùm in quorundam infirmorum mentibus, veritatis vias callida persuasione perturbant. Ipsi insidiantes præualent, cùm eos quos apertè ad malum trahere nequeunt, bona simulando peruertunt. Sed mirum valde quod subiicit: *Non* *Psalm. 9.* *fuit, qui ferret auxilium*:) cùm de diuino adiutorio Psalmista clamet: Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Et, Sperent in te qui nouerunt nomen tuum, quoniam non derelinques quærentes te Domine. Et cùm rursum scriptum sit: Quis sperauit in Domino, & confusus est, permansit in mandatis eius, & derelictus est? Et: Quis inuocauit illũ, & despe- *Eccli.2.* xit eum? Qua itaq; ratione nunc dicitur: *Non fuit, qui ferret auxilium*:) nisi quia omnipotens Deus eos quos in æternum di- *Esaiæ.54.* ligit, aliquando ad tempus relinquit. Vnde scriptum est: Ad punctũ in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus *Psalm. 118.* sum tui. Hinc etiam Psalmista deprecabatur, dicens: Non me derelinquas vsquequaque. Derelinqui igitur se, sed ad modicum posse vtiliter nouerat, qui ne vsquequaque relinqueretur, petebat. Sanctos etènim suos Dominus veniendo adiuuat, derelinquendo probat, donis firmat, tribulationibus tentat. Vnde rectè quoque per quendam sapientem dicitur. In *Eccli.4.* primis elegit eum, timorem & metum & probationem inducet super illum, & excruciabit illum in tribulatione doctrinæ suæ, donec tentet illum in cogitationibus illius. Iusti quippe animam gratia vocat, tentatio interrogat. Et omnipotens Deus electorum suorum aduersarios temporaliter permittit excrescere, vt per malorum sæuitiam purgetur vita bonorum. Nunquam quippe Dominus aduersus bonos eos sæuire permitteret, nisi etiam quantum prodesset videret. Nam dum iniusti sæuiunt, iusti purgantur, & vtilitati innocentium militat vita prauorum, dum hanc & premendo humiliat, & humiliando semper ad melius format. Vnde rectè quoque per Salomonem dicitur: Qui stultus est, seruiet sapienti. Et tamen *Prouer. 11.* sæpe conspicimus sapientes subesse, stultos verò arcem dominij tenere: sapientes seruiliter obsequi, stultos tyrannica elatione dominari. Quomodo igitur definitione diuinæ sententiæ sapienti stultus seruit, dum plerunque hunc iure temporalis dominij comprimat? Sed sciendum est: quia contra sapientis vitam, dum stultus præeminens terrorem potestatis exercet, dum hunc laboribus fatigat, contumeliis lacerat, profectò hunc ab omni vitiorum rubigine vrendo purgat. Stultus ergo sapienti etiam dominando seruit, quem ad meliorem statum premendo prouehit. Sic nonnunquam pupillis domini ad disciplinæ magisterium serui præsunt, terrent, premunt, feriunt, & tamen esse serui nullo modo desistunt: quia ad hoc ipsum ordinati sunt, vt proficientibus dominis etiam feriendo famulẽtur. Quia igitur mala reproborum bonos dum cruciant purgant, vtilitati iustorum militat etiam potestas iniquorum. Sed plerunque iusti tribulatione deprehensi, tardam manum subuenientis æstimant, cùm se persequentium immanitas paulò longius angustat. Et concita quidem sunt ereptoris remedia, sed hoc quod ab ereptore citius agitur, dolori tardum videtur. Cúmque adesse postulationi auxilium quæritur, si vocem, non statim sequitur, quia desit æstimatur. Vnde nunc dicitur: *Et non fuit qui ferret auxilium.*) Qua videlicet in voce ipsa vis passionis exprimitur, quia supernum auxilium, etsi adest quantum ad ordinatam prouidentiã protectoris, adeesse tamen creditur quantum ad concita vota patientis. Sequitur.

Quòd miserias errantium sancti suas reputant, cùm eorum corda rupto fidei muro persuasione hæretica vident dissipata. Caput XX.

QVasi rupto muro & aperta ianua irruerunt super me, & ad meas miserias deuoluti sunt.) Quid hoc loco muri nomine, nisi 22 redemptor humani generis appellatur? De quo pro sanctæ Ecclesiæ ædificatione per Prophetam dicitur: Ponetur in ea murus & antemurale. Ipse enim nobis murus est qui ad corda nostra pertingere malignorum spirituum cursum vetat. Qui nostræ quoq; fidei etiam antemurale posuit: quia priusquam se per carnem ostenderet, prædicatores sui mysterij prophetas misit. Rectè quippe antemuralis nomine vocantur: quia dum subsequẽtem prædicauerunt Dominum, quasi ante mu- H rum steterũt. Sed quasi murus rumpitur, cùm prauorum persuasionibus fides quæ in redemptore nostro est, in quorundam corde dissipatur. Cúmque peruersis in hac vita potestas tribuitur, quid aliud quàm ianua erroris aperitur? Quasi rupto ergo muro & aperta ianua super bonos irruunt mali, cùm accepta temporaliter potestate, peruersi ipsa quoque in quorundam corde destruere munimina fidei conantur. De quibus aptè dicitur: Et ad meas miserias deuoluti sunt:) quia videlicet prius ad suas. Nisi enim peruersè viuendo, ad suas antè miserias caderẽt, nequaquam ad eas postmodum & alios suaderent. Sed post suas reprobi & ad nostras miserias deuoluuntur, quando ad ea mala in quibus iam ipsi implicati sunt, etiam quosdam nobis vnitos trahunt. Potest quoque intelligi muri nomine, munitio disciplinæ, Salomone attestante, qui ait: Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti: & *Prouer. 24.* ecce totum repleuerant vrticæ, operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat. Per agrum enim hominis pigri, atque per vineam viri stulti transire, est cuiuslibet vitam negligentis inspicere, eiúsq; opera considerare. Quam vrticæ vel spinæ replent: quia in corde negligentium prurientia

prurientia terrena desideria, & punctiones pullulant vitiorum, quippe quia scriptum est: In desideriis est omnis ocio- A sus. Maceria lapidum destructa erat: id est, disciplina patrum ab eius corde dissoluta. Nam quia destructam maceriam lapidum, dissolutam esse disciplinam vidit, protinus illic secutus adiunxit: Quod cùm vidissem, posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam. Quasi rupto ergo muro hostis ingreditur, cùm vel malignorum spirituum vel prauorum hominum persuasione callida disciplinæ munimina in corde dissipantur. Sed cum eiusdem disciplinæ vigor in corde reproborum soluitur, ante eorum oculos cuncta bonorum opera despectui habentur, nihílque esse æstimant, quicquid de virtutibus electorum vident. Vnde & subditur: *Redactus sum in nihilum.*) Apud æstimationem quippe malorum in *Locus afflictionis vita præsens.* nihilum redigitur, quando ea quæ ipsi quasi summa diligunt, bona temporalia nõ tenemus. Despectis nãque supernis promissionibus terrena desiderãt, etsi quando in eorum mente aliquid de appetitu æternitatis oritur, suborta citius transitoria delectatione dissipatur. Vnde & statim subiungitur: *Ab-* B *stulit quasi ventus desiderium meum.*) Fidelis quippe populus se pati denuntiat, quod eos quos diligit pati dolet. Ventus ergo desiderium tollit, cùm res quælibet transitoria æternitatis appetitum destruit: Vnde adhuc congruè subinsertur: *Et velut nubes pertransiit salus mea.*) Nubes quippe in alto eminet, sed hãc ad cursum flatus impellit. Sic nimirum sic sunt temporalia iniquorum bona. Velut in alto quidem per honoris celsitudinẽ *† al. dirigere.* † degere videtur, sed ad cursum vitæ quotidie quasi quibusdã mortalitatis suę flatibus impelluntur. Salus ergo vt nubes trãsit: quia peruersorum gloria quæ alta est, fixa non est: sed expletis desideriis actibũsque infirmantium, ad electorum vocem sermo conuertitur, cùm protinus subinfertur: *Nunc autem in memetipso marcessit anima mea, & possident me dies afflictionis.*) Electorum quippe anima nunc marcessit, quia in illa postmodum æterna exultatione viridescit. Modò eos dies afflictionis possident, quia dies lætitiæ pòst sequuntur. Scriptũ quippe est: Timẽti Deum bene erit in extremis. Et rursum de Ecclesia dicitur: Ridebit in die nouissimo. Nunc enim tempus afflictionis est bonis, vt sequatur eos exultatio quandoque sine tempore. Hinc ab eis aliàs dicitur: Humiliasti nos in loco afflictionis. Locus nanque afflictionis est vita præsens. Iusti ergo hîc, id est, in loco afflictionis humiliati sunt: quia in æterna vita, id est, in loco gaudij sublimantur. Cum verò marcescere anima diceret, rectè etiam præmisit: *In memetipso.*) quia in nobismetipsis, quidem affligimur, sed in Deo mens nostra refouetur: tantóque à viriditate gaudij longè fit, quantò adhuc ab authoris repulsa lumine ad se redit. Tunc verò ad veræ lętitiæ viriditatem peruenit, quando per æternæ contemplationis gratiam subleuata etiam semetipsam transit. Sed hæc quæ allegorica indagatione transcurrimus, oportet vt per omnia etiam iuxta historiam teneamus. Quæ tamen nunc idcirco prætereo: quia hæc aperta esse legentibus non ignoro. Diebus autem persecutionis vltimæ, quia multi qui pereunt, & pauci sunt qui saluantur, idcico vir sanctus passionis suæ tempore *† al. cadentibus.* & pauca de bonis, & multa de peruersis loquitur. Vnde & D mox ad eorum personam qui corruunt, verba conuertit, sicque sua insinuat, vt † audientibus possint congruere quæ narrat. Nam sequitur:

Quòd in nocte tribulationum huius seculi, etiam qui perfecti videbantur, & quasi ossa carnalium aliquando lassitudine succumbant, & à sanctorum infestatione maligni spiritus nunquam quiescant. Caput XXI.

NOcte os meum perforatur doloribus, & qui me comedunt non dor- 23 miunt. Si ipsi historiæ intendimus, patet causa quoniam sancti viri corpus per sinus vlcerum scaturiens vermium multitudo lacerabat. Si verò allegoriæ mysterium perscrutamur, quid per ossa nisi fortes quiq; in sanctę Ecclesię corpore designantur? Qui quasi suo robore mẽbra continent, dũ mores infirmantium stabiliter portant. Sed cùm tribulationis vltimæ contra eam feruor excreuerit, in nocte os illius perforatur doloribus: quia nonnunqurm tormentis victi, etiam ipsi ad perfidiam defluunt, qui ad fidem alios tenere videbantur: Ait ergo: *Nocte os meum perforatur doloribus.*) Ac si apertè dicat: Tribulationis tenebris presi, ita afflictione tenebrantur, vt & ipsi qui in me habebant vigorem fortitudinis, quasi iam quod *Diaboli & tentationibus quiescere nesciunt.* dam habeant foramen timoris. Bene autem dicitur. *Et qui me comedunt, non dormiunt*:) quia maligni spiritus qui carnales quoque de Ecclesia consumunt, tantò magis quiescere à tentatione nesciunt, quantò nullo carnis pondere grauantur. Sed persecutores sanctæ Ecclesiæ quia valdè peruersi sunt, essent vtinam pauci. Sequitur:

Quod immensitate percussionum sancti qui Christo quasi vestimentum adhærent, victi tormentis deficient, & constricto capitio libertas prædicationis suffocata extinguetur. Caput XXII.

IN *multitudine eorum consumitur vestimentum meum, & quasi capitio tunicæ succinxerunt me.*) Si historiæ intendimus, quid aliud vestimentum beati Iob quàm eius corpus accipimus? cuius videlicet vestimentum consumitur, dum caro cruciatur. Iuxta allegoriæ verò mysterium, vestimentum est sanctæ Ecclesiæ, fidelium vita. Nam sicut tota simul Ecclesia vestimentum Christi, ita fideles quique eiusdem Ecclesię vestimenta deputantur. Si enim sancta Ecclesia vestimẽtum Christi non esset, Paulus profectò non diceret: Vt exhiberet sibi gloriosam Ec- *Ephes.5.* clesiam non habentem maculam neque rugam: id est, nec per peccatum habentem maculam, nec per duplicitatem rugam, quia & per iustitiam munda est, & per simplicem intentionem tensa. Quæ igitur abluta est ne habeat maculam, tensa est ne habeat rugam, vtique vestis est. Sicut ergo indumentum Christi tota generaliter Ecclesia dicitur, sic indumentum sunt Ecclesiæ, singulorum animæ quæ ab errore conuersæ, eandem Ecclesiam credendo, eámque fideliter inhærendo circundant. De quibus eidem Ecclesiæ per Prophetam Dominus dicit: Viuo ego, quia omnibus his velut ornamen- *Esa.49.* to vestieris. Sed cùm procella sæuæ persecutionis oboritur, plerique fidelium ab eius amore separantur, qui ei fedulò inhærere videbantur. Dicat ergo: *In multitudine eorum consumi-* C *tur vestimentũ meum*:) quia dũ multi sunt qui cruciant, destruuntur plurimi qui ei connexione amoris inhærebant. Bene autem subditur: *Et quasi capitio tunicæ succinxerunt me.*) Tunicæ quippe capitium collum circundat induentis. Collum verò si stringitur, vocis vsus & vitalis flatus necatur. Sanctam ergo Ecclesiam reprobi quasi capitio tunicæ cõstringunt: quia in ea persecutionibus suis vitam fidei, & prædicationis vocem extinguere conantur. Hoc quippe conari persecutores eius specialiter solent, vt ab ea ante omnia verbum prædicationis tollant. Vnde & hi qui sanctæ fidei primordiis resistebant, cæsis Apostolis denuntiabant, dicentes: Præcipiendo præcepimus vobis ne doceretis in nomine isto, & ecce repleſtis Hierusalem doctrina vestra. Corpus ergo sanctæ Eccle- *Acto.5.* siæ quasi capito tunicæ cinxerant, qui constrictis prædicatoribus velut eius collum prementes, in ea claudere iter vocis volebant. Sed electi quique persecutionis suæ tempore paratiores sunt mori quàm tacere. Qui dum in morte temporaliter corruunt, à stultis quibusque & carnalibus despecti ac viles æstimantur: quia cùm videre reprobi nequeunt, quæ electi bona spiritaliter teneant, quos carnaliter extingui conspiciũt, infœlices arbitrantur. Vnde & subditur: *Comparatus sum luto & assimilatus sum fauillæ & cineri.*) In reproborum quippe iudicio, sancta electorum Ecclesia luto comparatur: quia temporaliter conculcata despicitur. Fauillæ assimilatur & cineri: quia dum bona eius interiora non vident, ad sola hanc mala peruenisse æstimant, quæ in ea exhiberi corporaliter vident. Fidelis tamen electorum populus cùm multos ex se cadere conspicit: optat, si obtinere valeat, aduersitatis suæ tempora mutari. Huius quia oratio differtur, gemitus augetur. Vnde adhuc subditur: *Clamo ad te, & non exaudis: sto, & non respicis* 24. *me.*) Sancta quippe Ecclesia persecutionis suæ tempore fidestat, desideriis clamat. Sed dolet se quasi non respici, dum sua videt in tribulationibus vota differri. Alto nanque consilio, omnipotens Deus cùm sancti eius aduersariorum persecutionibus comprimuntur, cúmque assiduis vt liberentur inter- *Cur Deus differat vota petentiũ.* pellationibus clamant, differre solet voces petentiũ, vt merita patientium crescant, quatenus eo magis exaudiantur ad meritum, quo citius nõ exaudiuntur ad votũ. Vnde aliàs scriptum *Psal.21.*

est: Deus meus clamabo per diem, nec exaudies, & nocte. Atque ipsa vtilitas de exaudiendi mora mox subditur, cùm illic protinus subinfertur: Et non ad insipientiam mihi. Ad multiplicandam quippe sanctorum sapientiam proficit, quòd postulata tardè percipiũt, vt ex dilatione crescat desiderium, & desiderio intellectus augeatur. Intellectus verò cùm intenditur, eius in Deum ardentior affectus aperitur. Affectus autem ad promerenda cœlestia tantò fit capax, quantò fuerit expectando longanimis. Sed tamen inter hæc sanctorum patientiam dolor vrget ad vocem, & cùm dilati proficiunt, metuunt ne deficientibus viribus despecti reprobẽtur. Sequitur:

Quòd impropriè Deus dicatur zelare, & irasci, & pœnitere, & misereri, & cætera huiusmodi: & quòd crudelis dicatur tũc cùm districtè peccata vlciscitur.

Caput XXIII.

Dissonãtia vetustæ trãslationis. Commẽdatio huius nouæ translationis.

M*Vtatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi.*) Longè ab hac sententia vetusta trãslatio dissonat, quia quod in hac de Deo dicitur, hoc in illa de aduersariis ac persecutoribus memoratur. Sed tamen quia hæc noua translatio ex Hebræo nobis Arabicóque eloquio cuncta verius transfudisse perhibetur, credẽdum est quicquid in ea dicitur: & oportet, vt verba illius nostra expositio subtiliter rimetur. Ait ergo: Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi. In scriptura sancta cùm de Deo aliquid indignum dicitur, mouetur legentis animus, velut si aliquãdo de Deo aliquid indignum dicatur. Penè omne quippe quod de Deo dicitur, eo ipso iam indignum est, quo potuit dici. Nam cuius laudi non sufficit obstupescens conscientia, quando sufficiet loquens lingua? Sanctus ergo spiritus hocipsum hominibus intelligentibus insinuans, quàm sint ineffabilia summa etiam verba diuina, his verbis nonnunquam de Deo vtitur, quæ apud homines habentur in vitio, vt ex his quæ indigna videntur hominibus, & tamen dicuntur de Deo, admoneãtur scire homines quòd nec illa iam Deo digna sint, quæ dum digna habentur apud homines, digna putãtur Deo. Dicitur enim Deus zelans, sicut scriptum est: Dominus zelotes nomen eius. Dicitur iratus, vnde scriptum est: Iratus est Dominus contra Israël. Dicitur Deus pœnitens, sicut scriptum est: Pœnitet me fecisse hominem super terram. Et rursus: Pœnitet me quòd constituerim Saul regem in Israël. Dicitur misericors, sicut scriptum est: Misericors & miserator Dominus, patiẽs & multum misericors. Dicitur præscius, sicut de illo ait Apostolus. Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui: dum nec zelus, nec ira, nec pœnitentia, nec propriè misericordia, nec præscientia esse possit in Deo. Hæc nanque omnia ab humanis in illum qualitatibus tracta sunt, dum ad nostræ infirmitatis verba descenditur, vt quasi quibusdam nobis gradibus factis, & iuxta nos positis, per ea quæ nobis vicina conspicimus, ad summa eius ascendere quandoque valemus. Zelare enim, dicitur, qui cum cruciatu mentis castitatem custodit vxoris. Irasci dicitur, qui feruore animi contra puniendum vitium accenditur. Pœnitere dicitur, cui id quod fecit, displicet, & econtra mutando aliquid aliud facit. Misericors dicitur, qui pietate ad proximum promouetur. Misericordia autem à misero corde vocata est, eo quòd vnusquisque intueatur quempiam miserum, atque ei compatiens, dum dolore animi tangitur, ipse cor miserum facit, vt eum à miseria liberet cui intendit. Præscire dicitur, qui vnanquamque rem antequam veniat videt, & id quod futurum est, priusquam præsens fiat, præuidet. Deus ergo quomodo zelans est, qui in custodienda castitate nostra nullo mentis cruciatu tangitur? Quomodo irascitur qui in vlciscendis vitiis nostris, nulla perturbatione animi commouetur? Quomodo est pœnitens, qui id quod semel fecerit, se fecisse nequaquam dolet? Quomodo habet misericordiam, qui cor nunquam miserum habet? Quomodo est præscius, dum nulla nisi quæ futura sunt, præsciantur? Et scimus quia Deo futurum nihil est, ante cuius oculos præterita nulla sunt, præsentia non transeunt, futura non veniunt: quippe quia omne quod nobis fuit & erit, in eius prospectu præsto est, & omne quod præsens est, scire potest potius quàm præscire. Et tamen dicitur zelans, dicitur iratus, dicitur pœnitens, dicitur misericors, dicitur præscius: vt quia castitatem animæ vniuscuiusque custodit, humano modo zelans vocetur, quanuis mentis cruciatu non tangatur. Et quia culpas percutit, dicitur irasci, quanuis nulla animi perturbatione moueatur. Et quia ipse immutabilis id quod voluerit mutat, pœnitere dicitur, quanuis rem mutet, consilium non mutet. Cùm miseriæ nostræ subuenit, misericors vocatur, quanuis miseris subueniat, & cor miserum nunquam habeat. Et quia ea quæ nobis futura sunt videt, quæ tamen ipsi semper præsto sunt, præscius dicitur, quanuis nequaquam futurum præuideat, quod præsens videt. Nam & quæque sunt, non ab æternitate eius ideo videntur quia sunt, sed ideo sunt, quia videntur. Dum ergo ad verba mutabilitatis nostræ descenditur, ex eis quibusdam gradibus factis ascendat qui potest ad incommutabilitatem Dei, vt videat sine zelo zelantem, sine ira irascentem, sine dolore & pœnitentia pœnitentem, sine misero corde misericordem, sine præuisionibus præscientem. In illo enim nec præterita, nec futura reperiri queunt, sed cuncta mirabilia immutabiliter durant, & quæ in seipsis simul existere non possunt, illi simul omnia assistunt, nihílque in illo præterit quod transit: quia in æternitate eius modo quodam incomprehensibili, cuncta volumina seculorum transeuntia manent, currentia stant. Sicut ergo accipimus sine zelo zelantem, sine ira irascentem, ita, à sancto Iob etiam sine crudelitate dici potuit crudelis. Crudelis quippe dicitur, qui districtè feriendo non parcit, vt videlicet hoc loco crudelis districtè feriens possit intelligi, & vlciscendæ culpæ non parcens. Vnde Esaias quoque cùm videret vltimi iudicij diem non iam cum venia sed cum districtione esse venturum, ait: Ecce dies Domini veniet crudelis & indignationis plenus, & iræ furorísque eius, ad deponendam terram in solitudine, & peccatores eius conterendos de ea. Sanctus igitur vir vt hanc eandem crudelitatem sibi potius assereret congruere posse quàm Deo, ait: *Mutatus es mihi in crudelem.*) Ac si apertè dicat: Qui in teipso crudelitatis nihil habes, mihi † quem respirare à persecutione non sinis, crudelis videris. Ita enim Deus crudelis esse non potest, sicut nec mutari vllatenus potest. Sed quoniã in Deo nec crudelitas, nec mutabilitas, vnquam venit, dum mihi dicit, quod in semetipso Deum, nec crudelem, nec muutabilem sentiat, ostendit. Nam dum circa nos quædam prospera & aduersa variantur, in eo quod nos mutamur, quasi eius circa nos mutatum animum suspicamur. Ipse verò in se incommutabilis permanens, alter atque aliter in cogitatione sentitur hominum, pro qualitate meritorum. Nam & lux Solis cùm nequaquam est sibimetipsi dissimilis, infirmis aspera, sanis autem oculis lenis videtur: eorum videlicet immutatione, non sua. Vnde vt prædiximus dicent: *Mutatus es*, adiunxit *Mihi*: vt ipsa hæc crudelitas atque mutatio, non sit in qualitate iudicis, sed mente patientis. Quod verbis quoque aliis retexit dicens: *Et in duritia manus tuæ aduersaris mihi.*) Manus etenim Dei dura creditur, cùm voluntatis nostræ cõtraria, hoc quod ei in nobis displicet, feriendo persequitur, & flagella ingeminat, cùm dolentis anima clementiam expectat. Quæ tamen iuxta allegoriæ mysterium, bene sanctæ Ecclesiæ verbis congruunt ex vocibus infirmorum, qui plerunque se plus feriri æstimant quàm mereri putant, & quasi crudelitatem arbitrantur iudicis, districtionem æquissimam sectionis: & cùm vulnus ægri medicinali ferramento abscinditur, medicus crudelis vocatur, qui tamen per secantis manus duritiam aduersatur vulneri, sed concordat saluti. Sequitur:

Omne quod de Deo dicitur coipso indignum est, quo dici potuit.

Exod.34. Numc.11. Gene.6. 1.Reg.15. Psalm.85.

Roma.8.

Quòd quasi super ventum fundati repentè sternuntur, qui transitoriorum bonorum successionibus delectantur.

Caput XXIIII.

E*Leuasti me, & quasi super ventum ponens, elisisti me valide.*) Quia præsentis vitæ gloria quasi in alto cernitur, sed nulla stabilitate solidatur, velut eleuatus super ventum ponitur, qui prosperitate transitoria lætatur, quando ad hoc solum hunc fugitiuæ fœlicitatis aura subleuat, vt repentè deterius in infimis sternat. Quia enim sancta Ecclesia cunctis in honore est, infirmi quique in ea qui transitoriis successibus lætantur, quò nisi super ventum positi videntur eleuati? quia subsequente persecutionis tempore, dum prosperitatis aura pertransit, eorum protinus eleuatio corruit, & repentè cadentes discunt, quia eleuati prius in ventum † se dederunt. Quæ videlicet

† *vel cum.*

† *al. sederũt.*

videlicet verba etiã sancti viri personæ specialiter congruũt, non ad id quod erat, sed ad id quod esse videbatur. Neque enim mentem illius prosperitas fugitiua leuauerat, quam inter tot rerum affluentias, miro semper virtutis pondere premebat, sed iuxta hoc quod videri exterius potuit, qui in suis humilis, in alienis oculis eleuatus fuit, & quasi super ventum positus, elisus est validè: quia rebus exterioribus fultus, vnde æstimabatur surgere, videbatur inde cecidisse. Quem videlicet casum sanctus vir in mente non pertulit: quia nulla aduersitas deiicit, quem prosperitas nulla corrumpit. Qui enim veritati inhæret, vanitati nullo modo succumbit: quia dum forti pede cogitationis intus intentionem fixerit, omne quod foras mutabiliter agitur, ad arcem mentis minimè pertingit. Sequitur:

Quòd sancti mortem præsentem non ad consumptionem sibi esse intelligunt, qui de resurrectione sua confidunt, qui & si aliquando peccant, per pœnitentiam reformantur.

Caput XXV.

26. S*Cio quia morti trades me, vbi constituta est domus omni viuenti.*) In superiori huius operis parte tractatum est, quod ante aduentum Domini ad inferni receptacula etiam iusti descenderunt, quanuis non in suppliciis, sed in requie seruarentur. Quod nunc testimoniis edocere negligimus: quia in ea iam sufficienter probatum putamus. Hoc ergo quod dicitur: Scio quia morti trades me, vbi constituta domus est omni viuenti: rectè beato Iob etiam iuxta historiam congruit, dum nimirum constat, quia ante redemptoris gratiam, ad inferni claustra etiam iusti descenderent. Ipsa quippe inferni receptio, domus omnium viuentium dicitur: quia nullus hîc venit qui ante mediatoris aduentum non illuc ipsa corruptionis suæ conditione pertrãsit. Nullus huc venit, qui ad carnis mortem eiusdem corruptionis suæ gressibus non tetendit. De qua videlicet morte per Psalmistã dicitur: Quis est homo qui viuit, & non videbit mortem? Nam etsi ad cœlum raptus Helias esse perhibetur, mortem tamen distulit, non euasit, de ipso quippe ore veritatis dicitur: Helias quidem vẽturus est, & restituet omnia. Venit esti restituturus omnia, quia ad hoc nimirum huic mundo restituitur, vt & prædicationis munera impleat, & carnis debitum soluat. Quæ tamen sancti viri sententia iuxta allegoriẽ mysterium, sanctę Ecclesię vocibus ex persona congruit infirmorum, qui fidem verbo tenus tenent, sed contra præcepta fidei suis desideriis famulantur. Ait etenim: *Scio quia morti trades me, vbi constituta domus est omni viuenti.*) Quia enim multos in se voluptatibus deditos conspicit, eorũmque iã interitum præscit, pensat quòd in via vitæ præsentis suis quidem desideriis seruiunt, sed tamen ad mortis domum perueniunt omnes qui in ea carnaliter viuunt. Sunt verò nonnulli qui in voluptatum suarum foueam corruunt, sed tamen per lamenta pœnitentiæ ab imis citius pedem reducunt, quos supernæ percussionis verbera ad eruditionem potius quàm ad extinctionem secant. Ex quibus aptè subiungitur: *Veruntamen non ad consumptionem eorum emittis manum tuam, & si corruerint, ipse saluabis.*) In quibus profectò verbis hoc solerter debet intelligi, quòd beatus Iob dum sua narrat, in se alios transfigurat. Velut enim de se specialiter dicebat: Eleuasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me validè: scio quia morti trades me, vbi constituta est domus omni viuenti, & tamen non de se, sed de aliis adiungit: Veruntamen non ad consumptionem eorum emittis manum tuam. Dum enim de se loquens ratiocinando causas de aliis subdit, quàm multorum personis in se significet, ostendit. Manum itaque suam Dominus ad consumptionem peccantium non emittit, cùm feriendo à peccatis corripit, & corruentes saluat, dum cadentes ad culpam in salutem corporis vulnerat, vt prostrati exterius, interius surgant, quatenus iacentes corpore, ad interiorem statum redeant, qui stantes exterius ab statu mentis iacebant. Sequitur.

Psal.88.

Matt.17.

Quomodo restituturus sit omnia.

Quòd compassio quam afflictioni proximorum debemus, non tam fit in largitione exteriorum, quàm in mentis affectu: quia extra nos quæ damus, affectus autem intus ex nobis.

Caput XXVI.

F*Lebam quondam super eum qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.*) Quãuis vera cõpassio est passioni proximi ex largitate concurrere, nonnunquam tamen cùm exteriora quæque abundè ad largiendum suppetũt, celerius dantis manus dationem inuenit, quàm animus dolorem. Vnde scire necesse est, quia ille perfectè tribuit, qui cum eo quod afflicto porrigit, afflicti quoque in se animum sumit: vt prius in se dolentis passionem transferat, & nunc contra dolorem illius per ministerium concurrat. Nam sæpe, vt prædiximus, largitorem muneris, rerum facit abundantia, & non virtus compassionis. Qui enim afflicto perfectè compatitur, plerunque & hoc indigenti tribuit, in quo ipse qui dederit, angustatur. Et tunc plena est cordis nostri compassio, cùm malum inopiæ pro proximo suscipere non metuimus, vt illum à passione liberemus. Quam videlicet pietatis formam mediator nobis Dei & hominum dedit. Qui cùm posset nobis etiam non moriendo concurrere, subuenire tamen moriendo hominibus voluit: quia nos videlicet minus amasset, nisi & vulnera nostra susciperet, nec vim nobis suę dilectionis ostenderet, nisi hoc quod à nobis tolleret, ad tempus ipse substineret. Passibiles quippe mortaléſque nos reperit, & qui nos existere fecit ex nihilo, reuocare videlicet etiam sine sua morte potuit à passione. Sed vt quanta esset virtus compassionis ostẽderet, fieri pro nobis dignatus est, quod esse nos voluit: vt in semetipso temporaliter mortem susciperet, quam à nobis in perpetuum fugaret. An non in diuinitatis suæ diuitiis nobis inuisibilis permanẽs, miris nos potuit virtutibus ditare? Sed vt ad internas diuitias rediret homo, foras apparere dignatus est pauper Deus.

27. Vnde & prædicator egregius vt ad largitatis gratiam viscera nostræ compassionis accenderet, dixit: Propter nos egenus factus est, cùm diues esset. Qui sic etiam dicit: Non vt aliis sit remissio, vobis autem tribulatio: hæc procul dubio condescendẽdo infirmis intulit, quoniã quibusdam inopiam ferre non valentibus, tolerabilius est minus tribuere, quàm post largitatem suam ex inopiæ angustia murmurare. Nam vt ad magna largiendi studia audientium mentes accenderet, paulò pòst intulit, dicens: Hoc autem dico: Qui parcè seminat, parce & metet. Plus ergo nonnunquam esse dicimus compati ex corde quàm dare: quia quisquis perfectè indigẽti compatitur, minus æstimat omne quod dat. Nisi enim dantis manum bona voluntas vinceret, eiusdẽ prędicator egregius discipulis non dixisset: Qui non solum facere, sed & velle cœpistis ab annò priori. Facilè quippe est in bono opere obedire etiam † volentẽ. Sed hæc magna in discipulis virtus extiterat, eos bonum quod illis præceptũ est, & antè voluisse. Quia itaque vir sanctus apud omnipotentem Deum, aliquando maius datum nouerat mentis esse quàm muneris, dicat: Flebã quondam super eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. Exteriora etenim largiẽs, rem extra semetipsum præbuit. Qui autem fletum & compassionem proximo tribuit, ei aliquid etiã de se semetipso dedit. Idcirco autẽ plus compassionem quàm datum dicimus, quia rem quamlibet plerunque dat etiam qui non compatitur, nunquam autem qui verè compatitur, quod necessarium proximo conspicit, negat. Quę nimirum sentẽtia bene quoq; sanctæ Ecclesię vocibus cõgruit, quæ dũ afflictos quoq; per lamenta pœnitẽtiæ cõspicit, suos † ei oratione cõtinua fletus iungit, & toties egeno cõpatitur, quoties mentis virtutibus nudatæ, interuẽtionis suæ precibus opitulatur. Super afflictum quippe compatientes plangimus, quãdo aliena damna nostra deputamus, & culpas delinquentium, nostris mundare fletibus nitimur. Quod videlicet agẽtes, plus plerunque nobis quã his pro quibus agitur subuenimus: quia apud intimum arbitrum & gratiã charitatis aspirantem, commissa quæque perfectè diluit propria, qui purè plangit aliena. Persecutionis igitur vltimæ sancta Ecclesia tribulatione deprehensa, reducat ad memoriam pacis tempore bona quæ gessit, dicẽs: Flebam quondam super eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. Quæ interne lucis gaudia æterna desiderans, sed tamen adhuc dilata, quia malis exterioribus premitur, sancti viri vocibus adiungat:

Quòd sancta Ecclesia ab ipsis quos per charitatis gratiam quasi viscera sua antè gessit, aut erat, persecutionis impetum ferat.

Caput XXVII.

2.Cor.8.

Ibidem.

† *al. nolentem.*

† *al. eis.*

E *Xpectabam bona, & venerunt mihi mala: præstolabar lucem, & eruperunt tenebræ.*) Fidelis enim populus expectat bona, sed mala suscipit, præstolatur lucem, & tenebras incurrit: quia per remunerationis gratiam interesse iam iámque angelorum se gaudiis sperat, & tamen hîc diutius dilatus, manus persequentium tolerat, & qui se quanto cyus æstimat æternæ lucis retributione perfrui, hîc adhuc compellitur persecutorum suorum tenebras pati. Quæ videlicet mala persequentium minus dolerent, si ab infidelibus aduersariísq; consurgerent. Sed eo deterius mentem electorum cruciant, quo ab illis veniunt de quibus bona præsumebant. Vnde adhuc subditur: *Interiora mea efferbuerunt absque vllaequie.*) Sanctæ quippe Ecclesiæ interiora efferuescere, est ipsos quoque quos per amorem fidei velut viscera antè gestauerat, in persecutionis atrocitate tolerare. Qui secreta prius illius cognoscentes, quantò sciunt vbi magis doleat, tantò deterius ab afflictione eius minime quiescunt. Quos tamen & pacis suæ tempore grauiter tolerat, quia suis prædicationibus eorum mores contrarios pensat. Gemit enim cùm eorum vitam sibi dissimilem con-
28 spicit. De quibus & aptè subiungitur: *Præuenerunt me dies afflictionis.*) Scit nanque sancta electorum Ecclesia quòd persecutione vltima mala multa passura sit, sed hanc afflictionis suæ dies præueniunt: quia malorum vitam intra se grauiter etiam tempore pacis portat. Nam quanuis diebus vltimis aperta infidelium persecutio sequatur, hâc tamen & priusquam appareat, hi qui in ea verbotenus fideles sunt, prauis moribus anteeurrunt. Sequitur:

Quòd sancti in culmine honoris, statum custodiunt humilitatis: & licet potestati semper amica sit impatientia, mansuetè tolerant ipsos quos ex officio suo increpant.

Caput XXVIII.

M*Oerens incedebam, sine furore consurgens in turba clamaui,*) Notandum sollicitè iuxta historiam video, quòd sanctus vir qui paulò superius dixit: Eleuasti me, inferius adiungit: Mœrens incedebam. Miro enim ordine, vno eodémque tempore conuenire in actibus bonorum solet & foris honor culminis, & intus afflictus mœror humilitatis. Vnde sanctus quoque vir eleuatus rebus & honoribus, mœrens incedebat: quia etsi hunc prælatum hominibus gloria potestatis ostenderat, interius tamen mœrore suo secretum sacrificium Do-
Psalm.50. mino contriti cordis offerebat. Sacrificium quippe Deo est spiritus contribulatus. Sciunt autem electi quiq; cõsideratione intima contra exterioris excellentiæ tentamenta pugnare. Qui si ad exteriorem fœlicitatem suam cor apponerent, iusti profectò non essent. Sed quia cor humanum non potest de ipsis prosperitatibus rerum quantulacunque gloria nullo modo tentari, contra ipsam prosperitatem suam sancti viri intrinsecus dimicant. Non dico in elatione, sed ne in eius saltem amore succumbant. Cui valde succubuisse est, captiuam mentem eius desideriis subdidisse. Quis autem terrena sapiens, temporalia amplectẽs, beatum Iob inter tot prospera lætum non crederet, cùm ei sup peteret salus corporis, vita filiorum, incolumitas familiæ, integritas gregum? Sed quia in his omnibus non gaudebat, ipse sibi testis est, qui ait: *Mœrens incedebam.*) Sancto enim viro adhuc in hac peregrinatione posito, omne quod sine visione Dei abundat, inopia est: quia cùm sibi omnia electi adesse vident, gemunt, quòd omnium authorem non videt, essq; totum hoc minus est, quia adhuc species vnius deest: sicque eos foris exaltat gratia supernæ dispensationis, vt tamen intus sub disciplina teneat mœror magistræ charitatis. Per quam videlicet discunt, vt de his quæ exterius accipiunt, apud semetipsos semper amplius humilientur, mentem sub iugo teneant disciplinæ, nunquam ex potestatis licentia ad impatientiam erumpant. Vnde & aptè subiungitur: *Sine furore consurgens in terra clamaui.*) Sæpe nanque seditiosorum tumultus hominum præpositorum suorum mentem lacessunt, suíque ordinis limitem inordinatis motibus excedunt. Et plerunque qui præsunt nisi in ore cordis Spiritus sancti freno teneantur, in iratæ retributionis atrocitatem prosiliunt, quantumque præualent agere, tantum in si-
Amica potestati impatientia. bi subditis æstimãt licere. Amica etenim potestati penè semper impatientia est, eique etiam malæ subiectæ imperat, quia quod ipsa sentit, potestas exequitur. Sed sancti viri plus se interius patiẽtiæ iugo subiiciunt, quàm foris hominibus præsunt, & eo veriorem principatum foris exhibent, quo humiliorem Deo intrinsecus famulatum tenent: atque idcirco sæpe plus quosdam tolerant, quo se de eis vlcisci amplius possunt, ac ne vnquam ad licita transeant, plerunque nolunt pro se exequi etiam quod licet, subiectorum strepitus sufferunt, per amorem increpant, Quos per mansuetudinem portant. Vnde nunc rectè dicitur: *Sine furore consurgens in turba clamaui.*) quia nimirum boni contra tumultus insolentium clamorem habent, & furorem non habent, quoniam eos quos clementer tolerant, docere non cessant. Sed hæc quæ iuxta historiam de vno diximus, iuxta allegoriam necesse est vt de diuersis electis Ecclesiæ sentiamus. Ipsa quippe in electis suis etiam per prospera incedit mœrens, quia nil sibi verè prosperum deputat, quousque bonum quod singulariter quærit, apprehendat. Fideles quippe illius temporali quidem pace perfruũtur, sed perpetuè suspirant, honorantur, & afflicti sunt: quia plerunq; ibi videntur in culmine, vbi ciues non sunt. Ipsa etiam in turba sine furore consurgit, & clamat: quia prauorum vitam studio rectæ emulationis, non autem vesania furoris insequitur. Irascitur & amat, sæuit & tranquilla est, quatenus infirmos suos corrigat ex æmulatione, foueat ex pietate. Sequitur:

Quòd verè sancti sunt, qui inter malos conuersari innocenter possunt.

Caput XXIX.

F*Rater fui dracorum, & socius struthionum.*) Quid draconum nomine nisi malitiosorum hominum vita signatur? De quibus & per Prophetam dicitur: Traxerunt ventum quasi dracones. Peruersi etenim quiq; ventum quasi dracones trahunt, cùm malitiosa superbia inflantur. Qui autem struthionum appellatione intelligi, nisi simulatores solent? Struthio etenim pennas habet, & volatum non habet: quia simulatores quique speciem sanctitatis habent, sed virtutem sanctitatis non habent. Visio quippe eos bonæ actionis decorat, sed à terra minimè penna virtutis leuat. Electus itaque sanctæ Ecclesiæ populus quia pacis suæ tempore intra se quosdam malitiosos ac simulatores patitur, dicat: *Frater fui draconum, & socius struthionum.*) Quod beati quoque Iob vocibus specialiter congruit, qui ad culmen magnæ fortitudinis, bonus inter malos fuit. Nullus quippe perfectus est, qui inter proximorum mala patiens non est. Qui enim æquanimiter aliena mala 29
non tolerat, ipse sibi per impatientiam testis est, quia à boni plenitudine longè distat. Abel quippe esse renuit, quem Cain malitia non exercet. Sic in tritura areæ grana sub paleis premunt, sic flores inter spinas prodeunt, & rosa quæ redolet, crescit cum spina quæ pungit. Duos nanque filios habuit primus homo, sed vnus electus, alter reprobus fuit. Tres quoque filios Noë arca continuit, sed duobus in humilitate persistentibus, vnus ad patris irrisionem ruit. Duos Abraham filios habuit, sed vnus innocens, alius verò fratris persecutor fuit. Duos quoque Isaac filios habuit, vnus in humilitate seruatus, alter verò & priusquam nasceretur, reprobatus est. Duodecim Iacob filios genuit, sed ex his vnus per innocentiam venditus, cæteri verò per malitiam venditores fratris fuerunt. Duodecim quoque Apostoli in sancta Ecclesia sunt electi, sed ne improbati remanerent, vnus eis admixtus est, qui eos persequens probaret. Sic nanque iusto peccator cum malitia iungitur, sicut in fornace auro palea cum igne sociantur, vt quo ardeat palea, purgetur aurum. Hi ergo veraciter boni sunt qui in bonitate persistere etiã inter malos possunt. Hinc etiam sponsi voce sanctæ Ecclesiæ dicitur: Sicut lilium *Cantic.* inter spinas, sic anima mea inter filias. Hinc ad Ezechielem *Ezech.2.* Dominus dicit: Fili hominis, increduli & subuersores tecum, & cum scorpionibus habitas. Hinc Petrus vitam beati Loth glorificat, dicens: Et iustum Loth, oppressum à ne- *2. Petri.2.* fandorum iniusta conuersatione eripuit. Aspectu enim & auditu iustus erat, habitans apud eos, qui quotidie animam iusti iniquis operibus cruciabant. Hinc Paulus discipulorum vitam glorificat & glorificando confirmat, dicens: In medio *Philip.2.* nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes. Hinc per Ioannem Angelus Pergami Ecclesiæ attestatur, dicens: Scio vbi habitas, *Apoca.2.* vbi sedes

vbi sedes est Satanæ & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. Beatus igitur Iob vt ostendat cuius fortitudinis fuerit, insinuet cum quibus vixit, dicens: *Frater fui draconum, & socius struthionum.*) Quia minus esset quod ipse bona ageret, nisi & ad bonitatis suæ cumulum, ab aliis mala toleraret. Sequitur:

Quòd sancti in apostatatione reproborum tabescunt, & denigrantur & arescunt, dum zeli sui ardore torquentur.

Caput XXX.

C*Vtis mea denigrata est super me, & ossa mea aruerunt præ caumate.*) Hæc iuxta historiam pensare negligimus, quia videlicet sermonis virtus patet ex pœna passionis. Sed quia, vt sæpe iam diximus, plerunque beatus Iob sic narrat gesta, vt gerendo prænuntiet, bene hoc sanctæ Ecclesiæ vocibus congruit, quæ dolorem persecutionis vltimæ in infirmis grauiter sentit. Cúmque ab illa alij pereunt, valentiores quique mœrore cruciãtur. Exterior quippe causa eius est terrena dispensatio: interior verò cura cœlestis. Cutis ergo nomine, infirmi signãtur, qui nunc in ea exteriori vtilitati deseruiunt. Per ossa verò fortes eius figurati sunt, in quibus corporis illius tota compago solidatur. Quia igitur aut prouocati muneribus, aut persecutionibus afflicti, multi in ea ab statu fidei infirmi cadunt, cámque ipsi postquam ceciderunt persequuntur: quid aliud quàm cutis suæ nigredinem patitur, vt in ipsis postmodum fœda appareat, in quibus prius pulchra videbatur? Cum enim hi qui prius exteriora bene dispensare consueuerant, contra electos Dei postmodum sæuiunt, quasi cutis Ecclesiæ anteactæ iustitiæ colorem perdidit, qui ad nigredinem iniquitatis venit. Quod Hieremias etiam sub præcipui metalli specie de-
Threno.4. plorat, dicens: Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? Peruersi ergo dum ab eius sacramẽtis exeunt, plerunque inter reprobos locum honoris sumunt, vt ipsi contra sanctam Ecclesiam ex authoritate sæuiant, qui hanc atrocius quasi sciendo contemnunt. Vnde & cùm diceret: Cutis mea denigrata est: addidit, super me: quia hos quos prius ad decorem iustitiæ quasi candidos habuit, pòst deterius nigros portat. Sed cùm cutis ad nigredinem vertitur, fortes qui in illa sunt zelo fidei contabescunt. Vnde aptè subiungit: *Et ossa mea aruerunt præ caumate.*) Sic nanque & priori tempore os fortissimum sanctæ Ecclesiæ, quadam ariditate tædij Paulus æstuabat, cùm quibusdam cadentibus diceret: Quis infirmatur, &
2.Cor.11. ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Cutis ergo denigratur, & ossa præ caumate arescunt: quia dum infirmi ad iniquitatem prosiliunt, fortes quoque præ caloris sui igne cruciantur. Sequitur:

Quòd abstinentia & doctrina sanctorum in luctum eis vertatur, cùm se ab eis contemni vident, quibus verbo & exemplo prodesse studebant.

Caput XXXI.

30. V*Ersa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium.*) Quia organum per fistulas, & cithara per chordas sonat, potest per citharam recta operatio, per organum verò sancta prædicatio designari. Per fistulas quippe organi, ora prædicantiũ, per chordas verò citharæ, intentionem rectè viuentium non inconuenienter accipimus. Quæ dum ad vitam aliam per afflictionem carnis tẽditur, quasi extenuata chorda in cithara per intuentium admirationẽ sonat. Siccatur etenim chorda vt congruum in cithara cantum reddat, quia & sancti viri castigant corpus suum, & seruituri subiiciũt, atque ab in-
De discretione in abstinentia seruanda. fimis ad superiora tendunt. Pensandum quoque est quòd chorda in cithara si minus tenditur, non sonat: si amplius, raucum sonat: quia nimirum virtus abstinentiæ aut omnino nulla est, si tantũ quisq; corpus nõ edomat quantũ valet: aut valde inordinata est si corpus atterit plusquã valet. Per abstinẽtiã quippe carnis vitia sunt extinguẽda, nõ caro: & tãtò quisque sibimet debet moderamine præesse, vt & ad culpam caro non superbiat, & tamen ad affectum rectitudinis in operatione subsistat. Intueri inter hæc egregium prædicatorem libet, quanta artè magisterij fidelium animas velut in cithara chordas tensas, alias amplius tendendo extenuat, atque alias à ten-
Rom.13. sione sua relaxando conseruat. Aliis etenim dicit: Non in cõmessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis. Et rursus ait: Mortificate membra vestra quæ sunt super *ad Col.3.* terram. Et tamen prædicatori charissimo scribit, dicens: Noli *1.Tim.5.* adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere, propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. Illas ergo chordas attenuando tendit, ne non tense omni modo non sonent. Siue autem sancti prædicatores in Ecclesia, seu quilibet simplices & abstinẽtes, prout vires accipiunt, in ea proximis suis canticum bonæ exhortationis reddunt. Nã & prudentes quique ad prædicationis fructum solerter inuigilant, atque vt alios ad vitam perthahant, sono magnę persuasionis elaborant, & qui in ea tardioris ingenij videntur, ex ipso suæ vitæ merito inquantum se posse conspiciunt, exhortationis erga alios authoritatem sumunt, atque ad cœlestem patriam quos valẽt trahere non desistunt. Sed sancta Ecclesia extremis persecutionibus pressa, cum verba sua à reprobis contemni considerat, amoris sui gratiam ad sola lamenta format: quia nimirum deflet, quos exhortando trahere non valet. Dicat ergo: *Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium.*) Ac si apertè fateatur dicens: Pacis quidam meæ tempore per alios parua more citharæ, per alios verò more organi magna & sonora prædicabam: sed nunc versa est in luctum cithara, & organum in vocem flentium versum est: quia dum me contemni conspicio, eos qui prædicationis cantum non audiunt, deploro. Hæc pẽr quosdã sancta Ecclesia in fine factura est. hæc per quosdam in suis iam exordiis fecit. Primus quippe martyr Stephanus Iudęis persequentibus prodesse prædicando conatus est, quos tamen post verba prædicationis, dum videret ad iaciendos lapides conuolasse, fixis genibus orabat, dicens: Domine Iesu, ne statuas illis hoc peccatum. Quid er- *Actor.7.* go huic qui diu & parua & magna narrauerat, nisi iam suæ citharæ atque organi cantus silebat, atque in luctum versa fuerant: quia eos quos prædicando non traxerat, amando flebat? Quod nimirum quotidie sancta Ecclesia agere non desistit, quæ prædicationis verbum penè vbique conticuisse iam cõspicit. Alij nanque loqui dissimulant, alij recta audire cõtemnunt. Sed electorum mens dum tacere cantum prædicationis conspicit, gemens ac tacita ad fletus redit. Dicat ergo: Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium: quia electus quisque quo sanctæ prædicationis vox siluit, damna Ecclesiæ grauius plangit. Huiusque beatus Iob descripsit mala quæ pertulit, hoc verò ex loco incipit narrare subtilius bona quæ fecit. Sed doloris verba historica atque allegorica expositione transcurrimus, virtutum verò opera ex magna parte iuxta solius historiæ textum tenemus, ne si hæc ad indaganda mysteria traximus, veritatem fortasse operis vacuare videamur.

Libri.xx.Moralium sancti Grægorij finis.

B. GREGORII MORALIVM LIBER vigesimusprimus.

Qui d sit quòd Iacob virgas populeas & amygdalinas decorticauit, & in canalibus in quibus greges bibebant, posuit.

Caput I.

INtellectus sacri eloquij inter textum & mysterium tanta est librationepensandus, vt vtriusque partis lance moderata, hunc neque nimiæ discussionis pondus deprimat, neque rursus torpor incuriæ vacuum relinquat. Multæ quippe eius sententiæ tanta allegoriarum conceptione sunt grauidæ, vt quisquis eas ad solam tenere historiam nititur, earum notitia per suã incuriã priuetur. Nõnullę verò ita exterioribus preceptis inseruiũt, vt si quis eas subtilius penetrare desiderat, intus quidẽ nihil inueniat, sed hoc sibi etiã quod foris loquũtur abscõdat. Vnde bene quoque narratione historica per si- *Quanta libratione pẽsandus sit intellectus sacri eloquij.*

Figura. Gene.30. gnificationem dicitur: Tollens Iacob virgas populeas viridas & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticauit eas, detractísque corticibus, in his quæ spoliata fuerant, candor apparuit: illæ verò quæ integræ erant, virides permanserunt, atque in hunc modum color effectus est varius. Vbi & subditur: Posuítque eas in canalibus in quibus effundebatur aqua, vt cùm venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aspectu earum conciperent. Factumque est vt in ipso calore coitus oues intuerentur virgas, & parerent maculosa & varia, & diuerso colore respersa. Quid est enim virgas virides amygdalinas atque ex platanis ante gregum oculos ponere, nisi per scripturæ sacræ seriem, antiquorum patrum vitas atque sententias in exemplum populis præbere? Quæ nimirum quia iuxta rationis examen rectæ sunt, virgæ nominantur. Quibus ex parte corticem subtrahit, vt in his quæ expoliantur, intimus candor appareat, & ex parte corticem seruat, vt sicut fuerant exterius, in viriditate permaneant: variusque virgarum color efficitur, dum cortex ex parte subtrahitur, ex parte retinetur. Ante considerationis enim nostræ oculos, præcedentium patrum sententiæ, quasi virgæ variæ ponuntur. In quibus dum plerunque intellectum literæ fugimus quasi corticem subtrahimus, & dum plerunque intellectum literæ sequimur, quasi corticem reseruamus. Dumque ab ipsis cortex literæ subducitur, allegoriæ candor interior demonstratur: & dum cordex relinquitur, exterioris intelligentiæ virentia exempla monstrantur. Quas bene Iacob in aquæ canalibus posuit, quia & Redemptor noster in libris eas sacræ scientiæ quibus nos intrinsecus infundimur, fixit. Has aspicientes arietes cum ouibus coëunt: quia rationales nostri spiritus dum in earum intentione defixi sunt, singulis quibusque actionibus permiscentur, vt tales fœtus operum procreent, qualia exempla præcedentium in vocibus præceptorum vident, & diuersum colorem proles boni operis habeat: quia & nonnunquam subtracto literæ cortice, acutius interna considerat, & seruato nonnunquam historiæ tegmine, bene se in exterioribus format. Nam quia diuinæ sententiæ aliquando interius rimandæ sunt, aliquando exte-
Prouer.30. rius obseruandæ, per Salomonem quoque dicitur: Qui fortiter premit vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum, & qui vehementer emungit, elicit sanguinem. Vbera quippe fortiter premimus, cùm verba sacri eloquij subtili intellectu pensamus, qua pressione dum lac quærimus, butyrum inuenimus: quia dum nutriri vel tenui intellectu quærimus, vbertate internæ pinguedinis vngimur. Quod tamen nec nimiè nec semper agendum est, ne dum lac quæritur ab vberibus, sanguis sequatur. Plerunque etenim quidam dum verba sacri eloquij plusquam debent discuriunt, in carnalem intellectum cadunt. Sanguinem quippe elicit, qui vehementer emungit: quia carnale efficitur hoc quod ex nimia spiritus discussione sentitur. Vnde necesse est vt beati Iob opera, quæ inter increpantium amicorum verba idcirco narrat, ne afflicta mens illius in desperatione deficiat, iuxta pondus historiæ perserutemur: ne si hæc animus plusquam necesse est spiritaliter inuestiget, à verborum eius vberibus sanguis nobis pro lacte respondeat. Si quando verò quædam mystica in suorum operum narratione permiscet, ad hæc necesse est vt mens concita redeat, ad quæ hanc ipse vt datur intelligi, ordo loquentis vocat. Nam sanctus vir postquam ea quæ sibi per flagellum Domini fuerant inflicta narrauit, nunc per ordinem proprias enumerando virtutes qualis ante flagellum fuerit innotescit, sic vitæ suæ historiam texens, vt ei perrarum aliquid quod allegoricè intelligi possit interserat: quatenus & ex magna parte historica sint quæ memorat, & tamen aliquando per hæc eadem ad spiritalem intelligentiam consurgat. Qua itaque fortitudine ab omni lapsu exteriora sua custodiæ interioris disciplina constrinxerit, insinuat dicens:

E

Caput trigesimumprimum textus beati Iob.

PEpigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidē de virgine. Quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hæreditatē omnipotens de excelsis? Nunquid non perditio est iniquo, & alienatio operātibus iniustitiam? Nónne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat? Si ambulaui in vanitate, & festinauit in dolo pes meus, appendat me in statera iusta, & sciat Deus simplicitatem meam. Si declinauit gressus meus de via, & si secutus est oculus meus cor meū, & si in manib⁹ meis adhæsit macula: seram, & alius comedat, & progenies mea eradicetur. Si deceptum est cor meū super muliere, & si ad ostium † inimici mei † *al. amici.*
F insidiatus sum, scortum alterius sit vxor mea, & super illam incuruentur alij. Hoc enim nephas est, & iniquitas maxima. Ignis est vsq; ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina. Si contempsi subire iudicium cum seruo meo & ancilla mea, cùm disceptarent aduersum me. Quid enim faciam cùm surrexerit ad iudicādū Deus, & cùm quæsierit, quid respondebo illi? Nunquid non in vtero fecit me, qui & illum operatus est, & formauit me in vulua vnus? Si negaui quod volebāt, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci. Si comedi bucellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea. (Quia ab infantia mea creuit mecū miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum.) Si despexi prætereuntem, eo quòd non habuerit indumētum, & absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera eius, & de vel-
G leribus ouium mearum calefactus est. Si leuaui super pupillum manum meam, etiam cùm viderem me in porta superiorem: humerus meus à iunctura sua cadat, & brachium meū cum ossibus suis confringatur. Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui. Si putaui aurum robur meum, & obryzo dixi, fiducia mea. Si lætatus sum super multis diuitiis meis, & quia plurima reperit manus mea. Si vidi Solem cùm fulgeret, & Lunam incedentem clarè, & lætatum in abscondito cor meum & obsculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum. Si gauisus sum ad ruinam eius qui me oderat, & exultaui quod inuenisset eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, vt expeterem maledicens animam eius. Si non dixerunt
H viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus eius vt saturemur? Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit. Si abscondi quasi homo peccatum meum, & cælaui in sinu meo iniquitatem meam. Si expaui ad multitudinem nimiam, & despectio propinquorum terruit me, & non magis tacui, nec egressus sum ostium. Quis mihi tribuat auditorem, vt desiderium meum audiat omnipotens, & librum scribat ipse qui iudicat, vt in humero meo portē illum, & circundem illum quasi coronam mihi? Per singulos gradus meos pronuntiabo illum, & quasi principio offeram eum: si aduersum me terra mea clamat, & cùm ipsa sulci eius defluent: si fructus eius comedi absque pecunia, & animam agricolarum eius afflixi, pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina.

Quòd

Quòd serui Dei non solùm ad munditiam carnis, sed etiam ex proposito & pacto ad puritatem cordis operam dare debeant.

Caput II.

2. P*Epigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.*) Cùm sit inuisibilis anima, nequaquam corporearum rerum delectatione tangitur, nisi quòd inhærens corpori, quasi quædam egrediendi foramina eiusdem corporis sensus habet. Visus quippe, auditus, gustus, odoratus, & tactus quasi quædam viæ mentis sunt, quibus foras veniat, & † ea quæ extra eius sunt substātiā, cōcupiscat. Per hos etenim corporis sensus quasi per fenestras quasdam exteriora quæque anima respicit, respiciens cōcupiscit. Hinc etenim Hieremias ait: Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras. Mors quippe per fenestras ascēdit, & domum ingreditur, cùm per sensus corporis concupiscentia veniens habitaculum intrat mentis. Quo contrà hoc quod iam sæpe diximus de iustis per Esaiam dicitur: Qui sunt hi qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? Iusti nanque volare vt nubes dicti sunt, quia à terrenis contagiis subleuantur, & quasi columbæ ad fenestras suas sunt: quia per sensus corporis exteriora quęque intentione non respiciunt rapacitatis, cōsque foras non rapit cōcupiscentia carnalis. Quisquis verò per has corporis fenestras incautè exterius respicit, plerunque in delectationem peccati, etiam nolens † cadit, atque obligatus desideriis, incipit velle quod noluit. Præceps quippe anima dum antè nō prouidet ne incautè videat quod concupiscat, cæca pòst incipit desiderare quod vidit. Vnde & prophetæ mens quæ subleuata sæpe mysteriis internis intererat, quia alienam cōiugē incautè vidit, obtenebrata postmodum sibimet illicitè coniunxit. Sanctus autem vir qui acceptis corporis sensibus velut subiectis ministris quidam æquissimus iudex præest, culpas conspicit antequam veniant, & velut insidianti morti fenestras corporis claudit, dicens: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.*) Vt enim cogitationes cordis castè seruare potuisset, fœdus cum oculis pepigit, ne prius incautè aspiceret, quod postmodum inuitus amaret. Valde nanque est graue quod caro deorsum trahit, & semel species formæ cordi per oculos illigata, vix magni luctaminis manu soluitur. Ne ergo quædam lubrica in cogitatione versemus, prouidendum nobis est, quia intueri non decet quod non licet concupisci. Vt enim munda mens in cogitatione seruetur, à lasciuia voluptatis suæ deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam. Neque enim Eua lignum vetitum contigisset, nisi hoc prius incautè conspiceret. Scriptum quippe est: Vidit mulier quòd bonū esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit. Hinc ergo pēsandum est quanto debeamus moderamine erga illicita visum restringere nos qui mortaliter viuimus, si & mater viuētium per oculos ad mortem venit. Hinc etiam sub Iudęę voce quæ exteriora videndo concupiscens, bona interiora perdiderat, Propheta dicit: Oculus meus deprædatus est animā meam. Concupiscendo enim visibilia, inuisibiles virtutes amisit. Quæ ergo interiorē fructū per exteriorē visum † prodidit, per oculum corporis pertulit prædā cordis. Vnde nobis ad custodiendā cordis munditiam, exteriorū quoq; sensuum disciplina seruanda est. Nam quantalibet virtute mens polleat, quantalibet grauitate vigeat, carnales tamen sensus puerile quiddā exterius perstrepunt, & nisi interioris grauitatis pondere, & quasi iuuenili quodam vigore refrenentur, ad fluxa quæque & leuia mentē † eneruem trahūt. Videam⁹ igitur quomodo beatus Iob id quod in eo fluxū ac puerile caro sapere potuit, iuuenili sapientiæ vigore restrinxit. Ait enim: *Pepigi fœdus cum oculis meis.*) Et quia non in re actionem tantūmodo, sed & cogitationem luxuriæ extinxit, secutus adiunxit: *Vt ne cogitarem quidem de virgine.*) Sciebat nimirum luxuriam esse in corde refrenādam, sciebat per sancti Spiritus donum, quòd redemptor noster veniens, legis præcepta transcenderet, & ab electis suis, non solùm luxuriam carnis, sed etiam cordis aboleret, dicens: Scriptum est: Non adulterabis: ego autem dico vobis, quoniam omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in

Viæ mentis sensus exteriores.
† *al. eorum quæ extrinsecus sunt substātiam.* *Hiere.6.*
Esaiæ.60.
† *al. rapitur*
2.Regū. 11.
Gene.3.
Thren. 3.
† *al. perdidit.*
† *al. inermē pertrahunt.*
Matth.5.

A corde suo. Per Moysen quippe luxuria perpetrata, per authorem verò mūditiæ, luxuria cogitata damnatur. Hinc est enim quòd discipulis primus Ecclesiæ pastor dicit: Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrij perfectè sperate in eam quæ offertur vobis gratiam. Lumbos enim cārnis succingere, est luxuriam ab effectu refrenare. Lumbos verò mentis succingere, est hanc etiā à cogitatione restringere. Hinc est quòd angelus qui Ioannem alloquitur, zona aurea super mammillas cinctus esse perhibetur. Quia enim testamenti noui munditia etiam cordis luxuriam frenat, angelus qui in eo apparuit, in pectore cinctus venit. Quem bene zona aurea stringit: quia quisquis supernæ patriæ ciuis est, nō iam timore supplicij, sed amore charitatis immunditiam deserit. Malum verò luxuriæ aut cogitatione perpetratur, aut opere. Callidus nanque aduersarius noster cum ab effectu operis expellitur, secreta polluere cogitationis molitur. Vnde & serpenti à Domino dici- *1.Petr.1.* *Gene.3.*
B tur: Pectore & ventre repes. Serpens videlicet ventre repit, quando hostis lubricus per humana membra sibimet subdita vsque ad expletionem operis, luxuriam exercet. Serpens autem repit pectore, quando eos quos in opere luxuriæ non valet, polluit in cogitatione. Alius itaque luxuriam iam perpetrat actione, huic serpens repit ex ventre. Alius autem perpetrandam versat in mente, huic serpens repit ex pectore. Sed quia per cogitationem ad explenda opera peruenitur, rectè serpens prius pectore, & postmodum repere ventre describitur.

Quòd virtutes inuicem se complectuntur, nec castitas sine humilitate, nec humilitas sine castitate aliquid valet.

Caput III.

VNde beatus Iob quia disciplinam etiam in cogitatione tenuit, vna custodia serpentis pectus ventrémque superauit, dicens: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Quam nimirum cordis mūditiam quisquis adipisci 3.
non appetit, quid aliud quàm eiusdem à se munditiæ authorem repellit? Vnde & beatus Iob protinus subdit: *Quam enim*
C *partem Deus haberet in me desuper, & hæreditatem omnipotens de excelsis?*) Ac si apertè dicat: Si mentem in cogitatione polluero, eius qui mundiæ author est, esse hæreditas nequaquam possum. Nulla enim bona sunt cætera, si occulti iudicis oculis castitatis testimonio non approbantur. Omnes quippe virtutes in conspectu conditoris vicaria ope se subleuant, & quia *Omnes virtutes vicaria se opesu bleuant.*
vna virtus sine alia, vel nulla est omnino, vel minima, vicissim, sua coniunctione fulciantur. Si enim vel castitatem humilitas deserat, vel humilitatem castitas relinquat, apud authorem humilitatis, & munditiæ prodesse quid præualet, vel superba castitas, vel humilitas inquinata? Sanctus igitur vir vt ab authore suo in bonis reliquis possideri mereatur, cordis mūditiam custodiens dicat: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet Deus in me desuper, & hæreditatem omnipotens de excelsis?*) Ac si apertè fateatur, dicens: Haberē me possessionem suam cœlorum conditor renuit, si mens mea ante conspectum illius in infimis desideriis
D tabescit. Sed inter hæc sciendum est aliud esse quod animus *de pœnit. dist.2. Inter hæc.*
de tentatione carnis patitur, aliud verò cùm per consensum delectationibus obligatur. Plerunque enim cogitatione prauā pulsatur, sed renititur: plerunque autem cùm peruersum quid concipit, hoc intra semetipsum etiam per desiderium voluit. Et nimirum mentem nequaquam cogitatio immunda inquinat cùm pulsat, sed cùm hāc sibi per delectationem subiugat. Hinc etenim prædicator egregius dicit: Tentatio vos *1.Cor.10.*
non apprehendat, nisi humana. Humana quippe tentatio est, qua plerunque in turpi cogitatione, tanginur etiam nolentes: quia vt nonnunquam & illicita ad animum veniant, hoc vtique in nobismetipsis ex humanitatis corruptibilis pondere habemus. Iam verò dæmoniaca est, & non humana tentatio, cum ad hoc quod carnis corruptibilitas suggerit, per consensum se animus astringit. Hinc iterum dicit: Non regnet *Roma.6.*
peccatum in vestro mortali corpore. Peccatum quippe in mortali corpore non esse, sed regnare prohibuit: quia in carne corruptibili non regnare potest, sed non esse non potest. Hoc ipsum nanque ei de peccato tentari peccatum est, quo quia quandiu viuimus, perfectè omnimo-

do non caremus. Sancta prædicatio quoniam hoc expellere plenè non potuit, ei de nostri cordis habitaculo regnum tulit, vt appetitus illicitus, & si plerunque bonis nostris cogitationibus occultè se quasi fur inserit, saltem si ingreditur, non dominetur. Vir igitur sanctus dicens: Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine: nequaquam vult intelligi, quia eius animum culpa in cogitatione non contigit, sed quia nunquam hunc ex consensu superauit. Nam velut integerrimam possessionem Dei, mentem suam contra aduersarij deprædationem vendicat, qui protinus adiungit: Quam enim partem haberet Deus in me desuper, & hereditatem omnipotens de excelsis? Ac si apertè dicat: Carne quidem mortali corruptionis conditioni subiaceo, sed authori vnde seruio, si ei integrum à consensu culpæ animum non defendo? Sequitur.

Quòd iusti dum temporaliter flagellantur, probantur: reprobi verò qui in laboribus hominum modò non sunt, æterno anathemate condemnantur. *Caput IIII.*

4. N*Vnquid non perditio est iniquo, & alienatio operantibus iniquitatem?*) O quanta consolatio ægrotis, & quantus mæror sanis. Festina consolatio bonorum, est consideratus finis malorum. Dum enim ex eorum interitu malum conspiciunt, quod euadunt, leue existimant quicquid aduersum in hac vita patiuntur. Eant ergo nunc reprobi, & delectationum suarum desideria compleant: in finis sui damnatione sensuri sunt, quia mortem malè viuentes amauerunt. Transitorio autem hîc verbere affligantur electi, vt à prauitate flagella corrigant, quos paterna pietas ad hæreditatem seruat. Nunc etenim flagellatur iustus, & verbere disciplinæ corrigitur: quia ad æternæ hæreditatis patrimonium præparatur. In suis autem voluptatibus relaxatur iniustus, quia tātò ei temporalia bona suppetunt, quantò ęterna denegantur. Iniustus ad debitam mortem currens, effrenatis voluptatibus vtitur, quia & vituli qui mactādi sunt, in liberis pastibus relinquuntur. At contra iustus à delectationis transitoriæ iocunditate restringitur, quia & nimirum vitulus ad laboris vsum vitæ deputatus sub iugo retinetur. Negantur electis in hac vita bona terrena: quia & ægris quibus spes viuendi est, nequaquam à medico cuncta quæ appetunt, conceduntur. Dantur autem reprobis bona quæ in hac vita appetunt: quia & desperatis ægris omne quod desiderant, non negatur. Perpendant igitur iusti quæ sint mala quæ iniquos manent, & nequaquam eorum fœlicitati inuideant quæ percurrit. Quid est enim quòd de eorum gaudiis admirentur, quando & ipsi per iter asperum ad salutis patriam, & illi quasi per amœna prata ad foueam tendunt? Dicat ergo vir sanctus: *Nunquid nō perditio est iniquo, & alienatio operantibus iniquitatem?*) Quod videlicet & alienationis verbum durius sonaret, si hoc interpres in suæ linguæ voce tenuisset. Quod enim apud nos alienatio, hoc apud Hebræos anathema dicitur. Tunc ergo alienatio erit reprobis, cum ab hæreditate districti iudicis se anathema esse conspiciunt: quia hîc eum peruersis moribus contempserunt. Floreant iniqui, à flore æternæ hæreditatis alieni. Iusti verò semetipsos solerter inspiciant, & in cunctis actionibus suis à Domino se videri pertimescant. Vnde & aptè mox subditur: *Nónne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?*) Quid viarum nomine, nisi actiones denuntiat? [*Viæ actiones designāt.*] Hinc enim per Hieremiam, dicitur: [*Hier. 7.*] Bonas facite vias vestras, & studia vestra. Quid verò gressuū appellatione, [*Quid gressus.*] nisi vel motus mentium, vel profectus accipimus meritorum? Quibus profectò gressibus ad semetipsam nos veritas vocat, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. [*Matth. 11.*] Ad se quippe venire nos Dominus præcipit, nimirum non gressibus corporis, sed profectibus cordis. [*Ioan. 4.*] Ipse nanque ait: Veniet hora quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis patrem. Et paulò pòst: Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu, & veritate. Nam & pater tales quærit qui adorent eum. In corde ergo esse gressus insinuat, quando & vt veniamus vocat, & tamen motu corporis nequaquam nos ad alia transire denuntiat.

5. Sic autem Dominus vniuscuiusque considerat vias, sic dinumerat gressus, vt ne minutissimæ quidem cogitationes eius iudicio, ac verba tenuissima quæ apud nos vsu viluerunt, indiscussa remaneat. [*Matth. 5.*] Hinc enim dicit: Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui dixerit fratri suo racha, reus erit concilio. Qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Racha quippe in Hebræo eloquio vox indignantis est, quæ quidem animum irascentis ostendit, nec tamen plenum verbum iracundiæ exprimit. Prius ergo ira reprehenditur sine voce, postmodum verò ira cum voce: sed necdum pleno verbo formata, ad extremum quoque cùm dicitur fatue, ira redarguitur, quæ cùm excessu vocis expletur etiam perfectione sermonis. Et notandum quod in ira perhibet reum esse iudicio, in voce iræ quod est racha reum concilio, in verbo vocis quod est fatue, reum gehennæ ignis. Per gradus etenim culpæ creuit ordo sententiæ, quia in iudicio adhuc causa discutitur, in concilio autem iam causæ sententia definitur. In gehenna verò ignis ea quæ de concilio egreditur sententia expletur. Quia igitur humanorum actuum Dominus subtili examine gressus enumerat, ira sine voce iudicio, ira in voce concilio, ira verò in voce atque sermone gehennæ ignibus mancipatur. Hanc subtilitatem cōsiderationis eius Propheta aspexerat, cùm dicebat: Fortissime, [*Hiere. 32.*] magne, potens exercituum nomen tibi, magnus concilio, incomprehensibilis cogitatu, cuius oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, vt reddas vnicuique secundum vias suas, & secundum fructū adinuentionum manuum eius. Sic easdem vias Dominus subtili examinatione considerat, vt in vnoquoque nostrum, nec ea quæ remuneret bona prætereat, nec mala quæ videlicet displicent, sine increpatione derelinquat. Hinc est enim quod angelum Ecclesiæ Pergami, & in quibusdam laudat, & in quibusdam redarguit, dicens: Scio vbi habitas, vbi sedes est satanæ & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. [*Apoca. 2.*] Et paulò pòst: Sed habeo aduersum te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam. Hinc angelo Thyatirę dicitur: Noui opera tua, & charitatem tuā & fidem, & ministerium, & patientiam tuam, & opera tua nouissima plura prioribus: sed habeo aduersum te pauca, quia permittis mulierem Hiezabel, quę se dicit prophetin, docere, & seducere seruos meos, & fornicari, & manducare idolothytum. Ecce bona memorat, nec tamen resecāda mala sine pœnitentia relaxat: quia scilicet sic singulorū vias cōsiderat, sic gressus enumerans pensat, vt subtili examine perpendat, vel quantū quisq; ad bona proficiat, vel quantū ad mala deuians suis †profectibus contradicat. [*† al. prouectionibus.*] Incrementum quippe meritorum quod bonę vitæ studiis augetur, plerunque mali admixtione retrahitur, & bonum quod animus operādo construit, hoc alia perpetrando peruertit. Vnde sancti viri tantò se subtilius in cogitatione constringunt, quantò à superno iudice districtius considerari conspiciunt. Mentem quippe discutiunt, inuenire si qua deliquerint quærunt, vt tātò fiant irreprehensibiles iudici, quantò semetipsos quotidie, & sine cessatione reprehendunt: nec tamen hac de re iam gaudia securitatis sumunt, quia ab illo se videri considerant, qui in eis & illa videt, quæ videre ipsi in semetipsis non valent. Et quidem beatus Iob perfectionis vitam inter veteres tenuit, sed quia eius intentio ad redemptoris aduentum prophetico spiritu erumpit in illius præceptis, pensat ipse quàm multa de perfectione minus habeat. Vnde & subdit:

Quòd sancti viri vtrum amore an odio digni sint, non satis intelligunt, sed reuelari sibi à deo vtrum simpliciter an aliter ambulent, humiliter postulant. *Caput V.*

S*I ambulaui in vanitate, & festinauit in dolo pes meus, appendat me in statera iusta, & sciat Deus simplicitatem meam.*) Scire 6.
Deus dicitur, scire nos facere, vsitato nostræ locutionis modo, qui lætum diem dicimus ex quo contingit vt lætentur. Hinc est enim quòd ad Abraham Dominus dicit: Nunc cognoui quòd timeas Deum. [*Gene. 22.*] Neque enim creator temporum, quicquam cognouit ex tempore, sed cognoscere eius est, ex cuiuslibet causæ emergentis articulo nobis cognitionē præbere. Quis verò stateræ nomine, nisi mediator Dei & hominum designatur? [*Christus positus est nobis in exemplum.*] In quo æqua lance omnia merita nostra pēsantur, & in cuius præceptis agnoscimus quid in nostra vita minus habeamus. In hac autem statera appendimur, quoties ad vitæ eius exempla prouocamur. Hinc nanque scri- [*1. Petri. 2.*]

ptum

ptum est: Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Qui cùm malediceretur, non maledicebat: dum peteretur, non comminabatur. Hinc per Paulum dicitur: [*Hebr. 12.*] Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta. Ad hoc itaque Dominus apparuit in carne, vt humanam vitam admonendo excitaret, exempla præbendo accenderet, moriendo redimeret, resurgendo repararet. Cùm ergo nulla in se beatus Iob iure redarguenda reperit, ad excedentem omnia redemptoris vitam mentis oculos tendit, vt in illa cognoscat ipse quid minus habeat, cùm dicit: *Si ambulaui in vanitate, & festinauit in dolo pes meus, appendat me in statera iusta, & sciat Deus simplicitatem meam.*) Ac si apertè dicat: Si qua vnquam leuiter, si qua pernitiosè perpetraui, Dei & hominum mediator appareat, vt in eius vita cognoscam, an ego veraciter simplex fuerim. Qui enim, vt diximus, suorum temporum viros excesserat, mediatorem Dei & hominum quærebat, vt in illo pensatus agnosceret, si vitā simplicem verè tenuisset. Dicat ergo: *Appendat me in statera iusta, & sciat Deus simplicitatem meam.*) Quod est, scire me faciat. Ac si patenter fateatur dicens: Quantum ad humanæ vitæ modum, nulla in me reprehendenda iam video, sed nisi mediator Dei & hominum cum subtilioris vitæ præceptis appareat, quantum adhuc à vera simplicitate discrepem, non cognosco. Rectus verò ordo seruatur, si prius in vanitate, & postmodum pes in dolo festinasse dicatur. Vanitas quippe ad leuitatem, dolus verò ad malitiam pertinet. Et nonnulli plerunque ad † quædam post malitiosa perueniunt, quia prius leuia non declinant. [*† al. ad ea quæ sunt pòst malitiosa perue.*] Sequitur: *Si declinauit gressus meus de via.*) Toties gressus de via declinat, quoties nostra cogitatio iter rectitudinis per consensum relinquit erroris.

7. Quasi verò tot gressus extra viam ponimus, quot peruersis desideriis ab cœlestis vitæ † delectatione separamur. [*† al. dilectione.*] Vt enim præfati sumus, adhuc carnis corruptibilis pondere grauati, nequaquam valemus sic viuere, vt nulla nos possit culpæ delectatio pulsare. Sed aliud est nolentem tangi, aliud cōsentientem animū perimi. Sancti autem viri tantò vigilantiori se circumspectione custodiunt, quantò se pulsari sinistris motibus, vel transitorię delectationis dedignantur. Vnde & adhuc subdit:

Quanta sollicitudine sancti cor suum custodiant, & exteriora membra ab illicito tactu, vel aspectu auertant. *Caput VI.*

S*I secutus est oculus meus cor meum.*) Ecce iterum per interioris vigoris custodiam, ad exteriorum membrorum disciplinam redit: vt si quid fortasse cor illicitum concupisceret, pressus disciplinæ magisterio oculus videre recusaret. Sicut sæpe tentatio per oculos trahitur, sic nonnunquam concepta intrinsecus, compellit sibi extrinsecus oculos deseruire. Nam plerunque res quælibet innocenti mente respicitur, sed ipso conspectu animus concupiscentiæ gladio confoditur. Non enim vt exempli causa iam diximus, Dauid Vriæ coniugem ideo studiosè respexit, quia concupierat, sed potius ideo concupiuit, quia incautè respexit. Fit verò rectæ retributionis examine, vt qui exteriori negligenter vtitur oculo, interiori non iniustè cæcetur. Sæpe autem intrinsecus concupiscentia dominatur, & illecebratus animus ad vsus suos sensus corporeos famulari more tyrannidis exigit, suísque voluptatibus oculos seruire compellit, atque, vt ita dicam, fenestras luminis ad tenebras aperit cæcitatis. [*Oculis restringendi sunt.*] Vnde sancti viri cùm sinistra pulsari delectatione se sentiunt, ipsa per quæ formæ species ad mentem ingreditur, disciplinæ magisterio lumina restingunt, ne prauæ cogitationis visio lenocinata famuletur. Quæ si vnquam subtiliter custodiri negligitur, cogitationis immunditia protinus ad operationem transit. Vnde & mox subditur:

Quòd nisi festinè resistatur tentationi nascenti in corde, subitò ita roboratur, vt ipsam mentem membrorum dominam teneat captiuam. *Caput VII.*

E*T si in manibus meis adhæsit macula.*) Sanctus ergo vir sciēs, quòd plerunque praua cogitatio per oculos veniat ad mentem, paulò superius dixit: Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitatem quidem de virgine. Perpendens etiam quòd nonnunquam in mente oritur, sed huic obortę oculi peruersè famulantur, ait: Si secutus est oculus meus cor meum. Ac si apertè dicat: Nec passim videre volui quæ concupiscerem, nec vidēdo vnquam secutus sum quæ cōcupiui. Dicat ergo: Si secutus est oculus meus cor meum: quia & si quid vnquam illicitum mens eius, vt videlicet humana, concepit, altioris disciplinæ magisterio constrictus, se per illicita ducere, sibíque famulari oculus noluit. Pensemus ad hæc conscientias nostras, & quanti culminis vir iste fuerit, ex nostri cordis deiectione videamus. Ecce si qua illicita aliquando cogitauit: quia ea citius inter arcana cordis gladio sancti vigoris extinxit, peruenire illa vsque ad opera non permisit. Vnde vt præmisimus, ilico subiungit: *Et si in manibus meis adhæsit macula.*) Quomodo enim macula in manibus, id est, culpa in actionibus inhęreret, quam censura disciplinæ non sinebat in cogitatione proficere? Neque enim culpa ad opus prodire permittitur, si intus vbi nascitur, extinguatur. Si autem tentationi in corde nascenti festinè nō resistitur, hac eadem qua nutritur mora roboratur, & existens foris in operibus, vinci vix præualet, quia ipsam intus membrorum dominam mentem captiuam tenet. [*Festinè resistendum est tentationi in corde nascenti.*] Quia verò vir sanctus superiora omnia sub cōditione intulit, si hæc vnquam perpetrauerit, sententia se maledictionis astringit, dicens:

Quòd doctor Ecclesiæ si aliter docet quàm viuat, ipso ieiuno, alius quod seminatum est comedit, & sæpe quòd gignit verbo, occidit exemplo. Et de iudicio Salomonis, in quo mulier quæ filium suffocauerat, ab ea cuius filius viuebat subtilissimo examine distincta est. *Caput VIII.*

S*Eram, & alius comedat, & progenies mea eradicetur.*) More sacri eloquij serere dicimus, verba vitę prædicare. Hinc etenim Propheta ait: Beati qui seminatis super omnes aquas. [*Esaiæ 14.*] Sanctæ quippe Ecclesiæ prædicatores super omnes aquas seminare conspexit, quia cunctis latè populis verba vitæ quasi cœlestis panis grana tradiderūt. Comedere autē est bonis operibus satiari. Vnde per semetipsam veritas dicit: Meus cibus est, vt faciam volūtatem eius qui misit me. [*Ioan. 4.*] Si ergo ea quæ protulit, facere prætermisit, ait: *Seram, & alius comedat.*) Ac si aperte dicat: Quod os meum loquitur, nō ego, sed alter operetur. Prædicator quippe qui à suis vocibus, moribus discrepat, ieiunus serit, quod alius manducet: quia suo semine ipse non pascitur, quando à verbi sui rectitudine praua actione vacuatur.

8. Et quia plerunque discipuli incassum bona audiunt, cùm ex magistri vita, operum exemplo destruuntur, rectè subiungitur: *Et progenies mea eradicetur.*) Doctoris enim progenies eradicatur, quando is qui per verbum nascitur, per exemplum necatur: quia quem lingua vigilans gignit, vitæ negligentia occîdit. Neque enim torpenti nobis est mente transeūdum, quod apud Salomonem mulier filium quem vigilans lactare consueuerat, dormiens interemit: [*3. Reg. 3.*] quia nimirum magistri vigilantes quidem scientia, sed vita dormientes auditores suos quos per vigilias prædicationis nutriunt, dum quod dicunt, facere negligunt, per somnum torporis occîdunt, & negligēdo opprimunt, quos alere verborum lacte videbantur. Vnde plerunque dum ipsi reprehensibiliter viuunt, & habere discipulos vitæ laudabilis nequeunt, alienos sibi attrahere conantur: quatenus dum bonos se habere sequaces ostendunt, apud iudicia hominum excusent mala quæ agunt, & quasi per subditorum vitam mortiferam, tegant negligentiam. Vnde illic mulier filium, quia extinxit proprium, quæsiuit alienum. Sed tamen veram matrem Salomonis gladius inuenit: quia videlicet cuius fructus viuat, vel cuius intereat, extremo examine ita districti iudicis demōstrat. Vbi & illud est solerter intuendū, quòd viuēs filius prius diuidi pręcipitur, vt soli postmodū matri reddatur: quia in hac vita quasi partiri conceditur vita discipuli, dum ex illa nonnūquam alter apud Deum meritum, alter verò apud homines laudē habere permittitur. Sed falsa mater eum quem non genuit, occidi non metuit: quia arrogantes magistri & charitatis ignari, si plenissimum nomen laudis ex

alienis discipulis consequi nequeunt, eorum vitam crudeliter insequuntur. Inuidiæ enim face succensi, nolunt aliis viuere, quos se conspiciunt nō posse possidere. Vnde illic peruersa mulier clamat: Nec meus sit, nec istius. Vt enim diximus, quos sibi obsequi non vident ad gloriam temporalem, eos aliis inuident viuere per veritatem. Vera autem mater satagit, vt eius filius saltem apud extraneum sit & viuat: quia concedunt veraces magistri, vt ex eorum discipulis, alij quidem magisterij laudem habeant, si tamen integritatem vitæ iidem discipuli non amittāt. Per quæ pietatis viscera hæc eadem vera mater agnoscitur, quia omne magisterium in examine charitatis approbatur: & sola recipere totum meruit quæ quasi totum cōcessit: quia fideles prępositi pro eo quòd ex bonis discipulis suis, non solùm aliis laudem non inuidēt, sed vtilitatem eis etiam profectus exorant, ipsi & integros, & viuentes filios recipiunt, quādo in supremo examine ex eorum vita perfectæ retributionis gaudia consequuntur. Hæc paucis per excessum diximus, vt auditorum progenies per doctorum negligentiam qualiter extinguitur, monstraremus: quia quisquis iuxta hoc quod loquitur non viuit, quos verbo genuit, à stabilitate rectitudinis opere euellit. Sed beatus Iob quos prædicatione vigilās edidit, nequaquam actione dormiens extinxit, atque ideo fidenter dicit: Si quo minus prædicta compleui: Seram, & alius comedat, & progenies mea eradicetur. Qui adhuc se de iniqui natione praui operis discutiens, subdit:

Quòd in sacro ordine constitutos, ita studiosa concupiscentia, sicut seculares adulterij inquinat culpa: & quòd scelus luxuriæ omnia bona opera euacuat, & virtutum omnium plantaria eradicat.

Caput IX.

9. Matth.5. 32.quæst.5. Qui viderit.

SI *deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium inimici mei insidiatus sum.*) Quanuis nonnunquam à reatu adulterij nequaquam discrepet culpa fornicationis, cùm veritas dicat: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eā iam mœchatus est eam in corde suo. Quia enim Græco verbo mœchus adulter dicitur, cùm non aliena coniunx, sed mulier videri prohibetur, apertè veritas ostendit, quia etiam solo visu cùm turpiter, vel innupta concupiscitur, adulteriū perpetratur. Quod tamen plerunque ex loco, vel ordine concupiscētis discernitur: quia scilicet sic hunc in sacro ordine studiosa concupiscentia, sicut illum adulterij inquinat culpa. In personis tamen non dissimilibus idem luxuriæ distinguitur reatus, in quibus fornicationis culpa quia ab adulterij reatu discernitur, prędicatoris egregij lingua testatur: quę inter cętera asserit, dicens: Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque a-
1.Corin.6. dulteri, regnum Dei possidebunt. Quod enim disiunctę reatui sententiæ subdit, quàm valde à se dissideat ostendit. Per hoc ergo quod dicitur: Si deceptum est cor meū super muliere: neque cogitasse vir sanctus de fornicationis macula demonstratur. Per hoc autem quod subiicit: Et si ad ostium inimici mei insidiatus sum: patenter innotescit quòd à reatu adulterij liber fuit. Sed ad hæc fortasse aliquis dicat: Quid de se mirum sanctus vir asserit si non solùm ab adulterij crimine, verumetiam à fornicationis inquinatione se liberum seruauit? Hæc autem paruipendimus, si virtutum eius tempora minimè pensamus. Necdum enim ad restrictionem carnis, reuelatæ gratiæ districtior censura processerat, quę non solùm corporis, sed & cordis lasciuiā reprehendit. Necdum multorum continentiā castitatis bona imitanda prodierant, & tamē beatus Iob exempla munditiæ quę non acceperat, tradebat. A multis autem nunc etiā post prohibitionē Dei, carnis immunditia perpetratur. Hinc ergo colligendum est, cum quāta culpa nunc etiam post præceptum in grauibus delinquitur, cùm tanta laude ante à grauibus abstinebatur. Qui si hoc vnquam fecerit, eādem culpam verti sibi expetit in pœnam, dicens: *Scortum sit alterius vxor mea, & super illam incuruentur alij.*) Et quia plerunque hoc quod faciendo nō perpendimus quā graue sit, patiendo pensamus, eiusdem vim facinoris quod se pati si reus sit, debere denuntiat, exprimendo manifestat, dicens: *Hoc enim nefas est, & iniquitas maxima, ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.*) Hoc inter peccatum distat & crimen, quòd omne crimen peccatum est, nō

E tamen omne peccatum crimen est. Et in hac vita multi sine crimine, nullus verò esse sine peccatis valet. Vnde & prędicator sanctus cùm virum dignum gratia sacerdotali scriberet, nequaquam dixit, Si quis sine peccato: sed, Si quis sine crimine est. Quis verò esse sine peccato valeat, cùm Ioannes dicat: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est? In qua videlicet pec- 1.Ioan.1.
catorum & criminum distinctione pensandum est, quia non nulla peccata animam polluunt, quam crimina extinguunt. Vnde beatus Iob crimen luxuriæ definiens ait: *Ignis est vsque ad perditionem deuorans:*) quia nimirum reatus huius facinoris, non solùm vsque ad inquinationem maculat, sed vsque ad perditionem vorat. Et quia quanlibet alia fuerint bona opera, si luxuriæ scelus non abluitur, immensitate huius criminis obruuntur, secutus adiunxit. *Et omnia eradicans genmina.*) Genimina quippe sunt animæ operationes bonæ. Cui tamen si peruerso ordine caro dominatur, igne luxuriæ omnia bene prolata concremantur. Nulla quippe ante omnipotentis Dei
F oculos iustitiæ pietatísque sunt opera, quę corruptionis contagio mōstrātur immunda. Quid enim prodest si piè quisquā necessitati compatitur proximi, quando impiè in semetipso destruit habitationem Dei? Si ergo per cordis munditiam, libidinis flamma non extinguitur, incassum quælibet virtutes oriuntur, sicut per Moysen dicitur: Ignis exarsit ab ira mea, & ardebit vsque ad inferos deorsum, comedet terram, & nascentia eius. Ignis quippe terram atque eius nascentia comedit, cùm libido carnem atque per hanc omnia bene acta consumit. Nam quicquid procedit ex fruge rectitudinis, hoc nimirum concremat flamma corruptionis. Dicat ergo: Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina: quia si corruptionis malo non resistitur, & illa proculdubio pereunt, quæ bona videbantur. Sed solent nonnullos ad humilitatem vitia sternere, atque ad tumorem mentis, virtutes eleuare. Quærendum ergo nobis est, si 10.
beatus Iob in tanta castitatis munditia etiam humilis fuit?
G Sed sanctus vir cùm alta virtutum teneat, quàm de se humilia sentiat, repentè aperit, cùm subiungit: *Si contempsi iudicium subire cum seruo meo, & ancilla mea, cùm disceptarent aduersum me.*) Qui enim iudicari cum seruis ancillísque non renuit, liquidò indicat quòd contra nullum vnquam proximum apud se tumidus fuit. Inter hæc autem liber intueri, vitam suam in omnibus quanta vir sanctus discretione custodiuit. Non enim longè superius dixit: Videbant me iuuenes, & abscondebantur, & senes assurgentes stabant, principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo, vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat. Nunc verò ait:

Quòd sublimibus viris multùm prosit ad custodiam humilitatis considerata æqualitas humanæ conditionis. Et quòd homo à principio non hominibus, sed animalibus prælatus est.

Caput X.

H SI *contempsi iudicium subire cum seruo meo & ancilla mea, cùm disceptarent aduersum me.*) Quis dignè considerare valeat huius viri tam sublimia virtutum moderamina? In quo tanta est authoritas regiminis, vt ad silentium restringantur duces: tāta humilitas cordis, vt ex æquo ad iudicium venire permittātur ancillæ. Ecce apparet miro modo in potestate principibus potentior, in certamine seruis æqualis, in cœtu principū memor regiminis, in certamine famulorū memor conditionis. Se quippe sub vero domino famulum conspicit ideoque cordis altitudine se super famulos nō extollit. Vnde & protinus subdit: *Quid enim faciam cùm surrexerit ad iudicandū Deus, & cùm quæsierit, quid respondebo illi?*) Qui venturum iudicem cogitat, indesinenter quotidie rationum suarū in melius causas parat: quia dum æternum Dominum † timore cordis intuetur, iura temporalis dominij super subiectos moderari compellitur. Perpēdit enim nil esse quòd tēporaliter pręest cæteris, quādo illi ad reddendā rationem subest, qui sine fine dominatur. Sæpe nāque transitoria potestas animum per abrupta elationis rapit. Et quia eo quisq; extollitur, quo se esse super alios videt, illum oportet qui super se est, semper aspiciat, vt eius metu qui supra omnia est, crescentē intrīsecus animi tumorem

† al. tremore.

tumorē premat. Intueatur enim qui sub ipso sint, sed consideret sub quo ipse sit: vt ex cōsideratione veri Domini, decrescat tumor falsę dominationis. Vnde beatus Iob quia eius iudiciū, qui super omnia est, metuit: hîc ad tēporale iudiciū famulis ęqualis venit, dicēs: Si contēpsi iudiciū subire cū seruo meo & ancilla mea, cū disceptarēt aduersum me. *Quid enim faciam cùm surrexerit ad iudicādū Deus, & cùm quęsierit, quid respondebo illi?*) Qui vt semper cor in humilitate deprimat, nequaquā in eisdem famulis conspicit, quòd sibi status est dispar, sed
11. quòd natura cōmunis. Vnde etiā subdit: *Nunquid nō in vtero fecit me qui & illū operatus est, & formauit in vulua vnus?*) Potentibus viris magna est virtus humilitatis, cōsiderata ęqualitas cōditionis. Omnes nanq; homines natura æquales sumus, sed accessit dispensatorio ordine, vt quibusdā pręlati videamur. Si igitur hoc à mente deprimimus quod tēporaliter accessit, inuenimus citius quod naturaliter sumus. Plerunq; enim se animo accepta potestas obiicit, eúmq; tumidis cogitationibus fallit. Manu ergo humilimæ cōsiderationis deprimēdus est tumor elationis. Si enim apud semetipsam mēs descendit de vertice culminis, citius planitiē inuenit naturalis æqualitatis. Nā, vt pręfati sumus, omnes homines natura æquales genuit, sed variante meritorū ordine, alios aliis dispensatio occulta postponit. Ipsa autē diuersitas quæ accessit ex vitio, rectè est diuinis iudiciis ordinata, vt quia omnis homo iter vitæ ęquè non graditur, alter ab altero regatur. Sancti autē viri cū præsunt, nō in se potestatē ordinis, sed æqualitatē cōditionis attendunt, nec pręesse gaudent hominibus, sed prodesse. Sciūt enim quòd antiqui patres nostri, non tam reges hominū quā
Gene.9. pastores pecorū fuisse memoratur. Et cùm Noë Dominus filiísque eius diceret: Crescite & multiplicamini & implete terrā, subdit: Et terror vester ac tremor sit super cūcta animalia terræ. Nō enim ait, Sit super homines qui futuri sunt: sed, Sit super cuncta animalia terræ. Homo quippe animalibus irrationabilibus, nō autē cæteris hominibus natura prælatus est: & idcirco ei dicitur, vt ab animalibus, & non ab homine timeatur: quia contra naturā superbire est, ab ęquali velle timeri, quāuis plerunq; à subditis etiā sancti viri timeri appetunt, sed quādo ab eisdem subditis Deū minimè timeri deprehendunt, vt humana saltē formidine peccare metuant, qui diuina iudicia nō formidāt. Nequaquā ergo præpositi ex hoc quęsito timore superbiunt, in quo nō suā gloriam, sed subditorum iustitiā quærunt. In eo enim quòd metū sibi à peruersè viuētibus exigunt, quasi nō hominibus sed brutis animalibus dominātur, quasi videlicet ex qua parte bestiales sunt subdit, ex ea etiam debent formidini iacere substrati. Cùm verò deest vitiū quod corrigatur, nō de excellentia potestatis, sed de æqualitate cōditionis gaudēt, & nō solùm ab eis metui, sed etiam plusquā necesse est honorari refugiūt. Neq; enim leue se perpeti damnū humilitatis credūt, si ab eis pro merito fortasse ordinis pluris ęstimenī. Hinc est enim quòd prim' pastor Ecclesiæ, cùm adorāte se Cornelio super se sibi honorē videret oblatū, ad æqualitatē cōditionis suæ citius recurrit, dicēs:
Acto.10. Surge, & ipse ego homo sum. Quis enim nesciat quòd cōditori suo homo debeat, & nō homini prosterni? Quia ergo humiliari sibi plus quàm debuit proximū vidit, ne vltra humanitatis metas mens intumesceret, esse se hominē recognouit, quatenus illati sibi honoris elationē frangeret, ex cōsiderata
Apoc.19. & 22. æqualitate cōditionis. Hinc à Ioāne angelus adoratus creaturam se esse cognouit, dicens: Vide ne feceris, conseruus tuus sum, & fratrū tuorū. Hinc Propheta cùm ad vidēda sublimia rapitur, filius hominis vocatur: vt ductus ad cœlestia, hominē se esse meminerit. Ac si eum diuina vox verbis apertioribus admoneat, dicens: Memēto quid sis, ne de his ad quę raperis extollaris, sed altitudinē reuelationis tēpera memoria conditionis. Ex eo ergo colligendū est quāta cōmunis naturæ memoria in corde deprimi debeat terrenæ potestatis tumor, si ex humanitatis vocabulo agitur, ne cogitationis elatio ex secretis cœlestibus generetur. Cuius videlicet humanitatis bene beatus Iob semper recordationem tenuit, qui ait: *Nunquid non in vtero fecit me, qui & illum operatus est, & formauit in vulua vnus?*) Ac si apertè dicat: Cui non æquè debeamus in cuiuslibet negocij iudicio discuti, qui per conditoris potentiam sumus æqualiter facti? Sed quia castitatis eius atque humilitatis

A acta cognouimus, nunc liberalitatis opera cognoscamus. Sequitur:

Quòd hi qui charitatem Dei habent, secundum facultatis suæ mensuram pauperibus spiritu, qui non ex desiderio, sed ex necessitate postulant, nihil negare debent. *Capur XI.*

SI *negaui quod volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare fe-* 12.
ci.) Per hæc dicta vir sanctus ostenditur, non solùm ad inopiam pauperibus, sed etiam ad habendi desiderium deseruisse. Sed quid si ipsa vellent pauperes quæ fortasse accipere non expediret? An quia in scriptura sacra dici pauperes humiles solent, ea sola æstimanda sunt accipere pauperes, quæ humiles petunt? Et proculdubio oportet vt incunctanter detur quicquid cum vera humilitate requiritur, id est, quod non ex desiderio, sed ex necessitate postulatur. Nam valde superbire, est extra metas inopiæ aliquid desiderare. Vnde & superbè petentibus dicitur: Petitis & non accipitis, eo quòd malè petatis. Quia ergo illi sunt veraciter pauperes qui inflati per superbiæ spiritum nō sunt, quos apertè veritas exprimit, cùm
B dicit: Beati pauperes spiritu: rectè nunc per sanctum virum di- Matt.5.
citur. *Si negaui quod volebant pauperibus:*) quoniam qui ea volunt quæ profectò liquet quòd eis non expediunt, eoipso quòd superbiæ abundant spiritu, iam pauperes non sunt. Sed beatus Iob dum pauperes humiles appellat, quicquid ab eo accipere pauper voluit, non negauit: quia veraciter quisque humilis quod non potuit obtinere nec voluit. Sed cùm largitatem mentis suæ indicat, quia ad votum se pauperibus concurrisse manifestat, necesse est vt quæramus ne lumen misericordiæ dationis tarditate fuscauerit. Vnde subiungit: *Et oculos viduæ expectare feci.*) Petentem se viduam expectare noluit, vt non solum ex munere, sed ex celeritate quoque muneris bonorum operum merita augeret. Vnde aliàs scriptum est: Ne Prou.3.
dicas amico tuo, vade & reuertere, & cras dabo tibi, cùm statim possis dare. Sed nonnulli solent exterius multa largiri, cōmunis autem vitę gratiam repellentes, habere pauperes socios in domestica conuersatione refugiunt. Vnde beatus Iob vt
C non solum se insinuet exterius multa præbuisse, sed apud se quosque inopes etiam in domestica conuersatione recepisse, protinus adiungit:

Quòd serui Dei cum pupillis & viduis subsidia temporalia, & mensam debeant habere communem.

Caput XII.

SI *comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea.*) Scilicet pietati se præiudicium facere æstimans, si solus comederet quod Dominus omnium communiter creasset. Quæ profectò communio cōuersationis esse cum talibus intra domesticos parietes debet, ex quibus æternæ proficiant merita retributionis. Vnde sanctus vir non quemlibet, sed ad manducandum socium pupillum se habuisse perhibet, sed tanta hęc pietatis viscera, vtrum à semetipso habuerit an conditoris sui gratia sit consecutus, innotescit. Sequitur:

Quòd sancti non sibi, sed conditori suo tribuant, si quid boni habeant.

Caput XIII.

QVia *ab infantia mea creuit mecum miseratio, & de vtero matris*
D *meæ egressa est mecum.*) Miseratio etenim etsi eius fuerit arbitrij, vt cum ipso proficeret, liquet tamen quia eius arbitrij non fuit, vt cum ipso de vtero exiret. Constat ergo quia suæ virtuti nil tribuit, qui profectò testatur, quia hoc ex conditoris munere accepit. Bonum igitur quod à conditore habuisse se intimat, liquet proculdubio, quia ad laudem conditoris narrat, indicans ab ipso se accepisse, vt pius esset, à quo accepit vt esset: quia sicut suo opere in vtero conditus non fuit, ita nec sua virtute ab vtero pius fuit. Sed pensandum nobis est, quod asserit: *Creuit mecum.*) Nonnulli enim quo ad ætatem crescunt, ab innocentia decrescunt. Electis verò cùm foris ętas corporis, intus, si dici liceat, crescit ętas virtutis. Sequitur:

Quòd opera misericordiæ cùm benignitate, & hilaritate debeant fieri: quia qui fastu elationis aliquid dat, amplius ex comtemptu culpam quàm ex munere meretur mercedem.

Caput XIIII.

SI *despexi prætereuntem, eo quòd non habuerit indumentum, & ab-* 13.
sque operimento pauperem, si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus est.) Quod pauperem non despexit, virtutem humilitatis exhibuit: quòd autem ope-

ruit, pietatis. Duæ quippe istæ virtutes ita sibimet esse connexæ debent, vt vicario semper opere fulciantur, quatenus nec humilitas cùm veneratur proximum, largitatis gratiam deserat, nec pietas cùm largitur, † intumescat. Erga indigentiam itaque proximi humilitatem pietas fulciat, humilitas pietatem: vt cùm indigentem, rebus necessariis naturæ tuæ consortem videris, nec per impietatem desinas tegere, nec per superbiam negligas venerari quem tegis. Nam sunt nonnulli qui mox, vt ab egenis fratribus fuerint necessaria postulati, pòst dona largituri in eos prius contumeliosa verba iaculantur. Quæ etsi rebus ministerium pietatis perficiunt, verbis tamen gratiam humilitatis perdunt; ita vt plerunque videatur: quia illatæ iam iniuriæ satisfactionem soluunt, cùm post contumelias dona largiuntur. Nec magni est operis quòd postulata tribuunt, quia ipso donationis suæ munere, vix eundem excessum sermonis tegunt. Quibus bene per Ecclesiasticum librum dicitur: Omni dato non des tristitiam verbi mali. Et rursum: Adde verbum super datum bonum, & vtraque cum homine iustificato: videlicet vt datum exhiberi debeat per pietatem, & bonum verbum tribui per humilitatem. At contrà alij egenos fratres non student rebus fulcire cùm possint, sed blandis tantùm sermonibus fouere. Quos vehementer Iacobi prædicatio sancta reprehendit, dicens: Si autem frater aut soror nudi sunt, & indigent victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefiamini & saturamini: non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid vobis proderit? Quos Ioannes quoque Apostolus admonet, dicens: Filioli mei, non diligamus verbo, nec lingua, sed opere & veritate. Dilectio nanque nostra semper exhibenda est, & veneratione sermonis, & ministerio largitatis. Multùm verò ad eloquēdam dantis superbiam valet, si cùm terrena tribuit, verba sollicitè magistri cœlestis penset, qui ait: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Si enim eorum amicitiis æterna tabernacula acquirimus, dantes proculdubio pensare debemus: quia patronis potius munera offerimus, quàm egenis dona largimur. Hinc per Paulum dicitur: Vestra abundantia illorum inopiam supplet, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum. Vt videlicet sollicitè perpendamus, quia eos quos nūc inopes cernimus, abundantes quandoque videbimus: & qui abundantes aspicimur, si largiri negligemus, quandoque inopes erimus. Qui itaque nunc temporale subsidium pauperi tribuit, ab eo postmodum perpetua recepturus, vt ita dicam, quasi ad frugem terram excolit, quæ quod acceperit, vberius reddit. Restat ergo vt nunquam elatio surgat ex munere, quando videlicet diues ex eo quòd pauperi tribuit, agit vt in perpetuum pauper non sit. Beatus igitur Iob, vt diligenter ostenderet, humilitas atque misericordia quanta in eo fuerit consideratione sociata, ait: *Si despexi prætereuntem, eo quòd non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem, si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus est.*) Ac si apertè diceret: In amore proximi vno eodémque ordine, & superbię vitium, & impietatis premens, prætereuntem quempiam, & humiliter aspiciens non despexi, & misericorditer calefeci. Quisquis enim super eum cui aliquid tribuit, fastu se elationis extollit, maiorem culpam intrinsecus superbiendo peragit, quàm extrinsecus largiendo mercedem: fitque ipse bonis interioribus nudus, cùm nudum despicit vestiens, eóque agit vt seipso deterior fiat, quo se indigenti proximo meliorem putat. Minus quippe inops est qui vestem non habet, quàm qui humilitatem. Vnde necesse est, vt cùm naturæ nostræ consortes exteriora non habere conspicimus, quàm multa nobis desint bona interiora pensemus, quatenus sese super inopes cogitatio nostra non eleuet, cùm solerter videt, quia nos tantò verius, quantò & interius indigentes sumus. Et quia sunt nonnulli qui pietatis suæ viscera tendere vsque ad incognitos nesciunt, sed solis quos per assiduitatem notitiæ didicerint miserentur: apud quos nimirum plus familiaritas quàm natura valet, dum quibusdam necessaria, non quia homines, sed quia noti sunt largiuntur, bene nunc per beatum Iob dicitur: *Si despexi prætereuntem, eo quòd non habuerit indumentum:*) Ignoto enim proximo misertum se indicat, quem prætereuntem vocat, quia videlicet apud piam mentem plus natura valet, quā notitia. Nam & vnusquisque qui indiget, eo ipso quo homo est ei iam incognitus non est. Sequitur:

† *al. intumescat erga indigentiā. Itaque.*

Eccli. 10.

Iacobi. 2.

1. Ioan. 3.

14.

Luca 16.

1. Cor. 8.

Quòd sancti in propriis causis ius habentes cum inferioribus personis, grauari se etiam iniustè aliquando patiuntur. Caput XV.

S*I leuaui super pupillum manum meam, etiam cùm viderem me in porta superiorem.*) Mos apud veteres fuit, vt ad portam seniores sederent, qui certantium iurgia iudiciaria examinatione discernerent, quatenus vrbem in qua concorditer oporteret viuere, discordes minimè intrarent. Vnde & per Prophetam Dominus dicit: Constituite in porta iudicium. Hoc itaque loco quid portæ nomine exprimitur, nisi id quod agebatur in porta? Sicut enim pugnare castra dicimus, pro eo quòd pugnatur ex castris: ita iudiciùm quod in porta agi cōsueuerat, porta nominatur. In porta ergo se superiorem videt, qui se melioris patris esse in iudicio æquitatis merito cōspicit. Beatus igitur Iob, quia nec tunc contra pupillum manum exercuit, cùm se etiam per iustitiæ meritum potiorem vidit, nobis timoris regulam insinuās, dicit: Si leuaui super pupillum manum cùm viderem me in porta superiorem. Ac si patenter dicat: Neque tunc vtilitatis meæ negocia virtute contra pupillum exequi volui, quando me in iudicio etiam ex iustitia potiorem vidi. Sancti etenim viri quando cum personis minoribus contentionum negocia subeūt, dum grauare, vel in minimis timent, ipsi contra iustitiam grauari nequaquam refugiunt. Sciunt quippe quia omnis humana iustitia iniustitia esse deprehenditur, si diuinitùs districtè iudicetur. Vnde hoc quod sibi competit, cauent vehementer exigere, ne eorum actus supernam rectitudinem contingat subtiliter examinare. Sed vt inueniri iusti in diuino examine valeant, plerunque apud humana iudicia grauari se iniustè patiuntur. Beatus autem Iob vitæ suæ celsitudinem narrans, & multa sunt & mira quæ dixit. Sed quia plerunque humana mens renuit bona credere, quæ nescit operari, maledicti sibi sententiam protinus subicit, si qua horum quæ dixerat, opere non impleuit, dicens:

Amos. 5.

15.

Quòd bonum concordiæ per patientiam conseruetur, sine qua socialis vita non perseuerat, & quòd quando per discordiam homines dissidēt, quasi membra à corpore cadant. Caput XVI.

H*Vmerus meus à iunctura sua cadat, & brachiū meū cū ossib⁹ suis cōteratur.*) Quia operatio corporea per humerū ac brachiū agitur, bona quæ ore protulit, si opere nō impleuit, cadere sibi humerū, & conteri brachiū exoptat. Ac si apertè dicat: Si ea quę dixi, operari renui, ipsum quod mihi ad operādum datū est corporis mēbrū, perdā, vt videlicet cadat à corpore, quod exercere nolui ad vtilitatē. Si verò hæc maledicti sentētia ad spiritalē est intelligētiam referēda, liquet profectò quòd brachiū corpori per humerū iungatur. Et sicut per brachiū bona operatio, ita per humerū socialis vitæ coniunctio designatur. Vnde Propheta quoq; intuēs sāctos vniuersalis Ecclesię populos Deo cōcorditer seruituros, ait: Et seruiēt ei humero vno. In eo ergo quod dicit: *Si leuaui super pupillū manum meam, cùm viderē me in porta superiorē:*) mirā virtutē patientię seruasse se asserit, qui grauari se à pōnis minimis, nec cōtra hoc quod sibi iustè cōpetere poterat, declinauit. Quod autē si minimè fecerit, adiungit: *Humerus meus à iūctura sua cadat.*) Quia nimirū qui patientiā seruare cōtemnit, socialē vitā citius per impatientiā deserit. A iunctura etenim humerus cadit, cū aduersitatis aliquid ferre animus nō valens, fraternā cōcordiam relinquit: & quasi mēbrū separatur à corpore, cùm is qui operari bona poterat, à bonorū omniū abscinditur vniuersitate. Neq; enim vnquā seruari cōcordia, nisi per solā patientiā valet. Crebrò nanq; in humana actione nascitur, vnde mentes hominū vicissim à sua vnitate ac dilectione separētur: & nisi ad aduersa tolerāda se animus præparet, proculdubio humerus corpori non inhæret. Hinc etenim Paulus ait: Inuicem onera vestra portare, & sic adimplebitis legem Christi. Hinc per semetipsam veritas dicit: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Rectè autem humero cadente subiungitur: *Et brachiū meum cum ossibus suis cōteratur.*) quia nimirum cuncta nostra operatio cùm quibuslibet videatur esse

Amos. 3.

Gala. 6. 16.

fulta virtutibus, soluitur, nisi per charitatis vinculū patientia conseruetur. Sua enim bona pergit operari, qui aliena mala renuit perpeti. Feruore quippe iracundi spiritus læsus quisque à dilectione resilit, & cùm se exterius grauari nō tolerat, intūs se per amissum lumen charitatis obscurat, nec videt iam quo tendat pedem boni operis, qui oculum perdidit dilectionis. Sed sancti viri humerus à iunctura sua non cadit: quia videlicet eius dilectio à socialis vitæ concordia per impatientiam non recedit. Eiúsque brachium minimè frangitur: quia omnis eius operatio in coniunctione humeri, id est, in charitatis connexione custoditur. Sed qua consideratione bona hæc tanta egerit, atque à malis omnibus sese abstinuerit, adiungit dicens:

Quantum sancti, & vnde, præsentium tribulationum fluctus tantùm metuant. Caput XVII.

S*Emper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.*) A pauore tantæ similitudinis pensemus, si possumus, quanta in sancto viro fuerit vis timoris. Fluctus etenim cùm tumentes desuper imminent, cúmque eam quam deferunt mortem minantur, nulla tunc nauigantibus rerum cura temporalium, nulla carnis delectatio ad mentem reducitur: eaipsa quoque ex naui proiiciunt pro quibus longa nauigia sumpserunt, cunctæ res in despectum mentis veniunt, amore viuendi. Quasi ergo tumentes super se fluctus Deum metuit, qui dum veram vitam desiderat, omnia despicit quæ hîc † possidentes portat. Nam velut tempestate deprehensi pondus nauis abiicimus, quando ab oppressa mente desideria terrena remouemus. Fitque vt sublcuata nauis enatet, quæ mergebatur onerata: quia nimirum curæ, quæ in hac vita deprimunt, mentem in profundum trahunt. Quæ videlicet mens tantò altius inter tentationum fluctus attollitur, quantò sollicitius ab huius seculi cogitatione vacuatur. Est verò & aliud, quod de maris concussione debeat solerter intueri. Tempestas quippe cùm oritur, prius lenes vndæ, & postmodum volumina maiora concitantur, ad extremū fluctus se in alta erigunt, & nauigātes quosque ipsa sua altitudine subuertunt. Sic nimirū extrema illa properat, quæ vniuersum mundū subruat tempestas animarū. Nunc enim bellis, & cladibus quasi quibusdam vndis sua nobis exordia ostendit, & quātò ad finē quotidie propinquiores efficimur, tantò grauiora irruere tribulationu volumina videmus. Ad extremū verò cōmotis omnibus elementis, superueniens iudex finem omnium apportat: quia videlicet tunc tēpestas fluctus in cœlum leuat. Vnde & dicitur: Adhuc modicū, & ego mouebo, non solùm terrā, sed etiā cœlum. Quam scilicet tempestatem † quia sancti viri vigilāter aspiciunt, quasi tumentes super se quotidie fluctus expauescunt, atque ex his tribulationibus quæ mundū feriunt, præuident quæ sequantur. Bene autem subditur: *Et pōdus eius ferre nō potui:*) quoniā qui extremi iudicij aduentū intēta mēte considerat, profectò videt, quia tantus pauor imminet, quantū nō solùm tūc videre, sed se etiā nunc præuidere pertimescat. Cōsideratione nanque tanti terroris metu animus palpitat, & intentionis suæ oculos declinans, in tueri quod preuidet recusat. Bene ergo dicitur: Et pondus eius ferre non potui: quia cùm supernæ maiestatis vim ad iudicium veniētis, terrorémque tanti examinis cōsiderando animus conatur exquirere, mox ad semetipsum refugiēs, sese expauescit inuenire. Sed inter hæc pensandū est, quia beatus Iob ista de se loquatur laudatus & flagellatus. Si igitur saltem ad meritorū profectū ita percussus est qui sic timuit, quomodo feriendus est qui contemnit? Quomodo depressura sunt Dei iudicia eos, qui se eleuant, si & illos ad tempus deprimūt, qui hæc semper in humilitate formidāt? Quomodo pondus Dei poterit ferre qui despicit, si hoc & ille in verbere pertulit, qui per timorem præuidit? Vnde summopere formidandum nobis est illud tantæ districtionis examen. Constat autem quia in hac vita, cùm percutit, si percussionem correctio sequitur, disciplina patris est, non ira iudicis: amor corrigentis est, nō districtio puniētis. Ex ipso ergo præsenti verbere, iudicia æterna pensanda sunt. Hinc etenim perpendere summopere debemus, quomodo feraū illa quæ reprobat, si ferri modo vix valet eius ira, quæ purgat.

† *al. possidens.*

Aggai. 2.

† *vel cùm.*

Libri vicesimiprimi Moralium sancti Gregorij finis.

Tomus primus.

B. GREGORII MORALIVM LIBER VIGESIMUSECUNDUS continuans caput tricesimumprimum textus beati Iob.

Caput I.

QVod antè sæpe iam dictum est, hoc me crebrò repetere onerosum non est, quia & prædicator egregius dicit: Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium. Beatus Iob idcirco gestas virtutes narrat, quia inter increpationis verba, & percussionis verbera deprehensus, à spei fiducia mentem suam labefactari considerat. Multa quippe & egisse se mala ab increpantibus amicis audierat, & ne verbis pariter, & flagellis pressa in desperationem mens corruat, hanc per suarum virtutum memoriam ad spem reformat, vt nequaquam se debeat in calamitate deiicere, quæ tranquillitatis suæ tempore se meminerat tam sublimia egisse. Quia igitur intentionis eius causam diximus, restat vt auditas virtutes illius subtiliter perpendamus. Hoc autem primum sciendum est, quia quisquis virtute aliqua pollere creditur, tunc veraciter pollet, cùm vitiis ex aliqua parte non subiacet. Nam si ex alio vitiis subditur, nec hoc est solidum vbi stare putabatur. Vnaquæque enim virtus tantò minor est, quantò desunt cæteræ. Nam sæpe quosdam pudicos quidem vidisse nos contigit, sed non humiles: quosdam verò quasi humiles, sed nō misericordes: quosdam quasi misericordes, sed nequaquam iustos: quosdam verò quasi iustos, sed in se potius quàm in Domino confidentes. Et certum est quia nec castitas in eius corde vera est, cui humilitas deest: quippe quia superbia se intrinsecus corrumpente fornicatur, si semetipsum diligens, à diuino recedit amore. Nec humilitas vera est, cui misericordia iuncta non est: nec debet humilitas dici, quæ ad compassionem fraternæ miseriæ nescit inclinari. Nec misericordia vera est, quæ à rectitudine iustitiæ existit aliena, quia quæ potest per iniustitiam pollui, nescit proculdubiò sibimetipsi misereri. Nec iustitia vera est quæ fiduciam suam non in conditore omnium, sed in se fortasse, aut in rebus conditis ponit: quia dum à creatore spem subtrahit, ipse sibi principalis iustitiæ ordinem peruertit. Vna itaque virtus sine aliis, aut omnino nulla est, aut imperfecta. Vt enim, sicut quibusdam visum est, de primis quatuor virtutibus loquar, prudentia, temperantia, fortitudo, atque iustitia, tanto perfectæ sunt singulæ, quanto vicissim sibimet coniunctæ. Disiunctæ autem perfectæ esse nequaquam possunt, quia nec prudentia vera est, quæ iusta, temperans, & fortis non est: nec perfecta temperantia, quæ fortis, iusta, & prudens non est: nec fortitudo integra, quæ prudens, temperans, & iusta non est: nec vera iustitia, quæ prudens, fortis, & temperans non est. Beatus itaque Iob quòd non vnam sine alia, sed coniunctas in se virtutes habuerit, enumerando singulas innotescit, nam bona pudicitiæ insinuans dicit: Si deceptum est cor meum super muliere. Atque vt eidem pudicitiæ demonstraret humilitatis gratiam nullatenus defuisse, post cætera subiungit: Si contempsi iudicium subire cum seruo meo. Qui vt humilitari suæ ostenderet misericordiam fuisse coniunctam, paulò pòst dicit: Si negaui quod volebant, pauperibus. Atque vt misericordiam suam ostenderet de iustitiæ radice descendere, paulò superius præmisit, dicens: Si ambulaui in vanitate, & festinauit in dolo pes meus. Atque vt monstraret quàm fuerit ad cuncta pauidus, & ad omnia circunspectus, inferius asserit dicens: Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Dominum. Qui scilicet in prosperis positus, atque abundantia rerum fultus, si spem aut in suis actibus, aut in circunfluentibus rebus poneret, profectò iustus non esset. Sed quando iste vir sanctus in se spem posuit qui apertè dicit: Ecce non est auxilium mihi in me?

Quòd non in defluentibus diuitiis, sed in Deo qui stat in æternum, confidendum sit. Caput II.

2. QVid ergo nunc superest, nisi vt ipsas quoque diuitias qua mente possideret innotescat? Ait enim: *Si putaui aurum robur meum, & obryso dixi, fiducia mea.*) Obryzum dicimus obrude aurum. Sanctus ergo vir nec aurum robur, nec sibi esse obryzum, id est, rudis auri molem fiduciam credidit: quia spem atque † delectationem suam in solius gratiam conditoris figens, neque de quantitate auri, neque de specie peccauit. De creatore quippe desperasse fuerat, spem in creatura posuisse. In rebus autem dubiis spem fixerat diues ille, qui dicebat: Anima habes multa bona reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Sed hunc superna vox increpat, dicens: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti, cuius erunt? Eadem enim nocte sublatus est, qui in rerum sibi abundantia multa tempora fuerat prestolatus: vt scilicet qui in longũ sibi subsidia colligẽdo prospiceret subsequentem diem vel vnum minimè videret. Quasi in aquis enim defluentibus fundamentum ponere, est in rebus labentibus spei fiduciam velle solidare. Stante enim in perpetuum Deo, transeunt omnia. Quid ergo ab stante fugere est, nisi transeuntibus rebus inhærere? Quis nanque vnquam decurrentium fluminum tumidis vorticibus raptus, manere ipse fixus potuit, deorsum vnda defluente? Quisquis ergo defluere deuitat, superest: vt quod defluit fugit, ne per hoc quod amat, in hoc cogatur peruenire quod vitat. Qui enim rebus labentibus inhæret, illò videlicet trahitur, quò tendit quod tenet. Prius itaque curandum est, ne quis temporalia diligat, ac deinde in eisdem temporalibus quæ non ad delectationem sibi, sed ad vsum retinet, fiduciam ponat, quoniam coniunctus decurrentibus, mox statum suum animus perdit. Nã vitæ præsentis fluctus trahit quem leuat: & valde demens est qui in vnda voluitur, & plantam figere conatur. Sed sunt plerique qui etsi in rebus transeuntibus fiduciam nequaquam ponunt, cùm tamen sibimet ad vsus necessarios abundè assunt, mente tacita lætantur. Qua in re dubium non est, quia tantò magis gaudet quod assint temporalia, & qui minus dolet quòd desint temporalia, certius expectat, vt assint æterna. Hoc itaque de terrenis rebus gaudium beatus Iob non se habuisse testificans subiungit dicens: *Si lætatus sum*
3. *super multis diuitiis meis, & quia plurima reperit manus mea.*) Sancti quippe viri in huius peregrinationis ærumna, quoniam eam quam appetunt adhuc creatoris sui speciem contemplari minimè sinuntur, omnem præsentis vitæ copiam, inopiam deputant: quia videlicet nil extra Deum sufficit menti, quæ veraciter Deum quærit, & plerunque eis ipsa sua abundantia fit vehementer onerosa: quia hocipsum grauiter tolerant, quòd festinantes ad patriam in itinere multa portant. Vnde fit vt hæc cum indigentibus proximis deuotè patiãtur, quatenus dum sumit iste quod non habet, deponat ille quod amplius habebat: nec conuiator vacuus ambulet, nec cum quem retardare in via poterat, nimium onus grauet. Electi ergo de multa abundantia minimè lætantur, quam videlicet pro amore cœlestis patrimonij, aut largiendo dispergunt, aut despicendo deserunt. Sequitur: *Si vidi solem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè, & lætatum est in abscondito cor meũ, & osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.*) Incertum non est quòd vtraque hæc luminaria humanis ministeriis deputata, cœli militiæ vocantur. In quorum cultum multos nouimus, scriptura
4. Reg. 17. teste, cecidisse, sicut scriptum est: Adorauerunt vniuersam militiam cœli. Et quia Sol & Luna aliter videntur ad vsum, aliter ad venerationem: eo more quo à cultoribus suis venerari solent, Solem & Lunam beatus Iob nequaquam vidisse se perhibet, nec lætatum fuisse cor suum, nec osculatum manum ore suo. In qua videlicet osculatione, quid aliud quam gratia venerationis exprimitur? Quod si fecisset vnquam, hoc iniquitatem maximam, & Dei negationem vocat. Sed postquam tanta de se locis superioribus virtutum culmina narrauit, quid nunc mirum memorat, si Solem ac Lunam non se adorasse manifestat? Vnde pẽsandum est quòd postquàm in auro non habuisse fiduciam, nec in multis diuitiis lætatum se fuisse testatur, adhuc ad sublimiora ducitur, vt tantò nos magis erudiat, quantò de se aliqua subtilius narrat. Ait enim: *Si vidi Solem cùm fulgeret & Lunam incedentem clarè, & lætatum est in abscondito cor meum.*) Quid hoc in loco videre dicitur, nisi desiderantèr intueri? Vnde Psalmista ait: Iniquitatem si con- Psalm. 65.
spexi in corde meo, non exaudiat Deus. Quæ nimirum iniquitas in ore exprimi non posset, si non conspiceretur in corde. Sed aliud est videre per iudicium, aliud per appetitum. Beatus ergo Iob fulgentem Solem & clarè incedentem Lunam nequaquam vidisse se perhibet, vt se demonstret præsentis lucis speciem non appetisse. Ac si post despectum terrenæ suæ abundantiæ, patenter insinuet: Quid dicam: quia nequaquam in auro lætatus sum, qui in ipsa quoque luce corporea delectatus non sum? Sancti etenim viri postquam omnia præsentis vitæ oblectamenta despiciunt, præ illius lucis internæ dulcedine, ab hac exteriori animum luce quasi à tenebris auertunt: multúmque secum intrinsecus contendunt, ne huius lucis, quæ fulget extrinsecus, delectatione rapiantur. Lux quippe visibilis si cautè diligitur, à luce inuisibili cor cæcatur: quia quantò extra se inhiãs animus funditur, tantò amplius in internis obtutibus reuerberatur. Vnde solerter quique ne corporeis sensibus nimis ad exteriora dilabantur, continuo studio intra mentem suam occulta custodiæ disciplina se colligunt: vt tantò magis inueniantur interius integri, quantò minus fuit exterius fusi. Hoc enim vigore disciplinæ intra mentis suæ se arcana constrinxerat, qui exterioris vitæ appetitum fugiens, dicebat: Diem hominis non concupiui, tu scis. Quod ergo apud Hiere. 17.
Prophetam dicitur: Diem hominis nõ concupiui, tu scis: hoc de semetipso beatus Iob verbis aliis asserit, † qui fulgentẽ Solem, & Lunã incedentem clarè non viderit, atque ex his in cordis abditis lætatus nõ sit: quia nimirũ gaudere nõ poterat de his, quæ per delectationis desiderium non videbat. Si † al. quia.
4. verò cuncta hæc quæ iuxta historiam tractando discurrimus, per allegoriẽ quoque mysteria perscrutemur, quid hoc in loco aurum accipimus, nisi præclari intellectus ingeniũ, quid obryzum, nisi humanam mentem? quæ dùm igne amoris excoquitur, semper in se seruat charitatem pulchritudinis quotidiana innouatione seruoris. Nescit enim mens per torporẽ Ephe. 4.
veterascere, quæ studet per desideriũ semper inchoare. Hinc nanque per Paulum dicitur: Renouamini spiritu mentis vestræ. Hinc Psãlmista qui ad perfectionis iam culmen peruenerat, quasi inchoans dicebat: Dixi nunc cœpi: quia videlicet si lassescere ab inchoatis bonis nolumus, valde necesse est, vt incheare nos quotidie credamus. Nec abhorret à rationis ordine, quòd auro dicimus ingenium designari: quia sicut in ornamento aurum supponitur, vt gemmarum desuper ordo disponatur, ita clara sanctorum ingenia diuinis muneribus humiliter substernuntur, & distincta super se gratiarum dona percipiunt. Et nisi quid simile aurum cum sapientia haberet, quidam sapiens minimè dixisset: Sapientia absconsa & the- Eccli. 20.
saurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque? Sancti autem viri robur suum aurum non deputant: quia quantolibet ingenio & 41.
fulgeant, nihil se esse ex suis viribus pensant. Et cùm sentire omnia valenter possunt, prius intelligere semetipsos cupiunt, quatenus lumen ingenij more Solis prius illustret locum in quo oritur, & postmodum cætera ad quæ procedendo dilatetur: ne si intendendo cognoscendis aliis semetipsos nesciãt, ibi Solis radius vbi oritur obtenebrescat. Ingenij itaque virtutem ad cognoscendam propriam infirmitatem dirigunt, atque ex infirmitatis suæ melius cognitione cõualescunt. Aurũ ergo robur non creditur, si in accepto ingenio fiducia non habetur. Quod bene Salomon admonens ait: Habe fiduciã Prouer. 3.
in Domino in toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. Dicat ergo: *Si putaui aurũ robur meũ, & obryso dixi, fiducia mea.*) Ac si apertè fateatur: dicens: Nec quæ veraciter intellexi, meo ingenio tribui: nec menti propriæ, si qua egisse me bona cõtigit, hæc principaliter deputaui. Qui adhuc subtilius humilitatem nobis sui insinuans, adiungit dicens:

Quid sit quod filij prophetarum ligna cædentibus, ferrum de manubrio lapsum disparuit, quod Helisæo lignum aquis immergente reuersum est. Caput III.

Si

SI lætatus sum super multis diuitiis meis, & quia plurima reperit manus mea.) Quid multas diuitias appellatas per significationem credimus, nisi abundantia acumina consiliorum? Quæ quærentis manus inuenit, cùm hęc cognitio tractantis gignit.
Prou. 14. Has etenim Salomon sapientiæ diuitias contemplatus ait: Corona sapientium diuitiæ eorum. Qui quia diuitias nõ metalla terrena sed prudentiam nominat, illicò per contrarietatem subdit: Fatuitas stultorum imprudentia. Si enim coronã sapientium terrenas diuitias diceret, proculdubio fatuitatem stultorum, paupertatem potius quàm imprudentiam fateretur. Sed dum fatuitatem stultorum imprudentiam subdidit, sapientum diuitias quia prudentiam dixerit, indicauit. Has in se Paulus scientiæ diuitias contemplatus, & contemplationẽ
2. Cor. 4. suam consideratione humanæ fragilitatis humilians, ait: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. Multas itaque apud nos diuitias reperimus, cùm dona abundantis intelligentiæ, sacra eloquia inuestigando percipimus, atque in his plura, nec tamen sibimet diuersa sentimus. Non est autem secura lętitia, in diuinis paginis vel fortia vel multa cognoscere, sed co- B
Lucæ 12. gnita custodire. Nam qui bene intelligit, quid intelligendo operari debeat, agnoscit. Quanto enim intellectu latius extẽditur, tanto ad explenda opera enixius ligatur. Vnde in Euãgelio veritas dicit: Cui multum datum est, multum quæretur ab eo: cui commendauerunt multum, plus repetent ab eo.
5. Deputemus igitur intelligentiam datam quasi pecuniam mutuam, quia quò plus nobis creditur, ex benignitate, eò debitores amplius tenemur in opere: & plerunque eadem intelligentiæ accepta pecunia, cùm ad vsuras auditoribus datur, amittitur, nisi cautè tribuatur. Neque enim negligenter intuẽdum est, in Regum volumine, quòd prophetarum filij cùm in Iordane ligna cæderent, vni eorum securis ex manubrio in profundum lapsa disparuit. Ferrum quippe in manubrio, est donum intellectus in corde. Ligna verò per hoc cædere, est prauè agentes increpare. Quod nonnunquam dum fluxè agitur, dum lapsus vanæ gloriæ in accepta eadem sapientia nõ vitatur, ferrum in aqua perditur, quia ex dissoluto opere intelli- C
gentia fatuatur. Quam profectò intelligentiam ad hoc nouimus dari, vt ante dantis oculos ex bona debeat actione restitui. Vnde rectè is qui ferrum amiserat, clamabat: Heu heu heu
4. Reg. 6. domine mi, & hocipsum mutuò acceperam. Habent enim hoc electi proprium, vt si quando eis in sua scientia furtiua vanæ gloriæ culpa surrepit, ad cor velociter redeat, & quicquid in se ante districti iudicis oculos damnabile inueniũt, lachrymis insequentur. Qui flentes non solùm cautè inspiciunt mala quæ commiserunt, sed ex accepto munere quæ reddere etiam bona debuerunt: quia nimirum tantò se amplius peccatores sentiunt, quantò ex neglectis bonis quæ agere poterant, debitores tenentur. Rectè ergo qui ferrum perdidit, clamabat: Heu heu heu, & hocipsum mutuò acceperam. Ac si dicat: Illud per dissolutionem negligentiæ perdidi, quod vt per
* al. creditoris. bona opera redderem, ex gratia * conditoris accepi. Sed nunquam Deus mẽtem deserit, quæ in peccatis se veraciter agnoscit. Vnde & mox Helisæus veniens, lignum deorsum mittit, D
& ferrum in superficiem attollit: quia videlicet redemptor noster piè nos respiciens, cor peccatoris humiliat, & ei quam amiserat intelligentiam reformat, lignum mergit, & ferrum releuat: quia cor affligit, & scientiam reparat. Vnde bene alia translatione dicitur, quòd confregit lignum atque iactauit, & sic ferrum sustulit. Lignum nanque confringere, est cor ab elatione cõterere. Lignum ad ima iactare, est elatum cor in cognitione, vt diximus, propriæ infirmitatis humiliare. Atque ilico ferrum ad superficiem redit, quia ad vsum exercitationis pristinæ intelligentia recurrit. Igitur quoniam donum intellectus quod accipitur, vix cum tot difficultatibus custoditur, curandum quippe est, ne otio torpeat, curandum ne in exercitatione operis, vitio elationis euanescat, sancti viri minimè exultant, cum cognoscunt quæ faciant, sed cùm faciunt quæ cognouerant, & si intelligendo congaudent muneri largitoris, mœrentes tamen considerant debitum operis, vt videli-
Sancti viri exultant cũ faciunt quæ cognouerũt. cet actione persoluant, quod eis prærogatum est in cognitione. Stultus nanque est debitor, qui gaudens pecunias mutuas accipit, & tempus quo reddere debeat non attendit. Moderatur autem lætitia accipiendi, quando solerti prouidentia etiam constitutum tempus reddendi cogitatur. Quia igitur A
viri iusti in his quæ vigilanter intelligunt, secura lætitia non extolluntur, dicatur rectè: Si lætatus sum super multis diuitiis meis, & quia plurima reperit manus mea. Ac si apertè diceretur: Nequaquam me in eo locupletem ex iustitia credidi, quo recta quæ agere debui etiam multa cognoui: nec intelligentia cor extulit, quia illud consideratio debitæ operationis presit. Sciendum verò est quòd plerunque contingit vt 6.
cùm intelligentiæ altitudo percipitur, circa semetipsum animus valde sollicitus ab elationis lapsu teneatur. Sed cùm mira quæ intelligit, etiam operari cœperit, eoipso nonnunquam quo foras ostenditur, labitur, atque in suis actibus se cæteros præire gloriatur. Beatum igitur Iob sicut intelligentiæ aurum non extulit, nec lumen quoque ante humanos oculos miræ operationis eleuauit. Vnde & aptè subiungit:

Quòd sancti nec de bono opere suo, nec de fama, nec coram hominibus, nec in conscientia gloriantur. Caput IIII.

SI vidi solem cùm fulgeret.) Sol quippe in fulgore, est bonum B
opus in manifestatione. Scriptum nanque est: Luceat lux Matth. 5.
vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Et rursum: Sint Lucæ 12.
lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes. Quod enim hoc in loco fulgente Sole, id in Euangelio lucernis ardentibus designatur. Bonum quippe opus cùm in mẽdio perfidorum lucet, lucerna ardet in nocte: cùm verò in Ecclesia resplendet, sol fulget in die. Bonum opus si adhuc tale est quod soli mali mirẽtur, lucerna videlicet in nocte est: si autem ita proficit vt mirari à bonis ac perfectioribus possit, nimirũ sol est in die. Bonum opus cùm per actiuam vitam in corporibus lucet, quasi lucernæ more, lumen ex testa resplendet. Cùm vero per solam virtutem mentis in contemplatione attollitur, quasi more Solis de cœlo veniens lux videtur. Quia igitur multa beatus Iob hospitalitatis ac misericordiæ de se bona narrauerat, quæ profectò tantò adhuc minima, quantò & corporaliter nouerat gesta ad virtutum spiritalium culmen, mentis oculum reuocans, perfectionis suæ meminit: & lucem exemplorum quam de se aliis tribuit, Solem vocauit.

Quòd electi in malis præteritis sæpius oculos mentis figunt, quàm in bonis quæ agunt: & soli bona sua non vident, quæ aliis ad exemplum videnda præbent. Caput V.

SVnt verò nonnulli, qui cùm bona aliqua faciunt, iniquitatum suarum protinus obliuiscuntur, & cordis oculum in consideratione bonorum operum quæ exhibent figunt: atque eo se iam sanctos existimant, quo inter bona quæ agunt, malorum suorum, in quibus & fortasse adhuc implicati sunt, memoriam declinant. Qui scilicet si districtionem iudicis vigilanter attenderent, plus de malis suis metuerent, quàm de imperfectis bonis exultarent: plus inspicerent quòd de his quæ adhuc eis agenda sunt debitores tenentur, quàm quòd operantes quædam, iam debiti partem soluunt. Neque enim absolutus est debitor qui multa reddit, sed qui omnia: nec ad brauium victoriæ peruenit, qui in magna parte spectaculi velociter currit, si iuxta metas veniens, in hoc quod est reliquũ deficit. Nec ad quælibet destinata loca pergentibus inchoando prodesset longum iter carpere, si non etiam totum valerent consummare. Qui ergo æternam vitam quærimus, quid aliud quàm quædam itinera agimus, per quæ ad patriam festinamus? Sed quid prodest quòd carpimus multa, si ea quæ ad perueniendum restant, negligimus reliqua? More itaque viatorum, nequaquam debemus aspicere quantum iam iter egimus, sed quãtum superest vt peragamus: vt paulisper fiat præteritum, quod indefinenter & timidè adhuc attenditur futurum. Amplius igitur debemus inspicere quæ bona necdum fecimus, quàm ea quæ iam nos fecisse gaudemus. Sed habet
Plus libet homini in- hoc humana infirmitas propriũ, vt plus ei intueri libeat quod
sibi in se placet, quam quod sibi in se displicet. Aeger quippe tueri, quod
oculus cordis, dum laborare in consideratione sua metuit, sibi in se
quasi quòddam stratum delectationis in animo vbi molliter placet, quã
iaceat, requirit: atque idcirco quæ commoda de peractis bo- quod sibi
nis sit assecutus, intelligit, sed quæ damna de neglectis pati- mse displi-
tur, nescit. Plerunque enim hoc vitio tentantur etiam electi. cet.

Plerunque eorum cordi ſuggeritur, vt bona quæque quæ fecerunt, ad animum reuocent, & ſecuritatis iam lætitia exultent. Sed ſi verè electi ſunt, ab eo in quo ſibi placent, mentis oculos diuertunt, omnem in ſe de peractis bonis lætitiam deprimunt: & de his quæ ſe minus egiſſe intelligunt, triſtitiam requirunt, indignos ſe æſtimant, & penè ſoli, bona ſua non vident, quæ in ſe videnda omnibus ad exemplum præbent.
Hinc eſt quòd Paulus dum expleta in ſe bona poſtponeret, &
Philip. 3 ſola adhuc reliqua quæ eſſent explenda cogitaret, dixit: Ego me non arbitror apprehẽdiſſe. Hinc eſt quòd vt poſſet ſe bonis quæ agebat humiliare, ſtudebat ad animum præterita mala reducere, dicens:
7 Qui prius fui blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus. Qui & ſi aliquando dixit: Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: intuendum ſummopere eſt, quia eo illud tempore tulit, quo iam ex corpore diſceſſurum ſe eſſe cognouit. Ibi quippe præmiſit, dicens: Ego enim iam delibor, & tempus meæ reſolutionis in-
2. Timot. 4. ſtat. Tunc ergo ad memoriam perfectionem reduxit operis, cùm iam præuidit ad largitatis ſpatium minimè ſubeſſe tempus operationis. Sicut enim dum viuimus, debemus bona noſtra à memoria repellere ne extollant: ita appropinquante exitu, plerunque ea ad memoriam iuſtè reuocamus, vt videlicet fiduciam præbeant, & deſperatum timorem præmant. Qui & ſi Corinthiis bona ſua enumerando narrauit, illos confirmare ſtuduit, non ſe oſtendere. Nam quia eadem bona non in ſe attenderet, patefacta tribulatione propriæ tentationis edocuit, qua expreſſè ſubiunxit: Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis. Vt ergo diſcipulos inſtrueret, de ſe ſumma referebat. Vt verò ſe in humilitate cuſtodiret, conſiderationis oculum, non in virtutibus ſuis, ſed in infirmitatibus fixerat. Habent itaque proprium ſancti viri, vt bona quidem quæ agunt, videant: & tamen cùm peregerint, ab eorum memoria oculos auertant. Vnde rectè per beatum Iob dicitur: *Si vidi Solem cùm fulgeret.*) Ac ſi apertè diceret: Opus meum etiam cùm aliis exemplorum lucem tribueret, ad præſumptionis gratiam non attendi: quia dum de eo extolli timui, ab intuendo eo oculos auerti. Sequitur: *Et Lunam incedentem clarè.*) Poſt præmiſſum Solem, aptè quoque incedentem clarè Lunam ſubdidit: quia videlicet poſt opus bonum fama laudabilis ſequitur, per quam celebre nomen in hac præſentis vitæ nocte poſsidetur. Si enim verum eſt, quod quidam putant, illuſtrationem Lunam per occultum circulum à radio Solis accipere, vt poſsit lucem nocturnis curſibus exhibere, ab huius ſignificationis ordine hæc quoque ſuſpitio non abhorret.
* al. ſplendores. Fama quippe à bono opere vires accipit, & * fauoris gratiam quaſi claritatem luminis aſpergit. Eſt & aliud in Luna, quod per ſimilitudinem bonam ſpargenti famæ cõueniat. Lux nanque eius etiam in tenebrarum tempore iter ambulantibus oſtendit: quia & dum de aliena vita lux laudis emicat, alios ad exercenda bona opera illuſtrat. Cúmque illius opinio clara cognoſcitur, huic quaſi pergenti in itinere exempli lumen præbetur. Sed nonnunquam opus quod ab aliena opinione ſumitur, minus mundo deſiderio in animo formatur. Nam infirmæ mentes cùm bona de aliis audiunt, aliquando ſe ad o-
H perationem rectam non amore virtutis, ſed delectatione laudis accendunt. Et profectò liquet, quia ſicut naturæ Solis eſt, vt quæque attigerit, accendat & ſiccet: ita lunaris ignis eſt proprium, vt quicquid contigerit, exurat quidem, ſed exurendo humidum reddat. Ad vitam igitur bonam alios pro amore Dei affectus recti operis, alios verò amor laudis inflammat. Sed cùm recti operis affectu accendimur, quaſi per ignem Solis à vitiorum humore ſiccamur. Eum verò quem ad opus bonum laudis amor prouocat, concupita fama quaſi Luna attingit, quia videlicet eius animum & accendit & reſoluit. Accendit, ſcilicet ad exercitium operis, reſoluit verò ad concupiſcentiam fauoris. Plerunque tamen ad exercenda bona opera, aliena nos vtiliter exempla perſuadent. Et cùm mente humili opinionis alienæ bona ſuſcipimus, noſtra vel ad melius bona producimus, vel ad bonũ mala permutamus. Cúmque nos de vita proximi famæ ſplendor irradiat, mens noſtra, vt prædiximus, quæ ad obtinendum virtutis iter ſe dirigit, quaſi in Lunæ lumine greſſus ponit. Sed ſicut ex aliena opinione proficimus, ſic plerunq; ſi famæ noſtræ laudibus inhia-

E mus, à virtute vacuamur: quia cùm delectatur animus in hoc quod de ſe extrinſecus haberi conſiderat, illud obliuiſcitur ad quod introrſus anhelabat. Quia igitur ſanctum virum 8
intelligentia ſcientiæ non corrumpit, de multis diuitiis gaudere deſpexit. Quia verò eum magnitudo operis non inflauit, Solem fulgentem non vidit. Quia autem illum nec fama laudis extulit, clarè incedentem Lunam minimè attendit. Sunt enim nonnulli qui eo in elationem corruunt, quo per ſubtilem intelligẽtiam, vel quæ non faciunt bona cognoſcũt. Hi nimirum ſuper multis diuitiis lætantur, cùm quelibet ſumma intelligendo reperiunt, atque in elatione ipſis inuentionibus corrumpuntur. Sunt verò nonnulli quos intelligentia quidem non eleuat, ſed exhibita operatio exaltat. Qui dum actiones ſuas reſpiciunt, apud mentem ſuam ſibi cæteros dedignãdo poſtponunt. Hi videlicet etſi in multis diuitiis non gaudent, Solem tamen fulgentem uident: quia de ſola boni operis magnitudine quaſi alios deſpiciendo tument. Et ſunt nonnulli quos nec operatio propria extollit, ſed cùm laudari
F ab hominibus pro hac eadem bona operatione cœperint, ipſis hominum fauoribus deuicti, quaſi magnos ſe quoſdam in ſua cogitatione conſpiciunt, atque à cordis cuſtodia diſſoluuntur. Hi profectò etſi fulgentem Solem videre noluerunt, Lunam tamen clarè incedentem reſpiciunt: quia inter huius vitæ tenebras dum in opinionis ſuæ claritate animum defigunt, humilitatis gratiam quaſi ex nocturno lumine amittũt. & intuentes Lunam, ſe non uident, qui ſemetipſos neſcire incipiunt, dum mentis oculos in tranſitorium fauorem figunt. Sic autem profectus eſt hominum, ſicut incrementa eſſe conſpicimus arbuſtorum. Vis quippe futuræ arboris, prius in ſemine eſt, poſt modum in ortu, atque ad extremum producitur in ramis. Sic nimirum ſic vniuſcuiuſque virtus ſuccreſcit operantis. Seminatur nanque in intelligentia, oritur in operatione, atque ad vltimum conualeſcit vſque ad profectus magni latitudinem. Sed cùm quemlibet ſua intelligentia extollit, arbor quæ oriri poterat, in ſemine putreſcit. Cùm verò
G poſt operationem bonam elationis peſte corrumpitur, quaſi iam orta ſiccatur. Cùm autem neque intelligentia neque operatio corrumpit, ſed excreſcente magnitudine, dum fauor laudantium ſequitur, atque ab ſtatu ſuo bene operantis animum euertit: linguarum ventos arbor pertulit, & omne quod in ea robuſtum creuerat, tempeſtas famæ radicitùs euulſit. Quo enim arbor altius ad ſuperiora ſurrexit, eò ventorum vim vehementius ſentit: quia quo plus quiſque in bonis operibus attollitur, eo ampliori ab ore laudantium flatu fatigatur. Si itaque adhuc arbor in ſemine eſt, metuendum eſt, ne ipſa ſcientiæ cognitione putrefiat. Si iam ad virgultum prodiit, curandum eſt, ne hanc manus elationis tangat, atque à viriditate ſuæ actionis arefaciat. Si autem valenti robore iam ad alta ſe ſubleuat, valde formidandum eſt, ne hanc admotæ laudis ventus grauior radicitùs euellat. Sed inter hæc ſciẽdum 9
eſt, quia ne immoderatis laudibus erigamur, plerunque miro rectoris noſtri moderamine, etiam detractionibus lacerari permittimur: vt cùm nos vox laudantis eleuat, lingua detra-
H hentis humiliet: quia & arbor ſæpe quæ vnius venti impulſu ita impellitur, vt penè iam erui poſſe videatur, alterius è diuerſo venientis flatu erigitur: & quæ hac ex parte inflexionem pertulit, ab alia ad ſtatum redit. Vnde & illa arbor altè radicata, quaſi inter aduerſantes ventos fixa ſteterat, quæ dicebat: Per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam 2. Corint. 6.
famam. Sæpe enim laus bene agentis auribus inſolenter admota, dum foris ſermonibus perſtrepit, intus quandam menti tacitam elationis tempeſtatem gignit: fitque vt hoc quod animus de humanis fauoribus gaudet, non facilè exterius oſtendat, ſed tamen corruptionis vim non tenuiter interius ſentiat. Et ſunt nonnulli quos ita laus inflat, vt vſque ad verba elationis pertrahat. Quidam verò, vt prædiximus, hocipſum patefacere, quòd eleuantur, erubeſcunt, atque auditis ſuis præconiis extolluntur: ſed tamen vſque ad elationis verba non exeunt, & gaudere ſe in talibus non oſtendunt. Vnde beatus Iob, quia nouerat arrogantem ſe non ſolùm nullo modo in verbis, ſed etiam in cogitatione quoque tacita minimè fuiſſe, poſtquam dixit: *Si vidi Solem cùm fulgeret, & Lunam incedentem clarè*, ilico ſubdidit: *Et lætatum eſt in abſcondito cor meũ.*)

Qua

Qua videlicet atteſtatione quid nobis innuitur, niſi quòd nobis magno metu, & circunſpectione opus eſt, ne mens noſtra vnquam de ſuis laudibus vel tacita lætetur? Quiſquis enim quaſi claritatem Lunæ, famæ ſuæ magnitudinem conſpicit, ſibi in occulto mentis gaudium facit: cui iſte niſi authori ſe prætulit, cuius dono vt bene operaretur, præcipit, & tamen in eius munere de gratia ſuæ laudis hilareſcit? Deſpecto enim honore conditoris, ſemetipſum plus amare conuincitur, cuius
Gaudent nõnunquã ſancti viri de bona ſua opinione. præconiis lætatur. Quanuis nonnunquam etiam ſancti viri de bona ſua opinione gaudeant: ſed cùm per hanc ad meliora proficere audientes penſant, nec iam de opinione ſua, ſed de proximorum gaudent vtilitate: quia aliud eſt fauores quærere, & aliud de profectibus exultare. Qua in re neceſſe eſt, vt cùm audientium vtilitati non proficit, mentem noſtram fama laudabilis non eleuet, ſed fatiget. Cùm enim humanæ linguæ atteſtatione laudamur, occulta pulſatione requirimur, quid de nobiſipſis ſentiamus, vt in hoc humiles permaneamus. Superba etenim mens etiam cùm de ſe falſa bona dicuntur, exul-
B tat: quia non apud Deum qualiter viuat, ſed apud homines qualiter innoteſcat, excogitat. Iudicium enim de ſe omnipotentis Dei deſpiciens, & ſolummodo hominum quærens, inter auditas laudes extollitur: & quæ hoc ſolum quæſierat, quaſi de brauio operis lætatur. At contrà, ſi cor veraciter humile eſt, bona quæ de ſe audit, aut minimè recognoſcit: & quia falſa dicuntur, metuit: aut certè ſi adeſſe ea ſibi veraciter ſcit, eo ipſo formidat, ne ab æterna Dei retributione ſint perdita, quo hæc conſiderat hominibus diuulgata: pauétque vehementer, ne ſpes futuri muneris in mercedem permutetur tranſitorij fauoris. Qua ex re agitur, vt electorum animus magno laudum ſuarum igne crucietur, atque ab omni torporis ſui rubigine mœrore cogitationis excoquatur. Cauta enim conſideratione trepidat, ne aut de his in quibus laudatur, & non ſunt, maius Dei iudicium inueniat: aut de his in quibus laudatur & ſunt, competens præmium perdat. Vnde plerũque fit, vt ſicut iniuſtus ex laude ſua polluitur, ita vir iuſtus audita ſua laude purgetur. Nam dũ bona quæ egit, ab hominibus proferri cognoſcit: ſubtile cõtra ſe, vt dictum eſt, extremi iudicij examen
C metuit, ac trepidus ad conſcientiam recurrit: & quicquid illic ineſt reprehenſibile, corrigit. Dum enim bona ſua innotuiſſe formidat, ſubtilitatem ſecuturi examinis pertimeſcẽs, ſi qua in ſe mala occulta ſunt, amputat, Pauet nãque ſi ſaltem talis Deo non oſtenditur, qualis ab hominibus putatur: & neque contẽtus eſt, vt in quo potuit innoteſcere, in hoc debeat remanere, Iam enim de bonis ſuis, quaſi retributionem ſibi factã ęſtimat, niſi eis & alia quæ ab hominibus neſciuntur, adiungat. Vnde
Prouer. 27. bene per Salomonem dicitur: Sicut probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, ita probatur homo ore laudãtis. Argentum quippe vel aurum ſi reprobum eſt, igne conſumitur: ſi probũ verò, igne declaratur. Sic nimirum eſt, & ſenſus operantis. Nam qualis ſit in eo quòd laudatur, oſtenditur. Si enim ſe auditis ſuis laudibus extollit, quid iſte aliud quàm aurum, vel argentum reprobum fuit, quẽ videlicet fornax linguæ conſumpſit? Si autem fauores ſuos audiens, ad ſuperni iu-
D dicij conſiderationem redit, ac ne de his apud occultum arbitrum grauetur, metuit: quaſi ex purgationis igne ad magnitudinem claritatis excreſcit: & vnde incendiũ trepidationis ſuſtinet, inde clarius fulget. Beatus igitur Iob, quia nequaquam de operatione ſe prætulit, fidenter dicit: *Si vidi ſolem cùm fulgeret.*) Quia verò hunc à iudicij interioris intuitu fama laudabilis non diuertit, adiungit: *Et Lunam incedentem clarè.*) Quia autem opinionis ſuæ gratia animum deuinci, nec tacita cogitatione permiſit, protinus ſubdidit: *Et ſi lætatum eſt in abſcondito*
10. *cor meum.*) Et quia plerunq; incõſiderata mens, dũ tranſitorio fauori non renititur, ad hoc vſque pertrahitur, vt laudet ipſa quod facit, conditioni quæ præmiſſa eſt, qua dicitur: *Si lætatum eſt in abſcondito cor meum,*) congruè ſub infertur: *Et oſculatus ſum manum meam ore meo.*) Per manum quippe operatio, per os autem locutio deſignatur: ſicut per Salomonem dicitur:
Prou. 19. Abſcondit piger manum ſuam ſub anxilla ſua, & laborat ſi ad os ſuum porrigat eam, Pigro labor eſt manum ſuam ad os porrigere: quia deſidioſus quiſque prædicator nec hoc vult operari quod dicit. Manum quippe ad os porrigere, eſt voci ſuæ opere concordare. Manum ergo ſuam obſculatur ore ſuo, qui

A laudat quod facit, & teſtimonio proprię locutionis ſibi virtutem tribuit operationis. Qua in re quis deſpicitur niſi qui ipſa operandi munera largitur? Vnde bene per egregium prædicatorem dicitur. Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti quid gloriaris quaſi non acceperis? Sancti autem viri ſciunt poſt primi parẽtis lapſum, de corruptibili ſtirpe ſe editos, & non virtute propia, ſed præueniente ſuperna gratia ad meliora ſe vota vel opera commutatos: & quicquid ſibi mali ineſſe cognoſcunt, de mortali propagine ſentiunt meritum: quicquid verò in ſe boni inſpiciũt, immortalis gratiæ cognoſcunt donum: eíque de accepto munere debitores fiunt, qui & præueniendo dedit eis bonum velle quod noluerant, & ſubſequendo conceſsit bonum poſſe quod volunt. Vnde bene per Ioannem dicitur: Adorauerunt viuentẽ in ſe-
Apoc. 4. cula ſeculorum, mittentes coronas ſuas ante thronũ Domini. Coronas nanque ſuas ante thronum Domini mittere, eſt certaminum ſuorum victorias non ſibi tribuere, ſed authori, vt ad illum referant gloriam laudis, à quo ſe ſciunt vires accepiſſe certaminis. Beatus ergo Iob, quia ſic bona quæ operatus eſt, narrat, vt tamen hæc ſuæ operationi nõ tribuat, ſed ad authoris laudem recurrat, manum ſuam ore ſuo oſculatum fuiſſe ſe denegat. Ac ſi patenter dicat: Ego mea opera tanquam mea non profero: quia authoris ſui gratiam negare conuincitur, quiſquis ſibi tribuit quod operatur. Vnde & protinus ſubdit: *Quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum aliiſsimũ.*) Liquet etenim, quia illum negat, cuius deſpecta gratia, ſibi vires boni operis arrogat. Quod rectè quoque & iniquitas maxima vocatur: quoniam omne peccatum quod ex infirmitate eſt, ſpem nequaquam perdit, qui à ſuperno iudice veniam requirit. Præſumptio autem virtutis propriæ, tantò grauius in deſperatione eſt, quantò longius ab humilitate. Cúmque vires ſibi tribuit operis, ad adiutorium non recurrit authoris: fitque vt eò grauius peccator pereat, quò & ipſum hoc quia eſt peccator ignorat. Sequitur:

Quòd ſumma ſit perfectio charitatis, diligere inimicos, & de eorum profectu gaudere, & de ruina dolere.

C

Caput VI.

SI *gauiſus ſum ad ruinam eius qui me oderat, & exultaui quòd inuenijſſet eum malum.*) Omnipotentis Dei nos eſſe diſcipulos, ſola cuſtodia charitatis probat. Hinc eſt enim quod per ſe- Ioan. 13.
metipſam veritas dicit: In hoc cognoſcẽt omnes, quia mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis adinuicem. Quę nimirũ dilectio ſi cor noſtrum veraciter replet, duobus modis oſtendi ſolet: ſcilicet ſi & amicos in Deo, & inimicos diligimus propter Deum. Sed ſciendum eſt, quia inimici dilectio tunc veraciter cuſtoditur, cùm nec de profectu addicimur, nec de ruina illius lętamur. Nam ſæpe in dilectionis imagine erga inimicum animus fallitur, ſeque hunc diligere æſtimat, ſi eius vitæ contrarius non exiſtat. Sed dilectionis vim, occultè & veraciter, aut profectus inimici, aut caſus interrogat. Hac etenim de re ad plenum ſemetipſam mens hominis neſcit, niſi eum quem ſibi aduerſarium credit, in defectu vel profectu mutaſſe modum ſui ſtatus inuenerit. Si enim de proſperitate addicitur, & de calamitate ſe odientis lætatur: conſtat, quia non amat quem non vult eſſe meliorem: eúmque etiam ſtantem voto perſequitur, quem cecidiſſe gratulatur. Sed inter 11.
hæc ſciendum eſt, quia euenire plerunque ſolet, vt non amiſſa charitate, & inimici nos ruina lætificęt, & rurſum eius glo- *Lætificat nos quãdoque ruina inimicorũ.*
ria ſine inuidiæ culpa contriſtet: cùm & ruente eo quoſdam bene erigi credimus, & proficiente illo, pleróſque iniuſte opprimi formidamus. Qua in re mentem noſtram, nec eius iam defectus erigit, nec eius profectus addicit, ſi recta noſtra cogitatio, non quid in ipſo, ſed quid de ipſo circa alios agatur, attendit. Sed ad hæc ſeruanda valde eſt neceſſarium ſubtiliſſimæ diſcretionis examen: ne cùm noſtra odio exequimur, fallamur ſub ſpecie vtilitatis alienæ. Si enim de inimici morte gaudendum omnino non eſſet, Pſalmiſta nõ diceret: Lætabi- Pſal. 57.
tur iuſtus cùm viderit vindictam impiorum. Sed aliud eſt impium, aliud verò inimicum perpeti. Nam ſunt plerique inimici qui non ſunt impij: & ſunt nonnulli impij qui nobis ſpeciaiter non videntur inimici. Humana autem mens omnem inimicũ quem tolerat, etiam impium & iniquum putat: quia eius culpas apud cogitationẽ ſuã liuor accuſator exaggerat. Qui-

buſſibet verò flagitiis prematur, minus iniquus creditur, ſi E aduerſarius minimè ſentitur. Qua in re diſcernendum eſt, aliud eſſe quod nobis, aliud verò quòd ſibi & cæteris noſter inimicus nocet. Nam ſi aliis bonus eſt, ſine noſtra forſitã culpa eſſe non poteſt nobis malus: nec omnino iam de eius ruina gaudendum eſt, cuius nos ſolos certum eſt aduerſa toleraſſe. Cùm verò noſter ac multorum hoſtis perimitur, de ereptione proximorum potius quàm de inimici iuteritu neceſſe eſt, vt animus lætetur. Oportet nanque vt pereunte aduerſario ſubtiliter penſare debeamus, & quid debemus ruinæ peccatoris, & quid iuſtitiæ ferientis. Nam cùm peruerſum quenque omnipotens percutit: & condolendum eſt miſeriæ pereuntis, & congaudendum iuſtitiæ iudicis: vt nobis & in luctu ſit pœna morientis proximi, & rurſus, in gaudium veniat exhibita æquitas iudicantis Dei: quatenus nec pereunti homini exiſtamus aduerſarij, nec iudicanti Deo inueniamur ingrati. Beatus igitur Iob, quia cuncta in aduerſitate odia perfectè calcauit, dicat: *Si gauiſus ſum ad ruinam eius qui me oderat, & exultaui quòd inueniſſet eum malum:*) qui videlicet & inimicum diligens, dum F aduerſario ruenti condoluit, in malis illius ipſe ad bonum creuit, vt inde iſte ad benignitatem creſceret, vnde illum mala quæ merebatur, inueniſſent. Quia verò ſæpe nonnulli eos quos ſibi aduerſarios æſtimãt, maledictione feriunt, quoniam virtute nequaquam poſſunt: in quibus patenter apparet, quæ mala ſi poſſent facerent, qui ea quæ facere nequeunt, imprecari minimè deſiſtunt: beatus Iob oſtendens ſe à culpa etiam maledictionis alienum, ſecutus adiunxit: *Non enim dedi ad peccandum guttur meum, vt expeterem maledicens animam eius.*) Peccaret quippe, ſi hoc optaret à Deo fieri, quod ipſe facere vel omnino non poſſet: vel ſi poſſet, minimè deceret. Nam qui maledictionibus inimicum impetunt, quid aliud in illo facere Deum volunt, niſi quod ipſi facere aut nequeunt, aut erubeſcunt? Mortem nanque aduerſario exoptant, quam & ſi poſſunt, inferre metuunt: ne aut perpetrati homicidij rei teneantur, aut iniqui appareant etiam cùm ſint. Quid eſt ergo Deo dicere: Occide quem odi, niſi apertis ei vocibus clamare: Hoc fac meo aduerſario quod me in illum facere nec peccatorem decet? In quibus profectò verbis penſandum nobis
Lucæ.6. eſt, vbi iſte vir legerat: Diligite inimicos veſtros. Et vbi le-
1. Petri.3. gerat: Benedicite, & nolite maledicere. Et rurſum: Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto. Sed exterius non audita ſupernæ gratiæ præcepta ſeruabat, quia hæc in mente illius ſancti Spiritus afflatus ſcribebat. Cui tamen minus eſſet, quòd poſitos extrà diligeret, niſi & interius viuentes, ſecúmque quotidie conuerſantes etiam familiares aduerſarios toleraret. Vnde ſubiungit:

Quòd ſancti viri multos ex domeſticis ſuis, exoptatores mortis ſuæ æquanimiter tolerant.

Caput. VII.

S*I non dixerunt viri tabernaculi mei, Quis det de carnibus eius vt ſatiaremur?*) Quæ nimirum ſententia poteſt quoq; per myſterium ex voce redemptoris intelligi. Viri quippe eius tabernaculi de carnibus illius ſaturari cupierunt: vel Iudæi ſcilicet H perſequentes, vel gentiles credentes: quia & illi moliti ſunt corpus illius, quaſi conſumendo extinguere: & iſti eſurientem mentem ſuam deſiderant quotidianæ immolationis ſacrificio de eius carnibus ſatiare. Sed nunc ſolius hiſtoriæ
12 virtutem ſequentes, penſemus quanta fortitudine ſancti viri
† *al. partitur.* animus extra, intráque ſollicitus ad omnia † paratur. Qui ſi iniuſtè agentibus, aut vnquam per ſilentium cederet, aut per rectitudinem non contrairet, profecto aduerſarios non habuiſſet. Sed in eo quòd vias vitæ tenuit, exoptatores ſuæ mortis inuenit. Foris patentes aduerſarios pertulit, intus latentes. Minor eſt autem virtus certaminis, foris quempiam videre mala quæ ſuperet, & intus quod toleret non habere. Perfectæ autem magnitudinis laus eſt aduerſa perpeti, & exterius fortiter, & interius clementer. Nam ſunt nonnulla quæ in ipſa quoque familiarium conuerſatione corrigi nequeunt, ſine culpa corrigentis: atque ideo cùm vel corrigentem inquinant, vel omnimodo hæc agentem grauant, magna magiſterij arte diſſimulanda ſunt, ipſáque hac diſſimulatione toleranda. Quæ contra nos illata citius à corde laxamus, ſi noſtra circa proximos errata cognoſcimus. Vnde bene quo- *Eccles.7.*
que per Salomonem dicitur: Cunctis ſermonibus qui dicuntur, ne accommodes cor tuum, ne fortè audias ſeruum tuum maledicentem tibi. Scit enim tua conſcientia, quia & tu crebrò maledixiſti aliis. Dum enim penſamus quales erga alios fuimus, eſſe circa nos tales alios minus dolemus: quia aliena iniuſtitia in nobis vindicat, quòd in ſe iuſtè noſtra conſcientia accuſat. Sequitur:

Quantæ hoſpitalitatis ſanctus Iob fuit, cuius oſtium patens, peregrinus & viator inuenit.

Caput VIII.

F*Oris non manſit peregrinus, oſtium meum viatori patuit.*) Quia *1.Corint.13.*
teſte Paulo, charitas patiens & benigna deſcribitur: per patientiam aliena mala æquanimiter tolerat, per benignitatem quoque bona miſericorditer impendit ſua. Vnde beatus Iob, & patienter domeſticos maledicentes pertulit, & viatores atque peregrinos apud ſe benignè ſuſcepit: illis morum exempla tribuens, iſtis exteriorum ope concurrens: illis per manſuetudinem non concitus ad iraſcendum, iſtis per miſericordiam ad ſubueniendum paratus. Vir etenim ſanctus redemptorem generis humani per prophetiæ ſpiritum intuens, prædicamenta quoq; illius in opere ſeruabat, quibus nos admonet, dicens: Dimittite, & dimittetur vobis: date & dabi- *Lucæ.6.*
tur vobis. Dare nanque ad res pertinet, quas exterius habemus: dimittere autem ad relaxandum dolorem quem interius ex aliena culpa contrahimus. Sed ſciendum eſt, quia qui omnino dimittit & non dat, etſi non plenè operatus eſt, meliorem tamen partem miſericordiæ tenuit. Qui autem dat, & minimè dimittit, omnino miſericordiam nullam facit: quia ab omnipotente Deo munus ex manu non accipitur, quod corde obligato in malitia profertur. Mundari etenim debet prius animus qui eleemoſynam præbet: quia omne quod datur Deo, ex dantis mente penſatur. Cuncta itaq; malitiæ macula ab interiori noſtro homine cogitationis immutatione tergenda eſt: quia iram iudicis placare neſcit oblatio, niſi ex
G munditia placeat offerentis. Vnde ſcriptum eſt: Reſpexit *Gene.4.*
Deus ad Abel & ad munera eius: ad Cain autem & ad munera eius non reſpexit. Neque etenim ſacrum eloquium dicit: Reſpexit ad munera Abel, & ad Cain munera non reſpexit: ſed prius ait, Quia reſpexit ad Abel: ac deinde ſubiunxit: Et ad munera eius. Et rurſum dicit, quia non reſpexit ad Cain: ac deinde ſubdidit: Nec ad munera eius. Ex dantis quippe corde id quod datur, accipitur. Idcirco non Abel ex muneribus: ſed ex Abel munera oblata placuerunt. Prius nanque ad eum legitur Dominus reſpexiſſe qui dabat, quàm ad illa quæ dabat. Vnde bene beatus Iob dicturus nobis in hoſpitalitatis gratia largitatem ſuam, prius circa aduerſarios protulit patientiam & benignitatem ſuam: quòd de ruina non exultauit inimici, quòd verbis maledicis perſecutores ſuos nõ impetiit, quòd ſæuiẽtes intrinſecus æquanimiter tolerauit, & tunc demum hoſpitalitatis ſuæ munificentiam protulit: vt audito ſcilicet narrationis eius ordine, diſcamus, quia exteriora munera ex interna cordis munditia condiuntur: vt virtutum eius contextio lectorem doceat, qualis apud ſe eſſe debeat, cùm exteriora bona aliis ſubminiſtrat. Sed quis ſe inter tanta virtutum culmina ſanctum eſſe non crederet. Quis non vtcunque ipſis tot meritis tentaretur: vt ſi quando vt homo delinqueret, delictum ſuum hominibus nollet innoteſci: & leue eſſe crederet, ſi quid in minimis peccaret, culpamq; ſuam mallet ſilentio tegere, quàm voce confeſsionis aperire? Sæpe nanq; contingit, vt elatus virtutibus animus, dum multa bona in æſtimatione proximorum de ſe ſpargi cognouerit, agnoſci non velit, ſi quid eſt quod reprehẽſibiliter facit. Quas videlicet erroris tenebras idcirco mens tolerat, quia cordis oculum tumor grauat. Vnde beatus Iob inter tot eximia facta virtutum, qui tam ſummus extitit in operatione, vt demonſtraret, quàm humilis fuerit in mente, protinus adiunxit.

Quòd quaſi homo abſcondit peccatum, qui ad imitationem primi hominis, vel erubeſcit cõfiteri quòd male fecit, vel defendit.

Caput IX.

S*I abſcondi quaſi homo peccatum meum, & cælaui in ſinu meo iniquitatem meam.*) Hæc ſunt nanq; veræ humilitatis teſtimonia, & iniquitatem ſuam quenque cognoſcere, & cognitam voce

voce confeſsionis aperire. At contrà vſitatum humani generis vitium eſt, & latẽdo peccatum committere, & commiſſum negando abſcondere, & conuictum defendẽdo multiplicare. Ex illo quippe lapſu primi hominis hæc augmenta nequitiæ ducimus, ex quo ipſam radicem traximus culpæ. Sic nanque ille dum lignum vetitum contigiſſet, abſcondit ſe à facie Domini inter ligna paradiſi. In qua abſcõſione, ſcilicet quia Deũ latere non poterat: non latendi effectus deſcribitur, ſed affectus notatur. Qui cùm argueretur à Domino, quòd de ligno vetito contigiſſet, ilico reſpondit: Mulier quam dediſti mihi *Gen.3.*
ſociam, ipſa mihi dedit de ligno, & comedi. Ipſa quoque mulier inquiſita reſpondit, dicens: Serpens decepit me, & comedi. Ad hoc quippe requiſiti fuerant, vt peccatum quod tranſgrediendo commiſerant, confitendo delerent. Vnde & ſerpens ille perſuaſor, qui non erat reuocandus ad veniam, non eſt de culpa requiſitus. Interrogatus itaque homo eſt vbi eſſet, vt perpetratam culpam reſpiceret, & confitendo cognoſceret, quam longè à conditoris ſui facie abeſſet. Sed adhibere ſibimet vtrique defenſionis ſolatia, quàm confeſsionis elegerũt. Cúmque excuſare peccatũ voluit vir per mulierẽ, mulier per ſerpentem: auxerunt culpam quam tueri conati ſunt: obliquè Adam Dominum tangens, quòd ipſe peccati eorum actor extiterit, qui mulierem fecit: & Eua culpam ad Dominum referens, qui ſerpentem in paradiſo poſuiſſet. Qui enim ore diaboli fallentis audierant: Eritis ſicut dij: quia Deo eſſe ſimiles in diuinitate nequiuerũt, ad erroris ſui cumulum Deũ ſibi facere ſimilem in culpa conati ſunt. Sic ergo reatum ſuum dum defendere moliuntur, addiderunt, vt culpa eorum atrocior diſcuſſa fieret, quàm fuerat perpetrata. Vnde nunc quoque humani generis rami ex hac adhuc radice amaritudinem trahunt: vt cùm de vitio ſuo quiſque arguitur, ſub defenſionũ verba, quaſi ſub quẽdam ſe arborum folia abſcondat, & velut ad quædam excuſationis ſuæ opaca ſecreta faciem conditoris fugiat, dum non vult cognoſci quod fecit. In qua videlicet occultatione non ſe Domino, ſed Dominum abſcondit ſibi. Agit quippe ne omnia videntem videat, non autem ne ipſe C videatur. Quo contrà cuique peccatori iam exordium illuminationis, eſt humilitas confeſsionis: qui ſibimetipſi iam parcere renuit, qui malum non erubeſcit confiteri quod fecit: & qui defendendo accuſari potuit, accuſando ſe celerrimè defẽdit. Vnde & mortuo Lazaro, qui mole magna premebatur,
Ioan.11. nequaquam dicitur: Reuiuiſce: ſed, Veni foras. Ex qua ſcilicet reſurrectione quæ geſta in illius eſt corpore, ſignatur qualiter nos reſuſcitemur in corde: cùm videlicet mortuo dicitur, Veni foras: vt nimirũ homo in peccato ſuo mortuus, & per molẽ malę conſuetudinis iam ſepultus, qui intra conſcientiã ſuam abſconſus iacet per nequitiam, à ſeipſo foras exeat per cõfeſsionem. Mortuo enim, Veni foras dicitur: vt ab excuſatione atque occultatione peccati, ad accuſationẽ ſuam ore proprio
2.Reg.12. exire prouocetur. Vnde Dauid propheta ab illa tãti mole faclnoris reuiuiſcẽs, ad vocem Domini quaſi foras exiit, dũ per Nathã correptus, quod fecerat accuſauit. Quia igitur hæc occultationis culpa in humano genere vehemẽter excreuit, be- D
ne beatus Iob cùm diceret: *Si abſcondi peccatum meum,*) interpoſuit: *Quaſi homo.* Hominis quippe eſſe propriũ conſpicit, quod ex parentis veteris imitatione deſcendit. Vbi aptè ſubditur:

Quòd perfectæ humilitatis indicium ſit, peccata, & vltro accuſare, & aliis accuſantibus non negare. *Caput X.*

14. E*T cælaui in ſinu meo iniquitatem meam.*) Scriptura etenim ſacra plerunque ſinum ponere, pro mente conſueuit: ſicut voce Eccleſiæ de perſecutoribus noſtris, qui nobis natu-
Pſal.78. ra quidem coniuncti ſunt, ſed vita diſiuncti, per Pſamiſtam dicitur: Redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum. Ac ſi apertè diceretur. In mente ſua recipiant hoc, quod in noſtris corporibus ſequentes operantur: vt dum nos exterius ex parte puniunt, ipſi interius perfectè puniantur. Quia igitur ſinus ſecretum mentis accipitur, in ſinu iniquitatem cælare, eſt hãc in conſcientiæ latibulis occultare, nec per confeſsionem dete-
Iaco.5. gere, ſed per defenſionem velare. Quo contrà Iacobus dicit: Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro inuicem
Prou.28. vt ſaluemini. Salomon quoque ait: Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit & dereliquerit ea, miſericordiam conſequetur. Sed inter hæc ſciẽdum eſt quòd A plerunque homines & culpas confitentur, & humiles nõ ſunt. Nam multos nouimus, qui arguente nullo, peccatores ſe eſſe confitentur: cùm verò de culpa ſua fuerint fortaſſe correpti, defenſionis patrocinium quærunt, ne peccatores eſſe videãtur. Qui ſi tunc cùm id ſponte dicunt, peccatores ſe eſſe veraci humilitate cognoſcerent: cùm arguuntur ab aliis, eſſe ſe quod confeſsi fuerant, non negarent. Qua in re indicia veræ confeſsionis ſunt, ſi cùm quiſque ſe peccatorem dicit, id de ſe dicenti etiam alteri non contradicit. Nam quia ſcriptum eſt:
Iuſtus in principio accuſator eſt ſui: non magis peccator, ſed *Prouer.18.*
iuſtus videri appetit, cùm peccatorem ſe quiſque nullo arguẽte confitetur, ſed confeſsionis veritatẽ probat, cùm alter malum quod fecimus, increpat. Quòd ſi ſuperbè defendimus, liquet, quia peccatores nos ex nobis fictè dicebamus. Vnde ſummopere curandum eſt, vt mala quæ fecimus, & ſponte fateamur, & hæc aliis arguẽtibus non negemus. Superbię quippe vitium eſt, vt quod de ſe fateri quiſque quaſi ſua ſponte dignatur, hoc ſibi dici ab aliis dedignetur. Beatus itaque Iob quantæ fuerit humilitatis oſtendit, qui ſe & inter aduerſarios B nouerat viuere, & tamen non verebatur culpas voce confeſsionis aperire. Sed notandum, quòd ſuperius virtutes ſuas loquitur, inferius peccatum fatetur, Hinc enim liquidò demonſtrat, quãm vera de bonis ſuis dixerat, qui noluit tacere de malis. Modò virtutes ſuas indicat, modò culpam: quia & perpetrauerit peccatum, & non tacuerit, manifeſtat. Vnde certiſsimè apparet quantæ munditiæ in omnipotentis Dei oculis fuerit, qui & vitauit mala ne committeret, & tamen quæ eum committere contigit, hominibus non abſcondit: quatenus ei & iuſtitiæ ſit gloria, declinaſſe peccatum, & iuſtitiæ cuſtodia, quod non potuit declinare, prodidiſſe. Videatur vir iſte cuilibet magnus in virtutibus ſuis, mihi certè ſublimis apparet, etiã in peccatis ſuis. Mirentur in eo qui volunt caſtitatis continentiam, mirentur integritatem iuſtitiæ, mirentur viſcera pietatis: ego in eo non minus admiror confeſsionem humilimã peccatorum, quàm tot ſublimia geſta virtutum. Scio enim C quòd per infirmitatis verecundiam plerunque grauioris eſt certaminis commiſſa peccata prodere, quàm non admiſſa vitare: & vnumquodque malum quãuis robuſtius vitetur, tamẽ humilius proditur. Beatus ergo Iob qui tot magnis operibus fultus confiteri culpã non erubuit, oſtẽdit in virtutibus quàm humilis fuit. Sed quia ex humilitate vera ſecura ſemper authoritas naſcitur: vt tantò foris nil metuat, quãtò ad rerum culmina animus per elationis deſideriũ non anhelat, expreſſa cõfeſsione peccati, rectè ſubiungitur: Si expaui ad multitudinẽ nimiã, & deſpectio propinquorum terruit me: & non magis tacui, nec egreſſus ſum oſtium.) Magna eſt ſecuritas cordis, nil concupiſcẽtiæ habere ſecularis. Nam ſi ad terrena adipiſcenda cor inhiat, ſecũrum tranquillúmve eſſe nullatenus poteſt: quia aut non habita concupiſcit vt habeat, aut adepta metuit ne amittat: & dũ in aduerſis ſperat proſpera, in proſperis formidat aduerſa: huc illucque quaſi quibuſdã fluctibus voluitur, ac per modos varios rerum alternantiũ mutabilitate verſatur. Sin verò ſemel in appetitione ſupernæ patriæ forti 15.
ſtabilitate animus figitur, minus rerum temporalium perturbatione vexatur. A cunctis quippe externis motibus eandem intentionẽ ſuam, quaſi quendam ſecretiſsimũ ſeceſſum petit: ibique incõmutabiliter inhærẽs, & mutabilia cuncta tranſcẽdens, ipſa iam trãquillitate quietis ſuæ in mũdo extra mundũ eſt. Excedit profectò ima omnia intentione ſummorũ, & cunctis rebus quas nõ appetit, libertate quadã ſe ſupereſſe ſentit, nec tempeſtatem rerum temporalium intus ſuſtinet, quam intuetur foris: quia terrena omnia, quæ cõcupita opprimere mẽtem poterant, deſpecta ſubteriacẽt. Vnde bene per Prophetã *Hiere.31.*
dicitur: Statue tibi ſpeculã: vt dum quiſq; ſpeculatur ſumma, ſuperemineat infimis. Hinc etiã Abacuc dicit: Super cuſtodiã *Abac.2.*
meam ſtabo. Stat quippe ſuper cuſtodiã ſuam, qui per ſolertiam diſciplinæ terrenis deſideriis nõ ſuccũbit, ſed ſupereminet: vt dum ſemper ſtantem appetit æternitatem, infra ſe ſit ei omne quod tranſit. Tamẽ quia ſanctus vir quãtalibet virtute profecerit, eum in hac vita poſitũ adhuc extrinſecus carnis infirmitas premit, vt ſcriptum eſt: Quanquam in imagine Dei *Pſalm.38.*
ambulet homo, tamen vanè conturbatur: plerunque agitur, vt & turbetur exterius, & imperturbabilis duret interiõ: & quod

vanè conturbari poteſt, de infirmitate carnis ſit, quanuis in imagine Dei ambulet de virtute mẽtis: quatenus & roboretur intus diuino adiutorio, & tamen adhuc foris ſarcina prematur
Abac.3. humana. Vnde bene Abacuc iterum vnam ſententiam protulit ad vtraq; ſeruientem, Ait enim: Et introiuit tremor in oſſa mea, & ſubtus me turbata eſt virtus mea. Ac ſi diceret: Non mea virtus eſt, in qua ſuperius raptus imperturbabilis maneo: ſed meę infirmitatis eſt, in qua inferius turbor. Ipſe ergo ſuper ſe imperturbabilis eſt, ipſe ſub ſe perturbabilis: quia ſuper ſe aſcenderat, inquantum rapiebatur ad ſumma: & ſub ſemetipſo erat, inquantum adhuc reliquias trahebat in infima. Ipſe ſuper ſe imperturbabilis eſt, quia in Dei iam contemplationem tranſierat: ipſe ſub ſe perturbabilis, quia ſub ſemetipſo adhuc
Pſalm.115. infirmus homo remanebat. Huic ſententiæ Dauid Propheta concinens, ait: Ego dixi in exceſſu mentis meæ, Omnis homo mendax. Cui reſponderi poteſt: Si omnis, & tu. Falſaque iam erit ſententia quam mendax ipſe protuliſti. Si verò ipſe non es mendax, vera iam ſententia non erit: quia dum tu verax, non omnis homo cognoſcitur mendax. Sed notandũ eſt, quòd præmittitur: Ego dixi in exceſſu mentis meæ. Per exceſſum ergo mentis, etiam ſemetipſum tranſiit, cùm de hominis qualitate definiuit. Ac ſi patenter dicat: De falſitate omnium hominum inde veram ſententiam protuli, vnde ego ipſe ſuper hominem fui. In tantum verò & ipſe mendax inquantum homo: in tantum autem omnino non mendax, inquantum per exceſſum mentis ſuper hominem. Sic itaque ſic perfecti omnes, quanuis adhuc aliquid turbulentum de infirmitate carnis tolerant, iam tamen intrinſecus tranquilliſsimo ſecreto perfruuntur per contemplationem mentis: vt quicquid acciderit exterius, in nullo turbet interius. Vnde beatus Iob ſecuritatem in ſe eſſe mentis oſtendens, poſtquam de ſe tot virtutum prædicamenta protulit, hoc quod præmiſimus ſecutus adiunxit:

Quòd ſancti eos non timeant, à quibus nihil expectant: & contempti à proximis cum omni patientia ſuſtinentes, ad contumelias nec verbum reddunt. Caput XI.

16 SI expaui ad multitudinem nimiam, & deſpectio propinquorum terruit me, & non magis tacui, nec egreſſus ſum oſtium.) Ac ſi apertius dicat: Turbatis contra me extrinſecus aliis, ipſe in me intrinſecus imperturbabilis manſi. Quid nanque in hoc loco oſtium, niſi os debemus accipere? Per hoc quippe quaſi egredimur, dum verbis quibus poſſumus, ſecreta noſtri cordis aperimus: & quales intus manemus in conſcientia, tales foras egredimur per linguam. Sunt verò nonnulli qui omnino deſpici metuunt, ac ne viles fortaſſe iudicentur, ſapientes videri appetunt. Hi coguntur oſtium egredi: quia pulſati contumeliis, quàm magni apud ſe lateant, loquentes denuntiant. Dumque per impatientiam victi, quædam de ſe quæ neſciebantur, produnt, tanquam per oris oſtium egrediuntur. Vnde beatus Iob dicturus, quòd oris oſtium non fuiſſet egreſſus, bene præmiſit, Tacui: quia videlicet impatientia turbatus, à domo conſcientiæ exiſſet, ſi tacere neſciſſet.

Quòd exemplo Domini, ibi de doctrina cœleſti ſilendum eſt, vbi auditores non ad ædificationem, ſed ad curioſitatem conueniunt. Caput XII.

SAncti etenim viri in commotionis tentatione ſemetipſos oſtendere omnino refugiunt, & cùm audientibus prodeſſe nequeunt, etiam deſpici tacentes volunt, ne de ſapientiæ ſuæ oſtentatione glorientur. Cúmque aliquid dicunt prudenter, non quærunt gloriam ſuam, ſed auditorum vitam. Cùm verò conſpiciunt, quia auditorum vitam loquendo lucrari non poſſunt, tacendo abſcondunt ſcientiam ſuam. Ad imitandum quippe viam Domini, quaſi ad quoddam nobis propoſitum ſignum currimus. Ipſe enim, quia Herodem vidit non profectum quærere, ſed ſigna vel ſcientiam velle mirari, requiſitus ab eo tacuit: & quia conſtanter tacuit, ab eo
Lucæ.23. irriſus exiuit. Scriptum nanque eſt: Herodes autem viſo Ieſu, gauiſus eſt valde: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quòd audiret multa de illo, & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri. Vbi ſubditur: Interrogabat autem illum multis ſermonibus: at ipſe nihil illi reſpondebat. Tacens verò Dominus quàm ſit deſpectus oſtenditur, cùm illic protinus ſubinfertur: Spreuit autem illum Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit. Quod videlicet factum oportet nos audientes diſcere: vt quoties auditores noſtri, noſtra volunt quaſi laudanda cognoſcere, non autem ſua peruerſa mutare, omnino taceamus: ne ſi oſtentationis ſtudio verbum Dei loquimur, & illorum culpa quæ erat, eſſe non deſinat, & noſtra quę non erat, fiat. Dicat fortaſſe aliquis. Vnde nouimus quo 17
corde quis audiat? Sed multa ſunt quæ audiẽtis animum produnt: maximè ſi auditores noſtri, & ſemper laudent quod audiunt, & nunquam quod laudant, ſequuntur. Hanc inanem loquendi gloriam prædicator egregius fugerat, cùm dicebat:
Non enim ſumus ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei: ſed *2. Corinth.2.*
ex ſinceritate, ſicut ex Deo coram Deo in Chriſto loquimur. Adulterari nanque verbum Dei, eſt aut aliter de illo ſentire quàm eſt, aut ex eo non ſpiritales fructus, ſed adulterinos fœtus quærere laudis humanæ. Ex ſinceritate verò loqui, eſt nil in eloquio extra quàm oporteat quærere. Sicut ex Deo autem loquitur, qui ſcit non ſe à ſe habere, ſed ex Deo acceſſe quod dicit. Coram Deo verò loquitur, qui in omni quod dicit, non humanos fauores appetit, ſed omnipotentis Dei præſentiæ intendit: non ſuam, ſed authoris gloriam requirit. Qui autem ſcit quidem ex Deo ſe acceſſe quod dicit, & tamen dicendo propriam gloriam quærit: ſicut ex Deo loquitur, ſed non coram Deo: quia eum quem cordi ſuo non proponit cùm prædicat, quaſi abſentem putat. Sed ſancti viri & ex Deo loquuntur, & coram Deo: quia ab eo ſe ſciunt habere quod dicunt, & ipſum ſuis ſermonibus adeſſe iudicem adiutoremque conſiderant. Vnde fit, vt cùm ſe à proximis deſpici agnoſcunt, ſuáque dicta vitæ audientium non prodeſſe, abſcondant quantæ virtutis ſint: ne ſi ſecretum cordis inutiliter ſermo prolatus aperiat, ad inanem gloriam prorumpat. Beatus igitur Iob inter obſtinatas mentes non appetens ex virtutis ſuæ patefactione clareſcere, ait: *Si deſpectio propinquorum terruit me, & non magis tacui, nec egreſſus ſum oſtium.*) Qui enim per humilitatem ſolidus, nequaquam deſpici timuit: hũc vt foras lingua eiiceret, impatiẽtia non euicit. Vbi bene præmittitur: Si expaui ad multitudinem nimiam: vt cuius conſtantiæ fuerit, agnoſcatur, quia videlicet neqtiaquam terret exterius numerus hominum, quem non deuaſtat interius turba vitiorum. In hac etenim vita qui nulla proſpera appetit, nulla proculdubio aduerſa pertimeſcit. Quæ ſcilicet verba ſi ad intellectum myſticum pertrahimus, in eis citius operationem noſtri redemptoris inuenimus. Ipſe quippe ad multitudinem nimiam non expauit, qui perſecutores ſuos cum gladiis & fuſtibus venientes, vna tantùm reſponſione perculit, dicens: Ego ſum. Ipſum deſpectio propinquorum non terruit, qui nos ab æternis ſuppliciis liberans, palmas in facie æquanimiter accepit. Ipſe tacuit, & oſtium egreſſus non eſt: qui ſub ipſa iam hora paſsionis cùm humanitatis infirma pateretur, diuinitatis potentiam exercere noluit. Mediatori quippe Dei & hominum, quaſi egredi oſtium fuiſſet, ſi cùm teneretur vt homo maieſtatis ſuæ potentiam voluiſſet oſtendere: & per diuinitatis magnitudinem, ſuſceptæ carnis infirma tranſire. Vt autem apertius homo mori poſſet, Deus manſit occultus: quia ſi cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Non eſt ergo egreſſus oſtium, qui & requiſitus à Pilato
tacuit: atque inter perſecutorum manus & corpus paſsioni *1.Corinth.2.*
obtulit, quod pro electis aſſumpſerat, & reſiſtentibus noluit demonſtrare quod erat. Vnde etiam per Pſalmiſtam dicitur:
Poſuerunt me in abominationem ſibi, traditus ſum, & non egrediebar. Cùm enim deſpiceretur, quia homo videbatur, egreſſus eſſet, ſi occultam maieſtatem ſuam oſtentare voluiſſet. Sed quia infirmitatem prodidit, potentiam abſcondit: in eo quòd perſecutoribus ſuis incognitus manſit, ad eos minimè exiuit. Qui tamen ad electos exit: quia diuinitatis ſuæ ſuauitatem quærentibus aperit. Vnde ei per Prophetam dicitur: Exiſti in ſalutem populi tui, vt ſaluos facias Chriſtos *Abac.3.*
tuos. Sequitur:

Quòd efficaciores voces in auribus Dei habeant deſideria ſancta, quàm verba clamoroſa. Caput XIII.

QVis mihi tribuat adiutorem, vt deſiderium meum omnipotens au- 18
diat?) Sanctus vir poſtquam tot virtutum ſuarum ſublimia geſta narrauit, ſciens quòd ſuis meritis ad ſumma peruenire nequeat, adiutorem quærit. Et quem, nimirum niſi vnigenitum

nire nequeat, adiutorem quærit. Et quem, nimirum niſi vnigenitum Dei filium contemplatur, qui humanam naturam in hac mortalitate laborantem dum ſuſcepit, adiuuit? Ipſe quippe adiuuit hominem factus homo: vt quia puto homini via redeundi non patebat ad Deum, via redeundi fieret per hominem Deum. Longè quippe diſtabamus, à iuſto & immortali, nos mortales & iniuſti. Sed inter & immortalem iuſtum, & nos mortales iniuſtos apparuit mediator Dei & hominum, mortalis & iuſtus, qui & mortem haberet cum hominibus, & iuſtitiam cum Deo: vt quia per ima noſtra longè diſtabamus à ſummis, in ſeipſo vno iungeret ima cum ſummis: atque ex eo nobis via redeundi fieret ad Deum, quo ſummis ſuis ima noſtra copularet. Hunc ergo beatus Iob per totius Eccleſiæ ſignificationem loquens, mediatorem requirit, qui cùm dixiſſet: Quis mihi tribuat adiutorem, aptè ſubdidit: *Vt deſiderium meum omnipotens audiat.*) Sciebat quippe, quòd ad requiem liberationis æternæ, humanæ preces niſi per aduocatum ſuum audiri non poſſent. De quo per Ioannem apoſtolum dicitur: Si quis peccauerit, adocatum habemus apud pa- B
1.Ioan.2. trem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mũdi. De quo Paulus apoſtolus dicit: Chriſtus Ieſus qui
Rom.8. mortuus eſt pro nobis, imò qui & reſurrexit; qui eſt in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Vnigenito enim filio pro homine interpellare, eſt apud coæternũ patrem ſeipſum hominem demõſtrare: eique pro humana natura rogaſſe, eſt eandem naturam in diuinitatis ſuæ celſitudine ſuſcepiſſe. Interpellat igitur pro nobis Dominus nõ voce, ſed miſeratione: quia quod damnari in electis noluit, ſuſcipiẽdo liberauit. Adiutor ergo quæritur, vt deſiderium exaudiatur: quia niſi pro nobis interpellatio mediatoris intercederet, ab aure Dei proculdubio noſtrarum precum voces ſilerent. Notandum quoque eſt, quòd nequaquam dicitur preces, ſed deſiderium meũ
Vera poſtulatio nõ eſt in oris vocibus, ſed in cordis cogitationibus: omnipotens audiat. Vera quippe poſtulatio nõ in oris eſt vocibus, ſed in cogitationibus cordis. Valentiores nanque voces apud ſecretiſsimas aures Dei non faciunt verba noſtra, ſed C
nam deſiderium omnipotens audit. deſideria. Aeternam etenim vitam ſi ore petimus, nec tamen corde deſideramus, clamantes tacemus. Si verò deſideramus ex corde, etiam cùm ore conticeſcimus, tacentes clamamus. Hinc eſt quòd in cremo populus vocibus perſtrepit, & Moyſes à ſtrepitu verborum tacet: & tamen ſilens aure diuinæ pietatis auditur, cùm dicitur: Quid clamas ad me? Intus ergo in deſiderio eſt clamor ſecretus, qui adhuc ad humanas aures nõ peruenit, & tamen auditum conditoris replet. Hinc eſt quòd Anna ad templum pergens, ore quidem tacuit, & tamen tot ſui deſiderij voces emiſit. Hinc in Euangelio Dominus dicit:
Matth.6. Intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio tuo ora patrem tuũ in abſcondito: & pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi. Clauſo quippe oſtio petit in cubiculo, qui tacente ore in
Pſalm.9. conſpectu ſuperna pietatis fundit affectum mentis. Et vox auditur in abſcondito, cùm per ſancta deſideria ſilenter clamatur. Vnde rectè quoque per Pſalmiſtã dicitur: Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus: preparationem cordis eorum audiuit auris tua. Sed beatus Iob quem ſibi in exaudiendo deſiderio adiutorem quærat, ſubiunctis verbis aperit, dicens:
19. *Et librum ſcribat ipſe qui iudicat.*) Quia enim timenti adhuc populo lex eſt tranſmiſſa per ſeruum: diligentibus verò filiis Euangelij gratia eſt collata per Dominum, qui ad redemptionem noſtram veniens, nouum nobis teſtamentum condidit, ſed de eiuſdem nos teſtamenti mandato diſcutiens, quandoque etiam iudex venit: neceſſarium non eſt vt per expoſitionem clareſcat: quia librum ſcribit ipſe qui iudicat. Ipſa enim
Ioan.5. per ſe veritas dicit: Pater non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio. Erit ergo tunc author iudicij, qui nunc eſt conditor libri: vt tunc diſtrictus exigat, quod modò manſuetus iubet. Sic nanque quotidie conſpicimus, quòd magiſtri pueris elementa literarum blandientes imponunt, ſed hæc ab eis ſæuientes exigunt: & quę dant cum mãſuetudine, cum verbere requirunt. Blanda nanque nunc ſonãt eloquij diuini mãdata, ſed erunt aſpera in exactione ſentienda. Manſueta modò eſt admonitio vocantis, ſed tunc diſtricta ventura eſt iuſtitia iudicis: eo quòd certum eſt, quia nihil vel minimi mãdati ſine diſcuſsione prætereat. Quo videlicet cõſtat, quia librum ſcripſit ipſe qui iudicat. Quem ſcilicet librum noui teſtamenti, A
quia ipſe per ſe humani generis redemptor in extremo conderet, bene Ezechiel propheta denuntiat, dicẽs: Ecce ſex vi- *Ezech.9.*
ri veniebant de via portæ ſuperioris quæ reſpicit ad Aquilonem, & vniuſcuiuſque vas interitus in manu eius. Vir quoque vnus in medio eorum veſtitus lineis, & atramẽtarium ſcriptoris ad renes eius. Quid nanque aliud in ſex viris venientibus, niſi ſex ætates humani generis deſignantur? Qui de via portæ ſuperioris veniunt: quia à conditione paradiſi ſicut ab ingreſſu mundi, à ſuperioribus generationibus euoluuntur. Quæ porta ad Aquilonem reſpicit: quia videlicet mens humani generis vitiis aperta, niſi calorem charitatis deſerens, torporem mentis appeteret, ad hanc mortalitatis latitudinem non exiſſet. Et vniuſcuiuſque vas interitus in manu eius: quia vnaquęque generatio ſingulis quibuſque ætatibus euoluta, ante redemptoris aduentum in ſua operatione habuit, vnde pœnam damnationis ſumpſit. Vir quoque vnus in medio eorum veſtitus lineis: quia redemptor noſter, etiam de ſacerdotali tribũ iuxta carnem parentes habere dignatus, veſtitus lineis venire perhibetur. Vel certè, quia linum de terra, non autem ſicut lana de corruptibili carne naſcitur: quia indumẽtum ſui corporis ex matre Virgine, non autem ex corruptione commixtionis ſumpſit, profectò ad nos veſtitus lineis venit. Et atramentarium ſcriptoris ad renes eius. In renibus poſterior corporis pars eſt. Et quia ipſe Dominus poſtquam pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit, & aſcendit in cœlum, tunc teſtamentum nouum per Apoſtolos ſcripſit, vir iſte atramentarium ad renes habuit. Qui enim ſcripturam teſtamenti noui poſtquã deceſſit condidit, atramentarium quaſi à tergo portauit. Hoc ergo atramentarium viro lineis veſtito inhærere conſiderat, qui dicit: Et librum ſcribat ipſe qui iudicat. Sed cur beate Iob ab eo qui iudex eſt, librum ſcribi deſideras? Sequitur:

Quòd noui teſtamenti librum antiqui ſancti legere deſiderabant, in quo eſt & doctrina perfectorum operum & certitudo præmij poſt completionem præceptorum. Caput XIIII.

VT in humero meo portem illum, & circundem illum quaſi coronam 20.
mihi.) Librum quippe in humero portare, eſt ſcripturam ſacram operando perficere. Vt notandum, quàm ordinatè deſcribitur, & prius in humero portare, & poſtmodum ſicut corona circundari: quia videlicet ſacri eloquij mandata, ſi modò bene portantur in opere, pòſt nobis coronam victoriæ exhibent in retributione. Beatus autem Iob cur ſcribi librum à iudice poſtulat, qui ad teſtamenti noui peruenire tempora non valebat? Sed ſicut ſæpe iam dictum eſt, electorum vocibus vtitur, atque ex eorum ſignificatione poſtulat, quod futurum eis per omnia præuidebat. Ipſe nanque per ſpiritum hunc apud ſe librum iã dudum tenebat, quem per gratiã aſpirationis acceperat, & viuẽdo cognoſcere, & præuidẽdo nuntiare. Sed inter hęc ſciẽdum eſt, quia cùm eiuſdẽ ſacri eloquij præcepta cogitamus, cúmq; mentẽ à vitæ corruptibilis amore diuertimus, quaſi quibuſdã cordis paſsibus ad interiora properamus. Nemo autem infima deſerens, repentè fit ſummus: D
quia ad obtinendũ perfectionis meritũ dum quotidie mẽs in altum ducitur, ad hoc procul dubio velut aſcenſionis cuiuſdã gradibus peruenitur. Vnde hîc quoq; aptè ſubiungitur: *Per ſingulos gradus meos pronuntiabo illum.*) De his quippe meritorum
gradibus per Pſalmiſtã dicitur: Ambulabũt de virtute in vir- *Pſalm.83.*
tutem. De his iterum ſanctã Eccleſiã contemplatus, ait: Deus in gradibus eius dinoſcitur, dum ſuſcipiet eam. Neque enim, ſicut dictum eſt, repentè ad ſumma peruenitur, ſed ad virtutũ celſitudinem per incrementa mens ducitur. Hinc nanque eſt, quòd Propheta idem iterum dicit: Exercitatus ſum, & defecit pauliſper ſpiritus meus. Quid eſt itaq; quod ait: Spiritus meus, niſi ſpiritus hominis, videlicet ſpiritũ elationis? Et quia per occultam gratiam ad amorem Dei temperata deſuper menſura proficimus, quãtò in nobis quotidie de Dei ſpiritu virtus creſcit, tantò noſter ſpiritus deficit. Qui ſpiritus erroris, quia non à nobis ſubitò penitũ amputãt, bene pauliſper deſeciſſe perhibetur. Tũc verò in Deo plenè proficimus, cùm à nobiſipſis funditùs defecerimus. Hæ itaque creſcentium menſurę virtutum, ſancti viri vocibus gradus dicũtur. Electus etenim quiſ-

que à rudimenti ſui prius teneritudine inchoans, ad robuſta
poſtmodum & fortia conualeſcit. Quod apertè in Euangelio
Marc. 4. demonſtrat veritas, dicens: Sic eſt regnum Dei, quemadmodũ ſi iaciat homo ſementem in terram, & dormiat, & exurgat
nocte ac die, & ſemen germinet, & increſcat dum neſcit ille.
Cuius nimirum ſeminis incrementa denuntians, adiungit:
Vltro enim terra fructificat primum herbam, deinde ſpicam,
deinde plenum frumentum in ſpica. Cuius profectus quoque
etiam finem ſubrogat, dicens: Et cùm ex ſe produxerit fructus, ſtatim mittit falcem, quoniam venit tempus meſsis. Ecce veritatis voce per qualitates frugum, diſtincta ſunt incre-
Marc. 14. menta meritorum. Ait enim: Primùm herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica. An non herba, adhuc tunc fuerat Petrus, cùm ab ancillæ ore ſubitò vnius flatu
ſermonis inflexus eſt: iam quidem per deuotionem viridis,
ſed adhuc per infirmitatem tener? Plenum verò frumentum
in ſpica inuentus eſt, quando perſequentibus principibus re-
Act. 5. ſiſtebat, dicens: Obedire oportet magis Deo quàm hominibus. Plenum verò frumentum in ſpica inuentus eſt, quando
in tritura perſecutionis tot verbera pertulit: & tamen nequaquam palearum more imminutus eſt, ſed granum integrum
manſit. Pauliſper quippe in vnaquaque anima, vt ita dicam,
internæ gratiæ humor exuberat, vt herba in frugem creſcat.
Nemo ergo quemlibet proximum, cùm adhuc herbam videt,
de frumento deſperet. Ab herbarum quippe foliis quæ huc
illucq; molliter deſluunt, ſurgentia frugum grana ſolidantur.

21 Bene autem Daniel Propheta loquente ad ſe Domino,
dum poſitionem nobis ſui corporis inſinuare ſtuduit, hęc me-
Daniel. 10. ritorum incrementa ſignauit. Ait enim: Audiui vocem verborum eius, & audiens iacebam conſternatus ſuper faciem
meam, vultuſque meus hærebat terræ. Et ecce manus tetigit
me, & erexit me ſuper genua mea, & ſuper articulos manuum
mearum, & dixit ad me: Daniel vir deſideriorum, intellige
verba quæ ego loquor ad te, & ſta in gradu tuo: nunc enim
miſſus ſum ad te. Cúmque dixiſſet mihi ſermonem iſtum, ſteti tremens, & ait ad me: Noli metuere. Quam videlicet po-
G ſitionem ſui corporis, dum verba intrinſecus loquentis audiret, nequaquam nobis tanta cura exprimeret, ſi à myſteriis vacare cognouiſſet. In ſcriptura enim ſacra iuſti viri non ſolùm
quod dicunt, Prophetia eſt, ſed etiam plerunque quod agunt.
Vir itaque ſanctus internis myſteriis plenus, per poſitionem
quoque corporis exprimit virtutem vocis: & per hoc quòd
primum in terra proſtratus iacuit, ac per hoc quòd ſe poſtmodum in manuum ſuarum articulis & in genibus erexit: per
hoc quod ad extremum erectus quidem, ſed tremens conſiſtit, in ſemetipſo nobis omnem ordinem noſtri profectus innoteſcit. Verba enim Dei in terra iacentes audimus, cùm in
peccatis poſiti, terrenæ pollutioni coniuncti, ſanctorum voce
ſpiritalia præcepta cognoſcimus. Ad quæ præcepta, quaſi ſuper genua & ſuper manuum noſtrarum articulos erigimur,
quia à terrenis contagiis recedentes, quaſi iam ab infimis ventrem leuamus. Sicut enim totus terræ inhæret qui conſternatus iacet: ita qui in genibus, & manuum ſuarum articulis in-
curuatur, inchoante profectu ex magna iam parte à terra ſuſ-
H penditur. Ad extremum verò voce dominica erecti quidem,
ſed trementes aſsiſtimus, cùm à terrenis deſideriis perfectè ſubleuati, verba Dei quo plenius cognoſcimus, plus timemus. Adhuc enim quaſi in terra iacet, qui ad cœleſtia erigi terrenorũ deſideriis negligit. Quaſi ſubleuatus autem adhuc manibus & genibus incumbit, qui quædam iam contagia deſerit, ſed quibuſdam adhuc terrenis operibus non contradicit.
Iam verò ad verba Dei erectus aſsiſtit, qui perfectè mentem
ad ſublimia erigit, & per immunda deſideria incuruari contemnit. Bene autem tremẽtem ſe ſtetiſſe indicat: quia examen
ſubtilitatis internæ quo plus ad illud proficitur, amplius formidatur. Vbi aptè diuina voce ſubiungitur: Noli metuere:
quia cùm plus ipſi quod timeamus agnoſcimus, plus nobis de
Deo per internã gratiam infunditur quod amemus: quatenus
& contemptus noſter pauliſper tranſeat in timorem, & timor
tranſeat in charitatem: vt quia quærenti nos Deo per contemptum reſtitimus, per timorem fugimus, & contẽptu quãdoq;
& timore poſtpoſito, ſolo ei amore iungamur. Pauliſper enim
etiam timorẽ eius diſcimus, cuius ſolius dilectioni inhęremus.

E Appoſitis igitur, quaſi quibuſdam gradibus profectus noſtri,
mẽtis pedem prius per timorem in imo ponimus, & poſtmodum per charitatem ad alta amore leuamus: vt ab eo quo quiſque tumet, reprimatur vt timeat, & ab eo quod iam metuit,
ſubleuetur vt preſumat. Hos autem virtutum gradus non magni laboris eſt prendere, cùm ab vna ad alteram tranſitur. Sed
ſubtiliſsima diſputatione res indiget, cùm mens penſare nititur, in vna eadémque virtute quibus profectus ſui gradibus
eleuetur. Vt enim prima elementa virtutum, fidem ſcilicet &
ſapientiam loquar, obtineri ſingula perfectè nequeunt, niſi
ad hæc diſtinctis, ordinatiſque modis quaſi quibuſdam gradibus aſcendamus. Ipſa enim fides quæ ad bona alia perfectè
capeſſenda nos imbuit, plerunque in exordiis ſuis, & * nutat,
& ſolida eſt, & iam certiſsimè habetur: & tamen de eius fiducia adhuc ſub dubitatione trepidatur. Pars nanq; eius prius
accipitur, vt in nobis poſtmodum perfectè compleatur. Si enim certo gradu in credentis mente non proficeret, requiſitus
F in Euangelio pater ſanandi pueri non dixiſſet: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Adhuc ergo aſcendebat ad
fidem quam iam perceperat, qui vno eodémque tempore clamabat ſe & iam credere, & adhuc incredulitate dubitare. Hinc
eſt etiam, quod Redemptori noſtro à Diſcipulis dicitur: Auge nobis fidem: vt quæ iam accepta per initium fuerat, quaſi
per augmẽta graduum ad perfectionem veniret. Ipſa quo-
22 que ſapientia quæ eſſe bonorum operum ſolet magiſtra, anhelanti menti per incrementa tribuitur: vt ad eam proculdubio magni moderaminis gradibus aſcendatur. Quòd bene
Ezechiel Propheta figurata narratione denuntiat, qui de eo
viro quem in excelſo monte viderat, narrat dicens: Menſus Ezech. 47.
eſt cubitos mille, & tranſduxit me per aquam vſque ad talos.
Rurſumque menſus eſt mille, & tranſduxit me per aquam vſque ad genua. Et menſus eſt mille, & tranſduxit me per aquam vſq; ad renes. Et menſus eſt mille, & tranſduxit me per
torrentem, quem non potui pertranſire, quoniam intumuerunt aquæ profundæ torrentis, qui non poteſt tranſuadari.
G Quid nanque millenario numero, niſi collati muneris plenitudo ſignatur? Vir itaque qui apparuit, mille cubitos metitur,
& Propheta per aquas vſque ad talos ducitur: quia Redemptor noſter cùm nobis ad ſe conuerſis boni exordij plenitudinem tribuit, dono ſpiritalis ſapientiæ, prima noſtri operis veſtigia infundit. Aquam quippe vſque ad talos venire, eſt iam
nos per acceptam ſapientiam deſideratę rectitudinis veſtigia
tenere. Qui rurſum mille metitur, & Propheta vſque ad genua per aquam ducitur: quia cùm boni operis plenitudo tribuitur ad hoc vſque noſtra ſapientia augetur, vt in prauis iam
actibus minimè flectatur. Hinc nanque per Paulum dicitur: Heb. 18.
Remiſſas manus, & diſſoluta genua erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris. Aqua ergo ad genua peruenit, cùm nos
percepta ſapiẽtia, perfectè ad boni operis rectitudinem ſtringit. Qui iterum metitur mille, & Propheta per aquam vſque
ad renes ducitur: quia videlicet tunc in nobis plenitudo operis excreſcit, quando in nobis percepta ſapientia omnem quoque, inquantum eſt poſsibile, delectanem carnis extinxerit.
H Niſi enim carnis delectatio eſſet in renibus, Pſalmiſta minimè Pſalm. 25.
dixiſſet: Vre renes meos & cor meum. Aqua igitur ad renes
venit, cùm dulcedo ſapientiæ, etiam incentiua carnis interimit: vt ea quæ vrere mentem poterant, delectationis incendia frigeſcant. Qui adhuc menſus eſt mille, torrentem videlicet quem Propheta pertranſire non potuit, de quo etiam dicit: Quoniam intumuerunt aquæ profundæ torrentis, qui non
poteſt tranſuadari. Percepta nanque perfectione operis, ad
contemplationem venitur. In qua ſcilicet contemplatione,
dum mens in altum ducitur, ſubleuata videt in Deo: quia non
poteſt penetrare quod videt: & quaſi tangit aquam torrentis
quam pertranſire non valet: quia & intuetur ſpeculando quod
libeat, & tamen hocipſum perfectè non valet intueri quod libet. Propheta ergo quandoque ad aquam peruenit, quam
non pertranſit: quia ad contemplationem ſapientiæ cùm ad
extremum ducimur, ipſa eius immenſitas quæ ex ſe hominem
ſubleuat, ad ſe humano animo plenam cognitionem negat:
vt hanc & tangẽdo amet, & tamen nequaquam pertranſeundo penetret. Beatus igitur Iob hæc incrementa virtutum: quia
diſtinctè hominibus ſuperno munere tribui cõſpexit, gradus
vocauit:

* al. & nota & ſolida certiſsimè habetur.

Marc. 9.

vocauit: quoniam per ipſa aſcenditur, vt ad cœleſtia obtinẽda veniatur. Sacri itaque libri, id eſt, diuini eloquij memoriã
faciem dicit: Per ſingulos gradus meos pronuntiabo illum:
quia nimirum ille ad doctrinam Dei veraciter aſcendit, qui
ad obtinendam hanc gradibus ſanctæ operationis eruperit.
Et quaſi per ſingulos gradus ſuos librum pronuntiat, qui per
cepiſſe ſe eius ſcientiam non per verba tantummodo, ſed etiã per opera demõſtrat. Vnde adhuc ſubditur: Et quaſi principi offeram eum.) Omne enim quod offerimus, in manibus
tenemus. Venienti ergo ad iudicium principi librum offerre,
eſt verba præceptorum illius in actione tenuiſſe. Sequitur:

Quòd aduerſus præpoſitos Eccleſiæ, terra clamat cum ſulcis ſuis, quando deeſſe ſibi doctrinæ ſeminarium ſubditi conqueruntur, vel cùm eis à prælatis peccati exempla monſtrantur.

Caput XV.

A *Si aduerſum me terra mea clamat, & cum ipſa ſulci eius deflent: &*
ſi fructus eius comedi abſque pecunia, & animam agricolarum e-
23.] B *ius afflixi, pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo ſpina.*)
Quid eſt clamare terram, deflere ſulcos, & fructus proprios
emendo comedere? Cui vnquam neceſſe eſt ſua emere? Quis
clamantem audiuit terram? Quis ſulcos deflentes vidit? Et
cùm ſulci terræ ſemper ex terra ſint, quid eſt quòd pronuntiatione diſtincta, & clamaſſe terra, & ſulci eius cum ea deflesse denegantur? Cùm enim nihil ſit aliud ſulcus terræ quàm
terra, magnæ diſtinctionis ratione non caret, dum ſubiungit:
Et cum ea ſulci eius deflent. Qua videlicet in re, quia ordo
hiſtoriæ deficit, ſeſe nobis intellectus myſticus, quaſi apertis
iam foribus oſtendit. Ac ſi patenter clamet: Quia rationem
literæ deſeciſſe cognoſcitis, nimirum reſtat, vt ad me ſine dubitatione redeatis. Omnis enim qui vel priuato iure domeſticam familiam regit, vel pro vtilitate communi fidelibus plebibus præeſt: in hoc quòd iura regiminis in commiſsis ſibi fidelibus poſsidet, quid aliud quàm terrã incolendã tenet? Ad
hoc quippe diuina diſpenſatione cæteris vnuſquiſque præ-
C ponitur, vt ſubiectorum animus quaſi ſubacta terra prædicationis illius ſemine fœcundetur. Sed terra contra poſſeſſorẽ
clamat, ſi contra eum qui ſibi præeſt, aliquid iniuſtum, vel
priuata domus, vel ſancta Eccleſia murmurat. Clamare quippe terram eſt, contra regentis iniuſtitiam rationabiliter ſubiectos dolere. Vbi rectè ſubiungitur: *Et cum ea ſulci eius deflent.*)
Terra enim etiam nullis operibus exculta, plerunque ad vſum hominis aliquod alimentum profert, exarata verò fruges
ad ſatietatem parit. Et ſunt nonnulli qui nullo † lectionis,
nullo exhortationis vomere proſciſsi, quædam bona, quanuis minima, tamen ex ſemetipſis proferunt, quaſi terra necdum exarata. Sunt verò nonnulli qui ad audiendum ſemper,
atque retinendum ſanctis prædicationibus ac meditationibus intenti, à priori mentis duritia, quaſi quodam linguæ vomere ſciſsi, ſemina exhortationis accipiunt, & fruges boni operis per ſulcos voluntariæ afflictionis reddunt. Sæpe verò
contingit, vt hi qui præſunt, iniuſta aliqua faciant: fitque vt
ipſi ſubiectis noceant, qui prodeſſe debuerant. Quæ dum rudes quique conſpiciunt, commoti contra rectorem murmurant,
nec tamen valde proximis per compaſsionem dolent.
Cùm verò hi qui iam aratro lectionis attritti ſunt, atque ad
frugem boni operis exculti, grauari, vel in minimis innocentes aſpiciunt, per compaſsionem protinus ad lamenta vertuntur: quia velut ſua plangunt ea quæ proximi iniuſtè patiuntur. Perfecti nanque cùm ſemper de ſpiritalibus moueãtur, tantò ſciunt de alienis corporalibus damnis ingemiſcere,
quantò iam edocti ſunt non dolere de ſuis. Omnis ergo qui
præeſt, ſi peruerſa in ſubditis exercet, contra hunc terra clamat, & ſulci deflent: quia contra eius iniuſtitiam rudes quidem populi in murmurationis vocibus erumpunt, ſed perfecti quique pro prauo eius opere ſe in fletibus affligunt: quòdque imperiti clamant, & dolent, hoc probatioris vitæ ſubiecti deflent & tacent. Cum clamante ergo terra ſulcos plangere, eſt per hoc vnde multitudo fidelium iuſtè contra rectorem queritur, vberioris vitæ homines ad lamenta peruenire. Sulci itaque & ex terra ſunt, ſed tamen à terræ vocabulo diſtinguuntur: quia hi qui in ſancta Eccleſia mentem ſuam

† al. locutionis.

A † labore ſanctæ meditationis excolunt, cæteris fidelibus tantò meliores ſunt, quantò per accepta ſemina fœcundiores o-
perum fruges reddunt. Et ſunt nonnulli qui ſanctis plebibus
prælati, vitæ quidem ſtipendia ex Eccleſiaſtica largitate conſequuntur, ſed exhortationis miniſteria debita non impendunt. Contra quos adhuc exemplum ſancti viri rectè ſubiungitur, cùm ab eo protinus ſubinfertur:

† al. labore ac remedij actionibus excolunt.

Quòd abſque pecunia fructus Eccleſiæ comedit, qui Eccleſiaſtica commoda accipiens, prædicationis debitum non impendit.

Caput XVI.

Si fructus eius comedi abſque pecunia.) Fructus etenim terræ
abſque pecunia comedere, eſt ex Eccleſia quidẽ ſumptus
accipere, ſed eidem Eccleſiæ prædicationis precium nõ præbere. De qua videlicet prædicatione authoris voce dicitur:
Oportuit te committere pecuniam meam numularijs: & ve- Matth. 25.
niens ego recepiſſem vtique quod meũ erat cum vſura. Terrę
igitur fructus abſque pecunia comedit, qui Eccleſiaſtica
commoda ad vſum corporis percipit, ſed exhortationis miniſterium populo non impendit. Quid ad hæc nos paſtores
dicimus, qui aduentum diſtricti iudicis præcurrentes, officiũ
quidem † præconis ſuſcipimus, ſed alimenta Eccleſiaſtica muti manducamus? Exigimus quod noſtro debetur corpori, ſed † al. prædicationis.
non impendimus quod ſubiectorum debemus cordi. Ecce
vir ſanctus tot in hoc ſeculo pignoribus obſtrictus, inter occupationes innumeras, liber ad ſtudium prædicationis fuit.
Qui fructus terræ nunquam ſine pecunia comedit: quia nimirum ſubditis verbum honæ admonitionis reddidit, à quibus
fructus corporeę ſeruitutis accepit. Hoc nanque debet omnipotenti Deo omnis qui præeſt populo, hoc qui multis, hoc
qui paucioribus præeſt: vt ſic debita miniſteria à ſubditis exigat, quatenus ſubditis ipſe etiam quid ſemper admonitionis
debeat, ſollicitus attendat. Omnes nanque qui ſub diſpenſatione conditoris vicario nobis miniſterio iungimur, ſub vno
ac vero domino: quid nobis aliud niſi inuicem ſerui ſumus?
Cùm igitur is qui ſubeſt, ſeruit ad obſequium: reſtat proculdubio, vt is qui præeſt, ſeruiat ad verbum. Cùm is qui ſubeſt,
C iuſsis obtemperat: oportet vt is qui præeſt, curam ſollicitudinis ac pietatis impendat. Sícque fit, vt dum ſtudioſè nunc ſeruire nobis inuicem per charitatem nitimur, quandoque cum
vero domino communi exultatione dominemur. Sed ſunt 24.
nonnulli qui in eo quòd officium prædicationis exhibent,
aliis inuident bonum quod habent, atque ideo iam veraciter
non habent. Quibus rectè per Iacobum dicitur. Quòd ſi ze- Iaco 3.
lum amarum habetis inter vos, & contentiones ſunt in cordibus veſtris: non eſt iſta ſapientia deſurſum deſcẽdens, ſed terrena, animalis, diabolica. Vnde hic quoque cùm dictum eſt:
Si fructus eius comedi abſque pecunia: rectè ſubiungitur: *Et animam agricolarum eius afflixi.*) Agricolæ quippe huius terræ
ſunt hi qui minori loco poſiti, quo valent zelo, quãto poſſunt
opere, ad eruditionem ſanctæ Eccleſiæ in prædicationis gratia cooperantur. Quos videlicet terrę huius agricolas, hoc eſt
non affligere, eorum laboribus non inuidere: ne rector Eccleſiæ dum ſoli ſibi ius prædicationis vindicat, etiam aliis rectè
D prædicantibus inuidia ſe mordente contradicat. Pia etenim
paſtorum mens, quia non propriam gloriã, ſed authoris quærit, ab omnibus vult adiuuari quod agit. Fidelis nanque prædicator optat, ſi fieri valeat, vt veritatem quam ſolus loqui nõ
fuſſicit, ora cunctorum ſonent. Vnde cum Ioſue duobus in
caſtris remanentibus atque prophetantibus vellet obſiſtere:
rectè per Moyſen dicitur: Quid æmularis pro me? Quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus ſpiri- Nume. 12.
tuum ſuum? Prophetare quippe omnes voluit, qui bonũ quod
habuit, aliis non inuidit. Quia igitur beatus Iob cuncta hæc
ſuſpenſa intulit, & ſi ea minimè fecerit, ſententia ſe maledictionis adſtringit. Sequitur:

Quòd contra negligentes præpoſitos, non immeritò à ſubditis murmuratur.

Caput XVII.

Pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo ſpina.) Ac ſi apertè dicat: Si iniuſtum quid erga ſubditos geſsi, ſi exegi
debita, & ipſe quod debui, non impendi, ſi exercitationem
boni operis aliis inuidi: pro bonis quæ in æternum reficiunt,

retribuantur mihi in iudicio mala quę pungunt. Pro frumento quippe tribulus, & pro hordeo ſpina oritur, cùm in retributione vltima, de qua remuneratio laboris quæritur, punctio doloris inuenitur. Et notandum quòd ſicut à frumento hordeum diſtat, quanuis vtrunque reficiat: ſic à tribulo ſpina, quanuis ſit vtrunque quod pungat: quia tribulus mollior, & ad pungendum ſemper durior eſt ſpina. Ait ergo: *Pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo ſpina.*) Ac ſi patenter dicat: Egiſſe quidem & magna me bona, & minima ſcio: ſed ſi non ita eſt, pro bonis magnis mala minima, & pro bonis minimis mihi reſpondeant mala maiora. Quanuis hoc intelligi & aliter poteſt. In frumẽto quippe ſpiritale opus quod mentem reficit: in hordeo autem terrenarum rerum diſpenſatio figuratur. In qua ſæpe dum ſeruire infirmis atque carnalibus cogimur, quaſi ſua iumentis alimenta præparamus, atque ipſe noſtrorum vſus operum quaſi more hordei habet aliquid de admixtione palearum. Et plerunque contingit, vt rector qui præeſt, dum iniuſta contra ſubditos exercet, dum nullo bonos blandimento refouet, dum quod grauius eſt, bene operantes quouſque ex inuidia affligit, etiam quædam bona aliquando faciat, ac ſi frumentum ſerat, ſeſéque in diſpenſandis terrenis rebus nonnunquam in auaritiæ ſtudio, pro vtilitate carnalium miſceat: & ſic eiuſdem laboris fructum velut meſſem hordei expectet. Sed ſubiecti quique pro eo quòd in maximis grauantur, gaudere in eius bonis minimis nequeunt: quia nec hoc opus coram Deo placet quod alterius operis iniuſtitia polluit, nec ipſa terrenarum rerum diſpenſatio pro vtilitate ſubditorum ſuſcipi creditur, quando is qui præeſt, anhelare per auaritiam videtur. Vnde fit vt ad ipſa etiam pauca bona quæ fieri inter multa mala conſiderant, non laudes, ſed gemitus reddant, atque infirmantes murmurent: dum perpendunt puri operis non eſſe quod vident. Ait ergo: *Si aduerſum me terra mea clamat, & cum ipſa ſulci eius deſtent: ſi fructus eius comedi abſque pecunia, & animam agricolarum eius afflixi, pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo ſpina.*) Ac ſi apertè dicat: Si magna quæ debui, ſollicitè non feci, punctiones murmuris à ſubiectis recipiam, etiam de bono quod feci. Si neglexerim exhibere quod foueat, iuſtè in querelam proſiliẽs eorum lingua me pungat. Qua in re ſemper ſollicita conſideratione penſandum eſt, ne aut hi qui præſunt, exempla mali operis ſubiectis præbeant, eorúmque vitam ſuæ gladio prauitatis extinguant: aut hi qui alieno regimini ſubiacent, facilè iudicare audeant facta rectorum, atque per hoc quod de his qui ſibi prælati ſunt, murmurant, non humano, ſed ei qui cuncta diſponit, diuino ordini contradicant. Illis nanque dicitur: Oues meæ his quæ conculcata pedibus veſtris fuerant paſcebantur, & quæ pedes veſtri turbauerant, hæc bibebant. Oues enim turbatâ pedibus bibunt, cùm ſubiecti ea ad exemplum viuendi appetunt, quæ prælati quique prauo opere peruertunt. At contrà à prælatis hi audiunt: Nos enim quid ſumus? Nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra dominum. Qui enim contra ſuperpoſitam ſibi poteſtatem murmurat, liquet quòd illum redarguit, qui eandem homini poteſtatem dedit. Tandem beati Iob plenas myſtica virtute ſententias, in quibus contra amicorum verba reſpondit, Deo largiente digeſimus, nunc ſupereſt vt ad Heliu verba veniamus, quæ tantò grauiori circunſpectione penſanda ſunt, quantò & per iuuentutis audaciam ſpiritu feruentiore proferuntur.

Ezech. 34.

Exod. 16.

Libri viceſimiſecundi Moralium ſancti Gregorij, totius operis partis quartæ, finis.

B. GREGORII EXPOSITIONIS MORALIS LIBER VIGESIMVSTERTIVS, & totius operis pars quinta.

Caput I.

PRæfationem huiùs operis toties neceſſariò repeto, quoties hoc in diſtinctione voluminum locutionis meæ pauſatione ſuccido: vt cùm legendi exordium ſumitur, prius ipſa memoriæ lectionis cauſa renouetur, & tantò robuſtius ſurgat doctrinæ ædificium, quantò ex conſiderata cauſæ origine ſtudioſius ponitur in mente fundamentum. Beatus Iob deo ſoli ſibíque cognitus, in tranquillitate ad noſtram notitiam perducendus, tactus eſt verbere, vt odorem ſuarum virium tantò latius ſpargeret, quantò more aromatum melius ex incenſione fragraret. Nouerat in bonis piè ſubditos regere, à malis ſe diſtrictè cuſtodire. Nouerat bene vti rebus habitis, ſed neſciebamus ſi patiens permaneret ablatis. Nouerat quotidiana Deo pro ſanis pignoribus ſacrificia ſoluere, ſed incertum erat ſi ei gratiarum ſacrificium & orbatus immolaret. Ne quid ergo vitij ſalus tegeret, dignum fuit vt hoc dolor aperiret. Data itaque eſt cõtra ſanctum virum hoſti callido tentandi licentia. Qui dum bona eius multis cognita interimere appetit, etiam bonum patientiæ quod latebat oſtendit: & quem ſe anguſtare perſequendo credidit, flagellis auctum, & in exemplo dilatauit. Nec ſine graui arte exercuit licentiam quam accepit combuſit greges, extinxit familias, obruit hæredes, percuſit ſalutem corporis, & ad intorquendum grauioris tentationis iaculum, linguam ſeruauit vxoris: quatenus ſancti viri forte ac ſolidũ pectus, & per damna rerum dolore ſterneret, & per verba coniugis maledictione perforaret. Sed quot vulnera ſequens intulit, tot ſancto viro neſciens victorias miniſtrauit. Nam fidelis Dei famulus, vno eodémque tempore inter vulnera, & verba deprehenſus, & dolentem carnem æquanimiter pertulit, & deſipientem coniugem prudenter increpauit. Antiquus itaque hoſtis, quia vinci ſe in domeſticis doluit, protinus exteriora requiſiuit. Amicos nanque eius de locis ſingulis, quaſi pro exercenda charitate commouit, eorúmque ora ſub ſpecie conſolationis aperuit: ſed per hæc iacula increpationis intorſit, quæ eò durius cor ſecurè audientis infigerent, quò inter oſtenſæ, & non ſeruatæ charitatis tenebras improuisè vulnerarent. Poſt hos quoque ad contumelias etiam Heliu iunior excitatur, vt tranquillitatem tantæ manſuetudinis ſaltem dedignata leuitas perturbaret ætatis. Sed contra antiqui hoſtis machinas ſtetit inuicta cõſtantia, ſtetit æquanimitas infracta. Nam vno eodémq; tempore verbis aduerſantibus oppoſuit prudentiam, rebus vitam. Nemo igitur ſanctũ virum quanuis de illo apertè poſt flagella ſcriptum ſit: In omnibus his non peccauit Iob labiis ſuis: ſaltem poſtmodũ in contentione amicorum æſtimet inter verba deliquiſſe. Satã quippe tentationẽ illius expetiit, ſed Deus qui hunc laudauerat, in ſeipſo eius intentionẽ certaminis accepit. Quiſquis ergo beatũ Iob deliquiſſe in ſuis ſermonibus queritur, quid aliud quã Deum qui pro illo propoſuit, perdidiſſe confitetur? Quia verò antiqui patres fructiferis arboribus ſimiles, nõ ſolum pulchri ſunt per ſpeciem, ſed etiam vtiles per vbertatem: ſic eorum vita penſanda eſt, vt cùm miramur quæ ſit viriditas in hiſtoria, inueniamus & quanta ſit vbertas in allegoria: quatenus cùm blandũ eſt quod in foliis redolet, cognoſcam⁹, & quàm dulce ſit quod in fructib⁹ ſapit. Nullus quippe ſuperne adoptionis gratiam habuit, niſi qui hanc per cognitionem vnigeniti accepit. Dignum itaq; eſt vt ipſe in eorum vita & lingua reſplendeat, qui eos vt reſplẽdere mereantur, illuſtrat. Nã cùm in tenebris lucernę lumen accẽditur, prius lucerna eadẽ quæ videri cętera efficit videtur. Vnde neceſſe eſt vt ſi verè intẽdimus

Antiquus hoſtis, amicos Iob de locis ſingulis commouit.

dimus illuminata cernere, ſtudeamus mẽtis oculos ad ipſum illuminans lumen aperire. Quod & in eiſdem beati Iob ſermonibus etiam remotis allegoriarum vmbris, quaſi depreſſis altæ noctis tenebris coruſci more pertranſeuntis intermicat, cùm dicitur: Scio quòd redemptor meus viuit, & in carne mea videbo Deum. Hoc nimirum in nocte hiſtoriæ Paulus lumen inuenerat, cùm dicebat: Omnes in Moyſe baptizati ſunt, in nube & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritalem mãducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberũt. Bibebant autẽ de ſpiritali cõſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus. Si igitur Redẽptoris ſpeciẽ petra tenuit, cur nõ figuram illius beatus Iob inſinuet, qui cum quẽ voce prætulit, etiam paſsione ſignauit? Vnde & nõ immeritò, Iob videlicet dolens dicitur, quia illius in ſe imaginẽ exprimit, de quo per Eſaiã longè antè annuntiatur, quòd dolores noſtros ipſe portauit. Sciẽdũ quoq; eſt, quòd Redẽptor noſter vnã ſe perſonam cum ſancta Eccleſia quam aſſumpſit exhibuit. De ipſo enim dicitur: Qui eſt caput, Chriſtus. Rurſũmque de eius Eccleſia ſcriptum eſt: Et corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia. Beatus igitur Iob qui mediatoris typũ eò verius tenuit, quò paſsionem illius non loquendo tantummodo, ſed etiã patiendo prophetauit, cùm in dictis factiſque ſuis expreſsioni Redemptoris innititur, repente ad ſignificationem corporis aliquãdo deriuatur: vt quò Chriſtum & Eccleſiã vnam perſonam credimus, hoc etiam vnius perſonę actibus ſignificari videamus. Vxor verò eius quæ eum ad maledicendum prouocat, quid aliud quàm prauitatem carnalium ſignat? Qui intra ſanctam Eccleſiam incorrectis moribus poſiti, cò durius vitam fidelium, quò vicinius premunt: quia dum vitari à fidelibus quaſi fideles nequeunt, tantò grauius, quãtò & interius tolerantur. Amici verò eius qui quaſi dum conſulunt inuehuntur, hæreticorum figuram exprimunt, qui ſub ſpecie conſulendi, agunt negotium ſeducendi. Vnde & ad beatum Iob dum pro Domino verba faciunt, à Domino reprobantur: quia videlicet omnes hæretici dum Deum defendere nituntur, offendunt. Vnde eis aptè & ab eodem viro ſancto dicitur: Diſputare cum Deo cupio, prius vos oſtendens fabricatores mendacij, & cultores peruerſorum dogmatum. Conſtat ergo eos hęreticorum typum gerere, quos ſanctus vir redarguit cultui peruerſorum dogmatum deſeruire. Quia igitur Iob interpretatur dolens, quo nimirum dolore, vel mediatoris paſsio, vel ſanctæ Eccleſiæ labor exprimitur, quæ multiplici præſentis vitæ fatigatione cruciatur, amici quoque eius ex vocabulo nominis meritum ſuæ indicãt actionis. Nam Eliphas Latina lingua dicitur Dei contemptus. Et quid aliud hæretici faciunt, niſi quòd dum falſa de Deo ſentiunt, eum ſuperbiendo contemnunt? Baldath interpretatur vetuſtas ſola. Bene autem omnes hæretici in his quæ de Domino loquuntur, dum non intentione recta, ſed appetitione temporalis gloriæ videri prædicatores appetunt, vetuſtas ſola nominantur. Ad loquendum quippe non zelo noui hominis, ſed vitæ veteris prauitate concitantur. Sophar quoque Latino ſermone dicitur diſſipatio ſpeculæ, vel ſpeculationem diſſipans. Mentes nanque fidelium ad contemplanda ſuperna ſe erigunt, ſed dum hæreticorum verba peruertere recta contemplantes appetunt, ſpeculam diſſipare conantur. In tribus itaque amicorum Iob nominibus, tres in hæreticis perditionum caſus exprimuntur. Niſi enim Deum contemnerent, nequaquam de illo peruerſa ſentirent: & niſi vetuſtatem contraherent, in nouę vitę intelligentia non errarent: & niſi ſpeculationem bonorum deſtruerẽt, nequaquam eos ſuperna iudicia tam diſtricto examine pro verborum ſuorum culpa reprobrarent. Contemnẽdo igitur Deum, in vetuſtate ſe retinent, ſed in vetuſtate ſe retinendo, prauis ſuis ſermonibus ſpeculationi rectorum nocent. Poſt hos quoque Heliu iunior in beati Iob exprobratione ſubiungitur, ex cuius perſona videlicet ſpecies quorundam doctorum fidelium, ſed tamen arrogantium deſignatur. Cuius verba nõ facilè intelligimus, niſi ea ex ſubſequenti dominica correptione pẽſemus. Ait nanque de illo Dominus: Quis eſt iſte inuoluens ſentẽtias ſermonibus imperitis? Cùm verò dicit ſentẽtias, ſed non addit protinus quales, vult proculdubio bonas intelligi. Nã cùm ſententię nominantur, niſi etiam malè dicantur, malæ ſentiri non poſſunt. In bono enim ſemper ſententias accipimus, quæ ſine reprobationis adiectione pronuntur, ſicut ſcriptum eſt: Sapientior ſibi videtur piger, ſeptẽ viris loquentibus ſentẽtias. Quòd verò dicitur, quia eius ſententiæ imperitis ſermonibus inuoluuntur, hoc ſummopere oſtenditur, quia ab eo cum elationis fatuitate proferuntur. Magna quippe in eo imperitia eſt, humiliter dicere neſcire quod dicit: & veritatis ſenſib⁹ elationis verba miſcere. Omne enim quod dicit, quadripertita poteſt qualitate diſtinguí: ſi aut mala malè, aut bona bene, aut mala bene, aut bona malè dicantur. Malè enim malum dicitur, cùm res peruerſa ſuadetur, ſicut ſcriptum eſt: Benedic Deo, & morere. Bonum bene dicitur, cùm rectè recta prædicantur, ſicut Ioannes ait: Agite pœnitentiam, appropinquauit enim regnum cœlorum. Malum bene dicitur, quando per os dicentis idcirco vitium exprimitur, vt reprobetur, ſicut Paulus ait: Fœminæ eorum immutauerunt naturalem vſum, in eum qui eſt contra naturam. Quo loco execranda quoque virorum facinora ſubdidit: ſed honeſtè in honeſta narrauit, vt multos ad honeſtatis formam in honeſta narrãdo reuocaret. Malè autẽ bonum dicitur, cùm rectum aliquid recto ſtudio nõ profertur, ſicut illuminato cęco Phariſæi dixiſſe perhibentur: Tu ſis diſcipulus eius. Quod maledictionis vtique dixerunt ſtudio, nõ orationis voto. Vel ſicut Caiphas ait: Expedit vnum hominem mori pro populo, vt non tota gens pereat. Bonum quippe, ſed non bene locutus eſt: quia dum crudelitatem necis appetiit, redemptionis gratiã prophetauit. Hoc igitur modo Heliu quoque dicere nõ bene bona reprehẽditur: quia in his quę veraciter loquitur, arrogãter inflatur. Qui in eo ſpeciem arrogantiũ ſignat, quo per ſenſum rectitudinis in tumoris verba ſe eleuat. Sed quid eſt quòd tres amicos recõciliari per ſeptem ſacrificia diuina vox prącipit. Heliu verò ſub vnius tantũmodo ſententiæ increpatione derelinquit, niſi quòd nonnunquã hæretici diuinæ gratiæ largitate perfuſi, ad vnitatem ſanctæ Eccleſiæ redeunt? Quod bene ipſa amicorum reconciliatione ſignatur, pro quibus tamen beatus Iob exorare præcipitur: quia nimirum hæreticorum ſacrificia accepta Deo eſſe non poſſunt, niſi pro eis vniuerſalis Eccleſiæ manibus offerantur: vt eius meritis remediũ ſalutis inueniant, quam verborum ſuorum iaculis impugnando feriebant. Vnde & ſeptem pro eis ſacrificia memorantur oblata: quia dum ſeptiformis gratię ſpiritum confitentes accipiunt, quaſi ſeptem oblationibus expiantur. Hinc in Ioannis Apocalypſi per ſeptenarium Eccleſiarum numerum, vniuerſalis Eccleſia deſignatur. Hinc per Salomonẽ de ſapiẽtia dicitur: Sapientia ædificauit ſibi domũ, excĩdit columnas ſeptem. Ipſo ergo ſacrificiorum numero reconciliati hæretici, quid prius fuerint exprimunt, qui perfectioni ſeptiformis gratiæ non niſi redeundo iunguntur. Bene autem tauros pro ſe & arietes obtuliſſe deſcribuntur. In tauro quippe ceruix ſuperbiæ, in ariete autem ducatus gregum ſequentium deſignatur. Quid itaque eſt pro eis tauros arietęſque mactare, niſi eorum ſuperbum ducatum interficere, vt de ſe humilia ſentiant, & poſt ſe corda innocentium iam non ſeducant? Ceruice enim tumenti ab Eccleſiæ vniuerſitate reſilierant, & infirmos poſt ſe populos, quaſi ſequentes greges trahebant. Veniant igitur ad beatum Iob, id eſt, reuertantur ad Eccleſiam, & ſeptenario ſacrificio tautos, & arietes mactandos offerant: quia vt vniuerſali Eccleſiæ coniungãtur, humilitate interueniente interficiant quicquid prius tumidum de ſuperbo ducatu ſapiebant.

Heu verò per quem vanæ gloriæ amatores ſignati ſunt, etiam intra ſanctam Eccleſiam conſtituti, qui ea quæ rectè ſentiunt, humiliter proferre contemnunt, nequaquam per ſacrificium reconciliari præcipitur: quia arrogantes quidem, ſed tamẽ fideles, pro eo quòd iam intus ſunt, per ſeptẽ ſacrificia reuocari non poſſunt. Quos tamen ſub Heliu ſpecie ſententia diuina redarguit, atque in eis non veritatis ſententias, ſed elationis mentem ac verba tumida reprehendit. Quæ nimirum reprehenſio quid aliud ſignat, niſi quòd cos intrà poſitos ſupernæ diſtrictionis increpatio, vel per flagellum corrigit, vel per iuſtum examen ſibimetipſis relinquit? Tales quippe intra ſanctam Eccleſiam recta quidem prædicant, ſed tamen Deo iudice audire merentur aduerſa: quia per ea bona quæ non propria proferunt, non authoris ſui gloriam, ſed propriam

1. Cor. 10.

Eſaiæ 53.

Ephe. 1. Coloſ. 1.

Ordo tentationis Iob breuiter comprehenſus.

Prouer. 26.

Matth. 3.

Rom. 1.

Ioan. 9.

Ioan. 11.

Apocal. 1.

Prouer. 9.

laudem quærunt. Vnde hoc quoque cautè pensandum est, quod diuina voce de Heliu dicitur: Quis est iste? Prima quippe exprobatio, est talis interrogatio. Nam quis est iste nõ dicimus, nisi de eo vtique quem nescimus. Nescire autem Dei, reprobare est: vnde quibusdam quos reprobat, in fine dicturus est: Nescio vos vnde sitis, discedite à me omnes operarij iniquitatis. Quid est ergo de hoc arrogãte requirere, quis est iste, nisi apertè dicere: Ego arrogantes nescio, id est, eorũ vitam in sapientię meæ virtute non approbo: quia laudibus humanis dum inflãtur, à vera gloria æternæ retributionis inanescunt. Cuius dum sententias minimè respuit, sed tamen eũ ipsum qui illas protulit reprehendit, quasi apertè insinuat dicens: Noui quæ dicit, sed ignoro qui dicit: quia veraciter prolata approbo, sed eũ qui de bonis quæ profert extollitur, non agnosco. Vt verò apertius ostendamus in elationis iactantia Heliu quàm turpiter defluat, formã prius ostẽdere boni prædicatoris debemus, quatenus ex statu huius rectitudinis, mõstretur liquidò tortitudo quàm praua sit incuruationis. Sanctæ vniuersalis Ecclesiæ spiritalis quisque prædicator, in cũctis quæ dicit, solerti curã se inspicit: ne in eo quòd recta prædicat, vitio se elationis extollat, ne vita à lingua discordet, ne pacem quam in Ecclesia annuntiat, in seipso dum bene dicit, & malè viuit, amittat. Sed studet summopere contra maledicos rumores aduersantiũ, & defendere loquẽdo quod viuit, & ornare viuendo quod dicit. Nec in his omnibus suam, sed authoris gloriam quærit: atq; omnẽ sapientiæ gratiam quam vt loqueretur accipit: non suis se æstimat meritis, sed eorum intercessionibus pro quibus loquitur accepisse. Sicq; dum se infrà deiicit, superest, quia suæ nimirum magis mercedi proficit, eo quòd bona quę exercere prętualet, alienis meritis reddit. Indignũ se omnibus iudicat, etiam cùm dignius cũctis viuat. Scit enim quòd bona quę innotescunt hominibus, sine periculo esse vix possunt. Et quãuis sapientem se esse sentiat: vellet tamen esse sapiens, nõ videri, atq; hoc sibi omnimodo quod loquendo proditur pertimescit, & si liceat, tacere appetit, dum esse multis tutius silentium cernit: eósque se fœliciores putat, quos intra sanctã Ecclesiã locus inferior per silentium occultat: & tamen vt sanctam Ecclesiam defendat, quia ad loquendũ vi charitatis impellitur, ex necesitate quidem officium locutionis suscipit, sed ex magno desiderio otium taciturnitatis quærit. Hoc seruat voto, illud exercet ministerio. Hanc autem dicendi formulã arrogantes ignorant. Neque enim loquuntur, quia causæ eueniunt, sed causas euenire appetunt vt loquantur. Quorum nunc Heliu speciem signat, qui in locutione sua immenso se vitio elationis exaltat. Igitur finitis beati Iob sermonibus subditur:

Luc. 13.

Caput trigesimumsecundum beati Iob.

Miserunt autem tres viri isti respondere Iob, eo quòd iustus sibi videretur. Et iratus indignatúsque est Heliu filiº Barachel Buzites, de cognatione Ram. Iratus est autem aduersum Iob; eo quòd iustũ se esse diceret coram Deo. Porrò aduersum amicos eius indignatus est, eo quòd nõ inuenissent responsionem rationabilem sed tantummodo condemnassent Iob. Igitur Heliu expectauit Iob loquentem, eo quòd seniores essent qui loquebantur. Cùm autem vidisset quòd tres respondere non potuissent, iratus est vehementer. Respondénsque Heliu filius Barachel Buzites dixit: Iunior sum tempore, vos autem antiquiores. Idcirco demisso capite veritus sum indicare vobis meam sententiam: Sperabam enim quòd ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret sapientiam. Sed vt video, spiritus est in hominibus, & inspiratio omnipotentis dat intelligentiam. Non sunt longæui sapientes, nec senes intelligunt iudicium. Ideo dicam: Audite me, & ostendam vobis etiam ego meam sapientiam. Expectaui enim sermones vestros, audiui prudentiam vestram. Donec disceptaretis sermonibus vestris, & donec putabam vos aliquid dicere, considerabam. Sed vt video, non est qui arguere posit Iob, & respondere ex vobis sermonibus eius. Ne fortè dicatis: inuenimus sapientiam, Deus proiecit eum, non homo. Nihil locutus est mihi, & ego nõ secundum sermones vestros respondebo illi. Extimuerunt, nec responderunt vltrà, abstulerúntque à se eloquium. Quoniam igitur expectaui, & non sunt locuti, steterunt, nec responderunt vltrà: respondebo & ego partem meam, & ostendam scientiam meam. Plenus enim sum sermonibus, & coarctat me spiritus vteri mei. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas dirumpit. Loquar & respirabo paululum: aperiam labia mea, & respondebo. Non accipiam personam viri, & Deum homini non æquabo. Nescio enim quandiu subsistam, & si post modicum tollat me factor meus.

Quòd nomen Heliu, & loci & cognationis eius, intentionem ipsius denotant. *Caput II.*

Miserunt autẽ tres viri isti respondere Iob, eo quòd iustus sibi videretur.) Hoc quod de eo dicitur, Eo quòd iustus sibi videretur, sacræ huius scriptor historiæ ad amicorum iudicium retulit, nõ autem beatum Iob de elationis tumore reprobauit. Sequitur: Et iratus indignatúsque est Heliu filius Barachel Buzites de cognatione Ram.) Bene hæc ipsa vel eius, vel parentis, vel loci, vel cognationis nomina, notam propriæ exprimunt actionis. Heliu quippe interpretatum sonat Deus iste, vel Deus Dominus. Per quem, sicut superius diximus, designatur recta fides arrogantium intra Ecclesiam positorum. Vnde eis & hocipsum eius etiam nomen congruit. Nam quanuis iuxta dominica præcepta non viuunt, Deum tamen dominum esse recognoscunt: quia in veritate carnis etiam formam deitatis intelligunt, sicut per Prophetam dicitur: Scitote quoniam Dominus ipse est Deus. Barachel verò interpretatum, dicitur benedictio Dei: Buzites autem, contemptibilis. Quod arroganter prædicantibus bene vtrunque concordat: quia in prædicationis facundia benedictionem quidem gratiæ diuinæ percipiunt, sed in elatis suis moribus esse eam contemptibilem ostendunt. Ipsa quippe quæ acceperunt bona, eò despicabilia faciunt, quò nequaquam eis bene vti nouerunt. Aptè autem etiam de cognatione Ram dicitur: Ram quippe interpretatur excelsus. Excelsus nanque est fidelium populus, qui huius vitæ infima & abiecta contemnit. Excelsi sunt qui dicere cum Paulo nouerunt: Nostra conuersatio in cœlis est. Heliu itaque de cognatione Ram dicitur: quia vnusquisque prædicator arrogans intra vniuersalem Ecclesiam positus, sanctis populis fidei veritate sociatur, quanuis ab eorum vita elationis prauitate disiungitur. Sequitur:

5.

Psalm. 99.

Phil. 3.

Quòd sectatores vanæ gloriæ, dum se omnibus præferunt, alios nihil scire, nec rectè viuere iudicant. *Caput III.*

Iratus est autem aduersus Iob, eo quòd iustum se diceret coram Deo. Porrò aduersus amicos eius indignatus est, eo quòd non inuenissent responsionem rationabilem, sed tantummodo condemnassent Iob.) Solerter intuendum est quòd beatum Iob ideo reprehendit, quòd coram Deo se iustum esse dixerat: amicos verò eius ideo redarguit, quòd condemnantes eum, responsionem contra illum rationabilem non dederunt. Istis nanque indiciis apertè colligitur, quòd per eum species amatorum vanæ gloriæ designatur. Iob quippe de præsumpta iustitia, amicos verò eius de stulta responsione redarguit. Cuncti enim vanæ gloriæ sectatores, dum se omnibus præferunt, alios quidem de fatuis sensibus, alios autem de indignis meritis reprehendunt: id est, alios censent nihil scire, alios non bene viuere. Et quãuis iustè omnes extra Ecclesiam positos praua sentire redarguunt

darguunt, tamen etiam eos qui intus sunt, pro vitæ despectu contemnunt, & contra illos ex magnitudine rectè sentiendi, contra istos verò quasi ex merito bene viuendi superbiunt.

6. Bene autem Heliu modò beatum Iob, modò amicos eius increpare perhibetur: quia amatores vanæ gloriæ aliquando intra sanctam Ecclesiam constituti, & aduersarios premunt dum vera prædicant, & eiusdem sanctæ Ecclesiæ moribus cõtradicunt, dum de ipsa prædicatione gloriantur. Premunt aduersarios virtute dicti, premunt sanctam Ecclesiam, qualitate dicendi. Illos prædicatione veritatis, istam vitio elationis impugnant. Sequitur: *Igitur Heliu expectauit Iob loquentem, eo quòd seniores essent qui loquebantur Cùm autem vidisset quòd tres respondere non potuissent, iratus est vehementer.*) Quanuis sancta Ecclesia sit proculdubio aduersariis suis antiquior, quia de illa ipsi, non autem exiit ipsa de illis: sicut de eis per Ioannem dicitur: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: rectè tamen eisdem aduersariis Heliu iunior fuisse describitur: quia nimirum post exorta hæreticorum bella, esse intra sanctam Ecclesiam fastu scientiæ inflati arrogantes cœperunt. Cùm enim grauiora hostium prodiere certamina, tunc sunt profectò subtiliora sensuum spicula requisita, tunc argumẽtorum obstacula, tunc perplexior indago verborum. Quæ sæpe viri feruentes ingenio, dum congruè inueniunt, arroganter intumescunt, & quod per elationis vitium plerunque contingit, iisdem acutis sensibus quibus hostem feriunt, prosternuntur: dum in his quæ rectè de Deo sentiunt, non Dei, sed suam gloriam quærunt. Vnde Heliu quoque multa quidem rectè loquitur, & tamen diuina voce ac si peruersa dixerit, increpatur. Cum verò dicitur, quia Heliu expectauit Iob loquentem, eo quòd seniores essent qui loquebantur: apertè beato Iob non pro sua, sed pro amicorum reuerentia honorem reseruasse monstratur: quia videlicet arrogantes intrà positi eandem sanctam Ecclesiam quam defendunt despiciunt, & plerunque contingit, vt plus ingenia malè sapientium, quàm simplicem vitam innocentium venerentur: plus reseruent linguis extrà loquentium, quàm meritis intra positorum: quanuis vtrisque ex diuerso obuient, cùm & ab illis rectitudine sensuum, & à sancta Ecclesia morum prauitate discordent. Sequitur: *Respondénsque Heliu filius Barachel Buzites dixit: Iunior sum tempore, vos autem antiquiores. Idcirco demisso capite veritus sum indicare vobis meam sententiam. Sperabam enim quòd ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret sapientiam.*) Cuncta hæc quæ ab eo per tumorem superbiæ proferuntur, cursim potius perstringenda sunt, quàm attentius exponenda. Quæ enim soliditate grauitatis carent, expositionis subtilitate non indigent. Sed solùm puto breuiter intimandum, quòd Heliu quandiu pro ætatis suæ respectu tacuit, sapientior fuit: cùm verò in aliis annorum multitudinem semetipsum præferens despicit, quàm pueriliter desipiat ostendit. Nam contra eius sententiam, & ætas prolixior loquitur, & per annorum multitudinem sapientia docetur: quia etsi longæuitas sensum non præbet, vsum tamen vehementer exercet. Sequitur.

A

B

C

Quòd quatuor modis arrogantium tumor dignoscitur. Cùm autem bonum à seipsis habere se æstimant, aut à Deo, sed meritis suis: aut cùm se iactant habere quod non habent, aut cùm ex eo quod singulariter sibi habere videntur, cæteros contemnunt. *Caput IIII.*

Sed vt video, spiritus est in hominibº, & inspiratio omnipotẽtis dat intelligentiam.) Hæc rectè diceret, si eandem intelligentiam sibi præ cæteris non arrogaret. Neque enim parua condemnatio est ex eo bono quod communiter datur, priuatè gloriari, scire bonum vnde acceperit, & nescire quomodo bona vti debeat quod accepit. Quatuor quippe sunt species quibus omnis tumor arrogantium demonstratur, cùm bonum aut à semetipsis habere se æstimant, aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant, aut certè cùm iactant se habere quod non habent, aut despectis cæteris singulariter videri appetunt habere quod habent. A semetipso enim bonum se habere iactabat. cui per Apostolum dicitur: Quid autem habes quod non accipisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Rursum ne dari nobis bonum gratiæ pro nostris præcedentibus meritis crederemus, idem Apostolus admonet dicens: Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, vt ne quis glorietur. Qui etiam de semetipso ait: Qui prius fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam consecutus sum. Quibus verbis apertè declarat, quòd gratia non pro meritis tribuatur, dum ex seipso docuit, & quid de malitia meruit, & quid de beneuolentia accepit. Rursum nonnulli iactant se habere quod non habent, sicut diuina voce per Prophetam de Moab dicitur: Superbiam eius, & arrogantiam eius ego noui, & quòd non sit iuxta eum virtus eius. Et sicut angelo Ecclesiæ Laodiceæ dicitur: Quia dicis quòd diues sum & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Rursum nonnulli despectis cæteris videri appetunt singulariter bonum habere quod habẽt. Vnde & Pharisæus idcirco de templo absque iustificatione descendit: quia bonorum operum meritum sibi quasi singulariter tribuens oranti Publicano se prætulit. Sancti quoque Apostoli ab hoc elationis vitio reuocantur, qui de prædicatione redeuntes, cùm elati dicerent: Domine in nomine tuo etiam dæmonia nobis subiecta sunt: ne de hac miraculorum singularite gauderent, illico eis respondebat Dominus, dicens: Videbam Satanam, velut fulgur de cœlo cadentem. Ipse quippe singulariter elatus dixerat: Super astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis: similis ero Altissimo. Et mirè Dominus vt in discipulorũ cordibus elationem premeret, mox iudicium ruinæ retulit, quod ipse magister elationis accepit: vt in authore superbiæ discerent, quid de elationis vitio formidarent. In hac itaque arrogantiæ quarta specie crebrò humanus animus labitur: vt id quod habet, habere se singulariter glorietur. In qua tamen similitudini diabolicę vicinius appropinquat: quia quisquis bonum se habere singulariter gaudet, quisquis videri sublimior cæteris quęrit, illum videlicet imitatur, qui despecto bono societatis angelorum, sedem suam ad Aquilonem ponens, & Altissimi similitudinem superbè appetens, per iniquum desiderium quasi ad quoddam culmen conatus est singularitatis erumpere. Heliu ergo quanuis dari à Domino sapientiam confitetur, in hac tamen elationis specie labitur, vt sapientiorem se cæteris gaudeat, & quasi de singulari bono sese inaniter extollat. Quod verbis sequẽtibus indicat, dicẽs. *Non sunt longæui sapientes, nec senes intelligunt iudicium, ideo dicam: Audite me ostendam vobis, & ego meam sapientiam. Expectaui enim sermones vestros, audiui prudentiam vestram donec disceptaretis sermonibus, & donec putabam vos aliquid dicere considerabam.*) Quantum ad intentionem literæ spectabat, loquens Heliu indicat quàm superbè tacuerit. Cùm enim dicit: Expectaui sermones vestros, & putabam vos aliquid dicere: apertè declarat se ad verba senum iudicantis potius studio, quàm tacentis voto tacuisse. Quanuis hæc melius vitam arrogantium designant, qui aliquãdo intra sanctam Ecclesiam positi, cùm eiusdem sanctæ Ecclesiæ aduersarios conspiciunt, nõ in eis annos temporum, sed intentionem solent pensare verborum. Nam quantolibet sint eisdem arrogantibus antiquiores hæretici, eos audacter comprimunt, in quorum verbis dogmata peruersa reprehendunt. Sequitur: *Sed vt video, non est qui arguere posit Iob, & respondere ex vobis sermonibus eius: ne fortè dicatis: Inuenimus sapientiam, Deus proiecit eum, non homo.*) Sæpe hæretici per hoc quòd esse, & hominibus despicabiles solent, cùm à cunctis ferè gentibus sanctam Ecclesiam venerari conspiciunt, opinionem eius quibus valent obtrectationibus lacerare contendunt, dicentes: Idcirco illi cuncta temporalia suppetunt, quia ei præmia æternorum munerum subtrahunt. Quorum vocibus Heliu obuiat, dicens: *Ne fortè dicatis, Inuenimus sapientiam, Deus proiecit eum, non homo.* Ac si arrogantes intra sanctam Ecclesiam, sed tamen fideles contra hæreticos dicant: Per hoc quòd sanctam Ecclesiam in honore hominum florere temporaliter cernitis, proiectam eam à Domino nõ credatis. Scit enim Redemptor eius, & in hoc itinere solatia venienti tribuere, & peruenienti ad æternam patriam superna præmia reseruare. Incassũ igitur dicitis quia Deus eã, & non homo proiecerit, cùm venerari illam à cũctis ferè hominibus videtis, quia sic ei terrenæ gloriæ adiumẽtum tribuitur, vt per hoc multiplicius etiam ad cœlestia subuehatur. Se-

D

Ephe. 2.

1. Tim. 1.

Hiere. 48.

Apoc. 3.

Luca 9.

Esaiæ 14.

7.

1. Corin. 4.

8.

quitur: *Nihil locutus est mihi, & ego non secundum vestros sermones respondebo illi.*) Quid est quod ait, Nihil locutus est mihi? Nũquid sancta Ecclesia per prædicatores iustos cũ intra se arrogantes conspicit, erudire ac redarguere pretermittit? Exercet hęc, & quotidie exercere non cessat. Sed Heliu qui loquentẽ publicè beatum Iob audierat, dicat: Nihil locutus est mihi, quia nimirum omnes arrogantes, voces quidem sanctæ Ecclesiæ audiunt, sed sibi eas dici dissimulant, quando elationis vitium emendare contemnunt. Nec se de superbia redargui estimãt, quia esse se humiles putant, quia etiam redargui despiciunt, dum sapientiores se & ipsis redarguentibus arbitrãtur. Quod verò ait: Et ego non secundũ sermones vestros respondebo ei: bene beato Iob non secundũ sermones eorũ respondere se dicit. Arrogãtes enim intra sanctam Ecclesiã positi, respondent cõtra eam: sed nõ sicut hæretici exterius constituti. Neque enim cõtradicunt ei praua prædicãdo, sed peruersè viuendo: quia nec de Deo vt hæretici indigna sentiũt,
9. sed de se plus quàm necesse est digna suspicantur. Sequitur.

Extimuerunt nec responderunt vltrà, abstulerũntque à se eloquium.) Bene ad Heliu verba amici Iob extimuisse referuntur: quia nonnunquam arrogantes Ecclesiæ defensores, quanuis ordinem dicendi non teneant, tamen aduersarios ipsa dictorum virtute perturbant. Sequitur: *Quoniam igitur expectaui, & non sunt locuti: steterunt, nec responderunt vltrà.*) Finis esse locutionis sapientium solet, vt eousque dicant quo aduersariis silentiũ imponant. Non enim se ostendere, sed praua docentes compescere cupiunt. Postquam verò de amicis Iob dictum est: *Extimuerunt, nec responderunt vltrà, abstulerũntque à se eloquium:* Heliu subiungens, ait: *Expectaui, & non sunt locuti: steterunt, nec responderunt vltrà.*) Et illis iam silentibus adhuc verba multiplicat: quia videlicet vir arrogans, & formam in se arrogantium intentans, non aduersariorum dicta superare, sed suam sapientiã ostentare festinat. Vnde & sequitur: *Respondebo & ego partem meam, & ostendam scientiam meam.*) Hanc enim partem suam omnis arrogans æstimat, si scientiam non tam habeat quàm ostendat: quia nimirum omnes elati spientiam habere non G appetunt, sed ostendere. Quo contra bene per Moysen dicitur: Vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit. Tegmen quippe operculi, vel ligatura, est censura disciplinæ, qua quisquis non primetur, quasi vas immundum pollutúmque reprobatur. An non vas sine operculo Heliu fuerat, qui hanc esse partem suam æstimauerat, si ostenderet scientiam quam habebat? Quasi enim vas sine operculo, vel ligatura polluitur, qui per studium ostenta-
10. tionis patens, nullo velamine taciturnitatis operitur. Prædicatores autem sancti partem suam reputant, si intus quidem ipsi de sapientia gaudeant, foris autem alios ab errore compescant: neque à se ipsi ita loquendo exeunt, vt gaudium mentis in ostensione ponant disertæ locutionis: sed bonum scientiæ in cordis secreto meditantur, & ibi gaudent vbi hoc percipiunt, non vbi inter tot tentationum laqueos innotescere compelluntur: quanuis cùm bonum quod accipiunt, innotescunt, media interueniente charitate, ex profectu audientium, & non ex propria ostensione gratulantur. Arrogantes enim cùm scientiam accipiunt, nihil se accepisse æstimãt,
Matth. 25. si hanc eos occulta habere contingat. Nusquam quippe suum gaudium, nisi in ore hominum ponunt. Vnde & fatuæ virgines in vasis suis oleum non sumpsisse referuntur: quia arrogantes omnes cùm se ab aliquibus fortasse vitiis continent,
2.Cor.1. bonum gloriæ intra conscientias habere non possunt. In vase autem proprio sumpserat Paulus oleum, qui dicebat: Gloria nostra hæc est, testimonium cõscientiæ nostræ. Inane ergo vasculum ferre, est intus corde vacuo, foris humani fauoris iudicium quærere. Heliu ita que quia gloriam dum exterius quærit, intra vas oleum non habet, dicit: *Respondebo & ego partem meam, & ostendam scientiam meam.*) Vnde & hocipsum quod de feruore vanæ gloriæ intus patitur, verbis sequentibus aperit, dicens:

Quòd superbi, spiritu sancto plenos se esse asserunt, cuius feruor in virtute minoris intelligentiæ animos superat & transcendit.
Caput V.

E *Plenus sum sermonibus, & coarctat me spiritus vteri mei. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas dirumpit. Loquar & respirabo paululum, aperiam labia mea, & respondebo.*) Nonnunquam arrogantes viri, dum prædicatores sanctos magna eloqui, ac pro locutione sua venerari conspiciunt, locutionis eorum celsitudinem, & non vtilitatem intentionis imitantur: neque hoc amant quod illi appetunt, sed hoc summopere appetunt, quòd clari hominibus ostendantur. Nam sæpe contingit vt sapientes viri cùm se non audiri considerant, ori suo silentium indicant, sed dum plerunque conspiciunt quòd iniquorum facinora ipsis tacentibus, & nõ corripientibus crescunt, vim quandam spiritus sustinẽt, vt in locutionem apertæ correptionis erumpant. Vnde propheta Hieremias cùm prædicationis sibi silentium indixisset di- *Hierc.20.*
cens: Non recordabor eius, neque loquar vltrà in nomine illius: ilico adiunxit: Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claussúsque in ossibus meis, & defeci ferre non sustinens. Audiui enim contumelias multorũ. Pro eo enim quòd se minimè audiri conspexit, silentium appetiit: sed cùm crescentia mala cerneret, in eodem silentio non permansit. Quia enim foris tacuit, ex tædio locutionis intus ignem pertulit de zelo charitatis. Inflammantur quippe corda iustorum, cũ non correpta crescere conspiciunt acta malorum: eorúmque culpæ se participes credunt, quòd in iniquitate crescere silẽdo permittunt. Dauid propheta postquam sibi silentium in-
dixerat, dicens: Posui ori meo custodiam, dum consisteret *Psal. 38.*
peccator aduersum me: obmutui & humiliatus sum, & silui à bonis: in ipso suo silentio, iusto zelo charitatis exarsit, qui ilico subdidit: Et dolor meus renouatus est. Concaluit cor meũ intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Intus ergo cor concaluit, quia dilectionis ardor per admonitionem locutionis exterius emanare recusauit. Ignis in meditatione cordis exarsit: quia increpatio delinquentium à correptione oris refrixit. Charitatis enim zelus cõsolatione admirabili augendo se temperat, quãdo contra iniquorũ opera per vocem correptionis emanat: vt & quæ corrigere nõ valet, increpare non desinat, ne se participem delinquentium, & consensu taciturnitatis addicat. Sed quia sæpe nonnulla vitia virtutes
11. se esse mentiuntur, sicut effusio nonnunquam misericordia, *Vitia sæpe*
& tenacia, nonnunquam parsimonia, & crudelitas aliquando *mentiuntur*
iustitia vult videri: ita plerunque mentẽ ad loquendi impetũ, *se esse virtu-*
vanæ gloriæ anxietas nequaquam se intra silentium capiens *tes.*
quasi zelus charitatis inflammat, atque appetitæ ostensionis vis ad effrenationem locutionis impellit, & quasi sub studio consulendi libido erumpit apparendi. Non enim curat loquendo quid prosit, sed quid appareat: nec studet vt malum quod cernit corrigat, sed bonum quod sentit ostendat. Vnde Heliu quoque spiritu elationis extensus, & sese intra silentij claustra non capiens ait: *Plenus sum enim sermonibus, & coarctat me spiritus vteri mei. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas dirumpit.*) Quod si intelligere spiritaliter debemus, hoc loco videlicet ventrem sinum cordis appellat. In musto verò sancti Spiritus feruor accipitur, de
H quo in Euangelio Dominus dicit: Vinum nouum mittunt in *Matth.9.*
vtres nouos. Ex quo dum repentè replerentur Apostoli, dum linguis omnibus loquerentur, à Iudæis nescientibus, sed tamẽ vera attestantibus dictum est: Hi musto pleni sunt. *Act.2.*
Lagunculas verò, infirmas ipsa humanitate conscientias, vel certè hæc terrena corporum vascula, non inconuenienter accipimus: de quibus Paulus apostolus ait: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. Heliu autem, quia, sicut supe- *2.Cor.4.*
rius diximus, sic inflatione elationis extẽditur, ac si ad loquẽdum per charitatis gratiam ardore spiritus sancti accendatur, sensus sui spiritum in eo quod tacuit, quasi musto absque spiraculo comparauit. Et benè ait: quod lagunculas nouas disrũpit, quia sancti Spiritus feruor, non solùm veteri, sed etiam noua vita vix capitur. Mustum ergo lagunculas nouas disrũpit, quia feruoris eius potentia etiam spiritalia corda transcendit. *Loquar & respirabo paulũ, aperiam labia mea, & respondebo.*) Bene ait, respirabo: quia sicut labor iustorum est videre praua nec corrigere, ita grauis est labor arrogantiũ, si quod sapiunt, nõ ostendunt. Vim quippe intrinsecus æstuantem ferre vix possunt, si omne quod sentiunt, paulò tardius innotescunt.

scunt, Vnde necesse est vt cùm res bona agitur, prius eius ela- A
tio in corde vincatur, ne si à radice miseræ intentionis prodeat, amaros nequitiæ fructus producat.

Quòd hi qui adhuc vitiis impugnari se sentiunt, aliorum curam suscipere omnino non præsumant. *Caput VI.*

12. HI ergo qui adhuc vitiorum bello subiacent, nequaquã per prædicationis vsum præesse magisterio cæterorum debent. Hinc est enim quod iuxta diuinę dispẽsationis vocẽ, ab anno vicesimo & quinto Leuitę tabernaculo seruiũt, sed à quinquagesimo custodes vasorum fiũt. Quid enim per annum quintum ac vicesimum, in quo flos iuuentutis ob oritur, nisi ipsa contra vnum quodque vitium bella signantur? Et quid per quinquagesimum, in quo & iubilæi requies continetur, nisi interna requies edomito bello mentis exprimitur? Qui verò per vasa tabernaculi, nisi fidelium animæ figurantur? Leuitæ ergo ab anno vicesimo & quinto tabernaculo seruiunt, & à quinquagesimo custodes vasorũ fiunt, vt videlicet qui adhuc impugnãtiũ vitiorũ certamina per cõsensum delectationis tolerãt, aliorũ curam suscipere non præsumãt: cùm verò tentationum bella subegerint, quo apud se iam de intima trãquillitate securi sunt, animarũ custodiã sortiantur. Sed quis hæc tentationũ prælia sibi perfectè subigat, cùm
Rom.7. Paulus dicat: Video aliã legem in mẽbris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuũ me ducentẽ in lege peccati? Sed aliud est bella fortiter perpeti: aliud bellis eneruiter expugnari. In istis exercetur virtus, ne extolli debeat: in illis omnimodo extinguitur, ne subsistat. Qui igitur scit fortiter tẽtationẽ ferre certaminis, & cùm tẽtatione cõcutitur, in alta arce præsidet quietis: quia etiã apud semetipsum sub seipso esse cõtentiones vitiorũ cõspicit, quibus nulla fractus delectatione cõsentit. Sequitur: *Non aspiciã personam viri, & Deum homini non æquabo. Nescio enim quandiu subsistam, est post modicũ tollat me factor meus.*) Recta cõsideratio quòd Deum homini idcirco non ęquat, quia quãdiu hic subsistat, vel quando ad Dei iudicium tollatur, ignorat. Et bene ait: Post modicum tollat me factor meus: quia quamlibet longum fuerit tempus vitæ præsentis, C
eoipso breue est, quo permanens non est. Neque enim dignũ est, vt diutinum iudicetur, quicquid fine circunscribitur. Sed inter has sententias quas ex veritate solidas profert, ad verba rursum elationis erumpit, dicens.

Textus capitis trigesimitertij, libri beati Iob.

VDi igitur Iob eloquia mea, & omnes sermones meos auscultа. Ecce aperui os meũ: loquatur lingua mea in faucibus meis. Sim plici corde sermones mei, & sentẽtiam labia mea puram loquentur. Spiritus Dei fecit me, & spiraculũ omnipotentis viuificauit me. Si potes, responde mihi, & aduersus faciẽ meam cõsiste. Ecce & me sicut & te fecit Deus, & de eodẽ luto ego quoq; formatus sum. Veruntamẽ miraculum meum nõ te terreat, & eloquẽtia mea nõ sit tibi grauis. Dixisti ergo in auribus meis, & vocẽ verborũ tuorum audiui. D
Mundus sum ego, & absque delicto immaculatus. & non est iniquitas in me. Quia querelas in me reperit, ideo arbitratus est me inimicũ sibi. Posuit in nervo pedes meos, custodiuit omnes semitas meas. Hoc est ergo in quo nõ es iustificatus. Respondebo tibi, quia maior sit Deus homine. Aduersus eũ contendis, quòd non ad omnia verba respõderit tibi. Semel loquitur Deus, & secũdò idipsum nõ repetit. Per somnium in visione nocturna, quãdo irruit sopor super homines, & dormiũt in lectulo: tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina: vt auertat hominẽ ab his quę fecit, & liberet eum de superbia, eruens animã eius à corruptione, & vitã illius vt non trãseat in gladiũ. Increpat quę que per dolorẽ in lectulo, & omnia ossa eius marcescere facit. Abominabilis ei fit in vita sua panis, & animæ illius cibus antè desiderabilis. Tabescet caro eius, & ossa quę tecta fuerant, nudabuntur. Appropinquabit corruptioni anima eius, & vita illius mortiferis. Si fuerit pro eo angelus loquens vnum de similibus, vt annuntiet hominis æquitatem, misẽrebitur eius, & dicet: Libera eum, & non descendat in corruptionẽ. Inueni in quo ei propitier. Consumpta est caro eius à suppliciis: reuertatur ad dies adolescẽtiæ suæ. Deprecabitur Deum, & placabilis erit ei, & videbit faciem eius in iubilo, & reddet homini iustitiã suã. Respiciet homines, & dicet: Peccaui, & verè deliqui, & vt erã dignus, non recepi. Liberauit animam suam ne pergeret in interitũ, sed viuens lucem videret. Ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos, vt reuocet animas eorum à corrũptione, & illuminet luce viuentium.

B Attende Iob & audi me, & tace dum ego loquor. Si autem habes quid loquaris, responde mihi. Loquere. Volo enim te apparere iustũ. Quòd si non habes: audi me, & tace: & docebo te sapientiam.

Quòd superbi ea ipsa quæ rectè sentiunt, rectè proferre non possunt: vnde eos quos infra se vident, non consulendo, sed dominando alloquuntur. *Caput VII.*

AVdi ergo Iob eloquia mea, & omnes sermones meos auscultа. Ecce aperui os meum, loquatur lingua mea in faucibus meis.) Pensemus de qua elatione descendit, quòd beatum Iob audire se admonet, quòd os aperuisse se perhibet, quòd linguam suam in faucibus loqui promittit. Hoc enim habet proprium do- *Proprium*
ctrina arrogãtium, vt humiliter nesciant inferre quod docẽt, *doctrinæ*
& recta quæ sapiunt, rectè ministrare non possint. In verbis *arrog. antiũ.*
enim eorum proditur, quòd cùm docẽt, quasi in quodam sibi videntur sublimitatis culmine residere, eósque quos docent, vt longè infra se positos, veluti in imo respiciunt, quibus non consulendo loqui, sed vix dominãdo dignãtur. Rectè autem his per Prophetam Dominus dicit: Vos autẽ cum austeritate *Ezech.37.*
imperabatis eis, & cùm potentia. Cum austeritate enim & potentia imperant, qui subditos suos non tranquillè ratiocinando corrigere, sed asperè inflectere dominando festinant.

At contrà vera doctrina tantò vehementius hoc elationis 13.
vitium fugit per cogitationem, quantò ardentius verborum suorum iaculis ipsum magistrum elationis insequitur. Cauet enim ne eum magis elatis moribus prædicet, quem in cor- *Humilitas*
de audientium sacris sermonibus insectatur. Humilitatẽ nan- *magistra*
que, quæ magistra est omnium matérque virtutum, & loquẽ- *& mater*
do dicere, & viuẽdo conatur ostendere: vt eam apud discipu- *est omnium*
los veritatis plus moribus quàm sermonibus eloquatur. Vnde *virtutum.*
Paulus Thessalonicensibus loquens, quasi culminis proprij *1.Thess.2.*
Apostolatus oblitus ait: Facti sumus paruuli in medio vestrũ. *1.Petr.5.*
Vnde Petrus Apostolus cùm diceret: Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem, de ea quæ in vobis est spe, in ipsa doctrinæ scientia qualitatem docendi asseruit esse seruandam, subdens: Sed cum modestia & timore, conscientiam habentes bonam. Hoc autem quod discipulo Paulus ait: Præcipe hæc & doce cum omni imperio: non dominationem *2.Tim.4.*
potentiæ, sed authoritatem suadet vitæ. Cum imperio quippe docetur, quod prius agitur quàm dicatur. Nã doctrinę subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam. Non ergo ei potestatem elatæ locutionis, sed bonæ fiduciam insinuauit actionis. Vnde etiam de Domino scriptum est: Erat enim do- *Matth.7.*
cens sicut potestatem habens, non sicut scribæ & pharisei. Singulariter nanque ac principaliter solus ex potestate bona locutus est: quia ex infirmitate mala nulla commisit. Ex diuinitatis quippe potentia habuit id quod nobis per humanitatis suæ innocentiam ministrauit.

Quòd rectus ordo sit in doctrina, vt consideremus in primis quales sumus, & quales fuimus. Si nec sumus, nec fuimus, quales illi sunt quos emendare curamus, non extollamur. Item si nulla bona in eis sunt, quorum mala corrigimus, summopere attendendum est, quòd ita illos potest diuina gratia permutare, vt nos posterius in bonis quæ antè accepimus, præueniant.

Caput VIII.

14. *Conſiderationes habẽdæ in aliorum correctione. Prima. Secunda.*

NOs enim quia infirmi homines ſumus, cùm de Deo hominibus loquimur, debemus primum meniniſſe quod ſumus, vt ex propria infirmitate penſemus quo docendi ordine infirmis fratribus conſulamus. Conſideremus igitur, quia aut tales ſumus, quales nonnullos corrigimus, aut tales aliquando fuimus, etſi iam diuina gratia operante non ſumus: vt tantò temperantius humili corde corrigamus, quãtò noſmetipſos verius in his quos emendamus agnoſcimus. Si autẽ tales nec ſumus, nec fuimus, quales adhuc illi ſunt quos emẽdare curamus: ne cor noſtrum fortè ſuperbiat, & de ipſa innocentia peius ruat, quorum mala corrigimus, alia eorum bona nobis ante oculos reuocemus. *Tertia.* Quæ ſi omnino nulla ſunt, ad occulta Dei iudicia recurramus: quia ſicut nos meritis nullis hocipſum bonum quod habemus, accepimus: ita illos quoq; poteſt gratia ſupernæ virtutis infundere, vt excitati poſterius etiam ipſa poſsint bona quæ nos antè recipimus præuenire. Quis enim crederet quòd per Apoſtolatus meritũ Saulus lapidatum Stephanum præceſſurus erat, qui in morte eius lapidantium veſtimemta ſeruabat? His ergo primùm cogitationibus humiliari cor debet, & tunc demum delinquentium iniquitas increpari. Sed hunc, vt ſæpe dictum eſt, locutionis modum Heliu ignorare oſtenditur, qui in locutione ſua elationis typo quaſi potentia cuiuſdam authoritatis inflatur: dicens: *Audi igitur Iob eloquia mea, & omnes ſermones meos auſculta. Ecce aperui os meum, loquatur lingua mea in faucibus meis.*) In faucibus verò loqui eſt ſilenter dicere, & non clamoribus vociferari. Quibus verbis arrogantes intra ſanctam Eccleſiam poſitos ſignat. Hi enim velut in faucibus loqui dicuntur, quando non contra † aduerſarios extrà viuentes clamãt: ſed quoſdam intra ſinum ſanctæ Eccleſiæ quaſi vicinos, ac iuxta poſitos increpant. Sæpe verò arrogantes eandem quam tenent arrogantiam ſe fugere oſtendunt, & dum ſic cuncta agunt, vt nullum lateant, hæc priuatè ſingulis quaſi latenter narrant: quatenus non ſolum de ſenſu intelligentiæ, ſed de ipſo apud homines etiam arrogantiæ contemptu glorientur. Vnde nunc dicitur: *Loquatur lingua mea in faucibus meis.*) Ac ſi apertè dicatur: Quæ contra te prudenter ſentio, ecce ſilenter narro. Aliquando autem in tantam imprudentiæ elationem proſiliunt, vt aliis tacentibus, ipſi ſoleant laudare quod dicũt. Vnde ſubiungit: *Simplici è corde meo ſermones mei, & ſententiam labia mea purã loquentur.*) Magnę virtutis laus eſt ſimplicitas locutionis. Quam quia arrogantes non habent, habere ſe hanc ſollicitius aſſerunt, vt ſecurius audiantur. Et purè ſe locuturos denuntiant: quia duplicitatis ſuę malitiã deprehendi formidant. Sæpe autem & falſis vera permiſcent, vt inde eorum mendacio citius credatur, vnde ineſſe eis aſſertio veritatis agnoſcitur. Quia igitur Heliu & purè ſe locuturũ perhibuit, & dicta ſua appellando ſententias fauore præcucurrit, eandẽ iam ſententiam quam promiſit adiungit, dicens:

† aduerſarios exeuntes.

Quòd ſermo inordinatè prolatus, ſcientiam quam in audientium ſenſibus gignere debuerat, fœdat: & quid ſit, quòd vir qui ſeminis fluxum ſuſtinebat, immundus erat. Caput IX.

15. SPiritus *Dei fecit me, & ſpiraculum omnipotentis viuificauit me.*) Subditurus vera, præmiſit elata, & dicturus hoc quod rectè ſaperet, antè innotuit quantum tumeret. Sic nimirum ſic arrogantium mentes inſaniunt, vt & in eis quæ rectè ſentiũt, electionis ſuæ tortitudine deprauentur. Vnde fit vt etiam eorum recta auditores nequaquam inſtruant: quia profectò illos per ea quæ tumidè ſentiunt, non ad ſui reuerentiam, ſed ad contemptum vocant. Dúmque dictis prudentibus ſtultitiæ verba miſcent, quia ſtultitia ab audiente deſpicitur, etiã prudentia non tenetur. *Leui.15.* Hinc enim per Moyſen dicitur: Vir qui fluxum ſeminis ſuſtinet, immundus erit. Quid eſt enim ſermo niſi ſemen? Qui dum ordinatè emittitur, audientis mens quaſi concipientis vterus ad boni operis prolem fœtatur. Si verò importunè defluit, emittentem polluens, generãdi virtutem perdit. Nam ſi ſermo ſemen non eſſet, de prædicante Paulo nequaquam Athenienſes dicerent: Quid vult ſibi ſeminiuerbius hic dicere? *Acto.14.* De quo & Lucas dicit: Ipſe enim erat dux verbi. Semen ergo vſui propaginis dicatum incompetenter fluens, cætera membra coinquinat, cùm ſermo per quem in audientium ſenſibus naſci ſcientia debuit, ſi inordinatè prodeat, etiã quæ rectè ſenſerit fœdat. Vnde Heliu quoque etiam quæ rectè poteſt ſentire, cõmaculat, dum cui vel quid loquatur ignorat: & quaſi fluxũ ſeminis ſuſtinet, cùm linguã vtilitati congruam, per verba vanę locutionis mouet. Bono autẽ ordine, & factũ ſe aſtruit, & animatũ. Per ſpiritum factum, & per ſpiraculũ ſe narrat animatũ. Facto quippe Adam, ſcriptũ eſt: Inſpirauit in faciẽ eius ſpiraculũ vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem. *Gene.2.* Sed hæc quæ rectè aſtruit, vtrũ rectè exequatur, audiamus. Sequitur: *Si potes, reſpõde mihi, & aduerſus faciẽ meam reſiſte.*) Ecce dum narrat ordinẽ veræ cõditionis, in faſtum ſubito ſuperbæ elationis erumpit, atque aliis verbis hoc idẽ replicat, dicẽs: *Ecce & me ſicut & te fecit Deus, & de eodẽ luto ego quoque formatus ſum. Veruntamen miraculum meũ non te terreat, & eloquentia mea non ſit tibi grauis.*) Quid eſt hoc quòd Heliu ordinem veræ conditionis agnoſcit, & modũ rectæ locutionis ignorat? Quid eſt quòd ſe beato Iob, & conditus exæquat, & locuturus exaltat, niſi hoc quòd arrogantes omnes cuncti quidem hominibus ſe æqualiter conditos meminerunt, ſed per faſtũ ſcientię auditores ſuos ęquales ſibi, vel eſſe vel credere dedignantur, eiſque ſe per naturæ conditionem conferunt, ſed per tumorem ſcientiæ ſuperponunt? Aequales quidem ſe iudicant extitiſſe naſcendo, ſed nõ æquales remanſiſſe viuendo. Atque in eo quòd æquales quaſi viuendo iam non ſunt, illud ad maius miraculum reuocant, quòd æquales naſcendo fuerunt. Vnde inflatus Heliu dicit: *Ecce & me ſicut & te fecit Deus, & de eodem luto ego quoque formatus ſum. Veruntamen miraculum meum non te terreat: & eloquentia mea non ſit tibi grauis.*) Habent hoc etiam arrogantes proprium 16.
quòd prius quàm dicant, mira ſe dicere ſemper exiſtimant, & locutionẽ ſuam admirãdo præueniunt: quia vel in acutis ſenſibus ipſa elatio quãta ſit fatuitas, ignorãt. Notandũ quoque eſt quòd Paulus dũ mirè Hebręos admoneret, adiũxit: *Hebr.13.* Rogo autem vos fratres vt ſufferatis verbum ſolatij, etenim perpaucis ſcripſi vobis. Heliu autem inania protulit, & quaſi conſolando ſubiunxit: Miraculum meum non te terreat, & eloquẽtia mea nõ ſit tibi grauis. Ille dicta ſua verbũ ſolatij: hic verò eloquentiam, & miraculum vocat. Ecce quàm diſtricti ſapores prodeũt fructuum ex diuerſa radice cogitationũ. Ille de magnis humiliter ſentit, iſte de minimis ſe inaniter erigit. Quid ergo inter hæc niſi hoc ſolerter eſt intuendum quòd & aſcenſuri in imo ſe eſſe conſiderant, & caſuri ſemper in præcipiti ſtant? Salomone atteſtante, qui ait: Ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur. Sequitur:

Quòd ſuperbi non tam conſolari, quam increpare deſiderant.

Caput X.

DIxiſti *ergo in auribus meis: & vocem verborum tuorum audiui.*) Atque eandem vocem ſubiungẽs ait: *Mundus ſum ego, & abſque delicto immaculatus, & non eſt iniquitas in me. Quia querelas in me reperit: ideo arbitratus eſt me inimicum ſibi. Poſuit in neruo pedes meos, cuſtodiuit omnes ſemitas meas.*) Móxque contra hæc verba quæ beatum Iob dixiſſe narrauit, ſententiam ſuam proferens, ait: *Hoc eſt ergo in quo non es iuſtificatus.*) Profectò beatus Iob veraciter dixerat, quòd abſque culpa fuerit flagellatus. Hoc enim ipſe de ſe quod de illo ad diabolũ Dominus dixit: Cõmouiſti me aduerſus eum, vt affligerem illum fruſtra. Sed Heliu non credidit ceſſante culpa potuiſſe cum etiam pro gratia flagellari. Neſciebat enim flagellis eius nõ deleri vitium, ſed meritũ augeri, & pro eo quòd ſine delicto ſe dixerat flagellatum, hac eum ſententia increpat, dicens: *Hoc eſt ergo in quo nõ es iuſtificatus.*) Habent enim hoc arrogantes proprium, vt plus arguere appetant, quàm conſolari: & quæque hominibus euenire cognoſcunt, ex ſolis eueniſſe iniquitatibus arbitrentur. *Proprium arrogantiũ.* Neſciunt quippe occulta iudicia ſubtiliter quærere, atq; id quod non intelligunt, humiliter perſcrutari: quia eos ſæpe à ſecretis inueſtigationibus iudiciorum Dei, ipſa ſcientiæ ſuę elatio deiicit dum extollit. Obſtaculum nanque veritatis eſt tumor mentis, quia dum inflat obnubilat. Qui & ſi quandoque ſcientiam videntur adipiſci, quaſi de quodam rerum cortice, & non de ſecretæ dulcedinis medulla paſcuntur, micantibúſque ingeniis ſępe exteriora tantummodo attingunt, ſed interni guſtum ſaporis ignorãt: videlicet foris acuti, ſed intus cæci ſunt. Neque id de Deo ſentiunt quod dulce interius ſapiat,

piat, ſed quod excuſſum exterius ſonet. Qui etſi ſecreta quædam intelligendo percipiunt, eorum dulcedinem experiri nõ poſſunt, etſi nouerunt quomodo ſunt, ignorant vt dixi quomodo ſapiunt.
17. Et fit plerunque vt fortiter dicant, ſed tamẽ iuxta ea quæ dicunt, viuere neſciant. Vnde bene quidã ſapiens dixit: Mihi autem det Deus, hæc dicere ex ſententia. Sentẽtia quippe à ſenſu vocata eſt. Et recta quæ intelligit, non ex ſola ſcientia, ſed ex ſententia dicere appetit, qui nequaquam tantummodo ſciendo dicere, ſed ſentiendo deſiderat experiri quod dicit. Sed mens arrogantium dictorum ſuorum ſenſum non penetrat, quia ab interno guſtu recto iudicio in eos fauores redigitur, quos foris amat. *Veræ ſcientiæ virtus.* Vera autem ſcientia afficit, non extollit: nec ſuperbientes quos repleuerit, ſed lamentantes facit. Qua quiſque cùm repletus fuerit, primo loco ſe ſcire appetit, & iam ſui conſcius tantò per illam robuſtius ſapit, quãtò ſe infirmum in illa verius recognoſcit, atque ampliorem viã huius ſcientię ipſa ei humilitas aperit: dúmque imbecillitatem ſuam conſpicit, ipſa ei cognitio ſecretorum ſublimium abſcõditos ſinus pandit: qua cognitione preſſus ſubtilior redditur, quo ad occulta rapiatur. Heliu ergo in flagellis Beati Iob idcirco veracem rationem nõ inuenit, quia eam quærere humiliter neſcit, & increpare potius quàm conſolari paratior dicit: Hoc eſt ergo in quo non es iuſtificatus. Notandum quoque eſt quòd beatus Iob in neruo pedem ſuum poſitum dixit, ſed nequaquam mundum ſe hoc modo quo ei obiicitur, abſque peccato vel immaculatũ & ſine iniquitate fuiſſe memorauit. Sed Heliu dum cum auſteritate ſtuduit increpare quæ dicta ſunt, mentiens addidit quæ dicta non ſunt. Qui enim ſemper increpare appetunt, & nunquam fouere, multa plerunque increpando mentiuntur. Nam vt arguere doctè videantur, fingunt nonnunquam quæ redarguant, & cùm ipſi equino more in curſum ſuæ oſtentationis inſerueant, in ſubiectorum inuectionibus ex fictis ſibi iniquitatibus campum parant. Sciendũ præterea eſt, ſicut & ſuperius dixi, quòd arrogantes viri inflatis ſuis ſermonibus ſæpe fortia dicta permiſcent, nec conſiderant aliquando quid iuuent, ſed penſant ſtudioſè quid doceant. Quorum nunc Heliu ſpeciem tenet, qui non rectè viuere appetit, ſed docere. Quia ergo ſciens, ſed arrogans loquitur, taceamus iam quod tumidũ viuit, & audiamus quod ſolidum dicit. Poſt tot itaque elationis verba, tandem ſcientiam ſuam oſtendere inchoans, ait: *Reſpondebo tibi quòd maior ſit Deus homine.*) Dicatur fortaſſe ab aliquo: Quis iſtud vel cùm non audit ignorat? *† al. humilis.* Sed nimirum hæc ſententia † vilis creditur, ſi non ex ipſa intentionis ſuæ radice penſetur. Flagellatò videlicet loquebatur, qui & percuſsionis verbera acceperat, &
18. cauſas verberum neſciebat. Idcirco ergo intulit: *Reſpondebo tibi quòd maior ſit Deus homine:*) vt flagellatus homo conſiderans quia illo maior eſt Deus, in omne quod patitur, eius iudicio ſe poſtponat, cui ſe minorem eſſe non dubitat, & quod à meliore patitur, iuſtum credat, etiam ſi eiuſdem iuſtitiæ cauſas ignorat. Quiſquis enim etiam pro peccato percutitur, niſi murmurando renitatur, eoipſo iam iuſtus eſſe inchoat, quo ferientis iuſtitiam non accuſat. Homo nanque ſub Deo eſt conditus, & ad conditionis ordinem redit, quando ſibi æquitatem iudicis ſui etiam quam non intelligit, antepònit. Bene ergo dicitur: *Reſpondebo tibi quòd maior ſit Deus homine:*) vt conſiderata potentia creatoris, deferueat tumor mentis per memoriam conditionis. Vnde Dauid propheta cùm percuſsionis pondere in exceſſum vocis erumpere cogeretur, ad conſiderationem conditionis ſuæ ſe recolligens, ait: *Pſalm.37.* *Obmutui, & non aperui os meum: quoniam tu feciſti me.*) Penſauit enim conditionis ſuæ ordinem, & iuſtitiam percuſsionis inuenit: quia qui benignè eum qui non erat condidit, eum profectò qui erat, non niſi iuſtè percuſsit. Sequitur:

Quòd in ſcriptura ſancta ſemel dixit Deus quicquid expedit homini nec ſingulis cogitationibus hominum, per prophetarum voces vel angelorum miniſteria interrogatus reſpondeat.

Caput XI.

ADuerſus *eum contendis, quòd non ad omnia verba reſponderit tibi. Semel loquitur Deus, & ſecundò idipſum non repetit.*) Afflicti cordis eſt proprium, vt in omne quod appetit, & tamen rerum ordinem contrarium ſentit, ſi poſsit fieri, cur ita, vel non ita ſit, diuinis ſibi reſponderi vocibus velit: vt Deum de cuncta rerum controuerſia conſulat, & reſponſionis eius cognita ratione conquieſcat. Heliu autem præuidens quòd ſcripturã ſacrã Dominus conderet, vt in ea vel publicis vel occultis cũctorum quæſtionibus reſponderet, ait: *Aduerſus eum contendis, quòd non ad omnia verba reſponderit tibi. Semel loquitur Deus, & ſecundò idipſum non repetit.* Ac ſi diceret: Deus ſingulorum cordibus priuatis vocibus non reſpondet, ſed tale eloquium conſtruit, per quod cunctorum quęſtionibus ſatisfacit. In ſcripturę quippe eius eloquio cauſas noſtras ſinguli ſi requirimus, 19.
inuenimus, nec opus eſt in eo quod ſpecialiter quiſque tolerat, reſponderi ſibi diuina voce ſpecialiter quærat. Ibi enim nobis omnibus in eo quod ſpecialiter patimur, communiter reſpondetur, ibi vita præcedentium, fit forma ſequentium. Vt enim vnum è pluribus proferamus: ecce dum paſsione aliqua vel moleſtia carnis afficimur, ſcirẽ fortaſſe occultas cauſas paſsionis eiuſdem vel moleſtię optamus, quatenus in eo quod patimur, ex ipſa rerum ſcientia conſolemur. Sed quia de ſpecialibus tentationibus noſtris nequaquam nobis ſingulis ſpecialiter reſpondetur, ad ſcripturam ſacram recurrimus. Ibi videlicet inuenimus quod Paulus carnis ſuæ infirmitate tentatus, audiuit: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate *1.Cor.12.*
perficitur. Quod idcirco illi in infirmitate propria dictũ eſt, ne ſigillatim nobis omnibꝰ diceretur. In ſcriptura igitur ſacra vocem Dei afflicto Paulo audiuimus, ne cùm fortaſſe affligimur, ſinguli audire eam priuata cõſolatione quæreremus. Nõ ergo Dominꝰ ad omnia verba nobis reſpõdet: quia ſemel loquitur, & ſecũdò id ipſum nõ repetit, id eſt, in his quę per ſcripturam ſacrã ad patrès noſtros protulit, nos erudire curauit. Diſcant itaque ſanctæ doctores Eccleſię, diſcãt & arrogantes cùm intra eam laborare quoſdam puſillanimitate cõſpiciunt, quia in nobis Deus ad verba omnia non reſpõdet: quia ſemel loquitur Deus, & idipſum ſecũdò nõ repetit, id eſt, cogitationibus vel tentationibus ſingulorum non iam paſsim per prophetarum voces, non iam per angelica officia ſatisfacit: quia in ſcriptura ſacra quicquid poteſt ſingulis euenire comprehẽdit, atque in illa per exempla præcedentium, etiam vitam ſequentium informare curauit. Quanuis quod ait: *Semel loquitur Deus: & ſecundò idipſum nõ repetit:*) hoc intelligi ſubtilius poteſt, quòd pater vnigenitum conſubſtantialem ſibi filium genuit. Loqui enim Dei, eſt verbum genuiſſe. Semel autẽ loqui Dei eſt verbum aliud præter vnigenitum nõ habere. Vnde & aptè ſubditur: *Et ſecundò id ipſum nõ repetit:*) quia videlicet hocipſum verbum, id eſt, filium non niſi vnicum genuit. Quod autem non ait, locutus eſt, ſed loquitur, non videlicet tempus præteritum nec futurum ponens: liquet omnibus quia Deo nec præteritum tempus congruit nec futurum. Tantò ergo in eo quodlibet tempus ponitur liberè, quãtò nullum verè. Neque enim quodlibet liberè dici poterat, ſi ſaltẽ vnum propriè diceretur. Inde itaque dici in Deo tempus audaciter quodlibet licet, vnde in eo dici propriè nullum licet. Verbum nãque pater ſine tempore genuit. Et quis dignè fari queat illam ineffabilem natiuitatem, quòd de ęterno natus eſt coęternus, quòd exiſtens ante ſecula genuit æqualẽ, quòd gignente natus poſterior non eſt? Quæ videlicet nos mirari poſſumus, ſed intueri minimè valemus. Illius autẽ natiuitatis vim iam mirari poſſe, aliquatenus videre eſt. Sed quomodo videmus quod nequaquam comprehendimus? Eſt autẽ quod de vſu carnis pertrahere ad ſenſum ſpiritus debemus. Nam ſi quis in tenebris clauſis oculis iaceat, atque ante eum ſubitum lucernæ lumen erumpat, clauſi eius oculi ipſo aduentu luminis feriuntur vt pateſcãt. Cur ergo turbati ſunt, ſi clauſi nihil viderũt? Nec tamen aliquid perfectum fuit, quod videre clauſi potuerunt. Nam ſi perfectè totum vidiſſent, cur aperti quęrerẽt quod viderent? Sic itaque ſic ſumus, cùm de incomprehẽſibili natiuitate intueri aliquid conamur. Eoipſo enĩ quòd fulgoris admiratione percutitur animus, & quaſi videt quod videri non valet: velut in tenebris poſitus, vim lucis oculus clauſus videt. Heliu nãque ait: *Semel loquitur Deus.*) Dauid verò verbi vnigeniti natiuitatem intuẽs ait: Semel locutus eſt Deus. Quia enim vnigenitus filius idẽ verbum patris & perfectione natus dicitur, & pro æternitate ſemper naſci perhibetur: ſacra ſcriptura liberè dicere de Deo conſueuit, quia locutus eſt, & loquitur. In eo enim quòd perfectum verbum genuit, & locutus eſt

pater: in eo autem quòd ſemper gignit, vtique loquitur: quanuis hoc quod perfectum diximus, propriè non dicamus, neque enim quod factum non eſt, propriè dicitur eſſe perfectum: ſed eius plenitudinem per quandam anguſtiam noſtræ locutionis exprimimus, ſicut etiam de patre Dominus dicit:
Matth. 5. Eſtote perfecti, ſicut & pater veſter cœleſtis perfectus eſt. Quia verò hæc diuinæ naturæ ſecreta admiratione non facilè occupatis per terrena deſideria mentibus innoteſcit, aptè Dei locutio qualiter ad nos fiat inſinuat dicens: *Per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo.*)

Quòd in nocte vitæ præſentis diuina natura ad plenum non agnoſcitur: & idipſum quod quaſi in caligine conſpici poteſt, tunc demum videmus, cùm ab huiuſmodi mundi tumultuoſa concupiſcentia ſegregati, quaſi clauſis corporalibus ſenſibus in quiete contemplationis diuinæ dormimus.

Caput XII.

20 *Impedimẽtum cognitionis Dei ſecretorum.*

QVid eſt quòd per ſomnium nobis locutio diuinitatis inoteſcit, niſi quòd Dei ſecreta non cognoſcimus, ſi in terrenis deſideriis vigilemus? In ſomnio enim exteriores ſenſus dormiunt, & interiora cernuntur. Si ergo interna contemplari volumus, ab externa implicatione dormiamus. Vox videlicet Dei quaſi per ſomnium auditur, quando tranquilla mente ab huius ſeculi actione quieſcitur, & in ipſo mentis ſilentio diuina præcepta pẽſatur. Cùm enim ab externis actionibus mens ſopitur, tunc plenius mandatorum Dei pondus agnoſcitur. Tunc verba Dei mens viuacius penetrat, cùm ad ſe admittere curarum ſecularium tumultus recuſat. Malè autem homo vigilat, quando eum ſecularium negociorum æſtus inſolenter inquietat. Aurem quippe cordis terrenarum cogitationum turba dum perſtrepit claudit: atque in ſecretario mentis, quantò minus curarum tumultuantium ſonus compeſcitur, tantò amplius vox præſidentis iudicis non auditur. Neque enim perfectè homo ſufficit ad vtraque diuiſus: ſed dum ſic interius erudiri appetit vt tamen exterius implicetur, vnde exterius auditum aperit, inde interius obſurdeſcit. Moyſes admixtus Aegyptiis quaſi vigilabat: & idcirco
Exod 3. vocem Domini in Aegypto poſitus non audiebat. Sed extincto Aegyptio poſtquam in deſertum fugit, illic dum quadraginta annis degit, quaſi ab inquietis terrenorum deſideriorum tumultibus obdormiuit, atque idcirco diuinam vocem percipere meruit: quia per ſupernam gratiam quantò magis ab appetendis exterioribus torpuit, tantò verius ad cognoſcẽda interiora vigilauit. Rurſus Iſraëlitici populi turbis præ-
Exod. 19. latus, vt legis præcepta percipiat, in montem ducitur, atque vt interna penetret, ab externis tumultibus occultatur.

21 Vnde & ſancti viri qui exterioribus miniſteriis deſeruire officij neceſsitate coguntur, ſtudioſè ſemper ad cordis ſecreta refugiunt: ibíque cogitationis intimæ cacumen aſcendunt, & legem quaſi in monte percipiunt: dum poſtpoſitis tumultibus actionum temporalium, in contemplationis ſuæ vertice ſupernæ voluntatis ſententiam perſcrutantur. Hinc eſt quòd idem Moyſes crebrò de rebus dubiis ad tabernaculum redit, ibíque ſecretò Dominum conſulit, & quid certi decernat agnoſcit. Relictis quippe turbis ad tabernaculum redire, eſt poſtpoſitis exteriorum tumultibus, ſecretum mentis intrare. Ibi enim Dominus conſulitur, & quod foris agendum eſt publicè, intus ſilenter auditur. Hoc quotidie boni rectores faciunt, cùm ſe res dubias diſcernere non poſſe cognoſcunt: ad ſecretum mentis velut ad quoddam tabernaculum reuertuntur, diuináque lege perſpecta, quaſi coràm poſita arca Dominum conſulunt: & quod prius intus tacentes audiunt, hoc foris poſtmodum agentes innoteſcunt. Vt enim exterioribus officiis inoffenſè deſeruiant, ad ſecreta cordis recurrere inceſſabiliter curant: & ſic vocem Dei quaſi per ſomnium audiunt, dum in meditatione mentis à carnalibus motibus ab-
Canti. 5. ſtrahuntur. Hinc eſt quòd ſponſa in Canticis canticorũ ſponſi vocem quaſi per ſomnium audierat, quæ dicebat: Ego dormio, & cor meum vigilat. Ac ſi diceret: Dum exteriores ſenſus ab huius vitæ ſollicitudinibus ſopio, vacante mente viuacius interna cognoſco. Foris dormio, ſed intus cor vigilat: quia dum exteriora quaſi nõ ſentio, exteriora ſolerter apprehendo. Bene ergo Heliu ait: *Quia per ſomnium loquitur Deus:* E atque aptè ſubdidit. *In viſione nocturna.*) Nocturna enim viſio apparere contemplationi mentis ſub quibuſdam imaginibus ſolet. In diurna autem luce certius cernimus, in nocturna verò viſione cunctãter videmus. Et quia ſancti omnes quandiu in hac vita ſunt, diuinæ naturæ ſecreta quaſi ſub quadam imaginatione conſpiciunt, quia videlicet necdum ſicut ſunt, ea manifeſtius contemplantur, bene Heliu poſtquam dixit Deum nobis per ſomnium loqui, ſubdit: *In viſione nocturna.*) Nox quippe eſt vita præſens: in qua quandiu ſumus, per hoc quòd interna conſpicimus, ſub incerta imaginatione caligamus. Propheta nanque ad videndum Dominum quadam ſe premi caligine ſentiebat, dicens: Anima mea deſiderauit te in
Eſaiæ. 26. nocte. Ac ſi apertè diceret: In hac obſcuritate vitæ præſentis videre te appeto, ſed adhuc infirmitatis nubilo circunſcribor. Dauid quoque huius noctis caliginem videns, claritatem veri luminis præſtolatus ait: Mane aſtabo tibi, & videbo. Ad-
Pſalm. 5. huc ergo in nocte minus ſe videre conſpicit, qui ad videdum Deum futurum mane concupiſcit. Quia verò, vt diximus, ab F exteriori actione ceſſare dormire eſt, bene Heliu ſubdit, *Quando irruit ſopor ſuper homines.*) Quia autem ſancti viri cùm exteriori actioni non deſeruiunt, intra mentis cubilia cõquieſcunt, aptè ſubiungit: *Et dormiunt in lectulo.*) Sanctis enim viris dormire in lectulo, eſt intra mentis ſuæ cubile quieſcere.
Pſalm. 149. Vnde ſcriptum eſt: Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis. Dicatur ergo quòd ſemel nobis loquitur Deus per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo: quia nimirum tunc ſecreta diuinitatis agnoſcimus, cùm ab huius mundi tumultuoſa concupiſcentia intra mentis noſtræ cubilia ſegregamur. Quia verò, vt ſæpe iam diximus, aurem cordis tumultus ſecularium negociorum claudit, & quies ſecretæ conſiderationis aperit, aptè ſubiungit: *Tunc aperit aures virorum: & erudiens eos inſtruit diſciplina.*) Cùm enim ab exterioribus actionibus ſopiuntur, aperta aure interni examinis cauſas audiũt. Qui dum ſubtiliter vel flagella publica vel iudicia occulta conſiderant, G ſemetipſos afficere ſtẽdo non ceſſant. Vnde bene dictum eſt:

Quòd quatuor modis in compunctione afficimur.

Caput XIII.

ET *erudiens eos inſtruit diſciplina*:) quia conſideranti menti & ſeſe per pœnitentiam laceranti, quaſi quædam plagæ
Prouer. 20. percuſsionis, ſunt lamenta compunctionis. Vnde etiam Salomon rectè vim percuſsionis vtriuſque coniungens, ait: Liuor vulneris abſtergit mala, & plagæ in ſecretioribus ventris. Per liuorem quippe vulneris, diſciplinam inſinuat corporeæ percuſsionis. Plagæ verò in ſecretioribus ventris, ſunt interna mentis vulnera, quæ per compunctionem fiunt. Sicut enim venter cibis repletus extenditur: ita mens prauis cogitationibus dilatata ſubleuatur. Abſtergunt igitur mala & liuor vulneris & plagæ in ſecretoribus ventris: quia & diſciplina exterior culpas diluit, & extenſam mentem compunctio pœnitentiæ vltione transfigit. Sed hoc inter ſe vtraque hæc differunt: quod plagæ percuſsionum dolent, lamenta compunctionem ſapiunt. Illæ affligentes cruciant: iſta reficiunt dum H affligunt. Per illas in afflictione mœror eſt: per hæc in mœrore lætitia. Quia tamen ipſa compunctio mentem lacerat, eandem compunctionem non incongruè diſciplinam vocat. Quatuor quippe ſunt qualitates quibus iuſti viri anima in cõpunctione vehementer afficitur. Cùm aut malorum ſuorum reminiſcitur, conſiderans vbi fuit: aut iudiciorum Dei ſententiam metuens, & ſecum quærens cogitat vbi erit: aut cùm mala vitæ præſentis ſolerter attendens, mœrens cõſiderat vbi eſt: aut cùm bona ſupernæ patriæ contemplatur: quæ quia nec dum adipiſcitur, lugens conſpicit vbi non eſt. Malorum ſuorum Paulus meminerat, & ex eis ſe in quibus fuerat, affligebat, cùm diceret: Non ſum dignus vocari Apoſtolus: quia
1. Corint. 15. perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Rurſum diuinum iudicium ſubtiliter penſans, in futuro malè eſſe metuebat dicens: Ca-
1. Corint. 9. ſtigo corpus meum & ſeruituti ſubiicio: ne fortè aliis prædicans ipſe reprobus efficiar. Rurſus mala præſentis vitæ penſabat cùm diceret: Dum ſumus in hoc corpore, peregrinamur
2. Corint. 5. à Domino. Et, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infœlix ego homo, quis me
Roma. 7. liberabit

liberabit de corpore mortis huius? Et rurſum bona æternę pa-
1. Cor. 13. A triæ conſiderabat dicens: Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex par-
2. Cor. 5. te: tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Atque iterum: Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Cuius domus bo-
Ephe. 1. na intuens, Epheſiis dicit: Vt ſciatis quæ ſit ſpes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in ſanctis: & quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis eius in nos qui credidimus. Mala vitæ præſentis beatus Iob conſiderans, ait: Tentatio eſt
Pſal. 38. vita humana ſuper terram. Vnde Dauid quoque ait: Vniuerſa vanitas omnis homo viuens. Et quanquam in imagine Dei ambulet homo: tamen vanè conturbabitur. Qui rurſum æternam patriam contemplatus, & hæc mala penſans in quibus erat, atque illa bona conſiderans in quibus adhuc non erat, ait:
Pſal. 119. Heu me, quia incolatus meus prolongatus eſt. Et, Ego dixi
Pſal. 30. in pauore meo: proiectus ſum à vultu oculorum tuorum. Subleuatus in ecſtaſi, quod noſtri interpretes pauorem non pro- B priè vocauerũt, à vultu oculorum Dei vidit ſe eſſe proiectũ. Poſt interni quippe luminis viſionem, quæ in eius anima per contemplationis gratiam radio claritatis emicuit, ad ſemetipſum rediit: & cognitione percepta, vel quibus illic bonis de eſſet, vel quibus malis hîc adeſſet, inuenit. Neque enim quis præſentis vitæ mala ſicut ſunt conſpicere præualet, ſi bona æternæ patriæ per contemplationis guſtum contingere necdũ valet. Vnde & à vultu oculorum Dei proiectũ ſe eſſe cognouit. Subleuatus quippe vidit quod ſe hîc videre non poſſe ad ſe relapſus ingemuit. Perfectam ſcilicet animam iſta compunctio afficere familiarius ſolet, qua omnes imaginationes corporeas inſolenter ſibi obuiantes diſcutit, & cordis oculum figere in ipſo radio incircumſcriptæ lucis intendit. Has quippe figurarum corporalium ſpecies, ad ſe intus ex infirmitate corporis traxit. Sed perfectè compuncta hic ſummopere inuigilat: ne cum veritatem querit, eam imaginatio circunſcriptę viſionis illudat: cunctáſq; ſibi obuiantes imagines reſpuit. Quia C enim per illas infra ſe lapſa eſt, ſine illis ſuper ſe ire conatur: & poſtquam per multa indecẽter ſparſa eſt, in vnum ſe colligere nititur: vt ſi magna vi amoris præualet, eſſe vnum atque incorporeum contempletur. Vnde aliquando ad quandam inuſitatam dulcedinem interni ſaporis admittitur, ac raptim aliquo modo ardenti ſpiritu afflata renouatur: tantóque magis inhiat, quãtò magis quod amet deguſtat: atque hoc intra ſe appetit, quod ſibi dulce ſapere intrinſecus ſentit: quia videlicet eius amore dulcedinis ſibi coram ſe viluit: & poſtquam hanc vtcũque percipere potuit, quid ſine illa dudũ fuiſſet inuenit. Cui inhærere conatur, ſed ab eius fortitudine, ſua adhuc infirmitate repellitur: & quia eius munditię contemperari non valet, flere dulce habet, ſibíque ad ſe cadenti infirmitatis ſuæ lachrymas ſternere. Neque enim mẽtis oculũ poteſt in id quod intra ſe raptim conſpexerit figere: quia ipſo vetuſtatis ſuæ vſu deorſum ire compellitur. Inter hęc anhelat, æſtuat, ſuper ſe ire conatur: ſed ad familiares tenebras ſuas victa fatigatione relabitur. Quia ergo ſic affecta anima cõtra ſemetipſam graue cer- D tamen tolerat, & quia omnis hæc de nobis controuerſia cùm nos afficit, affligit: quanuis delectatione permixta non modicum dolorẽ parit: Heliu poſtquam dixit Deũ nobis per ſomnium loqui, & locutione eius noſtras aures aperiri, nõ immeritò eandem apertionem aurium diſciplinam vocat: quia eò magis nos afficiendo conterit, quò magis ad nos per occultã eius inſpirationis gratiam internæ intelligẽtię ſonus erumpit. Neque enim fleret extrinſecus quiſque quod eſt, ſi non intrinſecus potuiſſet ſentire quod nondum eſt. Nanque cùm noſmetipſos inſpicimus bene conditos, ſed ad perſuaſionem diabolicam peſtifera conſenſione deceptos, in nobiſmetipſis attendimus aliud eſſe quod fecimus, aliud quod facti ſumus, conditione nos integros, ſed culpa vitiatos, Proinde compũcti appetimus vitare quod fecimus, vt ad id quod facti ſui-
22. mus, reformemur. Vnde & aptè Sequitur: *Vt auertat hominem ab his quæ fecit, & liberet eum de ſuperbia.*) Quid enim homo
Eccle. 10. de ſeipſo niſi peccatum fecit? Et ſcriptum eſt: Initium omnis peccati ſuperbia. Bene ergo dicitur: quia homo cùm ab his quę fecit auertitur, de ſuperbia liberatur. Contra conditorem A quippe ſuperbire, eſt præcepta eius peccando tranſcendere: quia quaſi à ſe iugum dominationis eius excutit, cui per inobedientiam ſubeſſe contemnit. At contrà qui id quod fecit vitare appetit, id quod à Deo factus eſt recognoſcit: & ad cõditionis ſuæ ordinem humiliter redit, dum ſua opera fugiens, talem ſe eſſe qualis à Deo factus eſt diligit. Quia verò per hanc intelligentiam gloria ſempiterna recipitur, ſupplicia æterna vitantur, aptè ſubiungitur:

Quòd de corruptione tranſeunt ad gladium, qui de peccato ad ſupplicia rapiuntur.

Caput XIIII.

ERuens animam eius de corruptione, & vitam illius vt non tranſeat in gladium.) Omnis quippe peccator ab hac corruptione vitiorũ illuc ad gladiũ cõpellitur trãſire pœnarũ: vt vnde hîc iniquè delectatus eſt, inde illic iuſtè crucietur. Notandum eſt ergo quòd Deus nobis per ſomnium loquẽs, prius nos à corruptione, & poſtmodum à gladio liberat: quia nimirum illius vitam illic eripit ab vltione ſupplicij cuius hîc mentem ſub-B trahit à delectatione peccati. Neque enim illic habet quod formidare debeat de gladio ſententiæ, quem hîc poſt emendationem ſuam pollutio non corruperit culpæ. Bene ergo dicitur: Eruens animam eius de corruptione, & vitam illius vt non tranſeat in gladium. De corruptione nanque ad gladium tranſire, eſt poſt peracta vitia ad toleranda ſupplicia peruenire. Sequitur.

Quòd occulto Dei iudicio agitur, vt in cuiuſque ordinis loco, in cuiuſque ſecreti receſſu homo ſine tentationibus non viuat: & plerunque quod ſibi ad requiem parat, mutetur in perturbationem.

Caput XV.

INcrepat quoque per dolorem in lectulo, & omnia oſſa eius marceſcere 23.
facit.) In ſcriptura ſacra lectus ſiue grabbatus ſeu ſtratum, aliquãdo voluptas carnis, aliquãdo repauſatio in bonis operibus, aliquando requies temporalis accipitur. Quid eſt enim
Ioan. 5. quod in Euangelio ſanato cuidam Dominus dicit: Surge, rolle grabbatum tuum, & vade in domum tuam: niſi quòd per grabbatum voluptas corporis deſignatur? Et iubetur vtique C vt hoc ſanus portet, vbi infirmus iacuerat: quia nimirum omnis qui adhuc vitiis delectatur, infirmus iacet in voluptatibus carnis. Sed ſanatus hoc portat, vbi infirmus iacuerat: quia diuino adiutorio ereptus, à vitiis eiuſdem carnis contumelias poſtmodum tolerat, in cuius prius deſideriis requieſcebat. Rurſum per lectum vel ſtratum repauſatio in bonis operibus deſignatur. Vnde in Apoſtolorum actibus Petrus apoſtolus
Acto. 9. dicit: Aenea, ſanet te Dominus Ieſus Chriſtus: ſurge & ſterne tibi. Quid eſt dicere, ſurge: niſi mala quæ perpetraſti derelinque? Et quid eſt dicere, ſterne tibi: niſi mercedis cauſas in quibus requieſcere debeas operare? vt & deferat reſurgendo quæ fecit, & inueniat ſternẽdo quod fecerit. Quod vtrunque Pro-
Pſal. 33. pheta breuiter comprehendit dicens: Declina à malo, & fac bonum. Declinare quippe à malo, eſt ab eo quo iacuit ſurgere: bonum verò facere, eſt mercedis opera in quibus requieſcere debeat præparare. Qui enim declinat à malo, ſed bona adhuc non facit: ſurrexit quidem ab eo quo iacuit, ſed vbi re- D quieſcere debeat nondum ſtrauit. Et rurſum lectus vel ſtratum, requies temporalis accipitur, ſicut ſcriptum eſt: Vniuer-
Pſal. 40. ſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius. Cùm enim quiſque curis ſecularibus fatigatus, deſerere per diuinam gratiam huius mundi itinera laborioſa compungitur: cogitare ſolet quomodo præſentis vitæ deſideria fugiat, & ab eius laboribus requieſcat: ſibíque mox deſideratæ quietis ordinem quę-rit, & velut quoddam ſtratum ſicut à cunctis laboribus ceſſationis locum inuenire concupiſcit. Sed quia in hac vita adhuc homo poſitus: in cuiuſlibet ordinis loco, in cuiuſlibet ſecreti ſeceſſu viuere ſine tentationibus nullatenus poteſt: plerunque in id quod ad requiem conſtruitur, maior dolor tentatio-
Viuere ſine tentationibus nullatenus homo poteſt. nis inuenitur. Vnde rectè Per prophetam dicitur: Vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius. Ac ſi diceret: Omne quod hîc ſibi parauit ad requiem, hoc ei mutaſti occul-
24. to iudicio ad perturbationem. Quod pio quidem Dei conſilio agitur, vt huius peregrinationis tempore electorum vita turbetur. Via quippe eſt vita præſens qua ad patriam tendimus: & idcirco hîc occulto iudicio frequenti perturbatione cõterimur, ne viã pro patria diligamus. Solẽt etenim nõ-

nulli viatores cùm amœna fortasse in itinere prata conspiciunt, pergendi moras innectere, & à cœpti itineris rectitudine declinare: eorúmque gressus tardat pulchritudo itineris, dum delectat. Electis ergo suis ad se pergentibus Dominus huius mundi iter asperum facit: ne dum quisque vitæ præsentis requie, quasi amœnitate viæ pascitur, magis eum diu pergere quàm citius peruenire delectet: ne dum oblectatur in via, obliuiscatur quod desiderabat in patria. Quia ergo in hac vita omnis nostra quàm fortasse parauimus requies turbatur, rectè dicitur: Increpat quoque per dolorem in lectulo: id est, in præsentis vitæ requie, vel tentationis nos stimulis, vel flagelli afflictione conturbat. Nam sæpe humanus animus quamlibet breui tempore sine tentatione in bonis studiis fuerit, mox de eisdem studiis, in quibus quiescendo se exerit, de ipsis virtutibus quibus multiplicari nititur, dum proficere se sentit eleuatur. Vnde pio rectoris nostri moderamine, impulsu tentationis afficitur, vt in eo ipsa profectus sui elatio comprimatur. Quapropter postquam dixit: Increpat quoque per dolorem in lectulo, aptè subiunxit:

Quòd tentationum profectus sit, cùm infirmitatem nostram recolimus, & cognoscimus quid diuino munere possumus, & quid ex nobis sumus. Caput XVI.

Psalm.33. ET omnia ossa eius marcescere facit.) Ossa in scriptura sacra virtutes accipimus, sicut scriptum est: Dominus custodit omnia ossa eorum, vnum ex eis non conteretur. Quod vtiq; non de ossibus corporis, sed de viribus dicitur mentis. Nam certè nouimus quòd & multorum martyrum corporaliter ossa confracta sunt, & persecutores Domini, latronis illius cui dictum est: Hodie mecum eris in paradiso: sicut latronis alterius in cruce crura fregerunt. Cùm ergo increpat per dolorem in lectulo, omnia ossa facit marcescere: quia cùm in ea requie quam nobis ab hoc seculo præparamus, flagello tentationis afficimur, qui fortasse de virtutibus nostris inflari potuimus, cognitæ infirmitatis nostræ tædio extenuamur. Cùm enim sicut cupimus ad Deum proficimus: si profectum nostrum tentatio nulla pulsaret, alicuius nos fortitudinis esse crederemus. Sed quia nobiscum superna dispẽsatione agitur, vt infirmitatis nostræ quia proficientes obliuiscimur, tentati recolamus: & in profectu nostro quid de diuino munere, & in tentatione cognoscamus, quid de propriis viribus sumus. Quæ nos profectò tentatio ad plenum raperet, nisi protectio superna seruaret. Sed pulsat nec frangit: impellit nec mouet: quatit nec deiicit: vt de nostra infirmitate sentiamus esse quòd quatimur, & de diuino munere esse quòd stamus. Et quia sæpe anima alicuius boni sibi conscia, cùm virtutes suas sibi ad memoriam reuocat, quadam delectatione pascitur, & quasi gratulatione propriæ plenitudinis impinguatur: bene dicitur, quòd tentatione pulsante marcescunt ossa: quia dum propria infirmitas tentatione interrogante cognoscitur, omnis illa nostrarum virium velut pinguis viridisque gratulatio, subito anxietatis mœrore siccatur: & qui nos alicuius esse momenti bona nostra pensando credidimus, pulsati paulò amplius perituros nos iam iámque formidamus. Tunc omne bonorum nostrorum gaudiũ vertitur in pauorem pœnarum. Tunc iniquos nos esse deprehendimus, qui sanctos paulo ante credebamus. Tabescit mens, stupent oculi: omne quod prius prosperum arridebat euanescit, lux ipsa fastidio est: & solæ se in animo tenebræ mœroris effundunt: nihil quod delectet aspicitur, triste est quicquid occurrit. Vnde & aptè sequitur.

Quòd homini in tentationibus constituto præsentis vitæ dulcedo amarescit: & nihil aliud quàm gemere & flere delectat.

Caput XVII.

25 *Panis multiplex.* ABominabilis ei fit in vita sua panis, & animæ illius cibus antè desiderabilis.) Ac si apertè dicat: afflicta mens sibi in amaritudinẽ verti considerat, quicquid se antea blandè libentérq; satiabat. In scriptura enim sacra panis aliquãdo ipse Dominus, aliquãdo spiritalis gratia, aliquando diuinæ doctrinæ eruditio, aliquãdo hæreticorũ prædicatio, aliquãdo subsidiũ vitæ præsentis, aliquãdo iucũditas humanæ delectationis accipitur. In pane Dominus signatur, sicut ipse in Euangelio dicit: *Ioan.6.* Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Rursum per panem gratia doni spiritalis accipitur, sicut per Prophetam dicitur: Qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malum, iste in excelsis habitabit: munimenta saxorum sublimitas eius, panis ei datus est. Quid est enim obturare aures suas ne audiat sanguinem, nisi peccatis suadentibus, quæ de sanguine & carne nascuntur, non præbere consensum? Et quid est, ne malum videat, oculos claudere, nisi omne quod rectitudini aduersum est, non approbare? Iste in excelsis habitabit: quia quanuis eum adhuc caro in inferioribus retinet, mentem iam in sublimibus fixit. Munimenta saxorum sublimitas eius: quia qui obiecta desideria terrenæ conuersationis calcat, ad supernam patriam per præcedentium patrum exempla se subleuat. Et quia per contemplationis donum gratia spiritali satiatur, aptè subiungitur: Panis ei datus est, id est, refectionem spiritalis gratiæ percipit: quia se à bonis infimis cœlestia sperando suspendit. Hinc *Psalm.131.* etiam de sancta Ecclesia per Dauid Dominus dicit: Pauperes eius saturabo panibus: quia in illa mentes humilium positæ spiritalium implentur refectione donorum. Rursum per panem *Esaiæ.21.* diuinæ doctrinæ eruditio designatur, sicut per Prophetam dicitur: Qui habitatis in terra Austri, cùm panibus occurrite fugienti. In terra quippe Austri habitant, qui in sancta Ecclesia positi, superni spiritus charitate perflãtur. Fugit autẽ, qui huius mundi mala euadere concupiscit. Qui ergo in terra Austri, fugienti cum panibus occurrat, id est, is qui iam sancto Spiritu intra Ecclesiam plenus est, eum qui mala sua euadere nititur, eruditionis alloquio consoletur. Fugienti scilicet cum panibus occurrere, est metuenti æterna supplicia, doctrinæ sacræ escas offerre: & modò tumorem terrore comprimere, modò pauorem exhortatione refouere. Quia panis refectio scripturæ sacræ non inconuenienter accipitur, per eundem Prophetam Iudæis solam literam seruantibus dicitur: *Esaiæ.55.* Quare appenditis argentum, & non in panibus? Ac si diceret: Pensatis sacra eloquia, sed non in refectione: quia dum solam literæ speciem custoditis, de spiritali intelligentia pinguedinem internæ refectionis amittitis. Vnde illic aptè subiungitur: Et laborem vestrum non in saturitate. Rursum 26 per panem hæreticorum prædicatio designatur: sicut per Salomonem mulier hæreticæ Ecclesiæ typum gestans & stultos conuocans dicit: panes occultos libenter edite. Vel sicut in *Prouer.9.* nostra translatione scriptum est: Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis asconditus suauior. Sunt enim nonnullę hæreses quæ apertè metuunt prædicare quod sentiunt, & apud infirmorum mentes verba sua tantò magis condiunt, quãtò quasi amplius reuerenter abscondunt. Vnde non immerito dicitur: Panes occultos libenter edite. Miseris enim cordibus occulta hæreticorum verba eò magis sapiunt, quò cùm reliquis communiter non habentur. Rursum per panem subsidium præsentis vitæ accipitur, sicut Iacob ad Laban transiens, ait: Domine *Gen.28.* Deus si dederis mihi panem ad manducandum, & vestem ad induendum. Et sicut in Euangelio Dominus turbis se sequentibus dicit: Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia *Ioan.6.* manducastis ex panibus meis, & saturati estis. De septem enim panibus fuerãt satiati. Et per eorum personam Dominus illos intra sanctam Ecclesiam detestatur, qui per sacros ordines ad Dominum propinquantes, non eisdem ordinibus virtutum merita, sed subsidia vitæ præsentis exquirunt: nec cogitant quid viuendo imitari debeant, sed quæ compẽdia percipiendo satientur. Satiatos quippe de panibus Dominum sequi, est de sancta Ecclesia temporalia alimenta sumpsisse. Et non pro signis est Dominum, sed pro panibus quærere: ad religionis officium, non pro augendis virtutibus, sed pro requirendis subsidiis inhiare. Rursum per panem iucunditas humanæ delectationis accipitur. Vnde Hieremias Propheta cùm synagogæ perditos mores defleret, dixit: Omnis populus eius ge- *Thren.1.* mens & quærens panem: dederunt preciosa quæque pro cibo ad refocillandam animam. Gemens enim populus quærit panem, dum praua hominum multitudo affligitur: quia non ad votum de præsentis vitæ iucunditate satiatur. Sed & præciosa quæque pro cibo dat: quia virtutes mentis in appetitum delectationis transitoriæ inclinat. Et refocillare animam nititur: quia peruersis suis desideriis satisfacere conatur. Vnde bene mox ex voce illic electæ multitudinis subdit: Vide *Ibidem.* Domine & considera: quia facta sum vilis. Vilis quippe plebs Dei

Dei efficitur, quando prauorum numero crescente, in eis non summa, & cælestia, sed abiecta & terrestria sectatur. He- 27. liu itaque quid aliud panem quàm præsentis vitæ delectationem vocat? Qui postquam vim tentationis expressit, ilicò subdidit: *Abominabilis ei fit in vita sua panis, & animæ illius cibus antè desiderabilis:*) quia videlicet omne quod prius de ipsa prosperitate viuendi dulce sapiebat, postmodum per vim tentationis amarescit. Nonnunquam verò quicquid gaudij, quicquid virtutis fauere videbatur, subitò in pauore tentationis amittitur, & quasi euacuatus eisdem virtutibus tristis animus solo mœrore possidetur. Cùm enim paulò vehementius impulsu tentationis afficitur, quia exerere vim solitæ fortitudinis non valet, eam iam velut perditam dolet: seque ex se vacuum sentiẽs, infirmitatem suam ex ipsa sua vanitate recognoscit. Vnde ab omni mox iucunditate quasi frãgitur: & escas prioris lætitiæ respuens, eo quem solum libenter appetit, luctu satiatur. Vnusquisque enim cùm sibi bene viuendi prosperitas arridet, hilarescit: atque ipsa hilaritas animũ velut desiderabilis cibus reficit. Sed cùm tẽtatione paulò ampliusimminente pulsatur, à mente eius per mœroris fastidium gaudium omne respuitur, quæ prius eodem gaudio quasi satiata lætabatur. Quia igitur homo tentatus, ab ore cordis omnem cibum respuit delectationis, nihilque ei aliud quàm semetipsum & cognoscere & flere delectat, bene dicitur: *Abominabilis ei fit in vita sua panis, & animæ illius cibus antè desiderabilis.*) Sed sicut superius diximus, idcirco moderamine occultæ dispensationis ita tentari permittimur, vt qui ex diuino munere in virtute proficimus, etiam quid sumus ex propria infirmitate memoremur: & qui ex perceptione muneris opera virtutis inferimus, ex infirmitatis nostrę memoria sacrificium humilitatis offeramus. Aliquando autem post profectum virium non solùm tentant vitia, sed etiam flagella castigãt. Cùm autem tentamur vitiis, pia dispensatione nobiscum agitur: ne his virtutibus quibus proficimus extollamur. Cùm verò flagellis atteritur, malis increpantibus admonemur, ne mundo blandiente seducamur. Vitia dum nos tentant, proficientes in nos virtutes humiliant: flagella dum tentant, surgentes in corde huius mundi voluptates eradicant. Per tentantia vitia discimus, quid de nobis simus: per ferientia flagella cognoscimus quid de hoc mundo fugiamus. Per illa restringimur ne intrinsecùs extollamur: per ista comprimimur ne quid extrinsecus appetamus. In hac ergo vita dum sumus, & flagellis atteri, & aliquando tentari vitiis necesse est. Siue enim in laboribus flagellorum seu in certamine vitiorum, non solùm nobis nostra infirmitas innotescit, sed etiam in quanta virtute profecerimus agnoscimus.

De vtilitate tentationis: & quòd in aduersis magis se agnoscat homo quàm in prosperis.

Caput XVIII.

28. NEmo quippe vires suas in pace cognoscit. Si enim bella desunt, virtutum experimenta non prodeunt. Improuidus miles est, qui fortem se in pace gloriatur. Quia ergo sæpe virium merita per flagellorum aduersa patefaciunt: aptè Heliu subiungit dicens: *Tabescet caro illius, & ossa quæ tecta fuerant nudabuntur.*) Cùm enim flagellis prementibus omnis exterior voluptas atteritur, internæ fortitudinis ossa nudantur. Quid autem hoc loco carnis nomine, nisi ipsa delectatio carnalis accipitur? Vel quid per ossa nisi virtutes animæ designãtur? Tabescit ergo caro & ossa nudantur: quia dum flagellis arguentibus carnalis delectatio extenuatur, ea quæ dudum quasi sub carne latuerant virtutum fortia patefiunt. Nemo quippe quãtum profecerit, nisi inter aduersa cognoscit. Cùm enim assunt prospera, cerni virium documenta non possunt. *Psal.41.* Vnde aliâs scriptum est: In die mãdauit Dominus misericordiam suam, & nocte declarauit: quia videlicet vnusquisque superni doni gratiam in tranquillitate quietis percipit: sed quantum perceperit, in aduersitate perturbationis ostendit. Tabescat ergo caro, vt nudentur ossa. Feriamur paternis perturbationibus, vt quantum proficimus agnoscamus. Flagellis enim Domini, pinguedo carnalis delectationis atteritur: sed virtutum nostrarum ossa patefiunt. Dum nostrum exterius ipsa huius mundi aduersitate fœdatur: sed quid in nobis intrinsecus latebat ostenditur. Cæsis namque Apostolis denuntiatum est, ne loquerentur vltrà in nomine Iesu: sed magna exultatione gauisi sunt, quòd digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati, sussque aduersariis cum fiducia responderunt: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Ecce *Acto.5.* inter aduersa validius fidei robur emicuit, ecce concisa est integritas carnium, sed patefacta sunt ossa virtutum. Hinc de eis per sapientiam dicitur: Deus tentauit illos, & inuenit illos *Sapien.3.* dignos se. Tentati sunt quippe aduersitate plagarum, sed digni inuenti sunt nudatione ossium. Nam quia hoc illorum illa tentatio est, quæ ex flagellis adhibetur, illic apertè declaratur, dum sequitur: Tanquam aurum in fornace probauit illos, *Ibidem.* & quasi holocausti hostiam accepit illos. Quia ergo vniuscuiusque vires non nisi per aduersa patefiunt, bene dicitur: Tabescet enim caro eius, & ossa quæ tecta fuerant, nudabuntur. Tabescit emẽ caro dũ omne quod fluxũ infirmũmque est, flagellis atteritur. Nudantur ossa, dum per hæc in nobis etiam quod validum latet aperitur. Quia verò sicut & superius dictum est, in ipsa aduersitate tentationis non solùm detegitur robur fortitudinis, sed etiam cognoscitur infirmitas humanitatis: & tentatus quisque ostendit quidem quantum de Deo profecerit, sed in ipsis flagellorum afflictionibus etiam quantum de semetipso sit infirmus agnoscit: quia non tantummodo nudantur ossa, sed etiam tabescit caro, aptè subiungitur:

Quòd qui tentantur, corruptioni & morti appropinquant, nisi per Dei gratiam liberentur, quæ vtiliter plerunque se subtrahit: & quàm nihil sit homo sine illa, ex propria infirmitate intelligit.

Caput XIX.

APpropinquabit corruptioni anima eius, & vitæ illius mortiferis.) Tentati enim vniuscuiusque iusti anima corruptioni appropinquare dicitur, quando ne eam virtus possit extollere, per flagella compellitur, quid sit ex propria infirmitate, sentire. Corruptioni videlicet appropinquat: quia ex suis se viribus perditioni proximum non ignorat: vt hoc quòd à perditione longè est, non sibi, sed Domino tribuat. Appropinquat verò mortiferis, quia ex infirmitate carnis proximum se peccatis mortem ferentibus respicit: à quibus diuino munere tantò magis longè fit, quantò se eis proximum ex suis meritis deprehendit. Per contemplationem conditionis suę Dauid corruptioni appropinquauerat, cùm dicebat: Memento Domine *Psal.102.* quòd puluis sumus: homo sicut fœnum dies eius. Per contemplationem quoque infirmitatis propriæ Paulus mortiferis appropinquauerat, cùm dicebat: Video aliam legem in membris *Rom.7.* meis repugnantem legi mentis meæ: & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Corruptioni ergo & mortiferis appropinquare, est cõsiderata infirmitate humanitatis suæ peccatorem se ex suis meritis cernere, atque apud se arrogantiam ex propriis viribus non habere. Quid enim sumus, si à conditoris nostri protectione deseramur? Quæ nimirum protectio minus necessaria creditur, si semper habeatur. Sed vtiliter plerunque subtrahitur, vt sibimetipsi homo quàm sine illa nihil sit ostendatur. Manus igitur Dei aliquando nos nobis per aduersa infinuat, quæ etiam nescientes nos in prosperis portat. Qua destituti dum cadere incipimus, & tamen adiuti retinemur: & doctrina fit quod in lapsu trepidamus, & custodia quod in statu permanemus. Ne- *Nemo se amicius virtutis æstimet.* mo ergo se alicuius virtutis æstimet, etiam cùm quid fortiter potest: quia si diuina protectio deserat, ibi repentè eneruiter obruitur, vbi se valenter stare gloriabatur. Quid est enim *3.Reg.13.* quòd vir Dei contra altare Samariæ ad prophetandum directus, præsente rege authoritatem liberæ vocis exercuit, eiusdémque regis extensum brachium in rigorem miserabiliter astrinxit, quod tamen mox misericorditer saluti restituit? Cuius in domo inuitatus comedere noluit: quia ne in via comederet prohibitionis dominicæ præcepta seruauit. Qui tamen in eadem via & seductus comedit, & pastus interiit. Qua in re quid subtili consideratione colligimus: quid, vt ita dixerim, formidãdum suspicamur: nisi quòd forsitan quia apud semetipsum tacitus, pro præceptis dominicis regem se contempsisse gloriabatur, ab interna mox soliditate quassatus est: & inde ei in opere culpa surripuit, vnde gloria in corde surrexit: vt Prophetæ falsi verbis deceptus disceret, quia nequaquã p. o-

priæ fortitudinis fuerit, quòd regis verbis restitisset? Bene autem ex eius ore mortis sententiam accepit, cuius seductione à vitæ præcepto deuiauit: vt inde pœnam veraciter sumeret, vnde culpam negligenter admisisset. Quia igitur vnumquenque electum suum diuina gratia tunc magis erudiendo custodit, cùm quasi percutiens deserit, dicatur rectè: Appropinquabit corruptioni anima eius, & vita illius mortiferis: vt quò se suis viribus vicinum morti per aduersa considerat, eò in cunctis quæ fortiter egerit, ad diuinæ spei munimen fugiens solidius viuat.

Libri.xxiij. Moralium sancti Gregorij finis.

B. GREGORII MORALIVM LIBER VIGESIMVSQVARTVS, continuans textum capitis trigesimitertij, Beati Iob.

Caput I.

ELIV vim supernæ dispensationis insinuans, de electi vniuscuiusque percussione intulit dicens: *Appropinquabit corruptioni anima eius, & vita illius mortiferis.*) Et dum tentatum hominem demõstrat vnum, in qua tentatione sit positum humanum genus, ostendit vniuersum: dúmque narrat quid specialiter agatur in singulis, liquidò intimat quid generaliter agatur in cunctis. Sic enim tentationem expressit quorundam, propriè singulorum, vt posit intelligi & vniuersaliter omnium. Cũctum quippe electorum genus in hac vita huius tædio laboris afficitur. Vnde & mox huic generali pestilẽtiæ generale subintulit remedium medicinæ, dicens:

Quòd Christus, magni consilij Angelus, similis nobis, locutus est æquitatem, homò pro hominibus interpellans: & impetrauit indulgentiam, exauditus pro sua reuerentia.

Caput II.

SI *fuerit pro eo Angelus loquens vnum de similibus, vt annuntiet hominis æquitatem, miserebitur eius.*) Quis enim est iste Angelus, nisi ille qui per Prophetam dicitur magni cõsilij Angelus? Quia enim Græca lingua Euangelizare denuntiare dicitur: semetipsum nobis annuntians Dominus Angelus vocatur. Et bene ait: Si fuerit pro eo Angelus loquens: quia sicut ait Apostolus, etiam interpellat pro nobis. Sed quid pro nobis loquatur audiamus: Vnum de similibus. Mos medicinæ est, vt aliquando similia similibus, aliquando contraria contrariis curet. Nam sæpe calida calidis, frigida frigidis: sæpe autem frigida calidis, calida frigidis sanare consueuit. Veniens ergo ad nos desuper medicus noster, tantísque nos inueniens languoribus pressos: quiddam nobis simile, & quiddam contrarium apposuit. Ad homines quippe homo venit, sed ad peccatores iustus: concordauit nobis veritate naturæ, sed discrepauit à nobis rigore iustitiæ. Vitiosus enim homo corrigi non poterat, nisi per Deum. Videri autem debuit qui corrigebat: vt præbendo imitationis formam, anteactæ malitiæ mutaret vitam. Sed videri ab homine non poterat Deus: ergo homo factus est, vt videri potuisset. Iustus igitur atque inuisibilis Deus apparuit similis nobis homo visibilis, vt dum videretur ex simili, curaret ex iusto: & dum veritate generis concordat conditioni, virtute artis obuiaret ægritudini. Quia ergo in carne veniens Dominus non culpam nostram ex vitio, non pœnam ex necessitate suscepit: nulla enim labe peccati pollutus: reatus nostri teneri conditione non potuit, atque ideo mortem nostram omni necessitate calcata, cùm voluit, sponte suscepit: rectè dicitur quòd pro tentato homine iste Angelus vnum de similibus loquitur: quia nec ita natus vt reliqui, nec ita mortuus, nec ita resuscitatus. Non enim cooperante coitu, sed Spiritu sancto superueniente conceptus est. Natus autem materna viscera & fœcunda exhibuit, & incorrupta seruauit. Rursum nos omnes cùm nolumus morimur: quia ad soluendæ pœnæ debitum culpæ nostræ conditione coarctamur. Ille autem quia nulli admixtus est culpæ, nulli ex necessitate succubuit pœnæ. Sed quia culpam nostram dominãdo subdidit, pœnam nostram miserando suscepit, sicut ipse ait: Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Qui etiam præmisit: Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso. Rursum non vt reliqui suscitatus est: quia nostra resurrectio in seculi finem dilata est: illius verò die tertio celebrata. Et nos quidem per illum resurgimus, nam ipse per se. Neque enim qui Deus erat, sicut nos ab alio vt resuscitari potuisset indigebat. In eo ergo eius resurrectio distat à nostra: quòd non per nosmetipsos resurgimus, sicut ipse. Pro eo enim quòd simpliciter homines sumus, superiori adiutorio vt resurgere valeamus indigemus. Ille autem eiusdem resurrectionis vim cum Patre & Spiritu sancto Deus exhibuit: quam tamen solus in humanitate percepit. Quia igitur Dominus verè natus, verè mortuus, verè suscitatus, in omnibus tamen distat à nobis magnitudine potentiæ, sed sola concordat nobis veritate naturæ: bene dicitur, quia pro nobis Angelus iste vnum de similibus loquitur. Cùm enim in cunctis operationibus suis immensa nos virtute transcendat, in vno tamen à nobis, id est, in formæ veritate non discrepat. Per hoc pro nobis patri loquitur, per quod semetipsum nobis similem ostẽdit. Loqui quippe eius, vel interpellare est, ipsum se pro hominibus hominem demõstrare. Et bene cùm dixisset, *Vnum de similibus loquitur*, ilicò adiunxit: *Vt annuntiet hominis æquitatem*) Quia nisi ille hominibus similis fieret, æquus homo ante Deum non appareret. Inde quippe annuntiat æquitatem nostram, vnde suscipere dignatus est infirmitatem nostram. Omnes videlicet nos inimica illa persuasio in culpæ contagio ab ipsa radice polluerat, nullúsque erat qui apud Deum pro peccatoribus loquens, à peccato liber appareret: quia ex eadem massa editos æque cunctos par reatus inuoluerat. Proinde venit ad nos vnigenitus patris: assumpsit ex nobis naturam, non perpetrans culpam. Sine peccato quippe esse debuit, qui pro peccatoribus interuenire potuisset: quia nimirum alienæ pollutionis contagia non tergeret, si propria sustineret. Bene ergo dicitur: Quia in eo quòd similis apparuit, æquitatem hominis annuntiauit. Intercedens enim pro peccatoribus, semetipsum iustum hominem qui pro aliis indulgẽtiam mereretur, ostẽdit. Sequitur:

Quòd in eo quòd verbum caro factum est, & in proprio sanguine Christus introiuit in sancta, nostra redemptio inuenta est.

Caput III.

MISEREBITVR *eius, & dicet: Libera eum, vt non descendat in corruptionem: inueni in quo ei propitier.*) Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus in eo miseretur homini, quo formam hominis sumpsit: qua misericordia pro redempto homine dicit patri: Libera eum vt non descẽdat in corruptionem. Sicut iam suprà diximus, dicere eius est liberare hominem: naturam hominis assumẽdo liberam demõstrare. Ex ea quippe carne quam sumpsit, etiam hanc ostendit liberam quam redemit. Quæ redempta videlicet caro nos sumus, qui cognitione nostri reatus astringimur. Sed mediatoris tanti æquitate liberamur, sicut ipse ait: Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis. Et bene pro hoc redempto homine dicitur: *Non descendat in corruptionem.*) Superius enim dictum fuerat: Appropinquabit corruptioni anima eius: postmodum dicitur: Non descendat in corruptionem, ac si diceret: Quia cognoscendo infirmitatem suam, esse se corruptioni proximum non ignorat, idcirco ad corruptionis interitum non descendat. Ad corruptionem enim iustè descenderet, si suis viribus longè se à corruptione esse iudicaret. Sed quia corruptioni appropinquauit humiliter, debet ab ea misericorditer liberari: vt eo contra impugnãtia vitia fortis sit, quo se suis meritis agnoscit infirmum. Quisquis enim supra se extollitur, ipso elationis suę pondere grauatur: & eo se infimis mergit, quo in superbiæ vitium proruens, ab eo qui verè excelsus est, elongauit: atque inde magis ima appetit, vnde se coniunctum summis æstimauit: sicut per Prophetam extollenti se animæ dicitur: Quo pulchrior es descẽde, & dormi cum incircumcisis. Omnis enim qui fœditatem infirmitatis suæ considerare negligit, sed per elationis fastum virtutis suæ gloriam attendi vnde pulchior

Ioan.10.

Ioan.8.

Ezech 32.

pulchior est, inde descendit: quia extollendo se de suis meritis, inde in ima deterius corruit, vnde gloriosum se esse iudicauit. Qui descendens cum circumcisis dormit: quia in æterna morte cum cæteris peccatoribus deficit. Quia ergo homo iste humiliter corruptioni se propinquum esse cognouit, bene de eo dicitur: Libera eum vt non descendat in corruptionem: vt eo magis euadat pœnam, quo oculos suos non auertit à culpa. Quia verò nullus erat cuius meritis nobis Dominus propitiari debuisset: vnigenitus patris formam infirmitatis nostræ suscipiens, solus iustus apparuit, vt pro peccatoribus intercederet. Et bene pro redempto homine isto loquens angelus dicit: Inueni in quo propitier ei. Ac si apertè mediator dei & hominum dicat: Quia nullus hominum fuit, qui coram Deo intercessor iustus pro hominibus apparerer, memetipsum ad propitiandum hominibus hominem feci: & dum me hominem exhibui, in quo iustè hominibus propitiarer inueni. Et quia infirmitatem suscipiens Dominus dum pœnam nostram moriendo tolerauit, corruptionem nostram resurgendo mutauit. Bene ergo iste angelus mortalitatis nostrę flagella subiungit, eorúmque miseretur, dicens: *Consumpta est caro eius à suppliciis: reuertatur ad dies adolescentiæ suæ.*) In illo quippe primo homine à Deo recedente, repulsi à paradisi gaudiis, in hanc mortalis vitæ ærumnã cecidimus: & quàm grauem culpam serpentis suasione commisimus, pœna nostræ vltionis sentimus. Huc enim lapsi nihil extra Deum nisi quo affligeremur inuenimus. Et quia per oculorum visum carnem secuti sumus, de ipsa carne quam præceptis Dei præposuimus, flagellamur. In ipsa quippe quotidie gemitum, in ipsa cruciatum, in ipsa interitum patimur: vt hoc nobis mira dispositione Dominus in pœnam verteret, per quod fecimus culpam: nec aliunde esset interim censura supplicij, nisi vnde fuerat causa peccati: vt eius carnis amaritudine homo erudiretur ad vitam, cuius oblectatione superbiæ peruenit ad mortem. Quia ergo innumeris humanum genus carnalis vitæ suppliciis promebatur, sed redemptore nostro veniente, & vitia corruptionis nostræ & tormenta deleta sunt, dicatur de hoc redempto homine:

Quòd Christo interpellante pro nobis, genus humanum tentationum tormentis consumptum, reuersum est ad id vnde ceciderat antequam peccaret.

Caput IIII.

CONSVMPTA *est caro eius à suppliciis: reuertatur ad dies adolescentiæ suæ.*) Ac si diceret: Mortalitatis suæ pœna in quadam vetustatis suæ senectute deiectus est: reuertatur ad dies adolescentiæ suæ, id est, prioris vitæ integritate renouetur: vt non eo maneat quo lapsus est, sed ad hoc redemptus redeat, ad quod percipiendum conditus fuit. Scriptura enim sacra sæpe adolescentiam pro nouitate vitæ ponere consueuit. Vnde venienti sponso dicitur: Adolescentulæ dilexerunt te, id est electorum animæ gratia baptismatis renouatæ, quæ non in vitæ veteris vsu deficiũt, sed noui hominis conuersatione decorãtur. Senectutem quippe veteris hominis inter vitia tabescentẽ deflebat ille, qui ait: Inueterauí inter omnes inimicos meos. Econtrà alius gaudere in virtutibus admonet, dicens: Lætare iuuenis in adolescentia tua. Ac si diceret: Fortis quisque gaudeat in renouatione sua, id est, lætitiam suam non in vitę veteris voluptate, sed in conuersationis nouæ virtute constituat. Quia verò ad hoc nouitatis robur non nostris viribus, sed redẽptore interueniente reuocamur: pro hoc flagellato homine deprecans angelus dicat: Reuertatur ad dies adolescentię suę. Et quia dum redemptor noster patrem pro nobis interpellat, nos quoque vitæ pristinæ torpore discusso, ad sitim orationis accendimur, aptè de hoc homine redempto subiungitur: *Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit.*) Prius enim postulare angelum, & postmodum hominem dicit: quia nisi antè ipse Dominus per incarnationem suam interpellãs patrem, vitam nostram peteret, nunquam se insensibilitas nostra ad postulanda ea quæ æterna sunt excitaret. Sed incarnationis eius præcessit oratio, vt torporis nostri euigilatio subsequatur.

Quòd post labores tentationum, orationum instantiam, placato Deo seruí Dei quasi in excessu mentis suspensi, dum præsentia contemnunt, quædam de Deo sentiunt, quæ tamen effari non possunt.

Caput V.

Cantic.1.

Psal.6.

Eccle.11.

QVIA verò post tentationes, sæpe post immensas amaritudines menti nostræ in occulto gaudio lux veritatis erumpit: bene de hoc tentato homine & deprecante subiungitur: *Et videbit faciem eius in iubilo.*) Superius dictum est quomodò Deus innotescendo afficit: nunc verò dicitur, quomodò dum innotescit exhilarat. Aliter enim quisque compungitur, cùm interna intuens, malorum suorum pauore terretur: aliter verò compungitur, cùm gaudia superna conspiciens, spe quadam & securitate roboratur. Illa compunctio afficientes & tristes, hæc verò lætas lachrymas mouet. Iubilum nanque dicitur, quando ineffabile gaudium mente concipitur, quod nec abscondi posit, nec sermonibus aperiri: & tamen quibusdam motibus proditur, quanuis nullis proprietatibus exprimatur. Vnde Dauid propheta intuens electorum animas tantum gaudium mente concipere, quantum sermone nõ valent aperire, ait: Beatus populus qui scit iubilationem. Non enim ait, qui loquitur: sed, qui scit: quia sciri quidem iubilatio intellectu potest, sed dicto exprimi nõ potest. Sentitur per illam quippe quod vltra sensum est. Et cùm vix ad hoc contẽplandum sufficiat conscientia sentientis, quomodo ad hoc exprimendum sufficiat lingua dicentis? Quia ergo cordibus nostris lux se veritatis insinuans, modò districtam iustitiam prætendẽdo cõtristat, modò interna gaudia aperiẽdo lætificat, post tentationum amaritudines, post tribulationum luctus, aptè subiungitur: *Videbit faciem eius in iubilo.*) Menti enim nostræ de consideratione cæcitatis suæ prius ignis tribulationis immittitur, vt omnis vitiorum ærugo cõcrematur: & tunc mundatis oculis cordis, illa lætitia patriæ cœlestis aperitur, vt prius purgemus lugendo quod fecimus, & postmodum manifestius contemplemur per gaudia quod quæramus. Prius à mentis acie exurẽte tristitia interposita malorum caligo detergitur: & tunc resplẽdẽnte raptim coruscatione incircũscripti luminis illustratur. Quo vtcunque conspectu in gaudio cuiusdam seueritatis absorbetur: & quasi post defectum vitæ præsentis vltra se rapta, in quadam nouitate aliquo modo recreatur. Ibi mens ex immenso fonte infusione superni roris aspergitur: ibi non se sufficere ad id quod rapta est contemplatur, & veritatem sentiendo, videt, quia quanta est ipsa veritas, non videt. Cui veritati tantò magis se longè existimat, quantò magis appropinquat: quia nisi illam vtcũque conspiceret, nequaquam eam conspicere se non posse sentiret. Adnisus ergo animi dum in illam intenditur, immensitatis eius coruscante circunstantia reuerberatur. Ipsa quippe cuncta implens, cuncta circunstat: & idcirco mẽs nostra nequaquam se ad comprehendendam incircunscriptam circunstantiam dilatat: quia eam inopia suæ circunscriptionis angustat. Vnde & ad semetipsam citius labitur, & prospectis quasi quibusdã veritatis vestigiis, ad sua ima reuocatur. Hæc ipsa tamen per contemplationem facta non solida & permanens visio: sed, vt ita dixerim, quasi quædam visionis imitatio, Dei facies dicitur. Quia enim per faciem quemlibet agnoscimus, non immeritò cognitionem Dei, faciem eius vocamus. Vnde Iacob postquam cum angelo luctatus est, ait: Vidi Dominum facie ad faciem: ac si diceret. Cognoui Dominum, quia me cognoscere ipse dignatus est. Quam cognitionem plenissimè fieri Paulus testatur in fine, dicens: Tunc cognoscam sicut & cognitus sum. Quia ergo post laborum certamina, post tentationum fluctus sæpe in excessu anima suspenditur, vt cognitionem diuinæ præsentiæ contempletur, quam tamen præsentiam & sentire posit, & explere non posit: rectè post tot labores de hoc tentato homine dicitur: *Videbit faciem eius in iubilo.*) Quia verò vnusquisque quantò amplius cœlestia contemplatur, tantò magis à terrena operatione corrigitur: bene post gratiam contemplationis, iustitiam subdidit operationis, dicens: *Et reddet homini iustitiam suam.*) Iustitia nostra dicitur, non quæ ex nostro nostra est, sed quæ diuina largitate fit nostra: sicut in dominica oratione dicimus: Panẽ nostrum quotidianum da nobis hodie. Ecce & nostrum dicimus: & tamẽ vt detur oramus. Noster quippe fit cùm accipitur, qui tamẽ Dei est: quia ab illo datur. Et Dei ergo est ex munere: & noster fit veraciter per acceptionem. Ita ergo hoc loco homini suã iustitiam Dominus reddit: nõ quã ex semetipso habuit, sed quã cõditus vt haberet accepit, & in qua lapsus perseuerare noluit.

Psal.88.

Gene.32.

1.Cor.13.

Iustitia nostra quomodo nostra.

Matth.6.

Illam ergo iustitiam reddet Deus homini, ad quam conditus
suit, vt inhærere Deo libeat, vt minacem eius sententiam per-
timescat, vt serpentis callidi blandis iam promissionibus non
credat. Quod enim in Paradiso egit, hoc quotidie antiquus
hostis agere non desistit. Verba quippe Dei de cordibus ho-
minum molitur euellere, atque in eis ficta promissionis suæ
blandimenta radicare: quotidie hoc quod Deus minatur le-
uigat, & ad hoc credendum quod fallum promittit, inuitat.
Falsò enim pollicetur temporalia, vt mentibus hominum ea
supplicia leuiget, quæ Deus minatur æterna. Nam cùm præ-
sentis vitæ gloriam spondet, quid aliud dicit quàm gustate &
8 eritis sicut dij? Ac si apertè dicat: Temporalem concupis-
centiam tangite, & in hoc mundo sublimes apparete. Et cùm
timorem diuinæ sententiæ amouere conatur: quid aliud lo-
Gene.3. quitur quàm id quod primis hominibus dixit: Cur præcepit
vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno Paradisi?
Sed quia diuino munere redemptus homo iustitiam recepit,
quam dudum conditus amisit, robustiorem se iam cõtra blan-
dimenta callidæ persuasionis exercet: quia experimento di-
dicit quantum obediens esse debeat præcepto. Et quem tunc
culpa duxit ad pœnam, nunc pœna sua restringit à culpa: vt
tantò magis delinquere metuat, quantò cogente supplicio &
ipse iam quod perpetrauit, accusat. Vnde & sequitur:

Quòd qui sanctorum patrum exempla respicit, eorum comparatione se inferiorem cognoscit. Caput VI.

R*Espiciet homines, & dicet: Peccaui.*) Sed peccatorem se non
cognosceret, si iustitiam non haberet. Nemo quippe tor-
titudinem suam nisi cùm rectus esse cœperit, deprehendit.
Nam qui omnino peruersus est, neq; hoc potest videre quod
est. Qui verò peccatorem se intelligit, iam ex parte aliqua iu-
stus esse inchoauit, atque id quod non iustus fecerat, ex eo
quòd iustus est accusat. Qua accusatione sua Deo inhærere
inchoat, dum rectum contra se iudicium proferens, hoc in se
quod illi sentit displicere, condemnat. Recepta ergo iustitia
sua dicit homo iste: Peccaui. Et notandum quod præmitti-
tur, Respiciet homines: & tunc deinde subiungitur. Et dicet,
Peccaui. Ideo enim nonnulli peccasse se nesciunt: quia ho-
mines non attendunt. Nam si considerarent homines, citius a-
gnoscerent quantum peccando infra homines cecidissent. Et
quanuis scriptura sacra aliquando homines ponere soleat hu-
1. *Corint.* 3. mana sapientes, sicut ait Apostolus: Cùm enim sit inter vos
zelus & contentio, nónne carnales estis? & paulopòst subiicit
dicens: Nónne homines estis? Nonnunquam tamen homi-
nes dicit eos quos à bestiis ratio distinguit, id est, quos non
atteri bestiali passionum motu demonstrat. Quibus per Pro-
*Ezech.*34. phetam Dominus dicit. Vos autem greges pascuæ meæ ho-
mines estis: quia illos nimirum Dominus pascit, quos volu-
ptas carnis iumentorum more non afficit. At contrà hi qui
carnali affectioni succumbunt: non iam homines sed iumenta
nominantur: sicut de quibusdam qui in peccato suo moriun-
*Iohel.*1. tur, per Prophetam dicitur: Computruerunt iumenta in ster-
core suo. Iumenta quippe in stercore suo computrescere, est
carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire. Non enim
esse homines, sed iumenta declarantur: de quibus per Prophe-
H tam dicitur: Vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat.
*Hiere.*5. Et de quibus Propheta alius dicit: Vt carnes asinorum, carnes
*Ezech.*23. eorum: & fluxus equorum, fluxus eorum. Vnde & per Da-
*Psalm.*48. uid dicitur: Homo cùm in honore esset, non intellexit, com-
paratus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.
Cùm ergo vocentur homines hi qui iustitiæ ratione suffulti
sunt: & irrationabilia iumenta nominentur hi qui carnali de-
lectationi deseruiũt: rectè de hoc pœnitẽte dicitur: *Respiciet*
9 *homines, & dicet: peccaui.*) Ac si dicatur: Sanctorũ virorũ exẽ-
pla conspicit, atq; eorum comparatione se pensans iniquum se
esse deprehẽdit. Qui enim plenissimè intelligere appetit qua-
lis est, tales nimirum debet conspicere qualis non est: vt ex
bonorum forma metiatur, quanto ipse deserto bono deform-
is est. Ex his quippe quibus plenissimè bona assunt, per-
pendit rectè quæ sibi minus sunt: atque in illorum pulchritu-
dine conspicit fœditatem suam, quàm in semetipso, & potest
perpeti, & sentire non potest. Lucem nanque debet conspice-
re, qui vult de tenebris iudicare, vt in illa videat quid de te-
nebris æstimet, per quas videre præpeditur. Peccator nanque
si incognita vita iustorum semetipsum conspicit, peccatorem
se nullatenus comprehendit. Videre enim se non potest, quia
fulgorem lucis nesciens, cùm semetipsum conspicit, quid a-
liud quàm tenebras attendit? Iustorum ergo debemus vitam
conspicere, vt subtiliter deprehendamus nostram. Illorum
videlicet species quasi quædam forma nobis imitanda propo-
nitur, quia viua lectio est vita bonorum. Vnde & non imme-
ritò iidem iusti in sacro eloquio libri nominantur, sicut scrip-
tum est: Libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vi-
tæ, & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris.
Liber nanque vitæ est ipsa visio aduenientis iudicis. In quo
quasi scriptum est omne mandatum: quia quisquis eum vi-
derit, mox teste conscientia quicquid non fecit intelligit. Li-
bri etiam aperti referuntur: quia iustorum tunc vita conspici-
tur, in quibus mandata cœlestia opere impressa cernuntur. Et
iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris: quia in
ostensa vita iustorum quasi in expansione librorum legunt
F bonum quod agere ipsi noluerunt, atque ex eorum qui fece-
runt comparatione damnantur. Ne ergo vnusquisque tunc
videns eos, quod non fecit defleat, nunc in eis quòd imitetur
attendat. Quod quidem facere electi non cessant. Meliorem
nanque vitam considerant & deterioris vsus conuersationem
mutant. Vnde sponsi voce sanctæ Ecclesiæ in Canticis canti-
corum dicitur: Duo vbera tua sicut duo hinnulli capreæ 10
gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, & inclinen- *Canti.*4.
tur vmbræ. Quæ enim sunt duo vbera, nisi ex Iudæa ac gen-
tilitate veniens vterque populus, qui in sanctæ Ecclesiæ cor-
pore per intentionem sapientiæ arcano est cordis infixus? Ex
quo populo hi qui electi sunt, idcirco capreæ hinnulis com-
parantur, quia per humilitatem quidem parnos sese ac pecca-
tores intelligunt, sed eis per charitatem currẽtibus, si qua ob-
stacula de impedimento temporalitatis obuiant, transeunt, &
datis contemplationis saltibus ad superna transcendunt. Qui
vt hæc agant, præcedẽtium sanctorum exempla conspiciunt.
Vnde, & in liliis pasci referuntur. Quid enim per lilia, nisi
G illorum vita declaratur, qui veraciter dicunt: Christi bonus *2.Corinth.*2.
odor sumus Deo? Electi ergo vt assequi summa præualeant,
conspecta odorifera, & candida iustorum vita satiantur. Iam
quidem videre Dominum sitiunt, iam de eius contemplatio-
ne satiari charitatis æstibus inardescunt. Sed quia in hac vita
positi, necdum valent, per præcedentium interim patrum
exempla pascũtur. Vnde & aptè illic tempus de ipso liliorum
pastu diffinitur, dum dicitur: Donec aspiret dies, & inclinẽtur
vmbræ. Tandiu quippe refici iustorum exemplis indigemus,
donec præsentis mortalitatis vmbras æterno die aspirãte trãs-
eamus. Cùm enim huius temporalitatis vmbra transacta hac
mortalitatis fuerit inclinata, quia ipsius diei internum lumen
cernimus, nequaquam iam appetimus, vt ad amorem eius per
aliorum exempla flagremus. Nunc autem quia necdum eum
intueri possumus, summopere necesse est, vt eorum qui illum
perfectè secuti sunt, conspectis actionibus incitemur. Intueamur
ergo quàm pulchra est agilitas sequentium, & videamus
quàm turpis sit hebetudo pigrorum. Statim nanque vt bene
agentium gesta respicimus, nosmetipsos confusione intima
vlciscente iudicamus: mox verecundia mentem concutit,
mox iustè sæuiens reatus addicit, & vehementer hoc etiam
displicet, quod adhuc fortasse turpiter libet. Vnde per Eze-
chielem dicitur: Fili hominis ostende domui Israël templum, *Ezech.*14.
vt confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam
& erubescant ex omnibus quæ fecerunt. Templum quippe
Dei filiis Israël ad confusionem ostenditur, quando vniuscu-
iusque iusti anima quam inspirando Deus inhabitat, quanta
sanctitate fulgeat, ad cõfusionem suam peccatoribus demon-
stratur: vt in illa bonum quod negligunt videant, & in seip-
sis malum quod operantur erubescant. Metiri verò fabricam,
est pensare subtiliter iustorum vitam. Sed dum metitur fabri-
cam necesse est, vt ex cunctis, quæ facimus erubescamus: quia
bonorum vitam quantò subtilius pensando discutimus, tantò
seuerius in nobis omnia iniquè gesta reprobamus. Bene au-
tem Prophetæ dicitur, vt ostendat templum. Quia enim iu-
storum rectitudinem considerare peccator dissimulat, saltem
hanc ex voce prædicantis agnoscat. Templum quippe
peccatoribus ostendere, est sponte sua considerare nolenti-
bus

*Apoc.*20. *Liber vitæ visio aduenientis iudicis.*

bus rectorum opera narrare. Qui ita que, sicut diximus, per-
duci ad summa desiderãt, semper necesse est vt meliorũ pro-
fectibus intendãt: quatenus tantò districtius in se culpas iudi-
cent, quantò in illis altius quòd admirentur vident. Sed quid
ista de peccantibus dicimus, cùm ipsos quoque operatores
Diuersitas dispensationis in operatoribus iustitiæ. iustitiæ tanta prouehi dispensatione videamus? Alius nanque
donum scientiæ accipit: & tamen ad virtutem miræ abſti-
nentiæ non pertingit. Alius magna abstinentię virtute accin-
gitur: nec tamen in summa scientiæ contemplatione dilata-
tur. Alius per prophetiæ spiritum valet omnia ventura præ-
noscere: sed tamen per curationis gratiam non valet præsen-
tis molestiæ mala subleuare. Alius per curationis gratiam
mala præsentis molestiæ subleuat: sed tamen quia prophetiæ
spiritum non habet, quid sequatur, ignorat. Alius indigenti-
bus multa iam propria largiri potest: sed tamẽ iniustè agenti-
bus obuiare liberè nõ potest. Alius iniustè agentib' audacter
pro Deo obuiat: sed tamen indigentibus quæ habet tribuere
omnia recusat. Alius iam & ab ocioso se sermone restrin-
gens, linguæ lasciuiam superat: sed tamen adhuc insurgentes
B iræ stimulos perfectè non calcat. Alius insurgentem iram iam
perfectè edomat: sed tamen adhuc linguam in lætitiam rela-
xat. Quid est hoc quòd iste eo bono indiget quo alius pol-
Ratio. let: & ille cum multis polleat, abundè aliis bonum adesse con
siderat, quod sibi deesse suspirat? nisi quod mira nobiscum
dispensatione agitur, vt per hoc quod alter habet, & iste non
habet, vnus altero melior ostendatur: quatenus tantò arden-
tius ad humilitatem quisque proficiat, quantò ex bonis quæ
non habet, inferiorem se habentibus pensat. Sícque fit vt
dum ille in isto atque hic in illo respicit quod admiretur, dis-
tincta bona & ab altitudine elationis reprimant, & ad stu-
dium profectus accendant. Magna nanque sollicitudine ad
curam nostræ meliorationis accingimur, quando id virtutis
Ezechie 3. in aliis cernimus quod non habemus. Vnde Ezechiel pro-
pheta cùm volantia animalia descripsisset, adiunxit: Et audi-
ui post me vocem commotionis magnæ, benedicta gloria
Domini de loco sancto suo: & vocem alarum animalium
C percutientium alteram ad alteram. Quid nanque alas anima-
lium, nisi virtutes debemus sentire sanctorum? Qui dum ter-
rena despiciunt, ad cœlestia volando subleuantur. Vnde re-
11. ctè etiam per Esaiam dicitur: Qui confidunt in Domino,
Esaiæ 40. mutabunt fortitudinem, assument pennas vt aquilæ. Volan-
tia itaque animalia alis suis se vicissim feriunt: quia sancto-
rum mentes in eo quod superna appetunt, consideratis inui-
cem alternis virtutibus excitantur. Ala enim sua me percu-
tit, qui exemplo sanctitatis propriæ me ad meliùs accendit.
Et ala mea vicinum animal ferio, si aliquando alteri opus bo-
num quod imitetur ostendo. Sed quia sanctorum vitam si-
gnificari istis animalibus dicimus, libet in ipso volatu anima-
lium oculos mentis attollere, & quanta vicissim alarum per-
cussione se excitent subtili consideratione pensare. Paulus
nanque cùm cæterorum sanctorum sollicitudinem in præ-
dicatione robustius laborando transcenderet, vt ab elatione se
premeret, & vires suas in humilitatis gremio nutriret, crude-
litatis suæ antiquæ non immemor, Apostolorum omnium
D 1.*Corin.* 15. innocentiam contemplatus ait: Ego enim sum minimus A-
postolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia
persecutus sum Ecclesiam dei. Et tamen eorundem omnium
Apostolorum primus quasi accepti principatus oblitus, ac si
minus ipse aliquid saperet, in Paulo sapientiam miratur di-
cens: Sicut & charissimus frater noster Paulus secundum da-
tam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus epi-
stolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficili-
a intellectu. Ecce Paulus in Apostolis miratur innocentiã,
12. ecce Apostolorum princeps miratur in Paulo sapientiam:
Quid est hoc nisi quòd sancti viri dum virtutum consi-
deratione vicissim sibi alios præferunt, volentia animalia a-
larum percussione se tangunt: vt eo ad volatum se altiùs ex-
citent, quo humiliùs alter in altero quod admiretur videt?
Hinc itaque colligendum est quanta debemus sollicitudine
meliorum vitam conspicere, nos qui in infimis iacemus, si &
hi qui iam tanta sanctitate sublimes sunt, vt per humilitatis
gressus ad maiora proficiant, adhuc quærunt in aliis quod i-
*Prouer.*18. mitantes admirentur. Sed hæc reprobi nesciunt: quia mentis

A oculos semper in infimis premunt, qui & si quando in viam
Domini veniunt, non ad meliorum vestigia, sed ad intuenda
semper deteriorum exempla vertuntur. Neque enim eorum
vitam considerant, quibus se humiliando postponãt, sed qui-
bus superbiendo se præferant. Deteriores nanque respiciunt,
quibus meliores se esse gloriantur, & idcirco proficere ad me-
liora non possunt: quia hoc sibi sufficere æstimant, quod pes-
simos antecedũt. O miseri, viã pergunt, & in terga respiciũt.
Per spem qũidem quasi ante se pedem proferũt, sed per con-
siderationem prauorũ, hominum post se oculos tendunt. Re-
cti videri appetunt, sed ad inueniendum se tortã regulam su-
munt. Si enim semetipsos quales sunt cognoscere appetunt,
non deteriorum conspicere, sed meliorum exempla debue-
rant. Idcirco ergo peccatores se esse non intelligunt, quia ho-
mines non attendunt. Nam si homines attenderent, quantum
peccando distarent à bonis hominibus, inuenirent. De hoc
ergo pœnitente qui idcirco bonorum exempla considerat, vt
sibimetipsi quantum à bono recesit innotescat, bene dicitur:
B *Respiciet homines, & dicet: Peccaui, & verè deliqui, & vt eram dignus non recepi.*) Peccatores se esse plerunque confitentur etiam, qui
se peccasse non credunt. Nam sepe contingit, vt passim se ho-
mines iniquos esse fateantur, sed cùm peccata sua veraciter a-
liis arguentibus audiunt, defendunt se summopere, atque in-
nocentes videri conantur. Vnusquisque ergo cùm talis est, si
deliquisse se dicit, verè non dicit, quippe qui peccatorem se
non ex cordis intimo, sed verbotenus asserit. Quia enim scri-
ptum est: Iustus in principio accusator est sui: iste de confes-
sione peccati ornari voluit, non humiliari, per accusationem
suam humilis appetiit videri, nõ esse. Nam si confitendo pec-
catum esse humilis veraciter appetereet, de perpetratione pec-
cati arguentes se alios non impugnaret. Itaque iustus vitam
suam iudicans, per exempla meliorum ex corde intimo co-
gnoscit se esse quod dicit. Ait enim: *Peccaui, & verè deliqui:* at-
que de eoipso quod tolerat flagello subiungit: *Et vt eram dignus non recepi.*) Vnusquisque enim in flagello positus, minus *Error flagellatorum.*
adhuc peccata sua considerat, si vel tantum, vel amplius se
C percussum quàm merebatur existimat. Iste autẽ quia quantò *Rectacognitio.*
maiorum exempla considerat, tantò districtiori examinatio-
ne se pensat, minus se percussum quàm merebatur agnoscit:
quia in illorum iustitia conspicit quàm grauis sibi culpa fuerit
quod errauit, & idcico hoc quòd patitur, districtum esse non
sentit, quia districtè nouit pensare quòd fecit. Valde autem fa-
cilè est, vt peccatorem se quisque cùm nihil pro peccato suo
patitur, fateatur. Securè videlicet iniquos nos dicimus, cùm
vindictã nullam de iniquitate sentimus. Nam peccatores nos
quidem in tranquillitate loquimur, sed cùm de peccatis ipsis
flagello interueniente corripimur, murmuramus. Pœna ergo
nos interrogat, si veraciter cognoscimus culpam. Vir itaque
iustus quia culpam suam districtè considerat, etiam in flagel-
lo positus dicat: *Et vt dignus eram non recepi*) Sequitur: *Liberauit enim animam suam, ne pergeret in interitum.*) Quia præueniente
diuina gratia in operatione bona nostrum liberum arbitrium
sequimur, nosmetipsi nos liberare dicimur, qui liberanti nos
D Domino consentimus. Vnde Paulus cùm diceret: Abundan-
tius illis omnibus laboraui: ne labores suos sibi tribuisse vide-
ret, ilicò adiunxit: Nõ autem ego, sed gratia Dei mecum. Quia 1. *Cor.* 15.
enim preuenientem Dei gratiam, etiam ipse per liberum arbi-
trium suerat subsecutus, aptè subiungit: Mecum: vt & diuino
muneri non esset ingratus, & tamen à merito liberi arbitrij nõ
remaneret extraneus. De hoc autem qui liberatori suo semet-
ipsum cognoscendo consensit, rectè dicit: Liberauit animam
suam, ne pergeret in interitum. Sequitur: *Sed viuens lucem videret.*) Lucem scilicet veritatis, quam corde mortuus videre nõ
posset. Vel etiam certè quia Dominus dixit: Ego sum lux *Ioan.*8.
mundi: videbunt lucem etiam mortui, quando omnes iniusti
eum venire ad iudicium in humanitatis forma conspexerint.
Sed viuens tunc lucem respicit, qui liberis oculis cordis in for-
ma eum diuinitatis attendit. Sequitur:

Quòd illa tentationum genera quæ numerata sunt, operatur Deus in nobis, vt labore conuersionis, & prouocatione tentationis, & timore mortis auriti purgemur, & post amaritudines gaudia subsequantur.
Caput VII.

HAec omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos.) De hoc tentato flagellatóque homine dictũ superius fuerat: Abominabilis ei fit in vita sua panis, & appropinquauit corruptioni anima eius, & vita illiꝰ mortiferis. Inferius verò subnexum est: Deprecabit Deũ, & placabilis ei erit, & videbit faciem eius in iubilo, & liberauit animam suam ne pergeret in interitum, sed viuens lucem videret. In his itaque iam collectis coaceruatísq; sententiis, & suprà mœror amaritudinis, & infrà subiuncta est lætitia securitatis, móxque post hæc dicitur: Hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos. Ac si diceret: Quod semel de vno dixi, hoc tribus vicibus per singulos agitur. Sed solerter intuendũ est, quæ tres istæ vices sint, quibus vnusquisque homo anxietate mœroris afficitur, & post mœrorem protinus ad securitatem lætitiæ reuocatur. Id enim superius, sicut iam dixi, narrauerat, quòd & grauis prius mœror afficit, & magna postmodũ lætitia attollit. Igitur si vigilanter intẽdimus, has tres vices mœroris, & lætitiæ in vniuscuiusq; electi animo istis alternari modis inuenimus, id est, cõuersione, tentatione, & morte. In prima quippe quã diximus cõuersionis vice, grauis mœror est, cũ sua vnusquisque peccata considerans, curarum seculariũ vult cõpedes rũpere, & viam Dei per spatiũ securę conuersationis ambulare, desideriorum tẽporalium onus graue abiicere, & lene iugum Domini libera seruitute portare. Cogitãti enim ista, occurrit illa familiaris sua delectatio, carnalis, quæ inueterata dudum quãtò eũ diutius tenuit, tãtò arctiꝰ astringit, atq; à se tardius abire permittit. Et quis ibi mœror, quæ anxietas cordis, quãdo hinc spiritus vocat, hinc caro reuocat, hinc amor nouę cõuersationis inuitat, hinc vsus vetustæ peruersitatis impugnat, hinc desiderio ad cœlestem patriã flagrat, & hinc in semetipso carnalem cõcupiscentiam tolerat, quę eum etiã aliquo modo inuitum delectat? Rectè ergo de hoc amarescente homine dici potest: Abominabilis ei fit in vita sua panis, & appropinquauit corruptioni anima eius, & vita illiꝰ mortiferis. Sed quia diuina gratia diu nos istis difficultatibus affici non permittit, ruptis peccatorum nostrorũ vinculis citius nos ad libertatem nouę cõuersationis cõsolando perducit, & præcedentem tristitiam subsequens lætitia refouet: ita vt conuersi vniuscuiusque animus eò magis ad votũ suum perueniendo gaudeat, quò magis se pro illo meminit laborãdo doluisse. Fit cordi immensa lætitia: quia ei quem desiderat, iam per spem securitatis propinquat, vt rectè de hoc dici debeat. Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit, & videbit faciem eius in iubilo, vel certè liberauit animam suam ne pergeret in interitum, sed viuens lucem videret. At ne conuersus quisque iam sanctum se esse credat, & quem mœroris pugna superare non valuit, ne ipsa postmodum securitas sternat, dispensante Deo permittitur, vt post conuersionem suam tentationũ stimulis fatigetur. Iam quidem per cõuersionem rubrum mare transitum est, sed adhuc in eremo vitæ præsentis ante faciem hostes occurrunt. Iam peccata præterita velut extinctos Aegyptios post terga relinquimus, sed adhuc nocentia vitia quasi alij hostes obuiant, vt ad terram promissionis pergentibus cœptum iter intercludant. Iam priores culpæ velut insequentes aduersarij sola diuina virtute prostratæ sunt, sed tentationũ stimuli quasi hostes alij cõtra faciẽ veniũt, qui & cùm nostro labore superentur. Cõuersio videlicet securitatẽ parit, mater autẽ negligentiæ solet esse securitas. Ne ergo securitas negligentiã generet, scriptũ est: *Eccle.2.* Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Non enim ait ad requiem, sed tentationem: quia hostis noster adhuc in hac vita nos positos, quantò magis nos sibi rebellare conspicit, tantò amplius expugnare cõtendit. Eos enim pulsare negligit, quos quieto iure possidere se sentit. Cõtra nos verò eò vehementius incitaẽ, quò ex corde nostro quasi ex iure propriæ habitationis expellitur. Hoc enim in seipso Dominus sub quadã dispẽsatione figurauit, qui diabolum non nisi post baptisma se tentare permisit, vt signũ nobis quoddam futuræ conuersionis innueret, quòd membra eius postquàm ad Deum proficerent, tunc acriores tentationum insidias tolerarent. Post primam igitur vicem mœroris atque lætitiæ, quam vnusquisque per studium conuersionis agnoscit, hæc secũda suboritur: quia ne securitatis ne- E gligentia dissoluatur, impulsu tentationis afficitur. Et quidem quisque in ipso conuersionis initio magna plerunque excipitur dulcedine cõsolationis, sed durum laborem postmodum experitur probationis.

13. Tres quippe modi sunt conuersorum, inchoatio, medietas, atque perfectio. In inchoatione autem inueniunt blandimenta dulcedinis, in medio quoque tempore certamina tentationis, ad extremum verò perfectionem plenitudinis. Prius ergo illos dulcia suscipiunt, quæ consolentur, postmodum amara, quæ exerceant, & tunc demum suauia atque sublimia, quæ confirmẽt. Nam & sponsam suam vir quisque prius dulcibus blandimentis fouet, quam tamen iam coniunctam asperis increpationibus probat, probatam verò securis cogitationibus possidet. Vnde & plebs Israëlitica cùm despondente se Deo ad sacras mentis nuptias ex Aegypto vocaretur, quasi arrarum vice prius accepit blandimenta signorum: coniuncta autem probationibus exercetur in eremo, probata verò in repromissionis terra virtutis plenitudine confirmatur. Antè F igitur in miraculis degustauit quod appeteret, postmodũ in labore tentata est, si custodire nouerit quod gustasset. Ad extremũ quoque plenius accipere meruit, quod laboribus probata custodiuit. Ita ergo vitam vniuscuiusque cõuersi, & inchoatio blanda permulcet, & aspera medietas probat, & plena pòst perfectio roborat. Nam sæpe conuersi quique in ipso adhuc aditu inchoationis suæ, vel tranquillitatem pacatissimam carnis, vel dona prophetiæ, vel prædicamenta doctrinæ, vel signorum miracula, vel gratiam curationis accipiunt: post hæc autem duris tentationum probationibus fatigantur, à quibus tentationibus adhuc cùm inciperent, valde liberos se esse crediderunt. Quod diuinæ gratiæ dispensatione agitur, ne in inchoatione sua tentationum asperitate frangãtur: quia si eorum initia amaritudo tentationis exciperet, tam facilè ad ea quæ reliquerant redirent, quàm nec longius discesserant: nam contemptis prius vitiis quasi iuxtà positis replicarentur. Vnde & scriptum est: *Exodi.13.* Cùm emisisset Pharao populum, G non eos duxit Dominus per viam terræ Philistiim, quæ vicina est, reputans ne fortè pœniteret cum si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Aegyptum. Ex Aegypto itaque exeuntibus è vicino bella subtrahuntur: quia derelinquentibus seculum, quædam prius tranquillitas ostẽditur: ne in ipsa sua teneritudine atque inchoatione turbati, ad hoc territi redeant quod euaserunt. Prius ergo suauitem securitatis sentiũt: prius pacis quiete nutriuntur: post cognitam verò dulcedinem, tantò iam tolerabiliùs tẽtationum certamina sustinent, quantò in Deo altiùs cognouere quod ament. Vnde & Petrus prius in montem ducitur, *Marci.9. Matth.26.* prius claritatem transfigurationis dominicæ contemplatur: & tunc demum tentari ancilla interrogante permittitur, vt per tentationem factus sibi ex infirmitate conscius, ad illud flendo, & amando recurreret quod vidisset: & cùm eum timoris vnda in peccati pelagus raperet, esset prioris dulcedinis anchora quæ retineret. Sæpe etenim tam diutina sunt tentationum certamina, quàm longa inchoationum fuerant blandimenta. H Sæpe verò maius datur in inchoatione dulcedinis, minus autem in labore probationis. Sæpe minꝰ in inchoatione dulcedinis, maius in labore probationis. Nunquam verò laborem tentationis dispar sequitur perfectio firmitatis: quia iuxta summam certaminis, remuneratur quisque plenitudine perfectionis. Plerunque autem in eo quisque conuersus labitur, quod dum quibusdam donis gratiæ dulcedine inchoationis excipitur, confirmationem accepisse se perfectionis arbitratur, & plenitudinis consummationem æstimat, quæ adhuc blandimenta esse inchoationis ignorat. Vnde fit vt dum subita tentationis procella tangitur, despectũ se Deo & perditum suspicetur. Qui si inchoationi suæ nõ passim crederet, adhuc in prosperis positus, mentẽ ad aduersa præpararet, & vitiis venientibus postmodum tam firmiùs resisteret, quàm ea etiam sagaciùs præuidisset. Quæ quidem tranquilliùs si præuidet tolerat. Eorum tamen omnino certamina, etiam si præuideat, nõ declinat: quia cursus nostri itineris nequaquam peragitur sine puluere tentationis. Plerunque autem conuersus quisque talibus tentationum stimulis agitatur, qualibus ante conuersionis gratiam nunquam pulsatum se esse reminiscitur:

non quia tunc hæc eadem radix tentationis deerat, sed quia non apparebat.

14. Humanus quippe animus multis cogitationibus occupatus est, sæpe sibimetipsi aliquo modo manet incognitus, vt omnino quod tolerat, nesciat: quia dum per multa spargitur, ab interna sui cognitione remouetur. Si autem Deo vacare appetat, & ramos multimodæ cogitationis abscindat, tunc liberè conspicit, quod de intima radice carnis procedit. Carduus nanque si nascatur in via, itinerantium pedibus teritur, atque ipso vsu transeuntium eius superficies ne appareat confringitur. Sed quamuis desuper fructificantes spinæ non appareant, subter tamen radix occulta perdurat. Si autem eum transeũtium pedes terere, & calcare cessauerint, mox in superficiem surgendo progreditur, & per spinam prodit in publicum, quicquid in radice viuebat occultum. Ita & in corde secularium sępe occulta quędam tentationum radix non facilè apparet exurgere: quia velut in via actionum sita, transeuntium teritur pede cogitationum, & per innumeras curas quasi multis itinerantibus premitur, ne videatur. Si autem per conuersionis gratiam à via cordis curarum turba remouetur, vt nulla actionum insolentia conterat, nullus cogitationum tumultus premat, tunc quod occultum latebat agnoscitur, tũc de radice vitiorum pungit liberè spina tentationum. Contra quam bene viuentis manu agitur, vt inquantum potest fieri, non tegatur occulta, sed radicitùs euellatur. Quod donec fiat, vniuscuiusque conuersi animum ita hæc spina conturbat, vt sæpe percussione subita penè superari se sentiat, eiusque vulnus medullitùs inflictum exitialiter pertimescat.

15. Plerunque verò ipsi tentationum stimuli dum in vsum veniunt, dilatantur, & non quidem acriores, sed longiores existunt. Minus autem dolent, sed magis inficiunt: quia dum menti diutius adhærent, tantò fiunt minus pauendi, quantò magis assueti. Inter hæc ergo depressa mens huc illucque distenditur, & multiplicibus tentationum æstibus dissipatur, & sæpe hincinde prouocata, cui tentanti vitio obuiet, vel quod primum impugnet, ignorat. Vnde plerunque euenit, & dum nimis insurgẽtia vitia cruciant, dum repugnantis animum iamiamque quasi in lapsum desperationis inclinant, conuersus quisque hanc ipsam sublimitatis viam quam sibi ad remedium elegit expauescat, & quasi in summo eductus titubat, qui in imo solidiùs stabat. Ita verò circunfrementibus tentationum motibus angustatur, vt rectè de eo dici debeat: Abominabilis ei fit in vita sua panis, & animæ illius cibus antè desiderabilis. Vel certè, Appropinquauit corruptioni anima eius, & vita illius mortiferis. Sed quia misericors Deus probari nos permitit tentationibus, non reprobari sicut scriptum est: *1.Corin.10.* Fidelis autẽ Deus qui non patitur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiã prouentũ, vt possitis sustinere: citius nobis consolationis ope succurrit, & surgentes tentationum stimulos mitigat, impugnantésque se cogitationum motus interna pace tranquillat. Moxque anima immensam de spe cœlesti lætitiam percipit, dum deuictum malum respicit quod tolerauit, vt iure de hoc tentato liberatóque homine dici debeat: Videbit faciem eius in iubilo: & Liberauit animam suam ne pergeret in interitum, sed viuens lucem videret. Istis itaque duabus vicibus, id est, conuersionis & probationis, per mœrorem lætitiámque transactis, superest tertia, cuius & mœrorem adhuc sustineat, & gaudia consequatur.

16. Post conuersionis nanque certamina, post probationis ærumnam, restat adhuc dura tentatio: quia venire non potest ad perfectæ gaudia libertatis, nisi prius debitum soluerit humanæ conditionis. Conuersus autem quisque sibi cautè sollicitus, tacitè secum considerare nõ cessat: ęternus iudex quàm districtus adueniat suumque terminum quotidie prospicit, & ante seueritatem tantę iustitię quas rationes vitæ suæ sit positurus attẽdit. Etsi cuncta praua opera quæ intelligere potuit deuitauit, vẽturus tamen corã districto iudice illa magis quæ in semetipso non intelligit pertimescit. Quis enim considerare valeat, quãta mala per momẽta tẽporum ipsis incõstantibus cogitationũ motibus perpetramus? Facile est enim opera peruersa vitare, sed nimis difficile est ab illicita cogitatione cor tergere. Et tamẽ scriptũ est: *Mich.2.* Vę vobis q cogitatis inutile.

A Et rursum: In die cùm iudicabit Dominus occulta hominũ. *Roma.2.* Qui etiam præmisit: Inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentiũ. Et rursum: Labia dolosa in corde, & corde locuti sunt mala. *Psalm.11.* Et rursum: Etenim in corde iniquitates operamini in terra. *Psalm.57.* Humana autem anima semel æternitatis statum deserens, ad fluxum temporalitatis delapsa, hãc mutabilitatem alternantium motionum, quam dum caderet volens appetiit, dum conatur surgere, cogitur inuita tolerare. Inde quippe punita est vnde delectata: quia inde cõuersa habet laborem certaminis, vnde peruersa appetiit gaudium voluptatis.

17. Sæpe ergo electis etiam nolentibus in cogitatione surripitur, quod in se quidem solerter inspiciunt, & ante Dei oculos quanti sit reatus attendunt: & cùm de his omnibus semper iudicia districta pertimescant, tunc tamen hæc vehementer metuunt, cùm ad soluendum humanæ conditionis debitum venientes, districto iudici appropinquare se cernunt. Et fit tantò timor acrior, quantò & retributio æterna vicinior. Ante oculos autem cordis nihil inane tunc transuolat B de phantasmate cogitationis: quia subductis è medio omnibus, se & illũ tantummodo considerant cui appropinquant. Crescit pauor vicina retributione iustitiæ, & vrgente solutione carnis quantò magis districtum iudicium iamiamque quasi tangitur, tantò vehemẽtiùs formidatur. Et si ea quæ sciunt, nunquam se prætermisisse meminerunt, formidant tamen illa quæ nesciunt: quia videlicet semetipsos diiudicare & comprehendere omnino non possunt, atque vrgente exitu, subtiliori terrentur metu. Vnde redemptor noster solutioni carnis appropinquans, & membrorum suorum seruans speciem, factus in agonia, cœpit prolixius orare. *Cur Christus in agonia factus prolixius orauit.* Quid enim pro se ille cùm in agonia esset peteret, qui in terra positus cœlestia cum potestate tribuebat? Sed appropinquante morte, nostræ mentis in se certamen expressit, qui vim quandam terroris ac formidinis patimur, cùm per solutionem carnis æterno propinquamus iudicio. Neque enim tunc cuiuslibet anima immeritò terretur, quando post pusillum hoc inuenit quod in æternum C mutare non possit.

18. Consideramus quippe quòd viam vitæ præsentis nequaquam sine culpa transire potuimus, consideramus etiam quia nec hoc quidem sine aliquo reatu nostro est, quod laudabiliter gessimus, si remota pietate iudicemur. Quis enim nostrum vitam præcedentium patrum valeat, vel superare, vel assequi? Et tamen Dauid dicit: *Psal.142.* Ne intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. *1.Cor.4.* Paulus cùm diceret: Nihil mihi conscius sum: cautè subiunxit: Sed non in hoc iustificatus sum. *Iaco.3.* Iacobus dicit: In multis enim offendimus omnes. *1.Ioan.1.* Ioannes dicit: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Quid ergo facient tabulę, si tremũt columnæ? Aut quomodo virgulta immobilia stabunt, si huius pauoris turbine etiam cedri quatiũtur? Solutioni ergo carnis appropinquans, nonnunquã terrore vindictæ etiam iusti anima turbatur. Cui etsi quid tranquillum in hac vita sapere potuit, mortis articulo interueniente concutitur, vt iure dici debeat: Abominabilis fit ei panis in vita sua, & animæ eius cibus D antè desiderabilis. Vel certè propter pauoris pœnam hoc quod illic subditur: Appropinquabit corruptioni anima eius, & vita illius mortiferis. Sed quia iustorũ animæ à leuibus quibusq; contagiis, ipso sæpe mortis pauore purgãtur, & æternæ retributionis gaudia iã ab ipsa carnis solutione percipiũt: plerumque verò contemplatione quadam retributionis internæ etiam priusquam carne expoliantur, hilarescunt: & dum vetustatis debitum soluunt, noui iam muneris lætitia perfruuntur, rectè dicitur: Videbit faciem eius in iubilo, vel certè liberauit animam suã ne pergeret in interitum, sed viuens lucẽ videret. Iusti itaque anima in iubillo faciem Dei cõspicit: quia tantùm de lætitia interna percipit, quantùm capere, vel assumpta vix possit. Ibi igitur lucem viuẽs videt: quia spiritalem oculum in radios interni solis infigit. Ibi lucem viuens videt: quia omni iam mutabilitatis vicissitudine atq; obumbratione calcata, veritati æternitatis inhæret, eíque inhærendo quem cernit, ad similitudinem incõmutabilitatis assurgit, atque in semetipsam authoris sui inconuersibilẽ speciem dũ respicit assumit. Quæ enim ad mutabilitatem per semetipsam lapsa est, ad immutabilitatis statum immutabilẽ videndo formatur. Igitur Heliu de

affiicto hoc liberatoq; homine, quia prius mœroris amaritudinem, & postmodum gaudia consolationis expressit, aptè subiunxit: Hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos: videlicet cõuersionis, probationis, & mortis: quia per tria hæc, & duris prius stimulis mœroris afficitur, & magnis postmodũ securitatis gaudiis refouetur. Et quia electi vniuscuiusque mens iisdem tribus vicibus, id est, vel labore cõuersionis, vel tentatione probationis, vel formidine solutionis atteritur, atque ipsa attestatione purgata liberatur, aptè subiungitur: *Vt reuocet animas eorum à corruptione, & illuminet luce viuentium.*) Lux quippe morientiũ est, quam corporeis oculis cernimus. Qui autem adhuc huic mundo viuũt, luce moriẽtium tenebrescunt. Illuminantur autẽ luce viuentiũ, qui despecto temporali lumine, ad splendorẽ internæ claritatis recurrunt, vt ibi viuant, vbi verum lumen sentiendo videant, vbi non aliud lumen, atque aliud vita, sed vbi ipsa lux vita sit: vbi sic nos lux exterius circũscribat, vt interius impleat: sic interius impleat, vt in circunscripta exterius circunscribat. Illuminantur ergo hac luce viuentium, quam tantò tũc subtiliùs conspiciunt, quantò nunc ad illam priùs viuunt. Magna Heliu ac valde fortia protulit, sed hoc vnusquisque arrogans habere propriũ solet, quòd dum vera ac mystica loquitur, subitò per tumorem cordis quædam inania & superba permiscet. Foris enim placere appetit in hoc quod veraciter sentit, & in de mox inanescit à vero, vnde per elationis typum recedit ab intimo. Quia enim approbari doct° exterius quærit, intus plenitudinem qua docebatur amittit. Vnde & Heliu quẽtenere arrogantiũ typum sæpe iam diximus, postmodũ multa sapientiæ profunda digessit, subitò post easdem sentẽtias veraces ac mysticas, fastu scientię inflatus exrollitur, cuius mox inflationis merito eius sensus ad inania verba deriuatur. Nam subdidit dicens: *Attende Iob & audi me, & tace dum ego loquor. Si autem habes quod loquaris, responde mihi. Loquere. Volo enim te apparere iustum. Quod si non habes audi me, tace, & ego docebo te sapientiam.*) Qualem se apud se habeat, hac locutione manifestat qua dicit: *Attende Iob & audi me, & tace dum ego loquor.*) Immẽsa enim superbia est, à seniore sibi reuerentiam exigere, & silentium imperare meliori se. Quia autem prædicatores iusti dum quoslibet corripiunt, sæpe per humilitatis gratiam ad cognitionum suarum intima reuertuntur, atque in eoipso quod corripiunt, ne quid fortasse sallantur exquirunt, correptiũque licentiam tribuunt, vt si quid pro seipsis iustius sentiant, fateantur, hoc nonnunquam etiam arrogantes imitari appetunt. Paulisper enim in verbis elatione postposita, quasi eorum quos corripiunt, si sortè reperire potuerint, iustitiam quærunt: non quia ita sentiunt, sed quia ornari per humilitatis speciem concupiscunt. Metuunt enim ne superbi ac tumidi, quia sunt, esse videantur. Vnde Heliu statim subdidit, dicens: *Si autem habes quod loqueris, responde mihi. Loquere. Volo enim te apparere iustum.*) Sed quia hæc ex corde non protulit, audire quod quæsierat non expectauit. Nam ilico subiunxit: *Quod si non habes, audi me, tace, & docebo te sapientiam.*)

Arrogantis proprium.

Qui enim veraciter quærunt audire quod iustum est, æquanimiter expectant audire quod quærunt. Heliu autem qui veraciter requisitionis verba non protulit, dici quod quæsierat non permisit, sed mox quod intrinsecus gestabat erupit, qualemque se in oculis suis habebat ostendit, dicens: *Tace, & docebo te sapientiam.*) Arrogantiam enim viri quando aliquid humiliter sonant, diu in eiusdem humilitatis specie nõ perdurant. Cùm fortasse quærunt vt audiant, mox loquendo obuiant ne doceantur: quia superficiem vocis quam protulerant, citius ostentationis intentio comprimit, quæ ex radice cordis exurgit: atque eandem humilitatis formam specietenus sumptam, eò celeriùs probant, quia aliena est, quò illam diutius tenere non possunt. Ecce Heliu iustitiam cùm requirit vt discat, promittit quia doceat. Ecce quasi requirẽdo quod iustũ est, aliquid planum sonuerat lingua, sed mox celare non potuit hoc quod altum tumebat cõscientia. Nam repentè subiunxit: *Tace, & docebo te sapientiam.*) Quia verò arrogantes omnes in eo quod proferunt typo superbiæ inflantur, & velut in alto positi, sic doctotum speciem sumunt, ac si eorum verba dignatione quadam super indignos homines cœlitus effundantur, bene à scriptore huius historiæ versus interponitur quo dicatur:

Textus capitis tricesimiquarti, libri beati Iob.

PRonuntians itaque Heliu etiam hæc locutus est: Audite sapientes verba mea, & eruditi auscultate me. Auris enim verba probat, & guttur escas gustu diiudicat. Iudicium eligamus nobis, & inter nos videamus quid sit melius: quia dixit Iob: Iustus sũm, & Deus subuertit iudicium meum. In iudicando enim me, mendacium est, & violenta est sagitta mea absque vllo peccato. Quis est vir vt est Iob, qui bibit subsannationem quasi aquam, qui graditur cum operantibus iniquitatem, & ambulat cum viris impiis? Dixit enim: Non placebit vir Deo, etiam si cucurrerit cum eo. Ideo viri cordati audite. Absit à Deo impietas, & ab omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, & iuxta vias singulorum restituet eis. Verè enim Deus non condemnabit frustra, nec omnipotens subuertet iudicium. Quem cõstituit alium super terram, aut quem posuit super orbem quem fabricatus est? Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius, & flatum ad se trahet. Deficiet omnis caro simul, & homo in cinerem reuertetur. Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur, & auscultа vocem eloquij mei. Nunquid qui non amat iudicium, sanari potest? Et quomodo tu cum qui iustus est, intãtum condemnas? Qui dicit regi apostata, qui vocat duces impios. Qui non accipit personas principum, nec cognouit tyrannum cùm disceptaret cõtra pauperem. Opus enim manuum eius sunt vniuersi. Subitò morientur, & in media nocte turbabuntur populi, & pertransibunt, & auferent violentum absque manu. Oculi enim eius super vias hominum, & omnes gressus eorum cõsiderat. Non sunt tenebræ, & non est vmbra mortis, vt abscondãtur ibi qui operantur iniquitatem. Neque enim vltrà in hominis potestate est, vt veniat ad Deum in iudicium. Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis. Nouit enim opera eorum, & idcirco inducet noctem, & conterentur. Quasi impios percussit eos in loco videntium. Qui quasi de industria recesserunt ab eo, & omnes vias eius intelligere noluerunt, vt peruenire facerent ad eum clamorem egeni, & audiret vocem pauperum. Ipso enim concedente pacem, quis est qui condemnet? Ex quo absconderit vultum, quis est qui contempletur eum? Et super gentes & super omnes homines. Qui regnare facit hominẽ hypocritam, propter peccata populi. Quia ergo ego locutus sum ad Deum, te quoque nõ prohibebo. Si erraui, tu doce me. Si iniquitatem locutus sum, vltrà non addam, nunquid à te Deus expetit eam, quia displicuit tibi? Tu enim cœpisti loqui, & non ego. Quòd si quid nosti melius, loquere. Viri intelligẽtes loquantur mihi, & vir sapiẽs audiat me. Iob autem stultè locutus est, & verba illius non sonant disciplinã. Pater mi probetur Iob vsque ad finem. Ne desinas ab homine iniquitatis, qui addidit super peccata sua blasphemiam. Inter nos interim constringatur, & tunc ad iudicium prouocet sermonibus suis Deum.

Caput VIII.

21. PRonuntians quoque Heliu etiam hæc locutus est.) Quid enim per huius pronuntiationis vocabulum, nisi inflatio elationis ostenditur? vt verba quæ de alta superbiæ radice veniebant, cum quadam quasi altitudine, & distinctione procederent. Ita videlicet prædicare omnes arrogantes solent. Cùm quodam enim fastu proferunt hoc quod singulariter intellex isse se credunt, & fortasse tunc humilitatem prædicant, cùm per elationis typum exempla superbiæ ostentant. Vnde fit vt eorum prædicatio concors sibi manere nõ possit: quia id quod rectum loquentes seminant, peruersè tumentes impugnant. Humilibus nanque auditoribus verba sua non compatiendo, sed vix dedignando largiuntur. Longè quippe se in altum positos æstimant, & super eosdem auditores suos quasi præcedentes doctrinæ respectum vix de summo dignanter inclinant. At contrà verba iustorum ex radice veniunt humilitatis, vt fructum valeant ferre pietatis, & quicquid salubre potuerint, nõ tumẽdo, sed cõpatiẽdo subministrant. Per verba quippe charitatis, vel se in auditoribus suis, vel auditores suos in se ita transformant, ac si & illi per istos hoc quod audiunt doceant, & isti per illos hoc quod docendo proferunt discant. Heliu ergo typum arrogantium tenens, & cum pronuntiationis ostentatione inchoans, quid dicat audiamus. Sequitur: *Audite sapientes verba mea, & eruditi auscultate me. Auris enim verba probat, & guttur escas gustus diiudicat.*) Ac si diceret: Sicut nec auris escas, nec guttur verba cognoscit, ita nec stultus quisque sententiam sapientis intelligit. Sapientes ergo atque eruditi audite quod dico, qui potestis ea quæ fuerint dicta cognoscere. Videamus igitur quantum tumeat, qui verba sua non nisi à sapientibus audiri decenter existimat. Verus autem sapientiæ prædicator dicit: Sapientibus & insipientibus debitor sum. At contrà arrogans in prædicatione sua aures tantummodo sapientium expectat: quia non ideo prædicat, vt possit quoslibet sapientes efficere, sed ideo sapientes quærit, vt possit quod senserit superbiendo monstrare. Sicut enim superius dictũ est, non illos appetit erudire, sed se ostendere: nec intuetur, quàm iusti qui audiunt fiant, sed ipse

22. quàm doctus cùm auditur appareat. Quia verò prædicationem arrogantium nullus admitteret, si non aliquid de humilitatis imagine permiscerent, bene Heliu postquam per tumida verba se extulit, rursum quasi ad æqualitatis concordiam condescendit, dicens: *Iudicium eligamus nobis, & inter nos videamus quid sit melius.*) Sed vtrum hoc iudicium ex humili corde quesierit, facilè cognoscimus si subsequentia eius verba pensemus. Sequitur: *Quia dixit Iob, Iustus sum, & Deus subuertit iudicium meũ. In iudicando enim me mendacium est, & violenta sagitta mea absque vllo peccato.*) Hæc beatum Iob dixisse queritur, quæ tamen quia minimè dixerit, requisita sacræ historiæ verba testantur. Sed qui iudicium æquè quæsierat, ex culpa quam finxit protinus sententiam promulgat. Nam sequitur:

Quòd superbi sine vllo timore Deum derideant, ita blasphemias pro nihilo habentes, sicut aquam deglutiens, in sorbendo non moratur.

Caput IX.

QVis est vir vt est Iob, qui bibit subsannationem quasi aquam, qui graditur cum operantibus iniquitatem, & ambulat cum viris impiis? Ecce iudicium quærens, iudicium protulit, & post allegationem suam nulla beati Iob expectata sententia eum damnatione dignum ex reproborum societate iudicauit. Ait enim: *Quis est vir vt est Iob?*) Vt vtique subaudiamus, nullus, Atque subiungit: *Qui bibit subsannationem quasi aquam.*) Aqua autem cùm bibitur, ita liquidè sumitur, vt ad sorbendum nulla sui pinguedine retardetur. Subsanationem verò vt aquam bibere, est Deum sine aliquo obstaculo cogitationis irridere, vt in eo quod superbit lingua, vel conscientia, nulla trepidatio contradicat. Hæc autem eius sententia super beatũ Iob quãtum à tramite veritatis exorbitet illa Domini attestatione cognoscimus, qua ad diabolũ dicit: Nunquid consideraſti seruũ meum Iob, quòd non sit ei similis in terra? Ecce quẽ veritas dicit absque comparatione iustum, eum Heliu asserit absque comparatione peccatorem. Sed hæc esse propria arrogantiũ prædicatorum solent, vt etiam afflictos auditores suos magis districtè corripere appetãt, quàm blandè refouere. Plus enim student vt mala obiurgando increpent, quàm bona laudando confirment. Superiores quippe videri desiderant, & magis gaudent cùm eorum animum ita eleuat, quàm cùm charitas exæquat. Semper inuenire optant quæ increpando rigidè feriant. Vnde scriptum est: In ore stulti virga superbiæ: quia videlicet percutere rigidè scit, sed compati humiliter nescit. Solent etiam prædicatores iusti auditores suos obiurgando corripere, solent in eorum vitiis districta increpatione sæuire. Vnde scriptum est: Verba sapientium quasi stimuli, & sicut claui in altum defixi. Rectè autem eorum verba claui vocati sunt: quia culpas delinquentium nesciunt palpare, sed pungere. An Ioannis verba claui non erant, cùm dicebat: Progenies viperarum, quis vobis demonstrabit fugere ab ira ventura? An verba Stephani claui non erant, cùm dicebat: Vos semper Spiritui sancto resistitis? An verba Pauli claui non erant, cùm dicebat: O insensati Galatæ, quis vos fascinauit? Et rursum cùm Coriathiis diceret: Cùm enim sit inter vos zelus & contentio, nónne carnales estis, & secũdum hominem ambulatis? Sed necesse est vt cautè videamus: quia prædicatores iusti in ipsis quos corrigunt, cùm ex parte alia fortasse aliquid bonæ operationis inueniũt, ad eadem obiurgationis verba cum quanta dispensatione descendunt. Ecce Paulus Corinthios docens, eósque in culpa diuisionis aspiciens exorsus est, dicens: Gratias ago Deo meo semper pro vobis, in gratia Dei quæ data est vobis in Christo Iesu: quia in omnibus diuites facti estis in illo. Multum profectò laudauit quos in Christo diuites in omnibus dixit. Et ecce adhuc blandimenta multiplicat, dicens: In omni verbo & in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis. Testimonium Christi confirmatum est in vobis dixit, ac si opere peregissent, quod doctrina didicerant. Et mox in laudis consummatione subiunxit: Ita vt nihil vobis desit in vlla gratia, expectantibus reuelationem Domini nostri Iesu Christi. Quæso te Paule istis tot fauoribus iam quò tendas, insinues. Et ecce paulò pòst sequitur: Obsecro vos autem fratres per misericordiam Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Significatum est enim mihi de vobis fratres mei: ab his qui sunt Cloës: quia cõtẽtiones inter vos sunt. De quibus contentionibus paulò pòst subdidit, dicens: Cùm enim sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Ecce quibus laudibus ad aperta correptionis verba descendit: ecce in corde audientium quàm blanda fauoris manu viam districtæ increpationis aperuit. Prius nanque superborum brachia studuit per blandimentorum vincula religare, vt postmodum potuisset vulnus superbiæ ferro correptionis incidere. Erant profectò in Corinthiis, & quæ laudari debuissent, erant & quæ argui. Peritus itaque medicus prius sana membra quę circa vulnus erant laudando palpauit, & postmodum putridum sinum vulneris feriendo transfixit. Habet ergo in sanctis prædicatoribus ad vtraque aptum doctrinæ regula pondus suum, vt & recta facientes nutriant, & peruersa animaduertentes abscindant.

Quid subsanationem bibere vt aquam.

Contra arrogantes.

Prouc. 14.

Eccle. 12.

Matib. 3.

Acto. 7.

Gala. 3.

1. Cor. 1.

1. Corin. 1.

Ibidem.

Quomodo iusti aliquando seuerè corrigunt, & quanto moderamine sancti in correctione vtantur.

Caput X.

NOnnunquam verò etiam prædicatores iusti rigidè feriunt. Sed aliud est cùm iustitia stimulat, aliud cùm superbia inflat. Iusti cùm seuerè corrigunt, internæ dulcedinis gratiam non amittunt. Nam sæpe pro inquietudine refrenanda prauorum, duritiam districti rigoris assumunt, sed intus charitatis igne liquefiunt, atque eorum amore ardent, in quos aspera correptione sæuiunt sęque etiam eis intrinsecus in secreto cordis humiliant, quos duris foris animaduersionum stimulis quasi despiciendo castigant. Plerunque autem & non despiciendo despiciunt, & non desperando desperant, vt tantò eos celerius à culpa reuiuiscere ac resilire faciant, quantò iam quasi vicinius mortis soueam ostentant. Sæpe etiam quodam decenti moderamine suas culpas coram discipulis indicant, vt illi audientes discant, quomodo semetipsos de suis actionibus subtiliter reprehendant. Tanta autem dispensatione se temperant, vt neque cùm se erigunt in-

trinsecus rigidi sint, neque rursum cùm se humiliãt, extrinsecus remissi: quia & in disciplina humilitatem custodiunt, & in humilitate disciplinam. Paulus disciplinã tenuit, cùm Corinthiis diceret: Cùm enim sit inter vos zelus & contentio, nónne carnales estis, & secundum hominẽ ambulatis? Sed humilitatem in disciplina non perdidit: quia deprecando præmisit dicens: Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Rursum humilitatem tenuit, cùm eisdem Corinthiis loquens paulò latius fortasse quàm voluerat, semetipsum reprehendit, dicẽs: Factus sum insipiens. Sed disciplinã in hac humilitate nõ perdidit: quia ilicò adiunxit: Vos me coëgistis. Exemplum magnæ humilitatis exhibuit, cũ discipulis dixit: Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominũ nostrũ, nos autem seruos vestros per Christum. Sed in hac humilitate disciplinam iustitiæ non amisit, qui eisdem delinquentibus dicit: Quid vultis, in virga veniam ad vos? & cætera. Sciunt ergo prædicatores sancti vtroque moderamine artem magisterij temperare, & cùm delinquentium reatus inueniunt, sciunt modò seuerè corripere, modò humiliter deprecari. Sed cùm arrogantes viri eos imitari appetunt, sumũt ab eis aspera verba correctionis, & sumere ab eis veraciter nesciũt, preces humilitatis. Magis enim terribiles volũt esse quã mites, & idcirco discunt vnde se erigant, & discere negligunt, vt animũ submittant. Cúmque admonere delinquentes placidè nesciunt, nimio rigoris vsu per inuectionis iracundiam etiam contra rectè agẽtes effrenantur. Quorum iste Heliu speciem tenens, beatum Iob non refouet, sed obiurgat dicẽs: *Quis est vir vt est Iob, qui bibit subsannationem quasi aquam, qui graditur cũ operantibus iniquitatem, & ambulat cum viris impijs?*) Et quia aliena semper est à veritate superbia, mox & ad falsã prorumpit, dicens: *Dixit enim: Non placebit vir Deo, etiam si cucurrerit cum eo.*) Quòd profectò quia minimè dixerit, quisquis beati Iob verba legit agnoscit. Sed qui idcirco loquit, vt semetipsum ostẽdendo superbiat, quid mirum, si in altero fingit quod reprehendat? Quomodo enim veritati cohæreat in verbis increpationis quem intra semetipsum longè ab eadem veritate dirimit tumor mentis? Sequitur: *Ideo viri corda ti audite me.*) Ecce icerum fastu superbiæ inflatus, eos tantummodo qui quasi dignè intelligendo se assequi valeant quærit: & sic quod sentiebat erumpit, dicens: *Absit à Deo impietas, & ab omnipotẽte iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, & iuxta vias singulorũ restituet eis.*) Bene dixit, quia in omnipotente Deo iniquitas, vel impietas non est. Sed in hac vita nequaquam semper hoc agitur quod subiũxit: quia iuxta opus suum singulis, & iuxta vias proprias reddit. Nam & multos illicita ac peruersa perpetrãtes gratuitò præuenit, atque ad opera sancta cõuertit, & nonnullos rectis actibus deditos, flagello interueniẽte corripit, ac sic placentes quasi displiceant affligit, Salomone attestante qui ait: Sunt iusti quibus multa eueniunt, quasi opera egerint impiorum: & sunt impij qui ita securi sunt, ac si iustorum facta habeant. Quo nimirum omnipotens Deus inæstimabili pietate dispensat, vt & iustos flagella crucient, ne opera extollent, & iniusti saltem sine pœna hanc vitam peragant: quia ad tormẽta quæ sine fine sunt, malè agendo festinant. Nam quia aliquando iusti nequaquam iuxta opera flagellantur, hac ipsa historia quam tractamus ostenditur. Neque enim idem beatus Iob pro culpa fuerat flagellatus, qui ante flagelli stimulũ ipso iudice attestãte laudatus est. Verius ergo Heliu diceret, si dixisset, Quia in omnipotente Deo impietas atque iniquitas non est, etiam cùm iuxta vias proprias hominibus reddere non videtur. Nam & quod à nobis non intelligitur, ex occulti iudicij non iniusta lance prosertur. Quia verò prædicatores arrogantes dum multa inania spargunt, etiã sæpe vera ac solida proferunt. Heliu rectè subiũgit: *Verè enim Deus nõ cõdemnabit frustra, nec omnipotens subuertet iudicium.*) Ad diabolum Dominus dixit. Commouisti me aduersus eum, vt affligerem eum frustra. Heliu autem dicit: Quia non condemnabit Dominus frustra. Quod vtique discordare dictis veritatis creditur, nisi subtili consideratione pensetur. Aliud nanque est damnare, aliud affligere. Affligit ergo iuxta aliquid frustra, sed frustra non damnat. An non iuxta aliquid frustra Iob afflixerat, cùm non delebatur vitium, sed meritum augebatur? Frustra enim condemnare non potest: quia damnatio fieri non ex parte ad aliquid potest, quæ videlicet in extremo punit omne quod hîc quisque iniquè commiserit. Nec omnipotens Deus subuertit iudicium: quia etsi minus recta videntur esse quæ patimur, rectè tamen in occulto examine decernuntur. Sequitur:

1.*Corin.*3.
1.*Corin.*1.
2.*Corin.*12.
2.*Corin.*4.
25. *Aliena semper est à veritate superbia.*
Eccles. 8.
Ratio.
26.
Aliud est damnare, aliud affligere.

Quòd ad amorem suum nonnullos Deus, & corpore & spiritu trahit, vt nihil caro, nihil mens de exterioribus appetat.

Caput XI.

QVem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem quem fabricatus est?) Vt videlicet subaudias, nullum. Per se quippe mundum regit, quem per se condidit, nec eget alienis adiutoriis ad regendum, qui non eguit ad faciendum. Sed hæc idcirco colliguntur, vt liquidò indicet: quia omnipotens Deus si per semetipsum regere non negligit quod creauit, quod bene creauit, vtique bene regit: quia quod piè condidit, impiè non disponit, & qui necdum facta curauit vt essent, quæ sunt facta nõ deserit. Quia ergo præsens est in regimine, qui autohor extitit in creatione, ideo curã nostri nõ præterit. Vnde & aptè subiungit: *Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius & flatum ad se trahet.* Curuum cor est, cùm ima appetit: dirigitur, cùm ad superna subleuatur. Si ergo homo cor suum ad Dominum dirigit, spiritum & flatum illius Dominus ad se trahit. Spiritum videlicet pro internis cogitationibus, flatum verò qui per corpus trahitur, pro æternis actionibus ponit. Deo ergo spiritum hominis, & flatum ad se trahere, est ad conuersionem sui desiderij, & interiora nostra, & exteriora commutare, vt nihil iam menti exterius libeat, nihil caro inferius, vel si appetit, adipisci conetur, sed omne quod homo est, ad eum videlicet à quo est, & interius desiderando ferueat, & exterius se edomando constringat. Vnde & aptè subiungit:

Omnipotens per se mundum regit, quem per se condidit.

Quòd sancti, spiritu humilitatis tacti, in nulla voluptate obediunt carni: & hîc moriendo mundo, vitiorum appetitus consideratione dissolutionis suæ in cinerem redigunt.

Caput XII.

DEficiet omnis caro simul, & homo in cinerem reuertetur.) Simul enim omnis caro deficit, quando iam nullis suis motibus seruit: quia presidens spiritus cuncta eius fluxa restringit, & quodam districtionis suæ gladio omne quod in illa malè viuebat interficit. Hoc nimirum disciplinæ gladio semetipsum Hieremias interfecerat, cùm dicebat: Postquam conuertisti me, egi pœnitentiã: & postquam ostẽdisti mihi, percussi femur meũ. Quid enim femore nisi voluptas carnis accipitur? Et quid est quod ait: Postquã ostendisti mihi, percussi femur meum? nisi quòd postquam superna spiritaliter vidit, omne quod in se inferius carnaliter viuebat extinxit, vt quòd magis summa patescerent, tantò amplius ima quæ tenuerat non liberent. Nam quantò incipit quisque superius viuere, tantò & inchoat inferius interire. Iuxta affectum nanque carnalis operationis, omnis caro Pauli simul interierat, cùm dicebat: Viuo autem iam non ego: viuit verò in me Christus. Bene etiã Heliu hoc loco subdidit: *Et homo in cinerem reuertetur.*) In peccato enim quisque posit', mortalitatis suæ obliuiscitur, & terram se esse non meminit, dum adhuc per superbiam inflatur. Post conuersionis verò suæ gratiam, cùm humilitatis spiritu tangitur, quid esse se aliud quàm cinerem recordatur? Iam in cinerem Dauid reuersus fuerat, cùm dicebat: Memento Domine quòd puluis sumus. Abraham in cinerem reuersus fuerat, dicens: Loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis? Et si viuentem carnem necdum in terra mors soluerat, hoc tamen apud se erant quod se futuros absque dubitatione præuidebant. Hinc aliàs dicitur: Auferes spiritum eorum & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Qui autem eorum spiritus, nisi spiritus superbiæ nominatur? Tollatur ergo spiritus eorum vt deficiant, id est, subducto superbiæ spiritu, nihil se [de se] esse cognoscant. Et reuertantur in puluerem, id est, humilientur ex infirma conditione. Propter hunc puluerem, ad cuius memoriam qui semetipsos considerant reuocantur, per sapientiam dicitur: Iusti fulgebunt, & sicut scintillæ in arundineto discurrẽt. Sancti enim

*Hiere.*31.
27.
Psalm. 103.

nim viri dum peccatoribus permiscentur, eos exemplorum suorum ighe succendunt, atque per omne quod nitent, in cinerem redeunt: quia pietatis flamma consumpti, dum infirmitatem conditionis suæ conspiciunt, nihil aliud quàm fauillam se esse cognoscunt, vt à superbiæ suæ duritia resoluti, per pœnitentiam dicant id quod suprà protulimus: Memento Domine quia puluis sumus. Bene ergo dicitur: quia cùm ad se spiritum hominis Dominus trahit, deficiet omnis caro simul, & homo in cinerem reuertetur.

Quòd superbia vbi nasci intelligitur, eradicanda est: quia difficilè inuetrata deprehenditur. *Caput XIII.*

HEliu & vera sunt, & magna quæ dicit: sed quia malè mox ex eo quod bene sensit intumuit, verbis sequentibus prodit dicens: *Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur: & ausculta vocem eloquij mei.*) Habent proprium omnes arrogãtes, vt cùm fortasse acutum aliquid sentiunt, inde mox ad vitium elationis erumpant, sensusque omnium in sui comparatione despiciant, seque in suo iudicio aliorum meritis anteponant. Quibus contingit miseris, vt plus videndo tenebrescãt: quia dũ subtilia attendũt, semetipsos intueri nesciunt, & quò intelligentiam acutius percipiunt, eò per superbiam deterius cadunt. Qui bene quidem subtilia conspiccrent, si in eo quod proferunt se viderent. Superius nanque Heliu dixerat: Si habes quod loquaris, responde mihi. Loquere, volo enim te apparere iustum. Nunc autem ait: Si habes intellectũ, audi quod dicit: Ecce quomodo paulisper elatio per verborũ increméta proficit. Superius dubitauit si posset beatus Iob proferre quod iustum est, nũc verò discutit, si hoc quod dicitur, saltem possit audire. Ibi dixit: Si habes quod loquaris, responde mihi ac si diceret: dic aliquid, si tamen dignus poteris esse qui dicas. Hîc autem ait: Si habes intellectum, audi quod dicitur. Ac si apertè dicat: Audi me, si tamẽ dignus poteris esse qui audias. Isti sunt quotidiani defectus, qui in cordibus reproborum fiunt, quibus indesinẽter ad deteriora descendũt: quia dum minora incautè negligunt, ad maiora perniciosè prorũpunt. Iã & hoc de superbia fuerat, quòd beatũ Iob id quod iustum est, loqui posse dubitabat. Sed dum hanc in semetipso considerare negligit, ad nequiora peruenit, vt non solùm posse ab eo dici quod iustum est dubitet, sed etiam dicentem se iusta ab eo intelligi posse desperet. Vnde vitium superbiæ ab ipsa mox radice secandum est, vt cùm latenter oritur, tunc vigilanter abscindatur, ne prouectu vigeat, ne vsu roboretur. Difficilè enim in se quisque inueteratam superbiam deprehendit: quia nimirum hoc vitium quantò magis patimur, tantò minus videmus. Sic quippe in mente superbia, sicut in oculis caligo generatur. Quo se hæc latius dilatat, eo vehementius lumen angustat. Paulisper ergo elatio in præcordiis crescit, & cùm se vastius extenderit, oppresse mentis oculum funditùs claudit, vt captiuus animus typum elationis, & pati possit, & tamen id quod patitur, videre non possit. Sed quia arrogantes viri aliquando vt diximus, recta non rectè sentiunt, & bona inuenire nouerunt, sed hæc bene proferre contemnunt, Heliu post elationis typum quod dixerat: Si habes intellectum audi quod dicitur, subdit dicens: *Nunquid qui non amat iudicium, sanari potest? Quomodo tu eum qui iustus est, in tantum condemnas?*) Bonam quidem sententiam protulit, sed beato Iob proferenda non fuit. In omni enim quod dicitur, summopere intuendũ est quid dicatur, cui dicatur, quando dicatur, quomodo dicatur. Heliu autem attendit quid diceret: sed cui diceret, non attendit. Beatus quippe Iob amabat iudicium: quia causas suas cum Domino pensare subtiliter nouerat. Nec condemnauerat eum qui iustus est, sed cur sine peccato percussus fuerat, in dolore positus cum humilitate requirebat. Amat iudicium quisquis vias suas subtiliter discutit, & secretarium cordis ingressus, quid Dominus ipsi tribuat, quid ipse Domino debeat pensat. Quod beatus Iob quomodo non fecerat, qui tam crebra sacrificia in expiatione filiorum etiam pro cogitationibus offerebat? Quia ergo Heliu dixit, quòd is qui iudicium non amat, sanari non possit, arguens beatum Iob quòd iudicium non amaret: & quia eum qui iustus est, condemnasset, ilico eiusdem iusti, id est, Domini iustitiam, subdit dicens:

28.
Remedium contra superbiam.
29.
Quis amet iudicium.

Quòd ex imitatione diaboli apostasiæ culpam incurrunt, quæ honoris sui gloria lætantes, præesse hominibus potestate & dominatione delectantur.

Caput XIIII.

QVi dicit regi, apostata, qui vocat duces impios.) Sæpe nouimus quòd plerique qui præsunt, inordinatum sibi metum à subditis exigunt, & non tam propter Dominum, quàm pro Domino venerari volũt. Intus enim se tumore cordis extollunt, cunctósque subditos in sui comparatione despiciunt, nec condescendendo consulũt, sed dominando premunt: quia videlicet alta cogitatione se erigunt, & æquales se illis quibus eos præesse contigit, non agnoscunt. Contra hunc tumorem per Ecclesiasticum librum dicitur: Ducem te constituerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi vnus ex illis. Hũc tumorem Dominus per Prophetam in pastoribus increpans, ait: Vos autem cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Ipsa enim bona quæ subditis dicunt, dominando potius quàm cõsulendo proferunt: quia videlicet quicquam eis quasi ex æquo dicere, semetipsos existimant deiecisse. Singularitate enim gaudent culminis, & non æqualitate conditionis. Sed quia hæc tumentia corda rectorum subtiliter Dominus pensat, bene contra eos dicitur: Qui dicit regi, apostata. Vnusquisque enim superbus rector totiens ad culpam apostasiæ dilabitur, quoties præesse hominibus delectatus, honoris sui singularitate lætatur. Sub quo enim sit non considerat, & quod æqualibus quasi non sit æqualis exultat. Vnde autem hæc vitiorum radix pullulat in corde regentium, nisi ex imitatione illius, qui despectis angelorum societatibus dixit: Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero Altissimo? Quia ergo vnusquisque rector quoties extollitur in eo quod cæteros regit, toties per lapsum superbiæ à summi rectoris seruitio separatur: & cùm æquales sibi subditos despicit, eius super se Dominium sub quo omnes æquales sunt non agnoscit, rectè dicitur. Qui dicit regi, apostata. Quia verò cùm dominando præsunt, exemplo suæ superbiæ subditos ad impietatem trahunt, aptè subiungitur.

*Ecclē.*32.
*Ezech.*34.
Esaiæ 14.
30.

Quòd impij duces sint qui verbo & exemplo ducatum præbent erroris. *Caput XV.*

QVi vocat duces impios.) Ad viam nanque pietatis ducerent, si subditorum oculis, humilitatis exempla monstrarent. Dux autem est impius qui à tramite veritatis exorbitat, & dum ipse in præceps ruit, ad abrupta sequentes inuitat. Dux est impius qui per tumoris exemplum viam ostendit erroris. Paulus dux esse impietatis metuebat, cùm potestatis suæ celsitudinem reprimebat dicens: Nec quærẽtes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis, cùm possimus oneri esse, vt Christi Apostoli, sed facti sumus in medio vestrum paruuli. Paruulus in medio eorum factus fuerat: quia timebat ne si inter discipulos honorem suæ celsitudinis vindicaret, exempla elationis ostenderet. Timebat nimirum ne dum ipse sibi potestatem pastoralis potentiæ quæreret, grex subditus per abrupta sequeretur, & ad impietatem sequentes duceret, qui pietatis officium suscepisset. Vnde necesse est, vt is qui præest, quæ exẽpla subditis præbeat, solerter attendat, & tantis se sciat viuere, quantis præest, ac vigilanter inspiciat, ne in eo quòd prælatus est intumescat, ne iura debitæ potestatis immoderatiùs exigat, ne disciplinæ ius mutetur in rigorẽ superbię: & vnde à peruersitate subditos restringere poterat, inde magis intuentiũ corda peruertat, ne, vt dictũ est, impietatis dux per officiũ pietatis existat. Non autẽ debet hominum ducatũ suscipere qui nescit homines bene viuendo præire, ne qui ad hoc eligitur, vt aliorum culpas corrigat, quod resecare debuit, ipse committat. Hinc inde ergo se qui præsunt circunspiciãt, vt sibi & subditis viuant, vt bonum quod faciunt, & intra sinum mentis abscondant, & tamen ex eo ad profectum sequentium exempla rectæ operationis impartiant, & subditorũ animaduertentes culpas corrigant, nec tamen per vim eiusdem animaduersionis intumescant: vt quædam leniter correpta tolerent, nec tamen disciplinæ vincula eadem lenitate dissoluant, vt quædam tolerando dissimulent, nec tamen ea crescere dissimulando permittãt. Laboriosa sunt ista, & nisi diuina gratia fulciat, ad custodiendum difficilia. Rectè verò de aduẽtu di-

1.*Thess.*2.
*Sapien.*6.

ſtricti iudicis per ſapientiæ librum dicitur: Horrendè & citò apparebit, quoniam iudicium duriſsimum his qui præſunt, fiet. Quia ergo plerunque per poteſtatem regiminis ad culpam prorumpitur elationis, atque apud diſtrictum iudicem ipſa elatio impietas æſtimatur, bene de Domino per Heliu dicitur: *Qui vocat duces impios.*) De ipſo quippe ducatu dum ſuperbiunt, exemplo ſuo ſubditos ad impietatem trahunt. Vnde magnopere curandum eſt, vt qui regendis hominibus præfertur, apud ſe intra ſecretarium mentis in cathedra præſideat humilitatis. Cúmque iudicanti ei à cæteris foris aſsiſtitur, vigilanti oculo inceſſanter aſpiciat, cui quandoque iudici ipſe de his iudicandus aſsiſtat, vt quandò nunc ante eum quem non videt, ſollicitiùs trepidat, tantò eum cũ viderit ſecurior cernat.

Quòd rectores Eccleſiæ ſollicitè cogitare oporteat, quoniam de animabus eorum qui ſibi commiſsi ſunt, in iudicio reddent rationem.

Caput XVI.

PEnſet ergo qui ad ſatisfaciendum diſtricto iudici de ſua tantummodo anima fortaſſe vix ſufficit: quia quot regẽdis ſubditis præeſt, reddendæ apud eum rationis tempore, vt ita dicam, tot ſolus animas habet. Quæ nimirum cogitatio ſi aſsiduè mentem excoquit, omnem ſuperbiæ tumorem premit. Et rector prouidus tantò iam neque rex apoſtata, neque dux impius vocabitur, quantò ei cogitatione ſollicita poteſtas quæ accepta eſt, non honor, ſed onus æſtimatur. Nam cui eſſe nunc iudicem libet, huic videre tunc iudicem non libet. Numerari enim culpæ nequeunt, quæ habendæ poteſtatis amore perpetrantur. Tunc ſolùm verò poteſtas bene geritur, cùm non amando, ſed timendo retinetur. Quæ vt miniſtrari rectè valeat, oportet primùm vt hanc non cupiditas, ſed neceſsitas imponat. Præcepta autem nec pro formidine debẽt deſeri, nec ex libidine amplecti: ne aut peius quis quaſi ex humilitate ſuperbiat, ſi diuinæ diſpenſationis ordinem fugiendo contemnat, aut eo iugum ſuperni rectoris abiiciat, quo eum ſuper cæteros priuatum regimen delectat. Poteſtas ergo cùm percipitur, non ex libidine amanda eſt, ſed ex longanimitate toleranda, vt inde tunc ad iudicium ſalubriter lenis ſit, vnde nunc ad miniſterium patienter grauis innoteſcit.

Libri vigeſimiquarti finis.

B. GREGORII MORALIVM LIBER VICESIMVS QVINTVS, CONTINUANS caput trigeſimumquartum textus beati Iob.

Quòd perſonam hominis Deus non accipiat, & oppreſſores pauperum in tenendo iudicio non agnoſcat.

Caput I.

IPſa humanæ compunctionis qualitas indicat, quàm longè rebus cæteris præſtat Nam collata homini ratio aſſerit quantum omnia quæ vel vita, vel ſenſu, vel ratione carent, natura rationalis antecedit. Et tamen quia ab internis atque inuiſibilibus oculos claudimus, & viſibilibus paſcimur, plerunque hominem non ex eo quod ipſe eſt, ſed ex his quæ circa ipſum ſunt, veneramur. Cúmque non intuemur quid ipſe ſit, ſed quid poſsit in acceptione perſonarum, non ex perſonis, ſed ex rebus adiacentibus ducimus. Sicque fit, vt is quoque apud nos intus in deſpectionem veniat, qui foris honoratur: quia dum pro his quæ circa illum ſunt, honorabilis habetur, rebus ſuis in examine noſtro poſtponitur. Sed omnipotens Deus vitam hominum ex ſola qualitate interrogat meritorum, & ſæpe inde plus punit, vnde huic maiora ad miniſterium cõtulit, verita-

te atteſtante quæ ait: Cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo. Vnde bene nunc per Heliu ditur: *Qui non accipit perſonam principum, nec cognouit tyrannum, cùm diſceptaret contra pauperem.*) Poteſt autem per principem vel tyrannum quiſque ſuperbus intelligi: per pauperem verò humilis deſignari. Tyrannum ergo diſceptantem contra pauperem nõ cognoſcit: quia ſuperbos omnes vitam nunc humilium deprimentes, in iudicio neſcire ſe perhibet, dicens: Neſcio vos vnde ſitis. Et quia ſic potenter cùm vult deſtruit, ſicut cùm voluit potẽter creauit, aptè ratiocinando ſubiungitur: Lucæ 12. Lucæ 13.

Quòd ſubita & impræmeditata mors, incuruatos & huius mundi amore captos rapiat

Caput II.

OPus enim manuum eius ſunt vniuerſi.) Atque mox ſubditur: *Subitò morientur, & in media nocte curuabuntur populi, & pertranſibunt.*) Quamlibet ſerò de hac vita tollantur iniqui, ſubitò & repentè tollunt: quia finem ſuum cogitando præuidere neſciunt. Subitum eſt homini quòd antè cogitare non potuit. Subitò diues ille ſtultus raptus eſt, qui horrea quæ præparabat deſeruit, & inferni locum quem non præuidebat inuenit. Ad aliud exercebat animam per cogitationem, ſed ad aliud emiſit per ſentẽtiã: Aliud dum viueret contẽplatus eſt, aliud dum moreretur expertus. Reliquit enim diu tractata temporalia, & inopinata inuẽit æterna. Vnde ei propter hanc ignorantiam cæcitatis ſuæ bene per diuinam ſententiam dicitur: Hac nocte repetunt animam tuam à te. In nocte quippe ablata eſt, quæ in obſcuritate eſt cordis amiſſa. In nocte ablata eſt, quæ conſiderationis lucem habere noluit, vt quod poterat pati præuideret. Vnde bene diſcipulis futura cogitãtibus, Paulus apoſtolus dicit: Vos autem fratres non eſtis in tenebris, vt vos dies illa tanquam fur comprehendat. Omnes enim vos filij lucis eſtis & filij dei: non ſumus noctis neque tenebrarum. Dies enim exitus tanquam fur in nocte ita comprehendit, quando ſtultorum animas futura non præuidentes eiicit. Vnde hîc quoque aptè ſubiungitur: *Et in media nocte curuabũtur populi, & pertranſibunt.*) In media nocte curuati pertranſeunt, qui obſcuritate ſuæ negligentiæ humiliati rapiuntur. Tunc curuabuntur per ſententiam iudicis, qui nunc curuari negligunt per humilitatem cordis. Electi autem ne inuiti curuentur in morte, ſponte curuantur in humilitate. Vnde ſanctæ Eccleſiæ de cõuerſa prole perſecutorum dicitur: Venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te. Et bene de morientibus populis non ait: Tranſibunt, ſed pertranſibunt: quia etiam viuendo temporaliter quotidie ad finem tendimus, & præſentem vitam quaſi quandã viam ſubigendo tranſimus: Hoc ipſum enim morituros viuere, quaſi ad mortem ire eſt. Et quot dies vitæ peragimus, quaſi in itinere ad locum propoſitum tot paſsibus propinquamus. Ipſa quippe augmẽta, detrimenta ſunt temporum: quia vitæ noſtræ ſpatia quanta eſſe cœperint, incipiunt iam tanta non eſſe. Primus verò homo ita conditus fuit, vt manente illo, decederent tempora, ne cum temporibus ipſe tranſiret. Stabat enim momentis decurrentibus: quia nequaquam ad vitæ terminum per dierum incrementa tendebat. Stabat tantò robuſtius, quantò ſemper ſtanti ardentiùs inhærebat. At vbi vetitum contigit, mox offenſo creatore cœpit ire cum tempore. Statu videlicet immortalitatis amiſſo, curſus eum mortalitatis abſorbuit. Et dum iuuentute ad ſenium, ſenio traheretur ad mortem, tranſeundo didicit, ſtando quid fuit. Cuius nos quia de propagine naſcimur, radicis amaritudinem quaſi in virgulto retinemus. Nam quia ex illo originem ducimus, eius curſum naſcendo ſortimur, vt eo ipſo quotidiano momento quo viuimus, inceſſanter à vita tranſeamus, & viuendi nobis ſpatiũ vnde creſcere creditur, inde decreſcat. Quia ergo ad ſummam moriendi quotidie tendimus per incrementa viuendi, bene de morientibus nequaquam tranſibunt dicitur, ſed pertranſibunt: quia tranſeunt etiam dum viuunt, ſed pertranſeunt dum moriuntur. Sequitur: Subitò & repentè tolluntur iniqui. Lucæ 12. 1. Theſſ. 5. Pſalm. 85. 2.

Quòd dum patientia dei peccatores ad pœnitentiam expectat, ipſi contemnentes, & rapientis diaboli non videntes manum, & violentia malitiæ violenter trahuntur in gehennam.

Caput III.

Et

ET auferent violentum abſque manu.) Subaudis diuina iudicia Abſque manu verò auferent eum qui manu violẽtus fuit. Abſque manu auferent: quia videlicet ſubito exitu vrgẽte inuiſibiliter rapitur, qui viſibiliter rapiebat. Vidit ipſe quos rapuit, ſed quis illum in morte rapiat non videt. Abſque manu ergo violentus aufertur: quia & raptorem ſuum non intuetur, & tamen ducitur. Quem tantò ſequitur diſtrictior ſententia, quantò peccanti ei magna eſt patientia prorogata: quia diuina ſeueritas eo iniquum acrius punit, quo diutius pertulit. Sæpe verò euenit, vt dum peccatores ſuperna clemẽtia expectat, in maiorem cordis cæcitatem proſiliant. Vnde ſcriptum eſt: An ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem ſecundum duritam tuam & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei. Et ecce dum violentus quiſque quos valuerit rapit, dum inualidos opprimit, & dum diu omne quod nequiter concupiſcit exercet: quia non ſubitò percutitur, ſed eius in finem pœna differtur, nequiſsima eius actio à Deo videri non creditur. Vnde aptè poſtquam eius narrauit interitum, ilico de Domino adiungit dicens: Oculi enim eius ſuper vias hominum, & omnes greſſus eorum conſiderat. Tunc enim nequaquam conſiderare credebatur, quando violentus iſte omne malum quod poterat inultè perpetrabat. Aeſtimabatur Deus iniuſtè acta non cernere: quia differebat iuſtè damnare, & magna eius patientia quaſi quędam negligentia putabatur. Iniquus quoque ipſe toties ſe in peccatis ſuis non videri à Deo credidit, quoties inultè peccauit. Cui per quendam ſapientem dicitur: Ne dicas, peccaui, & quid accidit mihi triſte? Emendare non vult nequitiam, pro qua dignam nõ pertulit pœnam. Qui quo piè expectatus eſt, eo eſt ad peccandum nequiter inſtigatus, & patientiæ ſupernæ longanimitatem deſpiciens, vnde corrigere culpam ſuam debuit, inde cumulauit, ſicut per eũdem Iob dicitur: Dedit ei Deus locum pœnitentiæ & ille abutitur eo in ſuperbia. Sæpe etiam quia pœnam quam meretur repentè non ſuſcipit, hoc ipſum Deo non æſtimat diſplicere quod facit. Eat itaque nunc, & ad quaſlibet blaſphemias præſumendo prorumpat. Voluptatum ſuarum nequitias impleat, aliena rapiat, innocentium oppreſsione fatietur. Et quia necdum percutitur, vias ſuas à Domino aut non videri æſtimet, aut, quod peius eſt, approbari. Veniet profectò, veniet æterna & repentina percuſsio, & tunc cognoſcet à Deo cuncta conſpici, quando ſe improuiſo exitu viderit pro cunctorum retributione damnari. Tunc in pœna ſua oculos aperiet, quos diu tenuit clauſos in culpa. Tunc conſideraſſe omnia verum iudicem ſentient, quando malorum ſuorum meritum iam euadere ſentiendo non poſsit. Iniquus ergo qui diu expectatus eſt, idcirco eſt repentè ſublatus: quia oculi Domini ſuper vias hominum, & omnes greſſus eorum conſiderat. Ac ſi diceret: Quia ea quæ diu patienter conſpicit, quandoque inulta non deſerit. Nam ecce ſubitò violentum rapuit, & mala eius quæ expectando pertulit, animaduertendo reſecuit. Nemo igitur dicat humana facta Deum non cernere, cùm iniquum quempiam iniquitates ſuas liberè proſpicit cumulare. Subitò enim tollitur, qui diu toleratur. Greſſus verò hominum vocat vel ſingulas operationes quibus innitimur, vel alternantes motus intimæ cogitationis, quibus quaſi paſsibus vel longè à Domino recedimus, vel piè Domino propinquamus. Ad Deum enim quaſi tot greſsibus mens accedit, quot bonis motibus proficit. Et rurſum tot greſsibus longè fit, quot malis cogitationibus decreſcit. Vnde plerunque contingit vt necdum procedat in opere motus mentis, & tamen perfecta iam culpa ſit ex ipſo reatu cogitationis, ſicut ſcriptum eſt: Manus in manu non erit innocens malus. Manus enim manui iungi ſolet, quando quieſcit in ocio, & nullus eam vſus laboris exercet. Manus ergo in manu non erit innocens malus. Ac ſi diceret: Et cùm manus ceſſat ab iniquo opere, malus tamen non eſt innocẽs per cogitationem. Quia ergo nouimus quòd diſtrictè omnia non ſolùm facta, ſed ſaltem cogitata penſentur, quid faciemus de inceſſu mali operis, ſi ſic ſubtiliter Deus iudicat greſſus cordis? Ecce occulta mentis noſtræ itinera nullus hominum videt, & tamen ante Dei oculos tot greſſus ponimus quot affectus mouemus. Toties ante illum labimur, quoties à recto itinere infirmæ cogitationis pede clau- 3. 4.

dicamus. Niſi enim in conſpectu eius iſte aſsiduus noſtrarum mentium lapſus increſceret, per Prophetam ſcilicet non clamaret: Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis. Hæc nimirum dicens, vim coopertæ noſtræ malitiæ quaſi ferre ſe non poſſe teſtatur. Quæ cooperta illi eſſe non poteſt: quia videlicet importunè eius conſpectui ingeritur, quicquid à nobis illicitũ occultè cogitatur. Omnia enim, ſicut ſcriptum eſt, nuda & aperta ſunt oculis eius. Vnde hic quoque aptè ſubiungitur: Eſaiæ 1. Hebr. 4.

Quòd nihil Deus ignorat, nihil obliuiſcitur, vt ab eius iudicio aliquis poſsit abſcondi.

Caput IIII.

NOn ſunt tenebræ & non eſt vmbra mortis, vt abſcondantur ibi qui operantur iniquitatem.) Quid per tenebras niſi ignorantiam, & quid per vmbram mortis, niſi obliuionem ſtuduit deſignare? De quorundam quippe ignorantia dicitur: Tenebris obſcuratum habentes intellectum. Et rurſum de obliuione quę in morte contingit, ſcriptũ eſt: In illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Quia ergo per mortem funditùs obliuioni traditur quicquid viuendo cogitatur, quaſi quædam vmbra mortis obliuio eſt. Sicut enim agit mors interueniens non eſſe quod fuit in vita, ita interueniens agit obliuio non eſſe, quod fuit in memoria. Rectè itaque vmbra eius dicitur: quia velut de ipſa exprimitur, dum vim illius ſopiendo ſenſus imitatur. Deus autem quia mala hominum nec cogitata ignorat, nec perpetrata obliuiſcitur, niſi ab eius oculis pœnitendo deleantur, congruè dictum eſt: Non ſunt tenebræ, & non eſt vmbra mortis, vt abſcondantur ibi qui operantur iniquitatem. Ac ſi diceret: Idcirco eius iudicio nullus abſconditur: quia nullatenus poteſt aut non videre quod facimus, aut obliuiſci quod videt. Quanuis intelligi tenebræ vel vmbra mortis etiam aliter poſſunt. Omnis nanque immutatio velut quædam mortis imitatio eſt. Id enim quod mutat, quaſi ab eo quod erat interficit: vt deſinat eſſe quod fuit, & incipiat eſſe quod non fuit. Lumen igitur verum, creator videlicet noſter, quia nulla mutabilitatis viciſsitudine tenebreſcit, nullis naturæ ſuæ defectibus obumbratur, ſed eius eſſe ſine mutabilitate fulgere eſt, tenebræ vel vmbra mortis dicitur ei non ineſſe. Vnde aliàs ſcriptum eſt: Apud quem non eſt tranſmutatio nec viciſsitudinis obumbratio. Et vnde rurſus Paulus Apoſtolus dicit: Qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſsibilem. Sed cùm cuncti nouerimus quòd & humana anima & angelici ſpiritus ſint immortales inſtituti, cur ab Apoſtolo ſolus Deus immortalitatem habere perhibetur, niſi quia ſolus Deus verè non moritur, qui ſolus nunquam mutatur? Humana quippe anima in lapſum non caderet, ſi mutabilis non fuiſſet, quæ à paradiſi quoque gaudiis expulſa, ſi mutabilis non eſſet, ad vitam nunquam rediret. In hoc ipſo verò quod ad vitam redire nititur, defectus ſuos cogitur alternante ſemper mutabilitate tolerare. Quia ergo ex nihilo eſt condita, ex ſe nihilominus infra ſe tendit, niſi ad boni deſiderij ſtatum, artificis ſui manu teneatur. Ex eo itaque quòd creatura eſt, deorſum ire habet. Virtute nanque propria in præceps poſſe ſe ire conſiderat, ſed ad creatorem ſuum amoris manu ſe retinet, ne cadat, quouſque ad immutabilitatem tranſeat, & eo verè immortaliter, quo immutabiliter viuat. Ipſi quoque angelici ſpiritus mutabiles ex natura ſunt conditi, quatenus aut ſua ſponte caderent, aut ex arbitrio ſtarent. Sed quia humiliter elegerunt ei inhærere à quo creati ſunt, hanc ipſam in ſe mutabilitatem ſuam ſtandi iam immutabilitate vicerunt, vt hoc ipſum meritò tranſcenderent, quod naturæ ſuæ ordine mutabilitati ſubeſſe potuiſſent. Quia ergo ſolius diuinæ naturæ eſt vmbras ignorantiæ mutabilitatiſque non pati, dicatur rectè: Non ſunt tenebræ, & non eſt vmbra mortis, vt abſcondantur ibi qui operantur iniquitatem. Lux enim æterna, quæ Deus eſt, quantò immutabiliter fulget, tantò penetrabiliter videt, & neque occulta neſcit, quia cuncta penetrat, neque penetrata obliuiſcitur, quia incommutabilis durat. Proinde quoties indignum aliquid corde concipimus, toties in luce peccamus: quia ipſa nobis & non ſibi præſentibus præſtò eſt, & peruerſè gradientes in ipſam impingimus, à qua per meritum longè ſumus. Cùm verò nos videri non credimus, in ſole clauſos oculos tenemus, Eſaiæ 1. Iaco. 1. 1. Tim. 6. 5. 7.

Illum videlicet nobis abscondimus, non nos illi. Nunc ergo dum possumus, à conspectu æterni iudicis & malè cogitata, & peius perpetrata deleamus, reuocemus ante oculos cordis quicquid peruersè egimus per nequitiam præsumptionis. Nihil sibi nostra blandiatur infirmitas, atque in his quæ recolit, semetipsam delicatè non palpet, sed quantò sibi mali sit conscia, tantò in se benignius sit seuera, proponat contra se futurum iudicium: & quæque in se sentit districtè ferienda per sententiam iudicis, hæc in se piè feriat per pœnitentiam conuersionis. Vnde aptè postquàm violenti huius pœna descripta est. Sequitur.

Quòd nemo post mortem ad illud iudicium reduci possit, de quo Apostolus ait: Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur. Caput V.

N*Eque enim vltrà in hominis potestate est, vt veniat ad Deum in iudicium.*) Versus iste tantò maiore disputatione indiget, quãtò hoc quod dicit si negligitur acrius dolet. Hîc nimirum non illud iudicium designatur quòd per æternam retributionem punit, sed quod mente conceptum per conuersionem diluit. Ad illud quippe venire non desiderat, quisquis se per illud damnari formidat. Dum ergo dicitur: Neque enim vltrà in hominis potestate est, vt veniat ad Deum in iudicium, profectò ostenditur esse quoddam iudicium, quod quãdoque etiam à damnatis ac reprobis desideretur. Et quod est illud nisi hoc de quo Paulus Apostolus dicit: Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur? & de quo per Prophetam dicitur: *1.Corint.11.* Non est iudicium in gressibus eorum. Et de quo *Esaiæ.59.* Dauid ait: Honor regis iudicium diligit: vt videlicet qui iam *Psalm.98.* Deum honorat ex fide, sollicitè iudicet quid ei debeat in *Iob.35.* operatione. Vnde rursum scriptum est: Iudicare coram Domino, & expecta eum. Coram Domino scilicet iudicatur, qui corde Dominum conspicit, & actus suos sub eius præsentia sollicita inquisitione discernit. Quem tantò quis securius expectat, quantò quotidie vitam suam suspectus examinat. Qui enim ad extremum eius iudicium venit, non iam coram illo, sed ab illo iudicatur. De hoc quoque mentis iudicio obliuiscenti animæ per Prophetam Dominus dicit: Reduc me in memoriam, vt iudicemur simul. Narra si quid habes, vt *Esaiæ.43.* iustificeris.

Quòd in iudicio mentis nullum causæ mysterium desit: vbi & conscientia accusat, & ratio iudicat. Caput VI.

DEbet enim vnusciusque mens & causas suas apud Dominum, & causas Domini contra se sollicita inquisitione discutere: debet cautè pensare, vel quæ ab eo bona perceperit, vel quæ mala bonis illius peruersè viuendo respõderint. Quod electi quem quotidie facere omnino non cessant. Vnde *Prouer.12.* bene Salomon ait: Cogitationes iustorum iudicia. Accedunt enim ad secretarium iudicis intra sinum cordis: considerant quàm districtè quandoque feriat, qui diu patienter expectat: metuunt in his quæ se egisse meminerunt, & puniunt flendo quod perpetrasse se intelligunt: timent subtilia diuina iudicia, etiam de his quæ in semetipsis intelligere fortasse non possunt. Vident enim videri diuinitùs quod ipsi in se per humanitatem non vident, conspiciunt districtum iudicem, qui quò tardius venit, eo seuerius percutit: sanctorum etiam patrum residere conuentum cum eo pariter contemplantur, eorúmque vel exempla vel dicta se cõtempsisse reprehendunt, atque in hoc secreto interioris iudicij ipsa mentis suæ executione constricti pœnitendo feriunt, quod superbiendo commiserunt. Ibi nanq; aduersum se quicquid se impugnat enumerant: ibi ante oculos suos omne quod defleant coaceruant: ibi quicquid per iram districti iudicis decerni possit intuentur: ibi tot patiuntur supplicia, quot pati timent, nec deest in hoc iudicio mente cõcepto, omne ministerium quod punire reos suos pleniùs debeat. Nam conscientia accusat, ratio iudicat, timor ligat, dolor excruciat. Quod iudicium eò certius punit, quò interius sæuit, quia videlicet ab exterioribus non accedit. Vnusquisque enim cùm causam huius examinis contra se aggredi cœperit, ipse est actor qui exhibet, ipse reus qui exhibetur: odit se qualem fuisse se meminit, & ipse qui est, per semetipsum insequitur illum qui fuit, atq; ab ipso homine aduersus semetipsum fit quædam rixa in animo, par-

E turiens pacem cum Deo. Hanc cordis rixam Dominus requirebat, cùm per Prophetam diceret: Attendi & auscultaui, nemo *Hiere.8.* quod bonum est loquitur, nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci? Ista cordis humani rixa placata est, cùm Prophetæ suo de Achab rege semetipsum reprehendente loqueretur, dicens: Vidisti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, nõ *3.Reg.21.* inducam malum in diebus eius. Quia ergo nunc in potestate est, internum mentis nostræ contra nos subire iudicium, recognoscendo accusemus nosmetipsos, & quales fuimus pœnitendo torqueamus, non cessemus dum licet iudicare quod fecimus, audiamus cautè quod dicitur: *Neque enim vltrà in hominis potestate est, veniat ad Deum in iudicium.*) Reproborum nanque esse proprium solet, semper praua agere, & nunquam quæ egerint retractare. Omne enim quod faciunt, cæca mente pertranseunt, factumque suum nisi cùm puniti fuerint, non agnoscunt. At contrà electorum est actus suos quotidie ab ipso cogitationis fonte discutere, & omne quod turbidũ profluit
F ab intimis exiccare. Sicut enim non sentimus quomodo 7
crescunt membra, proficit corpus, mutatur species, nigredo capillorum albescit in canis, hæc quippe omnia nobis nescientibus aguntur in nobis: ita mens nostra per momenta viuendi ipso curarum vsu à semetipsa permutatur, & nõ agnoscimus, nisi vigilanti custodia ad interiora nostra residentes, profectus nostros quotidie defectúsq; pensemus. Hoc ipsum enim in hac mortali vita consistere, quasi ad vetustatem ire est, & cùm indiscussa mens relinquitur, in quodam senio torporis sopitur: quia sui negligens, & propositum robur insensibiliter perdens, à forma prioris fortitudinis dum nescit, se nescit. Vnde & per Prophetam sub Ephraim specie dicitur: Comederunt alieni robur eius, & nesciuit: sed & cani effusi sunt *Osea.7.* in eo, & ipse ignorauit. Cùm verò semetipsam quærit, & subtiliter pœnitendo se discutit: ab ipsa hac vetustate sua lota lachrymis & mœrore incensa renouatur, & quæ iam penè inueterata frixerat, per subministrata interni amoris studia no-
G uum calet. Vnde Paulus Apostolus vsu mortalis vitæ veterascentes discipulos admonet, dicens: Renouamini spiritu *Ephe.4.* mentis vestræ.

Quid sit quòd per Moysen dicitur: Ignis in altari semper ardebit, quem sacerdos nutriet, subiiciens mane ligna per singulos dies: & quòd patrum exempla ad formam bene viuendi multum nos adiuuent. Caput VII.

SEd ad hæc agenda valde exempla patrum & sacri eloquij præcepta nos adiuuant. *Exemplo valde adiuuamur.* Si enim sanctorum opera inspicimus, & diuinis iussionibus aurem præbemus, alia nos cõtemplata, alia audita succendũt, & cor nostrum torpore non constringitur, dum imitatione prouocatur. Vnde bene ad Moysen dicitur: *Leui.6.* Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subiiciens mane ligna per singulos dies. Altare quippe Dei est cor nostrum, in quo iubetur ignis semper ardere: quia necesse est ex illo ad Dominum charitatis flammam indesinenter accendere. Cui per singulos dies sacerdos ligna subiiciat, ne extinguatur. Omnis enim Christi fide præditus, mem-
H brum vtique summi sacerdotis effectus est, sicut cunctis fidelibus Petrus Apostolus dicit: Vos autem genus electum, regale sacerdotium. Et sicut Ioannes Apostolus dicit: Fecisti *1.Petri.2.* nos Deo nostro regnum & sacerdotium. Sacerdos ergo in altari ignem nutriens, quotidie ligna subiiciat, id est, fidelis quisque, ne in eo charitatis flamma deficiat, in corde suo tam exempla præcedentium, quàm sacræ scripturæ testimonia congerere non desistat. Nam quasi quædam fomenta igni dare, est in excitatione charitatis, vel exempla patrum, vel præcepta dominica ministrare. Quia etenim interna nouitas nostra ipsa quotidie huius vitæ conuersatione veterascit, ignis iste adhibitis lignis nutriendus est: vt dum per vsum se nostræ vetustatis extenuat, per patrum testimonia & exempla reuiuiscat. Et bene illic præcipitur, vt mane ligna per dies singulos congerantur. Hæc quippe non fiunt, nisi cùm nox cæcitatis extinguitur. Vel certè, quia mane prima pars diei est, postpositis cogitationibus vitæ præsentis, hoc priori loco, quisque fidelium cogitet, vt quod in se iamiamque quasi deficit, quibus valet nisibus studium charitatis inflammet. Ignis enim iste in altari Domini: id est, in corde nostro citius extinguitur,

tinguitur, nisi solerter adhibitis exemplis patrum & dominicis testimoniis reparetur. Bene autem illic subiungitur: Et imposito holocausto desuper adolebit adipes pacificorum. Nam quisquis in se ignẽ hunc charitatis accendit, semetipsum vtique holocaustum desuper imponit: quia omne vitiũ quod in se malè viuebat, exurit. Cùm enim cogitationũ suarum interna considerat, & vitam reprobam per immutationis gladiũ mactat: in ara se sui cordis imposuit, & igne charitatis incendit. De qua hostia pacificorum adipes redolent, quia interna nouæ charitatis impinguatio pacem inter nos & Deum faciẽs, odorem de nobis suauissimũ reddit. Quia vero eadẽ charitas in cordibus electorum inextinguibilis manet, aptè illic subditur: Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet de altari. Nũquam profectò de altari ignis iste deficiet: quia etiam post hanc vitam eorum mentibus feruor charitatis accrescit. Aeterna quippe contemplatione agitur, vt omnipotens Deus
8. quò magis visus fuerit, eò amplius diligatur. Quod autem diuinis admonitionibus & præcedentium exemplis adiuti, de huius vitæ profundo liberamur, bene etiam per prophe-
Hier.38. tam Hieremiam in puteum missum signatum est, qui vt leuetur ex puteo, funes ad eum & panni veteres deponuntur. Quid enim funibus nisi præcepta dominica figurantur? Quæ quia nos in mala operatione positos, & conuincunt, & eripiunt, quasi ligant & trahunt, coarctant & leuant. Sed ne ligatus his funibus dum trahitur, incidatur, simul etiam panni veteres deponuntur: quia ne diuina præcepta nos terreant, antiquorum patrum nos exempla confortant: & ex eorum comparatione facere nos nosse presumimus, quod ex nostra imbecillitate formidamus. Si ergo leuari de hoc profũdo festinemus, ligemur funibus, id est, præceptis dominicis astringamur. Intersint etiam panni veteres, cum quibus melius teneantur funes, id est, præcedentium confortemur exemplis, ne infirmos nos ac timidos præcepta subtilia vulnerent, dum leuant. Quasi quosdam pãnos veteres Paulus Apostolus subiungebat, cùm leuandis discipulis suis, præceptis spiritalibus
Hebr.11. exempla veterum commodaret dicens: Iusti ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt: Et pau-
Heb.12. lo pòst: Habentes itaque tantam impositam nubem testium, deponentes omne pondus, & circunstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. Et ite-
Heb.13. rum: Mementote præpositorum vestrorum qui vobis locuti sunt verbum Dei. Quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem. Superius videlicet dum spiritalia præcepta loqueretur, quasi funes miserat: postmodum verò memorans exempla maiorum quasi veteres pannos adhibebat. Excitati ergo tot vocibus præceptorum, adiuti tot comparationibus exemplorum, ad corda nostra redeamus, discutiamus omne quod agimus, & quicquid in nobis diuinæ rectitudinis regulam offendit, accusemus: vt apud districtum iudicem ipsa nos accusatio excuset. In hoc enim mentis nostræ iudicio tantò citius absoluimur, quantò nos districtius reos tenemus. Nec ad hæc agenda prætermittenda sunt tempora quibus vacat: quia ad hæc agenda post huius vitæ tempora non vacat. Vacuè quippe non dicitur. Neque enim vltra in hominis potestate est, vt veniat ad Deum in iudicium. Idcirco nanque memoramur quod tunc non possumus, ne nunc quod possumus negligamus. Sed ecce negocia occupant, quæ nobis incessanter apposita, à considerandis nobismet ipsis mentis nostræ oculum declinant. In istis nanque visibilibus quæ intuetur cor nostrum, extra se spargitur: & quid de se intrinsecus agatur obliuiscitur, dum extrinsecus occupatur. Diuina autem autem vox terribilibus sententiis suis quasi quibusdam clauis illud pungit vt euigilet, vt homo occulta super se iudicia quę pressus torpore dissimulat, terrore saltem pulsatus expauescat: vt enim superius diximus, ipso vsu vitę veteris mens malè assueta deprimitur, & in hæc quæ spectat exterius, quasi dormiens sopitur, quia postquam semel se ad appetenda visibilia foras fudit, à contemplandis inuisibilibus intus euanuit. Vnde nunc necesse est, vt quæ per visibilia spargitur, de inui-
Remedium per scripturam sacrã. sibilibus iudiciis feriatur, & quia in iis se exterioribus malè delectata prostrauit, saltem percussa requirat quod deseruit. Ecce autem scriptura sacra terrore quodam torpentia corda trãs-

A figit, ne in his inhæreant quæ exterius defluunt, sed quæ interius æterna perdiderunt. Indicat quid sententia occulta decernitur, ne immoderatè à nobis hæc publica cogitentur. Dicit quid super nos agatur de nobis, vt ab hoc publico temporalitatis, colligamus oculum cordis ad secretum internæ dispositionis. Nam postquam multa narrata sunt de pœna 9.
malorum, subitò infertur occultum iudicium, quod piè super nos iustéque disponitur, quomodo alij perdunt quod tenere videbantur, & alij accipiunt quod alij ex meritis perdunt. Ait enim: *Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.*) Hoc quotidie agitur. Sed quia adhuc finis partium vtrarunque non cernitur, minus timetur. Nunquam enim culpam suam reprobi nisi in pœna cognoscunt. Et quia pœna differtur, culpa despicitur. Labuntur verò à statu iustitiæ, & locum vitæ illis cadentibus alij sortiuntur. Sed eò lapsum suum negligunt, quò interitum qui se in æternum maneat non attendunt, Si enim ad illud quod illic passuri sunt, oculos suos mitterent, hoc quod hîc faciunt timerent. Cunctis autem liquet
B quòd in illa extrema requisitione examen publicum facturus est omnipotens Deus: vt alios ad tormenta deferat, alios ad participationem regni cœlestis admittat. Sed hoc nunc secreto iudicio quotidie agitur, quod tunc in publico demonstratur. Nam iustè ac misericorditer singulorum corda vel examinans, vel disponens, alios in exteriora respuit, alios ad ea quæ sunt intrinsecus trahit: hos accendit interna appetere, illos pro voluptatibus suis deserit exteriora cogitare: horum mentem ad superna erigit, illorum per superbiam in infimis desideriis mergit. Aliena autem corda humanis oculis clausa sunt, & nescitur qui repellitur: quia penetrare nequeunt quæ ab vnoquoque cogitantur. Nam sæpe de corde peruerso, necdum processit vsque ad effectum operis deliberatio cogitationis, & adhuc fortasse per habitum intus astringitur, qui iam mente foris vagatur. Sed talis quilibet iste tunc ante oculos interni iudicis cecidit, cùm ab appetendis interioribus per desiderium exiuit. Nonnunquam verò alij post malæ operatio-
C nis vsum, ad spem cœlestem subito amore reuiuiscunt & qui in peruersa actione se sparserant, ad sinum internæ retractationis semetipsos increpando recolligunt. Hos adhuc respicientes homines, quales dudum in opere nouerant, tales putant. At contrà illi per districtæ considerationis examen, vitam suam qualem fuisse recolunt insequuntur, scitúrque quid fuerunt, sed quid iam cœperint esse, nescitur. In hoc ergo vtroque genere hominum sæpe contigit, vt & qui videntur stare humano iudicio, iam in cõspectu æterni iudicis iaceant: & quia adhuc coram hominibus iacent, iam in conspectu ęterni iudicis stent. Quis enim hominum æstimare potuisset, Iudam viuendi sortem etiam post ministerium Apostolatus amittere? Et quis econtrà latronem crederet causam vitę etiam in ipso articulo mortis inuenire? Occultus autem Iudex præsidens, & vtrorunque corda discernens, alterum piè statuit, alterum iustè confregit. Illum districtè exterius repulit, hunc introrsus misericorditer traxit. Vnde bene etiam per Pro- *Psal.101.*
D phetam casuros alios passionis suæ tempore atque alios resurrecturos annuntians, ait: Potum meum cum fletu temperabam. Potus quippe ab exterioribus interius trahitur, fletus autem ab interioribus exterius emanat. Potum ergo Domino cum fletu temperare, est alios ab exterioribus introsus trahere, alios ab interioribus in exteriora reprobare.

Quòd superbi perdant quæ acceperunt, dum ex gratia intumescunt, & humiles quorum vita ex peccato contemptibilis erat, eorum loco per eandem gratiam statuantur: vnde & illud est: Qui stat, videat ne cadat. Caput VIII.

C*Onteret ergo multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.*) 10.
Sicut autem superius diximus, hæc contritio prius intus agitur, vt pòst extrinsecus ostendatur. Hac contritione nonnunquam adhuc quorundam exteriora quasi sana sunt: & iam interiora putruerunt. Scriptum nanque est: Ante ruinam *Prouer.16.* exaltatur cor. Ibi ergo feriuntur, vbi superbiunt. Vnde scriptum est: Contriui cor eorum fornicans & recedens à me. Interius enim fornicari est exterius vetitis dele-

Ezech.6. ctari. Magna autem contritio cordis est hæc eadem elatio su-
perbientis. Eo quippe ipso ab integritate salutis corruit, quo
iactantia cuiuslibet virtutis intumescit. Superbientes enim
Deum despiciũt,& relicta creatoris sui gloria propriam quæ-
runt. Quibus iam hoc ipsum cecidisse, est amissa superioris sui
potentia in se venisse. Conteruntur etiam, quia relictis cœle-
stibus terram quærunt. Quæ autem maior poterit esse contri-
tio, quàm deserto creatore creaturam quærere: desertis super-
nis gaudiis, infimis rebus inhiare? Vnde bene per Prophetam
dicitur: Humiliat autem peccatores vsque ad terram. Amis-
Psalm.146. sis enim cælestibus terrenum est omne quod sitiunt, & dum
plus videre conantur, minus est quod appetunt. De quibus
Hiere.17. rectè per Hieremiam dictum est: Recedentes à te, in terra
Lucæ.10. scribentur. At contrà de electis dicitur: Gaudete, quia nomi-
na vestra scripta sunt in cœlis. Ista ergo contritio prius serpit
in mente, vt postmodum præcedat in opere: prius fundamen-
tum cogitationis concutit, vt postmodnm fabricam operatio-
nis allidat. Vnde summa est cura satagendum, vt illic vitetur,
vbi oritur, Scriptum nanq; est: Omni custodia serua cor tuum,
Prouer.4. quoniam ex ipso vita procedit. Et rursum scriptum est: Ex
corde exeunt cogitationes malæ. Intus ergo uigilandum est,
Matth.15. ne mẽs dum extollitur, cadat. Intus seruemus omne quod fo-
ris agimus. Si enim semel medullam cordis elationis putredo
consumpserit, citius corruit cortex vacua externæ visionis.
Notandum verò est, quia dum aliis cadentibus ad stãdum alij
solidari perhibentur, electorum numerus certus ac definitus
ostenditur. Vnde etiam Philadelphiæ Ecclesiæ per Angelum
Apoc.3. dicitur: Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.
11 Hac ergo sententia qua narratur aliorum erigi, aliorum au-
tem vita confringi, & spes nutritur humilium, & elatio pre-
mitur superborum, dum & illi bona possunt amittere de qui-
bus superbiunt, & isti ea percipere, quæ quia non habebant,
contemnuntur. Formidemus igitur in his quæ accepimus, nec
eos qui illa necdum assecuti sunt, despiciamus. Quid enim su-
mus hodie, nouimus: quid autem post paululũ possimus esse,
nescimus. Hi verò quos fortasse despicimus, & tardè possunt
incipere: & tamen uitam nostram feruentioribus studiis an-
teire. Timendum itaque est, ne etiam nobis cadentibus sur-
gat, qui à nobis stantibus irridetur, quanuis stare iam non no-
uit, qui non stantem nouit irridere. Hunc autem supernorum
iudiciorum metum Paulus apostolus discipulorum cordibus
1.Corin.10. incutiens ait: Qui se existimat stare, videat ne cadat. Quod
autem dicens, Conterit multos, ilicò adiunxit: Innumera-
biles, vel multitudinem exprimere studuit reproborum, quæ
humanæ rationis numerum transit: vel certè indicare voluit,
quòd omnes qui pereunt, intra electorum numerum non ha-
bentur: vt eo sunt innumerabiles, quo extra numerum cur-
runt. Vnde Propheta intuens tantos hoc Ecclesiæ tempore
specietenus credere, quantos nimirum certum est electorum
numerum summámque transire, ait: Multiplicati sunt super
Psalm.39. numerum. Ac si diceret: Multis Ecclesiam intrantibus, etiam
hi ad fidem specietenus regni veniunt, qui à numero regni
cœlestis excluduntur: quia electorum summam, sua videlicet
multiplicitate transcendunt. Vnde & per Hieremiam Pro-
phetam dicitur: Aedificabitur ciuitas Domino à turre Ana-
Hiere.31. nehel vsque ad portam anguli, & exibit vltra normam men-
suræ. Ciuitatem quippe esse Domini sanctam Ecclesiam, nul-
lus ignorat. Ananehel verò Dei gratia interpretatur. In angu-
lo autem duplex paries iungitur. Ciuitas ergo Domini à turre
Ananehel vsque ad portam anguli ædificari perhibetur: quia
sancta Ecclesia à celsitudine supernæ gratiæ inchoans, vsque
ad ingressum susceptionemq; construitur, vtrorumq; popu-
lorum, Iudaici videlicet atque Gentilis. Sed quia in ea cres-
cente multitudine etiam reprobi colliguntur, aptè subditur:
Et exibit vltra normam mensuræ: quia vsque ad eos quoque
extenditur, qui normam iustitiæ transeuntes, intra mensuræ
cœlestis numerum non sunt. Vnde per Esaiam quoq; eidem
Esaiæ.54. Ecclesiæ dicitur: Ad dexteram enim & ad læuam dilataberis,
& semen tuum gentes hæreditabit. In tanta quippe multitu-
dine gentium ad dexteram extenditur, dum quosdam iustifi-
candos suscipit. Ad læuam quoque dilatatur, dum ad se quos-
dam etiam in iniquitate permansuros admittit. Propter hanc
multitudinem quæ extra electorum numerum iacet, in Euan-

E gelio Dominus dicit: Multi sunt vocati, pauci verò electi. Matth.20.
Sed quia hoc quòd electis aliis alij conteruntur, de merito pa-
tientis est, nõ de iniquitate punientis, non enim iniquus Deus,
qui infert iram, aptè subiungitur:

Quòd exigentibus præcedentibus peccatis peccatores excæcantur, vt lumen iustitiæ videre non possint, quod cùm possent videre contempserunt: & quòd idem peccatum interdum & peccatum sit, & causa peccati, & pœna peccati.

Caput IX.

NOuit enim opera eorum, & idcirco inducet noctem & cõterentur.) Iniquus conteritur dupliciter.
Sciendum summopere est, quòd iniquus quisque duo-
bus modis in nocte conteritur, vel cùm exterioris pœnæ tri-
bulatione percutitur, vel cùm occulta sententia interius cæ-
catur. In nocte corruit, cùm per extremum iudicium viuen-
di lumen in perpetuum amittit. Vnde scriptum est: Ligate ei Matth.22.
manus & pedes, & mittite eum in tenebras exteriores. Tunc
enim coactus in tenebras exteriores mittitur, quia nunc in in-
F terioribus excæcatur voluntariè. Rursum in nocte iniquus
conteritur, cùm peccatorum præcedentium confusione dam-
natus, veritatis lumen non inuenit, & quid deinceps agere de-
beat, non agnoscit. Omne quippe peccatum quod tamen 12
citius pœnitendo non tergitur, aut peccatum est, & causa pec- Peccatũ &
cati, aut peccatum & pœna peccati. Peccatum nanque quod causa pec-
pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit. cati.
Vnde fit vt non solum peccatum sit, sed peccatum & causa
peccati. Ex illo quippe vitio culpa subsequens oritur, ex quo
cæcata mens ducitur, vt peius ex alio ligetur. Sed peccatum
quod ex peccato oritur, non iam peccatum tantummodo,
sed peccatum est & pœna peccati, quia iusto iudicio omni-
potens Deus cor peccantis obnubilat, vt præcedentis peccati
merito etiam in aliis cadat. Quem enim liberare noluit, dese-
rendo percussit. Non ergo immeritò pœna peccati dicitur,
quod iusta desuper irrogata cæcitate, ex præcedentis peccati
vltione perpetratur. Quod videlicet agitur dispositione supe-
G rius ordinata, sed inferius iniquitate confusa, vt & præcedens
culpa sit causa subsequentis: & rursum culpa subsequens sit
pœna præcedentis. Quod bene in infidelibus & lubricis, Pau-
lus quasi quoddam semen erroris aspexerat, cùm dicebat: Qui Roma.1.
cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt,
aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis.
Sed quod ex huius erroris semine pullulauit, illico adiungit,
dicens: Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis
eorum in immunditiam: vt contumeliis afficiant corpora sua
in semetipsis. Quia enim cognoscentes Deum, peccatum su-
perbiæ intelligendo commiserunt, cæcantur etiam ne intelli-
gant quod committunt. Et qui intelligentiam suam sequi no-
lunt in peccato & causa peccati, & ipsum lumen intelligen-
tiæ perdunt in peccato & pœna peccati. Prioris ergo peccati
merito, peccatorum subsequentium fouea tegitur, vt qui ma-
lum sciens perpetrat, deinceps iustè in aliis etiam nesciens ca-
dat. Hoc quippe agitur vt culpæ culpis feriantur, quatenus
supplicia fiant peccantium ipsa incrementa vitiorum. Nam
H quia omnipotens Deus ad pœnitentiam tempus indulget:
quod tamen humana malitia ad vsum suæ iniquitatis intor-
quet, nimirum iusto Dei iudicio augeri culpa permittitur, vt
ad feriendum altius quandoq; cumuletur. Hinc enim rursum
de quibusdam Apostolus dicit: Vt impleant peccata sua sem- 1.Thessa.2.
per. Hinc voce Angelica Ioanni dicitur: Qui nocet noceat Apoca.22.
adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc. Hinc Dauid Psalm.68.
ait: Adpone iniquitatem super iniquitatem eorum, vt non in-
trent in iustitiam tuam. Hinc rursum de Domino ab eodem
Psalmista dicitur: Immissiones per angelos malos, viam fe- 13
cit semitæ iræ suæ. Cor quippe Dominus prioribus meritis Psalm.77.
aggrauatum iustè permittit etiam subsequẽtibus malignorum
spirituum persuasionibus falli: quod cùm dignè in culpa tra-
hitur, reatus eius in pœna cumulatur. Vnde & iræ suæ Domi-
nus viam de semita fecisse perhibetur. Latior enim est via
quàm semita. Ex semita verò iræ suæ viam facere, est iræ cau-
sas districtè iudicando dilatare: vt qui illuminati agere rectè
noluerunt, iustè cæcati adhuc faciant, vnde amplius puniri
mereãtur. Hinc per Moysen dicitur: Nondum completa sunt
peccata Amorræorum. Hinc per eundem Moysen Dominus Gene.15.
dicit:

Deut.32. dicit: Ex vinea enim Sodomorum vitis eorum, & propago A
eorum ex Gomorra. Vua eorum vua fellis, & botrus amaritu-
dinis in ipsis. Furor draconum vinum eorum, & furor aspi-
dum insanabilis. Nónne hæc omnia congregata sunt apud
me: & signata in thesauris meis? In die vltionis reddam eis.
Quàm multa eorum mala narrauit, & tamen ilicò adiungit:
In tempore quo lapsus fuerit pes eorum. Ecce atrocissima il-
lorum facinora describuntur, & tamen ad vltionis diem ad-
huc subsequens lapsus aspicitur, quò eorum culpæ cumulen-
tur. Habent iam quidem vnde feriri mereantur, sed sustinetur
tamen adhuc peccatum crescere vt peccantes possit atrocior
pœna cruciare. Iã meretur supplicium peccatum & causa pec-
cati: sed expectatur adhuc vt augmentum supplicij subroget
peccatum, & pœna peccati. Plerunque verò vnum atque idẽ
peccatum, & peccatum est, & pœna, & causa peccati. Quod
melius ostendimus si res ipsas ad medium deducamus. Effre-
nata enim ventris ingluuies in feruorem luxuriæ plenitudi-
nem carnis instigat. Perpetrata autem luxuria sæpe aut periu-
rio, aut homicidio tegitur, ne humanarum legum vltione pu- B
niatur. Ponamus ergo ante oculos quòd quidam voracitatis
sibi frena laxauit, qua voracitate superatus, adulterij facinus
admisit: deprehensus autem in adulterio, latenter virum adul-
teræ, ne ad iudicium traheretur occidit. Hoc igitur adulteriũ
inter voracitatem & homicidium positum, de illa videlicet
nascens, hoc generans, peccatum est, & pœna & causa pecca-
ti. Peccatum profectò est per semetipsum, pœna verò peccati
est, quia culpam voracitatis auxit, causa autem peccati est,
quia subsequens etiam homicidium genuit. Vnum ergo idẽ-
que peccatum est, & pœna præcedentis, & causa culpæ subse-
quentis: quia & transacta dum exaggerat, damnat: & adhuc
sequentia quæ damnari debeant, seminat. Igitur quia pecca-
tis præcedentibus cæcatur oculus cordis, ipsa cæcitas quæ
peccantis animum ex anteactæ culpæ damnatione confundit,
meritò nox vocatur: quia per hanc ab oculis delinquentis lu-
men veritatis absconditur. Bene itaque dicitur: Nouit enim
opera eorum, & idcirco inducet noctem & conterentur: quia C
vt sæpe dictum est, præcedentia nimirum mala faciunt vt ad
peccandum iterum tenebris subsequentibus inuoluantur: vt
eo iam lumen iustitiæ videre non possint, quo illud & quan-
do poterant videre noluerunt. Inducere autem noctem Do-
minus dicitur, non quòd ipse tenebras inferat, sed quòd ob-
scura corda peccantium misericorditer non illustret: vt hoc
ipsum in nocte cæcasse sit à cæcitatis tenebris liberare noluis-
se. Sequitur:

Quòd locus videntium Deum, sit sancta Ecclesia: à quo iusto iudicio falsi & ficti repelluntur, quia veritatem fidei scientes contemnunt.

Caput X.

QVasi impios percussit eos in loco videntium.) In scriptura sacra,
quasi aliquando pro similitudine, aliquando pro verita-
te poni consueuit. Pro similitudine enim quasi ponitur, sicut
2.Corin.6. Apostolus dicit: Quasi tristes semper autem gaudentes. Pro
veritate verò ponitur, sicut Ioannes ait: Vidimus gloriam eius D
Ioan.1. gloriam quasi vnigeniti à patre. Hoc autem loco nihil differt
vtrum pro similitudine, an pro veritate sit positum, quia quo-
libet dicatur ordine, apertè praua malorum vita signatur. Im-
pios verò scriptura sacra propriè infideles appellat. Hac nan-
que distantia peccatores ab impiis discernũtur: quia cùm om-
nis impius sit peccator, non tamẽ omnis peccator est impius.
Peccator enim dici etiam qui in fide pius est potest. Vnde
1.Ioan.1. Ioannes ait: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi
nos seducimus. Impius verò propriè dicitur, qui à religionis
Psalm.1. pietate separatur. De talibus enim Propheta ait: Non resur-
14. gunt impij in iudicio. Locus autem videntium, sancta Ec-
clesia vocatur. In ipsa enim rectè consistitur, vt lumen verum
Exod.33. quod Deus est, videatur. Vnde ad Moysen dicitur: Est lo-
cus penes me, & stabis supra petram cùm transeat mea maie-
stas. Et post paululum: Auferam manum meam, & videbis
posteriora mea. Per locum quippe Ecclesia, per petram Do-
minus, per Moysen verò multitudo plebis Israëliticæ figura-
tur, quæ Domino in terra prædicante non credidit. Ipsa ergo
in petra stetit tergo Domini transeuntis aspiciens, quia vide-
licet post passionem ascensionemque dominicam, intra san-

ctam Ecclesiam deducta, fidem Christi percipere meruit: &
cuius præsentiam nõ vidit, eius posteriora cognouit. Dicatur
ergo de his quos intra sanctam Ecclesiam diuina vltio inue-
nit, in iniquitatibus perdurantes: dicatur de his quorum vitã
Paulus Apostolus notat, qui confitentur se nosse Deum, fa-
ctis aute negant. Quasi impios percussit eos in loco viden- ad Tit.1.
tium. Ibi quippe stabant vbi Deum videre videbantur. Ibi
tenebras dilexerunt, vbi lumen veritatis aspicitur. Et quan-
uis apertos habuerunt oculos in fide, tenuerunt tamen eos
clausos in opere. Vnde bene & de Iudæa dicitur: Speculato- Esa.56.
res eius cæci: quia videlicet non videbant opere, quod profes-
sione cernebant. Vnde etiam de Balaam scriptum est: Qui ca- Nume.24.
dens apertos habet oculos. Cadens quippe in opere, apertos
tenuit oculos in contemplatione. Ita ergo hi etiam oculos a-
perientes in fide, & nõ videntes in opere, intra Ecclesiam po-
siti pia specie, extra Ecclesiam inuenti sunt impia conuersa-
tione. De quibus aliàs bene scriptum est: Vidi impios sepul- Ecclẽs.8.
tos, qui cùm adhuc viuerent, in loco sancto erant, & lauda-
bantur in ciuitate quasi iustorum operum. Multos enim peste
propriæ prauitatis obsessos sub Christiano nomine, ipsa tran-
quillitas Ecclesiasticæ pacis abscondit. Quos tamen si leuis
persecutionis aura pulsauerit, mox extra aream velut paleas
tollit. Quidam verò idcirco Christianitatis vocatione si- 15.
gnantur: quia Christi nomine sublimiter exaltato, penè om-
nes iam videri fideles aspiciunt: & pro eo quòd hoc vocari a-
lios cernunt, ipsi non videri fideles erubescunt, sed esse negli-
gunt quod dici gloriantur. Rem enim virtutis intimæ ad de-
corem sumunt visionis externæ: & qui ante supernum iudi-
cem nudi conscientiæ infidelitate consistunt, ante humanos
oculos professione sancta verbo tenus palliantur. Nonnulli
autem fidem medullitùs tenent, sed viuere fideliter nullatenus
curant. Insequuntur enim moribus quod credulitate vene-
rantur. Quibus diuino iudicio sæpe contingit, vt per hoc
quod nequiter viuunt, & illud perdant quod salubriter cre-
dunt. Incessanter nanque se prauis actionibus polluunt, & su-
per hoc vindictam iusti iudicij retribui posse diffidunt: & sæ-
pe cùm bene viuere negligunt, etiam persequente nullo vs-
que ad perfidiam dilabuntur. Nam qui imminere districtũ iu-
dicium non credunt, qui inultè se peccare suspicantur, quo
pacto vel esse vel dici fideles possunt? Fidem quippe perdi- Fidem per-
disse, est incorrectis malis operibus, digna supplicia reddi dere.
posse non credere. Quia ergo digna fidei opera seruare con-
temnunt, etiam fidem perdunt quam tenere videbantur. Su-
per quos bene per Prophetam sub Hierusalem specie inimi-
corum destruentium verba memorantur, à quibus scilicet di-
citur: Exinanite exinanite vsque ad fundamentũ in ea. Paulus Psalm.136.
quippe ait: Fundamentum aliud nemo potest ponere præter 1.Cor.13.
id quod positum est, quod est Christus Iesus. Inimici
ergo destruentes, vsque ad fundamentum Hierusalem exina-
niunt, quando peruersi spiritus à corde fidelium destructo
prius ædificio boni operis, soliditatem quoque exhauriunt
religionis. Sicut enim supra fundamentum fabrica, sic super
fidem opera construuntur. Vsque ad fundamentum ergo exi-
naniisse, est euerso bene viuendi opere, etiam robur fidei dis-
sipasse. Hinc etiam ad Iudæam per Hieremiam dicitur: Filij Hier.2.
quoque Mempheos & Taphneos constuprauerunt te vsque
ad verticem. Vsque ad verticem quippe constuprari, est post
malæ operationis vsum etiam in ipsa fidei sublimitate cor-
rumpi. Cùm enim nequissimi spiritus vniuscuiusque animam
in prauis operibus inuoluunt, sed integritatem fidei vitiare
non possunt, quasi adhuc inferiora membra polluunt, sed ad
verticem non pertingunt. Quisquis autem in fide corrumpi-
tur, iam vsque ad verticem comstupratur. Malignus enim spi-
ritus quasi ab inferioribus membris vsque ad summa pertin-
git, quando actiuam vitam polluens, castam celsitudinem fi-
dei diffidentię morbo corrumpit. Quia igitur cuncta hęc hu-
manis oculis absconsa sunt, sed diuinis obtutibus patent, &
multi in hac domo fidei sine fide moriuntur, dicatur rectè:
Quasi impios percussit eos in loco videntium.) Pios enim se in Ec-
clesia hominibus ostendunt, sed quia diuina iudicia latere nõ
possunt, quasi impij feriuntur. Quibus hoc magis ad suppli-
cij cumulum crescit, quòd vnusquisque eorum in Ecclesia
fidelibus admixtus, veritatem fidei sciendo contemnit, atque

eo grauior vltior sequitur, quo per exempla rectorum etiam bene viuendi eos scientia comitatur. Quot enim eis modò recti ac fideles fratres ostenduntur, tot in futuro iudicio testibus impugnantur. Sciunt ergo quod sequi negligunt. Vnde & aptè subiungitur:

Quòd tribus modis peccatur, ignorantiæ, infirmitate, & studio: & quòd ex industria peccare sit, cùm quis quòd scit & potest, contemnit. Caput XI.

De pœnit. dist. 2. Sciendum. QVi quasi de industria recesserunt ab eo.) Sciendum quippe est, quòd peccatum tribus modis committitur. Nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur. Et grauius quidem infirmitate quàm ignorantia, sed multo grauius studio quàm infirmitate peccatur. Ignorantia Paulus peccauerat, cùm dicebat: Qui prius fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Petrus verò infirmitate peccauit, quando in eo omne robur fidei quod Domino perhibuit, vna vox puellæ concussit, & Deum quem corde tenuit, voce denegauit. Sed quia infirmitatis culpa vel ignorantiæ eo faciliùs tergitur, quo non studio perpetratur, Paulus quæ ignorauit, sciendo correxit: & Petrus motam & quasi arescentem iam radicem fidei lachrymis rigando solidauit. Ex industria verò peccauerunt ij, de quibus ipse per se magister dicebat: Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberẽt: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Et paulo pòst: Et viderunt & oderunt me & patrem meum. Aliud est enim bona non facere, aliud bonorum odisse doctorem: sicut aliud est præcipitatione, aliud deliberatione peccare. Sæpe enim peccatum præcipitatione committitur, quod tamen consilio & deliberatione damnatur. Ex infirmitate enim plerunque solet accidere amare bonum, sed implere non posse. Ex studio verò peccare, est bonum nec facere nec amare. Sicut ergo nonnunquam grauius est peccatum diligere, quàm perpetrare: ita nequius est odisse iustitiam, quàm non fecisse. Sunt ergo nonnulli in Ecclesia qui non solùm bona non faciunt, sed etiam persequuntur: & quæ ipsi facere negligunt, etiam in aliis detestantur. Horum peccatum scilicet non ex infirmitate vel ignorantia, sed ex solo studio perpetratur, quia videlicet si vellent implere bona, nec tamen possent, ea quæ in se negligunt, saltem in aliis amarent. Si enim ea ipsi vel solo voto appeterent, facta ab aliis non odissent: sed quia bona eadem audiendo cognoscunt, viuendo despiciunt, animaduertendo persequuntur, rectè dicitur: Qui ex industria recesserunt ab eo. Vnde & aptè subiungitur: *Et omnes vias eius intelligere noluerunt.*) Non enim ait: Infirmitate non intelligunt, sed intelligere noluerunt: quia sæpe quæ facere despiciunt, etiam scire contemnunt. Quia enim scriptum est: Seruus nesciens voluntatem Domini sui, & faciens digna plagis, vapulabit paucis: & seruus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens iuxta eam, plagis vapulabit multis: impunitatem peccandi existimant remedium nesciendi. Qui nimirum sola superbiæ caligine tenebrescunt, atq; ideo non discernunt, quia aliud est nescisse, aliud scire noluisse. Nescire enim ignorantia est: scire noluisse, superbia. Et tantò magis excusationem non possunt habere, quia nesciant, quantò magis eis etiam nolentibus opponitur quòd cognoscant. Vnde per Salomonem dicitur: Nunquid non sapientia clamitat, & prudentia dat vocem suam in summis excelsisq; verticibus super viam in mediis stans semitis? Transire fortasse per viam vitæ temporalis, cum eius ignorantia poteramus, si hæc eadem sapientia in semitæ angulis constitisset. Inuestiganda fuerat, si occultari voluisset. Sed postquam incarnationis suæ mysteria publicè ostendit, postquam humilitatis exempla superbientibus præbuit, semetipsam nobis quasi transeuntibus in mediis semitis fixit: vt videlicet in eam quam quærere noluimus, impingamus: & quam transeuntes videre negligimus, tãgamus offendentes. Dicatur itaque: Et omnes vias eius intelligere noluerunt. Via quippe est incarnatæ sapientiæ omnis actio quam temporaliter gessit. Viæ eius sunt viuendi ordines, quos ad se venientibus strauit. Tot itaque ad se venientibus vias præbuit, quot bene viuendi exempla mõstrauit. Humilitatis eius vias Propheta aspexerat, cùm suspirabat, dicens: In mandatis tuis me exercebo, & considerabo vias tuas. Hinc rursum de

1. Timot. 1.

Ioan. 15.

Prouer. 8.

Psalm. 118.

E vnoquoque iusto dicitur, qui curat vt per dominica exemplà gradiatur: A Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius cupit nimis. Quia ergo superbi quique humilitatis dominicæ facta contemnunt, rectè dicitur: *Vias eius intelligere noluerunt.*) Viæ enim istæ visione despectæ sunt, sed intellectu reuerendæ. Aliud quippe est in eis quod cernitur, aliud quod expectatur. Quid enim in hac vita aliud quàm deiectionem, sputa, ludibria, mortémque intuentium oculis ostendit? Sed per hæc infima transitur ad summa: per hæc dedecora, quæ præcedunt, æterna nobis & gloriosa pollicentur. Viderunt ergo superbi vias Dei, sed intelligere noluerunt: quia dum abiecta quæ in se ille ostendit despiciunt, perdiderunt iustè sublimia quæ promittit. Vias itaque Dei intelligere, est & humiliter tolerare transitoria, & perseueranter expectare mansura, vt exemplo Domini coæterna quæratur gloria opprobriis temporalibus comparata, & non quod hîc quisque tolerat, sed in id quod expectat, intendat. Ad hæc ergo superbi clausos oculos tenuerunt, quia dum in gloria præsentis vitæ superbiunt, humilitatis dominicæ celsitudinem non viderunt. Lumen enim intelligentiæ humilitas aperit, superbia abscondit. Nam secretum quoddam pietatis est, & tantò minus ad illud animus peruenit, quantò magis intumescit: quia eo ipso foras repellitur, quo insanius inflatur. Sequitur:

Psalm. 111. 17

Quòd egeni & pauperes ad Deum clamant, cùm præpositi curis secularibus dediti, prædicationis officium deserunt.

Caput XII.

VT peruenire facerent ad eum clamorem egeni, & audiret vocem pauperum.) Cùm enim isti superbiunt, clamant ad Deum hi, qui ab ipsis superbientibus opprimuntur. Vnde certè idcirco dicitur quòd ad Deum fecerunt clamorem pauperum peruenire: quia istis cadentibus, in eorum locum pauperes, id est, spiritu humiles subrogantur, & quia hoc eorum casu factum est, ipsi fecisse referuntur, eo videlicet locutionis genere, quo pugnare castra dicimus, quia pugnatur ex illis. Vel certè quia cuncta quæ superius dicta sunt, referri etiam ad rectores Ecclesiasticos possunt, qui relicto prædicationis studio, sub occasione regiminis terrenis negociis inuoluuntur, aptè subiungitur. Vt peruenire facerent ad eum clamorem egeni, & audiret vocem pauperum: quia nimirum dum ipsi curis secularibus occupati, prædicationis officium deserunt, gregem subditum in querelarum prorumpere clamorem cõpellunt: vt quasi iure vnusquisque subiectus de vita ficti pastoris immurmuret, cur teneat magistri locum qui non exercet officium. Quanuis fortasse melius per tumorem potentium, superbia Iudæorum, & per clamorem pauperum, desideria gentium figurantur: sicut attestante veritate per epulantem splendidè diuitem Iudaicus populus designatur: copiam scilicet legis non ad necessitatem salutis, sed ad pompam elationis assumens, atq; in præceptorum verbis non semetipsum ordinate reficiens, sed iactanter ostendens: & per vulneratum Lazarum, qui interpretatur adiutus, forma populi gentilis exprimitur, quem diuinum adiutorium tãtò magis erigit, quantò minus de suarum virium facultate confidit. Qui pauper & plenus vlceribus esse describitur: quia gentilitas corde humilis peccatorum suorum aperuit cõfessiones. Nam sicut in vulnere ab internis trahitur virus in cute, ita in confessione peccati, dum in publicum secreta panduntur, quasi mali humores à visceribus intimis foràs prorumpunt. Illis ergo peccantibus pauperum clamor auditur: quia dum Iudæi contra Deum superbiunt, ad Deum vota gentilium peruenerunt. Vnde & mox hæc ipsa immensa ac profunda iudicia perhorrescẽs, non ea curat ratione discutere, sed admiratione venerari atque ait:

Quòd temerè discutitur, quæ ve hunc Deus trahat, illum repellat: cùm de beneplacito eius ratio non reddatur.

Caput XIII.

IPso enim concedente pacem, quis est qui condemnet, & ex quo absconderit vultum suum, quis est qui contempletur eum?) Nemo ergo discutiat cur stante Iudaico populo, dudum in infidelitate gentilitas iacuit, & cur ad idem gentilitate surgente, Iudaicum populum infidelitatis culpa prostrauit. Nemo discutiat cur alius trahatur ex dono, alius repellatur ex merito. Si enim gentilitatem miraris assumptam, ipso concedẽte pacem, quis est qui condemnet? Si Iudæam obstupescis perditam, ex quo absconderit

absconderit vultum suum, quis est qui contempletur eum? A Itaque consilium summæ & occultæ virtutis, satisfactio sit apertæ rationis. Vnde & in Euangelio Dominus cùm de huius rei causa loqueretur, ait: Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudẽtibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater. Atque mox tanquam rationem quandam absconsionis ac reuelationis adiungens, ait: Quia sic fuit placitum ante te. Quibus nimirum verbis exempla humilitatis accipimus, ne temerè discutere superna consilia de aliorum vocatione, aliorũ verò repulsione præsumamus. Cùm enim intulisset vtrumque, nõ mox rationem reddidit, sed sic Deo placitum dixit: hoc videlicet ostendens, quia iniustum esse non potest quod placuit iusto. Vnde & in vinea laborantibus mercedem reddens, cùm quosdam operarios inæquales in opere, æquaret in præmio, & plus in mercede quereret, qui labori amplius insudasset, ait: Nónne ex denario conuenisti mecum? Volo autem & huic nouissimo dare, sicut & tibi, An non licet mihi quod volo facere? In cunctis ergo quæ exterius disponuntur, aperta causa rationis est occultæ iustitia voluntatis. Dicatur itaque: Ipso enim concedente pacem, quis est qui condemnet? Ex quo absconderit vultum suum, quis est qui contempletur eum? Et quia sic minima sicut maxima, sic singula Deus iudicat sicut cuncta, aptè subiungitur: *Et super gentem, & super omnes homines.*) Ac si apertè admoneamur intendere, quia hoc iudicium quod super vnam gentem describitur, etiã super omnes homines inuisibili examinatione celebratur: vt alius eligatur, alius repellatur occultè, sed nullus iniustè. Hoc ergo quod in maximis fieri cernimus, etiam in nobis singulis cautè timeamus. Sic enim intenduntur diuina iudicia super vnam animam, sicut super vnam vrbem: sic super vnam gentem, sicut super vniuersam generis humani multitudinem: quia & sic intendit Dominus singulis, ac si vacet à cunctis, & sic simul intendit omnibus, ac si vacet à singulis. Qui enim omnia administrando implet, regit implendo: nec vniuersis deest cùm disponit vnum, nec vni deest, cùm disponit vniuersos, cuncta scilicet naturæ suæ potentia C quietus operatur. Quid ergo mirum, quia non angustatur intentus, qui operatur quietus? Dicatur itaque quia hoc subtile iudicium exercet, & super gentem & super omnes homines.

Matth. 20.

Matth. 11.

19.

Quòd secundum merita subditorum dentur sæpe rectores, & pro iniquitate mali gregis, delinquæ verò boni vita pastoris: & quòd virtutis est meritum, dum salua fide res agitur, tolerare & celare mala rectoriam.

Caput XIIII.

QVia igitur de specie transiuit ad genus, nunc de genere se cõuertit ad speciem, & quid Iudæa propriè mereatur, ostendit, dicens: *Qui regnare facit hominem hypocritam, propter peccata populi.*) Verum nanque regem super se Iudæa regnare noluit, & idcirco exigentibus meritis hypocritam accepit: sicut ipsa quoque veritas in Euangelio dicit: Ego veni in nomine patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Et sicut Paulus ait: Pro eo quòd charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio. In eo ergo quod dicitur: Qui regnare fecit hominem hypocritam propter peccata populi: potest ipsum omnium hypocritarum caput antichristus designari. Seductor quippe ille tũc sanctitatem simulat, vt ad iniquitatem trahat. Sed propter peccata populi regnare permittitur: quia nimirum tunc ipsi sub illius regimine præordinantur, qui eius dominio digni ante secula præsciuntur, qui peccatis subsequentibus exigunt, vt sub illo iudiciis præcurrentibus disponantur. Quòd ergo tunc antichristus super impios regnat, non est ex iniustitia iudicantis, sed ex culpa patientis: quanuis plerique & principatum illius non viderunt, & tamen eius principatui peccatorum suorum conditione deseruiunt: quia & quem dominantem sibi minimè conspiciunt, eum proculdubio peruersè viuendo venerantur. An non eius membra sunt, qui per affectatæ sanctitatis speciem appetunt videri quod non sunt? Ille nanque principaliter hypocrisim sumit, qui cùm sit damnatus homo & † nequaquam spiritus, Deum se esse mentitur. Sed procul dubio ex eius nunc corpore prodeunt qui iniquitates suas sub tegmine sacri honoris abscondunt, vt professione videri appetant quod esse operibus recusant. Quia enim scriptum est: Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati: quantò nunc liberius peragunt peruersa quæ volunt, tantò eius seruitio obnoxius obligantur. Sed nullus qui talem rectorem patitur, eum quem patitur accuset, quia nimirum sui fuit meriti peruersi rectoris subiacere ditioni. Culpam ergo proprij magis accuset operis, quàm iniustitiam gubernantis. Scriptum nanque est: Dabo tibi reges in furore meo. Quid ergo illos nobis præesse despicimus, quorum super nos regimina ex Domini furore suscipimus? Si igitur irascente Deo secundum nostra merita rectores accipimus, in illorũ actione colligimus, quid ex nostra æstimatione pensemus, quanuis plerunque & electi subiacent reprobis. Vnde & diu Dauid Saulem pertulit, sed subsequente culpa adulterij proditur, quia dignus tunc fuit qui tanta præpositi asperitate premeretur. Sic ergo secundum merita subditorum tribuuntur personæ regentium, vt sæpe qui videntur boni, accepto mox regimine permutentur: sicut scriptura sacra de eodem Saule intulit, quia cor cum dignitate mutauit. Vnde scriptum est: Cùm esses paruulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israël. Sic pro qualitatibus subditorum disponuntur acta regentium: vt sæpe pro malo gregis, etiam verè boni delinquat vita pastoris. Ille enim Deo attestante laudatus, ille supernorum mysteriorum conscius Dauid propheta, tumore repentinæ elationis inflatus, populum numerando peccauit, & tamen vindictam populus Dauid peccante suscepit. Cur hoc? quia videlicet secundum meritum plebium disponuntur corda rectorum. Iustus verò iudex peccantis vitium ex ipsorum animaduersione corripuit, ex quorum causa peccauit. Sed quia ipse scilicet sua voluntate superbiens, à culpa alienus non fuit, vindictam culpæ etiam ipse suscepit. Nam ira sæuiens quę corporaliter populum perculit, rectorem quoque populi intimo cordis dolore prostrauit. Certum verò est, quòd ita sibi inuicem & rectorum merita connectantur & plebium: vt sæpe ex culpa pastorum deterior fiat vita plebium, & sæpe ex plebium merito, mutetur vita pastorum. Sed quia rectores habent iudicem suum, magna cautela subditorum est non temerè vitam iudicare regẽtium. Neque enim frustra per semetipsum Dominus æs nummulariorum fudit, & cathedras vendentium columbas euertit: nimirum significans quia per magistros quidem vitam iudicat plebium, sed per semetipsum facta examinat magistrorum. Quanuis etiam subditorum vitia, quæ à magistris modò vel dissimulantur iudicari vel nequeunt, eius procul dubio iudicio reseruantur. Igitur dum salua fide res agitur, virtutis est meritum, si quicquid prioris est, toleratur. Debet tamen humiliter suggeri, si fortasse valeat quod displicet emendari. Sed, curandum summopere est, ne in superbiam transeat iustitiæ inordinata defensio: ne dum rectitudo incautè diligitur, ipsa magistra rectitudinis humilitas amittatur, ne eum sibi præesse quisque despiciat, quem fortasse contingit, vt in aliqua actione reprehendat. Contra hunc tumorem superbiæ, subditorum mens ad custodiam humilitatis edomatur, si infirmitas propria incessanter attenditur. Nam vires nostras veraciter examinare negligimus: & quia de nobis fortiora credimus, idcirco eos qui nobis prælati sunt districtè iudicamus. Quò enim nosmetipsos minus agnoscimus, eò illos quos reprehendere nitimur, plus videmus. Communia hæc mala sunt quæ sæpe à subditis in prælatos, sæpe à prælatis in subditos committuntur: quia & omnes subditos hi qui præsunt, minus quàm ipsi sunt sapientes arbitrantur: & rursum qui subiecti sunt, rectorum suorum actiones iudicant, & si ipsos regimen habere contingeret, se potuisse agere melius putant. Vnde plerunque fit vt & rectores minus prudenter ea quæ agenda sunt videant, quia eorum oculos ipsa nebula elationis obscurat, & nonnunquàm is qui subiectus est, hoc cùm prælatus fuerit faciat, quod dudum fieri subiectus arguebat: & pro eo quòd illa quæ iudicauerat perpetrat, saltem, quia iudicauit erubescat. Igitur sicut prælatis curandum est, ne eorum corda æstimatione singularis sapiẽtiæ locus superior extollat, ita subiectis prouidendum est, ne sibi rectorum facta displiceant. Si autem magistrorum vita

Ioan. 8.

Osee. 13.

1. Reg. 18.

1. Reg. 15.

2. Reg. 24.

21.

22.

Ioan. 5.

2. Thess. 2.

D

† al. nequã.

iure reprehenditur, oportet vt eos subditi etiam cùm displicent venerentur.

Quòd mali pastores non semper imitandi sunt, tamen necesse est venerari. Caput XV.

SEd hoc est solerter intuendum, ne aut quem venerari necesse est, imitari appetas: aut quem imitari despicis, venerari contemnas. Subtilis etenim via tenenda est rectitudinis & humilitatis: vt sic reprehensibilia magistrorum facta displiceant, quatenus subditorum mens à seruanda magisterij reuerentia non recedat. Quod bene in Noë debriato exprimitur, cuius nudata verecunda boni filij auersi veniendo texerunt. Auersari quippe dicimur, quod reprobamus. Quid est ergo quòd filij verecunda patris superiecto dorsis pallio auersi venientes operiunt, nisi quòd bonis subditis sic præpositorum suorum mala displicent, vt tamen hæc ab aliis occultent? Operimentum auersi deferunt, quia iudicantes factum, & venerantes magisterium, nolunt videre quod tegunt.

Quòd multi dum sibi iusti videntur, in eo quòd rectores suos secularibus negotiis occupatos iudicant, Deum accusant: & cùm ipse per Moysen pellibus & ciliciis tabernaculum operiri præcepit, quasi hæc detrahentes, diuinis dispositionibus contradicunt. Caput XVI.

SVnt verò nonnulli qui si parum quid de spiritali conuersatione inchoant, cùm rectores suos temporalia agere, & terrena considerant, mox ordinem supernæ dispositionis accusant, quòd nequaquam bene ad regendum prælati sint, per quos, conuersationis infimæ exempla monstrantur. Sed hi nimirum dum temperare se à rectorum suorum reprehensione negligunt, culpæ suæ exigentibus meritis, vsque ad reprehensionem conditoris excedunt: cuius profectò dispensatio inde ab humilibus rectior agnoscitur, vnde ab elatis non rectè iudicatur. Quia enim potestas regiminis ministrari non potest sine studio curæ temporalis, aliquãdo omnipotens Deus mira dispensatione pietatis vt teneræ spiritalium mentes à terrena cura disiunctæ sint, onus regiminis duris ac laboriosis cordibus iniungit, vt tantò illæ ab hoc mundo securius lateant, quantò hæc in terrenis sollicitudinibus valenter elaborant. In exhibitione quippe suscepti oneris pro ipsis quoque vtilitatibus subditorum duræ vitæ sunt mundanæ seruitutes. Et sæpe, vt dictum est, misericors Deus quo suos tenerè diligit, eo sollicitè ab externis actionibus abscondit. Nam & plerunque paterfamilias ad eum laborem seruos dirigit, a quo subtilius filios suspendit: & inde filij sine vexatione decori sunt, vnde serui in puluere fœdantur. Quod quàm rectè in Ecclesia diuinitùs agitur, ipsa tabernaculi constructione signatur. Ad Moysen quippe diuina voce præcipitur, vt ad tegenda interius sancta sanctorum ex bysso, cocco atque hyacintho vela texantur, iussúmque est vt ad protegendum tabernaculum, vela cilicina & pelles extẽderet, quæ nimirum vel pluuias vel ventos, vel puluerem tolerarent. Quid ergo per pelles, & cilicia quibus tabernaculum tegitur, nisi grossas hominum mẽtes accipimus, quæ aliquando in Ecclesia occulto Dei iudicio quanuis duræ sint præferuntur? Quæ quia seruire curis temporalibus non timent, oportet vt tentationum ventos & pluuias de huius mundi contrarietatibus portent. Quid verò per hyacinthum, coccum, byssúmque signatur, nisi sanctorum vita tenera, sed clara? Quæ dum cautè in tabernaculo sub ciliciis, & pellibus absconditur, sua integra pulchritudo seruatur. Vt enim in interiore tabernaculi byssus fulgeat, coccus coruscet, hyacinthus cœruleo colore resplendeat: desuper pelles & cilicia, imbres, ventos & puluerem portant. Qui igitur magnis virtutibus in sanctę Ecclesiæ sinu proficiunt, præpositorum suorum vitam despicere non debent, cùm vacare eos rebus exterioribus vident: quia hoc quòd ipsi securi intima penetrant, ex illorum adiumento est, qui contra procellas huius seculi exterius laborant. Quam enim candoris sui gratiam retineret, si byssum pluuia tangeret? Aut quid fulgoris atque claritatis coccus vel hyacinthus ostenderet, si hæc susceptus puluis fœdaret? Sit ergo desuper textura cilicij fortis ad puluerem: sit inferius color hyacinthinus aptus ad decorem. Ornent Ecclesiam qui solis rebus spiritalibus vacant, tegant Ecclesiam quos & labor rerum corporalium non grauat. Nequaquam ergo contra rectorem suum exteriora agentem murmuret is, qui intra Ecclesiam sanctam iam spiritaliter fulget. Si enim tu securè interius vt coccus rutilas, cilicium quo protegeris cur accusas? Sed à quibusdam quæritur, quia dum saltem pro vtilitate subditorum rectores nimium temporalibus curis inseruiunt, plerique in Ecclesia eorum exemplo detereſcunt. Quod verum valde esse quis abneget, cùm curari à pastoribus terrena quàm cælestia sollicitius videt? Sed neque hæc iniusta sunt, sicut superius diximus, si mores præsidentium iuxta subditorum merita disponuntur. Occultæ nanque & sponte perpetratæ culpæ exigunt, vt praua & à pastoribus exempla præbeantur, quatenus iusto iudicio is qui de via Dei superbus exorbitat, in via qua graditur, etiam per ducatum pastoris offendat. Vnde per Prophetam quoq; prænuntiantis studio dicitur, non maledicentis voto: Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Ac si dicat: Qui humanæ vitæ actionibus quasi præuidendis itineribus præsunt, veritatis lucem non habeant, vt & qui sequuntur subditi, iniquitatum suarum oneribus incuruati, omnem statum rectitudinis amittant. Quod factum procul dubio in Iudæa nouimus, cùm in ipso nostri Redemptoris aduentu Pharisæorum turba atque sacerdotum à vero lumine mentis oculos clausit, & per præpositorum exempla gradiens, in infidelitatis tenebris populus errauit. Sed quæri rationabiliter potest quomodo hoc in loco dicitur: quòd regnare hypocritam Dominus facit, cùm de hac re specialiter per Prophetam conqueritur, dicens: Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui. Quis enim rectè sentiens dicat: quia facit Dominus quod minimè cognoscit? Sed quia scire Dei approbare est, nescire reprobare: vnde quibusdam quos reprobat dicit: Nescio vos vnde sitis, discedite à me omnes operarij iniquitatis: & aliquando facere Dei, est id, quod fieri prohibet, irascendo permittere: vnde & regis Aegypti cor se obdurare asseruit, quia videlicet obdurari permisit: miro modo hypocritas Dominus & regnare facit & nescit: facit sinendo, nescit reprobando. Vnde necesse est, vt ad omne quod in hac vita concupiscitur, prius voluntas interna requiratur. Quam cùm humani cordis auris percipere appetit, sciat quia hæc non verbis, sed rebus sonat. Locus ergo regiminis cùm regendus offertur, in se prius necesse est vt quisque discutiat, si loco vita congruit, si ab honore actio non dissentit, ne iustus omnium rector eo pòst in tribulatione preces non audiat, quo ipsa quoque eius, de quo tribulatio oritur, exordia honoris ignorat.

Exod. 25. *Psalm. 68.* *Osea. 8.* *Luca. 13.* *Exod 3.* 23

Libri vicesimiquinti finis.

B. GREGORII MORALIVM IN BEATVM IOB, LIBER VIGESIMVSSEXTVS.

Quòd proprium sit superborum doctorum, dum bene locutos se nouerint, quasi pro æquitate inquirere ab auditoribus suis, vtrum in aliquo offenderint: vt eo modo laudem ab eis extorqueant.

Caput I.

IN locutionibus suis hoc arrogantes viri habere inter alia proprium solent, quòd ab auditoribus suis ne quid fortasse inordinatum dixerint, tunc requirunt, cùm se laudabiliter aliquid dixisse cognoscunt. Hæc videlicet faciunt, non quo de dictis suis ambigant, sed quo ab audientium iudicio fauores quærant. Nam inueniri facilè poterunt quo animo percunctantur, si quisquam cùm eorum bona laudat, etiam mala reprehendat. Certum quippe est, quia sicut inflantur laudibus, ita correctionibus inflammantur, & à quolibet se vel iustè reprehendi despiciunt, móxque in malis suis fomitem defensionis exquirunt. Quomodo ergo de bonis suis humiliter ambigunt, qui mala sua defendere etiam peruersè moliuntur? Ille est enim verè humilis in bonis, qui non est defensor in malis. Nam qui de malis suis arguitur, & contra verba

verba arguentis accenditur, quando de bonis suis quasi humiliter titubat, per humilitatis vocem ornari appetit, non doceri. Heliu itaque vitam arrogantium signans, postquam multa interna & sublimia intulit, ecce in verbis formam humilitatis assumit, & æquitate proposita su b q uadam disciplulatus imagine beatum Iob alloquitur, dicens: *Quia ego locutus sum ad Deum, te quoque non prohibebo. Si errauí, tu doceme: si iniquitatem locutus sum, vltrà non addam.*) Sicut sæpe contingit vt bona loquantur & mali, multa Heliu fortia paulo superius se dixisse meminerat, & securus idcirco ne fortasse errauerit, requirebat. Neque enim requireret, si se erasse credidisset. Est nanque, vt dixi, propria arrogãtium fraus, vt tunc de errore requirere studeant, quando se nouerint non erasse. Qui rursum requirere, vel argui de errore despiciunt, si quando se erasse veraciter præcognoscunt. Non enim esse, sed videri humiles appetunt, & tunc requirendo speciem humilitatis assumunt, quando de ipsa magis requisitione laudantur. Sed quia omnino difficile est, vt elatio quæ regnat in corde, non erumpat in voce: auditores arrogantium si eorum dicta paulisper taciti expectant atque considerant, citius corda illorum subsequentia verba manifestant. Diu quippe morari non possunt in ipsa humilitatis imagine quam specietenus sumunt. Superbis enim mentibus humilitas alta est, & cùm eius formam conscendere ambiunt, lassatis animi gresibus quasi à cliuosis atque asperis itineribus dilabuntur. Alienum est scilicet quod videri appetunt, & idcirco eius imagini diu inhærere nequaquam possunt. Graue pondus æstimant, cùm eam saltem specietenus portant, & quousque hanc abiiciant, vim quandam in corde patiuntur: quia videlicet elationis vsui malè dominanti deseruiunt, atque eius imperio semetipsos quales sint prodere compelluntur, ne diu possint videri quod non sunt. Vnde Heliu quoque postquam de errore doceri se petiit, postquam iniquitatem non se vltra locuturum promisit, ab humilitatis specie ad verba tumidæ excusationis exiliuit. Nam subdidit dicens: *Nunquid à te Deus expetit eam, quia displicuit tibi?*) Ac si diceret: Ego coram Domino rationes positurus sum, cur modo iniquitas mea à te reprehenditur, quæ constat quòd in iudicio à te non requiratur.

Quòd sancti humanum iudicium non timeant, sed diuinum: cùm econtrario superbi iudicium Dei non metuunt, & ab hominibus iudicari erubescunt. Caput II.

2. RECti viri cùm iniustè ab hominibus impetuntur, ad supernum iudicium recurrunt. Vnde & ab eodem ad beatum Iob dicitur: *Ecce in cælo testis meus, & conscius meus in excelsis.*) Et quia ei placere summopere cupiunt, eius solius testimonium requirunt. Peruersi quoque quia iustorum vitam deserunt, sed nonnunquam eloquia sequuntur, cùm de suis malè gestis increpantur, hoc assumunt in argumentum defensionis, quod iusti proferunt cum testimonio puritatis. Vnde eis consuetudo iam facta est, vt si quis eos de factis suis arguat, Dei magis iudicium quàm hominum quærant. A Deo enim & cùm se damnandos nouerint, iudicari non metuunt, & iudicari ab hominibus erubescunt. Proponunt ergo maius quod non metuunt, vt minus declinare valeant, quod erubescunt. Scriptum quippe est: Vnusquisque nostrum prose rationem reddet Deo. Quia ergo tunc damnatio vniuscuiusque manifesta est, exinde modò iniqui colligunt, vt iam peruersa vniuscuiusque actio sit secura, ne modò eam quilibet iustus arguendo discutiat, à qua constat quòd in iudicio alienus existat. At contrà piorũ conscientiæ grande sibi conferri premiũ credũt, cùm de quibusdã modo suis actionibus illicitis arguuntur. Proponunt etenim ante oculos cordis, quia districtum Dei iudicium tantò verius tunc super eos mitigabitur, quantò nunc acrius arguente homine præuenitur: & temporalem iram super se lucrum computant, per quam se æternam posse euadere non ignorant. Heliu ergo typum cunctorum arrogantium tenens, & magis eligens æterna inuectione percuti, quam temporaliter increpari, dicat: Nunquid à te Deus expetit eam, quia displicuit tibi? Quia verò esse culpabiliores solent hi qui loqui in contentione inchoant, quàm qui respondent, subdidit, dicens: *Tu enim cœpisti loqui, & non ego.*) Eo se innocentem credidit, quo pulsatus erupit, nimirum nesciens, quia innocentia non tempore defenditur, sed ratione. Quid enim eius defensionib' adminiculatur, quod etsi tacenti nulla intulit, recta tamen inchoanti praua respondit? Postquam verò in verbis elationis ostenditur, ecce iterum sub requisitionis velamine palliatur, atque infert, dicens: *Quòd si quid melius nosti, loquere.*) Quanuis dum nõ ait: Quia melius nosti, sed si quid melius nosti loquere: nimis hocipsum superbisse est, de melioris scientia dubitasse. Hoc tamen quod beato Iob locum loquendi tribuit, humilitatem se exhibuisse iudicauit. Sed sicut suprà dictum est, quia in actione arrogantium omne quod superducto sermone tegitur, prorumpente rursum intentione elationis aperitur, citiùs Heliu innotuit quia mente beatum Iob loqui postulauit. Nam sequitur:

Roma. 14. *1. ad Timo. 2. & Act. 19. & 20.* 3.

Quòd Heliu verba Iob non intellexerit, quæ sine disciplina fuisse æstimabat. Caput III.

VIri intelligentes loquantur mihi, & vir sapiens audiat me. Iob autem stultè locutus est, & verba illius non sonant disciplinam.) Ecce dum quasi humiliter beato Iob loqui tribuit, quid intrinsecus gestaret ostendit, dicens: Viri intelligentes loquantur mihi: dedignatus videlicet, si beatus Iob qui præsumeret, qui quasi eius intelligere verba non posset. Et quia non solùm ad loquendum, sed etiam ad audiendum beatum Iob indignum fuisse iudicauit, ilicò adiunxit: Vir sapiens audiat me. Ac si diceret: Huic loqui iniustè conceditur, qui etiam audire verba sapientium non meretur. Atque mox apertè quàm despecta de illo sentiat, manifestat, dicens: Iob autem stultè locutus est, & verba illius non sonant disciplinam. Sine disciplina locutum beatum Iob credidit, quia iustum se in suis operibus fuisse memorauit. Vera fortasse Heliu diceret, si ea quæ beatus Iob de seipso narrauerat, non de illo hæc eadem ipse disciplinæ author æstimasset. Innocenter enim Iob se asseruit flagellatum, quem Deus etiam perhibuit frustra percussum. Quid ergo vox percussi superbum sonuit, quæ à sententia ferientis nullatenus discrepauit? Incautè sunt humiles qui se mendacio illaqueant, dum arrogantiam vitant, imò mentiendo superbiunt, quia contra veritatem se erigunt quàm relinquunt. Qui enim necessitate cogente vera de se bona loquitur tantò magis humilitati iungitur, quantò & veritati sociatur. An Paulus humilis non fuit, quando æmulatione veritatis contra falsos apostolos tot de se discipulis fortia gesta narrauit? Qui nimirum veritati inimicus existeret, si abscondendo virtutes proprias, prędicatores errorum præualere permisisset. Sed quia arrogantes viri in eo quòd bonorum dicta superbè examinant, verborum magis superficiem, quàm rerum cardinem pẽsant, Heliu beati Iob sententias disciplinam credidit nõ sonuisse.

22. quæst. 2. incauti sunt homines.

Quia verò sæpe asperitas superborum vsque ad duritiam maledictionis extenditur, ilicò contra beatum Iob, quasi ad deum faciens verba, subiungit:

Quòd superbi afflictorum tribulationibus nulla compassione condescendunt, sed super dolorem vulnerum addunt, & elisos confringunt. Caput IIII.

PAter mi probetur Iob vsque ad finem.) Ecce hoc quod quasi de arrogantiæ tumore conceperat, in verbis etiam maledictionis exaltat. Sed fortasse beneuolæ vim probationis optaret, si stetisse eum in probatione iudicasset. Vt ergo apertè malitia eius crudelitatis appareat, probari eum adhuc per flagella deprecatur, quem inter flagella lapsum fuisse iam queritur. Præmisit quod sensit, vt apertiùs cognosci debeat quod optauit. Adhuc feriri postulat, quem iam peccasse sub manu ferientis accusat. Propria hæc arrogantium vota sunt, vt vitã dolentium examinari acrius deprecẽtur: quia quantò sibimetipsis iustiores sunt, tantò alienis doloribus duriores existunt. Nesciunt enim in se passionem alienæ infirmitatis trahere, & sicut suæ, ita etiam proximi imbecillitati misereri. Quia enim de se alta sentiunt, idcirco humilibus nullatenus condescendunt. Heliu beatum Iob pro culpa percussum credidit, atque ideo exhibenda ei pietatis viscera, nec inter tot dolores æstimauit. Viri autem veraciter sancti cùm flagellari quempiam etiam pro culpa cognoscunt, etsi quædam eius inordinata corripiunt, ad quædam tamen dolentia compatiuntur: & sic sciũt

tumentia premere, vt sciant etiam cruenta refouere, quatenus in eis cùm dura emolliuntur, infirma roborentur.

Quòd sancti doctores ex quibusdam signis, sicut boni medici solent, etiã occulta rimari, vt cognita castigent & sanent. Vnde ad Ezechielem dicitur: Fili hominis fode parietẽ, &c. Et quid sit quòd Ezechiel sumere laterem iubetur, & describere in eo ciuitatem Hierusalem.

Caput V.

4. AT contrà arrogantes viri, quia charitatis viscera non habent, non solùm non compatiuntur etiam iustis dolentibus, sed eos insuper sub specie iustæ increpationis affligunt: & vel si qua in eis sunt, praua mala exaggerant, vel ea quæ verè bona sunt, malè apud se interpretãdo commutant: quãuis etiam sancti doctores sæpe exaggerare soleant delinquẽtium vitia, & ex quibusdam signis publicis occulta rimari, vt possint ex minimis maiora cognoscere. Vnde ad Ezechielem dicitur: Fili hominis fode parietem. Vbi mox subdidit: Et cùm fodissem parietem, apparuit ostium vnum, & dixit ad me: Ingredere, & vide abominationes pessimas quas isti
Ezech. 8. faciunt hîc. Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuersa idola domus Israël depicta erant in pariete. Per Ezechielem quippe præpositorum persona signatur, per parietem duritia subditorum. Et quid est parietem fodere nisi asperis correptionibus duritiam cordis aperire? Quem cùm perfodisset, apparuit ostium: quia, cùm cordis duritia asperis correptionibus aperitur, quasi quædam ianua ostenditur, ex qua omnia in eo qui corripitur, cogitationum interiora videantur. Vnde & bene illic sequitur: Et dixit ad me: Ingredere, & vide abominationes pessimas quas isti faciunt hîc. Quasi ingreditur, vt abominationes aspiciat, qui discussis quibusdam signis exterius apparentibus, ita corda subditorũ penetrat, vt cuncta ei quæ illicitè cogitãtur, innotescant. Vnde & subdidit: Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptiliũ & animaliũ abominatio. In reptilibus cogitationes omnino terrenæ signantur: in animalibus verò iam quidem aliquantulum à terra suspensæ, sed adhuc terrenæ mercedis præmia requirentes. Nam reptilia toto ex corpore terræ inhærent: animalia autem ventre à terra suspensa sunt, appetitu tamen gulæ ad terram semper inclinantur. Reptilia itaque sunt intra parietem, quando cogitationes voluuntur in mente, quæ à terrenis desideriis nunquam leuantur. Animalia quoque sunt intra parietem, quando & si qua iam iusta, si qua honesta cogitantur, appetendis tamen lucris temporalibus honoribúsque deseruiunt: & per semetipsa quidem iam quasi à terra suspensa sunt, sed adhuc per ambitum quasi per gulæ desiderium sese ad ima submittunt. Vnde & bene subditur: Et vniuersa idola domus Israël depicta erant in pariete. Scriptum quippe est: Et auaritia, quæ est idolorũ seruitus. Rectè ergo post
Coloss. 3. animalia, idola describuntur: quia etsi honesta actione, quasi à terra se erigunt, ambitione tamen inhonesta semetipsos ad terram deponunt. Bene autem dicitur: Depicta erant: quia dum exteriorum rerum intrinsecus species attrahuntur, in corde quasi depingitur, quicquid fictis imaginibus cogitatur. Notandum itaque est, quia prius foramen in
5. pariete, ac deinde ostium cernitur, & tunc demum occulta abominatio demonstratur: quia nimirum vniuscuiusque peccati prius signa forinsecus, deinde ianua apertæ iniquitatis ostenditur: & tunc demum omne malum quod intus latet, aperitur. Idcirco ergo solent etiam sancti doctores graui ter minuta discutere, vt ab externis erroribus ad occulta possint maiora peruenire. Verba asperæ increpationis mouent, vt spinas mortiferæ cogitationis eradicent: & hæc cùm agunt, charitatis amore sæuiunt, non inflatione elationis intumescunt. Mori enim pro ipsis parati sunt, quos quasi vsque ad mortem sæuientes affligunt. Seruant in cogitatione quod diligunt, sumũt in specie quod persequunt. Bona prædicantes insinuant, mala autem cauentes prænuntiant, non vt Heliu, desiderantes exorant. Erga commissos sibi ita non nunquam in correptione feruent, ac si de tranquillitate nihil habeant: sed ita in dilectione tranquilli sunt, ac si nullus eos feruor accendat. Valde enim metuunt, ne si à prauorum correptione cessauerint, ipsi pro eorum damnatione puniantur, & cùm ad verba inuectionis inflammantur, inuiti quidem ad hæc veniunt, sed tamen hæc defensionem sibi apud districtum iudicem præparant. Vnde & eidem rursus Ezechieli dicitur: Fili hominis sume tibi laterem, & pones eum Ezech. 4.
coram te, & describes in eo ciuitatem Hierusalem, & ordinabis aduersus eam obsidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro. Et tu sume tibi sartaginem ferream, & pones eam murum ferreum inter te & inter ciuitatem. Cuius enim Ezechiel, nisi magistrorum speciem tenet? cui dicitur: Sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo ciuitatem Hierusalem. Doctores quippe sancti sibi laterem sumunt, quando terrenum cor auditorum vt doceant, apprehendunt. Quem laterem coram se ponunt, quia tota illud sollicitudinis intentione custodiunt. In quo & ciuitatem Hierusalem iubentur describere, quia prædicando terrenis cordibus curant summopere quanta sit supernæ pacis visio, demonstrare. Cui bene etiam dicitur: Et ordinabis aduersus eam obsidionem, & ædificabis munitiones. Sancti enim prædicatores obsidionem circa laterem in quo Hierusalem ciuitas descripta est, ordinãt, quando terrenæ menti, sed iam supernam patriam requirenti, quanta eam in huius vitæ tempore vitiorum impugnet aduersitas, demonstant. Cùm enim vnumquodque peccatum quomodo menti insidietur, ostẽditur, quasi obsidio circa Hierusalem ciuitatem voce prædicatoris ordinatur. Sed quia non solùm insinuant quomodo mentem insidiantia vitia expugnent, sed etiam quomodo custoditæ virtutes roborent, rectè subiungitur: Et ædificabis munitiones. Munitiones quippe sanctus prædicator ædificat, quando quæ virtutes quibus vitiis obuient, insinuare non cessat. Et quia virtutibus crescentibus plerunque bella tentationis augentur, rectè adhuc additur: Et comportabis aggerem, & dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro. Aggerem nanq; comportat, quando prædicator quisque molem crescentis tentationis indicat. Et contra Hierusalem castra erigit, quãdo rectè intentioni audientiũ, hostis callidi circunuentiones quasi incomprehensibiles insidias prædicit. Atque in gyro arietes ponit, quando tentationum aculeos in hac vita nos vndiq; circundantes, & virtutum murũ perforãtes innotescit. Vbi bene additur: Et tu sume tibi sartaginem ferream, & pones eam murum ferreum, inter tè, & inter ciuitatem. Per sartaginem nanque frixura, per ferrum verò fortitudo ostenditur. Quid autẽ ita magistri atque doctoris mentem, quàm zelus Domini frigit & excruciat? Vnde Paulus hui-
2. Corin. 11. ius sartaginis incendebatur frixura, cùm diceret: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Et quis scandalizatur, & ego nõ vror? Et quia quisquis zelo Dei contra peccantes accenditur, forti in perpetuum custodia munitur, ne ex neglecta prædicationis, & regiminis cura damnetur, rectè dicitur: Pones eã murum ferreum inter ciuitatem. Sartago enim ferrea murus ferreus inter Prophetam, & ciuitatem ponitur: quia cùm nũc fortem zelum doctores exhibent, eundem zelum postmodum inter se, & auditores suos fortem munitionem tenent: ne tunc ad vindictam destituti sint, si nunc fuerint in correptione dissoluti. Hanc sartaginem Propheta idem, vt inter se & auditores suos murum sumeret, audiebat, cùm ei diuina vox præmitteret dicens: Si tu annuntiaueris impio, Ezech. 3.
& ille non fuerit conuersus ab impietate sua, & à via sua impia, ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti. Hanc sartaginem inter se & discipulos murũ Paulus posuerat, cùm dicebat: Mundus sum à sanguine omnium vestrũm: non enim subtersugi quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis. Nunc ergo doctores necesse est, vt appetant zeli ardoribus frigi, ne cogantur pòst de torpore negligentiæ igne gehennæ cruciari. Sed aliud est quod iniustis & subditis, aliud quod iustis & non subditis debemus. Ad illorum nos correptionem atque custodiam reddendarum rationum debet timor accendere, ad istorum verò venerationem ipsa considerata æquitas inclinare. Sed arrogantes viri, quia huius formam discretionis ignorant, hoc iustis & non subditis exhibent, quod à bonis prædicatoribus fieri, & iniustis & subditis vident. Qui cùm ad feruorem inuectionis iniustè prosiliunt, etiam per verba maledictionis

ctionis excedunt. Qui enim nequaquam proximos sicut se diligunt, proximis optare non desinunt, quod ipsi sibimet inuenire pertimescunt. Vnde Heliu occultum odium in manifestatione maledictionis exudans, ait: *Pater mi, probetur Iob vsque ad finem, ne desinas ab homine iniquitatis.*) Hominem iniquitatis vocat, quem deus iustum præ omnibus superna attestatione denuntiat. Et quia multa adhuc sub hac indiscretione † subiuncta sunt, breuiter ea æstimo transcurrenda. Dicta enim quæ grauitate carent, intenta expositione non indigent. Sequitur:

† al. incertatione.

Quòd in vsu & consuetudine habeant superbi derogando mentiri.

Caput VI.

Qui addit super peccata sua blasphemiam.) Accusat eum & pro peccatis flagella meruisse, & post flagella peccasse. Longè verò aliter Dominus iudicat, qui & frustra flagellatum insinuat, & bona duplicia post flagella retribuit. Pœna enim debetur culpæ, nõ præmium. Beatus ergo Iob sine culpa locutus ostenditur, quem post locutionem præmia subsequuntur. Heliu itaque quia pro Domini defensionibus loquẽs, de beato Iob aliud quàm Dominus sentit, quasi dũ pro veritate verba multiplicat, à veritate discordat. Sequitur: *Inter nos interim constringatur, & tunc ad iudicium pronoceat sermonibus suis Deum.*) Ac si diceret: Ex nostra assertione cognoscat, quia nequaquam diuinæ examinationi sufficiat. Et quia arrogantes viri, non solum student inepta dicere, sed etiam multa, versus qui sequitur, bene de illo frequenter infertur.

Caput XXXV. Beati Iob.

IGitur Heliu hæc rursum locutus est: Nũquid æqua tibi videtur tua cogitatio, vt diceres: Iustior Deo sum? Dixisti enim: Nõ tibi placet quod rectum est: vel quid tibi proderit si ego peccauero? Itaque ego respondebo sermonibus tuis, & amicis tuis tecum. Suspice cœlum, & intuere, & contemplare æthera, quod altior te sit. Si peccaueris, quid ei nocebis? Et si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porrò si iustè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? Homini qui similis tui est, nocebit impietas tua, & filium hominis adiuuabit iustitia tua. Propter multitudinem calumniatorum clamabunt, & eiulabunt propter vim brachij tyrannorum. Et non dixit: Vbi est Deus qui fecit me, qui dedit carmina in nocte? Qui docet nos super iumenta terræ, & super volucres cœli erudit nos. Ibi clamabunt, & non exaudiet propter superbiam malorum. Non ergo fruſtra audiet Deus, & omnipotens singulorum causas intuebitur. Etiam cùm dixeris: Non cõsiderat, iudicare coram illo, & expecta eum. Nũc enim non infert furorem suum, nec vlciscitur scelus valde. Ergo Iob fruſtra aperit os suum, absque sciẽtia verba multiplicat.

Caput VII.

7. *IGitur Heliu hæc rursum locutus est.*) Omnis qui multa loquitur, in locutione sua semper incipere studet: quatenus inchoatione ipsa suspensos auditores faciat, vt eo attentius taceant, quo quasi nouum audire aliquid expectant. Heliu verò alia finiens, alia incessanter exorditur, vt immensa loquacitas per subiuncta semper initia cõtinuetur. Sequitur: Nunquid æqua tibi videtur tua cogitatio, vt diceres: Iustior Deo sum?) Quia beatus Iob iustiorem se Deo non dixerit, omnis qui textum historiæ legit, agnoscit, sed ait: Proponat æquitatem contra me, & perueniet ad victoriam iudicium meum. Vitam suam videlicet pensans, & causas percussionis ignorãs, vt sæpe iam dictum est, pro diluendis peccatis se credidit, & non augẽdis meritis flagellari: idcirco iudicium suum ad victoriam peruenire cõfisus est, quia culpam in se pro qua debuisset percuti, nõ inuenit. Quod quidem de illo & Dominus ad diabolum dixit: Commouisti me aduersus eum, vt affligerem eum fru-

stra. Quid ergo hæc loquẽdo peccauit, qui verbis istis diuinæ de se & occultæ sententiæ etiam nesciẽdo consensit? Aut quid obest, si à rectitudine veritatis humano iudicio verba nostra superficietenus discrepant, quando in cordis cardine ei compaginata concordant? Humanæ aures verba nostra talia iudi- 22. quæst. 5.
cant, qualia foris sonant: diuina verò iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur. Apud homines cor ex Humanæ.
verbis, apud Deum verò verba pensantur ex corde. Beatus ergo Iob dum hoc ait exterius quod interius Dominus dixit: Omne quod locutus est, tantò iustè exterius intulit, quantò piè ab interna sententia non recessit. Quanuis prophetico spiritu repletus, in eo quo ait: Proponat æquitatem contra me, & perueniet ad victoriam iudicium meum, intueri Redemptoris nostri præsentiam potuit. Ipse enim qui sit virtus patris & sapientia, etiam eius æquitas non inconuenienter
accipitur. Vnde scriptum est: Qui factus est nobis à Deo sa- 1. Cor. 1.
pientia, & iustitia, & sanctificatio. Quam scilicet æquitatem, quia Deus iniquis fugientibus incarnatam ostendendo contrà posuit: eos protinus ab iniquitate reuocauit, & humanum genus eo iudicio antiquum aduersarium vicit, quo æquitatem Dei aduersantem suis itineribus inuenit. Sequitur: *Dixisti enim Non tibi placet quod rectum est: vel quid tibi proderit, si ego peccauero?*) Si tota libri series attenditur, nihil horum beatus Iob dixisse monstratur. Sed arrogantes viri, sicut & superius diximus, habere hoc proprium solent, vt dum in nimia inuectione prodeunt, etiam inuehendo mentiantur: & cùm non possunt reprehendere iustè quæ sunt, reprehendunt mentiendo quæ non sunt. Sequitur: *Itaque ego respondebo sermonibus tuis, & amicis tuis tecum.*) Dictis superioribus quasi beati Iob culpabilia verba narrauit, atque ex eis sibi materiam loquendi proposuit: sed verbis subsequentibus forti acumine discutit hoc, quod sibi ad dicendi materiam fallaciter finxit. Et fortes quidem sunt sententiæ quæ sequuntur, sed beati Iob personæ non congruunt: tantóque eum increpationis huius tela non feriunt, quantò contra eum iniustè mittuntur. Sequitur:

Quòd ex ipsa creaturæ positione, & altitudine ad quam attingere non possumus, quia supra nos est, considerare debemus quantum supra intellectum sit creator, cuius omnipotentiam nec augent bona nostra, nec minuunt mala.

Caput VIII.

SVspice cœlum, & intuere, contemplare æthera, quòd altior te sit. Si peccaueris, quid ei nocebis: & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porrò si iustè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? Quanuis beato Iob scienti maiora, nequaquam dici ista debuerint: vera tamen sunt quæ dicuntur, quòd videlicet Deo, nec peccata nostra nocent, nec bene gesta concurrant. Vnde subsecutus adiunxit: *Homini qui similis tui est, nocebit impietas tua, & filium hominis adiuuabit iustitia tua.*) Sed inter hæc illud est solerter intuendum quod ait: Suspice cœlum, & intuere, contemplare æthera, quòd altior te sit. Hæc enim dicens, nimirum colligit, vt considerare debeat quantò minus Deo actione sua aut profit, aut noceat, qui altitudini cœli atque ætheris prodesse, vel nocere non possit. Quanuis in cœlo, vel æthere possimus supernas potestates accipere, diuinis semper obtutibus inhærentes, vt cùm angelicos spiritus longè adhuc à nobis distare conspicimus, ipsi creatori atque dominatori spirituum quanto distamus inferius, agnoscamus: corpoream tamen cœli ætherisque materiam hoc loco sentiri nil obstat. Nam si vigilanter ex- 8.
teriora conspicimus, per ipsa eadem ad interiora reuocamur. Vestigia quippe Creatoris nostri, sunt mira opera visibilis creaturæ. Ipsum nanque adhuc videre non possumus, sed iam ad eius visionem tendimus, si eum in his quæ fecit, miramur. Eius ergo vestigia creaturam dicimus, quia per hæc quæ ab ipso sunt, sequendo imus ad ipsum. Vnde Paulus ait: Inuisibi- Roma. 1.
lia eius per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius & diuinitas. Vnde & in libro Sapientiæ scriptum est: Per magnitudinem enim creaturæ & speciem, potest intelligibiliter creator videri. Menti enim no- Sapien. 13.
stræ peccato suo exterius sparsæ, necdum Deus sicut est, interius innotescit: sed dum factura suæ decus foris proponit, quasi quibusdam se nobis nutibus innuit, &

quæ intus ſequamur, oſtendit: ac miro modo ipſis formis exterioribus nos ad interiora perducit: innuit immenſa admiratione quod eſt, mira hæc exterius oſtendendo quæ non eſt. Sapien. 6. Hinc enim de ſapientia ſcriptum eſt: In viis oſtendit ſe illis hilariter, & omni prouidentia occurrit illis. Viæ quippe ad creatorem ſunt, opera conſiderata Creatoris. Quæ dum facta cernimus, potentiam factoris miramur. In iſtis viis à ſapientia omni nobis prouidētia occurritur: quia factoris nobis virtus inquirenda proponitur in omne quod mirabiliter factum videtur: quocunque ſe verterit anima, ſi vigilanter intendit, in iiſdem ipſis Deum inuenit per quę reliquit, eiúſque potentiam ex eorum rurſus conſideratione cognoſcit, quorum amore deſeruit: & per quæ peruersè cecidit, per hæc cōuerſa reuocatur. Vbi enim lapſi ſumus, ibi incumbimus vt ſurgamus: & quaſi ibi ſurgendo manum conſiderationis figimus, vbi pede amoris lubrici corruentes negligendo iacebamus. Quia enim ab inuiſibilibus per viſibilia cecidimus, dignum eſt vt ad inuiſibilia ipſis rurſum viſibilibus innitamur: vt quo caſu anima venit ad infima, eo gradu reuertatur ad ſumma, atque eiſdem quibus corruit, paſsibus ſurgat: dum, ſicut dictum eſt, illa nos ad Deum bene conſiderata reuocāt, quæ nos ab eo malè electa diuiſerunt. Heliu itaque, vt vim conſiderationis admoueret, atque ex corporeis rebus oſtenderet, quantò ſit homine excelſior Deus, bene intulit: *Suſpice cælum, & intuere, & contemplare æthera, quòd altior te ſit.*) Ipſis enim rebus creatis atque corporeis agnoſcimus, quantum à Creatoris noſtri ſublimitate diſtamus: quia per omne quod cernimus, eſſe humiles admonemur: vt quaſi quædam ſit electio mentis noſtræ, ſpecies conſiderata creaturæ. Dicat ergo: *Suſpice cælum, & intuere, contemplare æthera, quod altior te ſit. Si peccaueris, quid ei nocebis? Et ſi multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porrò ſi iuſtè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?*) Ac ſi diceret: Ex ipſis creaturis intellige, quas altiores te eſſe corporaliter vides, quantum à diuinæ potentiæ ſublimitate diſiungeris, atque ex hac tua conſideratione collige, quia Deum nec bene viuēdo adiuues, nec rurſus malis actionibus graues. Si verò, ſicut ſuperius diximus, in cœlo vel æthere ſupernas poteſtates accipimus, verbis iſtis Heliu conſiderare nos admonet: quia ipſi angelici ſpiritus Creatoris noſtri potentiam plenè contemplari non poſſunt: de quibus tamen certum eſt quia nobis eoipſo altiores ſunt, quo lapſi in infimis non ſunt: vt videlicet colligamus, quanto Deo inferiores exiſtimus, quia etiam creaturis ſublimibus, ſed longè illo inferioribus ſubiacemus. Ac ſi diceret: Vide quantum à diuina celſitudine ſepararis, à cuius potentia etiam poteſtates illæ humilitate contremiſcunt, quæ te immenſa ſublimitate tranſcendunt: & quanto ipſo ſummo inferior es, qui inferiorem te eſſe etiam inferioribus deprehendis. Cauſa. 1. quæſt. 4. Homini. Oſtendendo verò ſumma, reducit ad æqualia, atque ait: *Homini qui ſimilis tui eſt, nocebit impietas tua, & filium hominis adiuuabit iuſtitia tua.*) Humana impietas ei nocet, quem peruertendo inquinat. Et rurſus, eum adiuuat noſtra iuſtitia, quem à prauis actionibus immutat. Nocere enim vel iuuare neſciunt ea quæ vel à bono corrumpere, vel à malo permutare non poſſunt. Supernæ igitur poteſtates eo lædi, vel iuuari nequeunt, quo eſſe iam incommutabiles acceperunt. Sed conſiderare hæc nequeunt, qui terrenis deſideriis implicantur. Sparſis enim foris mentibus ad ſemetipſas redire difficile eſt: quia praua itinera ſemel captas, tantò delectabiliter tenent, quanto in eis omne quod libuerit licet. Nullus quippe diſciplinæ murus obuiat qui conſtringat, nulla retributionis proſpicitur pœna quæ terreat: ſed clauſis oculis cordis eo anima præcipitatur in infimis, quo obſcuratur à ſummis: & tantò ſecurius mala temporalia perpetrat, quantò dutius bona æterna deſperat.

Quòd in hac vita iuſti ab impiis affligi permittuntur, ſicut Moyſe vocante ad promiſsionis terram, vrgente Pharaone de Aegypto egredi compellitur plebs inuita.
Caput IX.

9. Reproborū nequitia premit, & purgat vitam electorum. SEd iſta reproborum nequitia trituræ more electorū vitam, quaſi grana à paleis ſeparans premit vt purget. Mali enim bonos magis ab huius mūdi deſideriis expediunt, dū affligunt: E quia dum multa eis hîc violenta ingerūt, feſtinare illos ad ſuperna cōpellunt. Quod bene de Iſraëlitico populo vocante Moyſe, & Pharaone rege ſæuiente ſignatum eſt. Tunc nanque Moyſes ad vocandum miſſus eſt, cùm iam Exod. 3. Pharao duris operibus ad opprimendum fuerat excitatus: vt Iſraëlitarum mentes Aegypto deformiter inhærentes, alius dum vocaret quaſi traheret, alius quaſi impelleret dum ſæuiret: & plebs in ſeruitio turpiter fixa, vel prouocata bonis, vel malis impulſa moueretur. Hoc quotidie agitur, dum prædicatis cœleſtibus præmiis, ſæuire in electos reprobi permittuntur: vt ſi ad repromiſsionis terram vocati exire negligimus, preſſuris ſaltem ſæuientibus impellamur: atque hæc Aegyptus, videlicet vita præſens quæ nos oppreſsit blandiens, adiuuet premens: & quæ dum fouit, ſeruitutis iugo contriuit, libertatis viam dum cruciat, oſtendat. Hæc vtique cauſa eſt, quòd ab iniuſtis iuſti ſinuntur affligi: vt ſcilicet dum futura audiunt bona quæ cupiant, patiantur etiam mala præſentia quæ perhorreſcant, atque ad faciliorem exitum dum amor F prouocat, cruciatus impellat. Vnde Heliu eoſdem labores electorum ſub oppreſsionibus reproborum exequens, ait:

Quòd reprobi bona noſtra calumniantur, dum detrahunt, & in nos tyrannide vtuntur.
Caput X.

PRopter multitudinem calumniatorum clamabunt, & eiulabunt propter vim brachij tyrannorum.) Calumniatores rectè dicere poſſumus omnes iniquos: non ſolùm qui exteriora bona rapiunt, ſed etiam qui malis ſuis operibus, & vitæ reprobæ exemplo interna noſtra diſsipare contendunt. Illi nanque ea quæ nobis extrà ſunt, inuadere ambiunt, iſti verò nos prædari interius quærunt. Illi amore rerum, iſti non ceſſant odiis ſæuire virtutum. Illi inuident quod habemus, iſti quòd viuimus. Illi ſtudent rapere bona exteriora, quia placent: iſti ſatagunt interiora bona diſsipare, quia diſplicent. Quantò igitur bonorum vita, à rerum diſtat ſubſtantia, tantò grauior calumniator eſt, qui malè viuendo vim noſtris infert moribus, quā Quanta grauitas malorum exemplorum. G qui violenter opprimendo damna ingerit rebus. Nihil iſte de noſtra ſuſtentatione ſubtraxit, ſed exempla nobis perditionis appoſuit. Eo ergo grauiorem calumniam intulit, quo quietum cor in tentatione commouit. Qui etſi nequaquam nobis actionis ſuæ opera perſuaſit, pugnam tamen tentationis ingeſsit. Grauem igitur de vita eius calumniam ſuſtinemus, quia nimirum intus patimur quod cum labore vincamus. Et quia in hoc mundo abundat malorum vita quæ cruciet, rectè dicitur: *Propter multitudinem calumniatorum clamabunt.*) Quia verò ea quæ verbis ſuadere non valent, extorquere nonnunquam etiam effrenatis viribus ſtudent, aptè ſubiungitur: *Et eiulabunt propter vim brachij tyrannorum.*)

Quiſquis enim malè viuere ſuo nos exemplo compellit, adhuc in nobis voce calumniatoris vtitur: quiſquis verò peccatum ſuadens etiam terrere nos appetit, iam contra nos brachio tyrannidis ſæuit. 10. Aliud eſt enim vitia ſuadere viuendo, aliud iubere terrendo. Dum ergo exempla malæ actionis aſpicimus, quaſi adhuc ſtrepitum calumniatoris H audimus: dum verò vi peccare cogimur, iam tyrannum in corde ſuſtinemus. Sed robuſtorum mentes in Deo immobiliter fixæ, tantò iſta deſpiciunt, quantò cernunt quòd contra præcepta conditoris excreſcunt. Aeternitatis quippe præmia præſtolantes, vires ex aduerſitatibus ſumunt: quia creſcente pugna glorioſiorem ſibi non ambigunt manere victoriam. Sic itaque electorum deſideria dum premuntur, aduerſitate proficiunt, ſicut ignis flatu premitur vt creſcat: & vnde quaſi extingui cernitur, inde roboratur. In eo nanque oſtendimus quanta ad Dominum cupiditate flagramus, ſi non ſolùm ad eum per tranquilla & mollia, ſed etiam per aſpera & dura tranſimus. Hinc nanque propheta ait: Qui perfecit pedes meos quaſi cerui. Pſalm. 17. Ceruus enim cùm montium iuga conſcendit, quæque aſpicit aſpera, quæque ſe obiiciant ſentibus illigata, dato ſaltu tranſgreditur, & abſque vllo curſus ſui obſtaculo in ſuperioribus eleuatur. Ita etiam electorum mentes quæque ſibi in hoc mundo obſiſtere, atque obuiare conſpiciunt, contemplationis ſaltu tranſcendunt, & more ceruorum deſpectis terrenorum ſentibus in ſuperna ſe euehunt. Hinc rurſum dicit: Et in Deo tranſ- Ibidem.

grediar

Pſalm. 80. grediar murum. Murus quippe eſt omne quod itineri noſtro A obiicitur, ne ad eum qui diligitur, tranſeatur. Sed murū tranſgreditur, cùm præ amore ſupernæ patrię, quęque in hoc mūdo fuerint obiecta calcamus. Hinc per eundem Prophetam certāti animæ Dominus dicit: Exaudiui te in abſcōdito tēpeſtatis, probaui te ad aquas contradictionis. Abſconditum quippe tempeſtatis eſt, cùm in corde contrito cogitationum tentantium fluctus intumeſcunt, cùm contra amoris ſancti ſtudia curarum ſecularium ſe tumultus illidunt. In abſconto ergo tempeſtatis auditur: quia clamor deprecantis eſt hæc ipſa tribulationis fluctuatio. Quia verò omnino non deſunt, qui bona quęrentibus ſuadere peruerſa moliantur, aquę contradictionis ſunt populi reſiſtentes. Et quia tunc probatur deſiderium, cùm aliqua ei aduerſitate reſiſtitur, rectè dicitur: Probaui te ad aquas contradictionis. His itaque virtutum niſibus robuſti ex aduerſitate proficiunt, ſed infirmi ſępe in deſideriis ſuis ſi qua eis fuerint ex aduerſo obiecta langueſcūt: & cùm valida tribulatione pulſantur, puſillanimitate deficiunt. Vnde Heliu beato Iob probra puſillanimitatis impingens, præmiſsis malorum oppreſsionibus, infirmorum mox puſillanimitates exequitur, dicens:

Quòd ideo tentationibus quilibet frangitur, quia factorem & liberatorem deſperans, non contemplatur.
Caput XI.

ET non dixit: Vbi eſt Deus qui fecit me?) Mos ſacræ ſcripturæ eſt, vt à ſingulari numero ad pluralem ſubitò tranſeat, atque à plurali ſæpe ſe ad ſingularem vertat. Atque inde Heliu cùm diceret: Clamabunt & eiulabunt, nequaquam ſubdidit: Non dixerunt, vbi eſt Deus: ſed, Non dixit vbi eſt Deus. A plurali quippe numero in ſingularem veniens, ad perſonam ſubitò infirmi vniuſcuiuſque tranſiuit: fortaſſe quia à ſingulis melius recognoſcitur quicquid de eis ſingulariter auditur, vt ad cor ſuum quiſque redeat, & in ſemetipſo hoc quod de vno quoque dicitur, reprehendat. Singularem igitur numerum tenuit, dicens: *Non dixit, vbi eſt Deus qui fecit me?*) Quiſquis enim aduerſitatum tribulatione frangitur, à C quo factus eſt, minimè contemplatur. Nām qui quod non erat, fecit, factum ſine gubernatione non deſerit: & qui benignè hominē condidit, nequaquam iniuſtè cruciari permittit: nec ſinit neglectè perire quod eſt, qui hoc etiam quod non fuit, creauit vt eſſet. Cùm ergo cauſam tribulationis noſtræ requirimus, & fortaſſe tardius inuenimus: eſt iſta conſideratio, quòd nihil iniuſtè patiamur: quia ſi Deo authore ſumus qui non fuimus, Deo regente non affligimur iniuſtè qui ſumus. Sequitur:

Quòd in nocte tribulationum huius vitæ carmen habemus lætitiæ, diuinam conſolationem.
Caput XII.

11. *QVi dedit carmina in nocte.*) Carmen in nocte, eſt lætitia in tribulatione: quia etſi preſſuris temporalitatis affligimur, ſpe iam tamen de æternitate gaudemus. Carmina Paulus in nocte prædicabat, dicens: Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Roma. 12. Carmen in nocte Dauid ſumpſerat, qui dicebat: Pſalm. 31. Tu mihi es refugium à preſſura quæ circundedit me, exultatio mea, redime me à circundantibus me. Ecce noctem preſſuram nominat, & tamen liberatorem ſuum inter anguſtias exultationem vocat. Foris quidem nox erat in circundatione preſſuræ, ſed intus carmina reſonabant de conſolatione lætitiæ. Quia enim ad æterna gaudia redire nō poſſumus, niſi per temporalia detrimenta: tota ſacræ ſcripturæ intentio eſt, vt ſpes manentis lætitiæ nos inter hæc tranſitoria aduerſa corroboret. Ezech. 2. Vnde & Ezechiel propheta librum ſe accepiſſe teſtatur, in quo ſcriptæ erant lamentationes, carmen, & væ. Quid enim libro hoc, niſi diuina eloquia figurantur? Quæ quia nobis lachrymas luctúſque præcipiunt, lamentationes in eo ſcriptæ referuntur. Carmen quoque & væ continent: quia ſic de ſpe gaudium prædicant, vt in præſenti tamen preſſuras atque anguſtias indicent. Carmen & væ continent: quia & ſi illic dulcia appetimus, prius neceſſe eſt vt hîc amara toleremus. Carmen & væ diſcipulis Ioan. 16. prædicabat Dominus, cùm dicebat: Hæc locutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis, in mundo preſſuram habebitis, ac ſi apertè diceret: Sit vobis de me interius quod conſolando reficiat, quia erit de mundo exterius quòd ſæuiēdo grauiter premat. Quia ergo infirmus quiſque cùm premitur, à ſpe gaudij nimia puſillanimitate laſſatur: & dum foris aduerſa tolerat, intus obliuiſcitur quo gaudebat, bene dicitur: Non dixit, vbi eſt Deus qui fecit me, qui dedit carmina in nocte? Si enim iſta diceret, vim quam patitur, temperaret: & per hoc quod manſurum intus quæreret, id quod foris tranſitorium ſuſtinet, eſſe intolerabile non æſtimaret. Sequitur:

Quòd doctrina Euangelica abſtrahat hominem à vitiis, in quibus putreſcebat, ne ambulet in mirabilibus ſuper ſe, & vt immunditiam carnis per caſtitatem refrenet.
Caput XIII.

QVi docet nos ſuper iumenta terræ, & ſuper volucres cœli erudit nos.) Iumenta terræ ſunt, qui vſu vitæ carnalis ima appetunt. Volucres verò cœli ſunt, qui ſuperbæ curioſitatis ſtudio ſublimia perſcrutantur. Illi viuendo ſe deponunt infrà quàm ſunt; iſti inquirendo ſe eleuant vltrà quàm poſſunt. Illos in infimis voluptas deiicit carnis, iſtos quaſi in ſuperioribus erigit libido curioſitatis. Illis per ſacra eloquia dicitur: Nolite fieri Pſalm. 21. B ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Iſtorum ſuperbus labor increpatur, dum dicitur: Altiora te ne quæſieris, Eccl. 3. & fortiora te ne ſcrutatus fueris. Illis dicitur: Mortificate mēbra veſtra quę ſunt ſuper terram: Coloſ. 2. fornicationem, immunditiā, libidinem, concupiſcentiam malam. Iſtis dicitur: Nemo vos Ibidem. decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam. Docet igitur nos Deus ſuper iumenta terræ & volucres cœli: quia dum hoc quod ſumus, agnoſcim9, nec carnis nos infirmitas deiicit, nec ſuperbiæ ſpiritus eleuat, nec defluendo imis ſubiicimur, nec ſuperbiendo de ſublimibus inflamur. Qui enim carne labitur, iumentorum appetitu proſternitur: qui verò extollitur mente, more volucrum quaſi leuitatis penna ſubleuatur. Sed ſi 12. vigilanter intenditur, vt & mentis humilitas, & carnis caſtimonia teneatur, citò cognoſcimus, quia alterum cuſtoditur ex altero. Nam multis ſæpe ſuperbia luxuriæ ſeminarium fuit: quia dum eos ſpiritus quaſi in altum erexit, caro in infimis merſit. Hi enim prius ſecretò eleuant, ſed poſtmodum publi- C cè corruunt: quia dum occultis intumeſcunt motibus cordis, apertis cadunt lapſibus corporis. Sic ſic elati iuſta fuerant retributione feriendi: vt quia ſuperbiendo ſe hominibus præferunt, luxuriādo vſque ad iumentorum ſimilitudinem deuoluantur. Homo quippe cùm in hōnore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Quaſi ſcientiæ enim illos in altum penna ſubleuauerat: de quibus Paulus hoc quod & ſuperius protulimus, dicebat: Quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificaue- Roma. 1. runt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis. Quomodo autem in iumentorum, aut pluſquam iumentorum voluptatem deciderint, ſubdidit dicens: Tradidit eos Deus in deſideria cordis ſui, in immunditiam. Ecce caro merſit, quos ſuperba ſcientia ſubleuauit, & à volatu volucrum vltra appetitum lapſi ſunt iumentorum: atque inde ſub ſe proſtrati ſunt, vnde ſuper ſe ire videbātur. Curandum itaque eſt, & omni cuſtodia mens à ſuperbiæ tumore ſeruanda. Non enim ante oculos Dei vacuæ tranſuolant cogitationes noſtræ, D & nulla momenta temporis per animum tranſeunt ſine ſtatu retributionis. Intus ergo videt Deus quod mentem eleuat, & idcirco permittit foris inualeſcere quod deponat. Intus prius extollitur, quod foris poſtmodum luxurię corruptione feriatur. Occultam videlicet culpam ſequitur aperta percuſsio, vt malis exterioribus interiora puniantur, & cor publicè corruat, quod latenter tumebat. Hinc quippe per Oſeam contra Iſraëlitas dicitur: Spiritus fornicationis in medio eorum, & Oſeæ. 5. Dominum non cognouerunt. Qui vt oſtenderet, quod cauſa libidinis ex culpa prorumperet elationis, mox ſubdidit dicens: Et reſpondebit arrogantia Iſraël in faciem eius: Ac ſi diceret: Culpa quæ per elationem mentis in occulto latuit, per carnis luxuriam in aperto reſpondit. Proinde per humilitatis cuſtodiam ſeruanda eſt munditia caſtitatis. Si enim piè ſpiritus ſub Deo premitur, caro illicitè ſuper ſpiritum non leuatur. Habet quippe ſpiritus commiſſum ſibi dominium carnis, ſi tamen ſub Deo recognoſcit iura legitimæ ſeruitutis. Nam ſi authorem ſuum ſuperbiendo contemnit, iure & à ſubiecta carne prælium ſuſcipit. Vnde & ille primus inobediens mox vt ſuperbiendo pec- Gene. 3.

cauit, pudenda contexit: quia enim contumeliam spiritus E
Deo intulit,mox contumeliam carnis inuenit. Et quia autho
ri suo esse subditus noluit, ius carnis subditæ quam regebat,
amisit: vt in seipso videlicet inobedientiæ suæ confusio re-
13. dundaret,& superatus disceret, quid elatus amisisset. Nul-
lus ergo qui postquam superna appetere cœperit, carnis vo-
luptate prosternitur, tunc se victum iudicet, cùm apertè su-
peratur: Si enim plerunque virus libidinis de radice nascitur
elationis,tunc caro vicit,cùm spiritus latenter intumuit: iam
tunc anima per originem culpæ in petulantiam iumentorum
cecidit, cùm efferendo se more volucrum vltrà quàm de-
buit,euolauit. Hinc est enim,quòd longa continentia repen-
tè soluitur,hinc quòd plerunque & vsque ad senium virgini-
tas seruata vitiatur. Quia enim negligitur humilitas cordis,
rectus iudex despicit etiam integritatem corporis: & quan-
doque per apertum malum reprobos annuntiat, quos dudū
reprobos in occulto tolerabat. Nam qui diu seruatum bo-
num subitò perdidit,apud semetipsum intus aliud malum te-
nuit, ex quo aliud subitò erupit: per quod ab omnipotente F
Deo etiam tunc alienus extitit, quando se ei per munditiam
corporis inhærere monstrauit. Quia igitur mentis elatio ad
pollutionem pertrahit carnis, reproborum cor à volatu vo-
lucrum ad petulantiam mergitur iumentorum. Sancti autem
viri ne appetitu bestiali ad luxuriæ voraginem deuoluantur,
sollicitæ cogitationes mentis à superbię volatu custodiunt:
ac ne in infima despiciendo corruant, omne quod sublimiter
sapiunt,humiliter premunt. Rectè itaque dicitur: Qui docet
nos super iumenta terræ, & super volucres cœli erudit nos:
subaudis,hoc quoque non dixit. Hoc itaque quòd iumentis
ac volucribus antecellit,eum nō dicit in tribulatione memo-
rari.ac si diceret: Infirmus quisque idcirco nequaquam se in
perturbatione corroborat, quia & in tranquillitate non tem-
perat:& ideo nescit aduersa tolerare,quia constitutus in pro-
speris, cogitatione se non nouità volatu volucrum premere,
nec carnales motus à iumentorum ingluuie subleuare. Sed
hoc beato Iob tantò inconuenienter dicitur, quantò vita e- G
ius inter alta, & infima mirabiliter temperatur. Quod quidē
intelligi,& aliter potest. Qui docet nos super iumenta terræ,
& super volucres cœli erudit nos. Nam sicut iumentorū vo-
cabulo signatur vita hominum, carnis adhuc motibus subdi-
torum,ita appellatione volucrum figuratur elatio spirituum
superborum: vt per iumenta quidem terreni homines, per
Matth.13. volucres verò dæmonia designentur. Vnde cùm semina Do-
minus iuxta viam diceret cecidisse, subiungit: Venerunt vo-
lucres cœli,& comederunt ea:nimirum per volucres signans
aëreas potestates. Sancti autem viri, quia nec infima homi-
num exempla appetunt, nec rursum dæmoniaca subtilitate
falluntur:& super iumenta terræ, & super cœli volucres vir-
tute eruditionis excrescunt. Super iumenta enim terræ edo-
cti sunt:quia quicquid in imis potest ambiri, despiciunt.Su-
per volucres quoque cœli eruditi sunt: quia omnes immun-
dorum spirituum insidias comprehendunt. Super iumenta
terræ edocti sunt, quia nihil in hac vita quod præterit, quæ-
runt.Super volucres cœli eruditi sunt: quia potestates aëreas H
quas adhuc per carnis infirmitatem tolerant, iam vitæ meri-
tis calcant. Paulus iam super iumenta terræ edoctus fuerat,
Philip.3. dicens: Multi enim ambulant. Et paulo pòst: Quorum fi-
nis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusio-
ne ipsorum qui terrena sapiunt. Nostra autem conuersatio
in cœlis est. Et rursum,super volucres cœli eruditum se no-
1.Corin.6. uerat,cùm dicebat: Nescitis quoniam angelos iudicabimus?
Sub se iumenta cernebat, quia videlicet in terra adhuc posi-
tùs calcabat mores hominum qui in infimis conuersabantur.
Et rursum, volatum volucrum meritorum dignitate trans-
cenderat: quia subiturus cœlestia, iudicaturum se angelos
non ignorabat. In illis immundorum infima, in istis super-
14. borum summa calcabat. Mentes quippe sanctorum tran-
sitoria cuncta despiciunt, & sub se labi quicquid superbit,
quicquid præterit, contemplantur: & quasi in quodam re-
rum vertice constitutæ, tantò sibi omnia subesse conspi-
ciunt, quantò semetipsas verius authori omnium subdunt:
atque inde cuncta transcendunt, vnde creatori cunctorum
vera se humilitate substernunt. Dicat ergo: Qui docet nos
super iumenta terræ, & super volucres cœli erudit nos.ac si
diceret:Infirmus pusillanimitate victus ista non dixit: & id-
circo eum aduersitas tentationis perculit, quia tranquillitatis
tempore hæc cuncta transeuntia nulla perfectione superauit.
Huius enim vitæ aduersa non perhorresceret, si perfectionis
merito, etiam secunda calcasset. Sequitur:

Quod omnipotens Deus clamantes ad se seruos suos,ideo aliquando de tribulatione non eripit:quia & ipsi ex aduersis proficiunt, & reproborum malitia tanto in iudicio districtius punitur, quanto hîc in sanctos exarsit crudelius.

Caput XIIII

I*Bi clamabunt, & non exaudiet propter superbiam malorum.*) Ibi
videlicet in tribulatione, vt econtrà de gaudio scriptum
est:Filij seruorum tuorum inhabitabunt ibi: Sed videtur in- *Psalm.101.*
certum vtrum dicat:Propter superbiam malorum non exau-
diet:an,Propter superbiam malorum clamabunt.Intelligi au
tem melius potest, si non exaudiri potius propter malorum
superbiam quàm clamare referantur:Nam quod propter ma-
lorum superbiam clamant,iam suprà dictum est,eo versu quo
dicitur:Propter multitudinem violentorum clamabunt.Ali-
quid ergo nobis hoc versu innuitur,quod paulò subtilius at-
tendatur,quia sæpe oppressi quidam dum clamauerint, ex se
quidem merentur audiri, sed tamen eorum desideria propter
opprimentium superbiam differuntur. Iustus quippe Deus,
& suos permittit temporaliter opprimi, & violentorum ma-
litiam nequiter augeri: vt dum horum vita in purgatione te-
ritur, illorū nequitia consummetur. Plerunque verò acci- 15.
dit,vt iusti in tribulatione deprehensi supernum solatium, e-
tiam temporaliter percipiant: quod tamen non temporaliter
implorant. Saluari enim non proter se, sed propter aduersa-
riorum salutem concupiscunt:vt dum illos omnipotēs Deus
ab immensis periculis facto quodam miraculo liberat, virtu-
tem suam ipsis etiam persecutoribus innotescat: atque inde
aduersarios ad æternitatem redimat, vnde suos temporaliter
saluat: sicut Propheta quoque vocem martyrum suspiciens,
ait:Propter inimicos meos eripe me.ac si diceret:Propter me *Psalm.68.*
quidem eripi de temporali tribulatione non appeto, sed ta-
men eripi propter aduersarios meos concupisco:vt dum mea
vita saluari mirabiliter cernitur, ipso miraculorum visu ini-
micorum duritia conuertatur. Sicut ergo sæpe Dominus
suorum vitam temporaliter pro inimicorum conuersatione
eripit: ita sæpe suorum voces propter damnationem perse-
quentium non exaudit:vt videlicet inde reatum suum cumu-
lent, vnde præualuisse se nequiter gaudent. Nam qui inuisibi-
lia despiciunt, moueri nonnunquam visibilibus miraculis
possunt. Sed idcirco cum iustis plerunque nil mirum visibili-
ter agitur, quia eorum aduersarij illuminari visibiliter non
merentur. Dicatur ergo: Ibi clamabunt, & non exaudiet
propter superbiam maiorum ac si diceret:Reatus opprimen-
tium audiri voces prohibet oppressorum. Nec eripiuntur vi-
sibiliter iusti, quia saluari inuisibiliter non merentur iniusti.
Vnde rursum per Prophetam dicitur: Cùm viderit sapientes *Psalm.48.*
morientes, simul insipiens & stultus peribunt. Quos enim
visibiliter mori conspiciunt, inuisibiliter viuere posse non
credunt:atque eo reatum infidelitatis suæ cumulant, quo vi-
sa morte fidelium de æternitate desperant. Igitur violenti
quique inde interius deficiunt, vnde contra vitam innocen-
tium exterius conualescunt: tantóque illos intima veritas à
se foras eiicit, quantò eos contra suos temporaliter quod vo-
lunt posse permittit. Quisquis itaque bonorum vitam perse- *Peccator peiore vltione damnatur, cùm ei nulla aduersitate resistitur.*
quitur, tunc peiore vltione damnatur, cùm nulla ei aduersi-
tate resistitur: & tunc fortioris iræ periculis subiacet, cùm
prosperè peragit, quod nequiter concupiscit: quia videlicet
vindicta superni iudicij ad futurum eum supplicium reser-
uando deseruit,cui hic in malo obuiare contempsit. Hinc e-
nim per Prophetam Dominus dicit: Dimisi eos secundum
desideria cordis eorū, & ibant in volūtatibus suis. Hinc rur-
sum dicitur: Nō est virga Dei super illos. Hinc etiam de ipso *Psalm.80.*
eorū capite scriptum est: Faciet & prosperabitur. Hinc rur- *Danie.8.*
sus de eodem dicitur: Et dolus in manu eius dirigetur. In ma-
nu quippe Antichristi dolus dirigitur:quia hoc quod contra
bonos proposuerit, implere tēporaliter nulla aduersitate prę-
peditur.

Prouer.1. peditur. Hinc rursus per Salomonem dicitur: prosperitas A
16. stultorum perdet illos. Manifestum ergo perditionis in-
dicium est, quando affectatis iniquitatibus subsequens fauet
effectus: & nulla contrarietas impedit, quod mens peruersa
concepit. Nam sæpe prauorum hominum dum tardantur vo-
ta,mutantur:& dum difficultatem perfectionis sentiunt, rea-
tum malæ actionis agnoscunt:& quibus prius inuitis contra-
dicitur,volentes postmodum hoc quod conceperant, auer-
santur. Quia igitur malos cùm deserit Dominus præualere
permittit:& vnde superborum nequitia perficitur, inde hu-
milium longanimitas consummatur, dicatur rectè: Ibi cla-
mabunt,& non exaudiet propter superbiam malorum. Se-
quitur:

Quòd Deus non frustra nos audiat, quos ilico non adiuuat: cùm desideria dilatione perficiant,vt exerceatur virtus certamine.

Caput XV.

Consolatio eorum qui tardius exaudiuntur.
N*Eque enim frustra audiet Deus, & omnipotens singulorum causas intuebitur.*) Notandum quòd duo sunt dicta:quia &
clamantem non frustra audit,& tamen quod patitur,respicit,
& exaudire voces dissimulat: & quod vnusquisque tolerat,
non ignorat. Nemo ergo qui tardius auditur, credat quod à
superna cura negligatur. Sæpe enim nostra desideria,quia ce-
leriter non fiunt,exaudiuntur:& quod impleri concitè peti-
mus, ex ipsa melius tarditate prosperatur. Sæpe vox nostra
eo perficitur,quo differtur:& cùm superficietenus petitio ne-
gligitur, vota nostra altius in cogitationum radice cōpletur,
sicut & semina messium gelu pressa solidantur: & quò ad su-
perficiem tardius exeunt, eo ad frugē multipliciora consur-
Profectus dilationis. gunt. Desideria itaque nostra dilatione extenduntur vt pro-
ficiant:proficiunt,vt ad hoc quod perceptura sunt,conuale-
scant:exercitantur in certamine,vt maioribus cumulētur prę-
miis in retributione:labor protrahitur pugnæ, vt crescat co-
rona victoriæ. Suos ergo Dominus cùm velociter nō exau-
dit,quo repellere creditur,trahit. Internus quippe est medi-
cus, & peccatorum in nobis contagia quæ inesse medullitùs
reprobat,secat,abscindit virus putredinis ferro tribulationis:
& quo voces ægri audire dissimulat,eo ægritudinis finē pro-
Psalm.21. curat. Hinc enim Propheta ait: Deus meus clamabo per diē,
& non exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi:ac si
diceret:Nequaquam mihi ad insipientiam proficit, quòd die
ac nocte clamantem me continuò nō exaudis: quia vnde me
in temporali tribulatione quasi deseris, inde ad æternam sa-
pientiam plus erudis. Hinc etiam dicit. Adiutor in opportu-
Psalm.9. nitatibus, in tribulatione. Tribulationem quippe dicturus,
opportunitatem præmisit,quia sæpe & tribulatione conteri-
mur:& tamen opportunum nōdum est,vt desiderio ereptio-
nis adiuuemur, Dicatur ergo:Neq; enim frustra audiet Deus,
17. & omnipotens singulorum causas intuebitur. Sed quia ple-
runque nonnulli ab ipsa adiutorij tarditate franguntur, aptè
subiungit:

Quòd qui facta sua discutit & diiudicat, etiam si quasi non considerans de tribulatione,non statim eum Deus eripiat, nequaquā tamen de clementia diuina desperet. *Caput XVI.*

E*Tiam cùm dixeris,non considerat,iudicare coram illo,& expecta eum.*)Fortasse enim dum clamor noster quasi negligitur,
spes quæ cordi inerat, infirmatur, & superna adiutoria defu-
tura credimus:quia tardius impetramus,ac penè inconsidera-
Spes infirma quomodo firmetur. ta Deo esse ingemiscimus,quæ inulta toleramus. Sed cùm ista
nos desperationis procella conturbat, concussa mens citius
in portum spei se collocat,si causas suas cum Domino subti-
liter pensat, si bona eius ad memoriam reuocat: si mala quæ
bonis eius reddidit, apud semetipsam callidè non excusat: si
perpēdit quid ab eo iustè meruit, & quid clementer accepit,
si vitā suam viuaciter discutit:si ante Dei oculos omne quod
agit examinans semetipsam sibimet non abscondit, si factam
se quæ non erat,meminit:si illuminatam se atque subleuatam
quę in tenebris iacebat,agnoscit. Hęc ergo in semetipsa cun-
cta recolligens,dum bona accepta cōsiderat,aduersa quę to-
lerat non accusat: nec desperatione frangitur, quæ tantorum
munerum consolatione roboratur:quia spem de futuris reci-
pit,dum transacta beneficia recognoscit. Dicat itaque:Etiam
cùm dixeris,nō considerat,iudicare coram eo,& expecta eū.

ac si diceret:Cùm idcirco Deus considerare nō creditur, quia
tardè miseretur,intima cogitationis ingredere, atque illic co-
ram eius oculis causæ tuæ iudicium suscipe:& quę ipse viuen-
do contulisti, vel quæ misericorditer percepisti, discerne: &
tunc ad spei fiduciam redis,dum bona tantę benignitatis eru-
bescis:quatenus inter aduersa fidenter expectes,quem & post
delicta propitium recolis. Speranda enim fuerant superna ad- *Deus hominem quem benignè condidit,iniquè non spernit.*
iutoria,etiam si nulla beneficia præcessissent. Sciendúmque,
quia Deus hominem quem benignè condidit, iniquè non
spernit. Pensandum est igitur quanti est periculi transacta mu-
nera cernere, & futura desperare: quanti est periculi si in hac
procella tribulationum, desperationis naufragio frangimur,
qui ad portum spei velut immensis funibus præteritis donis
ligamur. Dicatur itaque rectè:Iudicare coram Deo,& expe-
cta eum. Nam qui semetipsum coram Deo non iudicat, eum
dum affligitur,non expectat. Cuius enim bona pręcessisse dis-
simulat,adiutoria subsequi posse desperat: & cùm præterito-
rum obliuiscitur, etiam subsequentium largitate fraudatur.
B Sed ecce dum nos affligimur,dum consolationis gratiam lon-
gaminiter sustinemus,mali ad peiora prorumpunt:atque eo i-
niquitatis aggregatione proficiunt, quo sine verbere relin-
quuntur. Et tamen omnipotens Deus peccantes misericordi-
ter expectat,tempus ad pœnitentiam tribuit, quod non con-
uersis ad grauioris reatus testimonium vertit, patienter iram
retinet,quam quandoque irretractabiliter effundit. Vnde ap-
tè subiungitur:

Quòd in hoc mundo non omnia impiorum scelera punit Deus,quorum tormenta examini supremo reseruat.

Caput XVII.

N*Vnc enim non infert furorem suum, nec vlciscitur valde scelus.*) 18.
Diu quippe Deus tolerat,quia in perpetuum damnat: &
furorem nunc inferre dissimulat, quem effundēdum sine fine
in posterum seruat. Electorum nanque est hîc conteri, vt ad
præmia debeant æternæ hæreditatis erudiri. Nostrum est hîc
flagella percipere, quibus seruatur de æternitate gaudere.
C Hinc enim scriptum est: Flagellat omnem filium quem reci- *Apoca.3.*
pit. Hinc ad Ioannem dicitur:Ego quos amo,arguo, & casti-
go. Hinc Petrus ait: Tempus est vt incipiat iudicium de do- *1.Petr.4.*
mo Dei. Vbi mox admirando subiungit: Si autem primum à
nobis,quis finis eorum qui non credunt Dei Euangelio? Pec-
cata quippe nequaquam diuina seueritas inulta remanere per-
mittit:sed iram iudicij à nostra hîc correptione inchoat, vt in
reproborum damnatione conquiescat. Eant ergo nunc re-
probi,& voluptatum suarum desideria inulta iniquitate con-
sumant: atque eo temporalia flagella non sentiant, quo æter-
na eos supplicia expectant. Bene autem inulta eorum nequi-
tia Cham peccante signata est,cui à patre dicitur: Maledictus *Gene.9.*
Chanaan puer, seruus erit fratribus suis. Chanaan videlicet
Cham filius fuit. Et quid est quòd Cham peccante, Chanaan
eius filius sententiam vltionis accipit? Quid est quòd non in
se,sed in posteritate percutitur:nisi quòd reproborum nequi-
tiæ hîc quidem inultæ proficiunt, sed in posterum feriuntur?
Dicatur ergo: Nunc enim non infert furorem suum, nec vl-
D ciscitur valde scelus. Notādum verò est,quòd subintulit val-
de:quia etsi quædam longanimiter tolerat,quædam tamen e-
tiam in hac vita flagellat, & hîc nonnunquam ferire inchoat,
quos æterna damnatione consummat. Ergo & nonnulla per-
cutit, & nonnulla inulta derelinquit: quia si nulla resecaret,
quis Deum res humanas curare crederet? Et rursus:si hîc cun-
cta percuteret, extremum iudicium vnde restaret? Quædam *Cur quædā à Domino hîc feriātur, & quædā seruentur inulta.*
igitur feriuntur, vt rectoris nostri super nos sollicitudinem
formidemus: quædam verò inulta seruantur, vt adhuc iudi-
cium restare sentiamus. Bene ergo dicitur: Nec vlciscitur
valde scelus: quia dum exiguum quiddam de iniquitate per-
cutitur, inconuersis mentibus æterni iam iudicij sententia
propinatur. Totum itaque hoc ab Heliu rectum dicitur,si re-
ctè diceretur: Scit enim quid loqui debeat, sed cui loquatur,
ignorat. Vera sunt nanque quæ dixit,sed à beati Iob increpa-
tionibus aliena: quia tantò hac correptione non eguit, quan-
tò nec aliqua pusillanimitate peccauit. Sed quia iustis vi- 19.
ris solet occasio esse virtutum, elatio superborum, occul-
to iudicio cum beato Iob agitur: vt post flagella pœnarum,
etiam per verba arrogantium crescat. Ecce enim tantò magis

à superbiæ ministro despicitur, quanto à veritate intrinsecus, id est, humilitatis magistra refouetur. Nam Heliu postquam tot fortia se dixisse cognouit, quid elationis gestaret aperuit, atque beatum Iob alta de se sentiendo despexit, dicens: *Ergo Iob frustra aperit os suum, & absque scientia verba multiplicat.*) Hęc nimirum inserens, beatum Iob & nil scisse asserit, & multa dixisse: & cùm ipse quæ sentit, loquaciter inferat, hunc de vitio loquacitatis accusat. Sed hoc quoque esse proprium arrogantium vitium solet: vt & pauca credant, quæ ipsi multa dixerint, & multa credant quæ ipsis pauca dicuntur. Qui enim sua dicere semper volunt, aliena audire non possunt: vim se pati existimant, si ea quæ immoderatè sentiunt, immoderatius non effundant. Et quanuis beatus Iob ad eius verba tacuerit, Heliu tamen de locutione illius quam amicis responderat, causam inuectionis inuenit: vt sibi exhibere latius eius silentium possit, atque vt ipse multa respondeat, illum verba multiplicasse confirmat. Nam & mox initia prolixæ locutionis exorditur: & quasi adhuc nil dixerit, inchoare conatur. Vnde subditur:

Caput tricesimumsextum textus libri beati Iob.

ADdens quoque Heliu hæc locutus est: Sustine me paululum, & indicabo tibi. Adhuc enim habeo quod pro Deo loquar. Repetam scientiam meam à principio, & operatorem meum probabo iustum. Verè enim absque mendacio sermones mei, & perfecta scientia probabitur tibi. Deus potentes non abiicit, cùm & ipse sit potens, sed non saluat impios, & iudicium pauperibus tribuit. Non aufert à iusto oculos suos, & reges in solio collocat in perpetuum, & illic eriguntur. Et si fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis, indicabit eis opera eorum, & scelera eorum, quia violēti fuerunt. Reuelabit quoque aurem eorū, vt corripiat, & loquetur vt reuertantur ab iniquitate. Si audierint & obseruauerint, complebunt dies suos in bono, & annos suos in gloria. Si autem non audierint, transibunt per gladium, & consumentur in stultitia. Simulatores & callidi prouocant iram Dei, neque clamabunt cùm vincti fuerint. Morietur in tempestate anima eorum, & vita eorum inter effœminatos. Eripiet de angustia sua pauperem, & reuelabit in tribulatione aurem eius. Igitur saluabit te de ore angusto latissimè, & non habente fundamentum subter se. Requies autem mensæ tuæ erit plena pinguedine. Causa tua quasi impij iudicata est, causam iudiciúmque recipies. Non te ergo superet ira, vt aliquem opprimas, nec multitudo † donorum inclinet te. Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, & omnes robustos fortitudine. Ne protrahas noctem: vt ascendant populi pro eis. Caue ne declines ad iniquitatem. Hanc enim cœpisti sequi post miseriam. Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis in legis latoribus. Quis poterit scrutari vias eius, aut quis audet dicere: Operatus es iniquitatem? Memento quòd ignores opus eius de quo cecinerunt viri. Omnes homines vident eum, & vnusquisque intuetur procul. Ecce Deus magnus vincēs sententiam nostram. Numerus annorum eius inæstimabilis. Qui aufert stellas pluuiæ, & effundit imbres ad instar gurgitum, qui de nubibus fluunt, quæ prætexunt cuncta desuper. Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, & fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet. Per hæc enim iudicat populos, & dat escas multis mortalibus. Immanibus abscondit lucem, & præcipit ei vt rursus adueniat. Annuntiat de ea amico suo, quòd possessio eius sit, & ad eam possit ascendere.

† al. locovū.

Caput XVIII.

ADdens quoque Heliu, etiam hæc locutus est. *Sustine me paululum, & indicabo tibi.*) Multa iam dixerat, & sustinere adhuc paululum postulat: quia videlicet arrogantes graue se damnum perpeti iudicant, si scientiā suam loquendi breuitae cōstringant. Tantò enim semetipsos credunt doctiores ostendere, quantò se potuerint multiplicitate loquacitatis aperire. Sed quia sæpe sibi sentiunt silentij reuerentiam non deferri: Domini nonnunquam potentiam de quo quasi loquuntur, insinuant, ac sub prætextu illius sibi silentium exigunt, quod minimè merentur: & dum specietenus Deum proferunt, auditum sibi ex reuerentia eius exigentes, se student magis ostendere, quam illius facta prædicare. Vnde & Heliu subiungit, dicens: *Adhuc enim habeo quod pro Deo loquar.*) Quia verò nonnunquam doctores sancti crebrò repetunt, si qua obscurius dicunt, vt quæ occulta prædicant, auditorum cordibus voce hæc iterationis infundant: plerunque hoc appetunt, etiam arrogantes imitari, & insolenter ea quæ dixerint, replicant: non quo auditorum cordibus insinuare res appetant, sed quo eorum iudicio videri eloquentes volunt. Vnde Heliu subiungens, ait: *Repetam scientiam meam à principio.*) Sed quia nominata scientia, tumor cordis in voce claruerat: arrogans apertè cognoscitur, si non citius aliquo velamine pallietur. Vnde mox in occultatione suæ arrogantiæ Domini iustitiam subinferens, ait: *Et operatorem meum probabo iustum.*) Vt dum quasi pro Dei iustitia loquitur, apud humana iudicia quicquid arroganter effluit, excusetur, Sequitur: *Verè enim absque mendacio sermones mei.*) Cùm ab infirmis auditoribus se intelligi non posse conspiciunt, solent plerunque etiam iusti laudare bona quæ dicunt: non quo ipsi suis laudibus inhient, sed quo auditores suos ad audiendi sollicitudinem accendant: vt dum eorum voce proferuntur, ab illorum cordibus ardentiori affectu rapiantur. Vnde Paulus cùm mira Corinthiis, & multa dixisset, adiungit: Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est. Sed arrogantes dum cor bonorum nesciunt, & solas aliquando voces imitantur: efferunt laudando quæ dicunt, non quo eis torpor audientium displicet, sed quo sibi inhianter placent. Iustorum vocem imitantes simulant, sed vim vocis ignorant. Vident quòd iusti iusta proferunt, sed nesciunt quid requirunt. Cùm enim sancti doctores laudem prædicationis exaltant, quasi manu vocis ab imis cogitationibus corda audientium leuant, vt excussa velociter dictis sequentibus velut in itinere occurrant: & tantò ea intelligentiæ amplexu constringant, quantò illa & quasi priusquam cernerent, in voce laudantis amauerant. Sed hæc, vt dixi, arrogantes nesciunt. Quia enim foris est quod appetunt, quid sit intus desiderabile, sentire non possunt. De electorum quippe Ecclesia scriptum est: Omnis gloria eius filiæ regum abintus. Et sapientes virgines in vasis oleum portare referuntur. Vnde & sanctorum voce dicitur: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Arrogantes autem, quia coram Deo conscientiæ suæ testimonium non habent, quærunt coram hominibus testimonium vocis alienæ: quam cùm tardè reperiunt, ipsi etiam in impudentiam sui fauoris erumpunt. Si enim non inueniunt voces hominum quas inhianter expectant, ipsi scientiam suam laudantes prædicant. Vnde & Heliu subdit, dicens: *Et perfecta scientia probabitur tibi.*) Nimirum sensit se magna dicturum, sed tumenti corde hoc quod de semetipso sublimiter æstimauit, tacere non potuit: & idcirco quod rectum sensit, laudando præcucurrit. Quia iam quidem diuino iudicio reus esset, si magna de se saltem silendo sensisset. Ante subtile enim veritatis examen securi omnimodè non sumus: etiam si humano iudicio quod in nobis reprehendi debeat, non habemus. Nam plerunque negligentiùs cogitantes elatione pulsamur, quam tamen tacentes premimus. Sed si retractatione concita tumor occultus in ipso cubili cordis in quo oritur, suffocetur, coram districto iudice omne meritum nostræ actionis extinguitur. Hinc ergo pensandum

20.

2.Corin.9.

sandum est, illa cordis elatio quanta animaduersione damnabitur, quæ vsque ad audaciam vocis nutritur: si neque hæc est excusabilis, quæ in corde latenter oboritur. Considerandum quoque qualis intrinsecus regnat, quæ eousque seruata est, vt etiam foras erumpere non erubescat. Heliu ergo, quia magna sensit, semetipsum humiliter temperare nesciuit, scientiæ celsitudinem tenuit, humilitatis gratiam recusauit: & dum sequitur bonum quo bene dicere appetiit, bonum quo bene viuere potuisset, amisit. Scientia quippe inflat, charitas verò ædificat. Sed iam nunc rectum dicat, quod tamen rectè dicere ignorat: Nam postquā inflatas animi cogitationes per verba elationis exhalauit, fortem sententiam subdidit dicens:

Quòd res immensæ virtutis sit in honore premere gloriam, & in potentia se nescire esse potentem: & quòd in crimine sit fastus elationis, non ordo potestatis.

Caput XIX.

21. DEus potentes non abiicit, cùm & ipse sit potens.) In vsu vitæ mortalis quædam ex semetipsis sunt noxia, quædam verò ex his quæ circa ipsa versantur. Ex semetipsis quædam sunt noxia, sicut peccata atque flagitia. Quædam verò nonnunquam nobis ex his, quæ circa ipsa sunt, nocent: sicut temporalis potentia, vel copula coniugalis. Bonum nanque est coniugium, sed mala sunt quæ circa illud ex huius mundi cura succrescunt. Vnde Paulus ait: Qui autem cum vxore est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori. Vnde & quibusdam meliora persuadens, eos à coniugio reuocat, dicens: Hoc autem dico, non vt laqueum vobis iniiciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi. Dum ergo tenetur quod non nocet, ex rebus iuxtà positis cōmittitur, plerunque quod nocet: sicut sæpe rectum, mundúmque iter pergimus, & tamen ortis iuxta viam vepribus, per vestimenta retinemur. In via quidem munda non offendimus, sed à latere nascitur quo pungamur. Magna est etiam potentia temporalis, quæ habet apud Deum meritum suum de bona administratione regiminis: nonnunquam tamen eo ipso quo præeminet cæteris, elatione cogitationis intumescit: & dum ad vsum cuncta subiacent, dum ad votum velociter iussa complentur, dum omnes subditi si qua bene gesta sunt, laudibus efferunt: malè gestis autem nulla authoritate contradicunt, dum plerunque laudant, etiam quod obiurgare debuerunt, seductus ab his quæ intrà subduntur, super se animus tollitur: & dum foris immenso fauore circundatur, intus veritate vacuatur, atque oblitus sui, in voces se spargit alienas: talémque se credit, qualem foris audit, non qualem intus discernere debuit: subiectos despicit, eósque æquales sibi naturæ ordine nō agnoscit: & quos forte potestatis excesserit, transcendisse se etiam vitæ meritis credit: cunctis se æstimat amplius sapere, quibus se videt amplius posse. In quodam quippe se constituit culmine apud semetipsum: & qui æqua cæteris naturæ conditione constringitur, ex æquo respicere cæteros dedignatur: sicque vsque ad eius similitudinem dicitur, de quo scriptum est: Omne sublime videt, & ipse est rex super vniuersos filios superbiæ. Et de cuius corpore dicitur: Generatio cuius excelsi sunt oculi, & palpebræ eius in alta surrectæ. Ad eius similitudinem dicitur, qui singulare culmen appetens, & socialem angelorum vitam despiciens, ait: Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Miro ergo iudicio intus foueam deiectionis inuenit, dum foris se in culmine potestatis extollit. Apostatæ quippe angelo similis efficitur, dum homo hominibus esse similis dedignatur. Sic Saul ab humilitatis merito in tumorem superbiæ culmine potestatis excreuit. Per humilitatem quippe prælatus est, per superbiam reprobatus: Domino attestante, qui ait: Nónne cùm esses paruulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israël? Paruulum se ante potestatem viderat, sed fultus temporali potentia, iam se paruulum non videbat. Cæterorum nanque comparatione se præferens, magnum se apud se esse iudicabat. Miro autem modo cùm apud se paruulus, apud Dominum magnus: cùm verò apud se magnus, apud Dominum paruulus fuit. Magnos nos Dominus apud nos esse prohibet, per Prophetam dicens: Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Ne magni apud nos esse debeamus, Paulus admonens, ait: Nolite prudentes esse apud vosmetipsos. Plerūque ergo dum ex subiectorum affluentia animus inflatur, in luxum superbię ipso potentiæ fastigio lenocinante corrumpitur. Sed aliud est quælibet bona non esse, aliud bona bene habere nescire. Bona nanque est ordine suo potentia, sed cauta regentis indiget vita. Igitur bene hanc exercet, qui & retinere illam nouerit, & impugnare. Bene hanc exercet, qui scit per illam super culpas erigi, & scit cum illa cæteris æqualitate componi. Humana enim mens plerunque extollitur, etiam cùm nulla potestate fulcitur: quanto magis in altum se erigit, cùm se etiam ei potestas adiungit? Et tamen corrigendis aliorum vitiis apta executione præparatur. Vnde & per Paulum dicitur: Minister enim Dei est, vindex in iram ei qui malum agit. Cùm ergo potentiæ temporalis ministerium suscipitur, summa cura vigilandum est, vt sciat quisque & sumere ex ea quod adiuuat, & expugnare quod tentat: & æqualem se cum illa cæteris cernere, & tamen se peccantibus zelo vltionis præferre. Quam discretionem plenius cognoscimus, si etiam potestatis Ecclesiasticæ exempla cernamus. Petrus nanque authore Deo, Ecclesiæ principatum tenens, à bene agente Cornelio, & sese ei humiliter prosternente, immoderatius venerari recusauit, séque illi similem recognouit, dicens: Surge ne feceris, & ego ipse homo sum. Sed cùm Ananiæ & Saphiræ culpam reperit, mox quanta super cæteros potētia excreuisset, ostēdit. Verbo enim eorum vitam perculit, quam spiritu perseruante deprehendit: & summum se intra Ecclesiam contra peccata recoluit, quod honore sibi vehementer impenso, coram bene agētibus fratribus non agnouit. Illic communionem æqualitatis meruit sanctitas actionis, hic zelus vltionis ius aperuit potestatis. Paulus bene agētibus fratribus prælatum se esse nesciebat, cùm diceret: Non quia dominamur fidei vestrę, sed adiutores sumus gaudij vestri. Atque ilico adiunxit: Fide enim statis: ac si diceret: Ideo non dominamur fidei vestræ, quia fide statis. Aequales enim vobis sumus, vbi vos stare cognoscimus. Quasi prælatum se fratribus esse nesciebat, cùm diceret: Facti sumus paruuli in medio vestrum, &: Nos autem seruos vestros per Iesum Christum. Sed cùm culpam quæ corrigi debuisset, inuenit: ilico magistrum se esse recoluit, dicens: Quid vultis? In virga veniam ad vos? Summus itaque locus bene regitur, cùm is qui præest, vitiis potius quàm fratribus dominatur. Cunctos quippe natura æquales genuit. Vt autem alij ad regendum aliis committantur, non eos natura, sed culpa postponit. Vitiis ergo se debent rectores erigere, quorum & causa præferuntur, & cùm delinquentes corrigunt, sollicitè attendant, vt per disciplinam culpas quidem iure potestatis feriant, sed per humilitatis custodiam æquales se ipsis fratribus qui corriguntur, agnoscant. Quanuis plerunque etiam dignum est, vt eosdem quos corrigimus, tacita nobis cogitatione præferamus. Illorum nanque per nos vitia disciplinæ rigore feriuntur: in his verò quæ ipsi committimus, ne verbi quidem ab aliquo inuectione laceramur. Tantò ergo apud Dominum obligatiores sumus, quantò apud homines inultè peccamus. Disciplina autem nostra subditos tantò diuino iudicio liberiores reddit, quantò hic eorum culpas sine vindicta non deserit. Seruanda itaque est & in corde humilitas, & in opere disciplina. Atque inter hæc solerter intuendum, ne dū immoderatius custoditur virtus humilitatis, soluantur iura regiminis: & dum prælatus quisque plus se quàm decet, deiicit, subditorum vitam stringere sub disciplinæ vinculo non possit. Teneamus ergo exterius quod pro aliorum vtilitate suscipimus: teneamus interius quod de nostra æstimatione sentimus. Sed tamen decenter quibusdam erumpentibus signis tales nos apud nos esse ipsi nos etiam qui nobis commissi sunt, non ignorent: vt & de authoritate nostra quod formident, videant, & de humilitate quod imitentur, agnoscant. Seruata autem authoritate regiminis, ad cor nostrum sine cessatione redeamus, & consideremus assiduè quòd sumus æqualiter cum cæteris conditi, non quòd tēporaliter cæteris prælati. Potestas enim quantò exterius eminet, tantò premi interius debet: ne cogitationem vincat, ne in delectationem sui animum rapiat, ne iam sub se mens eam regere nō possit, cui se libidine dominandi supponit. Benè Dauid regni potentiam regere nouerat,

† al. infrà.

Iob. 41.

Prouer. 30.

Esa 14.

1.Corin.7.

1.Reg.15.

Esa.5.

Roma.12.

Roma.13. 22.

Acts.10.

Ibidem 5.

2.Corin.1.

1.Thess.2.

2.Corin.4.

1.Corin.4.

23.

qui elationem eiusdem potentiæ semetipsum premendo vincebat, dicens: Domine non est exaltatum cor meum. Quiq; in eius humilitatis augmento subiungit: Neq; elati sunt oculi mei. Atque addidit: Neque ambulaui in magnis. Et adhuc subtilissima semetipsum inquisitione discutiens ait: Neque in mirabilibus super me. Omnésque etiam cogitationes suas à fundo cordis exhauriens, subiungit dicens: Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam. Ecce humilitatis hostiam ab intimo cordis oblatã, crebrò replicat, & iterum atque iterum confitendo offerre non cessat: eámque multipliciter loquens iudicis sui oculis ostentat. Quid est hoc? Et quomodo istud sacrificium Deo placere cognouerat, quod in cõspectu eius tanta iteratione vocis immolabat? nisi quòd vicina esse superbia potentibus solet, & penè semper rebus affluentibus elatio sociatur: quia & sæpe humoris abundantia duritiam dat tumoris. Mirum verò valde est cùm in cordibus sublimium regnat humilitas morum. Vnde pensandum est: quia potentes quique cùm humiliter sapiunt, culmen extraneæ & quasi longè positæ virtutis attingunt, & rectè hac virtute Dominum quantocius placant: quia illud ei sacrificium humiliter offerunt, quod potentes inuenire vix possunt. Subtilissima nanque ars viuendi est culmen tenere, gloriam premere, esse quidem in potentia, sed potentem se esse nescire: ad largienda bona potentem se cognoscere, ad rependenda noxia omne quod potenter valet ignorare. Rectè itaque de talibus dicitur: Deus potentes non abiicit, cùm & ipse sit potens. Deum quippe imitari desiderat, qui fastigium potentiæ alienis intentus vtilitatibus, & non suis laudibus elatus administrat, qui prælatus cæteris prodesse appetit, non præesse. Tumoris nanque elatio, non ordo potestatis in crimine est. Potentiam Deus tribuit, elationem verò potentiæ malitia nostræ mentis inuenit. Tollamus ergo quod de nostro contulimus, & bona sunt quæ Deo largiente possidemus. Quia enim nequaquam iusta potentia, sed actio praua damnatur, aptè subiungitur:

Psalm.130.

24

Subtilissima viuendi ars.

Quòd alij iudicentur & pereant, alij non iudicentur & regnent. Caput XX.

SEd *non saluat impios, & iudicium pauperibus tribuit.*) Scriptura sacra plerunque pauperes humiles vocare consueuit, Vnde in Euangelio cum adiectione spiritus nominantur, dum dicitur: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Quos enim diuitiæ visibiliter potentes ostendunt apud semetipsos pauperes sunt, qui elati in suis conscientiis non sunt. Eos verò impios vocat, qui aut à fidei pietate disiuncti sunt, aut in hoc quod fideliter credunt, prauis sibi moribus contradicunt. Quia ergo omnipotens Deus malitiæ superbiam, non potentiæ celsitudinem damnat, postquam dictum est. Deus potentes non abiicit, cùm & ipse sit potens, rectè subiungitur: Sed non saluat impios, & iudicium pauperibus tribuit, id est, elatos destruit, humiles verò per iudiciũ liberos reddit. Vel certè iudicium pauperibus tribuit: quia hi qui nunc nequiter opprimuntur, ipsi tunc super oppressores suos iudices veniunt. Duæ quippe sunt partes, electorum scilicet atq; reproborum. Sed bini ordines eisdem singulis partibus continentur. Alij nanque iudicantur & pereunt, alij non iudicantur & pereunt. Alij iudicantur & regnant, alij non iudicantur & regnant. Iudicantur & pereunt, quibus dominica voce in damnatione dicitur: Esuriui, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me: æger & in carcere, & non visitastis me. Quibus præmittitur: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Alij verò in extremo iudicio non iudicantur & pereunt, de quibus Propheta ait: Non resurgent impij in iudicio: & de quibus Dominus dicit: Qui autem non credit, iam iudicatus est: & de quibus Paulus ait: Qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt. Resurgunt ergo etiam omnes infideles, sed ad tormentum, non ad iudicium. Non enim eorum tunc causa discutitur: quia ad conspectum districti Iudicis iam cum damnatione suæ infidelitatis accedunt. Professionem verò fidei retinentes, sed professionis opera non habentes, redarguuntur vt pereant. Qui verò nec fidei sacramenta

Matth.5.

Matth.25.

Psalm.1.
Roma.2.

E tenuerunt, increpationem iudicis in extrema examinatione non audiunt: quia præiudicati infidelitatis suæ tenebris, eius quem despexerant inuectione redargui non merentur. Illi saltem iudicis verba audiunt: quia eius fidei saltem verba tenuerunt. Isti in damnatione sua æterni iudicis nec verba percipiunt: quia eius reuerentiam nec verbotenus seruare voluerunt. Illi legaliter pereunt: quia sub lege positi peccauerunt: istis in perditione sua de lege nihil dicitur: quia nihil legis habere conati sunt. Princeps nanque terrenam rempublicam regens, aliter punit ciuem interius delinquentem, atque aliter exterius hostem rebellantem. In illo iura sua consulit, eúmq; sub verbis dignæ inuectionis addicit: contra hostem verò bella mouet, instrumenta perditionis exercet, dignáque eius malitiæ torméta retribuit, de malo verò eius quid lex habeat, non requirit. Neque enim lege necesse est perimi, qui lege nunquam potuit teneri. Ira ergo in extremo iudicio & legalis illum inuectio percutit, qui ab eo quod professione tenuit, actione declinauit, & iste sine iudicij inuectione perimitur, qui lege fidei non tenetur. Ex electorum verò parte alij iudicantur & regnant, qui vitæ maculas lachrymis tergunt, qui mala præcedentia factis sequentibus redimentes, quicquid illicitum aliquando fecerunt, ab oculis iudicis eleemosynarum superductione cooperiunt. Quibus iudex veniens in dextera consistentibus dicit: Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & operuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. Quibus præmittit, dicens: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Alij autem non iudicantur & regnant: qui etiam præcepta legis perfectione virtutum transcendunt, qui nequaquam hoc solùm quod cunctis diuina lex præcipit, implere contenti sunt, sed præstantiori desiderio plus exhibere appetunt, quàm præceptis generalibus audire potuerunt. Quibus dominica voce dicitur: Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, cùm sederit filius hominis in sede maiestatis

25 *Aliter punitur ciuis, aliter hostis.*

Matth.19.

G suæ, sedebitis & vos super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israël. Et de quibus Propheta ait: Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui. Et de quibus Salomon cùm de sanctæ Ecclesiæ sponsa loqueretur, intulit dicens: Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ. Hi itaque in extremo iudicio non iudicantur, & regnant: quia cum authore suo etiam iudices veniunt. Relinquentes quippe omnia plus prompta deuotione executi sunt, quam iubere generaliter audierunt. Speciali nanque iussione paucis perfectioribus, & non generaliter omnibus dicitur hoc quod adolescens diues audiuit: Vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, & sequere me. Si enim sub hoc præcepto cunctos iussio generalis astringeret, culpa profectò esset aliquid nos de hoc mundo possidere. Sed aliud est quod per sacram scripturam omnibus generaliter præcipitur: aliud quod specialiter perfectioribus imperatur. Hi ergo rectè sub generali iudicio non tenentur, qui & præcepta generalia viuendo vicerunt.

Esaiæ 3.

Prouerb.31.

Matth.19.
Marc.10.
Lucæ.18.

H Sicut enim non iudicantur, & pereunt, qui suadente perfidia legem tenere contemnunt: ita non iudicantur & regnant, qui suadente pietate etiam vltra generalis diuinæ legis præcepta proficiunt. Hinc est quòd Paulus etiam specialia præcepta transcendens, plus opere exhibuit quàm institutione permissionis accepit. Cùm enim accepisset vt Euangelium prædicans, de Euangelio viueret, & Euangelium audientibus contulit, & tamen Euangelij sumptibus sustentari recusauit. Cur ergo iste iudicetur, vt regnet, qui minus quod seruaret, accepit: sed maius quod viueret, inuenit? Dicatur igitur rectè: Iudicium pauperibus tribuit: quia quantò huic mundo magna humilitate despecti sunt, tantò tunc acceptis sedibus maiore culmine potestatis excrescunt. Vnde & sequitur:

Quòd sanctos in persecutionibus & laboribus tunc maximè Dominus videt, cùm eorum patientia delectatur. Caput XXI.

NOn *aufert à iusto oculos suos, & reges in solio collocat in perpetuum, & illic eriguntur.*) Abstulisse enim à iustis oculos suos fortasse Dominus creditur: quia iniustorum crudelitatibus hîc sine vindicta lacerantur, sed famulos suos tunc magis respicit,

respicit, cùm iniustè eos nequitia persequentis affligit. Videns enim quid hîc humiliter toleret, nimirum iam præuidet quid illic eis misericorditer recompenset. Non ergo aufert à iusto oculos suos. Ecce iste humiliter ingemiscit, ille superbit & nequiter floret. Iste cor cõterit, ille se de gloria iniquitatis extollit. Horũ ergo quis diuinis obtutibus longè est, qui iniustitiã pertulit, an qui eã patientibus irrogauit, qui supernam gratiã inter mœroris tenebras tenuit: an qui inter exteriora gaudia lumen iustitiæ intus amisit? Bene autem sancti viri scripturæ sacræ testimonio reges vocantur: quia prælati cunctis motibus carnis, modò luxuriæ appetitum frenant, modò æstũ auaritiæ temperant, modò gloriam elationis inclinant, modò suggestionem liuoris obruunt, modò ignem furoris extinguunt. Reges ergo sunt: quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse nouerunt. Quia igitur ab hac potestate regiminis ad potestatem transeunt retributionis, dicatur rectè: *Reges in solio collocat in perpetuum.*) Semetipsos enim regendo, ad tempus fatigati sunt, sed in regni erectionis æternæ solio in perpetuum collocantur, & eo illic accipiunt alios dignè iudicare, quo hîc nesciunt sibimetipsis nequiter parcere. Hinc enim aliàs dicitur: Donec iustitia conuertatur in iudicium. Paulus de se susque consortibus dicit: Vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso. Iustitia ergo in iudicium vertitur: quia hi nũc iustè atq; irreprehẽsibiliter viuunt, tunc iudicãdi potentiã nanciscũtur. Hinc Laodiciæ Ecclesiæ Dominꝰ dicit: Qui vicerit, dabo ei sedere mecũ in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum patre meo in throno eius. Vincẽs Dominus in throno cũ patre sedisse se asserit: quia post pasionis certamina, post resurrectionis palmam, clarius se omnibus quòd potestati patris esset æqualis indicauit, eíque se non disparem calcato mortis aculeo innotuit. Vnde & Mariæ necdum credenti se patri similem dicit: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem. Nobis enim in throno filij sedere, est ex eiusdem filij potestate iudicare. Qui enim iudicij principatum ex eius virtute percipimus, velut in throno eius residemus. Nec abhortet à vero quòd aliàs super duodecim thronos venturos testatur esse discipulos, hîc verò in throno suo perhibet esse sessuros. Per thronos quippe duodecim vniuersale iudium, per thronum verò filij singulare culmen iudiciariæ potestatis ostenditur. Hoc ergo duodecim thronis, quod vno throno filij designatur: quia videlicet vniuersale iudicium, ex mediatoris nostri interuentione percipitur. Dicatur ergo: *Reges in solio collocat in perpetuum.*) Aptè autem in perpetuum subdens, apertè quid dicat, insinuat. Si enim de terreni regni solio diceret, nullatenus in perpetuum subdidisset: quia quique illud arripiunt, profectò non in eo in perpetuum, sed temporaliter collocantur. Bene autem subdidit: *Et illic eriguntur.*) Ac si intentioni audiẽtis innueret dicens: Quia qui hîc humiliati sunt, illic eriguntur. Sanctis nanque viris iste locus humilitatis est, vt ille sit celsitudinis. Vnde aliàs scriptum est: Humiliasti nos in loco afflictionis. Locus quippe afflictionis est vita præsens. Qui ergo ad æternam patriam tendunt, nunc semetipsos temporaliter in afflictionis loco despiciunt, vt tunc in loco gaudij veraciter sublimentur. Sequitur:

26.

Psalm.93.
2.Corin.5.
Iustitia conuertitur in iudicium.
Apoc.3.

Ioan.20.

27.

Quòd sancti cùm huius mundi habitationem, quasi catenas & vincula sua perfectè oderint, tunc maximè intelligunt, quales essent, cùm mundum amarent. Caput XXII.

ET *si fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis, indicabit eis opera eorum & scelera eorum: quia violenti fuerint.*) Catenæ obligationis sunt, ipsa adhuc retentio peregrinationis. Ligatum se his catenis Paulus aspexerat, cùm dicebat, Desideriũ habens dissolui, & cum Christo esse. Paupertatis funibus vinctum se esse cernebat, quando veras diuitias intuens, eas etiam discipulis enarrabat, dicens: Vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis. Bene autem post ista subditur: Indicabit eis opera eorum & scelera eorum, quia violenti fuerint. Cùm enim supernam gloriam magis amãdo cognoscimus, tunc mala quę egimus, grauiora fuisse sentimus. Vnde & Paulus post perceptam gratiam supernorum, ea quæ in se studia virtutum crediderat fuisse, iam scelera cognoscebat, dicens: Qui prius fui blasphemus & persecutor & cõtumeliosus, sed misericordiam consecutus sum: quia ignorans feci in incredulitate. Vel certè: Sed quæ mihi fuerũt lucra, hęc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Vnde & aptè subditur: *Reuelabit quoque aurem eorum vt corripiat, & loquetur, vt reuertantur ab iniquitate.*) Aurem ab iniquitate reuelare, est intellectum cognitionis aperire. Reuelata verò aure vnusquisque corripitur, quando intrinsecus æternorum bonorum desiderium percipit, & quæ mala extrinsecus perpetrauit, agnoscit. Potest verò in catenis & funibus paupertatis, pœna etiam temporalis afflictionis intelligi: quia sæpe qui iubentis verba non audiunt, ferientis verberibus admonentur, vt ad bona æterna saltem pœnæ trahant, quos præmia non inuitant. Vnde per Prophetam dicitur: In chamo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Si verò etiam flagella despiciunt, constat nimirum quòd tantò illic grauioris vindictæ supplicia sentiant, quanto hîc maioris prouidentiæ gratiam calcant. Vnde & sequitur: *Si audierint & obseruauerint, complebunt dies suos in bono, & annos suos in gloria. Si autem non audierint, transibunt per gladium, & consumentur stultitia.*) Per bonum recta actio, per gloriam verò superna retributio designatur. Qui ergo obedire præceptis cœlestibus student, dies suos in bono complent, annos in gloria: quia & cursum præsentis temporis in recto opere, & consummationem suam perficiunt fœlici retributione. Si verò non audierint, transibunt per gladium, & consumentur stultitia: quia & vindicta eos in tribulatione percutit, & finis in fatuitate concludit,

1.Timo.1.

Philip.3.

Aurem reuelare.

Psalm.31.

Qui obedire præceptis cœlestibus studũt, dies suos in bono complent, &c.

Sunt enim nonnulli, quos à perditis moribus nec tormenta compescunt. De quibus per Prophetam dicitur: Percussisti eos, nec doluerunt, flagellasti eos, & renuerunt accipere disciplinam. Et de quibus sub Babylonis specie dicitur: Curauimus Babylonem, & non est sanata. De quibus rursum dicitur: Interfeci & perdidi populum meum, & tamen à viis suis non sunt reuersi. Hi nonnũnquam deteriores existunt ex verbere: quia pulsati doloribus, aut contumaci pertinacia duriores existunt, aut, quod peius est, in blasphemiæ etiam exasperationem prosiliunt. Bene ergo dicitur quòd per gladium transeunt, & stultitia consumuntur: quia peccata quæ flagellis emendare debuerant, flagellis exaggerãt. Et hîc nanque pœnas percussionis sentiunt, & illic iustæ retributionis supplicia non euadunt. Fatuitas quippe stultitiæ est: quòd illos sic iniquitas obligat, vt à culpa eos nec pœna compescat. Sequitur:

28.

Hier.5.

Hiere.51.
Hiere.15.

Quòd hypocritæ nec etiam tunc, cùm vincti ad pœnas inferni trahuntur, confiteri peccata sua hominibus volunt, quæ sciunt tamen Deum latêre non posse. Caput XXIII.

SImulatores & callidi prouocant iram Dei.) Cùm simulatores diceret, aptè subiunxit & callidi: quia nisi ingenio calleant, quod videri appetunt, congruè simulare non possunt. Sunt enim nonnulla vitia quæ etiam à sensu tardioribus facilè perpetrantur. Elatione nanque intumescere, auaritiæ æstibus inhiare, luxuriæ pulsanti succumbere, etiam quilibet obtusis sensibus potest, simulationis verò falsitatem exequi, nisi qui subtilioris ingenij fuerit, non potest. Quisquis enim talis est, ad custodienda duo videlicet continua obseruatione diuiditur, vt callidè nouerit & occultare quod est, & ostentare quod non est, & vera mala premere, & falsa bona monstrare: nec se apertè in hoc quod videtur extollere, atque vt maiorem gloriam teneat, sæpe se simulat gloriam declinare. Qui enim ante oculos hominum sequendo eam apprehendere non potest, studet plerunque gloriam tenere fugiendo: Hæc itaque simplicibus minimè congruunt: quia si congruunt, iam simplices non sunt. Bene autem cùm diceret simulatores & callidi, non subdidit, morentur, sed prouocant iram Dei. Iram quippe Dei mereri, est etiam nesciendo peccare. Prouocare verò est mandatis illius sciendo contraire, scire bonum, sed despicere: facere posse, nec velle. Hic enim perpetratione nequitiæ intrinsecus tenebrescũt, & ostentatione iustitiæ superficietenus dealbantur. Quibus voce dominica dicitur: Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ: quia similes estis sepulchris dealbatis, quę foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia: ita & vos quidem foris apparetis huminibus iusti, intus autẽ pleni estis.

Philip.1.

Ephes.1.

Matth.23.

hypocrisi & iniquitate. Foris ergo ostendendo seruant, quæ
viuendo intus impugnant. Intus verò mala cogitantes exag-
gerant, quæ foris alia superducentes occultant. Ante distri-
ctum itaque iudicem excusationem iam de ignorantia habere
non possunt: quia dum ante oculos hominũ omnem modum
sanctitatis ostentant, ipsi sibi sunt testimonio, quia bene viue-
re non ignorant. Dicatur igitur rectè: Simulatores & callidi
prouocant iram Dei. Quid verò eos ad extremum sequatur,
adiungit dicens: *Neque clamabunt cùm vincti fuerint.*) Omnis
iniquus qui cùm iniquus sit, sanctus videri non appetit, in fla-
gelli percussione deprehensus, fateri quòd iniquus sit, non e-
rubescit. Qui vero iniqua agens, humana de se iudicia sub
specie sanctitatis intercipit, etiam cùm flagello percutitur, ini-
quum se prodere refugit: quia sanctus videri consueuit. Si
quando autem grauiter coarctatur, iniquum se vix superficie-
tenus confitetur: quia interna sua detegere, veraci confessio-
ne confunditur. Quasi liberi verò sumus, cùm nulla correp-
tione castigamur. Quasi autem vincimur, cùm flagello per-
cussionis astringimur. Vincti igitur tantò clamamus altius,
quantò in percussione positi, peccata nostra veracius confite-
mur. Apud aures quippe Dei vox valida deuota cõfessio est.
Quia ergo simulatores quosque etiam cùm percussionis fla-
gella corripiunt, ad confessionem simplicem non perducunt:
cognosci enim peccatores refugiunt, quia sancti omnium o-
pinione ferebantur: quia quanuis eos ad extremum iam fla-
gella feriant, quãuis duci se ad æterna supplicia non ignorant,
tales tamen cupiunt apud humana iudicia remanere, quales se
studuerant semper ostendere. Deprehensi ergo etiam flagello
percussionis extremæ: quia confessionem puram vel afflicti
exerere negligunt, quasi vincti clamare contemnunt. Bene
ergo dicitur: *Neque clamabunt, cùm vincti fuerint.*) Quanuis in-
telligi etiam aliter potest. Omnis enim qui cùm iniquus sit,
dici sanctus ab hominibus non pertimescit, etsi iniquum se ta-
cita cogitatione reprehendit, tamen dum sæpius sanctum au-
dire se cœperit, hoc quod de se intrinsecus tenebat, amittit.
Cor quippe exterius fundit, & quia libenter foris falsum de
se testimonium recipit, qualem se intus habeat non requirit.
Vnde fit vt vacuæ laudis fomenta etiam cùm defuerint, quæ-
29 rat, & oblitus quod est, appetat videri quod non est. Igitur
qui tales sunt, dum iustos se ante humana iudicia simulãt, dum
actiones suas laudibus dignas intuentium oculis ostentant,
occulta cum eis iustitia agitur: vt quo nituntur foris alios fal-
lere, eo de se intus etiam ipsi fallantur. Nam omnem circa se
sollicitæ inuestigationis oculum perdunt. Vitam enim suam
discutere & perscrutari dissimulãt, sed tales se quales audiunt,
putant: sanctósque se esse, non quia ita viuunt, sed quia ita di-
cuntur, existimant. Subtile autem Dei iudicium séque ipsos
intueri negligũt: quia fidem sui meriti in attestatione ponunt
oris alieni. Cùm verò subita percussione feriuntur, iniquos se
vel veraciter fateri, vel sicut sunt deprehendere omnino non
possunt: quia videlicet sanctos se humana professione credi-
derunt. Bene ergo dicitur: Nec clamabunt cùm vincti fue-
rint. Spe enim vacua tales se ante supernum iudicem venire
confidunt, quales se hominibus innotuisse cognoscunt, séque
ipsos miseri nec inter tormenta deprehendunt, & dum testi-
monium falsæ laudis aspiciunt, remedium veræ confessionis
amittuut. Etiam vincti ducuntur, & non clamant: quia hu-
manæ laudis importunitate superati, sanctos se miseri & cùm
Esaiæ.46. in peccatis moriuntur, putant. Quibus bene per Prophetam
dicitur: Redite præuaricatores ad cor. Si enim ad cor redi-
rent, per exterioris attestationis se verba non funderent. Nam
quid vicinius nobis est corde nostro? Quid vicinius nobis est
ea re, quæ intra nos est? Et tamen cùm per prauas cogitatio-
nes spargitur, à nobis cor nostrum longius euagatur. Longè
Nihil nobis vicinius corde nostro, & tamen sæpe lõgius euagatur.
ergo Propheta præuaricatorem mittit, cùm eum ad cor suum
redire compellit: quia quo se exterius fudit, eo ad se vnde
possit redire vix inuenit. Quia verò simulatorum mens pro
eo quòd ab vna æternitatis intentione diuiditur, cogitatio-
num multiplicium inundatione vastatur, rectè subiungitur:
Morietur in tempestate anima eorum. Quasi tranquillè nan-
que videbantur viuere, cùm de sanctitatis curarẽt laude gau-
dere. Sed tempestate subita eorum anima moritur, quæ huma-
næ laudis pessima tranquillitate lætabatur. Plerunque subitò
E inopinata tempestas omne quòd aër serenus blanditur, im-
mutat: & eo periculum vitari non potest, quo nec potuit præ-
uideri. Vnde simulatores qui vitæ suæ custodiam negligunt,
in tempestate mori referuntur. Hinc quippe eos turbo subi-
tus internæ percussionis eiicit, quos arrogantia externi fauo-
ris extollit, & dum amplectuntur in laude quod non sunt, re-
pente inueniunt in vltione quod sunt. Bene autem per Sa- 30
lomonem dicitur: Quomodo probatur in conflatorio argen- *Prouerb.17.*
tum, & in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantis.
Laus quippe sua iustos cruciat, iniquos exaltat. Sed iustos dũ
cruciat, purgat: iniquos dum lætificat, reprobos monstrat.
Isti enim sua laude pascuntur: quia authoris sui gloriam non
requirunt. Illi autem qui authoris gloriam quærunt, sua laude
cruciantur, ne non sit intus quod foris dicitur, ne, si est etiam
quod dicitur, ante Dei oculos ipsis fauoribus vacuetur, ne hu-
mana laus robur mentis emolliat, eámque in sui delectatione
prosternat, & quæ adiumentum debet esse augendi operis,
iam retributio sit laboris. Cùm verò sua præconia in Dei lau-
F dem tendere sentiunt, ea etiam desiderabiliter amplectuntur.
Scriptum nanque est: Videant opera vestra bona, & glorifi-
cent patrem vestrum qui est in cœlis. Viam se ergo homini- *Matth.5.*
bus faciunt, quoties in se aliquid quo Deus cognoscatur, o-
stendunt: quia non student in se humanam laudem figere, sed
quærunt eam per se medios ad authoris gloriam pertransire.
Arrogãtes autem humanis laudibus mollia corda prostituũt,
quia suis amoribus corrumpuntur. De quibus aliàs dicitur: *2.Timo.3.*
Erunt homines seipsos amantes. Aptè verò hîc de hac eorum
corruptione subiungitur: *Et vita eorum inter effœminatos.*) Si
enim viriliter viuerent, laus transitoria nulla eos corruptione
vitiaret. Vnde electis Propheta persuadet dicens: Viriliter *Psalm.26.*
agite, & confortetur cor vestrum. Dicens enim viriliter agite,
& confortetur cor vestrum, quod ilicò subdidit: quasi sexum
cordis munire curauit. Luxuriosi quippe mens corrumpitur,
si rebus transitoriis delectatur. Igitur simulatorum vita inter
effœminatos moritur: quia laudis luxuria corrupta reperitur.
G Translatione verò alia non habetur, Vita eorum inter effœ-
minatos, sed, Vita eorum vulneretur ab angelis. Vtrunque
tamen & si sermone discrepat, ratione concordat: quia effœ-
minatorum vitam angeli vulnerant, dum nuntij veritatis eam
iaculis sanctæ prædicationis impugnant. Quia igitur de dam-
natione reproborum quid agatur, audiuimus: de ereptione
humilium quid sequatur, audiamus. *Eripiet pauperem de angustia
sua.*) Pauper de angustia sua eripitur, cùm vnusquisque humi-
lis de hac peregrinationis suæ afflictione liberatur. Nam & as-
siduis hîc tribulationibus premitur, vt ad requirendum veræ
consolationis gaudium prouocetur. Vnde & sequitur: *Et re-
uelabit in tribulatione aurem eius.*) Aurem in tribulatione reuela-
re, est auditum cordis verberum plagis aperire. Cum enim
præcepta despicimus, pia districtione nobiscum agitur, vt
flagella timeamus. Aurem itaque cordis tribulatio aperit,
quam sæpe huius mundi prosperitas claudit. Per Salomonem *Prouer.1.*
nanque dicitur: Auersio paruulorum interficiet eos, & pros-
peritas stultorum perdet illos. Sequitur:

H *Quòd peccatum latum os habeat, cùm in ipsum descenditur, ar-
ctissimum verò, cùm quis de eo egredi conatur.*

Caput XXIIII.

IGitur saluabit te de ore angusto latissimè.) Omnis qui vitæ viam
deserens, in peccatorum se tenebras deiicit: semetipsum
quasi in puteum vel foueam mergit. Si verò diutina perpetra-
tione etiam consuetudine iniquitatis opprimitur, ne ad supe-
riora iam possit exurgere, quasi angusti ore putei coarctatur.
Vnde Dauid Propheta sub specie peccantium exorat dicens: *Psalm.68.*
Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me pro-
fundum, neque vrgeat super me puteus os suum. Quem enim
mali operis iniquitas à bona stabilitate commouit, quasi tem-
pestas aquæ rapuit: sed si adhuc longa consuetudine non præ-
ualuit, non demersit. Iam in puteum cecidit, qui hoc quod
diuina lex prohibet, perpetrauit. Sed si adhuc longa consue-
tudo nõ deprimit, nequaquam os suum puteus coangustauit.
Tanto ergo facilius egreditur, quanto minori consuetudine
coarctatur. Vnde Hieremias Propheta dum Iudæam iniqui-
tatibus longa consuetudine obrutam fuisse conspiceret, in la-
mentis suis sub eius specie semetipsum deplorat, dicens: Lapsa *Thren.3.*
est in

31. est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me. In A
lacum quippe vita labitur, cùm labe iniquitatis inquinatur.
Lapis verò superponitur, cùm etiam dura consuetudine mens
in peccato deuoratur, vt etsi velit exurgere, iam vtcunque nõ
possit: quia moles desuper malæ consuetudinis premit: sed
quia diuinæ potentiæ subiacet, & post angustiam prauæ con-
suetudinis ad bonæ actionis amplitudinem reuocatur, idcirco
dicitur: *Saluabit te de ore angusto latissimè.*) Latissimè quippe de
ore angusto saluatur, qui & post iniquitatis iugum, ad liberta-
tem boni operis pœnitendo reducitur. Quædam nanque qua-
si conclusionis angustia est, ab opprimente mala consuetudi-
ne exurgere velle, nec posse: iam quidem desiderio ad super-
na tendere, sed adhuc actu in infimis remanere, præire corde,
nec tamen sequi opere, atque in semetipso contradictionem
perpeti semetipsum. Cùm verò ita tendens anima manu gra-
tiæ exaltantis adiuuatur, ab angusto ore ad latitudinem per-
uenit: quia victis difficultatibus, opera bona perficit, quæ cõ-
Psalm.30. cupiscit. Dauid propheta conclusionem angusti oris conspe-
xerat, cùm dicebat: Saluam fecisti de necessitatibus animam B
Ibidem. meam, nec conclusisti me in manus inimici. Latissimè autem
saluatum se nouerat, cùm subdidit dicens: Statuisti in loco spa-
tioso pedes meos. In spatioso quippe loco pedes stabiliri
sunt, quando & ad congruentia bona tendimus, & nulla dif-
ficultate præpedimur. Quasi enim per latum locum quo vo-
lumus, pergimus: quia nullis obiectis difficultatibus angusta-
mur. Sed hæc Heliu rectè diceret, si beato Iob eius sententia
conueniret. Pro culpa enim flagellatum credidit, & idcirco
eum in os angustum cecidisse iudicauit. Quò enim validiori-
bus vidit eum plagis affici, eò deterioribus credidit iniquita-
tibus prægrauari, profectò nesciens quòd flagella eius aug-
mentum essent meriti, non pœna peccati. Cùm verò eum in
os angustum cecidisse fateatur, adhuc quasi latius exequitur
in quanta Iob profunditate teneatur, dicens: *Et non habente
32. fundamentum subter se.*) Omne peccatum fundamentum non
habet: quia non ex propria natura subsistit. Malum quippe si-
ne substantia est. Quod tamen vtcunque sit, in boni natura C
coalescit. Igitur os angustum nullum subter se dicitur habere
fundamentum: quia peccati inquinatio sũbsistẽdi ius non ha-
bet proprium. Quia verò à fundo dicitur fundamentum, pos-
sumus etiam fundamentum pro fundo positum non inconue-
nienter accipere, sicut auditus ab aure dicitur, & tamen ple-
runque ipsa auris auditus nomine designatur. Cùm ergo dice-
ret os angustum, explere profundi voraginem volens subdi-
dit: *Et non habente fundamentum subter se.*) Quem enim rapit ini-
quitas, infernus absorbet. Infernus verò rectè fundum non
habere creditur: quia quisquis ab illo rapitur, in immẽso pro-
fundo deuoratur. Immensam nanque eius explere latitudinẽ
Esaiæ.5. volens Propheta ait: Dilatauit infernus animam suam, & ape-
ruit os suum absque vllo termino. Sicut ergo sine termino di-
latatus dicitur, qui ad se plurimos trahit: ita sine fundo altus
non incongruè creditur: quia eos quos in se suscipit, quasi in
quadam abysso suæ immensitatis absorbet. Itaque cùm dice-
ret: Saluabit te de ore angusto latissimè, aptè subiunxit: *Et non
habente fundamentum subter se.*) ac si diceret: De ore angusto sal- D
uabit, quod sub se fundum non habet. Quia enim per pecca-
catum tenditur ad infernum, quem à peccato saluat, de ore
angusto liberat. Quem verò de ore angusto eripit, ab inferni
profundo subducit. Quanuis etiam aliter intelligi potest. Nã
sicut qui in puteum mergitur, putei profundo retinetur, ita
corruens quasi in quodam fundi loco consisteret anima, si se-
mel lapsa in aliqua se peccati mensura retineret. Sed cùm pec-
cato in quo labitur, non potest esse contenta, dum quotidie
ad deteriora deiicitur, quasi in puteo quo cecidit, fundũ non
Prouer.18. inuenit quo figatur. Esset enim fundus putei, si fuisset mensu-
ra peccati. vnde bene aliàs dicitur: Peccator cùm venerit in
profundum malorum, contemnit. Redire nanque dissimulat:
quia misereri sibi posse desperat. Sed cùm desperãdo amplius
peccat, quasi puteo suo fundum subtrahit, ne vbi retineri pos-
sit, inueniat. Sequitur: *Requies autem mensæ tuæ erit plena pingue-
dine.*) Requies mensæ est refectio satietatis internæ. Quę pin-
guedine plena dicitur: quia in æternæ voluptatis delectatione
Psalm.16. præparatur. Huius mensæ epulas esuriebat Propheta, cùm di-
Psalm.41. ceret: Satiabor dum manifestabitur gloria tua. Huius mensæ
A pocula sitiebat, dicens: Sitiuit anima mea ad Deum viuum,
quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Heliu itaque
beatum Iob in temporali verbere, æternorum volens retribu-
tione consolari, quod iure ei debebatur ex meritis, ex semet-
ipso quasi gratuitò promittit, dicens: Requies autem mensæ
tuæ erit plena pinguedine. Sequitur:

*Quòd sancti quasi impij ab hoc mundo iudicentur, apud
Deum verò iustitiæ suæ coronam accipiant.*

Caput XXV.

CAusa tua quasi impij iudicata est, causam iudiciúmque recipies.)
Bonorum causa iustitia est. Quorum causa quasi impij iu-
dicatur: quia eorum hic iustitia paterno flagello fatigatur, vt
ad ampliorem vigilantiam præceptione non solùm mandato-
rum, sed etiam verberum percussione doceantur. Sed causam
iudiciúmque recipiunt: quia ex ea iustitia qua modo viuunt,
tunc in culmine iudiciariæ potestatis enitescunt; vt tantò
tunc potentius cuncta iudicent, quantò nunc in eis subtilius
cuncta iudicantur. Hæc Heliu quasi noua spondendo intulit 33.
quæ beatus Iob semper credendo stabiliter tenuit. Habent *Arrogãtis*
profectò hæc propria omnes arrogantes, vt & malum men- *proprium.*
tientes exaggerent, & quod forsitan bonum dicunt, hoc ve-
lut incognitum proferant. Vnde fit vt etiam doctiores se do-
cere audeant, quia videlicet se scire talia solos putant. Cùm
verò ad aliqua consolationis verba descendunt, statim vi-
luisse se æstimant, & per increpationis tumidæ asperitatem
quasi quoddam sibi ingenium reformant: vt qui condescen-
disse blandimentis visi sunt, exorta subitò increpatione ti-
meantur. Vnde & mox Heliu subdidit, dicens:

*Quòd qui hominibus placere volunt, crudelitatem iudicant &
iram, quicquid à doctoribus sanctæ Ecclesiæ zelo agitur
disciplinæ: & dum benigni volunt videri, neminem
censent seueritatis districtione coercendum.*

Caput XXVI.

*NOn te ergo superet ira, vt aliquem opprimas: nec multitudo loco-
rum inclinet te. Depone magnitudinem tuam absque tribulatione,
& omnes robustos fortitudine. Ne protrahas noctem, vt ascendant popu-
li pro eis. Caue ne declines ad iniquitatem. Hanc enim cœpisti sequi post
miseriam.*) In plerisque codicibus, donorum: in paucis verò
sed antiquioribus, locorum inuenimus. Sed quia expositione
non indiget si dicatur, nec multitudo donorum inclinet te:
hoc magis exponi placuit, quod cum difficultate aliquantula
videtur aperiri. Hæc autem quantæ elationis verba sint, ipse
qui ea formauit tumor ostendit. Sed quia Heliu arrogantium,
& beatum Iob tenere typum diximus electorum, si ea subti-
lius discernimus, etiam nunc intra Ecclesiam quomodo arro-
gantibus congruant demonstramus. Sancti viri aliena opera
etiam parua mirantur, sua verò etiam magna despiciunt. At
contrà arrogantes aliena etiam magna despiciunt, sua vel quæ
parua sunt admirantur: & plerunque de suis malis bona æsti-
mant, de alienis autem bonis mala sentire non cessant. Nam
dum propriam gloriam quærunt, perniciosè student vt quic-
quid virtutis ab aliis agitur, iniquitatis nota laceretur, & bo-
næ pondus actionis vertunt in maculam criminis. Sæpe enim
cùm vident ab Ecclesia districtè prauos corrigi, quasi que-
runtur iniustè nocentes affligi, & nitorem disciplinæ eius
commutant appellatione nequitiæ. Vnde Heliu figuram ar-
rogantium seruans, beatum Iob quasi admonens ait: *Non te
ergo superet ira, vt aliquem opprimas.* Arrogantes enim iræ mo- 34.
tum deputant: quicquid à sanctis geritur censura disciplinæ:
Et quia humanæ laudis appetitu benigni student semper ap-
parere, nullos censent districtione seueritatis corrigendos.
Vnde, & à bonis rectoribus sicut superius dictum est, op-
primi æstimant, quos inuitos cernunt à vitiis coërceri.
Authore autem Domino, quia in cuncti mundi partibus
sancta Ecclesia culmine religionis excreuit, hancipsam
temporalem potentiam qua quidem bene vtitur, obtrectan-
do in vitium elationis inflectunt. Vnde Heliu subiungit
dicens:

*Quòd veneratio sanctis viris impensa non debeat illos
in aliquam extollentiam eleuare.*

Caput XXVII.

NEc multitudo locorum inclinet te.) Ac si eidem sanctæ Ecclesiæ humilitatem magis inter prospera conseruanti, arrogantium voce dicatur: Quia vbique fidei reuerentia coleris, caue ne eiusdẽ reuerentiæ fastibus extollaris. Quosdam quippe conspiciunt qui sub religionis obtentu, vitio elationis intumescunt, & quod in quibusdam iure reprehendunt, hoc iniustè ad crimen omnium pertrahunt: nequaquam videlicet perpendentes quòd sit in ea qui & despicientes nouerint perfectè temporalia regere, & amãtes æterna plenis desideriis expectare, & dispensationem potestatis acceptæ peragere, & humilitatis insitæ ministerium custodire: vt nec humilitatis causa curas suscepti regiminis negligant, nec rursum occasione regiminis in eis humilitas intumescat. Et si quidam fortasse intra ipsam sunt, qui non Dei, sed suæ gloriæ sub religionis prætextu deseruiunt, studet tamen eos, aut, si valet, districtè corrigere, aut, si non valet, æquanimiter tolerare: & vel corrigendo illos quasi filios amplectitur, vel tolerando quasi ab hostibus exercetur. Scit nanque quòd per eorum superbiam laceretur vita iustorum, scit quòd in eius crimen extenditur quicquid talium prauitate peccatur: sed notam alieni criminis sustinere tantò minus metuit, quantò & caput suum talia tolerasse cognoscit. De illo quippe scriptum est: Et cum iniquis deputatus est. *Marc. 15.* De illo rursum dicitur: Lãguores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. *Esaiæ. 53.* Eant ergo arrogantes & æstimatione prauorum vitam mordeant innocentum. Scit enim electorum Ecclesia, & illorum facta, & horum verba tolerare, scit prauorum mentes tolerando conuertere: Qui etsi conuerti nequiuerint, eorum tamen ignominiam æquanimiter suffert. Perpendit quippe quia ad duplex eius præmium proficit, quòd ex eorum meritis foris despicitur, quorum & intus vita laceratur. Notandum verò quòd non ait: Nec multitudo locorum extollat te: sed ait: Nec multitudo locorum inclinet te. Omnis enim qui temporaliter extollitur, eoipso quo extollitur inclinatur: quia cum se exterius erigit, intus cadit. Heliu itaque casum cordis in elatione intuens, ait: Nec multitudo locorum inclinet te, ac si voce arrogantium sanctæ Ecclesiæ diceretur: Caue ne si vniuersitatis veneratione extolleris, ab interna intentione curueris. Sequitur:

Quòd arrogantes se solos sapientes & dignos honore æstimant, eos verò qui pro patribus in Ecclesia doctores positi sunt, illudunt & quasi idiotas æstimant. Caput XXVIII.

DEpone magnitudinem tuam absque tribulatione, & omnes robustos fortitudine.) Quos alios sanctæ Ecclesiæ robustos accipimus, nisi eos qui ad vincenda mundi huius desideria & cœptis sublimibus & consummatis profectibus cõualescunt? Magnitudo itaque eius in robustorum suorum vita consistit, quia tunc gloriosior redditur cùm pro defensione veritatis ad mortem vsque ab electis illius constanti virtute certatur. Arrogantes igitur viri subductis de hoc mundo Apostolis, subductis ad superna martyribus: quia fortasse doctiores valentioresque præpositos abundè deesse conspiciunt, quasi solos se remansisse intra Ecclesiam suspicantur. Vnde dum se præferunt, ei velut consulentes illudunt, dicentes: Depone magnitudinem tuam absq; tribulatione, & omnes robustos fortitudine, ac si apertis exprobrationibus dicant: Nequaquam te magnitudinem habere confidas, quia subductis prioribus patribus, iam non habes de quorum vita glorieris. Dicunt hæc profectò, nescientes quia omnipotens Deus Ecclesiam suam digna sine administratione non deserit. Nam cùm fortes ad præmium vocat, eorum vice debiles ad certamina roborat: cùm illos suscipiendo remunerat, istis laborum vires quas remuneret subministrat. *Psalm. 44.* De quibus eidem sanctæ Ecclesiæ dicitur: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram. In virtute quippe antiquorum patrum, hi qui postmodum prælati sunt subrogantur: quia & cùm annosa arbusta succiduntur, in eorum robore tenera virgulta succrescunt. Sed arrogantes viri conualescere non credunt, quos infirmos aliquando nouerant, & permutatos venerari despiciunt, quos despicabiles fuisse meminerunt.

35 Quia verò in ea iustiores paucos, iniquos autem numerosiores aspiciũt, sicut & in tritura frugum maior est multitudo palearum, etiam iustorum vitam ex iniquorum æstimatione contemnunt. Vident profectò quòd nonnulli rectores illius temporali potestate subnixi, eiusdem potestatis elatione pascuntur. Vident quòd religionis reuerentiam quam huic mundo patres moriendo seruerunt, hi exultando in terrenis gaudiis metunt, & perpẽdunt quidem quia robusti sunt, sed non fortitudine. Nam dum temporali potestate fulciuntur, quasi quadam debilitate roborantur. Quantò enim exterius fortes sunt, tantò à cunctis fortitudinis viribus intus inanescunt. Et idcirco ab arrogantibus ei dicitur: Depone robustos fortitudine, ac si apertè dicatur: Illi tibi veraciter robustè inhæserant, qui in te hoc quod docendo locuti sunt, viuendo tenuerunt: nunc verò hi qui tibi præsident, visione robusti sunt, non fortitudine, quia honorabiles quidem se ostentate non desinunt, sed tantò imbecilliores & contemptibiliores sunt, quantò honoris sui gloriam despici pro veritate pertimescũt. Quod arrogantes quidem de plerisque veraciter sentiunt, sed eo in elationis vitium corruunt, quo omnes quos præesse cõspiciunt, tales arbitrantur. Neque enim debet plurimorum malum tendere in æstimationem cunctorum: quia etsi iniqui sunt quos cognoscentes diiudicãt, nonnulli tamen sancti sunt quos ignorant. Trituræ quippe tempus est, & adhuc grana sub paleis latent. Nullus ergo ex area fructus expectabitur, si hoc solum in eo esse creditur quod superficietenus videtur. Igitur quia quos cernunt, despiciunt, & in antiquorum patrum ordinibus hos quos norunt subrogari contemnunt, aptè subiungitur: *Ne protrahas noctem, vt ascendant populi pro eis.*) Ac si apertè arrogantes dicant: Ignorantiæ tuæ obscuritate non agas, vt in loco fortium numerositatem subroges infirmorum. Populi quippe nomine designantnr, qui quasi vulgari consuetudini dediti, in cunctis quæ appetunt, passim viuunt. Noctem verò protrahere est, vt pro robustis populi ascendant, si per negligentiam agitur, vt doctorum & fortium loca indocti ac debiles sortiantur. Populi pro robustis ascendunt, quando hi, qui viuere iniquè didicerunt, pastorum locum percipiunt. Quòd rectè quidem dici poterat, si humiliter diceretur. Arrogantes enim etiam cùm bona admonent, superstitionis suæ vitium exercent. Nam plus, sicut & superius dictum est, increpando ferire appetunt, quàm consolando refouere. Vnde mox subiungitur: *Nec declines ad iniquitatem, hanc enim cœpisti sequi post miseriam.*) Hoc profectò arrogãtes Ecclesiæ miseriam vocant, quòd despectam Deo eius multitudinem suspicantur, & eo illam altiori elatione cõtemnunt, quo & despectam Deo funditùs suspicantur. His igitur figurata expositione transcursis, iam nunc inferẽda sunt quæ moraliter sentiuntur, vt figura Ecclesiæ cognita, quam expressam generaliter credimus, audiamus etiam quid ex verbis in singulis specialiter colligamus.

36 Ait itaque: *Non te ergo superet ira, vt aliquem opprimas.*) Omnis per quem necesse est aliena vitia corrigi, semetipsum prius debet solerter intueri, ne dum aliorum culpas vlciscitur, ipse vlciscendi furore superetur. Plerunq; enim mentem sub obtentu iustitiæ, iræ immanitas vastat, & dum quasi sæuit zelo rectitudinis, rabiem explet furoris, iustéque se facere æstimat, quicquid ira nequiter dictat. Vnde & modum sæpe vlciscendi transgreditur: quia mensura iustitiæ non frenatur. Dignum quippe est, vt cùm aliena corrigimus, prius nostra metiamur, vt prius mens à sua accensione deferueat, prius intra semetipsam zeli sui impetum tranquilla æquitate componat, ne si ad animaduertenda vitia abrupto furore trahimur, peccatum corrigendo peccemus, & qui culpam diiudicando insequimur, immoderatè feriendo sæuiamus. *Quid seruã dum in correptione vitiorum.* Non autem iam correctio delinquentis, sed magis oppresio sequitur, si in vltione ira vltra quàm culpa meretur, extenditur. In correptione quippe vitiorum subesse menti debet iracundia, non præesse: vt executionem iustitiæ non dominando præueniat, sed famulando subsequatur: & notum iudicium possessa impleat, non posidens præcurrat. Bene itaque dicitur: *Non te ergo superet ira, vt aliquem opprimas:*) quia videlicet si is qui corrigere nititur, ira superatur, opprimit antequam corrigat. Nam dum plusquam debet, accenditur, sub iustæ vltionis obtentu, ad immanitatem crudelitatis effrenatur. Quod plerunque idcirco euenit: quia corda rectorum minus amori sunt solius creatoris intenta. Nam dum multa in hac vita appetunt, innumeris cogitationibus disperguntur: & cùm subitò subditorum culpas reperiunt, dignè cum Deo eas iudicare

iudicare nequeunt: quia corda sua in curis transitoriis sparsa, ad discretionis culmen colligere repente nõ possunt. Cõmoti ergo tantò minus ad vlciscenda peccata libram ęquitatis inueniunt, quantò eam tranquillitatis suæ tempore non requirunt. Vnde cùm Heliu diceret: Non te superet ira, vt aliquem opprimas: quatenus easdem causas iniustitiæ, & iræ superantis exprimeret, ilico adiunxit: *Nec multitudo locorum inclinet te.*) In tot quippe locis inclinamur, in quot superuacuis curis extendimur. *Locus mentis.* Nam sicut locus est corporis spatium corporale: ita locus est mentis vnaquæque intentio cogitationis. Quæ dum huc illucque impellitur, si delectatione aliqua cogitationis suæ libenter occupatur, velut in quodum loco ponitur vt requiescat. Nam quoties victi tædio à cogitatione in cogitationem ducimur, quasi fessa mente de loco ad locum migramus. Tot itaque loca culmen mentis inclinant, quot subortæ cogitationes vnitatem bonæ intentionis dissipent. *Causa instabilitatis mentis.* Recta etenim mens staret, si vni cui debuerat cogitationi semper inhæreret. Recta mens staret, si non se innumeris motibus fluxa mutabilitate prosterneret. Sed dum nunc ista pertractat, nunc ad alia labitũr, quasi per locorum multitudinem, à statu suæ rectitudinis inclinatur: & dum per plura se tendit, ab vna cui adhærere debuit, intentione se deiicit. Qui tamen mutabilitatis vsus ex primæ præuaricationis vitio, iam quasi in naturam venit. *Cur anima remoueatur à re cui intendit.* Nam cùm stare animus in semetipso nititur, à semetipso aliquo modo etiam nesciendo deriuatur. Humana nanque anima ab vnaquaque re cui intenditur, fastidio impellente remouetur. Sed dum inhianter cogitanda appetit, & repentè cogitata fastidit, docet quòd aliunde pendet, quæ quolibet posita non requiescit. Ad illum quippe suspensa est à quo formata. Et quia ad Deum solum appetendum facta est, omne autem quod infrà appetit minus est, iure ei non sufficit, quod Deus non est. Hinc est quòd huc illùcque spargitur, & ab vnaquaque re, vt diximus, fastidio impellente remouetur. Delectationis videlicet auida, quærit quo pauset: vnum verò quẽ sufficienter habere poterat, amisit. Vnde nunc per multa ducitur: vt quia qualitate rerum non potest, saltem varietate satietur.

37 *Cautela sanctorum virorum.* Sancti autem viri quia cauta se obseruatione custodiunt, ne ab intentione sua mutabiliter dissoluantur, & quia idem esse appetunt, ad ad cogitationem qua Deum diligunt, se solerter astringunt. In contemplatione namq; creatoris hoc accepturi sunt, vt vna semper mẽtis stabilitate perfruãtur, nulla eos tunc mutabilitas dissipat: quia scilicet eorum cogitatio sibimetipsi semper indissimilis perseuerat. Hoc ergo cum labore nunc conantes imitantur, quod pòst in munere gaudentes accipiunt. Cui se Propheta immutabilitati virtute amoris astrinxerat, cùm dicebat: Vnã petij à domino, hãc requirã, vt inhabitẽ in domo Domini. *Psalm. 26.* Hinc Paulus vnitati intentione adhæserat, dicens: *Philip. 3.* Vnum autem, quæ retrò sunt oblitus, ad ea quæ antè sunt extentus, sequor ad palmam supernæ vocationis Christi. Nam si quid in eorum corde humanitùs diffluit, mox hoc discusio seuera restringit, & cùm quasi pueriliter cogitatio labitur, iuuenili mox coercitione refrenatur. Vnde fit vt sparsam mentem continuò colligant, & in vna quantum præualent cogitatione componant. Quia igitur status mentis cogitationum mutabilitate curuatur, rectè ab Heliu dicitur: Nec multitudo locorũ inclinet te. Sed sæpe dum viri iusti animus in ipsa intentionis suę arce consistit, dum ab omni mutabilitatis se sparsione colligit, dũ quicquid in se superfluè oboritur, premit, ipsa suę rectitudinis gloria tangitur, & in tumore propriæ pręsumptionis eleuatur. Qui enim magna agit, quãuis de se humilia sentiat, scit tamen magna esse quæ agit. Nam si magna esse nescit, ea proculdubio minimè custodit. Quæ dũ custodire negligit, aut in eis minus proficit, aut ea fũditus amittit. Dum ergo bona nostra opera scire necesse est vt custodiamus, ex ipsa eorũ scientia elationis aditus panditur, & ad operãtis cor culpæ manus admittitur, qua vastãte rapiantur. Mira autem dispẽsatione agitur, vt conditor noster subleuatũ prosperis animum subita concuti tentatione permittat: quatenus semetipsum in infirmitate verius videat, & ab eo quem de virtutibus sumpserat, iam seipso melior elationis fastu descẽdat. Vnde & bene nunc subditur: *Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, & omnes robustos fortitudine.*) Robusti quippe sunt motus cordis, cùm nulla nisi quæ virtutis sunt, sentiunt. Sed magnitudinem & robustos motus deponimus, quando pulsante vitio cogimur pensare quid sumus. Robustos motus deponimus, quando iam non de virtute attollimur, sed in culpa consentiendo, obrui de ipsa quam patimur infirmitate formidamus. Multum nanque de se animus confidit, quando sibi ad votum vires suppetere conspicit. Iam sibi fiduciam sanctitatis arrogat, iam se idoneum etiam ad cuncta virtutum culmina quæ sola cogitatione conceperit, putat. Sed cùm hunc tentatio subitò oborta transuerberat, eas quæ natæ de virtutibus fuerant, elatas cogitationes funditùs turbat. Quasi securã quippe vrbem inopinatus hostis ingreditur: & repentino gladio superborum ciuium colla feriuntur. Nihil ergo tunc nisi continuus luctus agitur, dum capta vrbs animi, à magnatorũ suorũ gloria cæde interueniente vacuatur. Vnde nũc dicitur: *Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, & omnes robustos fortitudine.*) ac si apertè diceret: Omne quod intrinsecus de bona actione intumueras, reprime, & cordis motus quos ex recto opere robustos habueras depone: quia iam in ipsa aduersitatis tentatione consideras, quàm frustra prius de te magna elatus æstimabas. Quæ videlicet magnitudo idcirco absque tribulatione deponenda dicitur: quia nimirum cùm per tentationem humilitas proficit, prospera est ipsa aduersitas quæ mentem ab elatione custodit.

38 *Prospera aduersitas.* Sed tamen sine magna tribulatione non agitur, cùm tranquilla mens irruente tentatione quasi repentino hoste turbatur. Ipsa nanque tentationis aduersitas dum se menti inserit, quasdam in illa tenebras gignit, eámque obscuritate suæ amaritudinis turbat, quæ apud se dudum virtutum dulcedine irradiante claruerat. Vnde & aptè subiungitur: *Ne protrahas noctem, vt ascendant populi pro eis.*) Nox quippe protrahitur, cùm suborta de tentatione tristitia consolatione concita non finitur. Nox protrahitur: quia mœror animi confusis cogitationibus elongatur. Nam dum mens posita in tentatione considerat quòd à virtutis suæ pristina solidate repellitur, superductis mœroribus quasi quibusdam tenebris cæcatur, atque ab omni luce gaudij eius oculus clauditur, dum sollicita trepidat, ne hoc quod esse dudum cœperat, funditùs amittat. Vnde & bene dicitur quòd in hac nocte pro robustis populi ascendunt: quia videlicet in hoc mœrore tentationis pro robustis motibus indignæ cogitationes & multiplices in corde prosiliunt. Nam dum se in perturbatione conspicit iam penè amisisse quod fuerat, fluctus in se innumeros tumultúsque coaceruat, modò tranquillitatem suam quia perdidit, dolet: modò ne vsque ad praua opera corruat, pertimescit: modò in quo culmine steterat, meminit: modò in quo vitiorum profundo per delectationem iaceat, attendit: modò ad resumendas vires se reparat: modo se eas posse resumere quasi victus iam fractúsque desperat. Cùm ergò ad supradictam mentem tam multiplices cogitationes prodeunt, hanc quasi in nocte populi consurgentes premunt. Quos nimirum populos nõ per se, sed per diuinæ protectionis auxilium Propheta subigere se posse præsumpserat, cùm dicebat: *Psal. 143.* Protector meus, & in ipso sperabo, subiiciens populos sub me. *Quomodo sanctis mẽtibus populi subiguntur.* Sanctis quippe mentibus populi subiguntur, cùm ab eis per districtæ seueritatis præsentiam, cogitationes stultæ dissiliunt, vt non per abrupta phantasmatum rapiant, sed rationi subditæ, à corde humiliter conquiescant. Quia ergo positus in tentatione animus qui de se in prosperis maiora præsumebat, tumultus spei desperationísque tolerat, rectè nunc dicitur: Ne protrahas noctem, vt ascendant populi pro eis: ac si apertè diceretur: In tentatione deprehensus, citius tenebras mœroris incide, ne qui in tranquillitate de te alta senseras, in perturbatione quoque deterius cogitationum te caligine confundas. Quòd rectè Heliu diceret, si tamen cui diceret, sciret. Nam hæc beato Iob tantò minus congruunt, quantò ab illo omnia altius sciuntur. Quia verò, vt sæpe diximus, arrogantes dum præsumunt docere quos non debent, vsque ad contumeliosa increpationum verba dilabuntur, subditur:

Quòd iniquitatem post miseriam sequitur, qui post correptionem vitium incurrit impatientiæ: & de modo corrigendi arrogantium.
Caput XXIX.

CAue ne declines ad iniquitatem, hanc enim cœpisti sequi post miseriam.) Iniquitatem post miseriã sequitur, qui post mala

quæ pro correctione sustinet, feruenti corde impatientiæ se facibus inflammat. Quod beatum Iob perpetrasse Heliu credidit, qui eum inter flagella positum, liberis effari vocibus audiuit: videlicet nesciens quia omne quod dixit, non hoc de iniquitate impatientiæ, sed de virtute veritatis protulit: quia ab interni iudicis sententia nec cùm se iustificaret, errauit.

Sed considerandum valde est quomodo cùm diceret, ne declines ad iniquitatem, de eadem iniquitate protinus subdidit: *Hanc enim cœpisti sequi post miseriam.*) Quid est hoc, quòd dum ad eam declinare vetat, de ea protinus quasi ad quam declinatum iam fuerit, damnat: nisi quod arrogantes viri plus videri iudices quàm consolatores volunt? Vnde & nonnunquam ea districtis sententiis feriunt, quæ nata in corde suspicantur, & priusquam certa sit culpa delinquentium, profertur muectio districta verborum, & antè per sententiam percutitur, quàm prodeat quod feriatur. Quanuis & iusti viri plerunq; prauis & occultis cogitationibus arguendo obuiant, sed cùm per easdem cogitationes aliqua quæ præeunt opera demonstrant, plerunque ab auditorum suorum cordibus ea vitia quæ necdum prolata sunt, manu correctionis eradicant, sed iam illa subsequi conspiciunt ex aliis quæ præcedunt. Sicut enim corporales medici quasdam ægritudines iam venisse inueniunt, quasdam verò ne veniant medentur: ita doctores sancti aliquando inuenta vulnera saluti restituunt, aliquando verò agunt in mentibus ne vulnerentur. In quibus solerter intuendum est: quia sicut certa plerunque cum asperitate redarguunt, ita incertis vitiis & cum tranquillitate contradicunt, certa ferientes increpant, incerta præmunientes deuitant.

Contra arrogantes. Quam quia arrogantes viri discretionis regulam nesciũt, sententiarum suarum iaculis sicut nota, sic incognita: sicut certa, sic etiam incerta configunt. Vnde nunc ab Heliu dicitur: Caue ne declines ad iniquitatem, hãc enim cœpisti sequi post miseriam. Quia verò ea quæ subnexa sunt, longiori allegatione protrahuntur, istum libellum hoc fine constringimus, ne immoderatius extendamus.

Libri vigesimisexti Moralium sancti Gregorij finis.

B. GREGORII EXPOSITIONIS MORALIS IN IOB, LIBER VIGESIMVS-SEPTIMVS.

Quòd multi prophetiæ spiritum acccipiunt, sed tamen ad sanctitatis meritum non attingunt.

Caput I.

QVISQVIS de magnis dictis arrogantium sumere scientiam nititur, prouidere solerter debet, ne hoc quòd eorum scientia altum tumet, imitetur: ne cum virtutum flore, morum vitia colligat, & in eo quòd loquendi notitiam assequitur, viuendi se imperitia transfigat. Hos nãque cùm fortia dicere audimus, sed tamen de dictis fortibus tumere conspicimus, quasi doctrinæ hortum ingressi, de spinis rosas attingimus. Discreta ergo nobis solicitudine opus est: & capere quòd redolet, & cauere quod pungit: ne si fortasse improuidè dictorum flos legitur, incautis legẽtib' manus morum spina laceretur. Heliu itaque doctus & arrogans, profert aliquando quod redoleat, aliquando quod pungat. Sic igitur sumendum est de eius doctrina quod fragrat: vt tamen sollicitè cauendum sit de elatione quod vulnerat. Qui multa quidem superius moraliter intulit, sed in verbis sequentibus ad sola se prophetiæ arcana sustulit. Ima enim moralitatis de-
1.Reg.10. serit, & ad prophetiæ summa conscendit. Nec mirandum quòd vir arrogans impleri prophetico spiritu potuit, cùm Saul
Nume.22. etiam in numero prophetarum fuit. Sed hoc de Saule cur dicimus, cùm ex visione Angeli accepisse verba rationabilia & asinam nouerimus? Sed sicut irrationale animal rationis verba edidit, nec tamen ad permutationem naturæ rationalis accessit: ita sæpe quilibet indignus sancta verba per prophetiæ spiritum accipit, sed tamen ad promerendam sanctitatis gloriam non pertingit, vt supra se loquendo emineat, & infra se viuendo torpescat. Vnde nunc Heliu redemptoris nostri aduentum humilem non humilis conspicit, & eum prophetando prædicat, quem elatis moribus impugnat, dicens: *Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis in legislatoribus.*) Ac si apertè dicat. Qui humilis videbitur in infirmitate, excelsus manet in fortitudine,, Paulo hoc etiam attestante, qui ait: Quia & si crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei. De quo rectè subiungitur: *Nullus ei similis in legis-* 2.Corin.14.
latoribus.) Legislator Moyses, legislator Iosue, legislatores etiam Prophetæ: legislatores cunctos dicere possumus, quos ex lege admonuisse recta populũ scimus. Sed hunc mediatori in legislatoribus similis nullus est: quia isti gratuitò vocati ex peccatis ad innocẽtiam redeunt, & ab his quæ intra semetipsos experti sunt, prædicando alios reducunt. Redemptor autem noster homo sine peccato est, filius sine adoptione: nec perpetrauit vnquam quod redarguit, & sic mundo ex humanitate loquitur, vt tamen eidem mundo ante secula ex diuinitate dominetur. Hunc mediatorem Dei & hominum quidam legislatoribus similem fuisse crediderũt. Nam requirenti quem dicunt homines esse filium hominis, responderunt discipuli dicentes: Alij Ioannem Baptistam, alij Heliam, a- Matth.16.
lij Hieremiam, aut vnum ex Prophetis. Sed nimirum Petrus quàm excelsus in fortitudine esset, apparuit, cùm eum veraciter intuens, à legislatorum æqualitate discreuit, dicens: Tu es Christus filius Dei viui. Vnde rectè de illo sponsa in Canti.3.
Canticis canticorum dicit: In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni. Et paulopòst: Inuenerunt me vigiles qui custodiunt ciuitatem. De quibus rursum dicit: Vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum. Quos iterum percunctatur, dicens: Num quem diligit anima mea vidistis? Paululum cùm pertransissem eos inueni quem diligit anima mea. Dilectus nanque per noctes in lectulo quæritur: quia intra secreta cordis cubilia in tribulatione spiritus desideratur. Quem tamen quærens sponsa non inuenit: quia electa quæque anima quidem amoris eius facibus fragrat, sed adhuc quæsiti negatur species, vt amantis desiderium crescat, & quasi in siti aqua subtrahitur, vt eiusdem sitis æstus augeatur, & quò hanc diutius sitiens desiderat, eò quandoque cùm inuenerit, auidius sumat. Sed hanc quærentem vigiles inueniunt, eámque vulnerant, & eius pallium tollunt: quia vnamquamque animam redemptoris sui iam speciem requirentem, cùm soliciti doctores inueniunt, hanc per prædicationis verbum cœlestis amoris spiculis vulnerant, & si quod ei adhuc de vetusta conuersatione tegmen inest, subtrahunt, vt quo exuta ab huius mundi onere redditur, eo is qui quæritur, ab illa citius inueniatur. Bene autem subditur: Paululum cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima me: quia visionis eius mens auida, nisi prophetarum æstimationem, nisi patriarcharum celsitudinem, nisi cunctorum hominum mensuram transcenderet, eum, qui est super homines non inueniret. Transire ergo est vigiles, etiam eos quos miratur, in eius comparatione postponere. Et tunc is qui quærebatur, cernitur, si homo quidem, sed tamen extra mensuras hominum credatur. Vnde bene nunc dicitur: *Nullus ei similis in legislatoribus.*) Sed is videlicet per infirmitatem carnis, nostris obtutibus apparens, dum alios reprobat, alios vocat, mira iudicia exhibuit: quæ à nobis & cogitari possint, & comprehendi non possint. Ait nanque: In iudicium ego in hunc Ioan. 9.
mundum veni, vt qui non vident, videant: & qui vident, cæ- Matth.11.
ci fiant. Et rursum: Confiteor tibi Domine pater cœli & terræ: quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. In quibus nimirum iudiciis Iudæa repellitur, Gentilitas aggregatur. Quod videlicet factum mirari possumus, sed perscrutari nullatenus valemus. Vnde & bene nunc ab Heliu subditur: *Quis poterit scrutari vias eius, aut quis audet ei dicere, operatus es iniquitatem?*) Ac si dicat, Cuius perscrutari actio non potest, quo pacto reprehendi potest? Nemo enim bene iudicat quod ignorat. Tãtò ergo debemus sub eius iudiciis silendo quiescere, quantò & rationem iudiciorum illius nos cernimus non videre. Vnde & bene subditur:

Quòd nostra

Quòd nostræ scientiæ mensuram Christi opera excedant.

Caput II.

2. M*Emento quòd ignoras opus eius, de quo cecinerunt viri.*) In scriptura sacra aliquando viri angeli, aliquando autem perfectæ vitæ homines memorantur. Nam quia aliquando
Danie.6. vir angelus dicitur, Daniel propheta testatur, dicens: Ecce vir Gabriel. Rursum quia virorum nomine perfectæ vitæ ho
Prouer.8. mines exprimuntur, in prouerbiis sapientia loquitur dicens: O viri, ad vos clamito. De Domino igitur viri canũt, cũ eius nobis potẽtiam, vel superni spiritus, vel perfecti quique doctores innotescunt. Sed tamẽ opus eius ignoratur: quia nimirum iudicia illius ipsi etiam, qui hunc prædicãt, impenetrata
Iudicia dei incõprehensibilia sunt. venerantur. Et sciunt ergo quẽ prædicant, & tamen eius opera ignorant: quia cognoscunt per gratiã eum à quo facti sunt, sed eius iudicia comprehendere nequeunt, quæ ab illo etiã
Psalm.17. superipsos fiunt. Quod enim omnipotẽs Deus perspicuè in
Psalm.35. sua actione nõ cernitur, Psalmista testatur, dicens: Qui posuit tenebras latibulum suum. Et rursum: Iudicia tua abyssus multa. Atq; iterum: Abyssus sicut pallium amictus eius. Vnde be-
Eccle.11. ne etiã per Salomonem dicitur: Sicut ignoras quæ sit via spiritus, & qua ratione cõpingantur ossa in ventre prægnantis, sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium. Vt enim vnũ è multis loquar, duo ad hanc lucem paruuli veniunt, sed vni datur vt ad redemptionem per baptisma redeat, alter antè subtrahitur, quàm hunc regenerans vnda perfundat. Et sæpe fidelium filius sine fide rapitur, sæpe infidelium concesso fidei sacramento renouatur. Sed fortasse aliquis dicat, quòd hunc Deus acturum prauè etiam post baptisma nouerat, & idcirco eum ad baptismatis gratiam non perducat. Quod si ita est, peccata quorundam proculdubiò priusquam sint perpetrata, puniuntur. Et quis ista rectè sentiens dixerit: quia omnipotens Deus qui alios à perpetratis facinoribus liberat, hæc in aliis etiam non perpetrata condemnat? Occulta itaque sunt eius iudicia: & quanta obscuritate nequeunt conspici, tanta debent humilitate venerari. Dicat ergo: *Memento quòd ignoras opus eius, de quo cecinerunt viri.*) ac si apertè diceret: De quo fortes quique locuti sunt, eius opera tuæ mentis oculis abscondũtur: quia mensuram tuæ notitiæ eo ipso quo humanitate circunscriberis, transeunt. Sequitur:

Quòd Deum quidem esse scimus, quod maius est: & eius iudicia ignoramus, quod minus est. *Caput III.*

O*Mnes homines vident eum, & vnusquisque intuetur procul.*) Omnis homo eo ipso quo rationalis est cõditus, debet ex ratione colligere eum qui se condidit Deum esse. Quem nimirum iam videre, est dominationem illius ratiocinando conspicere. Cùm verò dictum sit: Omnes homines vident eum, rectè subiungitur. Vnusquisque intuetur procul. Procul quippe eum intueri, est non iam illum per speciem cernere, sed adhuc ex sola operum suorum admiratione pensare. Procul illum hîc etiam electi conspiciunt: quia necdum claritatem illius per acumen intimæ visionis apprehendunt. Cui etsi iam per amorem iuxtà sunt, adhuc tamen ab illo terrenæ inhabitationis pondere disiungitur: & quanuis & bene viuendo inhæreant, à contemplationis eius specie longè se esse suspirant. Quem nimirum reprobi etiam cùm ad iudicium venientem viderint, procul intuentur: quia non eum in diuinitatis forma, sed in sola qua & comprehendi potuit humanitate conspiciunt: quia videlicet eorum oculos reducta tunc ad memoriam sua malè gesta reuerberant, & dum eius humanitatem vident, cuius diuinitatis claritatem non vident, miro modo ab eius visione quem conspiciunt, longè
3. fiunt. Sed dicitur: Memẽto quòd ignores opus eius ac deinde subiungitur: Omnes homines vident eum, quem sicut diximus, videre, est transcendentẽ omnia eius essentiam ex ratione colligere, valde mirãdũ est quòd & ipsum cernimus, & eius opus ignoramus. Dubij quippe de eius essentia nõ sumus, & tamen in eius iudiciis incerti remanemus. Patet nobis quod summum est, abscõditur, quod minimũ. Minus quippe sunt eius opera quàm ipse, & agentẽ cernimus, sed in actione caligamus: quia videlicet cur quid fiat incertũ est, sed quis sit qui hęc incerta faciat, incertum non est. Dicat ergo: Memẽto quòd ignores opus eius de quo ceciderunt viri, omnes homines videt eum: vnusquisque intuetur procul: quia eum cuius iudicia minimè comprehendimus, esse per rationem videmus: quem tantò adhuc procul cernimus, quantò ab eius fortitudine nubilo infirmitatis nostræ separamur. Sequitur:

Quòd infirmum Christi secundum carnem fortius est hominibus: nec in hac humana natura aliquis ei, vel in patribus, vel prophetis possit æquari. *Caput IIII.*

E*Cce Deus magnus vincens scientiam nostram.*) Superius dixerat: Ecce Deus excelsus, nunc iterũ dicit: Ecce Deus magnus. Quid est quod de Deo loquẽs, ecce dicit, & ecce repetit, nisi quòd ecce dicimus de ea re quam in præsenti monstramus? & quia Deus vbique præsens est, cùm de illo ecce dicitur: etiam non videntibus adesse memoratur. Bene autem eum vincere scientiam nostram narrat, quem videri ab omnibus dixerat: quia & sic ex ratione conspicitur, vt magnitudo tamen illius nulla nostri sensus subtilitate penetretur. Quicquid nanque de claritate eius magnitudinis scimus, infra ipsum est: & tantò ab eius scientia longè repellimur, quantò eius potentiam nos
B comprehendisse suspicamur. Nam quanuis in altum mens nostra rapiatur, eius tamen magnitudinis immensitate trãscenditur. Cuius tunc aliquid quasi ex parte cognoscimus, quando eum nos dignè cognoscere non posse sentimus. Sequitur: *Numerus annorum eius inæstimabilis.*) Dicere vtcunque æternitatem voluit, & ipsam ęternitatis longitudinem annos vocauit. Cùm enim breuitatem temporis dilatare volumus, momẽta per horas, horas per dies, dies per menses, mẽses autem per annos extendimus. Quia ergo peramplum quiddam dicere voluit, sed quid diceret, latius non inuenit: ideo annos sine æstimatione numeri multiplicauit, dicens: *Numerus annorum eius inæstimabilis:*) vt dum ea quæ apud se sunt prolixa multiplicat, æternitatis longitudinem se metiri non posse infirmitas humana cognoscat. Tende itaque oculum in æternitatẽ, vt videas Deũ, vel quando est à principio, vel quousque: & nusquam finis superior, quia esse non incipit: nusquam finis inferior, quia esse non desinit. Intra ipsum omnia coangustantur, ipse verò circa omnia sine spatio extẽditur, sine loco dilatatur. Ecce cun-
C cta quæ facta sunt, eaipsa circunscriptione qua creata sunt, superiori & inferiori fine cinguntur. Lege enim sua qua antè esse incipiunt, festinant non esse. Sed quædam mirabiliter acceperunt, vt quanuis ea finis superior inchoat, finis tamen inferior non constringat, & licet esse incipiant, esse in perpetuum non desistant. Horum verò æternitas idcirco summę est ęternitati dissimilis: quia æterna esse cœperunt. Cùm ad extrema prospicimus, horum finem qui omnino deest, non comprehendimus: eorum tamen initia cernimus, cùm mentem retrò reuocamus, & dum in eis infra suprãque animum ducimus, non capimus omnino quousque sunt, sed videmus ex quo. Deus autem quia quasi quiddam in eo per æternitatem longum est, quod nec initio oritur, nec fine terminatur, nec ex quo in semetipso recipit, nec quousque, dicatur ergo: *Numerus annorum eius inæstimabilis.*) Per hoc ergo quòd annorum illius numerus dicitur, diutinũ eius ostenditur. Per hoc verò quod inæstimabilis memoratur, hoc ipsum esse infinitum, & incom-
D prehensibile demonstratur. Sed quia humanis mentibus innotescat, agnouimus, dum omnes homines vident eum, & quia eius magnitudinem admirantur cernimus, dum annorum eius numerus inæstimabilis habetur: rẽstat iam vt etiam quid agat, audiamus. Sequitur:

Quòd ablatis prophetis, & veteris testamenti authoribus, Ecclesiastica doctrina multiplicater exponens, quod illi sub breuitate locuti sunt, quasi ex guttis gurgites fecit.

Caput V.

Q*Vi auferet stellas pluuiæ, & effundit imbres ad instar gurgitum.*) 4.
Duo in hac vita sunt genera iustorum. Vnum videlicet bene viuentium, sed nulla docentium: aliud verò rectè viuentium, & eadem recta docentium: sicut & in cœli facie aliæ stellæ prodeunt quas nullæ pluuiæ subsequuntur, aliæ prodeunt, quæ arentem terram magnis imbribus infundunt. Igitur quoties in sancta Ecclesia rectè quidam viuunt, sed tamen prædicare eandem rectitudinem nesciunt, stellæ quidem sunt, sed in siccitate aẽris natæ, quia per exemplum bene viuendi lucere cæteris possunt, sed per prædicationis verbum pluere nequeunt. Cùm verò in ea quidam & rectè

viuunt,& aliis eandem rectitudinem verbis prędicationis in fluunt, quasi ad proferendas pluuias in cœlum stellæ producuntur,quæ sic vitę suę meritis luceãt,vt etiã sermone prædicationis pluãt. An nõ in hoc cœlo astrum pluuię Moyses extitit,qui cùm de supernis emicuit,corda peccantium quasi arentem inferius terram sanctę exhortationis pluuia ad vbertatem germinis infudit? An nõ Esaias astrum pluuię ostensus est,qui in eo quòd lucẽ veritatis præuidens tenuit,ficcitatem infidelium prophetãdo annuntiãs rigauit? An non Hieremias & prophetę cæteri velut in cœlo positi astra pluuiæ fuerunt, qui in prædicationis culmine erecti, dum prauitatem peccãtium liberè increpare ausi sunt,quasi verborum guttis obcæcationis humanæ puluerem rigando presserunt? Quorum videlicet animas ab hac corruptibili carne susceptas, quia ex præsenti vita superna iudicia auferũt, quasi à cœli facie stellæ pluuię subtrahuntur,& ad occultũ astra redeũt,dum peractis suis cursibus sanctorum animæ in thesauris dispositionis intimæ reconduntur. Sed quia terra arescret,si subductis stellis pluuiæ superna funditùs fluenta cessarent, rectè dicitur: *Qui auferet stellas pluuiæ,& effundit imbres ad instar gurgitum.*) Nã cùm prophetas abstulit, eorũ vice Dominus Apostolos misit,qui in similitudinem gurgitum pluerent, postquàm subductis antiquis patribus exteriora legis prædicamẽta tacuissent. Stellas ergo pluuiæ abscondit,& ad instar gurgitum imbres fudit: quia dum prædicatores legis ad secreta & intima retulit,per dicta sequentium vberior vis prædicationis emanauit. Possunt quoque per stellas pluuiæ, sancti Apostoli
5. designari,de quibus Iudææ reprobatæ per Hieremiam dicitur:
Hierc.3. Prohibitæ sunt stellæ pluuiarum, & serotinus imber non fuit. Stellas ergo pluuiæ Dominus abstraxit, atque ad instar gurgitum imbres fudit, quia cùm de Iudæa prædicantes Apostolos abstulit, doctrina nouæ gratiæ mundum rigauit. Quod vtrunque factũ in Ecclesia potest nõ incõueniẽter intelligi: quia cùm solutis corporibus ad secretos supernorum sinus Apostolorum animas retulit, quasi à cœli facie stellas pluuiæ abscondit. Sed ablatis stellis pluuiæ, in amorem gurgitum imbres dedit: quia etiam reductis ad superna Apostolis,per expositorum sequentium linguas,diuinę fluenta sciẽtiæ diu abscõdita largiori effusione pateſcãt. Nã quod illi sub breuitate locuti sunt, hoc exponẽdo isti multipliciter auxerunt. Vnde & non immeritò ipsa expositorũ prędicatio gurgitibus comparatur: quia dum multorũ præcedentium dicta colligunt,ipsi in eo quod astruunt, profundius dilatãtur. Nã dum testimonia testimoniis iungunt,quasi ex guttis gurgites faciunt. Quorũ verbis dum quotidie gentilitas docetur, quia peccatorum mens cœlestem scientiam accipit, quasi stans in terra aqua gurgites ostẽdit. Sed nequaquam se eisdem Apostolis expositores in scientia præferant, cùm exponendo latius loquuntur. Meminisse quippe incessanter debent, per quos eiusdem scientiæ inuẽtiones acceperunt. Vnde & aptè subiungitur: *Qui de nubibus stillãt.*) Hi quippe de nubibus gurgites fluunt: quia si ex sanctis Apostolis vis intelligentiæ nõ incipẽret, nequaquam per doctorum ora largior manaret. In scriptura enim sacra aliquando per nubes mobiles quique
Eccle.11. homines,aliquando prophetę,aliquãdo autem Apostoli designantur. Per nubes quippe mobilitas humanæ mentis exprimitur,sicut Salomon ait: Qui ventum obseruat,non seminat: & qui considerat nubes, nunquam metit. Ventum proculdubio immundum spiritum, nubes verò subiectos ei homines appellat, quos toties huc illúcque impellit & reuocat, quoties tentationes eius in eorum cordibus suggestionum flatibus alternat. Qui igitur ventum obseruat, non seminat: quia qui tentationes venturas metuit, cor ad bona opera non proponit. Et considerat nubes,non metit: quia is qui ante humanæ mutabilitatis terrorem trepidat,mercedis æternę retributione se priuat. Per nubes prophetæ figurantur, sicut
Psalm.17. per Psalmistam dicitur: Tenebrosa aqua in nubibus aëris,id
6. est,occulta scientia in prophetis. Per nubes quoque Apostoli designantur, sicut per Esaiam dicitur: Mandabo nu-
Esaiæ 5. bibus,ne pluant super eam imbrem. Ipsi igitur stellæ,quia vitæ meritis lucent: ipsi nubes, quia arentem nostri pectoris terram cœlestis intelligentiæ fluentis rigant. Si enim nubes non essent, nequaquam eos intuens Propheta dixisset: Qui

E sunt isti qui vt nubes volant? Imbrium itaque gurgites de *Esaia 60.*
nubibus fluunt: quia profundæ prædicationes sequentium, intelligentiæ originem à sanctis Apostolis acceperunt. De quibus adhuc nubibus aptè subiungitur: *Quæ prætexunt cuncta desuper.*) Nubes cum desuper aërem prætexunt, si in cœlum oculos attollimus, non cœlum, sed ipsas intuemur, nec visus nostER æthereas plagas penetrat: quia ei illas ipsa sua infirmitas occultat, & cùm de cœlo sol rutilat, prius interfuso aëre pascitur, vt pòst in cœlo Solis radios contẽpletur. Quia ergo carnales homines sumus,cùm superna appetere nitimur,quasi in cœlum oculos leuamus,& velut in cœlum aciem intendimus: quia presi vsu rerum corporalium, docere spiritalia conamur. Sed quia transire intellectus noster ad diuina non finitur,nisi prius per sanctorum præcedentium exempla formetur,quasi iam cœlum noster oculus suspicit,sed nubes videt: quia comprehendere ea quæ Dei sunt, appetit, sed vix mirari ea quæ hominibus collata sunt, potest. Vnde & aliãs
F dicitur: Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. Qui e- *Psalm.75.*
nim Orientem Solem contemplari non valet, irradiatos montes aspicit: & quia sol ortus sit, deprehendit. Ex æternis ergo montibus nos Deus illũminat: quia per admiratam vitam patrum præcedentium, radio nos suæ claritatis illustrat. Ecce in studio deuotionis dominicæ & charitatis accendimur, sed in hac deuotione atque charitate melius harum nubium contemplatione formamur. Quid enim deu- *Matth. 14.*
otius Petro? quid charius Ioanne? Ille per deuotionem fluida *Ioan.13.*
maris dorsa calcare non timuit, iste per amorem in ipso authoris nostri pectore requieuit, & qui ad corporalis cœnæ refectionem venerat, spiritale pabulum de sinu redemptoris sumpsit. Sed quia signari per nubes etiam prophetas 7.
diximus, necesse est, vt adhuc ad medium superiorum patrum exempla deducamus. Ecce cùm præceptis cœlestibus subdi per obedientiam cupimus, consideratis antiquorum patrum vestigiis iuuamur. Quid enim Abraham obe- *Gene. 12.*
dientius, qui ad vnam vocem dominicam cognatos ac pa-
G triam deserit: & pro adipiscenda æterna hæreditate ipsum ferire non trepidat, quem senex iam & penè moriturus acceperat hæredem? Cùm patientiæ virtutem apprehendere conamur, præcedentium exempla conspicimus. Quid enim I- *Gene.22.*
saac patientius, qui ligna portat, de holocausto interrogat, atque post paululum ligatur, & nõ loquitur, aræ superponitur, & non reluctatur? Quid ergo isto viro dici patientius potest? qui quasi ad solatium ducitur, & requirit, ad feriendum ligatur & conticescit, & oblaturus holocaustum interrogat, offerendus in holocaustum tacet. Cùm accingi ad laborum tolerantiam nitimur, exemplis præcedentium informamur. Quid enim Iacob laboriosius, qui apud Laban tam longo *Gene.26.*
tẽpore propinquus iure cognationis, opera exercuit seruitutis, & vice obsecutus est famuli, vt perfrueretur præmiis hæredis? Cùm arcem continentiæ & castitatis ascendere nitimur, exemplis præcedẽtium subleuamur. Quid enim Ioseph *Gene.39.*
castius, qui ad desiderium petulantis dominæ iugo luxuriæ premi non potuit etiam captiuus? Et quidem hominibus
H extitit seruus, sed contra dominantem nequitiam, & in seruitio liber fuit. Cùm mansuetudine repleri concupiscimus, præcedentium exemplis adiuuamur. Quid enim Moyse *Exod.32.*
mansuetius, qui commissi sibi populi seditionem tolerat, & tamen irascentem Dominum pro eisdem suis persecutoribus rogat, séque pro illis diuino furori obiicit: quia in sancto eius pectore etiam ex persecutione charitas ignescit? Cùm contra aduersa mundi firmare mentem per constantiam nitimur, præcedentium consideratione fulcimur. Quid enim *Iosue 10.*
Iosue constantius, qui ad explorandam gentium qualitatem missus, nec proceritatis magnitudinẽ, nec numerositatis multitudinẽ expauit? Vnde & easdem gentes quas explorãdo nõ timuit, etiam pręliando prostrauit. Cùm benignitatis culmẽ apprehendere conamur, præcedentium exemplis instruimur. Quid enim Samuele benignius, qui de principatu regendi *Samuel.*
populi deiectus, successorem sibi humiliter requirit, inuentúmque vngit in regem, vnctum mox tolerat persecutorẽ? A quo ne moriatur, trepidat: & tamen ne ei Dominus irascatur rogat. Ipse quippe cũ mitteretur, ait: Audiet Saul, & interficiet me. Et ei per semetipsam veritas dicit: Quousq; tu luges

Saulem,

Saulem, cùm ego abiecerim eum? Quid ergo isto viro beni-
A gnius dici potest, qui & hunc non vult diuinitùs percuti, à quo formidat occidi? Cùm ad pietatis atque humilitatis celsi-
1.Reg 16. tudinem tendimus, præcedentium exemplis leuamur. Quid enim Dauid misericordius, quid humilius dici potest, qui à rege reprobo pro victoriis contumelias recipit, qui de manu hostili Israëliticam gentem fortis eripuit: & tamen ipse ne moriatur, quasi debilis fugit? Qui & se electum diuino iudicio,& persecutorem suum reprobum agnoscit, & tamen eidem persecutori suo crebræ satisfactionis humilitate se subiicit, qui persecutoris lanceam tollit, oram chlamydis detruncat, atque ad cacumen montis protinus properat, & vno eodémque tempore quia occidendi potestatem habuerit, ostẽtat, & ne occidatur, rogat. Quia ergo in cunctis quæ spiritaliter peptimus, exemplis præcedentibus informamur, bene de his nubibus dicitur: *Quæ prætexunt cuncta desuper.*) More enim nubium extensa super nos patrum vita tegimur, vt ad fructum fœcundi germinis infundamur. Et quasi intuentes cœlum prius nubes aspicimus: quia antè bonorum facta admirando cernimus, & pòst illa quæ sunt cœlestia experiendo penetramus. Sed quia nequaquam harum nubium, id est, antiquorum patrum vita nobis virtúsque pateſceret, nisi eam nubes aliæ, id est, sancti Apostoli lumine suæ prædicationis aperirent, ad has nubes quæ prædicando mundum circumeunt, sermo redeat, & quid per illas Dominus in mundo egerit, ostendat. Sequitur.

Quòd diffusis per orbem prædicatoribus, mansio præparata est Deo in credentium cordibus, & clarescentibus miraculis, vsque ad terminos mundi nomen Christi peruenit. Caput VI.

S*I voluit extendere nubes quasi tentorium suum, & fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque mortis operiet.*) Extendit nubes Dominus, dum ministris suis viam prædicationis aperiens, os in mundi latitudinem circunquaque diffundit. Bene autem dictum est: *Quasi tentorium suum.*) Tentorium quippe in
Mala.3. itinere poni solet. Et cùm prędicatores sancti in mundo mit-
C tuntur, iter Deo faciunt. Vnde scriptum est? Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam
Psalm. 67. ante te. Et vnde rursum per Psalmistam dicitur: Iter facite ei
Ibidem. qui ascendit super occasum. Et rursum: Deus cùm egrederis coram populo tuo, dum transgredieris per desertum, terra mota est. Deus enim qui per semetipsum non localiter vbicunque est, per prędicatores suos in mundi partes localiter ambulat. Vnde etiam per Prophetam dicitur: Et in ambulabo in eis. Iter quippe per eos agit, dum humanis cordibus eorum se eloquio infundit. Atq; in hoc itinere tentoria Dei sunt hęc eadem corda sanctorum, quibus quasi in via quiescendo tegitur, dum per hæc ad mentes hominum veniens agit quæ di-
8. spoſuit, & non videtur. Hinc est quòd simul omnis synagoga tentorium vocatur, cùm cessasse à prædicatione sacer-
Hiere.10. dotes Dominus per Hieremiam queritur, dicẽs: Non est qui extendat vltra tentorium meum, & erigat pelles meas. Hinc
Thren.2. rursum de exterminatione eius dicitur: Dissipauit quasi hortum tentoriũ suum, demolitus est tabernaculum suum. Quia
D enim in vnius populi cultu tunc Dominus inter homines latuit, eundem sibi populum tentorium vocauit. Vnde & rectè nunc nubes istæ eius tentoriũ dicũtur: quia ad nos Deus per
Acto.14. gratiam veniens, intra prędicatorum suorum mẽtes operitur. An Paulus eius tentorium non erat, cùm ab Hierusalem per circuitum vsque ad Illyricũ ad corda mortalium veniens, in eius mente Dominus quiescebat? Nubes quippe erat hominibus, tentorium Deo: quia quem prædicando infundebat audientibus, hunc inuisibiliter in mente retinebat. Idem rursus
Acto.19. dum catenis vinctus Romã peteret Paulus occupaturus mũdum, latens in eius pectore quasi sub tentorio ibat Deus: quia & occultus videri non poterat, & per verba prædicationis
Per totam Exodum. proditus, iter inchoatæ gratiæ sine cessatione peragebat. Nubes eius Moyses extitit, cùm priusquam plebi Israëliticæ ducatum præberet, quadraginta annis in deserto permanens, & sublimia appetens, à conuersatione populi segregatus vixit. Sed tentorium Dei factus est, cùm ad reuocandum populum in Aegyptum missus ibat, portans inuisibilem in corde veritatem, cùm omnipotens Deus qui pateſcebat in opere, la-

tebat in corde. Et vbique præsens omnia continẽs, iter in suo
famulo in Aegyptum veniens faciebat. Vnde scriptũ est: Iuit *Exod.15.*
Deus in Aegyptũ vt redimeret sibi populũ. Ecce ire dicitur per cuius incircunscriptam præsentiam cuncta continentur: quia is qui vbique ex maiestate est, quasi in via gressus ponit ex prædicatione. Sed eisdẽ sanctis prædicatoribus nequaquã ad persuadendum verba sufficiunt, nisi etiam miracula addãtur. Vnde cùm dictum sit: Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, rectè subiungitur: *Et fulgurare lumine suo desuper.*) Quid enim sentire fulgura nisi miracula debemus? de qui-
bus per Psalmistam dicitur: Fulgura multiplicabis, & contur- *Psal.143.*
babis eos. Per has ergo nubes lumine suo desuper fulgurat: quia per prædicatores sanctos insensibilitatis nostræ tenebras etiam miraculis illustrat. Cumque nubes istæ verbis pluunt, cúmque miraculis vim coruscæ lucis aperiunt, extremos etiã mundi terminos in diuino amore conuertũt. Vndę rectè subditur: *Cardines quoque maris operiet.*) Quod faciendum quidem
B Heliu vocibus audiuimus, sed authore Deo iam factũ cernimus. Omnipotens enim Dominus coruscãtibus nubibus cardines maris operuit: quia emicantibus prædicatorum miraculis ad fidem etiam terminos mundi perduxit. Ecce enim penè cunctarũ iam gentium corda penetrauit: ecce in vna fide Orientis limitẽ Occidentísque cõiunxit: ecce lingua Britanniæ, *Britannia*
quæ nil aliud nouerat quàm barbarum frẽdere, iam dudum in *ad fidem*
diuinis laudibus Hebraũ cœpit halleluia resonare. Ecce quõ- *conuersa.*
dam tumidus iam substratus sanctorum pedibus seruit Oceanus, eiúsque barbaros motus quos terreni principes edomare ferro nequiuerant, hos pro diuina formidine sacerdotum ora simplicibus verbis ligant: & qui cateruas pugnantiũ infidelis nequaquam metuerat, iam nunc fidelis humilium linguas timet. Quia enim perceptis cœlestibus verbis, clarescentibus quoque miraculis, virtus ei diuinæ cognitionis infunditur, eiusdem diuinitatis terrore refrenatur, vt praua agere metuat, ac totis desideriis ad æternitatis gratiam peruenire concupiscat. Vnde híc quoque conuenienter adiungitur: *Per hæc enim*
C *iudicat populos, & dat escas multis mortalibus.*) Per hæc nimirum verba prædicatorum, id est, guttas nubium, per hæc fulgura miraculorum Deus populos iudicat: quia eorum corda territa ad pœnitentiam vocat. Nam dum superna audiunt, dum mira opera attendunt, mox ad corda sua redeunt, & se de anteactis prauitatibus affligentes, æterna tormenta pertimescũt. Sed per easdem nubes per quas terror infligitur, etiam esca datur: quia magna prædicatorum dispensatio est, vt sic sciant superbientium mentes affligere, vt etiam afflictas nouerint cõsolationis eloquio nutrire: quatenus & peccantes de æternis suppliciis terreant, & pœnitentes de superni regni gaudiis pascant. Vnde bene ipse dispensationis ordo seruatus est, vt ordinatè Heliu diceret quòd per has nubes prius iudicat populos, & postmodum escas præbet: quia nimirum omnipotens Deus per prædicatores suos prius nos de praua actione corripiens concutit, & postmodum per spem consolans nutrit. Si enim diuina dispensatio per has nubes iudicium modò non ageret, nequaquam eisdẽ nubibus dixisset: Accipite spiritum *Ioan.20.*
sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quo-
D rum retinueritis, retenta sunt. Et rursum, si per eas ieiuna nostra corda non pascerẽt, nequaquam de esurientibus populis discipulis Dominus diceret: Date illis vos manducare. Quod *Matth.14.*
sic tunc eorum manibus factum credimus, vt hoc eorum verbis quotidie fieri sine cessatione videamus. Quid enim agit Petrus, cùm per epistolas loquitur, nisi vt verbi pabulo corda nostra malè ieiuna satientur? Quid Paulus, quid Ioannes per epistolas loquentes operantur, nisi vt mentes nostræ cœlestia alimenta percipiant, & inediæ suæ fastidium quo moriebantur, vincant? Dicatur ergo: *Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, & fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet. Per hæc enim iudicat populos, & dat escas multis mortalibus.*) ac si apertè diceret: Si sanctos suos in ministerio prædicationis extendit, eorumque verba miraculis adiuuat, totius mundi limites ad fidem vocat, per quæ & prius superbientes iudicat, & pòst per verbũ consolationis nutriẽs in spe humiles roborat.

Sed cùm escas dare mortalibus diceret, notandum quod nõ
ait omnibus, sed multis: quia videlicet scriptum est: Non om- 9.
nium est fides. Et quibusdam dicitur: Propterea vos non

1. Tim.3. Ioan.8. Ioan.6. auditis:quia ex Deo non estis. Et rusum: Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Et rursum: Nouit Dominus qui sunt eius. Vnde in ipsa quoque sancta Ecclesia plurimi fidem tenent, & vitam fidei non tenent: humilitatis dominicæ sacramenta percipiunt, sed humiliari dominica imitatione contemnunt: blanda diuini eloquij prædicamenta communicant, sed apud se immanes in tumore perseuerant. Vnde hîc quoque postquam per cardines maris aggregatæ Ecclesiæ latitudo signata est, aptè subiungitur:

Quòd superbis cognitio denegatur veritatis: & quid sit quòd filij Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse vltra Iordanem ad alenda pecora campestria concupiscant, & in terra promissionis hæreditatem non velint, cùm tamen ante fratres ad bellùm armati præcedãt.

Caput VII.

I*Mmanibus abscondit lucem.*) Immanes quippe sunt qui se elatis cogitationibus extollunt. Quos contra per Esaiam
Esaiæ 5. dicitur: Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vo-
Roma.12. bismetipsis prudentes. Quos contra etiam Paulus ait: Nolite prudentes esse apud vosmetipsos. Sed his immanibus lux absconditur: quia nimirum superbientibus veritatis cognitio
Lucæ 10. denegatur. Vnde per semetipsam veritas dicit: Confiteor ti-
& Matt.11. bi pater Domine cœli & terræ: quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, Sapientes & prudentes videlicet superbientes vocans. Qui enim nõ subiunxit, Reuelasti ea stultis, sed paruulis, tumorem se damnas-
Psalm. 114. se innotuit, non acumen. Vnde & aliâs dicitur: Custodiens paruulos Dominus. Atque vt ostendatur hæc eadem paruitas quid vocatur, adiungitur: Humiliatus sum, & liberauit
Ibidem. me. Quia ergo sunt multi in Ecclesia qui paruuli esse despiciunt, etiam in humilitatis loco immanes apud se esse minimè desistunt. Hos plerunque videas honoribus extolli, voluptatibus perfrui, rerum multiplicitate dilatari. Hi sæpe nil præcipuè nisi præesse cæteris appetunt, à multis timeri gratulantur: rectè viuere negligunt, & rectæ vitæ famam habere concupiscunt, adulationes quærunt, fauoribus ntumescunt. Et quia in rebus sibi copiosè præsentibus prompti sunt, ventura gaudia non requirunt. Cúmque eos multiplex actio occupat, etiam à semetipsis alienos demonstrat. Et tamen si
10. qua fidei tentatio exurgat: quia in ea saltem specietenus continentur, hanc verbis, hanc laboribus defendunt, & patriam cœlestem vindicant, nec tamen amant. Quos bene apud
Iosue.3. Moysen filij Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse exprimunt, qui multa pecora & iumenta possidentes, dum extra Iordanem ea quæ viderant, campestria concupiscunt, in repromissionis terra hæreditatem habere noluerunt, dicentes: Terra quam percussit Dominus in conspectu filiorũ Israël, regio vberrima est ad pastum animalium: & nos serui tui habemus iumenta plurima, precamúrque si inuenimus gratiã coram te, vt des nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facias nos transire Iordanem. Qui igitur iumenta plurima possident, Iordanem transire refugiunt: quia quos multa mundi implicamenta occupant, habitationem cœlestis patriæ non requirunt. Sed ipsa eos quàm specietenus tenent, fides increpat: ne otij delectatione torpescant, atque exemplo suo alios à laboris tolerantia, & studio longanimitatis fran-
Nume. 32. gant. Vnde eis per Moysen dicitur. Nunquid fratres vestri ibunt ad pugnam, & vos hîc sedebitis? Cur subuertitis mentes filiorum Israël? Sed quia erubescunt non defendere quod confitentur, pro eadem fide quam professi sunt, ad certamen properant, cámque non sibi, sed proximis vindicãt. Vnde &
Ibidem. ad Moysen dicunt: Caulas ouium fabricabimus, & stabula iumẽtorum, paruulísque nostris vrbes munitas: nos autem ipsi armati & accincti pergemus ad præliũ ante filios Israël. Qui mox sortes pro aliis veniunt, & repromissionis terrã ab hostibus liberant, & relinquunt: atque ad pascenda armenta extra Iordanem redeunt. Multi quippe quanuis fideles curis præsentibus occupati, quasi armenta extra Iordanem pascũt: quia contra fidem baptismatis tota mente omníque desiderio rebus perituris inseruiunt. Qui tamen, vt diximus, cùm fidei tentatio oritur, defensionum armis accinguntur. Hostes fidei superando trucidãt, & hæreditatem terræ repromissionis, id est, fructum fidei non amant, sicque pro illo pugnant, vt tamen sua pignora extra illam deponant. Quia enim paruulos foris habent, affectũm in eius habitatione non habent: Vnde ad campestria redeunt: quia ab altis cacuminibus montium quasi à spe cœlestium dilabuntur, vt extra repromissionis terram bruta animalia nutriant: quia ad pascendos variis desideriis irrationabiles animi motus elaborant: quia æternæ lucis quanta sit claritas nesciunt, qui transitoriis occupationibus obcæcantur, & dum de terrenis rebus superbiunt, cœlestis sibi luminis auditum claudunt. Vnde rectè 11.
nunc dicitur: *Immanibus abscondit lucem.*) Sed tamen aliquãdo hos immanes superna gratia respicit, atquæ ipsis rerum abundantium occupationibus affligit, eorũmque prosperitatibus, aduersas quidem sed vtiles tribulationes interserit, vt contristati ad cor redeant, atque in perituris rebus, quàm inaniter occupentur, agnoscãt. Vnde hîc quoque postquam subtracta lux dicitur, aptè subiungitur: *Et præcepit ei, vt rursus adueniat:*) quia veritatis lumen quod elatis occupatisque mentibus absconditur, afflictis humiliatísque reuelatur. Lux quippe aduenit, cùm afflicta mens ipsas quas de perituris rebus tribulationũ tenebras tolerat, agnoscit: quia nisi aliquid ex lumine interno perciperet, nec hocipsum quia lumen perdiderat, videret. Quod intelligi specialiter etiam de Iudæis potest, qui idcirco redemptori nostro in carne venienti contradicere ausi sunt: quia apud semetipsos immanes extiterunt. Sed his immanibus lux absconsa est: quia superbi lumen veritatis dum persequuntur, amiserunt. Sed quia in fine mũdi ad fidem recipiendi sunt, rectè subiungitur: *Et præcipit ei vt rursus adueniat.*) Vnde etiam per Esaiam dicitur: Si fuerit *Esaiæ 10*
numerus filiorum Israël quasi arena maris, reliquiæ saluæ fient. Tunc quippe ad eos lux reuertitur, cùm ipsi ad confitẽdã redẽptoris nostri potentiã reuertuntur. Si autem in manibus nequaquã per datiuum casum vnum nomẽ, sed duas partes orationis accipimus, potest intelligi quia in manibus lux absconditur, cùm apud rectũ iudicem iniqui quique in suis operibus cęcantur. Cui tamẽ præcipitur vt rursus adueniat: quia dum peccatores se suis viribus saluari nõ posse cognouerint, gratiæ lumen accipiunt, & protectionis intimæ radiis illustrantur, vt maiore ardore postmodũ cœlestem patriam diligant quàm prius in terrena delectatione flagrabant. Sed hæc cùm de cœlesti patria loquimur, cui inesse mira claritate prædicta angelorũ agmina audimus: cui rerum omniũ cõditor præsidet, quam visione sua reficiens replet, cui vera hæreditas lux est, & defectus eiusdem luminis nullum est: ad nosmetipsos mentẽ reducimus, & quòd terrena gestemus membra cogitamus, pẽsamus quòd nati in tenebris, atque à radiis intimę lucis alieni, tantò nequius viximus, quantò rebus corporalibus dediti, à spiritalibus lõgius degebamus. Qua consideratione permotum cor ac malè sibi conscium trepidat, & tantæ illius quam audit patriæ ciuem se fieri posse desperat. Vnde hîc quoque aptè subiungitur, quo mens pauida ad fiduciam reducatur. Nam de hac luce mox subditur:

Quòd omnipotens Deus patriam cœlestem possessionem nostram fecit, & nos amicos, & cohæredes Christi constituit.

Caput VIII.

A*Nnuntiat de ea amico suo, quòd possessio eius sit, & ad eam possit ascendere.*) Amicus veritatis est rectæ amator actionis. Vnde & ipsa veritas discipulis dicit: Vos amici mei estis, si fe- *Ioan. 15.*
ceritis quę ego pręcipio vobis. Amicus quippe animę custos dicitur: Vnde nõ immeritò qui custodire voluntatem Dei in præceptis illius nititur, eius amicus vocatur. Hinc est quòd rursum eisdẽ discipulis veritas dicit: Vos autem dixi amicos, quia omnia quęcũq; audiui à patre meo, nota feci vobis. De hac igitur luce ęternę patriæ amico suo Deus annũtiat quòd possessio eius sit, vt nequaquã infirmitatis suæ fragilitate desperet, nequaquã hoc quòd creatus, sed quòd recreat' est pẽset, sed tantò certius sciat, quia illius lucis claritate possideat, quantò nunc vitiorum pulsantiũ tenebras verius calcat. Bene autem in promissione subiungitur: *Et ad eam possit ascendere.*) Quid enim difficilius quàm homini in terra edito terrena, & fragilia mẽbra gestanti cœlorum alta conscendere, supernorum spirituũ arcana penetrare? Sed eorundem spirituũ ad nos conditor venit, séque hominem etiam sub ipsis exhibuit,

Psalm.8. buit, sicut de illo patri per Prophetam dicitur: Minuisti eum paulominus ab angelis. Et quia inter nos & eosdem spiritus discordantis vitæ scandalum reperit, mira potentia, mirabiliori etiam pietate summa creans, ima suscipiens, ima cum sũmis iunxit. Hinc est quod de eodem rege nato angelorum chori in eius annuntiatione prodeunt, hymnum dicunt, & deuicta prauæ vitæ discordia, hos quos dudum despexerant, ciues agnoscunt, consono ore prædicantes: Gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: ac si apertè dicant: Quos à nobis malitia disiunxerat, iam nunc in terra nata bonitas iungat. Hinc est quòd ante incarnationem eius in testamento veteri adorasse homo angelum legitur, nec tamen adorare prohibetur, sed post mediatoris aduentum, cùm se Ioannes adorando angelo prostrauisset, audiuit:
Apoca.19. & 22. Vide ne feceris, cõseruus tuus sum & fratrum tuorum. Quid est enim quòd prius æquanimiter se concedebant adorari, pòst ab homine angeli recusant: nisi quòd prius hominem carnalibus corruptionibus deditum, nec ab eisdem carnalibus corruptionibus redemptum, quo abiectiorem nouerant, iustius contemnebant: postmodum verò humanam naturam eo iam substratam habere non poterant, quo hanc in authore suo etiam super semetipsos ductam videbant? Neque enim debebat in membris subiecta despici, quæ in ipso membrorum capite meruit prælata venerari. Is ergo qui propter nos minor angelis extitit, æquales nos angelis virtute suę minorationis fecit. Vnde & moriendo docuit mortem nõ metui, resurgendo de vita confidi, ascendẽdo de cœlestis patriæ hæreditate gloriari, vt quò caput præisse conspiciunt, illuc se subsequi, & membra gratulentur. Vnde bene ab eodem no-
Matth. 24. stro capite dicitur: Vbicunque corpus fuerit, illuc congregabuntur & aquilæ. Vnde Petrus ait: In hęreditatem incor-
1.Petr.1. ruptibilem & incontaminatam, & immarcessibilem conser-
2.Cor.5. uatam in cœlis. Vnde Paulus dicit: Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam, æternam in cœlis. Sed nos quoque qui editi in terra sumus,
Ioan.3. cœlum conscendimus, vbi est quod rursum veritas dicit: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, filius hominis qui est in cœlo? Cui nimirum sententiæ statim obuiat
Ioan.17. quòd hæc eadem veritas dicit: Pater, volo vt ibi ego sum, & illi sint mecum. Quæ sibi in verbis suis non discrepat, sed ad inquirenda hæc quasi discordantia studium nostræ mentis inflammat. Omnes enim nos qui in eius fide nati sumus, eius proculdubio corpus existimus. Quia igitur mira dispensatione pietatis membrorum suorum Dominus caput factus est: repulsa reproborum multitudine, solus est etiam nobiscum. Nemo igitur ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo: quia dum nos vnum cum illo iam facti sumus, vnde solus venit in se, illuc solus redit etiam in nobis, & is qui in cœlo semper est, ad cœlũ quotidie ascẽdit: quia qui diuinitate super omnia permanet, humanitatis suæ compage sese quotidie ad cœlos trahit. Ergo si desperet humana fragilitas, vnigeniti sanguinem consideret, & in precio suo conspiciat, quàm magna est quæ tanti valet. Perpendat sollicitè quò caput præcesit, & quo ad viuendum præceptis astringitur, ad sperandum exemplo roboretur: confidat cœlos, speret supernam patriam, angelorum se sociam sciat, atque in suo capite prælatam se etiam angelis gaudeat. Dicatur igitur rectè de hac luce æternæ patriæ: Annuntiat de ea amico suo quòd possessio eius sit, & ad eam posit ascen-
12. dere. Sed valde mira sunt ista, valde terribilia, quòd homo in terra editus, atque à cœlesti patria exigentibus meritis longè damnatus, non solùm ad statum conditionis reducitur, sed etiam gloriosius exaltatur: vt qui paradisum perdidit, cœlum recipiat: & non solùm hunc debiti sui reatus non teneat, sed huic post culpam dona cumulatius excrescant, vt ille cõtemptor Dei, ille imitator diaboli, si ad fructum pœnitentiæ redeat, vsque ad celsitudinem contemplandæ intimæ lucis ascendat. Cuius itaque cor non in huius pietatis admiratione exiliat? Cuius torpor non in subleuatione tantæ considerationis expauescat? Vnde & aptè subiungitur:

Tomus primus.

Caput trigesimum septimum textus libri beati Iob.

SVper hoc expauit cor meum, & motũ est de loco suo. Audiet auditionẽ in terrore vocis eius, & sonum de ore illius procedentẽ. Subter omnes cœlos ipse considerat, & lumen illius super terminos terræ. Post eũ rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ, & nõ inuestigabitur cùm audita fuerit vox eius. Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui facit magna & inscrutabilia. Qui præcipit niui, vt descẽdat in terram, & hyemis pluuiis, & imbri fortitudinis suæ.
B Qui in manu omniũ hominũ signat, vt nouerint singuli opera sua. Ingredietur bestia latibulum suum, & in antro suo morabitur. Ab interioribus egredietur tempestas, & ab arcturo frigus. Flãte Deo concrescit gelu, & rursum latissimè funduntur aquæ. Frumentũ desiderat nubes, & nubes spargunt lumen suũ. Quæ lustrant cuncta per circuitum, quocunque eas volũtas gubernantis duxerit, ad omne quod præceperit illis, super faciem orbis terrarum, siue in vna tribu, siue in terra sua, siue in quocunque loco misericordiæ suæ eas iusserit inueniri. Auscultа hęc Iob: Sta, & considera mirabilia Dei. Nunquid scis quando præcepit Deus pluuiis vt ostenderent lucem nubium eius? Nũquid nosti semitas nubium magnas, & perfectas sciẽtias? Nónne vestimenta tua calida sunt, cùm perflata fuerit terra Austro? Tu forsitan cum eo fabricatus es
C cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt. Ostẽde nobis quid dicamus illi. Nos quippe inuoluimur tenebris. Quis narrabit ei quę loquor? Etiã si locutus fuerit homo deuorabitur. At nunc non vident lucẽ. Subitò aer cogitur in nubes, & ventus transiens fugabit eas. Ab Aquilone aurum venit, & à Deo formidolosa laudatio. Dignè eum inuenire non possumus. Magnus fortitudine & iudicio, & iustitia, & enarrari nõ potest. Ideo timebunt eum viri, & non audebunt cõtemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes.

Caput IX.

S*Vper hoc expauit cor meum, & motum est de loco suo.*) Quia pauor dum mentem percutit, hanc à semetipsa alienam reddit: nonnunquam Latini interpretes ecstasim pauorem vocant, sicut per Psalmistam dicitur: Ego dixi in pauore meo, proie- *Psalm.30.*
D ctus sum à vultu oculorum tuorum. Vbi videlicet non pauor sed excessus dici poterat. Sed pauor illic pro excessu ponitur: quia sicut in excessu, ita in pauore alienatur animus: Vnde hîc quoque considerata luce æternæ patriæ rectè subiungitur: *Super hoc expauit cor meum:*) ac si dicat: In admirationis excessu se transtulit, & quia nouæ spei spiritu mens afflata est, semetipsam qualis in vetusta cogitatione fuerat, reliquit. Bene autem dicitur: *Et motum est de loco suo.*) Locus quippe humani cordis est delectatio vitæ præsentis. Sed cùm diuina aspiratione tangitur locus nostri cordis, fit amor æternitatis. Consideratione igitur æternæ patrię de loco suo animus mouetur: quia derelictis infimis, in supernis cogitationibus ponitur. Prius enim quæ essent æterna nesciebat, in præsentium delectatione torpuerat, simúlque ipse transiens, amore transeuntia tenebat. Sed postquam quæ essent æterna cognouit, postquam supernæ lucis radios raptim contemplando contigit, admiratione summorum, sese ab infimis suscitatus eleuauit, vt nulla iam ei nisi quæ æterna sunt, libeant: & despectis transeũtibus, sola quæ permanent, requirat. Bene ergo dicitur: *Super hoc expauit cor meum, & motũ est de loco suo:*) quia pigrũ cor & ter-

tenis dudum cogitationibus deditum, cùm repēte per excessum se ad summa suspendit, cogitationis infimæ locum mutauit. Sed quia per semetipsam in amore præsentis seculi prostrata mens dormitat, & nisi diuinæ gratiæ aspiratione pulsetur, in suis delectationibus frigida insensibilisque torpescit: necesse est vt quomodo interna cogitatione tãgatur, vel qualiter ad spiritalia sensificetur, adiungat. Sequitur:

Quòd superbus quisque prius timore iudicij concutitur, deinde data indulgentia Deo familiarius inhæret, & vnctus gratia spiritus sancti, deinde amat & prædicat.

Caput X.

13. AVdiet auditionem in terrore vocis eius, & sonum de ore illius procedentem.) Mos sacri eloquij est, vt cùm audiri aliquid per auditum insinuat, audiri eundem auditum dicat, sicut Abacuc ait: Domine audiui auditum tuum, & timui. Vnde hîc quoque dicitur: Audiet auditionem in terrore vocis eius. Notandum verò est quòd vox Dei non in gaudio, sed in terrore audiri perhibetur: quia nimirum peccator quisque dum sola quæ terrena sunt, cogitat: dum cor oppressum infimis cogitationibus gestat, si repente diuinæ gratiæ aspiratione tangitur, hoc ante omnia intelligit, quòd cuncta quæ agit, districta ęterni iudicis animaduersione puniantur. Auditio igitur vocis Dei prius in terrore fit, vt pòst vertatur in dulcedinem: quia ante nos districti iudicis timore castigat, vt iam castigatos supernæ dulcedinis consolatione reficiat. Nam cùm nos violenta rerum temporalium delectatio possidet, & mentis nostræ oculos in somno torporis premit, si manu subita superni respectus excitamur, diu clausos, mox eosdem ad veritatis lucem oculos mentis aperimus, quæ egimus, mala meminimus: quàm districtus iudex contra hæc veniat, videmus: versatur in mente quantus ille sit tanti iudicis aduentus, quæ tunc illa sit hominum angelorúmque frequentia, quanta vi contra reprobos & ardentia pugnent elementa, quàm terribiliter æterna prodeat de districti iudicis ore sententia, qua reprobis dicitur: Discedite à me maledicti in ignē æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius. Eorundem pœna reproborum ante oculos voluitur, & quæ sint gehennæ tenebræ, cum graui amaritudinis obscuritate pēsatur. Quia ergo superbum cor prius terrore concutitur, vt concussum in amore solidetur: rectè nunc dicitur: Audiet auditionem in terrore vocis eius. Vbi & bene subiungitur: *Et sonum de ore illius procedentem.*) Sonus ex Dei ore, est vis timoris de superna irruens aspiratione: quia cùm nos de venturis Dominus aspirando replet, proculdubio de malè gestis præteritis terret. Potest autē per os Dei, vnigenitus designari filius, qui sicut brachiũ eius dicitur, quia per eum cũcta pater operatur, de quo Propheta ait: Et brachium Domini cui reuelatum est? de quo Ioannes dicit: Omnia per ipsum facta sunt: ita etiam os dicitur. Hinc est enim quod Propheta ait: Os enim Domini locutum est hæc. Per quem nobis omnia loquitur, ac si oris nomine patenter diceretur verbum, sicut nos quoque pro verbis linguam dicere solemus, vt cùm Græcam vel Latinam linguam dicimus, Latina vel Græca verba monstramus. Os ergo Domini non immeritò ipsum accipimus. Vnde & ei sponsa in Canticis canticorum dicit: Osculetur me osculo oris sui, ac si dicat: Tangat me dulcedine præsentiæ vnigeniti filij redemptoris mei. Per sonum verò oris potest eiusdem Domini sanctus spiritus designari. Vnde & alâs in eiusdem spiritus significatione scriptum est: Factus est repentè de cœlo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis. Sonus igitur de ore Domini procedit, cùm consubstantialis ei spiritus ad nos per filium veniens, surditatem nostræ insensibiliratis rumpit, sicut de eodem sono incircunscripto atque incorporeo os Domini loquitur, dicens: De meo accipiet, & annuntiabit vobis. Potest ergo & per terrorem vocis vis formidinis, & per sonum oris dulcedo consolationis intelligi: quia quos spiritus sanctus replet, prius eos de terrena actione terrificat, & postmodum spe cœlestium consolatur: vt tantò pòst confitendo de præmiis gaudeant, quantò prius sola supplicia conspiciendo metuebant. Hinc est quod de vnigeniti spiritu quasi de hoc oris sono Paulus dicit: Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timorem, sed accepistis spiritũ adoptionis filiorum, in quo clamamus, abba pater. Hinc per semetipsam veritas dicit: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retēta sunt. Ecce conuersorum terror vertitur in potestatem: quia dum mala sua pœnitendo puniunt, vsque ad exercendum iudicium ascendũt, vt hoc in Deo posse accipiant, quod prius de Deo ipsi metuebant. Iudices quippe fiunt qui supernum iudicium perfectè timuerunt, & aliena iam peccata incipiunt dimittere, qui prius formidauerant ne retinerentur sua. Sed quia hoc ipsum iudicium quod spiritaliter agitur, modò à carnalibus non videtur, sunt nonnulli qui Deum res humanas curare non æstimant, & eas ferri fortuitis motibus putãt. Contra quos rectè subditur:

De Dei æqua in omnia prouisione: & quòd primitiua Ecclesia miraculorum adiutoriis indiguit, quam persecutionis tribulatio pressit, nunc verò sola exigat operum merita, non virtutum signa.

Caput XI.

SVbter omnes cœlos ipse considerat, & lumen illius super terminos terræ.) Ac si apertè diceretur: Qui summa regit, etiam extrema non deserit: quia sic impenditur maximis, vt tamen hæc eadem cura regiminis non præpediatur à paruis. Qui enim vbique præsens & vbique æqualis est, etiam in dissimilibus sibiipsi dissimilis non est. Æquè ergo omnia respicit, æquè cuncta disponit, qui in omnibus locis præsens, nec localiter tenetur, nec varia curando variatur. Si autem cœlos sanctos prædicatores accipimus, Propheta attestante, qui ait: Cœli enarrant gloriam Dei: postquam per sonum oris aduẽtus spiritus sancti designatur, rectè subiungitur: Subter omnes cœlos ipse considerat, & lumen illius super terminos terræ. Sunt nanque nonnulli qui cùm mira Apostolorum opera audiunt, quòd accepto spiritu sancto mortuos verbo suscitarent, ab obsessis dæmonia pellerent, vmbra infirmitates amouerent, ventura quæque prophetando prædicerent, & vnigenitum verbum Dei, omnium gentium loquentes lingua prædicarent: quia has virtutes nunc in Ecclesia non vident, subtractam iam ab Ecclesia supernam gratiam suspicantur, nescientes pensare quod scriptum est: Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Tunc quippe sancta Ecclesia miraculorum adiutoriis indiguit, cùm eam tribulatio persecutionis pressit. Nam postquam superbia infidelitatis edomuit, non iam virtutum signa, sed sola merita operũ requirit, quanuis & illa per multos cùm opportunitas exigit, ostẽdit. Scriptum quippe est: Linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus. Vbi ergo omnes fideles sunt, quæ causa exigit vt signa monstrentur? Vnde citius fortasse satisfacimus, si quid ipsa apostolica dispẽsatione memoremus. Paulus nanq; egregius prędicator Melitē veniens, & plenã infidelib⁹ insulã sciens, patrẽ Publij dysenteria febribũsque vexatum, orãdo saluauit, & tamen ægrotanti Timotheo præcepit, dicens: Modico vino vtere, propter stomachum tuũ, & frequentes tuas infirmitates. Quid est Paule quòd ægrum infidelem orando ad salutem reuocas, & tantum adiutorem euangelij more medici per alimenta curas, nisi quòd idcirco fiunt exteriora miracula, vt mentes hominum ad interiora perducantur: quatenus per hoc quod mirum visibiliter ostenditur, ea quæ admirabiliora sunt inuisibilia credantur? Signo quippe virtutis pater Publij sanandus fuerat, vt mente reuiuisceret, dum miraculo ad salutem rediret. Timotheo autem adhibendum foris miraculum non erat, qui iam totus intus viuebat. Quid est ergo mirum si propagata fide, crebrò miracula non fiunt, quando hæc ipsi quoque Apostoli in quibusdam iam fidelibus non fecerunt? Eleuatis ergo cœlis, Dominus inferiora cõsiderat: quia & ablatis summis prædicatorib⁹ incessãter etiam infima nostrę infirmitatis curat. Et quasi subter cœlos lumẽ illius terrę terminos respicit: quia post sublimẽ vitã precedentiũ, etiam peccatorũ mores actũque gratię suę illustratione cõprehendit. Qui etsi virtutũ signa nunc per vitam fidelium crebrò non exerit, ab eisdem tamen fidelibus per virtutem operum nunquam recedit. Potest etiam lumen illius super terminos terræ ita intelligi, quòd prędicatio supernæ gratiæ dum gẽtes ad fidẽ colligit, intra semetipsam mundi limites clausit. Vel certè termini terræ sunt fines hominũ peccatorum. Et sæpe contingit, vt plerique Deum deserant, & vitæ suæ tempora in desideriis carnalibus expendant: sed tamen superna gratia respecti, in extremis suis ad Deum redeunt, quæ sint iudicia æterna cognoscunt, cunctáque quę se peruersè egisse meminerint, fletibus puniunt, atque hæc verè se insequi rectis operibus ostendunt. Quibus subsequente iustitia profectò totũ dimittitur, quod antè deliquerunt. Hinc enim per prophetiæ spiritum Anna dicit: Dominus iudicabit fines terræ: quia nimirum anteactam vitam Deus non iudicat, quando posteriora peccatorum respectu supernæ pietatis illustrat. Hinc Moyses ait: Primogenita asini mutabis oue. Per asinum quippe immunditia, per ouem verò innocentia designatur. Asini ergo primogenita oue mutare, est immundæ vitæ primordia in innocentiæ simplicitatem conuertere: vt postquam illa peccator egit, quæ vt immunda Dominus respuit, ea iam agenda proferat, quæ Dei sacrificio imponat. Quia ergo post praua opera peccator conuertitur, & ab actionum suarum tenebris iuxta finem aliquando reuocatur, rectè nunc dicitur: *Et lumen illius super terminos terræ.*) Sed graui luctu afficit eadem gratia, quæ post facinora mentem replet. Nam malè gesta ad memoriam reducit, sibíque hominem quàm sit iustè damnandus ostendit. Vnde fit vt peccatum omne quod se egisse reminiscitur, quotidianis fletibus insequatur: & quo magis valet iam quod iustum est cernere, eo ardentius appetit iniustum sese gemitibus punire. Vnde aptè subiungitur:

Quòd cùm mentem hominis Deus ingreditur, continuò pœnitentia gemitus sequatur.

Caput XII.

POst eum rugiet sonitus.) Quem enim Dominus illustrando repleuerit, eius vitam proculdubio in lamentum vertit, atque illuminatæ mẽti quo magis æterna supplicia insinuat eo hanc durius de transacta nequitia gemitibus fatigat, & dolet homo quod fuit: quia bonum iam incipit videre quod nõ fuit: odit qualem se fuisse meminit, amat qualem se esse debuisse cognoscit, & solam iam pœnitentiæ amaritudinem diligit: quia cautè considerat in quantis voluptatibus sua delectatione peccauit. Bene ergo dicitur: *Post eum rugiet sonitus:*) quia cùm mentẽ Deus ingreditur, constat proculdubio quòd mox pœnitentiæ gemitus sequatur, vt ei iam salubriter flere libeat, quæ prius de iniquitatibus flenda iucunditate gaudebat. Sed quo vberius culpa fletur, eo altior cognitio veritatis attingitur: quia ad videndum internum lumen polluta dudum conscientia lachrymis baptizata renouatur. Vnde post pœnitentiæ rugitum aptè subiungitur:

Quòd actionem spiritus sancti sue affectum eius nemo ad plenum inuestigat, cùm eadem actio per eundem spiritum ordinata aliis in resurrectionem, aliis sit in ruinam.

Caput XIII.

TOnabit voce magnitudinis suæ.) Voce enim magnitudinis suæ Deus tonat, cùm se nobis bene iam per lamenta preparatis, quàm sit magnus in supernis insinuat. Quasi enim de cœlo tonitrus procedit, cum nos incuria negligentiáque torpentes respectus gratiæ pauore subito percutit, atque in terra positi, sonum de superioribus audimus: quia terrena cogitantes, superni terroris sententiam repentè pertimescimus, & mens bene iam de summis solicita trepidat, quæ prius in infimis malè secura torpescit. Sed istus visitationis occultę quibus modis se nobis insinuet terror, ignoratur: neque ipsius mentis acie comprehenditur, cuius ad melius intentio commutatur. Vnde aptè subiungitur: *Et non inuestigabitur, cùm audita fuerit vox eius.*) Vox Domini auditur, cum gratiæ eius aspiratio mente concipitur, cùm insensibilitas occultæ surditatis rumpitur & cor ad studium summi amoris excitatum, virtutis intimæ clamore penetratur. Sed istam vocem superuenientis spiritus quę se in aures cordis insinuat, nec ipsa mẽs quæ per hanc illustrata fuerit, inuestigat. Pensare enim non valet, inuisibilis virtus quibus sibi mẽtibus influat, quibus ad se modis veniat, quibus recedat. Vnde & bene per Ioannem dicitur: Spiritus vbi vult spirat: & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, & quò vadat. Vocẽ enim spiritus audire, est vim compunctionis intimæ in amorem inuisibilis cõditoris assurgere. Sed nemo scit vnde veniat: quia ignoratur: per ora prædicantium, quibus se ad nos occasionibus fundat. Et nemo scit quò vadat: quia cùm vnam prædicationem multi audiunt, intelligi procudubio non potest quem deserens abiiciat, aut cuius ingrediẽs in corde requiescat. Vna quippe res foris agitur, sed non per hanc vno modo intuentium corda penetrantur: quia qui inuisibiliter visibilia modificat, in humanis cordibus causarum semina incomprehẽsibiliter plantat. Hinc est quòd resuscitato Lazaro multi crediderũt, sed tamen Iudæorũ plurimi ad persecutionis zelum ex hac ipsa resuscitatione cõmoti sunt. Vnum ergo idémque miraculum, quod aliis lumẽ fidei præbuit, alios per inuidiæ tenebras à lumine mentis excæcauit. Hinc est quòd vterque latro, & eandem, & suæ morti similem mortem redemptoris vidit, sed eum superbiendo alter contumeliis lacessere non timuit, quem timendo alter honorauit, atque in vna re vna vtriusque cogitatio non fuit: quia hanc internus arbiter inuisibiliter modificãdo distinxit. Sed hîc occultæ aspirationis modi, quia comprehendi nostra cogitatione nequeunt, nimirum diuinæ vocis vestigia nesciũtur. Bene ergo dicitur: Et non inuestigabitur cùm audita fuerit vox eius. Vnde & adhuc subiungitur: *Tonabit Deus voce sua mirabiliter.*) Voce sua Deus mirabiliter tonat: quia occulta vi corda nostra incomprehensibiliter penetrat. Quæ dum latentibus motibus premit in timore, & format in amore, quanto ardore sequendus sit, aliquo modo silenter clamat, & sit cuiusdam impulsionis nimietas in mente, cùm nihil sonet in voce. Quę tantò apud nos valentius perstrepit, quantò & ab omni exteriori strepitu aurem nostri surdescere cordis facit. Vnde & anima ad semetipsam mox hoc intimo clamore collecta miratur, quod audit: quia vim compunctionis incognitæ percipit. Cuius ipsa admiratio bene apud Moysen manna desuper veniente signatur. Dulcis enim cibus qui de superniis accipitur, manhu vocatur. Manhu enim dicitur, quid est hoc? Et quid est hoc dicimus, quando hoc quod cernimus, nescientes admiramur. Supernum igitur manna animæ percipit, cùm per vocem compunctionis eleuata, nouam speciem internæ refectionis obstupescit, vt diuina dulcedine repleta, iure respondeat, quid est hoc? quia dum ab infima cogitatione suspenditur, ea quæ de supernis cõspicit, insolitè miratur. Et quia cùm hac voce torporis nostri surditas rumpitur, vẽtustæ vitæ protinus vsus mutatur, vt anima superno spiritu afflata, in summis appetat quæ contempserat, & contemnat in infirmis quæ appetebat, rectè subiungitur: *Qui facit magna & inscrutabilia.*) Vt enim homo terrenis vsibus deditus, iniquis desideriis pressus subitò ad noua efferueat, atque ad consueta frigescat, exterioribus curis renuntiet, in internis contemplationibus anhelet, quis hanc virtutẽ supernę vocis considerare sufficiat? Quis considerando cõprehendat? Magna sunt quę per vocem suam Dominus facit, sed minus magna essent si perscrutari potuissent. Facit ergo magna & inscrutabilia: quia ostẽdit foris perfectionẽ operis, sed latet intus ipsa qualitas operationis. Voce sua foris etiam per Apostolos insonat, sed corda audientiũ per seipsum interius illustrat, Paulo attestãte, qui ait: Ego plãtaui, Apollo rigauit: Neque autem incrementum dedit. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Quanuis ergo nostris mentibus supernæ vocis auditum non ipsi præbeant, missi tamẽ sunt, vt verbis nobis exterioribus condescendant. Vnde aptè subiungitur:

Quòd viri contemplatiui quorum conuersatio in cœlis est, infimis fratribus condescendunt, & in eorum amore liquefiunt, irrigantes arida corda eorum, vt & ipsi fructificent Deo.

Caput XIIII.

QVi præcipit niui vt descendat in terram, & hyemis pluuiis, & imbri fortitudinis suæ.) Quia Psalmista ait: Lauabis me, & super niuem dealbabor: quid hoc loco niuem, nisi per lucem iustitiæ candida accipimus corda sanctorũ? Aquæ autem ductæ in superioribus constipantur, vt niues fiant. Sed cùm hæ ipsæ niues ad terram veniunt, in aqũarum iterum liquorem vertũtur. Aquæ igitur sunt prædicatorum mentes: quæ dum ad cõtemplãda superna se erigũt, altiori intellectu solidãtur. Cũque in summa consideratione rapiuntur, virtutem confirmationis accipiũt. Sed quia adhuc in terris fraterna dilectione retinentur, semetipsas ab alto intellectu modificant, & infirmis humiliter prædicantes, more niuium corda arentium liquatæ

rigant. Niues ergo ad terram de celestibus veniunt, cùm sublimia corda sanctorum quæ iam solida contemplatione pascuntur, pro fraterna charitate ad humilia prædicationis verba descendunt. Sicut enim nix terram cùm iacet operit, cùm verò liquatur, rigat: ita sanctorum virtus per firmitatem suam apud Deum vitam peccatorum protegit, & per condescensionem suam, quasi liquefacta arentem terram vt fructus proferat, infundit. Et quia aqua prius ab infimis trahitur, vt pòst à superioribus sparsa reddatur: sancti quique etiam cùm in virtutis arce consistunt, vnde eleuati sunt considerant, ne alienæ infirmitatis abiecta contemnant. Quasi ergo aquæ ad terras de quibus subleuatæ sunt, redeunt: dum condescendentes iusti peccatoribus, reminisci non desinunt, quod fuerunt. Certè aqua in terris adhuc Paulus fuerat cùm legem carnaliter sapiebat: sed ductus ad cœlestia, in niuem versus est: quia quod prius infirmum sapuit, ad soliditatem veræ intelligentiæ commutauit, & tamen condescendens fratribus, quasi nix ima repetiit: quia & post virtutum culmina, quàm fuerat indignus agnoscit, dicens: Qui prius fui blasphemus & persecutor, &c. Ecce quàm clementer suæ imbecillitatis reminiscitur, vt aliorum æquanimiter infirma patiatur. Quasi enim ad terram de qua sumpta fuerat post cœlum aqua rediit, dum post tantæ suæ contemplationis arcana peccatorem se Paulus meminit, vt prodesse humiliter peccatoribus posit. Videamus itaque, aqua hæc in niuis soliditatem vertenda, qualiter trahatur ad summa, ait: Siue mente excedimus Deo. Videamus qualiter ad ima nix redeat, vt dum liquatur, infundat, ait: Siue sobrij sumus vobis. Videamus qua manu dicitur, vt iacens eleuari valeat, & subleuata reuocari, ait: Charitas enim Christi vrget nos. Quia igitur charitas Christi quæ sanctorum mentes ad superna subleuat, eas pio moderamine pro fraterna dilectione etiam ad humilitatem condescensionis format, rectè dicitur: *Qui præcipit niui vt descendat in terram.*) Vbi aptè subiungitur: *Et hyemis pluuiis, & imbri fortitudinis suæ.*) Hyems quippe est vita præsens, in qua nos etsi iam spes ad superna erigit, adhuc tamen mortalitatis nostræ frigidus torpor astringit: quia scriptum est: Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena habitatio sensum multa cogitantem. Habet autem hęc hyems pluuias, rectorum proculdubio prædicationes. De quibus videlicet pluuiis per Moysen dicitur: Expectetur sicut pluuia eloquium meum, & descendant sicut ros verba mea. Hæ nimirum pluuiæ hyemi congruunt, æstate cessabunt: quia cùm nunc carnalium oculis vita cœlestis absconditur, necesse est vt sanctorum nobis prędicationibus irrogetur. Cùm verò ęterni iudicij æstus incanduerit, nullus verba prædicantiũ necessaria tunc habebit: quia veniente iudice, ad cor suum quisque reducitur, vt sancta iam cùm agere non valet, sentiat: & rectum quod sequi debuit, ex tortitudinis suæ pœna cognoscat. Vnde bene per Prophetam dicitur: Congrega eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis. In die enim occisionis sanctificantur reprobi: quia tunc sancta quæ debuerunt, agere consentiunt: cùm digna prauitatis suæ simplicia iam declinare non possunt. Quia autem prædicationes sanctæ cum vita præsenti, id est, pluuiæ cum hyeme cessabunt, rectè exeunti animæ, atque ad æternæ fœlicitatis ęstiua properanti, sponsi voce suadentis dicitur: Surge, propera amica mea, formosa mea, & veni. Iam enim hyems trãsiit, imber abiit & recessit. Transeunte quippe hyeme, imber recedit: quia cùm vita præsens peragitur, in qua nos ignorantiæ nubilo, carnis corruptibilis torpor astrinxerat, omne ministerium prædicationis cessat. Clarius quippe per nos tunc videbimus hoc quod sanctorum vocibus nunc obscurius audimus. Præcipit igitur Dominus niui, & hyemis pluuiis, vt in terram descendant, dum aspiratione sancti spiritus pro corrigendis peccatoribus corda sanctorum ad ministerium prædicationis humiliat. Vbi rectè additur:

18.

1.Tim.1.

2.Cor.5.

Ibidem.

Sapien.9.

Deute.32.

Hiere.12.

Canti.2.

Quòd alia sit prædicatio de infirmitate humanitatis, alia de fortitudine diuinitatis. Caput XV.

ET *imbri fortitudinis suæ.*) Imber quippe fortitudinis Dei, est prędicatio diuinitatis. Nã imber infirmitatis, est prædicatio eius incarnationis, de qua per Paulum dicitur: Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Et rursum: Si crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei. Sic autem sancti viri humanitatis eius infirma prædicant, vt auditorum suorum cordibus etiam diuinitatis fortia infundant. Audiamus per tonitruum nobis, imbrem fortitudinis: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Audiamus etiam imbrem infirmitatis: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Audiamus imbrem fortitudinis: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso, vita erat. Audiamus etiam imbrem infirmitatis: In propria venit, & sui eum non receperunt. Imbri ergo fortitudinis suæ præcipit, vt in terram descẽdat: quia sanctorum suorum vocibus sic nobis humanitatis suæ infirma prædicat, vt nobis etiam mira, & fortia suæ diuinitatis innotescat. Sed cùm virtutem nostri conditoris audimus, statim ad corda nostra fortitudine compellente reducimur, & tantum super nos iudicem perpendentes, quæ dignè quęve egimus indignè, pẽsamus. Vnde & bene subiungitur:

1.Cor.1.

2.Cor.13.

Ioan.1.

Quòd naturali ratione, quæ est lex mentis, & lege prædicationis, homini Deus quid agat, & quid mereatur, insinuat. Caput XVI.

QVI *in manu omnium hominum signat, vt nouerint singuli opera sua.*) Mala enim quæ agunt homines, pensare contemnunt. Sed cùm virtutem supernæ districtionis audiunt, prauorum operum hoc quod se deprimit, pondus agnoscunt. Prædicationis quippe verbis pulsati euigilant, vt pensent ad quæ supplicia sese antiquæ actionis meritum trahat. Dum ergo imber fortitudinis in terram descendit, in manu vniuscuiusque signatur, vt sua opera sciat: quia dum virtus incõprehensibilis maiestatis agnoscitur, ab vnoquoque subtilius sua vita pensatur. Quod tamen intelligi & aliter potest. Creator nanque omnipotens à cũctis insensibilibus irrationabilibúsque distinctam, rationabilem creaturam hominem condidit: quatenus quod egerit, ignorare non possit. Naturæ enim lege scire compellitur, seu prauum siue rectum sit, quod operatur. Nam ad iudicium pro actione cur venit, si potuit nescire quod egit. Et ipsi ergo qui præceptis dominicis erudiri contemnunt, vtrum bona an mala sint quæ faciunt, scientiam. Nam si bona se facere nesciunt, cur de aliquibus factis in ostẽtatione gloriantur. Rursum si malè se agere ignorant, cur in eisdẽ factis alienos oculos declinant? Ipsi enim sibi testes sunt: quia sciunt malum esse quod agunt, quod videri ab aliis verentur. Si enim veraciter malum esse non crederent, nequaquam hoc ab aliis videri formidarent. Vnde & bene per quendam sapientem dicitur: Cùm sit timida nequitia, dat testimonium condemnationi: quia dum de facto suo conscientiam pulsans timor redarguit, ipsa sibi testimonium perhibet damnabile esse quod agit. Quo contrà per Ioannem dicitur: Si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus apud Deum. Fugiant ergo iniqui humanos oculos, semetipsos certè fugere non possunt. Quia enim malum quod faciunt nouerunt, habent testem conscientiam, habẽt iudicem rationem suam. In peccato igitur quod committunt, prius contra se iudiciũ suæ rationis inueniunt, & post ad districtionem æterni examinis perducũtur. Et hoc est fortasse quod per Psalmistã dicitur: Abyssus abyssum inuocat in voce cataractarũ tuarum: quia dum miro ordine dispositionis occultæ malum nõ permittitur nesciri, quod agitur, & suo se iam iudicio peccator in conscientia cõdemnat, & post condemnationem propriã ad æterni iudicis sententiam properat. Abyssum ergo abyssum inuocare, est de iudicio ad iudicium peruenire. Eant ergo prædicatores sancti, redarguant facta peccantium, auditores autem praui contemnant verba iustorum, defendant quãtum voluerint prauitates suas, atque impudenter gestas, impudentius defendendo multiplicent, certè ipsi sibi in conscientia testes sunt, quia excusabiles nõ sunt. Eo enim ipso quo rationabilem creaturam Deus hominem condidit, in manu omnium hominum signat, vt nouerint singuli opera sua. Sed quia Heliu de prauitate singulorum sententiam protulit, ilico ad ipsum prauitatis authorem per quem vnumquodque malum oboritur, mentis oculos deflectit: vt quia vno hoc versu praui capitis membra perstrinxerat, etiam hocipsum membrorum

Psalm.41.

membrorum caput sub breuitate describat. Vel certè, quia superius nubium Dei virtutes intulerat, agit nunc vt contra bonorum vitam aduersarij impugnationes innotescat. Nam sequitur.

Quòd in reproborum cordibus diabolus quasi in antro suo lateat. Caput XVII.

INgreditur *bestia latibulum suum, & in antro suo morabitur.*) Quis alius nomine bestiæ nisi antiquus hostis accipitur, qui deceptionem primi hominis sæuus impetiit, & integritatem vitæ illius malè suadendo laniauit? Contra quem Prophetæ vocibus de sancta electorum Ecclesia in antiquum statum restauranda promittitur. Et mala bestia non transibit per eam. Sed hæc bestia cùm post redemptoris aduentum, post prædicatorum voces, quasi post tonitruum nubium in fine mundi illum damnatum hominem qui Antichristus vocatur, inuaserit: quid aliud quàm latibulum suum ingreditur, vt in antro proprio demoretur? Vas quippe illud diaboli, antrum ac latibulum bestiæ est, vt insidiãs hominibus viam huius vitæ carpentibus, in illo & per signa lateat, & per malitiam occĩdat. Qui tamẽ omnium reproborum corda etiam nũc priusquam apertus appareat, possidet: eáque per occultam malitiam quasi proprium antrum tenet, atque ad omne quod nocere bonis appetit, in eorum se obscuris mentibus abscondit. An Iudæorum persequentium corda, antrum huius bestiæ non fuerunt, in quorum diu consiliis latuit, sed repentè vocibus erupit clamantium, Crucifige crucifige? Et quia ad lacerationem mentis pertingere tentando nõ potuit in redemptore nostro, ad mortem carnis anhelauit. Hæc nimirum bestia multa electorum corda tenuit, sed hanc ab illis moriens agnus excussit. Vnde & in Euangelio dicit: Nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Qui miro rectóque iudicio dum confessiones humilium illuminans suscepit, superborum oculos deserens clausit. Vnde ei per Psalmistam dicitur: Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluarum: catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi. Tenebras quippe Dominus ponit, cùm peccatis iudicis rependens, lumen suæ intelligentię subtrahit. Et nox efficitur: quia prauorum mens ignorantiæ suæ erroribus cæcatur. In qua omnes bestiæ syluæ pertransiunt, dum maligni spiritus sub opacitate fraudis latentes, in reproborum cordibus prauitates suas explendo percurrunt. In qua & catuli leonum rugiunt: quia nequissimarum, sed tamen eminentium potestatũ ministri spiritus importunis tentationibus insurgunt. Qui tamen à Deo escam appetunt: quia nimirum capere animas nequeunt, nisi iusto iudicio præualere diuinitùs permittantur. Vbi & aptè subiungitur: Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis se collocauerunt: quia veritatis lumine per carnem apparente, à fidelium mentibus excussi, quasi ad cubilia sua reuersi sunt, dum sola infidelium corda tenuerunt. Quod igitur illic leonum cubile, hîc antrum bestiæ dicitur. Notandum verò magnopere æstimo quòd bestia hæc nõ solum antrum suum ingredi, sed in eo etiam morari perhibetur. Aliquando nanque etiam bonorum mentes ingreditur, illicita suggerit, tentationibus fatigat, rectitudinem spiritus ad delectationem carnis deflectere conatur, delectationem quoque ad consensum perducere nititur: sed tamen resistente superno adiutorio præualere prohibetur. Intrare ergo in mẽtes bonorũ potest, sed in eis morari non potest: quia cor iusti huius bestiæ antrũ non est. Quos enim quasi proprium antrũ possidet, eorum mentes proculdubio immorãs tenet: quia & prius in eis cogitationes vsque ad iniqua desideria, & post iniqua desideria vsque ad nequissima opera perducit. Neq; enim student reprobi suggestiones eius recta iudicij manu repellere, cuius voluptatibus appetunt subdita delectatione seruire. Cúmque in eorũ cordibus prauum quid oritur, mox per studiũ delectationis enutritur: & cùm sibi minimè resistitur, protinus ex consensu roboratur, sta ínque cõsensus ad opus perducitur, opus verò etiam consuetudine grauatur. Rectè ergo in antro suo morari hæc bestia dicitur, quæ tam diu cogitationes reproborum tenet, quousque eorum vitam etiam aculeo praui operis perforet. Vnde bene ad Iudæam Dominus per Prophetam dicit: Quousque morabuntur in te cogitationes noxiæ? Neque enim reprehendit, cur veniant, sed cur morentur. Et in bonis enim cordibus cogitationes illicitæ veniunt, sed tamen morari prohibentur: quia recti quique ne captiuandam domum conscientiæ præbeant, ab ipso cordis limine hostem fugant. Qui etsi quando repentinis suggestionibus vsque ad primum vestibulum surripuerit, ad consensus tamen ianuam non pertingit. Huic nimirum bestiæ impulsu subitæ formidinis victus ianuam cordis Petrus negando aperuit, sed citius cognoscendo restitit, flendo clausit. Quia verò antiquus hostis persecutorum corda non solùm intrando tenuit, sed etiam tenendo possedit, dicatur rectè: *Ingredietur bestia latibulum suum, & in antro suo morabitur.*) Quantum nanque in Iudæorum mentibus demorata sit discimus, cùm illorum consilia attestatione Euangelicæ narrationis audimus. In illa nanque describitur cùm redemptorem nostrum viuificare mortuos cernerent, in morte eius quanta anxietate crudelitatis insanirent, quot explere contra illum praua desideria ardenter vellent, sed tamen populum timerent: quot occasiones occidendi quærerent, & inuenire non possent: quot ad votum suę sæuitiæ alienigenarũ manibus vsi sunt: quia eum quem legaliter interimere ipsi non poterant, feriendum gentibus tradiderunt, vt ex sola potestate Romanus præses ageret, quod ex sola malitia vt agi debuisset, ipsi anhelarent. Vnde & aptè subiungitur:

19.

Esaia.35.

Ioan.16.

Ioan.12.

Psal.103.

Ibidem.

Hiere.4.

Matth.26.

20.

Quòd Christus Iudæis qui zelo legis feruere videbantur, scandalum fuit: gentibus verò infidelitatis frigore torpentibus stultitia. Caput XVIII.

AB *interioribus egredietur tẽpestas, & ab arcturo frigus.*) Scriptura sacra cùm contra arcturum interiora memorat, diuersam Aquilonis partibus Austri plagam designat. Vnde in hoc eodem libro scribitur: Qui facit arcturum & orionas & interiora Austri. Quia igitur interiora Austri Sol feruentior tenet, in arcturo verò cursum omnimodo non habet: interiorum nomine plebs Iudaica, arcturi autem vocabulo, hoc in loco populus gentilis exprimitur. Hi enim qui vnum atque inuisibilẽ Deum nouerant, eiusdemque legi saltem carnaliter seruiebãt, quasi sub meridiano Sole feruẽtes in fidei calore tenebantur. Gentiles autem quia nullam sciẽtiam supernæ cognitionis attigerant, velut sine sole frigidi sub Aquilone remanebãt. Quia verò tempestas impellit, frigus autem torpore opprimit, rectè nunc dicitur: *Ab interioribus egredietur tempestas, & ab arcturo frigus.*) ac si apertè diceretur, A Iudæis surgit malitia persequẽs, & à gentilibus potestas premens. Neque enim miracula fieri legis præcepta vetuerant, & tamen Iudæi pro eisdem miraculis interimere humani generis redemptorem quærebant. Vnde explere hoc quod cœperant non valentes, ad Pilati prætorium cucurrerunt, vt ipse hunc perimeret, quem iniustè perimere lex nulla cohiberet. Ab interioribus ergo tempestas, atque ab arcturo frigus prodiit, dum quod Iudæa ex inuidia petiit, hoc gẽtilis iudex ex Romana authoritate perpetrauit. Vnde bene contra hanc eandem adhuc inuidiam subditur:

21.

Flante Deo concrescit gelu.) Quia quo fidelium cordibus spiritus sanctus aspirauit, quo maiora virtutum miracula contulit, eo infidelium mentibus grauioris inuidię torpor excreuit, atque inde contra Deum plebs infidelis obduruit, vnde humilis populus anteactam duritiam qua se astrinxerat, emolliuit: Deo enim flante in gelu versi fuerant, qui visis miraculis inuidentes dicebant: Ecce totus mundus post eum abiit. Cõspiciebant signa, cernebãt per ministros eius miracula, totum iam mundum secuturum fidei prædicamenta præuidebant: & tamen quo sanctus spiritus mundum repleuerat, eo illorum mentes arctius inuidiæ malitia ligabat. Aqua ergo in gelu versa fuerat, dum eunte post Deũ mundo, Iudæa in inuidia pigra remanebat. Sed quia supernæ † potestati suppetiit etiam tantæ crudelitatis duritiam soluere, atque ad amãdum se corda infidelium liquare, post hoc gelu mox bene subditur: *Et rursum latissimè funduntur aquæ.*) Post gelu quippe Dominus latissimas aquas fudit: quia postquam Iudæorum fæuitiã vsque ad mortem pertulit, eorum corda protinus ab infidelitatis duritia, amoris sui aspiratione liquefecit, vt tantò pòst desiderabilius ad obediendũ currerẽt, quantò præceptis illius prius obstinatius restitissent. Vnde bene per quendam sapientẽ dicitur: Sicut glacies in sereno, sic resoluẽtur peccata tua. Ab hoc frigi-

Ioan.12.

† al. pietati.

Ecclc.3.

di torporis gelu solui Propheta desiderauerat, cùm dicebat:
Psalm.125. Conuerte Domine captiuitatem nostram, sicut torrens in
Austro. De his aquis, id est, ad Deum concurrentibus popu-
Psalm.147. lis rusum dicitur: Mittet verbum suum & liquefaciet ea, fla-
bit spiritus eius, & fluent aquæ. Aquæ de gelu currunt: quia
plerique ex duris persecutoribus magni prædicatores fiunt.
Gelu igitur in aqua ligatur, cùm torpor interni frigoris ad ir-
rigationem vertitur prædicationis. An Paulus gelu non erat,
Acto.9. qui acceptis epistolis Damascum pergens, in corde fidelium
quasi in terra Dei iactata verbi semina, ne ad perfectionem o-
perum surgerent, restringere quærebat? Sed gelu hoc in a-
quam rediit: quia quos persequendo prius premere studuit,
hos postmodũ fluentis sanctę exhortationis insudit, vt tantò
vberior electorum messis exurgeret, quantò hanc imber Dei
etiam ab ore persecutoris irrigaret. Vnde & bene subditur:

Quòd messis Ecclesiastica operarios desiderat, quorum compluatur doctrina & exemplis proficiat.

Caput XIX.

22 F *Frumentum desiderat nubes.*) Quid enim electi quique sunt,
nisi frumenta Dei cœlestibus horreis recondenda? Quæ
nunc in tritura arcæ paleas tolerant: quia in hac purgatione
sanctæ Ecclesiæ mores contrarios reproborum portant, quo-
usque hanc internus agricola ventilabro iudicij dirimat, & in-
superna habitacula electos suos quasi munda iam grana susci-
piens, æternis paleas ignibus tradat. Vnde bene per Ioannem
Matth.3. dicitur: Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit a-
ream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas
autem comburet igni inextinguibili. Sed hoc frumentum
quousque ad perfectionem fructuum veniat, nubium pluuias
expectat vt crescat: quia bonorum mens prædicantium ver-
bis infunditur, ne ab humore charitatis desideriorum carna-
lium sole siccetur. Hoc frumẽtum supernus agricola in mun-
do surgere ac nubes desiderare conspexerat, cùm dicebat:
Matth.9. Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate autem
Dominum messis vt mittat operarios in messem suam. Qui
igitur hîc frumentum, illic messis, qui verò hîc nubes, illic G
operarij vocantur: quia prædicatores sancti & nubes sunt &
operarij, nubes videlicet per doctrinam, operarij per vitam:
nubes quia verbis influunt, operarij quia non desinunt agere
quod loquuntur. Vnde & subditur: *Et nubes spargunt lumen
suum.*) Nubes enim lumen spargere, est prædicatores sanctos
exempla & loquendo & agendo dilatare. Sed quãuis annun-
tiationis intimæ lumen spargant, non tamen ad conuertenda
omnium quæ appetunt corda perueniunt. Nam sequitur:
*Quæ lustrant cuncta per circuitum, quocunque eas voluntas gubernantis
duxerit.*) Sæpe enim prædicatores sancti exhortari quosdam
volunt, sed nequeunt. Sæpe quosdam declinare appetunt, sed
tamen internæ instigationis impulsu exhortari eos instantissi-
mè compelluntur. Videamus nubem Dei quomodo guber-
nantis manu & ad ea quæ non appetit ducitur, atque ab im-
pulsu suo iterum gubernantis manu retinetur. Certè Paulus
cùm vestimenta sua excutiens à Corinthijs discedere vellet,
Acto.18. audiuit: Noli timere, sed loquere, & ne taceas, propter quod
H
1.Thess.2. ego tecum sum, & nemo apponetur tibi vt noceat te, quo-
niam multus est mihi populus in hac ciuitate. Rursum cùm
ad Thessalonicenses voluisset ire, retentus est, dicens: Volui
venire ad vos ego quidem Paulus, & semel & iterum, sed im-
pediuit me Satanas. Neque enim per semetipsum Satan præ-
pedire Apostoli vias potuit, sed occultæ dispensationis vsi-
bus dum aduersatur, nesciens deseruiuit, vt nimirum Paulus
dum ad alios vellet accedere nec valeret, eis à quibus recede-
re non poterat, aptius prodesset. Nubes igitur Dei cuncta per
circuitum lustrant: quia prædicationis luce mundi fines illu-
minant. Sed quia diuinis nutibus subditæ nequeunt explere
quod volunt, ire non possunt, nisi quò eas voluntas guber-
nantis duxerit. Vnde & adhuc subiungitur: *Ad omne quod
præcipitur eis super faciem orbis terræ.*) Sæpe enim cùm guber-
nantis voluntate perducuntur, aliter agere appetunt, sed aliter
disponuntur. Nam plerunq; quosdam auditores suos student
blandè cõrrigere, & tamen eorum sermo in asperitatem duci-
tur: Plerunque quosdam resecare asperè appetunt, sed tamen
eorum rigor per mansuetudinis spiritum refrenatur. Sicut er-
go non possunt ire quò volũt, ita etiam nequeunt agere sicut
E volunt. Quia enim eos internus arbiter tenet, cùm mittit, ita
illos etiam modificans suscipit cùm perducit, vt aliquando in
cogitatione alia disponãt, sed alia in opere peragãt, aliquan-
do aliter inchoent, sed aliter consumment. Quia igitur iuxta
hoc quod sibi præcipitur seruiunt, dicatur rectè: *Quocunque
eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod præceperit illis super
faciem orbis terræ.*) Eo enim apertiorem viam prædicationis in-
ueniunt, quod ad hanc non suis, sed præceptoris sui nutibus
ducuntur. Vnde adhuc subditur:

Quòd secundum gratiam Dei, verbum fidei ad omnes peruenit, & profectus iustitiæ, neque volentis, neque currentis, sed misericordis est Dei.

Caput XX.

Siue in vna tribu, siue in terra sua, siue in quocunque loco misericordiæ suæ eas iusserit inueniri.) Vna tribus profectò Iuda intel-
ligitur, quæ in scriptura sacra clara ac multiplex præ cæteris
memoratur. Quæ in hoc quòd ex se redemptoris nostri car-
nem protulit, speciale præ omnibus munus accepit. Terra au-
tem Dei, simul omnis Iudæa nominatur. Quæ tunc ei fidei
suæ fructum protulit, cùm totus sub idolorum cultu delapsis
gentibus mundus errauit. Locus autem misericordiæ Dei est
ipsa gentilitas, cuius culpas districtus iudex si iustè animad-
uerteret, ad reconciliationem gratiæ nunquam veniret. Quæ
cùm nulla apud Deum merita habuit; reconciliationis tamen
gratiam ex sola misericordia accepit. Vnde per Paulum dicit-
Romã.15. tur: Gentes autem super misericordia honorare Deum. Vn-
1.Petri.2. de rursus scriptum est: Qui quondam non consecuti miseri-
cordiam, nunc autem misericordiam consecuti. Nubes ergo
suas Deus ducit, siue in vna tribu, siue in terra sua, seu in quo-
cunque loco misericordiæ suæ eas iusserit inueniri: quia præ-
dicatores veteris nouiq; testamenti aliquãdo soli tribui Iudæ
contulit, & Israël penè totum ex praua regum gubernatione
reprobauit. Aliquando & in terra sua has pluere nubes facit:
quia eũdem Israëliticum populum ad antiquam gratiam post
correptionem captiuitatémque reuocauit. Aliquando de lo-
co suæ misericordiæ eas clarescere voluit: quia per prædica-
tores sanctos etiam gentibus virtutum miracula ostendit, vt
sola misericordia à iugo erroris absolueret, quos ingenitæ
23 perfidiæ ira deprimebat. Sed ecce Heliu quia futura per
Propheticum spiritum sensit, quia multa sublimiter protu-
lit, vir arrogans elationis suæ pondere lassatus non valet por-
tare quæ dicit. Nam per iactantiam protinus adiungit: *Auscul-
ta hæc Iob, sta & considera miracula Dei.*) Quasi in comparatione
sui iacentem vidit, quem ad verba tantæ prædicationis vt sta-
ret admonuit. Quantis & per hoc quod dicit: *Ausculta*, grau-
em beato Iob contumeliam irrogat: quia, sicut iam de illo
& superius diximus, arrogãtia minoris est, auditum sibi velle
extorquere maioris. Sed licèt Heliu bona quæ dicit, nesciat
pensare cui dicit, nos qui erudiri ab hominibus quærimus, in-
dagare verba doctrinę illius subtiliter debemus. Nam magna
fortasis virtutis arte dicitur: *Sta & considera miracula Dei.*)
Sunt nonnulli quippe qui Dei miracula iacentes considerant:
quia operationis eius potentiam non sequentes admirantur.
Stare quippe est recta agere. Vnde & per Paulum dicitur: 1.Corint.10.
Qui se existimat stare, videat ne cadat. Et sæpe quidẽ superna
iudicia mirantur, prædicamenta cœlestis patriæ cùm audiunt
dũligunt, mira opera internæ dispositionis obstupescunt: sed
tamen amãdo & viuendo ad hæc eadem opera assurgere ne-
gligunt. Iacentes ergo Dei miracula considerãt, qui eius po-
tentiam sciendo pensant, sed viuendo non amant. Per con-
templationem quidem in consideratione oculos tendunt, sed
tamen per intentionem sese à terra non erigunt. Vnde bene Nume.24.
in Balaam exprobratione dicitur: Qui cadens apertos habet
oculos. Multa nanque de aduentu redemptoris dixerat, &
quæ in nouissimis temporibus erant ventura præuidebat, sed
tamen ei viuendo assurgere noluit, quem præuidendo præ-
dicauit. Iacens apertos oculos habuit, cùm eius mentem &
prophetia ad cœlestia tenderet, & auaritia in terra retineret.
Iacens apertos oculos habuit: quia eum videre de superiori-
bus potuit, quem prostratus in infimis non amauit. Heliu ita-
que qui beatum Iob nequaquam credidit viuendo tenuisse
quod dixit, quasi admonens dicit: Sta & considera miracula
Dei. Quem adhuc de venturis discutit, & quasi de ignorantia
humilians adiungit:

Quòd nisi

Quòd nisi prædicatores loquendo prodant quales intus sint, aut reliquis hominibus similes, aut longè despectiores videantur.

Caput XXI.

N*Vnquid scis quando præceperit Deus pluuiis vt ostenderent lucem
nubium eius?*) Si nubes sancti prædicatores sunt, pluuiæ
nubium sunt verba prædicationum. Sed nubes cùm per aëra
transuolant, nisi pluuiæ deorsum veniant, nescietur quantam
aquarum immensitatem portant. Nisi coruscus Sol inter plu-
uias erumpat, intelligi non valet quid in eis etiam claritatis la-
teat: quia nimirum prædicatores sancti si taceant, & nequaquã
loquentes ostendant, quanta sit cœlestis spei claritas quam in
cordibus gestant, aut reliquis hominibus similes, aut longè his
despectiores videntur. Cùm autem aperire per prædicotionẽ
cœperint quæ sit supernæ patriæ remuneratio, quam intrinse-
cus tenent, cùm persecutione presi, in qua virtutis arce profe-
cerint innotescunt, cùm visione despecti, loquendo insinuant
vnde timeantur, ipsæ quæ de nubibus influunt pluuiæ, lucem
nobis earundem nubium ostendunt. Per verba enim prędica-
torum agnoscimus, vt in eis claritatem vitæ quam appetunt, B
cum magna humilitate veneremur. Hanc nimirũ lucem Pau-
Ephe.1. lus discipulis ostendebat, cùm diceret: Vt sciatis quæ sit spes
vocationis eius, quæ diuitiæ gloriæ hęreditatis eius in sanctis,
& quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos qui
credimus. Hanc lucem Corinthij per scriptorum verba quasi
2.Cor.10. per pluuiæ guttas agnouerant, cùm dicebant: Epistolæ graues
sunt & fortes, præsentia autem corporis infirma & sermo cõ-
24. temptibilis. Sed plerunque prædicatores sancti ostendere
semetipsos vt prosint cupiunt, nec tamen possunt. Plerunque
latere vt quieti sint appetunt, nec tamen permittuntur. Nemo
igitur scit quando lucem nubium pluuiæ ostendant: quia ne-
mo comprehendit quãdo Deus virtutem prædicationis præ-
beat, vt prædicantium gloria clarescat. Dicit ergo: *Nunquid
scis quando præceperit Deus pluuiis, vt ostenderent lucem nubium eius:*)
ac si apertè dicat: Nunquid si venturos in mundo prædicato-
res iam conspicis, quando eos ad prædicandum Dominus re-
pletione sancti Spiritus impellat, quibũsve modis eorum vitæ C
claritatem mundo innotescat, apprehendis? Vnde adhuc aptè
subiungitur:

Quòd in doctrina Euangelica angustæ semitæ sunt regulæ continentiæ, & perfecta scientia sit, de profectu virtutum, non in se, sed in Domino gloriari.

Caput XXII.

N*Vnquid nosti semitas nubium magnas & perfectas scientias?*)
Habent istæ nubes semitas subtilissimas, scilicet sanctæ
prædicationis vias. Angusta quippe porta est quæ ducit ad vi-
tam. Eos ergo per semitas astringunt, qui ab intentionis corũ
tramite per lata mundi desideria euagando non exeunt. Arcta
enim bene viuẽdi mensura nõ est ampla via, sed semita, in qua
prædicator quisque studiosè cõstringitur: quia sub præceptor-
um custodia solicitè coangustatur. An non quasi quædã an-
gustia est itineris, in hoc quidem mundo viuere, sed de huius
mundi concupiscentia nihil habere, aliena non appetere, pro-
pria non tenere, laudes mũdi despicere, & pro Deo opprobria
amare, gloriam fugere, despectum sequi, adulantes despicere,
despicientes honorare, mala nocẽtium ex corde dimittere, &
erga eos dilectionis gratiã immobilem in corde retinere? Quę
videlicet omnia semitæ sunt, sed magnæ: quia quantò in præ-
senti vita pro ipsa viuendi custodia angustę sunt, tãtò amplius
in æterna retributione dilatantur. Vnde & bene subditur: *Et
perfectas scientias.*) Perfecta quippe scientia est, & cuncta hæc
solicitè agere, & se de suis meritis scire nihil esse. Vnde & ipsę
nubes de hac perfecta scientia docentur, cùm eis voce verita-
Luca 17. tis dicitur? Dum feceritis omnia quę pręcepta sunt vobis, dicite,
Serui inutiles sumus. Perfecta scientia est scire omnia, & ta-
men iuxta quendam modum scientem se esse nescire: quia etsi
iam Dei pręcepta nouimus, etsi iam virturem verborum illius
solicita intẽtione pensamus, etsi iam quæ intellexisse nos ce-
dimus agimus: adhuc tamen acta eadem qua districtione exa-
minis sint discutienda nescimus, necdũ Dei faciem cernimus,
necdum occulta eius consilia videmus. Quanta ergo est no-
stra scientia, quæ quousque mortalitatis nostræ pondere pre-
mitur, ipsa suæ incertitudinis nubilo cęcatur? De qua bene per
A Paulum dicitur: Qui se existimat scire aliquid nondũ cogno- 1.Cor.8.
uit quemadmodum oporteat eum scire. In hoc itaque mũdo
dum viuimus, tunc perfectè quæ sciẽda sunt scimus, cùm pro-
ficientes per intelligẽtiam, nihil nos perfectè scire cognosci-
mus. Dicitur igitur: *Nunquid nosti semitas nubium magnas & per-
fectas scientias?*) ac si apertè dicat: Nunquid iam summa acta
prædicantium conspicis, qui postquam per scientiam ad alta
se eleuant, deorsum se humiliter per cognitionem suæ igno-
rantiæ inclinant? Quod quia solo sancti Spiritus dono agitur,
vt humanum cor non solum de scientia, sed etiam de ipsa sua
ignorantia perfectè doceatur, & calore amoris ad superna fer-
ueat, dum minora esse quæ cognouit in infimis pensat, recte
subiungitur.

Quòd doctorum & auditorum concordia quæ mutua charitate coalescit, ex Spiritu sancto est.

Caput XXIII.

N*Onne vestimenta tua calida sunt, cùm perflata fuerit terra Austro?*)
Sæpe beatum Iob figuram sanctæ Ecclesiæ tenere iam
diximus. Vestimenta verò Ecclesiæ sunt omnes qui ei fidei
adunatione iunguntur. De quibus eidem Ecclesiæ per Pro-
phetam Dominus dicit: Viuo ego: quia omnibus his velut or- Esaiæ 49.
namẽto vestieris. Per Austrũ verò qui nimirum calidus ven-
tus est, nõ immeritò Spiritus sanctus designatur, quo quisque
dum tangitur, ab iniquitatis suæ torpore liberatur. Vnde bene
in Canticis canticorum dicitur: Surge Aquilo & veni Auster, Canti.4.
perfla hortum meum, & fluãt aromata illius. Aquilo enim iu-
betur vt surgat, vt nimirum is qui mortalium corda restringit
aduersarius spiritus fugiat. Auster enim venit & hortum per-
flat vt eius aromata diffluant: quia per aduentum sancti spiri-
tus dum mens hominum repletur, ex ea mox opinio virtu-
tum aspergitur, vt iure iam sanctorũ lingua quasi hortus Au-
stro perflat" dicat: Christi bonus odor sumus Deo. Vestimẽ- 2.Cor.2.
ta ergo sanctæ Ecclesiæ calida sunt dum terra Austro perfla-
tur: quia hi qui ei per fidem inhærent, feruentibus charitatis
studiis inardescunt, dum eorum mens sancti Spiritus afflatu
perfunditur. Quod quidem & de eodem beato Iob nil obstat
intelligi: quia sic hæc generaliter in sancta Ecclesia dicimus, C
vt tamẽ per membra eius singula specialiter teneamus. Vnus-
quisque enim qui rectè viuit, atque hoc & alios docere con-
sueuit, quasi tot vestimenta habet, quot auditores ei concor-
diter inhærent. Natura nanque vestimentorum est, vt per 29.
semetipsa calere non possint, sed adiuncta viuenti corpori,
dum exhalantes membrorum poros contegunt, emanantem
ab intimis calorem premunt, quo nimirum calore hæc eadem
vestimenta calefiunt, sed calefacta calorem quem acceperint,
retinendo ad corpus reddunt. Quid ergo per vestimenta vi-
uenti corpori adhærentia, nisi discipulorum vita magistris
bene viuentibus coniuncta signatur? Quæ quasi per poros ca-
lorem accipit: quia ad amorem Dei & exemplo actionis, &
impulsu exhortationis ignescit. Quæ velut frigus proprium
expellit, dum à pristina iniquitate discedit, calorem quem ac-
cepit retinet: quia in eo quem prædicando sumpserit, feruore
conualescit. Doctores autem sancti dum auditores suos in a-
D nimorem Dei proficere sentiunt, ipsi amplius in doctrinę virtu-
te feruescunt, & quia eos ad summa inardescere & feruescere
conspiciunt, ad prædicãda bona cœlestis patriæ validius suc-
cenduntur. Qui etsi quando pro eo quòd adhuc vitam corru-
ptibilem humanæ infirmitatis agunt, de qualibet culpa saltem
tenuiter in opere, in locutione, in cogitatione tentantur, di-
scipulorum suorum profectum conspiciunt, & ipsi vel in mi-
nimis esse reprehensibiles erubescunt, ne qua fortè exempla
tortitudinis præbeant eis quos prædicationis voce ad regu-
lam intimæ rectitudinis vocant. Dum ergo verbo doctorum
accenduntur auditores, quasi ex viuenti corpore vestimenta
calefiunt. Sed dum ex profectu auditorum etiam vita docen-
tium proficit, quasi ex calefactis vestimentis calor ad corpus
redit. Sed nequaquam sibi doctores tribuant quòd per ex-
hortationem suam ad summa proficere auditores vident:
quia nisi spiritus sanctus eorum corda repleat, ad aures cor-
porum vox docentium incassum sonat. Formare enim vo-
cem magistri exterius possunt, sed hanc imprimere inte- 1.Cor.3.
rius non possunt. Neque enim qui plantat est aliquid, ne-
que qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Dicatur ergo:

Nónne vestimenta tua calida sunt, cùm perflata fuerit terra Austro?) Quia nimirum tunc auditores qui iam bene viuentibus doctoribus inhærent, calorem superni amoris accipiũt, cùm per afflatum sancti Spiritus excitantur, ac si apertè beato Iob diceret: Incassum tibi tribuis si quos per te profecisse in virtutibus contemplaris: quia hi quos per te incaluisse æstimas, nisi eos Spiritus sancti feruor attingeret, frigidi in sua insensibilitate remanerent. Postquam verò hæc fortiter dixit, per arrogãtiam leuiter motus, irrisionis ilico verba subiungit dicens:

Quòd sancti Angeli hoc in munere retributionis acceperunt à Deo, vt ad peccatum vltrà moueri non possint.

Caput XXIIII.

TVnc forsitan cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt. Possunt per cœlos hi qui in cœlestibus sunt conditi, Angelici spiritus designari. Vnde & in oratione nostra
Matth.6. dicere voce veritatis instruimur: Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra: vt nimirum voluntas Dei, sicut à superiori creatura agitur, ita in omnibus etiam ab humana infirmitate seruetur. De quibus bene dicitur: Qui solidissimi quasi ære fusi sunt. Naturæ nanque æris est rubigine difficilè consumi. Et virtutes angelicæ quæ in diuino amore fixę perstiterunt, lapsis superbientibus angelis, hoc in munere retributionis acceperunt, vt nulla iam rubigine surripientis culpæ mordeantur, vt in contemplatione conditoris sine fœlicitatis fine permaneant, & in hoc quod sunt conditæ, æterna stabilitate subsi-
Gene.1. stant. Quod bene apud Moysen ipsa de mundi origine historiæ verba testantur, cùm & prius factum cœlum dicitur, & hoc idem postmodum firmamentum vocatur: quia videlicet natura Angelica, & prius subtilis est in superioribus condita, & pòst ne vnquam potuisset cadere, mirabilius confirmata. Possunt etiam per cœlos, vt sæpe diximus, electorum mentes exprimi, à cunctis terrenis contagiis intimo amore
Philip.3. suspensæ. Qui quanuis corpore degant in infimis: quia tamen corde iam inhærét summis veraciter dicunt: Nostra conuersatio in cœlis est. Qui solidissimi vt ære fusi sunt: quia ab integritate cœptæ fortitudinis, nulla mutabilitatis rubigine cõsumuntur. Quibus & fortiter contra aduersa durantibus au-
Ioan.15. thoris voce dicitur: Vos estis amici mei, qui permansistis mecum in tẽtationibus meis. Sed quãuis doctus & arrogans cùm irridere sanctum virum nititur, irrisioni suæ sortia dicta permisceat, à dictis tamen fortibus semper ad superuacua verba relabitur. Nam iterum eum deridendo subiungit: *Ostende nobis quid dicamus ei, nos quippe inuoluimur tenebris.*) Ac si dicat, Tu qui iam magna intelligentiæ luce perfrueris, docere nos qui ignorantiæ tenebris inuoluimur, debes. Qui mox ab irrisione resiliens, despiciendo subiungit: *Quis narrabit ei quæ loquor?*) Ac si apertè dicat: Quæ ego ei de suis laudibus acutè sentiens non audita loquor: quis hæc narrare vel postquam audierit potest? Sed quia cum doctrina & arrogantia in vnius mentis habitatione confligit, à loquẽtis ore non solùm sonat viuendi leuitas, sed etiam grauitas sentiẽdi, postquam Heliu per arrogãtiam leuiter intumuit, dicens: Quis narrabit ei quæ loquor, mox per doctrinam subdidit:

Quòd ineffabilis sit Deus, & scrutator maiestatis opprimatur à gloria.

Caput XXV.

26 *ET iamsi locutus fuerit homo, deuorabitur.*) Omne quod aliquid deuorat, hoc introrsus trahens, ab intuentium oculis occultat, & rem quæ videri in superficie potuit, in profundum rapit. Homo igitur cùm de Deo tacet, per rationem in qua est conditus, esse aliquid videtur. At si loqui de Deo cœperit, ilico quàm sit nihil ostenditur: quia magnitudinis illius immensitate deuoratur, & quasi in profundum raptus absconditur; quia fari ineffabilem cupiens, ipsa suæ ignorantiæ angustia deglutitur. Loquitur enim caro de spiritu, circunscriptus spiritus de incircunscripto, creatura de creatore, temporalis de æterno, mutabilis de immutabili, mortalis de viuificante, & cùm in tenebris positus internum lumen sicut est nesciat, homo de æternitate disserere cupiens, cæcus de luce loquitur. Si ergo locutus fuerit homo, deuorabitur: quia si effari homo æternitatem sicut est appetit, etiam hoc sibi subtrahit quod de illa vel tacitus sentit. Sed ecce æternitas tunc hominibus verè innotuit, cùm se eis humanitate suscepta monstrauit. Quæ quia necdum reuelata fuerat, de eisdem hominibus rectè subiungitur. *At nunc non vident lucem.*) De qua *Esaiæ 9.* nimirum luce etiam per Prophetam dicitur: Populus qui ambulat in tenebris, vidit lucem magnam. Sed hæc eadem lux qualiter ab hominibus videatur, insinuat, cùm protinus subdit: *Subitò aër cogitur in nubes.*) Aër quippe ipsa sua tenuitate spargitur, vt nulla firmitate solidetur. Nubes autem tantò firmiores sunt, quãtò densiores. Quid ergo per aërem nisi mentes secularium designantur, quæ innumeris huius vitæ desideriis deditæ, huc illúcque more aëris fluidæ disperguntur? Sed aër in nubes cogitur, cùm fluxæ mentes per superni respectus gratiam virtutis soliditate roborantur, vt intra sinum cordis recta sentiendo se colligant, & in vanis cogitationibus non liquescant. Aër Petrus fuerat, cùm per terrena desideria sparsum eum, quasi aura transiens pro vita carnis cura piscationis *Matth.4.* agitabat. Aër etiam Apostoli omnes extiterant, qui iam per *Ibidem.* legem alta didicerant, sed necdum per fidem firma sapiebant. Subitò autem aër in nubes coactus est: quia per respectum supernæ gratię, fluxa corda piscantium in soliditatem versa sunt prædicatorum, vt eorum infirmæ cogitationes fortia sentiendo densescerent, ac more nubium aquas scientiæ caperent, & subter iacentem terram verbis prædicationis irrigarent, quo peracto ministerio, ad cœli secreta recurrerent, atque ad æternam requiem finito labore peruenirent. Vnde & bene mox subditur: *Et ventus transiens fugabit eas.*) Ventus quippe est transiens, vita præsens. Ventus ergo transiens nubes fugat: quia mortalis vita percurrens prædicatores sanctos à nostris oculis corporaliter occultat. Ventus ergo trãsiens nubes fugat: quia vitæ temporalis excursus à carne Apostolos subtrahit, & eos à terræ superficie in secreta requie quasi in cœlorum cardine abscondit. Sed quia vsq; ad mortem prædicare non desinunt, præsentis vitæ spatium more nubium cum verborum pluuia excurrunt, quid eorum laboribus in sancta Ecclesia agatur, adiungit, cùm protinus subdit:

Quòd filiis regni in tenebras exteriores proiectis, multi ab Oriente & Occidente quasi aurum in thesauros venerunt: & multus ex hoc nobis sit timor, quoniam non intelligimus cur reprobato trunco, in ramis insitis complacuit ei.

Caput XXVI.

AB Aquilone aurum veniet.) Quid per Aquilonem nisi peccati frigore cõstricta gentilitas designatur? quàm ille sub iugo suæ tyrannidis tenuit, qui superbiens dixit: Sedebo in *Esaiæ.4.* monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Quid verò auri nomine, nisi animæ fideles exprimuntur? De quibus per Hiere- *Thren.4.* miam dicitur: Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? Aurum quippe obscuratum doluit: quia in quibusdam claritatem innocẽtiæ versam in culpæ nigredinem vidit. Ab Aquilone ergo aurum venire dicitur: quia per respectum gratiæ redemptoris, à gentilitate dudum perfidię torpore frigida, intra sanctam Ecclesiam preciosa Deo vita fidelium multiplicatur. Ab Aquilone etenim aurum venit, cùm ab ipsis idolorum cultoribus vera in Domino fides clarescit. Sed conuersis ad fidem gentibus, Iudæa contradicit, & ad præmiorum retributionem cœlestium dedignatur suscipere eos qui dudum fuerant cultores idolorum. Vnde post conuersionem gentium Petro dicitur: Quare introisti ad viros præputium habentes, & comedisti cum eis? Quo contra rectè *Actor.11.* per Esaiam Dominus dicit: Dicam Aquiloni, da, & Austro, *Esaiæ.43.* noli prohibere. Sicut enim per Aquilonem gentilitas, sic per Austrum Iudæa signatur. Quæ quasi meridiano Sole incaluit: quia redemptore in carne apparẽte, feruorem fidei prima suscepit. Aquiloni ergo da dicitur, cùm auferre Deo suæ fidei munera gentilitas imperatur. Austro autem iubetur ne prohibeat: quia Hebræis in fide consistentibus præcipitur ne vitam gentium repellendo condemnent. Vnde hîc quoque quia dictum est: Ab Aquilone aurum veniet, aptè subiungitur: *Et à Deo formidolosa laudatio.*) Sic enim formidolosa laudatio à Deo venire dicitur, ac si ab his, qui in parte Dei sunt, id est, à fidelibus venire diceretur. Auro igitur ab Aquilone veniente, à Deo formidolosa laudatio prodiit: quia dum claritatem suæ fidei gentilitas obtulit, multitudo Hebræorum fidelium diuina iudicia pertimescendo laudauit. Sed quomodo ab Aquilone

quilone veniat aurũ, quomodo ab his qui sub Deo sunt, formidolosa laudatio erumpat, ipsa nobis historia sacri eloquij
Actor.10. ostendit. Scriptum quippe est: Cornelius Centurio cohortis quæ dicitur Italica, religiosus & timens Deum cùm omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deũ semper, vidit in visu manifestè quasi hora dei nona, angelum Dei introeuntem ad se, & dicentem sibi: Corneli. At ille intuens eum, timore correptus dixit: Quis es Domine? Dixit autem illi: Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Aurũ ergo ab Aquilone venit, dum in conspectu Dei ex gentibus cum eleemosynis veniẽs oratio ascẽdit. Quod cùm Petrus fratribus retulisset, quomodo vel Cornelius angelum, vel ipse de cœlo submitti ad se linteũ cum bestiis reptilibus ac volatilibus vidisset, vel quomodo Spiritus sanctus etiam ante baptisma gentilium corda
Ibidem. perfuderit, qui nunquam in Iudæorum mentibus nisi post aquam baptismatis venit, protinus scriptum est: His auditis tacuerunt, & glorificauerunt Deum dicentes: Ergo & gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit. Multitudo ergo fidelium formidolosam Deo laudem obtulit, quæ saluatis gentibus, à suo se murmure, dona cœlestis gratiæ admirãdo, compressit. Vnde ipse quoque Petrus miratur dicens: In veritate comperi, quòd non est personarum acceptor Deus. Sed cùm gentes fidem suscipiunt, cur ab eis qui iam fideles sunt, formidolosa venire laudatio dicitur, cùm læta venire potius quàm formidolosa debuisset? Sed idcirco conuersis gentibus, ab Hebræis iam fidelibus formidolosa laudatio prodiit: quia nimirum iustè Iudæa repulsa est, dum piè est gentilitas vocata: & damna suæ repulsionis timuit, dum lucra alienę vocationis vidit. Vnde nos quoque quotidie, dum iniquos quosque ad inopinatam vitæ celsitudinem prouehi repente conspicimus, sub occultis Dei iudiciis timendo gaudemus, ne per occulta iudicia quosdam Deus, qui digni putantur deserat, qui per hæc ad se eos qui indigni æstimantur vocat: Sequitur: *Dignè eum inuenire non possumus, & si inuenire iam eum possimus, non tamen dignè.*) Quia quicquid in illo sentimus, ex fide est, & non ex specie. Hoc tamen quod iam se inuenisse considerat, adiungit dicens: *Magnus fortitudine & iudicio & iustitia, & enarrari non potest.*) Magnus quippe est fortitudine: quia fortem aduersarium superat, & de domo illius vasa contumeliæ inferens, in misericordiæ vasa permutat. Magnus iudicio quia & si hîc electos suos per aduersa deprimit, eos quandoque in gloria æternæ prosperitatis extollit. Magnus iustitia: quia etsi hîc diu tolerat, quandoque tamen reprobos sine termino damnat. Bene autem subditur: *Et enarrari non potest.*) Qui enim sentiri dignè non valet, quanto minus dici? Sed melius hunc vtcunque dicimus, si sub considerationis eius formidine admirando taceamus. Sequitur:

Quòd Deum contemplari non possunt qui humiles non sunt: & quid fit quòd Dauid cùm reduceret arcam Dei in Hierusalem, nudus saltabat.

Caput XXVII.

IDeo timebunt eum viri, & non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes.) Hoc loco Heliu viros eos qui ad intelligentiam sunt fortes appellat. Et notãdum quòd non ait: Et non audebunt contemplari sapientes: sed, qui sibi videntur esse sapiẽtes. Quibus videlicet verbis peritos quidem, sed arrogantes insinuat. Heliu ergo dum multa fortiter sentit, in locutionis suæ fine se tetigit. Viri nanque arrogantes & docti cùm rectè non viuunt, sed tamẽ recta dicere doctrinæ impulsionibus compelluntur, ipsi damnationis suæ aliquo modo præcones fiunt: quia dum ea quæ agere respuunt, prædicantes insinuant, suis se vocibus damnatos clamant. Contra quos bene
Psal.77. per Psalmistam dicitur: Cõuersi sunt in arcum peruersum. Arcus quippe peruersus ipsum, à quo intẽditur percutit. In dictis autem suis arrogantiũ linguæ arcui peruerso sunt similes: quia dum contra elationem verba faciunt, in suis authoribus sagittas figunt. Vnde summa cura prouidẽdum est, ne accepta sapientia cùm ignorantiæ tenebras illuminat, lumen humilitatis tollat, vt iam sapientia esse nequeat. Quæ etsi virtute locutionis fulgeat, elationis tamen velamine cor loquentis obscu-
Bona summa. rat. Alia nanque sunt bona summa, alia bona media. Bona enim summa sunt, fides, spes, charitas. Quæ cùm veraciter habentur, in malum inflecti non possunt. Bona autem sunt media, prophetia, doctrina, curationum virtus, & cætera, quæ ità *Bona media.* inter vtrunque sunt posita, vt aliquando per hæc sola æterna patria, aliquando verò gloria terrena requiratur. Medias ergo has virtutes dicimus, quas ad quodcunque mens appetit inclinamus. Quibus perceptis ita, vti animus sicut terrenis diuitiis potest. Per terrenas nanque diuitias alij in gloriæ ostentatione superbiunt, alij erga proximorum indigentiam ministeria pietatis operantur. Cùm per doctrinã igitur atque prophetiam laus exterior quæritur, quasi per corporales diuitias terrenæ glorię culmẽ ambitur. Cùm verò doctrina atque prophetia lucrandis animabus impenditur, quasi acceptæ diuitiæ egenis fratribus largiuntur. Quia ergo sæpe per ipsa dona quę se percipere exultat, à manu dantis incautus animus elongat, vigilanti prouisione curandum est, vt & prius subigantur vitia, & pòst sub circunspectione dona teneantur. Nam si in eis mens incautè se deserit, non per hæc adiuta subuehitur, sed quasi pro anteactis laboribus remunerata reprobatur. Vnde fit etiam vt accepta virtus dum in vsu transitoriæ laudis assumitur: quia vitio militat, virtus non fit. Quia enim origo virtutis humilitas est, illa in nobis virtus veraciter pullulat, quæ in radice propria, id est, in humilitate perdurat. A qua nimirum si abscinditur, arescit: quia viuificantem se in intimis humorẽ charitatis perdit. Sed quia per hoc quod ab Heliu dicitur: *Non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes:*) occulta cordis elatio reprobatur, intueri libet, quanta virtutum munera Dauid perceperat, atque in his omnibus quàm forti se humilitate seruabat. Quem enim non extolleret ora leonum frãgere, vrsorum brachia dissipare, despectis prioribus fratribus eligi, reprobato rege ad regni gubernacula vngi, timendum cunctis vno lapide Goliam sternere, à rege proposita extinctis allophylis numerosa præputia reportare, promissum tandem regnum percipere: cunctúmque Israëliticum populum sine vlla contradictione possidere? Et tamen cùm arcam Dei in Hierusalem reuocat, quasi oblitus prælatum se omnibus, admixtus populis ante arcam saltat. Et quia coram arca saltare, vt creditur, vulgi mos fuerat: rex se in diuino obsequio per saltum rotat. Ecce quem Dominus cunctis singulariter prætulit, sese sub Domino, & exæquando minimis, & abiecta exhibendo contemnit. Non potestas regni ad memoriam reducitur: non subiectorum oculis saltando vilescere metuit, non honore prælatum cæteris, ante eius arcam qui honorem dedit recognoscit. Coram Deo egit vilia vel extrema: vt illa per humilitate solidaret, quæ coram hominibus gesserat fortia. Quid de eius factis ab aliis sentiatur ignoro: ego Dauid plus saltantem stupeo quàm pugnantem. Pugnãdo quippe hostes subdidit: saltando autem coram Domino semetipsum vicit. Quem Michol filia Saul adhuc ex tumore regij generis insana, cùm humiliatum despiceret, dicens: Quàm gloriosus fuit 2.Reg.6. hodie rex Israël discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est quasi si nudetur vnus de scurris, protinus audiuit: Viuit Dominus, quia ludam ante Dominũ qui elegit me potius quàm patrem tuum. Ac paulopòst ait: Et ludam, & vilior fiam plusquam factus sum, eróq; humilis in oculis meis. Ac si apertè dicat: Vilescere corã hominibus appeto: quia seruare me coram Domino ingentum per humilitatem quæro. Sunt verò nonnulli qui de semetipsis humilia sentiunt: quia in honoribus positi nil se esse nisi puluerẽ suuillámque perdunt, sed tamen coram hominibus despecti apparere refugiunt, & contra hoc quod de se interius cogitant, quasi rigida exterius venustate palliantur. Et sunt nõnulli qui viles videri à hominibus appetunt, atque omne quod sunt, deiectos se exhibendo contẽnunt: sed tamẽ apud se introrsus quasi ex ipso merito ostensæ vilitatis intumescũt, & tãtò magis in corde elati sunt, quantò amplius in specie elationẽ premũt. Quæ vtraq; vnius elationis bella, magna Dauid circunspectione deprehẽdit, mira virtute superauit. Quia enim de semetipso intũ humilia sentiens, honorem exterius non quærit, insinuat dicẽs: Ludam & vilior fiam. Et quia per hoc quòd vilẽ se exterius præbuit, nequaquam interius intumescit, adiũgit: Eróque humilis in oculis meis, ac si dicat: Qualem me exterius despiciens exhibeo, talem me & interius attendo. Quid ergo acturi sunt quos doctrina eleuat, si Dauid ex carne sua venturũ redẽptorem no-

uerat, eiúſque gaudia prophetando nuntiabat, & tamen in ſe-
E metipſo ceruicem cordis valida diſcretionis calce deprime-
bat, dicens: Eróque humilis in oculis meis? Bene ergo per
Heliu dicitur: Ideo timebũt eum viri, & non audebunt con-
templari omnes qui ſibi videntur eſſe ſapientes. Contemplari
enim Dei ſapientiam non poſſunt, qui ſibi ſapientes viden-
tur: quia tantò ab eius luce longè ſunt, quantò apud ſemet-
ipſos humiles non ſunt: quia in eorum mentibus dum tumor
elationis creſcit, aciem contemplationis claudit, & vnde ſe lu-
cere præ cæteris æſtimant inde ſe lumine veritatis priuant. Si
igitur veraciter ſapientes eſſe, atque ipſam ſapientiam con-
templari appetimus, ſtultos nos humiliter cognoſcamus. Re-
linquamus noxam ſapientiam, diſcamus laudabilem ſatuita-
1. Corint. 1. tem. Hinc quippe ſcriptum eſt: Stulta mundi elegit Deus, vt
Ibidem. confundat ſapientes. Hinc rurſum dicitur: Si quis videtur in-
ter vos ſapiens eſſe in hoc ſeculò, ſtultus fiat vt ſit ſapiens.
Lucæ. 19. Hinc Euangelicæ hiſtoriæ verba teſtãtur: quia Zachæus cùm
videre præ turba nihil poſſet, ſycomori arborem aſcendit, vt
trãſeuntem Dominum cerneret. Sycomorus quippe ficus fa-
tua dicitur. Puſillus itaq; Zachæus Sycomorum ſubiit, & Do-
minum vidit: quia qui mundi ſtultitiam humiliter eligunt, ipſi
Dei ſapiẽtiam ſubtiliter contemplantur. Puſillitatem nanque
noſtram ad videndum Dominum turba præpedit: quia infir-
mitatem humanæ mẽtis ne lucem veritatis intendat, curarum
ſecularium tumultu premit. Sed prudẽter ſycomorum aſcen-
dimus, ſi prouidè eam quæ diuinitus præcipitur ſtultitiam
mente tenemus. Quid enim in hoc mundo ſtultius quàm a-
miſſa non quærere, poſſeſſa rapientibus relaxare, nullam pro
acceptis iniuriis iniuriam reddere, imo adiunctis aliis patien-
Lucæ. 6. tiam præbere? Quaſi enim ſycomorum nos aſcendere Domi-
Matth. 5. nus præcipit, cùm dicit: Qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas.
Et rurſum: Si quis te percuſſerit in dextram maxillam, præbe
illi & alteram. Per Sycomorum Dominus tranſiens cernitur:
quia per hanc ſapientem ſtultitiam etſi necdum vt eſt ſolidè,
iam tamen per contemplationis lumen Dei ſapientia quaſi in
G transitu videtur. Quam iuxta Heliu verba videre nequeunt,
qui ſibi ſapientes eſſe videntur: quia ad conſpiciendum Do-
minum in elata cogitationum ſuarum turba deprehẽſi, adhuc
ſycomori arborem non inuenerunt.

Libri vigeſimiſeptimi Moralium ſancti Gregorij finis.

B. GREGORII MORALIS EXPOSITIONIS IN IOB, LIBER VIGESIMVS-OCTAVVS.

Caput I.

POST damna rerum, poſt funera pignorum, poſt vulnera corporis, poſt verba malè ſuadentis vxoris, poſt contumelioſa dicta conſolantium, poſt ſuſcepta fortiter iacula tot dolorum, de tanta virtute conſtãtiæ laudandus à iudice beatus Iob fuerat, ſi iam de præſenti ſeculo eſſet euocandus. At poſtquam hîc adhuc duplicia recepturus eſt, poſtquam ſaluti priſtinæ reſtituitur, vt rebus redditis diutius vtatur, ne per elationis gladium ipſa illum ſua victoria ſternat, debet omnipotens Deus increpare per diſtrictam iuſtitiam quem ſeruat ad vitam. Quid enim peius plerunque animam quàm conſcia virtus interficit? Quæ illam dum conſideratione ſua inflat, à plenitudine veritatis euacuat: & dum ſe ad percipienda præmia ſufficere ſuggerit, eam à meliorationis intentione diſtendit. Iuſtus igitur Iob ante flagella extitit, ſed iuſtior poſt flagella permanſit: & laudatus ante à Dei
H voce, poſtmodum creuit ex verbere. Profectò velut turba ductilis ex percuſsione producta, in laudem Dei tantò altius eleuatus eſt, quantò maiori eſt caſtigatione percuſſus. Sed humiliandus erat iſte qui proſtratus vlceribus, ſic virtutibus ſtabat. Humiliandus erat, ne tam robuſtiſsimum pectus elationis tela confoderent, quod conſtabat certè quia & illata vulnera non viciſſent. Requirendus nimirum fuit homo, cui
E ius debuiſſet comparatione ſuperari. Sed quid eſt quod de eo voce Domini dicitur: Vidi ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis vir ſuper terram? Cuius ergo comparatione poterat vinci, de quo Deo atteſtante dicitur: quia nullius hominis comparatione poſsit æquari? Quid itaque agendum eſt, niſi vt ex perſona ſua ipſe Dominus ſuas illi virtutes narret, & dicat ei? Nunquid producis luciferum in tempore ſuo, & veſperum ſuper filios terræ conſurgere facis? Et iterum: Nunquid apertæ ſunt tibi portæ mortis, & oſtia tenebroſa vidiſti? Vel certè: Nunquid poſt ortum tuum præcepiſti diluculo, & oſtendiſti auroræ locum ſuum? Quis verò iſta niſi Dominus poteſt? Et tamen interrogatur homo, vt cognoſcat quia iſta non poteſt: quatenus vir qui tam immenſis virtutibus creuit, & nullius hominis exemplo vincitur, ne extolli debeat, Dei comparatione ſuperetur. Sed ô quàm potenter erigitur, qui tam ſublimiter humiliatur! O quanta eſt hominis victoria, hanc ex Dei comparatione perdidiſſe! O quantò hominibus
F maior eſt, qui teſtimoniis conuincitur Deo minor! Multum quippe potẽs eſt, qui tali interrogatione oſtenditur, quia potens non eſt. Sed quia ad obſcura nimis differenda ducimur, ad eiuſdem textus iam verba veniamus.

Textus capitis. xxxviij. Libri beati Iob.

REſpondens autem Dominus Iob de turbine, dixit: Quis eſt iſte inuoluens ſententias ſermonibus imperitis? Accinge ſicut vir lumbos tuos, interrogabo te, & reſponde mihi. Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi ſi habes intelligentiam. Qui poſuit menſuras eius, ſi noſti, vel quis tetendit ſuper eam lineam? Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt? Aut quis demiſit lapidem angularem eius cùm laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei? Quis concluſit oſtiis mare, quando
C erumpebat quaſi de vulua procedens, cùm ponerem nubem veſtimẽtum eius, & caligine illud quaſi pannis infantiæ obuoluerem? Circundedi illud terminis meis, & poſui vectem & oſtia, & dixi: Hucuſque venies, & non procedes amplius, & hîc confringes tumentes fluctus tuos. Nunquid poſt ortum tuum præcepiſti diluculo, & oſtendiſti auroræ locum ſuum, & tenuiſti concutiens extrema terræ, & excuſsiſti impios ex ea? Reſtituetur vt lutum ſignaculum, & ſtabit ſicut veſtimentum. Auferetur ab impiis lux ſua, & brachium excelſum confringetur. Nunquid ingreſſus es profundum maris, & in nouiſsimis abyſsi deambulaſti? Nunquid apertæ ſunt tibi portæ mortis, & oſtia tenebroſa vidiſti? Nunquid conſideraſti latitudinem terræ? Indica mihi ſi noſti omnia, in qua
H via lux habitet, & tenebrarum quis locus ſit, vt ducas vnumquodque ad terminos ſuos, & intelligas ſemitas domus eius? Sciebas tunc quòd naſciturus eſſes, & numerum dierum tuorum noueras? Nunquid ingreſſus es theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti, quæ præparaui in tempus hoſtis, in diem pugnæ & belli? Per quam viam ſpargitur lux, diuiditur æſtus ſuper terram? Quis dedit vehementiſsimo imbri curſum, & viam ſonantis tonitrui, vt plueret ſuper terram abſq; homine in deſerto, vbi nullus mortalium commoratur, vt impleret inuiam & deſolatam, & produceret herbas virentes? Quis eſt pluuiæ pater, vel quis genuit ſtellas roris? De cuius vtero egreſſa eſt glacies, & gelu de cœlo quis genuit? In ſimilitudinem lapidis aquæ durantur, & ſuperficies abyſsi cõſtringitur. Nunquid coniungere valebis micantes ſtellas pleiades, aut gyrum arcturi poteris diſſipare? Nunquid producis luciferum in tempore ſuo, & veſperum

& veſperum ſuper fines terræ conſurgere facis? Nun
A quid noſti ordinem cœli, & pones rationẽ eius in terra? Nũquid eleuabis in nebula vocem tuam, & impetus aquarum operiet te? Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi, Aſſumus? Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam? vel quis dedit gallo intelligentiam? Quis enarrabit cœlorum rationem, & concentum cœli quis dormire faciet? Quando fundabatur puluis in terram, & glebæ compingebantur? Nunquid capies leænæ prædam, & animã catulorum eius implebis, quando cubant in antris, & in ſpecubus inſidiantur? Quis præparat coruo eſcã ſuam, quando pulli eius clamãt ad Deum, vagientes eo quòd non habeant cibos?

Quibus modis hominibus loquatur Deus. Caput II.

2. REſpondens autem Dominus Iob de turbine dixit.) Notandum B
video: quia ſi ſano atque incolumi loqueretur, ex tranquillitate dominica locutio facta diceretur: ſed quia flagellato loquitur, de turbine locutus fuiſſe deſcribitur. Aliter enim Dominus ſeruis ſuis loquitur, cùm eos intrinſecus per compunctionem prouehit, aliter cùm per diſtrictionem ne extollantur premit. Per blandam enim locutionem Domini amãda dulcedo eius oſtẽditur, per terribilem verò poteſtas eius metuenda monſtratur. In illa perſuadetur animæ vt proficiat, in iſta reprimitur quæ proficit. In illa diſcit quod appetat, in iſta
Zacha. 2. quod metuat. Per illam dicit: Gaude & lætare filia Sion: quia ecce venio & habitabo in medio tui. Per iſtam dicitur: Domi-
Eſaiæ. 66. nus in tempeſtate veniet, & in turbine viæ eius. Blãdus quippe eſt, qui vt in medio inhabitet venit. Cùm verò ſe per tẽpeſtatem & turbinem inſinuat, nimirum quæ tangit corda perturbat, atque ad edomandam elationem ſe exerit, quando potens & terribilis innoteſcit. Sciendum præterea eſt quia duobus modis locutio diuina diſtinguitur. Aut per ſemetipſum
C nanque Dominus loquitur, aut per creaturam angelicã eius ad nos verba formantur. Sed cùm per ſemetipſum loquitur, ſola nobis vis internę inſpirationis aperitur. Cùm per ſemetipſum loquitur, de verbo eius ſine verbis ac ſyllabis cor docetur: quia virtus eius intima quadam ſubleuatione cognoſcitur. Ad quam mens plena ſuſpenditur, vacua grauatur. Pondus enim quoddam eſt, quod omnem animam quã replet leuet. Incorporeum lumen eſt, quod & interiora repleat, & repleta exterius circunſcribat. Sine ſtrepitu ſermo eſt, qui & auditum aperit, & habere ſonitum neſcit. Quod enim de aduentu ſancti
Actor. 2. Spiritus ſcriptum eſt: Factus eſt repente de cœlo ſonus tanquã aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes, & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ quaſi ignis, ſedíque ſupra ſingulos eorum: per ignem quidem Dominus apparuit, ſed per ſemetipſum locutionem interius fecit. Et neque ignis Deus, neque ille ſonitus fuit, ſed per hoc quod exterius exhibuit, expreſsit hoc quod interius geſsit.
D Quia enim diſcipulos & zelo ſuccenſos, & verbo eruditos intus reddidit, foris linguas igneas oſtendit. In ſignificatione igitur admota ſunt elementa, vt ignem & ſonitum ſentirent corpora, igne verò inuiſibili, & voce ſine ſonitu docerentur corda. Foris ergo fuit ignis qui apparuit, ſed intus qui ſcientiã
Actor. 8. dedit. Et cùm reginæ Candacis eunuchus currui præſidens iter caperet, atque Eſaiam nõ intelligens in manibus haberet, in corde nimirũ ſpiritus Philippo dixerat: Adiunge te ad curum. Et cùm ad euocãdum Petrũ timentes Deũ milites Cornelius dimiſiſſet, in mẽte proculdubio à ſpiritu Petrus audiuit:
Actor. 10. Ecce tres viri quærunt te. Surge itaque deſcende & vade cum
Ibidem. eis. Spiritũ enim Dei quaſi quædã nobis verba dicere, eſt occulta vi ea quæ agenda ſunt intimare, & cor hominis ignarum non adhibito ſtrepitu & tarditate ſermonis, peritũ repente de abſconditis reddere. Nam quia auditus ea quæ ad ſe fiunt non ſimul omnia dicta comprehẽdit, quippe qui & cauſas per verba, & particulatim verba per ſyllabas percipit, viſus autem noſter in eo quòd ſe dirigit, totũ ſubitò, & ſimul apprehẽdit, Dei locutio ad nos intrinſecus facta videtur potius quã audiatur: quia dum ſemetipſum ſine mora ſermonis inſinuat, repentina
A luce noſtrę ignorantię tenebras illuſtrat. Vnde & Baruch Ne- Baruch. 1.
riæ filius cùm requiſitus exponeret, quẽadmodũ verba Hieremiæ propetantis audiſſet, ait: Ex ore ſuo loquebatur quaſi legens, & ego ſcribebam. Qui enim legens loquitur, aliò intẽdit, ſed aliò verbum facit: quia quod videt dicit. Prophetę ergo Dei quia eius verba vident potius in corde quàm audiũt, quaſi legentes loquuntur. Cùm verò per angelum voluntatẽ ſuam Dominus indicat, aliquando eam verbis, aliquando rebus demonſtrat, aliquando ſimul verbis & rebus, aliquando imaginibus cordis oculis oſtenſis, aliquando imaginibus & ante corporeos oculos ad tempus ex aëre aſſumptis, aliquando cœleſtibus ſubſtantiis, aliquando ſimul terrenis, aliquando ſimul terrenis & cœleſtibus. Nonnunquam verò etiam per angelum humanis cordibus ita loquitur Deus, vt ipſe quoque angẽlus mentis obtutibus pręſentetur. Verbis nanque per angelum loquitur Deus, cùm nil in imagine oſtenditur, ſed ſu-
pernæ verba locutionis audiuntur, ſicut dicẽte Domino: Pa- Ioan. 17.
ter clarifica filiũ tuũ, vt & filius tuus clarificet te, protinus reſpõdetur: Clarificaui, & iterum clarificabo. Neque enim Deus qui ſine tempore vi impulſionis intimæ clamat, in tempore per ſuam ſubſtantiam illam vocem edidit, quam circunſcriptã tempore per humana verba diſtinxit: ſed nimirum de cœleſtibus loquens, verba ſua quæ ab hominibus audiri voluit, rationali creatura adminiſtrante formauit. Aliquando rebus per angelos loquitur Deus, cùm nil verbo dicitur, ſed ea quæ fu-
tura ſunt, aſſumpta de elemẽtis imagine nũtiantur: ſicut Eze- Ezech. 1.
chiel nil verborũ audiẽs, electri ſpeciẽ in medio ignis vidit, vt videlicet dum ſolam ſpeciẽ aſpiceret, quę eſſent in nouiſsimis ventura ſentiret. Electrum quippe ex auri argentíque metallo miſcetur, in qua permixtione argentum quidẽ clarius redditur, ſed tamen fulgor auri temperatur. Quid ergo in electro niſi mediator Dei & hominum demõſtratur? Qui dum ſemetipſum nobis ex diuina atque humana natura cõpoſuit, & humanam per deitatem clariorem reddidit, & diuinã per humanitatẽ noſtris aſpectibus temperauit. Quia enim virtute diuinitatis eius tot miraculis humanitas fulſit, ex auro creuit argẽ-
C tum, & quòd per carnem Deus cognoſci potuit, quódque per carnem tot aduerſa tolerauit, quaſi ex argento temperatũ eſt aurum. Quod bene & in medio ignis oſtẽditur: quia incarnationis eius myſterium ſubſequentis iudicij flamma comitatur.
Scriptum quippe eſt: Pater nõ iudicat quẽquam, ſed omne iu- Ioan. 5.
dicium dedit filio. Aliquando per angelos verbis ſimul & 3.
rebus loquitur Deus, cùm quibuſdam motibus inſinuat hoc quod ſermonibus narrat. Neque enim Adam põſt culpam in diuinitatis ſubſtantia videre Dominum potuit, ſed increpationis verba per angelum audiuit, de quo ſcriptum eſt: Cùm Gene. 3.
audiſſet vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem, abſcondit ſe inter ligna paradiſi. Quid eſt enim quòd poſt peccatum hominis in paradiſo Dominus iam non ſtat, ſed deambulat, niſi quòd irruente culpa ſe à corde hominis motum demonſtrat? Quid eſt quòd ad auram poſt meridiem, niſi quòd lux feruentior veritatis abſceſſerat, & peccatricem animam culpæ ſuæ frigora conſtringebant? Increpauit ergo Adam deambulans, vt cæcis mentibus nequitiam ſuam non ſolùm ſermonibus, ſed etiam rebus aperiret, quatenus peccator homo & per verba quod fecerat audiret, & per deambulationem amiſſo æternitatis ſtatu, mutabilitatis ſuæ inconſtantiam cerneret, & per aurem feruore charitatis expulſo, torporem ſuum animaduerteret, & per declinatio-
nem Solis cognoſceret quod ad tenebras propinquaret. 4.
Aliquando imaginibus cordis oculis extenſis per angelos lo-
quitur Deus, ſicut Iacob ſubnixam cœlo ſcalam dormiens vi- Gene. 28.
dit: ſicut Petrus linteum reptilibus ac quadrupedibus plenum Actor. 10.
in ecſtaſi raptus aſpexit, qui niſi incorporeis oculis hęc cerne- Actor. 16.
ret, in ecſtaſi nõ fuiſſet, ſicut Paulo in viſione noctis vir Macedo apparuit, qui tãſire eũ in Macedoniam rogauit. Aliquãdo imaginibus & ante corporeos oculos ad tempus ex aëre aſſumptis per angelos loquitur Deus, ſicut Abrahã non ſolùm tres veros videre potuit, ſed etiã habitaculo terreno ſuſcipere, & nõ ſolùm ſuſcipere, ſed eorum vſibus etiã cibos adhibere. Niſi enim angeli quædã nobis interna nuntiantes ad tempus ex aëre corpora ſumerẽt, exterioribus profectò noſtris obtutibus non apparerent: nec cibos cum Abraham caperent, niſi

propter nos solidum aliquid ex cœlesti elemento gestarent. E Nec mirum quòd illic ipsi qui suscepti sunt, modò angeli, modò Dominus vocatur: quia angelorum vocabulo exprimuntur qui exterius ministrabant, & appellatione Domini ostenditur, qui eis interius præerat, vt per hoc præsidentis imperium, & per illud clarescceret officium ministrantium.

5 Aliquando cœlestibus substantiis per Angelos loquitur Deus, sicut baptizato Domino scriptū est: quia de nube vox sonuit, dicens: Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. *Matth. 3.* Aliquādo terrenis substātiis per Angelos loquitur Deus, sicut cùm Balaam corripuit, in ore asinæ humana verba formauit. *Nume. 22.* Aliquando simul & terrenis & cœlestibus substantiis per Angelos loquitur Deus, sicut ad Moysen in monte cùm iussionis suæ verba edidit, ignem rubúmque sociauit, atque aliud superius, aliud inferius iunxit. *Exod. 3.* Quod tamen tunc solùm agitur, cùm ex ipsa aliquid coniunctione signatur. Nam per succensum rubum Moysen alloquens, quid aliud ostenditur, nisi quòd eius populi ductor fieret, qui & legis flammam perciperet, & tamē peccati spinam nequaquam vitaret, vel quòd F ex illo populo exiret, qui in igne deitatis carnis nostræ dolores quasi rubi spinas susciperet, & inconsumptam humanitatis nostræ substantiam, etiam in ipsa diuinitatis flamma seruaret.

6 Nonnunquam verò humanis cordibus etiam per angelos Deus, secreta eorum præsentia, virtutem suæ aspirationis infundit. Vnde & Zacharias ait: Et dixit ad me Angelus qui loquebatur in me. *Zacha. 1.* Dum ad se quidem, sed in se tamen loqui Angelum dicit, liquidò ostendit quòd is qui ad ipsum verba faceret, per corpoream speciem extra non esset. Vnde & paulo pòst subdidit: Et ecce Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur. Sæpe enim non exterius apparent, sed sicut sunt Angelici spiritus, qui voluntatem Dei prophetarum sensibus innotescunt, atq; eos ita ad sublimia subleuant, & quæque in rebus futura sunt, in causis originalibus præsentia demonstrant. Humanum nanque cor ipso carnis corruptibilis pondere grauatum, hanc ipsam corpulētiam suam quasi obiicem sustinens, interna non penetrat, & graue exterius iacet: G quia leuantem manum interius non habet. Vnde fit, sicut dictum est, vt prophetarum sensibus ipsa vt est subtilitas angelicæ virtutis appareat, corúmque mens quo subtili spiritu tangitur, leuetur: & non iam pigra torpénsque in imis iaceat, sed repleta intimis afflatibus, ad superna conscendat, atque inde quasi de quodam rerum vertice quæ infra se ventura sunt, videat. Sed ne quis in prædictis Zachariæ verbis Angeli designatum nomine vel patrem, vel filium, vel spiritum sanctum putet, si textum scripturæ sacræ considerat, quod sentit velociter emendat, quæ nunquam patrem, nunquam spiritum sanctum, & non nisi per incarnationis suæ prædicationem filium Angelum vocat. Vnde & in eiusdem Zachariæ verbis apertè ostenditur, quod in illo verè Angelus, id est, creatura loqueretur, cùm diceretur: Et ecce Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur. Statimque subiungitur: Et alius Angelus egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eum: Loquere ad puerum istum, dicens: Absq; muro habitabitur Hierusalem. Non H est itaque Deus Angelus qui mittitur, cui verba ab Angelo quæ dicere debeat, iubentur. Sed quia in conspectu conditoris angelica ministeria ordinata graduum positione distincta sunt, vt & pro cōmuni fœlicitate beatitudinis opificem suum simul videntes gaudeant, & tamen pro dispositione dignitatis aliis alij subministrent, ad Prophetam Angelus Angelum mittit, & quem secum de Deo gaudere communiter conspicit, & docet, & dirigit: quia eum & per superiorem scientiam virtute cognitionis, & per præstantiorem gratiam culmine potestatis excedit. Hæc igitur dicta sunt, vt quibus modis loquatur Deus hominibus demonstraretur. Cùm verò beato Iob respondisse Dominus de turbine dicitur, vtrum per semetipsum, an ei per Angelum sit locutus ambigitur. Potuerunt quippe per Angelum commotiones aëris fieri, & hæc ei quæ subiuncta sunt per eum verba mandari. Rursúmque potuit & exterius Angelus in turbine aërem excutere, & tamen interius per semetipsum Dominus vim suæ sententiæ cordi eius sine verbis insonare, vt credatur quòd dicta dominica quę sequuntur, ipse iam per verba protulit, qui repletus Deo, hæc sine verbis audiuit.

Quòd arrogantes Deus se nescire dicit, cùm improbat.
Caput III.

7 Itaque dicitur: *Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis?*) Sicut & superiori parte iam diximus, prima exprobratio est talis interrogatio qua dicitur, quis est iste? Heliu enim arroganter locutus fuerat. Et quis est iste non dicimus, nisi de eo vtique quem nescimus. Scire autem Dei, approbare est, nescire, reprobare. Vnde quibusdam quos reprobat dicit: Nescio vos vnde sitis. Discedite à me omnes operarij iniquitatis. *Matth. 25. Lucæ. 13.* Quid est ergo de hoc arrogante requirere, quis est iste, nisi aperte dicere, ego arrogantes nescio, id est, eorum vitam in sapientiæ meæ arte non approbo? Quia dum laudibus humanis inflantur, à vera gloria æternæ retributionis inanescunt. In eo verò quod ait, sententias, & non addidit quales, bonas vtique accipimus, quas quidem imperitis asserit sermonibus inuolutas: quia cùm verbis iactātiæ fuerant prolatæ. Imperitiæ quippe vitium est rectum non rectè sapere, id est cœleste donum ad appetitum terrenæ laudis inclinare. Sicut enim sæpe contingit vt & bona malè, & mala bene proferantur, ita Heliu arrogans recta non rectè protulit: quia humiles in Dei defensione sententias non humiliter dixit. Vnde & eorum qui intra catholicam Ecclesiam inani gloriæ student, non immeritò typum tenet, qui dum se præ cæteris peritos credunt, diuino iudicio de imperitia redarguuntur: quia sicut Apostolus ait: Si quis se existimat scire aliquid, nondum cognouit quemadmodum oporteat eum scire. *1. Corinth. 8.* Quia enim prima stultitia Angeli elatio cordis fuit, vera sapientia efficitur hominis, humilitas suæ æstimationis. Quam quisquis vel magna sapiendo deserit, eoipso vehementer desipit, quo semetipsum nescit. Vnde Heliu & sententias protulit, & imperitis sermonibus inuolutas: quia & de Deo rectum quod diceret nouerat, & tamen de semetipso dicta illius elatio stulta infatuabat. Hoc itaque despecto, ad erudiendum Iob verba vertuntur, ac dicitur.

Quòd res perfectæ virtutis sit non esse castum tantum corpore, sed etiam mente.
Caput IIII.

Accingere *sicut vir lumbos tuos.*) Scriptura sacra viros vocare consueuit, qui nimirum vias Domini fortibus & non dissolutis gressibus sequuntur. Vnde per Psalmistam dicitur: Viriliter agite, & confortetur cor vestrum. *Psalm. 26.* Vnde Paulus ait: Remissas manus & dissoluta genua erigite. *Hebr. 12.* Vnde & sapientia in Prouerbiis dicit: O viri ad vos clamito, ac si apertè diceret: Ego non fœminis, sed viris loquor: quia hi qui fluxa mente sunt, mea verba percipere nequaquam possunt. *Prouer. 8.* Lumbos verò accingere, est vel in opere luxuriam, vel in cogitatione laudis appetitum refrenare. Delectatio nanq; carnis in lumbis est. Vnde & sanctis prædicatoribus dicitur: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes. *Lucæ. 12.* Per lumbos eius luxuria, per lucernas autem bonorum operum claritas designatur. Iubentur ergo lumbos accingere, & lucernas tenere. Ac si apertè audiant: Prius in vobismetipsis luxuriam restringite, & tunc de vobis aliis bonorum operum exempla monstrate. Sed cùm beatum Iob tanta præditum castitate nouerimus, cur ei post tot flagella dicitur: Accinge sicut vir lumbos tuos, id est, sicut fortis restringe luxuriam: nisi quia alia est luxuria carnis, qua castitatem corrumpimus, alia verò luxuria cordis est, qua de castitate gloriamur? Dicitur ergo ei: Accinge sicut vir lumbos tuos, vt qui prius luxuriam corruptionis vicerat, nunc luxuriam restringat elationis, ne de patientia, vel castitate superbiens, tantò peius intus ante Dei oculos luxuriosus existeret, quantò magis ante oculos hominum, & patiens, & castus appareret. Vnde bene per Moysen dicitur: Circuncidite præputia cordis vestri, id est, postquam luxuriam à carne extinguitis, etiam superflua cogitationum resecate. *Deute. 10.* Sequitur.

Quibus modis Deus hominem interroget.
Caput V.

Interrogabo *te, & responde mihi.*) Tribus modis nos conditor noster interrogare consueuit, cùm aut flagelli districtione nos percutit, & quanta nobis insit, vel desit patientia ostendit: aut quædam quæ nolumus præcipit, & nostram nobis obedientiam, vel inobedientiam patefacit: aut aliqua nobis occulta aperit, & aliqua abscondit, & nobis mensuram humilitatis nostræ innotescit. *Tribus modis nos conditor interrogat.* Flagello nanq; interrogat, cùm mentem bene

tem bene sibi per tranquillitatem subitam, afflictionibus pulA sat, sicut idem Iob & laudatur attestatione iudicis, & tamen ictibus conciditur percussoris, vt eius patientia tantò verius clarescceret, quantò inquisita durius fuisset. Præcipiendo autē dura nos interrogat: sicut Abraham terram suam iubetur egredi, & pergere quò nesciebat: in montem vnicum filium ducere, & quem ad consolationem senex acceperat, immolare. *Gene. 22.* Cui nimirum ad interrogationem bene respondenti, id est, ad iussionem obedienti dicitur: Nunc cognoui quia times Deum: *Ibidem.* vel sicut scriptum est: Tentat vos dominus deus vester, vt sciat si diligitis eum. *Deute. 13.* Tentare quippe Dei, est magnis nos iussionibus interrogare. Scire quoque eius, est nostram obedientiam nosse nos facere.

8 Aperiendo verò nobis quædam, atque claudēdo quædam, nos interrogat Deus, sicut per Psalmistam dicitur: Palpebræ eius interrogant filios hominum. *Psalm. 10.* Palpebris quippe apertis cernimus, clausis nihil videmus. Quid ergo per palpebras Dei, nisi eius iudicia accipimus? Quæ iuxta aliquid claudunt hominibus, & iuxta aliquid referantur, vt homines qui se nesciunt, sibimetipsis in- B notescant, quatenus dum quædam intelligendo comprehendūnt, quædam verò cognoscere omnino non possunt, eorū corda sese latenter inquirant, si illos diuina iudicia, vel clausa non stimulant, vel aperta non inflant. Hac enim interrogatione Paulus probatus est qui post perceptam internam sapientiam, post aperta claustra paradisi, post ascensum tertij cœli, post supernæ locutionis mysteria adhuc dicit: Ego me non arbitror cōprehēdisse. *Philip. 3.* Et rursum: Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus. *1. Corin. 15.* Et rursum: Non quia sufficientes sumus aliquid cogitare à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. *1. Corin. 3.* Apertis ergo palpebris Dei interrogatus Paulus rectè respondit: qui & superna secreta attigit, & tamē in humilitate cordis humiliter stetit. Qui rursū cū secreta Dei iudicia de repulsione Iudęorū, & gētiū vocatione discuteret, atq; ad ea peruenire non posset, quasi clausis Dei palpebris interrogatus est. Sed rectum valde responsum reddidit, qui Deo se in ipsa sua ignorantia C scienter inclinauit, dicens: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. *Roma. 11.* Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Ecce enim absconsis mysteriis quasi clausis palpebris inquisitus placita ac recta respondit, qui secreti aditum pulsans, quia per cognitionē intromitti ad interiora nō valuit, per confessionem ante ianuas humilis stetit, & quod intus comprehendere non potuit, foris timendo laudauit. Vnde nunc quoque beatus Iob post interrogationem verberis discutitur interrogatione sermonis, vt quæ sint superna consideret, quæ dum minimè comprehendit, ad semetipsum redeat, & quàm sit iuxta nihilum in supernorum comparatione cognoscat. Audiat itaque: *Interrogabo te, & responde mihi.*) ac si apertius dicatur: Verbis meis ad sublimia consideranda te excito, & dum ea quæ super te sunt, nescire te perspicis, tibimetipsi te notiorem reddo. Tunc enim mihi verè respondes, si quæ ignoras intelligis. Sequitur:

Quòd fundator mundi sit Deus, & mensuram, & lineas super eum ponat, cùm diuidens singulis, prout vult, constituit vt non pro suo nutu, sed secundum mensuram donationis eius quisque proficiat.
Caput VI.

V*Bi eras quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi si habes intelligentiam. Quis posuit mensuras eius si nosti, vel quis tetendit super eam lineam? Super quo bases illius solidatæ sunt?*) Ecce omnia quasi de mundi origine narratione historica contexuntur. Repente verò subiungitur quod non de mundi, sed de Ecclesiæ dictum conditione videatur. Nam dicitur: *Aut quis dimisit lapidem angularem eius?*) Per hoc enim quòd non in mundi origine factum est, & illud superius ostenditur, quia de mundi origine dictum non est. *Cur rebus planis & patentibus obscura quędam & dissona permiscéantur.* Idcirco nanque rebus planis ac patentibus obscura quædam ac dissona permiscentur, vt per hoc quod intellectu literæ discrepat, & illud inquiratur mysticè quod dictum iuxta literam sonat. Nanque sicut aliis apertis rebus alia clausa cognoscimus, ita aliis clausis compellimur & illa altiori intellectu pulsare, quæ aperta cre-

A debamus. Dicat ergo: *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ?*)

9 In scriptura sacra quid aliud fundamenta quàm prædicatores accipimus? *Fundamenta predicatores.* Quos dum primos Dominus in sancta Ecclesia posuit, tota in eis sequentis fabricæ structura surrexit. Vnde & sacerdos cùm tabernaculum ingreditur, duodecim lapides portare in pectore iubetur: *Exod. 28.* quia videlicet semetipsum pro nobis sacrificium offerens pontifex noster, dum fortes in ipso exordio prædicatores exhibuit, duodecim lapides sub capite in prima sui corporis parte portauit. Sancti itaque Apostoli & pro prima ostensione ornamenti lapides sunt in pectore, & pro prima soliditate ædificij in solo fundamenta. Vnde Dauid Propheta cùm sanctam Ecclesiam in sublimibus Apostolorum mentibus poni ædificaríque conspiceret: Fundamenta eius, inquit, in montibus sanctis. *Psal. 86.* Cùm verò in sacro eloquio non fundamenta, sed singulari numero fundamentum dicitur, nullus alius nisi ipse Dominus designatur, *Fundamentum Dominus.* per cuius diuinitatis potentiam, nutantia infirmitatis nostræ corda solidantur. De quo & Paulus ait: Fundamentum aliud B nemo potest ponere, præter id quod positum est Christus Iesus. *1. Corin. 3.* Ipse quippe fundamentum fundamentorum est: quia & origo est inchoantium, & constantia robustorum. Quia igitur fundamenta nostra sunt hi qui iniquitatum nostrarum pōdera portauerunt: ne beatus Iob in superbia de virtutum suarum potentia subleuetur, in ipsa dominici prima parte sermonis de sanctorum prędicatorum commemoratione discutitur: vt quantò illos admirabiles venire conspiceret, tantò in eorū cōparatione de se vilius æstimaret. Quod idcirco à Domino iam quasi pręteritum describitur: quia quicquid foris futurum est in opere, intus iam factum est in prædestinatione. Dicitur itaque ei: *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ?*) Ac si apertè diceretur: Virtutem fortium considera, méque eorum ante secula auctorem pensa: & cùm eos quos in tempore condidi, mirabiles suspicis, perpende quantum mihi subdi debeas, quem authorem mirabilium sine tempore esse cognoscis. Sequitur: *Indica mihi si habes intelligentiam: quis posuit mensuras eius si* C *nosti, vel quis tetendit super eam lineam?*) Mensurarum lineæ in terrarum partitione tenduntur, vt dimensionis æquitas ex ipsa linearum tensione teneatur. In carne autem Dominus ad Ecclesiam veniens, mensuras terræ lineis mensus est: quia fines Ecclesiæ occulti iudicij subtilitate distinxit. Huius terræ occultæ mensuræ, vel lineæ tendebantur, quando prædicatores sancti agente spiritu in alias partes mundi vocabantur, vt irēt, ab aliis verò partibus arcebantur ne accederent. Paulus nanq; Apostolus cùm Macedoniæ prædicare negligeret, per visum illi apparuit vir Macedo, qui diceret: Transiens in Macedoniā adiuua nos. At contrà sicut scriptum est: Tentabant Apostoli ire in Asiā, & nō permisit eos spiritus Iesu. *Acto. 16. Ibidem.* Dum ergo prædicatores sancti, & vocantur ad Macedoniam, & ab Asia prohibentur: ista occultarum mensurarū linea illic ducta est, hinc reducta. Illic tenditur, vt Macedonia intra sanctæ Ecclesiæ spatia colligatur: hinc attrahitur, vt extra fines fidei Asia relinquatur. Erant quippe tunc in ea qui colligendi non erant: quibus iuxta meritum suum perditis, iam nunc Asia intra mensu- D ras Ecclesiæ Deo largiente suscepta est. Intra has ergo mensuras sunt omnes electi, extra has omnes reprobi: etiam si intra fidei limitem esse videantur. Vnde & in Apocalypsi scriptum est: Atrium quod foris templum est, eiice foras: & ne metiaris illud. *Apoc. 11. Atrium latitudo vitæ præsentis.* Quid enim aliud atrium quàm latitudinē significat vitæ præsentis? Et rectè foris templū sunt, qui per atrium designātur: atque ideo metiendi non sunt, quia angusta est porta quæ ducit ad vitam: & latitudo vitæ prauorum non admittitur ad mensuras, & regulas electorū. Istæ spiritales lineæ occulto iudicio tendebantur, quando cuidam dicēti: Magister, sequar te quocunque ieris: eiusdē magistri voce responsum est: Vulpes foueas habēt, & volucres cœli nidos: filius autem hominis nō habet vbi caput suum reclinet. *Matth. 8.* Istæ mēsuræ & lineæ tendebātur, cùm cuidam dicēti: Domine, permitte me primum ire sepelire patrem meum: eiusdē magistri voce respōsum est: Sine vt mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, annūtia regnum Dei. *Lucæ. 9.* Ecce alius secuturū se promittit & repellitur: alius relaxandum se postulat & retinetur. Vnde hoc, nisi quia super occulta cordis spatia supernorum iudiciorum lineæ tendebātur, vt & hunc intus incōprehensibiles mensuræ constrin-

gerent, & ille foris non iniustè remaneret? Sed cùm nullus E
nesciat, quia Deus has occultorum iudiciorum lineas tendat,
cur ad Iob dicitur: *Indica mihi si habes intelligentiam: quis posuit*
mensuras eius si nosti: vel quis tetendit super eam lineam?) An idcirco
requiritur vt quod nosse, sed tamen prætermittere poterat
memoretur: quatenus pondus secretorum Dei solicitius
pense: dispensationem videlicet hominis non in humanis
viribus, sed in manu consistere conditoris: vt dum conside-
rat inuisibiliter ista quis agat, suæ virtuti nihil tribuat: nec
iam de se audeat aliquid, cùm Dei iudicia occulta formidat:
sed perpendens desuper mensuras, & lineas incomprehensi-
biliter tensas, tantò magis in humilitate formidinis consistat,
quantò magis pendere videt omnia in potestate mensoris.
Sequitur: *Super quo bases illius solidatæ sunt?*) Quid aliud huius
terræ bases, quàm sanctæ Ecclesiæ doctores accipimus? In
basibus quippe columnæ, in columnis autem totius fabricæ
pondus erigitur. Non ergo immeritò doctores sancti basium
nomine designantur: quia dum recta prædicant, & prædica-
tioni suæ viuendo concordant, omne pondus Ecclesiæ fixa F
morum suorum gravitate sustentant: asperas ab infidelibus
tentationes ferunt: & quæque in præceptis Dei velut difficili-
a à fidelibus formidantur, exemplis operum facilia osten-
dunt. Vnde & bene cùm in typo Ecclesiæ tabernaculum fi-
geretur, ad Moysen dicitur: Facies columnas quatuor, & ba-
ses earum vesties argento. In argento enim quid aliud quàm
Psalm.11. claritas diuini sermonis accipitur? sicut scriptum est: Eloquia
Domini eloquia casta: argentum igne examinatũ, probatum
terræ, purgatum septulum. Bases ergo argento vestitæ qua-
tuor columnas tabernaculi sustinent: quia prædicatores Ec-
clesiæ diuino eloquio decorati, vt cunctis se exemplum præ-
beãt, quatuor Euangelistarum dicta, & ore, & operibus por-
tant. Possunt per bases etiam prophetæ signari: qui dum pri-
mi apertè de dominica incarnatione locuti sunt, quasi quas-
dam bases eos conspicimus à fundamento consurgere, &
Exod.26. superpositæ fabricæ pondera sustinere. Vnde ad Moysen
rursum Dominus cùm tabernaculi tabulas erigi præcepit, G
fundi earum bases argenteas iubet. Quid enim per tabulas,
nisi Apostoli extensa in mundum prædicatione dilatati: quid
per bases argenteas, nisi Prophetæ signantur? qui superimpo-
sitas tabulas ipsi firmi ac fusiles sustinent: quia Apostolorum
vita dum eorum prædicatione instruitur, eorum authoritate
solidatur. Vnde & coniunctæ binæ bases singulis tabulis su-
perponuntur: quia dum prophetæ sancti in verbis suis de me-
diatoris incarnatione concordant, subsequentes prædicato-
res Ecclesiæ indubitanter ædificant: vt cùm à semetipsis non
discrepant, illos in se robustius figant. Nec immeritò bases
quibus prophetæ signantur, vt ex argento fundi debeãt præ-
cipitur. Argenti quippe claritas ex vsu seruatur: sine vsu autẽ
in nigredinem vertitur. Prophetarũ quoque dicta ante me-
diatoris aduentum, quia in vsu spiritalis intelligentiæ non e-
rant, dũm conspici præ obscuritate nõ poterant, quasi nigra
remanebant. At postquam mediator veniens, ea ante oculos
nostros incarnationis suę manu tersit, quicquid in eis lucis la
tebat inclaruit: sensúsque patrum præcedentium in vsum de-
dit, quia verba reb' exposuit. Siue itaq; prophetas, seu docto-
res extremis tẽporibus subsequentes basiũ appellatione signi
ficet, dicat: Super quo bases illius solidatę sunt? subaudis, nisi
super me, qui cuncta mirabiliter teneo: & bonis exterioribus
intus principaliter originem præsto. Qui enim sibi quod bo-
nus est tribuit, solida basis non est: quia dum fundamento nõ
innititur, ipso suo pondere in ima præcipitatur. Sed cùm iam
multa de sanctæ Ecclesiæ constructione referantur, audire
mens appetit, inimicæ rationes qua virtute cõiunctæ sint, id
est, diuersa huius domus ædificia qua sibi arte concordent.
Sequitur: *Aut quis dimisit lapidẽ angularem eius?*) Iam per diuinã
gratiam omnibus liquet, quẽ scriptura sacra angularẽ lapidẽ
vocet: illum profectò qui dum in se hinc Iudaicũ, illinc gen-
tilem populũ suscipit, in vna Ecclesiæ fabrica quasi duos pa-
rietes iungit, illum de quo scriptum est: Fecit vtraque vnum:
Ephe.2. Qui angularem se lapidem, non solùm in inferioribus, sed &
in supernis exhibuit: quia in terra plebi Israëliticæ nationes
gentium, & vtrãque simul angelis in cœlo sociauit. Eo quip-
Lucæ 2. pe nato clamauerunt angeli: In terra pax hominibus bonæ
volũtatis. In ortu enim regis nequaquã pro magno offerrẽt
hominibus pacis gaudia, si discordiam non haberent. De hoc *Psalm.117.*
lapide per Prophetam dicitur: Lapidem quem reprobauerũt
ędificantes, hic factus est caput anguli. Huius lapis typũ Ie-
Matth.1. chonias rex tenuit, quem Matthæus dum quaterdenas gene-
rationes describeret, secundò numeraui t. Quem enim fini se-
cundę, ipsum rursum initio tertiæ generationis inseruit. Ipse
nanque in Babyloniam cum Israëlitica plebe migratus est,
qui dum ab aliis ad alia ducitur, pro vtriusque parietis latere
non immeritò secundò numeratur. Cuius migrationis flexu
angularem lapidem designat. Vbi enim ordo à rectitudine
deflectitur, vt eat in diuersum, tanquam angelũ facit. Rectè
ergo numerari bis potuit: quia per vtrunque parietem quasi
duo in se latera ostendit: vnde & eius bene imaginem tenuit,
qui in Iudęa ortus, gẽtilitatẽ colligẽs, quasi ab Hierosolymis
Babiloniam venit, atque hãc in semetipso fidei fabricã prius
discordiæ studio scissã, arte charitatis intexuit. Sed hæc quæ
de significatione sanctę Ecclesię dicta sunt, placet vt breuia-
ta replicatione moraliter differantur. Dignum nanque est, vt
per ea, quæ beato Iob dici cognoscimus, ad corda nostra re-
uocemur: quia verba Dei tunc mens verius intelligit, cùm in
eis semetipsam quærit. Ecce enim dicitur: Vbi eras quando
ponebam fundamenta terræ? Si peccatoris animus puluis est,
quia in superficie attollitur, & tentationis aura raptatur: vnde *Psalm.1.*
scriptum est: Non sic impij non sic: sed tanquam puluis quem
proiicit ventus à facie terræ: nil obstat terram intelligi animã
iusti, de qua scriptum est: Terra enim sæpe venientem super *Hebr.6.*
se bibens imbrem, & generans herbam, opportunam illis à
quibus colitur, accipit benedictionem. Sed huius terræ 10.
fundamentum fides est. Huius terræ fundamentum iacitur,
quando in occultis cordis prima soliditatis causa diuinus ti-
mor inspiratur. Iste necdum credit æterna, quæ audit; huic
cùm fides datur, ad ædificium subsequentis operis iam fun-
damentum ponitur. Ille æterna iam credit, nec tamen me-
tuit, venturi iudicij terrorem despicit, peccatis se carnis, &
spiritus audenter inuoluit. Huic repente cùm futurorum ti-
mor infunditur, vt bonæ vitæ surgat ædificium, iam funda-
menta construuntur. Posito itaque prosperæ formidinis fun-
damento, cùm virtutum fabrica in altum ducitur, necesse est
vt vnusquisque proficiens vires suas cautè metiatur: vt cùm
diuina constructione magnus esse iam cœperit, semetipsum
respiciat sine cessatione quod fuit: quatenus attendens humi-
liter, quod per meritum inuentus est, nequaquam sibi arro-
get quod per gratiam factus est. Vnde & nunc beatus Iob
per supernam vocem ad semetipsum reducitur: & ne de vir-
tutibus gloriari audeat, de anteacta vita memoratur, eique
dicitur: Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? Ac
si iustificato peccatori apertè veritas dicat: Virtutes à me ac-
ceptas tibi non tribuas, noli contra me de meo munere ex-
tolli. Recole vbi te inueni, quando meo timore prima in
te fundamenta virtutum posui. Recole vbi te inueni quan-
do meo te timore solidaui. Vt ergo ego in te non destruam
quod construxi, ipse non cesses considerare quod reperi.
H Quem enim veritas nisi aut in flagitiis, aut in excessibus in-
uenit? Sed post hæc bene possumus seruare quod sumus, si
nunquam negligimus pensare quod suimus. Nonnunquam
tamen clandestina elatio etiam solicitis cordibus surrepere
solet: vt bonorum cogitatio licet subtilis sit ac pressa, cùm
valde in virtutibus crescit, oblita infirmitatis proprię, nequa-
quam ad memoriam reuocet, quid in vitiis fuerit. Vnde &
omnipotens Deus, quia augeri infirmitatem etiam de reme-
diis salutis conspicit, mensuram ipsis nostris profectibus im-
ponit: vt habeamus quædam virtutum bona quæ nunquam
quæsuimus, & quæramus quædam, nec tamen habere valea-
mus: quatenus mens nostra dum hæc non potest habere quæ
appetit & illa se intelligat de semetipsa non habere quæ ha-
bet: & per ea quæ assunt considerentur illa quæ desunt: & per
ea quæ vtiliter desunt, seruentur humiliter bona quæ assunt.
Vnde & rectè pro huius terræ, id est, iustæ animæ dispensa-
tione subiungitur. *Indica mihi si habes intelligentiam: quis po-*
suit mensuras eius si nosti: vel quis tetendit super eam lineam?) Quis e-
nim nisi conditor noster huius terrę mensuras ponit? Qui in-
terni iudicij secreto moderamine, alij sermonem sapientiæ,
alij

alij sermonem scientiæ, alij plenam fidem, alij gratiam sanita- A
tum, alij operationem virtutum, alij prophetiam, alij discre-
tionem spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio-
nem sermonum tribuit: quatenus in vno eodémque spiritu
iste verbo sapientiæ polleat, nec tamen sermone scientiæ, id
est, doctrinæ fulciatur: quia sentire atque inuenire sufficit e-
tiam quod per discendi studium non apprehendit. Ille ser-
mone scientiæ fulgeat, nec tamen in verbo sapientiæ conua-
lescat: quia & explere sufficit quantum didicit, & tamen
ad sentiendum ex semetipso subtile aliquid non assurgit. Iste
per fidem elementis imperat: nec tamen per sanitatum gra-
tiam infirmitates corporum curat. Ille orationis ope mor-
bos subtrahit: nec tamen arenti terræ verbo pluuias reddit.
Iste operatione virtutum ad præsentem vitam etiam mor-
tuos reuocat: & tamen prophetiæ gratiam non habens, quæ
sibi ventura sunt ignorat. Ille ventura quæque velut præsen-
tia attendit: & tamen in nulla signorum operatione se erexit.
Iste per discretionem spirituum in factis subtiliter mentes
conspicit: sed tamen diuersi generis linguas nescit. Ille diuer- B
si generis linguas examinat: sed tamen in rebus similibus dis-
similia corda nõ pensat. Alius in vna lingua quam nouit, ser-
monum pondera interpretando prudenter discutit: & tamen
reliquis bonis quæ non habet patienter caret. Sic itaque crea-
tor noster atque dispositor cuncta moderatur: vt qui extoll-
i poterat ex dono quod habet, humilietur ex virtute quam
non habet. Sic cuncta moderatur, vt cùm per impensam
gratiam vnumquenque subleuat, etiam per disparem alte-
ri alterum subdat, & meliorem quisque dono alio eum, qui
sibi subiicitur attendat: ac licèt se præire & aliis sentiat, ei-
dem tamen quem superat, se in aliis postponat. Sic cuncta
moderatur, vt singula quæ sunt omnium, interposita qua-
dam charitatis necessitudine fiant omnia singulorum: &
vnusquisque sic quod non accepit, in altero possideat, vt ipse
alteri possidendum, quod accepit, humiliter impendat.
11. Hinc enim per Petrum dicitur: Vnusquisque sicut ac-
1.Petri.3. cepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni C
dispensatores multiformis gratiæ Dei. Tunc nanque bene
multiformis Dei gratia dispensatur, quando acceptum do-
num, & eius qui hoc non habet creditur: quando propter
eum cui impenditur, sibi datum putatur. Hinc per Paulum
Gala.5. dicitur: Per charitatem seruite inuicem. Tunc enim nos cha-
ritas à iugo culpæ liberos reddit, cùm vicissim nos nostro
per amorem seruitio subiicit: cùm & aliena bona nostra cre-
dimus, & nostra aliis quasi sua offerẽtes exhibemus. Hinc rur-
sum per Paulũ dicitur: Nã & corpus nõ est vnũ membrũ, sed
1.Corin.12. multa. Si dixerit pes, Quoniã nõ sum manus, nõ sum de corpo-
re: non ideo nõ est de corpore. Et si dixerit auris, Quoniã
non sum oculus, non sum de corpore: nõ ideo nõ est de cor-
pore. Si totũ corpus oculus, vbi auditus? si totũ auditus, vbi
odoratus? Et paulo post: Quòd si essent omnia vnum mem-
Ibidem. brum, vbi corpus? Nunc autem multa quidem membra, v-
num verò corpus. Quid enim sancta Ecclesia, nisi super-
ni sui capitis corpus est? In qua alius alta videndo oculus,
alius recta operando manus, alius ad iuncta discurendo D
pes, alius pręceptorum vocem intelligendo auris, alius ma-
lorum fœtorem, bonorúmque fragrantiam discernendo na-
ris est. Qui corporalium more membrorum, dum vicissim
sibi accepta officia impendunt, vnum de semetipsis omni-
bus corpus reddunt: & cùm diuersa charitate peragunt, di-
uersum esse prohibent vbi continentur. Si autem vnum quid
cuncti agerent, corpus vtique quod ex multis continetur
non esset: quia videlicet multipliciter compactum non exi-
steret, si hoc concors membrorum diuersitas non teneret.
Quia ergo sanctis membris Ecclesiæ virtutum dona Domi-
nus diuidit, terræ mensuras ponit. Vnde iterum Paulus dicit:
Roma.12. Vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei. Et rursum: Ex
quo totum corpus compactum & connexum per omnem
juncturam subministrationis secundum operationem in mẽ-
sura vniusculusque membri augmentum corporis facit in æ-
dificationem sui in charitate. Sed cùm miro consilio au-
thor ac dispositor noster huic illa largitur, quæ alij denegat,
alij hæc denegat, quæ isti largitur: mensuras sibi positas egre-
di nititur, quisquis posse plusquã acceperit conatur: vt fortas-
se is cui tantummodo datum est præceptorum occulta disse-
rere: tentet etiam miraculis coruscare: aut is quem supernæ
virtutis donum ad sola miracula roborat, etiam diuinæ legis
pandere occulta contendat. In præcipitio enim pedem porri-
git, qui mensuratum suarum limitem non attendit. Et plerun-
que amittit & quod poterat qui audacter ea ad quæ pertin-
gere non valet, arripere festinat: nam & membrorum nostro-
rum tunc bene ministeriis vtimur, cùm sua eis officia distin-
ctè seruamus. Lucem quippe oculis cernimus, vocem verò
auribus audimus. Si quis autem mutato ordine voci oculos,
luci aures accommodet, huic incassum vtraque patent. Si quis
odores velit ore discernere, sapores nare gustare: vtriusque
sensus sibi ministerium, quia pertertit, interimit. Dum enim
propriis hæc vsibus non aptantur, & sua officia deserunt, &
ad extranea non assurgunt. Bene itaque Dauid propheta intra
acceptas ex diuina largitate mensuras pedem cordis presserat,
cùm dicebat: Neque ambulaui in magnis, neque in mirabili- *Psal.130.*
bus super me. Super se quippe in mirabilibus ambularet, si ap-
parere magnus vltra quàm poterat quæreret. Super se nanque
in mirabilibus attollitur, qui & in his ad quæ non sufficit, vi-
deri idoneus conatur. Bene intra has mensuras etiam in ipsa
Paulus prædicationis suæ se latitudine coarctabat, cùm dice-
ret: Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non *Rom.15.*
efficit Christus. Tunc autem rectè accepta mensura seruatur,
cùm anteposita oculis virorum spiritalium vita respicitur.
Vnde & sequitur. *Vel quis tetendit super eam lineam?*) Super hanc
enim terram linea tenditur, quando electæ vnicuique animæ
ad sumendam viuendi regulam patrum præcedentium exem-
pla monstrantur: vt ex illorum vita conficerat, quid in suis ac-
tibus seruet: quatenus respecto iusti limitis tramite, nec infra
minima negligens deficiat, nec vltra maxima superbiens ten-
dat: nec minus conetur explere quàm sufficit, nec plus arri-
piat quàm accepit: ne aut ad mensuram quam debet non per-
ueniat, aut eandem mensuram deserens extra limitem cadat.
Angusta quippe porta est quæ ducit ad vitam: & ille hanc in- *Matth.7.*
greditur, qui in cunctis quæ agit, discretionis subtilitate pro-
pter hanc sollicitè coarctatur. Nam qui per voluntates pro-
prias secura mente se dilatat, angustæ sibi portę aditum dam-
nat. Vt ergo huius terræ mensura seruetur, super eam diuini-
tùs linea tenditur: quia vt nostra opera, vel minora perficiant,
vel maiora moderentur, per sacra eloquia subtilis ante nos
sanctorum vita expanditur: & quid nobis quantúmque agen-
dum sit, ostensa illorum discretione definitur. Ecce ali- 12.
quis vel damna rerum, vel afflictionem corporis metuens,
minas terrenæ potentiæ pertimescit, & contra vim resisten-
tium veritatem defendere non præsumit. Hinc Petrus quia *Acto.5.*
in timore angustum respicit, ostensa exemplorum suo-
rum linea, ad virtutis latitudinẽ tendit. Ipse quippe flagella-
tus à principibus populi, cùm idcirco se relaxari conspicẽ-
ret, vt à prædicatione cessaret: cùm prohiberetur loqui in po-
sterum, nequaquam saltem in præsens cessit. Nam respon- *Ibidem.*
dens protinus dixit: Obedire oportet Deo magis quàm ho-
minibus. Et rursum: Non enim possumus quæ vidimus & au-
diuimus non loqui. At ille dudum debilis, & præsentia dam-
na formidans, dum exempla tantæ fortitudinis contempla-
tur, in authoritate verbi iam Petri lineam sequitur: iam nil ad-
uersitatis metuit: iam resistentes Deo potestates seculi etiam
cum corporis laceratione contemnit. Sed tamen tantò vires
persequentium patiendo fortiter destruit, quantò inter ad-
uersa nullis terroribus cedit. Alius plerunque & in his etiam
quæ inter fideles positus senserit, se cœteris præponit, sua ma-
gis consilia elegit, & sibi potius quàm aliis credit. Hic nimi-
rum dum iniustis obiectionibus non cederis, in virtute se
exerit, etiam recta aliorum consilia non recipiens, pedem ex-
tra limitem tendit. Hunc Petrus intra mensuræ lineam reuo- *Acto.15.*
cat, qui postquam libertate vocis authoritatem principum
pressit, per humilitatem cordis de non circuncidendis gen-
tibus Pauli consilium audiuit. Sic enim semetipsum contra ad-
uersarios ex authoritate curabat erigere, vt tamen sibimetipsi
non crederet in his, quæ non rectè sentiret: vt & libertate
fortitudinis tumentes potestates excederet, & humilitate
mansuetudinis obedientiam in recto consilio etiã minoribus
fratribus exhibere t: & modò per semetipsum aliis, & modò

ſibimetipſi cum aliis obuiaret. In factis igitur Petri quædam ante oculos noſtros authoritatis & humilitatis linea tenditur, ne mens noſtra, aut per timorem ad menſuram non perueniat, aut per timorem limitem excedat. Dictum eſt quomodo linea tenditur, ne per alterius actionis formidinem, ad alterius cauſæ vitium tranſeatur: dicatur nunc quemadmodum in vna eadémque virtute diſcretionis lineam deſerimus: ſi hanc & aliquandò agere, & aliquando poſtponere neſciamus. Non enim res eadem ſemper eſt virtus: quia permomẽta temporum ſæpe merita mutantur actionum. Vnde fit vt cùm quid bene agimus, plerunque melius ab eis actione ceſſemus: & laudabilius ad tempus deſerat, quod in ſuo tempore laudabiliter mens tenebat. Nam ſi pro noſtris bonis minimis, quibus actis proficimus, nec tamen intermiſsis interimus, maiora laborum mala proximis imminent, neceſſariò nos virtutum augmenta ſeponimus, ne infirmioribus proximis fidei detrimenta generemus: ne tantò iam quod agimus virtus non ſit, quantò per occaſionem ſui, in alienis cordibus fundamenta virtutũ deſtruit. Quam diſcretionis lineam bene ante intuentium oculos Paulus tetendit: qui & gentiles ad libertatem fidei venientes circuncidi prohibuit, & tamen Lyſtris atque Iconium tranſiens, ipſe Timotheum qui gentili patre editus fuerat, circuncidit. Videns enim quòd niſi ſe mandata literæ ſeruare oſtenderet, Iudæorum rabiem etiam in his, qui ſibi tunc comites aderant excitaret, aſſertionis ſuæ vim poſtpoſuit, & ſine damno fidei ſe ſuóſque comites à perſecutionis immanitate cuſtodiuit. Fecit quod fieri fidei amore prohibuit: ſed ad fidei retorſit miniſterium, quod quaſi non fideliter fecit. Plerunque enim virtus cùm indiſcretè tenetur, amittitur: cúmque diſcretè intermittitur, plus tenetur. Nec mirũ ſi in corporibus intelligimus, quod agi & in corporeis rebus videmus. Ex ſtudio nanque arcus diſtenditur, vt in ſuo tempore cum vtilitate tendatur. Qui ſi ocium relaxationis non accipit, ferienti virtutem ipſo vſu tenſionis perdit. Sic aliquando in exercitatione virtus cùm per diſcretionem prætermittitur, reſeruatur: vt tantò pòſt vitia valenter ſeriat, quantò à perſecutione interim prudenter ceſſat. Subtili igitur diſcretione ſuper hanc terram linea tenditur, quando oſtenſis vnicuique animæ exemplis præcedentium patrum, & vtiliter ad operationem virtus accenditur, & non-
13. nunquam vtilius temperatur. Sed cùm parumper ab opere zeli fortitudo ſeponitur, alta conſideratione opus eſt, ne fortaſſe nequaquã communis boni conſilio, ſed timore proprio, vel cuiuſlibet ambitionis ſtudio à virtutis exercitatione ceſſetur. Quod nimirum cùm agitur, iam non diſpenſationi, ſed culpæ ſeruitur. Vnde curandum ſollicitè eſt, vt cùm quis ſuſceptum negocium cum virtutis ceſſatione diſpenſat, ſemetipſum prius in radice cordis inſpiciat: ne ſibi per hocaliquid auarus appetat, ſibi per hoc ſoli timidus parcat: & eo fiat prauum quod in opere ſequitur, quo non ex recta cogitationis intentione generatur. Vnde bene in Euangelio
Matth.6. veritas dicit: Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit. Quid enim per oculum exprimitur, niſi opus ſuum præueniens cordis intentio? quæ priuſquàm ſe in actione exerceat, hoc iam quod appetit, contemplatur. Et quid appellatione corporis deſignatur, niſi vna quæque actio quę intentionem ſuam quaſi intuentem oculum ſequitur? Lucerna itaque corporis eſt oculus: quia per bonæ intentionis radium, merita illuſtrantur actionis. Et ſi oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: quia ſi rectè intendimus per ſimplicitatem cogitationis, bonum opus efficitur, etiam ſi minus bonus eſſe videatur. Et ſi oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit: quia cùm peruerſa intentione quid vel rectum agitur, etſi ſplẽdere coram hominibus cernitur, apud examen tamen interni iudicis obſcuratur. Vnde & rectè ſubiungitur: Vide ergo ne lumẽ quod in te eſt, tenebræ ſint. Si lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt? quia ſi hoc quod bene nos agere ẽredimus, ex mala intentione fuſcamus: quãta ipſa mala ſunt, quæ mala eſſe etiam cùm agimus non ignoramus? Et ſi ibi nil cernimus, vbi quaſi diſcretionis lumen tenemus: qua cæcitate in illa offendimus, quæ ſine diſcretione perpetramus? Vigilanti igitur cura per cuncta opera intentio nobis noſtra penſanda eſt, vt nil temporale in his quæ agit appetat, totam ſe in ſoliditate æternitatis figat: ne ſi extra fundamentum actionis noſtræ fabrica ponitur, terra dehiſcente foluatur. Vnde hſc quoque aptè ſubiungitur: *Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt?*) Baſes quippe vniuſcuiuſque ſunt animæ, intentiones ſuæ. Nam ſicut fabrica columnis, columnę autem baſibus innituntur: ita vita noſtra in virtutibus, virtutes verò in intima
1. Corin. 3. intentione ſubſiſtunt. Et quia ſcriptum eſt: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus: tunc baſes in fundamento ſunt, cùm intẽtiones noſtræ in Chriſto roborantur. In caſſum verò alta ſuper ſe baſes ædificia erigunt, ſi non ipſæ in fundamento ſolidatæ conſiſtunt: quia nimirum quamlibet ſumma opera inaniter faciunt, ſi intentiones cordium extra æternitatis certitudinem deflectuntur, & vitæ veræ præmia non requirunt: tantóque grauiora ruinæ ſuper ſe damna ædificant, quantò altiora ædificia extra fundamentum portant: quia cùm æternæ vitæ præmiis non intendunt, quo plus ſe quaſi in virtutibus erigunt, eo in gloriæ inanis foueam profundius cadunt. Non ergo penſandum eſt baſes quid ſuſtinent, ſed vbi ſuſtinentur: quia profectò humana corda diuinitùs perſcrutãtur, non ſolùm quæ faciunt, ſed quid in operibus quærunt. Vnde cùm diſtrictum iudicem Paulus deſcriberet, atque actionum bona narraret, dicens: Qui reddet vnicuique ſecundum opera eius: his quidem ſecundum patientiam boni operis, gloriã Romæ.2.
& incorruptionem: quia nominata boni operis patiẽtia, quaſi totam electæ actionis fabricam dixerat: ſubtiliter ilico vbi baſes eiuſdem fabricæ conſiſterent exquiſiuit dicens: Gloriam & honorem & incorruptionem quærentibus vitam æternam. Ac ſi apertè diceret: Et ſi quidam patientiam boni operis oſtendunt, gloriam & incorruptionem nõ recipiunt: ſi intentiones cordis, id eſt, baſes fabricæ in fundamento non figunt: quia videlicet Deus, vel honeſtæ vitæ ædificium non inhabitat, quod extra ſe poſitum non ipſe ſuſtentat. Quia igitur intẽtiones electæ vniuſcuiuſque animæ ſpei æternitatis innituntur, rectè voce dominica de hac terra dicitur: *Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt?*) ac ſi apertè diceret: niſi ſuper me. Cui dum iuxta quæque anima intendit, omne quod temporaliter facit, in me proculdubio non temporaliter conſtruit. Quia verò tunc robuſtius in fundamento ſolidamur, cùm verba Dei, & in exterioribus præceptis ſequimur: & in intimis ſenſibus ſubtilius intelligendo penſamus, rectè ſubiungitur: *Vel quis dimiſit lapidem angularem eius?*) Lapis quippe angularis eſt ad ſacra eloquia intellectus duplex. Qui 14.
tunc diuinitùs dimittitur, quando nequaquam diſtricto iudicio ignorantiæ ſuæ tenebris illigatur, ſed quadam libertate perfruitur, dum in præceptis Dei ſufficit, vel exequendo exteriora agere, vel contemplando interna ſentire. Ad quod nunquam noſter intellectus aſſurgeret, ſi ad ſuſcipiendam naturam noſtram ipſe noſter conditor non veniret. Qui aliter angularis lapis dicitur: quia duos in ſe populos iunxit: atque aliter, quia coniunctæ vtriuſque vitæ, actiuæ videlicet & contemplatiuæ in ſe exempla monſtrauit. Ab actiua enim vita longè contemplatiua diſtat: ſed incarnatus redemptor noſter veniens, dum vtranque exhibuit, in ſe vtranque ſociauit. Nam cùm in vrbe miracula faceret, in monte verò o-
Lucæ 6. rando continuè pernoctaret: exemplum ſuis fidelibus præbuit: nec contemplationis ſtudio proximorum curam negligant, nec rurſum cura proximorum immoderatius obligati, contemplationis ſtudia derelinquant: ſed ſic in vtriſque mentem patiendo coniungant, quatenus nec amorem Dei præpediat amor proximi, nec amorem proximi, quia tranſcendit, abiiciat amor Dei. Quia igitur humano cordi quid ageret ignoranti, Dei atque hominis mediator apparuit, qui & agendo tranſitoria diſponeret, & contemplando oſtenderet vnde cuncta penderent, rectè dicitur: *Vel quis dimiſit lapidem angularem eius?*) Ac ſi apertè Dominus diceret: niſi ego, qui vnicum quem ſine tempore genui, ſeruandis hominibus cum tempore oſtendi: in cuius vita diſcerent etiam diuerſa viuendi ſtudia non diſcrepare? Et notandũ quòd eum non ſe emiſiſſe, ſed dimiſiſſe aſſerit: quia profecto humanam naturam

naturam filius ſuſcipiens, ad ima de ſublimibus venit. Cuius incarnationis myſteriũ, quia & electi angeli mirati ſunt, qui eodem myſterio redempti non ſunt, rectè ſubiungitur:

Quòd angeli à mane creationis ſuæ laudent Deum, iubilent verò homines ſanctì, qui præ anguſtia interius deficiunt, nec quod affectant hoc poſſunt. Caput VII.

CVm me laudarent ſimul aſtra matutina.) Quia enim prima in tempore condita natura rationabilium ſpirituum creditur, non immeritò matutina aſtra angeli vocantur. Quod ſi ita eſt, dum terra eſſet inuiſibilis & incompoſita, dum tenebræ eſſent ſuper abyſſum, venturum diem ſubſequentis ſeculi per leuem ſapientiæ exiſtendo præuenerunt. Nec negligenter audiendum eſt quod addit ur, Simul: quia nimirum aſtra matutina etiam cum veſpertinis redemptoris potentiam laudant, dum electi angeli etiam cum redemptis in mundi fine hominibus largitatem gratiæ ſupernæ glorificant. Ipſi quippe vt nos ad laudem conditoris accenderent, hoc quod ſuperius diximus, orta per carnem lucc clamauerunt: Gloria
Lucæ 2. in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Simul ergo laudant: quia redemptioni noſtræ voces ſuæ exultationis accommodant. Simul laudant: quia dum nos conſpiciunt recipi, ſuum gaudent numerum repleri. Qui & fortaſſe ideo matutina aſtra memorantur: quia ſæpe ad exhortãdos homines miſsi ſunt, & dum venturum mane nuntiant, ab humanis cordibus præſentis vitæ tenebras fugant. Sed ecce angeli diuinam potentiam laudant, quia ipſa eos tantæ claritatis viſio delectat. Nos autem qui redimimur, ſed tamẽ corruptione adhuc carnis grauamur, donum quod percipimus, qua virtute laudamus? Quomodo enim valebit lingua dicere
Iubilatio. quod non ſufficit mens noſtra ſentire? Sequitur: *Et iubilarent omnes filij Dei.*) Iubilatio quippe dicitur, cùm cordis lætitia oris efficacia nõ expletur: ſed quibuſdam modis gaudium prodit, quod ipſe qui gaudet, nec tegere prævalet nec explere. Laudent itaque angeli qui iam tantæ claritatis latitudinem in ſublimibus vident. Iubilent verò homines, qui adhuc in inferioribus oris ſui anguſtias ſuſtinent. Quæ quia certò futura Dominus nouerat, non tam faciẽda inſinuat quàm facta narrat. Sed quid agimus, quòd cùm boni de redẽptionis ſuę myſteria iubilãt, malos inuidia inflammat: dum electi proficiũt, reprobi ad rabiem furoris excitantur: & bona naſcentia quia nolunt imitari, perſequuntur? Sed tamen inter hæc etiam qui redemit, non relinquit. Scriptum quippe eſt: Fidelis autem
1. Corin. 10. Deus, qui non patietur vos tentari ſupra quàm poteſtis: ſed faciet cum tentatione etiam prouentum, vt poſſitis ſuſtinere. Nouit enim conditor noſter, quãdo exurgere perſecutionis procellam ſinat: quando exurgentem reprimat. Nouit pro cuſtodia noſtra reſtringere, quod contra nos egredi pro noſtra exercitatione permittit: vt ſæuiens nos diluat procella, & non mergat. Vnde & ſequitur:

Quòd miraculis ſanctorum fracta eſt violentia tyrannorum.

Caput VIII.

Mare ſeculum. QVis concluſit oſtiis mare, quando erumpebat, quaſi de vulua procedens?) Quid enim mare niſi ſeculum, quid vuluam niſi conceptum carnalis cogitationis accipimus? Hoc enim loco vuluæ nomine, occulta & malitioſa carnalium cogitatio deſignatur. Quæ vulua non ad proferendam prolem concipit ſubſtantiam corporis, ſed ad explendam nequitiam cauſam doloris. De hac vulua cordis iniquorum aliâs dicitur: Con-
Pſalm.7. cepit dolorem, & peperit iniquitatem. Per hanc vuluam praui concipiunt, cùm mala cogitant. Per hanc vuluam pariunt, cùm malè quæ cogitauerint, operantur. Erumpebat ergo mare quaſi de vulua procedens, cùm miſeriarum ſecularia rũ fluctus de carnalis cogitationis iniquitate concepti, in ſanctæ Eccleſiæ interitum ſequirent. Sed authore Deo, oſtiis hoc mare concluſum eſt: quia contra tumores perſequentium ſancti viri quaſi quædam oſtia oppoſiti ſunt: vt eorum miraculis atque reuerentia iræ perſequentium frangerẽtur. Humilitatis quippe Dominus terrenis principibus, per eos ſanctam Eccleſiam ſupra mundi culmen euexit: & ſæuientis maris impetus erecta eiuſdem Eccleſiæ poteſtate coẽrcuit. Sed huic ſæuienti mari quid Dominus fecerit, audiamus. Sequitur:

Quòd perſecutorum malitia puerili inſipientia veſtita, id eſt, pannis infantiæ obuoluta conſtringatur, cùm ſæuire in ſanctos diuina diſpenſatione prohibetur. Caput IX.

CVm ponerem nubem veſtimentum eius, & caligine illud quaſi pannis infantiæ obuoluerem.) Mare ſæuiens nube induitur: quia crudelitas perſequentium ſtultitiæ ſuæ velamento veſtitur. Interpoſita enim caligine infidelitatis ſuæ perſpicuam veritatis lucem videre non ſufficit: & id quod agit per crudelitatis impulſum, per cæcitatis ſuæ meritum non agnoſcit. Nam ſi cognouiſſent, vt ait Apoſtolus, nunquam Dominum glo- 1. Corin. 2.
riæ crucifixiſſent. Hæc nubes non ſolùm ſolet in fideles extra poſitos premere: ſed quoſdam etiam viuentes carnaliter intra Eccleſiam tenebrare. Vnde ſancti viri qui etiam alienæ negligentiæ compatiuntur, & ſe pati æſtimant quod perpeti alios ſentiunt, Deo orantes dicunt: Oppoſuiſti nubem ne tranſeat Thren. 3.
oratio, ac ſi apertè dicant: Menti noſtræ terrenis voluptatibus Quomodo
aſſuetæ, curarum ſuarum phantaſmata iuſto iudicio obiicis, opponatur
quibus eam in ipſa orationis ſuæ intentione confundis: & quã nubes, ne
deſideriis infirmis deditam non ignoras, rectè cæcatam ab in- tranſeat
tuenda lucis tuæ perſpicuitate reuerberas: vt cùm in te inten- oratio.
ditur, ipſo à te cogitationum ſuarum nubilo reflectatur: & quæ terrena hæc aſsiduè cogitat quia vult, hæc etiam toleret in oratione cùm non vult. Quia igitur ipſa perſecutorum nequitia ſuperna diſpenſatione conſtringitur, ne contra ſanctos viros inquantum voluerit, effrenetur, poſtquam dixit: Cùm ponerem nubem veſtimentum eius, aptè ſubdidit: Et caligine illud quaſi pannis infantiæ obuoluerẽ. Pannis quippe infantię pedes ac brachia conſtringuntur, ne huc atque illuc diſſoluta libertate iactentur. Quia ergo perſecutores ſanctæ Eccleſiæ inſtabilitate cordis inquieti, atque huic ſeculo dediti, non grandæua, ſed puerilia ſapiunt: qui quidem obſcuritate atque caligine, non intellectu ſuperni iudicij conſtringuntur: ne tantum perſequi valeant quantum volunt, pannis infantiæ referuntur obuoluti: quia ſicut dictum eſt, puerilia quidem ſapiunt, ſed diuina diſpenſatione conſtricti, ad quod volunt brachia non extendunt: & ſi cuncta mala leuiter perpetrare appetunt, nequaquam tamen implere cuncta quæ appetunt permittuntur. Sequitur: *Circundedi illud terminis meis.*) Termi- 16.
nis ſuis Dominus mare circundat: quia iras perſequentium, iudiciorum ſuorum diſpenſatione modificat: vt inſani tumida vnda ſeruoris plano frangatur littore occultæ diſpenſationis. Sequitur: *Et poſui vectem & oſtia, & dixi: Hucuſque venies, & non procedes amplius: & hic confringes tumentes fluctus tuos.*) Quid per oſtia niſi prædicatores ſancti: quid per vectem niſi incarnatus Dominus deſignatur? qui hæc videlicet oſtia contra ſęuientis maris impetum tantò valentiora oppoſuit, quantò ea ſua obſeruatione roborauit. Quia enim iſta ſanctæ Eccleſiæ oſtia vectis huius oppoſitione ſolidata ſunt: potuerunt quidem tundi fluctibus, ſed effringi nequiuerunt: vt ea exterius vnda perſecutionis illideret, ſed nequaquam cordis eorum interna penetraret. Et quia doctores ſancti prædicatione quidem ſequentibus aperti ſunt, authoritate autem ſua reſiſtentibus clauſi, non immeritò oſtia vocantur, id eſt, aperta conuerſationi humilium, & clauſa terroribus ſuperborum. Non immeritò oſtia vocantur: quia & ingreſſum fidelibus aperiunt, & rurſum ſeſe perfidis ne ingrediantur opponunt. Penſemus quale Eccleſiæ oſtium extitit Petrus, qui inueſtigantem fidem Cornelium recipit, precio quærentem miracula Simonem repulit, illi dicens: In veritate comperi, quo- Acto. 10.
niam non eſt perſonarum acceptor Deus: ſecreta regni benignè aperuit, huic inquiens: Pecunia tua tecum ſit in perditionem: per diſtrictæ damnationis ſententiam cœleſtis aulæ aditum claudit. Quid cuncti Apoſtoli niſi ſanctæ Eccleſiæ oſtia exiſtunt, cùm voce redemptoris ſui audiunt: Accipite Ioan. 20.
Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt? Ac ſi illis apertè diceretur: Per vos ingredientur ad me hi, quibus vos metipſos panditis, & repellentur quibus obſeratis. Igitur dum mare ſæuit, Dominus vectem & oſtia opponit: quia ab amaris & perfidis cordibus dum perſecutionis procella ſe dilatat in mũdo, Deus vnigeniti ſui gloriã prædicatorũque eius reuerentiam exaltat: & dum innoteſcit myſteria diuinæ fortitudinis, frangit in impiis fluctus furoris. Bene autem dicitur: *Hucuſque*

venies, & non procedes amplius:) quia nimirum diuini iudicij occulta mensura est, & quando persecutionis procella prosiliat, & quando conquiescat: ne aut non exagitata electos non exerceat, aut immoderata in profundum mergat. Cùm verò notitia fidei vsque ad persequentes extenditur, turbati maris tumor sedatur, ibique fluctus suos mare frangit: quia ad cognitionem veritatis veniens, omne quod nequiter egit, erubescit. Fracta quippe vnda in se reliditur: quia victa nequitia etiam per cogitationem sui cordis accusatur, & quasi ipsam vim quam intulerat recipit: quia de prauitate quam
Roma.6. gesserat, reatus sui stimulos sentit. Vnde quibusdam per Paulum dicitur: Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? ac si diceretur: Quid se in altũ fluctus vestræ prauitatis extulerunt, qui nunc in semetipsis fracti, vnde peruersos vos inflauerant, conuersos inde confundunt? Rectè itaque dicitur: *Et hic confringes tumentes fluctus tuos.*) Quod verò in hac conclusione maris secundò de ostiis dicitur, more sacri eloquij, res semel dicta, pro confirmatione replicatur. Si autem hoc in loco mare accipere non specialiter turbam persequentium, sed generaliter seculum debemus: secundò contra hoc mare Dominus ostia opposuit: quia & prius humano generi præcepta legis, & postmodum nouæ gratię testamentum dedit. Secundò obiectis ostiis huius maris impetum clausit: quia eos quos obsequiũ sui cultus assumpsit, & prius ab idolis data lege coërcuit, & pòst ab intellectu carnali gratia reuelata correxit. Secundò mare ostia accepit: quia humanum genus prius Deus ab operibus iniquitatis prohibuit, postmodum verò etiam à cogitationis culpa constrinxit. Videamus quemadmodum prima tuméti mari Do-
Exod.20. minus ostia imponat. Ecce enim per legem dicitur: Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non falsum testimonium dices. Videamus quemadmodum secundis hoc mare Dominus ostiis claudat. Ecce in Euangelio dicit: Audistis
Matth.5. quia dictum est antiquis: Non mœchaberis: ego autem dico vobis, quoniam omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Rursumque dicitur: Audistis quia dictum est: Diliges proximũ tuũ, & odio habebis inimicum tuum: ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, & bene facite his qui oderũt vos. Qui igitur prius nequitias operis prohibuit, & postmodum culpas cordis exhaurit, nimirum tumenti mari, ne circunducta
17. iustitiæ littora transeat, bis ostia imponit. Bene autem cùm diceret: Quis conclusit ostiis mare: illico & tempus adiunxit, dicens: Quomodo erumpebat quasi de vulua procedens: quia videlicet tunc humano generi præceptis legis obuiauit, quando adhuc seculum suæ origini vicinum, quasi ab ortu proprio ad profectũ vitæ carnalis exhibet. De vulua quippe procedere, est in luce præsentis gloriæ carnaliter apparere. Et rectè subiungitur: *Cùm ponerem nubem vestimẽtum eius.*) Quia nimirum Deus hominibus non tunc aperta ostensione se intulit, sed dum eos ab errore perfidiæ eripuit, nec tamen illis claritatem sui luminis patefecit, quasi ex tenebris eos abstulit, sed adhuc nube vestiuit: vt & pristina prauitatis acta relinquerent, & tamen ventura bona adhuc certius non viderent. Vbi aptè subditur: *Et caligine illud quasi pãnis infantiæ obuoluerem.*) Dum enim rudes populos non aperta spiritus prædicatione edocuit, sed figurata locutione præceptis literæ astrinxit: adhuc infirma sapientes verborum suorum caligine quasi pannis infantiæ obuoluit: vt mandatis grossioribus ligati crescerent, ne malè liberi in suis voluptatibus perirent. Quos ad viam iustitiæ dum non iam charitas, sed adhuc timor astringeret, diuina dispensatio quasi pressit vt nutriret. Infirmus nanque populus cùm præceptorum pannos nolẽs pertulit, ad firmiorem statum ex ipsa sua ligatione peruenit: quia enim timor eum prius à culpa coërcuit, competenter postmodum in libertatem spiritus exiuit. Hos pannos infantiæ quos inchoantibus dedit, ipse per Prophetam Dominus
Ezech.20. reprehendit, dicens: dedi eis præcepta non bona. Mala enim quasi mala esse desinũt comparatione peiorum: & bona quasi
Ezech.16. bona non sunt comparatione meliorum. Nam sicut peius delinquenti Iudææ de Sodoma, atque Samaria dicitur: Iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es: ita melioribus noui testamenti præceptis subsequentibus, præcepta bona quæ rudibus data sunt, non bona esse memorantur. Neque enim mentes vsui vitæ carnalis inhærentes, etselli ab infimis possent, nisi gradatim ducta prædicatione proficerẽt. Hinc quippe est quòd in Aegypto po- Exod.3.
sitis pio iustóque moderamine latenti eorum concupiscentiæ condescenditur, & vicinorum suorum vasis aureis argẽteisque sublatis, discedere iubentur. Qui ad Sina montem ducti, accepta lege mox audiunt: Non concupisces rem proximi tui. Et hinc est quòd in eadem lege, oculum pro oculo, Exod.20.
dentem pro dente præcipiuntur exigere: & quandoque tamen reuelata gratia, percussi maxillam alteram iubentur prębere. Quia enim plus semper ira in vindicta exigit, quàm iniuria accepit: dum discunt mala nõ multiplicius reddere, quãdoque discerent ea & multiplicata sponte tolerare. Hinc est quòd eundem rudem populum à quibusdam prohibuit: quędam verò ei in vsum pristinum seruauit, sed hæc ipsa tamen in melioris vitæ figura composuit. Bruta nanque animalia idolis in Aegypto mactabant: eisque in vsum postmodum animalium mactationem retinuit, sed idolorũ cultum vetuit: vt dum de vsu suo aliquid amitteret, consolaretur eius infirmitas per hoc quod de vsu suo aliquid haberet. Mira autem dispensatione consilij, quod ei Dominus de consuetudine carnali retinuit, hoc in figuram spiritus potẽtius vertit. Quid enim sacrificia illorum animalium, nisi vnigeniti mortem designant? Quid sacrificia illorum animalium, nisi extinctionẽ carnalis nostræ vitæ significant? Vnde ergo imbecillitati populi rudis condescenditur, inde ei per obumbratas allegoriarum species maior fortitudo spiritus nuntiatur. Rectè itaque dicitur: & caligine illud quasi pannis infantiæ obuoluerem: quia vnde eius teneritudinis infirma pertulit, inde altam significationum spiritalium nubem fecit. Quæ quia præceptorum limite ab immoderatis animi euagationibus cinxit, rectè subiicit: *Circundedi illud terminis meis.*) Et quia huius 18.
humani generis motus misso mediatore coërcuit, aptè subiungit: *Et posui vectem & ostia.*) Vectem quippe & ostia posuit: quia redemptore nostro contra culpas delinquentium misso, nouæ vitæ prædicamenta firmauit. Clausa nanque ostia opposito vecte roborantur. Vectem ergo Deus opposuit, quia contra lasciuos motus humani generis vnigenitum misit, qui præcepta spiritalia quæ loquendo docuit agendo solidauit. Bene autem subditur: *Et dixit. Hucusque venies, & non procedes amplius: & hic confringes tumentes fluctus tuos.*) Hoc quippe mare ostia priora transcenderat: quia clausura legis oppositæ humani tumoris vnda transiliebat. At postquam mundus oppositum sibi vnigenitum reperit, elationis suæ impetum fregit, & transire non valuit: quia eius fortitudine furoris sui terminum clausum inuenit. Vnde rectè per Prophe- Psalm.113.
tam dicitur: Mare vidit & fugit. Possunt etiam per ostia apertè passiones eius non inconuenienter intelligi. Quibus ex occulto vectem posuit: quia eas ex inuisibili diuinitate roborauit. Contra quas mundi fluctus veniunt, sed fracti dissiliunt: quia superbi eas viuendo despiciunt, sed earum vires experiendo pertimescunt. Nam dum passiones vnigeniti humanum genus prius irrisit, postmodum expauit: quasi contra opposita ostia more elidendi maris & tumore elatum venit, & fractum virtute dissiluit. Sed quia idcirco hoc ad beatum Iob dicitur, vt de tot virtutibus cordis eius gloria premeretur: ne sibi fortasse tribuat quod se stare sublimiter non ignorat: cum quanta eius ædificatione sint dicta perpendimus, si
Moralis dißertio. hæc etiam moraliter disseramus. Dicat itaque: *Quis conclusit ostiis mare?*) Quid est mare, nisi cor nostrum furore turbidum,
Mare cor nostrum. rixis amarũ, elatione superbiæ tumidum, fraude malitiæ obscurum? quod mare quantum sæuiat attendit, quisquis in se occultas cogitationum tentationes intelligit. Ecce enim iam peruersa relinquimus, iam desideriis rectis inhæremus, iam praua opera foris abscindimus: sed tamen latenter intus ea cum qua huc venimus, vitæ veteris procella fatigamur, quam nisi respectu iudicij, & æterni pauore tormenti, immensi timoris clausura constringerent: cuncta in nobis penitus superædificati operis fundamenta corruissent. Si enim quod per suggestionem sæuit intrinsecus, per deliberationem foras erumperet: vitæ nostræ fabrica funditùs euersa iacuisset. In iniquitate nanque concepti, & in delicto editi, per insitæ corruptionis

corruptionis molestias pugnam nobiscum huc deferimus, quam cum labore vincamus. Vnde & rectè de hoc mari dicitur: Quando erumpebat, quasi de vulua procedens. Vulua e-
Gene.8. nim prauæ cogitationis adolescentia est. De qua per Moysen Dominus dicit: Sensus enim & cogitatio humani cordis prona est in malum ab adolescentia sua. Corruptionis nanque malum quod vnusquisque nostrum ab ortu desideriorum carnalium sumpsit, in prouectu ætatis exercet: & nisi hoc citius diuinæ formidinis manus reprimat, omne conditæ naturæ bonum repente culpa in profundum vorat. Nemo igitur sibi cogitationum suarum victoriam tribuat, cùm veritas dicat: Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens? Quia nisi ab ipso cogitationis primordio cordis fluctus gratia diuina retineret, tentationum procellis mare sæuiens, terram proculdubio humanę mentis obruisset: vt falsis fluctibus perfusa arescceret, id est, perniciosis
Solus Dominus ostiis mare concludit. carnis voluptatibus delectata deperiret. Solus ergo Dominus ostiis mare concludit, qui prauis motibus cordis clausura inspiratæ formidinis obiicit. Quia verò ea quæ cernimus, sequi prohibemur, quia à corporearum rerum delectatione retundimur: libet etiam ad inuisibilia oculos mentis attollere, atque hæc ipsa quæ sequi præcipimur videre. Sed quid agimus? Infirmis illa obtutibus necdum patent. Ecce ad eorum amorem vocamur, sed tamen à visione restringimur: quia etsi quãdo aliquid furtim parúmque aspicimus, sub incerto ni-
19. mis adhuc visu caligamus, vnde aptè subiũgitur: *Cùm ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantiæ obuoluerem.*) Hoc mare tumultuosum videlicet cogitationibus
Quomodo mare, cor nostrum nube vestiatur. fluctuans cor nostrum nube vestitur: quia ne internam quietam purè conspiciat, inquietudinis suæ confusione tenebratur. Hoc mare caligine quasi pannis infantiæ obuoluitur: quia à contemplandis sublimibus adhuc teneris sensibus suę infirmitatis ligatur. Videamus Paulum quadam caligine qua-
1.Corin.13. si infantiæ pannis obuolutum, dum ait: Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus
Ibidem. sum. Qui si se ad contemplanda cœlestia infantem non cerneret, ætatis suæ ad hæc comparationem nullo modo præmisisset, dicens: Cùm essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Tunc ergo ad robur iuuenile conscendimus, cùm forti sensu eam, ad quã tendimus, vitam videmus: nunc autem quia intentionis nostræ acies per infirmitatem suam ab interna luce retunditur, mens nostra ligata infantiæ pannis tenetur. Vbi aptè sub-
Quomodo Dominus mare circundat terminis suis. iungitur: *Circundedi illud terminis meis.*) Terminis enim suis Dominus hoc mare circundat: quia cor nostrum adhuc corruptionis suę molestia & cura turbulentum sub mensura contemplationis humiliat: vt licet plus appetat, vltra tamẽ quàm sibi conceditur, non ascendat. Vel certè terminis suis Dominus hoc mare circundat: quia cor nostrum tentationibus tumidum, occultis donorum distributionibus mitigat: modò agens ne praua suggestio ad delectationem veniat: modò ne praua delectatio vsque ad consensum prorumpat. Qui ergo illicitos motus cordis respicit, & in quibusdam eos vsque ad consensum venire prohibet, in quibusdam verò illos etiam à delectatione restringit: nimirum furenti mari terminos imponit, vt nequaquam in opere exeat, sed intra sinum mentis tentationum submurmurans se vnda collidat. Quæ quia tunc valenter restringitur, cùm ei delectatione Dei atque inspira-
Ostia. Vectis. tis virtutibus obuiatur, rectè subiungitur: *Et posui vectem & ostia, & dixi: Hucusque venies, & non procedes amplius: & hic confringes tumentes fluctus tuos.*) Quid enim moraliter per hostia nisi virtutes, quid per vectem nisi robur charitatis accipimus? Hæc itaque ostia scilicet operationum virtutes mare sæuiens dissipat, nisi eas ex occulto mentis opposita charitas astringat. Facilè autem omne virtutum bonum tentatione cordis irruente destruitur, nisi ab intimis fixa charitate solidetur. Vnde & Paulus in suis prædicationibus dum quædam virtutum ostia mari tentationis opponeret, ilico eisdem
Coloss.3. ostiis quasi robur vectis adiunxit, dicẽs: Super omnia autem
Charitas cur vinculum perfectionis. hæc charitatem habentes: quod est vinculum perfectionis. Perfectionis enim vinculum charitas dicitur: quia omne bonum quod agitur, nimirum per illam ne pereat, ligatur. A tentatore nanque citius quodlibet opus euellitur, si solutum à *Elionis.*
vinculo charitatis inuenitur: si autem mens Dei ac proximi dilectione constringitur, cùm tentationum motus quælibet ei iniusta suggesserint, obicem se illis ipsa dilectio opponit, & prauæ suasionis vndas virtutum ostiis ac vecte intimi amoris frangit. Quia ergo Dominus per inspiratę cha-
20. *Quomodo charitas reprimit vitia.* ritatis fortitudinem nascentia in corde vitia reprimit, in-
Ira. surgentis maris impetum per obserata clausura compescit. Ira fortasse in occulto exasperat, sed ne quies superna perdatur,
Luxuria. perturbationi mentis officium linguæ subtrahitur, ne vsque ad vocem exeat, quod in sinu cordis tumultuosum sonat. Luxuria in occultis cogitationibus accenditur, sed ne supernam munditiam mens amittat, conceptæ immunditiæ ea, quæ famulari poterant, membra castigat, ne vsque ad corruptio-
Auaritia. nem exhalet corporis fœtor cordis. Auaritia stimulat: sed ne cœlesti regno mens careat, intra clausura se parsimoniæ cõtenta propriis ligat: ne in prauo se opere dilatet, & vsque ad exteriores actus internæ concupiscentiæ æstus exudet. Super-
Superbia. bia inflat: sed ne veram celsitudinem amittat, considerando quisque quia puluis est, ab altitudine se conceptæ elationis humiliat: certans nimirũ, ne, quod in suggestione cogitationis tolerat, in exercitationem operis erumpat. Bene ergo dicitur: *Posui vectem & ostia, & dixi: Hucusque venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos*:) quia dum electus quisque, & tentatur vitiis, & tamen facere malè suggesta renititur, quasi mare clausum tenetur. Quod etsi intus tumultuosis cogitationum fluctibus mentem percutit, statuta tamen bene viuendi littora non excedit. Quod mare quidem in tumorem se erigit, sed dum fixa deliberatione cordis illiditur, fractum redit. Beatus igitur Iob ne sibi tribuat quòd cõtra procellas cordis fortiter stat, voce diuina audiat: Quis conclusit ostiis mare quando erumpebat quasi de vulua procedens &c. Ac si ei apertè diceretur: Incassum te exterius in bonis operibus pensas, si non me interius qui in te tentationis vndas compesco consideras. Vt enim tu fluctus ferre possis in opere, meę virtutis est, qui fluctus frango tentationis in corde.

Libri vicesimi octaui Moralium sancti Gregorij finis.

B. GREGORII EXPOSITIONIS MORALIS IN IOB, LIBER VIGESIMVS NONVS.

Caput I.

DOMINVS Deus noster Iesus Christus in eo quòd virtus & sapientia Dei est, de patre ante tempora natus est: vel potius quia nec cœpit nasci nec desiit, dicamus verius semper natus. Non autem possumus dicere, semper nascitur: ne imperfectus videatur. At verò vt æternus designari valeat & perfectus, semper dicamus & natus: quatenus & natus ad perfectionem pertineat, & semper ad æternitatem: vt quocunque modo illa essentia sine tempore temporali valeat designari sermone: quanuis hocipso quod perfectum dicimus, multum ab illius veritatis expressione deuiamus: quia quòd factum non est, non potest dici perfectum. Et tamen infirmitatis nostræ verbis Dominus con-
descendens, ait: Estote perfecti sicut & pater vester cœle- *Mar.5.*
stis perfectus est. In illa itaque natiuitate diuina ab humano genere cognosci non poterat: proinde in humanitate venit vt videretur, videri voluit vt imitaretur. Quæ carnis natiuitas despecta visa est sapientibus mundi, contempserunt nan-

que infirma humanitatis eius, Deo hæc indigna iudicantes. E
1.Corin.1. Cui tantò magis homo debitor fuit, quantò pro illo Deus etiam indigna suscepit. Quia enim non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Ac si diceret: Cum Deum qui est sapiẽtia, nequaquam per sapientiam suam mundus inueniret, placuit vt Deum hominem factum per humanitatis stultitiam cognosceret: quatenus eius sapientia ad nostram stultitiam descenderet, & lucem supernæ prudentiæ luto suæ carnis illuminata nostra cæcitas videret. Natus igitur ex patre sine tempore, ex matre nasci est dignatus in tempore, vt per hoc quòd ortum suum inter initium finemque conclude ret, humanæ mentis oculis ortum, qui nec initio sumitur, nec fine angustatur, aperiret, vnde bene nunc ad beatum Iob dicitur:

Quòd nato in carne Domino, sancta Ecclesia de tenebris noctis egrediens, quærit suum locum in luce beatitudinis æternæ.

Caput II.

NVnquid post ortum tuum præcepisti diluculo, & ostendisti auroræ locum suum? Subaudis vt ego. Ortus quippe diuinitatis eius antè & pòst non habet. Cui dum semper esse est per æternitatem, dum omne quod labitur circunscribit, intra semetipsum temporum discursus claudit. Ortus verò humanitatis eius, quia & cœpit, & desiit: & antè & post habere à tempore accepit. Sed quia dum ipse vmbras nostræ temporalitatis suscepit, lumen nobis suæ æternitatis infudit: rectè per hunc ortum quem creator sibi in tempore condidit, locum suum sine tempore aurora cognouit. Quia enim diluculum, vel aurora à tenebris in lucem vertitur, non immeritò diluculi, vel auroræ nomine, omnis electorum Ecclesia designatur. Ipsa nàque dum ab infidelitatis nocte ad lucem fidei ducitur, velut auroræ more in diem post tenebras splendore su-
Canti.6. pernæ claritatis aperitur. Vnde & bene in Canticis canticorum dicitur: Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens? Sancta enim Ecclesia cœlestis vitæ præmia appetens, aurora vocata est: quia dum peccatorum tenebras deserit, iustitiæ luce fulgescit. Habemus tamẽ subtilius aliquid
2. quod considerata qualitate diluculi, vel auroræ pensemus. Aurora nanque vel diluculum noctem quidem præteriſse nuntiant, nec tamen diei claritatem integram ostentant: sed dum illam pellunt, hanc suspiciunt, lucem tenebris permixtam tenent. Quid itaque in hac vita omnes qui veritatem sequimur, nisi aurora, vel diluculum sumus? quia & quædam iam quæ lucis sunt agimus: & tamen in quibusdam adhuc tenebrarum reliquiis non caremus. Per Prophetam quippe
Psalm.142. Deo dicitur: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.
Iaco 3. Rursùmque scriptum est: In multis offendimus omnes.
Roma.7. Paulus quoque ait: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati quæ est in membris meis. Vbi ergo lex peccati cum lege mentis contendit, profectò adhuc aurora est: quia lux quæ iam emicuit, necdum prætereuntes fundità tenebras presit. Adhuc aurora est: quia dum lex carnis legem mentis, & lex mentis legem carnis percutit, inter se vicissim H
Roma.13. lux & vmbra confligit. Vnde rursum Paulus cùm diceret: Nox præcessit, nequaquam subdidit, Dies venit: sed, Dies autem appropinquauit. Qui enim post discessum noctis iam non venisse, sed appropinquasse diem insinuat, esse se proculdubio ante solem post tenebras adhuc in aurora demonstrat. Tunc autem plenè sancta electorum Ecclesia dies erit, cùm ei admixta peccati vmbra iam non erit. Tunc plenè dies erit, quando interni luminis perfecto feruore claruerit. Tunc plenè dies erit, quando nullam malorum suorum tentantem memoriam tolerans, omnes à se tenebrarum etiam reliquias abscondit. Vnde & bene hæc aurora quasi adhuc in transitu demonstratur, cùm dicitur: *Et ostendisti auroræ locum suum.*) Cui enim locus suus ostenditur, profectò ex alio ad aliud vocatur. Quid est enim locus auroræ, nisi perfecta claritas visionis internæ? Ad quem cùm ducta venerit, iam de transactæ noctis tenebris nihil habebit. Nunc autem adhuc tentationum molestias sustinet: quia per intentionem cordis ad aliud festinat Ecclesia, ad locum suum tendit aurora. Quem locum sine mente non cerneret, in huius vitæ nocte remaneret. Sed cùm quotidie contendit perfici, & in lucem quotidie augeri, locum suum iam conspicit, & plenè sibi clarescere solem quærit. Locum suum aurora considerat, quando sancta anima ad contemplandam conditoris sui speciem flagrat. Ad *Psalm.41.* locum suum pertingere aurora satagebat, cùm Dauid diceret: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Locum suum veritas auroræ monstrabat, cùm per Salomonem diceret: Quid habet am- *Eccles.6.* plius sapiens à stulto: & quid pauper, nisi vt pergat illuc vbi est vita? Quem profectò locum etiam præcedentibus incarnationem suam patribus post ortum suum Dominus ostendit: quia nisi per prophetiæ spiritum incarnandũ supernæ patriæ regem cognoscerent, bona eiusdem patriæ quàm essent desiderabilia non viderent. Locum suum veritas auroræ patefecit, cùm patrem coram discipulis petiit, dicens: Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum. *Ioan.17.* Locum suum auroræ monstrauit, cùm diceret: Vbicunque *Matth. 24.* fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Ad hunc lo- *Lucæ 17.* cum quem cognouerat, peruenire aurora festinabat, cùm F Paulus desiderium habere se diceret dissolui, & cum Christo *Philip.1.* esse: Et rursum: Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Et rursum: Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus: *1.Corin.5.* domum non manufactam, æternam in cœlis. Bene autem post ortum suum locum proprium auroræ ostendisse se perhibet, quia futuræ retributionis beatitudinem priusquàm per corpus ipse innotesceret, in paucorum intellectu continuit. Cùm verò humanæ natiuitatis infirma suscepit, venturæ claritatis notitiam in multitudinis innumeræ amore dilatauit. Sed cùm diuini operis mysterium sic misericordia peragat, vt tamen & ira comitetur, quatenus occultus arbiter alios respiciens redimat, alios deserens perdat: quia cognouimus, quomodo per incarnationem suam electos illuminet, audiamus nunc quomodo reprobos dãnet. Sequitur:

Quòd Iudaica perfidia viso Christo concussa est: & aliis sic, aliis aliter de eo sentientibus, paucis ex illa tanta plebe assumptis, Scribas & Pharisæos meritò reprobauit G *Caput III.*

NVnquid tenuisti concutiens extrema terræ, & excussisti impios ex ea? Extrema terræ Dominus tenuit: quia in fine seculorum ad destitutam iam, & alienigenis regibus subditam synagogam venit, atque ex illa impios excussit: quia spiritalia fidei prædicamenta renuentes, etiam à carnalis sacrificij gloria repulit. Vel certè extrema terræ tenuit: quia ex Iudæa paucos abiectos & humiles elegit. Extrema terræ tenuit: quia legis doctores deserens, piscatores assumpsit. Dúmque eius extrema tenet, ex ea impios excutit: quia dum infirmos fideles roborat, fortes in illa infideles dãnat. Rectè verò etiã cõcutiens addidit: quia per aduentum suum immensa formidine etiam reproborum corda commouit. Concussi quippe fuerant qui dicebant: Nihil proficimus, ecce totus mundus *Ioan.12.* post eum abiit. Res autem quæ cõcutitur, huc illúcque ducta fatigatur. Concussa ergo Iudæa fuerat, quæ de Christo per alios dicebat: Quia bonus est & per alios resistebat dicẽs: Nõ, seducit turbas. Per alios dicebat: Nisi hic esset à Deo, non *Ioan.7.* poterat facere quicquam. Atque ad extremum per alios cla- *Ioan.9.* mat: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. *Ioan.18.* Cõcussi quidem, sed non prostrati sunt reprobi, cùm modò miracula obstupescẽtes cernerent, modò infirmitatis opprobria despicientes irriderent. An non concussi fuerant qui dicebant: Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, *Ioan.10.* dic nobis palam. Vel certè extrema terræ concussit & tenuit: quia cùm infirma corda humilium pio timore terruit, nequaquã ea iudicio districto dereliquit. Inde enim multitudo credẽtium in Deum robustius stetit, vnde in se humiliata trepidauit. Nam quia eum Deus quem concutit tenet, insinuat per Prophetam dicens: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum & trementem sermones meos? Quia eum quem concutit tenet, Salomone attestante intimatur, qui ait: Beatus vir qui semper est pauidus: qui autem mentis est duræ, corruit in malum. Igitur quia extrema Iudææ Dominus in Apostolis tenuit, atque ex illa Scribas & Pharisæos ac pontifices impietatis suæ merito exigente reprobauit:

banit: quid adhuc de eorum damnatione subdatur, audiamus: A Sequitur: *Restituetur vt lutum signaculum, & stabit sicut vestimentum.*) Quid aliud Dominus plebem Israẽliticam nisi lutum reperit, quam obsequuiis gentilium deditam, in Aegypto seruientem lateribus inuenit? Quam dum tot miraculis ad terram repromissionis duxit, dum perductam cognitionis suæ scientia impleuit, dum tot arcana secretorum ei per prophetiam contulit: quid eam aliud quàm seruandi mysterij signa- *f al.diuina* culum fecit? Ipsa quippe † diu in prophetia clausum continuit, quicquid de se veritas in fine reuelauit. Sed dum post tot diuina secreta, post tot percepta miracula in redemptoris sui aduentu, plus terram quàm veritatem dilexit, per sacerdotes *Ioan.11.* dicens: Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem: quasi ad eos quos in Aegypto reliquerat lateres rediit: & quæ facta iam Dei signaculum fuerat, ad hoc se iterum quod deseruerat inflexit: lutúmque se post signaculum in oculis veritatis exhibuit, cum per impietatis malitiam accepti verbi mysteria perdidit, & sola terrena sapere quæ inquinant elegit. Vbi aptè B subiungit: *Et stabit sicut vestimentum.*) Imposita nanque & grossiora vestimenta etiam cùm iuduta fuerint, quia induentis membris bene applicata non inhærent, stare feruntur. Iudæa igitur circa veritatis notitiam etiam cùm seruire videretur, sicut vestimentum stetit, quia per exteriora mandata seruire se Domino ostendit, sed adhærere ei per charitatis intelligentiam noluit. Dum solam in præceptis Dei literam tenuit, & nequaquam se per spiritum sensibus intimis iunxit, quasi ei qui se induerat non adhæsit. Vbi & aptè subiungitur: *Auferetur ab impiis lux sua.*) Quia dum credere veritati renuunt, cognitionem legis in perpetuum amittunt: & dum de accepta lege superbiunt, nimirum de scientiæ suæ gloria cæcantur. Scriptum quippe est: Obscurentur oculi eorum, ne vi- *Psal.68.* deant. Rursúmque scriptum est: Excæca cor populi huius, & *Esaiæ6.* aures eius aggraua. Et rursum scriptum est: In iudicium ego *Ioan.9.* in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vi- C dent, cæci fiant. Et quia semetipsos de legis operibus contra conditorem legis extulerunt, aptè subditur: *Et brachium excelsum conteretur.*) Excelsum quippe brachium conteritur, quando prædicata fidei gratia superba legis operatio reprobatur cùm dicitur: Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Cuncta tamẽ hæc intelligi & aliter possunt. Terram quippe scriptura sacra vocare consueuit Ecclesiã. Extre- *Roma.3.* ma igitur terræ Dominus tenet, & concutit, quia Ecclesiæ suę vltima per aduentum antichristi persecutione immanissima turbari permittit, nec tamen permittendo deserit. Hanc terram aliquando Dominus tenet & non concutit, aliquando tenet & concutit: quia modò eam tranquilla pace fidei possidet, modò commoueri impetu persecutionis iubet. Bene autem cùm diceret: Nunquid tenuisti concutiens extrema terræ, ilico adiunxit, & excussisti impios ex ea? Attestante e- *ad Tim.1.* nim Paulo, plerique in ea sunt qui confitentur se nosse Deum, factis autem negãt. Impios ergo ex ea Dominus excutit: quia hi quos nunc intima vitia possident, tunc in voraginem aper- D tè in fidelitatis cadent, atque in aceruum palearum transeunt, cùm tentationis illius aura commouentur. Et quanuis se nunc sub specie fidei intra areæ sinum tegant, tunc nimirum extra granorum cumulum districti examinis ventilabro resilient. Vnde & aptè subiungitur:

Quòd Iudæi qui legis seruandæ signaculum acceperant in iudicio tanquam lutum restituentur: quia quòd terrena sapuerint, omnibus demonstrabitur.

Caput IIII.

REstituetur vt lutum signaculum.) Ac si apertè diceret: Hi qui nunc videntur in Ecclesiæ sinu signaculum, tunc ante oculos omnium restituentur vt lutum, id est, nequaquam iudicia hominum de professione religionis fallunt, sed quod terrena sapiant demonstrantur. Solet enim scriptura sacra pro fide appellare signaculum, pro iniquitate lutum. Nam filius iu- *Lucæ.15.* nior qui consumpta substantia ad patrẽ rediit, in munere annulum accepit. Gentilis enim populus qui in mortalitate perdita, ad Deum pœnitendo reuertitur, per fidei signaculũ munitur. Vnde & à sponso suo Ecclesiæ dicitur: Pone me vt si- *Canti.8.* gnaculum super cor tuum. Idcirco nanque signaculum rebus ponitur, ne qua diripientiũ præsumptione temerentur. Spon- A sus ergo in corde signaculum ponitur, quando fidei eius mysterium in custodiam nostræ cogitationis imprimitur: vt ille infidelis seruus nimirum noster aduersarius, cùm signata fide corda considerat, tentando ea irrumpere non præsumat. Per lutum verò quia terrena contagia demonstrantur, attestatur Psalmista qui ait: Eduxisti me de lacu miseriæ, & luto fecis. *Psal.39.* Quia igitur multi in terrenis contagiis inuenti, perducti ad Ecclesiam, cœlestis fidei sacramento signantur, & tamen ab iniquis operibus nõ recedunt, sèque nunc fidei velamine cõtegunt: sed cùm tempus inuenerint, quid sint veraciter ostendunt, rectè dicitur: *Restituetur vt lutum signaculum.*) Quos enim nunc fideles credimus, ipsos tunc fidei hostes inueniemus, & quanuis appareant non tentati signaculum, erũt proculdubio tentati lutum. Vnde & rectè dicitur, Restituetur: quia qualis eorum conscientia esse ante fidem potuit, tales eos postmodum reproba vita conuincit. De quibus aptè subiungitur: *Et stabit sicut vestimentum.*) Tot nunc quasi vestibus sancta Ecclesia induitur, quot fidelium veneratione decoratur. Vnde & ei ostensis gentibus à Domino per Prophetam dicitur: Viuo e- *Esaiæ.49.* go dicit Dominus: quia omnibus his velut ornamento vestieris. Multis tamen quasi fidelibus nunc specietenus induitur: sed pulsante persecutionis impetu, tunc eis exuta nudabitur: de quorum sorte hic dicitur: *Et stabit sicut vestimentum.*) Stare verò hoc loco ponitur, in peccato persistere. Vnde scriptum est: Et in via peccatorum non stetit. Vel certè reprobus quisque sicut vestimentum stare dicitur, vt non posse stare monstretur: quia sicut induta vestis in visionis suæ specie per corpus tenditur, exuta autem fracta complicatur: ita vnusquisque quia à sanctæ Ecclesiæ tunc statu recesserit, tensus ac decorus quasi dum indueretur fuit, sed exutus postmodum confractus atque abiectus iacebit. Si verò stare intelligimus perdurare, sicut vestimentum stat quisque reprobus, qui in hac vita quam diligit, breuiter durat. Vnde & per Prophetam dicitur: Omnia sicut vestimentum veterascẽt, & sicut oper- *Psalm.101.* torium mutabis ea, & mutabuntur. Hæc itaque quæ allegoriarum nube tecta intulit, nunc verbis apertioribus innotescit subdens:

Quòd impiorum lux sit hoc, quod eis ex fide lucet: quæ tunc auferetur, quando pulsante persecutionis articulo, quod rectum credere videbantur, amittunt.

Caput V.

AVferetur ab impiis lux sua.) Neque enim eos nunc Dei lumen illustrat, qui iniquitatis suæ malitiam fidei nomine palliant. Nam dum iuxta prædicationem fidei viuere negligunt, & tamen eandem fidem specietenus venerantur, honorem vitæ præsentis ex nomine religionis quærunt. Hócque eis ex fide lucet, quòd eos fides coram hominibus resouet. Sunt verò nonnulli qui æterna quæ audiunt veraciter credunt, & tamen eidem, quam tenent, fidei malè viuendo contradicunt. Habent hi quoque in tenebris lucem suam: quia dum peruersa agunt, & tamen de Deo recta sentiunt, ne tenebrescant funditus, ex quadam parte fulgore luminis illustrantur. Qui dum plus terrena quàm cœlestia, plus quæ vident quàm quæ audiunt, pulsante persecutionis articulo, quod rectum credere videbantur, amittunt. Quod illo maxime tempore multiplicius agitur, quando surgente ipso iniquorum capite, in sancta Ecclesia persecutione vltima liberis suis viribus eius fortitudo grassatur. Ibi tunc cor vniuscuiusque ostẽditur, vbi quicquid in occultis latebat aperitur, & qui nunc ore sunt pij, & corde sunt impij, publicata malitia corruunt, & lucem fidei quam specietenus tenuerant perdunt. Sed inter hæc necesse est vt vnusquisque nostrum ad cordis sui secretum redeat, & actionis suæ damna pertimescat, ne exigentibus meritis per districtam iustitiam iudiciorum Dei in taliũ hominum numerum incurrat.

Quòd omnia moraliter ad antichristum tempora referuntur, in quibus concussio persecutionum erit, & fictos quosque, qui modò in Ecclesia sunt infideles, etiam nunc reproba vita cõuincit.

Caput VI.

NEmo autem sibi incautè blandiatur & idcirco se à tali occasu extraneum credat, quia ad illius tempestatis procellam peruenire se non existimat. O quanti illius tentationis

Membra antichristi. tempora non viderunt, & tamen in eius tentationis procella
Caïn. versantur. Cain tempus antichristi non vidit, & tamen mem-
Iudas. brum antichristi per meritum fuit. Iudas sæuitiam persecu-
Simon. tionis illius ignorauit, & tamen viribus crudelitatis eius aua-
ritia suadente succubuit. Simon diuisus longè ab antichristi
temporibus extitit, & tamen eius se superbiæ miraculorum
potentiam peruersè appetẽdo coniunxit. Sic iniquum corpus
suo capiti, sic membris membra iungunrur, cùm & cognitio-
ne se nesciunt, & tamen praua sibi actione copulantur. Neque
Balaam. enim Pergamus Balaam libros aut verba cognouerat, & ta-
men eius nequitiam sequens, voce supernæ increpationis au-
Apoca.2. diebat: Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat
Balac mittere scandalum coram filiis Israël, edere & fornica-
Hiezabel. ri. Thyatiræ quoque Ecclesiam ab Hiezabel notitia & tem-
Ibidem. pora & loca diuidebant: sed quia eam per vitæ reatus astrin-
xerat, inesse ei Hiezabel dicitur, atque operibus peruersis in-
sistere, Angelo attestante, qui ait: Habeo aduersus te aliqua,
quia permittis mulierem Hiezabel, quæ se dicit Prophetam,
docere, & seducere seruos meos, fornicari & manducare de
idolothytis. Ecce quia reperiri potuerunt qui Hiezabel vi-
tam reproba actione secuti sunt: Hiezabel illic inuenta me-
moratur: quia videlicet prauum corpus coniuncti mores v-
num faciunt, etiam si hoc loca vel tempora scindunt. Vnde
fit vt in peruersis suis imitatoribus & iniquus quisq; maneat
qui iam præteriit, & in suis operatoribus ipse iniquorum au-
1. Ioan.2. thor iam appareat, qui necdum venit. Hinc Ioannes ait: Nunc
antichristi multi facti sunt, quia iniqui omnes iam eius mem-
bra sunt, quæ scilicet peruersè edita, caput suum malè viuen-
2. Thessa.2. do præuenerunt. Hinc Paulus ait: Vt reueletur in suo tempo-
re. Nam mysterium iam operatur iniquitatis, ac si diceret:
Tunc antichristus manifestus videbitur: iam in cordibus ini-
Exemplum de inuidis. quorum secreta sua iam nunc occultus operatur. Vt enim de
apertioribus criminibus taceam, ecce alius fratri in corde suo
tacitus inuidet, & si occasionem reperiat, eum supplantare
cõtendit. Cuius alterius membrum est, nisi eius de quo scrip-
Sapien.2. tum est: Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum? A-
lius magni meriti esse se æstimans, per tumorem cordis cun-
Exẽplũ de superbis. ctis se præferens, omnes semetipso inferiores credit. Cuius al-
Iob.41. terius membrum est, nisi eius de quo scriptum est: Omne
Exẽplũ de potentibus. sublime videt, & ipse rex super vniuersos filios superbiæ? A-
Esaiæ.14. lius mundi huius potentiam quærit, non quo aliis prosit, sed
quo ipse alteri subditus non sit. Cuius alterius membrum est,
nisi eius de quo scriptum est, qui dixit: Sedebo in monte te-
stamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem
nubium, similis ero Altissimo? Solus quippe Altissimus ita
dominatur super omnia, vt alteri subesse non possit. Quem
diabolus imitari peruersè voluit, cùm suum Dominum quæ-
rens, ei subesse recusauit. Imitatur ergo diabolum quisquis
idcirco potestatem suã appetit: quia ei qui sibi est superna or-
4 dinatione præpositus, subesse fastidit. Sunt præterea pluri-
ma quæ quosdam in ipsa pace Ecclesiæ constitutos, infideles
esse renuntiẽt. Video nanq; nonnullos ita personam potentis
accipere, vt requisiti ab eo, pro fauore eius nõ dubitãr in cau-
sa proximi veritatem negare. Et quis est veritas, nisi ille qui
Ioan.14. dixit: Ego sum via, veritas & vita? Neq; enim Ioannes Bap-
tista de confessione Christi, sed de iustitiæ veritate requisitus
occubuit: sed quia Christus est veritas, ad mortem vsque id-
circo pro Christo, quia videlicet pro veritate peruenit. Po-
namus ergo ante oculos quòd aliquis percunctatus personam
potentis accepit, & ne verbi saltem iniuriam pateretur, veri-
tatem rogauit. Quid rogo iste faceret in dolore pœnarum,
qui Christum erubuit inter flagella verborum? Ecce & post
hæc ante oculos hominum adhuc Christianus est, & tamen si
eum Dominus districtè disposuit iudicare, iam non est. Vi-
Exemplum de non corrigentibus. deo autem alios quibus per locum magisterij exhortãdi sunt
officia, arguendíque commissa, qui vident aliquid illicitum
admitti, & tamen dum quorundam potentum offendere gra-
tiam metuunt, arguere non præsumũt. Quisquis iste est, quid
aliud facit, nisi videt lupum venientem, & fugit? Fugit, quia
tacuit: tacuit, quia despecta æterna gratia, temporalem glo-
riam plus amauit. Ecce ante potentis faciem intra sui se late-
bras silentij abscondit, & sicut persecutioni publicè, sic occul-
Ioan.11. tè locum dedit tibi. Bene de talibus dicitur: Dilexerunt glo-

E riam hominum magis quàm Dei. Quisquis igitur talis est, si
hæc districtè iudicantur, etsi persecutio publica desuit, tamen
tacendo Christum negauit. Non ergo desunt vel in pace Ec-
clesiæ antichristi tentamenta. Nemo itaque illa persecutionis
extremæ tempora quasi sola perhorrescat. Apud iniquos nã-
que quotidie res antichristi agitur, quia in eorum cordibus
mysterium suũ iam nunc occultus operatur. Et si multi nunc
specietenus intra Ecclesiam constituti simulant se esse quod
non sunt, in aduentu tamen iudicis prodentur quod sunt: de
quibus bene Salomon ait: Vidi impios sepultos, quia etiam *Ecclẽs.8.*
cùm adhuc viuerẽt, in loco sancto erant, & laudabantur in
ciuitate, quasi iustorum operum. Igitur postquam de iniquis
dictum est: Restituetur vt lutum signaculum, & stabit sicut
vestimentum, & auferetur ab impiis lux sua, quod vtique in
illa est antichristi persecutione faciendum, mox de eiusdem
antichristi persecutione nos consolans ait: *Et brachium excel-*
F *sum confringetur.*) Quid nanque aliud excelsum brachium acci-
pitur, nisi superba antichristi celsitudo, quæ super reprobas
mentes hominum fastu gloriæ secularis erigitur, ita vt homo
peccator & tamen æstimari homo despiciens, Deum se super
homines mentiatur? Vnde & Paulus Apostolus dicit: Ita vt *2. Thessa.2.*
in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Cuius
vt tumorem plenius ostenderet, præmisit: Qui aduersatur &
extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.
Deus enim dici aliquando & homo potest, iuxta quod ad
Moysen dicitur: Ecce constitui te Deum Pharaonis. Deus *Exod.7.*
verò coli purus homo non potest. Quia verò se antichristus
& super sanctos quosque homines, & super ipsius potentiam
diuinitatis extollit, per exactum sibi nomen gloriæ, & hoc
quod Deus dicitur, & hoc quod Deus colitur, transire conatur.
Notandum verò est in quantam superbiæ foueam cecidit, qui in mensura ruinæ qua lapsus est, non permansit. Dia-
bolus quippe vel homo à statu cõditionis propriæ elãta men-
te corruerunt, vt vel ille diceret: Ascendam super altitudinem *Esaiæ.14.*
nubium, similis ero Altissimo: vel iste audiens crederet: A-
6 perientur oculi vestri, & eritis sicut dij. Idcirco ergo vter- *Gene.3.*
que cecidit, quia esse Deo similis non per iustitiam, sed per
potentiam concupiuit. Sed homo per gratiam liberatus, qui
Dei similitudinem peruersè appetẽdo ceciderat, in reatu cri-
minis sui longè Deo imparem se esse cognoscẽs clamat. Do- *Psalm.88.*
mine quis similis tibi? Diabolus verò in lapsu sui criminis iu-
stè dimissus, in mensura ruinæ suæ minimè permansit, sed
quantò diutius ab omnipotentis gratia defuit, tãtò magis rea-
tum criminis cumulauit. Nam qui ideo cecidit quia peruerso
ordine Deo esse similis voluit, eousq; productus est, vt in an-
tichristum veniens, videri Deo similis dedignetur, atq; eum
quem habere non potuit superbus æqualem, damnatus infe-
riorem putet. Nam cùm de illo hoc quod iam præmisimus di-
citur: Extollens se supra omne quod dicitur Deus, aut quod
colitur, apertè monstratur: quia appetendo dudum Dei simi-
litudinem, quasi iuxta Deum erigere se voluit, sed in super-
biæ culpa crescendo, iam se supra omne quod Deus dicitur
& colitur extollit. Quia ergo hæc eius superbia districti iudi-
H cis erit aduentu ferienda, sicut scriptum est: Quem Dominus *1. Thessa.2.*
Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione ad-
uentus sui, rectè dicitur: *Et brachium excelsum confringetur.* Cun-
cta tamen hæc quæ bis discussa sunt, adhuc intelligi & aliter
possunt. Verba enim quasi Dei pigmenta quædam nostri sunt *Verba Dei quasi pigmenta sunt.*
adiutorij. Et sicut pigmentum quantò plus teritur, tantò plus
in poculo eius virtus augetur, ita diuina eloquia quò magis
exponendo conterimus, eò audientes amplius quasi libentes
iuuamur. Quia igitur misericors Deus diu peccata homi- 5
num tolerat, & cùm iam vicinum finem respicit, plerunque
mentes peccantium immutat, rectè de se vim tantæ pietatis
insinuans ait: *Nunquid tenuisti concutiens extremæ terræ, & excussi-*
sti impios ex ea?) Per terram quippe homo infima sapiens desi-
gnatur, cui peccãti dictum est: Terra es & in terram ibis. Sed *Gene.3.*
quia pius conditor facturam suam nõ deserit, mala hominum *Duras mentes Deus teret.*
& per suam patientiæ tolerat, & per eorum quandoque con-
uersionem relaxat. Cùm autem duras atque insensibiles men-
tes respicit, modo eas minis, modo verberibus, modo reue-
lationibus terret, vt quæ pessima securitate duruerant, salubri
timore mollescant, quatenus vel sero redeant, & hocipsum
saltem

saltem quod diu expectati sunt, erubescant. Scit enim Domi-
A nus quia extrema vitæ nostræ plùs iudicat, & idcirco electos
1. Reg.2. suos in fine solicitius purgat. Scriptum quippe est: Deus iudi-
cabit fines terræ. Tantò ergo impensius vltimis nostris inuigi-
lat, quantò in ipsis pendere initia vitæ sequentis pensat.
Quod quia misericorditer facit pietate sua in medium dedu-
cta, qua etiam serò conuersos peccatores recipit, beati Iob iu-
stitiam erudit, dicens: *Nunquid tenuisti concutiens extremæ terræ,*
& excussisti impios ex ea?) subaudis vt ego, qui in suis vltimis sæ-
pe peccatores terrendo concutio, conuertendo teneo, atque
ab eorum cordibus impios cogitationum motus euello. Et
rectè beato Iob Dominus, quomodo iuxta finem peccatores
conuertat, insinuat. Ac si apertè dicat: Misericordiæ meæ po-
tentiam respice, & tuæ iustitiæ elationem preme. Quæ extre-
ma hominis quia etiam cum conuertitur per carnis mortem,
illa antiquæ culpæ vindicta comitatur, protinus insinuat cùm
dicit: *Restituetur vt lutum signaculũ, & stabit sicut vestimentum.*) Ho-
minem quippe Dominus quem ad suam similitudinem con-
didit, quasi quoddam suæ potentiæ signaculum fecit. Quod B
tamen vt lutum restituetur: quia licet æterna supplicia per eõ-
uersionem fugiat, in vltione tamen perpetratæ superbiæ car-
nis morte damnatur. Ex luto quippe homo conditus, & men-
tis accepta ratione, similitudine diuinæ imaginis decoratus,
elatione cordis intumescens, quòd de infimis formatus esset,
oblitus est. Vnde mira conditotis iustitia actum est, vt quia
per sensum intumuit, quem rationabilem accepit, rursus terra
per mortem fieret, quam esse se considerare humiliter noluit:
& quia peccando Dei similitudinem perdidit, moriendo ve-
rò ad limi sui materiam redit, rectè dicitur: *Restituetur vt lutum*
signaculum.) Et quia de corpore dum spiritus vocatur, quo-
dam quasi inuolucro suæ carnis exuitur, aptè de eodem luto
subiungitur: *Et stabit sicut vestimentum.*) Lutum nanque nostrũ
sicut vestimentum stare, est vsque ad resurrectionis tempus
inane exutúmque perdurare. Sed quia hanc pœnam superbiæ
nec illi transeunt, qui & eandem superbiam viuendo humili-
liter vincunt, quæ sit superbientium specialis pœna, subiun-
C git dicens: *Auferetur ab impiis lux sua, & brachium excelsum con-*
fringetur.) Mors enim carnis quæ electos luci suæ restituit, lu-
cem suam reprobis tollit. Lux nanque superbientis est gloria
vitæ præsentis. Quæ ei lux tunc subtrahitur, cùm per carnis
interitum ad retributionum suarum tenebras vocatur. Ibi
tunc excelsum brachium confringitur, quia celsitudo cordis
vltra naturæ ordinem violenter arrepta, opprimentis se diui-
næ iustitiæ mole dissipatur: vt quia se peruersè in breui erexe-
rat, per pondus iudicij in æternum fracta cognoscat. Nullus
autem nostrum quid post mortem sequeretur agnosceret, nisi
vitæ nostræ conditor ad pœnam vsque mortis nostræ veni-
ret. Nisi enim ipse misericorditer infima peteret, nequaquam
nos post suam imaginem perditos iustè ad summa reuocaret.
Vnde & rectè subiungitur:

Quòd Dominus ad inferna descendens, carcerem gehennæ viam & tran-
situm fecit: ipse verò liberans alligatos liber deambulauit, & apertis
portis mortis, exitum de tenebris ad lucem fecit.

D

Caput VII.

N*Vnquid ingressus es profundum maris, & in nouissimis abyssi*
deambulasti?) Ac si dicat: Vt ego, qui non solum mare, id
est, seculum per assumptam humanam carnem atque animam
petij, sed etiam per eam sponte in morte positus, vsque ad vl-
tima inferni quasi ad maris profunda descendi. Si enim mare,
more diuini eloquij, seculũ debet intelligi, nil prohibet pro-
funda maris, inferni claustra sentiri. Quod profundum maris
Dominus petiit, cùm inferni nouissima electorum suorum a-
Esaiæ 51. nimas erepturus intrauit. Vnde & per Prophetam dicitur:
posuisti profundũ maris viam, vt trãsirent liberati. Hoc nan-
que profundum maris ante redemptoris aduentum non via,
sed carcer fuit: quia in se etiam bonorum animas, quanuis non
in locis pœnalibus clausit. Quod tamen profundum viã Do-
minus posuit: quia illuc veniens, electos suos à claustris infer-
ni ad cœlestia transire concessit. Vnde & aptè illic dicitur. Vt
transirent liberati. Quod verò profundum maris dixerat, hoc
aliis verbis replicans, abyssi nouissimum vocat: quia sicut a-
quarum abyssus nulla nostra visione comprehenditur, ita oc-
culta inferni nullo à nobis cognitionis sensu penetrantur.
A Qui enim hinc subtrahantur cernimus, sed quæ illos iuxta
meritum retributio suppliciorũ maneat, non videmus. Vi- 6.
gilanti verò est cura pensandum, quòd in nouissimo abyssi
deambulasse se perhibet. Deambulare quippe non constricti,
sed liberi est. Quem enim vincula stringunt, eius nihilominus
gressus impediunt. Quia igitur Dominus nulla peccati vincu-
la pertulit, in inferno deambulauit. Liber quippe ad ligatos
venit. Vnde scriptum est: Factus sum sicut homo sine adiuto- *Psal.97.*
rio, inter mortuos liber. In nouissimis ergo abyssi Domino
deambulare, est in loco damnationis nil suæ retentionis inue-
nire, attestante Petro qui ait: Solutis doloribus inferni, iuxta *Acto.2.*
quod impossibile erat teneri illũ ab eo. Vel certè quia deam-
bulando nos cùm de loco ad locũ ducimur, hîc illícque præ-
sentes inuenimur: deambulasse in inferno Dominus dicitur,
vt electis animabus in locis singulis per diuinitatis potentiam
præsens fuisse mostraretur. Vnde & spiritus sapientiæ mobi- *Sapien.7.*
lis describitur, vt per hoc quod nusquam deest, vbique nobis
occurrere designetur. Quam descensionem suam Dominus
tantò mirabilem respicit, quantò eam redempto homini cre-
brius infundit. Eam nanque adhuc replicans subdit: *Nunquid*
apertæ sunt tibi portæ mortis, & ostia tenebrosa vidisti?) Portæ enim
mortis sunt potestates aduersæ. Quas descendens Dominus
aperuit, quia earum fortitudinem moriendo superauit. Quæ
appellatione quoque alia tenebrosa vocantur: quia dum per
occultationis suæ insidias non videntur, deceptis mentibus
viam mortis aperiunt. Quæ tenebrosa ostia Dominus videt:
quia immundorum spirituum fraudulentam malitiam & respi-
cit & premit. Quod nisi ipse nobis nesciẽtibus viuendo pro-
hiberet, & nil de insidiis eorum mens nostra cognosceret, &
eisdem insidiis capta deperiret. Quæ tenebrosa etiam nos o-
stia cernimus, quando supernæ lucis radiis illustramur. Vnde
& per Prophetam dicitur: Dominus mihi adiutor est, & ego *Psal.117.*
videbo inimicos meos. Hostes igitur nostros ipse videt, qui
suo eos munere nobis visibiles facit. Vel certè tenebrosa tunc
ostia Dominus vidit, cùm claustra inferni penetrans, crudeles
C spiritus perculit, & mortis præpositos moriendo damnauit.
Quod idcirco hîc non adhuc de futuro, sed iam de præterito
dicitur: quia hoc quod facturus erat in opere, nimirum iam fe-
cerat in prædestinatione. Quia verò post mortẽ resurrectio-
némque eius creuit Ecclesia, atque in cunctis est gentibus di-
latata, aptè subiungitur: *Nunquid considerasti latitudinem ter-* 7.
ræ?) Dum enim Dominus angustias mortis petiit, fidem suam
in gentibus dilatauit, atque ad innumera corda credentium,
sanctam Ecclesiam extendit. Cui per Prophetam dicitur: Di- *Esaiæ 54.*
lata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum
extende, ne parcas. Longos fac funiculos tuos, & clauos tuos
consolida. Ad dexteram enim & ad læuam penetrabis, & se-
men tuum gentes hæreditabit. Quæ latitudo terræ profectò
non fieret, nisi ipse prius & vitam quam nouimus moriendo
despiceret, & vitam quam non nouimus, resurgendo mon-
straret. In morte quippe sua nostræ oculos mentis aperuit, &
quæ esset vita quæ sequeretur ostendit. Vnde & hunc in Eu-
D angelio ordinem tenẽs discipulis dicit: Sic oportebat Chri- *Lucæ.24.*
stum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in no-
mine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum per om-
nes gentes. Pauci enim ex plebe Israëlitica ipso prædicante
crediderunt, innumeri verò gentium populi viam vitæ mo-
riente illo secuti sunt: Superbos nanque dum adhuc passibi-
lis viueret, pertulit, à passibili verò vita multos dum morere-
tur strauit. Quod bene Samson in semetipso dudum figura- *Iudic.16.*
liter expressit, qui paucos quidem dum viueret interemit, de-
structo autem templo, hostes innumeros cùm moreretur
occidit. Quia nimirum Dominus ab elatione superbiæ pau-
cos cùm viueret, plures verò cùm templum sui corporis solu-
eretur extinxit, atque electos ex gentibus quos viuendo
sustinuit, simul omnẽs moriendo prostrauit. Recte itaque
postquam inferna penetrasse se docuit, considerandam
mox terræ latitudinem subiunxit: ac si flagellato homini
diceret: Perpende quid pertuli, & pensa quod emi, nec que-
raris ipse de verbere, dum nescis quæ te præmia maneant
in retributione. Inter hæc itaque verba creatoris operæ
precium puto, si à bono communi ac publico parum-

per oculos flectimus, & quid in singulis nobis latenter agat, intuemur. Dicit enim:

Quòd moraliter mentem humanam Deus in profundo vitiorum immersam visitando ingreditur, & cor quasi abyssum obscuram illustratione sua irradians, vitiis calcatis victor ingreditur.

Caput VIII.

N*Vnquid ingressus es profundum maris.*) Mare quippe est mens humana, cuius profunda Deus ingreditur, quando per cognitionem suam ad lamenta pœnitentiæ ab initio cogitationibus perturbatur, quando prioris vitæ nequitias ad memoriam reducit, fluctuantem in confusione sua animum concutit. Profundum maris Deus penetrat, quãdo etiam desperata corda permutat. Ipse enim mareintrat, quando cor seculare humiliat: profundum maris ingreditur, quando visitare mentes etiam pressas sceleribus non dedignatur. Vnde & rectè percunctando subiungitur: *Et in nouissimis abyssi deambulasti?*) Quæ enim est abyssus nisi mens humana, quæ dum semetipsam comprehendere non valet sese in omne quod est, velut obscura abyssus latet? Vnde bene per Prophetam dicitur: Dedit abyssus vocem suam ab altitudine phantasiæ suæ: quia dum semetipsam mens humana non penetrat, ex comparatione sui, diuinæ naturæ potentiam quam comprehẽdere non sufficit, humilius laudat. In nouissimis ergo abyssi Deo deambulare, est etiam nequissimorum corda hominum conuertere, & desperatas mẽtes visitationis suæ vestigiis tangendo mirabiliter reformare. Cùm enim post immensa scelera vnusquisque compungitur, quid aliud quàm in nouissimis abyssi Deus deambulans videtur? Quasi in abysso nanq; Deus deambulat, cùm obscurum cor penetrans, fluctus inuisibiles vitiorum calcat. Plerunque enim præterita alia plangimus, & aliis præsentibus vrgemur: vt modò superbia, modò ira, modò luxuria, modò auaritia tentante fatigemur. Sed cùm cuncta hæc in corde nostro Dominus occultæ visitationis suæ timore reprimit, quid aliud quàm in abysso gressus ponit? Quos gressus mente conspicimus, quando contra insurgentia vitia, quomodo timoris eius obuiẽt dona, pẽsamus. Hos nanque gressus Propheta conspexerat, cùm dicebat: Visi sunt ingressus tui Deus, ingressus Dei mei, regis mei, qui est ĩ sancto ipsius. Qui enim inordinatos motus animi, & diuinorum iudiciorum memoria in se reprimi conspicit, quasi deambulantis in se gressus Domini videt. Dicat ergo beato Iob: *Nunquid ingressus es profundũ maris, & in nouissimis abyssi deambulasti?* subaudis, vt ego, qui mira misericordia in peccatorum cordibus modò iram, modò luxuriam, modò auaritiam, modò surgentem superbiam calco? ac si ei apertè diceretur: Si latentia cordis vitia me solum reprimere conspicis, tu extolli de propria iustificatione cessabis. Et quia cùm diuinitùs visitamur, etiam de occultis & illicitis motibus mentis ad confessionem ducimur, rectè subiungitur: *Nunquid apertæ sunt tibi portæ mortis?*) Portæ enim mortis sunt cogitationes prauæ quas Deo pendimus, quando eas in pœnitentia flendo cõfitemur. Quas etiam non confessas intuetur, sed confessas ingreditur. Tunc quippe viam sibi in portis mortis aperit, quando solutis prauis cogitationibus, ad nos post confessionem venit. Quæ portæ mortis idcirco vocatæ sunt: quia profectò via ad interitum per iniquas semper cogitationes aperitur. Quod adhuc replicatur cùm subditur: *Et ostia tenebrosa vidisti?*) Tenebrosa nanque ostia sunt latentia mentis mala, quæ & haberi intrinsecus possunt, & tamen ab altero videri non possunt. Quæ tamen Dominus cernit, quãdo ea occulto respectu gratiæ destruxit. Scriptum quippe est: Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo. Et quia omne vitium angustat, omnis verò virtus animum dilatat, post destructa vitia rectè subiungitur: *Nunquid considerasti latitudinem terræ?*) Nisi enim virtus animum dilataret, nequaquam Paulus Corinthiis diceret: Dilatamini & vos, & nolite iugum ducere cum infidelibus. Solerter verò intuendum est quod dicitur: *Considerasti latitudinem terræ?*) Latitudo nanque bonorum interiorum nequaquam comprehẽditur, nisi cautè consideretur. Nam plerunque eos exterius inopia humiliat, pœnæ cruciatus angustat, sed tamen inter hæc semper interior fortitudo se vsque ad speranda cœlestia dilatat. Angustati Apostoli exterius fuerant, quãdo flagella sustinebant, sed in magna stabant intus latitudine liberi, qui apud se hæc eadem flagella in gaudium verterant. Scriptum nanque est: Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Hanc latitudinem inter angustias Paulus inuenerat, qui dicebat: Scire autem vos volo fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Euangelij, ita vt vincula mea manifesta fierent in omni prætorio. Hanc latitudinem Dauid inter angustias obtinebat, dicens: In tribulatione dilatasti me. Tunc itaque hæc terra, id est, sanctorum conscientia dilatatur, cùm mundi huius aduersitatibus exterius premitur. Nam cùm à præsentis vitæ securitate repellitur, intus ad se impingitur, vt ad speranda superna tendatur. Cúmque euagari exterius non permittitur, quasi in sinum suum reuocata dilatatur. Nos autem quæ boni viri aduersa tolerent cernimus, sed intus quantum gaudeant non videmus. Mentis eorum latitudinem modò in verbis, modò in operibus considerando cognoscimus, sed tamen quanta in eis amplitudo sit eiusdem latitudinis ignoramus. Audiat ergo humana sapientia, & se insipientem dicat: *Nunquid considerasti latitudinem terræ?*) Ac si dicat, vt ego, qui flagellis cinctam, occultam iustorum lætitiam solus planè considero, quia solus misericorditer firmo. Vel certè idcirco beatus Iob, vtrum terræ latitudinem considerauerit, inquiritur, vt exemplo alienæ latitudinis humilietur. Ac si apertè diceretur: Eos, quos innumera mala præsentis vitæ nequeunt angustare, considera, de statu cordis tui inter verba gloriari cessa. Sequitur:

Quòd iudicia Dei nemo in hac vita intelligat, cùm latro de patibulo in regnum, Iudas de apostolatu mergatur in tartarum, nec aliquis sciat qui redeant de bonis ad mala, vel qui conuertantur de malis ad bona.

Caput IX.

I*Ndica mihi si nosti omnia, in qua via habitet lux, & tenebrarum quis locus sit, vt ducas vnumquodque ad terminos suos, & intelligas semitas domus eius?*) Beatus Iob graui quæstione discutitur, vt & de via lucis, & tenebrarum loco requiratur, vt vnumquodque ad suos terminos ducat, ac semitas domus eius intelligat. Quid enim lucis nomine nisi iustitia accipitur? Et quid per tenebras nisi iniquitas designatur? Vnde quibusdam conuersis à peccatorum nequitia dicitur: Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Et de quibusdam in peccato manentibus memoratur: Qui dormiunt, nocte dormiunt. Beato itaque Iob dicitur: Indica mihi si nosti omnia, in qua via habitet lux, & tenebrarum quis locus sit? ac si dicatur ei: Si plenam te habere scientiam suspicaris, dic vel in cuius corde ea quæ nunc deest innocentia veniat, vel in cuius corde ea quæ nunc est malitia perseueret. In qua via habitet lux, id est, cuius mentem veniens iustitia impleat: & tenebrarum quis locus sit, id est, in quo iniquitas cæca perduret: vt ducas vnumquodque ad terminos suos, id est, vt diiudices si vel is qui nunc iniquus cernitur, in iniquitate vitam finiat, vel is qui iustus cernitur, extremitatem vitæ suæ cùm iustitię perfectione concludat: & intelligas semitas domus eius, id est, consideres atque discernas, vel cui bona actio perseuerans æternam mansionem præstet in regno, vel quem vsque ad terminum suum actio praua constringens in æternum damnet supplicium. Domus quippe pro mansione ponitur, semita pro actione. Semita igitur ad domum ducit, quia actio ad mansionem pertrahit. Sed quis hominum ista discussus dicat? Quis ista saltem imperterritus audiat? Multos enim videmus quotidie qui iustitiæ luce resplendent, & tamen ad finem suum nequitiæ obscuritate tenebrantur: & multos cernimus peccatorum tenebris obuolutos, & tamen iuxta vitæ suæ terminum repentè reddi luci iustitiæ liberos. Multos etiam nouimus semel inuentam viam iustitiæ illibatè vsque ad mortem tenuisse, & pleróque conspeximus vsque ad exitum cœpta semel crimina sine cessatione cumulasse. Quis verò inter ista occultorum iudiciorum nubila, mentis suæ radium mittat, vt aliqua cõsideratione discernat, vel quis perduret in malo, vel quis perseueret in bono, vel quis ab infimis conuertatur ad summa, vel quis à summis reuertitur ad infima? Latent hæc sensus hominum, nec quicquam de cuiuslibet fine cognoscitur, quia diuinorum iudiciorum abyssus humanæ mentis oculo nullatenus penetratur. Videmus nanque quòd illa aduersa

Abac.3.

Psalm.67.

Acto.5.

Philip.1.

Psalm.4.

2. Corint.6.

Ephe.5.

1. Thessa.5.

uersa Deo gentilitas iustitiæ lucæ perfusa est, & Iudæa dudum dilecta, perfidiæ est nocte cæcata. Scimus etiam quòd latro de patibulo transiuit ad regnum, Iudas de apostolatus gloria est lapsus in tartarum. Rursũmque quia aliquando sortes quæ cœperint non mutantur, & latronem nouimus alium peruenisse ad supplicium, & Apostolos scimus percepisse propositum quod desiderauerat regnum. Quis ergo discutiat in qua via habitet lux, & tenebrarum quis locus sit, vt ducat vnumquodque ad terminos suos, & intelligat semitas domus eius? Video Paulum ex illa persecutionis sæuitia, ad gratiam apostolatus vocatum, & tamen sic inter iudicia occulta formidat, vt reprobari se etiam postquam vocatus est, timeat. Ait enim: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè aliis prædicãs, ipse reprobus efficiar. Et rursum: Ego me non arbitor comprehendisse: vnum autem, quę quidem retrò sunt oblitus, ad ea quæ sunt priora extendens meipsum ad destinatum, sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Iesu Christo. Sequor autem si comprehendam in quo & comprehensus sum. Et certè iam de illo voce dominica dictum fuerat: Vas electionis mihi est, & tamen adhuc castigans corpus suum metuit ne reprobetur. Væ miseris nobis, qui de electione nostra nullam adhuc Dei vocem cognouimus, & iam in ocio quasi de securitate torpemus. Debet profectò debet in spe esse non solùm securitas, sed etiam timor in conuersatione, vt & illa certantes foueat, & iste torpentes pungat. Vnde rectè per Prophetam dicitur: Qui timent Dominum, sperent in Domino. Ac si apertè diceret: De spe incassum præsumit, qui timere Deum in suis operibus renuit. Sed cur beatus Iob de tam valida quæstione requiritur, quæ omnino ab hominibus ignoratur, vt iustorum iniquorúmque terminum comprehendat, nisi vt aliorum finem cognoscere non valens, ad suum recurrat: quia sicut aliorum, sic etiam suũ nesciens timeat, timens humilietur, humiliatus iam de operibus suis extolli non debeat, & non elatus, in gratiæ arce persistat? Dicatur ergo ei. *Indica mihi si habes intelligentiam, in qua via habitet lux, tenebrarum quis locus sit, vt ducas vnumquodque ad terminos suos?*) Ac si diceretur: Sicut qui de malis conuertantur ad bona, vel qui de bonis ad mala redeant nescis, ita etiam nec de te quid tuis meritis exigentibus agatur, intelligis. Et sicut alienum nullatenus comprehendis, ita etiam tuum terminum prenoscere non vales. Iam enim quantum ipse profeceris scis, sed quid adhuc de te ego in occultis sentiam nescis. Iam iustitiæ tuæ acta consideras, sed quàm districtè apud me pensentur ignoras. Væ etiam laudabili vitę hominum, si remota pietate iudicetur: quia districtè discussa: inde ante oculos iudicis, vnde se placere suspicatur, obruitur. Vnde rectè Deo per Prophetam dicitur: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Vnde bene per Salomonem dicitur: Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo vtrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta. Hinc rursum per eundem Salomonem dicitur: Quis hominũ intelligere poterit viam suam? Et nimirum bona malá ve quis faciens conscientia attestante cognoscitur. Sed idcirco dicitur quòd via sua ab hominibus nesciatur, quia etiam si recta se quisque opera agere intelligat, sub districto tamen examine quo tendat, ignorat.

Quòd sicut nemo nouit suum initium, ita nec etiam exitum.

Caput X.

I*Gitur postquam illum de ista finis sui consideratione perterruit, ad examinandum eius exordium redit, ac ne conqueratur cur finem suum nesciat, commemoratur etiam quia nec quo huc initio accesit, intelligat. Nam sequitur: Sciebas tunc quòd nascituras esses, aut numerum dierum tuorum noueras?*) Ac si apertè diceret: Quid mirum si terminum tuum non intelligis, qui nec initium comprehendis? Et qui ignoras quo huc initio veneris, quid mirum si nescias quo fine subtraharis? Si ergo meum fuit te per initium ex occultis ad prompta producere, meum quoque erit etiam te ex promptis ad occulta reuocare. Cur de vitæ tuæ dispensatione aliquid quereris, qui in manu artificis temetipsum nesciens teneris? Extolli itaque tantò magis non debes in eo quod agis, quantò intra signum æternitatis clausus, nec quo huc ordine veneris, nec quando vel quomodo hinc educaris agnoscis. Hæc tamen intelligi & aliter possunt. *Sciebas tunc quòd nascituras esses, & numerum dierum tuorum noueras?*) subaudis, vt ego, qui me nascituram noui, qui & ante humanitatis ortum in diuinitate semper substantialiter vixi. Homines quippe tunc esse incipiunt, cum in matrum suarum ventre nascuntur. Nam ipsa quoque conceptio nativitas dicitur, iuxta hoc quod scriptum est: Quod in ea natum est, de spiritu sancto est. Et idcirco se nascituros nesciũt, quia nec priusquam creantur existunt. Deus verò qui sine initio semper extitit, præsciuit de se hoc quod in vtero Virginis per initium sumpsit: & quia præsciuit disposuit: quia disposuit, nihil profectò in humana forma sine sua voluntate tolerauit. Conuincatur ergo cur de flagellis suis homo queritur, qui ortum suum prescire non potuit, si ipse etiam qui ortum suum præsciendo disposuit, se inter homines ad flagella præparauit. Sequitur:

Quòd Deus peccatores in malis congelatos, tanquam in niue vel grandine thesauros habeat, quos à vita peruersa ad medium educens, fidei constituit defensores.

Caput XI.

N*Vnquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ præparaui in tempus hostis & in diem pugnæ & belli?*) Quid aliud niue vel grandine nisi frigida ac dura intelligenda sunt corda prauorum? Sicut enim feruore charitas, sic solet in sacro eloquio frigore malitia designari. Scriptum nanque est: Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam facit animam malitia sua. Et rursum: Abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum. In frigore ergo niuis vel in duritia grandinis quid accipi aptius potest, quàm vita prauorum, quę & per torporem frigescit, & per duritiæ malitiam percutit? Quorum tamen vitam Dominus tolerat, quia eos ad iustorum suorum probationem seruat. Vnde & rectè subiunxit: *Quæ præparaui in tempus hostis, in diem pugnæ & belli:*) vt cùm aduersarius noster diabolus tentare nos nititur, eorum moribus quasi suis contra nos armis vtatur. Per ipsos quippe nos sæuiens cruciat, sed nesciẽs purgat. Peccatis nanque nostris ipsi flagella fiunt, de quorum tali vita dum percutimur, ab æterna morte liberamur. Vnde agitur vt electorum vitæ proficiat etiam perdita vita reproborum, & vtilitati nostræ dum illorum perditio militat, mira dispensatione fiat, quatenus electis Dei non pereat etiam omne quod petit. Intelligi hoc quoque aliter potest, vt quia verbis præcedentibus videtur annexum, à superioris versus expositione nõ discrepet. Nam quia indicauerat vel bonos ad malum, vel malos ad bonum posse conuerti, illico secutus adiunxit: *Numquid ingressus est thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ præparaui in tempus hostis, in diem pugnæ & belli?*) In niue vel grandine frigida, vel dura, vt dictum est, accipimus corda prauorum? Sed quia omnipotens Deus sanctos suos de talibus eligit, & quàm multos electos adhuc inter prauorum vitam repositos habeat nouit, aptè in niue vel grandine thesauros habere se perhibet. Thesaurus quippe ἀπὸ τῆς θέσεως, id est, à positione nominatur. Et plerosque in vita frigida diu latenter respicit, quos ad medium cùm iubet producit, & iustitiæ nitore candidos per supernam gratiam ostendit. Scriptum quippe est: Lauabis me, & super niuem dealbabor. Quos ad diem belli pugnæque præparatos, diu intra suæ præscientiæ sinum tegit, sed cùm repentè eos eduxerit, resistentia aduersariorum pectora illorum verbis ac redargutionibus, quasi quibusdam grandinibus percutit. Vnde aliàs scriptum est: Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt, grando & carbones ignis. Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt, quia prædicatores sancti vniuersa mundi spatia miraculorum claritate percurrunt. Qui etiam grando & carbones ignis vocati sunt: quia & per correptionem feriunt, & per flammam charitatis accendunt. Ipsa quoque libera sanctorũ increpatio, natura grãdinis conueniẽter exprimitur. Grãdo enim veniẽs percutit, liquata rigat. Sãcti autem viri corda audientiũ & terrentes feriunt, & blandiẽtes infundunt. Nam quemadmodum feriant, Propheta testatur dicens: Virtutem terribilium tuorum dicẽt, & magnitudinem tuam narrabunt. Et quemadmodum blandientes rigent, secutus adiunxit: Memoriam abũdantię suauitatis tuæ eructa-

Acto.9.

1. Corin.9.

Philip.3.

Acto.9.

10.

Hier.6.

Matth.24.

Matth.1.

11.

Psal.142.

Eccles.9.

Vnde thesaurus.

Psal.54.

Psalm.17.

Psal.144.

Ibidem.

bunt, & iustitia tua exultabunt. In niue ergo vel grādine habentur thesauri: quia plerique iniquitatis torpore frigidi, à superna gratia assumpti, in sancta Ecclesia iustitiæ luce fulgescunt, & prauam aduersariorum scientiam doctrinæ suæ ictibus tundunt. Vnde & aptè subditum est: *Quæ præparaui in tempus hostis, in diem pugnæ & belli.* 12 Nix quippe vel grando fuerat Saulus per frigidam insensibilitatem: sed nix & grando contra aduersariorum pectora factus est vel candore iustitiæ, vel districti eloquij correptione. O qualem hunc thesaurum in niue & grandine habuit, quando illum inter prauorum vitam positum, iam tunc electum suum Dominus latenter vidit! O ad quanta aduersariorum pectora feriēda hanc in manu sua grandinem sumpsit, per quem tot sibi resistentia corda prostrauit! Nemo itaque de suis operibus extollatur, nemo desperet eos quos adhuc frigidos videt: quia thesauros Dei in niue & grandine non videt. Quis enim crederet quòd per apostolatus gratiam lapidatū Stephanum ille præcederet, qui in morte eius omnium lapidantium vestimenta seruauit? Si ergo ad ista dona vel iudicia occulta recurrimus, nullos omnino desperantes, nec illis nos in corde nostro præferimus, quibus pro tempore prælati sumus: quia & si iam videmus quantum præcessimus, nescimus quātum cùm currere cœperint præcedamur. Bene ergo ad beatum Iob dicitur: *Nunquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti; quæ præparauit in tempus hostis, in diem pugnæ & belli?* Ac si apertè diceretur: Nulli te de operibus tuis præferas, quia de his quos intueris adhuc per culpam frigidos, quantos operatores iustitię, & defensores rectæ fidei sim facturus, ignoras. Quod quia per aduentum meditatoris agitur, rectè subiungitur:

Quòd sparsis per mundum fidei prædicatoribus, æstus persecutionis incaluit. Caput XII.

Ioan.14. PEr quam viam spargitur lux?) Ipse quippe via est qui ait: Ego sum via, veritas & vita. Per hanc ergo viam lux spargitur, quia per eius præsentiam cuncta gentilitas illustratur. Spargitur autem conuenienter dixit, quia per apostolorum voces non angustata atq; coarctata, sed latè fulgens lux prædicationis emicuit. Quia verò accepta luce conuersionis, inardescit intrinsecus vis amoris, vt vel transacta mala anxiè lugeantur, vel ventura bona flagrantissimè requirantur, competenter adiungitur: *Diuiditur æstus super terram.*) Sparsa enim luce æstus super terram diuiditur, quia per apertum orbem iustitia prædicata, ad requirēdum Deum cordis anxietas in virtutum exercitatione dilatatur, vt iste in sermone sapientiæ, ille in sermone scientiæ fulgeat: hîc in curationum gratia, ille in virtutum operatione conualescat: & dona sancti Spiritus dum dispariliter singuli accipiunt, necessariò sibimet iuncti
13 omnes vnanimiter accendantur. Sed postquam spargi lux dicitur, potest conuenienter intelligi quòd per æstum persecutio designatur: quia vt lux prædicationis inclaruit, mox à perfidorum cordibus ardor persecutionis exarsit. Nam quòd per æstum persecutio exprimitur, dominicus sermo testatur, Matth.13. de iactatis seminibus super petrosam terram dicens: Sole orto æstuauerunt omnia, & quia non habebant radicem, aruerunt. Quod paulo pòst cùm exposuit, æstum persecutionem vocauit. Sparsa igitur luce æstus super terram diuisus est, quia clarescente vita fidelium, accensa est crudelitas perfidorum. Diuisus nanque æstus erat, quando nunc Hierosolymis, nunc Damasci, nunc in aliis lōgè regionibus persecutio sæuiebat. Acto.8. Scriptum quippe est: Facta est in illa die persecutio magna in Ecclesia quæ erat Hierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ & Samariæ. Rursumque scriptum est: Saulus adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum, & petiit ab eo epistolas quas deferret Acto.9. in Damascum ad synagogas, vt si quos inuenisset huius viæ viros ac mulieres, vinctos deduceret in Hierusalem. Quia ergo nunc hîc, nunc illic persecutio excreuerat, hi qui lucem veritatis agnouerāt, quasi sub ardore diuisi æstus anhelabant. Sed quia beatum Iob de occultis iudiciis requisitum superioribus dictis audiuimus: oportet vt hoc quod de sparsa luce vel diuiso æstu dictum est, subtilius perscrutemur. Adhuc enim alta interrogatione discutitur, vt saltem quia nesciat doceatur, eique dicatur: *Per quam viam spargitur lux, diuiditur æstus super terram?* Quid enim lucis nomine nisi iustitia designatur? De qua scriptum est: Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam. Omne autem quod spargitur, non continuè, sed sub quadam intermissione iactatur. Et idcirco spargi lux dicitur, quia etsi iam quædam vt sunt perspicimus, quædam tamen ita vt videnda sunt, non videmus. Cor nanque Petri lux sparsa tenuerat, qui tanto fidei, tanto miraculorum fulgore claruerat, & tamen cōuersis gentibus dum circuncisionis pondus imponeret, quid rectum diceret nesciebat. Lux ergo in hac vita spargitur, quia ad omnis rei intelligentiam continua non habetur. Dum enim aliud sicut est comprehēdimus, & aliud ignoramus, quasi sparsa luce & ex parte cernimus, & in obscuritate ex parte remanemus. Tūc verò lux nobis sparsa iam non erit, quando mens nostra ad Deum funditùs rapta fulgescet. Et quia hæc eadem lux quibus modis humano cordi insinuetur ignoratur, rectè in percunctatione dicitur: *Per quam viam spargitur lux?* Ac si apertè diceretur: Dic quo ordine iustitiam meam occultis finibus cordium infundo, cùm & per accessum non videor, & tamen visibilia opera hominum inuisibiliter immuto, cùm vnam eandémq; mentem modò hac, modo illa virtute irradio, & tamen per sparsam lucem adhuc ex parte aliqua eam in tentationis tenebris remanere permitto. Requiratur homo nesciens, per quam viam spargitur lux, ac si patenter dicatur. Dum dura corda emollio, dum rigida inflecto, dum aspera mitigo, dum frigida accēdo, dum debilia roboro, dum vaga stabilio, dum nutantia confirmo, intuere si vales incorporaliter veniens, quibus ea meatibus illustro. Hæc quippe omnia nos facta cernimus: nam qualiter intrinsecus efficiantur, ignoramus. Hanc viam lucis esse nobis inuisibilem in Euangelio veritas ostendit dicens: Spiritus Ioan.3. vbi vult spirat, & vocem eius audis, & nescis vnde veniat & quo vadat. Sed quia cùm lux spargitur, mox ab occulto 14
aduersario contra fulgentem mentem tentamēta succrescunt, rectè subiungitur: *Diuiditur æstus super terram.*) Hostis nanque *Tētatio hostis callidi.* callidus quos iustitiæ luce enitescere conspicit, eorum mentes illicitis desideriis inflammare contendit, vt plerunque plus se vrgeri tentationibus sentiant, quàm tunc cùm lucis internæ radios non videbāt. Vnde & Israëlitæ postquam vocati sunt, Exod.5. contra Moysen & Aaron de excrescente labore conqueruntur, dicentes: Videat Dominus & iudicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone & seruis eius, & præbuistis ei gladium vt interficeret nos. Volentibus quippe ex Aegypto discedere, Pharao paleas subtraxerat, & tamen eiusdem mensuræ opera requirebat. Quasi ergo cōtra legem mens submurmurat, post cuius cognitionem tentationum stimulos acriores portat, & cùm sibi labores crescere conspicit, in eo quòd aduersario displicet, quasi fœtere se in oculis Pharaonis dolet. Post lucem ergo æstus sequitur, quia post illuminationem diuini muneris, tentationis certamen augetur.

Rectè verò etiam diuidi æstus dicitur: quia nimirum non singuli omnibus, sed quibusdam vicinis ac iuxtà positis vitiis fatigantur. Prius enim conspersionem vniuscuiusque antiquus aduersarius perspicit, & tunc tentationis laqueos apponit. Alius nanque lætis, alius tristibus, alius timidis, alius elatis moribus existit. Quò ergo occultus aduersarius facilè capiat, vicinas conspersionis deceptiones parat. Quia etenim lætitiæ voluptas iuxtà est, lætis moribus luxuriam proponit. Et quia tristitia in iram facilè labitur, tristibus poculum discordiæ porrigit. Quia timidi supplicia formidant, pauentibus terrores intentat. Et quia elatos extolli laudibus cōspicit, eos ad quæque voluerit blandis fauoribus trahit. Singulis igitur hominibus vitiis conuenientibus insidiatur. Neque enim facilè captiuaret, si aut luxuriosis præmia, aut auaris scorta proponeret, si aut voraces de abstinentiæ gloria, aut abstinentes de gulæ imbecillitate pulsaret, si mites per studium certaminis, aut iracundos capere per fauorem formidinis quæreret. Quia ergo in tentationis ardore callidè singulis insidians, vicinos moribus laqueos abscondit, rectè dicitur: *Diuiditur æstus super terram.* Sed cùm præmittitur: Per quam viam spargitur lux, statímque subiungitur: Diuiditur æstus super terram, nimirum per eandem viam per quam lux spargitur, etiam diuidi æstus indicatur. Alta quippe atq; incomprehensibilis Spiritus *Consolatio.* sancti gratia cùm luce sua nostras mentes irradiat, etiam tentationes aduersarij dispensando modificat, vt simul multæ non

non veniant, aut ipsæ tantummodo quæ ferri possunt, illustratam iam à Deo animam tangant, vt cùm tactus sui ardore nos cruciant, perfectionis incendio non exurant: Paulo attestante qui ait: Fidelis autem Deus, qui non patitur vos tentari 1.Cor.10. supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, vt possitis sustinere. Hunc ergo æstum aliter diuidit callidus supplantator, aliter misericors conditor. Ille diuidit vt per illum citius interimat, iste vt eum tolerabilem reddat. Et quia cùm tentatione fatigamur, non solùm interno Dei spiritu instruimur, sed etiam exterioribus prædicantium verbis adiuuamur, rectè post diuisum æstum subditur:

Quòd euangelica tonitrua, & nubes apostolicæ doctrinæ currunt vsque ad fines terræ, nec impediri potuit ab hominibus consilium Dei. Caput XIII.

15. QVis dedit vehementissimo imbri cursum?) Si verò vt superius diximus, diuisi æstus nomine illa in Iudææ regionibus persecutio designatur, vt ipsa persecutionis asperitas prædicatores sanctos superno munere adiutos, à prædicationis suæ ministerio nullo timore compescuit, aptè subiungit: *Quis dedit vehementissimo imbri cursum?*) Ac si diceret, nisi ego. Diuiso enim æstu, cursum vehementissimo imbri dedisse, est inter ipsas persecutionis angustias prædicationis impetum roborasse: vt tantò magis virtus prædicantium cresceret, quantò magis persequentium crudelitas obuiaret, quatenus arentia corda audientium pluuiæ guttis infunderent, & siccitatem perfidiæ vberius irrigarent, vt quanuis contra eos sæuitiæ æstus candesceret, per eos tamen vox gratiæ non taceret. Hūc persecutionis æstum Paulus & tolerabat & irrigabat cùm diceret: 1.Tim.1. Laboro vsque ad vincula quasi malè operans, sed verbum Dei non est alligatum. Esaiæ.5. De hoc imbre aliàs dicitur: Mandabo nubibus ne pluant super eam imbrem. De hoc cursu imbris qui in electorum cordibus agitur, Psalmista testatur Psal.147. dicens: Velociter currit sermo eius. Plerunque verò imber est, & cursum non habet: quia prædicatio ad aures venit, sed cessante interna gratia, ad corda audientium non pertransit. De cuius prædicationis verbis propter electos dicitur: Et Psalm.76. enim sagittæ tuæ pertransierunt. Sagittæ quippe Dei pertranseunt, quando verba prædicationis eius ab auribus ad corda descendunt. Quod quia solo diuino munere agitur, imbri cursum Dominus se dedisse testatur. Sed notandum video quod eundem imbrem vehementem sed non vehementissimum vocat. Imber vehemens est vis magna. Imber verò vehementissimus, vis immensa prædicationis: Vehemens nanque imber erat cùm prædicatores sancti credere gaudia æterna suadebant. Imber autem vehementissimus, quando propter spem admonebant rem deseri, cuncta visibilia propter inuisibilia contemni, & propter audita gaudia, præsentis seculi pœnas cruciatúsque tolerari. Sed cùm fide cognita sæuiēte æstu persecutionis, tot electi possessa reliquerunt, carnalis affectus obliti sunt, & prę gaudio spiritus in cruciatibus membra posuerunt: quid aliud Dominus fecit, nisi etiam vehemētissimo imbri cursum præbuit, qui vsque ad exequenda summa præcepta per verba corporis inuisibilia cordis irrigauit?
16. Vbi & aptè subiungitur: *Et viam sonantis tonitrui.*) Quid enim per tonitruum nisi prædicatio superni terroris accipitur? Quem terrorem dum percipiunt humana corda, quatiuntur. Aliquando verò in tonitruo ipse incarnatus Dominus figuratur, qui ex antiquorum patrum conueniente prophetia ad notitiam nostram quasi ex nubium concursione prolatus est. Qui inter nos visibiliter apparens ea quæ super eos erant, terribiliter sonuit. Mar.3. Vnde & ipsi sancti Apostoli de eius gratia generati, boanerges, id est filij tonitrui sunt vocati. Aliquādo autem sicut dictum est, tonitruus ipsa eius prædicatio accipitur, per quam supernorum iudiciorum terror auditur. Sed quia quilibet prædicator verba dare auribus potest, corda verò aperire non potest: & nisi internam gratiam solus omnipotens Deus prædicantium verbis ad corda audientium inuisibiliter aditum præstet, incassum prædicatio aure audientis percipitur, quæ peruenire ad intima corde surdo prohibetur: se Dominus viam sonantis tonitrui dare asserit, qui cùm prædicationis verba tribuit, per terrorem corda compūgit. Hanc viam Paulus prædicator egregius dum superna mysteria terribiliter intonaret, se à se habere non posse conspiciens, discipulos admonebat dicens: Orantes simul & pro nobis, vt Deus Coloss.4. aperiat nobis ostium verbi, ad loquendum mysterium Christi. Qui ergo loquebatur mysteria, sed in corde audientium eisdem mysteriis à Domino aperiri ostium precabatur, habebat quidem iam tonitruum, sed dari ei desuper viam quærebat. Hanc viam nequaquam se Ioannes dare posse cognouerat, 1.Ioan.2. qui dicebat: Non necesse habetis vt aliquis doceat vos, sed 1.Cor.3. vnctio eius docet vos de omnibus. Hanc viam rursum Paulus qui daret, intimabat dicens: Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Accepta igitur via quid iste imber ac tonitruus agat, audiamus. Sequitur:

Quòd gentibus ad fidem Christi conuersis, plebs Iudaica siccas rodens legis stipulas, ad viriditatem spiritalis intellectus peruenire non præualens, in sua cæcitate permansit. Caput XIIII.

VT plueret super terram absque homine in deserto, vbi nullus mortalium commoratur.) Super terram absque homine in deserto pluere, est verbum Dei gentilitati prædicare. Quæ dum nullum cultum diuinitatis tenuit, nullámque in se speciem boni operis ostendit, videlicet desertum fuit. In qua quia legislator non fuit, & qui rationabiliter Deum quæreret non fuit, quasi hominum nullus fuit, & velut solis bestiis occupata, vacua à mortalibus extitit. De hac deserti terra aliàs dicitur: Posuit in Esa.42. deserto viam. De hac prædicatione gentilitati concessa Psalmista testatur dicens: Psal.106. Posuisti flumina in deserto.
17. Notandum verò est quòd postquam æstus super terram diuisus est, cursum vehementissimus imber accepit, vt in deserto plueret: quia postquam in Iudęa asperitas persecutionis inhorruit, vt non solùm fidem minimè reciperet, sed etiam gladiis impugnaret, ad Israël missus quisque prædicator, ad vocandas gentes deflexit. Vnde sancti Apostoli Hebræis persequentibus Acto.13. quos deserunt dicunt: Vobis oportebat primum loqui Acto.13. verbum Dei, sed quia repulistis illud, & indignos vos indicastis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Diuiso igitur æstu, deserta & absque homine terra compluitur, quia dispersa in Iudææ regionibus persecutione fidelium, derelicta dudum & quasi ab infusione rationis aliena, prædicationis guttis gentilitas irroratur. Quæ gentilitas qualis adhuc à prædicatoribus sit inuenta ostenditur, cùm subditur: *Vt impleret inuiam & desolatam.*) Quid verò compluta reddidit, monstratur cùm ilico adiungitur: *Et produceret herbas virentes.*) Inuia nanque dudum gentilitas fuit, ad quam via Dei verbo non patuit. Redemptore quippe nostro veniente, sic accepit vocationem gratiæ, vt non in ea prius fuerit via prophetiæ. Desolata etiam rectè vocata est: vel ratione videlicet consilij, vel fructu boni operis destituta. Dedit ergo Dominus vehementissimo imbri cursum & viam sonantis tonitrui, vt in deserto plueret, & impleret inuiam & desolatam, & produceret herbas virentes, id est, exteriori prædicationi internam aspirationem contulit, vt corda gentilium arentia virescerent, clausa patescerent, inania complerentur, infœcunda germina- 18.
rent. In scriptura enim sacra aliquando herba viror gloriæ temporalis accipitur, aliquando refectio diaboli, aliquando sustentatio prædicatorum, aliquando bona operatio, aliquando æternæ vitæ scientia atque doctrina. Viror nanque gloria temporalis accipitur sicut Propheta ait: Mane sicut herba transeat, Psal.89. mane floreat & pertranseat. Mane nanque sicut herba florere atque transire, est in prosperitate huius seculi temporalis gloriæ decus velociter arescere. Herba refectio diaboli accipitur, sicut de illo à Domino dicitur: Huic montes herbas ferunt: Iob.40. ac si diceret: Superbi ac tumidi dum se illicitis cogitationibus atque actionibus efferunt, suis illum iniquitatibus pascunt. Herba sustentatio prædicantium demonstratur, cùm dicitur: Producit in montibus Psal.146. fœnum & herbam, seruituti hominum. In montibus quippe fœnum & seruituti hominum herba producitur, cùm sublimes huius seculi ad fidei cognitionem vocati, sanctis prædicatoribus in huius vitæ itinere transitoria alimenta largiuntur. Herba bona operatio ponitur, sicut scriptum est: Germinet terra herbam virentem. Quòd licèt in conditione Genesis.1.

mundi ita historicè factum teneamus, terram tamen Eccle-
siam figurasse non inconuenienter accipimus, quæ in eo ger-
minauit herbam virentem, in quo ad verbum Dei fœcunda
misericordiæ opera protulit. Herbam aliquando scientiam
atque doctrinam æternæ viriditatis accipimus, sicut per Hie-
Hiere.14. remiam dicitur: Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ven-
tos quasi dracones, defecerũt oculi eorum quia non erat her-
ba. Quo dicto superba ac nequissima Iudæorum est persecu-
tio prophetata. Ipsi quippe onagri pro mentis elatione, ipsi
dracones pro virulẽta cogitatione vocati sunt. Qui steterunt
in rupibus, quia non in Deo, sed in summis potestatibus hu-
ius mundi confisi sunt, dicentes: Regem non habemus nisi
Ioan.19. Cæsarem. Traxerunt ventos quasi dracones: quia spiritu ela-
tionis inflati, superbia malitiosa tumuerunt. Defecerunt oculi
eorum: quia scilicet spes eorum ab eo quod intendebat cor-
ruit. Qui temporalia diligens præstolari æterna neglexit, &
Ioan.11. terrena ideo quia Deo præposuit amisit. Dixerunt enim: Si
dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Ro-
mani, & tollent nostrum locum & gentem. Timuerunt ne lo-
cum non occiso Domino perderent & tamen occiso perdi-
derunt. Sed cur ista miseris euenerint subdit: Quia non erat
herba, id est, quia eorum cordibus defuit æternitatis scientia,
& nullo eos refecit pabulo viriditatis internæ doctrina. Hoc
igitur loco quid aliud virentes herbas, nisi sanctæ doctrinæ
scientiam, vel congruas operationes accipimus? Deserta igi-
tur terra compluitur, vt ab ea virentes herbæ producantur:
quia dum sanctæ prædicationis imbrem gentilitas percepit, &
vitæ opera & doctrinæ verba germinauit. Ista viriditas voce
Esaia.35. prophetica desertæ terræ pollicetur, cùm dicitur: In cubili-
bus in quibus prius dracones habitabãt, orietur viror calami
& iunci. Qui enim per calamum nisi prædicatores, quid per
iuncum qui iuxta aquæ humorem semper nascitur, nisi pusilli
ac teneri auditores sacri eloquij designantur? In draconum
ergo cubilibus viror calami & iunci oritur, quia in eis popu-
lis quos antiqui hostis malitia possidebat, & doctorum scien-
19 tia, & auditorum obedientia coaceruatur. Hæc tamen quæ
generaliter de gentilitate dicta sunt, si solerter inspicimus, in-
tra sinum sanctæ Ecclesiæ agi in singulis videmus. Sunt enim
plerique ad verba Dei valde insensibiles, qui fidei quidem
nomine censentur, verba vitæ auribus audiunt, sed ea transi-
re vsque ad interna cordis minimè permittunt, Hi quid aliud
quàm deserta terra sunt? Quæ scilicet terra hominem non ha-
bet: quia eorum mens sensu rationis caret. Et nullus morta-
lium in hac terra commoratur: quia & si quando in eorum
consciẽtia rationabilium sensuum cogitationes veniunt, non
persistunt. Praua enim desideria in eorum cordibus sedem in-
ueniunt, recta verò si quando venerint, ac si impellantur de-
currunt. Sed cùm misericors Deus imbri suo cursum & so-
nanti tonitruo viam dare dignatur, compuncti per internam
gratiam verbis vitæ aures cordis aperiunt. Et impletur terra
in via: quia dum præbet auditum verbo, cumulatur myste-
rio. Et producit herbas virentes: quia per gratiam compun-
ctionis infusa prædicationis verba non solùm libẽter recipit,
sed etiam vbertim reddit: vt quod audire non poterat, iam lo-
qui concupiscat: & quæ non audiendo etiam intrinsecus a-
ruerat, iam loquendo quæ sancta sunt, viriditate sua quosli-
Psalm.103. bet esurientes pascat. Vnde bene per Prophetam dicitur: E-
mitte spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem ter-
ræ. Sic enim sic facies terræ virtute renouationis immutatur,
dum sicca dudum mens gratia veniente compluitur, & post
ariditatem pristinam quasi productis herbis scientiæ viridita-
te vestitur. Quæ conditoris nostri gratia adhuc nobis altius
commendatur, cùm subditur:

*Quòd à Deo patre & gratia est & doctrina, & ipse omnis crea-
turæ sit conditor, non tantum hominum, sed angelorum: non
tantùm sanctorum angelorum, sed malignorum spirituum.*

Caput XV.

20 QVis est pluuiæ pater vel quis genuit stellas roris?) Ac si diceret,
nisi ego: qui siccam terram humani cordis guttis scien-
Psalm.67. tiæ gratuitò aspergo. De hac enim pluuia aliàs dicitur: Plu-
uiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ. Volunta-
riam quippe pluuiam hæreditati suæ Dominus segregat: quia
E non eam nobis pro nostris meritis, sed pro suæ munere beni-
gnitatis præstat. Et idcirco hoc loco pater pluuiæ dicitur,
quia superna nobis prædicatio non de nostro merito, sed de
eius gratia generatur. Stellæ enim roris ipsi sancti prædicato-
res sunt, qui arua pectoris nostri inter mala vitæ præsentis,
quasi inter tenebras siccæ noctis arentia, gratia supernæ largi-
tatis infundũt. De his stellis contumaci Iudææ dicitur: Prop- Hiere.3.
terea prohibitæ sunt stellæ pluuiarum, & serotinus imber
non fuit. Ipsæ quippe stellæ roris sunt, quæ stellæ pluuiarum.
Quando enim dispensatione aliqua prædicationem tempe-
rant, quasi rorem tenerum aspergunt. Quando verò ea quæ de
supernis sentiunt, virtute qua præualent loquuntur, quasi v-
bertim manentem pluuiam fundunt. Rorem aspergebat Pau-
lus cùm Corinthiis diceret: Non enim iudicaui scire me ali- 1.Corint.2.
quid inter vos, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum. Et
rursum pluuiam manabat dicens: Os nostrum patet ad vos ô 2.Corint.6.
Corinthij, cor nostrum dilatatum est. Hinc est quòd Moyses
qui & valida fortibus, & tenera infirmis dicturum se nouerat,
F dicebat: Expectetur sicut pluuia eloquium meum, & descen- Deute.32.
dent sicut ros verba mea. Sed ecce audiuimus quo munere
gentilitas vocatur, audiamus nunc qua districtione Iudæa
repellitur. Audiuimus quomodo deserta excolat, arentia in-
fundat: audiamus nunc quomodo ea quæ quasi videntur in-
terna proiiciat. Neque enim sic colligit electos suos, vt non
etiam iudicet reprobos, neque sic quibusdam culpas relaxat,
vt non & in quibusdam feriat. Scriptum quippe est: Miseri- Eccli.5.
cordia enim & ira ab illo. Vnde hîc quoque postquam tot
dona gratiæ intulit, etiam iræ suæ iudicia non abscondit.
Nam sequitur: *De cuius vtero egressa est glacies, & gelu de cœlo* 21
quis genuit?) Quid enim aliud in gelu vel glacie, nisi frigida
& perfidiæ torpore constricta accipimus corda Iudæorum?
Qui quondam per acceptationem legis, per custodiam man-
datorum, per ministeria sacrificij, per mysteria prophetiæ, sic
intra sinum gratiæ, quasi intra vterum creatoris habebantur.
Sed quia veniente Domino constricti frigore perfidiæ, fer-
G uorem fidei & charitatis amiserunt, à secreto gratiæ sinu pro-
iecti, quasi glacies de vtero creatoris egressi sunt: *Et gelu de
cœlo quis genuit?*) Quid hîc aliud cœlum, nisi sublimis debet
intelligi vita sanctorum? cui cœlo dicitur: Attende cœlum, Deute.32.
& loquar. Non enim insensibili, sed rationabili creaturæ lo-
quebatur. De hoc cœlo Dominus ait: Cœlum mihi sedes est. Esaia.66.
De qua sede aliàs scriptum est: Anima iusti sedes sapientiæ
est. Quia ergo sapientia est Deus, si sedes Dei cœlum est, &
anima iusti sedes est sapientiæ, cœlum est vtique anima iusti.
Cœlum fuit Abraham, cœlum Isaac, cœlum Iacob. Sed quia
persecutores Domini pontifices Iudæorum perfidiæ torpo-
re frigidi, de illorum patrum progenie processerunt, quasi de
cœlo gelu exiit: quia de sublimi prole sanctorum processit
frigida plebs infidelium. Cùm enim de Abraham natus est
Caiphas, quid aliud nisi gelu de cœlo processit? Quod tamen
gelu idcirco Dominus genuisse se dicit, quia Iudæos quos na-
turaliter ipse bonos condidit, iusto iudicio per eorum mali-
tiam frigidos à se exire permisit. Dominus enim author est
H naturæ, non culpæ. Genuit ergo creando naturaliter, quos
iniquos permisit viuere tolerando patiẽter. Et quia illa quon-
dam tenera ac fidei penetrabilia corda Iudæorum, in perfidiæ
postmodum obstinatione durata sunt, rectè subiungitur: *In
similitudinem lapidis aquæ durantur.*) Aquas enim populos acci-
pi iam sæpius edocuisse me memini. In lapide verò pro ipsa
duritia aliquando gentiles populi designantur. Ipsi quippe la- Psalm.113.
pides coluerunt. Et de his per Prophetam dictum est: Simi-
les illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.
Vnde Ioannes Iudæos aspiciens se de stemmate generationis Marci.3.
extollere, & gentiles præuidens ad Abrahæ prolem fidei co-
gnitione transire, ait: Ne velitis dicere intra vos, patrem ha-
bemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de
lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Lapides vtique duros
perfidia gentiles vocans. Quia ergo primùm Iudæa Deo cre-
didit, gentilitate omni in perfidiæ suæ obstinatione remanen-
te: postmodum verò ad fidem gentilium corda mollita sunt,
& Iudæorum infidelitas obdurata, bene dictum est: *In simi-
litudinem lapidis aquæ durantur.* Ac si diceret: Illa mollia ac pe-
netrabilia fidei corda Iudæorum, in insensibilitatem vertun-
tur gentium.

tur gentium. Cùm enim misericors Deus gentes traxit, ira-
tus Iudæam repulit. Actúmque est vt sicut dudum ad perci-
piendam fidem gentilitas fuerat obdurata, ita postmodũ ad
fidem gentilitate suscepta, Iudeæ populus perfidiæ torpore
duresceret. Vnde Paulus Apostolus eisdem gentibus dicit:
Roma.11. Sicut aliquando vos non credidistis Deo, nunc autem mise-
ricordiam consecuti estis propter illorum incredulitatem: ita
est isti non crediderunt in vestra misericordia, vt & ipsi mi-
sericordiam consequantur. Conclusit enim Deus omnia in
incredulitate, vt omnium misereatur. Quam sententiam suam
primùm quidem de vocatione Iudæorum, & repulsione gẽ-
tium, postmodum verò de vocatione gentium, & repulsione
Iudæorum subtiliter pensans, séque occulta Dei iudicia com
prehendere non posse considerans exclamando subiunxit:
O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incõ-
Ibidem. prehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Vn-
de hîc quoque cùm de Iudæorum perfidia Dominus dice-
ret: In similitudinem lapidis aquæ durantur, vt de repulsio-
ne eorum occulta esse sua iudicia demonstraret, aptè subdi-
22. dit: *Et superficies abyssi constringitur.*) Quia superiecto quo-
dam ignorantiæ nostræ velamine, incomprehensibilitatem
diuini iudicij humanæ mentis oculus nullatenus penetrat:
Psalm.35. scriptum quippe est: Iudicia tua abyssus multa. Nemo ergo
perscrutari appetat, cur cùm alius repellitur, alius eligatur,
vel cur cùm alius eligitur, alius repellatur: quia superficies a-
byssi constringitur, & attestante Paulo: Inscrutabilia sunt iu-
Roma.11. dicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Per hoc verò quod di-
ctum est: De cuius vtero egressa est glacies, & gelu de cœlo
quis genuit? etiam Satan in gelu, & glacie nil obstat intelligi.
Ipse quippe quasi de Dei vtero glacies processit: quia à ca-
lore secretorum eius malitiæ torpore frigidus, magister ini-
quitatis exiuit. Ipse gelu de cœlo est genitus: quia constri-
cturus corda reproborum, à summis cadere est ad ima per-
missus. Qui bene in cœlestibus conditus, in culpæ frigore
mentes sequacium quasi gelu dum cecinit astrinxit. Qui ad
terram veniens, quid in hominibus egerit, expletur cùm sub-
ditur: *In lapidis similitudinem aquæ durantur.*) Per aquas nanque
populi, per lapidem verò eiusdem Satanæ duritia designa-
tur. Illo igitur ad ima veniente, in similitudinem lapidis aquę
duratæ sunt: quia eius malitiã imitati homines, mollia viscera
charitatis amiserunt. Cuius fraudulenta consilia quia à sedu-
ctis hominibus deprehendi non possunt, rectè subiungitur:
Et superficies abyssi constringitur.) Aliud quippe ei intrinsecus
latet, atque aliud extrinsecus ostendit. Transfigurat enim
se velut angelum lucis, & callida deceptionis arte plerunque
proponit laudabilia, vt ad illicita pertrahat. Abyssi ergo su-
perficies constringitur: quia dum quasi bona persuasionis e-
ius species velut solida desuper glacies ostenditur, in pro-
fundo latens eius malitia non videtur. Cuncta tamen hæc in-
23. telligere, & aliter possum', si moraliter exquiramus. Men-
tes nanque hominum omnipotẽs Deus dum in suo timore
format, quasi concipit, eásque ad apertas virtutes dum pro-
uehit gignit, sed si de acceptis virtutibus extolluntur, relin-
quit. Et sæpe quosdam cognouimus malorum suorum con-
sideratione compungi, diuini terroris pauore feruescere,
& per pauoris exordia vsque ad virtutum summa perueni-
re, sed dum eisdem virtutibus quas accipiunt extolluntur,
inanis gloriæ laqueo astricti, ad antiquum torporem redeũt.
Rectè ergo cùm tales Dominus proiicit, dicit: *De cuius vtero
egressa est glacies?*) Quasi enim de Dei vtero glacies egre-
ditur, quando hi qui iam intus incaluerant, ex virtutum do-
no frigescunt: & inde exteriorem gloriam torpentes appe-
tunt, vnde ad interna diligenda ardentius flagrare debue-
runt. Dúmque iste signis, ille scientia, iste prophetia, ille
magnis operibus pollet, atque per hæc dona placere homi-
nibus appetit: omne quod prius intimum caluerat, exterio-
rem laudem diligens, in torporem vertit. Quasi ergo glacies
de vtero egreditur, dum post donorum beneficia à visce-
ribus pietatis supernæ separatur. An non sunt glacies qui
in virtutibus quas accipiunt, laudes ab hominibus quæ-
runt? Et tamen venienti iudici dona sua eius memoriam re-
Matth.7. uocantes dicunt: Domine, Domine: nónne in nomine tuo
prophetauimus, in nomine tuo dæmonia eiecimus & in no-
A mine tuo virtutes multas fecimus: Sed quomodo hanc gla-
ciem Dominus proiiciat ostendit, dicens: Nescio vos vnde Ibidem.
sitis, discedite à me omnes operarij iniquitatis. Hanc glaciem
nunc in vtero Dominus portat, quia intra sinum Ecclesiæ to-
lerat. Sed tunc apertè eiicit, cùm tales à secretis cœlestibus per
extremum & publicum iudicium repellit. His itaque verbis
quid apertè agitur, nisi vt beatus Iob de summis suis virtuti-
bus humilietur, ne in hoc quod bene viuendo caluerat, super-
biendo frigescat, & à diuinitatis vtero repulsus exeat, si intra
gnum sui cordis se tumidus extollat? Et quia iusto iudicio 24.
superbas mentes ad culpam egredi ex accepta virtute permit-
tit, rectè adhuc subiungitur: *Et gelu de cœlo quis genuit?*) Plerun-
que enim sacri eloquij scientiam præstat, sed dum de eadem
scientia is qui accipit extollitur, ira districti iudicis in ipso sa-
cro eloquio cæcatur, vt exteriores fauores per illam sequens
eius iam interna non videat, & qui intus manens calere pote-
rat, exeundo frigescat, duratúsque in ima corruat, qui ad co-
gnitionem Dei prius tractabilis in summis liquidus stabat. An
B sacrum eloquium cœlum non est, quod diem nobis intelli-
gentiæ aperiens, Sole nos iustitiæ illustrat, quod dum nos vi-
tæ præsentis nox continet, stellis nobis mandatorum fulget?
Sed quia oportet esse hæreses, vt probati manifesti fiant, cùm 1.Cor.11.
ab intellectu sano mens superba repellitur, vltione districti
iudicis gelu de cœlo generatur: vt cùm ipsa scriptura sacra in
electorum cordibus caleat, eos qui se superbè scire appetunt,
à se frigidos emittat. Ibi quippe errant, vbi corrigere errata
debuerant, & dum à superna intelligentia resplendentis elo-
quij, & obdurati ipsi, & seducturi cæteros corruunt, ad ima
venientes vt gelu, & alios astringunt. Semetipsum tamen Do-
minus hoc gelu gignere perhibet, non quo prauorum men-
tes ipse ad culpam format, sed quo à culpa non liberat, sicut
scriptum est: Ego obdurabo cor Pharaonis. Quod quia Exod.10.
misericorditer emollire noluit, profectò districtè se obdura-
re nuntiauit. Quia verò cùm inchoata diuini timoris virtus a-
mittitur, propter humanas laudes virtutis imago retinetur, re-
C ctè subiungitur: *In similitudinem lapidis aquæ durantur, & superfi-
ficies abyssi constringitur.*) Aquæ enim per glaciem in superficie
durescunt, sed fluidæ in intimis remanent. Et quid per aquas
nisi fluxa accipimus corda reproborum? Quæ cùm ex propo-
sito virtutem deferunt, fortes se in bonis operibus per hypo-
crisin ostendunt: dúmque in intimis suis ad vitia defluunt, &
foris se sanctorum ac fortium imitatores fingunt, aquæ in si-
militudinem lapidis durantur, & superficies abyssi constrin-
gitur: quia per superductam sanctitatis speciem fluxa ac insta-
bilis eorum conscientia hominibus tergitur. Nam cùm sibi-
metipsis intrinsecus turpes sint, ante alienos tamen oculos
quadam viuendi venustate vestiuntur. Sed ne quis hæc ver-
ba Domini in bonam intelligi partem velit, debemus sic etiã
quærentibus astruere, dummodo minimè iudicemur, quæ
perscrutanda fuerant neglexisse. Superiori enim versu dici-
tur: Quis est pluuię pater: vel, Quis genuit stellas roris? statím-
que additur: De cuius vtero egressa est glacies, & gelu de cœ-
lo quis genuit? Si ergo dictis præcedentibus sequens sequen-
D tia non dispari sensu coniungitur, profectò & in bonam par-
tem nobis eius intelligentia sine obstaculo difficultatis aperi-
tur. Terra enim cùm compluitur, iactata in eam semina 25.
feracius rigantur. Sed rursum si illam pluuia immoderatius
irrigat, in culmi pinguedinem frumenti virtutem mutat.
Sin verò iactatum semen post pluuiam gelu premitur, quo
foris citius apparere repellitur, eo intus fœcundius radica-
tur, & quo vetatur progredi, cogitur multiplicari: quia cùm
ab immaturo ortu restringitur, ex conceptionis suæ tar-
ditate laxatum ad fructum vberius impletur. Quid est
ergo quòd Dominus prius quidem patrem se pluuiæ insi-
nuat, postmodum verò de suo egredi vtero glaciem nar-
rat, séque gelu gignere de cœlo pronuntiat: nisi quòd mi-
ro modo nostri pectoris terram ad suscipienda verbi se-
mina, & prius per occultæ gratiæ pluuiam infundit, &
postmodum ne in conceptis virtutibus immoderatius pro-
fluat, disciplina intimæ dispensationis premit: vt quam ac-
ceptæ gratiæ pluuia irrigat, etiam disciplinæ rigor adstrin-
gat, ne si aut antequam debet, aut plusquam necesse est con-
ceptas virtutes proferat, fruges in herbam vertat? Plerun-

que enim ab inchoantibus opus bonum dum priusquam o-
portet ostenditur, à grano perfectionis inanitur, & plerun-
que virtutes dum plusquam necesse est exuberant, exhalant.
Vnde & electorum suorum Dominus vel ante tempus desi-
deria renuit, vel rursum in tempore vltra mensuram profe-
ctus premit: ne si aut antequam debent, aut plusquam debẽt
proficiant, per profectus sui magnitudinem in elationis de-
fectũ cadant. Nam cùm cor post peccata compungitur, terra
quæ aruerat, infusione pluuiæ rigatur, & cùm relictis iniqui-
tatibus bona exequi opera proponit, quasi post infusionem
semen accipit. Et plerique cùm desideria sancta concipiunt,
in summis iam exerceri virtutibus inardescunt, vt non solùm
culpa operationẽ non iniquinet, sed nec cogitationem pul-
set. Et adhuc quidem in corpore positi sunt, sed nil iam per-
peti de communione pręsentis vitę volunt: imitari per inten-
tionem internam mentis stabilitatem appetunt, sed interue-
nientibus tentationibus reuerberantur: vt videlicet infirmita-
tis suæ meminerint, & elati de virtutibus quas accipiunt non
sint: Quod dũ mira disciplinæ repressione agitur, quid aliud
quàm super infusam terram gelu de cœlo generatur? Quid a-
liud quàm de Dei vtero glacies producitur, quando de inter-
no secreto dispensatio egreditur, & voluntates nostræ etiam
in bonis desideriis frenantur? Videamus, Paulus infusa videli-
Rom. 7. cet terra, quanta disciplinæ glacie prematur, dum ait: Velle
adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Qui enim
velle habere se asserit, iam per infusionem gratiæ quæ in se
lateant semina, ostendit. Sed dum perficere bonum non in-
uenit, profectò indicat quanta illum dispensationis supernæ
glacies premat. An ista glacies eorum corda non presserat
quibus dicebat: Vt non quæcunque vultis, illa faciatis? ac si
apertè diceret: Occulta cordis vestri semina iam prodire in
frugem quærunt, sed superni moderaminis gelu premuntur,
vt tantò pòst fœcundius exeant, quantò diuini iudicij pre-
26. mentia pondera patientius portant. Et quia plerunque
humana corda quoniam erumpere ad virtutes quas appe-
tunt, non valent, eoipso quo ab intentionis sæpe perfectione
resiliunt, tentationum stimulis fatigantur, sed tamen easdem
tentationes cogitationum comprimunt, séque per exercita-
tionis vsum in quodam viuendi rigore cõponunt, bene sub-
ditur: *In similitudinem lapidis aquę durantur.*) Quia etsi fluxę co-
gitationes interius lacessunt, nequaquam tamen vsque ad cõ-
sensum praui operis trahunt. Sed mens sub inolita bene vi-
uendi consuetudine quia sub qua dum duritiam exterius ab-
scondit quicquid intus ex tentationis pulsatione mollescit.
Vnde & bene subiungitur: *Et superficies abyssi constringitur*)
Quia praua cogitatio & si vsque ad suggestionem venit, vs-
que ad consensum non prosilit, quia fluctuantes motus ani-
mi superductus rigor sanctæ deliberationis premit. Potest e-
tiam in gelu, vel glacie præsentis vitæ aduersitas designari,
quæ dum asperitate sua sanctos comprimit, valentiores red-
dit. Dum enim nos omnipotẽs Deus molestiis exerceri per-
mittit, atque ad melioris vitæ statum interueniente tristitia
prouehit, miro consilio super futuram frugem gelu & glaci-
em gignit, vt electus quisque in hac vita tanquam in hyeme
aduersa ventorum & frigorum toleret, velut in æstiua sereni-
tate postmodum fructus quos hîc conceperit demonstret.
Cant. 2. Vnde & spõsi voce vnicuique animæ post huius mundi tur-
bines, ad illa ęternitatis amœna properanti dicitur: Surge pro
pera amica mea, formosa mea & veni: iam enim hyems tran-
siit, imper abiit & recessit. Et quia si sola nobis assunt prospe-
27. ra, solidamur, rectè subiũgitur: *In similitudinem lapidis aquæ
durantur.*) Mentes enim quæ per prospera molliter fluerent,
constrictæ aduersitatibus durescunt: & ad similitudinem la-
pidis aqua perducitur, quando infirmus quisque per acce-
ptam desuper tolerantiam passiones sui redemptoris imita-
tur. In similitudinem quippe lapidis aqua duruerat, cùm il-
Coloss. 1. le prius impatiens persecutor postmodum Paulus dicebat:
Impleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea.
Et quia cùm deprimuntur aduersis, solertius interna do-
na custodiunt, rectè additur: *Et superficies abyssi constringitur.*)
Solet enim lętitia arcana mentis aperire, atque aperiendo a-
mittere: aduersa verò cùm nos exterius deprimunt, interius
cautiores reddunt. Post gelu itaque vel glaciem superficies

E abyssi constringitur, quia mens nostra ad conseruanda pro-
funda dona quæ acceperit, ipsis aduersitatibus munitur. A-
byssi enim suæ superficiem Esaias constrinxerat, cùm dice- Esaiæ 24.
bat: Secretum meum mihi, secretum meum mihi. Abyssi suæ
superficiem Paulus constrinxerat, qui tot periculis ac aduer-
sitatibus insudans, sub prætextu cuiusdam de semetipso lo-
quitur, dicens: Audiuit arcana verba, quæ non licet homini 2. Cor. 12.
loqui. Et rursum: Parco autem, ne quis me existimet supra id Ibidem.
quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Quid igitur fo-
ris aduersa tolerans, ne fortasse in laudibus deflueret, arca-
na sua aperire metuebat, quid aliud quàm secretorum suo-
rum abyssum per constrictam superficiem presserat. Se-
quitur:

Quòd arcturum & pleiades Dominus iungit, cùm de diuersis mundi partibus vnit Ecclesiam, & sanctorum vaticinia licèt diuersa, vna eadémque intẽtione prolata ostendit.

Caput XVI.

F NVnquid coniungere valebis micantes stellas pleiades, aut gyrum
arcturi poteris dissipare?) Pleiades stellæ ἀπὸ τοῦ πλείσου,
id est, à pluralitate vocatæ sunt. Ita autem vicinæ sibi & diui-
sę sunt conditæ, vt simul sint, & tamen coñiungi nequaquam
possint; quatenus vicinitate quadam coniunctæ sint, sed ta-
ctu disiunctæ. Arcturus verò ita nocturna tempora illustrat,
vt in cœli axe positus per diuersa se vertat, nec tamen occi-
dat. Neque enim extra se currens voluitur, sed in loco situs,
in cunctis mundi partibus nequaquam casurus inclinatur.
Quid ergo est quòd homo ex terra factus, atque in terra po-
situs de cœlesti admiratione discutitur: quia pleiades coniũ-
gere non valet, quas vicinas sibimetipsis conditas, & penè
coniunctas videt: quia arcturi gyrum dissipare non potest,
quem tamen cernere ipsa sua vertigine penè dissipatum po-
test? An vt in istis ministeriis authoris potentiam pensans, in-
firmitatis suæ meminerit, & eum quem adhuc in maiestate
sua videre nõ poterat quàm sit inæstimabilis, in ipsa ministe-
riorum cœlestium gubernatione perpendat? Sed cur ista lo-
G quimur qui stimulo rationis vrgemur, vt hæc verba mysticis
sensibus grauida cognoscamus? Quid enim micantes ple- 28.
iades, quæ & septem sunt, aliud quàm sanctos omnes denun-
tiant, qui inter præsentis vitæ tenebras septiformis spiritus
gratiæ nos lumine illustrant, qui ab ipsa mundi origine vsque
ad eius terminum diuersis temporibus ad prophetandũ mis-
si, & iuxta aliquid sibi coniuncti sunt, & iuxta aliquid disiun-
cti? Stellæ enim pleiades, sicut suprà dictum est, vicinitate si-
bi coniunctæ sunt, & tactu disiũctæ. Simul quidem sitæ sunt,
& tamen lucis suæ variatim radios fundunt. Ita omnes sancti
aliis atque aliis ad prædicandum temporibus apparentes, &
disiuncti sunt per visionem suæ imaginis, & coniuncti per
intentionem mentis. Simul micant, quia vnum prædicant: sed
non semetipsos tãgunt, quia in diuersis temporibus patiun-
tur. Quàm diuersis temporibus Abel, Esaias & Ioannes ap-
paruerunt. Diuisi quidem fuerunt tempore, sed non prædi-
catione. Nam Abel redemptoris nostri passionem signifi- Genesis 4.
H cans, agnum in sacrificio obtulit, de cuius passione Esaias Esaiæ 53.
ait: Sicut agnus coram tondente se obtumescet, & non ape- Ioan. 1.
riet os suum. De quo Ioannes quoque ait: Ecce agnus Dei,
ecce qui tollit peccata mundi. Ecce diuisis quidem tempori-
bus missi, & tamen concorditer de redemptoris nostri inno-
centia sentientes, eundem agnum Ioannes ostendendo, E-
saias præuidendo, Abel offerendo locutus est: & quem Ioan-
nes in ostentione, quem Esaias in locutione, hunc Abel si-
gnificando in manibus tenuit. Quia igitur quomodo pleia-
des stellæ de humanitate redemptoris sibi concinant, dixi-
mus: nunc quomodo in ostendenda vnitate Trinitatis con-
corditer luceant demonstremus. Diuersis quippe tempori-
bus huic mundo Dauid, Esaias, & Paulus apparuit, sed tamẽ
nullus eorum alteri diuersum sensit, quia etsi semetipsos non
nouerant facie, vnum tamen didicerant ex diuina cognitio-
ne. Dauid quippe vt authorem omnium Deum in Trinitate
ostenderet, dixit: Benedicat nos Deus Deus noster, benedi- Psalm. 66.
cat nos Deus. Ac ne tertiò Deũ nominans, tres deos dixisse
putaretur: ilico vnitatem eiusdẽ Trinitatis insinuans addidit:
Et metuant eum omnes fines terræ. Qui enim nõ eos, sed eũ Ibidem.
subdidit, vnũ tria, quę dixerat intimauit. Esaias quoque cùm
laudem

laudem de vnitate Trinitatis aperiret, Seraphin voces expri-
Esaiæ 6. mens, ait: Sanctus, sanctus, sanctus, ac ne tertiò sanctum no-
minans, vnitatem diuinæ substantiæ scindere videretur, ad-
iunxit: Dominus Deus sabaoth. Quia ergo non Domini dij,
sed Dominus Deus addidit, vnum existere quod tertiò san-
ctum vocauerat indicauit. Paulus quoque vt operationem
Roma. 11. sanctæ Trinitatis ostenderet, ait: Ex ipso, & per ipsum, & in
ipso sunt omnia, atque vt vnitatem eiusdem Trinitatis inti-
maret, protinus addidit: Ipsi gloria in secula seculorum, a-
men. Qui igitur non ipsis, sed ipsi subdidit, vnum naturali-
ter, tria secundum personas innotuit, quod superius tertiò id-
ipsum dixit: Quasi ergo & vno in loco pleiades sitæ sunt,
quia de Deo concorditer sentiunt, & tamen semetipsas non
tangunt: quia, sicut dictum est, per huius mundi tempora di-
Ezech. 1. uersa partiuntur. Quod bene ac breuiter Ezechiel propheta
describit, qui cùm diuersi generis animalia videre se diceret,
adiunxit: Iunctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum.
Pennæ quippe animalium alterius ad alterum iunctæ sunt:
quia etsi dissimilia sunt quæ agunt, vno tamen eodémque
sensu sibi sanctorum voces virtutésque sociantur. Et quan-
uis alius rationabiliter cuncta agendo sit homo, alius in pas-
sionibus fortis aduersa mundi non timendo sit leo, alius per
abstinentiam semetipsum viuam hostiam offerendo sit vitu-
lus, alius se in alta rapiendo contemplationis volatu sit aqui-
la: pennis se tamen dum volant tangunt, quia & confessio-
ne vocum & virtutum sibi vnanimitate iunguntur. Quod
quia solius diuinæ virtutis est, & disiunctis temporibus mis-
sos in fidei prædicatione coniungere, & dissimilibus virtu-
tibus præditos fulgore intentionis vnire, rectè dicitur: *Nun-
quid coniungere valebis micantes stellas pleiades?*) Ac si dicat, vt
ego, qui vnus omnia impleo, atque in vnitatis sensu electo-
rum mentes implendo coniungo. In arcturo autem qui per
gyrum suum nocturna spatia non occasurus illustrat, nequa-
quam particulatim edita vita sanctorum, sed tota simul Ec-
clesia designatur, quæ fatigationes quidem patitur, nec ta-
men ad defectum proprij status inclinatur, gyrum laborum
tolerat, sed ad occasum cum temporibus non festinat. Ne-
que enim ad ima poli arcturus cum nocturno tempore duci-
tur, sed dum ipse voluitur, nox finitur. Quia nimirum dum
sancta Ecclesia innumeris tribulationibus quatitur, præsen-
tis vitæ vmbra terminatur, eáque stante nox prætcrit: quia
illa in sua incolumitate perdurante, mortalitatis huius vita
29. percurrit. Est in arcturo quod consideratius possimus in-
tueri. In septem quippe stellis voluitur, & modò quidem tres
ad summa eleuat, atque ad ima quatuor inclinat, modò qua-
tuor superius erigit, & tres inferius premit. Sancta quoque
Ecclesia cùm modò infidelibus Trinitatis notitiam, modò
autem fidelibus virtutes quatuor, id est, prudentiam, fortitu-
dinem, temperantiam, iustitiam prædicat, quasi rotatu præ-
dicationis status sui speciem quodammodo immutat. Nam
cùm quibusdam de operibus suis gloriantibus confidentiam
proprij laboris euacuat, & fidẽ Trinitatis exaltat, quid aliud
facit, nisi tres stellas arcturus eleuat, quatuor inclinat? Et dum
quosdam bona opera non habentes dę sola fide præsumere
prohibet, sed operari enixius quæ præcepta sunt iubet, quid
aliud arcturus facit, nisi quatuor stellas erigit, tres deponit?
Videamus quomodo tres eleuet, quatuor deponat. Ecce per
Paulum contra fidem de opere superbientibus dicitur: Si A-
braham ex operibus iustificatus est, habet gloriam sed non
Roma. 4. apud Deum. Quid enim scriptura dicit? Credidit Abraham
Gene. 15. & Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Videamus quomo-
Roma. 4. do quatuor eleuet, tres deponat. Ecce per Iacobum de fide
Iacobi. 2. sine opere superbientibus dicitur: sicut corpus sine spiritu
mortuum est, ita fides sine operibus mortua est. Arcturus ita-
que voluitur: quia sancta Ecclesia iuxta auditorum suorum
mentes in diuerso latere prædicationis arte versatur. Arctu-
rus voluitur: quia hæc in noctis huius tribulationibus rota-
tur. Sed hunc arcturi gyrum quandoque Dominus dissipat,
quia labores Ecclesiæ ad requiẽ permutat. Tunc & pleiades
plenius iungit, cum gyrum arcturi destruit: quia tunc nimirũ
sancti omnes, etiam visionis sibi specie copulantur, quãdo in
fine mundi sancta Ecclesia ab his quos non sustinet labori-
bus soluitur. Dicat ergo: *Nunquid coniungere valebis micantes*

A *stellas pleiades, aut gyrum arcturi poteris dissipare?*) subaudis, vt e-
go, qui tunc sanctorum vitam etiam per speciem vnio, cùm
gyrum vniuersalis Ecclesię corporaliter soluo. Et quis homi-
num solius diuinæ hoc esse virtutis ignorat? Sed vt cognoscat
homo quid ipse sit, memoretur assiduè quid solus Dominus
possit. Habemus adhuc quod de stellis pleiadibus, atque ar-
cturo aliud sentiamus. Pleiades quippe ab Oriente, arcturus
verò ex parte Aquilonis surgit. Quocunque autem se per gy-
rum suum arcturus verterit, pleiades ostendit: & cùm lux diei
iam vicina efficitur, stellarum eius ordo distenditur. Potest i-
gitur per arcturum qui à plaga frigoris nascitur, lex: per pleia-
des verò quæ ab Oriente surgũt, testamenti noui gratia de-
signari. Quasi enim ab Aquilone lex venerat, quæ tanta sub-
ditos rigiditatis asperitate terrebat. Nam dum pro culpis suis
alios præciperet lapidibus obrui, alios gladij morte mulctari,
plaga torpens, & velut à Sole charitatis aliena, præceptorum
suorum semina plus premebat ex frigore, quàm ex calore nu-
triebat. Cuius oppressionis pondus Petrus horruerat, cùm di-
B cebat: Quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruicem Acto. 15.
discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare
potuimus? Nec mirum quòd per arcturi septem stellas testa-
mentum vetus exprimitur: quia & veneratione legis dies se-
ptimus extitit venerabilis, & per hebdomadã integram con-
stituti sacrificij vota tendebãtur. Pleiades verò quæ ipsæ quo-
que, sicut superius diximus, septem sunt, testamenti noui gra-
tiam tantò apertius indicant, quantò cuncti liquidò cernimus,
quòd per illam fideles suos spiritus sanctus septiformis mu-
neris lumine illustrat. Quaqua igitur se arcturus parte vertit,
pleiades ostẽdit: quia per omne quod testamẽtũ vetus loqui-
tur, testamenti noui opera nuntiantur. Sub textu enim literæ,
tegit mysterium prophetiæ. Et quasi inclinat se arcturus &
demonstrat: quia dum ad spiritalem intellectum flectitur, si-
gnificata per illud lux gratiæ septiformis aperitur. Et propin-
quante diei luce, stellarum eius ordo distenditur: quia post-
quã per semetipsam nobis veritas innotuit, ab obsequiis car-
C nalibus literæ præcepta laxauit. Redemptor autem noster 30.
in carne veniens, pleiades iunxit, quia operationes septifor-
mis spiritus simul in se, & cunctas, & manentes habuit. De Esaiæ 11.
quo per Esaiam dicitur: Egredietur virga de radice Iesse, &
flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus
Domini: spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij &
fortitudinis, spiritus scientię & pietatis, & replebit eum timo-
re Domini. De quo Zacharias ait: Super lapidem vnum se- Zacha. 3.
ptem oculi sunt. Atque iterum: Et in candelabro aureo lucer- Zacha. 4.
næ septem. Nullus verò hominum operatione sancti spiritus
simul omnes habuit, nisi solus mediator Dei & hominum, cu-
ius est idem spiritus qui de patre ante secula procedit. Bene
ergo dicitur: Super lapidem vnum septem oculi sunt. Huic e-
nim lapidi septem oculos habere, est simul omnem virtutem
spiritus septiformis gratiæ in operatione retinere. Alius nan- 1. Cor. 12.
que prophetiam, alius scientiam, alius virtutes, alius genera
linguarum, alius interpretationes sermonum iuxta distribu-
tionem sancti spiritus accipit: ad habenda verò cuncta eius-
D dem spiritus munera nemo pertingit. At verò conditor no-
ster infirma nostra suscipiens, quia per diuinitatis suæ poten-
tiam simul se habere omnes sancti spiritus virtutes edocuit,
micantes proculdubio pleiades iunxit. Dum verò pleiades
iunxit, arcturi gyrum dissipat: quia dum semetipsum factum
hominem habere cũctas sancti spiritus operationes innotuit,
in testamento veteri literæ laborem soluit, vt fidelis quisque
iam cum libertate spiritus illud intelligat, cui prius in formi-
dine inter tot discrimina seruiebat. Audiat itaque beatus Iob:
Nunquid coniungere valebis micantes stellas pleiades?) Ac si apertè
diceretur: Habere quidem lumina quarundam virtutum po-
tes, sed nũquid exercere simul omnes operationes sancti spi-
ritus sufficis? Me ergo coniungentem pleiades in cunctis vir-
tutibus contemplare, & tu de paucis ab elatione compescere.
Audi quod dicitur: *Aut gyrum arcturi poteris dissipare?*) Ac si ei
apertè diceretur: Et si ipse iam quæ recta sunt sentis, nunquid
virtute tua etiam in alienis cordibus laborem grossioris intel-
ligentiæ destruis? Me itaque considera, qui carnalium stulti-
tiam corrigo, dum me per carnis stultitiã manifesto: vt tantò
magis hæc quæ putas virtutum tuarum fortia humilies, quãtò

nec vestigia meæ infirmitatis apprehendis. Quia verò in ipso dominicæ incarnationis mysterio aliis lux veritatis ostenditur, aliorum verò per scandalum corda tenebrantur, rectè subiungitur:

Quòd cùm venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum natum ex muliere, factum sub lege: & eo apparente in fine mundi, revelabitur homo peccati, filius perditionis.

Caput XVII.

Gala.4. NVnquid producis luciferum in tempore suo, & vesperum super filios terræ consurgere facis?) Pater quippe in tempore suo luciferum producit, quia scriptum est: Cùm venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, natum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret. Qui natus ex virgine, velut lucifer inter tenebras nostræ noctis apparuit: quia fugata obscuritate peccati, æternum nobis mane nunciauit. Luciferum verò se innotuit: quia diluculo ex morte surrexit, & fulgore sui luminis mortalitatis nostræ tetram caliginem pressit. Cui bene per Ioannem dicitur: Stella splendida matutina. Viuus quippe apparens post mortem, matutina nobis stella factus est: quia dum in semetipso exemplum nobis resurrectionis præbuit, quæ lux sequatur indicauit. Vesperum verò super terræ filios Dominus cõsurgere facit: quia infidelibus Iudæorum cordibus dominari antichristum eorũ merito exigente permittit. Qui idcirco à domino huic vesperi iustè subduntur: quia ipsi sponte sua filij terræ esse voluerũt. Terrena quippe & non cœlestia requirentes, à perspicienda luciferi nostri claritate excæcati sunt: & dum præesse sibi vesperũ expetunt, subsequentis damnationis æterna nocte merguntur. Hinc in Euangelio Dominus dicit: Ego veni in nomine patris mei, & nõ accepistis me: alius veniet in nomine suo, & ipsum recipietis. Hinc Paulus ait: Eo quòd charitatem veritatis non receperunt vt salui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Nequaquam ergo super eos vesper consurgeret, si cœli filij esse voluissent. Sed dum visibilia appetunt, amisso cordis lumine, sub noctis duce tenebrescunt.

Apoca.22. Ioan.5. 1.Thess.2.

31. Quod tamen si moraliter discutimus, quomodo quotidie agatur inuenimus: quia nimirum & electis lucifer oritur, & reprobis Deo permittente vesper dominatur. Vnus enim atque idem sermo Dei est in ore prædicantis. Quem dum isti gaudendo, illi verò inuidendo audiunt, claritatem sibi luciferi in vesperi tenebras vertunt. Dum isti humiliter vocem sanctæ prædicationis accipiunt, quasi ad stellæ lucem oculos cordis aperiunt: dum verò illi bene dicenti inuident, & non salutis causam, sed elationis gloriam quærunt, prorumpente iniquitatis suæ vespere, in somnum mortis oculos claudunt. Per occultum ergo iudicium is, qui electis est lucifer, reprobis auditoribus fit vesper: quia exhortatione sancta qua boni ad vitã redeũt, praui deterius in culpa moriuntur. Vnde bene per Paulũ dicitur: Christi bonus odor sumus Deo in his, qui salui fiunt, & in his, qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam. Verbum itaque suum auditoribus esse luciferum simul & vesperum vidit, per quod alios ab iniquitate suscitari, & contrà alios sopiri iniquitate conspexit. Quod quia occultis Dei iudiciis agitur, quæ in hac vita ab hominibus comprehendi non possunt, rectè illic subdidit: *Et ad hæc quis tam idoneus?*) Ac si diceret: Idonei quidem sumus ad hæc consideranda quæ fiunt, sed idonei non sumus ad hæc inuestiganda cur fiant. Vnde hic quoque Dominus, quia aliis produci luciferum, aliis verò consurgere vesperum dixerat, ne perscrutari homo occulta Dei iudicia audeat, illico subiungitur:

2. Corin.2.

Quòd causas iudiciorum Dei vel prædestinationem eius in hac vita nemo cognoscat.

Caput XVIII.

32. NVnquid nosti ordinem cœli, & pones rationem eius in terra?) Ordinem cœli nosse, est supernarum dispositionum occultas prædestinationes videre. Rationem verò eius in terra ponere, est ante humana corda talium secretorum causas aperire. Rationem videlicet cœli in terra ponere, est supernorum iudiciorum mysteria, vel considerando discutere, vel loquendo manifestare. Quod vtique facere in hac vita positus nullus potest. Vt enim à paruis ad maiora veniamus, quis intelligat quæ esse secretorum subtilitas potest, quòd sæpe vir iustus à iudicio, non solùm non vindicatus, sed etiam punitus redeat, & iniquus eius aduersarius non solùm non punitus, sed etiam victor abscedat? Quis intelligat cur viuit alius insidians mortibus proximorum, & moritur alius, qui profuturus esset vitæ multorum? Alius culmen potestatis assequitur, qui non nisi lædere studet: alius tantummodo læsos defendere concupiscit, & tamen ipse oppressus iacet. Alius vacare appetit, & innumeris negociis implicatur: alius negociis implicari desiderat, & coactus vacat. Alius malè inchoans, vsque ad vitæ suæ terminum ad peiora protrahitur: alius bene incipiens, per longitudinem temporum proficit ad augmenta meritorum. At contrà alius malè viuens diu reseruatur, vt se corrigat: alius verò bene quidem videtur viuere, sed in hac vita eousque durat quo ad peruersa prorumpat. Alius in errore infidelitatis natus in errore deficit: alius in catholicæ fidei rectitudine genitus, in catholicæ fidei rectitudine cõsummatur. Econtra verò alius catholicæ matris ventre editus, iuxta vitæ terminum erroris voragine deuoratur: alius autem vitam suã in catholica pietate cõsummat, qui ortus in perfidia cũ lacte matris hauserat virus erroris. Alius celsitudinem bene viuendi appetere & vult, & valet: alius nec vult, nec valet. Alius vult & non valet, alius valet & non vult. Quis ergo ista iudiciorum cœlestium secreta discutiat? Quis intelligat discretã lancẽ æquitatis occultæ? Ad cognoscendos quippe istos iudiciorum secretorum sinus nullus ascẽdit. Dicatur ergo homini, vt se nescire cognoscat: nesciẽtem verò se cognoscat vt timeat: timeat vt humilietur ne præsumat in se: nõ præsumat in se, vt conditoris sui auxilium requirat: & qui in se fidens mortuus est, authoris sui adiutoriũ appetens viuat. Audiat itaque vir iustus iam quidem se sciens, sed adhuc quæ supra se sunt nesciens: *Nunquid nosti ordinem cœli, & pones rationes eius in terra?*) id est, nunquid occultos ordines iudiciorum cœlestium comprehendis, aut aperire humanis auribus sufficis? Beatus igitur Iob de iudiciorum incomprehensibilium inuestigatione requiritur, ac si ei apertè diceretur. Cuncta quæ pateris, tantò tolerare patientius debes, quantò secretorum cœlestium ignarus, cur hæc pateris nescis.

Libri vicesiminoni Moralium sancti Gregorij, finis.

B. GREGORII EXPOSITIONIS MORALIS IN IOB, LIBER TRIGESIMVS, continuans caput trigesimum-octauum textus.

Quòd Iudæis in ænigmatibus & nebula multipliciter per patres locutus sit Deus: & quòd contra illum sæuiens populorum turba surrexerit, clamauerìque, Crucifige.

Caput I.

BEatus Iob talia vtrúmne fecerit Domino interrogante, requiritur, qualia vtique facere non potest homo: vt dum se ista facere non posse deprehendit, ad eum refugiat quem solùm talia, quia facere posit intelligit, atque ante oculos iudicis sui magis potens appareat, si sua verius infirma cognoscat. Quod ergo mirè à Domino fieri non ignoratur, de eo diuina Iob voce requiritur. Dicitúrque ei: *Nunquid eleuabis in nebula vocem tuam, & impetus aquarum operiet te?*) Vocem quippe suam in nebula Dominus leuat, quando per prædicatorum suorum linguas ad caliginosa corda infidelium exhortationem format, eúmque aquarũ impetus operit,

Hiere.26. operit, dum bene agentia membra eius turba resistentium populorum premit. Hinc enim quod scriptum est: Factum est verbum Domini ad Hieremiam prophetam, dicentis: Sta in atrio domus Domini, loquens ad omnes ciuitates Iuda, de quibus veniunt vt adorent in domo Domini, vniuersos sermones quos ego mandaui tibi. Et paulò pòst: Et audierunt sacerdotes & prophetæ, & omnis populus Hieremiam loquentem verba hæc in domo Domini. Cúmque compleuisset Hieremias loquens, apprehenderunt eum sacerdotes & prophetæ, & omnis populus, dicens: Morte moriatur. Quare prophetauit in nomine Domini? Ecce in nebula Dominus vocem leuauit, quia obscuras mentes superbientium directò Propheta corripuit. Ecce aquarum impetus eum protinus operuit: quia ab insurgentibus populis, & causa suæ correptionis insigatis, ipse in Hieremiam cuncta pertulit, qui correptionis verba mandauit. Per semetipsum quoque Dominus in nebula vocem leuauit, quando præsentem se etiam assumpto corpore exhibens, multa suis persecutoribus, sed figuris ænigmatum velata prædicauit. In nebula autem vocem leuauit, quia veritatem suam non secuturis infidelibus quasi per caliginem sonuit. Vnde & bene in libris Regum scriptum est: Nebula impleuit domum Domini, & non poterant sacerdotes ministrare propter nebulam. Exigentibus enim meritis, dum superbi Iudæorum pontifices diuina mysteria per parabolas audiunt, sacerdotes in domo Domini quasi propter nebulam ministrare nequiuerunt. Qui & in testamento veteri dum sensus mysticos literæ velamine coopertos inter obscuras allegoriarum caligines inuestigare despiciunt, debitum fidei suæ ministerium propter nebulam perdiderunt. Quibus & nunc in nebula doctrinæ suæ vocem Dominus protulit, cùm de se etiam aperta narrauit. Quid est enim apertius quàm, Ego & pater vnum sumus? Quid apertius diceret, quàm, Antequam Abraham fieret, ego sum? Sed quia auditorum mentes infidelitatis caligo repleuerat, quasi emissum solis radium nebula interiacens abscondebat. Ad hanc nanque elationem vocis eum aquarum impetus operuit, quia contra illum mox sæuiens populorum turba surrexit. Scriptum quippe est: propterea ergo quærebãt eum Iudæi interficere, quia non solùm soluebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. De hoc aquarum impetu per Prophetam clamat: Circundederunt me simul. Et rursum: Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Quas profectò aquas in semetipso ante mortem, in suis autem & post ascensionem pertulit. Hinc est enim quòd & de superioribus clamat: Saule, Saule, quid me persequeris? Ecce iam cœlum conscenderat, & tamen adhuc eum Saulus aquarum infidelium impetu persequens, & tumidior cæteris vnda tangebat. Ipse quippe est qui per bonos recta loquitur, ipse qui in bonorum passione laceratur. Vt ergo mirifica Dominus charitatis vnitate monstraret se esse, qui indignis auditoribus per sanctorum suorum ora prædicaret, ait: *Nunquid eleuabis in nebula vocem tuam?*) Vt verò ostenderet se esse qui in sanctis suis omnia aduersa pateretur, subdidit: *Et impetus aquarum operiet te?*) subaudis, vt me: quem iniqui omnes, neque per prædicantes sanctos loquentem intelligunt, neque per morientes patientem vident. Narrat ergo Dominus quod ab hominibus patitur, vt dolor afflicti hominis mitigetur, ac si illi apertè dicat: Mea subtiliter pensa, & tua æquanimiter tempera. Multò enim minus est te vulnera quàm me humana tolerare. Adhuc tamen verba hæc subtilius perscrutari possumus, si inter dona cœlestia nostra sollicitè corda pensamus. Iam quidem fideles sumus, iam quæ audimus, superna credimus, iam quæ credimus, amamus. Sed dum quibusdam superuacuis curis premimur, obducta confusione caligamus, & cùm nobis etiam talibus mira quædam Dominus de se sentienda insinuat, quasi in nebula vocem leuat. Dum caliginosis nostris mentibus per semetipsum loquitur, velut in nebula is qui non cernitur auditur. Summa sunt nanque quæ de illo cognoscimus, sed tamen adhuc eum in secreta inspiratione qua instruimur, non videmus. Quis igitur cordibus nostris præbet quidem locutionem, sed occultat speciem, velut in nebula format vocem. Sed ecce iam verba Dei intrinsecus per semetipsum loquentis audimus, iámque amori eius qua continuatione, quo studio inhærere debeamus agnoscimus, & tamen ab internæ considerationis culmine ad consueta nostra ex ipsa mortalitatis huius mutabilitate relabimur, & imminentium peccatorum mole sedula importunitate tentamur. Cùm ergo cæcis nostris mentibus subtilia de semetipso insinuat, in nebula vocem leuat. Cùm verò tentatione vitiorum ipse de Deo noster intellectus opprimitur, quasi aquarum impetu in voce sua Deus operitur. Tot enim super illum aquas admittimus, quot post inseparationem eius gratiæ, cogitationes illicitas in corde versamus. Nec tamen nos vel oppressos deserit: nam ilico ad mentem redit, tẽtationum nebulas discutit, imbrem compunctionis infundit, & subtilis intelligentiæ solem reducit, atque sic ostendit quantum nos diligit, qui nos nec cùm respuitur relinquit: vt saltem sic erudita humana conscientia ad se tẽtationes erubescat amittere, quam redemptor suus, & vagantem non cessat amare. Hoc in nobis per semetipsum tolerat, hoc ab infidelibus per suos quotidie prædicatores portat. Eius enim donum suborta in nobis tentatione repellitur, & tamen ab infundendo intrinsecus munere nequaquam nostra infirmitate reuocatur. Eius publicè verba respuuntur, & tamen ab erogandæ gratiæ largitate nulla infidelium iniquitate compescitur. Nam cùm praui homines prædicamenta despiciunt, adiungit etiam miracula quæ venerentur. Vnde post editam vocem, post inundantium aquarum impetum aptè subiungitur:

Ibidem. Psalm.87. Psalm.68. Acto.9. Ioan.10. Ioan.8. Ioan.17. 3.

Quòd prædicatores sancti à Deo missi, non sibi, sed Deo profectum prædicationis ascribunt.

Caput II.

NVnquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi, Assumus?) Fulgura quippe ex nubibus exeunt, cum mira opera ex sanctis prædicatoribus ostenduntur. Qui vt sæpe diximus, idcirco nubes vocari solent, quia & coruscant miraculis, & verbis pluunt. Et quia humana corda postquam per prædicationem mota non fuerint, istis miraculorum fulgoribus cõturbantur, Propheta attestante, didicimus, qui ait: Fulgura multiplicabis, & conturbabis eos: ac si diceret: Dum verba prædicationis tuæ non audiunt, per prædicantium miracula perturbantur. Vnde aliàs scriptum est: In lumine iacula tua ibunt, in splendore fulgoris armorum tuorum. Iacula Dei in lumine ire, est verba eius aperta veritate resonare. Sed quia sæpe homines verba vitę etiam intellecta despiciunt, adiunguntur etiam miracula. Vnde illic subdit: In splendore fulgoris armorum tuorum. Fulgor quippe armorum est claritas miraculorum. Armis nanque nos tuemur, iaculis aduersa destruimus. Arma ergo cum iaculis, sunt miracula cum prædicamentis. Sancti enim prædicatores verbis suis quasi quibusdam iaculis aduersarios feriunt: armis verò, id est, miraculis semetipsos tuentur: & quantum sint audiendi, sonent per impetum iaculorum, & quantum sint reuerendi, clarescant per arma miraculorum. Dicitur ergo ad beatum Iob: *Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi, Assumus?*) subaudis, vt mihi. Vadunt enim fulgura, cùm prædicatores miraculis coruscant, & superna reuertentia auditorum corda transfigunt. Reuertentia verò dicunt assumus, cùm non sibi, sed Dei viribus tribuunt, quicquid se fortiter egisse cognoscunt. Quid est enim Deo dicere assumus? quoddam nanque in hoc verbo obsequium declaratur. Reuertentes itaque prædicatores sanctos dicere assumus, est illi laudem tribuere gratiæ, à quo se accepisse sentiunt victoriam pugnæ, ne sibi tribuant quod operantur. Et ire quidem fulgura operando possunt, sed reuerti superbiendo non possunt. Videamus itaque fulgur vadens. Claudo cuidam ait Petrus: Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Et apprehensa eius manu dextra alleuauit eum, & protinus consolidatæ sunt bases eius & plantæ, & exiliens stetit, & ambulabat. Sed cùm hoc de facto Iudæorum fuisset turba commota, videamus nunc fulgur rediens quod ait: Viri Israëlitæ quid admiramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus patrum nostrorum

Abac.3. 4. Acto.3. Ibidem.

glorificauit filiũ suũ Iesum. Et paulò post: Cui' nos testes sumus, & in fide nominis eius hunc quem vidistis, & nostis confirmauit nomen eius, & fides quæ per eum est dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum. Iuit ergo fulgur, cùm Petrus miraculum fecit, redit cùm non sibi tribuit, sed authori quod fecit. Vadunt fulgura cùm prædicatores sancti mira opera ostendunt, sed reuertendo dicunt, assumus, cùm in eo quod faciunt, ad potentiam authoris recurrunt. Quod tamen intelligi, & aliter potest. Fulgura etenim, sicut superius dictum est, sancti viri mittuntur & eunt, cùm à secreto contemplationis in publicum operationis exeunt. Mittuntur & vadunt, cùm de abscondito speculationis intimæ in actiuæ vitæ latitudinem diffunduntur. Sed reuertentes dicunt Deo, assumus, quia post opera exteriora quæ peragunt, semper ad sinum contemplationis recurrunt: vt illic ardoris sui flammam reficiant, & quasi ex tactu supernæ claritatis ignescant. Citius enim inter ipsa licèt bona exteriora opera frigescerent, nisi intentione solicita ad contemplationis ignem incessanter redirent. Vnde bene per Salomonem dicitur: Ad locum de quo exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant. Ipsi quippe illic flumina, qui hîc fulgura sunt vocati. Quia enim corda audientium rigant, dicuntur flumina: quia verò accendunt, fulgura vocantur. De quibus aliâs scriptum est: Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina voces suas. Et rursum: Illuxerunt fulgura eius orbi terræ. Ad locum ergo de quo exeunt flumina reuertuntur: quia sancti viri etsi à conspectu creatoris sui, claritatem mente conspicere conantur, foras propter nos ad actiuæ vitæ ministerium veniunt, incessanter tamen ad sanctum contemplationis studium recurrunt, & si in prædicatione sua exterius nostris auribus per corporalia verba se fundant, mente tamen tacita ad considerandum semper ipsum fontem luminis reuertuntur. De quibus & bene dicitur: Vt iterum fluunt. Nisi enim ad contemplandum Deum solicita semper mente recurrerent, nimirum interna cæcitas etiam exteriora prædicationis eorum verba siccaret. Sed dum videre Deum indefinenter sitiunt, quasi decursura foras flumina intus semper oriuntur, quatenus illic amando sumant, vnde ad nos prædicando defluant. Dicatur igitur rectè: *Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi, assumus?*) Subaudis, vt ego, qui prædicatores meos cum voluero post contemplationis gratiam ad actiuæ vitę ministeriũ compono: quos tamen semper à bonis exterioribus ad internum culmen contemplationis reuoco & modò iussi ad exercenda opera exeant, modò reuocati ad speculationis studium apud me familiarius viuant. Reuertentes itaque dicunt, assumus, quia quanuis per exteriora acta parum quid contẽplationi deesse videantur, per ardorem tamen desiderij quem in mente sua continuè accendunt, obsequentes Deo suã præsentiam ostendunt. Assumus nanque dicere, est præsentes se amando monstrare. Sequitur:

Ecclẽs. 1.

Psalm. 92.

Psalm. 96.

Quòd sapientia, vel doctrina sanctorum à Deo est.

Caput III.

QVis posuit in visceribus hominis sapientiam, vel quis dedit gallo intelligentiam?) Qui hoc loco alij galli nomine designantur, nisi modo alio repetiti iidem prædicatores sancti, qui in tenebras vitæ præsentis student venturam lucem prædicando quasi cantando nuntiare? Dicunt enim: Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Qui vocibus suis somnum nostri torporis exciunt, clamãtes: Hora est iam nos de somno surgere. Et rursum. Euigilate iusti, & nolite peccare. De hoc gallo rursum scriptum est: Tria sunt quæ bene gradiuntur, & quartum quod fœliciter incedit, Leo fortissimus bestiarum qui ad nullius pauebit occursum: Gallus succinctus lumbos, & aries, nec est rex qui resistat ei. Ipse quippe hoc loco leo ponitur, de quo scriptum est: Vicit leo de tribu Iuda. Qui fortissimus bestiarum dicitur, quia in illo hoc quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Qui ad nullius pauet occursum. Dicit enim: Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Gallus succinctus lumbos, id est, prædicatores sancti, inter huius noctis tenebras verum mane nuntiantes. Qui succincti lumbis sunt, quia à membris suis luxuriæ fluxa restringunt. In lumbis quippe luxuria est. Vnde & eisdem à Domino dicitur: Sint lumbi vestri præcincti. Et aries, nec est rex qui resistat ei. Quem alium hoc loco arietem accipimus, nisi primum intra Ecclesiam ordinem sacerdotum? De quibus scriptum est: Afferte Domino filios arietum: qui per exempla sua gradientem populum quasi subsequentem ouium gregem trahunt. Quibus spiritaliter rectèque viuentibus nullus rex sufficit omnino resistere: quia quilibet persecutor obuiet, intentionem eorum non valet præpedire. Sciunt enim ad eum quem desiderant, & anxiè currere, & moriendo peruenire. Ponitur ergo primus leo, secundus gallus, tertius aries. Apparuit enim Christus, deinde sancti prædicatores Apostoli, & tunc demum spiritales patres Ecclesiarum præpositi, videlicet duces gregum, quia doctores sequentium populorum. Sed hæc adhuc melius affirmamus, si eiusdem loci etiam reliqua exponendo subiicimus. Nam quia post hæc & antichristus apparebit, hoc illic quartum subdidit, dicens: Et qui stultus apparuit, postquam eleuatus est in sublime. Si enim intellexisset, ori imposuisset manum. Ipse quippe in sublime eleuabitur, cùm Deum se esse mentietur. Sed eleuatus in sublime stultus apparebit, quia in ipsa eleuatione sua per aduentum veri iudicis deficiet. Quod si intellexisset, ori imposuisset manum, id est, si supplicium suum cùm superbire exorsus est, præuidisset, bene aliquando conditus, in tantæ iactationem superbiæ non fuisset elatus. De quo nequaquam moueat quod superius dictum est: Quartum quod incedit fœliciter: Tria quippe incedere bene dixit, & quartum fœliciter. Non enim omne quod fœliciter, bene: neque in hac vita omne quod bene, fœliciter. Nam leo, gallus, & aries bene incedunt, sed non hîc fœliciter: quia persecutionum bella patiuntur. Quartum verò fœliciter, & non bene incedit: quia in fallacia sua antichristus graditur, sed iuxta breue tempus vitæ præsentis ipsa illi fallacia prosperatur, sicut de eo sub Antiochi specie per Danielem dictum est: Robur datum est ei contra iuge sacrificium, propter peccata, & prosternetur veritas in terra, & faciet & prosperabitur. Quod Salomon ait: Incedit fœliciter, hoc Daniel dicit, Prosperabitur. Iuxta hoc itaque testimonium quod per Salomonem dicitur: Gallus succinctus lumbos, aptè etiam hoc loco gallum sanctos prædicatores accipimus. Ad se ergo cuncta referens Dominus dicit: Quis posuit in visceribus hominis sapientiam, vel quis dedit gallo intelligentiam? ac si diceret: In cor hominis humana sapientis supernæ sapientiæ gratiam quis infudit? vel ipsis sanctis prædicatoribus quis nisi ego intelligentiam dedit, vt sciant quando vel quibus debeant venturum mane nuntiare? Idcirco enim quando & quid agant sentiunt, quia hoc intrinsecus me reuelante cognoscunt. Notandum verò est quòd sapientia diuinitùs inspirata in visceribus hominis ponitur: quia nimirum quantum ad electorum numerum spectat, non in solis vocibus, sed etiam in sensibus datur, vt iuxta quod loquitur lingua, viuat conscientia, & lux eius tantò clarius resplendeat in superficie, quantò verius inardescit in corde.

Luca. 12.

Psalm. 28.

Roma. 13.

Ibidem.

5.

Prouer. 30.

Leo Christũ figurat.

Apoc. 5.

1. Corin. 1.

Ioan. 14.

Danie. 8.

Quòd pro qualitate audientium formari debeat sermo doctorum, & pro personis, & officiis, & ætatibus aliter atque aliter admonendi sint homines.

Caput IIII.

MAgni autem laboris est hoc quod additur: Vel quis gallo dedit intelligentiã, subtiliori adhuc expositione discutere. Intelligentia quippe doctorum tantò esse subtilior debet, quantò se ad penetranda inuisibilia exercet, quantò nil materiale discutit, quantò & per vocem corporis loquens, omne quod est corporis transit. Quæ profectò nullatenus summis congrueret, nisi cantanti eam gallo, id est, prædicanti doctori ipse summorum conditor ministraret. Intelligentiam quoque gallus accepit, vt prius nocturni temporis horas discutiat, & tunc demum voces excitationis emittat: quia videlicet sanctus quisque prædicator in auditoribus suis prius qualitatem vitæ considerat, & tunc demum ad erudiendum congruam vocem prędicationis format. Quasi enim horas noctis discernere est prędicatorũ merita diiudicare. Quasi horas noctis discernere, est actionum tenebras apta increpationis voce corripere. Gallo itaque intelligentia desuper tribuitur: quia doctori veritatis, virtus discretionis, vt nouerit, quibus, quid, quando, vel quomodo inferat, diuinitùs ministratur. Non enim vna eadémque cunctis exhortatio conuenit, quia nec cunctos par morum qualitas astringit. Sæpe enim aliis officiunt quæ aliis prosunt. Nam & plerunque herbæ quæ hæc animalia reficiunt, alia occidunt: & lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat: & medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires iungit: & panis qui vitam fortium roborat, paruulorum necat. Pro qualitate igitur audientium formari debet sermo doctorum, vt & ad sua singulis congruat, & tamen à communis ædificationis arte nunquam recedat. Quid enim sunt intentæ mentes auditorum, nisi quasi quædam in cithara tensiones stratæ chordarum? quas tangendi artifex, vt non sibimetipsis dissimile canticum faciant, dissimiliter pulsat. Et idcirco chordæ consonam modulationem reddunt, quia vno quidem plectro, sed non vno impulsu feriuntur. Vnde & doctor quisque, vt in vna cunctos virtute charitatis ædificet, ex vna doctrina non vna eadémque exhortatione tangere corda audientium debet. Aliter nanque viri, aliter admonendæ sunt fœminæ: aliter iuuenes, aliter senes: aliter inopes, aliter locupletes: aliter læti, aliter tristes: aliter subditi, aliter prælati: aliter serui, aliter domini: aliter huius mundi sapientes, aliter hebetes: aliter impudentes, aliter verecundi: aliter proterui, aliter pusillanimes: aliter impatientes, aliter patientes: aliter beneuoli, aliter inuidi: aliter simplices, aliter impuri: aliter incolumes, aliter ægri: aliter qui flagella metuunt, & propterea innocenter viuunt, aliter qui sic in iniquitate duruerunt, vt nec per flagella corrigantur: aliter nimis taciti, aliter multiloquio vacantes: aliter timidi, aliter audaces: aliter pigri, aliter præcipites: aliter mansueti, aliter iracundi: aliter humiles, aliter elati: aliter pertinaces, aliter inconstantes: aliter gulæ dediti, aliter abstinentes: aliter qui sua iam misericorditer tribuunt, aliter qui aliena rapere contendunt: aliter qui nec aliena rapiunt, nec sua largiuntur: aliter qui & ea quæ habent sua tribuunt, & aliena rapere non desistunt: aliter discordes, aliter pacati: aliter seminantes iurgia, aliter pacifici: aliter admonendi sunt qui sacræ legis verba non rectè intelligunt, aliter qui rectè quidem intelligunt, sed hæc humiliter non loquuntur: aliter qui cùm prædicare digna valeant, præ nimia humilitate formidant, aliter quos à prædicatione imperfectio, vel ætas prohibet, & tamen præcipitatio impellit: aliter qui in hoc quod temporaliter appetunt prosperantur, aliter qui quidem quæ mundi sunt concupiscunt, sed tamen aduersitatis labore fatigantur: aliter coniugiis obligati, aliter à coniugij nexibus liberi: aliter commixtionem carnis experti, aliter ignorantes: aliter qui peccata deplorant operum, aliter qui cogitationum: aliter qui commissa plangunt, nec tamen deserunt, aliter qui deserunt, nec tamen plangunt: aliter qui illicita quæ faciunt, etiam laudant, aliter qui accusant praua, nec tamen deuitant: aliter qui repentina concupiscentia superantur, aliter qui in culpa ex consilio ligantur: aliter qui licèt minima, crebrò tamen illicita faciunt, atque aliter qui se à paruis custodiunt, sed aliquando in grauibus demerguntur: aliter qui bona nec inchoant, aliter qui inchoata minimè consummant: aliter qui mala occultè agunt, & bona publicè, aliter qui bona quæ faciunt abscondunt, & tamen quibusdam factis publicè, malè de se opinari permittunt. Et quidem de singulis quis sit admonitionis ordo subtiliter insinuare debuimus, sed formidata locutionis prolixitate præpedimur. Authore autem Deo in alio opere id explere appetit animus, si tamen laboriosæ huius vitæ adhuc aliquantulum tempus restiterit. Habemus verò aliud quod de galli huius intelligentia considerare debeamus, quia profundioribus horis noctis valentiores ac productiores edere cantus solet: cùm verò matutinum iam tempus appropinquat, leniores & minutiores omnimodo voces format. In quibus galli huius intelligentia quid nobis innuat, considerata prędicatorum discretio demonstrat. Qui cùm iniquis adhuc mentibus prædicant, altis & magnis vocibus æterni iudicij terrores intimant, quia videlicet quasi in profundæ noctis tenebris clamant. Cũ verò iam adiutorum suorum cordibus veritatis lucem adesse cognoscũt, clamoris sui magnitudinem in lenitatem dulcedinis vertunt: & non tam illa quę sunt de pœnis terribilia, quàm ea quæ sunt blanda de præmiis proferunt. Qui etiam minutis tunc vocibus cantant: quia appropinquante mane, subtilia quæque de mysteriis prædicant, vt sequaces sui eo minutiora quæque de cœlestibus audiant, quo luci veritatis appropinquant, & quos dormientes longus galli clamor excitauerat, succiſior vigilãtes delectet: quatenus correcto cuilibet de regno cognoscere subtiliter dulcia libeat, qui prius aduersa iudicij formidabat. Quod bene per Moysen exprimitur, cùm ad producendum exercitum tubæ clangere concisius iubentur. Scriptum nanque est: Fac tibi duas tubas argenteas ductiles. Et paulò post: Cùm concisus clangor increpuerit, mouebuntur castra. Per duas enim tubas exercitus ducitur, quia per duo præcepta charitatis ad procinctum fidei populus vocatur. Quæ idcirco argenteæ fieri præcipiuntur, vt prædicatorum verba lucis nitore pateant, & auditorum mentem nulla sui obscuritate confundant. Idcirco autem ductiles: quia necesse est vt hi qui venturam vitam prædicant, tribulationum præsentium tunsionibus crescant. Bene autem dicitur: Cùm concisus clangor increpuerit, mouebuntur castra: quia nimirum prædicationis sermo cùm subtilius ac minutius agitur, auditorum corda contra tentationum certamina ardentius excitantur. Est adhuc aliud in gallo solerter intuendum, quia cùm iam edere cantus parat, prius alas excutit, & semetipsum feriens, vigilantiorem reddit. Quod patẽter cernimus, si sanctorum prædicatorum vitam vigilanter videmus. Ipsi quippe cùm verbum prædicationis mouent, prius se in sanctis actionibus exercent, ne in semetipsis torpentes opere, alios excitent voce: sed antè se per sublimia facta executiunt, & tunc ad bene agendum alios sollicitos reddunt. Prius cogitationum alis semetipsos feriunt: quia quicquid in se inutiliter torpet, solicita inuestigatione deprehendunt, districta animaduersione corrigunt. Prius sua punire fletibus curant, & tunc quæ aliorum sunt punienda denuntiant. Prius ergo alis insonant, quàm cantus emittant, quia antequam verba exhortationis proferant, omne quod locuturi sunt, operibus clamant, & cùm perfectè in semeipsis vigilant, tunc dormientes alios ad vigilias vocant. Sed vnde tanta hæc doctori intelligentia, vt & sibi perfectè vigilet, & dormientes ad vigilias sub quibusdam clamoris profectibus vocet, vt & peccatorum tenebras prius cautè discutiat, & discretè postmodum lucem prædicationis ostendat, vt singulis iuxta modum, & tempora congruat, & simul omnibus quę illos sequantur ostendat? Vnde ad tanta & tam subtiliter tenditur, nisi intrinsecus ab eo à quo est conditus doceatur? Quia ergo laus tantæ intelligentiæ non prædicatoris virtus est, sed authoris, rectè per eundem authorem dicitur: *Vel quis dedit gallo intelligentiam?*) ac si diceret: Nisi ego, qui doctorum mentes quas mirè ex nihilo condidi, ad intelligenda quæ occulta sunt, mirabilius instruxi. Vnde bene vt in dictis prædicantium, non solum inspiratorem se intelligentiæ, sed etiam authorem locutionis ostendat, adiungit:

Nume. 10.

Quòd redempror cùm in sua maiestate videbitur, flebit omnis doctrina, & quomodo vnum diuisibiliter tria sint, & indiuisibiliter tria vnum, & manifestato ipso, qui est causa causarum, creaturarum ratio palàm erit.

Caput V.

QVis enarrabit cœlorum rationem?) Quorum tamẽ verba quia cùm sese nobis per speciem ostenderit, subtrahit, protinus subdidit: Et concentum cœli quis dormire faciet?) In hac enim vita infirmitati nostræ Dominus non aperta specie maiestatis suæ, sed prædicatorum suorũ voce locutus est, vt corda adhuc carnalia carnalis lingua pulsaret, & tantò facilius insueta perciperet, quantò ea per sonitum consuetæ vocis audirent. At postquam per mortem in puluerem caro resolui-

tur, & per resurrectionem puluis animatur, tunc de Deo audire verba non quærimus: quia vnum ipsum quod implet omnia, iam per speciem Dei verbum videmus. Quod nobis tantò altius sonat, quantò & mentes nostras vi intimæ illustrationis penetrat. Sublatis nanque orientibus & occidentibus verbis, quasi quidam sonus æternæ prædicationis fit ipsa imago internæ visionis. Vnde & rectè nunc ad beatum Iob Dominus dicit: *Quis enarrabit cœlorũ rationẽ, & concentum cœli quis dormire faciet?*) Quid enim cœlorũ ratio accipitur, nisi vis superna secretorum? Quid per cœli concentum, nisi concors prædicantium sermo signatur? Cordit igitur noster cùm cœlorum rationem narrare cœperit, dormire cœli concentum facit: quia cùm iam nobis per speciem ostenditur, nimirum prædicantium verba subtrahuntur. Hinc enim per Hieremiam Dominus dicit: Non docebit vltrà vir proximum suum, & fratrem suum, dicens: Cognosce Dominũ. Omnes
Hier.31. enim cognoscent me, à minimo eorum vsque ad maximum, dicit Dominus. Hinc Paulus ait: Siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. Vel certè cœlorum ratio, est ipsa viuificatrix virtus quæ spiritus for-
8. mat angelorum. Deus sicut est causa causarum, sicut vita viuentium, ita etiam ratio rationabilium creaturarum. Tunc ergo cœlorum rationem Dominus narrat, cùm semetipsum nobis quomodo electis spiritibus præsit insinuat. Tunc cœlorum rationem narrat, cùm detersa mentis nostræ caligine, clara se visione manifestat. Vnde & in Euangelio Dominus dicit: Venit hora cùm iam non in prouerbiis loquar vobis, sed palàm de patre annuntiabo vobis. Palàm quippe de patre
Ioan.16. annuntiare se asserit: quia per patefactam tunc maiestatis suæ speciem, & quomodo ipse genitori non impar oriatur, & quomodo vtrorúmque spiritus vtrique coæternus procedat, ostendit. Apertè nanque tunc videbimus, quomodo hoc quod oriendum est, ei de quo oritur, subsequens non est, quomodo is qui per processionem producitur, à proferentibus non præitur. Apertè tunc videbimus quomodo & vnum diuisibiliter tria sint, & indiuisibiliter tria vnum. G Lingua ergo tunc narrãtis Dei, est visa claritas subleuantis. Et concentus cœli tunc dormiet, quia apparente in iudicio tributore operum, exhortationum iam verba cessabunt. Vnde & apertè ipsum resurrectionis tempus adiungitur, cùm illicò profertur: *Quando fundabatur puluis in terram, & glebæ compingebantur?*) More suo quæ adhuc futura sunt, quasi iam præterita diuinus sermo describit, hoc in se videlicet seruans, quod per eum dicitur: Qui fecit quæ futura sunt. Puluis itaque tunc in terra fundatur: quia in solida membra corpus reducitur. Et glebæ compinguntur: quia nimirum firma corpora ex puluere collecta consurgunt. Sed postquam verba hæc dominica quomodo de futuro intelligenda sint diximus, nunc etiam quid de præsenti insinuent indicemus.

Quis enarrabit cœlorum rationem, & concentum cœli quis dormire faciet?) Cœlorum rationem Dominus narrat, dum nunc
9. insinuando superna secreta, electorum suorum mentes illuminat. Concentum verò cœli dormire facit, dum concordes angelorum hymnos atque illa cœlestium virtutum gau- H dia reproborum cordibus iusto iudicio abscondit. Qui concentus cœli quanuis in se intrinsecus vigilet, in ipsa tamen reproborum ignorantia extrinsecus dormit. Enarratur ergo secreti cœlestis ratio, & tamen concentus cœli dormire permittitur: quia & aliis per inspirationem supernæ retributionis scientia panditur, & aliis quæ sit internæ laudis suauitas occultatur. Narratur cœlorum ratio, quia electorum mentibus quæ sit supernorum retributio indefinenter aperitur: vt nimirum sine cessatione proficiant, & transcurrentes visibilia, sese ad inuisibilia extendant. Omne enim visibile quod in hac vita reprobos figit, hoc electos ad alia impellit: quia dum bona quæ facta sunt, recipiunt, in eum à quo facta sunt inardescunt, tantóque eum præstantius amant, quantò illum hoc quod ipse bonum condidit præire considerant. Loquitur quippe hoc eis intrinsecus, quod silenter sonat inuisibilis lingua compunctionis. Quam tantò plenius intus audiunt, quantò ab exteriorum desideriorum strepitu perfectius auertuntur. His itaque concentus cœli non dormit, quia eorum mens quæ sit laudis supernæ E suauitas, apposita amoris aure cognoscit. Intus enim quod appetunt audiunt, & de cœlestium bonorum præmiis ipso desiderio diuinitatis instruuntur. Vnde & præsentem vitam, non solùm aduersantem, sed etiam fauentem grauiter tolerant: quia eis onerosum est omne quod cernitur, dum ab eo quod intus audiunt differuntur. Omne quod sibi præstò est, graue æstimant: quia illud non est ad quod anhelant: indefinenter autem eorum mens ipsis temporalitatis laboribus fessa, in illud cœleste gaudium resumendo suspenditur, dum in aure cordis intro erumpente concentu cœli, societatem sibi quotidie supernorũ ciuiũ præstolantur. Iste concentus supernæ laudis in illius voce eruperat, qui dicebat: Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei. In voce exultationis, & cõfessionis, sonus ciuitatis epulantis. Qui igitur intus vocem exultationis & confessio- *Psalm.41.*
nis ac sonum ciuitatis epulantis audierat, quid illum aliud, nisi cœli concentus excitabat? Qui tamen concentus reprobis dormit, quia eorum cordibus nequaquam per vocem F compunctionis innotescit. Non enim considerare illam desiderabilem supernorum ciuium frequentiam student, nullo ardoris radio illa solemnitatis internæ festa conspiciunt, nulla in intimis contemplationis penna subleuantur. Solis nanque visibilibus seruiunt, & idcirco nil supernæ suauitatis intrinsecus audiunt: quia eos, sicut superius diximus, in aure cordis curarum secularium surdi tumultus premunt. Quia igitur occulta dispensatione iudicij quod aliis aperitur, aliis clauditur, quod aliis detegitur, aliis occultatur, dicatur rectè: Quis enarrabit cœlorum rationem, & concentum cœli quis dormire faciet? Quod tamen tunc nobis latius innotuit, cùm redemptor noster per dispensationis mysterium apparens, & indignis misericordiam præbuit, & eos à se qui digni uidebantur exclusit. Vnde hîc quoque aptè subiungitur:

Quòd peccatores ad Ecclesiam vocati, per spiritus sancti gratia infusi, in collectione sunt charitatis vniti: & quòd in diuersis Ecclesiasticis ordinibus peccatores conuersi tanquam diuersæ glebæ in vnitatis sacramenti concordia conuenerunt.

Caput VI.

QVando fundabatur puluis in terram, & glebæ compingebantur.) Quid in puluere, nisi peccatores accipimus? qui 10.
nullo rationis pondere solidati, cuiuslibet tentationis flatu rapiuntur. De quibus scriptum est: Non sic impij non sic, sed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ. *Psalm.1.*
Puluis ergo in terram fundatus est, cùm peccatores vocati in Ecclesia, traditæ fidei sunt ratione solidati, vt qui prius inconstantia mobiles tentationis aura leuabantur, immobiles postmodum contra tentamenta consisterent, & Deo perseueranter inhærentes, fixum bene viuendi pondus tenerent. Glebæ verò ex humore coagulantur & puluere. In hac itaque terra glebæ compunctæ sunt: quia vocati peccatores & per Spiritus sancti gratiam infusi, in collectione sunt charitatis vniti. Istæ glebæ in terra compactæ sunt, quando populi prius quasi in dispersione puluerís diuersa sentiebant, postmodum sancti Spiritus gratia accepta, in illa pacatissima vnanimitatis concordia conuenerunt: vt cùm essent tria milia, vel rursum quinque milia, scriptura teste diceretur, quia erat in eis cor vnum & anima vna. Has glebas ex vno quidem puluere, sed quasi diuersa mole distinctas quotidie Dominus in terra compingit: quia seruata vnitate sacramenti, iuxta varietatem morum atque linguarum fideles in Ecclesia populos colligit. Has glebas iam tunc Dominus desi- *Matth.14.*
gnauit, quando ad esum panis & piscium quiquagenos discumbere vel centenos iussit. Quas tamen glebas si in Ecclesia ex diuersitate meritorum attendimus, fortasse adhuc distinguere subtilius valemus. Nam dum alius est ordo prædicantiũ, alius auditorum, alius regentium, atque alius subditorum: alius coniugum, alius continentium: alius pœnitẽtiũ, alius virginum, quasi ex vna terra est diuersa glebarũ forma distincta, dũ in vna fide, in vna charitate disparia demonstrãtur bene operantiũ merita. Has glebas populus ille significa- *Exod.35.*
uit,

uit, qui ad constructionem tabernaculi sub vno studio diuersa donaria obtulit, de quo scriptum est: Quicquid in cultum tabernaculi & ad vestes sanctas necessariũ erat, viri cum mulieribus præbuerunt, armillas & inaures annulos & dextralia. Omne vas aureum in donaria Domini separatũ est, si quis habuit hyacinthum, purpuram, coccúmque bis tinctum, byssum & pilos caprarum. In ornamento ergo tabernaculi viri dona cum mulieribus offerunt: quia in explẽdo cultu sanctæ Ecclesiæ, & fortium facta sublimia & infirmorum opera extrema numerantur. Quid autem per armillas quæ lacertos astringunt, nisi præpositorum validè laborãtium opera demõstrantur? Et quid per inaures, nisi subditorum obedientia exprimitur? Quid per annulos nisi signaculum secretorum? Plerunque enim magistri signant quod ab auditoribus capi non posse considerant. Et quid per dextralia, nisi primę operationis ornamenta memorantur? Quid per vas aureum in donaria Domini separatum, nisi diuinitatis intelligentia accipitur? quę tanto ab inferiorum amore disiungitur, quantò ad sola quæ æterna sunt amanda subleuatur. Quid per hyacinthum nisi B spes cœlestium? Quid per purpuram nisi cruor ac tolerantia passionũ, amore regni perpetui exhibita? Et quid per bis tinctum coccum nisi charitas demonstratur, quæ pro perfectione bis tingitur, quia Dei & proximi dilectione decoratur? Quid per byssum nisi immaculata carnis incorruptio? Et quid per pilos caprarum, ex quibus ciliciorum asperitas texitur, nisi dura pœnitentium afflictio designatur? Dum igitur alij per armillas & annulos forte magisterium exercent: alij per inaures & dextralia deuotam obedientiam rectámque operationẽ exhibent: alij per separatum vas aureum præclaram subtiliorémque Dei intelligentiam tenent: alij per hiacynthum purpuram & coccum, audita cœlestia sperare, credere, amare non desinũt, etiã quæ adhuc subtiliori intellectu minimè cognoscunt: alij per byssum incorruptionem carnis offerunt: alij per caprarum pilos deplorant asperè, quod libenter commiserũt: quasi ex vna terra innumeræ glebæ proferuntur, quia ex vno & pari obsequio facta fidelium disparia procedunt. Quæ ni- C mirum glebæ nequaquam concretæ ex puluere surgerent, nisi aquam prius puluis acciperet, & concepto se humore solidaret: quia nisi peccatores quosque sancti Spiritus gratia infunderet, constrictos eos ad fidei opera charitatis vnitas non teneret. Quãdo igitur Dominus enarrabit cœlorum rationem, vel concentum cœli dormire faciet, aperiat. Ait enim: *Quando fundabatur puluis in terram, & glebæ compingebantur.*) Ac si diceret: Tunc primum vocatione, & discretione manifesta secreta spiritalia & non sine misericordia aliis aperui, & non sine iustitia aliis clausi, cùm alios respuerem, & alios intra Ecclesiam concordia charitatis adunarem. Quę sancta Ecclesia quia perfidia Iudæorum repulsa, ad rapiendas gentes se contulit atque in suo corpore conuertendas, quod quidem non suis, sed Domini viribus fecit, aptè subiungitur:

Quòd catuli Ecclesiastici noui testamenti prædicatores intelligantur.

Caput VII.

NVnquid capies leænæ prædam, aut animam catulorum 11.
eius implebis?) Ista nimirum illa leæna est de qua Iob dicebat, cùm superbientem Iudęam cerneret prædicante Ecclesia prætermissam: Non calcauerunt eam filij institorum, nec pertransiuit per eam leæna. Huic ergo leænæ Dominus prædam capit, vt animam catulorum eius impleat: quia ad augmẽtum huius Ecclesiæ, innumeros de gẽtilitate diripuit, & per animarum lucrum esurientia Apostolorum vota satiauit. Ipsi quippe catuli pro mẽtis tenerítudine & formidinis infirmitate vocati sunt, qui passo Domino clausis foribus residebãt, sicut de illis scriptum est: Cùm esset sero die illo vna sabbatorũ, & fores essent clausæ vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Iesus, & stetit in medio eorũ. Vnde hîc quoque de eisdem catulis aptè subiungitur: *Quando cubant in antris, & in specubus insidiantur.*) Cùm enim nequaquam sancti Apostoli cõtra membra diaboli in voce liberę prædicationis exurgerent, & necdum post passionẽ Domini sancti Spiritus effusione solidati, redemptorẽ suum firma authoritate prędicarent, adhuc cõtra aduersarios suos quasi in antris insidiabantur. Clausis quippe foribus quasi in quibusdã abditis specubus suis catuli rapturi mundum cubabant, vt animarũ præ- A dam postmodum præsumẽtes diriperent, de quibus tunc certum est quòd mundi impetum etiam sibimetipsis latendo formidarent. Illis foribus clausis isti catuli mortem mortis nostrę insidiati quæsierunt, vt culpam nostram interficerẽt, omnémque in nobis peccati vitam necarent. Horũ primo illi esurienti catulo, sed iam valenti, ostensa per linteum gentilitate, quasi monstrata preda dicitur: Macta & manduca. His catulis velut *Acto.10.*
adhuc infirmis, vt cubare in antris debeãt iubetur, cùm eis do- *Lucæ.24.*
minica voce dicitur: Sedete hîc in ciuitate quoadusq; induamini virtute ex alto. An non rectè leænæ catuli vocantur, qui in Ecclesia editi, aduersantem mundum ore rapuerũt? Et hæc quidem facta à sanctis Apostolis nouimus, hæc nunc etiã fieri à perfectis doctoribus videmus. Ipsi enim etsi subsequentium populorum patres sunt, tamen præcedentium filij, vnde & nõ immeritò catuli vocantur. Vel certè quia etsi quorundam fidelium magistri sunt, vniuersalis tamen Ecclesię discipulos se esse gloriantur. Leænæ itaque prædam Dominus capit: quia virtute suæ inspirationis ab errore vitam delinquentium diripit, & animas catulorum illius replet, quia conuersione multorum piis doctorum desideriis satisfacit. De quibus catulis bene subiungitur: *Quando cubant in antris, & in specubus insidiantur.*) Neque enim cuncta tempora doctrinæ sunt congrua. *Non omnia tẽpora sunt doctrinæ cõgrua.*
Nam plerunque dictorum virtus perditur, si intempestiuè proferantur. Sæpe verò & quod lenius dicitur, conuentu tẽporis congruentis animatur. Ille ergo scit rectè dicere, qui & ordinatè nouit tacere. Quid enim prodest eo tempore irascẽtem corripere, quo alienata mente non solùm aliena verba percipere, sed semetipsum vix valet tolerare? Furentem quippe qui per inuectionem corripit, quasi ei qui non sentiat plagas ebrio imponit. Doctrina itaque vt peruenire ad cor audientis valeat, quæ sibi congrua sint temporum momenta perpendat. Bene ergo de his catulis dicitur: *Quando cubant in antris, & in specubus insidiãtur.*) Doctores enim sancti quando & arguenda conspiciunt, & tamen se per silentium in cogitationibus retinent, quasi in specubus latent, & velut in antris se contegunt, quia in suis cordibus occultentur. Sed cùm opportunum tempus inuenerint, repente prosiliunt, nulla quæ dicenda sunt reticent, & certúcem superbientium morsu asperæ increpationis tenent. Siue itaque per Apostolos siue doctores, quos in Apostolorum locum subrogauit, huic leænæ Dominus quotidie prædam capit, & per eos quos cepit, alios etiam capere non desistit. Ad hoc quippe iusti huius mundi peccatores rapiunt, vt per conuersos eos etiam alij ex mundo rapiantur. Vnde & ipsa gentilitas quæ pio Apostolorum ore rapta est, tanta nunc fame alios esurit, quanta se ab Apostolis concupitam fuisse cognoscit. Proinde & aptè subiungitur:

Quòd non tantum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus Ecclesia doctores accepit, quorum pulli in discussione Euangelij longè latéque euagati sunt.

Caput VIII.

QVis præparat coruo escam suam, quando pulli eius ad Deum cla- 12.
mant, vagantes eo quòd non habeant cibos?) Quid enim corui D pullorúmque eius nomine, nisi peccatis nigra gentilitas designatur? De qua per Prophetam dicitur: Qui dat iumentis es- *Psal.146.*
cam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Iumenta quippe escam accipiunt, dum sacræ scripturæ pabulo mentes dudum brutæ satiantur. Pullis verò coruorum, filiis scilicet gentium esca datur, cùm eorum desiderium nostra conuersatione reficitur. Iste coruus esca fuit, dum ipsum sancta Ecclesia quæreret. Sed nunc escam accipit, quia ipse ad conuersionem alios exquirit. Cuius videlicet pulli, id est, prædicatores ex eo editi, non in se præsumunt, sed in viribus redẽptoris sui. Vnde bene dicitur: *Quando pulli eius ad Deum clamant.*) Nihil enim sua virtute posse se sciunt. Et quanuis animarum lucra piis votis esuriant, ab illo tamen qui cuncta intrinsecus operatur, hæc fieri exoptant. Vera enim fide comprehendunt, quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Quod verò dictum est: *1.Cor.3.*
Vagantes eo quòd non habeant cibos:) in hac vagatione nihil aliud quàm æstuantium prædicatorum vota signantur. Qui dum in Ecclesiæ sinum recipere populos ambiunt, magno ardore succensi, nunc ad hos, nunc ad illos colligendos desiderium mittunt. Quasi quædam quippe vagatio est ipsa cogitationis

æstuatio,& velut ad loca varia mutatis nutibus trãseunt, dum pro adiuuandis animabus in modos innumeros, ac in partes
13 diuersas esuriente mẽte discurrunt. Hanc vagationem pulli coruorum, id est, filij gentilium ab ipso gentium magistro didicerunt. Ipse quippe quàm valida charitate flagrat, tàm nimia ex locis ad loca se vagatione permutat, transire ad alia ex aliis appetit; quia ipsa eum quæ implet, charitas impellit. Longè nanque à Romanis positus scribit: Memoriam vestri facio
Roma.1. semper in orationibus meis, obsecrans si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei venien-
2 Corint.12. di ad vos, desidero enim videre vos. Retentus Ephesi Co-
Gala.4. rinthiis scribit: Ecce tertiò paratus sum venire ad vos. Rursum Ephesi commorans Galatis loquitur, dicẽs. Vellem modò esse apud vos,& mutare vocem meam. Romæ quoq; custodia carceris clausus, quia ire ad Philippenses per semetipsum non permittitur, transmittere se discipulum pollicetur,
Philip.2. dicens: Spero in Domino Iesu Timotheum me citò mittere ad vos, vt & ego bono animo sim; cognitis quę circa vos sunt.
Colossen.2. Constrictus etiam vinculis atque Ephesi retentus, Colossensibus scribit: Nam si corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum. Ecce quomodo sancto desiderio quasi vagatur: hîc corpore tenetur, illuc spiritu ducitur: & paterni amoris affectum istis præsentibus exhibet, illis absentibus ostendit: coràm positis impendit opera, audientibus exprimit vota, efficaciter præsens eis cum quibus erat, nec tamen illis absens cum quibus non erat. Cuius vagationem melius cognoscimus, si eius
1.Corint.16. adhuc ad Corinthios verba pensamus. Ait enim: Veniam ad vos cùm Macedoniam pertransiero. Nam Macedoniam pertransibo, apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hyemabo. Perpendamus quæso quæ sit ista vagatio. Ecce aliò interim manet, aliò se iturum perhibet, atque aliò deflexurum promittit. Quid est quòd tam anxiè per tot loca partitur, nisi quòd circa omnes vna charitate cõstringitur? Charitas enim quæ diuisa vnire consueuit, vnum cor Pauli per multa diuidi compellit. Quod tamen tantò arctius in Deo colligit, quantò latius per sancta desideria spargit. Prædicando igitur Paulus vult simul omnia dicere, amando vult simul omnes videre: quia & in carne permanendo, vult omnibus viuere, & de carne trãseundo, per sacrificium fidei vult omnibus prodesse. Vagentur itaque pulli coruorum, id est, magistrum suum imitentur filij gentium, torporem mentis excutiant, & cùm animarum lucrum, id est, cibum suum minimè reperiunt, non quiescant: ad profectum se ex profectibus extendant, & æstuantes in vtilitate multorum, refectionem suam quasi vagantes esuriant. Quia verò per prædicationum opera discurrendo, refectione fidei gentilitatem satiare non cessant, dicatur rectè: Quis præparat coruo escam suam, quando pulli eius ad Deum clamant, vagantes eo quòd non habeant cibos?
14 Potest etiam corui nomine nigra per infidelitatis meritum plebs Iudaica designari. Nam pulli eius ad Deum clamare referuntur, vt eidem coruo à Domino esca præparatur: quia nimirum sancti Apostoli plebis Israëliticæ carne generati, dum pro gente sua preces ad Dominum funderent, quasi pulli coruorum eum de quo carnaliter editi sunt, spiritali intelligen- H tia parentem populum pauerunt. Igitur dum pulli eius clamant, coruo esca præparatur: quia dum Apostoli exorant, plebs dudum perfida, ad cognitionem fidei ducitur, & ex prædicatione filiorum quasi ex pullorum voce satiatur. Illud tamẽ in hoc versu debemus solerter intueri, quòd huic coruo esca dicitur primùm pullis clamantibus, & postmodum vagantibus præparari. Clamantibus nanque pullis coruo esca præparata est, cùm prædicantibus Apostolis verbum Dei Iudæa audiens, modò in tribus milibus, modò in quinque milibus spiritali est intelligentia satiata. Sed cùm reproborũ multitudo crudelitatem suam contra prædicantes exerceret, & quasi pullorum vitam necaret, iidem pulli in vniuersa mundi
Acto.13. spatia dispersi sunt. Vnde & eisdem carnalibus patribus spiritali prædicationi resistentibus dicunt: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes: scientes profectò, quòd postquam gentilitas crederet, etiam Iudæa
Roma.11. ad fidem veniret. Vnde & scriptum est: Donec plenitudo gentium introiret, & sic omnis Israël saluus fieret. Quia igitur summopere sancti Apostoli, & studuerunt prius audientibus E prædicare, & postmodum resistentibus exempla conuersæ gentilitatis ostendere: quasi esurientes pulli huic coruo escam suam prius clamando; & postmodum vagando quæsierunt. Vnde enim vagantur pulli, inde escam coruus inuenit: quia dum per laborem prædicantium conuersam ad Deum gentilitatem Iudaicus populus respicit, ad extremum quandoque stultitiam suæ infidelitatis erubescit: & tunc scripturæ sacræ sententias intelligit, cùm priusquam sibi eas gentibus innotuisse cognoscit, atque expleta vagatione pullorum, ad percipienda sacra eloquia os cordis aperit: quia peractis in mundũ cursibus Apostolorum, serò ea spiritaliter percipit, à quibus diu se perfidia abstringente ieiunauit. Quæ quia omnia solius diuinæ potentiæ virtus operatur, rectè dicitur: *Quis præparat coruo escam suam quando pulli eius ad Deum clamant, vagantes eo quòd non habeant cibos?* Subaudis, nisi ego, qui infidelem populum filiis suis & exorantibus tolero, & prædicãtibus parco, atque ad alia vagantibus conuertendum, quandoque in F fine sustineo. Est adhuc aliud, quod de coruo moraliter posit intelligi. Editis nanque pullis, vt fertur, escam plenè præbere dissimulat priusquam plumescendo nigrescant, eósque inedia affici patitur, quoadusque in illis per pennarum nigredinem sua similitudo videatur. Qui huc illúcq; vagantur in nido, & ciborum expetunt aperto ore subsidiũ. At cùm nigrescere, cœperint, tantò eis præbenda alimenta ardentius requirit, quantò illos alere diutiùs distulit. Coruus profectò est doctus quisque prædicator, qui magna voce clamat, dum peccatorum suorum memoriam atque cognitionem infirmitatis propriæ quasi quandam coloris nigredinem portat. Cui quidem nascuntur in fide discipuli, sed fortasse adhuc considerare nigredinem infirmitatis propriæ nesciunt: fortasse à peccatis præteritis memoriam auertunt, & per hoc eam, quam assumi oportet contra huius mũdi gloriam humilitatis nigredinem non ostẽdunt. Hi velut ad accipiẽdas escas os aperiunt, cùm doceri de secretis sublimibus quærunt. Sed eis doctor G suus alimenta prædicamentorum sublimium tantò minus tribuit, quantò illos peccata præterita minus dignè deflere cognoscit. Expectat quippe atq; admonet, vt à nitore vitæ præsentis prius per pœnitẽtiæ lamenta nigrescãt, & tunc demum congrua prædicationis subtilissimæ nutrimenta percipiant. Coruus in pullis ora inhiantia respicit, sed antè in eis pennarum nigredine indui corporis quærit. Sic & discretus doctor interna mysteria eorum sensibus non ministrat, quos adhuc ab hoc seculo nequaquam se abiecisse cõsiderat. Quantò igitur discipuli exterius per cultum vitæ præsentis minus quasi nigri sunt, tantò per cibum verbi interius minus replentur: & quo se à corporali gloria non euacuant, eo à spiritali refectione ieiunant. Si verò in confessione vitæ præteritæ lamenti sui gemitus velut nigrescentes plumas proferant, ilico in cõtemplationem doctor ad escam de sublimibus deferendam, quasi pullorum refectionem cogitans coruus volat: eísque hiantibus in ore cibum reuocat, dum ex ea intelligentia quam cœperit, esurientibus discipulis alimenta vitæ loquendo subministrat. Quos tantò ardentius de supernis reficit, quantò verius à mundi nitore nigrescere pœnitentiæ lamentatione cognoscit. Pulli autem dum nigro se pennarum colore vestiunt, de se etiam volatum promittunt: quia quo magis discipuli abiecta de se sentiunt, quo magis sese despicientes affligunt, amplius eo spem profectus sui in altiora pollicentur. Vnde & curat doctor festinantius alere, quos iam per quædam indicia prouidet posse & aliis prodesse. Hinc enim Timotheum Paulus admonet, velut plumescẽtes pullos solicitius nutrire, dum dicit: Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fi- *2.Timot.2.* delibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Quæ doctrinæ discretio dum cautè à prædicatore custoditur, ei diuinitùs largior copia prædicationis datur. Dum enim per charitatem compati afflictis discipulis nouit, dum per discretionem congruum doctrinæ tempus intelligit, ipse non solùm pro se, sed etiam pro eis quibus laboris sui studia impendit, maiora intelligentiæ munera percipit. Vnde hîc quoque aptè dicitur: *Quis præparat coruo escam suam, quando pulli eius ad Deum clamant, vagantes eo quòd non habeant cibos?*) Cùm enim pulli vt satientur, clamant, coruo esca præparatur: quia dum verbum Dei boni

Dei boni auditores esuriunt, pro reficiendis eis maiorá doctoribus intelligentiæ dona tribuuntur. Sequitur:

Textus capitis xxxix. libri beati Iob.

NVnquid nosti tempus partus ibicũ in petris, vel parturientes ceruas obseruasti? Dinumerasti menses conceptus earum, & scisti tempus partus earum? Incuruantur ad fœtum & pariunt, & rugitus emittũt. Separãtur filij earum,& pergunt ad pastum: egrediũtur,& non reuertuntur ad eas. Quis dimisit onagrum liberum, & vincula eius qui soluit? Cui dedi in solitudine domum, & tabernacula eius in terra salsuginis. Contemnit multitudinem ciuitatis, clamorem exactoris non audit. Circunspicit montes pascuæ suæ, & virentia quæque perquirit. Nunquid volet B rhinoceros seruire, aut morabitur ad præsepe tuum? Nunquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo, aut confringet glebas vallium post te? Nunquid fiduciam habebis in magna fortitudine eius,& derelinques ei labores tuos? Nunquid credes illi quoniã sementem reddat tibi, & aream tuam congregat? Pẽna struthionis similis est pennis herodij & accipitris. Quando derelinquit oua sua in terra, tu forsitan in puluere calefacies ea. Oliuiscitur quòd pes cõculcet ea, aut bestia agri conterat. Duratur ad filios suos quasi non sint sui, frustra laborauit, nullo timore cogente. Priuauit enim eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam. Cùm tempus fuerit, in altum alas erigit, deridet equitem & ascensorem eius. Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circundabis collo C eius hinnitum? Nunquid suscitabis eum quasi locustas? Gloria narium eius terror, terram vngula fodit. Exultat audacter, in occursum pergit armatis. Contemnit pauorem, nec cedit gladio. Super ipsum sonabit pharetra, vibrauit hasta & clypeus. Ferues & fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem. Vbi audierit buccinam, dicit, Vah. Procul odoratur bellum, exhortationem ducũ, & vlulatum exercitus. Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad Austrum? Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum? In petris manet, & in præruptis silicibus cõmoratur, atque in inaccessis rupibus. Inde contemplatur escam, & de longè oculi eius prospiciunt. Pulli eius lambunt sanguinem, & vbicũque D cadauer fuerit, statim adest. Et adiecit Dominus, & locutus est ad Iob: Nunquid qui contẽdit cum Deo, tam facilè conquiescit? Vtique qui arguit Deum, debet & respondere ei. Respondens autẽ Iob Domino dixit: Qui leuiter locutus sum, respondere quid possum? Manum meam ponam super os meum. Vnum locutus sum, quod vtinam non dixissem,& alterum, quibus vltrà non addam.

Quòd præpositi sanctæ Ecclesiæ, quia eorum onera portant, quos affectu nimio Deo pariunt, ceruæ vocantur: ibices verò auditores, qui patrum pronocati exemplis, scilicet patientia Dauid, castitate Ioseph, abstinentia Danielis, quasi in huius mundi petris sancta his similia parturiunt opera.

Caput IX.

16. NVnquid nosti tempus partus ibicum in petris, vel parturientes ceruas obseruasti?) Meridiana pars ibices aues vocat, quæ Nili fluentis inhabitant. Orientalis verò Occidentalísque plaga A parua quadrupedia ibices nominat, quibus & moris est in petris parere, quia neque sciunt nisi in petris habitare. Quæ si quando etiam de altis saxorum cacuminibus ruunt, in suis se cornibus illæsa suscipiunt. Caput quippe ruentes feriunt cuius dum prima cornua opponunt, fit omne corpus à iactura casus alienum. Ceruarum verò moris est, inuentos serpentes extinguere, eorúmque membra morsibus dilaniare. Fertur autem, quia si quando flumina transeunt, capitum suorum onera dorsis præcedentium superponunt, sibíque inuicem succedentes, laborem ponderis omnino non sentiunt. Quid est ergo quòd beatus Iob de partu ibicum ceruarúmque discutitur, nisi quia in ceruis vel ibicibus magistrorum spiritalium persona signatur? Ipsi quippe velut ibices in petris pariunt; quia in doctrina patrum, qui petræ pro soliditate vocati sunt, ad conuersionem animas gignunt. Ipsi velut ibices nullius casus damna sentiunt, dum in suis cornibus excipiuntur: quia quicquid eis ruinæ temporalis accesserit, in testamentis sacræ scripturæ se suscipiunt, & quasi cornuum exceptione saluantur. De his enim testamentis dictum est: Cornua sunt in manibus eius. Ad scripturarum ergo consolationem *Abac.3.* refugiunt, dum aliqua temporalis casus iactura feriuntur. An non more ibicum huius mundi aduersitatibus, quasi in suis se cornibus cadens excipiebat Paulus, cùm diceret: Quæcunque *Roma.15.* scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus? Ipsi etiam ceruæ vocati sunt, sicut per Hieremiam de doctoribus genitos filios incautè deserentibus dicitur: Cerua in agro pe- *Hiere.14.* perit, & reliquit. Ipsi more ceruarum interemptis vitiis, quasi extinctis serpẽtibus viuunt: & de ipsa extinctione vitiorum, ad fontem vitæ acrius inardescunt. Vnde Psalmista ait: Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Ipsi etiam dum labentia huius temporalitatis mo- *Psalm.41.* menta, quasi quædam flumina transeunt, compatientes charitate onera sua sibi inuicem superponunt: quia cauta obseruatione custodiunt, id quod scriptum est: Inuicem onera vestra *Galat.6.* portate, & sic adimplebitis legẽ Christi. Quia verò post aduentum Domini spiritales magistri per mundum sparsi sunt, qui auditorum animas in conuersione parere prędicando potuissent: & quia hoc idem tempus incarnationis Domini ante prophetarum voces cognitum non fuit, quanuis futura ipsa incarnatio præcognita omnibus electis fuit: bene beatus Iob de tempore partus ibicum ceruarúmque discutitur, eíque dicitur: *Nunquid nosti tempus partus ibicum in petris, vel parturientes ceruas obseruasti?*) Ac si dicatur ei: Idcirco te egisse aliquid sublimiter credis: quia illud tempus necdum præuides, quo spiritales magistri in mundum missi, per doctrinam antiquorum patrum filios generant, suíque laboribus animarũ mihi lucra comportant. Nam si illorum fructum quasi ibicum, ceruarúmque partus aspiceres, valde humiliter de tua virtute sentires. Magna quippe quæ agimus, quasi minima ducimus, cùm hæc per fortia exempla pensamus. Sed tunc apud Deum crescunt per meritum, cùm apud nosmetipsos per humilitatem decrescunt. Possunt verò ceruarum significatione docto- 17. res, appellatione autem ibicum qui animalia sunt minima, auditores intelligi. In petris verò ibices pariunt: quia ad exercẽda sancta opera per exempla patrum præcedentium fœcundantur, vt cùm fortasse præcepta sublimia audiunt, & infirmitatis propriæ conscij, ea se implere posse diffidunt, maiorum vitam conspiciant, atque in eorum cõsiderata fortitudine bonorum operum fœtus ponant. Vt enim pauca de multis loquar, quatenus studiosus lector multa in paucis intelligat, iste verborum contumeliis pressus, cùm virtutem patientiæ seruare non sufficit, Dauid factum ad memoriam reducit, quem cùm tot Semei conuiciis vrgeret, & armati proceres vlcisci contenderent, ait: Quid mihi & vobis filij Saruiæ? Dimittite *2.Reg.14.* eum vt maledicat: Dominus enim præcepit ei vt maledicere Dauid. Et quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit? Et paulò post: Dimittite eum vt maledicat iuxta præceptum Domini: si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna. Quibus profectò verbis indicat, quia pro perpetrato Bersabeæ scelere, exurgentem contra se filium fugiens reduxit ad animum malum quod perpetrauit, & æquanimiter pertu-

lit quod audiuit: & contumeliosa verba non tam conuitia quàm adiutoria credidit, quibus se purgari, sibíque misereri posse iudicauit. Tũc enim illata conuitia bene toleramus, cùm in secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus. Leue quippe videbitur, quòd iniuria percutimur, dum in actione nostra conspicimus, quia peius est quod meremur: sicque fit, vt contumeliis gratia magis quàm ira debeatur, quarum interuentu Deo iudice pœna grauior declinari posse confiditur.

18 Ecce alius dum mundi huius successibus proficit, lenocinante cordis lætitia tentari se luxuriæ stimulis sentit: sed si Ioseph factum ad memoriam reuocat, in arce se castitatis seruat. Qui dum sibi à domina conspiceret pudicitiæ damna suaderi, ait: Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua, nec quicquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum? Quibus verbis ostenditur, quia bona quæ assecutus fuerat, repente memoriæ intulit, & malum quod se pulsabat, euicit: quia perceptæ gratiæ meminit, vim culpæ imminẽtis fregit. [Cùm enim voluptas lubrica tentat in prosperis, hæc ipsa sunt prospera aculeo tentationis opponenda, vt eò erubescamus praua committere, quo nos à Deo meminimus gratuitò bona percepisse, & illatam gratiam exteriorum munerum vertamus in arma virtutum, vt sint ante oculos quæ percepimus, & quæ nos alliciunt, subigamus. Quia enim voluptas ipsa ex prosperitate nascitur, eiusdem prosperitatis est consideratione ferienda, quatenus hostis noster vnde oritur, inde moriatur. Considerandum quippe est, ne acceptum munus vertamus in vitium, ne per fauorem vitæ nos absorbeat vorago nequitiæ. Iram nanque contra nos superni iudicis inextinguibiliter accendimus, si contra benignitatem illius, etiã ex ipsa sua largitate pugnamus. Alius internæ scientiæ dulcedinem quærens, nec tamen secreta eius contingere prævalens, Danielis vitam ad imitandum conspicit, & desideratum scientiæ culmen apprehendit. Ille quippe qui postmodum voce angelica pro cognitionis internæ concupiscentia vir desideriorum dicitur, prius in aula regia carnis in se desideria edomuisse memoratur: vt nil ex delectabilibus cibis attingeret, sed lautis ac mollioribus duriora atque asperiora cibaria præferret: vt dum sibi exterioris cibi blandimenta subtraheret, ad interni pabuli delectamenta peruenirет: & tantò auidius gustum sapientiæ intus acciperet, quãtò saporem carnis pro eadem sapientia foris robustius repressisset. Si enim à carne hoc quodlibet abscindimus, mox in spiritu quod delectet, inuenimus: intentioni quippe animæ, si exterior euagatio clauditur, interior secessus aperitur. Nam quò extra se spargi propter disciplinam mens non potest, eò super se tendere per profectum potest: quia & in altum crescere arbor cogitur, quæ per ramos diffundi prohibetur. Et cùm riuos fontis obstruimus, fluenta surgere ad superiora prouocamus. Igitur dum studiosi quique sanctorum vitam imitando conspiciunt, in petris ibices fœtus ponunt. Hinc est quòd auditores suos quasi ibices in petris parere Paulus admonet, cùm enumeratis maiorum virtutibus diceret: Habentes tantam impositam nubem testium: deponentes omne pondus, & circunstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. Et rursum: Quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem. Sed cùm diuina præcepta corde concipimus, non statim quasi iam solidè cogitata parturimus. Vnde & beatus Iob nõ de partu ibicum, sed de tempore partus inquiritur. Quod videlicet tempus, dum in nobismetipsis vix comprehẽdimus, multò magis in aliena mente nescimus. Prius enim superni timoris semina vtero cordis suscepta, per medicationem studij coagulantur vt maneant: postmodum stricta intentione cogitationis affixa, dum ad discretionem rationis tendunt, quasi in membrorum distinctionem formantur: dehinc vsu perseuerantiæ confirmata, velut in soliditatem osium veniunt: ad extremum verò perfecta authoritate roborata, quasi in partum procedunt. Quæ incrementa diuinorum seminum nullus in aliena mente considerat, nisi ipse qui creat. Nam etsi quemlibet iam vim supernæ concupiscentiæ concepisse quarundam rerum attestatione cognoscimus: quãdo tamen in partu erumpat, ignoramus.

Gene.39.

Daniel.10.

Heb.12.

Hebr.13.

19

E Sæpe autem concepta mente semina peruenire ad perfectionem nequeunt, quia oriendo tempus partus antecedunt. Et quia necdum plenè in cogitatione formata ante humanos oculos prodeunt, velut abortiua moriuntur. Bona quippe adhuc tenera plerunque humana lingua, dum iam quasi fortia laudat, extinguit. Tantò enim † occidunt, quantò ad fauoris notitiam intempestiuè prorumpunt. Nonnunquam verò imperfecta nostra cogitatio necdum roborata, dum citius hominibus ostenditur, resistẽtium aduersitate dissipatur: & cùm conatur ante tempus videri quia sit, quasi agitur vt non sit. Sancti autem viri, quia cuncta quæ bene cogitant, student vt occultè conualescant, & quasi processuros fœtus prius intra vterum mentis formant: rectè beatus Iob de partus tempore discutitur, quod videlicet vnicuique quando sit congruum, nisi à creatore nescitur. Qui dum penetralia cordis aspicit, quando ad humanam notitiam bona nostra congruè nascantur, apprehendit. Bene itaque dicitur: *Nunquid nosti tempus partus ibicum in petris?* ac si apertè dicat: Vt ego, qui idcirco F electorum fœtus viuaces facio, quia præscito in tempore produco. Bene autem expleto fœtu auditorum subditur: *Vel parturientes ceruas obseruasti?* Parturientes enim ceruas obseruare, est illos labores patrum qui spiritales filios generãt, cauta consideratione pensare. Solerter quippe intuendum est, quòd hic sermo tam vigilanter imprimitur, vt dicatur, Obseruasti: quia vtique perpaucorum est pensare quis labor sit in prædicationibus patrum: quantis doloribus, quasi quibusdam conatibus animas in fide & conuersatione parturiunt, quàm cauta se obseruatione cõspiciunt: vt sint fortes in præceptis, compatientes in infirmitatibus, in minis terribiles, in exhortationibus blandi, in ostendendo magisterio humiles, in rerum temporalium contemptu dominantes, in tolerandis aduersitatibus rigidi: & tamen dum vires suas sibimet non tribuunt infirmi: quantus sit eis dolor de cadentibus, quantus sit de stantibus timor, quo feruore alia adipisci appetunt, quo pauore alia adepta conseruant. Quia igitur perpaucorum est ista pensare, G bene ei dicitur: Vel parturientes ceruas obseruasti. Nil verò obstat, quod verba Deus de doctoribus faciens non ceruorum, sed ceruarum eos specie designat: quia nimirum illi veri doctores sunt, qui cùm per vigorem disciplinæ patres sunt, per pietatis viscera esse matres nouerunt. Qui labores sanctæ conceptionis tolerant, & proferendos Deo filios intra vterum charitatis portant. In edenda enim prole amplius matres laborant, quæ crescentem intra vterum conceptionem, longo mensium tempore sustinent: & quæ ex vtero procedentem non sine magnis doloribus deponunt. Vnde & hic apta consideratione subiungitur:

† al. excidunt.

20

Quòd discreti viri non passim ad prædicandum exilium, sed in tempore mensuram tritici eroganda per conceptum desiderium intra se fouent, donec congruè forment, similem in omnibus formam iustitiæ, præbentes: quorum non solùm fructus, sed etiam pios conatus iustus dinumerat arbiter.

Caput X.

H D*inumerasti menses conceptus eorum?*) Sancti enim viri cùm de profectu auditorum cogitant, quasi iam in vtero conceptionem portant. Sed cùm nonnulla quæ dicenda sunt, differunt, & aptum suis exhortationibus tempus quærunt, velut à partu quem fieri appetunt, in mensium prolixitate dilatantur. Et sæpe dum quædam quæ sentiunt, intempestiuè dicere audientibus nolunt: in ipsa tarditate proferendæ sententiæ, siue ad hæc quæ suadenda sunt, seu ad illa quæ increpanda, consilio altiori firmantur. Et dum cogitatur vita filiorum, nec tamen ante tempus lingua consilium mentis eiicit, quasi iam concepta soboles intra vterum crescit: vt ad auditorum notitiam tunc sententia cordis exeat, quãdo prolata vtiliter, quasi per congruum tempus partus viuat. Et quia hæc homines in magistrorum mente, quãdo vel quomodo agantur, ignorant: Deus verò ad retributionis gloriam non solum effectum cõsiderat, sed etiam momẽta cogitationum signat, rectè ad beatum Iob dicitur: *Dinumerasti menses conceptus eorum?* Subaudis: vt ego, qui in sanctis prædicatoribus non solùm fructus exteriorum operum, sed ipsas diuinas cogitationes numero, qui & eas ad retributionem seruo. Possunt per mẽses, quia congesti dies sunt, etiam multiplicatæ virtutes intelligi. In mensibus quoque

21

bus quoque luna renascitur, nilque obstat, si per menses noua regenerationis creatura signetur. De qua Paulus apostolus dicit: In Christo Iesu, neque circuncisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura. Sancti igitur viri cùm se ad prædicandum parant, prius se interius virtutibus innouant, vt ad hoc quod loquendo docent, viuendo concordent. Prius sua interna considerant, atque à cunctis se vitiorum sordibus emundant, curantes summopere vt contra iram patientiæ luce resplendeant, contra carnis luxuriam, etiam cordis munditia fulgescant, contra torporem zelo candeant, contra confusos præcipitationis motus serena grauitate rutilent, contra superbiam vera humilitate luceant, contra timorem radiis authoritatis clarescant. Quia ergo tanta in se prius studia congerunt, quasi in conceptu sanctæ prædicationis menses virtutum fiunt. Quos menses Dominus solus dinumerat: quia eadem bona in eorum cordibus non nisi qui dedit, pensat. Et quia iuxta mensuram virtutum, effectus etiam subsequitur fructuum, rectè subiungitur: *Et scisti tempus partus eorum?*) Subaudis: vt ego, qui dum in cogitatione virtutum menses dinumero, quando hoc quod implere appetunt, parere valeant, scio: quia nimirum dum cordis occulta cõspicio, futurum foris effectum operis, intus in pondere cogitationis penso. Sequitur: *Incuruantur ad fœtum, & pariunt, & rugitus emittunt.*) Rugiunt quippe dum per incuruationem suam in conuersatione lucis auditorum animas gignunt: quia ab æternis nos suppliciis remouere, nisi flendo & dolendo non possunt. Prædicatores enim sancti nunc in lachrymis seminant, vt segetẽ postmodum gaudiorum metant. Nunc quasi ceruę in dolore partus sunt, vt spiritali prole postmodum sint fœcundi. Vt enim vnum de multis loquar, video Paulum quasi quandam ceruam quosdam in partu suo magni doloris rugitus emittentem. Ait enim: Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis: vellem esse apud vos modo, & mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis. Ecce mutare vult vocem in partu suo, vt prædicationis sermo in rugitum vertatur doloris. Vult mutare vocem suam: quia quos C iam prædicando pepererat, reformando gemens iterum parturiebat. Qualem rugitum hæc cerua pariens emittebat, quando eisdem post se redeuntibus exclamare cogebatur, dicens: O insensati Galatę, quis vos fascinauit: & sic stulti estis, vt cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummamini? Vel certè: Currebatis bene, quis vos impediuit veritati non obedire? Qualis in huius ceruæ partu rugitus fuit, quæ diu conceptos filios cũ tot difficultatibus peperit, & quandoque partus ad malitiæ vterum redisse cognouit? Consideremus quid dẽloris habuerit, quid laboris quæ & postquam potuit concepta edere, rursum compulsa est extincta suscitare. Notandum verò summopere est, quòd istæ ceruæ incuruantur vt pariant: quia nimirum si erectæ starent, parere non valerent. Nisi enim prædicatores sancti ab illa immensitate contemplationis internæ quam capiunt, ad infirmitatem nostram humilima prædicatione quasi quadam incuruatione descenderent, nunquam vtique in fide filios procrearent. Nobis quippe prodesse non D possent, si in suæ altitudinis erectione persistunt. Sed videamus ceruam sese vt pariat incuruantem. Ego, inquit, non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: tanquã paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Atque mox eiusdem incuruationis causas exequitur, dicens: Nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis. Sed hanc ceruam quæ propter nos incuruata est, quæso videamus erectam. Ait: Sapientiam loquimur inter perfectos. Et rursum: Siue mente excedimus Deo. Cùm verò mente excedit Deo, excessum eius nos omnino non capimus. Vt ergo nos lucretur, iucuruatur ad nos. Vnde illic aptè subiungit: Siue sobrij sumus vobis. Si enim sancti viri ea nobis prædicare vellent quæ capiunt, cùm in superna contemplatione debriãtur, & non magis scientiam suam quodam moderamine, & sobrietate temperarent, adhuc angusto intelligentiæ sinu illa superni fontis fluenta quis caperet? Incuruatæ autem istæ ceruæ, aliàs cœli vocatę sunt, de quibus dicitur: Domine inclina cœlos tuos, & descende. Cùm enim inclinantur cœli, descendit Dominus: quia cùm se in prædicatione sua sancti doctores attrahunt, diuinitatis notitiam nostris cordibus infundunt. Ne-

Galat.3. & 6.

A quaquam quippe ad nos Dominus descenderet, si prædicatores eius in contemplationis rigore inflexibiles permanerent. Inclinantur ergo cœli vt descendat Dominus, incuruantur ceruæ vt nos in noua fidei luce nascamur. Istæ incuruatæ ceruæ in Canticis canticorum sponsæ vbera sunt vocatæ, sicut scriptum est: Meliora sunt vbera tua vino. Ista enim sunt vbera quæ in arca pectoris fixa lacte nos potant: quia ipsi arcanis summæ contemplationis inhærentes, subtili nos prædicatione nutriunt. Vt igitur ab æterno gemitu & dolore nos retrahant, nunc incuruantur ceruæ, atque in partu rugitus emittũt. Quia verò ipsi qui sancta patrum prædicatione nascuntur, aliquando doctores suos patiendo præueniunt, vt eis adhuc in hac vita durantibus, ipsi iam martyrio consummentur, aptè sequitur:

Galat.4.

Galat.3.

Galat.5.

22.

Canti.1.

Quòd qui ad pascua æternæ vitæ fuerint separati, doctrina temporalis vltrà non indigent, quibus in ipso vitæ libro cuncta perspicua erunt.

Caput XI.

S*Eparantur filij earum, & pergunt ad pastum: egrediuntur, & non reuertuntur ad eas.*) Pastum scriptura sacra illud viriditatis æternę pabulum vocat, vbi iam nostra refectio nullius defectus B ariditate marcescet. De quo pastu per Psalmistã dicitur: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuę ibi me collocauit. Et rursum: Nos autem populus eius, & oues pascuæ eius. De quibus nimirum pascuis veritas per semetipsam dicit: Per me si quis introierit, saluabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Pergunt ergo ad pastum: quia de corporibus exeuntes, illa pabula internæ viriditatis inueniũt. Egrediuntur & non reuertuntur ad eas: quia in illa suscepti contemplatione gaudiorum, iam nullatenus indigent verba audire docentium. Egressi itaque ad eas iam non redeũt: quia angustias vitæ præsentis euadentes, vltrà à doctoribus prædicationem vitæ accipere non requirunt. Tunc quippe impletur quod scriptum est: Non docebit vltrà vir proximum suũ, & vir fratrem suum dicẽs: Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me à minimo eorum vsque ad maximum, dicit Dominus. Tunc impletur quod in Euangelio veritas dicit: Palàm de patre meo annuntiabo vobis. Filius quippe de patre palàm annũtiat: quia sicut superius diximus, per hoc quòd verbum est, ex natura nos diuinitatis illustrat. Verba enim tunc docentium, quasi quosdam humanæ linguæ riuulos non quærunt, quando de ipso iam veritatis fonte debriantur. Igitur postquam figurata incuruatione ceruarum, multa de magistrorum virtute narrata sunt, nunc ad eorum vitam qui remotę conuersationis secreta appetunt, verba vertuntur: qui & ipsa vacandi otia, quia diuino adiutorio & nõ suis viribus assequuntur, de eis à Domino dicitur:

Psal.23.

Psalm.94.

Ioan.10.

Hiere.3.

Ioan.16.

Quòd viri contemplatiui solitudinem mentis inhabitent, & liberi à secularium negotiorum tumultibus, Deum sitiant.

Caput XII.

Q*Vis dimisit onagrum liberum in solitudinem, & vincula eius quis solvit?*) Subaudis, nisi ego. Onager enim qui in solitudine commoratur, non incongruè vitam eorum significat, qui remoti à turbis secularibus conuersantur. Qui aptè etiam liber dicitur: quia magna est seruitus secularium negotiorum, quibus mens vehementer atteritur, quanuis in eis sponte desudet. Cuius seruitutis conditione carere, est in mundo iam nil concupiscere. Quasi enim quodam iugo seruitutis premũt prospera dum appetuntur, premunt aduersa dum formidantur. At si quis semel à dominatione desideriorum temporalium colla mentis excusserit: quadam iam etiam in hac vita libertate perfruitur, dum nullo desiderio fœlicitatis afficitur, nullo aduersitatis terrore coarctatur. Hoc graue seruitutis iugum, Dominus vidit seculariũ ceruicibus impressum, cùm diceret: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meũ super vos, & discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Asperum quippe iugũ & durę, sicut diximus, seruitutis põdus est, subesse tẽporalibus, ambire terrena, retinere labẽtia, velle stare in non stantibus, appetere quidẽ transeuntia, sed cum transeũtibus nolle trãsire. Dum enim cõtra votũ cuncta fugiunt, quæ prius mentem ex desiderio adeptionis afflixerant, pòst ex pauore amissionis premunt. Liber ergo dimittitur, qui calcatis

23.

Matth.11.

terrenis desideriis, ab appetitione rerum temporalium securi-
Quomodo tate mentis exoneratur: *Et vincula eius quis soluit?*) Subaudis,
vincula v- nisi ego. Soluuntur verò vniuscuiusque vincula, dum diuino
niuscuius- adiutorio interna desideriorum carnalium retinacula dirum-
que soluan- puntur. Cùm enim pia intentio ad conuersionem vocat, sed
tur. adhuc ab hac intentione carnis infirmitas reuocat, quasi qui-
busdam vinculis anima ligata præpeditur. Multos enim sæpe
videmus vitam quidem sanctæ conuersationis appetere: sed
ne hanc assequi valeant, modò irruentes casus, modò futura
aduersa formidare. Qui in certa mala dum quasi cauti prospi-
ciunt, in peccatorum suorū vinculis incauti retinentur. Mul-
ta enim ante oculos ponunt, quæ si eis in conuersatione eue-
Prouerb.15. niant, subsistere se non posse formidant. De quibus bene Sa-
lomon ait: Iter pigrorum, quasi sepes spinarum. Nam cùm
viam Dei appetunt, eos velut spinæ obstantium sepium, sic
formidinum suarum oppositæ suspiciones pungunt. Quod
quia electos præpedire non solet, bene illic secutus adiungit:
Ibidem. Via iustorum absque offendiculo. Iusti quippe in conuersa-
tione sua quodlibet eis aduersitatis obuiauerit, non impin-
gunt: quia temporalis aduersitatis obstacula, æternæ spei &
Solutio vin- internæ contemplationis saltu transcendunt. Soluit itaque
culorum. Deus onagri vincula, quando ab electi vniuscuiusq; animo,
infirmarum cogitationum nodos rumpit, & propitius dissi-
pat omne quod illectam mentem ligabat. Sequitur: *Cui dedi
in solitudine domum, & tabernacula eius in terra salsuginis.*) Hoc
loco pro solitudine corporis debemus intelligere solitudinē
cordis. Quid enim prodest solitudo corporis, si solitudo de-
fuerit cordis? Qui enim corpore remotus viuit, sed tumulti-
bus conuersationis humanæ, terrenorum desideriorum cogi-
tationibus se inserit, non est in solitudine. Si verò prematur
aliquis corporaliter popularibus turbis, & tamen nullos cura-
rum secularium tumultus in corde patiatur, non est in vrbe.
Itaque bene conuersantibus primùm solitudo mentis tribui-
tur, vt exurgentem intrinsecus strepitum terrenorum deside-
riorum premant: vt ebullientes ab infimis curas cordis per su-
perni gratiam restringant amoris, omnésque motus importu-
nè se offerentium leuium cogitationum, quasi quasdam cir-
cumuolantes muscas ab oculis mentis abigant manu grauita-
tis, & quoddam sibi cum Domino intra se secretum quærant,
vbi cum illo exteriori cessante strepitu, per interna desideria
24 silenter loquantur. De hoc secreto cordis, aliàs dictum est:
Abac.3. Factum est silentium in cœlo, quasi dimidia hora. Cœlum
quippe Ecclesia vocatur electorum, quæ ad æterna sublimia
dum per subleuationem contemplationis intendit, surgentes
ab infimis cogitationum tumultus premit, atque intra se Deo
quoddam silentium facit. Quod quidem silentium contem-
plationis, quia in hac vita non potest esse perfectum, factum
dimidia hora dicitur. Nolenti quippe animo dum cogitatio-
num tumultuosi se strepitus ingerunt, etiam sublimibus in-
tendentem, rursum ad respiciēda terrena cordis oculum vio-
Sapien. 9. lenter trahunt. Vnde scriptum est: Corpus quod corrumpi-
tur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sen-
sum multa cogitantem. Bene ergo factum hoc silentium non
integra, sed dimidia hora describitur: quia hîc contemplatio
nequaquam perficitur, quanuis ardenter inchoetur. Quod
Ezech. 40. etiam per Ezechiele Prophetam congruenter exprimitur, qui
pro mensura ciuitatis in monte cōditæ, in manu viri calamum
sex cubitorum & palmi, se vidisse testatur. In monte quippe
electorum Ecclesia sita est, quia fundata in infimis desideriis
non est. Quid autem per cubitum nisi operatio, quid per se-
narium numerum nisi perfectio operationis ostenditur: quia
& sexto die cuncta opera Dominus explesse memoratur?
Quid ergo super sex cubitos palmus insinuat, nisi cōtempla-
tionis vim, quæ iam initia æternæ & septimæ quietis demon-
strat? Quia enim æternorum contemplatio hîc minimè per-
ficitur, mensura septimi cubiti non expletur. Electorum ita-
que Ecclesia, quia cuncta quæ operanda sunt, perficit, in sex
cubitis sese in monte posita ciuitas ostendit. Quia verò hîc
adhuc sola initia contemplationis inspicit, de septimo cubito,
non nisi palmum tangit. Sciendum verò est, quia nequaquam
culmen contemplationis attingimus, si non ab exterioris cu-
ræ oppressione cessemus. Nequaquā nosmetipsos intuemur,
vt sciamus aliud in nobis esse rationale quod regit, aliud ani-
E male quod regitur, nisi ad secretum huius silentij recurrentes,
ab omni exterius perturbatione sopiamur. Quod silentium *Gene.2.*
nostrum bene etiam Adam dormiēs figurauit, de cuius mox
latere mulier processit: quia quisquis ad interiora intelligen-
da rapitur, à rebus visibilibus oculos claudit: & tunc in semet-
ipso, vel quæ præesse viriliter debeant, vel quæ subesse pos-
sint, infirma distinguit: vt aliud in illo sit quod regere valeat
tanquam vir, aliud tanquam fœmina quod regatur. In hoc ita-
que silentio cordis, dum per cōtemplationem interius vigila-
mus, exterius quasi obdormiscimus. Quia ergo remoti viri,
id est, à desideriis carnalibus alieni, hoc silentium mentis in-
habitant, huic onagro Dominus in solitudine domum dedit,
vt turba desideriorum temporalium non prematur. Sequitur:
Et tabernacula eius in terra salsuginis.) Salsugo accendere sitim 25
solet. Et quia sancti viri quandiu in huius vitæ tabernaculis
degunt, ad supernam patriam desideriis suis quotidianis æsti-
bus accenduntur, in terra salsuginis tabernacula habere perhi-
bentur. Incessanter quippe accenduntur vt sitiant, sitiunt vt *Matth.5.*
F satientur: sicut scriptum est: Beati qui esuriunt & sitiunt iu-
stitiam, quoniam saturabuntur. Sequitur: *Contemnit multitudi-
nem ciuitatis.*) Multitudinem ciuitatis contemnere, est huma-
næ conuersationis praua studia deuitare, vt iam non libeat ter-
renorum hominum qui præ abundātia iniquitatis multi sunt,
perditos mores imitari. Cum paucis nanq; ingredi angustam
portam desiderant: & non cum multis lata itinera ingredi ap-
petunt, quæ ad interitum ducunt. Solerter quippe à quo & ad
quid sunt creati, conspiciunt: & recta consideratione accep-
tæ imaginis, sequi vulgi multitudinem dedignantur. Vnde &
sponsi voce sponsæ in Canticis canticorum dicitur: Nisi co- *Canti.1.*
gnoueris te, ô pulchra inter mulieres, egredere & abi post ve-
stigia gregum, & pasce hædos tuos. Semetipsam nanque ea
quæ est pulchra inter mulieres cognoscit, quando electa quæ-
que anima etiam inter peccantes posita: quia ad authoris sui
imaginem ac similitudinem sit condita meminit, & iuxta per-
ceptæ similitudinis ordinem incedit. Quæ si se non cognoscit,
G egreditur: quia à secreto sui cordis expulsa, in exterioribus
concupiscentiis dissipatur. Egressa verò abit post vestigia
gregum, qui sua interna deserens, ad latam videlicet viam du-
citur, & sequitur exempla populorum. Nec iam agnos, sed hæ-
dos pascit: quia non innoxias cogitationes mentis, sed nutrire
prauos motus carnis intendit. Quia ergo electus quisque ac
continens abire post gregum vestigia despicit, dicatur rectè:
Contemnit multitudinem ciuitatis. Vbi & aptè subiungitur:

Quòd viri abstinentes ventris garritus non audiunt, sed gulæ flammam, quæ si nutriatur, omnem virtutum messem exurit, studiosè restringunt: scientes quòd Nabuchodonosor vincente, princeps cocorum Hierusalem muros destruxerit.

Caput XIII.

CLamorem exactoris non audit.) Quis intelligi exactor alius *Exactor est*
nisi diabolus potest, qui semel in paradiso homini malæ *diabolus.*
persuasionis nummum cōtulit, & quotidie ab eo huius debiti
exigere reatum quærit? Huius exactoris sermo est malæ sug-
gestionis inchoatio. Huius exactoris clamor est iam nō leuis
H sed violenta tentatio. Hic exactor loquitur cùm leniter sug-
gerit. Hic exactor clamat, cùm fortiter tentat. Clamorem er-
go exactoris non audire, est violentis tentationum motibus
minimè consentire. Audiret enim si ea quæ suggerit, faceret.
Sed cùm peruersè agere despicit, rectè dicitur: *Clamorem exa-
ctoris non audit.* Nonnulli verò hoc loco per exactorem in- 26
telligi ventrem volunt. Ipse nanque à nobis quoddam debi-
tum exigit: quia quotidianum fructum sibi humani laboris
impendi etiam per naturam quærit. Abstinentes igitur viri
(qui hoc loco onagri vocabulo figurantur) dum violenta gu-
læ desideria reprimunt, quasi clamantis exactoris verba con-
temnunt. Sed cùm continenti viro cōtra innumera vitia mul-
ta virtutum certamina suppetant, cur sub exactoris clamore
cōtempto, de solo hîc ventre dicitur quòd eius impetum im-
pulsúmque restringat, nisi quòd nullus palmam spiritualis cer-
taminis apprehendit, qui non in semetipso prius per afflictam
ventris concupiscentiam, carnis incentiua deuicerit? Neque
enim ad conflictum spiritalis agonis assurgitur, si non prius
intra nosmetipsos hostis positus, gulæ videlicet appetitus edo-
matur: quia si non ea quæ nobis sunt viciniora prosternimus,
nimirum

nimirum inaniter ad ea quæ longius sunt impugnanda transi-
mus. Incassum nanque contra exteriores inimicos in campo A
bellum geritur, si intra ipsa vrbis mœnia ciuis insidians habe-
tur. Mens quoque ipsa certantis sub graui confusionis dede-
core à spiritalis certaminis congresione repellitur, quando
infirma in carnis prælio, gulę gladiis confossa superatur. Nam
cùm se paruis prosterni conspicit, confligere maioribus eru-
bescit. Nonnulli verò ordinem certaminis ignorātes, edoma-
re gulam negligunt, & iam ad spiritalia bella consurgunt. Qui
aliquando multa etiam quæ magnæ sunt fortitudinis, faciunt:
sed dominante gulæ vitio, per carnis illecebram omne quod
fortiter egerint peragunt: & dum venter nō restringitur, per
carnis concupiscentiam simul cunctæ virtutes obruuntur.
Vnde & Nabuchodonosor vincēte scribitur: Prīceps cocorū
destruxit muros Hierusalem. Quid enim per muros Hierusa-
lem significans scriptura exprimit, nisi virtutes animæ, quæ ad
pacis visionem tendit? Aut quis cocorum princeps nisi ven-
ter accipitur, cui diligentissima à coquentibus cura seruitur?
Muros igitur Hierusalem princeps cocorum destruit: quia B
1.Cor.9. virtutes animæ dum non restringitur venter, perdit. Hinc est
quòd Paulus contra Hierusalem mœnia decertanti vires co-
eorum principi subtrahebat, cùm diceret: Castigo corpus
meum, & seruituti subiicio: ne fortè aliis prædicās, ipse repro-
Ibidem. bus efficiar. Hinc etiam præmisit dicens: Sic curro, non quasi
in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans. Quia cum
carnem restringimus, ipsis abstinentiæ nostræ ictibus non aë-
rem, sed immundos spiritus verberamus: & cùm hoc quòd
est intra nos subiicimus, extrà positis aduersariis pugnas da-
Danie.3. mus. Hinc est quòd cùm rex Babylonis succendi fornacem
iubet, naphthæ, stuppæ, picis & malleoli ministrari congeriē
præcepit: sed tamen abstinētes pueros hoc igne minimè con-
sumit: quia antiquus hostis licèt innumeras ciborum concu-
piscentias nostris obtutibus opponat, quibus libidinis ignis
crescat, bonis tamen mentibus superni spiritus gratia insibilat:
vt à carnalis concupiscentiæ æstibus illæsæ perdurent: vt etsi
vsque ad tentationem cordis flamma ardeat, vsque ad con-
27. sensum tamen tentatio non exurat. Sciendum præterea est C
de consec. quia quinque nos modis gulæ vitium tentat. Aliquando nan-
dist.5. Quin- que indigentiæ tempora præuenit: aliquando verò tempus
que. non præuenit, sed cibos lautiores quærit: aliquando quælibet
sumenda sint præparari accuratius expetit: aliquando autem
† al. & qua- † & qualitati ciborum & tempori congruit: sed in ipsa quan-
litas cibo- titate sumendi mensuram moderatæ refectionis excedit.
rum & tem- Nōnunquam verò & abiectius est quod desiderat: & tamen
pus cōgruit. ipso æstu immensi desiderij deterius peccat. Mortis quippe
1.Reg.14. sententiam patris ore Ionathas meruit: quia in gustu mellis
Nume.11. constitutum edendi tempus antecessit. Et ex Aegypto popu-
lus eductus, in eremo occubuit: quia despecto manna, cibos
carnium petiit, quos lautiores putauit. Et prima filiorum Heli
culpa suborta est, quòd ex eorum voto sacerdotis puer non
1.Reg.2. antiquo more coctas vellet de sacrificio carnes accipere, sed
Ezech.16. crudas quæreret, quas accuratius exhiberet. Et cùm ad Hie-
rusalem dicitur: Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, su-
perbia, saturitas panis, & abundantia: apertè ostenditur quòd D
idcirco salutem perdidit: quia cum superbiæ vitio mensuram
moderatæ refectionis excessit. Et primogenitorum gloriam
Esau amisit: quia magno æstu desiderij vilem cibum, scilicet
lenticulam concupiuit: quam dum vendēdis etiam primoge-
Prosper lib. nitis prætulit, quo in illam appetitu anhelaret indicauit. Ne-
2. de vita cō- que enim cibus, sed appetitus in vitio est. Vnde & lautiores
temp. cap. cibos plerunque sine culpa sumimus, & abiectiores non sine
22. reatu conscientiæ degustamus. Hic quippe quem diximus,
Esau, primatum per lenticulam perdidit: & Helias in eremo
per virtutem spiritus carnes edendo seruauit. Vnde & anti-
quus hostis quia non cibum, sed cibi concupiscentiā esse cau-
sam damnationis intelligit: & primum sibi hominē non carne
sed pomo subdidit, & secundum non carne, sed pane tentauit.
Gene.3. Hinc est quòd plerunque Adam culpa committitur, etiam cū
Matth.4. abiecta & vilia sumuntur. Neque enim Adam solus vt à vetito
se pomo suspenderet, præceptum prohibitionis accepit. Nam
cùm alimenta quædam saluti nostræ Deus contraria indicat:
ab his nos quasi per sententiam vetat. Et dum concupiscen-
tes noxia attingimus: profectò quid aliud quàm vetita degu-
stamus? Ea itaque sumenda sunt, quæ naturæ necessitas quæ-
rit, & non quæ edendi libido suggerit.

Quòd summa discretione moderandum sit, vt non carnem quis, sed vitia carnis occidat: & sic parcat ciui, vt eum hostem non nutriat.

Caput XIIII.

SEd magnus discretionis labor est huic exactori & aliquid
impendere, & aliquid denegare: & non dando gulam re-
stringere, & dando naturam nutrire. Quæ fortasse discretio
subinfertur, cùm dicitur: *Clamorem exactoris non audit.*) Sermo
nanque huius exactoris est necessaria postulatio naturę. Cla-
mor verò eius, est mensuram necessitatis transiens appetitus
gulæ. Hic itaque onager exactoris huius sermonem audit,
clamorem non audit: quia discretus vir ac continens & vsque
ad temperandam necessitatem ventrem reficit, & à voluptate
restringit. Sciendum verò est quia sic voluptas sub neces- 28.
sitate se palliat, vt vix eam perfectus quisque discernat. Nam *Voluptatis*
dum solui debitum necessitas petit, voluptas explere deside- *sub necessi-*
rium suppetit: & tantò gula securius in præceps rapit, quantò *tatis specie*
sub honesto nomine necessitatis explendæ se contegit. Sæpe *palliatio.*
autem in ipsa edendi via furtiuè adiuncta voluptas subsequi-
tur: nonnunquam verò impudenter libera etiam præire cona-
tur. Facile autem est deprehendere cùm voluptas eius neces-
sitatem præuenit: sed valde est difficile discernere, cùm in ipso
esu necessario se occulta subiungit. Nam quia præeuntem na-
turæ appetitum sequitur, quasi à tergo veniens tardius vide-
tur. Eo enim tempore quo necessitati debitum soluitur, quia
per esum voluptas necessitati miscetur, quid necessitas petat,
& quid, sicut dictum est, voluptas suppetat, ignoratur. Sæpe
verò & discernimus: & quia vtranque per experientiam sibi
coniunctā nouimus, in hoc quod extra metas rapimur, * libe- ** al. libet vt*
rè reficiendo fallimur: & dum sibi mens ex necessitate blan- *sciendo fal-*
ditur, ex volūtate decipitur. Scriptum quippe est: Carnis cu- *lamur.*
ram ne feceritis in desideriis. Quæ igitur fieri in desiderio *Roma.13*
prohibetur, in necessitate conceditur. Sed sæpe dum incautè
necessitati condescendimus, desideriis deseruimus. Nonnun- *Ars conti-*
quam verò dum desideriis immoderatius obuiare nitimur, *nentiæ quo-*
necessitatis miserias augemus. Sic enim necesse est vt artem *modo tenen-*
quisque continentiæ teneat quatenus non carnem, sed vitia *da.*
carnis occidat. Nam plerunque dum plus iusto caro restrin-
gitur, etiam ab exercitatione boni operis eneruatur: vt ad ora-
tionem quoque vel prædicationem non sufficiat, dum incen-
tiua vitiorum in se funditùs suffocare festinat. Adiutorē quip-
pe habemus intentionis internæ, hunc hominem quem exte-
rius gestamus: & ipsi insunt motus lasciuiæ, ipsi effectus sup-
petunt operationis bonæ. Sæpe verò dum in illo hostem inse-
quimur, etiam ciuē quem diligimus trucidamus: & sæpe dum
quasi conciui parcimus, ad prelium hostem nutrimus. Eisdem
nanque alimentis vitia superbiunt, quibus nutritæ virtutes vi-
uunt. Et cùm virtus alitur, plerūque vires vitiis augētur. Cùm
verò immensa continentia vitiorum vires extenuat, etiā vir-
tus deficiens anhelat. Vnde necesse est vt interior homo no- *Doctrina.*
ster æquus quidā arbiter præsideat inter se & eum quem ex-
terius gestat: quatenus ei homo suus exterior & semper ad de-
bitum ministerium seruire sufficiat, & nūquam superbè libera
ceruice contradicat: nec moueat si quid suggerendo submur-
murat, dum modò eum semper superposita calce dominatio-
nis premat. Sicque fit vt dum repressa vitia reniti quidem no-
bis patimur: & tamen hæc nobiscum congredi ex æquo pro-
hibemus, nec vitia contra virtutē præualeant, nec rursum vir-
tus cum vitiorum omnimoda extinctione succumbat. Qua
in re sola elatio funditùs extinguitur: quia quanuis victoriæ
seruiat, ad edomandam tamen cogitationum superbiam con-
tinua nobis pugna seruatur. Vnde bene hîc quia vnusquisque
vir continens, & debitæ necessitati congruit, & violentæ vo-
luptati contradicit, voce dominica dicitur: *Clamorem exactoris
non audit.*) Quia autem discretus vir eo ad intelligenda supe-
riora se eleuat, quo in se carnis incentiua castigat: rectè post
contemptum exactoris clamorem subditur:

Quòd viri sancti incentiuis carnis ieiuniorum virtute extinctis cœlesti dulcedine pascantur.

Caput XV.

CIrcumspicit montes pascuæ suæ,) Montes pascuæ sunt altæ
contemplationes internæ refectionis. Sancti enim viri

quantò magis se exterius despiciẽdo deiiciunt, tantò amplius interius reuelationum contemplatione pascũtur. Vnde scriptum est: Ascensus in corde eius disposuit in conualle lachrymarum: quia quos exterius in fletu continet conuallis humilitatis, eos interius subleuat ascensus contemplationis. *Psalm.83.*

89 Montes etiam pascuæ sunt sublimes virtutes Angelorum: Quæ idcirco hîc nos ministrãdo & adiuuando reficiunt: quia illic interno cõtemplationis rore pinguescunt. Quæ quia largiente Deo in omni nos certamine protegunt, rectè circunspici dicuntur. Vndique enim nobis adesse circunspicimus, quorum defensione contra aduersarios ex omni latere munimur. Possunt adhuc montes pascuæ accipi altæ sentẽtię scripturæ sacræ, de quibus per Psalmistam dicitur: Montes excelsi ceruis: quia hi qui iam dare contemplationis saltus nouerunt, altos sententiarum diuinarum vertices quasi cacumina montium ascendunt: ad quæ profectò cacumina, quia infirmi peruenire non valent, rectè illic subditur: Petra refugium erinaciis: quia videlicet inualidos non sublimiter intelligẽtia exercet, sed sola in Christo fides humiliter continet. Sequitur: *Virentia quæque perquirit.* Arentia quippe sunt omnia quæ temporaliter condita, venturo fine à iucunditate vitæ præsentis quasi æstiuo sole siccantur. Virentia autem sunt vocata, quæ nulla temporalitate marcescunt. Huic ergo onagro virentia perquirere, est sancto vnicuique viro despectis rebus transitoriis, in æternum mansura desiderare. Cuncta verò hæc quæ de onagro dicta sunt, intelligi etiam & aliter possunt. Quæ repetito superiori versu exponimus, vt lectoris iudicio quod eligẽdum crediderit, relinquamus. Igitur postquam prædicatorum dispensatio sub ceruarum prætextu descripta est, vt ostenderetur per quem hæc eadem virtus prædicationis datur, ilico commemoratio de dominica incarnatione subnectitur, vt dicatur: *Quis dimisit onagrum liberum?*) Nec indignum quis iudicet per tale animal incarnatum Dominum posse figurari: dum constat omnibus quia per significationem quandam in scriptura sacra & vermis & scarabæus ponatur: sicut scriptum est: Ego autem sum vermis, & non homo. Et sicut apud septuaginta interpretes per Prophetam dicitur: Scarabæus de ligno clamauit. Cum ergo nominatis rebus tam abiectis & vilibus figuratur: quid de illo contumeliosè dicitur, de quo cõstat quòd propriè nihil dicatur? Vocatur etenim agnus, sed propter innocentiam. Vocatur leo, sed propter potentiam. Aliquando etiam serpenti comparatur, sed propter sapientiam. Atque ideo per hæc omnia dici figuraliter potest, quia de his omnibus credi aliquid essentialiter non potest. Si enim vnum horum quodlibet essentialiter existeret, alterum iam dici non posset. Nam si agnus propriè diceretur, leo iam vocari non poterat: Si leo propriè diceretur, per serpentem signari non posset. Sed hæc in illo omnia dicimus tantò latius in figura, quantò longius ab essentia. Potest ergo onager incarnatum Dominum designare. Agreste quippe animal est onager. Et quia incarnatus Dominus gentilitati magis quàm Iudææ profuit animale corpus assumens, quasi non in domũ, sed potius in agrum venit. De quo agro gentilitatis per Psalmistam dicitur: Species agri mecum est. Incarnatus itaque Dominus qui in forma Dei æqualis est patri, in forma serui minor est patre, qua minor est etiam seipso. Dicatur ergo à patre de filio secundum formam serui: Quis dimisit onagrum liberum & vincula eius quis soluit? Omnis quippe qui peccat, seruus est peccati. Et quia incarnatus Dominus particeps nostræ factus est naturæ, non culpæ, liber dimissus dicitur, quia sub peccati dominio non tenetur. De quo aliàs scriptum est: Inter mortuos liber. Dimissus dicitur, quia naturam nostram suscipiens, iniquitatis iugo nullo modo tenetur. Quem quamuis macula culpæ nostræ non attigit, passio tamen nostræ mortalitatis astrinxit. Vnde & postquam liber dimissus dicitur, rectè de illo adiungitur: *Et vincula eius quis soluit?*) Vincula quippe eius tunc soluta sunt, cùm infirmitates passionis illius in resurrectionis sunt gloriam commutatę. Quasi quædam vincula Dominus habuit ea, quæ nos nequitiæ merito patimur, nostræ mortalitatis infirma, quibus & vsque ad mortem sponte ligari se voluit, & quæ per resurrectionem mirabiliter soluit. Esurire enim, sitire, lassescere, teneri, flagellari, crucifigi, nostræ mortalitatis vinculum fuit. *Psalm.103.* *Psalm.21.* *Psalm. 49.* *Psalm.87.*

30

E Sed cùm expleta morte velum templi rumperetur, scinderentur petræ, monumenta panderentur, inferni claustra patescerent: quid aliud tot argumentis tantæ virtutis ostẽditur, nisi quòd illa infirmitatis vincula soluebantur, vt is qui ad suscipiendam serui formam venerat, in ipsa serui forma ab inferni vinculis absolutus, ad cœlum etiam cum membris liber rediret? De quibus eius vinculis Petrus Apostolus attestatur, dicens: Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat illum teneri ab eo. Et quia post mortem suam atque resurrectionem ad gratiam fidei gentilitatem vocare dignatus est, postquam dicta sunt soluta eius vincula, aptè subiungitur: *Cui dedi in solutione domum, & tabernacula eius in terra salsuginis.*) In gentilitate enim in qua patriarcha non fuit, propheta non fuit: quia ad intelligendum Deum qui ratione vteretur non fuit, homo penè non fuit. De hac solitudine per Esaiam dicitur: Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Et rursum de Ecclesia dicitur: Ponet desertum eius quasi delicias, & solitudinem eius quasi hortum Domini. Terra verò salsuginis hæc eadem solitudo repetita est, quæ priusquam veram Dei sapientiam cognosceret, salsuginem protulerat: quia nullam viriditatem boni intellectus proferens, pertersa sapiebat. Domum ergo in solitudine & tabernaculum in terra salsuginis accepit: quia incarnatus pro hominibus Deus, derelicta Iudæa gentilitatis corda possedit. Vnde ei patris voce per Prophetam dicitur: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Qui iuxta hoc quod Deus est, cum patre dat omnia: iuxta hoc verò quòd homo est, à patre accipit omnia, sicut scriptum est: Potestatem dedit ei & iudicium facere, quia filius hominis est. Et rursum scriptum est: Sciens quia omnia dedit ei pater in manus. Vel sicut ipse dicit: Omne quod dat mihi pater, ad me veniet. Iam verò si quæritur quid inter domum ac tabernaculum distet, domus in habitatione est, tabernaculum in itinere. Corda itaq; gentilium quasi quædam tabernacula habuit veniendo, sed ea per iustitiam firmans, domum fecit habitando. Et quia eorum vitam ad quos venerat, imitari despexerit, rectè dicitur: *Contemnit multitudinem ciuitatis.*) Id est mores despicit humanæ conuersationis. Homo quippe inter homines factus, vsum tenere hominum noluit. Idcirco nanque inter nos homo factus est: vt non solùm nos sanguine fuso redimeret, sed etiam ostenso exemplo commutaret. In conuersatione igitur nostra & veniendo alia inuenit, & viuendo alia docuit. Studebant enim omnes superba Adam stirpe primogeniti prospera vitæ præsentis appetere, aduersa deuitare, opprobria fugere, gloriam sequi. Venit inter eos Dominus incarnatus aduersa appetens, prospera spernens, opprobria amplectens, gloriam fugiens. Nam cùm Iudæi illum regem sibi constituere voluissent, fieri rex refugit. Cùm verò eum interficere molirentur, sponte ad crucis patibulum venit. Fugit ergo quod omnes appetunt, appetiit quod omnes fugiunt. Sed cum fugit quod omnes appetunt, appetiit quod omnes fugiunt, fecit quod omnes mirarentur: vt & mortuus ipse resurgeret, & morte sua alios de morte resuscitaret. Duæ quippe vitæ sunt hominis in corpore consistentis, vna ante mortem, alia post resurrectionem, quarum vnam omnes agendo nouerant, alteram nesciebant, & humanum genus soli, huic quam nouerat intendebat. Venit per carnem Dominus, & dum suscepit vnam, alteram demonstrauit. Dum hanc nobis cognitam suscepit, illam quæ nobis est incognita, ostẽdit. Moriendo quippe vitam exercuit quam tenemus, resurgendo aperuit quam quæramus: exemplo suo nos docens, quòd hæc vita quam ante mortem ducimus, non propter se amanda sit, sed propter alteram toleranda. Quia ergo noua conuersatione vsus inter homines, mores Babyloniæ secutus non est, bene de eo scriptum est: *Contemnit multitudinem ciuitatis.* Vel certè quòd multos per spatiosam viam vagantes deseruit, & per angustam gradientes paucos elegit. Multitudinem nanque ciuitatis contemnere, est humani generis partem quæ latam viam ingreditur, quæ & pro abundantia iniquitatis multa est, à regni sui sorte reprobare. Sequitur: *Clamorem exactoris non audit.*) Sicut suprà dictum est, quis hoc loco exactor accipi, nisi diabolus potest? qui malè suadendo spem contulit immortalitatis, *1.Petri.3.* *Esaiæ.35.* *Esaiæ.51.* *Psalm.2.* *Ioan.5.* *Ioan.13.* *Ioan.6.* 31

mortalitatis, sed decipiendo exigit tributum mortis, qui suadendo intulit culpam, sæuiendo exigit pœnam. Huius exactoris sermo, est ante mortem hominis astuta persuasio. Clamor verò eius, est violenta iam rapina post mortem. Quos enim ante mortem latenter intercipit, hos ad supplicij sui cõsortium post mortem violenter rapit. Sed quia ad mortem veniens Dominus huius exactoris violentos impetus non non expauit, sicut ipse ait: Venit enim princeps huius mundi, & in me non habet quicquam, bene dicitur: *Clamorem exactoris non audit.*) Venit quippe ad eum exactor humani generis, quia illum hominem vidit. Sed quem infirmitate despectum hominem credidit, virtute supra hominem sensit.

Quid sit quòd Laban idola apud Iacob posita non reperit.

Caput XVI.

Gene.32. HVius nimirum exactoris typum Laban tenuit qtando cum furore veniens, sua apud Iacob idola requisiuit. Laban quippe interpretatur dealbatio. Dealbatio autem nõ inconuenienter diabolus accipitur, qui cùm sit tenebrosus ex merito, transfigurat se velut angelum lucis. Huic seruiuit Iacob, id est, ex parte reproborum Iudaicus populus, cuius ex carne incarnatus Dominus venit. Potest etiam per Laban mundus hic exprimi, qui cum furore Iacob persequitur, quia electos quosque qui redemptoris nostri membra sunt, persequendo opprimere conatur. Huius filiam, id est, siue mundi, siue diaboli Iacob abstulit, cùm sibi Christus Ecclesiam ex gentilitate coniunxit. Quam & de domo patris abstrahit, quia ei per Prophetam dicit: Obliuiscere populum tuum, & patris tui. Quid verò in idolis, nisi auaritia designatur? Vnde per Paulum dicitur: Et auarita, quæ est idolorum seruitus. Laban ergo veniens apud Iacob idola non inuenit: quia ostensis mundi thesauris, diabolus in redemptore nostro vestigia concupiscentiæ terrenæ non reperit. Sed quæ Iacob non habuit, ea Rachel sedendo cooperuit. Per Rachel quippe quæ & ouis dicitur, Ecclesia figuratur. Sedere autem est humilitatem pœnitentiæ appetere, sicut scriptũ est: Surgite postquam sederitis. Rachel ergo idola sedendo operuit: quia sancta Ecclesia Christum sequens, terrenæ concupiscentiæ vitia pœnitendo texit. De hac coopertione vitiorum per Psalmistam dicitur: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorũ tecta sũt peccata. Nos igitur Rachel illa signauit, qui idola sedendo premimus, si culpas auaritiæ pœnitendo damnamus. Quæ vtique auaritia illis non solet euenire qui in via Domini viriliter currunt, quibus dicitur: Viriliter agite, & confortetur cor vestrum. Sed his maximè qui quasi effœminato gressu gradientes, per blandimenta seculi resoluuntur. Vnde & illic eiusdem Rachelis hæc verba sunt: Iuxta consuetudinem fœminarum nunc accidit mihi. Apud Iacob ergo idola Laban non reperit: quia exactor callidus quid in redemptore nostro reprehenderet non inuenit. De quo exactore redemptori nostro gentilitatem ab eius dominio liberanti per Prophetam dicitur: Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian. Eripiens quippe gentilitatem Dominus superauit iugum oneris eius cùm eam aduentu suo ab illa dæmoniacæ tyrannidis seruitute liberauit. Superauit virgam humeri eius, cùm percussionem illius quæ ex peruerso opere grauiter deprimebat, ab humano genere redemptor compescuit. Superauit sceptrum exactoris eius, cùm regnum eiusdem diaboli qui pro pestifera perpetratione vitiorum exigere consueuerat debita tributa pœnarum, de fidelium corde destruxit: *Psalm. 44.* *Colo.3.* *Psalm.126.* *Psalm.31.* *Psalm.30.* *Gene.33.* *Esaia 9.*

Quid sit quòd Gedeon contra Madian dimicaturus, per præceptum Domini quoscunque flexis genibus ad bibendum aquas haurire conspexit, repulit à conflictu: eos verò qui stantes manibus aquas quasi canes lambebant, tubis & lampadibus, & lagenis armauit.

Caput XVII.

32. SEd quomodo hæc acta sunt audiamus. Subiunctum est: ilico: Sicut in die Madian. Non ab re arbitror si hoc Madianitarum bellum quod in comparatione aduentus dominici à propheta vigilãter illatũ est, aliquanto latius disseramus. In libro quippe Iudicum, Gedeõ contra Madianitas dimicasse describitur. Is cùm exercitus multitudinem ad bella produceret, diuina illi admonitione præceptum est, vt ad fluuium veniens, omnes quos flexis genibus aquas haurire conspiceret, à bellorum conflictu remoueret. Actúmque est, vt trecẽti viri tantummodo qui stantes manibus aquas hauserant, remanerent. Cum his ad prælium pergit, eósque non armis, sed tubis, lampadibus & lagænis armauit. Nam sicut illic scriptum est: Accensas lampades miserunt intra lagunculas: & tubas in dextra, lagænas autem in sinistra tenuerunt, & ad hostes suos cominus venientes cecinerunt tubis, confregerunt lagunculas, lampades aperuerunt: & hinc tubarum sonitu, illinc lampadum coruscatione territi hostes sunt in fugam conuersi. Quid hoc est quòd tale bellum per Prophetam ad medium adducitur, & aduentui redemptoris nostri istius pugnę victoria comparatur? An indicare Propheta nobis studuit, quòd aduentum redemptoris nostri contra diabolum illa sub Gedeon duce pugnę victoria designauit? Talia illic nimirum acta sunt: quæ quantò magis vsum pugnandi transeant, tantò amplius à prophetandi mysterio non recedunt. Quis enim vnquam cum lagænis & lampadibus ad prælium venit? Quis cõtra arma veniens, arma deseruit? Ridicula nobis hæc profectò fuerant, si terribilia hostibus non fuissent. Sed victoria ipsa testante didicimus ne parua hæc quæ facta sunt, perpendamus. Gedeon itaque ad prælium veniẽs, redemptoris nostri signat aduentum: de quo scriptum est: Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis est iste gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Hic redemptorem nostrum, non solùm opere, sed etiam nomine prophetauit. Gedeon nanque interpretatur circumiens in vtero. Dominus enim noster per maiestatis potentiam omnia complectitur, & tamen per dispẽsationis gratiam intra vterum virginis humanitatem sumens venit. Quis est ergo circumiens in vtero nisi omnipotens Deus sua dispensatione nos redimens, diuininitate cuncta complectens, & humanitatem intra vterum sumens? in quo vtero & incarnatus est, & clausus non est: quia & intra vterum fuit per infirmitatis substantiam, & extra mundum per potentiam maiestatis. Madian verò interpretatur de iudicio. Vt enim hostes eius repellendi destruendíque essent non de vitio repellentis, sed de iudicio iustè iudicantis fuit. Et idcirco de iudicio vocantur: quia alieni à gratia redemptoris, iustæ damnationis meritum etiam in vocabulo nominis trahunt. Contra hos Gedeon cum trecentis pergit ad prælium. Solet in centenario numero plenitudo perfectionis intelligi. Quid ergo per ter ductum centenarium numerum designatur, nisi perfecta cognitio Trinitatis? Cum his quippe Dominus noster aduersarios fidei destruxit: eum his ad prædicationis bella descendit, qui possunt diuina cognoscere, qui sciunt de Trinitate (quæ Deus est) perfecta sentire. Notandum verò est quia iste trecentenarius numerus in Tau litera continetur, quæ crucis speciem tenet. Cui si super trãsuersam lineam in quod in cruce eminet, adderetur, non iam crucis species, sed ipsa crux esset. Quia ergo iste trecentorum numerus in Tau litera continetur: & Per Tau literam, sicut diximus, species crucis ostenditur, non immeritò in his trecentis Gedeonem sequentibus illi designati sunt, quibus dictum est: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui sequentes Dominum tantò verius crucem tollunt, quantò acrius & se edomãt: & erga proximos suos charitatis compassione cruciantur. Vnde & per Ezechielem prophetã dicitur: Signa Tau super frontes virorum gementium & dolentium. Vel certè in his trecentis qui in Tau litera cõtinentur, hoc exprimitur, quòd ferrum hostium crucis ligno superetur. Ductíque sunt ad fluuium, vt aquas biberent, & qui aquas flexis genibus hauserũt, à bellica intẽtione remoti sunt. Aquis nanque doctrina sapientiæ, stante autem genu recta operatio designatur. Qui ergo dum aquas bibunt, genu flexisse perhibentur, à bellorum certamine prohibiti recesserunt: quia cum illis Christus cõtra hostes fidei pergit ad prælium, qui cùm doctrinæ fluenta hauriunt, rectitudinem operum non inflectunt. Omnes quippe tunc bibisse aquam, sed non omnes recto genu stetisse narrati sunt. Reprobatíq; sunt, qui genua dũ *Iudi.7.* 33. *Differentia figurarum inter tau T & crucis †.* *Lucæ 9.* *Ezech.9.* *Rom.2.*

aquas biberent inflixerunt: quia attestane Apostolo, non auditores legis iusti sunt apud Deũ sed factores legis iustificabuntur. Quia enim, vt dixim⁹, dissolutio operũ in ipsa gen ũũ
Hebr.12. incuruatione signatur, rectè rursum per Paulum dicitur: Remissas manus & dissoluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris. Hi ergo Christo duce ad bellum procedunt, qui hoc quod ore annuntiant, opere ostendunt, qui fluenta doctrinæ spiritaliter hauriunt, nec tamen in prauis o-
Eccle.25. peribus inflectuntur carnaliter, quia sicut scriptum est: Non est speciosa laus in ore peccatoris. Itum ergo est ad prælium cum tubis, lampadibus, cum lagænis. Innusitatus iste, vt diximus, fuit ordo præliandi. Cecinerunt tubis, & sinistris lagænæ tenebantur, intra lagenas autem sunt missæ lampades, confractis verò lagænis lampades ostensæ sunt, quarum coruscante luce, hostes territi in fugam vertuntur. Designatur itaque in tubis clamor prædicantium, in lampadibus claritas miraculorum, in lagænis fragilitas corporum. Tales quippe secum dux noster ad prædicationis prælium duxit, qui despecta salute corporum, hostes suos moriendo prosterne-
F rent, eorũmque gladio non armis, non gladiis, sed patientia superarent. Armati enim venerunt sed duce suo ad prælium martyres nostri: sed tubis, sed lagenis, sed lampadibus. Qui sonuerunt tubis, dum prædicant: confregerunt lagænas, dum soluẽda in pasione sua corpora hostilibus gladiis supponũt: resplenduerunt lãpadibus, dum post solutionem corporum, miraculis coruscauerunt. Moxque hostes in fugam conuersi sunt: quia dum mortuorum martyrum corpora miraculis coruscare conspiciunt, luce veritatis fracti quod impugnauerunt crediderunt. Cecinerunt ergo tubis, vt lagenę frangerentur, lagenæ fractæ sunt, vt lampades apparerent, apparuerunt lampades, vt hostes in fugã verterentur: id est, prædicauerunt martyres, donec eorũ corpora in morte soluerentur, corpora eorum in morte soluta sunt, vt miraculis coruscarẽt, coruscauerunt miraculis, vt hostes suos ex diuina luce prosternerent: quatenus nequaquã Deo erecti resisterẽt, sed eum subditi formidarẽt. Et notandũ quòd steterunt hostes ante
G lagænas, fugerũt ante lãpades, quia nimirũ persecutores sanctæ Ecclesiæ fidei prædicatoribus adhuc in corpore positis restiterunt, post solutionem verò corporum apparentibus miraculis in fugam versi sunt, quia pauore conterriti, à perse-
34. cutione fidelium cessauerunt. Prædicatione scilicet tubarum fractis lagænis corporum, visis timuerunt lampadibus miraculorum. Intuendum est etiam id quod illic scriptum est: quia in dextera tubas, lagænas autem in sinistra tenuerunt. Pro dextero enim habere dicimur, quicquid pro magno pẽsamus: pro sinistro verò quod pro nihilo ducimus. Bene ergo illic scriptum est quòd in dextera tubas, lagænas autem in sinistra tenuerunt: quia Christi martyres pro magno habent prædicationis gratiam, corporum verò vtilitatem pro minimo. Quisquis enim plus facit vtilitatem corporis, quàm gratiam prædicationis, in sinistra tubam, atque in dextera lagenam tenet. Si enim priori loco gratia prædicationis atten-
Matth.5. ditur, & posteriori vtilitas corporis, certum est quia in dex-
H tris tubæ, & sinistris lagænæ teneantur. Hinc Dominus in Euangelio ait: Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum. In modio enim commodum temporale, in lucerna autem lux prædicationis accipitur. Lucernam ergo sub modio ponere, est propter temporale commodum, gratiam prædicationis abscondere, quod nemo vtique electorum facit. Et bene illic additur: Sed super candelabrum. In candelabro enim status corporis designa-
Esaiæ 9. tur, cui lucerna superponitur, dum eidem corpori cura prædicationis antefertur. Bene itaque per Prophetam dictum est: Sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian. Sed quia exponendi prophetici testimonij gratia longè digressi sumus, ad operis nostri ordinem reuertamur.

Quòd onager iste ad Christum referatur, qui vocem exactoris diaboli non audiuit, quia in illo nil malignus inuenit.

Caput XVIII.

IGitur postquam dictum est: *Clamorem exactoris non audit:*) quia videlicet antiqui hostis insidias Dominus in carne manifestatus despexit, quid etiam de electis suis fecerit, recte
E subiungit, dicens: *Circunspicit montes pascuæ suæ.*) Montes accipimus omnes elatos huius seculi, qui in corde suo altitudine terrena tumuerunt. Sed quia etiam tales Dominus Ecclesiæ suæ corpori conuersos inuiscerat, eosque à priori elatione commutans, in sua membra transformat, isti montes pascuæ
Ioan.4. eius sunt: quia nimirum de conuersione errantium, & de superborum humilitate satiatur, sicut ipse ait: Meus cibus est,
Ioan.6. vt faciam voluntatem eius qui me misit. Et sicut Apostolis ad prædicationem missis præcepit, dicens: Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. De his
Psalm.94. montibus per Prophetam dicitur: Non repellet Dominus plebem suam, quoniam in manu eius sunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipse conspicit. Altitudines enim mõtium, elationes sunt vtique superborum. Quas Dominus cõspicere dicitur, id est, ab iniquitate sua in melius commutare.
Matth.26. Conuertit nanque Dominus eum quem cõspicit. Vnde scriptum est: Conuersus Dominus respexit Petrum, & recordatus est Petrus verbi Domini sicut dixerat: Quia priusquã gal-
F lus cantet, ter me negabis: & egressus foras fleuit amarè. Et si-
Prouer.20. cut Salomon ait: Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo. De hoc respectu montium rursum per Prophetam dicitur: Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini: quia post peruersitatis suæ duritiam, diuina formidine liquefacti, ab illo prius rigido tumore subtracti sunt. Intuendum etiam quòd non ait inspicit, sed circunspicit montes pascuæ suæ. In Iudæa quippe incarnatus est Dominus, quæ posita in medio gentium fuit. Atque inde circunspicit montes: quia elatos huius seculi circunquaque positos ex gentilitatis vniuersitate collegit. In his itaque montibus pascitur: quia
Cant.1. bonis operibus conuersorum quasi herbis virentibus satiatur. Hinc est quòd ei sponsæ voce in Canticis canticorum dicitur: Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie. Pascitur quippe Dominus, cùm bonis nostris actibus delectatur. Cubat verò in meridie, cùm ex desideriis carnalibus ardenti corde reproborum, apud electorum suorum pectora refrige-
Lucæ 5. rium inuenit cogitationis bonæ. Mons enim quidam Mat-
G thæus fuerat, quando in telonij lucris tumebat: de quo & scriptum est: Quia postquam credidit, inuitato in domum suam Domino, conuiuiũ magnum fecit. Mons itaque iste huic onagro virentis pascuæ herbas protulit: quia & foris eum conuiuio, & intus epulis virtutum pauit. Quod adhuc plenissimè expletur, cùm subditur: *Virentia quæque perquirit.*) Arentia enim deserit, & virentia quæque perquirit. Arentia nanque corda sunt hominum, quæ in huius seculi spe peritura plantata, æternitatis fiduciam non habent. Virent autem quæ illi
1.Petri.1. hæreditati inhærent, de qua Petrus apostolus dicit: In hæ-
H reditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem. Tantò enim verius quique virentes sunt, quantò in hæreditatis immarcessibilis forte cogitationibus radicẽ figunt. Quisquis itaque intrinsecus arere formidat, arentia extrinsecus mundi huius desideria fugiat. Quisquis à Domino perquiri desiderat, æternam patriam appetens, in interna cordis plantatione viridescat. Hæc autem de onagro exposita sub duplici intellectu sufficiant. Lectoris verò iudicio relinquendum est, quid magis duxerit eligendum. Et si vtriusque expositionis intelligentiam fortasse despexerit, libenter ipse lectorem meum subtilius veriúsque sentientem velut magistrum discipulus sequar: quia mihi propriè donatum credo, quicquid illum me melius sentire cognosco. O- 35.
mnes enim qui fide pleni de Deo aliquid sonare nitimur, organa veritatis sumus, & in eiusdem veritatis potestate est, vtrum per me sonet alteri, an per alterum mihi. Ipsa quippe in medio nostri, etiam non æquè viuentibus omnibus ęqua est, & sæpe alium tangit, vt bene audiat quod per alium ipsa sonuerit: sępe verò alium tãgit, vt bene quod ab aliis audiatur, sonet. Sæpe doctori verbum pro gratia tribuitur auditoris, & sæpe propter auditoris culpam subtrahitur sermo doctori. In his ergo quæ vbertim prædicat doctor, nulla elatione se efferat, ne fortasse non pro sua, sed pro auditoris gratia eius repleatur lingua, & in his quæ doctor steriliter dicit, auditor non succenseat, ne fortasse doctori lingua non pro sua, sed pro auditoris reprobatione torpescat. Pro auditoris nanque gratia datur bonus etiã malis sermo doctoribus, sicut potuerunt

A runt Pharisęis suppetere verba prædicationis, de quibus scri-
Matth.23. ptum est: Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite: secundum verò opera eorum, nolite facere. Propter auditorum verò reprobationem bonis etiam doctoribus ser-
Ezech.3. mo subtrahitur, sicut ad Ezechielem cõtra Israël dicitur: Linguam tuã adhęrere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir obiurgans, quia domus exasperans est. Aliquando autem sermo prædicationis propter vtrosque datur, aliquãdo pro-
Acto.18. pter vtrosque subtrahitur. Propter vtrosque enim datur, sicut diuina voce Paulo apud Corinthios dicitur: Noli timere: sed loquere. Et paulo pòst: Quia populus multus est mihi
1.Reg.3. in hac ciuitate. Propter vtrosque verò subtrahitur, sicut Heli sacerdos, & prauam filiorum cognouit actionem, & dignam increpationis non exercuit vocem, cùm profectò futurum esset vt in mortis supplicio, & istos reatus flagitij, & illum silentij pœna mulctaret. Inter hæc igitur cùm vel pro quo sermo detur, vel propter quem subtrahatur ignoramus: vnum est salubre remedium, nec de his quæ aliis magis accepimus, nosmetipsos extollere, nec de eo alterum quòd minus acceperit irridere, sed fixo humilitatis pede, grauiter & constanter incedere: quia in hac vita tantò veracius docti sumus quã tò doctrinam nobis à nobismetipsis suppetere non posse cognoscimus. Cur ergo quilibet de doctrina superbiat, qui occulto iudicio, vel cui quando detur, vel quando cui subtratur ignorat? Quanuis enim securitati timor semper longè videatur abesse, nobis tamen nihil est securius, quàm sub spe semper timere, ne incauta mens, aut desperando se in vitiis deiiciat, aut extollendo de donis ruat. Ante districti enim ac pij iudicis oculos quantò de se sub spe humilius trepidat, tantò in illo robustius stat.

Libri tricesimi Moralium sancti Gregorij finis.

B. GREGORII IN IOB EXPOSITIONIS MORALIS, LIBER TRICESIMUS PRIMUS.

Caput I.

IN paradiso sano homini diabolus inuidẽs superbiæ vulnus inflixit, vt qui mortem non acceperat conditus, moreretur eleuatus. Sed quia diuinæ potentiæ suppetit, non solùm bona de nihilo facere, sed ea etiam ex malis quæ diabolus perpetrauerat reformare: contra hoc in-
D flictum vulnus superbientis diaboli, medicina apparuit inter homines humilitas Dei, vt authoris exemplo humiliati surgerent, qui imitatione hostis elati ceciderant. Cõtra ergo superbientem diabolum apparuit inter homines homo factus humilis Deus. Hunc potentes huius seculi, id est, membra diaboli superbiẽtis, eo despicabilem crediderunt, quo humilem conspexerunt. Vulnus enim cordis eorum quantò magis tumuit, tantò amplius medicamentum † vitæ despexit.
† al.mire. Repulsa igit à vulnere superborũ medicina nostra peruenit ad vulnus humilium. Infirma quippe mundi elegit Deus, vt confundat fortia, actũmq; est cum pauperibus, quod pòst etiam diuites elati mirarentur. Nam dum nouas in illis virtutes aspiciunt, eorum quorum prius contempsere vitam, postmodum obstupuere miracula. Vnde mox pauida ad sua corda redeuntes, extimuerunt sanctitatem in miraculis, quam despexerant in præceptis. Per infirma ergo confusa sunt fortia: quia dum in venerationem vita surgeret humilium, elatio cecidit superborũ. Igitur quia beat⁹ Iob sanctę Ecclesiæ typum tenet, & omnipotẽs Deus præuidit quòd in primordiis nascentis Ecclesiæ, potentes huius seculi leue eius iugum suscipere crassa cordis ceruice recusarent, dicat: *Nunquid volet rhinoceros seruire tibi?*) Rhinoceros enim indomitæ omnino naturæ est: ita vt si quando captus fuerit, teneri nullatenus possit. Impatiens quippe, vt fertur, ilico moritur. Eius verò nomen Latina lingua interpretatum sonat, in nare cornu. Et

quid aliud in nare nisi fatuitas, quid in cornu, nisi elatio designatur? Nam quia in nare fatuitas solet intelligi, Salomone attestante didicimus, qui ait: Circulus aureus in naribus suis mu-
Prouer.11. lier pulchra & fatua. Hæreticam nanque doctrinam nitore vidit eloquij resplendere, nec tamen sapientiæ apto intellectu congruere, & ait: Circulus aureus in naribus suis, id est, pulchra & circunflexa locutio in sensibus mentis stultæ: cui ex eloquio aurum pendet, sed tamen ex terrenæ intentionis põdere, more suis, ad superiora non respicit. Quod secutus exposuit, dicens: Mulier pulchra & fatua, id est, doctrina hæretica: pulchra per verbum, fatua per intellectum. In cornu verò, quia elatio frequẽter accipitur, Propheta attestãte didicim⁹, qui ait: Dixi iniquis, nolite iniquè agere, & delinquẽtibus,
Psal.74. nolite exaltare cornu. Quid ergo in rhinocerote hoc nisi potentes huius seculi designantur, vel ipsæ in eo summæ principatuum potestates, qui typo fatuæ iactationis elati, dum falsis exterius inflantur honoribus, veris miseriis intus inanescũt?
Eccle.10. B Quibus bene dicitur: Quid superbis terra & cinis? In ipsis verò initiis nascentis Ecclesiæ, dum contra illam diuiitum se potestas extolleret, atque in eius necem immensitate tantæ crudelitatis anhelaret, dum tot cruciatibus anxia, tot persecutionibus pressa succumberet: quis tunc credere potuit, quòd illa erecta & aspera superborum colla sibi subiiceret, & iugo sancti timoris edomita, mitibus fidei loris ligaret: Diu quippe in exordiis suis rhinocerotis huius cornu ventilata, & quasi funditùs interimenda percussa est. Sed diuina gratia dispensante, & illa moriendo viuificata conualuit, & cornu suum rhinoceros iste feriendo lassatus inclinauit: quodque impossibile hominibus fuit, Deo difficile non fuit, qui potestates huius mũdi rigidas non verbis, sed miraculis fregit. Ecce enim quotidie seruire rhinocerotes agnoscimus, dum potentes mundi huius qui in viribus suis fatua dudum fuerant elatione confi-
Matth.19. si, Deo subditos iam videmus. Quasi de quodam indomito rhinocerote Dominus loquebatur, cùm diceret: Diues difficile intrabit in regnum cœlorum. Cui cùm responsum esset:
C Et quis poterit saluus fieri? ilico adiunxit: Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt. Ac si diceret: Rhinoceros iste humanis viribus mansuescere non potest, sed tamen diuinis subdi miraculis potest. Vnde hic quoque aptè beato Iob sanctæ Ecclesiæ typum tenenti dicitur:

Quòd potestates huius seculi in statu suo elatæ, nec doctrina, nec ratione, sed miraculis conuersæ sunt ad fidem Christi.

Caput II.

N*Vnquid volet rhinoceros seruire tibi?*) Subaudis: vt mihi, qui eum prædicamentis quidem hominũ diu resistere pertuli, sed tamen repentè cùm volui miraculis straui. Ac si apertius dicat: Nunquid hi qui fatua elatione superbiũt, sine meis adiutoriis tuæ prędicationi subduntur? Per quem itaque pręualeas considera, & in omne quod præuales, elationis sensum inclina. Vel certè ad beati Iob notitiam pro humilianda eius virtute deducitur, quàm mira quandoque per Apostolos agantur, qui mundum Deo subiiciunt, eisque edomitam potentum huius seculi superbiam flectunt: vt tantò de se beatus Iob minus æstimet, quantò aggregari Deo tam difficiles animas per alios videt. Dicat ergo: Nunquid volet rhinoceros seruire tibi? Subaudis, sicut per eos quos misero seruit mihi. Sequitur:

Aut morabitur ad præsepe tuum?) Præsepe hoc loco ipsa scriptura sacra non inconuenienter accipitur, in qua verbi pabulo animalia sancta satiantur, de quibus per Prophetam dicitur: Animalia tua habitabunt in ea. Hinc etiam natus Domi-
Psal.67. nus à pastoribus in præsepi reperitur: quia eius incarnatio in ea qua nos reficiunt prophetarum scriptura cognoscitur. Rhinoceros itaque iste, videlicet omnis elatus in primordiis nascentis Ecclesiæ cùm patriarcharum dicta, cùm prophetarum mysteria, cùm Euangelij arcana audiret, irridebat: quia tantò in prædicatorum præsepi claudi satiarique contempserat, quantò in voluptatibus propriis dimissus desperationis suæ campũ tenebat. Quem superborum campũ bene Paulus insi-
Ephe.4. nuat, dicens: Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam. Tantò enim se quisq; in malis præsentibus latius relaxat, quãtò post

hanc vitam se assequi bona æterna desperat. Sed omnipotens Deus diu quidem rhinocerotem hunc per prauæ voluptatis campum vagantem pertulit, & tamen cùm voluit, repentè ad suum præsepe religauit: vt vitæ pabulum bene clausus accipiat, ne vitam funditùs malè liber amittat. Ecce enim iam cernimus quòd potētes huius seculi eiúsque principes prædicamenta dominica libenter audiunt, constanter legunt, pastíque à præsepi non exeunt: quia præcepta Dei quæ aut legendo, aut audiendo cognoscunt, nequaquam viuendo transcēdunt, sed ad verbi pabulum quasi clausi stare æquanimiter tolerant, vt edendo & permanendo pinguescant. Quòd cùm Deo agente conspicimus, quid aliud quàm rhinocerotem hunc ad præsepe morantem videmus? Quia verò post acceptum pabulum prædicationis rhinoceros iste fructum debet ostendere operis, rectè subiungitur:

Quòd fidei persecutores facti sunt prædicatores, & principes mundi iam subditi nomini Christiano, rebelles quoque qui quasi glebæ in Ecclesiæ campo alios impediunt, ne fructificent Deo, pede potestatis terrenæ premunt, quos Ecclesiæ frangere non potuit disciplina.

Caput. III.

3. NVnquid alligabis rhinocerotem ad arandum loro tuo?) Lora sunt Ecclesiæ, præcepta disciplinæ. Arare verò est per prædicationis studium humani pectoris terram vomere linguæ proscindere. Hinc igitur rhinoceros quondam superbus ac rigidus, iam nunc loris fidei tenetur ligatus, atque à præsepi ad arandum ducitur: quia eam prædicationem qua ipse refectus est, innotescere & aliis conatur. Scimus enim, rhinoceros iste, terrenus videlicet princeps, quāta prius contra Dominum crudelitate sæuierit, & nunc agente Domino cernimus quanta se ei humilitate substernit. Hic rhinoceros non solùm ligatus, sed etiam ad arandum ligatus est: quia videlicet disciplinæ loris astrictus, non solùm se à prauis operibus retinet, sed etiā in sanctæ fidei prædicationibus exercet. Ecce enim sicut superius dictū est, ipsos humanarum rerum rectores ac principes dum metuere Deum in suis actionibus cernimus, quid aliud quàm loris ligatos videmus? Cùm verò eam fidem quam dudum persequendo impugnauerant, nunc prolatis legibus prædicare non cessant, quid aliud faciunt nisi aratri laboribus insudant? Libet videre hunc rhinocerotē, id est, terræ principem fidei loris ligatum, quemadmodum & cornu portat per potētiam seculi, & iugum fidei sustinet per amorem Dei. Timeri iste rhinoceros valde poterat, nisi ligatus esset. Cornu quippe habet, sed ligatus est. Habent ergo in loris eius quod humiles diligant, habent in cornu eius quod elati pertimescant. Strictus enim loris, seruat pietatem mansuetudinis, sed fultus cornu terrenæ gloriæ exercet dominiū potestatis. Plerunque autem cùm exigente ira ad feriendum rapitur, diuino timore reuocatur. Et quidem per exasperatā potentiam in furorem se eleuat, sed quia æterni iudicis reminiscitur, cornu ligatus se inclinat. Sæpe ipse vidisse me memini, quòd cùm ad se feriendum grauiter hic rhinoceros accēderet, & quasi eleuato cornu bestiolis minimis mortes, exilia, damnationésque subiectis immensis terroribus intētaret, repentè fronti signo crucis impresso, omne in se incendium furoris extinxit, conuersus minas deposuit: & quia ad deliberata progredi non posset, ligatus agnouit. Et non solùm in se iras edomat, sed in subiectorū etiam sensibus omne quod rectum est, inserere festinat: vt quia omnes sanctam Ecclesiā ex intima cogitatione venerentur, exemplo ipse suæ humilitatis demonstret. Dicatur igitur beato Iob: Nunquid alligabis rhinocerotem ad arandum loro tuo? Ac si apertè dicat: Nunquid potentes huius seculi in sua fatua elatione confidentes, ad laborem prædicationis dirigis, & sub disciplinæ vinculo restringes? Subaudis, vt ego: qui id egi cùm dolui, qui persecutores meos quos prius hostes pertuli, ipsos postmodum rectæ fidei defensores feci. Sequitur:

4. *Aut confringet glebas vallium post te?*) Solent excultæ terræ superiacentes glebæ iactata semina premere, & nascentia suffocare. Quibus glebis hoc loco illi signantur, qui per duritiam suam, atque pestiferam vitam, nec ipsi semina verbi recipiunt, nec receptorum seminum fructus alios ferre permittunt. Sanctus enim quisque prædicator in mundum veniens euangelizando pauperibus, quasi molles vallium terras arauerat, sed quorundam duritiam electorum Ecclesia rumpere non valens, eos quasi superiectas labori suo glebas oppressa tolerabat. Multi enim peruersæ mentis ipsa terrenorum principum infidelitate confici, surgentem Ecclesiam malè viuendi ponderè premebant, cùm diu quos possent modò damnabilibus exemplis, modò minis, modò blandimentis destruerent, ne terra cordis auditorum, ad spiritalis seminis fructum exculta peruenirent. At cùm omnipotens Deus hunc rhinocerotem loris suis subdidit, per eum ilicò glebarum duritiam fregit. Mox quippe terrenum principatum suæ fidei subiugauit, dura persequentium corda contriuit, vt quasi confractæ glebæ non iam obduratæ premerent, sed ad percepta verbi semina resolutæ germinarent. Vnde rectè nunc ait: Aut confringet glebas vallium post te? Ac si diceret: Sicut post me, qui postquam mentem cuiuslibet elatæ potestatis ingredior, non solùm eam mihi subditam reddo, sed etiam ad conterendos fidei hostes exerceo, vt potentes huius seculi meæ formidinis loris ligati, non solùm in me credentes permaneant, sed & pro me alieni cordis duritiam zelantes frangant. Hoc autem quod de infidelibus diximus in plerisque etiam qui fidei nomine censentur, videmus. Multi nanque in medio humilium fratrum positi, fidem verbotenus tenent, sed dum elationis typum non deserunt, dum quos possunt illatis violētiis premūt, dum fructificātibus aliis ipsi nequaquā semina verbi recipiunt, sed ab exhortantis voce aurem cordis auertunt: isti quid aliud quàm obduratæ glebæ in exaratis vallibus iacēt? Qui eo nequiores sunt, quo nec ipsi humilitatis fructū proferunt, & quod est deterius, proferentes humiles premunt. Ad horum duritiam dissoluendam nonnunquam sancta Ecclesia, quia propria virtute non sufficit, rhinocerotis huius, id est, terreni principis opitulationem quærit, vt ipse superiacentes glebas conterat, quas Ecclesiarum humilitas quasi planities vallium portat. Has itaque glebas rhinoceros pede premit ac comminuit, quia prauorum potentiúmque duritiā cui Ecclesiastica humilitas resistere non valet, principalis religio ex potestate dissoluit. Quod quia sola diuina virtute agitur, vt terreni regni culmina ad perfectum regni cœlestis inclinentur, rectè nunc dicitur: Aut confringet glebas vallium post te? Vt verò de suis virtutib' beatus Iob humilia sentiat, & adhuc de huius mundi potestatibus sub rhinocerotis nomine sublimia cognoscat. Sequitur: *Nunquid habebis fiduciam in magna fortitudine eius, & derelinques ei labores tuos?*) In rhinocerotis fortitudine fiduciam Dominus habere se asserit: quia vires quas temporaliter terreno principi contulit, ad cultum suæ venerationis inclinauit: vt ex accepta potestate per quā dudum contra Deum tumuerat, religiosum nunc Deo obsequium latius impendat. Quò enim in mundo plus potest, eò pro mundi authore plus præualet. Nam quia à subiectis ipse metuitur, tantò facilius persuadet, quātò & cum potestate indicat qui verè metuatur. Dicat ergo: Nunquid habebis fiduciam in magna fortitudine eius? Ac si diceretur: vt ego, qui vires terrenorū principum meo cultui seruituras aspicio. Tāto enim ea quæ nunc agis minora æstimo, quātò iam præuideo, quia & maiores huius mundi mihi potestates inclinabo. Bene autem subditur: *Et derelinques ei labores tuos?*) Labores enim suos huic rhinoceroti Dominus reliquit, quia conuerso terreno principi eam quam sua morte mercatus est Ecclesiam credidit: quia videlicet in eius manu quanta solicitudine pax fidei sit tuenda commisit. Sequitur:

Quòd principes huius mundi semen verbi diuini multiplicant, dum pro Ecclesia contra hæreticos, & tyrannos leges promulgant.

Caput IIII.

5. NVnquid credes ei quòd reddat sementem tibi, & aream tuam cōgreget?) Quid aliud semen nisi verbum prædicationis accipitur: sicut in Euangelio veritas dicit: Exiit qui seminat, seminare: & sicut Propheta ait: Beati qui seminatis super omnes aquas. Quid aliud area nisi Ecclesia debet intelligi? De qua præcursoris voce dicitur: Et permundabit areā suā. Quis ergo in initio nascentis Ecclesiæ crederet, dū cōtra eā ille indomitus principat' terrę tot minis & cruciatib' sęuiret: quia rhinoceros

Matth.13. *Esa.22.* *Matth.3.*

rhinoceros iste Deo sementem redderet, id est, acceptum prædicationis verbum operibus repensaret? Quis posset tunc infirmorum credere, quod eius aream congregaret? Ecce enim modò pro Ecclesia leges promulgat, qui dudum contra eam per varia tormenta sæuiebat. Ecce quaslibet gentes capere potuerit, ad fidei † illius gratiam suadendo perducit, eisque æternam vitam indicat, quibus captis præsentem seruat. Cur hoc? Quia videlicet aream nunc congregat, quam aliquando superbo cornu dispergendo ventilabat. Audiat igitur beatus Iob quid gentilitatis principes faciāt, & nequaquam se apud semetipsum de gloria tantæ suæ virtutis extollat. Audiat & rex potens, potentiores huius mundi reges quanta Deo deuotione famulentur, & virtutem suam quasi pro singularitate non trahat in elationis vitium qui habet in aliis exemplum: quia etsi tunc ei similem Dominus non vidit, multos tamen per quos eius gloriam retunderet, præuidit. Igitur quia terreni principes magna se Deo humilitate substernunt, praui homines qui dudum contra Ecclesiam in infidelitate positi, aperta aduersitate sæuiebant, nunc ad alia fraudis argumenta vertuntur. Quia enim illos religionem venerari conspiciunt, ipsi cultum religionis assumunt, & bonorum vitam sub despectis vestibus iniquis moribus premunt. Mundi quippe dilectores sunt, hócque in se quod homines venerentur ostendunt, atque eis qui verè semetipsos despiciunt, non mente, sed veste copulantur. Quia enim præsentem gloriam amantes assequi non possunt, quasi despicientes sequuntur. Qui quid sentirent contra bonos ostenderent, si aptum nequitiæ tempus inuenirent. Sed hæc etiam argumenta prauorum ad electorum salutem proficiunt. Sancta enim Ecclesia transire sine labore tentationis non potest tempora peregrinationis, quæ etsi foris apertos hostes non habet, intus tamen tolerat fictos fratres. Nam contra vitia semper in acie est, & habet etiam pacis tempore bellum suū: & fortasse grauius affligitur, cùm non extraneorum ictibus, sed suorum moribus impugnatur. Siue itaque illo seu isto tempore, est tamen semper in labore. Nam & in persecutione principum timet, ne amittant boni quod sunt, & in conuersione principum tolerat, quia mali simulant bonos se esse, quod nō sunt. Vnde omnipotens Deus quia rhinocerotem hunc loris ligatum dixit, ilico prauorum hypocrisim subdidit, dicens:

Quòd hypocritæ sanctitatis speciem habeant, sed charitatem supernam non habent: & in his quos verbo doctrinæ gignunt, quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi.

Caput V.

P*Enna struthionis similis est pennis herodij & accipitris.*) Quis herodium & accipitrem nesciat aues reliquas quāta volatus sui velocitate trascendant? Struthio verò pennæ eorum similitudinem habet, sed volatus eorum celeritatem nō habet. A terra quippe eleuari nō valet, & alas quasi ad volatum specietenus erigit, sed tamē nunquam se à terra volando suspendit. Ita sunt nimirū omnes hypocritæ, qui dum bonorū vitam simulant, imitationem sanctæ cōuersationis habēt, sed veritatem sanctę actionis nō habent. Habent quippe volādi pennas per speciem, sed in terra repunt per actionem: quia alas per figuram sanctitatis extendunt, sed curarum seculariū pondere prægrauati, nullatenus à terra subleuantur. Speciem nanque Pharisæorum reprobans Dominus quasi struthionis pennā redarguit, quæ in opere aliud exercuit, & in colore aliud ostendit, dicens: Vę vobis Scribę & Pharisæi hypocritę, quia similes estis sepulchris dealbatis, quę foris quidem apparent hominibus speciosa, intus verò sunt plena ossibus mortuorum: ita & vos foris apparetis hominibus iusti, intus verò pleni estis auaritia & iniquitate. Ac si diceret: Subleuare vos videtur species pennę, sed in infimis vos deprimit pōdus vitę. De hoc pondere per Prophetam dicitur. Filij hominū vsquequo graui corde? Huius struthionis cōuersurum se hypocrisim Dominus pollicetur, cùm per Prophetā dicit: Glorificabunt me bestię agri dracones & struthiones. Quid enim draconū nomine, nisi in aperto malitiosę mētes exprimūtur, quæ per terrā semper in infimis cogitationibus repunt? Quid verò per struthionum vocabulū, nisi hi qui se bonos simulāt designantur, qui sanctitatis vitam quasi volatus pennam per speciem retinent, sed per opera non exercent? Glorificari itaque se Dominus à dracone, vel struthione asserit, quia & apertè malos, & fictè bonos plerunque ad sua obsequia ex intima cogitatione conuertit. Vel certè agri bestiæ Dominum, id est, dracones struthionésque glórificant, cùm fidem quæ in illo est, ea quæ in hoc mundo dudum membrum diaboli fuerat gentilitas exaltat. Quam & propter malitiam draconum nomine exprobrat, & propter hypocrisin, vocabulo struthionum vocat. Quasi enim pennas accepit gentilitas, sed volare non potuit, quæ & naturam rationis habuit, & actionem rationis ignorauit. Habemus adhuc quod in consideratione struthionis huius de accipitre, & herodio attentius perpendamus. Accipitris quippe & herodij parua sunt corpora, sed pēnis densioribus fulta, & idcirco cum celeritate transuolant: quia eis parum inest quod aggrauat, multum quod leuat. At contra struthio raris pennis induitur, & immani corpore grauatur: vt etsi volare appetat, ipsa pennarum paucitas molem tanti corporis in aëre non suspendat. Bene ergo in herodio & accipitre electorum persona signatur, qui quandiu in hac vita sunt, sine quantulocunque culpæ contagio esse non possunt. Sed cùm eis parum quid inest, quod deprimit, multa virtus bonæ actionis suppetit quæ illos in superna sustollit. At contrà hypocrita etsi facit pauca quæ eleuent perpetrat multa quæ grauent. Neque enim nulla bona agit hypocrita, sed quibus ea ipsa deprimat, multa peruersa committit. Paucæ igitur pennæ corpus struthionis non subleuant, quia paruum bonū hypocritæ, multitudo prauæ actionis grauat. Hæc quoque ipsa struthionis penna ad pennas herodij & accipitris similitudinem coloris habet, virtutis verò similitudinem non habet. Illorum nanque conclusæ & firmiores sunt, & volatu aërem premere virtute suæ soliditatis possunt. At contrà struthionis pennæ dissolutæ, eo volatum sumere nequeunt, quo ab ipso quem premere debuerant, aëre transcenduntur. Quid ergo in his aspicimus, nisi quòd electorū virtutes solidæ euolant, vt ventos humani fauoris premant? Hypocritarum verò actio quamlibet recta videatur, volare non sufficit: quia videlicet fluxæ virtutis pennam humanæ laudis aura pertransit.

Sed ecce cùm vnum eundemque bonorū malorumque habitum cernimus, cùm ipsam in electis ac reprobis professionis speciem videmus, vnde nostræ intelligentiæ suppetat, vt electos à reprobis, à falsis veros cōprehendēdo discernat? Quod tamen citius agnoscimus, si intemerata in memoriam præceptoris nostri verba signamus, qui ait: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Neque enim pensanda sunt quæ ostendunt in imagine, sed quæ seruant in actione. Vnde hic postquā speciē struthionis huius intulit, mox facta subiungit, dicens: *Quæ derelinquit in terra oua sua.*) Quid enim per oua nisi tenera adhuc proles exprimitur, quæ diu fouenda est, vt ad viuum volatile perducatur? Oua quippe insensibilia in semetipsis sunt, sed tamen calefacta, in viuis volatilibus conuertuntur. Ita nimirum paruuli auditores ac filij certū est quòd frigidi insensibilésque remaneant, nisi doctoris sui solicita exhortatione calefiāt. Ne igitur derelicti in sua insensibilitate torpescāt, assidua doctorū voce fouendi sunt, quousque valeant, & per intelligentiam viuēre, & per contēplationē volare. Quia verò hypocritæ quāuis peruersa semper operētur, loqui tamen recta non desinūt: bene autem loquēdo in fide, vel conuersatione filios pariunt, sed eos bene viuendo nutrire non possunt, rectè de hac struthione dicitur: *Quæ derelinquit in terra oua sua.*) Curam nanque filiorum hypocrita negligit: quia ex amore intimo rebus se exterioribus subdit: in quibus quātò magis extollitur, tantò minus de prolis suæ defectu cruciatur. Oua ergo in terra dereliquisse, est natos per conuersionem filios nequaquam à terrenis actibus interposito exhortationis nido suspēdere. Oua in terra dereliquisse, est nullum cœlestis vitæ filiis exemplum præbere. Quia enim hypocritæ per charitatis viscera non calent, de torpore prolis editæ, id est, de ouorum suorū frigore nequaquam dolent: & quantò se libentius terrenis actibus inserunt, tātò negligentius eos quos generant, agere terrena permittunt: sed quia derelictos hypocritarum filios superna cura non deserit: nonnullos nāque etiā ex talibus intima electione præscitos, largitæ gratiæ respectu calefacit, rectè subiungitur:

Matth.23. *Psalm.4.* *Esaia 43.* *Matth.7.*

Quòd eos quos prauorum doctorum negligentia in puluere peccati inuisitatos deserit, gratia Dei calefacit: & sine hominum ministerio, multos desperatos per se Deus visitat & vinificat.

Caput VI.

TV *forsitan in puluere calefacies eos?*) Ac si dicat: vt ego, qui illa in puluere calefacio: quia scilicet paruulorum animas, & in medio peccantium positas, amoris mei igne succendo. Quid enim puluis nisi peccator accipitur: Vnde & ille hostis huius peccatoris perditione satiatur, de quo per Prophetam dicitur: Serpenti puluis panis eius. Quid per puluerem, nisi ipsa iniquorum instabilitas demonstratur? De qua Dauid ait: Non sic impij non sic, sed tanquam puluis quem proiicit vẽtus à facie terræ. Oua ergo Dominus in puluere derelicta calefacit: quia paruulorum animas prædicatorum suorum solicitudine destitutas, etiam in medio peccantium positas amoris sui igne succendit. Hinc est quòd plerosque cernimus, & in medio populorum viuere, & tamen vitam torpentis populi non tenere. Hinc est quòd plerosque cernimus, & malorum turbas non fugere, & tamen superno ardore flagrare. Hinc est quòd plerosque cernimus, vt ita dixerim, in frigore calere. Vnde enim nonnulli in terrenorum hominum torpore positi, supernæ spei desideriis inardescunt, vnde & inter frigida corda succensi sunt, nisi quia omnipotens Deus derelicta oua scit etiam in puluere calefacere: & frigoris pristini insensibilitate discussa, per sensum spiritus vitalis animare, vt nequaquam iacentia in infirmis torpeant, sed in viuis volatilibus versa, sese ad cœlestia contemplando, id est, volando suspendant? Notandum verò est quòd in his verbis, non solùm hypocritarum actio peruersa reprobatur, sed bonorum etiam magistrorum si qua fortasse subrepserit elatio premitur. Nam cùm de se Dominus dicit, quòd derelicta oua in puluere, ipse calefaciat: profectò apertè indicat, quia ipse operat intrinsecus per verba doctoris, qui & sine verbis vllius hominis calefacit quos voluerit in frigore pulueris. Ac si apertè doctoribus dicat: Vt sciatis quia ego sum qui per vos loquentes operor, ecce cùm voluero, cordibus hominum etiam sine vobis loquor. Humiliata igitur cogitatione doctorum, ad exprimendum hypocritam sermo conuertitur, & qua fatuitate torpeat, adhuc sub struthionis facto plenius indicatur. Nam sequitur:

Esaiæ 65.

Psalm. 1.

Quomodo dominus oua in puluere derelicta calefaciat.

Quòd hypocritæ nulla sol licitudine infirmis prouideãt, nec aliquã charitatis affectionem impendant his, quos bestiarum morsibus expositos vident: sed duri ad filios, quasi sui non sint, reputant alienos.

Caput VII.

OBliuiscitur quòd pes conculcet ea, aut bestia agri conteraat.) Quid in pede nisi transitus operationis accipitur? Quid in agro nisi mundus iste signatur? De quo in Euangelio Dominus dicit: Ager autem est mundus. Quid in bestia, nisi antiquus hostis exprimitur, qui huius mũdi rapinis insidians, humana quotidie morte satiatur? De qua per Prophetam pollicente Domino dicitur: Et mala bestia non transibit per eam. Struthio itaque oua sua deserens, obliuiscitur quòd pes conculcet ea: quia videlicet hypocritæ eos quos in conuersatione filios generant derelinquũt, & omnino non curant, ne aut exhortationis solicitudine, aut disciplinæ custodia destitutos, prauorum operum exempla peruertant. Si enim oua quæ gignunt diligerent, nimirum metuerent ne quis ea peruersa opera demonstrando calcaret. Hunc Paulus pedem infirmis discipulis, quasi ouis quæ posuerat metuebat, cùm diceret: Multi ambulant quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico inimicos crucis Christi. Et rursum: Videte canes, videte malos operarios. Et rursum: Denũtiam' vobis fratres in nomine domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secũdum traditionem quam acceperunt à nobis. Hunc pedem Ioannes Gaio formidabat, qui cùm multa Diotrephis mala præmisisset, adiunxit: Charissime, noli imitari malum, sed quod bonum est. Hunc ipse synagogæ dux infirmo suo gregi metuebat, dicẽs: Quando ingressus fueris terram, quam Dominus Deus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentium. Obliuiscitur etiam quòd bestia agri conterat: quia nimirum si diabolus in hoc mundo sæuiens editos in bona conuersione filios rapiat, hypocrita omnino nõ curat. Hanc autẽ agri bestiam Paulus ouis quæ posuerat metuebat, dicens: Timeo ne sicut serpẽs Euam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri à charitate, quæ est in Christo Iesu. Hanc agri bestiam discipulis metuebat Petrus, cùm diceret: Aduersarius vester diabolus, quasi leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. Habent ergo veraces magistri super discipulos timoris viscera ex virtute charitatis: hypocritæ autem tantò minus commissis sibi metuunt, quantò nec sibimetipsis quid timere debeant deprehendunt. Et quia obduratis cordibus viuunt, ipsos etiam quos generant filios, nulla pietate debiti amoris agnoscunt. Vnde adhuc sub struthionis specie subditur: *Duratur ad filios quasi non sint sui.*) Quẽ enim charitatis gratia non infundit, proximum suum etiam si ipse hunc Deo genuit, extraneum respicit: vt profectò sunt omnes hypocritæ, quorum videlicet mentes dum semper exteriora appetunt, intus insensibiles fiunt: & in cunctis quæ agunt, dum sua semper expetunt, erga affectum proximi nulla charitatis compassione mollescunt. O quàm mollia viscera gestabat Paulus, quando circa filios suos tanto æstu amoris inhiabat, dicens: Nos viuimus, si vos statis in Domino: & testis mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Christi Iesu. Romanis quoq; ait: Testis est mihi Deus cui seruio in spiritu meo, in Euangelio filij eius, quòd sine intermissione memoriam vestri semper facio in orationibus meis: obsecrans si quo modo tandem aliquandò prosperum iter habeam in voluntate Dei veniẽdi ad vos: desidero enim videre vos. Timotheo quoq; ait: Gratias ago Deo meo, cui seruio à progenitoribus meis in conscientia pura, quia sine intermissione habeam tui memoriã in orationibus meis, nocte ac die desiderans te. Thessalonicensibus quoque amorẽ suum indicans, dicit: Nos autem fratres desolati à vobis ad tẽpus horæ, aspectu, non corde, abundantius festinauimus faciem vestram videre cum multo desiderio. Qui duris persecutionibus pressus, & tamẽ de filiorum salute solicitus, adiũxit: Misimus Timotheũ fratrem nostrum, & ministrum Dei in Euangelio Christi, ad confortandos vos, & exhortandos pro fide vestra, vt nemo moueatur in tribulationibus istis. Ipsi enim scitis quòd in hoc positi sumus. Ephesiis quoque ait: Peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra. Ecce in tribulatione positus, alios exhortatur: & in hoc quod ipse sustinet, alios roborat. Non enim filiorum suorum fuerat more struthionis oblitus, sed metuebat nimis ne eius discipuli in prædicatore suo tot persecutionum probra cernentes, fidem in eo despicerent, contra quã innumeræ passionum contumeliæ præualerent. Et idcirco minus dolebat in tormentis, sed magis filiis de tormentorum suorum tentatione metuebat. Paruipẽdebat in se plagas corporis, dum formidaret in filiis plagas cordis. Ipse patiendo suscipiebat vulnera tormentorum, sed filios cõsolando, curabat vulnera cordium. Pensemus ergo cuius charitatis fuerit, inter dolores proprios aliis timuisse: pensemus cuius charitatis fuerit filiorum salutem inter sua detrimenta requirere, & statum mentis in proximis etiam ex sua deiectione custodire. Sed hæc hypocritæ charitatis viscera nesciunt: quia eorum mens quantò per mundi concupiscentiam in exteriora resoluitur, tantò per inaffectionem suam interius obduratur: & torpore insensibili frigescit intrinsecus, quia amore damnabili mollescit foris, séque ipsam considerare non valet, quia cogitare se minimè studet. Cogitare verò se mens non potest, quæ tota apud semetipsam non est. Tota verò esse apud semetipsam non sufficit, quia per quot concupiscentia rapitur, per tot à semetipsa species dissipatur, & sparsa in infimis iacet, quæ collecta si vellet, ad summa consurgeret. Vnde iustorum mens, quia per custodiam disciplinæ, à cunctorum visibilium fluxo appetitu constringitur, collecta apud semetipsam intrinsecus integratur: qualisque Deo vel proximo esse debeat, plenè cõspicit, quia nihil suum exterius derelinquit: & quãtò ab exterioribus abstracta compescitur, tantò aucta in intimis inflammatur: & quò intus magis ardet, eò ad deprehendenda vitia amplius lucet. Hinc est enim quòd sancti viri dum se intra semetipsos colligunt, mira ac penetrabili acie occulta etiam aliena delicta deprehendunt. Vnde bene per Ezechielem prophetam dicitur: Emissa

Matth. 13.

Esaiæ 35.

Phil. 3.

Ibidem.

2. Thes. 3.

Epistola Ioan. 3.

Deute. 18.

2. Cor. 11.

1. Pe. 5.

Philip. 3.

Roma. 1.

2. Tim. 1.

1. Thes. 2.

1. Thes. 3.

Ephe. 3.

Ezech. 8.

missa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, & eleuauit me spiritus inter terram & cœlum, & adduxit me in Hierusalem in visione Dei iuxta ostium interius quod respiciebat ad Aquilonem: vbi erat statutum idolum zeli, ad prouocandam æmulationem. Quid est enim cincinnus capitis, nisi collectæ cogitationes mentis: vt non sparsæ diffluant, sed per disciplinam constrictæ subsistant? Manus ergo desuper mittitur, & propheta per cincinnum capitis eleuatur: quia cùm nostra mens sese per custodiam colligit, vis superna sursum nos ab infimis trahit. Bene verò inter terram & cœlum sublatum se asserit: quia quilibet sanctus in carne mortali positus, plenè quidem adhuc ad superna non peruenit, sed tamen ima dereliquit. In visione verò Dei in Hierusalem ducitur: quia videlicet vnusquisque proficiens per charitatis zelum, qualis esse Ecclesia debeat contẽplatur. Bene quoque additur: Quia iuxta ostium interius ductus est, quod respiciebat ad Aquilonem: quia nimirum sancti viri dũ per aditum internæ cõtemplationis aspiciunt, plus praua intra Ecclesiam fieri quàm recta deprehendunt: & quasi in Aquilonis parte oculos, id est, ad Solis sinistram flectunt: quia contra vitiorum frigora, charitatis se stimulis accẽdunt. Vbi & rectè subiungitur: Quia illic erat statutum idolum zeli ad prouocandam æmulationem. Dum enim intra sanctam ecclesiam à nonnullis specie sola fidelibus, rapinas & vitia perpetrari considerant, quid aliud quàm in Hierusalem idolum vident? Quod idolum zeli dicitur, quia per hoc contra nos æmulatio superna prouocatur: & tantò districtius derelinquentes ferit, quantò nos charius redemptor amat. Hypocritæ igitur quia cogitationes mentis non colligunt, per cincinnum capitis minimè tenentur. Et qui sua nesciunt, cõmissorum sibi quando delicta deprehendũt? Hi itaque torpẽt à cœlestibus, ad quæ flagrare debuerant, & flagrant terrenis rebus anxiè, à quib' haudabiliter torpuissent. Postposita quippe filiorum cura, sæpe eos videas se contra pericula immensi laboris accingere, maria trãsmeare, adire iudicia, pulsare principatus, palatia irrumpere, iurgantibus populorum cuneis interesse, & terrena patrimonia laboriosa obseruatione defendere. Quibus si fortasse dicatur, cur ista vos agitis, qui seculũ reliquistis? respondent ilico Deum se metuere, & idcirco tãto studio defendendis patrimoniis insudare. Vnde bene adhuc de struthionis huius stulto labore subiungitur:

Quòd hypocritæ animarum damna non curant, sed temporalium rerum iactura anxiè perturbantur.

Caput VIII.

FRustra laborauit, nullo timore cogente.) Illic nanque trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Ecce enim diuina voce præcipitur: Si quis tibi tulerit tunicam, & voluerit tecum iudicio cõtẽdere, dimitte illi & palliũ. Et rursum. Si quis quod tuum est tulerit, ne repetas. Paulus quoque Apostolus discipulos suos cupiẽs exteriora despicere, vt valeant interna seruare admonet dicens: Iam quidem omnino delictum est in vobis, quòd iudicia habetis inter vos: quare non magis iniuriam accipitis, quare non magis fraudem patimini? Et tamen hypocrita assumpto sanctæ conuersationis habitu, filiorum custodiã deserit, & temporalia quæque defendere etiam iurgiis quærit. Exemplo suo perdere corda non trepidat, & qua si per negligentiam amittere patrimonia terrena formidat. In errorem discipulus labitur, & tamen cor hypocritæ nullo dolore sauciatur. Ire in iniquitatis voraginem commissos sibi conspicit, & hæc quasi inaudita pertransit: at si quod sibi leuiter inferri temporale damnũ senserit, in vltionis iram repente ab intimis inardescit. Mox patientia rumpitur, mox dolor cordis in vocibus effrenatur: quia dum animarum dãna æquanimiter tolerat, iacturam verò rerum temporalium repellere, etiam cum spiritus commotione festinat, cunctis veraciter indicat teste mentis perturbatione quid amat. Ibi quippe est grande studium defensionis, vbi & grauior vis amoris. Nam quãto magis terrena diligit, tantò priuari eis vehementius pertimescit. Qua enim mẽte aliquid in hoc mũdo possidemus, non docemur, nisi cùm amittimus. Sine dolore nanque amittitur, quicquid sine amore possidetur. Quæ verò ardenter diligimus habita, grauiter suspiramus ablata. Quis autem nesciat quia nostris vsibus res terrenas Dominus condidit, suis autem animas hominum creauit? Plus ergo Deo se amare conuincitur, qui neglectis his quæ eius sunt, propria tuetur. Perdere nanque hypocritæ ea quæ Dei sunt, id est, animas hominum non timent, & ea quæ sua sunt, amittere: videlicet res cum mundo transeuntes, quasi districto iudici posituri rationes timent, ac si placatum inueniant, cui desideratis rebus, id est rationalibus perditis, insensibilia & non quæsita conseruant. Possidere aliquid in hoc mundo volumus: & ecce veritas clamat: Nisi quis renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Perfectus igitur Christianus quomodo debet res terrenas iurgando defendere, quas nunc præcipitur non possidere? Itaque cum res proprias amittimus, si perfectè Deum sequimur, in huius vitæ itinere à magno onere leuigati sumus. Cùm verò curam rerũ eiusdẽ nobis itineris necessitas imponit, quidã dũ eas rapiant, solummodo tolerãdi sunt: quidam verò conseruata charitate prohibendi, non tamen sola cura ne nostra subtrahant, sed ne rapientes non sua, semetipsos perdãt. Plus quippe ipsis raptoribus debemus metuere, quàm rebus irrationabilibus defendendis inhiare. Ista nanque etiam non rapta morientes amittimus, cũm illis verò & nunc conditionis ordine, & si corrigi studeant, post perceptionem muneris vnum sumus. Quis autem nesciat, quia minus ea quibus vtimur, & plus debemus amare quod sumus? Si ergo & pro sua vtilitate raptoribus loquimur, non iam solùm nobis quæ tẽporalia, sed ipsis etiã quę sunt æterna, vendicamus. Qua in re illud est solerter intuendum, ne per necessitatis metum, cupiditas surrepat rerum: & zelo succensa prohibitio, impetu immoderatione distensa, vsque ad odiosa verba, & turpitudinem contentionis erumpat. Dúmque pro terrena re pax à corde cum proximo scinditur, liquidò apparet, quia plus res quàm proximus amatur. Si enim charitatis viscera etiam circa raptorem proximum non habemus, nosmetipsos peius ipso raptore persequimur, grauiúsque nos quàm alter poterat deuastamus: quia dilectionis bonum spõte deserentes, à nobisipsis intus est quod amittimus, qui ab illo sola exteriora perdebamus. Sed hanc hypocrita formam charitatis ignorat: quia plus terrena quàm cœlestia diligens, contra eum qui temporalia diripit, sese in intimis immani odio inflammat. Sciendum verò est, quia sunt nonnulli quos charitatis gremio nutriens mater Ecclesia tolerat, quousque ad spiritalis ætatis incrementa perducat, qui nonnunquam & sanctitatis habitum tenent, & perfectionis meritum ex equi non valent. Ad dona nanque spiritalia minimè assurgunt, & idcirco his qui sibi coniuncti sunt, ad tuenda ea quæ terrena sunt, seruiunt, & nonnunquam in defensionis eiusdem iracundia excedunt. Hos nequaquam credẽdum est hypocritarum numerum incurrere: quia aliud est infirmitate, aliud malitia peccare. Hoc itaque inter hos & hypocritas distat, quòd isti infirmitatis conscij malunt à cunctis de culpa sua redargui, quàm de ficta sanctitate laudari: illi verò & iniqua se agere certi sunt, & tamen apud humana iudicia de nomine sanctitatis, intumescunt. Isti non metuunt prauis hominibus etiam de bona actione displicere, dum superiis tantummodo iudiciis placeant: illi verò nunquam quid agant, sed quomodo de actione qualibet hominibus possint placere considerant. Isti iuxta modum suæ intelligentiæ, etiam in rebus seculi militant causis Dei: illi verò pro causis Dei, intentioni deseruiunt seculi: quia inter ipsa quoque quæ se agere sancta opera ostendunt, non conuersionem quærunt hominum, sed auras fauorum. Igitur dum quosdam non despectæ conuersationis viros, iracundè vel nimiè defendere terrena conspicimus, debemus hoc in illis per charitatem reprehendere, nec tamen eos reprehendendo desperare: quia plerunque vni eidémque homini & insunt quædam iudicabilia quæ apparent, & magna quæ latent. In nobis autem sæpe magna in facie prodeunt, & nonnunquam quæ reprehendenda sunt occultantur. Hinc ergo humilianda est nostræ mentis elatio, quòd & illorum infirma sunt publica, & nostra secreta: & rursum fortia illorum secreta sunt, & in publico nostra vulgãtur. Quos ergo de aperta infirmitate reprehẽdimus, superest vt de occultę fortitudinis æstimatione veneremur: & si de aperta se firmitate nostra mens eleuat, occulta sua infirma cõsiderans, sese in humilitate premat. Sæpe enim nõnulli multis

Psalm. 13.

Matth. 5.

1. Corin. 6.

Lucæ. 14.

præceptis obsequuntur, & quædam pauca prætereunt: & nos multa prætermittimus, cùm pauca seruamus. Vnde fit plerunque, vt quia quod seruare nos nouimus, hoc pręterire alios videmus, ilico nostra se in elatione mens eleuet, obliuiscēs quàm multa prætereat, cùm valde sint pauca quæ seruat. Necesse est igitur vt in quibus alios reprehendimus, elationem sollicitè nostræ cogitationis inclinemus: quia si sublimiorem se cæteris noster animus conspicit, quasi in præcipitio singularitatis ductus, eo peius ruit. Sed cur hypocrita cœlestia lucra deserens, terrena elaboret, sub struthionis adhuc nomine subiungit, dicens:

Quòd hypocritas dedit Deus in reprobum sensum, & ita excæcati sunt mente, vt electorum sanctitatem, & eorum rectorem Deum contemnant. Caput IX.

PRiuauit eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam.) Quanuis aliud sit priuare, aliud non dare: hoc tamen repetiit subdendo, non dedit, quod præmisit, priuauit. Ac si diceret: Quod dixit priuauit, non iniustè sapientiam abstulit, sed iustè non dedit. Vnde & Pharaonis cor Dominus obdurasse describitur, non quòd ipse duritiam contulit, sed quòd exigentibus eius meritis, nulla illud desuper infusi timoris sensibilitate molliuit. Sed nunc hypocrita quòd sanctum se simulat, quòd sub imagine boni operis occultat, sanctæ Ecclesiæ pace premitur, & idcirco ante nostros oculos religionis visione vestitur. Si qua verò tentatio fidei erumpat, statim lupi mens rabida, habitu se ouinæ pellis expoliat: quantúmque contra bonos sæuiat, persequens demonstrat. Vnde & rectè subditur: *Cùm tempus fuerit, in altum alas erigit, deridet equitem, & ascensorem eius.*) Quid enim alas huius struthionis accipimus, nisi pressas hoc tempore quasi complicitas hypocritę cogitationes? Quas cum tempus fuerit, in altum eleuat, quia opportunitate comperta, eas superbiendo manifestat. Alas in altum erigere, est per effrenatam superbiam cogitationes aperire. Nunc autem quia sanctum se simulat, quia in semetipso stringit quæ cogitat, quasi alas in corpore per humilitatem plicat.

12. Notandum verò est quòd non ait: Deridet equum & ascensorem: sed equitem & ascensorem eius. Equus quippe est vnicuique sanctæ animæ corpus suum, quod videlicet nouit, & ab illicitis continentiæ freno restringere, & rursum charitatis impulsu in exercitatione boni operis relaxare. Equitis ergo nomine anima sancti viri exprimitur, quæ iumentum corporis bene subditum regit. Vnde & Ioannes apostolus in Apocalypsi Dominum contemplatus ait: Et exercitus qui sunt in cœlo, sequebātur eum in equis albis. Multitudinem quippe sanctorum, quæ in hoc martyrij bello sudauerat, rectè exercitum vocat, qui idcirco in equis albis sedere referuntur: quia nimirum eorum corpora & luce iustitiæ & castimoniæ candore claruerunt. Deridet ergo hypocrita equitem: quia cùm ipse in aperto iniquitatis eruperit, electorum despicit sanctitatem: & elatus satuos appellat, quos pace pressus fidei, callida arte simulabat. Quis verò alius huius ascensor est equitis, nisi omnipotens Deus, qui & ea quæ non erant præuidens condidit, & ea quæ sunt possidens regit? Ascendit quippe equitem: quia iusti vniuscuiusque viri animum possidet, sua bene membra possidentem. Huic ergo hypocritæ deridere equitem est, sanctos despicere: deridere verò ascensorem equitis, est prosilire vsque ad iniuriam creatoris. Quia enim in vnoquoque lapsu à minimis semper incipitur, & succrescentibus defectibus ad grauiora peruenitur, rectè hypocritæ huius iniquitas per supposita detrimenta distinguitur: vt dicatur prius bonum se quod non sit ostēdere, postmodum verò bonos apertè despicere: ad extremū quoque vsq; ad iniuriam conditoris exilire. Nunquam quippe illic anima quò ceciderit iacet, quia voluntariè semel lapsa ad peiora pondere suæ iniquitatis impellitur: vt in profundum corruens semper adhuc profundius obruatur. Eat ergo hypocrita, & nunc suas laudes appetat, postmodum vitam proximorum premat, & quandoque se in irrisione sui cordis exerceat: vt quo elatiora semper excogitat, eo se suppliciis atrocioribus immergat. O quàm multos tales nunc sancta Ecclesia tolerat, quos cùm tempus eruperit, tentatio aperta manifestat. Qui voluntates suas quia contra eam modò non exerunt, quasi complicitas interim alas cogitationū premunt. Quia enim à bonis malísque hæc vita communiter ducitur, nunc Ecclesia ex vtrorúque numero visibiliter congregatur, sed Deo inuisibiliter iudicante discernitur, atque in exitu suo à reproborū societate separatur. Modò verò esse in ea, nec boni sine malis, nec mali sine bonis possūt. Hoc enim tempore cōiuncta vtraq; pars sibi necessariò congruit: vt & mali mutentur per exēpla bonorū, & boni purgētur per tentamenta malorum. Atque ideo Dominus postquam sub struthionis specie multa de hypocritarum reprobatione intulit, mox ad electorum sortem verba conuertit: vt qui in illis audierant quod fugientes tolerent, in istis audiant quod imitantesament. Sequitur:

Quòd ea quæ de rhinocerote dicta sunt, intelligi & aliter possunt. Caput X.

NVnquid præbebis equo fortitudinem, aut circundabis collo eius hinnitum?) Sed fortasse prius quàm huius equi fortitudinem hinnitumque disseramus, ab aliquibus quæritur, vt aliter etiam moralitate postposita, & rhinocerotis virtus, & struthionis huius fatuitas exponatur. Manna quippe est verbum Dei, & quicquid bene voluntas suscipientis appetit, hoc profectò in ore comedentis sapit. Terra est verbum Dei, quam quando labor inquirentis exigit, tantò largius fructum reddit. Debet ergo intellectus sacri eloquij multiplici inquisitione ventilari: quia & terra, quæ sæpius arando vertitur, ad frugem vberius aptatur. Quæ igitur & aliter de rhinocerote ac struthione sentimus, sub breuitate perstringimus: quia ad ea quæ obligatoria sunt, enodanda properamus. Rhinoceros iste, qui etiam monoceros in Græcis exemplaribus nominatur, tantæ esse fortitudinis dicitur, vt nulla venantium virtute capiatur. Sed sicut hi asserunt, qui describendis naturis animalium laboriosa inuestigatione sudauerunt, virgo ei puella proponitur, quæ venienti sinum aperit, in quo ille omni ferocitate postposita caput deponit, sicque ab eis à quibus capi quæritur, repente velut inermis inuenitur. Buxei quoque coloris esse describitur, qui etiam cum elephantis quando certamen aggreditur, eo cornu quod in nare singulariter gestat, ventrem aduersantium ferire perhibetur, vt cùm ea quæ molliora sunt vulnerat, impugnantes se facilè sternat. Potest ergo per hunc rhinocerotem, vel certè monocerotem, scilicet vnicornem, ille populus intelligi, qui dum de accepta lege non opera, sed solam inter cunctos homines elationem sumpsit, quasi inter cæteras bestias cornu singulare gestauit. Vnde passionem suam Dominus Propheta canente pronuntians, ait: Libera me de ore leonis, & de cornibus vnicornium humilitatem meam. Tot quippe in illa gente vnicornes, vel certè rhinocerotes extiterunt, quot contra prædicamenta veritatis de legis operibus, singulari & fatua elatione confisi sunt. Beato igitur Iob sanctæ Ecclesiæ typum tenenti dicitur: Nunquid volet Rhinoceros seruire tibi? Ac si apertè dicatur: Nunquid illum populum quem superbire in nece fidelium stulta sua elatione consideras, sub iure tuæ prædicationis inclinas: subaudis, vt ego, qui & contra me illum singulari cornu extolli conspicio, & tamen mihi cùm voluero, protinus subdo. Sed hoc melius ostendimus, si de genere ad speciem transeamus. Ille ergo ex hoc populo & prius in superbia, & postmodum præcipuus testis in humilitate nobis ad medium Paulus ducatur, qui dum contra Deum, se quasi de custodia nesciens extulit, cornu in nare gestauit. Vnde & hocipsum naris cornu per humilitatem postmodum inclinans, dicit: Qui prius fui blasphemus & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. In nare cornu gestabat, qui placiturum se Deo de crudelitate confidebat, sicut ipse postmodum semetipsum redarguens dicit: Et proficiebam in Iudaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum traditionum. Huius autem Rhinocerotis fortitudinem omnis venator extimuit: quia Sauli sæuitiam vnusquisque prædicator expauit. Scriptum nanque est: Saulus adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotū, & petiit ab eo epistolas in Damascum

13. *Rhinocerotis fortitudo.*

Modus capiendi eius.

1. *Tim.* 1.

Galat. 1.

Acto. 9.

mascum ad synagogas, vt si quos inuenisset huius viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Hierusalē. Cùm flatus nare reddendus trahitur, spiratio vocatur, & illud sæpe per odorē nare deprehendimus, quod oculis non videmus. Rhinoceros ergo iste nare gestabat cornu quo percuteret: quia minarum & cædis in Domini discipulos spirans, postquam præsentes interfecerat, absentes querebat. Sed ecce omnis ante illum venator absconditur, id est, omnis homo rationale sapiens opinione timoris eius effugatur. Vt ergo hunc Rhinocerotem capiat, sinum suum virgo, id est secretum suum ipsa per se inuiolata in carne Dei sapientia expandat. Scriptū quippe est, quòd cùm Damascum pergeret, subitò circunfulsit illum die media lux de cœlo, & vox facta est, dicens: Saule Saule quid me persequeris? Qui prostratus in terra respondit: Quis es Domine? Cui ilico dicitur: Ego sum Iesus Nazarænus, quem tu persequeris. Virgo nimirum rhinoceroti sinum suum aperuit, cùm Saulo incorrupta Dei sapientia incarnationis suæ mysterium de cœlo loquendo patefecit: & fortitudinem suam rhinoceros perdidit, quia prostratus humi, omne quod superbum tumebat, amisit. Qui dum sublato oculorum lumine, manu ad Anāniam ducitur, patet iam rhinoceros iste, quibus Dei loris astringitur: quia videlicet vno in tempore cæcitate, prædicatione, baptismate ligatur. Qui etiam ad Dei præsepe moratus est, quia ruminare verba Euangelij dedignatus nō est. Ait enim: Ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito. Ascendi autem secundum reuelationem, & contuli cum illis Euangelium. Et qui prius ieiunus audierat: Durum est tibi contra stimulum calcitrare: mira postmodum virtute præsidentis pressus, ex verbi pabulo vires obtinuit, & calcem superbiæ amisit. Loris quoque Dei non tantum à feritate restingitur, sed quod magis sit mirabile, ad arandum ligatur, vt non non solùm homines crudelitatis cornu non impetat, sed eorum etiam refectioni seruiens, aratrum prædicationis trahat. Ipse quippe de euāgelizantibus quasi de arantibus dicit: Debet em̄ in spe qui arat arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Qui igitur tormenta prius fidelibus irrogauerat, & pro fide postmodum flagella libēter portat, qui scriptis etiam epistolis humilis ac despectus prædicat, quod dudum terribilis impugnabat, profectò bene ligatus sub aratro desudat ad segetem, qui viuebat in campo malè liber à timore. De quo rectè dicitur: *Aut confringet glebas vallium post te?*) Iam scilicet Dominus quorundam mentes intrauerat, qui illum veraciter humani generis redemptorem credebant. Qui tamen cùm nequaquam à pristina obseruatione recederent, cùm dura literæ prædicamenta custodirent, eis prædicator egregius dicit: Si circuncidamini, Christus vobis nihil proderit. Qui ergo in humili mente fidelium legis duritiam redarguendo contriuit, quid quàm in valle post Dominum glebas fregit? ne videlicet grana seminum, quæ excisus aratro fidei sulcus cordis exciperet, per custodiam literæ pressa deperirent. De quo bene adhuc subditur: *Nunquid fiduciam habebis in magnā fortitudine eius, & derelinques ei labores tuos?*) In Rhinocerotis huius fortitudine fiduciam Deus habuit: quia quantò illum crudelius sibi dura inferentem pertulit, tantò pro se cōstantius tolerantem aduersa prescuit. Cui labores etiam quos ipse in carne pertulerat dereliquit: quia conuersum illum vsque ad imitationem propriæ passionis traxit. Vnde & per eundem rhinocerotem dicitur: Suppleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea. De quo adhuc subditur: Nunquid credes ei quòd reddat sementem tibi, & aream tuam cōgreget? Consideremus Saulum quis fuerit, cùm ab ipsa adolescentia lapidantium adiutor existeret, cùm alia Ecclesiæ loca uastaret, & acceptis epistolis vastanda alia peteret, cùm mors & fidelium nulla sufficeret, sed semper ad aliorum interitum aliis extinctis anhelaret: & profectò cognoscimus quia nullus tunc fidelium crederet, quòd ad iugum Deus suæ formidinis, vim tantæ elationis inclinaret. Vnde & Ananias voce dominica hunc & postquam conuersum audiuit extimuit, dicens: Domine audiui à multis de viro hoc, quanta mala sanctis tuis fecerit in Hierusalem. Qui tamen repente commutatus ab hoste prædicator efficitur, & in cunctis mundi partibus redemptoris sui nomen insinuat, supplicia pro veritate tolerat, pati se quæ irrogauerat exultat, alios blandimentis vocat, alios ad fidem terroribus reuocat. Istis regnū pollicetur cœlestis patriæ, illis minatur ignes gehennæ. Hos per authoritatem corrigit, illos ad vitam rectitudinis per humilitatem trahit, atque in omni latere ad manum se sui rectoris inclinat, & tanta arce Dei aream congregat, quanta illam prius elatione ventilabat. Sed neque hoc abhorret à Paulo, quod Rhinoceros buxei coloris dicitur, & elephantorū ventres cornu ferire perhibetur. Quia enim viuere sub rigore legis assueuit, arctius cæteris in illo custodia vniuscuiusque virtutis inoleuit. Quid enim per colorem buxeum nisi abstinentię pallor exprimitur? Cui ipse tenaciter adhærere testatur dicens: Castigo corpus meum, & seruituti subiicio, ne fortè aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. Qui diuinæ legis eruditione præditus, dum aliorum ingluuiem redarguit, cornu elephantes in ventrem ferit. In ventrem quippe elephantes percusserat, cùm dicebat: Multi ambulant quos sæpe dicebam vobis: nunc autem & flens dico inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorū. Et rursum: Huiusmodi Christo Domino nō seruiunt, sed suo ventri. Cornu suo igitur Rhinoceros iste non iam homines, sed bestias percutit: quando illa Paulus doctrinæ suę fortitudine nequaquam perimendos humiles impetit, sed superbos ventris cultores occidit. Quæ ergo in Paulo scripta cognouimus, supereſt vt facta & in aliis credamus. Multi quippe ad humilitatis gratiam ex illius populi elatione conuersi sunt, quorū sæuitiā Dominus dū sub iugo inspirati timoris edomuit, nimirum Rhinocerotis sibi fortitudinē subegit. Sed quia mira Dei potentia quid de electis egerit audiuimus, nunc mira eius patientia in his quos † reprobat, qui tolerauerit, audiamus. *Penna struthionis similis est pennis herodij & accipitris.*) Quid struthionis nomine, nisi synagoga signatur? quæ alas legis habuit, sed corde in infimis repens, nunquam se à terra subleuauit: Quid verò per herodium & accipitrem, nisi antiqui patres exprimuntur, qui ad ea quæ potuerunt intelligendo perspicere, valuerunt etiam viuendo peruolare? Penna igitur struthionis, herodij & accipitris pennæ est similis: quia synagogæ vox priorum doctrinam loquendo tenuit, sed viuendo nesciuit. Vnde & eiusdem synagogæ populos de Pharisæis atque scribis veritas admonet, dicens: Super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite, secundum opera verò eorum nolite facere. Multa autem dicere de herodij vita potuimus, sed quia penna eius tantummodo ad memoriam deducitur, de vita loqui prohibemur. *Quando derelinquit in in terra oua sua, tu forsitan in puluere calefacies ea?*) In ouis aliud est quod cernitur, aliud quod speratur: & videri spes non potest, Paulo attestante qui ait: Quod enim videt quis, quid sperat? Quid ergo per struthionis oua, nisi de synagogæ carne editi Apostoli designantur? qui dum se in mundo despectos atque humiles exhibent, sperare gloriam in supernis docent. Abiecti nanque & quasi nullius momenti apud elatos habiti, in terra velut oua iacuerunt: sed intus in eis latebat vnde viuerent: & subleuati spei pennis ad cœlestia volarent. Quæ oua struthio in terra derelinquit: quia eos, quos carne genuerat synagoga Apostolos audire contemnens, vocandæ gentilitati deseruit. Mira autem potentia Dominus hæc eadem in puluere oua calefacit: quia viuos Apostolorum fœtus in illa abiecta duduṁ gentilitate suscitauit: & quos synagoga velut insensatos inuiuificatósque despexerat, ipsi nunc in veneratione gentium per doctrinæ magisterium viuentes volant. Oua sua struthio in puluere derelinquit: quia & omnes quos prædicando synagoga genuit, à terrenis desideriis minimè suspendit. Quæ nimirum desideria quia antiquus hostis concepta in corde inuenit, obsessas mentes etiam in sceleribus rapit. Vnde & subditur: *Obliuiscitur quòd pes conculcet ea, & bestia agri conterat.*) Tunc oua pes calcat, & bestia agri conterit, cùm in terra deseruntur: quia videlicet humana corda dum semper terrena cogitare, semper quæ ima sunt agere appetunt, ad conterendum se agri bestiæ, id est, diabolo sternūt: vt cùm diu in infima cogitatione abiecta sunt, quandoque etiam maiorum criminum perpetratione frangantur. Synagoga ergo oua quæ genuit, à terra suspendere bene viuendo neglexit. Sed omnipotens Deus multos eius filios quanuis in

Ibidem.

Galat. 2.

Acto. 9.

1. *Cor.* 9.

14.

Galat. 5.

Colos. 1.

Act. 7. & 8.

Acto. 9.

15.

1. *Cor.* 9.

†. *vel, reprobans tolerauit.*

Matth. 23.

16.

Rom. 8.

terrenis desideriis mortuos ac frigidos reperit, calore tamen
E sui amoris amauit. Sed vitam quam filiis synagoga non dedit,
hanc postmodum inuidit; dum moliretur persequendo ex-
tinguere, quos se ad bona opera non meminerat fouendo ge-
nuisse. Vnde & aptè de hoc struthione subditur: *Duratur ad
filios quasi non sint sui.*) Quasi non suos despicit, quos aliter vi-
uere quàm docuit ipsa deprehendit: & durescente sæuitia ter-
rores admouet, séque in eorum cruciatibus exercet, atque in-
uidiæ facibus inflammata, in quibus non laborauit vt possint
viuere, laborat vt debeant interire: & cùm Domini membra
Ioan.16. persequitur, placere se per hoc Domino suspicatur. Vnde &
eisdem struthionis ouis veritas dicit: Venit hora vt omnis
qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.
Quia ergo dum crudelitate ad persequendum synagoga du-
citur, hoc se agere impulsu diuini timoris arbitratur, rectè sub-
iungitur: *Frustra laborauit, nullo timore cogente.*) In labore quip-
pe illam persecutionis anhelare non timor sed crudelitas coë-
git. Sed quia plerunque vitia colore virtutum tincta, tantò
nequiora sunt, quantò & esse vitia minimè cognoscuntur: eo
in persecutione synagoga durior extitit, quo religiosiorem
se fieri fidelium mortibus æstimauit: & idcirco quæ ageret,
discernere omnino non potuit: quia lumen sibi intelligentiæ
per superbiæ abiectionem clausit. Vnde & bene subditur:
Priuauit eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam.) Districtum
quippe est occultæ retributionis examen: & quia sciens hu-
militatem perdidit, etiam veritatis intelligentiam nesciens a-
misit. Valde autem minora sunt vulnera quæ in redemptoris
aduentu fidelibus intulit, quàm ea quibus sanctam Ecclesiam
adhuc per aduentum antichristi ferire cõtendit. Ad illud nan-
que se tempus præparat, vt vitam fidelium coaceruatis viri-
17 bus premat. Vnde & aptè subditur: *Cùm tempus fuerit, in al-
tum alas erigit: deridet equitem & ascensorem eius.*) In altum struthio alas erigit, quando suo conditori synagoga non vt antea formidando, sed apertè iam repugnãdo contradicit. In membra quippe diaboli transiens, & mendacij hominem Deum credens, contra fideles tantò in altum extollitur, quantò & G Dei corpus se esse gloriatur. Quæ quia non solùm humanitatem Domini, sed ipsam etiam diuinitatem despicit, non tantum equitem, sed ascensorem etiam equitis irridet. Nam custodita vnitate personę valet intelligi, quia verbum Dei tunc equitem ascẽdit, quando animatam carnem sibi intra vterum Virginis cõdidit. Tunc equitem ascendit, quando humanam animam propriæ carni præsidẽtem, diuino cultui semetipsum creando subiugauit. Carnem quippe diuinitas anima mediãte suscepit, & per hoc totũ simul equitẽ tenuit: quia in semetipso non solùm illam quæ regebatur, sed hanc etiam quæ regebat astrinxit. Iudæa igitur per aduentum superbientis antichristi laqueo seductionis capta: quia redẽptorem nostrum humilem fuisse inter homines despicit: deridet equitẽ, quia eius in omnibus diuinitati cõtradicit: deridet nihilominus & ascẽsorem. Sed Redemptor noster vnus idémque, eques, & equitis est ascensor: & cùm in mundum venit, fortes contra mundum prædicatores exhibuit: & cùm in mundi termino antichristi fallaciam tolerat, virtutem pro se certantibus subministrat: vt cùm antiquus hostis in illa sua citius finiẽda libertate laxatur, fideles nostri tantò maiores vires accipiant, quantò contra aduersarium solutum pugnant. Vnde hîc cum struthio alas eleuare, ascensorem & equitem deridere describitur, ilico fortium prædicatorum memoria subrogatur, & dicitur: *Nunquid præbebis equo fortitudinem: aut circundabis collo eius hinnitum?*)

18 In scriptura sacra equi nomine aliquando lubrica vita prauorum, aliquando dignitas temporalis, aliquando hoc ipsum præsens seculum, aliquando præparatio rectæ intentionis, aliquando sanctus prædicator exprimitur. Equi enim nomine
Psalm.31. lubrica prauorum vita signatur, sicut scriptum est: Nolite fieri
Hiere.5. sicut equus & mulus. Et sicut per Prophetam alium dicitur: Equi amatores & emissarij facti sunt: vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat. Equi nomine dignitas tem-
Eccles.10. poralis accipitur, Salomone attestante, qui ait: Vidi seruos in equis, & principes ambulantes quasi seruos super terram. Omnis quippe qui peccat, seruus est peccati: & serui in equis sunt, cùm peccatores præsentis vitæ dignitatibus efferuntur. Principes verò quasi serui ambulant, cùm multos dignitate

E virtutum plenos nullus honor erigit: sed summa hîc aduersitas velut indignos deorsum premit. Hinc rursum dicitur: Dormitauerunt qui ascenderunt equos, id est, in morte animę mentis oculos à veritatis luce clauserunt, qui in præsentis vi- Psalm.75.
tæ honore confisi sunt. Equi nomine hoc ipsum præsens seculum designatur, sicut Iacob voce dicitur: Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat as- Gene.49.
censor eius retrò. Quo in testimonio quid equus significet melius ostendimus, si & ea quæ circunstant, paulò subtilius exponamus. Nonnulli enim de tribu Dan venire antichristum ferunt: pro eo quòd hoc loco Dan, & coluber asseritur & mordens. Vnde & non immeritò dum Israëliticus populus terras in castrorum partitionem susciperet, primus Dan ad Nume.2.
Aquilonem castrametatus est: illum scilicet signans qui in corde suo dixerat: Sedebo in monte testamenti; in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, similis erò Esaiæ.14.
Altissimo. De quo & per Prophetam dicitur: A Dan auditus est fremitus equorum eius. Qui non solùm coluber, sed etiam F Hiere.8.
cerastes vocatur. Cerata enim Græcè cornua dicuntur, serpénsque hic cornutus esse perhibetur, per quem dignè antichristi aduentus asseritur: quia contra fidelium vitam cum morsu pestiferæ prædicationis, armatur etiam cornibus potestatis. Quis autem nesciat semitam angustiorem esse quàm viam? Fit ergo Dan coluber in via: quia in præsentis vitæ latitudine eos ambulare prouocat, quibus quasi parcendo blanditur: sed in via mordet: quia eos quibus libertatem tribuit, erroris sui veneno consumit. Fit cerastes in semita: quia quos fideles reperit, & sese ad præcepti cœlestis angusta itinera constringentes, non solùm nequitia callidæ persuasionis impetit, sed etiam terrore potestatis premit: & in persecutionis languore post beneficia fictæ dulcedinis exercet cornua potestatis. Quo in loco equus hunc mundum insinuat, qui per elationem suam in cursu labentiũ temporum spumat. Et quia antichristus extrema mundi apprehẽdere nititur, cerastes iste equi vngulas mordere perhibetur. Vngulas quippe equi mordere, est extrema seculi feriendo contingere. Vt cadat ascensor eius retrò. Ascensor equi est quisquis extollitur in dignitatibus mundi. Qui retrò cadere dicitur, & non in faciem: sicut Saulus cecidisse memoratur. In faciem enim cadere, est in
hac vita suas vnumquemque culpas agnoscere, cásque pœni- Acto.9.
tendo deflere. Retrò verò quò non videtur cadere, est ex hac vita repente decedere, & ad quæ supplicia ducatur ignorare. Et quia Iudæa erroris sui laqueis capta, pro Christo antichristum expectat, bene Iacob eodem loco repente in electorum voce conuersus est dicens: Salutare tuum expectabo Domi-
ne, id est, non sicut infideles antichristum, sed eum qui in re- Gene.49.
demptionem nostram venturus est, verum credendo fideliter Christum. Equi nomine præparatio rectæ intentionis accipitur, sicut scriptum est: Equus paratur in diem belli, sed Prouer.21.
Dominus salutem tribuit: quia contra tentationem quidem se animus præparat, sed nisi adiuuetur desuper, salubriter non decertat. Equi nomine sanctus quisque prædicator accipitur, Propheta attestante qui ait: Misisti in mare equos tuos, tur-
H bantes aquas multas. Quietæ quippe aquæ iacuerunt: quia hu-
manæ mentes diu sub vitiorum suorum torpore sopitæ sunt. Abac.3.
Sed equis Dei mare turbatum est: quia missis sanctis prædicatoribus, omne cor quod pestifera securitate torpuit, impulsu salutiferi timoris expauit. Hoc itaq; loco equi nomine sanctus prædicator accipitur, cùm beato Iob dicitur:

Quòd prædicatores à Deo & vitam habeant & doctrinam.
Caput XI.

N*Vnquid præbebis equo fortitudinem, aut circundabis collo eius* 19
hinnitum?) Sed quid est quòd huic equo Dominus se prius dare fortitudiuem, & postmodum collo eius hinnitum circundare asserit? Hinnitu enim vox prædicationis exprimitur. Verus autem quisque prædicator antè fortitudinem, & pòst hinnitum accipit: quia cùm in se prius vitia extinxerit, tunc pro erudiẽdis aliis ad vocem prędicationis venit. Equus iste habet fortitudinem: quia aduersa constanter tolerat. Habet hinnitum: quia ad superna blandiens vocat. Huic equo Dominus & fortitudinem & hinnitum se dare testatur: quia in prędicatore eius nisi & vita & sermo conuenerint, nequa-
quam

quàm virtus perfectionis apparebit. Non enim multum pro-
A dest si sublimis vitæ operatione suffultus sit, si tamen loquen-
do non valet ad hoc alios excitare quod sentit. Vel quid pro-
dest bene loquendo alios accendere, si semetipsum indicat
malè viuendo torpuisse? Quia ergo in prædicatore necesse est
vt ad perfectionem vtraque conueniant, equo suo Dominus
& cum actionis fortitudine hinnitum vocis, & cum hinnitu
vocis fortitudinem ministrat actionis. Et notandum cur hin-
nitus qui interius nimirum per guttur ducitur, equi collo cir-
cundari, id est, quasi per gyrum trahi exterius dicatur: quia
videlicet prædicationis vox de internis emanat, sed extrà cir-
cundat. Nam quo alios ad bene viuendum suscitat, eo ad bene
agendum & opera prædicantis ligat: ne extra sermonem actio
transeat, ne voci vita contradicat. Collo ergo equi hinnitus
circunducitur: quia ne ad peruersa opera prodeat, suis voci-
bus etiam vita prædicantis obsidetur. Hinc est enim quòd
potenter dimicantibus in munere torques datur: vt quia signa
virtutum gestant, maiora semper exerceãt, & debilitatis cri-
men incurrere metuant; dum in semetipsis iam fortitudinis B
est præmium quod ostentant. Vnde rectè in laude sapien-
Eccles.2. tiæ auditori cuilibet per Salomonem dicitur: Coronam gra-
tiarum accipies capiti tuo, & torquem auream collo tuo. Se-
quitur:

Quòd sancti viri in tentationum ardoribus feruentiores inueniuntur, & impellentes se validis conatibus ad cœlestia rapiuntur.
Caput XII.

N*Vnquid suscitabis eum quasi locustas?*) Locustarum nomine aliquando Iudaicus populus, aliquando conuersa gentilitas, aliquando adulantium lingua, aliquando verò per comparationẽ resurrectio dominica vel prædicatorum vita signatur. Quia enim Iudæorum populum locustæ exprimant, vita Ioannis signat, de quo scriptum est: Locustas & mel sylueſtre
Matth.3. edebat. Ioannes quippe eum quem prophetiæ authoritate pronuntiat: etiam specie ciborum clamat. In semetipso enim designauit Dominum quem præuenit. Qui nimirum in redẽptionem nostram veniens: quia infructuosæ gentilitatis dulcedinem sumpsit mel sylueſtre edit. Quia verò Iudęorũ plebem in suo corpore ex parte conuertit, in cibo locustas accepit. Ipsos nanque locustæ significant, subitos saltus dantes, sed protinus ad terram cadentes. Saltus enim dabant, cùm præcepta Domini se implere promitterent: sed citius ad terram
Exod.24. cadebant, cùm per praua opera hæc se audisse denegarent. Videamus in eis quasi quendam locustarum saltum: Omnia verba quę locutus est Dominus, & faciemus & audiemus. Videamus autem quomodo citius ad terram ruunt: Vtinam mortui
Nume.14. essemus in Aegypto, & non in hac vasta solitudine. Vtinam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram istam. Locustæ ergo erant, quia habebant saltum per vocem, & casum
20. per actionem. Locustarum quoque nomine gentilitas de-
Eccles.12. signatur, Salomone attestante, qui ait: Florebit amygdalum, impinguabitur locusta, dissipabitur capparis. Amygdalum quippe florem prius cunctis arboribus ostendit. Et quid in flore amygdali, nisi sanctæ Ecclesiæ primordia designantur? quæ in prædicatoribus suis primitiuos virtutum flores aperuit, & ad inferenda poma bonorum operum, venturos sanctos quasi arbusta sequentia præuenit. In qua mox locusta impinguata est: quia sicca gentilitatis sterilitas pinguedine est gratiæ cœlestis infusa. Capparis dissipatur: quia cùm gratiam fidei vocata gentilitas attigit, Iudæa in sua sterilitate rema-
Prouer.30. nens, bene viuendi ordinem amisit. Hinc rursum per eundem Salomonem dicitur: Regem locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas suas: quia videlicet derelicta gentilitas, aliena dudum à diuino regimine extitit: sed tamen ordinata pòstmodum contra aduersantes spiritus ad fidei bellum pro-
Locusta lingua adulantis. cessit. Locustæ vocabulo lingua adulantis exprimitur: quod exhibitæ cœlitùs Aegyptiæ plagæ testantur, quæ exigentibus meritis corporaliter semel illatæ sunt: sed quæ mala prauas
Exod.10. mentes quotidie feriant, spiritaliter signauerunt. Scriptum nãque est: Ventus vrens leuabat locustas, quæ ascenderunt super vniuersam terram Aegypti: operuerunt que vniuersam faciem terræ, vastantes omnia. Deuorata est igitur herba terræ, & quicquid pomorum in arboribus fuit. His enim Aegyptus plagis affecta est, in quibus exteriori percussione commota,

dolénsque perpenderet que deuastationis damna interius ne-
A gligens toleraret: vt dum foris perire minima, sed amplius di-
lecta cerneret, per eorum speciem, quæ intus pertulerat gra-
uiora sentiret. Quid autem per significationem locustæ por-
tendunt, quæ plusquam cætera minima quęque animantia hu-
manis frugibus nocent: nisi linguas adulantium, quæ terre-
norum hominum mentes, si quando bona aliqua proferre cõ-
spiciunt, hæc immoderatius laudando corrumpunt? Fructus
quippe Aegyptiorum est operatio cenodoxorum, quam lo-
custæ exterminant, dum adulantes linguæ ad appetendas lau-
des transitorias cor operãtis inclinant. Herbam verò locustæ
comedunt, quando adulatores quique verba loquentium fa-
uoribus extollunt. Poma quoque arborum deuorant, quando
vanis laudibus quorundam iam quasi fortium & opera eneru-
ant. Locustæ nomine per comparationem redemptoris no-
stri resurrectio designatur. Vnde & voce eius per Prophe- 21.
tam dicitur: Excussus sum sicut locusta. Teneri enim à per- Psal.108.
secutoribus vsque ad mortem pertulit: sed sicut locusta ex-
cussus est: quia ab eorum manibus saltu subitæ resurrectionis
euolauit. Quod referri quoque ad prædicatorum numerum
potest. In ipsis quippe sicut locusta excussus est: quia Iudæa
in sua persecutione sæuiente, dum per diuersa fugiunt, quasi
quosdam recessionis suæ saltus dederunt. Quia verò ille præ-
dicator ad perfectionis culmen erigitur, qui non actiua so-
lummodo, sed etiam contemplatiua vita solidatur: rectè ipsa
prædicatorum perfectio locustis exprimitur: quæ quoties se
in aëra attollere conãtur, primum se cruribus impellentes sub-
leuant, & postmodum alis volant. Ita nimirum sunt sancti
viri: qui dum superna appetunt, primùm quidem actiuæ vitæ
bonis operibus innituntur: & tunc demum se ad sublimia per
contemplationis saltum volando suspendunt. Crura figunt,
& alas exerunt: quia rectè agendo stabiliuntur, & alta viden-
do subleuantur. Qui in hac vita positi, diuina contemplatio-
ne manere non possunt: sed quasi locustarum more, à saltu
quem dederant, in pedibus suis se excipiunt, dum post con-
templationum sublimia, ad necessaria actiuæ vitæ opera re-
C uertuntur: nec tamen in eadem vita actiua remanere contenti
sunt. Sed dum ad contemplationem desideranter exiliunt,
quasi rursus aëra volantes petunt, vitámque suam quasi locu-
stæ ascendentes descendentésque peragunt: dum sine cessa-
tione semper & summa videre appetunt, & ad semetipsos na-
turæ corruptibilis pondere reuoluuntur. Est adhuc aliud
quod locustæ simile sanctis prædicatoribus gerunt. Matuti-
nis nanque horis, id est, teporis tempore vix à terra se sub-
leuant: cùm verò æstus exarserit, tantò altius, quantò alacrius
volant. Sanctus autem quisque prædicator dum quieta fidei
tempora conspicit, humilis despectus aspicitur, & locustæ
more quasi vix à terra subleuatur. Si autem persecutionis ar-
dor † incandeat, corde cœlestibus inhærens, mox quantæ † al. incta-
sit sublimitatis ostendit: & pulsatus alis in altum rapitur, qui leat.
quietus in imis torpuisse videbatur. De hoc ergo equo, id est,
prædicatore suo beato Iob Dominus dicit: *Nunquid suscita-*
bis eum quasi locustas?) Subaudis, vt ego: qui eò illum ad altio-
D ra excitando subleuo, quò grauiore persecutionis æstu ex-
cruciari permitto: vt tunc in illo robustior virtus cuigilet,
cùm se ei ardentior infidelium crudelitas illidit. Sed cùm mul-
ta exterius sanctus prædicator patitur, cùm dira persequen-
tium vexatione cruciatur: quis intueri valet quid est quod
intus cõspicit, qui tot sua exterius damna nõ sentit? Nisi enim
essent mira quæ salubriter intus pascerent: ea proculdubio
quæ admouentur exterius, vsque ad cor tormenta peruenirent.
Sed in arce spei se animus subleuat, & idcirco obiectæ
seditionis iacula minimè formidat. Vnde & hoc loco Domi-
nus vt ostendat, equus iste quàm suauia iã de internis odoretur,
cùm tot aduersa in exterioribus patitur, rectè subiungit:
Gloria narium eius terror.) In scriptura sacra vocabulo nariũ
aliquando fatuitas, aliquando antiqui hostis instigatio, ali-
quando verò præscientia solet intelligi. Naribus nanque fa-
tuitas designatur, sicut iam superius Salomone attestante
didicimus, qui ait: Circulus aureus in naribus suis mulier Prouer.11.
pulchra & fatua. Narium nomine exhalantes insidiæ atque
instigatio antiqui hostis accipitur, quod in hoc eodem
libro de illo Dominus attestatur, dicens: De naribus eius Iob 41.

procedit fumus. Ac si dicat: De peruersa instigatione illius in humanis cordibus caligo nequissimæ cogitationis surgit: per quam videntium oculi tenebrescant. Naribus quoque præscientia designatur, sicut per Prophetam dicitur: Quiescite ab homine cuius spiritus est in naribus eius: quia excelsus reputatus est ipse. Sæpe enim id quod non videmus, odore comprehendimus, ita vt nonnullæ res etiam cùm longè iaceant, fragantiam nobis suæ qualitatis innotescant: dúmque per nares spiritum ducimus, plerunque aliqua & inuisa præscimus. Redemptoris ergo nostri spiritus esse in eius naribus dicitur: vt videlicet scientia illius esse in præscientia designetur: quia quæcunque se scire in natura humanitatis innotuit, hæc nimirum ante sæcula ex diuinitate præsciuit. Qui vnde spiritum in naribus habuerit, mox per Prophetam subiunxit, dicens: Quia excelsus reputatus est ipse. Ac si diceret: In inferioribus ventura desuper præsciuit: quia ad ima de cœlestibus venit. Sancti etiam viri quia ab illo audita crediderunt, ipsi quoque iam ventura præsciunt: dúmque eius fideliter præceptis inseruiunt, aduentum illius spe certa præstolantur. Vnde & hoc loco equi huius naribus prædicatoris sancti præsciētia ac præstolatio designatur. Dum enim venire extremum iudicium, ostēdi cœlestem patriam, persolui iustis præmia appetit, quasi per nares spiritum de futuris trahit. Sed gloria narium eius terror est: quia visionem districti iudicis, quam iustus vehementer expectat, iniustus venire formidat. Iste nanque labores suos considerans, mercedem retributionis quærit: & causæ suæ meritum sciens, præsentiam iudicis expetit: eúmque vt veniat in flamma ignis dans vindictam impiis, & contemplationis suæ speciem in retributione deferens, piissimo ardore concupiscit. Ille verò qui iniustitiæ suæ meminit, venire iudicium perhorrescit, actūsque suos examinari metuit: quia damnari si examinentur nouit. Gloria ergo narium eius terror est: quia iustus inde gloriatur, vnde peccator pœnæ addicitur. Videamus equum quomodo de his quæ adhuc non videt, iam per nares spiritum trahit. Videamus quanta gloria attollitur, cùm iam ventura præstolatur. Ecce labores suos intuens prædicator egregius dicit: Ego iam delibor, & tempus meæ resolutionis instat. Bonum certamen certaui, cursum cōsummaui, fidem seruaui. De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Vbi & aptè subiungit: Non solùm autem mihi, sed & his qui diligunt aduentum eius. Ac si dicat: Sed & omnibus qui sibi de bona operatione sunt conscij, Aduentum enim iudicis non diligunt, nisi qui in causa sua se habere iustitiæ meritum sciunt. Quia igitur vnde gloriatur iustus, inde terretur iniustus, dicatur rectè: *Gloria narium eius terror.*) Sed sanctus iste prædicator dum venturam gloriam præstolatur, dum venire ante faciem iudicis nititur, dúmque à laboris sui adhuc mercede differtur, in hac vita interim positus quid agat audiamus. Sequitur:

Esaiæ.2. *Ibidem.* *2.Timot.4.*

Quòd sancti viri quasi fodientes puteos terrenas cogitationes de cordibus auditorum eiiciunt: nec Allophylis volentibus implere quæ effodiunt, ab ipsa effossione quiescunt.

Caput XIII.

TErram vngula fodit.) Solet in equi vngula laboris fortitudo cognosci. Quid ergo per vngulam, nisi in prædicatore sancto virtutum perfectio designatur? Qua videlicet vngula terram fodit, cùm de corde audientium exemplo suorum operum terrenas cogitationes eiicit. Vngula terram fodit: quia auditorum corda à secularibus curis euacuat, cùm doctor bonus contemni seculum opere ostentat. Videamus Paulum terram cordis audiētium, qua ostensæ virtutis vngula fodiat. Ipse nanque discipulis dicit: Hæc cogitate, quæ & didicistis & accepistis & audistis & vidistis in me, hæc agite: & Deus pacis erit vobiscum. Et rursum: Imitatores mei estote fratres, sicut & ego Christi. Qui igitur exemplo sui operis alios corrigit: nimirum vngula terram fodit. Habemus aliud quod adhuc subtilius de huius vngulæ effossione tractemus. Sancti enim viri quanuis intento mentis oculo in supernis euigilent, quanuis cuncta quæ in ima pręterfluunt, pede rigidi cōtemptus calcent, ex corruptione tamen terrenæ carnis cui adhuc alligati sunt, plerunque cogitationum puluerem in corde patiuntur. Cúmque foris aliis ad appetēda cœlestia persuadent, semetipsos semper intrinsecus subtili inquisitione discutiunt: ne qua immorante in se diu infima cogitatione polluantur. Equus ergo iste vngula terram fodit, cùm prædicator quisq; inquisitione forti terrenas in se cogitationes discutit. Equus vngula terram fodit, quando is cui iam Dominus præsidet, quæ sibi moles congeritur ex vetusta cogitatione, considerat, séque ab illa flendo euacuare non cessat. Vnde bene & Isaac apud alienam gentem puteos fodisse describitur. Quo videlicet exemplo discimus: vt in hac peregrinationis ærumna positi, cogitationum nostrarum profunda penetremus: & quousque nobis veræ intelligentiæ aqua respondeat, nequaquam nostræ inquisitionis manus ab exhaurienda cordis terra torpescat. Quos tamen puteos Allophyli insidiātes replent: quia nimirum immundi spiritus cùm nos studiosè cor fodere conspiciunt, cōgestas nobis tentationum cogitationes ingerunt. Vnde semper mens euacuanda est, incessantérque fodienda: ne si indiscussa relinquitur, vsque ad tumorem peruersorum operum, cogitationum super nos terra cumuletur. Hinc ad Ezechielem dicitur: Fili hominis fode parietem, id est, cordis duritiam crebris perscrutationum ictibus rumpe. Hinc ad Esaiam Dominus dicit: Ingredere in petram, abscondere fossa humo, à facie timoris Domini, & à gloria maiestatis eius. Petram quippe ingredimur, cùm cordis nostri duritiam penetramus: atque à facie timoris Domini fossa humo abscondimur, si terrenas cogitationes egerentes, ab ira districti iudicis in humilitate nostræ mentis cœlamur. Quo enim plus terra fodiēdo proiicitur, eo pauimētum semper inferius demōstratur. Vnde & nos si à nobis studiosius terrenas cogitationes eiicimus, quo apud nosmetipsos abscondamur, humilius inuenimus. Ecce enim quia diuini iudicij dies imminet, quasi ipsa iam timoris eius facies apparet: tantóquē magis necesse est, vt vnusquisque illum terribilius timeat, quantò iam gloria maiestatis eius appropinquat. Quid ergo agēdum est, quóve fugiendum? Quò enim quis latere potest eum, qui vbique est? Sed ecce petram ingredi, fossa humo occultari præcipimur: vt videlicet cordis nostri duritiam dirumpentes, eò iram inuisibilem declinemus, quò ab amore rerum visibilium apud nosmetipsos in corde subtrahimur: vt cùm prauæ cogitationis terra eiicitur, mens apud semetipsam tantò tutius, quantò & humilius abscondatur. Hinc Israēlitico populo per Moysen à Domino iubetur, vt cùm egreditur ad requisita naturæ, mittat paxillum in balteo: & fossa humo abscondat quæ egesta fuerint. Naturæ enim corruptibilis pōdere grauati, à mentis nostræ vtero quædam cogitationum superflua quasi ventris grauamina erumpunt. Sed portare paxillum sub balteo debemus, vt videlicet ad reprehendendos nosmetipsos semper accincti, acutum circa nos stimulum compunctionis habeamus: qui incessanter terram mētis nostræ pœnitentiæ dolore cōfodiat, & hoc quòd à nobis fœtidum erumpit abscondat. Ventris quippe egestio fossa humo per paxillum tegitur, cùm mentis nostræ superfluitas subtili redargutione discussa, ante Dei oculos per compunctionis suæ stimulum cœlatur. Quia igitur sancti viri quæq; inutilia cogitant, reprehendere ac diuulgare non cessant, de equo suo Dominus dicat: Terram vngula fodit, id est, quicquid in mente sua terrenum versari conspicit, non nimirum superductę pœnitentiæ duris percussionibus rumpit. Cùm verò se interius districta subtilitate diiudicant, iam nihil est quod exterius pertimescant. Tantò enim minus ad mala præsentia trepidant, quantò semetipsos plenius bonis venturis parant. Vnde & subditur:

Philip.3. *Gene.26.* *Ezech.8.* *Esaiæ.2.* *Deute.23.*

Quòd sancti viri cùm locus & causa exigit, pro defensione pietatis debent semetipsos persecutoribus obiicere, & etiam cùm non quæruntur, obuiare.

Caput XIIII.

EXultat audacter, in occursum pergit armatis.) Exultat audacter: quia sic aduersis non frangitur, sicut nec prosperis eleuatur. Aduersa nanque non deiiciunt quem prospera nulla corrumpunt. Equus itaque iste & fortis & sub freno est. Ne ergo prematur aduersis, habet vim fortitudiuis: ne eleuetur prosperis, habet pondus desuper insidentis. Decurrunt quippe tempora, sed idcirco iustum trahere non valent, quia leuare non possunt. Illos nimirum trahunt quos leuant: irata deiiciunt, quos blanda sustollunt. Vir autem bene Deo subditus scit inter transeuntia stare, scit inter lapsus decurrentium temporum

porum mentis gressum figere, scit nec ad subiecta se erigere, nec ad obiecta trepidare. Plerunque autem quia exercei se vtilius contritionis suæ laboribus nouit, in aduersis hilarescit: quæ dum constanter pro veritate tolerat, augeri sibi virtutis meritum lætatur. Hinc est quòd tunc Apostolos exultasse legimus, cùm pro Christo illos cōtigit flagella tolerasse, sicut scriptum est: Ibant gaudentes à conspectu concilij: quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Hinc Paulus cùm duris in Macedonia fuisset persecutionibus pressus, in eo quòd se afflictum insinuat, etiam iucundatum demonstrat, dicens: Nam cùm venissemus Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra. Ac si apertè diceret: quia spiritus requiem habuit, dum per profectum animæ, persecutionum supplicia caro tolerauit. Contra hunc itaque equum ab aduersariis sanctæ Ecclesiæ parantur gladij de dolore pœnarum: parantur arma de patrociniis secularium potestatum. Solent nanque hæretici mundi defensionibus quasi quibusdam armis se tegere: solent omnes infideles prædicationem fidei excitatis etiam seculi potestatibus impugnare. Sed equus Dei exultat audacter, & exteriora tormenta non metuit: quia internam delectationem quærit, potestatum mundi iracundiam non formidat: quia ipsius quoque vitæ præsentis desiderium per mentis excessum calcat. Hinc per Salomonem dicitur: Nō contristabit iustum quicquid ei acciderit. Hinc in eo rursum scriptum est: Iustus quasi leo confidens absque terrore erit. In occursu bestiarum idcirco leo non trepidat, quia præualere se omnibus non ignorat. Vnde iusti viri securitas rectè leoni comparatur: quia contra se cùm quoslibet insurgere conspicit, ad mentis suæ confidentiam redit: & scit quia cunctos aduersantes superat, quia illum solum diligit quem inuitus nullo modo amittat. Quisquis enim exteriora quæ & nolenti subtrahuntur appetit, sua se sponte extraneo timori substernit. Infracta autem virtus est concupiscentia vitæ æternæ, terrenę contemptus: quia & in alto mens ponitur, cùm à rebus infimis spei suæ iudicio subleuatur: atque à cunctis aduersantibus tantò minus attingitur, quantò in supernis sita tutius munitur. Equus itaque iste non solùm contra se venientes minimè metuit, sed eis etiam in occursum pergit. Vnde bene hic additur: *In occursum pergit armatis.*) Plerunque enim quieti atque incōcussi relinquimur, si obuiare prauis per iustitiam nō curamus. Sed si ad æternæ vitæ desiderium animus exarsit, si iam verum lumen intrinsecus respicit, si in se flammam sancti feruoris accendit: in quantum locus admittit, in quātum causa exigit, debemus pro defensione iustitiæ nosmetipsos obiicere: & peruersis ad iniusta erumpentibus, etiam cùm ab eis non quærimur obuiare. Nam cùm iustitiam quam nos amamus, in aliis feriunt, nos nihilominus sua persecutione confodiunt, etiam si venerari videantur. Quia ergo vir sanctus prauis ac malè agentibus sese etiam cùm non quęritur opponit, rectè de equo Dei dicitur: *In occursum pergit armatis.*) Intueri libet illum sessoris sui calcaribus excitatum contra armatos hostes, quantus Paulum feruor accenderet, quando eum Ephesi ad irrumpendas theatri turbas zeli flamma rapiebat. Scriptum quippe est: Repleti sunt ira, & exclamauerunt dicentes: Magna Diana Ephesiorum, & impleta est ciuitas confusione: & impetum fecerunt vno animo in theatrum, rapto Caio & Aristarcho Macedonibus, comitibus Pauli. Atque mox subditur: Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli. Quidam autem & de Asiæ principibus qui erant amici eius miserunt ad eum, rogātes ne se daret in theatrum. In quibus profectò verbis agnoscimus quo impetu contra cuneos aduersantes irrueret, nisi eum per amicos & discipulos charitatis frena tenuissent. Sed si obuiare hostibus, si vltro pugnam petere, si nosmetipsos semper relinquere in cursu nostri feruoris debemus, quid est quòd idem prædicator egregius de semetipso fatetur dicens: Damasci præpositus gentis Arethæ regis custodiebat ciuitatem Damascenorum, vt me comprehenderet, & per fenestram in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus eius? Quid est quòd equus iste modò sponte armatos cuneos impetit, & modò se ab armatis hostibus quasi trepidus abscondit: nisi hoc quòd necesse est in eius artificiosa virtute discamus aduersariorum pugnam & constanter aliquando appetere, & prudenter aliquando declinare?

Acto.5. *2.Cor.7.* *Ibidem.* *Prouer.12.* *Prouer.28.* *1.Cor.11.* *Acto.19.*

Necesse quippe est vt per omne quod agimus, in mentis trutina positum hinc pondus, illinc fructum nostri laboris æstimemus: & cùm pondus fructum superat, laborem quisque innoxiè declinet: dum modo se in aliis exerceat, in quibus lucro fructuum pondus laboris vincat. Cùm verò subsequenti quantitate fructuum, mensura laboris aut æquatur aut vincitur, labor non sine graui culpa declinatur. Vnde prædicator sanctus cùm Damasci valde obstinatas mentes persequētium cerneret, eorum noluit aduersitati confligerē: quia & semetipsum quem profuturum multis nouerat, vidit posse deficere, & aut nullis se ibi aut paucis prodesse. Secessum ergo à certamine petiit, & pugnaturum fœlicius ad alia se bella seruauit. Non enim loco virtus, sed locus virtuti defuit: & idcirco fortissimus miles ab obsidionis angustia, certaminis campum quæsuit. Vbi autem subiuganda regi proprio multa aduersariorum colla conspexit, subire bellum vel cum morte non timuit: sicut ipse cùm Hierosolymam pergeret, eúmque discipuli passione illius per prophetiam præscita prohiberent, sibimetipsi attestatur dicēs: Ego non solùm alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum pro nomine Domini Iesu. Neque enim facio animam meam preciosiorem quàm me. Qui igitur hic hostiles cuneos etiam præscita passione sua imperterritus petiit, illic de dispensatione suisse edocuit, non de timore quòd fugit. Qua in re pensandum est: quia ille labores quosdam per dispensationis iudicium laudabiliter declinat, qui pro Deo maiores alios fortiter tolerat. Nam sæpe ab hominibus timor debilis cauta dispensatio vocatur: & quasi prudenter impetum declinasse se asserunt, cùm fugientes turpiter in terga feriuntur. Vnde necesse est vt in causa Dei cùm res dispensationis agitur, metus cordis subtilissima libratione pēsetur: ne per infirmitatem timor surrepat, & sese per dispensationis imaginem, rationem confingat, ne culpa se prudentiam nominet: iàmque nec ad pœnitentiam animus redeat, quando hoc quod iniquè perpetrat, virtutem vocat. Restat igitur vt in dubiis quisque deprehensus, cùm quælibet sibi aduersitas imminet, prius intra semetipsum contra formidinem & præcipitationem pugnet: quatenus nec formidolosè se subtrahat, nec præcipitanter opponat. Valde enim præceps est qui semper se aduersis obiicit, & valde pauidus qui semper abscondit. Sed hæc melius in bellis spiritalibus discimus, si formam exercitij à corporalibus bellis trahamus. Non enim ille dux sapiens est, qui semper contra hostiles cuneos exercitum præceps admouet: neque ille dux fortis, qui semper hunc ab hostis facie cauendo subducit. Scire nanque dux debet modò ab hostili impetu exercitum cautè subtrahere, modò hostem circunsusis cornibus coarctare. Quod nimirum solicitè perfecti prædicatores exhibent: cùm modò persecutionis rabiem declinantes, nouerunt sapienter sed non eneruiter cedere, modò autem persecutionis impetum contemnentes, nouerunt ei fortiter, sed non præcipitanter obuiare. Quia autem sanctus vir vir cùm congruum cernit, ictibus pectus obiicit, & venientia iacula vel moriens retundit, rectè dicitur: *In occursum pergit armatis.*) De quo adhuc bene subditur: *Contemnit pauorem, nec cedit gladio.*) Videamus quomodo pauorem despiciat: qui ipsos aduersariorum gladios enumerans calcat. Ait enim: Quis nos separabit à charitate Dei: tribulatio, an angustia, an fames, an persecutio? In pauore autem ventura pœna metuitur: in gladio verò iam dolor de præsenti percussione sentitur. Quia ergo vir sanctus ventura aduersa non metuit, pauorem despicit: quia verò nec superueniente percussione vincitur, neqnaquam gladiis cedit. Contra hunc itaque equū tot sunt gladij hostium, quot genera persecutionum, quæ cūcta obuians superat, quia amore vitæ sese ad interitum parat. Sed quia tam robustissimum pectus quomodo se iaculis opponat audiuimus: nunc quid ab aduersariis agatur audiamus. Sequitur: *Super ipsum sonabit pharetra.*) In scriptura sacra pharetræ nomine aliquando iustum Dei occultúmque consilium: aliquando verò clandestina prauorū machinatio designatur. Per pharetram iustum Dei occultúmque consiliū exprimitur, sicut idem beatus Iob superiore parte testatur dicens: Pharetram enim suam aperuit, & afflixit me, id est, occultum suum consiliū detexit & publica me percussione vulnerauit. Sicut enim in pharetra sagittæ, sic in occulto Dei consilio latēt sen-

Acto.12. *Rom.8.*

tentiæ: & quasi ex pharetra sagitta educitur, quando ex occulto consilio apertam Deus sententiam iaculatur. Pharetræ quoque nomine prauorum machinatio designatur, sicut per Prophetam dicitur: Parauerunt sagittas suas in pharetra: vt
32 sagittent in obscuro rectos corde. Iniqui enim cùm dolos quos bonis excogitant, secretis machinationibus occultant, quasi in pharetra sagittas parant, & in hac præsentis vitæ caligine velut in obscuro rectos corde feriunt: quia malitiosa eorum iacula & sentiri per vulnus possunt, & tamen venientia deprehendi non possunt. Igitur quia equus Dei nulla aduersitate terretur, esq; quo magis obuiatur, eo vi intentionis suæ super armatos hostes feruentior ducitur: persecutores eius qui se etiam ferientes vinci sentiunt, turbati ad consilium reuertuntur, dolos præparant, & velut ex longinquo mittendo vulnera occultant. Vnde nunc rectè dicitur:

Quòd sancti viri nec insidiis, nec minis, nec disputationibus, nec pœnis terrentur. Caput XV.

SVper ipsum sonabit pharetra: vt eum ex absconsa machinatione longè feriant, cui apertis congressionibus inaniter ap-
Acto.23. propinquant. Hæc tunc super equum Dei pharetra sonuerat, cùm quadraginta viri qui in eius mortem coniurauerant, educi de carcere Paulum quærebant: vt consiliorum suorum ictibus quasi clàm sagittarum dolo interficerent, quem congressione persecutionis publicę superare nequaquam possent. Pharetra ergo sonuit: quia occultæ machinationis ad Paulum causa peruenit. Quanuis si vigilãter quærimus, adhuc in pharetræ sonitu aliquid subtilius inuenimus. Sæpe enim aduersarij consilia contra bonos iacunt, prauis inuentionibus innituntur, ad excogitandos dolos se conferunt: sed tamen qui eosdem dolos prodere bonis debeant, ipsi instituunt latẽter, ipsi transmittunt: vt crudelis suppliciorum præparatio dum quasi furtim innotescitur, amplius timeatur: & audientis animum plus suspecta vulnera quàm percepta perturbent. In pharetra enim sagittæ dum latent & sonãt, mortem etiam non visæ denuntiant. Pharetra ergo contra equum sonitum reddit, cùm cõtra prædicatorem sanctum occulta prauorum machinatio consilium suum quod fraudulenter operit, fraudulentius innotescit: vt præmissis minis quasi ex sonitu pharetræ terreat, cùm prædicator Dei apertas contumelias velut cõminus ferientia iacula non formidat. Cùm verò eisdem minis minimè terretur, mox persecutorum crudelitas ad supplicia manifesta perducitur. Vnde bene postquam dictum est: Super ipsum sonabit pharetra, ilico additur: *Vibrauit hasta.*) Contra prædicatorem Dei post pharetræ sonitum hasta vibratur, quando post terrores exhibitos è vicino iam feriens aperta pœna producitur. Prædicatores autem sancti cùm pro defensione fidei supplicia subeunt, ad eandem fidem, quos valent, rapere & inter verbera non desistunt: & cùm patienter vulnera suscipiunt, prudenter contra corda infidelium sagittas prædicationis reddunt. Vnde nonnunquam agitur vt ipsi qui in persecutione sæuiunt, non tam doleant quòd cor prædicatoris non emolliunt, quàm quòd per eius verba etiam alios amittant. Quia igitur eum feriendo non superant, ne fortasse & alij qui illum audiunt, se derelinquant: mox contra loquentis verba scutum respõsionis parant. Vnde cùm diceret. Vibrauit hasta: rectè subiungit, *Et clypeus.* Persecutor enim sæuiẽs postquam prædicatoris corpus supplicio percutit, auditorum cor quasi clypeo verbis suæ disputationis munit. Vir igitur sanctus vt feriri debeat, hasta vibratur: sed ne audiri possit, clypeus apponitur. Habent nanque defensores Dei in prælio sagittas suas, quas eo citius auditorum cordibus iniiciunt, quo illas de spiritali arcu, id est, de intima cordis ten-
2.Timoth.2. sione distringunt. His quippe se in bello fidei Paulus armauerat, cùm dicebat: Laboro vsque ad vincula quasi malè operans, sed verbum Dei non est alligatum. Ac si diceret: Hasta quidem suppliciorum ferior, sed tamen verborum sagittas emittere non desisto. Vulnera crudelitatis accipio, sed cor infidelium vera loquendo transfigo. Dicatur ergo: *Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta & clypeus.* Contra equum quippe Dei quia prauorum consilia perstrepunt, pharetra sonat: quia aperta pœna exquiritur, hasta vibratur: quia verò ei etiam disputatione resistitur, clypeus antefertur. Sed nunquid à feruore suo per ista compescitur? Vir enim sanctus quo maiore persecutione premitur, eo ad prædicandam veritatem acrius instigatur: & cùm patienter persecutores tolerat, ardenter ad se auditores trahere festinat. Vnde & bene adhuc de equo Dei subditur: *Feruens & fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem.*) Primo nanque peccanti homini dictum Gene.3.
est: Terra es, & in terram ibis. Tubæ autem clangũt, cùm huius seculi potestates loqui sanctos terribiliter prohibẽt. Quia igitur prædicator zelo sancti spiritus inflammatus, vel inter supplicia positus, quòslibet peccatores ad se trahere non desistit, feruens proculdubio terram sorbet: quia verò persecutorum minas minimè formidat, clangorem tubæ sonare non reputat. Tuba enim quæ discrimen belli denuntiat, quid est aliud quàm vox secularium potestatum, quæ contempta resistentibus mortis certamen parat? Hæc à principibus sacer- Acto.5.
dotum tuba sonuerat, cùm flagellatos Apostolos de Deo loqui prohibebant, sicut scriptum est: Cæsis denuntiauerunt, ne loquerentur in nomine Iesu. Sed videamus quomodo equum Dei clangor tubæ non terreat. Ait Petrus: Obedire o- Ibidem.
portet Deo magis quam hominibus. Qui aliis quoque persequentibus dicit: Non enim possumus quæ vidimus & audi- Acto.4.
uimus, non loqui. Equus ergo clangorem tubæ sonare non metuit, quia prædicator egregius despectis potestatibus seculi, nullos minarum sonitus pertimescit. Videamus alium equum Dei quomodo terram sorbeat, quomodo nullus eam tubæ terror attingat, sicut scriptum est: Superuenerunt qui- Acto.14.
dam ab Antiochia & Iconio Iudæi, & persuasis turbis lapidantes Paulum traxerunt extra ciuitatem, æstimantes eum mortuum esse. Circundantibus autem eum discipulis, surgens intrauit ciuitatem: & postero die profectus est cum Barnaba in Derben. Cúmque euangelizassent ciuitati illi, & docuissent multos, reuersi sunt Lystram & Iconium & Antiochiam, cõfirmãtes animas discipulorum. Perpendamus ergo quæ hunc possent equum minæ cõmpescere, quando eum ab intentione sua non valet mors ipsa prohibere. Ecce lapidibus obruitur, nec tamen à veritatis sermone remouetur. Occidi potest, superari non potest: velut extinctus extra vrbem proiicitur, sed intra vrbem die alio illæsus prædicator inuenitur. O quàm fortis huic viro inest infirmitas: ô quàm victrix pœna: ô quàm dominatrix patientia. Ad arguendum repulsione prouocatur, ad prædicandam salutem plagis erigitur, ad propellendam laboris lassitudinem pœna refouetur. Quæ ergo hunc aduersitas superet, quem pœna fouet? Sed equus Dei est, & pharetræ sagittas despicit: quia malitiæ consilia contemnit. Vibratam hastam superat: quia & contra apertæ persecutionis vulnera pectus firmat. Oppositum clypeum rumpit: quia disputationem resistentium ratiocinando subigit. Terram sorbet: quia peccatores in suo corpore exhortando conuertit. Clangorem buccinæ sonare non reputat: quia vocem quamlibet terribilis prohibitionis calcat. Minus est autem quod dicitur quia fortis perseuerat in laboribus: adhuc, quod maius est, exultat in aduersis. Vnde sequitur:

Quòd sancti absque vlla formidine etiam inter tormenta sint: & potestatibus huius seculi prædicare prohibentibus, non desistunt: nec tam terrentur periculo, quàm gloriantur victoriæ triumpho: & quasi odorantes bellum præparant se in persecutionis occursum. Caput XVI.

VBi audierit buccinam, dicit vah.) Quibus profectò verbis & illud ostenditur quòd hoc loco à Domino de equo irrationabili nil dicatur. Neque enim vah dicere brutum animal potest: sed dum asseritur dicere, quod omnino dicere non valet, innuitur quem designet. Vah quippe sermo exultationis
est. Equus ergo cùm audit buccinam, vah dicit: quia fortis Vah verbũ exultationis.
quisque prædicator cùm certamen passionis sibi propinquare considerat, de exercitio virtutis exultat: nec terretur pugnæ pericolo, quia victoriæ lætatur triumpho. Equo itaq; est vah dicere, prædicatorem sanctum de ventura passione gaudere.

Sed si prædicator fortis gloriam passionis appetit, si discrimen mortis subire pro Domino lætus quærit: quid est quòd 26
ipsi fortissimo prædicatori qui ex robusto corde virtutem traxit nominis, Petro veritas dixit: Cùm senueris, extendes
Ioan.21. manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò non vis? Quomodo de passione gaudet qui cinctus ab alio, ire quò ducitur non valet? Sed si pensamus qualiter animus appropinquante passione,

passione, & mortis metu quãtitur, & tamen de venturo regni
Phil.1. præmio lætatur, intelligimus quomodo gloriosi certaminis subire periculum volens nolit: quia & in morte considerat quod tolerans paueat, & in fructu mortis aspicit quod appetens quærat. Videamus Paulum quomodo amet quod refugit: quomodo refugiat quod amat. Ait enim: Desiderium habens dissolui, & cum Christo esse: & mihi viuere Christus est
2.Cor.5. & mori lucrum, & tamen dicit: Qui sumus in hoc habitaculo, ingemiscimus grauati: eo quod noluimus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est à vita. Ecce & mori desiderat, & tamen carne expoliari formidat. Cur hoc? Quia etsi victoria in perpetuum lætificat, ipsa nihilominus ad præsens pœna perturbat: & quanuis vincat amor subsequentis muneris, tangit tamen non sine mœrore animum pulsus doloris. Sicut enim vir fortis cùm vicino iam belli certamine armis accingitur, & palpitat & festinat, tremit & sæuit: quasi pauere per pallorem cernitur, sed per iram vehementer vrgetur: ita vir sanctus cùm passioni se propinquare conspicit, & naturæ suæ infirmitate concutitur, & spei suæ soliditate roboratur, & de vicina morte trepidat, & tamen quòd moriẽdo verius viuat, exultat. Ad regnum quippe non potest nisi interposita morte transire: & idcirco confidendo quasi ambigit, & quasi ambigendo confidit, & gaudens metuit, & metuẽs gaudet: quia scit quòd ad brauium quietis non peruenit, nisi hoc quod interiacet, cũ labore transcendat. Sic nos cùm morbos à corpore repellere cupimus, tristes quidem amarum purgationis poculum sumimus: certi autem de subsequenti salute gaudemus. Quia enim peruenire corpus aliter ad salutem non valet, in potu libet etiã quod tædet: cúmque amaritudini inesse vitam animus cõspicit, mœrore turbatus hilarescit. Dicatur ergo: *Vbi audierit buccinam, dicit vah:*) quia prædicator fortis cognito certaminis núcio, etsi vt homo ad vim percussionis trepidat, per spei tamen certitudinẽ ad præmium remunerationis exultat. Sed nequaquam ad hoc passionis bellũ inconcussus existeret, nisi eandem passionem intenta cogitatione meditando preueniret. Malum nanque quod consilio preuenitur, decertanti contra se animo ex ratione subiicitur: quia tantò quisque minus aduersitate vincitur, quãtò contra illam præsciendo paratus inuenitur. Sæpe enim graue timoris pondus vsu leuigatur: sæpe mors ipsa sicut inopinata perturbat, ita deliberatione præuenta lætificat. Vnde & rectè de hoc equo subiungitur: *Procul odoratur bellum.*) Ac si apertius dicatur: Idcirco quodlibet certamen exuperat: quia mentem certamini
Bellum adorari. ante certamẽ parat. Bellum quippe procul odorari, est aduersa quæque longè adhuc posita cogitando prænoscere, ne fortasse valeant improuisa superare. Hoc bellum procul odorari
2.Cor.13. discipulos Paulus admonebat, cùm diceret: Vosmetipsos tẽtate si estis in fide, ipsi vos probate. Ac si apertè præciperet dicẽs: Persecutionũ certamina ad mẽtem reducite, & cordis vestri intima atque occulta pensantes, quales inter supplicia existere valeatis inuenite. Hoc bellum sancti viri procul odorantur, quãdo & in pace vniuersalis Ecclesię positi, vel hæreticorum bella, vel imminentia ab infidelibus persecutionum tormenta conspiciũt. Qui dum rectè viuunt, sæpe pro bonis mala recipiunt, detractionum contumelias æquanimiter ferũt, vt si persecutionis occasio suppetat, tãtò illos fortiores aperti hostes inueniant, quãtò eos & intra Ecclesiam falsorum fratrum iacula non expugnãt. Nam qui à statu patientiæ ante linguarum vulnera corruit, ipse sibi testis est quia contra manifestæ percussionis gladios nõ subsistit. Quia ergo vir Dei exercitatus præsentibus contra ventura, & exercitatus minimis cõtra maiora nititur: rectè de equo Dei dictũ est quòd bellum procul odoratur. Sequitur: *Exhortationem ducum, & vlulatum exercitus.*) Duces aduersæ partis sunt erroris authores: de quibus per
Psal.106. Psalmistam dicitur: Effusa est contẽtio super principes eorũ, & seduxerunt eos vana eorum, & errare fecit eos in inuio, &
Matth.15. non in via. De quibus per semetipsam veritas dicit: Cæcus si cæco ducatum præbet, ambo in foueam cadũt. Hos autẽ duces exercitus sequitur, prauorum scilicet turba, quę iniquis eorum præceptionibus famulatur. Notãdum quoque quòd duces exhortari, exercitũ verò dicit vlulare: quia videlicet hi qui infidelibus vel hæreticis præsunt, praua quæ teneri præcipiũt quasi ex ratione persuadent. Turba verò eis subdita, quia sine iudicio eorum voces sequitur, dum per confusionis insaniam perstrepit, bestiali mẽte vlulare perhibetur. Lupis quippe propriè vlulatus conuenit. Et quia cateruę reproborum cõtra vitam morẽsque fidelium soli rapacitati inhiant, quasi per vlulatum clamant. Equus ergo Dei exhortationẽ ducum & vlu- 27.
latum exercitus procul odoratur, dum sanctus quisque prędicator longè antè considerat, quid vel authores errorũ contra electos valeãt prędicare: vel turba eis subdita quàm possit immaniter insanire. Hãc exhortationem ducũ odorabatur Pau- Rom.16.
lus, cùm diceret: Per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Hunc vlulatum exercitus odorabatur dicens: Intrabunt post discessionem meam lupi graues in Acto.20.
vos. Exhortationem ducum odoratus est Petrus, cùm de qui- 2.Petri.2.
busdam discipulos admoneret dicens: In auaritia fictis verbis de vobis negociabuntur. Vlulatum quoque exercitus odorabatur, cùm præmitteret dicens: Et multi sequentur eorum lu- Ibidem.
xurias, per quos via veritatis blasphematur.

Quòd ea quæ de equo dei dicta sunt, moraliter ad vnumquemque militem Christi referri possunt. Caput XVII.

IGitur quia sanctus quisque prædicator atque in persecutionis bello dux fidei, qualem se possit exhibere narrauimus: nunc sub huius equi specie vnumquemque Christi militem describamus: vt & qui ad prædicationis culmen necdum se peruenisse considerat, hac tamen voce dominica, si iam bene viuere cœperit, expressum se esse cognoscat: quatenus hinc colligat quantum Deo notus sit, si ad maiora peruenerit, quem signanter Deus eloqui nec in minimis prætermittit. Singula itaque quę de equo dicta sunt repetentes, intimemus, quomodo miles Dei à primæua conuersatione proficiat: quomodo à minimis ad maiora succrescat, vel quibus gradibus ab infimis ad superna peruenìat. Dicatur ergo: Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circundabis collo eius hinnitum? Vnicuique animæ cui Dominus misericorditer præsidet, ante omnia fidei fortitudinẽ præbet: de qua Petrus ait: Aduersarius ve- 2.Pet.5.
ster diabolus sicut leo rugiens circuit quærens quem deuoret: cui resistite fortes in fide. Huic autem fortitudini hinnitus iungitur, dum fit quod scriptum est: Corde creditur ad iusti- Rom.10.
tiam, ore autem confessio fit ad salutem. Sequitur: *Nunquid suscitabis eum quasi locustas?*) Vnusquisque qui Deum sequitur, in ipso suo exordio vt locusta suscitatur: quia etsi in quibusdam actionibus locustarum more flexis poplitibus terræ inhæret, in quibusdam tamen expansis alis sese in aëra suspendit. Conuersionum quippe initia, bonis moribus malis- Conuersionum initia bonis moribus malisque permixta sunt
que permixta sunt: dum & noua iam per intentionem agitur, & vetus adhuc vita ex vsu retinetur. Tãtò autem minus permixtis interim malis lædimur, quãtò contra illa quotidie sine cessatione pugnamus. Nec suos nos iam culpa vendicat, cuius prauo vsui nostra solicita mens resultat. Minus itaque nobis inchoantibus terrena opera officiunt: quia in nobis diutius demorari prohibẽtur. Proinde quoniam in ipso nostræ conuersationis initio infirma quædam piè de nobis Dominus tolerat, vt nos quandoque ad cœlestia ex perfectione perducat, quasi locustas nos in exordio suscitat: quia etsi in volatu virtutis subleuat, non tamen de terreni operis casu desperat. Sequitur: *Gloria narium eius terror.*) Pro eo quòd non visa res odore deprehenditur, non immeritò narium nomine, spei nostræ cogitationes exprimuntur: quibus venturum iudicium quod etsi oculis adhuc non cernimus, iam tamen sperando præuidemus. Omnis autem qui bene viuere incipit, audiens quòd per extremum iudicium iusti ad regnum vocentur, hilarescit: sed quia quædam mala adhuc ex reliquiis sibi inesse considerat, hocipsum iudicium de quo exultare inchoat, appropinquare formidat: Vitam quippe suam bonis malisque permixtam conspicit, & cogitationes suas aliquo modo spe & timore confundit. Nam cum audit quæ sint regni gaudia, mox mentem lætitia subleuat: & rursum cùm respicit quæ sint gehennæ tormenta, mox mentem formido perturbat. Bene ergo gloria narium eius terror dicitur: quia inter spem & metum positus, dum futurum iudicium mente conspicit, hoc ipsum timet vnde gloriatur. Ipsa ei sua gloria terror est: quia inchoatis iam bonis, spe de iudicio

lętus est: & necdũ finitis omnibus malis, perfectè securus non est. Sed inter hæc solicitè ad mentem reuertitur, & procellas tantæ formidinis renuens, séque in solius pacis tranquillitate disponens, totis viribus à districto iudice inueniri liber conatur. Seruile quippe æstimat dominicam præsentiam formidare: ac ne conspectum patris metuat, illa agit per quæ se filium recognoscat. Discit ergo iudicem tota expectatione diligere: atque, vt ita dixerim, timẽdo renuit timere. Oriri autem cordi formidinem pro carnali actione considerat: & idcirco ante omnia carnem forti edomitione castigat. Vnde postquàm dictum est: *Gloria narium eius terror*, rectè subiungitur: *Terram vngula fodit.*) Vngula nanque terram fodere, est districta abstinentia carnem edomare. Quo autem plus caro premitur, eo de cœlesti spe animus securius lætatur. Vnde effossa terra aptè subnectitur: *Exultat audacter.*) Quia enim valenter reprimit quod impugnat, audacter exultat de his quæ in æterna pace desiderat: tantóque mens melius ad superna appetenda componitur, quantò ab illicitis arctius corpus edomatur. Vnde rectè per Salomonem dicitur: (*Prouer.24.*) Diligenter exerce agrum tuum, vt postea ædifices domũ tuam. Ille quippe bene mentis domum ædificat, qui prius agrum corporis à spinis vitiorum purgat, ne si desideriorũ sentes in carnis agro proficiant, intus tota virtutum fabrica fame boni operis crescente destruatur. In ipso autem quisque belli certamine positus, tantò subtilius fraudem hostium cõspicit, quantò & districtius corpus proprium quasi quendam hostium adiutorem premit. Vnde & post contritionem corporis, post lætitiam cordis rectè subiungitur: *In occursum pergit armatis.*) Hostes armati sunt immundi spiritus, innumeris contra nos fraudibus accincti. Qui cùm suadere nobis iniqua nequeunt, ea sub virtutum specie nostris obtutibus opponunt, & quasi sub quædam arma se contegunt, ne in sua malitia à nobis nudi videantur. Quibus armatis hostibus in occursum pergimus, quando eorum insidias longè præuidemus. Effossa igitur terra, armatis hostibus in occursum pergere, est edomita carnis superbia, dolos immũdorum spirituum mirabiliter explorare. Effossa terra armatis hostibus in occursum pergere, est deuicta carnali nequitia contra spiritalia vitia certamen subire. Nam qui adhuc secum eneruiter pugnat, frustra contra se bella extrà posita suscitat. Qui enim semetipsum carnalibus subiugat, quomodo spiritalibus vitiis resultat? Aut quomodo de labore externi certaminis triumphare appetit, qui adhuc apud se-
29 metipsum domestico libidinis bello succumbit? Vel certè armatis hostibus in occursum pergimus, quando per exhortationis studium, eorum insidias & in alieno corde præuenimus. Quasi enim ex loco in quo sumus, ad locum alium obuiam hostibus venimus, quando nostra cura ordinatè postposita, accessum immundorum spirituum à proximi mẽnte prohibemus. Vnde fit plerunque vt hostes callidi militem Dei iam de intestino bello victorem, tantò de semetipso terribilius tentent, quantò illum contra se & in alieno corde præualere fortiter vident: vt dum illum ad se tuendum reuocant, aliena corda liberius quæ exhortatione eius protegebantur, inuadant. Cúmque eum superare non possint, saltem occupare conantur, quatenus dum miles Dei de semetipso concutitur, non ipse sed is quem defendere consueuerat, perimatur. Sed mens in Deum immobiliter fixa, tentationum impetum despicit: nec cuiuslibet terroris iacula pertimescit. Supernæ enim gratiæ fretus auxilio, sic vulnera infirmitatis suæ curat, vt aliena non deserat. Vnde & bene de hoc equo subiungitur: *Contemnit pauorem, nec cedit gladio.*) Contemnit pauorem: quia nullius tentationis formidine ad hoc vsque terretur vt taceat. Nec cedit gladio: quia etsi violenta illum tentatio percutit, à cura tamen proximi non repellit. Vnde & Paulus exemplum nobis inuictæ conuersationis insinuans, & quos ab hoste gladios suscipiat dicit, & quomodo eisdem gladiis non cedat, ostendit. Omni enim iam carnalis operis pugna superata, carnalis tentationis gladium ab hoste susceperat, qui dicebat: (*Roma. 2.*) Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Sed eidem gladio quem in se vicerat, etiam in aliis non cedebat, cùm profectò proximis diceret: (*Roma.6.*) Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum desideriis eius. Et rursum: (*Colossen.3.*) Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam. Grauis illum tentationum gladius feriebat, de quibus ipse ait: (*2.Corint.11.*) In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequẽter. A Iudæis quinquies quadragenas vnà minus accepi: ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui: & cætera quæ ipse tolerare potuit, & nos enumerare lassamur. Sed quomodo eidem gladio in proximi dilectione non cedat, post multa ipse subiungit: (*Ibidem.*) Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum. Equus ergo Dei & gladio percutitur: nec tamen percussione eadem à cursu prohibetur, dum fortis spiritalis certaminis miles, & ipse vulnera ab hoste suscipit, & tamen ad salutem alios stringit. Sed erga tam durum cœlestis militis pectus antiquus hostis tantò acutiora spicula perquirit, quantò se despici robustius conspicit. Vnde & sequitur: *Super ipsum sonabit pha-* 30
retra, vibrabit hasta & clypeus.) Quia enim videt sanctæ mentis studium contra se & aliis prodesse, multiplicata hanc satagit tentatione confodere. Vnde sæpe contingit vt hi qui regendis aliis præsunt, tentationum certamina fortiora patiantur: quatenus corporalium more bellorum dum dux ipse ad fugam vertitur, resistentis exercitus constipata vnanimitas sine labore dissipetur. Hostis itaque callidus contra cœlestem militem diuersa percussionum vulnera exquirẽs, modò ex pharetra per insidias eum sagitta vulnerat, modò ante eius faciem hastam vibrat: quia videlicet vitia & alia sub virtutum specie contegit, & alia vt sunt aperta eius oculis opponit. Vbi enim infirmari Dei militem conspicit, illic fraudis velamina non requirit. Vbi autem sibi resistere fortem considerat, illic contra vires proculdubio dolos parat. Nam cùm infirmũ quempiam in carnis illecebra videt, apertè speciẽ corporis quæ cõcupisci valeat, eius obtutibns obiicit. Si autem fortasse validum contra auaritiam cernit, importunè eius cogitationibus domesticorum suorum inopiam suggerit: vt dum mens ad prouisionis curam quasi piè flectitur, seducta furtim in rerum ambitu iniquè rapiatur. Equum ergo Dei sagitta per insidias impetit, quando ei hostis callidus sub virtute vitium abscondit. Hasta autem cominus vulnerat, cùm manifesta nequitia etiam scientem tentat. Sæpe verò cœlesti militi vno eodémq; tempore vtrunq; ab hoste obiicitur: vt in quamlibet vna percussione perimatur. Dolosus nanque aduersarius simul ferire nititur, & apertè sæuiens, & in insidiis latens: vt dum de occulto sagitta metuitur, minus ante faciem hasta timeatur: vel dum ante faciem hastæ resistitur, nequaquam ex occulto veniens sagitta videatur. Sæpe enim tentationem proponit de libidine: & subitò fraudulentius cessans, elationem suggerit de seruata castitate. Et sunt nonnulli qui dum multos ex castitatis arce in elationis foueam cecidisse conspiciunt, vitæ suæ custodiam negligentes, in immunditiam libidinis demerguntur. Sunt verò è diuerso nõnulli qui dum libidinis immunditiam fugiunt, per castitatis culmen in voraginem elationis ruunt. Quasi ergo apertè feriens hasta, est culpa de vitio: & quasi ex occulto vulnerans de pharetra sagitta, est culpa de virtute. Sed equus Dei & ante faciem hastam superat, cùm libidinem calcat: & à latere sagittam circunspicit, cùm in castitatis munditia se ab elatione custodit. Vnde & bene inter vtraque certanti per Salomonem dicitur: (*Prouerb.3.*) Dominus erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum ne capiaris. Pes nanque in anteriora tendit. Anteriora autem non videt, qui ea quæ sunt à latere conspicit. Rursúmq; qui pedis custodiam præuidens anteriora cernit, circunspectionem lateris deserit. Dum verò ante faciem positæ virtutis aliquid agimus, quasi quo pes debeat poni prouidemus: sed dum ex virtute eadẽ furtim culpa suboritur, quasi dum in anteriora respicitur, ad sagittam latus nudatur. Sæpe verò dum suboriẽtem culpam metuimus, virtutem quæ agenda est declinamus: & quasi dum latus circunspicitur, nequaquam cernitur pes in anteriora quomodo ponatur. Bene ergo dicitur: Dominus erit in latere tuo, & custodiet pedem tuũ ne capiaris: quia miles Dei diuinæ gratiæ clipeo protectus, & quæ ex latere possint prodire circũspiciẽdo cõsiderat, & gressum ante faciem ferre proficiendo nõ cessat.

Cui

Cui fraudulentus hostis inuidens quia per pharetram & hastam nequaquam se præualere conspicit, clypeum opponit: vt si resistentis pectus feriendo non perforat, saltem quibusdam obiectionibus proficientis iter intercludat. Quasdam nãque difficultates ipsis eius conatibus obiicit: & cùm superare non valet, vel resistit. Sed quia contra tot argumenta bellorum equus Dei agat audiamus: *Feruens & fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem.*) Contra equum clangor tubæ insonat, quando electi mentem in eo quod agit fortiter, è vicino quædam posita culpa terribiliter tentat. Sed feruens sorbet terram: quia nimio ardore semetipsum discutit: & quicquid in se terrenum reperit, quotidie proficiendo consumit. Et clangorem tubæ sonare non reputat: quia consideratione forti omne vitium quod de virtutis gloria nascitur, solicitus declinat. Sonare enim clangorem tubæ reputaret, si fortasse propter aliud quod prauè suboritur, alia agere recta metueret. Quia ergo ad agenda fortia ante insonantia tentamenta non trepidat: in feruore suo positus, clangorem tubæ minimè formidat. Sæpe autem dum prosperari se virtutibus conspicit, ne ipsa illum virtutum prosperitas eleuet, pulsari se tentationibus gaudet. (*Multos sua fœlicitas strauit.*) Vnde & aptè subiungitur: *Vbi audierit buccinam, dicit vah.*) Multos enim peius sua fœlicitas strauit, multos diuturna pax inertes rèddidit: eóq; illos inopinatus hostis grauius perculit, quo longo quietis vsu negligentes inuenit. Vnde sancti viri cùm multa se proficere virtutum prosperitate considerant, quodam dispensationis supernæ moderamine, exerceri se etiam tentationibus exultant: quia tantò robustius acceptam virtutum gloriã custodiunt, quantò tentationis impulsũ concussi infirmitatem suam humilius cognoscunt. Equus ergo audita buccina vah dicit: quia videlicet præliator Dei cùm vim tentationis incumbere conspicit, vtilitatem supernæ dispensationis considerans, ex ipsa validius aduersitate confidit. Cuius aduersitatis certamina idcirco illum nõ superant: quia nunquam improuisa tentant. Longè quippe prænotat ex vnaquaquæ re, cuius vitiis pugna succrescat. (*Bellum procul odorari.*) Vnde & sequitur: *Procul odoratur bellum.*) Bellum nanque procul odorari, est ex causis præcedentibus quæ vitiorum pugnæ subsequantur agnoscere. Quia enim sicut iam sæpe dictum est, odore res non visa cognoscitur: bellum procul odorari, est sicut flatu nariũ, sic prouisione cogitationum nequitias latentes indagare. De quo odoratu Dominus rectè in Ecclesiæ suæ laudibus dicit: (*Canti.7.*) Nasus tuus sicut turris quæ est in Libano. Per nasum quoque odores fœtorésque discernimus. Et quid per nasum nisi sanctorũ prouida discretio designatur? Turris verò speculationis in altum ponitur, vt hostis veniens longè videatur. Rectè ergo nasus Ecclesiæ turri in Libano similis dicit: quia sanctorum prouida discretio dum solicitè circunquaque conspicit in altum posita, priusquam veniat culpa deprehẽdit: eámque quo vigilanter prænotat, eo fortiter declinat. Hinc Abacuc (*Abac.2.*)
31 ait: Super custodiam mea stabo. Hinc vniuscuiusque electi animam Hieremias admonet dicẽs: (*Hiere.31.*) Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines. Speculam quippe sibi statuere, est ventura vitiorum certamina ex alta consideratione prænoscere. Sibíque electi mens amaritudines ponit, quãdo & in virtutũ pace constituta, dum mala insidiantia conspicit, secura quiescere non consentit. Primo autem ne mala quælibet, secundo verò loco considerat, ne bona incautè faciat: & postquàm praua subegerit, ipsa etiam sibi subiicere recta contendit: ne si mentis dominium transeant, in elationis culpam vertantur. Quia enim, sicut superius dictum est, plerunque ex bonis per incuriæ vitium mala nascuntur: vigilanti studio contemplatur, quomodo ex doctrina arrogantia, ex iustitia crudelitas, ex pietate remissio, ex zelo ira, ex mansuetudine torpor oriatur. Cúmque bona hęc agit, quòd hi contra se hostes per hæc exurgere valeant, conspicit. Nam cùm adipiscendis doctrinæ studiis elaborat: mentem solicitè cõtra certamen arrogantiæ præparat. Cùm culpas delinquentium iustè vlcisci desiderat: sagacissimè euitat, ne modum iustitiæ crudelitas vindictæ transcẽdat. Cùm pietate frenare se nititur: solerter prospicit ne qua disciplinæ dissolutione vincatur. Cùm se recti zeli stimulis excitat: summopere prouidet ne plusquam necesse est iræ se flamma succendat. Cùm magna mansuetudinis tranquillitate se temperat: vigilanter obseruat ne torpore frigescat. Quia ergo spiritalis militis cogitatione omne vitium priusquam surripere possit aspicitur, rectè de equo Dei dicitur: Procul odoratur bellum. Perpendit etiam quæ turba iniquitatem proruat, si mala ad se ingredi, vel pauca permittat. Vnde & sequitur: *Exhortationem ducum & vlulatum exercitus.*) Tentantia quippe vitia quæ inuisibili contra nos prælio regnanti super se superbiæ militant, alia more ducum præeũt, alia more exercitus subsequuntur. Neque enim culpæ omnes pari accessu cor occupant. Sed dum maiores & paucæ neglectam mentem præueniunt, minores & innumeræ ad illam se cateruatim fundunt. (*Vitiorũ regina superbia.*) Ipsa nanque vitiorum regina superbia cùm deuictum plenè cor ceperit, mox illud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis ducibus deuastandum tradit. Quos videlicet duces exercitus sequitur: quia ex eis proculdubio importunæ vitiorum multitudines oriuntur. Quod melius ostendimus, si ipsos duces atque exercitum specialiter, vt possumus, enumerando proferamus. Radix quippe cuncti mali superbia est, de qua scriptura attestante dicitur: (*Eccle.10.*) Initium omnis peccati est superbia. Primæ autem eius soboles, septem nimirum principalia vitia, de hac virulenta radice proferuntur: scilicet inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, ventris ingluuies, luxuria. Nam quia his septem superbiæ vitiis nos captos doluit, idcirco redemptor noster ad spiritale liberationis prælium, spiritu septiformis gratiæ plenus venit. Sed habent contra nos hæc singula exercitum suum. Nam de inani gloria, inobedientia, iactantia, hypocrisis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ, & nouitatum præsumptiones oriuntur. De inuidia odium, susurratio, detractio, exultatio in aduersis proximi, afflictio autem in prosperis nascitur. De ira rixæ, tumor mentis, contumelię, clamor, indignatio, blasphemię proferuntur. De tristitia malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis erga illicita nascitur. De auaritia, proditio, fraus, fallacia, periuria, inquietudo, violentiæ, & contra misericordiam obdurationes cordis oriuntur. De ventris ingluuie inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagantur. De luxuria cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis seculi, horror autem vel desperatio futuri generantur. Quia ergo septem principalia vitia tantam de se vitiorũ multitudinem proferunt, cùm ad cor veniunt, quasi subsequentis exercitus cateruas trahunt. Ex quibus videlicet septem quinque spiritalia, duoque carnalia sunt. Sed vnumquodque eorum tanta sibi cognatione iungitur, vt non nisi vnum de altero proferatur. Prima nanque superbiæ soboles inanis est gloria, quæ dum oppressam mentem corruperit, mox inuidiam gignit: quia nimirum dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipisci valeat tabescit. Inuidia quoque iram generat: quia quanto interno liuoris vulnere animus sauciatur, tanto etiam mansuetudo tranquillitatis amittitur: & quia quasi dolens membrum tangitur, idcirco opposite actionis manus velut grauius pressa sentitur. Ex ira quoque tristitia oritur: quia turbata mens quo se inordinatè concutit, eo addicendo confundit: & cùm dulcedinem tranquillitatis amiserit, nihil hanc nisi ex perturbatione subsequens mœror pascit. Tristitia quoque ad auaritiam deriuatur: quia dum confusum cor bonum lætitiæ in semetipso intus amiserit, vnde consolari debeat foris, quęrit: & tantò magis exteriora bona adipisci desiderat, quantò gaudiũ non habet ad quod intrinsecus recurrat. Post hæc verò duo carnalia vitia, id est, ventris ingluuies, & luxuria supersunt. Sed cunctis liquet quòd de vẽtris ingluuie luxuria nascitur, dum in ipsa distributione membrorum ventri genitalia subnexa videantur. Vnde dum vnũ inordinatè reficitur, aliud proculdubio ad contumelias exci-
tatur. Bene autẽ duces exhortari dicti sunt, exercitus vlu- 32
lare: quia prima vitia deceptæ menti quasi sub quadam ratione se inserunt, sed innumera quæ sequuntur, dum hanc ad omnem insaniam pertrahunt, quasi bestiali clamore confundunt. Inanis nanque gloria deuictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cùm dicit: Debes maiora appetere, vt quo potestate valueris multos excedere, eo etiam valeas multis prodesse. Inuidia quoq; deuictũ cor quasi ex ratione solet exhortari, cùm

diat sanguinem,& claudit oculos suos ne videat malum:ilico ab eiusdem actiuæ vitæ gradibus ad quæ contemplationis culmina ascendatur,adiunxit dicens: Iste in excelsis habitauit,munimenta saxorum sublimitas eius, panis ei datus est,aquæ eius fideles sunt. Regem in decore suo videbunt oculi eius,cernent terram de longè. In excelsis nanque habitare, est cor in cœlestibus ponere: Et munimenta saxorum sublimitas nostra est, cùm fortium patrum præcepta & exempla respicimus,atq; ab infima cogitatione separamur.Munimenta saxorum sublimitas nostra est, cùm mente choris castrisq; cœlestibus iungimur, & insidiantes malignos spiritus stantes in arce cordis quasi subterpositos expugnamus. Tunc nobis etiam panis datur:quia in supernis erecta intentio æternitatis contemplatione reficitur. Aquæ enim nostræ fideles sunt: quia doctrinæ Dei quod hîc per spem promittit, hoc illic in munere exhibet Sapientia nanque huius mundi infidelis est: quia mansura post mortem non est. Aquę nostrę fideles sunt: quia verba vitæ quod ante mortem insinuat, hoc etiam post mortem demonstrant. Regem in decore suo oculi nostri cõspiciunt:quia redemptor noster in iudicio, & à reprobis homo videbitur, sed ad diuinitatis eius intuendam celsitudinẽ, soli qui electi sunt subleuantur. Quasi enim quandam fœditatem regis videre, est solam seruilem formam in qua ab iniquis despectus est cernere. Sed ab electis in decore suo rex cernitur: quia vltra semetipsos rapti, in ipso diuinitatis fulgore oculos cordis figunt. Qui quandiu in hac vita sunt, quia illam viuentium patriã, sicut est, videre non possunt, rectè adiungitur: Cernent terram de longè. Quod ergo hîc ait: Eleuabitur aquila,& in arduis ponet nidum sibi,hoc illic dicitur: In excelsis habitabit. Quod hîc dicitur, in petris manet,& in præruptis silicibus commoratur, atque in inaccessis rupibus,hoc illic subiicitur:Munimenta saxorum sublimitas eius. Quod rursus hîc subinfertur: Inde cõtemplatur escam:hoc illic quoque subditur:Panis ei datus est,aquæ eius fideles sunt,regẽ in decore suo videbunt oculi eius. Et quod hîc subiungitur:Oculi eius de longè prospiciunt, hoc illic a- G
36. ptè subiicitur: Cernent terram de longè. Consideremus quàm sublimis aquila fuerit Paulus, qui vsque ad tertium cœlum volauit, sed tamen in hac vita positus, è longinquo ad-
1.Corin.13. hucDeum prospicit,qui ait: Videmus nunc per speculum in
Philip.3. ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Et rursum: Ego me non arbitror comprehendisse.Sed quanuis æterna valde minus quàm sunt ipse conspiciat,quanuis ea se cognoscere perfectè non posse cognoscat,infirmis tamen auditoribus eaipsa infundere prædicando non potest, quæ videre saltem per speculum & imaginem potest. De semetipso quippe tanquã
2.Corin.12. de alio loquitur, dicens: Audiui arcana verba quæ non licet homini loqui.Interna videantur, fortibus tamen prædicatoribus summa sunt,infirmis verò auditoribus incapabilia. Vnde & prædicatores sancti cùm auditores suos diuinitatis verbum capere non posse conspiciunt,ad sola incarnationis dominicæ verba descendunt. Vnde bene hîc dum subleuata in arduis aquila longè videre dicitur,ilicò subinfertur:

Quid in excelsis habitare.

Quòd dum in hac vita viuimus, nos pulli sanctorum, sanguine crucifixi, & morte saluatoris nutrimur.

Caput XXI.

PVlli eius lambunt sanguinem.) Ac si apertè diceretur: Ipsa quidem diuinitatis contemplatione pascitur:sed quia auditores eius diuinitatis percipere arcana nequaquam possunt,cognito crucifixi domini cruore satiantur. Sanguinem nanque lambere, est passionis dominicæ infirma venerari.
1.Corin.2. Hinc est quod idem Paulus, qui sicut pauloante iam diximus,ad tertij cœli secreta volauerat, discipulis dicebat: Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Christum Iesum,& hunc crucifixum. Ac si apertè hæc aliqua diceret: Ego quidem escam meam,diuinitatis eius potentiam de longè prospicio, sed vobis adhuc paruulis incarnationis eius tantummodo lambendum sanguinem trado. Nam qui per prædicationem suam tacita diuinitatis celsitudine, infirmos auditores de solo cruore crucis edocet, quid aliud quàm sanguinem pullis præbet? Quia verò vniuscuiusque sancti prædicatoris anima corruptione carnis exuta, ad eum mox ducitur, qui pro nobis sponte sua in mortem cecidit, & de E
morte surrexit,aptè de hac aquila subditur:

Quòd in Christo sancti viuificabuntur: & illuc tendit humilitas gregis, vbi secundum carnem est celsitudo pastoris.

Caput XXII.

ET vbicunque cadauer fuerit,statim adest.) Cadauer quippe à casu dicitur. Et non immeritò corpus Domini propter casum mortis cadauer vocatur. Quod autem hîc de hac aquila dicitur: Vbicunque cadauer fuerit, statim adest: hoc de egredientibus animabus fieri veritas spopondit; dicens: Vbicunque fuerit corpus,illic congregabuntur & aquilæ:ac si apertè dicat: Qui cœlesti sede incarnatus redemptor vester præsideo, electorum quoque animas cùm carne soluero, ad cœlestia subleuabo. Sed hoc quod de hac aquila dicitur: 37.
Vbicunque fuerit cadauer,statim adest:intelligi,& aliter potest. Omnis enim qui in peccati mortem ceciderit, non inconuenienter poterit cadauer vocari. Quasi exanimis nanque iacet,qui iustitiæ viuificantem spiritum non habet. Quia ergo sanctus quisque prædicator vbi peccatores esse considerat,illuc anxiè peruolat,vt in peccati morte iacentibus lucem viuificationis ostendat,bene de hac aquila dicitur: Vbicunque cadauer fuerit,statim adest,id est, illuc tendit vbi vtilitatem prædicationis prospicit, vt ex eo quòd iam spiritaliter viuit,aliis in morte sua iacentibus prosit, quos corripiẽdo quasi edit, sed ab iniquitate ad innocẽtiam permutando, in sua membra quasi edendo conuertit. Ecce ipse, quem ad testimonium iam sæpe deduximus, Paulus cùm nunc Iudæã, nunc Corinthum,nunc Ephesum,nunc Romã,nunc Hispanias peteret,ut in peccati morte iacentibus, æternæ vitæ gratiam nuntiaret, quid se aliud quàm esse aquilã demõstrabat, quæ velociter omnia trãsuolans,vbicunq; iacẽs cadauer quẽrebat:vt dũ voluntatẽ Dei lucratis peccatoribus faceret,quasi escam suam in cadauere reperiret? Esca quippe iustorũ est, conuersio peruersorum,de qua dicitur: Operamini non cibũ Ioan.6.
qui perit,sed qui permanet in vitam æternam.Auditis itaque tot sanctorũ virtutibus, beatus Iob obstupuisse intelligitur, & sub admirationis terrore siluisse.Nam sequitur:

Vnde cadauer.

Matth.24.

Quod consideratio meliorum multum proficiat ad humilitatẽ sanctorũ.

Caput XXIII.

ADiecit dominus,& locutus est ad Iob: *Nunquid qui contendit cũ Deo,tam facilè conquiescit? Vtique qui arguit Deum, debet & respondere illi.*) Vir sanctus tanta hac distinctione flagelli non æstimauit augeri sibi merita, sed vitia resecari. Quæ quia in se nulla cognouit, percussum iniustè se credidit, & percutientẽ prorsus arguere,est de percussione murmurare. Considerans autem Dominus quòd ea quæ protulit,non ex tumore superbię,sed ex qualitate colligeret vitæ, piè illum increpat dicẽs: *Nunquid qui cõtendit cum Deo,tam facilè cõquiescit? Vtique qui arguit Deum,debet & respõdere illi.*) Ac si apertius diceret: Qui tanta de tua actione locutus es,cur audita sanctorũ vita siluisti? Me eũ fuit arguere, de percussione mea an fuerit iusta dubitare. Et H
bona quidẽ tua veraciter protulisti,sed hęc quo tenderẽt flagella nescisti:qui etsi non habes iam quod corrigas,habes adhuc tamẽ quo crescas. In quanta verò virtutis arce quàm plurimos subleuẽ,me ecce narrante cognouisti.Ipse cõsiderabas tuam,sed aliorũ celsitudinem nesciebas. Auditis igitur alienis virtutibus,si quid vales, responde de tuis. Scimus autem quòd cordis sui oculum per elationis tenebras extinguit,qui cùm recta agit,considerare meliorũ merita negligit. At cõtrà magno humilitatis radio sua opera illustrat, qui aliorũ bona subtiliter pensat: quia dum ea quæ ipse fecerit, fãcta foris & ab aliis cõspicit,eum qui de singularitate intus erumpere nititur,superbiæ tumorem premit. Hinc est quòd voce Dei ad 3.Regũ.19.
Heliam solum se æstimantem dicitur: Reliqui mihi septem milia virorum qui nõ curuauerũt genua ante Baal:vt dum nõ solum se remãsisse cognosceret,elationis gloriã quę ei de singularitate surgere poterat, euitare posset. Beatũs itaque Iob nihil peruersè egisse reprehẽditur,sed de aliorum etiam bene gestis docetur, vt dum se æquales & alios habere considerat, ei qui singulariter summus est,se humiliter subdat.

Libri tricesimiprimi Moralium sancti Gregorij finis.

B.Gregorij

B. GREGORII EXPOSITIONIS MORALIS IN IOB LIBER TRIGESIMVS secundus.

Quòd sancti ea quæ cum minori solicitudine attendunt quando cogitant vel agunt, & quasi leuia negligunt, cùm fuerint compuncti diuinitus, quasi grauia illa & mortifera perhorrescunt.

Caput. I.

SAncti viri quo apud Deum altius virtutum dignitate proficiunt, eo subtilius indignos se esse deprehendunt:quia dum proximi luci fiunt, quicquid eos in seipsis latebat inueniunt, & tantò magis foris sibi deformes
Psalm.13. Matth.5. apparent,quãtò minus pulchrum est quod intus vident. Vnusquisque enim sibi dũ tactu veri luminis illustratur ostenditur,& vnde agnoscit quid
1.Corin.6. est iustitia, inde eruditur vt videat quid est culpa. Hinc est quòd sæpe mẽs nostra quãuis frigida in cõuersationis humanæ actione torpescat,quãuis in quibusdã delinquat & nesciat,quãuis peccata quædã quasi nulla perpẽdat:cùm tamen ad appetenda sublimia orationis compunctione se erigit, ipso suæ compunctionis oculo excitata ad circunspiciendam se post fletum vigilãtior redit. Nam cùm neglectam se deserit, & noxio tepore torpescit, vel ociosa verba, vel inutiles cogitationes minoris esse reatus omnimodo credit. At si igne compunctionis incalescens,à torpore suo tacta subito afflatu contemplationis euigilet, illa quæ leuia paulo ante credidit, mox vt grauia ac mortifera perhorrescit. Cuncta enim vel in minimis noxia quasi atrocissima refugit: quia videlicet per conceptionem spiritus grauida,introire ad se iam in- C
ania nulla permittit. Ex eo enim quod intus conspicit, quàm sint horrenda hæc quæ exterius perstrepunt sentit,& quantò amplius subleuata profecerit, tantò magis refugit infima in quibus prostrata defecit. Nihil quippe eam nisi id quod interius viderat pascit,atque eo grauius tolerat,quicquid se ei extrinsecus ingerit, quo illud non est quod exterius vidit, sed ex his interioribus quæ raptim videre potuit, ad exteriora quæ tolerat iudicandi regulam sumit. Super se enim rapitur dum sublimia contemplatur: & semetipsam iam liberius excedendo conspiciens, quicquid ci ex seipsa sub seipsa remanet,subtilius comprehendit. Ex qua re miro modo agitur,vt sicut superius dictum est, vnde dignior efficitur, inde sibimet indigna videatur, & tunc rectitudini se longè esse sentiat,cùm appropinquat. Vnde Salomon ait: Cuncta tentaui in sapientia, & dixi: Sapiens efficiar, & ipsa longius recessit à me. Quæsita enim sapientia longè recedere dicitur: quia
Eccle.7. appropinquanti altior videtur. Qui verò hanc nequaquam quærunt,tantò se ei propinquos æstimant,quantò & eius rectitudinis regulam ignorant:quia siti in tenebris, mirari lucis D
claritatem nesciunt, quam nunquam viderunt: cúmque in forma eius pulchritudinis nõ tenduntur, in semetipsis libenter quotidie deformiores fiunt. Nam quisquis eius radiis tãgitur,sua illi manifestius tortitudo monstratur: & eo verius inuenit quantum flectatur in vitio,quo sagacius summa considerans,conspicit quantum distat à recto. Vnde beatus Iob humanum genus virtutibus transiens, amicos loquendo superauit, sed loquente Deo, sublimius eruditus semetipsum cognoscendo reticuit.Illos nanque iniustè loquentes subdidit,sed ad verba locutionis intimæ reum se iustè cognouit. Et quidem cur flagellatus sit nescit,sed tamen cur flagella veneratus diuina non sit, silendo redarguit. Diuina enim iudicia cùm nesciuntur, non audaci sermone discutienda sunt, sed formidoloso silentio veneranda: quia & cùm causas rerum conditor in flagello non aperit, eo iustas iudicat,quo se eas facere qui summè iustus est demonstrat. Vir ergo sanctus,& prius de locutione, & pòst de silentio reprehensus, quid de semetipso sentiat innotescat. Ait enim:

Quòd de verbo ocioso nec sancti possunt excusari, licèt manu operis in conspectu dei studeant operire. *Caput II.*

QVi leuiter locutus sum, *respondere quid possum?*) Ac si dicat: Sermonem meum defenderem,si hunc cum rationis põdere protulissem. At postquam lingua leuitate vsa conuincitur,quid restat nisi vt conticendo refrenetur? Sequitur: *Manum meam ponam super os meum.*) Vsu sacri eloquij in manu operatio,in ore locutio solet intelligi. Manum ergo super os ponere,est virtute boni operis culpas tegere incautę locutionis.
Quis verò inueniri potest qui quamlibet perfectus sit, de o- Iaco.3.
cioso tamen sermone non peccet? Iacobo attestante, qui ait: Nolite plures magistri fieri, in multis enim offendimus omnes. Et rursum: Linguam nullus hominum domare potest. Ibidem.
Cuius culpas redarguens per semetipsam veritas dicit: Dico Matth.12.
autem vobis quoniam omne verbum ociosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij. Sed sancti viri ante Dei oculos student culpas linguæ tegere meritis vitæ, student bonorum operum pondere premere immoderata verborum. Vnde in sancta Ecclesia manus super os ponitur, dum in electa eius quotidie ociosæ locutionis vitium bonæ actionis virtute operitur. Scriptum nanque est: Psalm.31.
Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt Heb.4.
peccata.Sed rursum cùm scriptum sit: Omnia nuda & aperta sunt oculis eius, quomodo regi possunt, quæ eius oculis cui cuncta nuda sunt,abscõdi nequaquam possunt? Sed quia hoc quod tegimus inferius ponimus,atque hoc vnde tegimus nimirum superducimus, vt quod est subterpositum tegamus, tegere peccata dicimur, quæ quasi subterponimus dum abdicamus, eisque aliud superducimus dum bonæ actionis opus ad hoc pòst eligimus vt præferamus. Qui ergo priora mala deserit,& bona posterius facit, per hoc quod addit, transactã nequitiam tegit,cui boni operis merita superducit.Beatus igitur Iob sanctæ Ecclesiæ typum tenens, & in verbis suis sua allegans,nostra designans,dicat ex se,dicat ex nobis,Manum meam ponam super os meum,id est,hoc quod districto iudi- C
ci de sermone meo in me displicuisse considero, ante eius oculos sub velamine recti operis abscondo. Sequitur:

Quòd Iob correctus non defendit, sed humiliter confitetur se peccasse in eo quod se credidit iustum: & frustra percussum, & innocentia propriæ conscientiæ contentus, districtionem superni examinis attendit.

Caput III.

VNum locutus sum,*quod vtinam non dixissem, & alterum, quibus vltrà non addam.*) Si transacta beati Iob verba discutimus, nihil eum nequiter dixisse reperimus. Si verò dicta eius quæ cum veritate ac libertate prolata sunt,in aliquo superbiæ vitio flectimus, duo iam solummodo non erunt: quia multa sunt. Sed quia loqui nostrũ, est hominibus occultum sensum verbum aperire,loqui verò nostrum ad diuinas aures,est motum mentis etiam expressione actionis ostendere: beatus Iob ad libram se subtilissimi examinis pensans, locutione sua secundò se deliquisse confitetur. Vnum enim loqui illicitè, est res flagello dignas agere,aliud loqui illicitè, est etiam de flagello murmurare. Qui ergo ante increpationem dominicam in D
omni opere hominibus prælatus fuit, ipsa in altum increpatione proficiens,& minus se rectum prius in opere, & minus se patientem pòst in verbere agnouit. Vnde semetipsum redarguit,dicens: Vnum locutus sum, quod vtinam non dixissem,& alterum quibus vltrà non addam. Ac si dicat: Rectum me quidem inter homines credidi,sed te loquente,& ante flagella prauum,& post flagella me rigidum inueni. Quibus vltrà non addam:quia iam quantò nunc te loquentem subtilius intelligo,tantò meipsum humilius inuestigo.

Quid sit quòd per Moysen agnum, vel capram iubetur offerre qui bene vel malè se facturum iuramento protulerit, & hoc ipsum obliuione transcendit.

Caput IIII.

ET quia beatus Iob sanctæ Ecclesiæ typum tenet, possunt 2.
electis omnibus hæc eius verba congruere, qui cognoscentes Dominum,in vno & alio deliquisse se sentiunt:quia se intelligunt, vel in cogitatione & opere, vel in Dei ac proximi neglecta dilectione peccasse. Quibus se promittũt vltrà nil addere:quia per conuersionis gratiam curant pœnitendo quotidie etiam transacta purgare. Per hoc tamen quod beatus Iob

de duobus se pœnitendo redarguit, liquidò ostendit quòd peccator omnis in pœnitētia duplicem habere gemitum debet, nimirum quia & bonum quod oportuit non fecit, & malum quod non oportuit fecit. Hinc est enim quod per Moysen de eo qui iuramentum protulit, vt vel malè quid vel bene faceret, & hoc ipsum obliuione transcendit, dicitur: Offerat agnam de gregibus siue capram, orabítque pro eo sacerdos, & pro peccato eius. Sin autem non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum, vnũ pro peccato, & alterum in holocaustum. Iuramentum nanq; proferre, est voto nos diuinæ seruitutis alligare. Et cùm bona opera promittimus, bene nos facere spondemus. Cùm verò abstinentiam cruciatúmque carnis nostræ vouemus, malè ad præsens nos nobis facere iuramus. Sed quia nullus in hac vita ita perfectus est, quamlibet Deo deuotus sit, inter ipsa quantumcumque pia vota non peccet, pro peccato agna offerri de gregibus siue capra præcipitur. Quid enim per agnã nisi actiuæ vitæ innocentia, quid per capram quæ in summis sæpe extremisque rupibus pendens pascitur, nisi contemplatiua vita signatur? Qui ergo se conspicit promissa ac proposita non implesse, ad sacrificium Dei sese studiosius debet, vel innocentia boni operis, vel sublimi pastu contemplationis accingere. Et bene agna de gregibus, capra verò offerri de gregibus non iubetur: quia actiua vita multorum est, contẽplatiua paucorum. Et cùm hæc agimus quæ multos agere, & egisse conspicimus, quasi agnã de gregibus damus. Sed cùm offerentis virtus ad agnã caprámque non sufficit, in remedio pœnitentis adiungitur, vt duo pulli columbarum, vel duo turtures offerantur. Scimus quia columbarum pulli, vel turtures pro cantu gemitus habent. Quid ergo per duos columbarum pullos, vel duos turtures, nisi duplex pœnitentiæ nostræ gemitus designatur? vt cùm ad offerenda bona opera non assurgimus, nosmetipsos dupliciter defleam': quia & recta non fecimus, & praua operati sumus. Vnde & vnus turtur pro peccato, alter verò offerri in holocaustũ iubetur. Holocaustũ nanque totum incensum dicitur. Vnũ ergo turturẽ pro peccato offerimus, cùm pro culpa gemitum damus, de altero verò holocaustum facimus, cùm pro eo quòd bona negleximus, nosmetipsos funditùs succendẽtes igne doloris ardemus. Quia igitur duplex in pœnitentia gemitus debetur, beatus Iob diuinæ vocis increpatione proficiens, atque in sua reprehensione succrescens, dixisse se vnum & alterum pœnitens fatetur ac si apertè dicat, Et erga bona per negligentiam torpui, & ad mala per audaciam prorupi.

Leui.5.

Textus capitis quadragesimi beati Iob.

REspondens autem Dominus Iob de turbine dixit: Accinge sicut vir lũbos tuos, interrogabo te, & indica mihi. Nunquid irritum facies iudicium meum, & condemnabis me vt tu iustificeris? Si habes brachium sicut Deus, & voce simili tonas, circunda tibi decorem, & in sublime erigere, & esto gloriosus, & speciosis induere vestibus. Disperge superbos in furore tuo, & confunde eos, & respiciens omnem arrogantem humilia. Respice cunctos superbos & confunde eos, & contere impios in loco suo. Abscondе eos in puluere, simul & facies eorum demerge in foueam, & ego confitebor quòd saluare te possit dextera tua. Ecce Behemoth quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet. Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius. Stringit caudam suam quasi cedrum, nerui testiculorum eius perplexi sunt. Ossa eius velut fistulæ æris, cartilago illius quasi laminæ ferreæ. Ipse est principium viarum Dei. Qui fecit eum, applicabit gladium eius. Huic montes herbas ferunt. Omnes bestiæ agri ludent ibi. Sub vmbra dormit, in secreto calami, in locis humentibus. Protegunt vmbræ vmbram eius, circundabunt eum salices torrentis. Ecce absorbebit fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam quòd influat Iordanis in os eius. In oculis eius quasi hamo capiet eum, & in sudibus perforabit nares eius. An extrahere potèris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius? Nunquid pones circulum in naribus eius, aut armilla perforabis maxillam eius? Nunquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia: Nunquid feriet tecum pactum, & accipies eum seruum sempiternum? Nunquid illudes ei quasi aui, aut ligabis eum ancillis tuis? Concident eum amici; diuident illum negociatores. Nunquid implebis sagenas pelle eius, & gurgustium piscium capite illius: Pones super eum manum tuam. Memento belli, nec vltrà addas loqui. Ecce spes eius frustrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur.

E F G H

Quòd qui in flagellis positus murmurat, iustitiam ferientis accusat.

Caput V.

REspondens autem Dominus Iob de turbine dixit: *Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te, & indicá mihi.*) Quid sit Dominum de turbine respõdere, quid beatum Iob lumbos accingere, quid interrogare Dei, quid hominis indicare, primo iam Domini sermone tractatum est. Quia ergo lectoris tædio parcimus, curamus summopere ne dicta replicemus. Sequitur: *Nunquid irritum facies iudicium meum, & condemnabis me vt tu iustificeris?*) Quisquis contra Domini flagella semetipsum defendere nititur, flagellantis iudicium euacuare conatur. Nam cùm culpa sua feriri se denegat, quid aliud quàm iustitiam ferientis accusat? Beatum itaque Iob non idcirco flagella cœlestia percusserũt, vt in eo culpas extinguerent, sed potius vt merita augerent, quatenus qui tranquillitatis tempore in tanta sanctitate claruerat, & ex percussione patesceret quæ in eo etiam patientiæ virtus latebat. Qui quidem culpam suam inter flagella non inueniens, nec tamen flagella eadem causam sibi esse augendi meriti deprehendẽs, iniustè se feriri credidit, cùm quid in se debuisset corrigi non inuenit. Sed ne ipsa innocẽtia in tumorem elationis infletur, diuina voce corripitur, & mens eius ab iniquitate libera, sed verberibus pressa, ad iudicia occulta reuocatur: vt superna sententia, etsi non est cognita, nõ tamen credatur iniusta, sed eo saltem iustum credat omne quod patitur, quo nimirum constat, quia Deo authore patiatur. Magna enim satisfactio percussionis est, voluntas iusta conditoris. Quæ cùm iniustũ facere nihil solet, iusta agnoscitur etiã si latet. Nam cùm proiniustitię peccato percutimur, si in percussione nostra diuinę voluntati coniungimur, mox à nostra iniustitia ipsa coniunctione liberamur. Quisquis enim iam percussionem tolerat, sed adhuc causas percussionis ignorat, si iustum credens hoc ipsum cõtra se iudicium amplectitur, eo ipso ab iniustitia sua iam correctus est, quo percussum se iustè gratulatur. In vindicta enim sua Deo se socians, sese contra se erigit, & magna est iam iustitia quòd voluntati iudicis cõcordat in pœna, cui discrepauit in culpa. Vir igitur sanctus quia in nulla Deo culpa discrepauerat, quasi cum difficultate ei inter supplicia cõcordabat. Neque enim credidit quòd flagella quæ solẽt vitia extinguere, in illo sola merita augerent. Vnde nũc iuste corripitur, vt occultis iudiciis, & nesciens subderetur, eísque dicitur: *Nunquid irritum facies iudicium meum, & condemnabis me vt tu iustificeris?*) ac si apertè diceretur: Tua quidem bene acta cõsideras, sed mea occulta iudicia ignoras. Si ergo ex tuis meritis contra mea flagella disputas, quid aliud quàm me de iniustitia addicere te iustificando festinas? Sequitur:

3.

Quòd ex considerata magnitudine, & iustitia creatoris, cuiusque meriti sint homines, infirmos se cognoscant & peccatores: & quòd Anthropomorphitarum hæresis sit, Deum æstimare in sua natura secundum membra humana, & lineamenta corporea.

Caput VI.

Si

SI *habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas.*) Quia humanum genus beatus Iob meritis transcendebat, eum pius conditor, & eruditor ad considerandam similitudinem suæ magnitudinis prouocat, vt cognita tanta dissimilitudine, in humilitate se premat. Sed cùm in Deo vox & brachiũ dicitur, cauendum summopere est, ne quid in eo mens corporeum suspicetur. In Anthropomorphitarum nanque hæresim cadere, est eum qui incircunscriptè implet & eir- complectitur omnia, intra corporalia lineamenta concludere. Sed omnipotens Deus ad sua nos trahens, vsque ad nostra se humiliat, atque vt alta insinuet, humilibus condescendit: quatenus paruulorum animus rebus cognitis enutritus, ad inquirenda exurgat incognita, atque ab eo qui longè super ipsum est, quædam iuxta se audiens, quibusdam ad illum pasibus moueatur. Vnde fit vt per scripturam suam aliquando à corporibus hominum, aliquando à mentibus, aliquando verò ab auibus, aliquando etiam ab insensatis rebus quasdam longè dissimiles in se similitudines trahat. Plerunque enim à corporibus hominum in se similitudinem trahit, sicut de eo Propheta ad Israëlitas dicit: Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi eius. Et sicut de eo rursum speranti homini per Prophetam dicitur: In scapulis suis obumbrabit tibi. Cõstat nimirum quòd in natura sua, nec oculum Deus, nec scapulas habeat: sed quia nos per oculum cernimus, in scapulis verò onera sustinemus, Deus quòd omnia videt, oculum habere perhibetur, quòd verò nos tolerat, atque eoipso quo tolerat seruat, obumbrare nobis in scapulis dicitur. Ait enim: In scapulis suis obumbrabit tibi: ac si diceret peccatori homini, & post peccatum veniam deprecanti: Ea pietate Dominus te protegit, qua te pietate tolerauit. Obumbrat enim in scapulis suis: quia dum portat defendit. Aliquando verò à mentibus in se similitudinem trahit, sicut per Prophetã ad Israël dicit: Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam. Et rursum per sponsæ comparationem loquens ait: Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Quis enim nesciat, quia Dei memoria, nec obliuione rumpitur, nec recordatione sarcitur? Sed dum aliqua deserens prætermittit, more mentium obliuiscì dicitur, & cùm post longũ tempus quæ voluerit visitat, nostræ mutabilitatis consuetudine recordatus vocatur. Quo enim pacto diuinitatis eius vim obliuio dissipat, cui ipsa quoque laudabilis memoria essentialiter concordat? Nulla nanque nisi aut præterita, aut absentia recordantur: Quomodo ergo Deus præteritorum reminiscitur, cùm ipsa quæ in semetipsis prætereunt, eius nutui semper præsentia assistunt? Aut quomodo absentium recordatur, dum omne quod est, per hoc illi præsto est quod in ipso est? Quod si ei præsto non esset, omnino non esset: nam non existentia videndo creat, existentia videndo continet. Quicquid ergo creator non videt, essentia subsistendi caret. Aliquando autem ab auibus in illum similitudo trahitur, sicut per Moysen dicitur: Expandit alas suas, & assumpsit eos. Et sicut Propheta ait: Sub vmbra alarum tuarum protege me. Quia enim nos paruulos dum protegit nutrit, & non graui atque onerosa, sed leui & blanda protectione nos refouet, dum suas in nos misericordias exerit, quasi more super nos auium alas tendit. Aliquando etiam insensatis rebus propter infirmitatem nostram alta condescensione se comparat, sicut per Prophetam dicit: Ecce ego stridebo super vos sicut stridet plaustrum onustum fœno. Quia enim fœnum est vita carnalium, sicut scriptum est: Omnis caro fœnum, in eo quòd Dominus vitam carnalium patitur, more plaustri fœnum se portare testatur. Cui sub fœni onere stridere, est pondera & iniquitates peccantium cum querela tolerare. Cùm ergo longè dissimiles in se similitudines trahat, solerter intuendũ est quòd quædam talia aliquando dicantur in Deo propter effectum operis, aliquando autem ad indicandam eius substantiam maiestatis. Nam cùm in Deo oculus, scapulæ atque alæ nominantur, effectus quidẽ operationis ostenditur. Cùm verò manus, brachium, dextera vel vox in Deo dicitur, per hæc vocabula consubstantialis ei filius demonstratur. Ipse quippe est & manus dextera, de cuius ascensione per Moysen pater loquitur, dicens: Tollam in cœlum manum meã, & iurabo per dexteram meam. Ipse brachium, de quo Prophe-

A B C D

Zacha.2. Psalm.90. Hiere.2. Esaiæ 49. Deute.32. Psalm.16. Amos.2. Esaiæ. 40. Deute. 32. Esaiæ 53.

ta ait: Et brachium Domini cui reuelatum est? Ipse vox: quia eum pater gignendo dixit: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et de quo scriptum est: In principio erat verbum, & verbũ erat apud Deum, & Deus erat verbum. Per hoc verbũ fecisse patrem omnia Dauid asserit, dicẽs: Dixit, & facta sunt. Deum ergo brachium habere, est operantem filium gignere: voce tonare est consubstantialem sibi filium mundo terribiliter demonstrare. Beato igitur Iob dũ dicit Dominus: Si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas, mira dispensatione pietatis eum dum increpat, exaltat: quia eum quem sua comparatione superat, superiorem cunctis demonstrat. Cui in hac propositione subiungit:

Psalm.2. Ioan.1. Psalm.32.

Quòd sanctis in conspectu Dei gloria & honore, & speciosis virtutum vestibus induantur, superbos verò extremæ confusionis nuditas manet:

Caput VII

CIrcunda tibi decorem, & in sublime erigere, & esto gloriosus, & speciosis induere vestibus.) Subaudis vt ego. Ipse enim sibi circundat decorem, de quo scriptum est: Dominus regnauit, decorem induit. Ipse apud nos in sublime erigitur, cùm nostris mentibus in natura sua esse impenetrabilis demonstratur. Ipse verò gloriosus est, qui dum seipso perfruitur, accedentis laudis indigens non est. Ipse speciosis induitur vestibus: quia sanctorum angelorum choros quos condidit, in vsum sui decoris assumpsit, & velut quandam vestem gloriosam sibi Ecclesiam exhibet non habentem rugam, aut maculam. Vnde ei per Prophetam dicitur: Confessionem & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento. Hîc quippe confessionem induit, illic decorem: quia quos hîc per pœnitentiam confitentes fecerit, illic fulgentes per decorem iustitiæ ostendet. Luce ergo sicut vestimẽto amictus est: quia sanctis omnibus, quibus dictum est: Vos estis lux mundi, in illa æterna gloria vestietur. Vnde & per Euangelium dicitur, quia transfigurato in monte Domino, vestimenta eius facta sunt candida sicut nix. In qua transfiguratione quid aliud quàm resurrectionis vltimæ gloria nunciatur? In monte enim vestimenta eius sicut nix facta sunt: quia in supernæ claritatis culmine sancti omnes ei luce iustitiæ fulgentes adhærebunt. Sed quia speciosarum vestium nomine iustos sibi quomodo adiungat insinuat, iniustos etiam quomodo à se disiungat ostendit. Sequitur: *Disperge superbos in furore tuo.*) Subaudis vt ego, qui eos & tranquillitatis tempore vnitos contra me tolero, & districtus quandoque veniens, in meo eos furore dispergo. Sed inter hæc solerter intuendum est, quòd grauis perfidiæ error admittitur, si fortasse quis æstimet, quòd in illa diuinitatis substantia, furor & tranquillitas varietur. Creator nanque omniũ eo summè immortalis est, quo creaturæ more mutabilis non est. Hinc de illo per Iacobum dicitur: Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obũbratio. Hinc rursum scriptum est: Tu autem Domine, cum trãquillitate iudicas. Hinc Propheta ait: Deserta facta est terra à facie iræ columbæ, à facie furoris Domini. Quod iram columbæ prædixerat, hoc furorem Domini subiunxit. Columba nanque valde simplex est animal, & quia in Deũ nulla furoris inæqualitas serpit, furorẽ Domini iram colũbæ nominauit. Vt enim diuinæ districtionis vim imperturbabilem demõstraret, & irã dixit, & columbæ: ac si apertius diceret: Districtũ iudiciũ inconcussus exerit, qui permanẽs mansuetus iniustos punit. Vnde & in extremo iudicio in semetipso incommutabilis manens, nulla vicissitudine ac mutabilitate variatur, sed tamẽ electis ac reprobis nequaquã sub specie eiusdẽ incõmutabilitatis ostẽditur: quia & trãquillus iustis, & iratus apparebit iniustis. Teste enim cõscientia, intra semetipsos deferũt, vnde eorum mentes æquè vnũ respiciant, sed nõ æqualiter modificentur: quia & istis eum benignum ostẽdit anteacta iustitia, & illis terribilẽ culpa. Quorum pauorem quis explicet, cùm contigerit miseris, & intra se culpas cernere, & ante se iudicem iustum videre? Hoc nimirum quotidie in vsu vitæ præsentis agitur, vt de qualitate venturi iudicis mortalium corda doceantur. Nam cùm duo ad iudicium pergunt, alius innocentiæ sibi cõscius, alius culpæ ante prolatam sententiam adhuc tacentem iudicem vtique conspiciunt, & tamen culpæ debitor grauem cõtra se iram hoc ipsum iudicis silentium suspicatur. Quã iram

Psalm. 92. Psalm. 103. Matth.5. Marci.9. 6. Iaco.1. Sapien.11. Hiere.25.

sibi non denuntiat perturbatio iudicis, sed recordatio prauitatis: quia etsi adhuc foris rerum sententia non clamat, intus tamen grauiter cõscientia accusat. At contra iustitiæ amicus decernentis vultum conspicit, sed intus de testimonio bonæ recordationis hilarescit, & quo apud se quod metuat non habet, omne quod erga semetipsum est, blandum videt. Hoc itaque loco furor Domini dicitur non perturbatio diuinæ substantiæ, sed super peccatores malè sibi conscios examinatio iusta vindictæ. Quanuis enim eum tranquillum in iudicio videant, tamen quia feriendos se ab illo non dubitant, eum suis moribus perturbatum putãt. Sequitur: *Et respiciẽs omnẽ arrogantem humilia.*) Ac si dicat, vt ego. Aptè autem ad vindictæ ordinem arrogantibus superborum culpa præponitur: quia nimirum non superbia de arrogantia, sed generatur arrogantia de superbia. Duobus autẽ modis à Domino peccator vnusquisque respicitur, cùm aut à peccato conuertitur, aut ex
Lucæ. 22. peccato punitur. De respectu enim cõuersionis dicitur: Quia respexit Dominus Petrum, & recordatus Petrus verbi Iesu fleuit amarè. De respectu vltionis rursus dicitur: Vultus autẽ Domini super facientes mala: vt perdat de terra memoriam
Psalm. 33. eorum. Vtrisque autẽ modis in humilitate arrogans sternitur: quia aut pœnitendo cognoscit culpam, aut perendo percipit pœnã. Sequitur: *Respice cunctos superbos, & confunde eos, &*
7. *contere impios in loco suo.*) Subaudis, vt ego. Superbi enim ex respectu Domini confundunturur, aut hîc de pietate Domini co
Eccle. 10. gnoscentes, & damnantes crimina, aut illic supplicia de iustitia sentientes. Impiorum verò locus ipsa superbia est: quia cùm scriptum sit: Initium omnis peccati superbia: vnde oritur impietas, ibi continetur, quanuis nec quicquam à superbia distat impietas. Valde enim superbire est impia de authore sentire. Impius ergo in loco suo cõteritur: quia ipsa superbia qua eleuatur opprimitur, cúmque efferendo se in cogitationibus erigit, lumen sibi iustitiæ quod inuenire debuisset abscondit. Sæpe autem dum cõtra Deum falsa gloria exterius
Psalm. 72. proficit, vera miseria interius inanescit. Vnde Propheta ait: Deiecisti eos dum alleuarentur. Non enim ait: Deiecisti eos G postquam eleuati sunt, sed dum alleuarẽtur: quia hoc ipsum sit superbis interius deiici, quod eis falsa cõtingit gloria exterius eleuari. Ordinante enim diuino iudicio, non eis hîc aliud culpa est, atque aliud pœna, sed sua illis in pœnam vertitur culpa vt elatis fastu superbiæ, hoc ipsum sit verè intus cadere, quod foris ostenditur profecisse. Sequitur: *Abscondes eos in puluere, simul & facies eorum demerges in fouea.*) Ac si dicat, vt ego. Superbos enim atque impios iusto iudicio Dominus in puluere abscondit: quia eorum corda ipsis, quæ despecto amore creatoris eligunt, terrenis opprimi negociis permittit.
Lucæ 13. Vnde & illorum vitam cùm in extremo iudicio discutit, tanquam sibi absconditam non agnoscit, dicens: Nescio qui estis. Vita prauorum sub puluere absconditur: quia abiectis & infimis desideriis grauatur. Quisquis enim adhuc ea quæ mundi sunt appetit, quasi ante faciem veri luminis non apparet: quia nimirum sub puluere terrenæ cogitationis latet. Hunc prauarum cogitationum puluerem oppressa mens tolerat, quem ventus nequissimæ tentationis apportat.

8. Hinc est enim quod de vnaquaque anima terrenis de-
Osiæ. 7. sideriis aggrauata sub Ephraim specie per Prophetam dicitur: Factus est Ephraim panis subcinericius, qui non reuersatur. Ex natura quippe bene condita est nobis intentio quę surgat in Deum, sed ex conuersatione nequiter assueta inest voluptas, quæ præsens premat in seculum. Panis autem subcinericius ex ea parte est mundior, quam inferius occultat, atque ex ea parte sordidior, qua desuper cinerem portat. Quisquis ergo intentionem qua Deum debuisset quærere negligit, quasi more panis subcinericij mundiorem partem inferius premit, & cùm curas seculi libenter tolerat, quasi congestum cinerem superius portat. Reuersaretur autem panis subcinericius, si desideriorum carnalium cinerem repelleret, & intentionem bonam quam in se dudum despiciendo oppresserat, superius ostentaret. Sed reuersari renuit, cùm mens amore curarum secularium pressa, molem superpositi cineris abiicere negligit: dúmque assurgere in intentionem bonam non appetit, quasi mundiorem faciem subter premit. Aptè autem subiungitur: Simul & facies eorum E demerge in foueam. Ac si dicat, vt ego. Iusto nanque iudicio superborum facies Dominus in foueam mergit: quia intentionem cordis eorum sese vltra homines erigentem inferius deiicit. Ima enim respicit, cuius facies foueam attendit. Et bene de superbis dicitur quòd eorum facies in foueam demerguntur: quia ima petunt dum superbiendo altiora appetunt, & quo magis extollendo se erigunt, eo magis ruendo inferius tendunt. Terrenã quippe gloriã quærunt, & infima sunt, quæ prospiciunt dum superbiendo alta sequuntur. Vnde miro & diuerso modo res agitur, vt humiles cœlum petant, dum se inferius deiiciunt: superbi infima appetant, dum despiciendo cæteros quasi in altioribus extolluntur. Isti se dum despiciunt, cœlestibus iunguntur: illi dum se erigunt, à superioribus diuiduntur: atque, vt ita dixerim, illi se eleuantes deprimunt, isti deprimentes eleuant. Et bene de superbientibus per Psalmistam dicitur: Humiliat autem peccato- Psalm. 146.
res vsque ad terram: quia ea quæ infra sunt ambientes dum extollendo se erigunt, amisso cœlo quid aliud quàm terram petunt? Quibus hoc ipsum iam in imis cecidisse, est relictis F superioribus ima quæsisse. Rectè ergo eorum facies in foueam demergi perhibentur: quia sequentes infima ad inferni barathrum tendunt. Iusto enim iudicio agitur, vt quos hîc voluntaria auersio excæcat, illic ab intuitu veri luminis digna supplicij fouea abscondat. Igitur quia vir sanctus tanto diuinę potentiæ terrore discussus est, vt ei diceretur: Si habes brachium vt Deus, & si voce simili tonas, disperge superbos in furore tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia, & cætera quæ Deus quidem facere, sed homo vix sufficit audire, cuncta hæc qua Dominus intentione præmiserit, fine subditæ conclusionis ostendit, dicens:

Pelagianorum hæresis præsenti capite destruitur, qui sine adiutorio gratiæ, propria virtute quemquam posse saluari affirmant.

Caput VIII.

E*T ego confitebor quod saluare te possit dextera tua.*) Ac si apertè 9.
diceret: Si potest terribilia hæc facere, ipse quæ protulit, tibi & non mihi deputo bona omnia quæ fecisti. Si verò peccantes alios respiciendo non potes perdere, liquet quòd à reatu nequitiæ tua te non vales virtute liberare. Ecce diuina voce ad beatum Iob dicitur quò sua dextera non saluetur: & tamen nonnulli hominum qui ab huius viri viribus longè sunt, despecto Dei adiutorio, sua se fortitudine saluari posse confidunt. Pro quibus quid deprecari aliud debemus, nisi vt si iam dona bonorum operum perceperunt: hoc quoque donum accipiant, vt à quo hæc acceperint discant? Quia autem præmissis verbis Dominus potentiam suæ magnitudinis intulit: nunc in subsequentibus nequitiam antiqui hostis ostendit: vt bonus famulus & auditis prius virtutibus Domini sciret quantum diligeret, & cognita pòst calliditate diaboli, disceret, quantum timeret. Vnde bene per Prophe- Amos. 3.
tam dicitur: Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus est: quis non prophetabit? Postquam enim virtus ei sui conditoris innotuit, nequaquam illum vires aduersarij latere H debuerunt: vt eo magis defensori suo se humilius subderet, quo hostis sui nequitias subtilius agnouisset: protectorémq; suum tantò ardentius quereret, quantò terribiliorem hostem cognosceret quẽ vitaret. Certum quippe est, quia minus diligit ereptorem suum, qui minus intelligit periculum quod euasit: & vile solatium deputat defensoris, qui virtutem aduersarij debilem putat. Vnde bene ereptionem suam Domino Psalm. 17.
tribuens Propheta dicebat: Diligam te Domine virtus mea, aperte videlicet dicens, eo te magis diligo, quo infirmitatem propriam sentiens, virtutem meam te esse cognosco. Hinc Psalm. 16.
rursum ait: Mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te: quia tunc nimirum misericordiæ Domini miræ apud nosmetipsos qui eripimur fiunt, cùm per easdem misericordias quàm grauia fuerint pericula quæ euasimus agnoscimus. Et quia sermone præcedenti Dominus beato Iob mira opera sanctorum sequentium patefecit, vt his auditis disceret, de virtutum suarum culmine quàm humilia sentire debuisset, nunc ei cum quo hoste bellum gerat ostenditur, & vires fraudésque illius subtilius indicantur: vt qui ad colloquium authoris sui perductus est, argumenta aduersarij apertè

apertè cognoscat. Verbis enim sequẽtibus fideli famulo Dominus cuncta hostis callidi machinationes insinuat, omne A quod opprimendo rapit, omne quod insidiando circumuolat, omne quod minando terret, omne quod suadendo blanditur, omne quod desperando frangit, omne quod promittẽdo decipit. Cuncta ergo tergiuersationis eius certamina exorditur
† in lib. scriptis vbique Vehemoth. dicens: *Ecce † Behemoth quem feci tecum.*

Quòd Manichæorum hæresis qui astruunt duo principia Deum scilicet, & nescio quam tenebrarum gentem, conuincatur: cùm manifestum sit, quòd in principio Deus omnem spiritalem & corporalem creaturam fecerit, primò in substantia materiæ, deinde in formarum distinctione.

Caput IX.

10. QVem sub Behemoth nomine, nisi antiquum hostem insinuat? qui interpretatus ex Hebræa voce in Latina lingua animal sonat. Cuius inferius dum malitia subditur, patenter persona monstratur. Sed cùm de Deo scriptum sit, quia fecit omnia simul, cur hoc animal cum homine fecisse se indi- B cat, dum cuncta quia simul fecerit constat? Rursum quærendum est, quomodo Deus cuncta simul condidit, dum Moyses sex dierum mutatione variante distinctè creata describat? Quod tamen citius agnoscimus, si ipsas causas originum subtiliter indagamus. Rerum quippe substantia simul creata est, sed simul species formata non est: & quod simul extitit per substantiam materiæ, non simul apparuit per speciem formæ. Cùm enim simul factum cœlum terráque describitur, simul spiritalia atque corporalia, simul quicquid de cœlo oritur, simul factum quicquid de terra producitur, indicatur. Sol quippe luna & sidera quarto die in cœlo facta perhibentur: sed quod quarto die processit in specie, primo die in cœli substantia extitit per conditionem. Primo die creata dicitur, & tertio arbusta condita, & cuncta terræ virentia describuntur: sed hoc quod die tertio se in specie protulit, nimirum primo die in ipsa de qua ortum est terræ substantia conditum fuit. Hinc est quòd Moyses & distinctè per dies singulos condita C omnia retulit, & tamen simul omnia creata subiunxit, dicens:
Genes. 2. Istæ sunt generationes cœli & terræ, quando creatæ sunt in die quo fecit Dominus cœlum & terram, & omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnémque herbam regionis. Qui enim diuersis diebus creatum cœlum & terram, virgultum, herbámque narrauerat, nunc vno die facta manifestat: vt liquidò ostenderet quòd creatura omnis simul per substantiam extitit, quanuis non simul per speciem processit. Hinc illic quoque scriptum est:
Genes. Creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum & fœminam fecit eos. Necdum enim Eua facta describitur, & iam homo masculus & fœmina perhibetur. Sed quia ex Adæ latere proculdubio fœmina erat processura, in illo iam computatur per substantiam, à quo fuerat producenda per formam. Considerare tamen hæc in minimis possumus, vt ex minimis maiora pensemus. Herba nanque cùm creatur, necdum in illa fructus, nec dum fructus sui semen ostenditur. Inest verò ei etiam cùm non apparet fructus & semen: quia nimirum simul D sunt in radicis substantia, quæ non simul prodeunt per temporis incrementa. Sed quia hæc simul creata per substantiam dicimus, quæ prodire alia ex aliis inuenimus, quo pacto cùm beato Iob Behemoth creatus asseritur, cùm neque vna sit substantia angeli & hominis, neque homo ex angelo, neque angelus ex homine proferatur? Si verò propter hoc factus Behemoth cùm beato Iob dicitur, quòd creatura omnis ab authore, qui in actione sua nequaquam temporis protelatione distenditur, simul condita non dubitatur: cur de Behemoth specialiter dicitur quod commune cum creaturis omnibus generaliter habetur? Sed si rerum causas subtili discussione pensamus, simul angelum factum hominémque cognoscimus: simul videlicet non vnitate temporis, sed cognitione rationis, simul per acceptam imaginem sapientiæ, & non simul per coniunctam substantiam formæ. Scriptum nanque de homine est. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et per Ezechielem, ad Satan dicitur: Tu signaculum
Ibidem. Ezech. 28. similitudinis, plenus sapientia & perfectus decore in deliciis paradisi Dei fuisti. In cuncta igitur creatura, homo & angelus simul conditus extitit: quia ab omni creatura irrationabili A distinctus processit. Quia ergo in cuncta conditione rerum nullum rationale animal nisi angelus & homo est, quicquid ratione vti non potest, cum homine factum non est. Dicatur itaque homini, dicatur de angelo, qui etsi potentiam sublimitatis perdidit, subtilitatem tamen naturæ rationalis non amisit: Ecce Behemoth quem feci tecum: vt dum homo eum qui in ratione secum factus est perisse considerat, vicinum sibi casum superbiæ ex ipsa propinqui sui perditione pertimescat. In his autem verbis solerter intuendum est, quòd apertè voce dominica nefarium Manichæi dogma reprehenditur, qui dum duo principia loquitur, tenebrarum gentem non factam asserere conatur. Quomodo enim non facta gens nequissima dicitur, dum Behemoth istum, videlicet authorem nequitiæ per naturam bene conditum se Dominus fecisse testatur? Sed quia Behemoth iste cum quo sit factus audiuimus, perditus quid agat audiamus: Sequitur:

Quòd escæ diaboli electi sint, & hypocritarum simulatione maximè saturentur.

Caput X.

FO*Enum sicut bos comedet.*) Si prophetarum solicitè verba discutimus, hæc & illa vno spiritu prolata reperimus. Esaias nanque cùm cerneret vitam peccantium ab antiquo & insatiabili hoste deuorari, ait: Leo sicut bos comedet paleas. Esaiæ. 11.
Quid autem fœni palearúmque nomine nisi carnalium vita signatur? De qua per Prophetam dicitur: Omnis caro fœnum. Esaiæ 40.
Qui ergo hîc Behemoth, illic leo: qui hîc fœnum, illic paleæ nominantur. Sed perscrutari mens nititur cur iste vel apud Esaiam leo, vel hîc dominica voce Behemoth, in comessatione fœni vel paleæ, vtroque loco non equo, sed boui comparetur. Quod tamen citius agnoscimus, si in vtrisque animalibus quæ sit nutrimentorum distantia perpendamus. Equi nanque fœnum quodlibet sordidum comedunt, aquam verò non nisi mundam bibunt. Boues autem aquam quamlibet sordidã bibunt, sed fœno non nisi mũdo vescuntur. Quid est ergo quod boui qui mundo pabulo pascitur, Behemoth iste comparatur, nisi hoc quod de isto antiquo hoste per Prophetam alium dicitur: Esca eius electa? Neque enim se eos gaudet rapere, quos prauis ac sordidis actionibus implicatos in imis secum respicit voluntariè iacere. Fœnum ergo comedere sicut bos appetit: quia suggestionis suæ dentes conterere mundam vitam spiritalium quærit. Sed quærendum video quomodo Behemoth iste fœnum sicut bos comedens, vitam spiritualium consumere dicitur, cùm sicut suprà dictum est, fœni nomine vita carnalium designatur. Esca quoque eius electa iam non erit, si fœnum comedens carnales rapit. Sed ad hæc citius occurrit: quia nonnulli hominum & apud Deum fœnum sunt, & apud homines sanctitatis nomine censentur: cùm & ante humanos oculos aliud ostendit vita, & ante diuina iudicia aliud intendit conscientia. Ii itaque apud humana iudicia electi sunt, sed apud subtile Domini examen fœnum. An ante diuinos oculos Saul fœnum non erat, de quo Samuël propheta populo dicebat: Certè videtis quem ele- 1. Reg. 10.
git Dominus, & de quo paulò superius dicitur: Electus & bonus? Quem enim peccans populus meruit & apud Deum reprobus extitit: & tamen causarum ordine electus & bonus 11.
fuit. Quia multi fœnum sunt, & electos se ex humana æsti- Eccles. 8.
matione suspicantur, bene per Salomonem dicitur: Vidi impios sepultos, qui etiam dum adhuc viuerent, in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate quasi iustorum operum. Quia multi fœnum sunt, sed tamen sanctitatis fauore vallantur, bene quidam sapiens indicat dicens: Transi hospes, & orna mensam. Transeundo nanque hospes, ornare mensam dici- Eccle. 29.
tur: quia si ad altare Dei qui positus per bona opera gloriam propriam quærit: & de ostẽtatione sanctitatis eius laus altaris extenditur, & ipse tamen apud Deum in numero ciuium non habetur. Aliis eius opinio proficit, & tamen à Deo extraneus ipse pertransit. Mensam itaque transeundo decorauit: quia stare ad sacra noluit, qui per omne quod agere studuit, ad humanas laudes mente decurrit. Quia ergo nonnulli mundam quidem vitam per studium ducunt, sed ex

illa intus placere non appetunt, rectè & esca eius electa dicitur: & tamen fœnum sicut bos comedere Behemoth iste perhibetur. Quasi enim ante os Behemoth istius mundum fœnum in terra, atq; in infimis iacet, cùm & vita quasi innocens per mandatorum custodiam agitur, & tamen inter actionem quæ bona ostenditur, cor ad appetenda sublimia non eleuatur. Quid itaque vtilitatis agit qui in se munditiam vitæ custodit, si per intentionem infimam in ore Behemoth huius inueniendum se in terra derelinquit? Quia igitur omnipotens Deus quid hostis noster agat insinuat, nunc quomodo præualeat innotescit, vt calliditatis eius nequitia quo apertius cognoscitur, eo facilius superetur. Sequitur:

Quòd malorum mentes diabolus in virtute possideat.

Caput XI.

F*Ortitudo eius in lumbis eius, & virtus eius in vmbilico ventris eius.*) Seminaria coitus viris in lumbis esse, inesse autem fœ-
Luca.12. minis in vmbilico perhibentur. Hinc est enim quod veritas
1.Petri.1. discipulis dicit: Sint lumbi vestri præcincti. Hinc Petrus cùm
luxuriam à corde restringeret, admonebat, dicens: Succincti
Hebr.7. lumbos mentis vestræ. Hinc Paulus cùm per Abrahæ sacrificium Melchisedech tempore Leui sacerdotium diceret decimatum, vbi tunc in Abrahæ corpore Leui lateret ostendens, ait: Adhuc enim in lumbis patris erat. Quia verò seminarium
Ezech.16. luxuriæ fœminis in vmbilico continetur, Propheta testatur, qui sub specie fœminæ prostitutæ Iudææ petulantiam increpans, ait: In die ortus tui, non est præcisum vmbilicus tuus. In die quippe ortus vmbilicum præcidere, est conuersionis tempore carnis luxuriam resecare. Quia enim difficile est malè inchoata corrigere, & semel formata deformiter in melius reformare: de ortu suo Iudæa reprehenditur, quæ dum in Deo nata est, impræcisum vmbilicum retinuit: quia fluxa luxuriæ non abscidit. Quia igitur potestate diaboli vtriusque generis sexus valde ex luxuriæ infirmitate substernitur, & fortitudo eius in lumbis contra masculos, & virtus illius con-
12 tra fœminas in vmbilico perhibetur. Sed cur cùm Behemoth istum fœnum comedere intulit, prima deceptionis eius
G argumenta luxuriæ damna subiunxit, nisi quòd liquidò om-
Genesis.3. nibus patet, quia postquam semel hominis spiritum superbia cœperit, mox se ad corruptionem carnis extendit? Quod in ipsis quoq; hominibus primis agnoscimus, qui dum post perpetratam superbiam pudenda membra contegunt, patenter indicârunt, quia postquam apud semetipsos intus arripere alta conati sunt, mox in carne foris erubescenda pertulerunt. Behemoth itaque iste insatiabiliter sæuiés, & deuorare totum simul hominem quærens, modò in superbiam mentem erigit, modò carnem luxuriæ voluptate corrumpit. Bene autem nequaquam fortitudo eius in lumbis vel vmbilico eorum dicitur, qui prosternuntur: sed fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius. Ac si apertè diceretur: Fortitudo eius in lumbis suis, & virtus illius in vmbilico ventris sui: quia nimirum eius propriè corpus fiunt, qui suggestionum turpium blandimentis decepti, ei per luxuriæ fluxa succumbunt. Sequitur:

Quòd tota virtus diaboli in antichristo stringatur, qui in fine huius mundi causa omnis erit malitiæ, & quasi esset Deus immensitate prodigiorum sublimis apparebit.

Caput XII.

S*Tringit caudam suam quasi cedrum.*) Multa in his suppetunt, quæ instruendis moribus proferãtur: sed prius Behemoth istius violenta discutimus, vt pòst subtilius astuta detegamus. In scriptura sacra cedri nomine aliquãdo alta excellentia gloriæ cœlestis exprimitur: aliquando autem prauorum rigida elatio designatur. Cedri nomine cœlestis gloriæ celsitudo exprimitur, sicut Psalmista testatur: Iustus vt palma florebit,
Psalm.91. sicut cedrus Libani multiplicabitur. Cedri rursus nomine superba prauorum potentia designatur, sicut per eundem Prophetam dicitur: Vox Domini confringentis cedros. Quid
Psalm.28. autem cauda Behemoth istius, nisi illa antiqui hostis extremitas dicitur, cùm nimirum vas proprium illum perditum hominem ingreditur, qui specialiter antichristus nuncupatur. Qui quoniam modò honoribus seculi, modò signis & prodigiis fictæ sanctitatis in tumorem potentię eleuari permittitur, rectè voce dominica cauda illius cedro comparatur. Sicut enim cedrus arbusta cætera in altum crescendo deserit, ita tunc antichristus mundi gloriam temporaliter obtinens, mensuras hominum & honoris culmine & signorum potestate trãscendit. Spiritus quippe in illo est, qui in sublimibus conditus, potentiam naturæ suæ non perdidit vel deiectus. Cuius idcirco virtus nunc minimè ostenditur, quia dispẽsatione diuinæ potentiæ ligatur. Vnde per Ioannem dicitur: Vidi Angelum Apoc.20.
descendentem de cœlo, habentem clauem abysi, & catenam magnam in manu sua, & apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus & satanas: & ligauit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & clausit & signauit super eum. Ligatus quippe missus in abyssum perhibetur: quia retrusus in prauorum cordibus, potentia diuinæ dispensationis astringitur, ne inquantum nocere valet, effrenetur: vt quanuis per eos occultè sæuiat, ad violẽtas tamen rapinas superbia non erumpat. Sed illic quomodo in mundi fine sit soluendus intimatur, cùm dicitur: Et postquam consummati fuerint mille anni, soluetur Satan de carcere suo, & exibit, & seducet
E gentes. Millenario nanque numero vniuersum pro perfectio- Apoca.20.
ne sua hoc quantumlibet sit Ecclesiæ sanctæ tempus exprimitur. Quo peracto antiquus hostis suis viribus traditus, pauco quidem in tempore, sed in multa contra nos virtute laxatur. Quem quanuis sæuitia ad crudelitatem dilatet, superna
tamen misericordia dierum breuitate coangustat. Hinc enim Matth.24.
veritas per semetipsam dicit: Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mũdi, vsq; modo, neq; fiet. Hinc rursum
ait: Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro. Ibidem.
Quia enim & superbos nos & infirmos Dominus conspicit, dies quos singulariter malos intulit, misericorditer breuiatos dicit: profectò & vt superbiam terreat de aduersitate temporis, & infirmitatem refoueat de breuitate. Sed considerandum valde est, cùm Behemoth iste caudã suam sicut cedrum 13
subleuat: in quo tunc atrocior quàm nunc se exerit surgat. Quæ enim pœnarum genera non notimus, quæ non iam vires martyrum exercuisse gaudemus? Alios nanque improuiso
G ictu immersus iugulo gladius strauit: alios crucis patibulum afflixit: in quo & mors prouocata repellitur, & repulsa prouocatur. Alios hirsutis ferra dentibus attriuit. Alios armato ferro insulcans vngula carpsit: alios beluina rabies morsibus detruncando comminuit: alios ab intimis viscerum per cutem pressa vis verberum rupit: alios effossa terra viuentes operuit, alios in altum demersos in mortem præcipitium fregit: alios in se proiectos aqua replendo absorbuit: alios edax flãma vsque ad cineres depasta consumpsit. Cùm igitur Behemoth iste caudam suam in fine mundi nequius dilatat, quid est quod in his tormentis tunc atrocius crescat, nisi hoc quod
in Euangelio veritas per semetipsam dicit: Surgent pseudo- Matth.24.
christi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia: ita vt in errorem mittantur, si fieri potest, etiam electi? Nunc enim fideles nostri mira faciunt, cùm peruersa patiuntur: tunc autem Behemoth huius satellites etiam cùm peruersa inferunt, mira facturi sunt. Pensemus ergo quæ erit humanæ mentis illa tentatio, quando pius martyr & corpus tor-
H mentis subiicit: & tamen ante eius oculos tortor miracula facit? Cuius tunc virtus non ab ipso cogitationum fundo quatiatur, quando is qui flagris cruciat, signis coruscat? Dicatur igitur rectè: Stringit caudam suam quasi cedrum: quia nimirum & altus tunc erit veneratione prodigij, & durus crudelitate tormenti. Non enim sola tunc potestate erigitur, sed
etiam signorum ostensione fulcitur. Vnde & per Dauid dici- 14
tur: Insidiatur in occulto, quasi leo in cubili suo. Ad aper- Psalm.9.
tam nanque potẽtiam suffecisset vt leo esset, etiam si insidians non fuisset: rursũmque ad occultas versutias suffecisset, vt insidians surriperet, etiam si leo non esset. Sed quia hic antiquus hostis in cunctis suis viribus effrenatur, sæuire per vtraq; permittitur: vt contra electos in certamine & fraude & virtute laxetur: virtute per potentiam, fraude per signa. Rectè ergo & leo & insidians dicitur: insidians per miraculorum speciem, leo per fortitudinem secularem. Vt enim eos qui apertè iniqui sunt pertrahat, secularem potentiam ostentat: vt verò iustos etiam fallat, signis sanctitatem simulat. Illis enim suadet elationem magnitudinis, istos decipit ostensione sanctitatis. De hac cauda Behemoth istius sub draconis specie per Ioannem dicitur:

Apoc.12. nem dicitur: Et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum
A cœli, & misit eas in terram. Cœlum nanque est Ecclesia, quæ in hac nocte vitæ præsentis dum in se innumeras sanctorum virtutes continet, quasi radiantibus desuper sideribus fulget. Sed draconis cauda in terram stellas deiicit, quia illa satanæ extremitas per audaciam assumpti hominis erecta, quosdam quos velut electos Dei in Ecclesia inuenit, obtinendo reprobos ostendit. Stellas itaque de cœlo in terram cadere, est relicta nonnullos spe cœlestium illo duce ad ambitum gloriæ seculãris inhiare. Hinc Daniel sub Antiochi specie contra hanc
Daniel.8. draconis caudam loquitur, dicens: Deiecit de fortitudine & de stellis, & conculcauit eas, & vsque ad principem fortitudinis magnificatus est, & ab eo abstulit iuge sacrificium, & deiecit locum sanctificationis eius. Robur autem datum est ei contra iuge sacrificium, propter peccata, & prosternetur veritas in terra, & faciet, & prosperabuntur. De fortitudine quippe & de stellis deiicit, cùm nonnullos & luce iustitiæ resplendentes, & virtute operis robustos frangit. Qui vsque ad principem fortitudinis magnificatur: quia contra ipsum au-
B thorem virtutis extollitur. Iuge verò sacrificium tollit, quia studium conuersationis Ecclesiæ in eis quos ceperit interrumpit. Robur verò ei propter peccata contra iuge sacrificium datur: quia nisi pereuntium merita exigerent, eos qui recti credebantur, obtinere aduersarius nequaquam posset. Veritas in terra prosternitur: quia fides tunc rerum cœlestium ad desiderium vitæ temporalis inclinatur. Et faciet, & prosperabitur: quia tunc non solùm in reproborum mentibus, sed etiã in electorum corporibus crudelitate inæstimabili, sine quolibet obiectione grassatur. Hinc rursum per Danielem dicitur:
Ibidem. Consurget rex impudens facie, & intelligens propositiones, & roboratur fortitudo eius, sed non in suis viribus. Illius nãque hominis fortitudo non in suis viribus roboratur: quia sãtanæ virtute in gloriam perditionis attollitur. Hinc rursum ait: Interficiet robustos & populum sanctorum secundum voluntatem suam, & dirigetur dolus in manu eius. Robustos nãque interficit, cùm eos qui mente inuicti sunt, corporaliter
C vincit. Vel certè robustos & populum sanctorum secundum voluntatem suam interficit, cùm eos qui robusti ac sancti credebantur, ad nutum suæ voluntatis trahit. In cuius manu dolus dirigitur, quia in illo fraus per opus adiuuatur. Quòd enim fallendo dicit, hoc mira faciendo asserit: nam quicquid mẽdax lingua simulat, hoc quasi verum esse manus operis ostentat. Hinc rursum dicit: Contra principem principum consurget, & sine manu conteretur. Hinc Paulus ait: Ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Hinc rursum ait: Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui. Quod enim per Danielem dictum est: Contra principem principum consurget, hoc per Paulum
1.Thes.2. dicitur: Ita vt in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit
Ibidem. Deus. Et quod per Danielem subiungitur: Sine manu conteretur, hoc per Paulum exprimitur: Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui. Sine manu quippe conteretur: quia non angelorum bello, non sanctorum certamine, sed per aduentum iudicis solo oris spiritu æterna morte ferietur. De
Ibidem. huius Behemoth elatione item per Paulum dicitur: Qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. De quo Daniel cùm quartam bestiam diceret decem cornibus fultam, protinus adiunxit: Considerabam
Daniel.7. cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum, & tria de cornibus primis euulsa sunt à facie eius: & ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia. Vndecimum quippe huius bestiæ cornu esse
15. describitur: quia regni eius potentia in iniquitate roboratur:
Deut.32. Omne enim peccatum vndenarium est: quia dum peruersa agit, præcepta decalogi transit. Et quia in cilicio plangitur, hinc est quòd in tabernaculo vela cilicina vndecim fiunt. Hinc per vndecimum psalmum dicitur: Saluum me fac Domine, quoniam defecit sanctus. Hinc in vndenario numero remanere Apostolos Petrus metuens, Mathiam duodecimum sorte missa requisiuit. Nisi enim signari culpam per vndenarium cerneret, impleri Apostolorum numerum tam festinè duodenario non curaret. Quia ergo per vndenarium transgressio exprimitur, huius bestiæ cornu vndecimo ipse author transgressionis indicatur. Quod videlicet paruulum oritur, quia purus homo generatur, sed immaniter crescit: quia vsque ad coniũctam sibi vim angelicæ fortitudinis proficit. Quod tria cornua quæ ei ante faciem sunt euellit: quia ditioni suæ regna totidem quæ sibi vicina sunt subigit. Cuius oculi sunt vt oculi hominis, sed os ingentia loquitur: quia in illo humana quidem forma cernitur, sed verbis suis vltra homines eleuatur. Quod ergo per Paulum dicitur: Extollens se super omne quod dicitur Deus aut quod colitur, hoc Daniel propheta testatur dicens: Os loquens ingentia. Quod verò illum vel Daniel ingentia loqui, vel Paulus perhibet supra cultum deitatis extolli: hoc est quod apud beatum Iob diuino eloquio cedro comparatur. More enim cedri ad alta nititur, dum in omni fastu fallaciæ & virtutis robore & culminis elatione prosperatur. Bene autem stringere caudam dicitur: quia tota eius virtus in vno illo damnato homine congesta densatur, vt tantò per illum fortia ac mira faciat, quantò illum collectis suis viribus instigat. Sed quia quale sit iniquorum caput audiuimus, nunc huic capiti quæ membra adhæreant, agnoscamus. Sequitur:

Quòd multiplicia sint argumenta diaboli, quibus animas prostratas sibi polluit & corrumpit.

Caput XIII.

N*Erui testiculorum eius perplexi sunt.*) Tot iste Behemoth testes habet, quot iniquitatis suæ prædicatores possidet. An eius testes non sunt, qui prauis persuasionibus corda hominum virulenta erroris sui semina fundendo corrumpunt? Aptè autem dicitur, quòd testiculorum eius nerui perplexi sunt: quia videlicet prædicatorum illius argumenta dolosis assertionibus innodantur, vt recta esse simulent quæ peruersa persuadent: vt allegationum implicatio quasi neruorum perplexitas etsi videri possit, solui non possit. Neruos eius testiculi perplexos habent, quia acumina prædicatorum illius sub argumentis duplicibus latent. Plerunque autem cùm verbis corda inficiunt, in opere innocentium ostendunt. Neque enim ad se bonos persuasione sua traherent, si se & in actionibus peruersos exhiberent. Sed quia testes sunt huius beluæ & perplexis neruis illigantur, & rectos se ostentant vt lateant, & peruersa prædicant vt corrumpant: ipsum nimirum suum caput imitantes, qui quasi leo in insidiis & sæuit per potentiam terreni culminis, & blanditur per speciem sanctitatis. Sed hæc belua vtinam tunc solum talia ageret, & nunc quoque ad corrumpenda fidelium viscera, hos luxuriæ testiculos non haberet. Neque enim malum sola locutione oris infunditur, sed peius & à pluribus operis exemplo propinatur. Quàm multi enim antichristum non viderunt, sed tamen testiculi eius sunt: quia corda innocentium actionis suæ exemplo corrumpunt. Quisquis nanque in superbia extollitur, quisquis auaritiæ desideriis cruciatur, quisquis luxuriæ voluptatibus soluitur, quisquis iniustæ atque immoderatæ iræ flagris ignitur, quid aliud quàm antichristi testis est? Qui dum se libenter eius vsibus implicat, exemplo suo aliis erroris fœtus mini-
D strat. Iste praua agit, ille praua agentibus adhæret, & non solum non obuiat, sed etiam fauet. Quid ergo aliud quàm antichristi testis est, qui perdita authoritate promissæ Deo fidei, testimonium perhibet errori? Quos tamen siquis redarguat, mox se sub quodam velamine defensionis occultant: quia videlicet eorum nerui perplexi sunt & malè impliciti, correctione solui nequaquam possunt. Sequitur:

Quòd ossa diaboli hæresearchæ sint & principes malitiæ, qui fistulis æreis comparantur: quia bene quidem & sonorè loquuntur, sed quæ dicunt, hæc nec agunt, nec sentiunt.

Caput XIIII.

O*Ssa eius velut fistulæ æris.*) In corpore ossa sunt quæ conti- 16.
nent membra, & quæ continentur.] Habet ergo carnes hæc belua, habet & ossa: & iniqui sunt alij, qui tamen ab aliis in errore retinentur, & nequiores alij, qui in errore & alios retinent. Quid itaque aliud ossa antichristi, quàm quoslibet in eius corpore valentiores accipimus? In quorum corde iniquitas dum vehementer induruit, per eos tota eius corporis compago subsistit. Multi nanque in hoc mundo diuites videntur, qui dum rebus opibúsque subnixi sunt, quasi

ex fortitudine ſolidantur, ſed largiendo hæc ipſa quibus ſulti ſunt, ad ſuum alios errorem trahunt. Modò nonnullos vt prauì permaneant, muneribus aſtringunt. Quid itaq; hi niſi antichriſti oſſa ſunt, qui dum malos continendo multiplicant, in eius corpore carnes portant? Hi nonnunquam in decipiendis auditoribus exhibent linguæ dulcedines, quia & ſpinę proferũt flores: & apparet quidem in eis quod oleat, ſed latet quod pungat. Amaris dulcia, noxiis blanda permiſcent, & poteſtate quidem admirandi videri appetunt, ſed fallendi arte per remiſſa colloquia quaſi humiliter ſubſternuntur: & per ſermonem de ſe inſinuant, quod per exhibitionem negant. Vnde & rectè oſſa Behemoth iſtius æris fiſtulis comparantur: quia nimirum more metalli inſenſibilis, ſonum bene loquendi habent, ſed ſenſum bene viuendi non habent. Hoc nanque quaſi humiliter loquendo aſſerunt, quòd elatè viuendo contem-
1. Corint. 13. nunt. Vnde bene per Paulum dicitur: Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Bona quippe loquens, ſed per amorem eadem bona non ſequens, velut æs aut cymbalum ſonitum reddit: quia ipſe nõ ſentit verba, quæ
17 ipſe facit. Sunt verò nonnulli in huius beluæ corpore non honoribus clari, non diuitiis fulti, non virtutum ſpecie decorati, non ſcientia calliditatis periti, ſed tamen videri quales non ſunt ambiunt, & idcirco contra bonorum vitam nequiores fiunt, de quibus & ſequitur:

Quòd quidam cùm membra diaboli ſunt, quia ad ſeditiones, neque per miracula, neque per argumenta ſufficiunt, in contumelias & mortes ſanctorum ferro armantur.

Caput XV.

CArtilago illius quaſi laminæ ferreæ.) Cartilago nanque oſſis quidem ſpeciem habet, ſed oſsis fortitudinem non habet. Quid eſt ergo quòd cartilago eius laminis ferreis comparatur, niſi quòd hi qui in illo debiliores ſunt, ad perpetranda mala nequiores exiſtũt? Ferro quippe cætera metalla conciduntur, & cartilago eius ferro ſimilis dicitur: quia hi qui in eius corpore ad oſtenſionem virtutum non ſufficiunt, contra necem fidelium acrius accenduntur. Quia enim cum eo ſe facere ſigna & prodigia non poſſe conſiderant, fideles, ſe illi per crudelitatem probant: & pro eo quòd innocentium corda corrumpere perſuadendo non poſſunt, multiplicius cæteris bonorum corpora ſe extinguere gloriantur. Bene ergo dicitur: Cartilago eius vt laminæ ferreæ: quia in eius corpore quo infirmius quiſque crediderit, eo nequius incidit. Qui rectè non ferro tantummodo, ſed laminis ferreis comparantur: quia dum ſe circumquaque in credulitate dilatare ambiunt, quaſi in ferri ſe laminas extendunt.

Quòd ea quæ de Behemoth dicuntur, etiam alio intellectu accipi poſſint, & ad ſanctorum tentamenta referri.

Caput XVI.

LIbet arctiori inquiſitionis manu hæc eadem verba conditoris, quæ iam videntur diſcuſſa, diſtinguere, atque vberiores intelligentiæ fructus inſtruendis moribus apportare. Nam quia antiquus hoſtis quid per aſſumptum hominem cõtra homines agat audiuimus: ſuperest vt nunc quid in homi- H nibus etiam per ſemetipſum ſine homine moliatur, exploremus. Ecce enim dicitur: *Stringit caudam ſuam quaſi cedrum.*) Primum quidem ſerpentis ſuggeſtio mollis ac tenera eſt, & facilè virtutis pede conterenda: ſed ſi hæc inualeſcere negligenter permittitur, eſq; ad cor aditus licenter præbetur, tanta ſe virtute exaggerat, vt captam mentem deprimens, vſque ad intolerabile robur increſcat. Caudam itaque quaſi cedrum ſtringere dicitur: quia ſemel eius in corde recepta tentatio, in cunctis quæ ſubſequenter intulerit, velut ex iure dominatur. Huius ergo Behemoth caput herba eſt, cauda cedrus: quia ex prima quidem ſuggeſtione blandiens ſubſternitur, ſed per vſum vehementer inualeſcens, ſuccreſcente tentationis fine roboratur. Superabile nanque eſt omne quod initio ſuggerit, ſed inde ſequitur quod vinci vix poſsit. Prius enim quaſi cõſulens blanda ad animum loquitur: ſed cùm ſemel dentem delectationis infixerit, violenta pòſt conſuetudine pœnæ inſolubiliter innodatur. Vnde & bene ſtringere caudam dicitur. Dẽte enim vulnerat, cauda ligat: quia ſuggeſtione prima percutit, ſed percuſſam mentem ne euadere valeat, inualeſcente fine tentationis aſtringit. Quia enim peccatum tribus modis E admittitur, cùm videlicet ſerpentis ſuggeſtione, carnis delectatione, ſpiritus conſenſione perpetratur: Behemoth iſte prius illicita ſuggerens, linguam exerit, pòſt ad delectatio- *Peccatum admittitur tribus modis.*
nem pertrahens, dentem figit: ad extremum verò per conſenſionem poſsidens, caudam ſtringit. Hinc eſt enim quòd nonnulli peccata longo vſu perpetrata in ſemetipſis ipſi reprehẽdunt, atque hæc ex iudicio fugiunt, ſed vitare opere nec decertantes poſſunt: quia dum Behemoth iſtius caput non conteruit, plerunq; cauda & nolentes ligantur. Quæ contra cos cedri more induruit: quia blanda voluptate exordij vſque ad violentiam retentionis excreuit. Dicatur ergo: Stringit caudam ſuam quaſi cedrum: vt tantò quiſque debeat initia tentationis fugere, quantò finem eius intelligit citius ſolui non poſſe. Sciendum quoque eſt, quòd plerunque eis, quos cœperit, tunc grauiores culpas ingerit, cùm præſentis vitæ termino illos propinquare cognoſcit, & quo ſe cõſummaturum tentationem conſiderat, eo eis iniquitatum pondera grauiora 18
F coaceruat. Behemoth igitur caudam ſuam quaſi cedrũ ſtringit, quia quos per praua initia cœperit, ad finem deteriores reddit: vt tentamenta eius quo citius ceſſatura ſunt, eò valentius compleantur. Quia enim ſuis pœnis eorum ſatagit æquare ſupplicium, in eis ardentius ante mortem nititur omne exaggerare peccatum. Plerunque verò Behemoth iſte iam cor malè ſubditum poſsidet, ſed tamen diuina illum gratia repellit: & manus miſericordiæ eiicit, quem ad ſe captiua voluntas introduxit. Cúmque à corde expellitur, acriores infigere iniquitatum ſtimulos conatur, vt eos tentationum fluctus mens ab illo impugnata ſentiat, quos etiã poſſeſſa neſciebat. Quod bene in Euãgelio exprimitur, cùm exire ab homine immundus ſpiritus Domino iubente narratur. Nam cùm dæmoniacus puer fuiſſet oblatus, ſcriptum eſt: Comminatus eſt Ieſus *Marci. 9.*
ſpiritui immundo, dicens: Surde & mute ſpiritus, ego tibi præcipio, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum: & exclamans, & multum diſcerpens eum, exiuit ab eo. Ecce eum non
G diſcerpſerat cùm tenebat, exiens diſcerpſit: quia nimirum tunc peius cogitationes mentis dilaniat, cùm iam termino egreſſus ſui diuina virtute compulſus appropinquat. Et quem mutus poſſederat, cùm clamoribus deferebat: quia plerunque cùm poſsidet, minora tentamenta irrogat: cùm verò de corde pellitur, acriori infeſtatione perturbat. Bene itaque dicitur: Stringit caudam ſuam quaſi cedrum: quia & cor poſsidens ſemper in malitia ex poſterioribus creſcit, & cor deſerens vehementioribus cogitationum ſtimulis percutit.

Quòd quædam peccata ita perplexa ſint, vt etiſi fugere appetas, tamen ſine alio peccati laqueo non euadas.

Caput XVII.

ADhuc autem Behemoth iſtius mira pietate conditoris aſtutiora argumenta panduntur, cùm ſubditur: *Nerui teſticulorum eius perplexi ſunt.*) Nerui teſticulorum eius ſunt peſti- *Parte 1. diſtin. 14. ca. Nerui.*
fera argumenta machinationum. Per ipſa quippe calliditatis ſuæ vires exerit, & fluxa mortalium corda corrumpit. Teſticuli eius ſunt ſuggeſtiones prauæ, quibus in mentis corruptione feruefcit, atque in conſtuprata anima iniqui operis prolem gignit. Sed horum teſticulorum nerui perplexi ſunt: quia ſuggeſtionum illius argumenta implicatis inuentionibus illigantur: vt pleroſque ita peccare faciant, quatenus ſi fortaſſe peccatum fugere appetant, hoc ſine alio peccati laqueo non euadant: & culpam faciant dum vitant, ac nequaquam ſe ab vna valeant ſoluere, niſi in alia conſentiant ligari. Quod 19
melius oſtendimus ſi qua ex conuerſatione hominum illigationis huius exempla proferamus. Quia verò in tribus ordinibus ſancta Eccleſia conſtat, coniugatorum videlicet, continentium, atque rectorum, vnde & Ezechiel tres viros liberatos vidit, videlicet Noë, Daniel, & Iob. Et in Euangelio *Ezech. 14. Matth. 24.*
Dominus dum alios in agro, alios in lecto, atque eſſe in molendino alios perhibet, tres proculdubio in Eccleſia ordines oſtendit: liquidò ſatisfacimus ſi ſingula ex ſingulis exquiramus. Ecce enim quidam dum mundi huius amicitias appetit, cuilibet alteri ſimilem ſibi vitam ducenti, quòd ſecreta illius omni ſilentio contegat, ſe iureiurando conſtringit: ſed is cui iuratum eſt, adulterium perpetrare cognoſcitur, ita vt etiam maritum adulteræ occidere conetur. Is autem qui iuſurandum

dum præbuit, ad mentem reuertitur: & diuerſis hinc inde cogitationibus impugnatur, atq; hoc ſilere formidat, ne ſilentio, A adulterij ſimul & homicidij particeps fiat: & prodere trepidat, ne reatu ſe periurij obſtringat. Perplexis ergo teſticulorum neruis ligatus eſt: quia in quamlibet partem declinet, metuit ne à tranſgreſsionis contagione liber non ſit. Alius cuncta quæ mundi ſunt deſerens, atque per omnia frangere proprias voluntates quærens, alieno ſe ſubdere regimini appetit: ſed eum qui ſibi apud Deum præeſſe debeat, minus cauta inquiſitione diſcernit. Cui fortaſſe is qui ſine iudicio eligitur, cùm præeſſe iam cœperit, agi quæ Dei ſunt prohibet, quæ mundi ſunt iubet. Pẽſans itaque ſubditus vel quæ ſit culpa inobedientiæ, vel quod contagiũ ſecularis vitæ, & obedire trepidat, & non obedire formidat: ne aut obediens Deum in ſuis præceptis deſerat, aut rurſum non obediens Deum in electo priore contemnat: & aut illicitis obtemperans, hoc quod pro Deo appetit, contra Deum exerceat: aut rurſum non obtemperans, eum quem ſuum iudicem quæſierat, ſuo iudicio ſupponat. Apertè ergo iſte per indiſcretionis ſuæ vitium perple- B xis teſticulorum neruis aſtringitur: quia aut obtemperans, aut certè non obtemperans, in culpa tranſgreſsionis ligatur. Studebat proprias voluntates frangere, & curat eas etiam contẽpto priore ſolidare. Decreuit mundum fundituis relinquere, & ad mundi curas vel ex aliena voluntate compellitur redire. Perplexi itaque nerui ſunt, cùm ſic nos argumenta hoſtis alligant, vt culparum nodi quo quærũtur ſolui, durius aſtringant. Alius penſare pondus honoris Eccleſiaſtici negligens ad locum regiminis præmiis aſcendit. Sed quia omne quod hic eminet, plus mœroribus afficitur, quàm honoribus gaudet, dum cor tribulationibus premitur, ad memoriam culpa reuocatur: dolétque ſe ad laborem cum culpa peruenisse, & quàm ſit iniquum quod admiſerit, ex ipſa fructus difficultate agnoſcit. Reum igitur ſe cum impenſis præmiis agnoſcens, vult adeptæ ſublimitatis locum deſerere, ſed timet ne grauius delictum ſit ſuſcepti gregis cuſtodiam reliquiſſe: vult ſuſcepti gregis curam gerere, ſed formidat ne deterior culpa C ſit regimina paſtoralis gratiæ empta poſsidere. Per honoris ergo ambitum ligatum culpa hinc inde ſe conſpicit. Eſſe quippe ſine reatu criminis neutrum videt, ſi aut ſuſceptus ſemel grex relinquatur, aut rurſum ſacra actio ſecularitèr empta teneatur. Vndique metuit, & ſuſpectus latus omne pertimeſcit, ne aut ſtans in empto regimine non dignè lugeat, quòd non etiam deſerens, dum aliud emendat, aut certè regimen deſerens, flere nititur, rurſus aliud de ipſa gregis deſtitutione cõmittit. Quia ergo Behemoth iſte ita inexplicabilibus nodis ligat, vt plerunque mens in dubium adducta, vnde ſe à culpa ſoluere nititur, inde in culpa arctius aſtringatur, rectè dicitur: *Nerui teſticulorum eius perplexi ſunt.*) Argumenta nanque machinationum eius quaſi quo laxãtur vt relinquant, eo magis implicantur vt teneant. Eſt tamen quod ad deſtruendas eius
20. verſutias vtiliter fiat, vt dum mens inter minora & maxima peccata conſtringitur, ſi omnino nullus ſine peccato euadendi aditus patet, minora ſemper eligantur: quia & qui muro- D rum vndique ambitu ne fugiat clauditur, ibi ſe in fugã præcipitat, vbi breuior murus inuenitur. Et Paulus dum quoſdam in Eccleſia incontinentes aſpiceret, conceſsit minima, vt ma-
1. Cor. 7. iora declinarent, dicens: Propter fornicationem autem vnuſquiſque vxorem ſuam habeat. Et quia tunc ſolùm coniuges in admixtione ſine culpa ſunt, cùm nõ pro explenda libidine, ſed pro ſuſcipienda prole miſcentur: vt hoc etiam quod conceſſerat ſine culpa quanuis minima non eſſe monſtraret, ilico adiunxit: Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium. Non enim eſt ſine vitio quod agnoſcitur, & non præcipitur. Peccatum profectò vidit quod poſſe indulgeri præuidit. Sed cum in dubiis conſtringimur, vtiliter minimis ſubdimur, ne in magnis ſine venia peccemus. Itaque plerunque neruorum Behemoth iſtius perplexitas ſoluitur, dum ad virtutes maximas per commiſſa minora tranſitur. Sequitur: *Oſſa eius ſicut fiſtulæ æris.*) Quid per oſſa Behemoth iſtius niſi conſilia deſignantur? Nam ſicut in oſsibus poſitio corporis robúrque ſubſiſtit, ita in frauduientis conſiliis tota ſe eius malitia erigit. Neque enim vi quempiam premit, ſed calliditate peſtiferæ perſuaſionis interficit. Et rurſum, ſicut oſſa quæ irrigant medullæ confortant, ita eius conſilia per ſpiritalis naturæ potentiam infuſa ingenij ſubtilitas roborat. Hoc verò teſticuli eius ab oſsibus, id eſt, ſuggeſtiones à conſiliis diſtant: quòd per illas apertè noxia inſerit, per hæc autem quaſi ex bono conſulens ad culpam trahit, per illas pugnando ſuperat, per hæc velut conſulendo ſupplantat. Vnde & bene eius oſſa, id eſt, hæc eadem conſilia, æris fiſtulis comparantur. Aeris quippe fiſtulæ ſonoris aptari cantibus ſolent, quæ admotæ auribus dum blandum carmen ſubtiliter concinunt, interiora mentis in exteriora delectationis trahunt: & dum dulce eſt quod auribus ſonant, virilitatem cordis in voluptatis fluxu debilitant: cùmque auditus ad delectationem trahitur, ſenſus ab ſtatu ſuæ fortitudinis eneruatur. Ita quoque aſtuta eius conſilia dum quaſi blanda prouiſione conſulunt, cor à forti intentione inuertunt: & dum dulcia reſonant, ad noxia inclinant. Quaſi ergo æris fiſtulæ ſunt, quæ dum libenter audiuntur, ab interna intentione animum in exterioris vitæ delectationem deiiciunt. Hoc enim Behemoth iſte magnopere ad exequendam deceptionem ſatagit, vt dum peruerſitatis ſuæ conſilium quaſi vtile oſtendit, ſuauiter valeat ſonare quod dicit, quatenus & oſtenſa vtilitate mentem mulceat, & abſconſa iniquitate corrumpat. Quæ apertius in cunctis oſtendi- 21.
mus, ſi pauca breuiter conſiliorum eius argumenta pandamus. Ecce enim quidam rebus contentus propriis; decreuit nullis mundi huius occupationibus implicari, valde formidans quietis ſuæ commoda perdere, & valde deſpiciens cum peccatis lucra cumulare. Ad hunc hoſtis callidus veniens, vt intentionem bonæ deuotionis ſubruat, quaſi vtilitatis conſilium ſubminiſtrat, dicens: Ea quidem quæ ſunt in præſenti ſufficiunt, ſed his deficientibus quid acturus es? Si enim poſt hæc nulla prouidentur, aſſunt quæ ad præſens impendenda ſunt filiis, ſed tamen paranda ſunt quæ ſeruentur. Deeſſe poteſt citius etiam quod adeſt, ſi ſolicitudo prouida ceſſet parare quod deeſt. An non & terrena poteſt actio peragi, & tamen in actione culpa declinari: quatenus & exteriora ſtipendia præbeat, & tamen internam rectitudinem non inflectat? Hæc interim blandiens inſinuat, & ſeorſum iam in negocio terreno quod prouidet, peccati laqueos occultat. Oſſa itaque eius ſicut fiſtulæ æris ſunt: quia pernicioſa eius conſilia auditori ſuo conſulentis vocis ſuauitate blandiuntur. Alius quoque non ſolùm decreuit terrena commoda non quærere, ſed etiam cunctis quæ poſsidet renunciare: vt in diſcipulatu cœleſtis magiſterij tantò ſe liberior exerceat, quantò & expeditior reditus ea quæ poſsidentem premere poterant, deſerens calcat. Huius cor hoſtis inſidians occulta ſuggeſtione alloquitur, dicens: Vnde hæc temeritatis tantæ ſurrexit audacia, vt credere audeas quòd omnia relinquendo ſubſiſtas? Aliter te creator condidit, atque aliter tu teipſum diſponis: valentiorem te robuſtiorémque faceret, ſi ſequi te ſua veſtigia cum inopiæ neceſsitate voluiſſet. An non plerique & terrena patrimonia nequaquam deſerunt, & tamen ex his per miſericordiæ opera ſupernæ ſortis bona æterna mercantur? Hæc blandiens ſuggerit: ſeorſum verò in eiſdem rebus quas retinere admonet, ante retinentis oculos delectationes peſtiferas decipiens apponit, quatenus ſeductum cor ad blandimenta exteriora pertrahat, & intima perfectionis vota peruertat. Oſſa itaque eius ſicut fiſtulæ æris ſunt: quia doloſa eius conſilia dum blandum de exterioribus ſonum reddunt, pernicioſum diſpendium de interioribus ingerunt. Alius relictis omnibus quæ exterius poſſederat, vt ordinem ſublimioris diſcipulatus apprehendat, etiam intimas frangere voluntates parat: vt rectioribus ſe alterius voluntatibus ſubdens, non ſolùm prauis deſideriis, ſed ad perfectionis cumulum etiam in bonis votis ſibimetipſi renunciet, & cuncta quæ ſibi agenda ſunt, ex alieno arbitrio obſeruet. Hunc hoſtis callidus tantò mollius alloquitur, quantò ab excellentiori loco deiicere ardentius conatur, móxque virulenta ſuggeſtione blandiens dicit: O quanta per temetipſum miranda agere poteris, ſi nequaquam te iudicio alterius ſubdis. Cur profectum tuum ſub ſtudio melioratio- D nis imminuis? Cur intentionis tuæ bonum, dum vltrà quàm neceſſe eſt extendere niteris, frangis? Quæ enim dum voluntate propria vſus es, peruerſa perpetraſti?

Qui ergo tibi plenè ad bene viuendum sufficis, alienum super te iudicium cur requiris? Hæc blandiens intimat, seorsum verò in voluntatibus eius propriis exercendæ superbiæ causas parat: & dum laudat cor de intestina rectitudine, inuestigat callidè vbi subruat in prauitate. Ossa itaque eius sicut fistulæ æris sunt: quia clandestina eius consilia vnde quasi animum blandè delectant, inde perniciosè à recta intentione dissipant. Alius fractis plenè voluntatibus suis, multa iam vetusti hominis vitia & mutatione vitæ, & lamentatione pœnitentiæ correxit: & tantò maiori zelo contra aliena peccata accenditur, quantò sibimetipsi funditùs mortuus iniquitatibus propriis non tenetur. Hunc hostis callidus, quia zelo iustitiæ etiam cæteris prodesse cognoscit, quasi prospere cõsulentibus verbis impedit, dicens: Quid te ad aliena curanda dilatas? Vtinam tua cõsiderare conualescas. An non perpendis, quia cùm ad aliena extenderis, erga ea curanda quæ tua sunt minor inueniris? Et qu'd prodest alieni vulneris cruorẽ tergere, & putredinem proprij negligendo dilatare? Hæc dum quasi consulens dicit, zelum charitatis adimit, & omne bonum quod prodire ex charitate poterat, gladio subintroducti torporis extinguit. Si enim proximos sicut nosmetipsos diligere præcipimur, dignum est vt sic eorum zelo contra vitia, sicut & nostro flagremus. Quia igitur dum suauiter consulit, mentem ab intentione propria alienam reddit, rectè dicitur: Ossa eius sicut fistulæ æris. Quando enim per fraudulenta consilia audientis animo blandum sonat, quasi cum fistula æris cantat, vt vnde mulcet, inde decipiat. Sed Behemoth iste valde mollius certamen mouet, quando se in insidiis sub prætextu infirmitatis exercet. Tunc autem duriores tentationes excitat, quando ante tentati oculos iniquitatis laqueos sub specie virtutis occultat. Vnde & rectè subiungitur: *Cartilago eius quasi laminæ ferreæ.*) Quid enim per cartilaginem nisi simulatio eius accipitur? Cartilago nanque ossis ostendit speciem, sed ossis non habet firmitatem. Et sunt nonnulla vitia quæ ostendunt in se rectitudinis speciem, sed ex prauitatis prodeunt infirmitate. Hostis enim nostri malitia tanta se arte pálliat, vt plerunque ante deceptæ mentis oculos culpas virtutis fingat: vt inde quisq; quasi expectet præmia, vnde dignus est æterna inuenire tormenta. Plerunque enim in vlciscendis vitiis crudelitas agitur, & iustitia putatur: atque immoderata ira, iusti zeli meritum creditur: & cùm à distortis moribus peccantes dirigi cautè debeant, violenta inflexione franguntur. Plerunque dissoluta remissio quasi mansuetudo ac pietas habetur: & dum plusquam decet delinquentibus temporaliter parcitur, ad æterna supplicia crudeliter reseruantur. Nonnunquam effusio misericordia creditur: & dũ malè seruare culpa sit, peius spargi quod acceptum est, non timetur. Nonnunquam tenacia parcitas putatur, & cùm graue sit vitium non tribuere, virtus creditur accepta retinere. Sæpe malorum pertinacia constantia dicitur, & dum mens à prauitate sua flecti non patitur, quasi ex recti defensione gloriatur. Sæpe inconstantia quasi tractabilitas habetur, & quo quisque fidem integram nulli seruat, eo amicum se omnibus æstimat. Aliquando timor incompetens humilitas creditur, & cùm temporali formidine pressus quisque ad defensionem veritatis tacet, arbitratur, quòd iuxta Dei ordinem humilem se potioribus exhibeat. Aliquando vocis superbia, veri libertas æstimatur: & cùm per elationem veritati contradicitur, loquendi procacitas veritatis defensio putatur. Plerunque pigritia quasi continentia quietis attenditur, & cùm grauis culpæ sit, recta studiosè nõ agere, magnæ virtutis meritum creditur, à praua tantum actione cessare. Plerunque inquietudo spiritus, vigilans sollicitudo nominatur: & cùm quietem quisque non tolerat, agendo quæ appetit, virtutis debitæ implere se exercitium putat. Sæpe ad ea quæ agenda sunt, incauta præcipitatio, laudandi studij feruor creditur: & cùm desideratum bonum intempestiua actione corrumpitur, eo agi melius quo celerius æstimatur. Sæpe accelerandi boni tarditas consilium putatur: & cùm expectatur vt ex retractatione proficiat, hoc insidians mora supplantat. Igitur cùm culpa velut virtus aspicitur, necessariò pensandum est, quia tantò tardius mens vitium suum deserit, quantò hoc quod perpetrat non erubescit: & tantò mens tardius vitium deserit, quantò per virtutis speciem decepta, præmiorum etiam de eo retributionem quærit. Facilè autem culpa corrigitur quæ & erubescitur, quia esse culpa sentitur. Quia itaque error cùm virtus creditur, difficilius emendatur, rectè dicitur: *Cartilago eius quasi laminæ ferreæ.* Behemoth enim iste quo sub prætextu boni calliditatem suam fraudulentius exhibet, eo in culpa mẽtem durius tenet. Hinc est quòd nonnunquam hi qui quasi viam sanctitatis appetũt, in errorem lapsi tardius emendãtur. Rectum quippe æstimãt esse quod agunt, & sicut excolendæ virtuti, sic vitio perseuerantiam iungunt. Rectum existimant quod agunt; & idcirco suo iudicio enixius seruiunt. Vnde bene Hieremias cùm diceret: Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores, denigrata est super carbones facies eorum, & nõ sunt cogniti in plateis: ilico adiunxit: Adhæsit cutis eorum ossibus, aruit, & facta est quasi lignum. Quid enim Nazareorum nomine, nisi abstinentium & continentium vita signatur? quæ niue & lacte nitidior dicitur. Nix enim ex aqua congelãscit, quæ desuper venit: lac autem ex carne exprimitur, quę in inferioribus nutritur. Quid ergo per niuem, nisi eãdor vitæ cœlestis: quid per lac nisi temporalis dispensationis administratio demonstratur? Et quia plerunq; continentes viri in Ecclesia tam mira opera faciunt, vt ab eis multi qui cœlestem vitam tenuerunt, multi qui terrena bene dispensauerunt, superari videantur, & candidiores niue, & nitidiores lacte referuntur. Qui etiam quia per feruorem spiritus antiquorum ac fortium patrũm nonnunquam vincere vitam videntur, rectè subiungitur: Rubicundiores ebore antiquo. Dum enim ruboris nomen imprimitur, sancti desiderij flamma signatur. Ebur verò esse os magnorum animalium non ignoramus. Ebore itaq; antiquo rubicundiores sunt: quia sæpe ante humanos oculos nonnullis præcedentibus patribus studij feruentioris existunt. De quibus vt totum simul ostendatur, adiungitur: Sapphiro pulchriores. Aetherei quippe coloris est sapphirus. Et quia præcedentes multos, atque ad superna tendentes per cœlestem conuersationem videntur vincere: narrantur sapphiro pulchriores extitisse. Sed plerunq; dum virtutum copia etiam plusquam expedit prosperatur, in quãdam sui fiduciam mens adducitur, & decepta præsumptione propria, repente peccato surripiente suscatur, vnde rectè subiungitur: Denigrata est super carbones facies eorum. Nigri enim post candorem fiunt: quia amissa Dei iustitia, cùm de se præsumunt, in ea etiam quæ non intelligunt peccata dilabuntur: & quia post amoris ignem ad frigus torporis veniunt, extinctis carbonibus ex comparatione præferuntur. Nonnunquam enim dum timorem Dei per sui fiducium deserunt, etiam frigidis mentibus frigidiores fiunt. De quibus rectè subiungitur: Non sunt cogniti in plateis. Platea quippe sermonis græci ratione pro latitudine dicitur. Quid verò est humanæ menti angustius, quàm voluntates proprias frangere? De qua fractione veritas dicit: Intrate per angustam portam. Quid autem latius quàm nullis propriis voluntatibus reluctari, & quaquauersum impulsus arbitrij duxerit, se sine † retractione diffundere? Qui ergo per fiduciam sanctitatis postposito meliorum iudicio se sequuntur, quasi per plateas pergunt. Sed non sunt cogniti in plateis: quia de vita sua aliud ostenderant, quãdo frangendo voluntates proprias in angusto se calle retinebant. Et bene additur: Adhæsit cutis eorum ossibus. Quid in osse nisi duritia fortitudinis, quid in cute nisi mollities exprimitur infirmitatis? Cutis ergo eorum adhærere ossibus dicitur: quia ab eis praua sentientibus infirmitas vitij, duritia virtutis putatur. Infirma enim sunt quæ faciunt, sed elationis fiducia decepti, fortibus ea suspicionibus iungunt, & quo de se magna sentiunt, eo de sua nequitia emendari contemnunt. Vnde & rectè adiungitur: Aruit & facta est quasi lignum. Culpa quippe eorum tantò insensibilior redditur, quantò apud eos etiam laudabilis habetur. Quàm rectè aridam asserit, quia nulla sui cognitione viridescit. Quod ergo apud Hieremiam per infirmitatem cutis, hoc apud beatum Iob per fragilitatem dicitur cartilago: & quod illic ossa per duritiam, hoc hîc laminæ ferreæ dicuntur.

Sed Behemoth iste qui per membra sua extremo tempore contra electos Dei tanta se arte iniquitatis exercet, qui etiam per semetipsum ad decipiẽdas mentes in tanta insidiarum tergiuersatione

Matth.7.

† *al. retractatione.*

giuersatione se exhibet, cuius naturę, cuius sit conditionis audiamus. Neque enim tam mira vel magna operari posset, si non ex magna conditione subsisteret. Vnde & mox mira pietate Dominus ac si causas tantæ astutiæ tantęque fortitudinis redderet, adiunxit, dicens:

Quòd prima creatura Dei sit angelus: & quantò subtilior est illa spiritalis, tantò in illa similitudo Dei plenius est expressa.

Caput XVIII.

IPse est principium viarum Dei.) Velut si apertè diceret: Idcirco ad tam multa fortiter sufficit, quia in natura rerum hunc creando per substantiam conditor primum fecit. Quid enim vias Dei, nisi eius actiones accipimus? De quibus per Prophetam dicit: Non enim sunt viæ meæ sicut viæ vestræ. Et principium viarum Dei Behemoth dicitur: quia nimirũ cùm cuncta creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis angelis eminentiorem fecit. Huius primatus eminentiam conspicit Propheta, cùm dicit: Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, abietes non adæquauerunt summitatem eius, platani non fuerunt æquæ frondibus illius. Omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi & pulchritudini eius, quoniam speciosum fecit eum in multis condensisque frondibus. Qui nanque accipi in cedris, abietibus & platanis possunt, nisi illa virtutum cœlestium proceræ celsitudinis agmina, in æternæ lætitiæ viriditate plantata? Quæ quanuis ex celsa sint condita, huic tamen nec prælata sunt nec æquata. Qui speciosus factus in multis condensisque frõdibus esse dicitur: quia prælatum cæteris legionibus tanta illum species pulchriorẽ reddidit, quanta & supposita angelorum multitudo decorauit. Ista arbor in paradiso Dei tot quasi condensas frondes habuit, quot sub se positas supernorum spirituum legiones attẽdit. Qui idcirco peccans sine venia damnatus est, quia magnus sine comparatione fuerat creatus. Hinc ei rursum per eundem Prophetam dicitur: Tu signaculũ similitudinis Dei, plenus sapientia & perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti. Multa enim de eius magnitudine locutus, primo verbo cuncta complexus est. Quid nanque boni nõ habuit, si signalum Dei similitudinis fuit? De sigillo quippe annuli talis similitudo imaginaliter exprimitur, qualis in sigillo eodem essentialiter habetur. Et licèt homo ad similitudinem Dei creatus sit, angelo tamen quasi maius aliquid tribuens, non eum ad similitudinem Dei conditum, sed ipsum signaculum Dei similitudinis dicit: vt quo subtilior est in natura, eo in illo similitudo Dei plenitus credatur expressa. Hinc est quòd primatus eius potentiam adhuc insinuãs, idem propheta subiungit:

Deus angelo aliquid maius tribuit quàm homini.

25. Omnis lapis preciosus operimentum tuum, sardius & topazius & iaspis, chrysolithus, onyx, & berillus, sapphirus, carbunculus & smaragdus. Nouem dixit genera lapidum, quia nimirum nouem sunt ordines angelorum. Nam cùm per ipsa sacra eloquia angeli, archangeli, throni, dominationes, virtutes, principatus, potestates, cherubin, & seraphin, aperta narratione memorantur: quantæ sint supernorum ciuium distinctiones, ostenditur. Quibus tamẽ Behemoth iste opertus fuisse describitur: quia eos quasi vestem ad ornamentum suum habuit, quorum dum claritatem transcenderet, ex eorum cõparatione clarior fuit. De cuius illic adhuc descriptione subiungit: Aurum opus decoris tui, & foramina tua in die qua conditus es, præparata sunt. Aurum opus decoris eius extitit: quia sapientiæ claritate canduit, quam bene creatus accepit. Foramina verò idcirco in lapidibus fiunt, vt vinculati auro in ornamenti compositione iungantur, & nequaquam à se dissideant, quos interfusum aurum repletis foraminibus ligat. Huius ergo lapidis in die cõditionis suę foramina preparata sunt, quia videlicet capax charitatis est conditus. Qua si repleri voluisset, stantibus angelis tanquam positis in regis ornamento lapidibus potuisset inhærere. Si enim charitatis auro sese penetrabilem prebuisset, sanctis angelis sociatus, in ornamento, vt dixim', regio lapis fixus maneret. Habuit ergo lapis iste foramina, sed per superbiæ vitium, charitatis auro nõ sunt repleta. Nam quia idcirco ligantur auro ne cadãt, idcirco iste cecidit, quia etiã perforatus manu artificis, amoris vinculis ligari contempsit. Nunc autem cęteri lapides qui huic similiter fuerant perforati, penetranti se inuicem charitate ligati sunt: atque hoc in munere, isto cadente, meruerunt, vt nequaquam iam de ornamento regio cadendo soluantur. Huius principatus celsitudinem adhuc idem propheta intuens, adiungit: Tu cherub extentus & protegens in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum perfectus ambulasti. Cherub quippe plenitudo scientiæ interpretatur, & idcirco iste cherub dicitur: quia transcendisse cunctos sciẽtia non dubitatur. Qui in medio ignitorum lapidum perfectus ambulauit: quia inter angelorum corda charitatis igne succensa, clarus gloria conditionis extitit. Quem bene extentum ac protegentem dicit: Omne enim quod extenti protegimus, obumbramus. Et quia comparatione claritatis suæ, cæterorum claritatẽ obumbrasse creditur, ipse extentus & protegens fuisse perhibetur. Reliquos enim quasi obumbrando operuit, qui eorum magnitudinem excellentia maiore transcendit. Quod ergo illic speciosus in multis frondibus, quod illic signaculum similitudinis, quod illic cherub, quod illic protegens dicitur: hoc hîc voce dominica Behemoth iste viarum Dei principium vocatur. De quo idcirco tam mira in quibus fuit, & quæ amisit 26.
insinuat, vt territo homini ostendat, quid ipse si superbiat, de elationis suæ culpa passurus sit, si feriendo illi parcere noluit, quem creando in gloriam tantæ claritatis eleuauit. Consideret ergo homo quid elatus in terra mereatur, si & prælatus angelis, angelus in cœlo prosternitur. Vnde & bene per Prophetam dicitur: Inebriatus est in cœlo gladius meus. Ac si apertè diceret: Qua ira feriam superbos terræ perpendite, si ipsos etiam quos in cœlo iuxta me condidi, pro elationis vitio percutere non peperci. Totitaque hostis antiqui virtutibus auditis, tanta conditionis eius magnitudine cognita, quis non immensa formidine corruat, quis non desperationis percussione succumbat? Sed quia elationem nostram ostenta hostis nostri potentia reprimit, etiam infirmitatem nostram Dominus patefactã gratiæ suæ dispensatione fouet. Vnde cùm eum principium viarum Dei diceret, illico adiunxit:

Ezech.28.

Esaia 55.

Ezech.31.

Esa.34.

Ezech.28.

Quòd diaboli malitia dispensatione diuina cohibetur, ne quantum vult, mentes hominum ferire permittatur.

Caput XIX.

QVi fecit eum, applicauit gladium eius.) Gladio quippe Behemoth istius ipsa nocendi malitia est. Sed ab eo à quo bonus per naturã factus est, eius gladius applicatur: quia eius malitia diuina dispẽsatione restringitur, ne ferire tantum mentes hominum quãtum appetit, permittatur. Quia ergo hostis noster & multum potest & minus percutit, eius gladium pietas conditoris astringit: vt replicatus intra eius conscientiam lateat, & vltra quàm desuper iustè disponitur, sese in mortes hominum eius malitia non extendat. Quod igitur ad multa fortiter præualet, hoc de principio magnæ conditionis potest: quod verò à quibusdam vincitur, eius nimirũ gladius ab authore replicatur. Iste nanque Behemoth qui principium viarum Dei est, cùm contra sanctum virum licẽtiam tentationis accepit, gẽtes mouit, greges abstulit, ignem de cœlo deposuit, perturbato aẽre ventos excitauit, domum concutiẽs subruit, conuiuantes filios extinxit, vxoris mẽtem in dolo prauæ suasionis exercuit, mariti carnem inflictis vulneribus confodit: sed eius gladius à conditore replicatur, cùm dicitur: Animam illius serua. Qui replicato gladio quantæ sit infirmitatis, Euãgelista testante describitur: quia nec manere in obsesso homine potuit, nec rursus inuadere bruta animalia non iussus præsumpsit, dicens: Si eiicis nos, mitte nos in gregem porcorum. Malitiæ quippe eius gladius quàm sit replicatus ostẽditur, cui si potestas summa licentiam nõ præberet, nec grassari in porcorum gregem valeret. Quando ergo iste sua sponte nocere factis ad Dei imaginem hominibus audeat, de quo nimirum constat quòd non iussus cõtingere nec porcos præsumat? Notandum quoque est quòd dum viarum Dei principiũ Behemoth dicitur, vę sanum dogma Arij aperta ratione dissipatur. Facturam quippe Dei filiũ fatetur, & ecce Behemoth in factura rerum primus creatus ostenditur. Superest ergo vt Arius aut non factum filium prędicet, aut eum post Behemoth conditum stultus putet. Quia verò omne quod applicatur, in semetipsum reducitur, rectè applicatus Behemoth gladius dicitur. In semetipsa nanque se eius malitia decoquit, cùm ad vo-

Iob.1.

Matth.8.

tum suum sese contra electorum vitã prohibita non exercet. Multos autem exigentibus meritis ferire permittitur, vt cùm Deum deserunt, damnato hosti famulentur. Ab electis verò eo valentius vincitur, quo soli authori omnium humilius substernũtur. Quia igitur per hoc quòd viarum Dei principium dicitur, per hoc quod permittente Domino valde intolerabilis demõstratur: apertè cognoscimus cum quanto hoste pugnemus. Superest igitur vt vnusquisq; nostrum tantò se plenius authori subiiciat, quantò se contra verius violentas aduersarij vires pensat. Quid nanq; nos nisi puluis sumus? Quid verò ille nisi vnus atque ex cœlestibus spiritibus, & quod adhuc maius est, summus? Quid ergo de propria virtute audeat, quando cõtra Angelorum principem puluis pugnat? Sed quia supernorum spirituum conditor terrenum corpus assumpsit, rectè iam superbientem Angelum humilis puluis vincit. Inhærendo quippe veræ fortitudini vires accipit, quas transfugã spiritus cùm semetipsum sequitur amisit. Et dignum est vt vincatur à puluere, qui fortem se credidit deserto creatore, vt superatus inueniat, quia defecit elatus. Valde autem anhelat sæuiens, quòd cùm ipsum ima cruciant, homo ad summa conscendat: quod in illa celsitudine subuecta caro permanet, à qua tantus ipse spiritus sine fine proiectus iacet. Sed loca mentium mutauit ordo meritorum. Sic sic superbia meruit deiici, sic humilitas exaltari: quatenus & cœlestis spiritus erigendo se, tartarum toleret, & terra humilis sine termino super cœlos regnet.

Libri trigesimisecundi Moralium sancti Gregorij finis.

B. GREGORII EXPOSITIONIS MORALIS LIber trigesimus tertius, continuans caput quadragesimum beati Iob.

Quòd in superborum lubricis mentibus pastus sit dæmonum.
Caput I.

ANtiquo hosti qui sub Behemoth nomine dominica voce describitur, superbi quique tantò familiarius seruiunt, quantò huius vitæ successibus apud semetipsos altius intumescunt. His nanque cum gloria augetur elatio, cum elatione verò additur cura, huc illúcque animus tenditur, quia & desideria cum rebus crescunt. Cúmque cogitationes innumeras quasi agri cœnum proferunt, eiusdem cogitationibus velut desiderato pabulo Behemoth istius famem pascunt. Vnde nunc rectè dicitur: *Huic montes herbas ferunt.*) In scriptura sacra cùm numero singulari mons ponitur, aliquando incarnatus Dominus; aliquando sancta Ecclesia, aliquãdo testamentum Dei, aliquando apostata Angelus, aliquãdo quilibet hæreticus designatur. Cùm verò montes plurali numero nominantur, aliquando celsitudo Apostolorum atq; Prophetarum, aliquando verò secularium potestatum tumor exprimitur. Mons nanque Dominum designat, sicut scriptum est: Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippe est in vertice montium incarnatus Dominus, transcẽdens celsitudinem Prophetarum. Rursum per montem sancta designatur Ecclesia, sicut scriptum est: Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion. Sion nanque speculatio dicitur, per quam scilicet speculationem contemplans Deum Ecclesia figuratur. Rursum per montem testamentum Dei exprimitur, sicut Abacuc ait: Deus à Libano veniet, & sanctus de monte vmbroso & condenso. Qui enim venturum se per testamenti sui paginas spopondit, quasi inde venit, vnde velut sub promissione se tenuit. Quod videlicet testamentum bene mons vmbrosus & condensus dicitur: quia spissis allegoriarum obscuritatibus opacatur. Rursum per montem Angelus apostata designatur, sicut sub Babylonis regis specie de antiquo hoste prædicatoribus dicitur: Super montem caliginosum leuate signum. Prædicatores quippe sancti super caliginosum mõtem signum eleuãt, quando cõtra satanæ superbiam, qui sæpe sub nebula simulationis absconditur, virtutem crucis exaltant. Rursum per montem hæreticus quilibet exprimitur, sicut ex voce Ecclesiæ Psalmista ait: In Domino confido, quomodo dicitis animæ, Transmigra in montem sicut passer? Cùm enim fideli animæ vnitate relicta, in tumenti doctrina considere hæretici prædicatoris dicitur, deserto Domino quasi in montem transmigrare suadetur. Rursum per montes Apostolorum atque Prophetarum celsitudo designatur, sicut scriptum est: Iustitia tua sicut montes Dei. Et voce Pauli dicitur: Vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso. Vel sicut iterum voce sperantis Ecclesiæ Psalmista ait: Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Rursum per montes secularium potestatum tumor exprimitur, de quibus Psalmista ait: Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini: quia multi qui prius alta rigiditate tumuerunt, Deo in carne apparente, magno sunt per pœnitẽtiam timore liquefacti. Vel sicut idem Propheta iterum dicit: Ascendunt montes, & descendũt campi. Plerique enim persecutores Domini superbi contra eum veniunt, sed ab eo humiles reuertuntur. Qui montes ascendũt per tumorem potentiæ, sed campi descendunt, plani videlicet facti per cognitionem culpæ. Sed quia nonnulli in elationis suæ altitudine remanent, & ad diuina obsequia flecti humiliter dedignantur, eo quòd iuxta desiderium antiqui hostis prauа cogitare ac perpetrare non desinunt: rectè hoc loco de Behemoth dicitur: *Huic montes ferunt herbas.*) Elati nanque setuli huic Behemoth herbas ferunt: quia ex eo illum reficiunt, quod nequiter operantur. Huic Behemoth herbas ferunt: quia suas illi auferunt fluxas & lubricas voluptates. Erunt enim, ait Apostolus, homines seipsos amantes. Quorum descriptionem complexus est dicens: Voluptatum amatores magis quàm Dei. Quæ est ergo herba montium, nisi voluptas fluxa, quæ ex corde gignitur superborum? Quia nisi Deum superbiendo contemnerent, nequaquam tot lubrica lasciuiendo perpetrarent. Quibus nimirum herbis iste Behemoth pascitur: quia in eis pœnam æternæ mortis esuriens, eorum perditis moribus satiatur. Superbi enim huius seculi etsi quando supernæ dispensationis ordine præpediti, ab expletione prauorum operum cessant, prauа tamen in cogitatione multiplicant, modò vt se potentiores cæteris rebus & honoribus ostendant, modò vt eandem suam potentiam in studio alienæ læsionis exerceant, modò vt lubricis motibus ducti, per leuia se facta voluptatésq; dissoluãt. Qui dum rebus diuinitùs acceptis nequaquam recta, sed prauа semper agere cogitant, quid aliud faciunt nisi suis contra Deum donis pugnant? Quia igitur Behemoth iste superborum mentibus sua semper desideria recognoscit, quasi herbas in mõtibus inuenit, quibus refectum suæ malitiæ ventrem tendit. Bene autem subditur:

Quòd ludus dæmonum sit, cùm vagas & instabiles animas de vitio rotant in vitium. *Caput II.*

(*Omnes bestiæ agri ludent ibi.*) Quid per bestias, nisi immundi spiritus: quid per agrum, nisi præsens seculum designatur? Vnde de ipso malignorum spirituum principe contra Ephraim dicitur: Bestia agri scindet eos. Vel sicut Esaias ait: Et mala bestia non ascendet per eam. Quia autem agri nomine mundus accipitur, dominicus per Euangelium sermo testatur, qui ait: Ager autem est mundus. Agri ergo bestiæ in herbis montium ludunt: quia proiecta de superioribus in hoc mundo dæmonia, prauis superborum operibus delectantur. Bestiæ in herbis ludũt, cùm reprobi spiritus humana corda in illicitas cogitationes pertrahunt. An non immundis spiritibus ludere, est mentes hominum ad imaginem Dei conditas, modò ficta promissione decipere, modò vacuis terroribus irridere, modò eis transitoria gaudia quasi mansura imprimere, modò mansuras pœnas quasi transitorias leuigare? Harum proculdubio bestiarum illusionem pertimuerat qui dicebat: Deus meus in te confido, ne erubescam: neque irrideant me inimici mei. Quia igitur superborum cor ad omne vitium sternitur, vt cuilibet maligno spiritui inuenti prauа cogitatione præparetur, rectè de herbis montium dicitur: *Omnes bestiæ agri ludent tibi.* Pro eo enim quòd superbi quique nullum malum cogitãdo prætereunt, nulla est agri bestia quæ non horum montium herbis satietur. Nam etsi quando carnis

Psalm.10. Psalm.35. 2. Corint.5. Psalm.120. Psalm.96. Psalm.103. 1. Timoth.3. Esaiæ.2. Psalm.144. Abac. 3. Esaiæ.13. Osee.13. Esaiæ.35. Matth.13. Psalm.24.

nis luxuriam fugiunt, interioris luxuriæ vitium de ipsa castitate gloriando committunt. Si quando nil auarè exterius rapiunt, nequaquam ab illecebra auaritiæ mundi sunt: quia etsi res nullas ambiunt, fauore tamen hominum laudem de continentia rapere conantur. Huic ergo Behemoth montes herbas ferunt, & omnes bestiæ agri ludunt ibi, quia in superborum corde quilibet malignus spiritus tantò latius pascitur, quantò & omne vitium de superbia generatur. Sed quia audiuimus quid iste Behemoth comedat: nunc audiamus necesse est vbi interim per prauum desiderium requiescat. Sequitur:

Quòd in illis mentibus satanas dormiat, quas vel nequitiæ torpor obumbrat, vel temporalis altitudo inflat.
Caput III.

(*Vbi vmbra dormit, in secreto calami, in locis humentibus.*) Obũbratio in sacro eloquio aliquando incarnatio Domini ponitur, vel mentis refrigerium à feruore carnalium cogitationum: vnde appellatione vmbræ ex superna protectione hoc ipsum refrigerium cordis insinuari solet. Aliquando verò vmbra recedẽte claritate torpor frigidæ mentis accipitur. Nam quòd dominica incarnatio seruata veritate historiæ, obumbrationis appellatione signetur, angelicus sermo testatur, qui ad Mariam ait: Virtus altissimi obumbrabit tibi. Quia enim vmbra non aliter exprimitur, nisi per lumen & corpus, virtus ei altissimi obumbrabit: quia in eius vtero lux incorporea corpus sumpsit. Ex qua videlicet obumbratione omne in se refrigerium mentis accepit. Rursum per vmbram ex superna protectione refrigerium cordis exprimitur, sicut Psalmista ait: Sub vmbra alarum tuarum protege me. Vel sicut sponsa in Canticis cãticorum aduentum sponsi præstolata prænuntiat, dicens: Sub vmbra illius quem desideraueram, sedi. Ac si dicat: Ab æstu desideriorum carnalium sub aduẽtus illius protectione requieui. Rursum per vmbram recedente charitate, torpor frigidæ mentis exprimitur, sicut de peccante homine scriptum est, quia secutus est vmbram. Calorem enim charitatis fugiens veritatis solem homo deseruit, & sub vmbra se interni frigoris abscondit. Vnde & voce eiusdem veritatis dicitur: Abundabit iniquitas, & frigescet charitas multorum. Vnde primus homo post culpam inter arbores paradisi ad auram post meridiem absconsus inuenitur. Quia enim meridianum charitatis calorem perdiderat, iam sub peccati vmbra quasi sub frigore auræ torpebat. Iste igitur Behemoth quia illis quasi quandam requiem inuenit, quos à veri Solis ardore subtrahendo frigidos facit, sub vmbra dormire perhibetur. Nonnunquam verò per vmbram, si tamen cum adiectione mortis ponatur, vel mors carnis exprimitur, vel quilibet reprobi qui antiqui hostis tenebras studio praue operationis imitantur. Vnde voce martyrum per Psalmistam dicitur: Humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis. Vmbra enim mortis electos Dei opprimit, cum mors carnis, quæ imago mortis ętermę est, ab hac eos vita disiungit: quia sicut illa animam à Deo, ita hæc ab anima separat corpus. Vel certè vmbra eos mortis opprimit, quia de antiquo hoste scriptum est: Nomen illi mors. Vmbra ergo mortis sunt omnes reprobi, quia illius nequitiam elationis imitantur, eiúsque imaginem quasi vmbrã exprimunt, dum eius in se malitiæ multitudinem trahunt. Qui electos Dei operiunt, dum contra illos in atrocitate persecutionis tẽporaliter conualescunt. Hoc autem loco vmbra nequitiæ torpor accipitur, in qua iste Behemoth dormit, quia contra corda charitate calentia solicitus vigilat, in frigidis autem mentibus securus iacet. Dormire enim in sanctorum mentibus non potest: quia etsi quando se in eis ad breue momentum collocat, ipse eum desideriorum cœlestium æstus fatigagat, & quasi toties vt recedat, pungitur, quoties ab eis amore intimo ad æterna suspiratur. Tantæ eum voces excitant, quãtæ ex illorum mentibus sanctæ cogitationes ad cœlum clamant. Vnde fit vt bonarum & actionum armis territus, ac suspiriorum spiculis percussus fugiat, & ad corda reproborum frigida rediens, eam quam securus possideat, malitię vmbram quærat. Quæ vbi ab illo inueniatur ostenditur, cùm protinus subinfertur: (*In secreto calami.*) In sacro eloquio calami, vel arundinis appellatione aliquando verbum manens, aliquando doctorum peritia, aliquãdo mobilitas mentis, aliquando nitor gloriæ temporalis accipitur. Per calamum quippe verbi æternitas designatur, cùm voce patris per Psalmistam dicitur: Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis. Quia enim quod loquimur transit, quod scribimus permanet, lingua patris scribæ calamus dicitur: quia ab eo est verbum illi coæternum, ac sine transitu generatum. Rursum per calamum scriptorum doctrina exprimitur: sicut de sancta Ecclesia propheta pollicetur, dicens: in cubilibus in quibus dracones prius habitabant, orietur viror calami & iunci. Qua nimirum sententia sicut in hoc opere longè superius diximus, per calamũ exprimitur doctrina scribentium, per iuncum viriditas auditorum. Rursum per calamum seu certè arundinem, mentis mobilitas designatur: sicut Iudæorum turbis in Ioannis laude à Domino dicitur: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? videlicet subintelligatur, non. Ioannes quippe arundo vento agitata non erat: quia eius mentem spiritu sancto solidam per diuersas partes nullus linguarũ flatus inclinabat. Rursum per calamum, vel arundinem nitor gloriæ temporalis exprimitur, sicut de iustis per sapientiam dicitur: Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Arundinetum nanque vitam secularium appellat, qui more arundinum per temporalem gloriam foris quasi ad alta proficiunt, sed intus à soliditate veritatis inanescunt. Vnde & Iudæorum regnum calamo comparatur, cùm per prophetam apparente in veritate carnis Domino dicitur: Calamum quassatum non confringet, & linum fumigans non extinguet. Quid enim calami nomine, nisi Iudaici populi temporale regnum denunciat? virens quidem exterius, sed interius vacuum. Et quia in eodem populo genus iam regale defecerat, & regnum eius alienigena possidebat: aptè hoc idem regnum calamum quassatum vocat. Quid verò per linum nisi eius sacerdotium exprimitur, quod lineis nimirum vestibus vtebatur? Quod quia in aduentu Domini claritatis ardorem perdidit, quasi amisso iam igne fidei, non ardens, sed fumigãs fuit. Incarnatus autem Dominus calamum quassatum non confregit, & linum fumigans non extinxit: quia Iudææ regnum quod penè destructum iam fuerat, eiúsque sacerdotium quod ignem fidei non tenebat, non potestate iudicij perculit, sed cum patientiæ longanimitate toleranit. Hoc ergo loco quid aliud appẽllatione calami, nisi mentes secularũ temporali gloriæ deditæ designantur? Qui tantò apud semetipsos intus inanescunt, quantò alti & nitidi exterius ostenduntur: quia dum ad exteriorem gloriam per superficiem defluunt, nulla intus firmitate solidantur. More quippe calami intus sunt quidem per fatuitatem vacui, sed foris per speciem & ostentationem pulchri: sed quantò ab eis exterior gloria studiosius quæritur, tantò eorum corda grauioribus cogitationum stimulis agitantur. Vnde rectè nunc Behemoth iste in secreto calami dormire perhibetur: quia quorum studia ad appetitum temporalis nitoris, atque altitudinis commouet, eorum corda tenacius tenet, & quasi ipse ibi quietus dormit, vbi eos quos possidet, quiescere non permittit. Dum enim excedere cæteros bonorum altitudine ambiunt, dum more calami per nitorem exterioris munditiæ, iustorum speciem quasi solidarum arborum corticem vincunt: in hoc quod ipsi interius vacui remanent, locum Behemoth isti, vbi apud se requiescere debeat, præbent. Vnde & in Euangelio dominus dicit, quòd spiritus exiens qui in locis aridis, & inaquosis requiem non inuenit: quia domum quam reliquerat, vacuam, scopísque mundatam reperit, hanc multiplicior intrauit. Quia enim fluxa fit terra quæ infunditur, loca arentia atque inaquosa sunt corda iustorum, quæ per disciplinæ fortitudinem ab omni carnalis concupiscentiæ humore siccantur. Vnde hic quoque adhuc vbi Behemoth iste dormiat, necessariò demonstratur, cùm protinus subditur. In locis humentibus. Loca enim humentia sunt terrenorum hominum mentes: quas humor carnalis concupiscentiæ, quia replet, fluidas facit. In quibus Behemoth iste iniquitatis suæ vestigia tantò altius imprimit, quantò in eiusdem mentibus per transitus illius quasi in fluxa terra descendit. Loca quippe humentia sunt opera voluptuosa. Pes quippe in arida

Psalm.16. Canti.2. Matth.24. Genesis.3. Psalm.34. Apoc.6. Matt.11. Sapien.3. Esaiæ 42. Matt.12. & Lucæ 11.

terra nō labitur: fixus verò in lubrica vix tenetur. In locis ergo humentibus iter vitæ pręsentis faciunt, qui in hac ad iustitiam recti stare nō possunt. In iis itaque locis humētibus Behemoth dormit: quia in reproborum hominum lubrica operatione requiescit. Nonnulli verò loca humentia mēbra genitalia suspicantur. Quod si ita est, quid apertè aliud locis humentibus, nisi luxuria designatur: vt & per calamum gloriæ superbia, & per loca humentia luxuria corporis exprimatur? Duo quippe hæc sunt vitia quæ humano generi immaniter dominantur: vnum videlicet spiritus, atque aliud carnis. Elatio nanque spiritum erigit, luxuria carnem corrumpit. Antiquus itaque hostis humanū genus, vel per elationem præcipuè, vel per luxuriam premēs, in secreto calami, atque in locis humentibus dormit: quia hominem damnatū sub ditione suæ dominationis, aut per elationem spiritus, aut per carnis corruptionem tenet. Quosdam verò in vtroque possidet: quia cùm eos superbię spiritus eleuat, à tumore suę altitudinis nec verecūdia corruptionis inclinat. Sed nunquid cōtra hos intra sanctam Ecclesiā incessanter quotidie virtutū magistri non vigilant? Nūquid redarguere voluptates infimas, & suadere gaudia patriæ cœlestis cessant? Sed prauorum mentes tantò obstinatius summa non audiunt, quantò arctius infimis inhæserunt. Quibus neque hoc sufficit, vt ipsi pereāt, sed adhuc quod est deterius, cùm quoslibet argui emendaríque cōspiciunt, iustorū increpationibus obuiant, ne saltem alij corrigant. Vnde & bene subditur:

Quòd reprobi in quibus est imago diaboli, similibus suis patrocinia parant: & se inuicem defendentes, nullum correctioni locum relinquunt. *Caput IIII.*

PRotegunt *vmbræ vmbram eius.*) Vmbræ quippe sunt diaboli omnes iniqui: qui dum imitationi iniquitatis eius inseruiunt, quasi ab eius corpore imaginis speciem trahunt. Sicut autem vmbræ eius sunt pluraliter reprobi: ita singulariter vmbra eius est vnusquisque peccator. Sed dum doctrinæ iustorum mali contradicunt, dum ab eis iniquum quemlibet corrigi non permittunt, vmbræ Behemoth istius vmbram eius protegunt: quia peccatores quique in quo sibi malè sunt conscij, in eo & alium peccantem defendunt. Vmbræ vmbram eius protegunt, dum nequissimorum facta nequiores peruersis patrociniis tuentur. Quod hoc nimirum studio faciunt: ne dum culpa in qua & ipsi obligati sunt, in aliis corrigitur, ad ipsos quandoque veniatur. Si igitur tegunt dum alios protegunt: quia suam vitam præuident impeti, vnde alios considerant libera correctione confundi. Sícque fit vt summa criminum dum defenditur augeatur, & vniuscuiusque nequitia eò fit ad perpetrandum facilis, quò difficilis ad puniendum. Scelera quippe peccantium tantò maiora incrementa percipiunt, quantò per defensionem potentium diu inulta tolerantur. Sed tales quique seu extra seu intra sanctā Ecclesiam esse videantur, tantò se apertiores Dei hostes exhibent, quantò maiores sunt patroni vitiorum. Contra illum quippe suis defensionibus pugnant, cui ea quæ displicent, defendendo multiplicant. Quod factum bene per Prophetam Dominus sub Babylonis specie redarguit, dicens: *Esaiæ 34.* Oriuntur in domibus eius spinæ, & vrticæ, & paliurus in munitionibus eius. Quid nanque per vrticas, nisi cogitationum prurigines: quid verò per spinas, nisi vitiorum punctiones accipimus? In domibus igitur Babylonis vrticæ, & spinę pullulant: quia in confusione mentis reprobæ, & desideria cogitationum surgunt, quę exasperant, & operum peccata, quæ pungunt. Sed hæc agentes habent etiam nequiores alios defensores suos. Vnde illic aptè protinus subdidit: Et paliurus in munitionibus eius. Paliurus quippe tanta spinarū circundatione densescit, vt præ asperitate tangi vix possit. Intus igitur vrtica, & spina nascitur, sed vtrunque hoc exterius per paliurum munitur: quia videlicet minores iniqui mala quælibet faciunt, sed ea nequissimi maiores tuentur. Vnde bene & hîc dicitur: *Protegunt vmbræ vmbram eius.*) Dum enim malum peior vindicat, quasi vmbra vmbram ne à veritatis lumine irradietur, obscurat. Sequitur:

Quòd amatores huius seculi licèt speciem sanctitatis in populo quasi virentia folia habeant, fructum tamen eius non habent. *Caput VI.*

6. CIrcundabunt *eum salices torrentis.*) Infructuosæ quidem arbores sunt salices: sed tamen tantæ viriditatis sunt, vt arescere, vel abscissæ radicitùs, & proiectæ, vix possint. Vnde in sacro eloquio salicum nomine, aliquando pro viriditate boni, aliquando pro sterilitate reprobi designātur. Nisi enim electorum vitam per constantiam suæ viriditatis exprimerent, nequaquam de sanctæ Ecclesiæ filiis Propheta dixisset: Germinabunt inter herbas, sicut salices iuxta præterfluentes aquas. *Esaiæ 44.* Sanctæ enim Ecclesiæ filij inter herbas sicut salices germinant, dum inter arescentem vitam carnalium hominum, & multiplici numerositate perpetua mentis viriditate perdurant. Qui bene iuxta præterfluentes aquas germinare perhibētur: quia vnusquisque eorum vbertatem ad fructum percipit ex doctrina sacri eloquij, quæ temporaliter percurrit. Et rursum nisi per sterilitatem salicum vita peccātium signaretur, nequaquam ex voce prædicantium contra Babyloniam Psalmista dixisset: In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra. *Psalm. 136.* Babylonis quippe medio inesse salices describūtur: quia nimirum infructuosi quique atque ab amore patriæ cœlestis alieni totis visceribus cordis in hac seculi confusione radicantur. Vnde & prædicatores sancti in istis salicibus non exercent organa, sed suspendunt: quia cùm infructuosas ac reprobas mentes aspiciunt, vim suæ prædicationis non exhibent, sed potius lucentes silent. Quid etiam per terrorem, nisi huius mortalis vitæ cursus exprimitur? De quo rursum per Prophetam dicitur: De torrente in via bibet, *Psalm. 109.* propterea exaltabit caput: quia videlicet redemptor noster mortalis vitæ pœnam in quodam transitu attigit, & idcirco diu eidem morti cui sponte succubuit, non inhæsit. Vnde die tertia hoc quod moriendo posuerat, resurgendo caput eleuauit. Quid est ergo quod de Behemoth isto dicitur: Circundabunt eum salices torrentis: nisi quòd amatores vitæ mortalis, à bonis actibus quasi à fructibus alieni, tantò illi arctius inhærent, quātò eos largius delectatio transitoriæ voluptatis infundit? Hos enim quasi in radicibus torrens rigat, dum in suis cogitationibus amor vitæ carnalis inebriat. Qui scilicet more salicum fructus non ferunt, sed in foliis viridescunt: quia ea quæ grauia ad dicendum non sunt, aliquando honestatis verba proferunt, sed nullum vitæ pondus ex bonis operibus ostendunt. Bene igitur dicitur: Circundabunt eum salices torrentis: quia infructuosi quique dum amori vitæ temporalis inseruiunt, antiquo hosti peruersis moribus familiarius obsequuntur. Sed quia quid ei à suis clientibus impendatur, audiuimus: nunc etiam quid in illis agat ipse, audiamus. Sequitur: 7.

Quòd non solùm ante aduentum Christi diabolus ad se rapuerit infideles, sed etiam multos ex his qui renati sunt in Christo, deglutire se posse confidat. *Caput VI.*

SOrbebit *fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius.*) Quid enim hoc loco fluuij nomine, nisi humani generis decursio designatur? quę velut à fontis sui origine nascendo surgit, sed quasi ad ima defluens moriendo pertransit. Qui autem signantur appellatione Iordanis, nisi qui iam imbuti sunt sacramento baptismatis? Quia enim redemptor noster in hoc flumine baptizari dignatus est, eius nomine debent omnes baptizati exprimi: in quo hoc ipsum contingit sacramētum baptismatis inchoari. Quia igitur Behemoth iste à mundi origine exortum (vix paucis electis euadentibus) humanum genus in ima defluens, vsque ad redemptoris tempora quasi quendam in se fluuium traxit: bene nunc dicitur: *Absorbebit fluuium, & non mirabitur.*) Quia verò & post mediatoris aduentum quosdam qui rectè viuere negligūt, etiam fideles rapit: rectè subiungitur: *Et habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius.*) ac si apertè diceretur: Ante redemptorem mundi mundum non miratus absorbuit, sed quod est grauius, etiam post redemptoris aduentum quosdam qui baptismatis sacramento signati sunt, deglutire se posse confidit. Alios nanq; sub Christianitatis nomine positos deuorat: quia in ipso eos fidei errore supplātat. Alios à rectitudine fidei nequaquā deuiat, sed ad vsum prauæ operationis inclinat. Alios quantū vult in operatione immunditiæ inflectere

inflectere non valet, sed apud semetipsos intus in studio intentionis intorquet: vt dum à charitate mentem diuidunt, rectum non sit quicquid extrinsecus operentur. Et fidem tenent, sed vitam fidei non tenent: quia aut apertè illicita faciunt, aut ex peruerso corde quæ agunt, praua sunt, etiam si sancta videantur. Quia enim nonnulli confitendo fideles sunt, non † viuendo: hinc est quod voce veritatis dicitur: *† al. agēdo.* *Matth. 7.* Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. *Lucæ 6.* Hinc rursum ait: Quid autem vocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico? Hinc Paulus ait: *ad Titū. 1.* Confitentur se nosse deum, factis autem negant. Hinc Ioannes dicit: Qui dicit se Deum nosse, & mandata eius non *1. Ioan. 2.* custodit, mendax est. Hinc est quod de ipsa sua prima plebe *Marci. 7.* Dominus conqueritur dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Hinc etiam Psalmista *Psalm. 77.* ait: Dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei. Sed minimè mirū fuit quòd Behemoth iste ante lauacri vndam, ante sacramenta cœlestia, ante corpoream præsentiam redemptoris humani generis fluuium hiatu profundæ persuasionis absorbuit: sed hoc valde mirum, hoc valde terribile est: quia multos aperto ore etiam post cognitionem redemptoris suscepit, post lauacri vndam polluit, post sacramenta cœlestia ad inferni profundum rapit. Dicatur ergo, dicatur terribiliter voce veritatis: Absorbebit fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam quòd influat Iordanis in os eius. Neque enim pro magno diabolus habuit quod infideles tulit, sed toto nunc annisu in illorum mortem se erigit, quos *Iacobi. 2.* contra se regeneratos tabescit. Nemo igitur sibi fidem sine operibus sufficere posse confidat, cùm scimus quòd scriptum sit: Fides sine operibus mortua est: Nullus Behemoth morsum ex sola confessione fidei plene euasisse se existimet: quia iam quidem fluuium absorbuit, sed adhuc Iordanem sitit, & toties in os illius Iordanis fluit, quoties Christianus quisque ad iniquitatem defluit. Os quidem eius iam fide nos subleuante fugimus, sed magno studio curandum est, ne in hac lubrica operatione dilabatur. Si ambulandi cautela negligitur, incassum credendo rectum iter tenetur: quia via quidem fidei ad cœlestem patriam proficit, sed offendentes minimè perducit. Habemus adhuc quod hac in re subtilius perdendamus. Hi enim quos per Iordanem diximus exprimi, possunt per fluuium designari. Qui enim fidem iam veritatis agnouerunt, sed viuere fideliter negligunt, rectè fluuius dici possunt: quia videlicet deorsum fluunt. Iordanis verò Hebræo vocabulo descensio eorum dicitur. Et sunt nonnulli qui viam veritatis appetentes semetipsos abiiciunt, atque à vitæ veteris elatione descendunt: cúmque æterna cupiunt, valde se ab hoc mundo alienos reddunt, dum non solùm aliena non appetunt, sed etiam sua derelinquunt, & non solùm in eo gloriam non quærunt, sed hanc cùm se obtulerit etiam contemnunt. Hinc est enim quod voce veritatis dicitur. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum. *Lucæ 9.* Semetipsum enim abnegat, qui calcato typo superbiæ, ante Dei oculos esse se à se alienum demonstrat. Hinc Psalmista *Psalm. 41.* ait: Memor ero tui de terra Iordanis & Hermoniim. Iordanis quippe, vt dixi, descensio: Hermoniim autem anathema, id est, alienatio, interpretatur. De terra igitur Iordanis & Hermoniim Dei reminiscitur: qui in eo quòd semetipsum deiicit, atque à se alienus existit, ad conditoris sui memoriam reuocatur. Sed antiquus hostis hoc pro magno non habet, quòd sub iure suæ tyrannidis terrena quærentes tenent. Propheta quippe attestante cognouimus, quia esca eius electa. Neque enim mirum deputat, si eos absorbeat, quos superbia erigit, auaritia tabefacit, voluptas dilatat, malitia angustat, ira inflammat, discordia separat, inuidia exulcerat, luxuria inquinans necat. Absorbebit ergo fluuium, & non mirabitur: quia pro magno non æstimat cùm eos deuorat, qui per ipsa suæ vitæ studia deorsum currunt, sed illos magnopere rapere nititur, quos despectis terrenis studiis, iungi iam cœlestibus contemplatur. Vnde absorpto fluuio rectè subiungitur.
9. *Et habet fiduciam quòd influat Iordanis in os eius.*) Quia illos insidiando rapere appetit, quos pro amore supernæ patriæ à præsentis vitæ gloria semetipsos deiicere agnoscit. Nonnulli quippe mundum deserunt,

honore transeuntium vana delinquunt, & ima humilitatis appetentes, humanæ conuersationis morem bene viuendo transcendunt: atque in tanta studiorum arce proficiunt, vt signorum iam virtutes operentur: sed quia semetipsos circunspiciēdo tegere negligunt, inanis gloriæ telo percussi, peius de alto ruunt. Hinc est enim quòd æternus iudex qui occulta cordis examinat, eiusdem ruinæ casum præuncians intentat, cùm dicit: Multi dicent mihi in illa die: Domine Domine, nōnne *Matth. 7.* in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in tuo nomine virtutes multas fecimus? Et tunc cōfitebor illis, quia nunquam noui vos: discedite à me qui operamini iniquitatem, nescio qui estis. Hinc etiam per Prophetam dicitur: *Amos. 7.* Vocauit Dominus iudicium ad ignem, & deuorabit abyssum multam, & comedet partem domus Domini. Iudicium quippe ad ignem vocatur, cùm iustitiæ sententia ad pœnam iam æternæ concremationis ostenditur. Et multā abyssum deuorat: quia iniquas atque incomprehensibiles hominum mentes concremat, quæ nunc se hominibus etiam sub signorum miraculis occultant. Pars autem domus Domini comeditur: quia illos quoque gehēna deuorat, qui nunc quasi in sanctis actibus de electorum numero se esse gloriantur. Qui ergo hîc Iordanis, ipsi illic pars domus Domini vocantur. Antiquus ergo hostis habet fiduciam quod in os eius & Iordanis influat: quia nonnunquam calliditatis suæ insidiis eos etiam qui iam electi putantur necat. Sed cuius cordis 10.
duritiam non ista Domini verba perturbent? cuius mentis cōstantia non ab intimis cogitationum radicibus quatiatur, cùm hostis noster tantæ esse contra nos fortitudinis demonstratur? Nullúmne erit consolationis adiutorium? Erit certè. Nam subditur:

Quòd in carne sua Christus diuinitatem abscondit, & quòd hamo captus sit diabolus in oculis. *Caput VII.*

IN *oculis eius quasi hamo capiet eum.*) Notandum valde est quòd scripturæ suæ verba misericorditer temperans Deus, modò nos asperis incitationibus terret, modò blandis consolationibus refouet, & terrorem fomentis miscet, & fomenta terrori: vt dum circa nos vtrunque mira magisterij arte temperatur, nec desperatè inueniamur territi, nec incautè securi. Nam cùm Behemoth astutas insidias, atque effrenatas vires multiplicibus sententiis incasset: protinus vnigeniti filij sui redemptoris nostri commendat aduentum, & quo ab illo ordine Behemoth iste sit perimendus insinuat: vt quia cor nostrum narrata illius virtute perculerat, mœrorem nostrum citius indicata eius perditione releuaret. Igitur postquam dixit: Absorbebit fluuium & non mirabitur, & habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius: ipsum illico dominicę incarnationis aduētum annunciat, dicens: In oculis eius quasi hamo capiet eum. Quis nesciat quòd in hamo esca ostēditur, aculeus occultatur? Esca enim prouocat, vt aculeus pungat. Dominus itaque noster ad humani generis redemptionem veniens, velut quendā de se in necem diaboli hamum fecit. Assumpsit enim corpus, vt in eo Behemoth iste quasi escam suam mortem carnis appeteret. Quam mortē dum ille iniustè appetit, nos quos quasi iustè tenebat, amisit. In hamo ergo eius incarnationis captus quia dum in illo appetit escam corporis, transfixus est aculeo diuinitatis. Ibi quippe inerat humanitas, quæ ad se deuoratorem duceret: ibi diuinitas quę perforaret: ibi aperta infirmitas quæ prouocaret: ibi occulta virtus quę raptoris faucem transfigeret. In hamo igitur captus est: quia inde interiit vnde deuorauit. Et quidem Behemoth iste filium Dei incarnatum nouerat, sed redemptionis nostræ ordinem nesciebat. Sciebat enim quòd pro redemptione nostra incarnatus Dei filius fuerat, sed omnino quòd idem redemptor noster illum moriendo transfigeret, nesciebat. Vnde & bene dicitur: In oculis eius quasi hamo capiet eum. In oculis quippe habere dicimus, quod coram nobis positum videmus. Antiquus verò hostis humani generis redemptorem ante se positum vidit, quem cognoscendo confessus, confitendo pertimuit, dicens: Quid nobis & tibi fili Dei? Venisti ante tempus torquere nos? *Matth. 8.* In oculis itaq; suis hamo captus est, quia & nouit, & momordit, & cognouit prius quem pertimesceret, & tamen pòst non timuit, cùm in illo quasi escam propriam mortem carnis esu-

> *Quomodo Behemoth filium Dei incarnatū nouerat.*

11. riret. Igitur quia caput nostrum per se quid fecit audiuimus: nunc per membra sua quid faciat, audiamus. Sequitur:

Quòd subtilißimas astutias dæmonum perforare poßit & penetrare accutißima intentio, & infatigabilis repugnantia sanctorum.

Caput VIII.

ET *in sudibus perforabit nares eius.*) Quid aliud sudes, id est, palos accipimus, qui videlicet accuũtur vt figantur: nisi acuta sanctorum consilia? Quæ huius Behemoth nares perforant, dum sagacissimas eius insidias & vigilando circunspiciunt, & superando transfigunt. Per nares verò odor trahitur, & deducto flatu hoc agitur, vt res etiam quæ longè est posita, cognoscatur. Naribus ergo Behemoth callidę eius insidiæ designantur, per quas sagacissimè nititur, & occulta cordis nostri bona cognoscere, & hæc pessima persuasione dissipare. In sudibus itaque Dominus nares eius perforat: quia callidas eius insidias acutis sanctorum sensibus penetrans eneruat. Sæpe autem bonorum vias tanta insidians arte circumuolat: vt per ea quæ ab eis bene gesta cognouerit, ad malitiam aditum quærat. Nam vnde alium largiri quid conspicit, inde alium in discordiæ flamma succendit: & hunc respicit misereri, illi persuadet irasci: vt dum bonum quasi non communiter factum insinuat, concordes animos à bono gratiæ communis † abscindat. *† Vel, abscidat.* Quia enim iustorum mentes ad mala suadendo non valet frangere, bonis satagit actibus inter eas mala seminare. Sed sancti viri has eius insidias tantò celerius vincunt, quantò & subtilius deprehendunt. Quod melius ostendimus, si vnum è multis assertoribus veritatis in testimonium Paulum vocemus: *1. Corin. 5.* sub quo quidam Corinthius dum incesti facinus perpetrasset, eum doctor egregius in carnis interitum ad satisfactionem pœnitentiæ satanæ tradidit, & in diem Domini saluum eius spiritum reseruauit. Magna quippe arte magisterij ipsi est traditus coactus in pœnam, cui sponte est substratus in culpa: vt qui auctor fuerat ad vitium nequitiæ, ipse flagellum fieret disciplinæ. Qui tamē bene gesta pœnitentia, dum cognouisset Corinthios super eum iam misericorditer motos, ait: Cui aliquid donastis, & ego: nã & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona *2. Cor. 2.* Christi. Communionis verò gratiam cogitãs ait: Cui aliquid donastis, & ego: ac si diceret: A bono vestro non dissentio: meum sit quicquid ipsi fecistis. Atque mox subditur: Et ego si quid donaui, propter vos: ac si diceret: Vestris actibus bonum addidi, quicquid propter vos misericorditer feci. Vestra ergo est vtilitas, bonitas mea: mea est vtilitas, bonitas vestra. Qui ipsam mox compagem cordium in qua sic tenetur, adiungens subdidit: In persona Christi. Cui velut si dicere præsumamus, quare te ita cautè discipulis copulas? quare vel te illorum, vel illos tuis actionibus tam solicita mente conformas? ilicò subiunxit: Vt non circunueniamur à satana. Cuius sagaces insidias quàm acuto sensu transfigat, insinuat subdens: Non enim ignoramus cogitations eius: ac si verbis aliis dicat: Acutæ auctore Domino sudes sumus, & nares Behemoth istius subtiliter circunspiciendo penetramus, ne hoc quod bene mēs inchoat, ipse in malitiæ finem vertat.

12. Possunt per sudes acuta ipsius, per carnem manifestatę sapientiæ verba signari: vt quia naribus odor trahitur, per Behemoth *Matth. 4.* nares illa antiqui hostis exploratio figuretur. Quia cùm Deũ incarnatum esse dubitaret, hoc expetitis miraculis voluit tētando cognoscere, dicens: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Quia ergo signorum indiciis odorem diuinitatis eius cognoscere concupiuit, quasi flatum naribus traxit. Sed dum ei protinus respondetur, Non in pane solo viuit homo &, Non tentabis Dominum Deum tuum: quia sententiarum suarum acuminibus indagationem antiqui hostis veritas perculit, quasi nares eius sudibus perforauit. Sed quia Behemoth iste per varia fraudum argumenta distenditur: adhuc adiuncto & alio nomine notatur: Nam subditur:

Quòd per incarnationem Christi captus sit diabolus: & lingua totius falsitatis ad Euangelij veritatem ligata, & coniuncta conticuit.

Caput IX.

AN *extrahere poteris Leuiathan hamo?*) Leuiathan quippe additamentum eorum dicitur. Quorum videlicet nisi hominum? quibus semel culpam præuaricationis intulit, & hanc vsque ad æternam mortem quotidie pessimis suggestionibus extendit. Quibus dum reatum fœnore peccati multiplicat, pœnas proculdubio sine fine coacervat. Potest quoque Leuiathan etiam per irrisionem vocari. Primo quippe homini persuasione callida diuinitatem additurum se perhibuit, sed immortalitatem tulit. Additamentum ergo hominum per irrisionem dici potest: quibus dum hoc quod non erant se addere spopondit, etiam hoc quod erant fallendo subtraxit. Sed Leuiathan iste hamo captus est: quia in redemptore nostro dum per satellites suos escam corporis momordit, diuinitatis illum aculeus perforauit. Quasi hamus quippe fauces glutientis tenuit: dum in illo & esca carnis patuit, quam deuorator appeteret, & diuinitas passionis tempore latuit quæ necaret. In hac quippe aquarum abysso, id est, in hac immensitate generis humani, ad omnium mortem inhians, vitam penè omnium vorans, huc illúcque aperto ore cetus iste ferebatur, sed ad mortem ceti istius hamus in hac aquarum profunditate caliginosa, mira est dispositione suspensus. Huius hami linea illa est per Euangelium antiquorum patrum propago memorata. Nam cùm dicitur: Abraham genuit Isaac: *Matth. 1.* Isaac genuit Iacob: cúmque cæteri successores interposito Ioseph nomine vsque ad Mariam virginem despõsatam describuntur, quasi quædam linea torquetur, in cuius extremo incarnatus Dominus, id est, hamus iste ligaretur quem in his aquis humani generis dependentem aperto ore iste cetus expeteret, sed eo per satellitum suorum sæuitiam morso, mordendi vires vlterius non haberet. Ne ergo iste humanis mortibus cetus insidians, quos vellet vltrà deuoraret: hamus hic raptoris fauces tenuit, & sese mordentem momordit. Incarnationem igitur vnigeniti filij fideli famulo indicans Deus, ait: An extrahere poteris Leuiathan hamo? Subaudis, vt ego: qui ad raptoris mortem incarnatum vnigenitum filium mitto, in quo dum mortalis caro conspicitur, & immortalitatis potentia non videtur: quasi hamus quidam inde deuorantem perimit, vnde acumen potentiæ quo transfigat, occultat. Sequitur: *Et fune ligabis linguam eius?*) Subaudis, vt ego. Scriptura enim sacra fune aliquando dimensionum sortes, aliquando peccata, aliquando fidem designare consueuit. Nam propter hæreditarias dimensionum sortes dicitur: *Psalm. 15.* Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi. Funes quippe in præclaris cadunt, dum per humilitatem vitæ, sortes nos patriæ melioris excipiunt. Rursum quia fune peccata signantur, per Prophetam dicitur: *Esaia 5.* Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis. Iniquitas nanque in funiculis vanitatis trahitur, dum per augmentum culpa protelatur. Vnde & per Psalmistam dicitur: Funes *Psalm. 118.* peccatorum circunplexi sunt me. Quia enim funis addendo torquetur, vt crescat, non immeritò peccatum in fune figuratur, quod peruerso corde sæpe dum defenditur, multiplicatur. Rursum fune fides exprimitur: Salomone attestante, *Eccles. 4.* qui ait: Funiculus triplex difficile rumpitur: quia fides videlicet quæ de cognitione Trinitatis ab ore prædicātium texitur, fortis in electis permanens, in solo reproborum corde dissipatur. Hoc itaq; loco funis nomine siue peccatum, siue fidem nil obstat intelligi.

13. Incarnatus etenim Dominus noster fune Leuiathan linguam ligauit: quia in similitudine carnis peccati apparuit, & omnia errorũ eius prædicamenta damnauit. Vnde Paulo attestante dicitur: Et de *Roma. 8.* peccato damnauit peccatum. Fune linguam ligauit: quia per similitudinem carnis peccati, ab electorum suorum cordibus cuncta eius fallaciæ argumenta destruxit. Ecce enim apparente in carne Domino, Leuiathan lingua ligata est: quia eius veritate cognita, illæ falsitatis doctrinæ tacuerunt. Vbi enim nunc est Academicorum error: qui certè conantur astruere certum nil esse, qui impudenti fronte assertionibus suis fidē ab auditoribus exigũt, cùm vera esse nulla testantur? Vbi mathematicorum superstitio: qui dum signorum cursus suspiciunt, vitas hominum in siderum momenta suspendunt? Quorum apertè doctrinam sæpe geminorum natiuitas dissipat, qui cum vno eodémque momento horæ prodeant,

non

non in vna conuersationis qualitate perdurant. Vbi tot prædicamenta falsitatis quæ enumerare fugimus, ne ab exponendi ordine longè recedamus? Sed cuncta iam erroris doctrina conticuit: quia Leuiathan linguam, Dominus incarnationis suæ fune constrinxit. Vnde bene etiam per Prophetam dicitur: *Esaia. 11.* Et desolabit Dominus linguam maris Aegyptij. Lingua quippe maris est scientia doctrinæ secularis. Bene autem mare Aegyptium dicitur: quia peccati obscuritate fuscatur. Linguam ergo maris Aegyptij Dominus desolauit: quia huius mundi falsam sapientiam per carnem se ostendendo destruxit. Fune ergo Leuiathan lingua constringitur: quia per similitudinem carnis peccati, ligata est prædicatio vetusti peccatoris. Si autem fides fune signatur, idem nobis iterum intellectus innuitur: quia dum per prædicatores sanctos in mundo fides Trinitatis innotuit, contra electorum mentes erumpere mundi doctrina cessauit. *Psalm. 73.* Vnde bene Domino per Prophetam dicitur: Tu dirupisti fontes & torrentes: tu siccasti fluuios Ethan. Ethan quippe interpretatur fortis. Et quis est hic fortis, nisi de quo per Euangelium Dominus dicit: *Marci 3.* Nemo potest vasa fortis ingressus domum diripere, nisi prius fortem alliget? Fontes itaque & torrentes Dominus dirupit, dum in Apostolorum suorum cordibus fluenta veritatis aperuit. De quibus rursum per Prophetã alium dicitur: *Esaia 12.* Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris. Ad eorũ quippe doctrinam sitientes pergimus, vt veritatis plenas cordium nostrorum lagunculas reportemus. Sed emanentibus suis fontibus Ethan fluuios exiccauit, dum doctrinam fortis, & maligni spiritus ostenso radio suæ veritatis arefecit. Leuiathan ergo lingua fune stringitur: quia extensa fide Trinitatis, errorum prædicamenta siluerunt. Sed quia iam se apertè extollere non valet, huc illúcque circumiens per insidias mordet.

13. Mira autem misericordia contra hunc pro nobis Dominus vigilat, atque eum & in hoc quod fraudibus molitur, expugnat. Vnde subditur:

Quòd astutiam diaboli per quam humani generis fragilitatem explorat & odoratur, Deus omnipotens iudicij sui potestate constringat, & perforata eius maxilla homines, quos iã per peccati cõmißionem inter fauces tenebat, inde extrahat: si per pœnitentiam exitum, & reditũ ad vitã aperiat.

Caput X.

NVnquid *pones circulum in naribus eius?*) Sicut per nares insidiæ, ita per circulum diuinæ virtutis omnipotentia designatur. Quæ cùm apprehendi nos tentationibus prohibet, miris ordinibus antiqui hostis insidias circumplectens tenet. Circulus ergo ei in naribus ponitur, dum circunducta protectionis supernæ fortitudine eius sagacitas retinetur: ne cōtra infirmitatem hominum tantum præualeat quantum perditionis argumenta latenter explorat. Potest etiam circuli nomine, occulti iudicij adiutorium designari: quod in huius Behemoth naribus ponitur, cùm à callida sua crudelitate refrenatur. Vnde bene per Prophetam cùm ab Israëlitarum læsione prohibetur, *Esaia. 37.* regi Babyloniæ dicitur: Ponam circulum in naribus tuis: ac si apertè diceretur: Cogitando insidias suspiras: sed explere quod appetis non valendo, omnipotentiæ meæ circulum in naribus portas, vt cùm bonorum mortem ardentius anhelas, ab eorum vita vacuus redeas. Quod verò *Apoc. 14.* hoc loco circulum, hoc scriptura sacra per Ioannem in Apocalypsi falcem vocat. Ait enim: Vidi, & ecce nubes candida: & super nubem sedentem similem filio hominis, habentem in capite suo coronam aureã, & in manu sua falcem acutam. Potestas enim diuini iudicij, quia vndique stringit, circulus dicitur: & quia intra se omnia incidendo amplectitur, falcis appellatione signatur. In falce enim quicquid inciditur, quaquauersum flectimur, intus cadit. Et quia potestas superni iudicij nullatenus euitatur, intra ipsam quippe sumus, quolibet fugere conemur, rectè cùm venturus iudex ostenditur, falcem tenere perhibetur: quia cùm potenter ad omnia obuiat, incidendo circundat. Esse se intra iudicij falcem Propheta vidit, *Psalm. 138.* cùm diceret: Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades. Si sumpsero pennas meas ante lucem, & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Intra quandam falcem se vidit: cùm ex nullo sibi loco patere fugæ aditum posse cognouit, dicens: Quia neque ab oriente, neque ab *Psalm. 74.* occidente, neque à desertis montibus: subaudis, patet via fugiendi: atque mox ipsam supernæ potentiæ omnimodam cōprehensionem subdens, ait: Quoniam Deus iudex est: ac si diceret: Fugiendi via vndique deest: quia ille iudicat, qui vbique est. Diuina itaque iudicia sicut signantur falce, quia circunuallantia incidunt: ita exprimuntur circulo, quia vndique stringunt. In Leuiathan itaque naribus à Domino circulus ponitur: quia iudicij eius potentia in insidiis suis ne quantum vult præualeat coarctatur. Dicatur ergo: Nunquid pones circulum in naribus eius? Subaudis, vt ego, qui astutas eius insidias omnipotenti iudicio constringo: vt nec tantum tentet, quantum appetit: nec tantum capiat, quantum tentat. Sequitur: Aut armilla perforabis maxillam eius?) Ab intellectu circuli armilla non discrepat: quia ipsa hoc quoque vbi ponitur, ambiendo constringit. Sed quia armilla latius tenditur, per armillam occulti eius iudicij erga nos protectio impensior designatur. Armilla ergo Dominus maxillam Leuiathan istius perforat: quia ineffabili misericordiæ suæ potentia sic malitiæ antiqui hostis obuiat, vt aliquando eos etiam quos iam cœpit amittat, & quasi ab ore illius cadunt, qui post perpetratas culpas ad innocentiam redeunt. Quis enim ore illius semel raptus maxillam eius euaderet, si perforata non esset? An non in ore Petrum tenuit, cùm negauit? An non in ore Dauid tenuit, cùm in tantam se luxuriæ voraginem mersit? Sed cùm ad vitam vterque per pœnitentiam rediit, Leuiathan iste eos aliquo modo quasi per maxillæ suæ foramina amisit. Per foramen ergo maxillæ ab eius ore subtracti sunt, qui post perpetrationem tantæ nequitiæ pœnitendo redierunt. Quis autem hominum Leuiathan istius os euadat, vt nulla illicita cōmittat? Sed hinc cognoscimus quantum redemptori humani generis debitores sumus, qui non solum nos in os Leuiathan ire prohibuit, sed ab ore etiam redire concessit: qui spem peccatori non abstulit, quia maxillam eius vt euadendi viam tribueret, perforauit: vt saltem post morsum fugiat, qui incautus prius morderi nequaquam metuebat. Vbique ergo nobis occurrit superna medicina: quia & dedit homini præcepta ne peccet, & tamen peccanti dedit remedia ne desperet. Vnde cauendum summopere est, ne quis delectatione peccati Leuiathan istius ore rapiatur, & tamen si raptus fuerit, non desperet: quia si peccatum perfectè lugeat, adhuc foramen in maxilla eius inuenit per quod euadat. Iam dentibus teritur, sed adhuc si euadendi via quæritur, in maxilla eius foramen inuenitur. Habet etiam captus quò exeat, qui præuidere noluit ne caperetur. Quisquis ergo nondum captus est, maxillam eius fugiat: quisquis verò iam captus est, in maxilla foramen quærat.

15. Pius enim ac iustus est conditor noster. Sed nemo dicat quia pius est, venialiter pecco. Et nemo qui peccauerit dicat: quia iustus est, de peccati remissione despero. Relaxat enim Deus facinus quod defletur, sed perpetrare quisque timeat, quod si dignè deflere possit ignorat. Ante culpam ergo iustitiam metuat, post culpam tamen de pietate præsumat: neque ita iustitiam timeat, vt nulla spei consolatione conualescat: neque ita confidat de misericordia, vt adhibere vulneribus suis dignæ pœnitentiæ negligat medicinam, sed quem præsumit sibi piè parcere, semper etiam cogitet, & districtè iudicare. Sub pietate itaque eius spes peccatoris gaudeat, sed sub districtione illius pœnitentis correctio contremiscat. Spes igitur præsumptionis nostræ habeat etiam morsum timoris: vt ad corrigenda peccata iustitia iudicantis terreat, quem ad fiduciam veniæ gratia parcentis inuitat. Hinc *Eccli. 5.* enim per quendam sapientem dicitur: Ne dixeris, miserationes Domini multæ sunt, peccatorum meorum non memorabitur. Pietatem nanque eius protinus, & iustitiam subdit, dicens: Misericordia enim & ira ab illo. Diuina itaque clementia maxillam Behemoth istius perforans, vbique humano generi, & misericorditer, & potenter, occurrit: quia nec libero admonitionem præcauendi tacuit, nec capto remedium fugiendi subtraxit. Ad hoc quippe in scriptura sacra virorum talium, id est, Dauid & Petri peccata sunt indita, vt cautela minorum sit ruina maiorum. Ad hoc verò vtrorúmque illic, & pœnitētia insinuatur & venia, vt spes pereuntium sit recupe-

ratio peditorum. De ſtatu ergo ſuo Dauid cadente nemo ſuperbiat. De lapſu etiam ſuo Dauid ſurgente nemo deſperet. Ecce quàm mirabiliter ſcriptura ſacra eodem verbo ſuperbos premit, quo humiles leuat. Vnam nanque rem geſtam retulit, & diuerſo modo ſuperbos quidem ad humilitatis formidinem, humiles verò ad ſpei fiduciam reuocauit. O inæſtimabile noui generis medicamentum! quod vno eodémque ordine poſitum, & premendo tumentia excitat, & ſubleuando arentia infundit. De maiorum nos lapſu terruit, ſed de reparatione roborauit. Sic quippe ſemper, ſic nos diuinæ diſpenſationis miſericordia & ſuperbientes reprimit, & ne ad deſperationem corruamus fulcit.

Quid ſit quòd Moyſes dicit: Non accipies loco pignoris ſuperiorem, vel inferiorem molam. Caput. XI.

16. Deut. 24. VNde etiam per Moyſen admonet, dicens: Non accipies loco pignoris ſuperiorem, aut inferiorem molam. Accipere nanque aliquando dicimus auferre. Vnde & aues illæ
2. Corin. 11. quæ ſunt rapiendis auibus auidæ, accipitres vocantur. Vnde Paulus apoſtolus dicit: Suſtinetis enim ſi quis deuorat, ſi quis accipit: ac ſi diceret: Si quis rapit. Pignus verò debitoris, eſt confeſsio peccatoris. A debitore enim pignus accipitur, cùm à peccatore iam peccati confeſsio tenetur. Superior autem & inferior mola, eſt ſpes & timor. Spes quippe ad alta ſubuehit, timor autem cor inferius premit. Sed mola ſuperior & inferior ita ſibi neceſſariò iunguntur, vt vna ſine altera inutiliter habeatur. In peccatoris itaque pectore inceſſanter debet ſpes; & formido coniungi: quia incaſſum miſericordiam ſperat, ſi non etiam iuſtitiam timeat: incaſſum iuſtitiam metuit, ſi non etiam de miſericordia confidat. Loco igitur pignoris mola ſuperior, aut inferior tolli prohibetur: quia qui peccatori prædicat, tanta diſpenſatione componere prædicationem debet, vt nec derelicta ſpe timorẽ ſubtrahat, nec ſubtracta ſpe, in ſolo eum timore derelinquat. Mola enim ſuperior aut inferior tollitur, ſi per prædicantis linguam in peccatoris pectore, aut timor à ſpe, aut ſpes à timore diuidatur. Sed G quia exigente cauſa Dauid ad medium deducto, tanti facinoris memoriam fecimus, lectoris fortaſſe animus mouetur, cur eos omnipotẽs Deus quos in perpetuum elegit, quos ad donorum quoque ſpiritalium culmen aſſumpſit, illæſos à corporalibus vitiis non cuſtodit. Vnde quia ſatisfieri citius credimus, breuiter reſpondemus. Nonnulli enim per accepta dona virtutum, per impenſam gratiam bonorum operum, in ſuperbiæ vitium cadunt, ſed tamen quò ceciderint, non cognoſcunt. Proinde contra eos hoſtis antiquus, quia iam interius dominatur etiam exterius ſæuire permittitur: vt qui in cogitatione elati ſunt, per carnis luxuriam proſternãtur. Scimus autem quia aliquando minus eſt in corporis corruptionem cadere, quàm cogitatione tacita ex deliberata elatione peccare, ſed cùm minus turpis ſuperbia creditur, minus vitatur. Luxuriam verò eo magis erubeſcunt homines quo ſimul omnes turpem nouerunt. Vnde ſit plerunque vt nonnulli poſt ſuperbiam in luxuriam corruentes, ex aperto caſu malum culpæ latentis erubeſcant, & tunc etiam maiora corrigunt, cùm proſtrati in minimis grauius conſunduntur. Reos enim ſe inter minora conſpiciunt, qui ſe liberos inter grauiora crediderunt. Pia ergo Domini diſpenſatione laxatus nonnunquam Behemoth iſte de culpa ad culpam trahit, & dum plus percutit, inde eum quem ceperat amittit: atque vnde viciſſe cernitur, inde ſuperatur. Conſiderare libet intra munitum gratiæ ſinum, quanto Deus fauore miſericordiæ nos continet. Ecce qui de virtute ſe extollit, per vitium ad hu-
17. militatem redit. Qui verò acceptis virtutibus extollitur, non gladio, ſed (vt ita dixerim) medicamento vulneratur. Quid eſt enim virtus niſi medicamentum? & quid eſt vitium niſi vulnus? Quia ergo nos de medicamento vulnus facimus, facit ille de vulnere medicamentum: vt qui virtute percutimur, vitio curemur. Nos nanque virtutum dona retorquemus in vſum vitiorum: ille vitiorum illecebras aſſumit in artem virtutum, & ſalutis ſtatum percutit vt ſeruet: vt qui humilitatem currentes fugimus, ei ſaltem cadentes hæreamus. Sed inter hæc ſciendum eſt quòd plerique hominum quò in multis corruũt, arctius ligantur, cúmque eos Behemoth iſte ex vno vitio percutit vt concidant, ex alio quoque illigat ne E reſurgant. Conſideret itaque homo cum quo hoſte bellum gerat, & ſi iam ſe in aliquo deliquiſſe perpendit, ſaltem ad culpam petrahi ex culpa pertimeſcat: vt ſtudiosè vitentur vulnera, quibus frequenter interficit: quia valde rarum eſt quod hoſtis noſter electorum ſaluti etiam vulneribus ſeruit. Maxilla tamen Behemoth iſtius perforata intelligi & aliter poteſt: vt in ore tenere dicatur non quos iam perfectè peccato implicauit, ſed quos iam adhuc peccati perſuaſionibus tentat, quatenus ei quemlibet mandere, ſit de peccati eum delectatione tentare. Mandendum quidem, ſed non deglutiendum acceperat Paulum, quando illum poſt tot reuelationum ſublimia, ſtimulis carnis agitabat. Tunc ergo cùm contra il- 2. Corin. 12.
lum licentiam tentationis accepit, in maxilla eum tenuit, ſed perforata. Qui verò elatus perire poterat, tentatus eſt ne periret. Tentatio ergo illa non vorago vitiorum, ſed cuſtodia meritorum fuit: quia Leuiathan iſte fatigando eum in afflictione contriuit, ſed non in culpa capiendo deuorauit. Elatos autem in ſanctitate viros non amitteret, niſi tentaret. San- F
cti quippe non eſſent qui de ſanctitatis gloria ſuperbirent: & tantò ſub eius iure caderent, quantò ſe in ſuis virtutibus eleuarent. Sed miro diſpenſationis ordine dum tentantur, humiliantur: dum humiliantur, eius eſſe iam deſinunt. Bene ergo maxilla Behemoth iſtius perforata dicitur: quia electos Dei vnde conterit, inde amittit: vnde tentat vt perdat, agit inde ne pereant. Antiquus itaque hoſtis occultis Dei diſpenſationibus ſeruiens, ſanctorum animas ad interitum tentat volens, ſed ad regnum tentando ſeruat inuitus. Maxilla ergo eius perforata eſt, quia eos quos tentando, id eſt, mandendo conterit, quaſi cùm deglutit amittit. Quod quia non humana, ſed diuina prouidentia agitur, vt vtilitati iuſtorum ipſa vetuſti aduerſarij aſtutia ſuffragetur: quatenus cùm electos tentat, eo magis tentando cuſtodiat, bene ad beatum Iob dicitur: Aut armilla perforabis maxillam eius? Subaudis, vt ego: qui prouidè cuncta diſponens, electos meos inde ro-
buſtius in integritate cuſtodio, vnde eos per maxillam Leuiathan iſtius labefactari aliquo modo ab integritate permitto. Sequitur:

Quòd in die iudicij ſupplicium, & pœnitentia impiorum in irritum erit. Caput XII.

NVnquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? 18.
Subaudis, vt mihi: Si enim ad perſonam filij hæc verba referantur, incarnato ei mollia loquebatur cùm diceret: Scio Luca. 4.
quia ſis ſanctus Dei. Ad Leuiathan iſte multiplicauit preces, cùm per ſubditam ſibi legionem dixit: Si eiicis nos, mitte nos in gregem porcorum. Quanuis intelligi poteſt apertius: quia Matth. 8.
ad Dominum preces multiplicat, cùm extremi die iudicij iniqui qui eius corpus ſunt, ſibi parci deprecantur: cùm mẽbra eius videlicet reprobi ſerò clamantes dicunt: Domine Matth. 25.
Domine, aperi nobis. Quibus protinus dicitur: Neſcio vos vnde ſitis. Tunc etiam Domino per membra ſua mollia lo- H
quetur, quando multi ex eius corpore dicturi ſunt: Domine Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomi- Matth. 7.
ne tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Mollia quidem deprecantes dicunt, cùm eius nomine replicant quæ fecerunt, ſed duro corde illa cùm facerent, in ſuam laudem rapuerunt. Vnde mox audiunt: Neſcio qui eſtis. Sequitur:

Quòd diabolus in hac vita neſciens ſanctorum vſibus ſeruit, & tentationis licentia quaſi ex pacto accepta, voluntatem ſuam implet tentando, ſed voluntate Dei ligatur, vt electos & volens tentet, & neſciens probet.

Caput XIII.

NVnquid feriet tecum pactum?) Subaudis, vt mecum. Et accipies eum ſeruum ſempiternum? Subaudis, vt ego. Sed valde ſolerter intuendum eſt quod pactum cum Domino Diabolus
Leuiathã iſte feriat, vt ſempiternus ab eo ſeruus habeatur. In eſt ſeruus
pacto enim diſcordãtiũ partium volũtas impletur, vt ad vo- Dei ſempi-
tum ſuum quęque perueniat, & iurgia deſiderato fine cõclu- ternus ex
dat. Antiquus itaq; hoſtis à ſinceritate diuinę innocẽtię mali- pacto.
tię ſuę face ſuccenſus diſcordat, ſed ab eius iudicio etiam diſcordando

ſcordando non diſcrepat: nam viros iuſtos ſemper maleuolè A
tentare appetit, ſed tamen hoc Dominus, vel miſericorditer fieri, vel iuſtè permittit. Hæc ipſa ergo tentationis licẽtia pactum vocatur, in qua & deſiderium tentatoris agitur, & tamẽ per eam miro modo voluntas iuſti diſpenſatoris impletur. Erudiendos enim (ſicut nuper diximus) electos ſuos Dominus ſæpe tentatori ſubiicit: ſicut poſt paradiſi clauſtra, poſt tertij cœli ſecreta, ne reuelationum magnitudine Paulus extolli potuiſſet, ei ſatanæ angelus datus eſt. Sed (vt præfati ſumus) ipſa hac tentatione diſponitur, vt qui elati perire po-
2. Corin. 12. terant, humiliati à perditione ſeruentur. Secreto ergo diſpenſationis ordine, vnde ſæuire permittitur iniquitas diaboli, inde piè perficitur benignitas Dei. Et bene ex hoc pacto quòd cum Domino ferire dicitur, ſeruus accipi perhibetur: quia inde obtẽperat nutibus ſuperne gratiæ, vnde exercet iram nequiſsimę voluntatis ſuæ. Seruus ergo ex pacto eſt: qui dum voluntatem ſuam implere permittitur, à ſuperni conſilij voluntate ligatur: vt electos Dei (ſicut dictum eſt) volens tentet, & tentando neſciens probet. Sed quia tandiu in hac vita B
electorum vſibus ſeruit, quandiu malitiæ ſuę nequitiam tentationibus exercere potuerit: hoc autem in loco à Domino, non ſolum ex pacto ſeruus, ſed ſempiternus ſeruus accipi dicitur: inueſtigare compellimur quomodo & poſt præſentis vitæ terminum ſeruire eum in perpetuum Domino demonſtremus. Neque enim tunc iuſtos cœleſti felicitate pollentes adhuc tentare permittitur, cùm ante eorum oculos æternis gehennæ ignibus mancipatur: quia nequaquam illa ſuperna patria tentationibus erudiendi ſunt, in qua iam pro tentationum laboribus remunerantur. Sed tũc Leuiathan iſte cũ ſuo corpore, reprobis videlicet omnibus, flãmis vltricibus traditur, quibus ſine fine crucietur. Quos ſcilicet cruciatus dũ iuſti conſpiciunt, in Dei laudibus creſcunt, quia & in ſe cernũt bonum quo remunerati ſunt, & in illis inſpiciũt ſuppliciũ quod euaſerunt. Ita enim tunc pulchra erit vniuerſitas, dum & gehenna iuſtè cruciat impios, & æterna felicitas iuſtè remune-
rat pios. Sicut enim niger color in pictura ſubſternitur, vt ſu- C
periectus albus, vel rubeus pulchrior oſtendatur: ita tunc etiã malos bene ordinans Deus, feliciora exhibet gaudia beatorũ, oſtenſis ante eorum oculos ſuppliciis reproborum. Et quanuis illud ex viſione dominica eorum gaudium non ſit quo creſcat: magis tamen authori ſuo eſſe ſe debitores ſentiunt, quando & bonum cernunt quod iuſtè remunerati percipiũt, & malum quod miſericorditer adiuti vicerunt.

Quid ſit quòd diabolus modò Behemoth, id eſt, belua vel iumentum: modò Leuiathan, id eſt, ſerpens marinus: modò auis vocatur & quòd in paſsione Chriſti illuſus ſit. Caput XIIII.

IGitur ſi vtilitati iuſtorum, & hîc tentatio Leuiathan iſtius, & illic damnatio proficit, ſempiternus ſeruus eſt, dum Dei laudibus neſciens ſeruit: & illic pœna eius iuſta, & hîc voluntas iniuſta. Sequitur: *Nunquid illudes ei qu aſi auis?*)
20. Quid eſt quòd aduerſarius noſter prius Behemoth, poſtmodum Leuiathan dicitur: nunc verò aui in perditionis ſuæ D
illuſione comparatur? Behemoth quippe, vt diximus, belua interpretatur: quæ quadrupes oſtenditur, dum ſicut bos fœnum comedere perhibetur. Leuiathan verò quia hamo capitur, proculdubio ſerpens in aquis innoteſcitur. Nunc verò ad auis ſimilitudinem ducitur, cùm dicitur: Nunquid illudes ei quaſi auis? Cur ergo belua, vel iumentum, cur draco, cur auis appelletur, indagemus. Citius enim nomina eius agnoſcimus, ſi tergiuerſationis illius aſtutiam ſubtiliter exploremus. De cœlo quippe ad terram venit, & ad ſpem cœleſtium nulla iam reſpiratione ſe erigit. Irrationabile ergo & quadruplex animal eſt per actionis immundæ fatuitatem, draco per nocendi malitiam, auis per ſubtilis naturæ leuitatem. Quia enim hoc quod contra ſe agit, ignorat, bruto ſenſu belua eſt: quia malitioſè nobis nocere appetit, draco eſt: quia verò de naturæ ſuæ ſubtilitate ſuperbè extollitur, auis eſt. Rurſum, quia in hoc quod iniquè agit, ad vtilitatem noſtram diuina virtute poſsidetur, iumentum eſt: quia verò latenter mordet, ſerpens eſt: quia autem nonnunquam per indomitam ſuperbiam ſe etiam lucis angelum ſimulat, auis eſt. Humanum etenim genus quanuis inexplicabili iniquitatis arte laceſſat, tribus tamen vitiis valde tentat: vt videlicet alios ſibi per luxuriam, alios per malitiam, alios per ſuperbiam ſubdat. Non ergo immeritò in eo quod agere nititur, ex ipſo ſuarum actionum nomine vocatur, cùm iumentum, draco vel auis dicitur. In eis quippe quos ad ſtultitiam luxuriæ excitat, iumentum eſt: In eis quos ad nocendi malitiam inflammat, draco eſt. In eis autem quos in factum ſuperbiæ quaſi alta ſapientes eleuat, auis eſt. In illis verò quos pariter in luxuria, & ſuperbia, & malitia polluit, iumentum, draco, ſimul & auis exiſtit. Per tot nanque ad deceptorum cor ſe ſpecies intulit, in quot eos nequitias implicauit. Multarum igitur rerum nomine vocatur: quia ante deceptorum mentes in varias formarum ſpecies vertitur. Cùm enim hunc per carnis luxuriam tentat, & tamen minimè ſuperat, mutata ſuggeſtione cor illius in malitiam inflammat: Quia ergo ad eum venire belua non valuit, draco venit. Illum veneno malitiæ corrumpere non valet, ſed tamen bona ſua eius oculis opponit, & cor illius in ſuperbiam extollit. Huic ergo vt draco ſurrepere non valuit, ſed tamen adducto phantaſmate inanis gloriæ, cõram cogitationis eius obtutibus quaſi auis volauit. Quæ nimirum auis tantò contra nos immanius extollitur, quantò nulla naturæ ſuæ infirmitate præpeditur. Quia enim carnis morte non premitur, & redemptorem noſtrum carne mortalem vidit, altiori faſtu elationis intumuit: ſed vbi contra authorem ſuum penna ſe ſuperbiæ extulit, ibi laqueum ſuæ mortis inuenit. Nam ea carnis morte proſtratus eſt, quam expetiit elatus: & inde pertulit laqueum, vnde quaſi eſcam ſuæ malitiæ mortem iuſti cõcupiuit. Dicatur ergo: *Nunquid illudes ei quaſi aui?*) Quaſi 21.
aui quippe Dominus illuſit, dum ei in paſsione vnigeniti filij ſui oſtendit eſcam, ſed laqueum abſcondit. Vidit enim quod ore perciperet, ſed non vidit, quod gutture teneret. Nam quanuis eum fuerat ipſe confeſſus filium Dei, velut purum tamen illum hominem mori credidit: ad cuius mortem Iudæorum perſequentium animos concitauit. Sed in ipſo tra- Matth. 27.
ditionis eius tempore tardè iam cognouiſſe intelligitur, quòd ipſe eius illa morte puniretur. Vnde & Pilati coniugem ſomniis terruit, vt vir illius à iuſti perſecutione ceſſaret. Sed res interna diſpenſatione diſpoſita, nulla valuit machinatione refragari. Expediebat nanque vt peccatorum mortem iuſtè morientium ſolueret mors iuſti iniuſtè morientis. Quod quia Leuiathan iſte vſque ad tempus paſsionis illius ignorauit, quaſi more auis illuſus, diuinitatis eius laqueum pertulit, dum humanitatis eius eſcam momordit. Sequitur:

Quòd infirma mundi, & ignobilia, & ſtulta elegit Deus, & fortitudinem armati hoſtis humilium prædicatione deſtruxit.

Caput XV.

AVt alligabis eum ancillis tuis?) Subaudis, vt ego. In ſeruis etſi deſpecta eſt cõditio, virilitas viget: in ancillis autem cum conditione pariter ſexus iacet. Bene ergo Dominus Leuiathã iſtum non ſeruis, ſed ancillis ſuis ligare ſe aſſerit: quia ad noſtram redemptionem veniens, & ſuos contra mundi ſuperbiam prædicatores mittens, relictis ſapientibus inſipientes, relictis fortibus debiles, relictis diuitibus pauperes elegit. An- 1. Cor. 1.
cillis ergo ſuis Leuiathan huius fortitudinem Dominus liga- Prouer. 9.
uit: quia atteſtante Paulo: Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia. Vnde bene per Salomonem dicitur: Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, immolauit victimas, miſcuit vinum, propoſuit menſam, miſit ancillas ſuas vt vocarent ad arcem, & mœnia ciuitatis. Sapientia quippe domum ſibi condidit, cùm vnigenitus Dei filius in ſemetipſo intra vterum virginis mediante anima humanum ſibi corpus creauit. Sic quippe corpus vnigeniti domus Dei dicitur, ſicut etiam templum vocatur: ita verò vt vnus idémque Dei, atque hominis filius ipſe ſit qui inhabitat, ipſe qui inhabitatur. Quod tamen rectè & aliter accipitur, ſi domus ſapientiæ Eccleſia vocatur. Quæ ſeptem ſibi columnas excidit: quia ab amore præſentis ſeculi diſiunctas ad portandam eiuſdem Eccleſiæ fabricam mentes prædicantium erexit. Quæ pro eo quòd perfectionis virtute ſubnixæ ſunt, ſeptenario numero ſignantur. Immolauit victimas: quia vitam prædicantium mactari in perſecutione permiſit. Vinum miſcuit: quia diuinitatis & humanitatis ſuæ nobis pariter

arcana prædicauit. Mensam quoque proposuit: quia scripturæ sacræ nobis pabula aperiendo præparauit. Ancillas etiam suas misit, quæ ad arcem nos atque ciuitatis mœnia vocarẽt: quia prædicatores infirmos abiectósque habere studuit, qui fideles populos ad spiritalis patriæ ædificia superna colligerent. Vnde in Euangelio Dominus Nathanaëlem laudat, nec
Ioan. 1. tamen in sorte prædicantium numerat: quia ad prædicandũ eum tales venire debuerant, qui de laude propria nihil habebant: vt tantò solidius veritatis esse cognosceretur quod agerent, quantò & aptè cerneretur, quia ad hoc agendum per se idonei non fuissent. Vt ergo mira potentia per prædicatorum linguas clarescceret: prius mirabilius actũ est, vt eorundẽ prædicantium meritum nullum esset. Ancillas ergo Dominus misit, & Leuiathan huius fortitudinem ligauit: quia infirmos prędicatores mundo exhibuit, & potentes quosque qui eius corpus fuerant, sub terroris sui vinculo restrinxit. Et in semetipso Leuiathan iste ancillis ligatur: cùm infirmis prędicantibus, veritatis clarescente lumine, contra electorum mẽtes antiquus hostis non quantum vult sæuire permittitur: sed ne sub infidelitatis captiuitate cunctos quos appetit teneat, signis & virtutibus coarctatur. Ipse ergo per se hoc fortiter facit qui contra illum vires nõ fortibus tribuit. Sed quia quos contra eum Dominus mittat insinuat: nunc etiam quid ipsi agant qui mittuntur, adiungit. Sequitur:

Quòd prædicatorum officio (qui de Euangelico talento negociantur) à capite diabolo concidantur, & separentur qui prius ei quasi membra carnea adhærebant. Caput XVI.

22. *Concident eum amici, diuident illum negociatores.*) Leuiathan iste toties conciditur, quoties diuini verbi gladio sua ab illo membra separantur. Iniqui enim cùm verbum veritatis audiunt, & sancto timore perculsi, ab antiqui se hostis imitatione suspendunt: ipse in corpore suo diuiditur, cui hi qui prauè inhæserant, subtrahuntur. Ipsos verò amicos nominat, quos superius ancillas vocat: ipsos etiam negociatores appellat, quos amicos dixerat. Sancti etenim prædicatores prius ancillæ sunt per formidinem, pòst amici per fidem: ad extremum quoq; negociatores per actionem. Ipsis quippe infirmantibus dicitur: Nolite timere pusille grex, quia cõ-
Lucæ 12. placuit patri vestro dare vobis regnum. Ipsis rursum conua-
Ioan. 15. lescẽtibus dicitur: Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis. Ipsis ergo ad ex-
Marci. 16. tremum in negocij operationẽ pergentibus iubetur: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. In prædicatione quippe fidei quasi quoddam negocium geritur dum verbum datur, & fides ab auditoribus sumitur. Quasi quoddam negocium faciunt qui prædicationem prærogant, & à populis fidem reportãt. Fidem impartiunt, & eorum sanctam protinus vitam sumunt. Si enim iustorum prædi-
Psalm. 80. catio negocium non fuisset, profectò Psalmista non diceret: Sumite psalmum, & date tympanum. In tympano etenim corium siccatur vt sonet. Quod est ergo dicere: Sumite psalmum, & date tympanum: nisi accipite spiritale canticum cordis, & reddite temporalem macerationem corporis? Si super-
Prouer. 31. na prædicatio negotium non fuisset, nequaquam sub typo fortis mulieris Salomon de sancta Ecclesia diceret: Sindonẽ fecit & vẽdidit, & cingulum tradidit Chananæo. Quid enim signatur per linteum sindonis, nisi subtilis intextio sanctæ prædicationis? In qua molliter quiescitur: quia mens in illa fidelium spe superna resouetur. Vnde & Petro animalia in linteo demonstrantur: quia peccatorum animæ misericorditer
Actor. 10. aggregatæ, in blanda fidei quiete continentur. Hãc ergo sindonem Ecclesia fecit, & vendidit: quia fidem quam credendo texuerat, loquendo dedit, & ab infidelibus vitam rectæ cõuersationis accepit. Quę & Chananæo cingulum tradidit: quia per vigorem demonstratæ iustitiæ, fluxa opera gentilitatis astrinxit, vt hoc quod præcipitur viuendo teneatur: Sint
Lucæ 12. lũbi vestri præcincti. Prædicatores ergo suos Dominus quærendo ancillas inuenit, permutando amicos facit: ditando negociatores exhibet. Qui enim mundi prius minas infirmi timuerunt, pòst ad cognoscenda diuina consilia ascendunt. Ditati autem virtutibus, vsque ad exercendum fidei negotium perducuntur: vt Leuiathan istius membra increpando atque suadendo tantò seuerius incidant, quantò & amici facti, amori veritatis semetipsos verius copulant: atque ab eo peccantium animas tantò celerius subtrahant, quantò negociatores idonei effecti in semetipsis amplissimas apotheeas virtutum monstrant. Quia enim per prædicatores dei valde laudabiliter à Leuiathan isto res possessa diuiditur, veritatis
Hiere. 15. vox per Prophetã pollicetur, dicẽs: Et si separaueris preciosum à vili, quasi os meum eris. Preciosum quippe à vili separat, qui humanas mentes à reproba antiqui hostis imitatione disiungit, rectè os Dei dicitur: quia per eum proculdubio eloquia diuina formantur. Sequitur.

Quòd sancta Ecclesia prius pelle diaboli, id est infimis impleta sit, deinde capite; id est prudentibus & sapientibus. Prius enim piscatores habuit, deinde per piscatores, philosophos & rethoras, principes & imperatores. Caput XVII.

F *Vnquid implebis sagenas pelle eius: & gurgustium piscium capite illius?*) Quid per sagenas vel gurgustium piscium, nisi
Matth. 13. Ecclesiæ fidelium quæ vnam Ecclesiam catholicam faciunt designatur? Vnde in Euangelio scriptum est: Simile est regnũ cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Regnum cœlorum, scilicet vocatur ecclesia, cuius dum mores dominus ad superna subleuat: iam hæc ipsa in Domino per cœlestem cõuersationem regnat. Quæ rectè etiam sagenæ missę in mare comparatur, ex omni genere pisciũ congreganti: quia missa in hoc gentilitatis seculum, nullũ respuit: sed malos cum bonis, superbos cum humilibus, iracundos cum mitibus, & fatuos cum sapientibus cepit. In pelle verò Leuiathan istius, stultos eius corporis, in capite autem prudentes accipimus. Vel certè pelle quæ est exterius, subditi ad hæc extrema seruientes, capite autem prępositi designãtur. Et bene Dominus seruato ordine, has sagenas vel gurgustium piscium, id est Ecclesiam suam, & vota fideliũ prius se pelle eius, & postmodum capite asserit impleturum, quia (sicut superius diximus) prius elegit infirma, vt pòst confun-
G 1. Corin. 5. deret fortia. Elegit quippe stulta mundi, vt confunderet sapientes. Prius nanque collegit indoctos, & postmodum philosophos, & non per oratores docuit piscatores, sed mira potentia per piscatores subegit oratores. Dicit ergo: Nunquid implebis sagenas pelle eius, aut gurgustium piscium capite illius? subaudis, vt ego, qui intra Ecclesiam fidelium prius quasi pellem diaboli extremos atque infimos colligo, & postmodum caput illius, id est, prudentes mihi aduersarios subdo. Sequitur: *Pones super eum manum tuam?*) Id est, vt ego, qui forti illum potentia reprimens, non plus quàm expediat sęuire permitto: eiusque sęuitiam quantum permisero in electorum meorum vtilitatem retorqueo. Vel certè manum super eum ponere, est virtutis potestate superare. Beato igitur Iob per interrogationem dicitur: Pones super eum manum tuam? ac si apertè diceretur: Nunquid virtute illum propria reprimis? Vnde & aptè mox subditur: *Memento belli, nec vltrà addas loqui.*) Alta dispẽsatio iudiciorũ Dei idcirco sępe
H bene merentes famulos vel minis impetit, vel flagellis premit, vel quibusdam super impositis oneribus grauat, vel laboriosis occupationibus implicat: quia mira potentia præuidet, quòd si quieti ac liberi in tranquillitate persisterent, tentationes ferre aduersarij non valentes, mentis prostrati vulneribus iacerẽt. Dum ergo eos foris tolerãdis flagellis vel oneribus occupat, à suscipiẽdis intus tentationũ iaculis occultat. Moris quippe medicinalis est, vt sæpe feruorem viscerũ in pruriginem cutis trahat, & plerunque inde interius curat, vnde exterius sauciat. Ita nonnunquam diuinæ dispensationis medicamine agitur, vt exterioribus doloribus internum vulnus adimatur, & flagellorum sectionibus repellatur ea, quæ occupare mentem poterat interior putredo vitiorum, & tamen sæpe dum patentis culpæ sibi homines conscij non sunt, & aut doloribus cruciantur, aut laboribus deprimuntur, contra iustum atque omnipotentem iudicem in querelam prosiliunt, scilicet minus intuentes contra quàm fortem aduersarium bellum gerunt. Cuius si intolerabiles vires solicitè attenderent, nequaquam de his quæ exterius tolerant murmurarent. Sed ideo videntur nobis hæc grauia, quia bella

Alta dispẽsatio iudiciorum Dei, cur sæpe famulos suos molestat.

la occulti aduersarij nolumus pensare grauiora. A quibus plerunque bellis (vt diximus) dum flagellamur, defendimur: A dum affligimur, occultamur. Caro enim nostra priusquàm resurrectionis incorruptione solidetur, si nullo mœrore afficitur, in tentationibus effrenatur. Quis autem nesciat quòd multò melius sit ardere flamma febrium quàm igne viriorum? Et tamen cùm febre corripimur, quia vitiorum æstum qui occupare nos poterat, considerare negligimus, de percussione murmuramus. Quis nesciat quòd multò melius sit duris in seruitio hominibus subiici, quàm blandientibus dæmoniacis spiritibus subdi? Et tamen cùm alto Dei iudicio iugo humanæ conditionis atterimur, in querelam prosilimus: nimirum quia minus attendimus quòd si nos nulla conditio seruitutis opprimeret, fortasse mens nostra multis iniquitatibus peius libera deseruiret. Ideo ergo hæc quæ toleramus, grauia credimus: quia bella hostis callidi quàm sint contra nos dura atque intolerabilia non videmus. Menti enim nostræ omne pondus vilesceret, si ea quæ se opprimere poterant, occulti aduersarij bella pensaret. Quid enim si omnipotens Deus o- B nera quæ patimur subleuet, sed tamen sua nobis adiutoria subtrahat, & inter Leuiathan istius nos tentamenta derelinquat? Sæuiente tanto hoste quò ibimus, si nullis authoris nostri protectionibus defendamur? Quia ergo beatus Iob culpæ sibi conscius non erat, & dura tamẽ flagella tolerabat, ne fortasse in vitio murmurationis excedat, memoretur quòd timeat, & dicatur ei:

Quòd qui tentamenta vel percussiones diaboli diligenter considerat, & illud bellum mente retractat, de flagellis & percussionibus Dei, quæ sunt correctio vel disciplina, si filius est, nequaquam murmurat. Caput XVIII.

M*Emento belli, nec vltrà addas loqui.*) Ac si ei apertè diceretur: Si occulti hostis contra te bellum consideras quicquid à me pateris, non accusas. Si impetentem te aduersarij gladium prospicis, flagellũ patris nullatenus perhorrescis. Vides enim quali flagello te ferio, sed intueri negligis, à quanto C te hoste flagellando liberum seruo. Memento ergo belli, nec vltrà addas loqui: id est, tanto te ad disciplinam patris exhibe tacitum, quantò te prospicis ad bella hostis infirmum. Dum ergo me corripiente percuteris, vt æquanimiter feras, hostem tuum ad memoriam reuoca, & durũ non æstimes omne quod pateris, dum externis cruciatibus ab interna passione liberaris. Quia autem Leuiathan iste de diuina misericordia falsa sibi promissione blanditur, postquam terrorem fortitudinis eius intulit, & beati Iob animum in eius circunspectione commouit, dicens: Memento belli nec vltrà addas loqui, vt irremissibilem reatum eius ostenderet, ilico adiunxit:

Quod iudicium vltimum sine misericordia sit. Caput XIX.

24. E*Cce spes eius frustrabitur eum.*) Quod sic de eo debet intelligi, vt referri etiam ad illius corpus possit: quia iniqui omnes qui districtionem iustitiæ diuinæ non metuunt, incassum
Incassum sperat, qui Deum non timet. sibi de misericordia blandiuntur. Mox que ad consolationem D nostram rediens, extremi iudicij futurum eius interitum prænunciat dicens: *Et videntibus cunctis præcipitabitur.*) Cunctis enim videntibus præcipitabitur, quia æterno tunc iudice terribiliter apparente, astantibus legionibus angelorum, asistente cuncto ministerio cœlestium potestatum, atque electis omnibus ad hoc spectaculum deductis, ista belua crudelis & fortis in medium captiua deducitur, & cum suo corpore, id est, cum reprobis omnibus æternis gehennæ incendiis mancipa-
Matth. 25. tur, cùm dicitur: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius. O quale erit illud spectaculum, quando hæc immanissima bestia electorũ oculis ostẽditur, quæ hoc belli tempore nimis illos terrere potuerat, si videretur. Sed occulto ac miro Dei consilio agitur, vt & nunc per eius gratiam à pugnantibus non visa vincatur, & tũc à lætis victoribus iam captiua videatur. Tũc autem iusti diuino adiutorio quantum debitores sunt, plenius recognoscunt: quando tam fortem bestiam viderunt, quam nũc infirmi vicerunt: & in hostis sui immanitate conspiciũt, quantum debeãt gratiæ defensoris sui. Redeunt enim de hoc prælio tũc milites nostri virtutũ trophęa referentes: & receptis corporibus, cùm iam in illo iudicio cœlestis regni introitũ sortiuntur, prius [illegible] manissimas vires huius antiqui serpẽtis aspiciunt, ne [illegible] ment quod euaserunt. Bene ergo dicitur: Et videntibus cu[illegible]ctis præcipitabitur: quia visa mors eius tũc gaudium ex[illegible] cuius tolerata vita, nunc iustis quotidie in cruciatibus bel[illegible] mouet. Sed audientes ista, ac si protinus quereremur D[illegible] no dicentes: Domine qui Leuiathan istum tantæ esse fo[illegible]dinis non ignoras, eum in certamine infirmitatis nostræ cu[illegible] suscitas? ilico adiunxit:

Caput Quadragesimum primum textus libri beati Iob.

NOn quasi crudelis suscitabo eum. Quis enim resistere potest vultui meo, & quis antè dedit mihi, vt reddam ei? Omnia quæ sub cœlo sunt, mea sunt. Non parcam ei verbis potentibus, & ad deprecãdum compositis. Quis reuelabit faciem indumenti eius, & in medium oris eius quis intrabit? Portas vultus eius quis aperiet? Per gyrum dentium eius formido: corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus. Vna vni coniungitur: & ne spiraculum quidem incedit per eas. Vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur. Sternutatio eius splendor ignis, & oculi eius vt palpebræ diluculi. De ore eius lampades procedunt sicut tædæ ignis accensæ. De naribus eius procedit fumus sicut ollæ succensæ atque feruentis. Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur. In collo eius morabitur fortitudo, & faciem eius præcedet egestas. Membra carnium eius cohærẽtia sibi. Mittet cõtra eum fulmina, & ad locum alium non ferẽtur. Cor eius indurabitur tanquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus. Cùm sublatus fuerit, timebunt angeli, & territi purgabuntur. Cùm apprehẽderit eum gladius, subsistere nõ poterit, neque hasta neque thorax. Reputabit enim quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum æs. Non fugabit eum vir sagittarius. In stipulam versi sunt ei lapides fundæ. Quasi stipulã æstimabit malleum, & deridebit vibrantem hastam. Sub ipso erunt radij Solis, & sternet sibi aurum quasi lutũ. Feruescere faciet quasi ollam profundum maris, & ponet quasi cùm vnguenta bulliunt. Post eum lucebit semita. Aestimabit abyssum quasi senescentem. Non est super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est vt nullum timeret. Omne sublime videt. Ipse est rex super vniuersos filios superbiæ.

Quòd non crudeliter sed rationabiliter Deus agit cum diabolo, qui iusto iudicio electos recipit, & impios damnat. Caput XX.

N*On quasi crudelis suscitabo eum.*) Et velut si mox à nobis causa rationis quæreretur, quomodo non eum quasi 25.
crudelis suscitas, quem scimus quia tentas inuadere & deuo- *Quomodo Dominus*
rare permittis? statim subdidit dicens: Quis enim resistere po- *suscitat diabolum.*
test vultui meo? & quis antè dedit mihi vt reddam ei?) Quibus duobus versibus & virtutem suæ potentiæ, & omne pondus rationis expleuit. Nam propter potentiã dixit: Quis enim *Hiere. 50. & 49.*
potest resistere vultui meo? Et propter rationem subdidit: Quis antè dedit mihi vt reddam ei? ac si diceret: Non eum quasi crudelis suscito: quia de eius fortitudine & electos meos potenter eripio, & rursum reprobos non iniustè sed rationabiliter damno: id est, & eos quos benignè eligo, eripere mirabiliter possum, & eos quos respuo, non iniustè derelinquo. Nemo quippe vt diuina illum gratia subsequatur, prius aliquid contulit Deo. Nam si nos Deũ bene operando præuenimus, vbi est quod Propheta ait: Misericordia eius præue- *Psalm. 58.*
niet me? Si quid nos bonæ operationis dedimus, vt eius gratiã

Ephe.2. mereremur, vbi est quod Apostolus dicit: Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus? Si nostra dilectio Deum præuenit, vbi est quod
1.Ioan.4. Ioannes Apostolus dicit: Non quia nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos? vbi est quod per Oseam Do-
Oseæ.14. minus dicit: Diligam eos spontaneè? Si sine eius munere nostra virtute Deum sequimur, vbi est quod per Euangelium
Ioan.15. veritas protestatur dicens: Sine me nihil potestis facere? Vbi est quod ait: Nemo potest venire ad me nisi pater qui misit
Ioan.6. me, traxerit eum? Vbi est quod iterum dicit: Non vos me e-
Ioan.15. legistis, sed ego elegi vos? Si saltem dona bonorum operum virtute nostra bene cogitãdo præuenimus, vbi est quod rursum per Paulum tam salubriter dicitur, vt omnis de se humanæ mentis fiducia ab ipsa cordis radice succidatur, cùm dicit:
2.Corint.3. Non quia sufficientes sumus aliquid cogitare à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est? Nemo ergo Deum meritis præuenit, vt tenere eum quasi debitorem possit: sed miro modo æquus omnibus conditor, & quosdam præeligit, & quosdam in suis prauis moribus iustè derelinquit. Nec tamen electis suis pietatem sine iustitia exhibet, quia hîc eos duris afflictionibus premit: nec rursum reprobis iustitiam sine misericordia exercet, quia hîc æquanimiter tolerat, quos quãdoque in perpetuum damnat. Si ergo & electi præuenientem se gratiam sequuntur, & reprobi iusta quod merentur, accipiunt: & de misericordia inueniunt electi quod laudent, & de iustitia non habent reprobi quod accusent. Bene itaque dicitur: Quis antè dedit mihi, vt reddam ei? ac si apertè diceretur: Ad parcendum reprobis nulla ratione compellor: quia eis debitor ex sua actione non teneor. Idcirco enim nequaquam in cœlestis patriæ præmia æterna percipiunt: quia ea nunc dum promereri poterant, ex libero arbitrio contempserunt. Quod videlicet liberum arbitrium in bono formatur electis, cum eorum mens à terrenis desideriis gratia aspirante
26 suspenditur. Bonum quippe quod agimus, & Dei est & nostrum: Dei per præueniẽtem gratiam, nostrum per obsequentem liberam voluntatem. Si enim Dei non est, vnde ei gratias in æternum agimus? Rursum si nostrum non est, vnde nobis retribui præmia speramus? Quia ergo non immeritò gratias agimus, scimus quòd eius munere præuenimur: & rursum quia nõ immeritò retributionem quærimus, scimus quòd subsequente libero arbitrio bona elegimus quæ ageremus. Sequitur: *Omnia quæ sub cœlo sunt, mea sunt.*) Omnibus liquet quòd non solùm ea quæ sub cœlo sunt, sed ipsa quoque quæ super cœlos condita cœlestia vocantur, eius voluntati seruiunt, à quo se creata esse meminerunt. Cur ergo tantummodo de inferioribus loquens ait: Omnia quæ sub cœlo sunt, mea sunt? Sed quia de Leuiathan loquitur, qui iam non in ætherei cœli sede continetur, cuncta quæ sub cœlo sunt, asserit sua esse: vt eum quoque qui de cœlo cecidit, suæ doceat potestati seruire. ac si diceret: Leuiathan iste beatitudinem quidem meam perdidit, sed dominium non euasit: quia & ipsæ mihi potestates inseruiunt, quę mihi prauis actionibus aduersantur. Sequitur:

Quòd in extremo examine vel etiam in præsenti Ecclesiæ frustra fundatur oratio, quam bona actio non præcedit: & quòd virtus orationis non sit in verbo, sed in perseuerantia compunctionis.

Caput XXI.

N*On parcam ei verbis potentibus, & ad deprecandum compositis.*) Quis hoc, quod legisse se nequaquam nouit, existimet: quia culparum suarum diabolus sit veniam petiturus? Sed ille fortasse homo quem Leuiathan iste in mundi termino vas sibi proprium facit, quem attestante Paulo, Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui, territus tantæ maiestatis præsentia: quia exercere vires suas non valet, ad preces inclinatur. Quod tamen de eius corpore, id est iniquis omnibus intelligi aptius potest, qui serò ad petitionum verba veniunt: quia nunc exequi facta cõtemnunt. Vnde per Euangelium veritas dicit: Nouissimè veniunt &
Matth.25. reliquæ virgines, dicẽtes: Domine Domine aperi nobis. Quibus ilicò respondetur: Amen dico vobis, nescio vos. Sed cùm verba potentia ad deprecandum componere dicitur: vrget magis, vt quod de eius corpore in futuro diximus, in hoc tẽ-
27 pore sentiamus. Sunt nanque intra sanctam Ecclesiam non-

E nulli, qui prolixas ad Dominum preces habent, sed vitam deprecantium non habent: nam promissa cœlestia petitionibus sequuntur, operibus fugiunt. Hi nonnunquam etiam lachrymas in oratione percipiunt, sed cùm post orationis tempora eorũm mentem superbia pulsauerit, ilico in fastu elationis intumescunt. Cùm auaritia instigat, mox per incẽdia auidæ cogitationis exæstuant. Cùm luxuria tentauerit, in illicitis protinus desideriis anhelant. Cùm ira suaserit, mox mansuetudinem mẽtis flamma insaniæ concremat. Vt ergo diximus, & fletus in prece percipiunt, & tamen expletis precibus, cùm vitiorum suggestione pulsantur, nequaquam pro æterni regni desiderio se fleuisse meminerunt. Quod apertè de se Ba-
Numer.23. laam innotuit, qui iustorum tabernacula conspiciens ait: Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia. Sed cùm compunctionis tempus abscessit, contra eorum vitam quibus se similem fieri etiam moriendo poposcerat, consilium præbuit: & cùm occasionem de auaritia reperit, ilico oblitus est quicquid sibi de innocentia optauit.
F Virtutis igitur pondus oratio non habet, quam nequaquam perseuerantia continui amoris tenet. Quo cõtra bene de An-
1.Regi.1. na flente perhibetur: Vultúsque eius non sunt amplius in diuersa mutati: quia videlicet mens eius nequaquam post preces inepta lætitia lasciuiẽdo perdidit, quod orationis suæ tempore gemituum rigore exquisiuit. Nonnullis verò in vsum negotiationis vertitur labor orationis. De quibus in Euange-
Matth.12. lio veritas dicit: Deuorant domos viduarum sub obtẽtu prolixæ orationis. Hi accipient prolixius iudicium. Quia ergo iniquorum petitionibus qui Leuiathã istius corpus sunt, nullo modò parcitur, cùm eorum preces opere destruuntur, rectè nunc dicitur: Non parcam ei, & verbis potentibus ad deprecandum compositis: quia & per hoc quòd verba potentia & ad deprecandum composita referuntur, apertè inanitas orationis ostenditur. Veraciter nanque orare, est amoris in
compunctione gemitus, & non composita verba resonare.

Sed quia antiquus hostis quò districtius frangitur, eò ne- 28
G quius per multiplicia argumenta dilatatur: cuius tamen insidias Dominus quantò subtilius occultari considerat, tantò nobis misericordius manifestat, rectè subiungitur.

Quòd diabolus reprobos patenter ad quæcunque flagitia vocat, cum sanctis verò in malitiæ suæ consiliis aliter agit, & suggesturus peßima transfigurat se in Angelum lucis.

Caput XXII.

Q*Vis reuelabit faciem indumenti eius?*) Leuiathan iste aliter religiosas hominum mẽtes, aliter verò huic mundo deditas tentat: nam prauis mala quæ desiderant, apertè obiicit: bonis autem latenter insidians, sub specie sanctitatis illudit. Illis velut familiaribus suis iniquum se manifestius insinuat. Istis verò velut extraneis cuiusdam quasi honestatis prætextu se palliat, vt mala quæ eis publicè non valet, tecta bonæ actionis velamine subintromittat. Vnde & membra eius sæpe cùm aperta nequitia nocere non possunt, bonæ actionis habitum sumunt: & praua quidem se opere exhibent, sed sancta specie mentiuntur. Iniqui enim si apertè mali essent, à bonis
H recipi omnino non possent: sed sumunt aliquid de visione bonorum, vt dum boni viri in eis recipiunt speciem quam amant, permixtũ sumant etiam virus quod vitant. Vnde quos-
2.Corint.15. dam Paulus Apostolus intuens sub prædicationis velamine ventris studjo seruientes, ait: Ipse enim satanas transfigurat se in angelum lucis. Quid ergo mirum se ministri eius transfigurantur velut ministri iustitiæ? Hanc transfigurationem
Iosue.5. Iosue timuit, quando videns Angelum, cuius esset partis inquisiuit, dicens: Noster es, an aduersariorum? vt videlicet si aduersæ virtutis esset, eo ipso quo se suspectum cognosceret, ab iliusione resiliret. Quia ergo Leuiathan iste in eo quòd iniquitatis opus molitur, sæpe specie sanctitatis induitur: & quia nisi per diuinam gratiam simulationis eius detegi indumenta non possunt, bene dicitur: Quis reuelabit faciem indumenti eius? subaudis, nisi ego, qui seruorum meorum mentibus gratiam subtilissimæ discretionis inspiro, vt reuelata malitia faciem eius nudam videant, quam coopertam ille sub habitu sanctitatis occultat. Et quia aliquando fidelium mentes corrumpere ostensione sua, aliquando suggestione conatur, agit enim modò opere, modò persuasione, rectè subiungitur:

Et in

Et in medium oris eius quis intrabit?) Subaudis, nisi ego, qui per A discretas electorum mentes suggestionum eius verba discutio, & non ita hæc esse vt sonuerunt manifesto. Bonum nanque videntur promittere, sed ad perditum finem trahunt. In medium igitur oris eius intrare, est calliditatis eius verba penetrare, vt nequaquam pensetur quid resonant, sed quò intendant. Intrare Adam in medium oris eius voluit, quando intentionem persuasionis illius cautè pensare neglexit: diuinitatem quippe se per illum accipere credidit, & immortalitatem amisit. Vnde ergo ab intellectu verborum eius incautè exterius stetit, inde se ori illius deuorandum funditùs præbuit. Sequitur:

Quòd pseudoprædicatores, & falsæ persuasionis doctrina & secularium violentia potestatum vtantur.

Caput XXIII.

P*Ortas vultus eius quis aperiet?*) Portæ vultus eius sunt iniqui doctores, qui idcirco portæ vultus eius vocati sunt: quia per ipsos quisque ingreditur, vt Leuiathan iste quasi in potestatis suæ principatu videatur. Sicut enim scriptura sacra san- B
ctos viros portas Sion vocare consueuit, Sion quippe speculatio interpretatur, & non immeritò prædicatores sanctos viros portas Sion dicimus: quia per eorum vitam atque doctrinam abscondita supernæ contemplationis intramus: ita etiam portis Leuiathan istius errorum magistri signantur, quorum dum prædicatio peruersa recipitur, miseris auditoribus via perditionis aperitur. Sed portæ istæ ante oculos hominum plerunque ad introducendum quidem apertæ sunt, sed tamen ad deprehendendum clausæ: quia recta in specie exhibent, sed opere praua persuadent. Ad deprehendendum ergo clausæ sunt: quia ne intrinsecus cognosci valeant, exteriori simulatione muniuntur. Quas tamen mira potentia Dominus aperit: quia electis suis hypocritarum mentes comprehensibiles facit. Portas ergo vultus eius quis aperiet? subaudis, nisi ego, qui electis meis magistros errorum sub specie sanctitatis absconditos, perspicua cognitione manifesto. Et quia anti-
christus veniens, ipsas etiam summas huius seculi potestates C
obtinebit, qui duplici errore fæuiens conatur ad se corda hominum & missis prædicatoribus trahere, & commotis potestatibus inclinare, bene de Leuiathan isto Dominus subdidit, dicens: *Per gyrum dentium eius formido.*) Mutato nanque no-
29. *Dentes Leuiathan.* mine, hos eius dentes insinuare aliter voluit, quos superius portas vocauit. Peruersi enim prædicatores portæ eius sunt: quia ingressum perditionis aperiunt. Dentes eius sunt: quia eos quos in errore capiunt, à veritatis soliditate confringunt. Sicut enim sanctæ Ecclesiæ dẽtes accipimus eos, qui prædicationibus suis peccantium duritiam conterunt, vnde ei per Salomonem dicitur: Dentes tui sicut greges detonsarum ascen-
Canti.4. dentium de lauacro, qui non immeritò detonsis ac lotis ouibus comparantur: quia innocuam vitam sumentes, in lauacro baptismatis conuersationis pristinæ vellera vetusta posuerunt: ita etiam dentibus Leuiathan istius errorum magistri figurantur: quia reproborum vitam mordendo dilaniant, & eos à veritatis integritate subductos in sacrificio falsitatis mactant. Quorum quidem prædicatio facilè despici ab auditori-
D bus poterat: sed hanc ante humana iudicia adiunctus secularium potestatum terror exaltat. Rectè ergo dicitur: Per gyrũ dentium eius formido: id est, iniquos prædicatores antichristi peruersæ huius seculi protegunt potestates. Nam quos illi appetunt loquẽdo seducere, multi potentium student sæuiẽdo terrere. Per gyrũ ergo dentiũ eius formido est: ac si apertè diceretur: Idcirco isti peruersi prædicatores aliquos suadẽtes conterunt: quia circa ipsos sunt alij qui infirmorum mentes terrentes affligunt. Quale itaque illud tempus persecutionis apparebit, quando ad peruertendam fidelium pietatem, alij verbis sæuiunt, alij gladiis? Quis enim etiam infirmus Leuiathan istius dentes non despiceret, si non eos per circuitum potestatum secularium terror muniret? Sed duplici contra eos calliditate agitur: quia quod eis ab aliis verbis blandientibus dicitur, hoc ab aliis gladiis ferientibus imperatur. Quæ vtrorumque actio, id est, potentium atque loquentium, in Ioan-
Apoc.9. nis Apocalypsi breui est sententia comprehensa, qua dicitur: Potestas equorum in ore & in caudis eorum erat. In ore nanque doctorum, scientia: in cauda verò secularium potentia figuratur. Per caudam quippe quæ retrò est, huius seculi post- *Philip.3.*
ponenda temporalitas designatur, de qua Paulus apostolus dicit: Vnum autem, quæ retrò sunt oblitus, ad ea quæ antè sunt extentus. Retrò enim est omne quod transit, antè verò est omne quod veniens permanet. Istis ergo equis, id est, nequissimis prædicatoribus vbique carnali impulsu currentibus in ore & in cauda potestas est: quia ipsi quidem peruersa suadenda prædicant, sed temporalibus potestatibus fulti, per ea se quæ retrò sunt, exaltant. Et quia ipsi apparere despicabiles possunt, ab iniquis auditoribus suis per eos sibi reuerentiam exigunt, quorum patrociniis fulciuntur. Vnde hîc quoque non immeritò per gyrum dentium eius formido inesse describitur: quia multis terroribus agitur, vt in peruersis eorum prædicationibus & si non veritatis sententia, certè temporalis potentia timeatur. Vnde bene eundem antichristum Psalmi-
Psalm.9. sta descripsit dicens: Sub lingua eius labor & dolor, sedet in insidiis cum diuitibus in occultis. Propter enim peruersa dogmata sub lingua eius labor & dolor est, propter miraculorum verò speciem sedet in insidiis, propter secularis autem potestatis gloriã, cum diuitibus in occultis. Quia enim simul & miraculorum fraude & terrena potestate vtitur, & in occultis, & cum diuitibus sedere perhibetur.

Quòd reprobi scuto defensionis corripientium se verba repellunt, & concordi pertinacia alterna se adinuicem defensione tuentur.

Caput XXIIII.

C*Orpus illius quasi scuta fusilia.*) Sacra scriptura scuti nomine aliquando vti in parte prospera, aliquando in aduersa consueuit. Nam sæpe scuti defensio pro diuina protectione
ponitur, nonnunquam verò pro humana repugnatione memoratur. Pro diuina enim protectoine ponitur, sicut per Psal- *Psalm.5.*
mistam dicitur: Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. Scuto nos Dominus coronare perhibetur: quia quos protegens adiuuat, remunerans coronat. Rursum pro humana repugnatione per eundem prophetam scutum ponitur, sicut a-
libi ait: Ibi confregit cornua, arcum, scutum, gladium & bel- *Psalm.75.*
lum. In cornibus quippe elatio superborum, in arcu enim insidiæ longè ferientium, in scuto autem obstinata duritia defensionum, in gladio vicina percussio, in bello verò ipsa contra Dominum mentis motio designatur. Quod nimirum totum in sancta Ecclesia confringitur, dum mentes Deo resistentium, superposito iugo humilitatis edomantur. Hinc rursum per eundem Psalmistam dicitur: Arcum conteret, & con-
fringet arma, & scuta comburet igni. Arcum enim Dominus *Psalm.40.*
conterit, cùm occulta insidiantium machinamenta dissoluit. Arma confringit, cùm ea quæ contra se erecta fuerant patrocinia humana comminuit. Scuta igni comburit, cùm peccantium mentes obstinata se duritia defendentes ad pœnitentiæ & confessionis ardorem sancti spiritus calore succendit.

Quod verò in hoc loco corpus Leuiathan istius scutis fu- 30.
silibus comparatur, perscrutandum nobis innuitur; quia durum quidem, sed tamen cùm labitur, fragile solet esse vas omne quod fusile est. Scuta ergo si sunt fusilia, in suscipien-
D da sagittarum percussione robusta sunt, sed casu fragilia. Ictu quidem ferientium minimè penetrantur, sed suo se lapsu per fragmenta dissoluunt. Corpus ergo Leuiathan istius, id est, omnes iniqui; quia per obstinationem duri sunt, sed per vitam fragiles, scutis fusilibus comparantur. Cùm enim verba prædicationis audiunt, nulla correptionis iacula se penetrare permittunt: quia in omni peccato quod faciunt, scutum superbæ defensionis opponunt. Nam cùm talium quisque de reatu suæ iniquitatis arguitur, non mox cogitat quomodo culpam corrigat, sed quid in adiutorio suæ defensionis opponat. Nulla igitur veritatis sagitta penetratur: quia verba sanctæ correctionis in scuto excipit superbę defensionis. Vnde bene de Iudæis contra præcepta Domini superba se defensione tuẽtibus per Hieremiã dicitur: Reddes eis vicẽ Domine iuxta *Threno.3.*
opera manuum suarum. Mox que eandem vicem expressius subdidit dicens: Dabis eis scutum cordis laborẽ tuum. Labor quippe Domini apparens inter homines passibilis eius humanitas fuit, quã Iudæi superbè sapientes dũ cernerent, despexerunt: eúmque immortalẽ credere dedignati sunt, quem natura passibili mortalem viderunt. Cúmque eius humilitatẽ con-

spicerent, superbię fastibus obdurati, summa cura moliti sunt, ne eorum mentes sancta prædicantium verba penetrarent. Dum ergo eis Dominus vicem malorum operum redderet, dedit illis scutum cordis laborem suum: quia recto iudicio inde illos cōtra se superbè obstinatos exhibuit, vnde ipse pro nobis in infirmitate laborauit. Repulerunt quippe à se verba prædicantium: quia dedignati sunt in Domino infirma passionum. Laborem igitur Domini contra eundem Dominum scutum cordis habuerunt: quia superba sapientibus eo despe-
31 ctus apparuit, quo propter eos humilis fuit. Hoc scutum, sicut iam superius diximus, primus ille peccator tenuit, qui requirente Domino cur lignum vetitum contigisset, non ad se culpam retulit, sed à muliere quam Dominus dederat, se accepisse respondit, vt quasi reatum suum obliquè in authorem relideret, qui ei mulierem dederat, quæ talia persuaderet. Hoc scutum etiam requisita mulier tenuit, quãdo neque ipsa ad se culpam retulit, sed serpentis illud persuasionibus replica-
Gene. 3. uit, dicens: Serpens decepit me, & comedi: vt ipsa quoque reatum suum obliquè in creatorem reduceret, qui illuc intrare serpentem persuasurum talia permisisset. Serpens verò iam non requiritur, quia nec eius pœnitentia quærebatur. Hi autem quorum pœnitentia quæsita est, scutum nequissimæ defensionis contra iustissimæ correptionis verba protulerunt. Vnde nunc vsq; in vsum peccantium trahitur, vt culpa cùm arguitur defendatur: & vnde finiri reatus debuit, inde cumuletur. Bene ergo dicitur: Corpus illius quasi scuta fusilia: quia omnes iniqui ne ad se corripientium verba perueniant, quasi contra aduersariorum iacula scuta defensionum parãt. Quod videlicet eius corpus adhuc nobis expressius detegit, dum subiungit: *Compactum squamis se prementibus.*) Fertur quia draconis corpus squamis tegitur, ne citius iaculatione vllius penetretur. Ita corpus omne diaboli, id est multitudo reproborum cùm de iniquitate sua corripitur, quibus valet tergiuersationibus se excusare conatur, & quasi quasdam defensionis squamas obiicit, ne transfigi sagitta veritatis possit. Quisquis enim dum corripitur, peccatum suum magis excusare appetit quàm deflere, quasi squamis tegitur, dum à sanctis prædicatoribus gladio verbi iaculatur. Squamas habet, & idcirco ad eius præcordia transeundi viam verbi sagitta non habet. Duritia enim carnali repellitur, ne spiritalis ei gladius infigatur. Carnali sapientia contra Deum Saulus obduruerat, quando cor eius nulla prædicationis Euangelicæ sagitta penetrabat. Sed postquam forti cœlitùs increpatione iaculatus & superno respectu cæcatus est, lumen quippe vt acciperet, amisit: ad Ananiam veniens illuminatur. In qua illuminatione quia defensionum suarum duritia caruit, bene de eo scriptum est: Ce-
Acto. 9. ciderunt quasi squamæ ab oculis eius. Carnalis videlicet tegumenti illum duritia presserat, & idcirco radios veri luminis non videbat. Sed postquam superbæ repugnationes eius victæ sunt, defensionum eius squamæ ceciderunt corporis, sed antè iam sub dominica increpatione ceciderant ab oculis cordis. Cùm enim altæ inuectionis iaculo confossus iaceret, humili iam & penetrato corde requirebat dicens: Domine quid
Ibidem. me vis facere? Repulsis videlicet squamis, iam ad cordis viscera veritatis sagitta peruenerat, quando deposita elatione superbiæ eum, quem impugnauerat Dominum confitens, & quid ageret nesciens requirebat. Intueri libet vbi est sæuus il-
32 le persecutor, vbi lupus rapax. Ecce in ouem iam versus est qui percunctatur pastoris semitam quam sequatur. Et notandum quòd cùm diceret: Quis es Domine? non ei à Domino respondetur: Ego sum vnigenitus patris, ego principium, ego verbum ante secula. Quia enim Saulus incarnatum Dominum credere contemnebat, & eius humanitatis infirma despexerat, de cœlo hoc quod contempserat audiuit: Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris, ac si diceret: Hoc à me audi de superioribus, quod in me de inferioribus despicis. Authorem cœli venisse despexeras in terram, ex terra ergo hominem cognosce de cœlo, vt tantò in me amplius sacramenta infirmitatis metuas, quantò & hæc perducta in cœlestibus ad excellentiam potestatis probas. Prosternens igitur te, nequaquam tibi hoc astruo quòd ante secula Deus sum, sed illud à me audis quod de me credere dedignaris. Postquã enim dixit Iesus, adhuc in expressione terrenæ inhabitationis subdidit, Nazarænus: velut si apertius diceretur: Humilitatis meæ infirma suscipe, & tuæ superbiæ squamas amitte. Sciendum tamen est quòd istæ defensionum squamæ quanuis penè omne humanum genus contegant, hypocritarum tamen specialiter & callidorum hominum mentes premunt. Ipsi etenim culpas suas tantò vehementius confiteri refugiunt, quantò se citius videri ab hominibus peccatores erubescunt. Correpta itaq; sanctitatis simulatio & malitia occulta deprehensa, squamas obiicit defensionis, & veritatis gladium repellit. Vnde bene per Prophetam contra Iudæam dicitur: Ibi cubuit la- *Esaiæ. 34.*
mia, & inuenit sibi requiem, ibi habuit foueam hericius. Per lamiam quippe hypocritæ, per hericium verò malitiosi quique, qui diuersis se defensionibus contegunt, designantur. Lamia etenim humanam habere dicitur faciem, sed corpus bestiale. Sic & omnes hypocritæ in prima facie quod ostendunt, quasi ex ratione sanctitatis est, sed bestiale est corpus quod sequitur: quia valde iniqua sunt, quæ sub boni specie moliuntur. Hericij autem nomine, malitiosarum mētium defensio designatur: quia videlicet hericius cùm apprehenditur, eius & caput cernitur, & pedes videntur, & corpus omne conspicitur, sed mox vt apprehensus fuerit, semetipsum in sphæram colligit, pedes introrsus subtrahit, caput abscondit: & intra tenentis manum totum simul amittitur, quod totum simul antè videbatur. Sic nimirum sic malitiosæ mentes sunt, cùm in suis excessibus comprehenduntur. Caput enim hericij cernitur: quia quo initio peccator ad culpam accesserat, videtur. Pedes hericij conspiciuntur: quia quibus vestigiis nequitia sit perpetrata cognoscitur, & tamen adductis repente excusationibus malitiosa mens introrsus pedes colligit: quia cuncta iniquitatis suæ vestigia abscondit. Caput subtrahit, qui miris defensionibus nec inchoasse sed prauum aliquid ostendit, & quasi sphæra in manu tenentis remanet: quia is qui corripit, cuncta quæ iam cognouerat, subitò amittens, inuolutum intra consciētiam peccatorem tenet, & qui totum iam deprehendendo viderat, tergiuersatione prauæ defensionis illusus, totum pariter ignorat. Foueam ergo hericius in reprobis habet: quia malitiosa mens sese intra se colligens, in tenebris defensionis abscondit. Sed in hoc quòd se peccator excusat, in hoc quòd caliginosis defensionibus fixum in se oculum corripientis obnubilat, diuinus nobis sermo etiam quomodo à similibus fulciatur, ostendat. Sequitur: *Vna vni* 33
coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas.) Istæ squamæ peccantium ne ab ore prædicantium aliquo vitæ spiraculo penetrentur, & obduratæ sunt & coniunctæ. Quos enim similis reatus sociat, concordi pertinacia etiam defensio peruersa constipat, vt de facinoribus suis alterna se inuicem defensione tueantur. Sibi enim quisq; metuit, dum admoneri vel corrigi alterum cernit, & idcirco contra corripientium verba vnanimiter assurgit: quia se in altero protegit. Bene ergo dicitur: Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas: quia in iniquitatibus suis dum vicissim superba defensione protegunt, sanctæ exhortationis spiracula ad se nullatenus intrare permittunt. Quorum pestiferam concordiam adhuc apertius subdidit, dicens: *Vnâ alteri adhærebunt, & tenentes se nequaquam separabuntur.*) Qui enim diuisi corrigi poterant, in iniquitatum suarum pertinacia vniti perdurãt, & tantò magis quotidie à cognitione iustitiæ separabiliores sunt, quantò à se inuicem nulla increpatione separantur. Nam sicut esse noxium solet si vnitas desit bonis, ita perniciosum est si non desit malis. Peruersos quippe vnitas corroborat, dum concordat: & tantò magis incorrigibiles, quantò vnanimes facit. De hac vnitate reproborum per sapientem dicitur: *Eccle. 21.*
Stuppa collecta synagoga peccantium. De hac Naum Pro- *Naum. 1.*
pheta ait: Sicut spinæ inuicem se complectuntur, sic conuiuium eorum pariter potantium. Conuiuium nanque reproborum est delectatio temporalium voluptatum. In quo nimirum conuiuio pariter potant, qui delectationis suæ illecebris se concorditer debriant. Igitur quia membra Leuiathan istius, id est, iniquos omnes quos Dei sermo squamarum cōpactionibus comparat, ad defensionem suam par culpa concordat, bene dicitur: Vnâ alteri adhærebunt, & tenentes se nequaquam separabũtur. Tenentes enim se separari nequeũt: quia eo ad defensionem suam vicissim constricti sunt, quo se sibi per

sibi per omnia similes esse meminerunt. Descripto itaque eius corpore, ad caput sermo reducitur, & quid per semetipsum extremæ persecutionis tempore antiquus hostis exerceat, nunciatur. Nam sequitur:

Quòd in extrema iudicij commotione antichristus in signis & miraculis tantus erit, vt à multis Christus æstimetur.
Caput XX.

34. STernutatio eius splendor ignis.) Quod melius exponimus, si prius sternutatio quomodo agatur, indagemus. In sternutatione quippe inflatio à pectore exurgit, quæ cum apertos ad emanandum poros non inuenit, cerebrum tangit, & congesta per nares exiens, totum caput protinus concutit. In hoc itaque Leuiathan corpore, id est, siue in malignis spiritibus, siue in reprobis hominibus, qui illi per similitudinem iniquitatis inhæserunt, quasi inflatio surgit à pectore, dum elatio se erigit ex præsentis seculi potestate. Quæ quasi ad emanandum poros non inuenit: quia in hoc quòd contra iustos extollitur, disponente Deo quantum appetit præualere prohibetur. Exurgens autem cerebrum tangit & concutit: quia collecta elatio satanæ, sensum in fine mundi arctius percutit, & caput turbat, dum ipsum authorem malignorũ spirituum per eum qui antichristus dicitur, in persecutione fidelium vehementius excitat. Tunc congesta inflatio per eius nares egreditur: quia tota superbiæ eius iniquitas apertis malitiæ flatibus demōstratur. Quia ergo sternutatio caput maximè cōcutit, Leuithan istius sternutatio vocatur illa eius extrema cōmotio, qua damnatum hominem ingreditur, & per eum reprobis principatur. Qui tanta tunc virtute se cōmouet, vt mēbra Domini, si potest fieri, etiam electa perturbet, tantis signis & prodigiis vtitur, vt miraculorum potentia quasi quodam ignis lumine resplēdere videatur. Quia ergo commotũ caput illius miraculis clarescere nititur, rectè eius sternutatio splendor ignis vocatur. In eo enim quòd se ad persequendos iustos commouet, ante reproborum oculos signorum virtutibus lucet. Et quia eius tyrannidi sapientes mundi adhærent, eorúmque consiliis omne quod prauum molitur, exercet: re-
35. ctè subiungitur: *Et oculi eius vt palpebræ diluculi.*) Per oculos qui inhærentes capiti, vtilitati visionis inseruiunt, non immeritò eius consiliarij designantur, qui dum peruersis machinationibus quæ qualiter agenda sunt, præuident, malignis eius operariis quasi ostensum pedibus iter præbent. Qui rectè palpebris diluculi comparantur. Palpebras nanque diluculi extremas noctis horas accipimus, in quibus quasi nox oculos aperit, dum venturæ lucis iam initia ostendit. Prudentes igitur seculi malitiæ antichristi peruersis consiliis inhærentes, quasi palpebræ sunt diluculi: quia fidem quam in Christo inueniũt, quasi erroris noctem asserunt, & venerationem antichristi verum esse mane pollicentur. Spondent enim se tenebras repellere & veritatis lucem signis clarescentibus nunciare: quia nec persuadere quæ volunt, possunt, nisi exhibere se meliora
Gene. 3. fateantur. Vnde hic ipse coluber in paradiso primis hominibus loquens, in eo quòd se melius aliquid prouidere simulauit, quasi diluculi palpebras aperuit, quando in innocentibus mentibus humanitatis ignorantiam reprehendit, & scientiam diuinitatis promisit. Quasi ignorantiæ enim tenebras repelle-
Ibidem. bat, & æternæ scientię diuinum mane nunciabat, dicens: Aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Ita in illo tunc damnato homine veniens: eius oculi palpebris diluculi comparantur: quia sapientes illius simplicitatem veræ fidei quasi transactæ noctis tenebras respuunt, & eius signa mendacia quasi exurgentis Solis radios ostendunt. Sed quia Leuiathan iste nō solum habet oculos qui malignis consiliis perueruersa prouideant, sed os quoque ad peruertendas mentes hominum aperit, quoniam per prædicatores prauos ad diligendam erroris fallaciam auditorum corda succendit, aptè subiungitur:

Quòd prædicatores antichristi multos ad perfidiam accendent, sed lux & odor signorum mendacium in carbonum nigredinem redigetur.
Caput XXVI.

DE ore eius lampades procedũt.) Qui enim prouident oculi, qui autem prædicant, os vocantur. Sed de hoc ore lampades exeunt: quia mentes audientium ad amorem perfidiæ accendunt, & vnde quasi per sapientiam lucent, inde proculdubio per nequitiam concremant. Sed qualis ipsa sapientia eorum lux sit, ostenditur, cùm protinus subinfertur. *Sicut tædæ* 36.
ignis accensæ.) Ecce iam hypocrisis eorum apertè describitur, quorum prædicatio tędarum lampadibus comparatur. Tæda enim cùm accenditur, odorem quidem suauem habet, sed lumen obscurum. Ita isti prædicatores antichristi quia sanctitatis sibi speciem arrogant, sed tamen opera iniquitatis exercent, quasi blandum quidem est quod redolent, sed nigrum quod lucent. Olent enim per simulationem iustitiæ, sed obscurum ardent per nequitiæ perpetrationem. Quorum simulationis malitiam Ioannes in Apocalypsi breui descriptione comprehendit, dicens: Vidi aliam bestiam ascendentem de *Apoc. 13.*
terra, habentem duo cornua similia agni, & loquebatur vt draco. Priorem quippe bestiam, id est, antichristum superiore iam descriptione narrauerat, post quem etiam hæc alia bestia ascendisse dicitur: quia post eum multitudo prædicatorum illius ex terrena potestate gloriatur. De terra quippe ascēdere, est de terrena gloria superbire. Quæ habet duo cornua agni similia: quia per hypocrisin sanctitatis, eam quam in se veraciter dominus habuit singularem, sibi inesse & sapientiam mentitur & vitam. Sed quia sub agni specie auditoribus reprobis serpentinum virus infundit, rectè illic subditur: Et loquebatur vt draco. Ista ergo bestia, id est prædicantium multitudo, si apertè vt draco loqueretur, agno similis non appareret, sed assumit agni speciem, vt draconis exerceat operationem. Quod hic vtrunque per tædarum lampades exprimitur: quia & obscurum ardent per effectum malitiæ, & quasi suaue redolent per simulationem vitæ. Sed nequaquam æstimandum est quòd tunc solum antichristi prædicatores apparebunt, & nunc ab humanis deceptionibus desunt. Modò nanque priusquam per semetipsum appareat, nonnulli illum vocibus, plerique autem moribus prædicant. An prædicatores simulationis illius non sunt, qui cùm sacros Dei ordines obtinent, fugientem totis desideriis mundum tenent, qui virtutes esse ostendunt, quæ faciunt, sed vitium est omne quod agunt? Sed electorum mens quantò magis internæ luci in- 37.
hæret, tantò subtilius quomodo virtutes à vitiis discernere debeat, videt. Quid autem mirum est hoc nos spiritaliter agere, quod quotidie corporaliter cernimus numimularios implere? Qui cùm numisma percipiunt, prius qualitatem illius, *Examinatio nomismatis.*
pòst figuram, ad extremum verò pondus examinant, ne aut sub auri specie æs lateat, aut hoc quod veraciter aurum est, monetæ reprobæ figura dehonestet: aut quod & aurum, & rectæ figuræ est, hoc non integrum pondus leuiget. Cùm igitur mira ignotorum hominum facta conspicimus, residere ad mentis nostræ trutinam quasi solertes numularij debemus, vt prius discretio aurum examinet, ne sub virtute se vitium occultet, & quod praua intentione agitur, recti visione pallietur. Cuius si intentionis qualitas approbatur, impressæ mox formulæ figura quærenda est, si à probatis monetariis, id est ab antiquis patribus ducitur, & ab eorum vitæ similitudinę nullo errore vitiatur? Cùm verò & per intentionem qualitas, & recta per exemplum figura cognoscitur, restat vt integrum eius pondus exquiratur. Bonum quippe quod per signa & miracula coruscat, si perfectionis summam non habet, pensari solicitè per cautelam circunspectionis debet, ne dum imperfecta res quasi pro perfecta accipitur, in accipientis damnum vertatur. Prædicatores itaque antichristi quomodo veram numismatis qualitatem tenent, qui in his quæ agunt, intentionis rectæ vim nesciunt: quia per hæc non cœlestem patriam, sed culmen gloriæ temporalis exquirunt? Quomodo à monetæ figura non discrepant, qui ab omni pietate iustos persequendo discordant? Quomodo in se integritatis pondus ostendunt, qui non solùm humilitatis perfectionem nequaquam assecuti sunt, sed neque ipsam primam eius ianuam contigerunt? Hinc ergo hinc electi cognoscant, quomodo eorum signa despiciant, quorum profectò actio omne quod à piis patribus gestum memoratur, impugnat. Sed ipsi quoque electi dum tot signa conspiciunt, dum contemnentes vitam tanta eius miracula perhorrescunt, quoddam dubietatis nubilum in corde patiuntur: quia

dum se per prodigia illius malitia leuat, in istis aliquatenus visis certior caligat. Vnde rectè subditur:

Quòd in persecutione antichristi in errorem penè mittantur electi.
Caput XXVII.

DE naribus eius procedit fumus.) Oculorum quippe acies fumo sauciatur. Fumus ergo de eius naribus procedere dicitur: quia de miraculorum eius insidiis ad momentum caliginosa dubietas etiam in electorũ corde generatur. De Leuiathan naribus fumus exit: quia ex eius prodigiis mendacibus, etiam bonarum mẽtium oculos trepidationis caligo confundit. Tunc nanque in electorum cordibus conspectis terribilibus signis, obscura cogitatio conglobatur. Vnde hoc
Marc. 13. quod iam suprà protulimus, veritatis ore per Euangelium dicitur: Surgent pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia: ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Qua in re valde quærendum est, quomodo aut hi qui electi sunt, induci in errorem possunt, aut cur si fieri potest, quasi ex dubietate subditur: cùm quid faciendum F sit, Dominus omnia præsciens præstolatur. Sed quia electorum cor & trepida cogitatione concutitur, & tamen eorum constantia non mouetur, vna hac sententia Dominus vtrunque complexus est dicens: Ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Quasi enim iam errare, est in cogitatione titubare, sed protinus si fieri potest, subiungitur: quia proculdubio fieri non potest, vt in errore plenè electi capiantur. Bene autem in hac fumi caligine, ipse etiam animorum feruor exprimitur, cùm protinus subinfertur: *Sicut ollæ succensæ atque feruentes.*) Velut enim olla feruens est vnaquæq; tunc anima, cogitationum suarum impetus quasi spumas ardẽtium vndarum sustinens, quas & ignis zeli commouet, & ipsa temporalis oppressio more ollæ intrinsecus clausas tenet. Vnde Ioannes quoque cùm huius bestiæ signa narraret, adiunxit:
38 Ita vt ignem faciat de cœlo descẽdere. Ignem quippe de cœlo descendere, est de cœlestibus electorum animis sancti zeli flammas emanare. Quia verò Leuiathan iste aliàs non G solùm serpens, sed etiam regulus dicitur, pro eo quòd immundis spiritibus vel reprobis hominibus principatur, sicut
Esaiæ. 14. Esaias ait: De radice colubri egredietur regulus: inspiciendum nobis summopere est qualiter regulus perimat, vt ex operatione reguli, huius nobis malitia apertius innotescat. Regulus nanque non morsu perimit, sed flatu consumit. Sæpe quoque aërem flatu afficit, & quicquid vel positum longè contigerit, sola narium inspiratione tabefacit. Hinc ergo pensare compellimur, per hoc quod de naribus eius fumus procedere dicitur etiam priusquam apertus appareat, quid quotidie in humanis cordibus fumo pestiferæ exhalationis operetur. Quia enim sicut & superius diximus, fumo oculorum acies infirmatur: non immeritò de eius naribus fumus procedere asseritur, cuius noxiis inspirationibus praua in humanis cordibus cogitatio nascitur, per quam acies mentis obtunditur, ne lux interna videatur. Quasi enim flatu narium caliginem emittit: quia in reproborum cordibus insidiarum suarum aspirationibus ex amore vitæ temporalis æstum cõgerit multiplicium cogitationum. Et velut fumi globos multiplicat: quia inanissimas præsentis vitæ curas in terrenorum hominum mente coaceruat. Iste fumus ex eius naribus prodiens, aliquando ad tempus etiam electorum oculos
Psalm. 6. tangit. Nunc nanque intrinsecus fumum patiebatur Propheta, cùm dixit: Turbatus est præ ira oculus meus. Huius inundatione premebatur dicens: Cor meum conturbatum est in me, & lumen oculorũ meorum non est mecum. Fumus quippe iste obtundit aciem cordis: quia caliginis suæ nubilo serenitatem intimæ turbat quietis. Cognosci verò nisi tranquillo
Psalm. 40. corde non potest Deus. Vnde per eundem Prophetam rursus dicitur: Vacate & videte quoniam ego sum Deus. Vacare autem mens non potest, quæ huius fumi inundationibus premitur: quia in ea terrenarum cogitationum volumina ex præsentis vitæ amore glomerantur. Lumen ergo quietis internæ hoc fumo amittitur: quia curarum prurigine cordis oculus dum confunditur, tenebratur. Sed fumus iste aliter electorum animos turbat, aliter reproborum oculos excæcat. A bonorum quippe oculis spiritalium desideriorum flatu respergitur, E ne præualente misera cogitatione densetur. In prauorum verò mentibus quò se licentius per tetras cogitationes colligit, eò ab eis funditùs veritatis lumen tollit. Fumus iste reproborum cordibus quot illicita desideria ingerit, quasi per tot ante illos globos intumescit. Et certè fumi globos nouimus: 39
quia cùm alij superius inanescunt, alij inferius surgunt, sicut & in cogitatione carnali & si alia prauitatis desideria transeunt, alia succedunt. Sæpe autem mens misera quid iam transierit, videt: sed vbi adhuc retineatur, non videt. Gaudet de quibusdam vitiis quòd eis subiecta iam non sit, & præcauere ac gemere negligit: quia eorum vice successerunt alia, quibus fortasse nequius succumbit: sicque fit vt dum alia vitia transeunt, & semper alia succedunt, ab hoc serpente cor reproborum sine intermissione teneatur. Vnde bene per Iohel Pro-
Iohel. 1. phetam dicitur: Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit brucus, & residuum bruci comedit rubigo. Expergiscimini ebrij, & flete. Quid enim per erucam, quæ toto corpore in terra repit, nisi luxuria designatur? quæ cor quod tenet, ita polluit, vt in superioris munditiæ surgere amorem non posit. Quid per locustam quæ saltibus euolat, nisi inanis gloria exprimitur, quæ se vanis præsumptionibus exaltat? Quid per brucum cuius penè totum corpus in ventrem colligitur, nisi edendi ingluuies figuratur? Quid per rubiginem quæ dum tangit, incendit, nisi ira innuitur? Residuum ergo erucę locusta comedit: quia sæpe cùm luxuriæ vitium à mente recesserit, inanis gloria succedit. Nam quia iam per amorem carnis non sternitur, quasi sanctam se ex castitate gloriatur. Et residuum locustæ brucus comedit: quia sæpe cùm inani gloriæ quæ quasi ex sanctitate veniebat, resistitur, vel ventri vel quibuslibet ambitionis desideriis immoderatius indulgetur. Mẽs enim Dei nescia, tãtò atrocius ad quemlibet ambitum ducitur, quantò nullo vel humanæ laudis amore refrenatur. Residuum bruci rubigo consumit: quia sæpe dum ventris ingluuies per abstinentiam restringitur, iræ impatientia acrius dominatur, quæ more rubiginis quasi exu- G rendo messem comedit: quia virtutum fructus impatientiæ flamma tabescit. Cùm ergo vitia vitiis succedũt, agrum mentis alia pestis deuorat, dum alia relinquit. Bene autem illic subditur: Expergiscimini ebrij & flete: Ebrij quippe vo- 40
cati sunt, qui mundi huius amore confusi, mala non sentiunt Ibidem.
quæ patiuntur. Quid est ergo dicere: Expergiscimini ebrij & flete, nisi somnum vestræ insensibilitatis excutite, & in deuastatione cordis tot sibi succedentibus vitiorum pestibus, vigilantibus lamentis obuiate? Per tot igitur globos de Leuiathan naribus fumus surgit, per quot nimirũ pestes frugem cordis reprobi occulta aspiratione consumit. Cuius adhuc fumi vim sollicitè Dominus exprimit, cùm ilico subiungit: *Sicut ollæ succensæ atque feruentis.*) Olla enim succenditur, cùm mens humana maligni hostis suasionibus instigatur. Olla autem feruet cùm iam etiam per consensum in desideriis prauæ persuasionis accenditur. Et tot vndas quasi feruendo proiicit, per quot nequitias vsque ad exteriora opera extendit. Hinc nanque carnalis conscientiæ, id est ollæ feruorem, ex Leuiathan H fumo venientem Propheta conspexerat, cùm dicebat: Ollam Hiere. 1.
succensam ego video, & faciem eius à facie Aquilonis. Ab Aquilonis nanque facie humani cordis olla succenditur, dum instigatione aduersarij spiritus illicitis desideriis inflammatur. Ille nanque qui ait: Sedebo in monte testamenti, in late- Esaiæ. 14.
ribus Aquilonis: mentem quam semel cœperit, malignis persuasionis suæ flatibus, quasi suppositis ignibus accendit: quatenus non contenta præsentibus, indefinenter per desideria æstuet, vt alia contemnenda appetat, alia adepta contemnat: vt modò suis compendiis inhiet, modò alienis commodis etiam cum proprio detrimento contradicat, modò carnis illicebris satisfaciat, modò quasi in quodam culmine per cogitationis superbiam rapta, carnali cura postposita, totam se in typo elationis attollat. Quia ergo cor per varia desideria abducitur, quod instigationibus Leuiathan istius inflammatur, rectè eius fumus succensæ & feruenti ollæ similis esse perhibetur: quia per tot se feruores afflata eius tentationibus conscientia erigit, per quot intra se cogitationes intumescit. Quod verbis aliis adhuc veritas apertius exequitur, dum subiungitur:

Qui

Quòd persuasione diabolica ad diuersa vitia reproborum animæ inflammentur, & flamma malitiæ eius infructuosa ligna comburat.
Caput XXVIII.

HAlitus eius prunas ardere facit.) Quid enim prunas nisi succensas in terrenis concupiscentiis reproborum hominũ mentes appellat? Ardent enim cùm quodlibet temporale appetunt: quia nimirum vrunt desideria, quæ quietum ac integrum esse animum non permittunt. Toties igitur Leuiathan halitus prunas accendit, quoties eius occulta suggestio humanas mentes ad delectationes illicitas pertrahit. Alias nanque superbiæ, alias inuidiæ, alias luxurię, alias auaritiæ facibus in-
Gent. 3. flammat. Superbiæ quippe faciem menti Euæ suppositum, cùm hanc ad contemnenda verba dominicæ iussionis instigauit.
Gent. 4. Inuidiæ quoque flamma Cain animum succendit, cùm de accepto fratris sacrificio doluit, & per hoc vsque ad fratricidij facinus peruenit: Luxuriæ facibus cor Salomonis exus-
3. Reg. 11. sit, quem tanto mulieribus amore subdidit, vt vsque ad idolorum venerationem deductus, dum carnis delectationem
3. Reg. 21. sequeretur, conditoris reuerentiæ obliuisceretur. Auaritiæ B quoque igne Achab animum concremauit, cùm eum ad appetendam alienam vineam impatientibus desideriis impulit, & per hoc vsque ad reatum homicidij pertraxit. Tanto igitur Leuiathã iste halitu in prunis flat, quanto annisu suggestionis occultæ humanas mentes ad illicita inflammat. Vnde
41 & bene mox subditur: *Et flamma de ore eius egreditur.*) Flamma quippe oris eius est ipsa instigatio occultæ locutionis. Prauæ enim suasionis verba ad vniuscuiusque animum facit, sed flamma est quod de eius ore egreditur: quia ardet in desideriis animus, cùm eius suggestionibus instigatur. Hæc quotidie suggerit, hæc vsque ad præsentis vitæ terminum suggerere non desistit: sed tũc se nequius dilatat, cùm per illum damnatum hominem veniens, in huius mundi se gloria apertius ostendit. Tunc ab eius naribus vastior fumus procedit: quia humana corda signorum eius admirationibus territa amplior instigatio percutit. Tunc eius halitus vehementius prunas ardere facit: quia reproborum mentes quas iam calentes amore C gloriæ temporalis inuenerit, suggestionis suæ flatibus vsque ad nequitiam exercendæ crudelitatis incendit. Tunc de ore eius flamma egreditur: quia quicquid per se, quicquid per prædicatores suos loquitur, ignis est, quo infructuosa ligna concremantur. Igne autem terrenæ concupiscentiæ eorum mens tangitur, qui nequaquam fieri preciosa metalla concupiscunt. Qui ergo oris eius non vult flamma affici, iuxta doctoris veri sententiam, non lignum, fœnum, stipula: sed au-
1. Cor. 3. rum, argentum, & preciosus lapis curet inueniri: quia tantò ignis suasionis illius amplius incendit, quantò se ei ad consentiendum molliorem quisque præbuerit. Sed quia nulla ratione conceditur, vt mens in hac corruptibili carne posita, nequaquam suasionis illius ardore tangatur, restat, vt malignis flatibus adusta, ad orationis opem se sine cessatione conuertat. Flammam quippe suggestionum illius extinguit citius vnda lachrymarum.

Libri trigesimi tertij Moralium sancti Gregorij finis.

B. GREGORII IN IOB EXPOSITIONIS MORALIS liber trigesimusquartus.

Caput I.

QVIA ex hoc mundo corpus gerimus, vniuersitatis terminum ex ea qua nos sumus, parte pensemus. Citius quippe qualis sit mundi finis agnoscimus, si solicitè aspicimus, hoc de mundo gestamus. Aetas etenim nostra per iuueniles annos robustior viget, in senili autem tempore crebrescentibus morbis excoquitur, & dum diutius distenditur, vt subsistat, moriendi vice quotidie deficit per momenta viuendi. Ita etiam mundi tempus dum venientibus annis auge- A tur, crebrescentibus malis afficitur: & vnde ætatis augmentum percipit, inde salutis dispendium sentit. Tribulationes nanque illi cum temporibus crescunt, & eò detrimenta vitæ debilior tolerat quò quasi ad vitam prouectior durat. Totis enim contra illum hostis antiquus viribus soluitur, qui quanuis iam nunc interiit, pro eo quòd supernæ conditionis beatitudinem amisit, tunc tamen plenius extinguitur, quando & à tentandi licentia abstractus, æternis incendiis religatur. Vnde & extrema mundi atrocius tentaturus aggreditur: quia tantò fit feruentior ad sæuitiam, quantò se viciniorem sentit ad pœnam. Considerat quippe quòd iuxtà sit vt licentiam nequissimæ libertatis amittat: & quantum breuitate temporis angustatur, tantum multiplicitate crudelitatis expanditur, sicut de
illo voce angelica ad Ioannem dicitur: Væ terræ & mari, quia Apoc. 12.
descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quòd modicum tempus habet. Tunc ergo in magnæ iræ feruorem se dilatat, ne qui in beatitudine stare non potuit, in damnationis suæ foueam cum paucis ruat. Tunc quicquid nequiter valuerit, callidius exquirit: tunc ceruicem superbiæ altius erigit, & per damnatum illum quem gestat hominem, omne quod temporaliter prævalet, nequiter ostendit. Vnde & diuina voce rectè nunc dicitur:

Quòd in fine mundi superbiæ antichristi potentia suffragetur.
Caput II.

IN collo eius morabitur fortitudo.) Quid enim collo Leuiathan istius, nisi elationis ostensio designatur? qua contra Deum se erigens, cum simulatione sanctitatis etiam tumore potestatis extollitur. Quia enim per collum superbia exprimitur,
Esaias propheta testatur, qui Hierusalem filias redarguit di- Esaiæ 3.
cens: Ambulauerunt extento collo. In collo ergo Leuiathan istius fortitudo demorari dicitur: quia elationi illius etiã subiuncta potentia suffragatur. Nam quicquid tunc superbè extollitur, quicquid callidè machinatur, etiam cum virtute potentiæ secularis exequitur. Quod Daniel propheta intuens
ait: Dolus in manu eius dirigetur. Dolus quippe in manu e- Danie. 8.
ius est fraus in virtute: quia omne quod nequiter voluit, hoc ad tempus exequi etiam fortiter potest. Dolus verò eius dirigi dicitur: quia fraudis eius malitia nulla difficultate præpeditur. Hoc enim Leuiathan iste vel vasa eius habere crebrò proprium solent, quòd ad iniquitatis suæ cumulum ea quæ nequiter appetunt, explere nequius possunt. Nam cùm fortasse infirmantur electi, atque in desideriis illicitis ruunt, in hoc plerunque diuini muneris manu retinentur, quòd voluntatis miseræ nullos effectus inueniunt. Cúmque eorum votis valida contrarietas nascitur, plerunque ex ipsa impossibilitate corriguntur, & miro internæ dispositionis ordine, per conuersionem mutatio malæ voluntatis sequitur, dum per infirmitatem perfectio denegatur. Hinc est enim quòd sub specie vniuscuiusque animæ, de infirmante Iudæa, atque in prauis itineribus gradiente, per prophetam Dominus dicit: Ecce Oseæ. 2.
ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet, & sequetur amatores suos, & nõ apprehendet eos, & quæret eos, & non inueniens dicet: Vadam & D reuertar ad virum meum priorem: quia mihi bene erat tunc magis quàm nunc. Spinis enim electorum viæ sepiuntur, dum dolorem punctionis inueniunt in hoc quod temporaliter cõcupiscunt. Quasi interposita maceria vis eorum obuiat, quorum nimirum desideria perfectionis difficultas impugnat. Horum profectò animæ amatores suos quærunt, & non inueniunt, dum sequendo malignos spiritus, nequaquam eas quas appetunt huius seculi voluptates apprehendunt. Bene autem subditur, quòd ex ipsa difficultate mox dicat: Vadam & reuertar ad virum meum priorem: quia melius mihi erat tunc magis quàm nunc. Prior quippe vir Dominus est, qui castam sibi animam sancti spiritus interposito amore coniunxit. Quem tunc mens vniuscuiusque desiderat, cùm multiplices amaritudines velut quasdam spinas inuenit in iis delectationibus, quas temporaliter concupiscit. Nam dum aduersitatibus mundi quem diligit anima, morderi cœperit, tunc plenius intelligit, quanto illi cum priore viro melius fuit. Eos ergo quos voluntas praua peruertit, plerunque aduersitas corrigit. Vnde & nimis timendum est, ne sequantur prospera

cùm desiderantur iniusta: quia difficilius malum corrigitur, quod * profectionis etiam prosperitate fulcitur. Leuiathan itaq; iste qui cum membris suis æternis est cruciatibus deputatus, & dolus in manu eius dirigitur, & in collo eius fortitudo demoratur: quia hoc quod temporaliter peruersa contra bonos voluntate desiderat, peruersiore facultate consummat, vt tantò ei de aduersitate in præsenti nil obstet, quantò ei in posterum de prosperitate nihil remanet. Et quia omnis qui peruersis moribus amicitiis eius innotescit, prius veras mentis diuitias amittit, aptè subiungitur:

** al. perfectionis.*

Quòd subtilissima fraude diabolus consentientium sibi mentes propriis virtutibus spoliat prius quàm qui tentatur, agnoscat: & quòd antichristo veniente, prophetiæ & miracula cessabunt.

Caput III.

2 *Exod 33.* ET *faciem eius præcedet egestas.*) Per faciem quippe solet notitia designari. Vnde scriptum est: Et facies mea præcedet te, id est, notitia ducatum præbebit. Sciendum verò est quòd egestas in sacro eloquio aliter electorum ponitur, atq; aliter reproborum. Egestas nanque electorum est, cùm veræ diuitiæ cœlestis patriæ ad eorum animum redeunt, & in hoc ærumnoso præsentis vitæ exilio positi, pauperes se esse meminerunt. Illas quippe diuitias sine cessatione suspirant, de quibus Paulus dicit: Vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis. Et quia adhuc eas nequaquam cõspiciunt, studiosè interim in ærumna istius paupertatis gemunt. Hanc proculdubio paupertatem Hieremias inspexerat, cùm dicebat: Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius. Virga enim indignationis Dei, est percussio districtionis. Quam indignationem tunc homo pertulit, cùm ex paradiso pulsus, veras interni gaudij diuitias amisit. Sed quia electi quiq; incessanter conspiciunt quòd in præsentis vitæ penuriam ab illa potestatis ingenitæ facultate ceciderunt, bene dicitur: Ego vir videns paupertatem meam. Quisquis enim hæc adhuc visibilia appetit, peregrinationis suæ malum nõ intelligit, & hocipsum quod patitur, videre nescit. Hanc paupertatem Dauid Propheta intuẽs ait: Infirmata est in paupertate virtus mea. In paupertate etenim virtus infirmari dicitur: quia lapsus in hac peregrinatione animus, & corruptionis suæ molestiis reuerberatur, hoc quod perdidit, contẽplari prępeditur. Sed hanc paupertatem reprobi considerare nesciunt: quia dum sequuntur ea quæ conspiciunt, cogitare inuisibilia negligunt quæ perdiderũt. Vnde & egestas eorum propriè dicitur: quia dum replentur vitiis, virtutum diuitiis vacuantur. Quibus sæpe euenit vt per elationis demẽtiam subleuati, dum nequaquam ruinæ suæ damna considerant, esse se etiam à bonis actionibus inopes non cognoscant. Vnde voce angelica prædicatori Laodiceæ dicitur: Dicis quòd diues sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis, quia tu es miser, & miserabilis & pauper, & cæcus & nudus. Quasi diuitem se asserit, qui per arrogantiam sanctitatis extollitur, sed pauper, cæcúsque & nudus arguitur. Pauper vtique, quia virtutum diuitias non habet: cæcus, quia nec paupertatem quam patitur, videt: nudus, quia primam stolam perdidit: sed peius, quia nec se perdidisse cognoscit. Quia ergo, vt diximus, egestas reproborum, est defraudatio meritorum, rectè de Leuiathan dicitur: Faciem eius præcedet egestas. Nemo quippe cognitioni eius iungitur, nisi prius virtutum diuitiis denudetur. Prius enim bonas cogitationes subtrahit, & tũc eis apertiorem notitiam suæ iniquitatis infundit. Egestas ergo faciem illius præcedere dicitur: quia prius facultas virium perditur, vt quasi per familiaritatem ita postmodũ eius notitia cognoscatur. Vel certè quia multis ita fraudulenter surrepit, vt ab eis deprehendi nequaquam possit, & sic eorum virtutes euacuat: quatenus astutiæ suæ malitiã non ostendat, faciem eius egestas præire perhibetur, ac si apertè diceretur: quia cùm insidians tentat, priusquam videatur expoliat. Hinc est enim quòd de Ephraim per Prophetam dicitur: Comederunt alieni robur eius, & ipse ignorauit. Alieni quippe intelligi apostatæ Angeli solent, qui robur comedũt, dum virtutem mentis peruertendo consumunt. Quod Ephraim & pertulit, & nesciuit: quia in tẽtatione malignorum spirituum, & robur animæ perdidit, & hoc ipsum quia perdiderit, non intellexit. Leuiathan ergo faciem egestas antecedit: quia negligentium mentes antè tentando spoliat, quàm eius insidias is qui tentatur, agnoscat. Per hoc ergo quod dictum est: In collo eius morabitur fortitudo, virtus violentiæ ostenditur. Per hoc verò quod subditur: Et faciem eius præcedet egestas, fraudis subtilitas designatur. Quanuis de eo quòd eius faciem egestatem præire cognoscimus, suppetit aliud quod tamen tristius exponamus. Terribili quippe ordine dispositionis occultæ, priusquam Leuiathan iste in illo damnato homine quem assumit, appareat: à sancta Ecclesia virtutum signa subtrahuntur. Nam prophetia absconditur, curationum gratia aufertur, prolixioris abstinentiæ virtus imminuitur, doctrinæ verba conticescunt, miraculorum prodigia tolluntur. Quæ quidem nequaquam superna dispensatio funditùs subtrahit, sed non hæc sicut prioribus temporibus apertè ac multipliciter ostendit. Quod tamen mira dispensatione agitur, vt vna ex re diuina simul pietas, & iustitia compleatur. Dum enim subtractis signorum virtutibus, sancta Ecclesia velut abiectior apparet, & bonorum præmium crescit, qui illam pro spe cœlestium, & non propter præsentia signa venerantur, & malorum mens contra illam citius ostenditur; qui sequi quæ promittit inuisibilia negligunt, dum signis visibilibus non tenentur. Dum igitur humilitas fidelium, multitudine & manifestatione signorum quasi destituitur, terribili occultæ dispositionis examine, inde bonis misericordia largitur, vnde malis iusta ira cumulatur. Quia ergo Leuiathan iste priusquam manifestus, & conspicuus veniat, ex magna parte in sancta Ecclesia signa virtutum cessant, rectè nunc dicitur: Faciem eius præcedet egestas. Antè enim à fidelibus miraculorum diuitiæ subtrahuntur, & tunc contra eos antiquus ille hostis per aperta prodigia ostenditur: vt quo ipse per signa extollitur, eo à fidelibus sine signis robustius laudabiliúsque vincatur. Quanuis etiam fidelibus in eius certamine signa non deerunt, sed tanta erunt illius vt nostrorum, aut pauca, aut nulla videantur. Quorum nimirum virtus omnibus signis fit potior, cùm omne quod ab illo terribiliter fieri conspicitur, per internæ constantiæ calcem premunt. Sed malignus hostis tantò contra eos acriori immanitate se exhibet, quantò se despici etiam clarescentibus miraculis dolet. Totum ergo se in eorum interitum colligit, cunctósque reprobos in necem fidelium vnanimi crudelitate coniungit, vt sæuitiam suam tantò robustius exerceat, quãtò & in eis quæ peruersè agere appetit: nulla sibi sui corporis membra discordant. Vnde & rectè dicitur:

Egestas reproborum.

Apoc. 3.

Egestas faciem Leuiathan præcedit.

Osea. 7.

Quantæ virtutis in fine futura sit feritas reproborum.

Caput IIII.

Membra carnium eius cohærentia sibi.) Carnes verò Leuiathan istius, sunt omnes reprobi, qui ad intellectum spiritalis patriæ per desiderium non assurgunt. Membra verò sunt carnium hi, qui eisdem peruersè agentibus, & sese ad iniquitatem præcedentibus iunguntur, sicut econtra per Paulum de dominico corpore dicitur: Vos estis corpus Christi, & membra de membro. Aliud quippe est membrum corporis, aliud membrum membri. Membrum quippe corporis pars ad totum, membrum verò membri est particula ad partem. Membrum nanque membri digitus ad manum, manus ad brachium: membrum verò est corporis totum hoc simul ad corpus vniuersum. Sicut ergo in spiritali dominico corpore membra de membro dicimus eos, qui in eius Ecclesia ab aliis reguntur: ita in illa Leuiathan istius reproba congregatione membra sunt carnium, qui iniquo opere quibusdam se nequioribus iunguntur. Sed qui hostis malignus sibi in peruerso opere à primis vsque ad extrema concordat, diuinus sermo in eo membra carnium sibimet cohærentia memorat. Sic nanque peruersa vnanimiter sentiunt, vt nulla contra se vicisim disputatione diuidantur. Nulla eos diuersitatis altercatio tunc scindit, & idcirco contra bonos vehementer præualent: quia in malo se concorditer tenent. Sicut enim iam superius diximus, vt perniciosum est si vnitas desit bonis, ita perniciosius est si non desit malis. Reproborum quippe vnitas, bonorum vitam tantò durius præpedit, quantò ei se per collectionem durior opponit. Hanc vnitatem reproborum perniciosam sibi Paulus conspexerat, cùm in medio Sadducæorum Pharisæorúmque deprehensus dicebat: De spe & resurrectione mortuorum ego iudicor. Qua nimirum voce percussa,

1. Corint. 12.

3 *Vnitas bona.*

Vnitas mala.

Acto. 23.

protinus contra se vicisim audientium turba disiluit. Cũque in duas partes tumultuantium multitudo diuiditur, Paulo via ereptionis aperitur: quia quem turba persequentium vnita constrinxerat, diuisa laxabat. Eripiuntur ergo iusti dũ diuiduntur iniusti, & electorum vota ad perfectum peruenium, dum reproborum agmina per discordiam confunduntur. Quod bene etiam maris rubri scisione designatur. Dũ enim in duas partes vnda diuiditur, ab electo populo ad terram repromissionis tenditur: quia dum malorum vnitas scinditur, bonæ mentes ad hoc quod appetunt, perducuntur. Si malorum vnitas noxia non fuisset, nequaquam diuina prouidentia superbientium linguas in tanta diuersitate dissipasset. Si malorum vnitas noxia non fuisset, de sanctæ Ecclesiæ hostibus Propheta non diceret: Præcipita domine, & diuide linguas eorum. Quia ergo Leuiathan iste tunc contra electos Dei in suis viribus effrenatur, ad augmẽtum suæ malitiæ, vnitatem quoque in reprobis habere permittitur, vt tantò cõtra robustius vires suas exerat, quantò non solùm nos ictu fortiudinis, sed etiam malę adunationis impugnat. Sed quis contra ista sufficiat? Quæ mens ad tantæ elationis & compagis pondera, non ab ipsa cogitationum radice contremiscat? Vnde quia trepidare nos per infirmitatem conspicit, protinus diuina clementia quid per semetipsam faciat, adiungit. Nam sequitur:

A

Exod. 13.

Gene. 11.

Psalm. 54.

B

Quòd in die iudicij iustis gaudentibus impij maledictionis fulmine ferientur.

Caput V.

MITTET *contra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur.*) Quid appellatione fulminum, nisi tremendæ illę extremi iudicij sententiæ designantur? Quæ idcirco fulmina vocantur: quia nimirum eos quos feriunt, in perpetuum incendunt. Fulmina nanque super eum Paulus venire conspexerat, cùm dicebat: Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui. Hæc autem in eum mittuntur fulmina, ad locum alium non feruntur: quia iustis gaudentibus solis, tunc reprobos feriunt. Nam post trituram vitæ præsentis, in qua nunc triticum sub paleis gemit, ita illo extremi iudicij ventilabro inter triticum paleásque discernitur: vt nec in tritici horreum paleæ transeant, nec in paleárũ ignem horrei grana delabantur. Illa ergo fulmina locum alium nequaquam tangunt: quia videlicet igne suo non grana, sed paleas incendunt. Sed quia Leuiathan istum pœna non corrigit, insinuat dum subiungit:

2. Thess. 2.

C

Quòd diabolus sit impœnitens, & nos illo persequente modo proficimus, ipse verò sicut incus semper percutitur, nec tamen mutatur.

Caput VI

COR *eius indurabitur quasi lapis.*) Cor enim antiqui hostis vt lapis indurabitur: quia nulla vnquam conuersionis pœnitentia mollietur. Qui quia solis ictibus æternæ vltionis aptabitur, rectè protinus subinfertur: *Et stringetur quasi malleatoris incus.*) Incũdem quippe malleator solis aptam percussionibus figit. Ad hoc nanque incus statuitur, vt crebris ictibus feriatur. Leuiathan ergo vt malleatoris incus stringitur: quia inferni vinculis coarctabitur, vt æterni supplicij continua percussione tundatur. Qui modò quoque percutitur, dum iusti quique illo insidiis vigilante, sed doloribus tabescente saluantur. In incũde autem alia vasa formantur, ipsa verò tot percussionibus in vas aliud non transfertur. Rectè ergo Leuiathan iste incudi comparatus est: quia nos illo persequente cõponimur, ipse autem & semper percutitur, & in vas vtile nunquam mutatur. Aeternæ illum percussioni relinquimus, & nos superni artificis manu in eius tentatione percussi, per illum quasi vascula formata transimus. In ipso enim tundimur, sed vt ad vsum domus supernæ veniamus. Ipse verò quasi incus stringitur: quia etsi nunc tentando mundum circuit, in inferno tamen positus, iam sub ictu sententiæ non vagatur. Sequitur:

Apoc. 22.

D

Quòd in ruina diaboli sancti angeli territi sunt ne peccarent, & purgati, vt in munditia stabiles permanerent.

Caput VII.

CVM *sublatus fuerit, timebunt angeli, & territi purgabuntur.*) Scriptura sacra ita nonnunquam tẽpus præteritum futurùmq; permiscet, vt aliquãdo futuro pro preterito, aliquãdo verò vtatur præterito pro futuro. Futuro, nãque pro preterito vtitur, cùm Ioanni mulier paritura masculum, qui regat gẽtes in virga ferrea demõstratur. Quod quia incarnato Domino veniente iã tunc factum fuerat, res gesta nunciabatur. Rursum præterito vtitur pro futuro; sicut per Psalmistã Dominus loquitur, dicens: Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Quibus videlicet verbis species dominicæ passionis quasi iam transacta describitur, sed tamen adhuc longè pòst futura nunciatur. Hoc ergo loco quo dicitur: Cùm sublatus fuerit, timebunt angeli, nil obstat intelligi: quia sub futuri temporis modò præterita describuntur. Nec rectæ intelligentiæ sensum relinquimus, si credamus Leuiathã isto ab arce beatitudinis cadente, in ruina eius etiam electos angelos expauisse, vt cùm istum ex illorum numero superbiæ lapsus eiiceret, illos ad robustius stãdum timor ipse solidaret. Vnde & sequitur: *Et territi purgabuntur.*) Purgati verò sunt: quia nimirum isto cum reprobis legionibus exeunte, soli in cœlestibus sedibus qui beatè in æternum viuerent, remanserunt. Huius itaque lapsus eos terruit & purgauit. Terruit, ne conditorem suum superbè despicerent: purgauit verò, quia exeuntibus reprobis, actum est vt electi soli remanerent. Et quia cunctorum opifex Deus scit ad bonorum custodiam etiam bene vti mala actione reproborum, lapsum cadentium vertit in profectum manentium, & vnde punita est culpa superbiẽtium, inde humilibus angelis, & inuẽta, & solidata sunt augmenta meritorum. Istis nanque cadentibus, illis in munere datum est, vt cadere omnino non possent. Sancti enim angeli dum in istis naturæ suæ damna conspiciunt, in seipsis iã cautius robustiúsque consistunt. Vnde fit authore omnium rerum Domino cuncta mirabiliter ordinante, vt illi electorũ spirituum patriæ etiam ruinæ suæ damna proficiant, dum inde firmius constructa fit, vnde fuerat ex parte destructa. Sed quia sæpe scriptura sacra prædicatores Ecclesiæ pro eo quòd gloriam patriæ cœlestis annunciant, angelorum solet nomine designare, possumus hoc loco angelos sanctos prædicatores accipere. Hinc est enim quòd Ioannes in Apocalypsi septem Ecclesiis scribens, angelis Ecclesiarum loquitur, id est, prædicatoribus populorũ. Hinc Propheta ait: Et angeli pacis amarè flebunt. Hinc rursum Malachias propheta ait: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem inquirunt ex ore eius: quia angelus domini exercituum est. Hinc Paulus ait: Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria. Qui igitur dispensationis mysterium postquam apparuisse angelis dixit, prædicatum esse gentibus subdidit, profectò angelorũ nomine, prædicatores sanctos, id est, veritatis nũcios designauit. Si ergo hoc quod dicitur: Cùm sublatus fuerit, timebunt angeli, & territi purgabũtur, ad futurũ tempus refertur, adueniente districto iudice, extrema hic istius Leuiathan damnatio designatur: quà de hoc mundo per iram iudicij tollitur, qui nunc mira mansuetudinis longanimitate toleratur. Tanto autem hinc põdere terroris excutitur, vt sanctorum etiam prædicatorum fortitudo turbetur. Cùm enim sublatus fuerit, timebunt angeli: quia cùm iudicij turbine rapitur, hi qui in corporibus reperiri potuerint, immenso terrore concussi, etiam supernæ patriæ nuncij contremiscunt. Quanuis enim fortes iam atque perfecti sunt, adhuc tamen, quia in carne sunt positi, non possunt in tanti terroris turbine nulla formidine concuti. Sed cùm Leuiathan iste rapitur, cúmque omnia in eius interitu elementa quatiuntur: prædicatores sanctos quos, vt dixi, adhuc in suis corporibus illud tempus iudicij inuenerit, spes de regni propinquitate lętificat, & carnis infirmitas de irę ostẽsione perturbat. Erit ergo in eis aliquo modo tremor lætus, & timor securus: quia & cœlesti regno se remunerari certi sunt, & per tanti turbinis metum, pro carnis infirmitate cõtremiscunt. Consideremus ergo quomodo tunc iniquorum conscientia concutitur, quãdo etiam iustorũ vita turbatur. Hi qui oderunt aduentum iudicis, quid facient, si terrorem tanti iudicij etiam qui diligunt, expauescũt? Et quia in sanctis prædicatoribus hoc pauore excoquitur, si qua eis inesse potuit leuium rubigo vitiorũ, postquam dixit: Cùm sublatus fuerit, timebũt angeli, aptè mox subdidit: Et territi purgabũtur. Sed quia hæc

A

Psal. 21.

Esaiæ 33.

Mala. 2.

1. Tim. 3.

de Leuiathan istius fine cognouimus, interim priusquam pereat quid agat, audiamus. Sequitur:

Quòd in persecutione antichristi, prædicatio & patientia sanctorum periclitetur. Caput VIII.

C*Vm apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit neque hasta, neque thorax.*) In scriptura sacra aliquando per gladium sancta prædicatio, aliquando æterna damnatio, aliquãdo tribulatio temporalis, aliquando antiqui hostis ira vel persuasio designatur. Gladius enim sancta prædicatio ponitur, sicut Paulus ait: Et gladium spiritus, quod est verbum dei.
Ephe.6. Gladij nomine æterna damnatio designatur, sicut de prædicante hæretico scriptum est: Si multiplicati fuerint filij eius,
Luca 2. in gladio erunt: quia quantalibet hîc numerositate germinẽt, æterna damnatione consumuntur. Gladius tribulatio temporalis accipitur, sicut Mariẽ de secuturis tribulationib' dicitur:
Psalm.143. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Rursum per gladium ira, vel persuasio maligni hostis exprimitur, sicut Psalmista ait: Qui liberasti Dauid seruum tuum de gladio maligno. Benignus quippe sanctæ prædicationis est gladius quo percutimur, vt à culpa moriamur. Malignus verò est diabolicæ persuasionis gladius, quo malè quisque percutitur, vt à vita rectitudinis extinguatur. Antiqui ergo hostis est gladius ille tunc damnatus homo, in vsum ministerij eius assumptus. Ipsum quippe per malitiam fraudis exacuit, & infirmorum corda trãsfigit. Hũc ergo Leuiathan gladiũ apprehẽdit, cùm eum suus damnatus homo susceperit. Si autem gladij nomine eius ira signatur, rectè non apprehendere gladium, sed à gladio apprehendi describitur. In tantam quippe tunc insaniam vertitur, vt dominari omnibus appetens, nequaquam suæ iræ dominetur. Nos nanque cùm iram in vsum iustitiæ assumimus, gladium tenemus: quia eam sub æquitate iudicij posidendo moderamur. Ille autem quia per abrupta furoris rapitur, non apprehendere gladium, sed à gladio apprehendi perhibetur. Non enim iram posidens tenet, sed ab ira sæuiens tenetur.
5. Cunctis autem liquet quòd hasta aduersariũ percutimus, thorace verò ab aduersario munimur. Per hastã vulnera inferimus, per thoracem tegimur ne vulneremur. Quid igitur per hastam nisi prædicationis iaculum, quid per thoracem, nisi fortitudo patientiæ designatur? Leuiathan ergo iste, quia per assumptum reprobum hominem in ira omnimodæ crudelitatis effrenatur, apprehendi à gladio dicitur. Nam per ostentionem immensæ tunc fortitudinis exhebet, quicquid nequiter potest. Et neque hasta neque thorax subsistere poterit: quia in antichristum veniens, tantæ virtutis apparebit, vt si supernum adiutorium desit, & prædicantium acumen obtundat, & longanimitatem patientium destruat. Nisi enim iustorum vitam superna gratia solidet, non subsistit hasta, quia prædicatorum virtus frangitur: non subsistit thorax, quia constantium patientia dirupta penetratur. Vnde & subditur: *Reputabit enim vt paleas ferrum, quasi lignum putridum æs.*) Quod superius hastã dixit, hoc inferius ferri appellatione replicauit, & quod thoracem protulit, hoc rursum æris commemoratione signauit. Ferrum nanque acuitur, vt aduersarius vulneretur. Aes autem rubigine penè nulla consumitur. Ferro ergo prædicationis iacula, ære autem longanimitatis constantia designatur. Vnde & sub Aser specie de
Deut.33. sancta Ecclesia per Moysen dicitur: Ferrum & æs calceamẽtum eius. Calceamentũ quippe in scriptura sacra munimẽ prædicationis accipitur, sicut scriptũ est: Calciati pedes in præ-
Ephe.6. paratione Euangelij pacis. Quia ergo per ferrum virtus, per æs autem perseuerantia exprimitur: ferrum & æs calceamentum eius dicitur, cùm prædicatio eius acumine simul, & cõstantia munitur. Per ferrum enim mala aduersantia penetrat, per æs autẽ bona quæ proposuit, longanimiter seruat. Cuius profectò perseuerantiam illic apertius insinuat, dicens:

Quòd ab initio mundi vsque ad finem, persecutio diaboli non quiescat, & quod multi qui se ferrum, vel æs æstimant, id est, fortes, vel longanimes, infirmos & contemptibiles, vt paleas, & putrida ligna tunc se agnoscent. Caput IX.

SIcut dies iuuẽtutis eius, ita erit & senectus illius. Sed Leuiathan iste quando illum gladium, quem sacra eloquia antichristum vocant, in exercitationem suæ iniquitatis assumpserit, & ferrum velut paleas, & æs velut lignum putridum reputabit: quia nisi diuina gratia protegat, & prædicantium vires velut paleas nequitiæ suæ igne consumet, & patientium constantiam quasi lignum putridum in puluerem rediget. Et acumen igitur ferri, & æris fortitudo deficit, dum per violentiam virtutis illius, & prædicationis sensus obtunditur, & patientiæ longanimitas dissipatur. Nisi ergo electos suos opitulatio diuina roboret, vbi tunc infirmi erunt, si fortes sicut paleæ reputantur? Quid tunc Leuiathã iste de paleis faciet, si ferrum quasi paleas æstimabit? Quid de putridis lignis acturus est, si quasi lignum putridum æris fortitudinem soluet? Sed ô quàm multi qui suis viribus ferrum se vel æs æstimant, in illo tunc tribulationis igne se paleas esse deprehendunt, & quàm multi qui per infirmitatem propriam se esse paleas metuunt, per diuinum adiutorium fulti, in ferri atque æris solidi-
F tate roborantur, vt contra aduersarium suum tantò magis in Deo fortes sint, quantò de se amplius infirmos se esse meminerunt. Sed quantò altius Behemoth iste contra electos Dei per miracula erigitur, tantò contra eum sancti quique vehementius ad prædicationis se verba cõstringunt. Qui tamen ita reproborum mentes posidet, vt eas nulla confossus veritatis iaculatione relinquat. Vnde & subditur:

Quòd Leuiathan à cordibus reproborum, nullis prædicatorum sagittis tunc repellatur, & totum robur Ecclesiæ ipsumque diuini iudicij malleum in illo damnato homine absque timore contemnat: Caput X.

N*On fugabit eum vir sagittarius.*) Quid enim per sagittas, nisi verba prędicatorum accipimus? Quę dum voce bene viuentium distringuntur, audientium corda transfigunt. His sagittis sancta Ecclesia percussa fuerat, quæ dicebat: Vulnerata charitate ego sum. De his sagittis Psalmistę voce nar-
Psalm.63. ratur: Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum: quia scilicet verba humilium penetrauerunt animos superborum. De his sagittis venienti propugnatori dicitur: Sagittæ tuæ a-
Psalm.44. cutæ potentissime, populi sub te cadent in corde. Vir itaque est sagittarius, qui per sanctæ intentionis arcum, audientium cordibus verba rectæ exhortationis infigit. Quia ergo Leuiathan iste verba prædicantium despicit, & cùm reproborum mentes malè suadendo momorderit, durus inter iacula omnimodo eas nõ relinquit. rectè dicitur: Non fugabit eum vir sagittarius: ac si apertè dicatur: A reproborum cordibus sancti prædicatoris sagitta non excutit: quia quisquis ab illo apprehenditur, verba iam prædicantium audire contemnit. Vnde bene peccatis præcedentibus irascens, de his quos in
Hiere.8. manu antiqui hostis deserit, Dominus per Prophetam dicit: Immittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio: ac si diceret: Iusto iudicio talibus vos immundis spiritibus tradam, qui à vobis excuti exhortatione prædicantium quasi incantantium sermone non valeant. Quia verò Leuiathan iste à cordibus reproborum sanctæ prędicationis spiculis non mouetur, ipse etiam sanctorum virorum contemptus adducitur, cùm ilicò subinfertur: *In stipulam versi sunt ei lapides fundæ.*) Quid per fundam nisi sancta Ecclesia figuratur? Funda nanque dum in gyrum mittitur, sicut de illa lapides exeunt, quibus aduersariorum pectora feriãtur: ita sancta Ecclesia dum volubilitate temporum per tribulationũ circumitum ducitur, fortes ex illa viri prodeunt, quibus quasi lapideis ictibus iniquorũ corda tundãtur. Vnde & ad Prophetam de bonis doctoribus Dominus dicit: Deuorabũt & sub-
Zacha.9. iicient lapidibus fundæ. Sancti quippe doctores qui ad virtutem, & alios instruunt, hostes deuorant, dum eos intra corpus suum per vim conuersionis immutant. Quos lapidibus fundæ subiiciunt: quia dum fortes quosque in sancta Ecclesia viros instituunt, per eos aduersariorum superbientium pectora dura confringunt. Vnde & Golias immanissimus sa-
1.Reg.17. xo fundæ moritur: quia singulari sanctæ Ecclesiæ lapide diabolica celsitudo superatur. Leuiathan itaque iste, quia dãnato illo homine assũpto, quoslibet fortes Ecclesię velut infirmos despicit, eorũque vires tẽporaliter premit, rectè nunc dicitur:

tur: In stipulam versi sunt ei lapides fundæ: ac si apertè diceretur: Sanctorum robur quasi in stipulæ mollitiem redigit, quorum lingua prius pectus illius duris ictibus tutudit. Omnem quippe tunc fortitudinem suę iniquitatis exercens, quãtò se ab eis vinci spiritaliter dolet, tantò atrocius contra eos corporaliter prævalet. Et quia nil se contra eorum spiritum
7. præualere considerat, in eorum carne crudelitatis suæ omnia argumenta consummat. Sed quid mirum si humanas vires despicit, qui ipsa etiam superni in se iudicij æterna tormenta contemnit? Vnde & subditur: *Quasi stipulam æstimabit malleum.*) Ac si diceret: Etiam pondus eius animaduersionis
Malleus signat diabolum despicit, qui se per supplicium desuper veniens ferit. In scriptura enim sacra mallei nomine, aliquando diabolus designatur, per quem nunc delinquentium culpæ feriuntur. Aliquãdo verò percussio cœlestis accipitur, qua vel electi supernos
Malleus signat percussionem cœlestem. ictus sentiunt, vt à prauis itineribus corrigantur, vel iusta ira reprobos percutit, vt iam supplicia æterna præueniens, quid etiam in posterum mereantur, ostẽdat. Nam quia appellatio-
Hiere.50. B ne mallei antiquus hostis exprimitur, Propheta testatur, cùm super eum vim extremi iudicij contemplatur, dicens: Quomodo confractus est, & contritus malleus vniuersæ terræ? ac si diceret: Eum per quem vascula sua Dominus in ministerij vsum formanda percutit, quis perpendat quo turbine veniente extremo iudicio in eterna damnatione confringit? Rur-
3.Reg.6. sum per malleum percussio cœlestis exprimitur, quod Salomone templum ædificante signatur, cùm dicitur: Domus autem cùm ædificaretur: lapidibus dedolatis atque perfectis ædificata est, & malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo cùm ædificaretur. Quid enim domus illa, nisi sanctam Ecclesiam, quam in cœlestibus Dominus inhabitat, figurabat? Ad cuius ædificationem electorum animæ quasi quidam expoliti lapides deferuntur. Quj cùm ædificãtur in cœlis, nullus illic iam disciplinæ malleus resonat: quia dolati atque perfecti illuc lapides ducimur, vt locis iuxta meritum congruis disponamur. Hîc enim foris tundimur, vt illuc sine reprehensione veniamus. Hîc malleus, hîc securis, C hîc omnia tunsionum resonant ferramenta. In domo autem Dei nulli ictus audiuntur: quia in æterna patria omnis iam percussionum strepitus conticescit. Nequaquam ibi malleus percutit: quia nulla animaduersio affligit. Nequaquã securis incidit: quia receptos interius nulla foras seueritatis sententia proiicit. Nequaquam ferramenta perstrepunt: quia nec quælibet minima vltrà iam flagella sentiũtur. Quia ergo per malleum desuper venientem cœlestis pondus percussionis exprimitur, quid est quòd Leuiathan iste malleum despicit, nisi quòd supernæ animaduersionis ictus formidare contemnit? Et qua si stipulã malleum deputat: quia ad iustæ iræ se pondera velut contra terrores leuissimos parat. Vnde & adhuc expressius subditur:

Quòd imminentibus tormentis excæcatus malitia, ad exercenda mala diabolus acrius insurgit. Caput XI.

E*T deridebit vibrantem hastam.*) Contra Leuiathan enim D Dominus hastam vibrat, quia in eius interitu districtam minatur sententiam. Hastam quippe vibrare, est æternam ei mortem ex districta animaduersione præparare. Sed apostata spiritus authorem vitæ etiam cum sua morte despiciens, hastam vibrantem deridet: quia ex districto iudicio quicquid graue, quicquid horribile esse præuidet, pati non metuit, sed quo se æterna tormenta non posse euadere conspicit, eo in exercenda nequitia durior surgit. Quem cùm plerique huius mundi sapientes in cunctis quæ appetit, tanta pertinacia, tanta formidine stringi considerãt, corda sua ad famulatum eius tyrannidis inclinant, & omne quod Deo largiente sapiunt, hoc contra eum ad seruitium hostis illius inflectunt. Vnde & rectè subditur:

Quòd hi qui videbantur radiis virtutum splendere, vel minis territi, vel cruciatibus victi, Leuiathan seditionem subintrent. Caput XII.

S*Vb ipso erunt radij Solis.*) In scriptura enim sacra cùm figuratè Sol ponitur, aliquãdo Dominꝰ aliquãdo persecutio, aliquando de re qualibet manifestę visionis ostensio, aliquãdo autẽ intelligentia sapientium designatur. Per Solẽ quippe

A Dominus figuratur, sicut Sapiẽtiæ libro perhibẽtur quòd omnes impij in extremi die iudicij cognita sua dãnatione dicturi
Sapien.5. sunt: Errauimus à via veritatis, & lumen iustitię non luxit nobis, & Sol non est ortus nobis: ac si apertè dicant: Interni nobis luminis radius non refulsit. Vnde & Ioannes ait: Mulier a-
Apoca.12. micta Sole, & Luna sub pedibus eius. In sole verò illustratio veritatis, in luna autem quæ menstruis suppletiõnibus deficit, mutabilitas temporalitatis accipitur: Sancta autem Ecclesia, quia superni luminis splẽdore protegitur, quasi Sole vestitur: quia verò cũcta temporalia despicit, lunam sub pedibus pre-
Matth.13. mit. Rursum Sole persecutio designatur, sicut in Euangelio veritas dicit, quòd nata sine radicibus semina orto Sole aruerunt: quia videlicet verba vitæ in corde terrenorum hominũ temporali momento virentia, superueniente persecutionis ardore siccantur. Rursum Sole manifestæ visionis ostensio designatur, sicut Propheta Dominum cunctorum oculis ap-
Psal.18. parentem denunciat, dicẽs: In Sole posuit tabernaculum suũ: ac si diceret: Humanitatis assumptæ sacramentum in lumine
B manifestæ visionis ostendit. Et sicut eidem prophetæ diuina
2.Reg.12. voce per Nathan dicitur: Tu fecisti in abscondito, ego verò faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu Solis. Quid enim per conspectum Solis, nisi cognitionem insinuat manifestæ visionis? Rursum solis nomine, sapientium intellectus exprimitur, sicut in Apocalypsi scriptũ est: Quar-
Apoc.16. tus angelus effudit phialam suam in Solem, & datum est illi æstu afficere homines & igni. Phialã videlicet in Solem effundere, est persecutionis supplicia viris sapientiæ splendore fulgentibus irrogare. Et datum est illi vt afficeret homines æstu & igni: quia dum sapientes viri cruciatibus victi, malè agendi errore tanguntur, illorũ exemplo persuasi infirmi quique temporalibus desideriis inardescunt. Ruinæ nanque fortium augmenta præstãt perditionibus infirmorum. Quia Sõle acumen sapientiæ designatur, per comparationem quoque
Eccle.27. à Salomone dicitur: Sapiens vt Sol permanet, stultus vt luna 8.
mutatur. Hoc ergo loco quid per Solis radios, nisi acumina C sapientium demõstrantur? Quia enim multi qui in sancta Ecclesia luce sapientiæ resplendere videbantur, tunc vel persuasionibus capti, vel minis territi, vel cruciatibus fracti, Leuiathan istius seditioni subiiciuntur, rectè dicitur: *Sub ipso erunt radij Solis.*) ac si apertè diceretur: Hi qui intra sanctam Ecclesiã per acumina sapientiæ quasi radios videbantur lucis aspergere, & per authoritatem rectitudinis desuper resplẽdere, potestati Leuiathan istius iniqua se operatione substernunt: vt non iam recta prædicãdo desuper luceant, sed ei peruersè obsequendo famulentur. Solis ergo radij sub ipso sunt, cùm nõnulli etiam docti viri sapientiæ suæ acumina non liberè agendo subleuant, sed ad vestigia Leuiathan istius, & peruersitate operis, & blandimento adulationis inclinant: vt intelligentia quæ illis sicut sol desuper fuit ex cœlesti munere antiqui hostis pedibus substernatur ex terrena cupiditate. Vnde & nunc cùm quisque sapientium, vel doctorum pro commodo, vel gloria vitę temporalis per adulationis lapsum terrenis se potestatibus prauè agentibus subiicit, quasi sub vestigiis venientis antichristi Solis se radius sternit. Et velut cœli lucem sibi Be-
D hemoth humiliat, dum per pestiferum assensum sapientium mentes calcat. Toties verò Leuiathan istius pedibus se radij Solis subdunt, quoties hi qui doctrinæ videntur lumine resplendere, immoderato acumine praua in sacro eloquio sentiunt, peruersisque sensibus eius se erroribus substernunt: quia dum contra fidelia veritatis prædicamenta se erigunt, Leuiathan istius vestigiis falsa sentiendo famulantur. Toties radij Solis sub ipso sunt, quoties docti quique, & intelligentiæ luce pollentes, vel despectis cæteris in elatione se erigunt, vel summa quæ sapiunt postponentes, sordidis carnis desideriis inquinantur, vel obliti cœlestium, terrena ambiunt: vel non reminiscentes, quia terra sunt, de cognitione cœlestium inaniter gloriantur. Vnde & rectè ibi subiungitur:

Quòd hi, qui ante humanos oculos quasi aurum singularitate splendere iustitiæ videntur, sed si cadunt, vt non pœniteant; ante Dei oculos nunquam aurum, sed lutum fuerunt. Caput XIII.

S*Ternet sibi aurum quasi lutum.*) Appellatione quippe auri, in sacro eloquio aliquãdo diuinitatis claritas, aliquando splẽ-

dor supernæ ciuitatis, aliquando charitas, aliquando nitor
gloriæ secularis, aliquãdo pulchritudo sanctitatis accipitur.
Auri enim nomine, ipsa intima diuinitatis claritas designa-
Cantic.5. tur, sicut in Canticorum canticis sponsi species describitur:
Caput eius aurum optimum. Quia enim caput Christi Deus,
nil verò est in metallis auro fulgentius, sponsi caput aurum
dicitur: quia eius humanitas ex diuinitatis suæ nobis clari-
tate principatur. Rursum auri nomine spendor supernæ ciui-
tatis accipitur: sicut hanc Ioannes se vidisse testatur, dicens:
Apoc.21. Ipsa ciuitas aurum mundum simile vitro dicitur: vt & per au-
rum clara, & per vitrum perspicua designetur. Rursum auri
nomine charitas intimatur, sicut angelum quem sibi loqui i-
dem Ioannes aspexit, ad mamillas zona aurea cinctum vidit:
quia nimirum supernorum ciuium pectora dum pœnali iam
nequaquã timori subiecta sunt, atque à se vicissim nulla sciſ-
sione soluuntur, ex sola se charitate cõstringunt. Zonam ve-
rò auream circa mamillas habere, est cunctos mutabilium
cogitationum motus, per solius iam amoris vincula restrin-
gere. Rursum auri nomine, nitor gloriæ temporalis exprimi-
Hiere.51. tur, sicut per Prophetam dicitur: Calix aureus Babylõ. Quid
enim Babylonis nomine, nisi huius mundi gloria designatur?
Quæ calix aureus dicitur: quia dum pulchra esse temporalia
ostentat, stultas mentes in sua concupiscẽtia deebriat, vt spe-
ciosa temporalia appetant, & inuisibilia pulchra contemnãt.
Hoc aureo calice prima sponte sua Eua deebriata est, de qua
historia veritatis dicit: quia cùm vetitum lignum cõcupisce-
ret, vidit quòd esset pulchrum visu, aspectúque delectabile,
Gene.3. & comedit. Aureus ergo Babylon calix est: quia dum visum
exterioris pulchritudinis ostendit, sensum internæ rectitudi-
nis subtrahit. Rursum auri nomine, splendor sanctitatis acci-
pitur, sicut Iudaicum populum à splendore iustitiæ ad nequi-
Thren.4. tiæ tenebras commutatum Hieremias deplorat, dicens: Quo-
modo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? Si-
cut enim superius diximus, aurum obscuratur, cùm conse-
quentibus iniquitatum tenebris, iustitiæ pulchritudo deseri-
tur. Color optimus mutatur, cùm splendor innocentiæ in
9. fœditatem vertitur culpę. Luti quoque nomine, in sacro e-
loquio aliquando terrenarũ rerũ multiplicitas, aliquãdo sor-
didũ sapiens iniqua doctrina, aliquando desiderij carnalis il-
lecebræ designantur. Per lutum quippe terrenarum rerum
multiplicitas figuratur, sicut per Abacuc prophetam dicitur:
Vę ei qui multiplicat nõ sua, vsque quo aggrauat cõtra se dẽ-
sum lutum? Denso enim se luto aggrauat, qui per auaritiam
Abacuc 2. terrena multiplicans, peccati sui se oppressione coangustat.
Rursum luti nomine, doctrina sordidum sapiens designa-
tur, sicut per eundem prophetam Domino dicitur: Viam fe-
Abac.3. cisti in mari equis tuis in luto aquarum multarum: ac si dice-
ret: Aperuisti iter prædicatoribus tuis inter doctrinas hu-
ius seculi sordida & terrena sapientes. Per lutum quoque
desiderium sordidæ voluptatis exprimitur, sicut Psalmista
Psalm.68. deprecãs ait: Eripe me de luto, vt non inhæream. Luto quip-
pe inhærere, est sordidis desideriis concupiscentiæ carnalis
inquinari. Hoc ergo loco aurum claritas sanctitatis accipi-
tur: lutum verò, vel terrenarum rerum auaritiam, vel praua-
rum contagia doctrinarum, vel sordes carnalium volupta-
tum nil obstat intelligi. Quia enim multos Leuiathan iste qui
intra sanctam Ecclesiam fulgore iustitiæ resplendere vide-
bantur, tunc vel terrenarum rerum concupiscentia, vel erran-
tis doctrinæ contagio, vel carnalibus sibi voluptatibus sub-
iicit, aurum sibi proculdubio quasi lutum sternit. Aurum e-
nim quasi lutum sternere, est in quibusdam vitæ munditiam
per illicita desideria conculcare, vt hi etiam sordidis eius ve-
stigiis seruiant, qui contra illum prius virtutum splendore
rutilabant. Antiquus itaque hostis alios tunc sub specie san-
ctitatis illudit, alios autem per fœda vitia vitæ carnalis inter-
cipit. Sed tũc per hæc apertè grassabitur, nunc autem multo-
rum cordibus occultè dominatur, sicut Paulus apostolus di-
cit: Vt reueletur in suo tempore: nam mysterium iam opera-
tur iniquitatis. Toties igitur etiam nunc aurum sibi quasi lu-
2.Thess.2. tum subiicit quoties castitatem fideliũ per carnis vitia ster-
nit. Toties aurum velut lutum calcat, quoties sensum conti-
nentium per immunda desideria dissipat. Quod tunc tantò
vehementius peragit, quantò suæ perditæ libertati commis-
E sus; hoc quòd appetit, effrenatius perpetrat. Et fortasse quẽ-
piam moueat cur misericors Deus fieri ista permittat: vt Le-
uiathan iste seu nunc per suggestiones callidas, siue tunc per
damnatum illum quem replet hominem, vel solis sibi radios,
id est, doctos quosque sapientésque subiiciat: vel aurum, hoc
est viros sanctitatis claritate fulgentes, quasi lutum sibi vitiis
coinquinando substernat. Sed citiùs respondemus: quia au-
rum quòd prauis eius persuasionibus quasi lutum sterni po-
tuerit, aurum ante Dei oculos nunquam fuit. Qui enim se-
duci quandoque non reuersuri possunt, quasi habitam san-
ctitatem ante oculos hominum videntur amittere: sed eam
ante oculos Dei nunquam habuerunt. Sæpe nanque homo
multis occultè peccatis inuoluitur, & in vna aliqua virtute
magnus videtur. Quæ ipsa quoque virtus inanescens deficit:
quia dum innotescit hominibus, proculdubio laudatur, eiús-
que laus inhianter appetitur. Vnde fit vt & ipsa virtus ante
Dei oculos virtus non sit, dum abscõdit quod displicet, pro-
F dit, quod placet. Quæ itaque esse merita apud Deũ possunt,
quando & mala occulta sunt, & bona publica? Plerunque e-
nim, sicut diximus, latet superbia & castitas innotescit: atque
ideo ostensa diu castitas circa vitæ finem perditur: quia co-
operta superbia vsque ad finem incorrecta retinetur. Alius e-
leemosynis vacat, propria distribuit: sed tamen multis iniu-
stitiis seruit, vel fortasse linguam in detractionibus exercet.
Et fit plerunque, vt is qui misericors fuerat, iuxta vitæ suę ter
minum, rapacitatis, & crudelitatis stimulis inardescat. Quod
valde iusto iudicio agitur, vt & perdat ante homines, vnde
hominibus placuit, qui hoc vnde Deo displicuit, corrigere
nunquam curauit. Alius patientiæ studet, sed dum inuidere
aliis, & seruare in corde malitiam non cauet, fit quandoque
impatiens, qui diu latuit dolens. Hi itaque & per aliquid au-
rum sunt, & per aliquid lutum sunt. Atque hoc aurum quasi
lutum sternitur, quando occultis peccatis exigentibus, etiam
virtus quæ publicè claruerat, dissipatur. Sed operæprecium
credimus, si in his virtutem superni ordinis subtilius perpen-
G damus. Sæpe enim omnipotens Deus occulta quorundam 10.
mala tolerat, vt aperta eorum bona electorum suorum vsibus
profutura dispenset. Nam nonnulli mundũ nequaquam fun-
ditùs deserentes, non perseueraturi angustum iter arripiunt,
sed ad quærendam angustam viam exemplo suo eos qui per-
seueraturi sunt, accendunt. Vnde plerunque contingit, vt ip-
sum hoc quod bene videntur viuere, non sibi, sed solis po-
tius electis viuant: dum exemplis suis ad bene viuendi studia
perseueraturos alios non perseueraturi prouocant. Sæpe ve-
rò quosdam videmus viam ingredi, ad locum propositum
festinare, quos alij quia euntes conspiciunt, sequuntur: eun-
démque locum pariter petunt. Sed fit plerunque vt irruente
aliquo implicationis articulo, post se redeant qui præibant,
& hi ad locum perueniant, qui sequebantur. Ita nimirum sunt
qui non perseueraturi viam sanctitatis arripiunt. Idcirco e-
nim virtutis iter non peruenturi inchoant, vt eis qui peruen-
turi sunt, quà gradiantur, ostendant. Quorum etiam casus v-
tilitate non modica electorum profectibus seruit: quia illo-
H rum lapsum dum conspiciunt, de suo statu contremiscunt, &
ruina quæ illos damnat, istos humiliat. Discunt enim in su-
perni adiutoris protectione confidere, dum plerosque con-
spiciunt de suis viribus cecidisse. Quando ergo bene agere
videntur reprobi, quasi planum iter electis sequentibus mõ-
strant: quando verò in lapsum nequitiæ corruũt, electis post
se pergentibus quasi cauendam superbiæ foueam ostendunt.
Eat ergo Leuiathan iste, & solis sibi radios subdat, atque au-
rum luti more subiiciat. Scit omnipotens Deus ad electorum
suorum solatium bene vti malo reproborum, quando hi qui
ad illum peruenturi sunt, & suis ad eum meritis proficiunt, &
sæpe in eo quod superbè sapiunt, alienis lapsibus corrigun-
tur. Sed si hæc Leuiathan iste agit in eis etiam quos claros ali-
qua virtus ostendit, quid de illis facturus est quorum mens,
vel ex parte aliqua subleuata à terrenis cõcupiscentiis nõ est?
Quos tamen diuinus sermo apertè exprimit, dum subiungit:

Quòd in tantum cæci erunt qui adhærebunt antichristo, vt feruentes in contumeliis, & morte sanctorum, arbitrentur obsequium se præstare Deo. Caput XIIII.

Feruescere faciet quasi ollam profundum mare.) Quid per mare
nisi vita secularium, quid per profundum, nisi altæ & ab-
ditæ eorum cogitatones exprimuntur? Quod profundum
mare Leuiathan iste quasi ollam facit feruescere: quia nimi-
rum constat, quòd persecutionis extremæ tempore, contra
electorum vitam studeat animos reproborum per flammam
crudelitatis excitare. Tunc profundum mare quasi olla fer-
uescit, cùm corda reproborum valido ardore succendit: &
quæ hoc pacis tempore intra suam malitiam clausa latuerunt,
tunc in æstum immanissimæ persecutionis ebulliunt, ac per
abruptam crudelitatis apertæ licentiam, ea quæ diu presse-
rant odia antiqui liuoris exhalant. Quia autem pestifero er-
rore persuasi, sic in istis famulantur antichisto, vt tunc verius
præbere se æstiment obsequium Christo: postquam dixit:
Feruescere faciet quasi ollam profundum mare, aptè subiun-
11. xit: *Ponet quasi cùm vnguenta bulliunt.*) Vnguenta quippe cũ
bulliunt, fragrantiam suauitatis reddunt. Quia ergo Leuia-
than iste ita seducet corda reproborum, vt quicquid agunt
ex iniquitate perfidiæ, pro veritate rectę fidei se agere suspi-
centur, quasi bene eis olet id, quod zelo religionis exercent.
Ioan.16. Vnde in Euangelio discipulis veritas dicit: Vt omnis qui
interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Igitur
sicut olla feruent, dum crudeliter persequuntur: sed apud eos
ipsa persecutio, vnguentorum fragrantiam redolet, dum
mens eorum vanis suspitionibus decepta, æstimat quia Deo
obsequium persoluat. In scriptura enim sacra vnguentorum
odoribus opinio solet signari virtutum. Vnde sponsa in Cã-
ticis canticorum sponsum desiderans dicit: In odore vnguẽ-
torum tuorum currimus. Et vnde Paulus apostolus virtutũ
Canti.1. laude fragrare se sciens, ait: Christi bonus odor sumus Deo.
2.Corin.2. Itaque quia Leuiathan iste ministros illius perditi vasis sui
in crudelitatis opera sub opinione laudis, & prætextu virtu-
tis intercipit, postquam dixit: Feruescere faciet quasi ollam
profundum mare, rectè mox subdidit: Ponet quasi cùm vn-
guenta bulliunt: Quod enim per crudelitatis incendium ma-
re feruet, hoc in eorundem iudicio qui excæcantur falso no-
mine virtutis ac si vnguenta bulliant, ostendit: vt tantò atro-
ciores ad crudelitatem fiant, quantò se etiam merere præmia
quasi pro zelo religionis existimant. Iustúmque hoc est di-
uino iudicio, vt qui pietatis vim perpendere & custodire ne-
gligunt, suspitionis suæ odore fallantur. Vnde & ad illusio-
nis augmentum, eos crudelia perpetrantes, signa quoque ac
prodigia subsequuntur, & rectè subiungitur:

Quòd antichristi semita multis miraculis fulgeat. Caput XV.

12. *Post eum lucebit semita.*) Post Leuiathan quippe semita luce-
re perhibetur: quia quaquà transit, admirationem nimiã
ex miraculorum suorum claritate derelinquit, & siue per se,
seu per ministros suos quolibet prodeat, mendacibus signis
coruscat. Vnde & hoc quod iam sæpe protulimus, in Euan-
Marci 13. gelio veritas dicit: Surgent pseudochristi & pseudoprophe-
tæ, & dabunt signa & prodigia: ita vt in errorem inducan-
tur, si fieri potest, etiam electi. Semita igitur post Leuiathan
lucet: quia quorum corda penetrat, eorum opera prodigiis
illustrat, vt nimirum tantò altius eorum mentes in erroris te-
nebris teneat, quantò per eos foris quasi potentius lucem de
miraculis ostendat. Sed sunt nonnulli qui in memoria & ver-
ba prophetica, & Euangelica præcepta retinentes, sciant &
falsa esse signa quæ exhibet, & vera supplicia ad quæ decipi-
ens trahit. Horum corda Leuiathan iste, quia sanctitatis o-
stentatione non intercipit, in alia se eis illusione componit.
Quosdam nanque hæc scientes, sed tamen præsentem vitam
diligentes conspicit, quorum protinus mẽtibus ventura sup-
plicia leuigat, finienda quandoque districtionis iudicia asse-
rit, & deceptos callidè ad præsentes voluptates rapit. Vnde
& aptè mox subditur:

Quòd ita infatuati sunt quidam hæretici, quòd iudicium Dei finem habere existiment, & minas tormentorum ad terrorem tantum intentas à Deo, vt à peccatorum perpetratione genus humanum compesceret. Caput. XVI.

A *Æstimabit abyssum quasi senescentem.*) Quòd æterna incom- *Indicia dei*
prehensibiliáque iudicia abyssi soleant nomine designa- *abyssi di-*
ri, Psalmista testatur dicens: Iudicia tua abyssus multa. Sene- *cuntur.*
ctus verò aliquando pro finis propinquitate ponitur. Vnde *Psalm.35.*
Apostolus ait: Quod antiquatur & senescit, prope interitum *Hebr.8.*
est. Leuiathan itaque iste æstimabit abyssum quasi senescen- *Quomodo*
tem: quia reproborum corda sic infatuat, vt suspitionem eis *Leuiathan*
de venturo iudicio quòd quasi finiatur, infundat. Abyssum *reproborum*
nanque senescere æstimat, qui terminari quandoque in sup- *corda infa-*
pliciis supernam animaduersionem putat. Igitur antiquus iste *tuet.*
persuasor in membris suis, id est, in mentibus iniquorum, fu-
turas pœnas quasi certo fine determinat, vt eorum culpas sine
termino correptionis extendat, & eo magis hic peccata non
finiunt, quo istic æstimãt peccatorum supplicia finienda. Sunt *Error Ori-*
enim nunc etiam qui idcirco peccatis suis ponere finem ne- *genistarum.*
gligunt, quia habere quandoque finem futura super se iudicia *Confutatio*
suspicãtur. Quibus breuiter respõdemus, si quandoque finiẽ- *illorum.*
da sunt supplicia reproborum, quandoque finienda sunt er-
B go & gaudia beatorum. Per semetipsam nanque veritas dicit:
Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æter- *Matth.25.*
nam. Si igitur hoc verum non est quod minatus est, neque il-
lud verum est quod promisit. At inquiunt, ideo æternam pœ- *Euasio eorũ*
nam peccantibus minatus est, vt eos à peccatorum perpetra-
tione compesceret: quia creaturæ suæ æterna supplicia minari
debuit, non inferre. Quibus citius respondemus: Si falsa mina- *Repulsio.*
tus est, vt ab iniustitia corrigeret, etiam falsa pollicitus est, vt
ad iustitiam prouocaret. Et quis hanc eorum væsaniam tole-
ret, qui dum promissionibus suis reproborum supplicia finiri
assertione sua etiam electorum præmia remuneratiónesque
confundunt. Quis hanc eorum væsaniam toleret, qui conan-
tur astruere verum non esse quod veritas de æterno igne mi-
nata est, & dum satagunt Deum perhibere misericordem, non
verentur prædicare fallacem? At inquiunt: Sine fine puniri nõ *Obiectio*
debet culpa cum fine. Iustus nimirum est omnipotens Deus, *prædicto-*
& quod non æterno peccato commissum est, æterno non de- *rum.*
C bet puniri tormento. Quibus citius respondemus, quòd rectè
dicerent, si iudex iustus districtúsque veniens, non corda ho- *Responsio.*
minum, sed facta pẽsaret. Iniqui enim ideo tunc cum fine de-
liquerunt: quia cum fine vixerunt. Voluissent quippe sine fine
viuere, vt sine fine potuissent in iniquitatibus permanere. Nã
magis appetunt peccare quàm viuere: & ideo hîc semper vi-
uere cupiunt, vt nunquam desinant peccare, cùm viuunt. Ad
districti ergo iudicis iustitiam pertinet, vt nunquam careant
supplicio, quorũ mens in hac vita nunquã voluit carere pecca-
to, & null⁹ detur iniquo terminus vltionis, qui quãdiu valuit,
habere noluit terminum criminis. At inquiunt: Nullus iu- 13.
stus crudelitatib⁹ pascitur, & delinquens seruus à iusto domi- *Alia obie-*
no idcirco cædi præcipitur, vt à nequitia corrigatur. Ad ali- *ctio.*
quid ergo cæditur, cùm non eius dominus cruciatibus dele-
ctatur. Iniqui autem gehennæ ignibus traditi, quo fine sem-
per ardebunt? Et quia certum est quòd pius atque omnipo-
tens Deus non pascitur cruciatibus iniquorum, cur crucian-
tur miseri si non expiantur? Quibus citius respondemus, quòd *Responsio.*
D omnipotens Deus qui pius est, miserorum cruciatu non pa-
scitur: quia autem iustus est, ab iniquorum vltione in perpe-
tuum non sedatur. Sed iniqui omnes æterno supplicio, & qui-
dem sua iniquitate puniuntur, & tamen ad aliquid concremã-
tur, scilicet vt iusti omnes, & in Deo videant gaudia quæ per-
cipiunt, & in istis respiciãt supplicia quæ euaserunt: vt tãtò in
æternũ magis diuinæ gratiæ debitores se esse cognoscãt, quã-
tò in æternum mala puniri conspiciũt, quæ eius adiutorio vi-
tare potuerunt. At inquiunt: Et vbi est quòd sancti sunt, si pro *Alia cauil-*
inimicis suis quos tunc ardere viderint, nõ orabũt: quibus vti- *latio.*
que dictum est: Pro inimicis vestris orate? Sed citius respõde- *Marci 5.*
mus: Orant pro inimicis suis eo tempore, quo possunt ad fru- *Responsio.*
ctuosam pœnitẽtiam eorum corda conuertere, atque ipsa cõ-
uersione saluare. Quid enim aliud pro inimicis orandũ est, nisi
hoc quod Apostolus ait: Vt det illis Deus pœnitẽtiam, & resi- *2.Tim.2.*
piscant à diaboli laqueis, à quo capti tenentur, ad ipsius volũ-
tatem? Et quo modo pro illis tunc orabitur, quãdo iam nulla-
tenus possunt ad iustitię opera ab iniquitate commutari? Eadẽ
itaque causa est, cur nõ oretur tũc pro hominibus ęterno igne
damnatis, quæ nunc etiam causa est, vt nõ oretur pro diabolo

angelísque eius æterno supplicio deputatis. Quæ nunc etiam E
causa est vt non orent sancti homines pro hominibus infidelibus impiísque defunctis, qui de eis vtique quos æterno deputatos supplicio iam nouerunt, ante illum iudicis iusti conspectum orationis suæ meritum cassari refugiunt. Quòd si nunc quoque viuentes iusti mortuis, & damnatis iniustis minimè compatiuntur, quando adhuc aliquid iudicabile de sua carne se perpeti etiam ipsi nouerunt, quanto districtius tunc iniquorum tormenta respiciunt, quando ab omni vitio corruptionis exuti, ipsi iam iustitiæ vicinius atque arctius inhærebunt? Sic quippe eorum mentes per hoc quòd iustissimo iudici inhærent, vis districtionis absorbet: vt omnino eis non libeat quicquid ab illius internæ regulę subtilitate discordat. Sed quia suborto occasionis articulo, hæc cõtra Origenistas breuiter diximus, ad eum quem prætermisimus, exponendi ordinem recurramus. Postquam misericors Dominus callida machinamẽta Leuiathan istius indicauit, apertè predicens omne quod electos exteri' vehemẽter opprimit, omne quod interius suggestione sua reprobis blandienter infundit, mox F
immanitatem virtutis illius breuiter insinuans subdit:

Quòd reprobus angelus antequam peccaret, omni creaturæ prælatus sic factus est, vt Deum & amans timeret & timens amaret: sed sua peruersitate talis factus est, vt nullum timeret.

Caput XVII.

14. N*On est super terram potestas quæ comparetur ei.*) Potestas eius super terram cunctis eminentior perhibetur: quia etsi actionis suæ merito infra homines cecidit, omne tamen humanum genus naturæ angelicæ conditione transcendit. Quanuis enim internæ fœlicitatis beatitudinem perdidit, naturæ tamen suæ magnitudinem non amisit, cuius adhuc viribus humana omnia superat, licet sanctis hominibus meritorum suorũ deiectione subiaceat. Vnde & eisdem sanctis contra hunc decertãtibus eo retributionis suę meritũ crescit, quo ille ab eis vincitur, qui per naturę potẽtiã quasi iure se hominibus superesse gloriatur. Sequitur: *Qui factus est, vt nullum timeret.*) Sic quidem factus est per naturam, vt cõditorem suum G
castè timere debuisset, timore videlicet sobrio, & securo, nõ timore quẽ foras charitas mittit, sed timore qui in seculũ seculi permanet, id est, quem charitas gignit. Aliter enim timet coniugẽ vxor amans, aliter dominum ancilla peccans. Sic ergo fuerat iste conditus: quatenus timore læto autorem suum, & amans metueret, & metuens amaret. Sed sua peruersitate talis factus est, vt nullum timeret. Ei quippe à quo conditus fuerat, subesse despexit. Ita enim De' super omnia est, vt ipse sub nullo sit. Leuiathan verò iste eius celsitudinis culmen aspiciẽs, ius peruersę libertatis appetiit, vt & præesse cæteris, *Esaiæ 14.*
& nulli subesset: dicens: Ascendam super altitudinem nubiũ, & similis ero altissimo. Cuius eo ipso similitudinem perdidit, quo esse ei superbè similis in celsitudine concupiuit. Qui enim charitatem eius imitari debuit, subditus ambiit eius celsitudinem, & hoc quod imitari poterat, amisit elatus. Celsus nimirum esset, si ei veraciter celsus est, inhærere voluisset. Celsus esset, si participatione veræ celsitudinis contentus fuisset. Sed dum priuatam celsitudinem superbè appetiit, iure H
perdidit participatam. Relicto enim eo cui debuit inhærere principio, suum sibi appetiit quodammodo esse principium. Relicto eo qui verè illi sufficere poterat, se sibi sufficere posse iudicauit: & tantò magis infra se cecidit, quantò magis se contra gloriam sui cõditoris erexit. Nam quem exaltabat libera seruitus, deiecit captiua libertas. Qua libertate nunc vt nullum timeat, effrenatur: sed ipsa grauiter effrenatione restringitur. Superno enim iudicio cuncta mirabiliter ordinante, vnxit illum libertas quam appetiit: quia nunc omnimodo non timens omnibus suppliciis subiacet, qui elementis etiam superesse poterat, si vnum quem debuit timere voluisset. Vnum profectò timeret omnia posidens, qui nunc vnum non timens omnia patitur. Factus est ergo vt nullum timeret, nullum videlicet, quia nec Deum: sed neque hoc quod passurus est, metuit. Cui nimirum felicius fuerat, timendo vitare supplicia, quàm non timendo tolerare. Appetitum itaque celsitudinis vertit in rigorem mentis, vt damnatus iam per duritiam se malè egisse non sentiat, qui præesse per gloriam quærebat. Nam quia ius quæsitæ potestatis non obtinuit, quasi quoddã superbię suæ remedium insaniam insensibilitatis inuenit, & quia prouecti transgredi cuncta nõ potuit, respectu se contra cuncta præparauit. Cuius adhuc superbia studiosè describitur, cùm protinus subinfertur: *Omne sublime videt.*) 15.
id est, cunctos velut intra se positos quasi de sublimi respicit: quia dum per intentionem contra authorem nititur, æstimare sibi quemlibet similem dedignatur. Quod aptè etiam eius membris congruit: quia omnes iniqui per tumorem cordis elati, cunctos quos cernunt, superbiæ fastu despiciunt, & si quando exterius venerantur, intus tamen in secreto cordis, vbi apud se sua æstimatione magni sunt, cunctorum sibi vitam meritúmque postponunt, eósque infra se esse respiciunt: quia per elãtam cogitationem cordis in cuiusdam se altitudinis arce posuerunt. Quibus bene per Prophetam dicitur: Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Hinc etiam Paulus ait: Nolite prudentes esse *Esaiæ 5.*
apud vosmetipsos. Hinc ad Saul diuina increpatione dicitur: *Roma. 12.*
Nónne cùm esses paruulus in oculis tuis, caput te constitui *1. Reg. 15.*
in tribubus Israël? Paruulus quippe in oculis suis est, qui in eo quòd semetipsum considerat, imparem se alienis meritis 16.
pensãt. Nam quasi grãdem se aspicit, quisquis se super aliena merita elatione cogitationis extendit. Saul autem reprobus in bono quod cœperat, non permansit: quia fastu susceptæ potestatis intumuit. At contrà Dauid semper de se humilia sentiens, eiusdémque Saul se comparationi postponens, postquam feriendi locum reperit, & pepercit eidem sæuienti aduersario, humili se professione prostrauit, dicens: Quem *1. Reg. 24.*
persequeris rex Israël? quem persequeris? Canem mortuum, & pulicem vnum? Et certè iam vnctus in regem fuerat, iam exorante Samuele, & cornu super se oleum fundente didicerat quòd eum diuina gratia, Saul reprobato, ad regni gubernacula posidendo seruabat, & tamen persequenti aduersario mente humili se substernebat, cui diuino iudicio prælatum se esse nouerat. Illi itaque se humiliter postponebat, cui per elationis gratiam incomparabiliter se nouerat esse meliorem. Discant ergo quomodo humiliari proximis debeant, qui adhuc quo loco apud Deum habeantur, nesciunt, si sic se electi etiam illis humiliant, quibus iam se per interna iudicia interpositos deprehendunt'. Hoc autem proprium esse specimen electorum solet, quòd de se semper sentiunt infrà quàm sunt. Hinc nanque ab eodem Dauid dicitur: Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam. *Psalm. 130.*
Hinc Salomon ad sapientiam paruulos vocat, dicens: Si quis *Prouer. 9.*
est paruulus, veniat ad eam. Qui enim necdum semetipsum despicit, humilem Dei sapientiam non apprehendit. Hinc in Euangelio Dominus dicit: Confiteor tibi Domine pater *Matth. 11.*
cœli & terræ: quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Hinc rursùm Psalmista ait: Cu- *Psalm. 114.*
stodiens paruulos Dominus. Hinc magister gentium dicit: *1. Thess. 2.*
Facti sumus paruuli in medio vestri. Hinc discipulos admo- *Philip. 2.*
nens ait: Superiores sibi inuicem arbitrantes. Nam quia iniquus quisque inferiorem se omnem quem cognouit, putat: è diuerso iustus studet, vt superiorem quemlibet proximum attendat. Ac ne dum se alij alter humiliat, humiliatio iret alteri in elationem, bene vtranque partem admonuit, dicens: Superiores sibi inuicem arbitrantes, vt in cogitationibus cordis, & ego mihi illum præferẽ, & vicissim ille me sibi: vt cùm ab vtraque parte cor inferius premitur, nullus ex impenso honore subleuetur. Sed hanc humilitatis formam reprobi, quia Leuiathan huius membra sunt, vel cognoscere, vel tenere contemnunt, qui & si quando se humiles speciẽtenus ostẽdunt, humilitatis vim seruare intrinsecus negligũt. Quibus sæpe accidit, vt si quando vnũ quodlibet bonũ, vel minimum faciant, à malis suis omnibus respectũ mentis protinus auertant, atque hoc quod vel extremum bonũ fecerint, tota intentione semper inspiciant, & ex eo sese iam quasi sanctos aspiciant, obliti malorum omnium quæ commiserunt, vnius sui tantummodo boni memores, quod fortasse facere, nec perfectè potuerunt, sicut euenire contrà electis solet: vt cùm multarum virtutum gratia polleant, vnum eos vel tenuissimum vitium valde defatigans pulset: quatenus dum ex quadam parte sese infirmari considerant, de his virtutibus in quibus præualent, se minimè extollant: dumque de infirmitate

trepidant,

trepidant, hoc quoque vbi fortes sunt, humilius seruant. Sæ- A
pe ergo reprobi per hoc quòd vnum, vel minimum bonum suum incautè conspiciunt, mala multa & grauia in quibus demersi sunt, non agnoscunt. Et sæpe electi per hoc, quòd ad tenuissimum malum suum infirmari trepidant, mira dispensatione agitur, vt magna bona ad quæ prouecti sunt, non amittant. Iusti itaque & occulti examinis mensura disponitur, vt istos mala & adiuuent, & illos bona grauent, dum & isti ad prouectum boni vtuntur leuibus malis, & illi ad augmentum mali vtuntur minimis bonis. Isti quippe inde perfectius in bono proficiunt, vnde de malo tentantur, illi autem inde ad maiùs malum deficiunt, vnde de bono gloriantur. Sic itaque malè bono vtitur reprobus, & bene malo vtitur probus: sicut sæpe contingit, vt alius ex cibo salutifero inordinatè sumpto, pestem languoris incurrat, alius veneno serpentis in medicamine ordinatæ confectionis adhibito, languoris molestiam vincat. Ille ergo qui cibo salutifero vti rectè noluit, inde perniciosè moritur, vnde alij salubriter viuunt, iste autẽ qui veneno serpentis cautè vti studuit, inde salubriter viuit, vnde alij perniciosè moriuntur. Venenum ergo serpentis non ipsam nequitiam, sed suggestionem nequitiæ dicimus, qua nolentes sæpe renitẽtésque tentamur. Quod tunc in medicamen vertitur, cùm mens virtutibus erecta conspectis contra se tentationibus humiliatur. Iniqui igitur atque ab approbatione interni examinis reprobi, quælibet opera faciãt, in quibuslibet virtutibus enitescant, humilitatis sensum penitus ignorant: quia nimirum Leuiathan huius membra sunt, de quo superna voce dicitur:

De regula humilitatis, & de superbia disputatio.

Caput XVIII.

O*mne sublime videt:*) quia non solùm per semetipsum, sed per eorum quoque corda quos ceperit, quasi de sublimi cunctos inferius despicit. Notandum verò quòd Leuiathan iste, qui per corpoream bestiam designatur, sublime videre describitur: quia videlicet cordis superbia cùm exterius vsque ad corpus extenditur, prius per oculos iudicatur. C
Ipsi quippe per fastum tumoris inflati, quasi ex sublimi respiciunt, & quo se deprimunt, altius extollunt. Nisi enim superbia per oculos quasi per quasdam se fenestras ostenderet, nequaquam Deo Psalmista dixisset: Populum humilem sal- *Psalm. 17.*
uum facies, & oculos superborum humiliabis: Nisi se superbia per oculos sunderet, Salomon quoque de Iudææ elatione non diceret: Generatio cuius excelsi sunt oculi, & pal- *Prouer. 30.*
pebræ eius in altum surrectæ. Quia ergo per corporeum animal Leuiathan iste signatur, & superbia vsq; ad corpus prodiens, apertius oculis principatur, antiquus hostis quasi de sublimi omnes videre describitur. Sed quia multa de ostendendo humani generis inimico prolata sunt, valde mens appetit, vt in fine locutionis dominicæ, vnum aliquid manifestius exprimatur: vnde membra illius breui nobis designatione monstrentur. Sequitur: *Ipse est rex super vniuersos filios superbiæ.*) Vt Leuiathan iste in cunctis quæ superius dicta sunt, caderet, sola se superbia perculit. Neque enim per tot illos vitiorum ramos arescere, nisi per hanc prius in radice putruis- D
set. Scriptum est nanque: Omnis peccati initium superbia. *Eccles. 10.*
Per hanc enim ipse succubuit, per hanc se sequentem hominẽ strauit. Eo etenim telo salutẽ nostræ immortalitatis impetiit, quo vitã suæ beatitudinis extinxit. Sed idcirco hãc Domin' fini suæ locutionis inseruit, vt cùm post mala omnia Leuiathan istius superbiam diceret, quid esset malis omnibus deterius indicaret. Quanuis etiam per hoc quòd in imo ponitur, vitiorum radix esse monstretur. Sicut enim inferius radix tegitur, sed ab illa rami extrinsecus expanduntur: ita se superbia intrinsecus cælat, sed ab illa protinus aperta vitia pullulant. Nulla quippe mala ad publicum prodirent, nisi hæc mentem in occulto constringeret. Hæc est quæ Leuiathan istius sensum feruescere sicut ollam facit. Vnde & humanas mentes in quodam feruore insaniæ concutit, sed per aperta opera qualiter concussi animam euertat, ostendit. Intus nanque prius ebullit in elatione, quod foris postmodum spumat in opere.

18. Sed quia occasio de superbię disputatione se præbuit, debemus hanc subtilius solicitiúsque discutere, atque ad humanas mentes quanta vel qualis veniat, & quibus qualitérve

surripiat demõstrare. Alia quippe vitia eas solummodo virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur: vt videlicet ira patientiam, gastrimargia abstinentiam, libido continentiam expugnet. Superbia autem, quam vitiorum radicem diximus, nequaquam vnius virtutis extinctione contenta contra cuncta animæ membra se erigit, & quasi generalis ac pestifer morbus corpus omne corrumpit: vt quicquid illa inuadente agitur, etiam si esse virtus ostenditur, non per hoc Deo, sed soli vanæ gloriæ seruiatur. Quasi enim tyrannus quidam obsessam ciuitatem intercipit, cùm mentem superbia irrumpit, & quo ditiorem quenque cœperit, eo in dominio durior exurgit: quia quo amplius res virtutis sine humilitate agitur, eo latius ista dominatur. Quisquis verò eius in se tyrannidem captiua mẽte susceperit, hoc primum damnum patitur, quòd clauso cordis oculo, iudicij æquitatem perdit. Nam cuncta quæ ab aliis bene geruntur, displicent: & sola ei quæ ipse vel prauè egerit, placent. Semper aliena opera despicit, semper miratur quæ ipse facit: quia & quicquid egerit, egisse se singulariter credit, B
atque in eo quod exhibet per gloriæ cupiditatem, sibimetipsi fauet per cogitationem, & cùm se in cunctis transcendere cæteros æstimat, per lata cogitationum spacia secum deambulãs, laudes suas tacitus clamat. Nonnunquam verò ad tantam elationem mens ducitur: vt in eo quod timet, etiam per ostentationem locutionis effrenetur. Sed tantò facilius ruina sequitur, quantò apud se quisque impudentius exaltatur. Hinc e- *Prouer. 16.*
nim scriptum est: Ante ruinam exaltatur cor. Hinc per Daniẽ- *Danie. 4.*
lem dicitur: In aula Babylonis deambulabat rex, respondítque & ait: Nónne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, in gloria decoris mei? Sed hunc tumorem quàm concita vindictæ ira represserit, ilico adiunxit dicens: Cùm adhuc sermo esset in ore regis, vox de cœlo ruit: Tibi dicitur, Nabuchodonosor rex: Regnum transiet à te, & ab hominibus te eiicient, & cum bestiis ferísque erit habitatio tua, fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te. Ecce quia tumor mentis vsque ad aperta verba se protulit, patientia iudicis protinus vsque ad sententiam erupit, tantóque hunc districtius perculit, quantò eius se superbia immoderatius erexit: & quia enumerando bona dixit in quibus sibi placuit, enumerata mala in quibus feriretur, audiuit. Sciendum verò est quòd i- 19.
psa hæc de qua tractamus, elatio alios ex rebus secularibus, alios verò ex spiritalibus posidet. Alter nanque intumescit auro, alter eloquio, alter infimis & terrenis rebus, alter summis cœlestibusque virtutibus: vna tamen eadémque res ante oculos Dei agitur, quanuis ad humana corda veniens, in eorum obtutibus diuerso amictu pallictur. Nam cùm is qui de terrena prius gloria superbierat, postmodum de sanctitate extollitur, nequaquam cor eius elatio deseruit, sed ad eum consueta veniens, vt cognosci nequeat, vestem mutauit. Sciendum quoque est quòd aliter hæc præpositos, atque aliter subditos tentat. Prælato nanque in cogitationibus suggerit: quia solo vitæ merito super cæteros excreuit, & si qua ab eo bene aliquando gesta sunt, hæc importunè eius animo obiicit, & cùm hunc Deo singulariter placuisse insinuat, quo facilius suggesta persuadeat, ipsam ad testimonium potestatis traditæ retributionem vocat, dicens: Quia nisi omnipotens Deus te his omnibus meliorem cerneret, omnes hos sub tuo regimine non dedisset, eiúsque mox mentem erigit, viles atque inutiles eos qui subiecti sunt, ostendit: ita vt nullum iam quasi dignũ respiciat, cui æquanimiter loquatur. Vnde & mox mentis trãquillitas in iram vertitur: quia dum cunctos despicit, dum sensum vitámque omnium sine moderamine reprehendit, tantò effrenatius se in iracundiam dilatat, quantò eos qui sibi commissi sunt, esse sibimet indignos putat. At contrà cùm 20.
subiectorum cor superbia instigat, hoc summopere nititur agere, vt sua acta considerare funditùs negligant, & semper tacitis cogitationibus rectoris sui iudices fiant: qui dum in illo quod reprehendere debeant, importunè respiciunt, in semetipsis quod corrigant nunquam videt. Vnde & tantò atrocius pereunt, quantò à se oculos auertunt: quia in huius vitæ itinere offendentes corruunt, dum alibi intendunt. Et quidem peccatores se asserunt, ne tamen tantum, vt tam noxiæ in regimine personæ traderentur, consi-

derant. Et dum eius facta despiciunt, dum præcepta contemnunt, ad tantam vsque insaniam deuoluuntur, vt Deum res humanas curare non æstiment: quia ei qui quasi iure reprehenditur, esse se commissos dolent. Sicque dum contra rectorem superbiunt, etiam contra iudicia conditoris intumescunt: & dum pastoris sui vitam diiudicant, ipsam quoque sapientiam omnia disponentis impugnant. Sæpe autem rectoris sui dictis proterue obuiant, & eandem vocis superbiã libertatem vocant. Sic quippe elatio se quasi pro libertatis rectitudine obiicit sicut sæpe se, & timor pro humilitate supponit. Nam sicut plerique reticent ex timore, & tamen tacere se æstimant ex humilitate, ita nonnulli loquũtur per impatientiam elationis, & tamen loqui se credunt per libertatem rectitudinis. Aliquando autem subditi proterua quæ sentiunt, nequaquam produnt, & hi quorum loquacitas vix compescitur, nonnunquam ex sola amaritudine intimi rancoris obmutescunt. Qui per dolorem mentis, procacitatis suæ verba subtrahentes, cùm malè loqui soleant, peius tacent: quia cùm peccantes aliquid de correctione audiunt, indignantes etiam responsionis verba suspendunt. Cum his quando asperè agitur, sæpe ad querelæ vocem de hac ipsa asperitate prosiliunt. Cùm verò eos magistri sui blandè præueniunt, de hac ipsa humilitate qua præuenti sunt grauius indignantur, & tantò eorum mens vastius accenditur, quantò consideratius infirmari iudicatur. Hi nimirum quia humilitatem, quæ virtutum mater est, nesciunt, vsum laboris sui perdunt, etiam si qua bona sunt quæ operari videantur: quia surgentis fabricæ robusta celsitudo non figitur, quæ nequaquam per fundamẽti fortitudinem in petra solidatur. Soli ergo ruinæ crescit quod ædificant: quia ante molẽ fabricæ, humilitatis fundamina nõ procurant. Quos bene ab intimis prodimus, si paucis in exterioribus ostendamus. Cunctis nanq; superba apud se cogitatione tumentibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, honestas in imagine, erectio in incessu, rancor in responsione. Horum mens semper est ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad lacessendos verò alios importuna, ad ea quæ facere & debet & præualet, ignaua, ad ea autem quæ facere nec debet nec præualet, parata. Hæc in eo quòd sponte non appetit, nulla exhortatione flectitur, ad hoc autem quod latenter desiderat, quærit vt cogatur: quia dum metuit ex desiderio suo vilescere, optat vim in ipsa sua voluntate tolerare.

21. Igitur quia humanos animos aliter tentari ex rebus carnalibus, atque aliter ex spiritalibus diximus, audiant illi: Omnis caro fœnum, & gloria eius sicut flos fœni. [Esaiæ 40.] Audiant & isti quod quibusdam post miracula dicitur: Nescio vos vnde sitis, discedite à me omnes operarij iniquitatis. [Lucæ 13.] Audiant illi: Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. [Psalm. 61.] Audiant isti quia fatuæ virgines quæ cum vacuis vasculis veniunt, ab internis nuptiis excluduntur. [Matth. 25.] Rursum quia aliter tentari prælatos, atque aliter subditos præfati sumus, audiant illi quod per quendam sapientem dicitur: Ducem te cõstituerunt? noli extolli, sed esto in illis quasi vnus ex eis. [Eccle. 32.] Audiant isti: Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris. [Hebr. 13.] Audiant illi cùm de accepta potestate gloriantur, hoc, quod Abrahæ voce ardenti diuiti dicitur: Memento fili, quia recepisti bona in vita tua. [Lucæ 16.] Audiant isti cùm contra rectores suos in querela prosiliunt, hoc quod murmuranti populo Moysi & Aaron vocibus respondetur: Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. Nos enim quid sumus? [Exod. 16.] Audiant illi: Turbabuntur in conspectu eius patres orphanorum, & iudices viduarum. [Psalm. 67.] Audiant isti, quid contra contumaciam subditorum dicitur: Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. [Roma. 13.] Audiant simul omnes: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. [Iaco. 4.] Audiant omnes: Immundus est apud Deum omnis qui exaltat cor suum. Audiant omnes: Quid superbis terra & cinis? [Eccle. 10.] Contra huius languoris pestem audiamus cuncti quod magistra veritas docet, dicens: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. [Matth. 11.]

22. Ad hoc nanque vnigenitus dei filius formam infirmitatis nostræ suscepit, ad hoc inuisibilis, non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit, ad hoc contumeliarum ludibria, irrisionum opprobria, passionúmque tormenta tolerauit, vt superbum non esse hominem doceret humilis Deus. [Cur vnigenitus dei filius se humiliauerit.] Quanta ergo humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam is, qui sine æstimatione magnus est, vsq; ad passionem factus est paruus? Quia enim originem perditioni nostræ superbia præbuit diaboli, instrumentum redẽptionis nostræ inuenta est humilitas Dei. Hostis quippe noster magnus inter omnia conditus, videri super omnia voluit elatus. Redemptor autem noster magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est paruus. Sed melius & elationis causam detegimus, & fundamenta humilitatis aperimus, si breui commemoratione perstringimus, quid mortis author, quid vitæ conditor dicat: Ille nanque ait: In cœlum ascendam. [Esaiæ 14.] Iste autem per Prophetam dicit: Repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit. [Psalm. 87.] Ille dicit: Supra astra cœli exaltabo solium meum. [Esa. 14.] Iste humano generi à paradisi sedibus expulso dicit: Ecce venio citò, & habitabo in medio tui. [Zacha. 2.] Ille dicit: Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. [Esaiæ 14.] Iste dicit: Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. [Psalm. 21.] Ille dicit: Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero altissimo. [Esaiæ 14.] Iste cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiẽs: [Philip. 2.] & per membra sua loquitur dicens: Domine quis similis tibi? [Psalm. 85.] Ille per membra sua loquitur dicens: Nescio Dominum, & Israël non dimittam. [Exod. 5.] Iste per semetipsum dicit: Si dixero quia non noui eum, ero similis vobis mendax: sed noui eum, & sermonem eius seruo. [Ioan. 8.] Ille dicit: Mea sunt flumina, & ego feci ea. [Ezech. 29.] Iste dicit: Non possum à meipso facere quicquam. [Ioan. 14.] Et rursum: Pater meus in me manens, ipse facit opera. [Ibidem.] Ille regna omnia ostendens dicit: Tibi dabo potestatem hanc vniuersam & gloriam illorum: quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa. [Lucæ 4.] Iste dicit: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram, vel ad sinistram meam, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo. [Matth. 20.] Ille dicit: Eritis sicut dij, scientes bonum & malum. [Gene. 3.] Iste dicit: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. [Actu. 1.] Ille vt voluntas diuina despici, & vt posit propria suaderi, dicit: Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis ex omni ligno paradisi? [Gene. 3.] Et paulopòst: Scit enim Deus quòd in quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri. Iste dicit: Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. [Ioan. 5.] Ille per membra sua loquitur, dicens: Nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra, coronemus nos rosis antequam marcescant, vbique relinquamus signa lætitiæ nostræ. [Sapien. 2.] Iste membris suis prænunciat dicens: Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit. [Ioan. 16.] Ille nihil aliud mentes sibi subditas docet quàm celsitudinis culmen appetere, cuncta æqualia mentis tumore transcendere, societatem omnium hominum alta elatione transire, ac sese & contra potentiam conditoris erigere, sicut de eisdem per Psalmistam dicit: Transierunt in dispositionem cordis, cogitauerunt & locuti sunt nequitias, iniquitatem in excelso locuti sunt. [Psalm. 72.] Iste ad sputa, ad palmas, ad colaphos, ad spineam coronam, ad crucem, ad lanceam, atque ad mortem veniens, membra sua admonet dicens: Si quis mihi ministrat, me sequatur. [Ioan. 12.]

23. Quia igitur redemptor noster corda regit humilium, & Leuiathan iste rex dicitur superborum, apertè cognoscimus quòd euidentissimum reproborum signum superbia est, at contrà humilitas electorum. Cùm ergo quam quisque habeat, cognoscitur: sub quo rege militet, inuenitur. Vnusquisque enim quasi quendam titulum portat operis, quo facilè ostendat sub cuius seruiat potestate rectoris. Vnde & per Euangelium dicitur: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. [Matth. 7.] Ne igitur nos Leuiathan istius membra vel mira faciendo fallerent, apertum signum Dominus quo deprehendi valeant demonstrauit, dicens: Ipse est rex super vniuersos filios superbiæ. Qui etsi quando fictam speciem humilitatis assumũt, semetipsos tamẽ cœlare in omnibus nequaquã possunt: quia eorum superbia diu latere non sustinens, cùm ex alia tegitur, ex alia actione denudatur. Qui verò sub rege humilitatis militant, semper pauidi, atque ex omni latere circunspecti,

cumspecti, aduersum iacula elationis pugnant, & quasi contra venientes ictus solum magis in suo corpore oculum custodiunt, dum in semetipsis principaliter humilitatem tuentur.

Libri trigesimiquarti Moralium sancti Gregorij finis.

B. GREGORII EXPOSITIONIS MORALIS LIBER TRIGESIMUSQUINTUS & vltimus, explicans quadragesimum secundum caput Beati Iob.

Caput I.

QVIA iste vltimus huius operis liber est, & locis difficilioribus pertractatis, minus obscura sunt quæ supersunt: libet hunc indulgentius remissiúsque transcurrere. Velut emenso enim magno mari, iam littus cernimus, & intentionis nostræ vela deponentes, non eodem quo prius impetu ducimur: sed tamen adhuc ex impulsione pristini flatus imus. Quasi anxietatis nostræ ventus cecidit, sed tamen eius vis iam seipsa tranquillior vsque ad stationem nos littoris impellit. Igitur postquam fideli famulo Dominus Leuiathan hostis eius quàm sit & fortis & callidus ostendit, dum vires illius subtiliter fraudésque patefecit, beatus Iob ad vtraque respondit, dicens:

Textus capitis. xlij. beati Iob.

RESpondens autem Iob Dominò, dixit: Scio quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio. Quis est iste qui cælat consilium absque sciẽtia? Ideo insipienter locutus sum, & quæ vltra modum excederent scientiam meã. Audi, & ego loquar: interrogabo te, & responde mihi. Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Postquam autem locutus est Dominus ad Iob verba hæc, dixit ad Elipham Themanitem: Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniã non estis locuti coram me rectũ sicut seruus meus Iob. Sumite ergo vobis septem tauros & septem arietes, & ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis. Iob autem seruus meus orabit pro vobis. Faciem eius suscipiam vt non vobis imputetur stultitia. Neq; enim locuti estis corã me rectum sicut seruus meus Iob. Abierunt ergo Elipham Themanites & Baldath Suites, & Sophar Naamathites, & fecerunt sicut locutus fuerat Dominus ad eos, & suscepit Dominus faciem Iob. Dominus quoque conuersus est ad pœnitentiam Iob, cùm oraret pro amicis suis. Et addidit Dominus omnia quæcunque fuerant Iob duplicia. Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, & vniuersæ sorores suæ, & cũcti qui nouerant eum prius, & comederunt cum eo panem in domo eius. Et mouerunt super eum caput, & consolati sunt eum super omni malo quod intulerat Dominus super eum, & dederunt ei vnusquisque ouem vnam & inaurem auream vnam. Dominus autem benedixit nouissimis Iob magis quàm principio eius. Et facta sunt ei quatuordecim millia ouium, & sex millia camelorum, & mille iuga boum, & mille asinæ, & fuerunt ei septem filij, & tres filiæ. Et vocauit nomen vnius Diem, & nomen secundæ Casiam, & nomen tertiæ Cornustibij. Non sunt autem inuentæ mulieres speciosæ, sicut filiæ Iob in vniuersa terra. Deditque eis pater suus hæreditatem inter fratres earum. Vixit autem Iob post flagella hæc centum quadraginta annis, & vidit filios suos, & filios filiorum suorum vsque ad quartam generationem, & mortuus est senex & plenus dierum.

Libri Iob finis.

Quòd omnis sapientia humana sapientiæ diuinæ comparata, insipientia est.

Caput II.

S*Cio quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio.*) Contra immanes quippe vires eius intulit: Scio quia omnia potes, contra occultas verò machinationes illius subiunxit. Et nulla te latet cogitatio. Vnde & mox Leuiathan eidem exprobrat dicens: *Quis est iste qui cœlat consilium absque scientia?*) Absque scientia enim Leuiathan cælat consilium: quia quamuis contra infirmitatem nostram multis fraudibus occultetur, protectoris tamẽ nostri sancta nobis inspiratione detegitur. Absque sciẽtia cęlat consilium: quia licèt tentatos lateat, latere tamen protectorem non potest † tentatorum. [† vel, Tentatorum igitur.] Igitur audita fortitudine, & calliditate diaboli, audita etiã creatoris nostri potentia, quæ & illum valenter reprimit, & nos misericorditer tegit, quæsumus beate Iob, vt quæ de temetipso sentis, nobis minimè occultes. Sequitur: *Ideo insipienter locutus sum, & quæ vltra modum excederent scientiam meam.*) Omnis humana sapientia quantolibet acumine polleat, diuinæ sapientiæ comparata, nec iusta nec pulchra, sed insipientia est. Omnia enim humana quæ iusta, quæ pulchra sunt, Dei iustitiæ & pulchritudini comparata, nec iusta nec pulchra sunt, nec omnino sunt. Beatus itaque Iob ea quæ dixerat, sapienter se dixisse crederet, si verba superioris sapientiæ non audiret. In cuius comparatione stultum est nostrum omne quod sapit. Et qui sapienter quidem locutus hominibus fuerat, diuinas tamen sententias audiens, sapientius se cognoscit non esse sapientem. Hinc est quòd Abraham inter verba dominica nil se nisi puluerem vidit, dicens: Loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis? [Gene. 18.] Hinc est quòd Moyses omni Aegyptiorum sapientia instructus, ex quo loquentem Dominum audiuit, impeditioris & tardioris linguæ se esse deprehendit, dicens: Obsecro Domine, non sum eloquens, ab heri enim & nudiustertius, ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum. [Exodi. 4.] Hinc est quòd Esaias postquam sedentem Dominum super solium excelsum atque eleuatum vidit, postquam Seraphim duabus alis faciem, duabus velare pedes, & duabus volare conspexit, postquam id quod est, sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, alterum ad alterum clamare audiuit, ad seipsum rediẽs ait: Væ mihi quia tacui, quoniã vir pollutus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habẽtis ego habito. [Esaiæ 6.] Móxq; ipsam pollutionẽ vnde cognouerat subdens, ait: Et regem Dominũ exercituum vidi oculis meis. [Ibidem.] Hinc etiam Hieremias diuina verba audiens, verba se non habere cognouit, dicens: A, a, a, Domine Deus ecce nescio loqui: quia puer ego sum. [Hiere. 1.] Hinc Ezechiel loquens de quatuor animalibus dicit: Cùm fieret vox supra firmamentum quod erat supra caput eorum, stabant & submittebant alas suas. Quid enim per volatum animalium, nisi Euangelistarum atque doctorum sublimitas designatur? Vel quid sunt alæ animalium, nisi sanctorum contemplationes, eos ad cœlestia subleuantes? Sed cùm fit vox supra firmamentum quod super caput eorum est, stantes submittunt alas suas: quia cùm internam vocem supernæ sapientiæ audiunt, quasi volatus sui alas deponunt: quia videlicet ipsam veritatis altitudinem minus se contemplari posse cognoscunt. Ad vocem ergo desuper venientem alas deponere, est cognita superna potentia, virtutes proprias humiliare, & consideratione creatoris nil de se aliud quàm abiecta sentire. Sancti itaque viri dum diuinita-

ris arcana audiunt, quantò magis contemplando proficiunt, tantò amplius despiciendo quod sunt, aut nihil, aut propè nihil se esse cognoscunt. Respondeat ergo diuinis sermonibus beatus Iob, & sapienter proficiens, stultum se esse deprehendat, dicens: Insipienter locutus sum, & quæ vltra modum excederent scientiam meam. Ecce tantò se amplius redarguit, quantò amplius proficit, & scientiam suam vltra modum excessisse se credidit: quia in verbis Domini plus quàm æstimauerat, secreta eius sapientiæ agnouit. Sequitur:

Quòd serui Dei ignorantiam suam profitentes, non arrogant sibi quod nescium, sed doceri à Deo volunt.

Caput III.

Audire nostrum. Audire Dei. Loqui nostrum ad Deum.

AVdi & ego loquar, interrogabo te, & responde mihi.) Audire nostrum, est sono aliunde venienti aurem aliò positam commendare. At contra Deo, cui nil extra est, audire propriè est, sub semetipso surgentia desideria nostra percipere. Ad Deum ergo, qui & tacentium corda cognoscit, loqui nostrum est, non vocibus gutturis id quod sentimus prodere, sed promptis ad illum desideriis inhiare. Et quia ideo quisque interrogat, vt discere valeat quod ignorat, homini Deum interrogare, est in conspectu eius nescientem se cognoscere.

Interrogare nostrum. Respondere Dei.

Respondere autem Dei, est eum qui se bene humiliter nescientem cognouerit, occultis inspirationibus erudire. Ait ergo beatus Iob: Audi & ego loquar, ac si diceret: Misericorditer desideria mea percipe, vt dum hæc tua pietas percipiens adiuuat, ad te multipliciora consurgant. Bona quippe vota quoties effectum percipiunt, multiplicantur. Vnde aliâs scriptum est: Ego clamaui, quoniam exaudisti me. Non enim ait: quia clamaui exaudisti me, sed clamaui quoniam exaudisti me. Qui enim loquens exauditus fuerat, votis proficientibus exauditus clamabat: Interrogabo te, & responde mihi, ac si diceret: nescientem me ex tuæ scientiæ contemplatione cognosco. Interroganti igitur responde, id est, stultitiam propriam humiliter cognoscentem doce. Quia enim interrogaret ipse ex desiderio humilitatis, & Deum sibi respondere quæreret ex magisterio aspirationis, verbis sequẽtibus declaratur. Interrogaturo quippe se perhibuit, sed nihil interrogando subiungit: Nam solâ de se humilia sentiens, & quæ misericorditer à Domino perceperit agnoscẽs, protinus subdit:

Psalm. 16.

Quòd sanctus Iob tantum ex percussione profecerit vt internæ mentis oculo flagelli sui vtilitatem reuelante Deo intellexerit.

Caput IIII.

AVditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te.) His nimirum verbis apertè indicat: quia quantò visus superior est auditu, tantò differt ab eo quod prius extitit, & hoc quod postmodum per flagella profecit. Et quia interno oculo veritatis lumen magis conspexerat, humanitatis suæ tenebras diiudicans plus videbat. Vnde & sequitur:

Quòd tunc vtilior sit reprehensio, cùm correctio sequitur & pœnitudo.

Caput V.

IDcirco ipse me reprehendo.) Quantò enim quisque se minus videt tantò sibi minus displicet, & quantò maioris gratiæ lumen percipit, tantò amplius reprehensibilem se esse cognoscit. Cùm enim intrinsecus subleuatur per omne quod est, ad eam quam super se conspicit regulam congruere nititur. Et quia adhuc humana infirmitas præpedit, cernit quia ei ex non minima parte dissentit, totúmq; ex se illi onerosum est, quod internæ regulæ conueniens non est. Quam regulam beatus Iob post flagella proficiens amplius suspicit, & à semetipso in magna sui redargutione dissentit, dicens: Idcirco ipse me reprehendo. Sed quia nulla est cognitio reprehensionis, si non sequantur etiam lamenta pœnitudinis, rectè post reprehensionem subditur: *Et ago pœnitentiam in fauilla & cinere.*) In fauilla etenim & cinere pœnitentiam agere, est contemplata summa essentia, nil aliud quàm fauillam se cinerémque cognoscere. Vnde & ciuitati reprobæ in Euangelio Dominus dicit: Si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. In cilicio quippe asperitas & compunctio peccatorum, in cinere autem puluis ostenditur mortuorum. Et idcirco vtrunque hoc adhiberi ad pœnitentiam solet, vt in punctione cilicij cognoscamus quid per culpam facimus, & in fauilla cineris perpendimus, quid per iudicium facti sumus. Consideremur ergo in cilicio pungentia vitia, consideretur in cinere per mortis sententiam subsequens iusta pœna vitiorum. Quia enim post peccatum carnis contumeliæ surrexerunt, videat homo in asperitate cilicij superbiendo quid fecit, videat in cinere vsquequo peccando peruenit. Potest quoque cilicio ipsa per recordationem atque pœnitentiam dolorum punctio designari. Nam hoc quod ait beatus Iob: Ipse me reprehendo, quasi quodam cilicio pungitur, dum in mente sua asperis redargutionum stimulis confricatur. In cinere autem agit pœnitentiam: quia ex primo peccato quid per iustum iudicium factus sit, solerter attendit, dicens: Ago pœnitentiam in fauilla cineris, ac si apertè dicat: De nullo authoris mei dono superbio: quia sumptus ex puluere, per illatæ mortis sententiam ad puluerem me redire cognosco. Auditis igitur cunctis sermonibus Iob, cognitis etiam responsionibus amicorum, libet ad interni iudicis sententiam spectationem meritis nostræ conuertere, eíque dicere: Ecce Domine vtrasque in conspectu tuo differentiam partes audiuimus, & Iob quidem in hoc certamine virtutis suæ facta reuoluere, & amicos eius contra eum cognouimus tuæ iustitiæ gloriam defensare. Inter hæc autem quid nostra mens sentiat agnoscis. Neque enim possumus eorum nos dicta reprehendere, quos deferisioni tuæ cognoscimus deseruire. Sed ecce asistunt partes, expectant sententiam, profer ergo Domine ex inuisibili regula subtilissimum tuæ discretionis examen, & quis in contentione ista sit rectius locutus ostende. Sequitur:

Matth. 11.

Quòd ex Dei sententia verba amicorum Iob reprehendantur, ipsius verò Iob responsio & patientia probatur.

Caput VI.

POstquam autem locutus est Dominus verba hæc ad Iob, dixit ad Elipham Themanitem: Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam nõ estis locuti coram me rectum sicut seruus meus Iob.) O Domine, iudicij tui sententia indicat, quantum à luce tuæ rectitudinis cæcitas nostra discordat. Ecce te iudice beatum Iob victorem esse cognoscimus, quem in te peccasse loquendo credebamus. Te iudice addicti sunt, qui beati Iob se merita transcendere pro te loquendo crediderunt. Quia igitur ex diuina sententia quid de partibus æstimemus agnouimus, nunc eiusdem sentẽtiæ paulò subtilius verba pensemus. Quomodo enim superius beatus Iob reprehenditur, si in comparatione eius rectitudinis amici illius nequaquam coram Domino locuti rectum memorantur? An adhuc illa de eo sententia confirmatur, qua antiquo hosti dicitur: Vidisti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis super terram? Sed quid est hoc quòd & laudatur hosti, & in seipso reprehenditur, in seipso autem reprehenditur, & tamen amicis loquentibus antefertur, nisi quòd sanctus vir cunctos meritorum suorum virtute transcendit, sed eo ipso quòd homo fuit, ante Dei oculos sine reprehensione esse non potuit? In sancto quippe homine in hac interim vita commorante, diuini examinis regula habet adhuc quod iudicet, quanuis iam ex comparatione cæterorum hominum habeat quod laudet. Beatus igitur Iob pro culpa se credidit & non pro gratia flagellari, resecari in se æstimauit vitia, non autem merita augeri, & in eo reprehenditur quòd intentionem flagelli fuisse aliam suspicatur, & tamen amicis resistentibus interni iudicij definitione prælatus est. Vnde apertè colligitur quantæ iustitiæ fuerit in eo quòd contra amicorum verba innocentiam suæ operationis astruxit, qui diuino iudicio etiam ipsis eiusdem diuini iudicij defensoribus anterfertur. In exordio autem libri huius agnouimus: quia de illo satan Domino dixerat: Mitte manum tuam & tange eum, & vide si non in faciem bene dicat tibi. Ad quam petitionem beatus Iob dãnis, orbitate, vulneribus, & verborum scandalis tangi permittitur: quia videlicet certus qui eum laudauerat extitit, quòd nequaquam iuxta assertionem diaboli sanctus vir in maledictionis culpam laberetur. Sicut ergo & superius diximus, quisquis beatum Iob in locutione sua æstimat post flagella peccasse, apertè Dominum iudicat in sua assertione errasse. Et quanuis Dominus ad diabolum loquens, bona illius præsentia prætulit, non autem eius perseuerantiam spopondit, sciendum tamen est quia nequaquam eius iustitiam permittendo tentatori prætulisset, si eum

eum iustum in tentatione persistere non posse præuideret. Permisso itaque diuinitùs in eius tentatione diabolo, quisquis eum in tentatione succubuisse existimat, ignorantiam permittentis accusat. Approbemus igitur in dictis suis veraciter Iob, ne Deum in sua prouidentia nequiter accusemus. Et quidem quantum ad humana iudicia in verbis suis amici eius multa illo rectius dixisse crederentur, sed veritas aliam ex occulto regulam proferens, ait: Non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob. Coram me ait, id est, intus, vbi sæpe multorum vita displicet, quæ etiam foris hominibus placet. Vnde cautè nimis in laudem iustorum coniugum dictum est: Erant iusti ambo ante Deum. Non enim secura laus est, iustos ante homines apparere. Sæpe enim humana sententia velut in Deo magnum quempiam approbat, sed hũc omnipotens Deus qui quasi ex se approbatur, ignorat. Hinc est enim quòd Psalmista vigilanter exorat dicens: Dirige in conspectu tuo viam meam. Nimirum quia plerunque in conspectu hominum recta via creditur etiam, quæ à veritatis itinere deprauatur. Et notandum quòd non dicitur: Non estis locuti coram me rectum sicut Iob, sed sicut seruus meus Iob, vt videlicet interpositione seruitutis, dum eum quasi sub quadam peculiaritate commemorat, cuncta quæ in defensione sua dixerat: quia non contumaci superbia, sed humili veritate dixerit ostẽdat. Sed quia iustus est & misericors Deus, amicos eius & per iustitiam districtè redarguit, & per misericordiam benignè conuertit. Nam sequitur.

Luca I.

Psalm. 5.

Quò hæretici ad catholicam Ecclesiam redeuntes per humilitatem confessionis & pœnitentiæ, sancti spiritus gratiã orantibus orthodoxis accipiunt: nec sit aliquis extra communionem Ecclesiæ indulgentiæ locus.

Caput VII.

SVmite vobis septem tauros & septem arietes, & ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis. Iob autem seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia.) Ecce iustus & misericors deus nec culpas sine increpatione deserit, nec reatum sine conuersione derelinquit. Quia enim internus est medicus, primò putredinem vulneris innotuit, & pòst remedia consequendæ salutis indicauit. Quia autem sæpe iam diximus quòd amici beati Iob hæreticorum speciem teneant, qui Deum dum defendere nituntur offendunt, quoniam in dictis suis veritati rebelles sunt, cui famulari se in falsa assertione suspicantur, omnipotens Deus sæpe illos corporis sanctæ Ecclesiæ per cognitionem veritatis inuiscerat, bene ipsa quoque eorum conuersio, quæ sæpe misericorditer agitur, per hanc veniam quam amici Iob percipiunt, designatur. Notandum verò magnopere est quòd conuersionis suæ sacrificium Domino non per se, sed per Iob iubentur offerre. Nimirum hæretici cùm ab errore redeunt: quia erga se iram Domini suo per se oblato sacrificio placare nequaquam possunt, nisi ad catholicam Ecclesiam, quam beatus Iob significat, conuertantur, vt salutem suam eius precibus obtineant, cuius fidem peruersis assertionibus impugnabant. Ait enim: Iob seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia. Ac si apertè hæreticis dicat: Sacrificia vestra non accipio, petitionum vestrarum verba non audio, nisi per intercessionem illius, cuius professionis verba de me veracia recognosco. Et vos quidem tauros atque arietes ad exhibenda sacrificia conuersionis vestræ deducite, sed à me salutem vestram per catholicam Ecclesiam, quam diligo postulate. Ipsi enim volo dimittere id quod mihi in ipsa deliquistis, vt hæc vestram incolumitatem obtineat, quæ ex vestro languore laborabat. Sola quippe est per quam sacrificium Dominus libenter accipiat, sola quæ pro errantibus fiducialiter intercedat. Vnde etiam de agni hostia Dominus præcepit dicens: In vna domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras. In vna nãque domo agnus comeditur: quia in vna catholica Ecclesia vera hostia redemptoris immolatur. De cuius carnibus diuina lex efferri foras prohibet, quia dari sanctum canibus vetat. Sola est in qua opus bonum fructuosè peragitur, vnde & mercedẽ denarij non nisi qui intra vineam laborauerãt accẽperunt. Sola est quæ intra se positos valida charitatis compage custodit. Vnde & aqua diluuij arcam quidem ad sublimiora sustulit, omnes autem quos extra arcam inuenit extinxit. Sola est in qua superna mysteria veraciter contemplemur. Vnde & ad Moysen Dominus dicit: Est locus apud me, & stabis supra petram. Et paulò pòst: Tollam manum meam, & videbis posteriora mea. Quia enim ex sola catholica Ecclesia veritas conspicitur, apud se esse locum Dominus perhibet de quo videatur. In petra Moyses ponitur, vt Dei speciem contempletur: quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, diuinam præsentiam non cognoscit. De qua soliditate Dominus dicit: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Quid est ergo hoc loco dicere ad amicos Iob: Ite ad Iob, nisi petram ascendite? Quid est, faciem eius pro vobis suscipiam vt non vobis imputetur stultitia, nisi id quod illic dicitur: Posteriora mea videbis? id est, eius, quę postmodum futura est, mysteria incarnationis intelliges. Hæretici autem pro eo quòd in petra stare contemnunt, transeuntis Domini posteriora non aspiciunt: quia extra Ecclesiam positi, incarnationis eius sicut sunt mysteria non agnoscunt. Sicut autem & superius diximus, per tauros ceruix superbiæ, per arietes verò ducatus exprimitur, qui ab hæreticis persuasis plebibus quasi seductis gregibus agitur. De hæreticis nanque superbientibus dicitur, qui infirmorum mentes malè suadendo corrumpunt: Consilium taurorum inter vaccas populorum. Et quia sequẽtes se populos velut greges trahunt, arietes aliquando nominantur. Gregem scilicet arietes ducunt. Vnde per increpationem Hieremias ait: Principes tui velut arietes. Quia igitur hæretici cùm ad sanctam Ecclesiam redeunt, superbiæ elationem deserunt, & nequaquam iam quasi sequentes greges populorum cuneos ad interitum ducunt, amici beati Iob offerre tauros & arietes iubẽtur. Tauros enim & arietes offerre in sacrificio, est superbum ducatũ conuersionis humilitate mactare, vt edomita ceruice superbiæ, discant obediendo sequi, qui dudum docendo preire conabantur. Rectè quoque eorum hæc superbia septem sacrificiis expiatur: quia hęretici ad Ecclesiam reuertentes: per humilitatis hostiam dona spiritus gratiæ septiformis accipiũt, vt qui elationis suæ vetustate tabuerãt, nouitate gratiæ reformẽtur. Septenarius autem numerus apud sapientes huius seculi quadam sua habetur ratione perfectus, quòd ex primo pari & ex primo impari consummatur. Primus enim impar ternarius est, primúsque par quaternarius. Ex quibus duobus septenarius constat qui eiusdem partibus suis multiplicatus in duodenarium surgit. Nam siue tres per quatuor, seu quatuor per tres ducimus, ad duodenarium peruenimus. Sed nos quia à superno munere veritatis prædicamenta percipimus, hæc fixa scientiæ altitudine despiciendo calcamus. Hoc proculdubio inconcussa fide retinentes: quia quos spiritus gratiæ septiformis repleuerit, perficit, eíque non solum Trinitatis notitiam, sed etiam virtutum quatuor, id est, prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis, atque iustitiæ operationem præbet. Qui in ipsis quoque quos ingreditur, suis quodammodo partibus augetur, dum & per Trinitatis notitiam quatuor virtutum actio accipitur, & per operationem virtutum quatuor vsque ad manifestam trinitatis speciem peruenitur. Et apud nos ergo septenarius, sed longè dissimiliter quia plenè & non inaniter in duodenarium surgit, dum & per fidẽ opera, & rursum per opera perficit fidem. Sancti quoque Apostoli gratiæ septiformis spiritu implendi, duodecim sunt electi. In quatuor enim mundi partibus trinitatem, quæ Deus est, innotescere mittebantur. Duodecim ergo electi sunt, vt etiam ex ipsius numeri ratione causa clarescẽret, quòd per quatuor infima, tria summa prædicarent. Siue itaque hac seu alia qualibet fortasse ratione, in scriptura tamen sacra septenario numero aliquando secura requies æternitatis, aliquando vniuersitas præsentis huius temporis, aliquando autẽ sanctæ Ecclesiæ vniuersitas designatur. Septenario quippe numero perfectio æternitatis innuitur, cùm dies septimus in requiem Domini sanctificatus vocatur. Cui iam vespera inesse non dicitur: quia æternæ beatitudinis requies nullo termino coarctatur. Hinc est etiam quòd lege data dies septimus feriatus esse precipitur, vt æterna per illũ requies designetur. Hinc est quòd in annorũ curriculo septenarius numerus septies multiplicatus monade addita ad quinquagenarium ducitur, vt perpetuam beatitudinẽ signãs iubilæi sacratissima requies obseruetur. Hinc est quòd resurgens Dominus & frequenter apparens, vltimo iam con-

Exod. 33.

Matth. 16.

Thren. I.

Psalm. 67.

Exod. 12.

Gene. 7.

Gene. 2.

Exod. 20.

uiuio cum septem discipulis comedisse describitur: quia hi qui in illo nunc perfecti sunt, æterna per illum refectione satiantur. Rursum per septenarium numerum hæc vniuersitas tẽporalitatis accipitur. Hinc est enim quòd per septem dies hoc totum vitæ præsentis tempus euoluitur. Hinc est quòd in typo sanctæ Ecclesiæ, quæ omni tempore hunc mundum prædicando circuit, arca Domini tubis clangẽtibus muros Hiericho diebus septem circumacta confregit. Hinc Propheta ait: Septies in die laudem dixi tibi. Quòd ipse rursum pro toto atque vniuerso suę deprecationis tempore se dixisse significans ait: Semper laus eius in ore meo. Quòd verò per septenarium numerum præsentis vitæ vniuersitas designatur; tunc magis ostenditur, cùm post eum quoque etiam octonarius subinfertur. Septenarium quippe cùm adhuc alius sequitur, ex ipso eius augmento exprimitur, quòd finienda temporalitas æternitate coneludatur. Hinc est enim quòd Salomon admonet dicens: Da partes septem, nec non & octo. Per septenarium quippe numerum hoc quod septem diebus agitur, præsens tempus expresit: Per octonarium verò vitam perpetuam designauit, quam sua nobis Dominus resurrectione patefecit. Dominico scilicet die resurrexit, qui dum diem septimum, id est, sabbatum sequitur, à conditione octauus inuenitur. Bene autem dicitur: Da partes septem nec non & octo: quia ignoras quid mali futurum sit super terram. Ac si apertè diceretur: Sic dispensa temporalia, vt appetere non obliuiscaris æterna. Oportet nanque vt in posterum bene agendo prouideas, qui de venturo iudicio quanta tribulatio sequatur ignoras. Hinc est quòd quindecim gradibus templum ascenditur, vt ex ipsa eius ascensione dicatur, quatenus per septem & octo & temporalis sollicitè dispensetur actio, & prouidè mansio æterna requiratur. Hinc est etiam quòd dum monas in denariũ surgit, centum quinquaginta Psalmos Propheta cecinit. Propter hunc septenarium numerum temporalia, octonarium verò æterna signantem, super centum viginti fideles in cœnaculo residentes spiritus sanctus effusus est. Per septem quippe & octo quindecim cõponuntur, & si ab vno vsque ad quindecim numerando paulatim per incrementa consurgimus, vsque ad centesimum & vigesimum numerum peruenimus. Qua scilicet effusione spiritus sancti didicerunt, vt temporalia tolerando transirent, & æterna inhianter appeterent. Rursum septenario numero sanctæ Ecclesiæ vniuersitas designatur. Vnde Ioannes in Apocalypsi septem Ecclesiis scribit, sed per eas quid aliud quàm vniuersalem Ecclesiam intelligi voluit? Quæ nimirum vniuersalis. Ecclesia vt plena septiformis gratiæ spiritu signaretur, Helisæus super puerum mortuum septies oscitasse describitur. Super extinctum quippe populum Dominus veniens, quasi septies oscitasse describitur. Super extinctum quippe populum Dominus veniens, quasi septies oscitat: quia ei dona spiritus septiformis gratiæ misericorditer tribuit. Quia igitur sæpe septenario numero sanctæ Ecclesiæ vniuersitas figuratur, veniant ad beatum Iob amici illius, & iussum diuinitus offerant holocaustum. Sed vigilanter omnino septenarij numeri arcana custodiant, vt videlicet hi qui extra sunt positi, prius se vniuersitati sanctæ Ecclesiæ misceant, & tunc demum veniam de reatu pristinæ elationis exquirant. Pro culpa sua septem sacrificia offerant: quia reatus sui ablutionem non accipiunt, nisi gratiæ septiformis spiritu vniuersali paci, à qua excisi fuerant aggregentur. Dicatur igitur: Sumite vobis septem tauros & septem arietes, & ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis. Iob autem seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia. Ac si hæreticis redeuntibus apertè diceretur: Vniuersali vos Ecclesiæ per humilitatem pœnitentiæ iungite, atque eam qua per vosmetipsos digni non estis, veniam eius à me precibus obtinete: qui cùm per hanc veraciter sapere discitis, prioris apud me vestræ sapientiæ stultitiam deletis. Sequitur: *Neque enim locuti estis coram me rectum sicut seruus meus Iob.*) Hæc paulo antè iam Dominus protulit, & tamen hæc eadem iterando subiungit. Quid est hoc nisi quòd sententiam quam semel iudicando dixerat, iterum replicando confirmat? atq; vt manifestius beati Iob iustitia, amicorúmque eius iniustitia demonstretur, eius laus, illorúmque reprehensio iterata voce depromitur, vt replicata foris appareant, quàm fixa intus habeantur. Nanque cùm rex Aegypti metuenda venturæ famis tempora sub boum spicarúmque specie gemina visione cognouisset, voce sancti interpretis audiuit: Quòd vidisti secundò ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est. Qua ex re apertè colligitur, quia quicquid in eloquio diuino repetitur, robustius confirmatur. Sed quia quid iudex decreuit audiuimus, addicti quoque quid faciant audiamus. Sequitur: *Abierunt ergo Eliphas Themanites, & Baldath Suites & Sophar Naamathites, & fecerunt, sicut locutus fuerat ad eos Dominus & suscepit Dominus faciem Iob.*) Horum interpretationem nominum idcireo reticemus: quia in huius operis exordio de ea nos latius disseruisse meminimus. Intuendum verò est, quia ita cautè, sicut prædictum fuerat, ordo acceptæ veniæ custoditur, vt in sacrificiis Dominus non illorum, sed beati Iob faciem suscepisse referatur. Sed quia quisquis pro aliis intercedere nititur, sibi potius ex ipsa charitate suffragatur, rectè subiungitur: *Dominus quoque conuersus est ad pœnitentiam Iob, cùm oraret pro amicis suis.*) Iam enim superius pro amicis suis exauditus ostenditur, cùm factum quod prædiximus memoratur: Fecerunt sicut locutus fuerat ad eos Dominus, & suscepit Dominus faciem Iob. Sed cùm protinus subinfertur: Dominus quoque conuersus est ad pœnitentiam Iob, cùm oraret pro amicis suis, apertè ostenditur: quia etiam pro semetipso pœnitens tantò citius exaudiri meruit, quantò deuotè pro aliis intercessit. Plus enim pro se valere preces suas efficit, qui has & aliis impendit. Libentius quippe sacrificium orationis accipitur, quod in conspectu misericordis iudicis proximi dilectione conditur. Quod tunc veraciter quisque cumulat, si hoc etiam pro aduersariis impendat. Hinc est enim quòd magistra veritas dicit: Orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Hinc rusum ait: Cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem, vt & pater vester qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra. Quantum verò pro se obtinuit, qui pro aliis interuenit, ilico demonstratur, cùm subditur:

Quòd in regno Dei simplex sit adhuc stola sanctorum.
Caput VIII.

ADdidit Dominus omnia quæcunque fuerant Iob duplicia.) Cuncta quæ amiserat, duplicia recipit: quia per pietatem benigni iudicis tentationis nostræ dispendium vincunt suffragia consolationum. Minus autem tentat probatio, quàm remuneratio consolatur, vt ex retributionis merito leue fuisse quod tolerauit agnoscat, qui ex persecutionis pondere graue se aliquid tolerare iudicabat. Vnde afflictæ quoque Iudææ dicitur: Ad pũctum in modico dereliqui te, & in miserationibus mágnis congregabo te. Aliquando verò iuxta afflictionis pondus disponuntur mensura consolationis. Vnde aliàs scriptum est: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. In ea enim mensura consolatum se in qua afflictus fuerat indicat, qui lætificatum se secundum multitudinem dolorum clamat. Non autem minimè lector instruitur, si ipsum remunerationis ordinem contempletur. Excessum quippe correctio, correctionem pœnitentia, pœnitentiam venia, veniam verò munera subsequuntur. Sed quia diuinæ dispensationis permissione percussus, etiam amicorum verbis afflictus est, diuinæ pietatis muneribus consolatus, etiam humana debet charitate resoueri, vt vndique ei consolationis gaudia respondeant, quem vndique dolorum tristitia & aduersa lacerabant. Vnde & subditur: *Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, & vniuersæ sorores suæ, & cuncti qui nouerant eum prius, & comederunt cum eo panem in domo eius, & mouerunt super eum caput suum.*) Quid in comestione panis nisi charitas, quid verò in motione capitis nisi admiratio designatur? Bene autem subditur: *Et consolati sunt eum super omne malum quod intulerat Dominus super eum.*) Per cussi enim mœrorem consolari, est ei post percussionem de venia congaudere. Nam quantò quisque de restituta proximi salute cernitur hilarescere; tantò se indicat de ablata doluisse.

Quòd in fine mundi de Gentibus & Iudæis vna erit Ecclesia, & innocentiam & obedientiam vterque populus offeret Deo.
Caput IX.

Et dederunt

ET *dederunt ei vnusquisque ouem vnã, & inaurem auream vnam.*) Licèt cuncta hæc iuxta historiam veraciter dicta sint, ipsis tamen oblatis muneribus cogimur, vt ad allegoriæ mysterium recurramus. Neque enim ociosè debemus accipere, quòd ouem, quòd vnam, quòd inaurem auream obtulere, quòd vnam. Et si fortasse iuxta literam mirum non est, ouis oblata cur vna, valde tamen mirum est, inauris oblata cur vna. Quid verò aut ouis ad inaurem pertinet, aut quid inauris ad ouem? Ex ipso ergo munerum fine compellimur, vt priora quoque quæ superficietenus iuxta solam historiam contingendo transcurrimus, in allegoriæ mysteriis indagemus. Quia igitur Christus & Ecclesia, id est, caput & corpus vna persona est, sæpe beatum Iob diximus modò capitis, modò figurã corporis designare. Seruata ergo historiæ veritate, sub typo gestum sanctæ Ecclesiæ sentiamus id quod scriptum est: *Addidit Dominus omnia quæcunque fuerant Iob duplicia.*) Sancta quippe Ecclesia etsi multos nunc percussione tentationis amittit, in fine tamen huius seculi ea quæ sua sunt duplicia recipit, quãdo susceptis ad plenum gentibus, ad eius fidem currere omnis quæ tunc inuenta fuerit, etiam Iudæa consentit. Hinc nãque scriptũ est: Donec plenitudo gentium introiret, & sic omnis Israël saluus fieret. Hinc in Euãgelio quoq; veritas dicit: Helias veniet, & ille restituet omnia. Nunc enim amisit Israëlitas Ecclesia, quos conuertere prædicando non valuit, sed tunc Helia prædicante, dum quotquot inuenerit, colligit, velut plenius recipit quod amisit. Vel certè sanctæ Ecclesiæ in fine suo duplum recipere, est in singulis nobis & de beatitudine animæ & de carnis incorruptione gaudere. Hinc est enim quod per Prophetam de electis dicitur: In terra sua duplicia possidebunt. Hinc est quod Ioannes Apostolus de sanctis finem mundi quærentibus dicit: Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est eis, vt requiescerent tempus adhuc modicum, donec compleretur numerus conseruorum & fratrum eorum. Sicut enim longè superius diximus, ante resurrectionem Sancti singulas stolas accipiunt: quia sola animarum beatitudine perfruuntur, in fine autem mundi binas habituri sunt: quia cum mentis beatitudine etiam carnis beati gloriam possidebunt. Sed ea quæ subnexa sunt, in fine magis huius seculi conuersionem se Iudaici populi nunciare testantur. Nam subditur: *Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, & vniuersæ sorores suæ, & cuncti qui nouerant eum prius, & comederunt cum eo panem in domo eius.*) Tunc quippe fratres sui ac sorores ad Christum veniunt, quando ex plebe Iudaica quotquot inuenti fuerint conuertuntur. Ex illo enim populo carnis materiam sumpsit. Tunc ergo ad eum fratres ac sorores accedunt, quando ex ea plebe quæ ei per cognationem iuncta est, vel qui fortes futuri sunt, velut fratres, vel infirmi, velut sorores, ad eum per cognitionem fidei deuota gratulatione concurrunt. Tunc apud eum celebre festiuitatis conuiuium exhibent, quando eum iam nequaquam quasi purum hominem contemnentes, propinquitatis suæ memores, diuinitati se eius inhærere congaudent. Tunc in domo eius panem comedunt, cùm postposita obseruatione subiacentis literæ, in sancta Ecclesia mystici eloquij quasi frugis medulla pascuntur. Bene autem subiungitur: *Cuncti qui nouerant eum prius.*) Prius quippe nouerant, quem in passione sua quasi incognitum contempserunt. Nam nasciturum Christum nullus qui plenè legem didicit ignorauit. Vnde & Herodes rex Magorum occursione perterritus, sacerdotes & principes studuit solerter inquirere, vbi Christum nasciturum esse præscirent, qui protinus responderunt: In Bethleem Iudæ. Prius ergo nouerant, quem passionis suæ tempore dum despicerent ignorabant. Quorum & notitia prior, & ignorantia posterior bene ac breuiter Isaac caligante signatur. Qui dum Iacob benediceret, & quid eueniret in futuro præuidebat, & quis illi presens assisteret nesciebat. Sic quippe Israëlitarum populus fuit, qui prophetiæ mysteria accepit, sed tamen cæcos in contemplatione oculos habuit, qui eum præsentem non vidit, de quo tam multa in futuro præuidit. Ante se enim positum nequaquam cernere valuit, cuius aduentus potentiam longè antè nunciauit. Sed ecce in fine mundi veniunt, & eum quem prius nouerant recognoscunt. Ecce in domo eius panem comedunt: quia in sancta Ecclesia sacri eloquij fruge pascuntur, & omnem insensibilitatem pristini torporis excutiunt. Vnde & subditur: *Et mouerunt super eum caput.*) Quid enim in capite nisi principale mentis accipitur? sicut per Psalmistam dicitur: Impinguasti in oleo caput meum: ac si apertè diceretur: Arentem in suis cogitationibus mẽtem meam charitatis vnctione rigasti. Caput ergo mouetur, cùm per formidinem veritatis tacta, ab insensibilitate sua mens quatitur. Veniant ergo parentes ad conuiuium, atque excusso torpore moueant caput, id est, hi, qui redemptori nostro carne coniuncti fuerant, refectionem quandoque verbi in fide percipiant, & insensibilitatis pristinæ duritiam amittant. Vnde bene per Abacuc dicitur: Pedes eius steterunt, & mota est terra. Stante enim Domino terra proculdubio mouetur: quia cùm cordi nostro timoris sui vestigia imprimit, cuncta in nobis cogitatio terrena contremiscit. Hoc itaque loco caput mouere, est immobilitatem mentis excutere, & ad cognitionem fidei credulitatis gressibus propinquare. Sed quia sancta Ecclesia nunc Hebræorum auersione afficitur, & tunc conuersione releuatur, rectè subiungitur: *Et consolati sunt eum super omni malo quod intulerat dominus super eum.*) Consolantur videlicet Christum, consolantur Ecclesiam, qui ab infidelitatis pristinę errore resipiscunt: & prauitatem vitæ per quam recta docentibus repugnauerant, deserunt. An non grauis mœror est duris cordibus infructuosè prædicare, laborem in ostendenda veritate sumere, sed nullum de conuersione audientium fructum laboris inuenire? At contrà magna prædicatorum consolatio est, subsequens profectus auditorum. Releuatio quippe docentis est immutatio proficientis. Et notandum quòd in flagello positum consolari noluerunt, sed ad consolandum eum post flagellum veniunt: quia nimirum passionis eius tempore Hebræi prædicamenta fidei contemnentes, quem hominem ex morte probauerant, Deum credere despexerunt. Vnde per Psalmistam Dominus dicit: Sustinui qui simul mecum cõtristaretur, & non fuit, consolantem me quæsiui, & non inueni. Consolantem quippe in passione minimè inuenit, in despectu mortis etiam ipsos hostes pertulit, pro quibus ad mortem venit. Post flagella ergo propinqui ad consolationem veniunt: quia in membris suis nunc quoque Dominus patitur, sed extremo tempore Israëlitæ omnes ad fidem cognita Heliæ prædicatione concurrunt, atque ad eius protectionem quem fugerant redeunt, & tunc illud eximium multiplici aggregatione populorum conuiuium celebratur. Tunc post flagella quasi Iob sanus ostenditur, quando à conuersis atque credentibus post passionem suam ac resurrectionem Dominus in cœlis immortalis viuere per certitudinem fidei scitur. Tunc quasi remuneratus Iob cernitur, quando in maiestatis suæ potentia sicut est Deus creditur, & eius fidei subiici hi qui prius restiterant videntur. In fine igitur mundi credentes Hebræi conueniant, & humani generis redemptori in potentia diuinitatis quasi sano Iob oblationum suarum vota persoluant. Vnde & bene subditur: *Et dederunt ei vnusquisque ouem vnam & inaurem auream vnam.*) Quid per ouem nisi innocentia, quid per inaurem nisi obedientia designatur? Per ouem quippe simplex animus, per inaurem verò ornatus humilitatis gratia auditus exprimitur.

Quanta sit virtus obedientiæ.
Caput X.

SEd quia ad ostendendam virtutem obedientiæ occasio opportuna se præbuit, libet hanc paulò vigilantius solicitiúsque discutere, & quanti sit meriti demonstrare. Sola nanque virtus est obedientia quæ virtutes cæteras menti inserit, insertáque custodit. Vnde & primus homo præceptum quod seruaret accepit, cui se si vellet obediens subdere, ad æternam beatitudinem sine labore peruenirет. Hinc Samuël ait: Melior est obedientia quàm victimæ, & auscultare magis quàm offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Obedientia quippe victimis iure præponitur: quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur. Tantò igitur quisque Deum citius placat, quantò ante eius oculos repressa arbitrij sui superbia, gladio præcepti se immolat. Quo contra ariolandi peccatum inobedientia dicitur, vt quanta sit virtus obedientiæ demon-

ſtretur. Ex aduerſo igitur melius oſtēditur, quid de eius laude
ſentiatur. Si enī quaſi ariolandi peccatū eſt repugnare, & quaſi
ſcelus idololatriæ nolle aquieſcere, ſola eſt quæ fidei meritum
poſsidet, ſine qua quiſque infidelis eſſe conuincitur, etiam ſi
fidelis eſſe videatur. Hinc per Salomonem in oſtenſione obe-
dientiæ dicitur: Vir obediens loquitur victorias. Vir quippe
obediens victorias loquitur: quia dum alienæ voci humiliter
ſubdimur, noſmetipſos in corde ſuperamus. Hinc in Euange-
lio veritas dicit: Eum qui venit ad me, non eiiciam foras: quia
Prouer. 21. de cœlo deſcendi, non vt faciam voluntatem meam, ſed vo-
Ioan. 6. luntatem eius qui miſit me. Quid enim? ſi ſuam faceret, eos
qui ad ſe veniunt, repuliſſet? Quis autem neſciat quòd volun-
tas filij à patris voluntate non diſcrepet? Sed quoniam pri-
mus homo quia ſuam facere voluntatem voluit, à paradiſi
gaudio exiuit, ſecundus ad redemptionem hominum veniēs,
dum voluntatem ſe patris & non ſuam facere oſtendit, per-
manere nos intus docuit. Cùm igitur non ſuam, ſed patris vo-
luntatem facit, eos qui ad ſe veniunt, foras non eiicit: quia
dum exemplo ſuo nos obedientiæ ſubiicit, viam nobis egreſ-
Ioan. 5. ſionis claudit. Hinc rurſum ait: Non poſſum ego à meipſo
facere quicquam, ſed ſicut audio, iudico. Nobis quippe obe-
dientia vſque ad mortem ſeruanda præcipitur. Ipſe autem ſi
ſicut audit iudicat, tunc quoque obedit, cùm iudex venit. Ne
igitur nobis vſque ad præſentis vitæ terminum obedientia la-
11. quæſt. 3. borioſa appareat, redemptor noſter indicat: quia hanc etiam
Quid ergo. cùm iudex venerit ſeruat. Quid ergo mirum ſi homo pecca-
tor ſe obedientiæ in præſentis vitæ breuitate ſubiicit, quando
hanc mediator Dei & hominum, & cùm obedientes remune-
13 rat, non relinquit? Sciendum verò eſt quòd nunquam per
obedientiam malum fieri, aliquando autem debet per obe-
dientiam bonum quod agitur intermitti. Neque enim mala
in paradiſo arbor extitit, quam Deus homini ne contingeret
interdixit. Sed vt melius per obedientiæ meritum, homo be-
ne conditus creſceret, dignum fuerat vt etiam à bono prohi-
beretur: quatenus tantò verius hoc quod ageret, virtus eſſet,
quantò & à bono ceſſans, authori ſuo ſe ſubditum humilius
Geneſis 2. exhiberet. Sed notandum quòd illic dicitur: Ex omni ligno
paradiſi comedite, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne
tetigeritis. Qui enim ab vno quolibet bono ſubiectos vetat,
neceſſe eſt vt multa concedat, ne obedientis mens funditùs
intereat, ſi à bonis omnibus penitus repulſa ieiunat. Omnes
autem paradiſi arbores ad eſum Dominus conceſsit, cùm ab
vna prohibuit, vt creaturam ſuam quam nolebat extingui, ſed
prouehi, tantò facilius ab vna reſtringeret, quantò ad cunctas
8. quæſtio. 1. latius relaxaret. Sed quia nonnunquam nobis huius mundi
Sciendum. proſpera, nonnunquam verò iubentur aduerſa, ſciēdum ſum-
mopere eſt quòd obedientia aliquando ſi de ſuo aliquid ha-
beat, nulla eſt, aliquando autem ſi de ſuo aliquid non habeat,
minima. Nam cùm huius mundi ſucceſſus præcipitur, cùm
locus ſuperior imperatur, is qui ad percipienda hæc obedit,
obedientiæ ſibi virtutem euacuat, ſi ad hæc etiam ex proprio
deſiderio anhelat. Neque enim ſe ſub obedientia dirigit, qui
ad accipienda huius vitæ proſpera libidini propriæ ambitio-
nis ſeruit. Rurſum cùm mundi deſpectus præcipitur, cùm
probra adipiſci, & contumeliæ iubentur, niſi ex ſeipſo animus
hæc appetat, obedientiæ ſibi meritum minuit: quia ad ea quæ
in hac vita deſpecta ſunt, inuitus, nolenſque deſcendit. Ad
detrimentum quippe obedientia ducitur, cùm mentem ad ſuſ-
cipienda probra huius ſeculi nequaquam ex parte aliqua e-
tiam ſua vota comitantur. Debet ergo obedientia, & in ad-
uerſis ex ſuo aliquid habere, & rurſum in proſperis ex ſuo a-
liquid omnimodo non habere: quatenus & in aduerſis tantò
ſit glorioſior, quantò diuino ordini etiam ex deſiderio iungi-
tur, & in proſperis tantò ſit verior, quantò à præſenti ipſa
quam diuinitus percipit, gloria funditùs ex mente ſeparatur.
Sed hoc virtutis pondus melius oſtendimus, ſi cœleſtis pa-
triæ duorum hominum facta memoremus. Moyſes nanque
cùm in deſerto oues paſceret, Domino per Angelum in igne
loquente, vocatus eſt, vt eripiendæ omni Iſraëlitarum multi-
tudini præeſſet. Sed quia apud ſe mente humilis extitit, obla-
tam protinus tanti regiminis gloriam expauit, móxque ad in-
Exod. 4. firmitatis patrocinium recurrit, dicens: Obſecro Domine,
non ſum eloquens: ab heri enim & nudiuſtertius ex quo cœ-

E piſti loqui ad ſeruum tuum, tardioris & impeditioris linguæ
ſum factus. Et ſe poſtpoſito, alium depoſcit dicens: Mitte
quem miſſurus es. Ecce cum authore linguæ loquitur, & ne
tanti regiminis poteſtatem ſuſcipiat, elinguem ſe eſſe cauſa-
tur. Paulus quoque diuinitùs fuerat, vt in Hieruſalem de-
buiſſet aſcendere, admonitus, ſicut ipſe Galatis dicit: Dein- *Gala. 2.*
de poſt annos quatuordecim iterum aſcendi Hieroſolymam,
aſſumpto Barnaba & Tito; aſcendi autem ſecundum reuela-
tionem. Iſque in itinere cum Prophetam Agabum reperiſſet,
quanta ſe aduerſitas in Hieroſolymis maneret audiuit. Scrip-
tum quippe eſt quòd idem Agabus zonam Pauli ſuis pedibus
inſerens dixit: Virum cuius hæc zona eſt ſic alligabunt in
Hieruſalem. A Paulo autem protinus reſpondetur: Ego non *Acto. 21.*
ſolùm alligari, ſed & mori in Hieruſalem paratus ſum pro no-
mine Ieſu, neque enim precioſiorem facio animam meam
quàm me. Præceptione igitur reuelationis Hieroſolymam
pergens, aduerſa cognoſcit, & tamen hæc libenter appetit,
F audit quæ timeat, ſed ad hæc ardentior anhelat. Moyſes ita-
que ad proſpera de ſuo nihil habet: quia precibus renititur,
ne Iſraëliticæ plebi præferatur. Paulus ad aduerſa etiam ex ſuo
voto ducitur: quia malorum imminentium cognitionem per-
cipit, ſed deuotione ſpiritus etiam ad acriora ferueſcit. Ille
præſentis poteſtatis gloriam Deo voluit iubēte declinare, iſte
Deo aſpera & dura diſponente, ſe ſtuduit ad grauiora præpa-
rare. Præcunte ergo vtrorunque ducum infracta virtute in-
ſtituimur, vt ſi obedientiæ palmam apprehendere veraciter
nitimur, proſperis huius ſeculi ex ſola iuſsione, aduerſis au-
tem etiam ex deuotione militemus. Notandum verò eſt 14
quòd hoc loco cum inaure ouis, cum oue inauris offertur:
quia nimirum innocuis mentibus ornamentum ſemper obe-
dientiæ iūgitur, Domino atteſtante, qui ait: Oues meæ vo- *Ioan. 10.*
cem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me.
Beato igitur Iob nemo inaurem ſine oue, nemo ouem ſine in-
aure obtulit: quia profectò redemptori ſuo non obedit, qui
innocens non eſt, & innocens eſſe non poteſt, qui obedire
G contemnit. Quia verò ipſa obedientia non ſeruili metu, ſed
charitatis affectu ſeruanda eſt, non terrore pœnæ, ſed amore
iuſtitiæ cuncti, qui ad conuiuium veniunt, auream inaurem
obtuliſſe perhibentur, vt videlicet in ea quæ exhibetur obe-
dientia charitas fulgeat, quæ virtutes omnes quaſi auri more
cætera metalla tranſcendat. Sed quia nulla eſſe innocentia,
nulla eſſe vera obedientia in multiplicibus hæreticorum diui-
ſionibus poteſt, ad cognitionem fidei venientes offerant o-
uem, ſed vnam: offerant inaurem, ſed vnam, id eſt, tales ve-
niant, qui in vnitate ſanctæ Eccleſiæ innocui obedientéſque
perſiſtant. Vnum quippe diuidi per numeros non poteſt: quia
& hoc ipſum vnum quod dicimus numerus non eſt. Offerant
igitur ouem, ſed vnam: offerant inaurem, ſed vnam, id eſt, ad
ſanctam Eccleſiam cum innocentia atque obediētia venien-
tes, eam mentem deferant, quam ſectarum ſchiſmata non di-
uidant. Aperire libet oculos fidei, & illud extremum ſan- 15
ctæ Eccleſiæ de ſuſceptione Iſraëlitici populi cōuiuium con-
templari. Ad quod nimirum conuiuium magnus ille veniens
H Helias conuiuātium inuitator adhibetur, & tunc propinqui,
tunc noti ad eum cum muneribus veniunt, quem in flagello
paulò antè poſitum contempſerunt. Appropinquante enim
die iudicij, vel præcurſoris vocibus, vel quibuſdam erum-
pentibus ſignis, ipſa eis iam aliquo modo aduenientis Domi-
ni virtus interlucet. Cuius iram dum præuenire feſtināt, con-
uerſionis ſuæ tempus accelerant. Conuerſi autem cum mu-
neribus veniunt: quia eum quem paulo antè in paſsione de-
riſerunt, tunc virtutum opera quaſi munera offerēdo venerā-
tur. Illud proculdubio hac ſua oblatione complentes, quod
& cernimus magna ex parte iam factum, & adhuc credimus
* ex magna parte faciendum: Adorabunt eum filiæ Tyri in
muneribus. Tunc nanque illum plenius filiæ Tyri in muneri- ** al. perfectè.*
bus adorabunt, cùm Iſraëlitarum mentes huius nunc mundi
ſubditæ deſideriis, ei, quem ſuperbientes negauerunt, quan- *Pſalm. 44.*
doque cognito ſuæ hoſtias confeſsionis apportant. Et quan-
uis eiſdem temporibus quibus antichriſtus appropinquat, a-
liquatenus vita fidelium minoris eſſe virtutis appareat, quan-
uis in conflictu illius perditi hominis grauis etiam corda for-
tium formido conſtringat: Helia tamen prædicante roborati,
non ſolùm

nō ſolū fideles quippe in ſanctæ Eccleſiæ ſoliditate perſiſtūt, A
ſed, ſicut ſuperius diximus, ad cognitionē fidei multi quoque
ex infidelibus conuertuntur, ita vt Iſraëliticæ gentis reliquiæ,
quæ repulſæ prius funditus fuerāt, ad ſinū matris Eccleſiæ pia
omnimodo deuotione cōcurrāt. Vnde & bene nūc ſubditur:
16. *Dominus autem benedixit nouiſsimis Iob magis quàm principio
eius.*) Hæc hiſtoricè facta credimus, hæc myſticè faciēda ſpe-
ramus. Magis enim nouiſsimus Iob quàm principio benedi-
citur: quia quantū ad Iſraëlitici populi ſuſceptionē pertinet,
vrgēte fine præſentis ſeculi, dolorem ſanctæ Eccleſiæ Domi-
nus animarū multiplici collectione conſolatur. Tantò quip-
pe locupletius ditabitur, quātò & manifeſtius innoteſcit quòd
ad finem præſentis vitæ temporalitas vrgetur. Prædicatores
nanque ſanctæ Eccleſiæ benedictione extremi tēporis Pſal-
Pſalm. 91. miſta ditari conſpexerat, cùm dicebat: Adhuc multiplicabū-
tur in ſenecta vbere, & bene patientes erunt, vt annuncient. In
ſenecta ſcilicet vbere multiplicātur: quia cùm eorum vita dif-
fertur, ſemper ad melius fortitudo producitur, eiſq; per aug-
mentum temporum creſcunt etiam lucra meritorum. Bene B
autē patientes ſunt vt annuncient: quia cœleſtia prædicantes,
tantò robuſtius aduerſa tolerant, quantò & per tolerantiam
ſuam animarum commoda locupletius reportant. Sequitur:
*Quòd ideo Iob duplicis numeri ſobolem non accepit, ſicut in alia ſub-
ſtantia acceperat: quia apud Deum filij eius, & filiæ non perierant,
qui in occulta animarum æternitate viuebant: & quòd per quatuor-
decim milia ouium plenitudo virtutum ex gratia ſancti ſpiritus in-
timatur, quæ electis quidem in hac vita, ſed amplius conceditur in
futura.* *Caput XI.*

*ET facta ſunt ei quatuordecim milia ouium, & ſex milia camelo-
rum, & mille iuga boum, & mille aſinæ, & fuerunt ei ſeptem filij
& tres filiæ.*) Quòd ſeptem milia ouium, & tria milia camelo-
rum, & quingenta iuga boum, & quingentas aſinas ante pro-
bationem percuſsionis habuerit, ipſa eiuſdem hiſtoriæ præfa-
tio oſtendit, quæ per flagellum perdita, ei nunc ſunt duplicia
reſtituta. Filij autem totidem ſunt redditi quot amiſit. Septē
quippe filios, & tres filias habuit, ſeptem autem nunc filios & C
tres filias recepiſſe deſcribitur, vt & hi qui extincti fuerant, vi-
uere demonſtrentur. Dum enim dicitur: Addidit Dominus
quæcunque fuerant Iob duplicia, & tamen totidem filios ei
reſtituit quot amiſit, & liberos dupliciter addidit, cui decem
poſtmodum in carne reſtituit, decem verò qui amiſsi fuerant,
in occulta animarum vita reſeruauit. Si quis autem in præ-
17. dictis animalibus poſtpoſito culmo hiſtoriæ, vt intellectuale
videlicet animal, paſci myſteriorum fruge deſiderat, neceſſe
eſt vt quæ ſentimus agnoſcat. Intelligere enim poſſumus
quòd in his animalibus aggregata fidelium vniuerſitas deſi-
Pſalm. 8. gnatur. Hinc eſt nanque quod per Pſalmiſtam patri de filio
dicitur: Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, oues & boues vni-
uerſas, inſuper & pecora campi. Hinc eſt quod idem Pro-
pheta ſanctam Eccleſiam ſimplices quoſque in habitare con-
Pſal. 67. ſpiciens ait: Animalia tua habitabunt in ea. Quid ergo in oui-
bus, niſi innocentes: quid in camelis, niſi eos qui cæterorum
mala tranſeunt extuberanti & tortuoſa mole vitiorum: quid
in iugatis bobus, niſi Iſraëlitas legi ſubditos: quid in aſinis, niſi D
ſimplices gentilium mentes accipimus? Nam quia innocentes
quique ouium nomine deſignātur, teſtatur Pſalmiſta, qui ait:
Pſalm. 78. Nos autem populus eius, & oues paſcuę eius. Neque enim qui
ſeruare innocentiam negligunt, illa internæ paſcuæ refectio-
ne ſatiantur. Cameli verò nomine, aliquādo in ſacro eloquio
Dominus, aliquando gentilium ſuperbia exprimitur, quaſi
excreſcēte deſuper tumore tortuoſa. Quia enim ad ſuſcipiē-
da onera ſponte ſe camelus humiliat, nō immeritò redempto-
ris noſtri gratiam deſignat, qui in eo quòd infirmitatis noſtræ
onera ſuſcipere dignatus eſt, à poteſtatis ſuæ celſitudine ſpō-
Ioan. 10. te deſcendit. Vnde & per euāgelium dicit: Poteſtatem habeo
ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumen-
Matth. 19. di eam, & nemo tollit eam à me. Et vnde iterum dicit: Faci-
lius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem in-
trare in regnum cœlorū. Quid enim nomine diuitis niſi quē-
libet elatum, quid cameli appellatione, niſi propriam conde-
ſcenſionem ſignat? Camelus enim per foramen acus tranſiit,
cùm idem redemptor noſter vſque ad ſuſceptionem mortis
per anguſtias paſsionis intrauit. Quæ paſsio velut acus extitit:

quia dolore corpus pupugit. Facilius autem camelus per fora-
men acus, quàm diues cœlorum regnum ingreditur: quia niſi
ipſe prius infirmitatis noſtræ onera ſuſcipiens, per paſsionem
ſuam formam nobis humilitatis oſtenderet, nequaquam ſe ad
humilitatem illius ſuperba noſtra rigiditas inclinaret. Rurſum
cameli nomine, tortuoſa ac plena vitiis gentilitas deſignatur,
ſicut per Moyſen dicitur quòd inclinata iam die, egreſſum in *Gene. 34.*
agro Iſaac in camelo ſedens Rebecca conſpexerit, ac protinus
de camelo deſcendit, & ſeſe pallio ad viſionem illius verecū-
data cooperuit. Quem enim Iſaac alium in eo quòd inclinata
iam die in agro egreſſus fuerat deſignabat, niſi eū qui extre-
mo huius mundi tempore, velut in diei fine veniens, quaſi in
agrum foras exiit? quia cùm ſit inuiſibilis, in hoc mundo ſe
viſibilē demonſtrauit. Quem in camelo ſedens Rebecca con-
ſpexit: quia eum Eccleſia ex gentibus veniēs, dum adhuc vi-
tiis eſſet innixa, & necdum ſpiritalibus, ſed animalibus moti-
bus inhæreret, attēdit. Sed protinus de camelo deſcendit: quia
vitia quibus prius fuerat ſuperbè elata, deſeruit, ſeque etiam
pallio operire curauit: quia viſo Domino, infirmitatem ſuæ a-
ctionis erubuit, & illa quæ prius in camelo libera geſtabatur,
deſcendens poſtmodum verecunda tegitur. Vnde eidem Ec-
cleſiæ à priore elatione conuerſæ per apoſtolicam vocem
quaſi Rebeccæ de camelo deſcendenti, ſibíque pallium ſu-
perducenti dicitur: Quem enim fructum habuiſtis tūc in illis, *Roma. 6.*
in quibus nunc erubeſcitis? In bobus verò aliquando luxu- 18.
rioſorum dementia, aliquando laborioſa fortitudo prædicā-
tium, aliquando humilitas exprimitur Iſraëlitarum. Quia e-
nim bouis nomine per comparationem luxurioſorum demē-
tia deſignatur, Salomon indicat, qui cùm malè ſuadentis mu- *Prouer. 7.*
lieris petulantiam præmiſiſſet, adiunxit: Statimque eam ſequi-
tur, quaſi bos ductus ad victimam. Rurſum quia bouis nomi-
ne, labor prædicatoris exprimitur legis verba teſtantur, quæ
ait: Non obturabis os boui trituranti: ac ſi apertè diceret: Præ- *Deute. 25.*
dicatores verbi à ſtipendiorum ſuorū perceptione nō prohi-
beas. Rurſum quia bouis nomine plebs Iſraëlitica figuratur,
Propheta aſſerit, qui redemptoris aduentum denūcians dicit:
Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini
ſui. Per bouem ſcilicet Iſraëliticum populum, iugo legis edo- *Eſaiæ 1.*
mitum ſignans, per aſinum verò gentilem populum indicans,
voluptatibus deditum, & grauius brutum. Aſinorum quoque
& aſinarum nomine, aliquando luxurioſorum petulantia, ali-
quando manſuetudo ſimplicium, aliquando verò, vt prædi-
ximus, ſtultitia gentilium deſignatur. Quia enim luxurioſo-
rum petulantia aſinorum appellatione per comparationem
exprimitur, apertè declaratur, cùm per Prophetam dicitur:
Quorum carnes ſunt vt carnes aſinorum. Rurſum quia aſina- *Ezech. 23.*
rum nomine ſimplicium vita figuratur, redemptor noſter
cùm Hieruſalem pergeret, ſediſſe aſinam deſcribitur. Hieru-
ſalem quippe viſio pacis dicitur: Quid igitur ſignat quod Do-
minus ſedendo aſinam Hieruſalem ducit, niſi quòd ſimplices
mentes dum præſidendo poſsidet, eas vſque ad viſionem pa-
cis ſua ſacra ſeſsione perducit? Rurſum quia aſinorum nomi-
ne, ſtultitia gentilium deſignatur, Propheta teſtatur, dicens: *Eſaiæ. 32.*
Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas, immittentes pedem
bouis & aſini. Super omnes quippe aquas ſeminare, eſt cun-
ctis populis fructuoſa vitæ verba prædicare. Pedem verò bo-
uis & aſini immittere, eſt vias Iſraëlitici, & gentilis populi per
præceptorum cœleſtium vincula religare. Literæ igitur 19.
veritate ſeruata, ſub beati Iob nomine cunctis his animalibus
non immeritò credimus ſanctæ Eccleſiæ populos deſignari,
quatenus ea quæ ſcripta ſunt, diſpenſatione ſancti ſpiritus
cuncta mirabiliter ordinante, & tranſacta nobis referant,
& futura prædicent. Agnoſcamus ergo in ouibus fideles
atque innocentes ex Iudæa populos, legis dudum paſcuis
ſatiatos. Agnoſcamus in camelis ad fidem ſimplices ex
gentilitate venientes, qui prius ſub ritu ſacrilego quaſi qua-
dam deformitate membrorum valde turpes oſtenſi ſunt, vi-
delicet fœditate vitiorum. Et quia ſæpe, vt prædiximus, ſacra
eloquia curant repetere quod affirmant, poſſunt rurſum in
bobus Iſraëlitæ accipi, quaſi iugo legis attriti: aſinis verò
vt dictum eſt, gentiles populi deſignari, qui dum ſe colendis
lapidibus inclinabant, non reluctante mente, quaſi dorſo ſtul-
tè ſuppoſito, quibuſlibet idolis bruto ſenſu ſeruiebant. San-

ƈta ergo Ecclesia quæ in exordiis suis innumeris tentationibus pressa, vel Israëliticum populum, vel multos ex gentibus amisit, videlicet quos lucrari non potuit, duplicia in fine recipit: quia in ea ex vtraque natione, fidelium numerus multiplicior excrescit. Possunt etiam per iugatos boues, prædica-
Marci. 6. tores intelligi. Vnde cùm eos ad annunciandum Dominus mitteret, teste Euangelio, binos misisse describitur: vt quia vel duo sunt præcepta charitatis, vel quia haberi societas minus quàm inter duos non potest, prædicatores sancti ex ipsa qualitate suæ missionis cognoscerent quantum concordiam societatis amarēt. Possunt, sicut prædiximus, per asinas mentes simplicium designari. Sancta verò Ecclesia duplices boues, atque asinas recipit: quia prædicatores sancti qui pressi formidine in eius dudum tentatione tacuerāt, & mentes simplicium quæ victæ terroribus veritatem illius confiteri formidabant, tantò iam nunc robustius in confessione veritatis voces suas exerunt, quantò debilius antè timuerunt. Hæc in significatione Ecclesię breuiter diximus: quæ quomodo eiusdem sanctæ Ecclesiæ capiti seruiāt, in exordio huius operis latius nos dixisse memoram⁹. Qui ergo de his sibi plenius satisfieri nititur, secundum huius operis librum legere dignetur. Iam verò si quærimur, vt etiā de ipso animaliū numero disseramus, cur mille iuga boum, vel mille asinæ, & sex milia camelorum, & quatuordecim milia ouium numerētur, dicere breuiter possumus, quòd apud secularem quidem scientiam millenarius numerus idcirco perfectus habetur: quia denarij numeri quadratum solidum reddit. Decem quippe decies ducta
melius. sunt centum, quæ iam figura quadrata, sed plana non est. Vt
† altitudinem. autem in † latitudinem surgat, & solida fiat, rursus cētum decies multiplicantur, & mille sunt. Senarius autem numerus idcirco perfectus est: quia primus in numeris completur partibus suis, id est, sexta sui parte, & tertia, & dimidia, quæ sunt vnum, & duo, & tria: quæ in summam ducta sex fiūt. Nec alius ante senariū numerum reperitur, qui in suis partibus dum diuiditur, tota eius summa compleatur.

Quòd qui peccato mortui sunt, & in quibus vitiorum struma quassata est, per Dei gratiam in bonis operibus consummantur.

Caput XII.

20 SEd quia cuncta hæc per sacræ scripturæ celsitudinem proficiendo transcendimus, ibi senarium, ibi septenarium, ibi denarium, ibi millenariū vnde sit perfectus, inuenimus. Senarius quippe numerus in scriptura sacra perfectus est: quia in mundi origine Dominus ea quæ primo die cœpit, sexto die
Matth. 20. opera impleuit. Septenarius in ea perfectus est, quia omne opus bonum septem per spiritum virtutibus agitur, vt & fides simul & opera consummētur. Denarius numerus in ea perfectus est: quia lex in decem præceptis cōcluditur, omnisq; culpa non amplius quàm per decem verba cohibetur, atq; enarrante veritate, operatores vineæ denario remunerātur. In denario quippe tria iunguntur ad septem. Homo autem qui ex anima constat, & corpore, in septem qualitatibus continetur.
Matth. 22. Nam tribus spiritaliter, & quatuor corporaliter viget. In dilectione etenim Dei tribus qualitatib⁹ spiritaliter excitatur, cùm ei per legem dicitur: Diliges Dominum Deum tuum ex tota mente tua, & ex tota anima tua, & ex tota virtute. Corporaliter verò quatuor qualitatibus cōtinetur: quia videlicet ex materia calida & frigida, humida & sicca componitur. Homo ergo qui ex septē qualitatibus constat, denario remunerari dicitur: quia in illa perceptione supernæ patriæ, septem nostra ad tria iunguntur æterna, vt homo contemplationem trinitatis accipiat, & de remuneratione operis quasi quodam denario cōsummatus viuat. Vel certè quòd septem virtutes sunt quibus in hac vita laboratur, dumq; eis in remuneratione contēplatio trinitatis redditur, vita laborantium denario remuneratur. Sed perfectus quisque etiam in hac vita denarium accipit, dum eisdem septem virtutibus, spem, fidem, charitatémque cōiungit. Millenarius quoq; numerus in sacro eloquio perfectus accipitur: quia appellatione eius vniuersitas designatur.
Psalm. 104. Vnde scriptum est: Verbi quod mandauit in mille generationes. Cùm enim nequaquam credendum sit quòd ad centū generationes mūdus extēditur, quid aliud mille generationibus nisi vniuersitas generationū figuratur? Beatus igitur Iob quatuordecim milia ouium recepit. Quia enim in sancta Ecclesia virtutum perfectio ad vtrunq; sexum ducitur; septenarius in
E ea numerus duplicatur. Et sex milia camelorum: quia plenitudinem in illa operis accipiunt, quia illa dudum vitiorum suorum fœditate perierunt. Millē quoque iuga boum, ac mille asinas recepit: quia Israëlitas atq; gentiles, doctos ac simplices, post tentationum casus in culmine perfectionis assumit.

Quòd in septem filiis Iob septiformis virtutum operatio accipiatur, & in nominibus filiarum eius conditio, & redemptio, & assumptio generis humani possit intelligi.

Caput XIII.

SEptem quoq; filios, & tres filias recepit: quia eorum mentibus quos septem virtutib⁹ genuerat, ad perfectionis summam, spem, fidem, charitatémque coniungit, vt tantò verius prole sua gaudeat, quantò suis fidelibus nil deesse virtutis
21 pensat. Sed quia hæc succinctè transcurrimus, nunc ipsis quoq; indagandis filiarum vocabulis intendamus. Sequitur: *Et vocauit nomen vnius Diem, & nomen secundæ Casiam, & nomen tertiæ Cornustibij.*) Hæc nomina pro eo quòd à virtutibus sumpta
F sunt, aptè curauit interpres nō ea sicut in Arabico sermone inuēta sunt ponere, sed in latinum eloquium versa apertius demōstrare. Quis enim nesciat Diem, vel Casiam latina esse vocabula? At verò Cornustibilij quanuis non cornus, sed cornu dicitur, nec cantantium fistula tibium, sed tibia vocatur, in latina tamē lingua sermonis genere minimè custodito, rem credendo prodere maluit, atque in eius linguæ de qua transferebat, proprietate perdurare. Vel quia per cornu & tibiam vnū verbum ex vtroque composuit, vtrunque verbum per vnam orationis partem in latina lingua trāsfusum, quo voluit gene-
22 re licitè vocauit. Quid est ergo quòd prima filia beati Iob Dies dicitur, secūda Casia, tertia verò Cornustibij vocata memoratur: nisi quia vniuersum genus humanum quod benignitate conditoris, atq; eiusdem misericordia redemptoris eligitur, istis nominibus designatur? Homo nanque quasi dies ex conditione claruit: quia hunc author suus ingenitæ innocētiæ splendore respersit. Sed spōte sua ad peccati tenebras lapsus: quia veritatis lucem deseruit, quasi in nocte se erroris abscon-
G dit: quia aliâs dicitur secutus vmbrā. Sed quia authori nostro non defuit largitas bonitatis suæ etiam cōtra tenebras iniquitatis nostræ, eum quem prius potenter ad iustitiam condidit, potentius redimendo postmodum ab errore reuocauit. Cui quia post casum suum illa cōditionis suæ pristina firmitas defuit, eum contra bella intima repugnantis corruptionis multiplicibus donorum suorū virtutibus fulsit. Quæ nimirum virtutes proficientium in notitia cæterorum hominum quasi suauitate fragrant odorum. Hinc est enim quod per Paulum dicitur: Christi bonus odor sumus Deo. Hinc est quòd sancta *2. Corint. 2.* Ecclesia in electis suis quandam fragrantiam suauitatis odorata in, Canticorum cantico loquitur dicens: Donec rex in re- *Cant. 1.* cubitu suo est, nardus mea dedit odorem suū. Ac si apertè dicat: Quòvsq; meis obtutibus rex apud se in requie secreti cœlestis abscōditur, electorum vita miris virtutum odoribus exercetur, vt quo adhuc eum quem appetit non videt, ardentius per desiderium flagret. Rege quippe in recubitu suo posito, nardus odorē dat, dū quiescente in sua beatitudine Domino,
H sanctorum virtus in Ecclesia magnæ nobis gratiam suauitatis administrat. Quia ergo & conditum luce innocentiæ claruit, & redemptum genus humanum exercitio bonorum operum odorem suauitatis aspersit, prima filia rectè Dies, & secunda non incongruè Casia nominatur. Bene autem Casia dicitur, quæ in tanto sublimis vitæ odore dilatatur. In ipsa quippe sua origine in qua iustus homo conditus fuerat, tantis, quantis nunc opus est virtutibus, non indigebat: quia si stare sicut est conditus vellet, hostem extrà positum vincere sine difficultate potuisset. Postquam verò per assensum hominis semel aduersarius ad intima irrupit, laboriosius iam victor eiicitur, qui adhuc impugnans sine labore repelleretur. Multa nanq; nunc exhibenda sunt, quæ in paradiso necessaria non fuerunt. Nunc quippe opus est virtute patientiæ, laboriosa eruditione doctrinæ, castigatione corporis, assiduitate precis, confessione delictorum, inundatione lachrymarū, quorum profectò omnium conditus homo non eguit: quia salutis bonum ex ipsa sua conditione percepit. Aegro quippe poculum amarum porrigitur, vt ad salutis statū morbo sublato reuocetur. Sano autem nequaquam præcipitur quid accipiat, vt conualescat,

lescat, sed à quibus caueat ne languescat. Nunc ergo maiori-
A bus studiis vtimur, cùm salutem nequaquam seruamus habitam, sed reparare curamus ablatam. Et quia omnes hi annisus nostræ reparationis magnis intra sanctam Ecclesiam opinionibus pollent, nomen secundę filię velut Casia ex merito redolet, vt quia prima filia quasi dies extitit per dignitatē conditionis, secunda Casia fit per fragrantiā fortitudinis ex gra-
23. tia redēptionis. Vnde & eidem venienti redemptori per
Psalm. 44. Prophetam dicitur: Myrrha & gutta, & casia à vestimentis tuis à gradibus eburneis: ex quibus te delectauerunt filię regum in honore tuo. Quid enim myrrhæ, guttæ, & casiæ nomine, nisi virtutum suauitas designatur? quid eburneis gradibus, nisi magna nitens fortitudine proficientiū ascensus exprimitur? Redēptor igitur veniens, myrrha, gutta, & casia in vestimento vtitur: quia ex electis suis quibus se misericorditer induit, myrrhæ virtutis fragrantiā aspergit. In quibus iste odor ab eburneis gradibus ducitur: quia in eis virtutum opinio non ex ostentiōne simulationis, sed ex veri ac solidi ope-
B ris ascensu generatur. Bene autem subditur: Ex quibus delectauerunt te filiæ regū in honore tuo. Sāctæ nanq; animæ ab antiquis patribus ad cognitionem veritatis editæ, redemptorem suum in eius honore delectant: quia ex eo quòd bene agunt, suæ laudi nihil vindicant. Quia verò tertio ordine est humanum genus etiam carnis resurrectione renouatum in illo concentu æternæ laudis assumitur tertia filia, quæ Cornustibij vocatur. Quid enim per Cornustibij, nisi lætantiū can-
Psalm. 105. tus exprimitur? Ibi enim veraciter adimpletur, quod modò Per prophetam dicitur: Cantate Domino canticum nouum. Ibi veraciter adimpletur, vbi canticum laudis Dei non iam ex fide, sed ex specie contemplata cantabitur. Ibi à nobis cōditor noster laudum suarum veraces cātus recipit: qui humanum genus & cōdendo diem & redimendo casiam, & assumendo Cornustibij fecit. Qui enim lux fuimus cōditi, & nūc sumus casia redēpti erimus quādoque Cornustibij, in exultatione æternę laudis assumpti. Sed priusquā ad nuptiarū thalamum sponsa perueniat: omnē à se vitæ fœditatē respuit, &
C sponsi amori præparās sese per species virtutū comit. Studet quippe interni arbitri iudicio placere: & intimis desideriis subleuata, fœdos mores conuersationis humanę transcendere. Vnde bene & de eisdem filiabus beati Iob subditur:

Quòd pulchritudo sanctarum animarum ad hæc terrena incomparabilis sit: & licèt inter se quasi stellæ differant, in claritate tamen eadem actiuis, & contemplatiuis est hæreditas.

Caput XIIII.

NOn sunt autem inuētæ mulieres speciosæ sicut filiæ Iob in vniuersa terra.) Electorum quippe animæ omne humanum genus quod in terra secundum hominem conuersatur, suæ pulchritudinis decore transcendunt: quantóque se exterius affligendo despiciunt, tantò se verius intus componunt. Hinc est enim quòd sanctæ Ecclesiæ quæ electorum pulchitudi-
Psalm. 44. ne decoratur per Psalmistam dicitur: Concupiuit rex speciē tuam. De qua paulò pòst subditur: Omnis gloria eius filiæ re-
D gum ab intus. Nam si foris gloriam quæreret, intus speciem
24. quam rex concupisceret, haberet. In qua quidem quanuis multi virtutum decore fulgeant, atque ipsa viuendi perfectione cæterorum merita excedant: nonnulli tamen quia ad altiora assequenda non sufficiunt, infirmitatis eius gremio continentur. Qui inquantum præualent, mala vitant: quanuis inquantum appetunt, altiora bona non impleant. Quos tamen benignè Dominus suscipit, eósque apud se pro modo dignæ retributionis admittit. Vnde & sequitur: *Dedítque eis pater suus hæreditatem inter fratres earum.*) Ipsæ ergo ex perfectorum merito speciosæ memorantur: ipsæ etiam quasi ex imperfectorum typo velut infirmæ hæreditatem inter fratres accipiunt. Vsus nanque vitæ veteris non habebat vt hæreditatem fœminæ inter masculos sortirentur: quia legis seueritas fortia eligens, infirma contemnens, districta potius studuit, quàm benigna sancire. Sed pio nostro redemptore veniente, nullus infirmitatis suæ conscius, de sortienda cœlestis patrimonij hæreditate desperat. Pater enim noster inter masculos etiam fœminis iura successionis tribuit: quia inter fortes atque perfectos, infirmos & humiles ad sortem

A supernæ hæreditatis admittit. Vnde ipsa veritas in Euange-
lio dicit: In domo patris mei mansiones multę sunt. Apud pa- *Ioan. 14.* trem quippe mansiones multæ sunt: quia in illa beatitudinis vita non dispari, vnusquisque iuxta dispar meritum, locum disparē percipit, sed eiusdem disparilitatis damna non sentit: quia tantum sibi, quantum perceperit sufficit. Sorores ergo cum fratribus ad hæreditatem veniunt: quia infirmi illuc cum fortibus admittuntur: quatenus si quis per imperfectionem non erit summus, ab hæreditatis tamen sorte per humilitatem non sit extraneus. Quas bene Paulus mansiones iuxta merita distributas insinuat, cùm ait: Alia claritas Solis, & alia claritas *1. Cor. 15.* lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim ab stella differt in claritate. Sequitur:

Quòd sancta Ecclesia post huius vitæ terminum, deposito corruptionis pondere, peccato emortuo, in plenitudine dierum æternitatis, cum sanctorum sobole, bonorum operum multiplicata retributione, in æternum cum Christo quiescat.

B *Caput XV.*

VIxit autem post hæc flagella Iob centum quadraginta annis: & vidit filios suos, & filios filiorum suorum vsque ad quartam generationem: & mortuus est senex, & plenus dierum.) In scriptura sacra nō facile plenus dierum ponitur, nisi is cuius per eandem scripturam vita laudatur. Vacuus quippe dierum est, qui & quamlibet multum vixerit, ætatis suæ tempora in vanitate consumit. At contrà plenus dierum dicitur, cui nequaquam dies sui pereundo transeunt, sed ex quotidiana mercede boni operis, apud iustum iudicem, & postquam transacti fuerint reseruantur. Sed quia sunt qui hæc etiam in typo sanctæ Ecclesiæ 25.
interpretari desiderant, quorum votis tantò magis obediendum est, quantò & eorum spiritali intelligentiæ congaudendum: si quatuordecim per denarium ducimus, ad centesimum & quadragesimum numerum peruenimus. Et rectè vita sanctæ Ecclesiæ multiplicata per decem & quatuor computatur: quia vtrunque testamentum custodiens, & tam secundum le-
C gis decalogum, quàm secundum quatuor Euangelij libros viuens, vsque ad perfectionis culmen extenditur. Vnde & Paulus Apostolus quanuis epistolas quindecim scripserit: sancta tamen Ecclesia non amplius quàm quatuordecim tenet: vt ex ipso epistolarum numero ostēderet quòd doctor egregius legis & Euangelij secreta rimasset. Bene autem beatus Iob post flagella viuere dicitur: quia & sancta Ecclesia prius disciplinæ flagello percutitur, & postmodum vitæ perfectione roboratur. Quæ etiam filios suos, & filiorum suorum vsque ad quartam generationem conspicit: quia in hac ætate quæ annuis quatuor temporibus voluitur, vsque ad finem mundi per ora prædicantium nascentes sibi quotidie soboles contemplatur. Nec abhorret à vero quòd per generationes dicimus tempora designari. Quid enim vnaquęque successio, nisi quædam propago est generis? Et pincerna regis Aegypti *Gene. 39.* cùm vidisset somnium quòd tres propagines duceret, Ioseph præditus in solutione somniorum, tres propagines, tres dies renunciat designare. Si ergo per tres propagines spatium
D trium dierum exprimitur, cur non etiam per quatuor generationes annua quatuor tempora figurentur? Sancta itaque Ecclesia videt filios suos, cùm primum fidelium sobolem conspicit. Videt filios filiorum, cùm ab eisdem fidelibus ad fidem gigni & filios cognoscit. Quæ etiam senex & plena dierum moritur: quia subsequente luce ex mercede quotidianorum operum, deposito corruptionis pondere, ad incorruptionem spiritalis patriæ mutatur. Plena videlicet dierum moritur: cui labentes anni non transeunt, sed statim actuum retributione solidantur. Plena dierum moritur: quæ per hæc transeuntia tempora id quod non transit operatur. Vnde Apostolis dicitur: Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam ęternam. Dies itaque suos sancta Ecclesia etiam cùm præ- *Ioannis 6.* sentem vitam deserit, nō amittit: quia in electis suis tantò eorū lucem multiplicius inuenit, quantò nunc in eis ab omni tētatione se cautius solicitiúsque custodit. Dies suos Ecclesia non amittit: quia sese in hac vita vigilāter quotidie pensare nō negligit, & ad omnia quę rectè facere valeat, inertia nulla torpescit. Hinc est enim quòd de illa per Salomonem dicitur. Considerat semitas domus suæ & panem ociosa non comedit. Se- *Prouer. 31.*

E

mitas quippe domus suæ considerat: quia cũctas suæ eõscientiæ cogitationes subtiliter inuestigat. Panẽ ociosa nõ comedit: quia hoc quod de sacro eloquio intelligẽdo perceperit, ante æterni iudicis oculos exhibendo operibus ostẽdit. Mori autẽ dicitur: quia cùm illã æternitatis contemplatio absorbuerit, ab hac mutabilitatis suæ vicissitudine funditus extinguit, vt in ea iam hoc quod acumẽ intimæ visionis impediat, vllo modo nihil viuat. Tantò enim verius tũc interna cõspicit, quãtò cunctis exterioribus plenius occumbit. Hanc itaq; mortem, hanc dierum plenitudinẽ, & in beato Iob, vno scilicet membro Ecclesiæ credamus factam, & in tota simul Ecclesia speremus esse faciẽdam: quatenus ita teneatur rei gestæ veritas, vt non euacuetur rei gerendæ prophetia. Bona enim quæ de sanctorum vita cognoscimus, si veritate carent, nulla sunt: si mysteria nõ habent, minima. Quæ ergo per spiritum sanctũ bonorum vita describitur, & per intellectũ nobis spiritalẽ fulgeat, & tamẽ sensus à fide historiæ nõ recedat: quatenus tantò fixior animus in suo intellectu permaneat, quantò hunc quasi in quodam medio constitutum: & erga futura spes, & erga præterita fides ligat.

Quòd sanctus Gregorius in his quæ iam recta intentione protulit, vanæ gloriæ vel laudis humanæ fauorem subrepsisse sibi formidat: & pro recompensatione operis postulat orationem lectoris.

Caput XVI.

26. EXpleto itaque hoc opere, ad me video esse redeundum. Multum quippe mens nostra etiam cùm rectè loqui conatur, extra semetipsam spargitur. Integritatem nanque animi, dum cogitantur verba qualiter proferantur: quia eum trahunt extrinsecus, minuũt. Igitur à publico locutionis redeũdum est ad curiam cordis, vt quasi in quodã concilio consultationis ad meipsum discernendum conuocem cogitationes mentis: quatenus ibi videãt, ne aut incautè mala, aut bona nõ bene dixerim. Tũc enim bene dicitur bonum, cùm is qui dicit, soli ei à quo accipit, per id appetit placere quod dicit. Et quidẽ mala me aliqua etsi dixisse nõ inuenio: tamẽ quia omnino nõ dixerim, nõ defendo. Bona verò si qua diuinitùs accipiens dixi: meo videlicet vitio minus me dixisse profiteor. Nam ad me intrinsecus rediens, postpositis verborum foliis,

E postpositis sententiarum ramis, dum ipsam subtiliter radicẽ meæ intentionis inspicio: Deo quidem ex ea me summopere placere voluisse cognosco: sed eidem intentioni qua Deo placere studeo, furtim se, nescio quomodo, intentio humanæ laudis interserit. Quòd cùm iam postmodũ tardéque discerno, inuenio me aliter agere, quod scio me aliter inchoasse. Sic etenim sæpe intentionem nostram dũ ante Dei oculos rectè incipitur, occultè sibi subiuncta, & eam velut in itinere comprehendens, intentio humanæ laudis assequitur: sicut pro necessitate quidem cibus sumitur, sed in ipso esu dum furtim gula surrepit, edendi delectatio permiscetur. Vnde plerũque contingit, vt refectionem corporis quam salutis causa cœpimus, causa voluptatis expleamus. Fatendum est igitur quod rectam quidem intentionem nostram quæ soli Deo placere
F appetit, nonnũnquã intentio minus recta, quæ de donis Dei placere hominibus quærit, insidiando comitatur. Si autem de his diuinitus districtè discutimur: quis inter ista remanet salutis locus, quãdo & mala nostra pura mala sunt, & bona quæ nos habere credimus, pura bona esse nequaquã possunt? Sed hoc mihi facere operepreciũm credo, quòd fraternis auribus omne quod in me latenter ipse reprehendo, incunctanter aperio. Quia enim exponendo non cœlaui quod sensi: confitendo non abscondo quod patior. Per expositionẽ patefeci dona: per confessionem detego vulnera. Et quia in hoc tam magno humano genere, nec paruuli desunt qui dictis meis debeant instrui: nec magni desunt qui cognitæ meæ valeant infirmitati misereri: per hæc vtraque aliis fratribus quantum possum curam confero, ab aliis spero. Illis dixi exponendo quod faciant: istis aperio cõfitendo quod parcãt. Illis verborũ medicamẽta nõ subtraho: istis laceationem vulnerum nõ
G abscõdo. Igitur quæso vt quisquis hæc legerit, apud districtũ iudicem solatiũ mihi suę orationis impẽdat: & omne quod in me sordidũ deprehendit, fletibus diluat. Orationis autẽ atq; expositionis virtute collata, lector meus in recõpẽsatione me superat: si cũ per me verba accipit, pro me lachrymas reddat.

B. GREGORII MAGNI PAPAE, Doctoris Ecclesiæ insignis, Moralium librorum in grauissimas beati Iob sententias Finis.

Tabula capitum libri Pastoralis beati Gregorij Papæ.
Summaria primæ partis.

1 NE imperiti venire ad magisterium audeant.
2 Ne locum regiminis subeant qui viuendo non perficiunt, quæ meditando didicerunt.
3 De pondere regiminis: & quòd aduersa quæque despicienda sunt, & prospera formidanda.
4 Quòd plerunque occupatio regiminis soliditatem dissipet mentis.
5 De his qui in regiminis culmine prodesse exemplo virtutum possunt, sed quietem propriam sectando refugiunt.
6 Quòd hi qui põdus regiminis per humilitatem refugiunt, tunc verè sunt humiles cùm diuinis iudiciis non resistunt.
7 Quòd nonnunquam prædicationis officium nonnulli laudabiliter appetunt: & ad hoc nonnulli laudabiliter coacti pertrahuntur.
8 De his qui præesse concupiscunt, & ad vsum suæ libidinis instrumentum Apostolici sermonis arripiunt.
9 Quòd mens prœesse volentium plerunque sibi ficta bonorum operum promissione blanditur.
10 Qualis quisque ad regimen venire debeat.
11 Qualis quisque ad regimen venire non debeat.

Summaria secundæ partis.

1 Is qui ad regimen ordinatè peruenerit qualem se in ipso regimine debeat exhibere.
2 Vt rector cogitatione sit mundus.
3 Vt rector sit semper operatione præcipuus.
4 Vt sit rector discretus in silentio, vtilis in verbo.
5 Vt sit rector singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus.
6 Vt sit rector bene agentibus per humilitatem socius: contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus.
7 Vt sit rector internorum curam in exteriorum occupatione nõ minuens, exteriorum prouidentia internorum sollicitudinem non relinquens.
6 Ne placere rector suo studio hominibus appetat: sed tamẽ ad quid placere debeat, intendat.
9 Quòd scire solicitè rector debeat, quòd plerunque vitia virtutes se esse mentiuntur.
10 Quòd esse debet rectori discretio correctionis & dissimulationis, seruoris, & mansuetudinis.
11 Quantum rector sacræ legis meditationibus esse debeat intentus.

Summaria tertiæ partis.

1 Quòd aliter admonendi sunt viri, atque aliter fœminæ, &c. continens in se xxxvj. admonitiones & declarationes earundem.
2 De exhortatione multis adhibenda: vt sic singulorum virtutes adiuuet, quatenus per hanc contraria virtutibus vitia non erubescant.
3 De exhortatione quæ vni adhibenda est contrariis passionibus laboranti.
4 Quòd aliquando leuiora vitia relinquẽda sunt, vt grauiora subtrahantur.
5 Quòd infirmis omnino debent alta prædicari.
6 De opere prædicationis & voce.

Summarium vnicum quartæ partis.

Qualiter prædicator omnibus ritè peractis ad semetipsum redeat: ne hunc vel vitia, vel prædicatio extollant.

PROLOGVS IN PASTORALIA BEATI GREGORII PAPÆ, AD SANCTISSIMUM Ioannem episcopum ciuitatis Rauennæ.

PAstoralis curæ non pondera fugere deliteſcendo voluisse, benigna, frater charissime, atque humillima intentione reprehendis: quæ nẽ quibusdam leuia esse videantur, præsentis libri stilo exprimo de eorum grauedine omne quod penso: vt & hæc qui vacat, incautè non expetat: & qui incautè expetit, adeptum se esse pertimescat. Quadripartita verò disputatione liber iste distinguitur, vt ad lectoris sui animum ordinatis allegationibus quasi quibusdam passibus gradiatur. Nam cùm rerũ necessitas exposcit, pensandum valde est ad culmen quisque regiminis qualiter veniat: atque ad hoc ritè perueniens qualiter viuat, & bene viuens qualiter doceat, & rectè docens infirmitatem suam quotidie quanta valet consideratione cognoscat: ne aut humilitas accessum fugiat, aut peruentioni vita contradicat: aut vitam doctrina destruat, aut doctrinam præsumptio extollat. Prius ergo appetitum timor temperet: pòst autem magisterium quod à non requirente suscipitur vita commendet: ac deinde necesse est, vt pastoris bonum quod ostenditur viuendo, etiam loquendo propagetur. Ad extremum verò superest, vt perfecta quæque opera consideratio propriæ infirmitatis deprimat: ne hæc ante occulti arbitri oculos tumor elationis extinguat. Sed quia sunt plerique mihi imperitia similes, qui dũ metiri se nesciũt, quę non didicerunt docere concupiscunt: qui pondus magisterij tantò leuius æstimant, quantò vim magnitudinis illius ignorant, ab ipso libri huius reprehenduntur exordio: vt qui indocti ac præcipites doctrinæ arcem tenere appetunt, à præcipitationis suæ ausibus in ipsa locutionis nostræ ianua repellantur.

Ne venire imperiti ad magisterium audeant.

Caput I.

NVlla ars doceri præsumitur, nisi intenta prius meditatione discatur. Ab imperitis ergo pastoribus magisterium pastorale suscipitur in magna temeritate: quoniam ars est artium regimen animarum. Quis autem cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? Et tamen sæpe qui nequaquam spiritalia præcepta cognouerunt, cordis se medicos profiteri non metuunt: dum qui pigmentorum vim nesciunt, videri medici carnis erubescãt. Sed quia authore Deo ad religionis reuerentiam omne iam præsentis seculi culmen inclinatur: sunt nonnulli qui intra sanctam Ecclesiam per speciem regiminis gloriam affectant honoris: videri doctores appetunt, transcedere cæteros concupiscunt, atque attestante veritate primas salutationes in foro, primos recubitus in cœnis, primas in cõuentionibus quærunt cathedras: qui susceptum curæ pastoralis officium ministrare dignè tantò magis nequeunt, quantò ad huius humilitatis magisterium ex sola elatione peruenerunt. Ipsa quippe in magisterio lingua confunditur, quando aliud discitur, & aliud docetur. Cõtra quos Dominus per prophetam queritur, dicens: Ipsi regnauerunt & non ex me: principes extiterunt, & ego ignoraui. Ex se nanque & non ex arbitrio summi rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus nequaquam diuinitus vocati, sed sua cupidine accensi, culmen regiminis rapiunt potius, quàm assequuntur. Quos tamen internus iudex & prouehit, & non cognoscit: quia quos permittendo tolerat, profectò per iudicium reprobationis ignorat. Vnde ad se quibusdã & post miracula venientibus dicit: Recedite

Matth. 23.

Osee. 8.

A à me operarij iniquitatis, nescio qui estis vos. Pastorũ imperitia voce veritatis increpatur: cùm per prophetã dicitur: Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam. Quos rursum deprehendit Dominus dicens: Et tenentes legem nesciuerunt me. Et nesciri se ergò ab eis veritas queritur, & nescire se principatum nescientium se protestatur: quia profectò hi qui ea quæ sunt Domini nesciunt, à Domino nesciuntur. Paulo attestante qui ait: Si quis autem ignorat, ignorabitur. Quæ nimirum pastorum sæpe imperitia meritis congruit sæpe subiectorum: quia quanuis lumen scientiæ sua culpa exigente non habeant, districto tamen Dei iudicio agitur, vt per eorum ignorantiam hi etiam qui sequũtur offendant. Hinc nanque in Euangelio per semetipsam veritas dicit: Si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foueam cadunt. Hinc Psalmista non optantis animo, sed prophetantis ministerio denunciat dicens: Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Oculi quippe sunt, qui in ipsa honoris summi facie positi prouidendi itineris officium susceperunt: quibus hi nimirum qui subsequenter inhærent dorsa nõminantur. Obscuratis ergo oculis dorsum flectitur: quia cùm lumen scientiæ perdunt qui præeunt, profectò cuncti ad portanda peccatorum onera curuantur qui sequuntur.

Esaiæ 6.
Hier. 2.
1. Cõ. 14.
Matth. 15.
Psalm. 68.

Ne locum regiminis subeant, qui viuendo non perficiunt, quæ meditando didicerunt.

Caput II.

ET sunt nonnulli, qui solerti cura spiritalia præcepta perscrutantur: sed quæ intelligendo penetrant, viuendo conculcant, repentè docent quæ non opere, sed meditatione didicerunt: & quod verbis prædicant, moribus impugnant. Vnde fit vt cùm pastor per abrupta gradiatur, ad præcipitium grex sequatur. Hinc nanque per prophetam Dominus contra contemptibilem pastorum scientiam queritur, dicens: Cùm ipsi limpidissimam aquam biberetis, reliquã pedibus vestris turbabatis: & oues meæ quæ conculcata pedibus vestris fuerant pascebantur: & quæ pedes vestri turbauerant, hæc bibebant. B Aquam quippe limpidissimã pastores bibunt, cùm fluenta veritatis rectè intelligentes hauriunt. Sed eandem aquam pedibus perturbare, est sanctæ meditationis studia malè viuendo corrumpere. Aquam scilicet eorum turbatã pedibus oues bibunt, cùm subiecti quique non sectantur verba quæ audiunt, sed sola quæ conspiciunt opera prauitatis imitantur. Qui cùm dicta sitiunt, & per opera peruertuntur, quasi corruptis fontibus in potibus lutum fũnunt. Hinc quoque scriptum est per Prophetam: Laqueus ruinæ populi mei sacerdotes mali. Hinc rursum de sacerdotibus malis per prophetam Dominus dicit: Facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis. Nemo quippe amplius in Ecclesia nocet, quàm qui peruersè agens nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem nanque hunc nemo redargũere præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quãdo pro reuerẽtia ordinis peccator honoratur. Indigni autem quique tanti reatus põdera fugerent, si veritatis sententiam solicita cordis aure penſarent, quæ ait: C Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt, D melius erat ei vt ligaretur mola asinaria in collo eius, & proiiceretur in profundum maris. Per molam quippe asinariã, secularis vitæ circuitus ac labor exprimitur: & per profundũ maris extrema damnatio designatur. Qui ergo ad sanctitatis speciẽ deductus, vel verbo cæteros destruit, vel exẽplo: melius profectò fuerat vt hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constrigeret, quàm sacra officia cæteris in culpa imitabilem demonstrant: quia nimirum si solus caderet, vtcunque hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret.

Ezech. 34.
Ezech. 44.
Matth. 18.

De pondere regiminis eò, quòd aduersa quæque despicienda sunt, & prospera formidanda.

Caput III.

HAec igitur breuiter diximus, vt quantum sit pondus regiminis monstraremus: ne temerariè sacra regimina quisquis his impar est, audeat, & per concupiscentiam culminis ducatum suscipiat perditionis. Hinc enim piè Iacobus prohibet dicens: Nolite pluros magistri fieri fratres mei. Hinc ipse Dei hominũmque mediator regnum percipere vitauit in terris, qui supernorum quoque spirituum scientiam sensũmque transcendens ante secula regnat in cœlis. Scriptum

Iaco. 3.

Ioan.6. quippe eſt : Ieſus ergo cùm cognouiſſet quia venturi eſſent, vt raperent eum & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus. Quis enim principari hominibus tam ſine culpa potuiſſet, quàm is qui hos nimirum regeret quos ipſe creauerat? Sed quia idcirco in carne apparuit, vt non ſolùm nos per paſsionem redimeret, verum etiam per conuerſationem doceret, exemplum ſe ſequentibus præbens, rex fieri noluit, ad crucis verò patibulum ſpõte peruenit. Oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probroſæ mortis appetit: vt membra eius videlicet diſcerent fauores mundi fugere, terrores minimè timere, pro veritate aduerſa diligere, proſpera formidando declinare: quia & iſta ſæpe per tumorem cor inquinant, & illa per dolorem purgant. In iſtis ſe animus erigit, in illis autem etiam quando ſe erexerat ſternit. In iſtis homo ſe obliuiſcitur, in illis verò ad ſui memoriam nolens etiam coactúſque reuocatur. In iſtis ſæpe & anteacta bona depereunt, in illis autem longi quoque temporis admiſſa terguntur. Nam plerunq; aduerſitatis magiſterio ſub diſciplina cor premitur: quòd ſi ad regiminis culmen eruperit, in elatione protinus vſu gloriæ permutatur. Sic Saul qui indignum ſe prius conſiderans fugerat, mox vt regni gubernacula ſuſcepit intumuit, honorari nanque coram populo cupiens dum reprehendi publicè noluit, ipſum qui regem ſe vnxerat, abſcidit. Sic Dauid authoris ſui iudicio penè in cunctis actibus placens, mox vt preſſuræ pondere caruit, in tumorem vulneris erupit, factúſque eſt in morte Vriæ crudeliter rigidus, qui in appetitu fœminæ fuit eneruiter fluxus. Et qui malis antè nouerat piè parcere, in bonorum quoque nece pòſt didicit ſine obſtaculo retractionis anhelare. Prius quippe ferire deprehenſum perſecutorem noluit, & pòſt cum damno deſudantis exercitus etiam deuotum militem extinxit. Quem profectò ab electorum numero culpa longius raperet, niſi hunc ad veniam flagella reuocaſſent.

Quòd plerunque occupatio regiminis ſoliditatem diſsipat mentis.

Caput IIII.

SAepe ſuſcepta cura regiminis, cor per diuerſa intuendo diuerberat, & impar quiſque inuenitur ad ſingula, dum confuſa mente diuiditur ad multa. Vnde quidam ſapiẽs *Eccli.11.* prouidè admonet, dicens: Fili, ne in multis ſint actus tui: quia videlicet nequaquam plenè in vniuſcuiuſque operis ratione colligitur, dum mens per diuerſa ſparſa partitur. Cúmque foras per inſolentem curam trahitur, à timoris intimi ſoliditate vacuatur, fitque in exteriorum diſpoſitioue ſolicita, & ſui ſolummodo ignara, ſcit cogitare multa ſe neſciens. Nam cùm pluſquam neceſſe eſt ſe exterioribus implicat, quaſi occupata in itinere obliuiſcitur quò tendebat: ita vt à ſtudio ſuæ inquiſitionis alienata, ne ipſa quidem quæ patitur damna conſideret, & per quanta delinquat ignoret. Neque enim peccare ſe Ezechias credit, cùm venientibus ad ſe alienigenis aromatum cellas oſtendit, ſed in damnationem ſecuturæ prolis ex eo iram iudicis pertulit, quod ſe facere licenter æſtimauit. Sæpe enim dum multa ſuppetunt, dúmque agi poſſunt, quæ ſubiecti quia acta ſunt admirentur: in cogitatione ſe animus eleuat, & plenè in ſe iram iudicis prouocat, quanuis per iniqua foras opera non erumpat. Intus quippe eſt qui iudicat, intus quod iudicatur. Cùm ergo in corde delinquimus: latet homines quod apud nos agimus: ſed tamen ipſo iudice teſte peccamus. Neque enim rex Babyloniæ tunc reus extitit *Daniel.4.* de elatione, cùm ad elationis verba peruenit. Quippe qui ore prophetico & antè cùm ab elatione tacuit, ſententiam reprobationis audiuit. Culpam nanque perpetratæ ſuperbiæ iam antè deterſerat, qui omnipotentem Deum quem ſe offendiſſe reperit, cunctis ſub ſe gentibus prædicauit. Sed pòſt hæc ſucceſſu ſuæ poteſtatis eleuatus, dum magna ſe feciſſe gauderet: cunctis prius in cogitatione ſe prætulit, & *Ibidem.* pòſt adhuc tumidus dixit: Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, & in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Quæ videlicet vox illius iræ vindictam apertè protulit, quam occulta elatio accendit. Nam diſtrictus iudex prius inuiſibiliter vidit, quod poſtea publicè feriendo reprehendit. Vnde & in irrationabile animal hunc vertit, ab humana ſocietate ſeparauit, agri beſtiis E mutata mente coniunxit: vt diſtricto videlicet, iuſtóque eius iudicio homo quoque eſſe perderet, qui magnum ſe vltra homines æſtimaſſet. Hæc itaque proferentes non poteſtatẽ reprehendimus, ſed ab appetitu illius cordis infirmitatem munimus: ne imperfecti quique culmen arripere regiminis audeant, & qui planis ſtantes titubant, in præcipitio pedem ponant.

De his qui in regiminis culmine prodeſſe exemplo virtutum poſſunt, ſed quietem propriam ſectando refugiunt. *Caput V.*

NAm ſunt nonnulli, qui eximia dona virtutum percipiunt, & pro exercitatione cæterorum magnis muneribus exaltantur, qui ſtudio caſtitatis mundi, abſtinentiæ robore validi, doctrinæ dapibus referti, patientiæ longanimitate humiles, authoritate fortitudinis erecti, pietatis gratia benigni, iuſtitiæ ſeueritate diſtricti ſunt. Qui nimirum culmen regiminum ſi vocati ſuſcipere renuunt, ipſa ſibi plerunque dona adimunt, quæ non pro ſe tantummodo, ſed etiam pro aliis acceperunt. Cúmque ſua & non aliorum lucra cogi- F tant, ipſi ſe quæ priuata habere appetunt bonis priuant. Hinc itaque ad diſcipulos veritas dicit: Non poteſt ciuitas abſcon- *Matth.5.* di ſupra montem poſita, & nemo accendit lucernam & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum vt luceat omnibus qui in domo ſunt. Hinc Petro ait: Simon Ioannis amas me? *Ioan.21.* Qui cùm amare ſe protinus reſpõdiſſet, audiuit: Si diligis me, paſce oues meas. Si ergo dilectionis eſt teſtimoniũ cura paſtionis: quiſquis virtutibus pollens gregem Dei paſcere renuit, paſtorem ſummum conuincitur non amare. Hinc Pau- *1.Corin.5.* lus dicit: Si Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt. Et ſi pro omnibus mortuus eſt, ſupereſt vt qui viuunt iam non ſibi viuant: ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. Hinc Moyſes ait: Vt vxorem fratris ſine filiis *Deut.25.* defuncti ſuperſtes frater accipiat, atque ad nomen fratris filios gignat, quàm ſi accipere fortè renuerit: huic in faciẽ mulier expuat, vnúmque ei pedem propinquus diſcalciet, eiúſque habitaculum domus diſcalciati vocetur. Frater quippe G defunctus ille eſt, qui poſt reſurrectionis gloriam apparens dixit: Ite nunciate fratribus meis. Qui quaſi ſine filiis obiit: quia adhuc electorum ſuorum numerum non impleuit. Huius ſcilicet vxorem ſuperſtes frater ſortiri pręcipitur: quia dignum profectò eſt, vt cura ſanctæ Eccleſiæ ei qui hanc bene regere præualet, imponatur. Cui nolenti in faciem mulier expuit: quia quiſquis ex muneribus quæ perceperit, prodeſſe aliis non curat, bonis quoque eius ſancta Eccleſia exprobrãs & quaſi in faciem ſaliuam iactat. Cui ex vno pede calciamentum tollitur, vt diſcalciati domus eius vocetur: Scriptũ quippe eſt, Calciati pedes in præparatione Euangelij pacis. Si ergo vt noſtram ſic curam proximi gerimus, vtrunque pedem per calciamentum munimus. Qui verò ſuam cogitans vtilitatem proximorum negligit, quaſi vnius pedis calciamentum cum dedecore amittit. Sunt itaque nonnulli qui magnis, vt diximus, muneribus ditati dum ſolius contemplationis ſtudijs inardeſcunt, parere vtilitati proximorum prædicatione H refugiunt, ſecretum quietis diligunt, ſeceſſum ſpeculationis petunt. De quo ſi diſtrictè iudicetur, ex tantis procul dubio rei ſunt, quantis venientes ad publicum prodeſſe potuerunt. Qua enim mente is qui proximis profuturus eniteſceret, vtilitati cæterorum ſecretum præponit ſuum: quando ipſe ſummi patris vnigenitus vt multis prodeſſet de ſinu patris egreſſus eſt ad publicum noſtrum?

Quòd hi qui pondus regiminis per humilitatem refugiunt: tunc verè humiles ſunt, cùm diuinis iudiciis non reſiſtunt.

Caput VI.

ET ſunt nonnulli qui ex ſola humilitate refugiunt, ne eis quibus impares ſe æſtimant præferantur. Quorum profectò humilitas, ſi cæteris quoque virtutibus cingitur, tunc ante Dei oculos vera eſt, cùm ad reſpuendum hoc quod vtiliter ſubire præcipitur, pertinax non eſt. Neque enim verè humilis eſt, qui ſuperni nutus arbitrio vt debeat præeſſe intelligit, & tamen præeſſe contemnit. Sed diuinis diſpoſitionibus ſubditus atque à vitio obſtinationis alienus, cùm ſibi regiminis culmen imperatur, ſi iam donis præuentus eſt, quibus & aliis proſit, & ex corde debet fugere & inuit' obedire.

Quòd

Quòd nonnunquam prædicationis officium nonnulli laudabiliter appetunt: & ad hoc nonnulli coacti pertrahuntur.

Caput VII.

QVanuis nonnunquam prædicationis officium & nonnulli laudabiliter appetunt, & ad hoc nonnulli laudabiliter coacti pertrahuntur: quod liquidò cognoſcimus, ſi duorum prophetarum facta penſamus: quorum vnus vt ad prædicandum mitti debuiſſet ſponte ſe præbuit: quo tamen alter *Eſaia 6.* pergere cum pauore recuſauit. Eſaias quippe Domino quærenti quem mitteret, vltrò ſe obtulit, dicens: Ecce ego, mitte *Hiere.1.* me. Hieremias autem mittitur, & tamen ne mitti debeat humiliter reluctatur dicens: A, a, a, Domine Deus, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum. En ab vtriſq; exterius diuerſa vox prodiit, ſed non à diuerſo fonte dilectionis emanauit. Duo quippe ſunt præcepta charitatis, Dei videlicet amor & proximi. Per actiuam igitur vitam prodeſſe proximis cupiens Eſaias officium prædicationis appetit. Per contemplatiuam verò Hieremias amori conditoris ſedulò inhærere deſiderans, ne mitti ad prædicandum debeat contradicit. Quod ergo laudabiliter alter appetiit, hoc laudabiliter alter expauit. Iſte ne tacitæ contemplationis lucra loquendo perderet, ille ne damna ſtudioſi operis tacendo ſentiret. Sed hoc in vtriſque eſt ſubtiliter intuendum: quia & is qui recuſauit, plenè non reſtitit, & is qui mitti voluit antè per altaris calculũ ſe purgatum vidit: ne aut non purgatus adire quiſque miniſteria ſacra audeat, aut quem ſuperna gratia eligit, ſub humilitatis ſpecie ſuperbè contradicat. Quia igitur valde difficile eſt purgatum ſe quemlibet poſſe cognoſcere, prædicationis officium tutius declinatur, nec tamẽ declinari, vt diximus, pertinaciter debet, cùm ad ſuſcipiendum hoc ſuperna voluntas agnoſcitur. Quod Moyſes vtrunque miro opere expleuit, qui præeſſe tantæ multitudini & noluit & obediuit. Superbus enim fortaſſe eſſet, ſi ducatum plebis innumeræ ſine trepidatione ſuſciperet: & rurſum ſuperbus exiſteret, ſi authoris imperio obedire recuſaret. Vtrobique ergo humilis, vtrobique ſubiectus, & præeſſe populis ſemetipſum metiendo noluit, & tamen de imperantis viribus præſumendo conſenſit. Hinc ergo quique præcipites colligant cum quanta culpa ex appetitu proprio cæteris pręferri non metuunt, ſi ſancti viri plebium ducatum ſuſcipere Deo etiam iubente timuerunt. Moyſes ſuadente Domino trepidat: & infirmus quiſque vt honoris onus ſuſcipiat anhelat, & qui ad caſum valde vrgetur ex propriis, humerum libenter opprimendũ ponderibus ſubmittit alienis: quę egit ferre nõ valet, & auget quæ portet.

De his qui præeſſe concupiſcunt, & ad vſum ſuæ libidinis inſtrumentum Apoſtolici ſermonis arripiunt.

Caput VIII.

PLerunque verò qui præeſſe concupiſcunt, ad vſum ſuæ libidinis, inſtrumentum Apoſtolici ſermonis arripiunt, quo ait: Si quis epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſide- *1.Tim.3.* rat: qui tamen laudans deſiderium, in pauorem vertit protinus quod laudauit, cùm repentè ſubiungit: Oportet autẽ epi- *Ibidem.* ſcopum irreprehenſibilẽ eſſe. Cúmque virtutum neceſſaria ſubſequenter enumerat, quæ ſit irreprehenſibilitas ipſa manifeſtat. Et fauet ergo ex deſiderio, & terret ex pręcepto ac ſi apertè dicat: Laudo quod quęritis, ſed pri' diſcite quid quęratis: ne dum voſmetipſos metiri negligitis, tãtò fœdior veſtra reprehẽſibilitas appareat, quãtò & à cunctis cõſpici in honoris arce feſtinatis. Magnus enim regẽdi artifex fauoribus impellit, terroribus retrahit: vt auditores ſuos & deſcripto irreprehẽſibilitatis culmine reſtringat à ſuperbia, & officiũ laudando quod quæritur componat ad vitam: quãuis notandũ quòd illo in tempore hoc dicitur, quo quiſque plebibus pręerat primus ad martyrij tormẽta ducebatur. Tunc ergo laudabile fuit epiſcopatũ quærere, quando per hunc quenquã dubium nõ erat ad ſupplicia grauiora peruenire. Vnde ipſum quoque epiſcopatus officium boni operis expreſsione diffinitur, cùm dicitur: Si quis epiſcopatũ deſiderat, bonum opus deſiderat. Ipſe ergo ſibi teſtis eit, quia epiſcopatum nõ appetit, qui nõ per hũc boni operis miniſterium, ſed honoris gloriam quærit. Sacrum quippe officium non ſolum non diligit omnino, ſed neſcit qui ad culmẽ regiminis anhelãs in occul- A ta meditatione cogitationis cæterorum ſubiectione paſcitur, laude propria lætatur, ad honorem cor eleuat, rerum affluentium abundantia exultat. Mundi ergo lucrum quæritur ſub eius honoris ſpecie, quo mundi deſtrui lucra debuerant. Cúmque mens humilitatis culmen arripere ad elationem cogitat, quod foris appetit, intus immutat.

Quòd mens præeſſe volentium plerunque ſibi ficta bonorum operum promiſsione blanditur.

Caput IX.

SEd plerunque hi qui ſubire magiſterium paſtorale cupiũt, nonnulla quoque opera bona animo proponunt: & quanuis hoc elationis intentione appetunt, operaturos tamen ſe magna pertractant: fitque vt aliud in imis intentio ſupprimat, aliud tractantis animo ſuperficies cogitationis oſtendat. Nam ſæpe ſibi de ſe mens ipſa mentitur, & fingit ſe de bono opere amare quod non amat: de mundi autem gloria nõ amare quod B amat, quæ principari appetens fit ad hoc pauida cùm quærit, audax cùm peruenerit. Timens enim ne non perueniat trepidat, ſed repente perueniens iure ſibi hoc debitum ad quod peruenerit putat. Cúmque percepti principatus officio perfrui ſeculariter cœperit, libenter obliuiſcitur quicquid religioſè cogitauit. Vnde neceſſe eſt vt cùm cogitatio extra vſum ducitur, protinus mentis oculus ad opera tranſacta reuocetur: ac penſet quiſque quid ſubiectus egerit, & repètè cognoſcet, ſi prælatus bona agere quæ propoſuerat, poſsit: quia nequaquam valet in culmine humilitatem diſcere, qui in imis poſitus non deſinit ſuperbire. Neſcit laudem cùm ſuppetit fugere, qui ad hanc didicit cùm deeſſet anhelare. Nequaquam vincere auaritiam poteſt, quando ad multorum ſuſtentationem tẽditur is, cui ſufficere propria nec ſoli potuerunt. Ex anteacta ergo vita ſe vnuſquiſque inueniat, ne in appetitu ſe culminis imago cogitationis illudat. Quanuis plerunque in occupatione regiminis ipſe quoq; boni operis vſus perditur qui in trãquillitate tenebatur: quia quieto mari rectè nauem & imperi- C ritus ſe nauta dirigit: turbato autem tempeſtatis fluctibus, etiam peritus ſe nauta confundit. Quid nanque eſt poteſtas culminis, niſi tempeſtas mentis? In qua dum cogitationum ſemper procellis nauis cordis quatitur, huc illucque inceſſanter impellitur: vt per repentinos exceſſus oris & operis quaſi per obuiantia ſaxa frangatur. Inter hæc itaque quid ſequendum eſt, quid tenendum, niſi vt virtutibus pollens coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus ne coactus accedat? Ille ſi omnino renititur, caueat ne acceptam pecuniam in ſudarium ligans de eius occultatione iudicetur. Pecuniam quippe in ſudario ligare, eſt percepta dona ſub ocio lenti torporis abſcõdere. At contrà, iſte cùm regimen appetit, attendat ne per exemplum praui operis Phariſæorum more ad ingreſſus regni cœlorum tendentibus obſtaculum fiat: quia iuxta ſummi magiſtri vocem nec ipſi intrant, nec alios intrare permittunt. Cui conſiderandum quoque eſt, quia cùm curam populi electus præſul ſuſcipit, quaſi ad ægrum medicus accedit. Si ergo D adhuc in eius opere paſsiones viuunt, qua præſumptione percuſſum mederi properat, qui in facie vulnus portat?

Qualis quiſque ad regimen debet venire.

Caput X.

ILle igitur modis omnibus debet ad exemplum bene viuendi pertrahi; qui cunctis carnis paſsionibus moriens iam ſpiritaliter viuit, qui proſpera mundi poſtponit, qui nulla aduerſa pertimeſcit, qui ſola interna deſiderat. Cuius intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde per contumaciam repugnat ſpiritus. Qui ad aliena cupienda non ducitur, ſed propria largitur. Qui per pietatis viſcera citius ad ignoſcẽdum flectitur, ſed nunquam plus quàm deceat ignoſcens, ab arce rectitudinis inclinatur. Qui nulla illicita perpetrat, ſed perpetrata ab aliis vt propria deplorat. Qui ex affectu cordis alienæ infirmitati compatitur, ſicque in bonis proximi ſicut in ſuis profectibus lætatur. Qui ita ſe imitabilem cæteris in cunctis quæ agit inſinuat, vt inter eos non habeat, quod ſaltem de tranſactis mens erubeſcat. Qui ſic ſtudet viuere, vt proximorũ quoq; corda arentia doctrinæ

valeat fluentis irrigare. Qui orationis vsu & experimẽto iam didicit, quòd obtinere à Domino quæ popóscerit posit, cui prophetica voce iam quasi specialiter dicitur: Adhuc loquẽte te, dicam, Ecce assum.

Qualis quisque ad regimen venire non debeat

Caput XI.

SI enim fortasse quis veniat, vt pro se ad intercedendum nos apud potentem quempiam virum, qui sibi iratus, nobis verò incognitus est, ducat; protinus respondemus. Ad intercedendum venire non possumus: quia familiaritatis eius notitiam non habemus. Si ergo homo apud hominem de quo minimè præsumit fieri intercessor erubescit: qua mente apud Deum intercessionis locum pro populo arripit, qui familiarem se eius gratiæ esse per vitæ merita nescit? Aut ab eo quomodo aliis veniam postulat, qui vtrum sit sibi placatus, ignorat? Qua in re est adhuc aliud solicitius formidandum: ne qui placare iram posse creditur, hãc ipse ex proprio reatu mereatur. F Cuncti enim liquidò nouimus, quia cùm is qui displicet ad intercedendũ mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. Qui ergo adhuc desideriis terrenis astringitur, caueat ne districti irã iudicis graui᾽ accendens dũ loco delectatur gloriæ, fiat subditis author ruinæ. Solerter ergo se quisque metiatur ne locum regiminis assumere audeat, si in se adhuc vitium damnabiliter regnat: ne is quem crimen deprauat proprium, intercessor fieri appetat pro culpis aliorum. Hinc etenim superna voce ad Moysen dicitur: *Leui 21.* Loquere ad Aarõ: homo de semine tuo per familias qui habuerit maculam, non offerat panes Domino Deo suo, nec accedat, ad ministerium eius. *Ibidem.* Vbi & repentè subiungitur: Si cæcus fuerit, si claudus, si vel paruo vel grandi & torto naso, si fracto pede vel manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si iugem scabiem, si impetiginem in corpore vel ponderosus. Cæcus quippe est qui supernæ contemplationis lumen ignorat: qui præsentis vitæ tenebris pressus dum venturam lucem nequaquam diligendo cõspicit, quò gressus operis porrigat, nescit. G *1. Reg 2.* Hinc etenim prophetante Anna dicitur: Pedes sanctorum suorum seruabit, & impij in tenebris conticescent. Claudus verò est qui quidem quò pergere debeat, aspicit, sed per infirmitatem mentis, vitæ viam perfectæ non valet tenere quã videt: quia ad virtutis statum dum fluxa consuetudine non erigitur, quo per desiderium innititur, illuc gressus operis efficaciter non sequuntur. *Hebr. 12.* Hinc etenim Paulus dicit: Remissas manus & dissoluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris: vt non claudicãs quis erret, magis autem discretionis idoneus non est. Naso quippe odores fœtorésque discernimus. Rectè ergo per nasum discretio exprimitur, per quam virtutes eligimus, delicta reprobamus. *Canti. 6.* Vnde & in laude sponsæ dicitur: Nasus tuus sicut turris quæ est in Libano. Quia nimirum sancta Ecclesia quæ ex causis singulis tentamenta prodeant, per discretionem conspicit: & ventura vitiorum bella ex alto deprehendit. Sed sunt nonnulli, qui dum æstimari hebetes nolunt, sæpe se quibusdam exquisitionibus plus quàm necesse est exercentes ex minima subtilitate H falluntur. Vnde hic quoque subditur: Vel grandi & torto. Nasus enim grãdis & tortus est discretionis subtilitas immoderata, quæ dum plusquàm decet excreuerit, actionis suæ rectitudinem ipsa confundit. Fracto autem pede vel manu est qui viam Dei pergere omnino non valet, atque à bonis actibus funditùs exors vacat: quatenus hæc non vt claudus saltem cum infirmitate teneat, sed ab his omnimodo alienus existat. Gibbus verò est quem terrenæ solicitudinis pondus deprimit, ne vnquam ad superna respiciat: sed solis his quæ in infimis calcantur intendat. Qui & siquando aliquid ex bono patriæ cœlestis audierit, ad hoc nimirum peruersæ consuetudinis pondere prægrauatus, cordis faciem non attollit. Quia cogitationis statum erigere non valet, quem terrenæ solicitudinis vsus curuum tenet. Ex horum quippe specie Psalmista dicit: Incuruatus sum & humiliatus vsquequaque.

E Quorum culpam per semetipsam veritas reprobans ait: Semen autem quod in spinis cecidit; *Psalm. 118.* hi sunt qui audiunt verbum, *Lucæ 8.* & à solicitudinibus & diuitiis & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum. Lippus verò est cuius quidem ingenium ad cognitionem veritatis emicat, sed tamen hoc carnalia opera obscurant. In lippis quippe oculis pupillæ sanæ sunt, sed humore defluente infirmitatæ palpebræ grossescunt. Quæ quia infusione crebra atteruntur, etiam acies pupillæ vitiatur. Et sunt nonnulli; quorum sensum carnalis vitæ operatio sauciat, qui videre recta subtiliter per ingenium poterant, sed vsu prauorum actuum caligant. Lippus itaque est cuius sensum natura exacuit, sed conuersationis prauitas confundit. Cui bene per angelum dicitur: *Apoc. 3.* Collyrio inunge oculos tuos vt videas. Collyrio quippe oculos vt videamus inungimus; cùm ad cognoscendam veri luminis claritatem intellectus nostri aciem medicamine bonæ operationis adiuuamus. Albuginem verò habet in oculo, qui veritatis lucem videre non sinitur: quia arrogantia sapientiæ seu iustitiæ cæcatur. Pupilla nanque oculi nigra videt, albuginem tolerans nihil videt: quia videlicet sensus humanæ cogitationis si stultum se peccatorémque intelligit, cognitionem intimæ claritatis apprehendit. Si autem candorem sibi iustitiæ siue sapientiæ tribuit, à luce se supernæ cognitionis excludit: & eo claritatem veri luminis nequaquam penetrat, quo se apud se per arrogantiam exaltat: sicut de quibusdam dicitur: Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. *Roma. 1.* Iugem verò habet scabiem, cui carnis petulantia sine cessatione dominatur. In scabie etenim feruor viscerum ad cutem trahitur, per quam rectè luxuria designatur: quia si cordis tentatio vsque ad operationem prosilit, nimirum feruor intimus vsque ad cutis scabiem prorumpit, & foris iam corpus sauciat: quia dum in cogitatione voluptas non reprimitur, etiam in actione dominatur. Quasi enim cutis pruriginem Paulus curabat abstergere, cùm dicebat: Tentatio vos non apprehendat, nisi humana: *1. Corin. 10.* ac si apertè diceret: Humanum quidem est tentationem in corde perpeti, dæmoniacum verò est in tentationis certamine in operatione superari. Impetiginem quoq; habet in corpore, quisquis auaritia vastatur in mente, quæ si in paruis non compescitur, nimirum sine mensura dilatatur. Impetigo quippe sine dolore corpus occupat, & absque occupati tędio excrescens membrorum decorem fœdat: quia & auaritia captiuam animam dum quasi delectat, exulcerat, dum adipiscenda quæque cogitationi obiicit, ad inimicitias accendit, & dolorem in vulnere non facit: quia æstuanti animo ex culpa abundantiam promittit. Sed decor membrorum perditur: quia aliarum quoque virtutum per hanc pulchritudo deprauatur, & quasi totum corpus exasperat: quia per vniuersa vitia animum supplantat: Paulo attestãte qui ait: Radix omnium malorum est cupiditas. *1. Tim. 6.* Ponderosus verò est, qui turpitudinem non exercet opere, sed tamen ab hac cogitatione continua sine moderamine grauatur in mente: qui nequaquam quidem vsque ad opus nefarium rapitur, sed eius animus voluptate luxuriæ sine vllo repugnationis obstaculo delectatur. Vitium quippe est ponderis, cùm humor viscerum ad virilia labitur, quæ profectò cum molestia dedecoris intumescũt. Põderosus ergo est, qui totis cogitationibus ad lasciuiam defluens, pondus turpitudinis gestat in corde: & quanuis praua non exerceat opere, ab his tamen non euellitur mente. Nec ad vsum boni operis in aperto valet assurgere, quia grauat hunc in abditis pondus turpe. Quisquis ergo quolibet horum vitio subigitur, panes Domino offerre prohibetur: ne profectò diluere aliena delicta non valeat is, quem adhuc propria deuastant. Quia igitur paucis ad magisterium pastorale dignus qualiter veniat, atque hoc indignus qualiter pertimescat ostendimus: nunc is qui ad illud dignè peruenerit, in eo qualiter viuere debeat demonstremus.

Secunda

SECVNDA PARS, TRACTANS DE VITA pastoris.

Is, qui ad regimen ordinatè peruenerit: qualem se in ipso regimine debeat exhibere.

Caput I.

TAntum debet actionem populi actio transcendere præsulis: quantum distare solet à grege vita pastoris. Oportet nanque vt metiri se solicitè studeat, quanta tenendæ rectitudinis necessitate constringitur, sub cuius æstimatione populus grex vocatur. Sit ergo necesse est cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, vtilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum prouidentiam in internorum solicitudine non relinquens. Sed hæc, quæ breuiter enumerando perstrinximus, paulò latius replicando differamus.

Vt rector cogitatione sit mundus. *Caput II.*

REctor semper cogitatione sit mundus, quatenus nulla hunc munditia polluat, qui hoc suscepit officij; vt in alienis quoque cordibus pollutionis maculas tergat: quia necesse est vt esse munda studeat manus quæ diluere aliorum sordes curat: ne tacta quæque deterius inquinet, si sordida in se mens lutum tenet. *Esaiæ 52.* Hinc nanque per prophetam Esaiam dicitur: Mundamini qui fertis vasa Domini. Etenim vasa Domini ferunt qui proximorum animas ad æterna sacraria perducendas in suæ conuersationis fide suscipiunt. C Apud semetipsos ergo quantum debeant mundari conspiciant, qui ad æternitatis templum vasa viuentia in sinu propriæ sponsionis portant. *Esaiæ 28.* Hinc diuina voce præcipitur, vt in Aaron pectore rationale iudicij vittis ligantibus imprimatur: quatenus sacerdotale cor nequaquam cogitationes fluxæ possideant, sed ratio sola constringat: ne indiscretum quid vel inutile cogitet, qui ad exemplum aliis constitutus, ex grauitate vitæ semper debet ostendere quantam in pectore rationem portet. In quo etiam rationali vigilanter adiungitur, vt duodecim nomina patriarcharum describantur. Asscriptos etenim patres semper in pectore ferre, est antiquorum vitam sine intermissione cogitare. Nam tunc sacerdos irreprehensibiliter graditur, cùm exempla patrum præcedentium indesinenter intuetur, cùm sanctorum vestigia sine cessatione considerat, & cogitationes illicitas deprimit: ne extra ordinis limitem operis pedem tendat. Quod bene etiam rationale iudicij vocatur: quia debet rector semper subtili examine bona maláque discernere, & quæ vel quibus, quando vel qualiter cõgruant studiosè cogitare: D nihil quoque proprium quærere, sed sua commoda propinquorum bona deputare. Vnde illic scriptum est: *Ibidem.* Pones autem in rationali iudicij doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino, & gestabit iudicium filiorum Israël in pectore suo in conspectu Domini semper. Sacerdoti quippe iudicium filiorum Israël in pectore coram Domini conspectu gestare, est subiectorum causas pro sola interni iudicis intentione discutere, vt nil se ei humanitatis admisceat in eo quod diuina positus vice dispensat, ne correptionis studia priuatus dolor exasperet: cúmque contra aliena vitia æmulator ostenditur, quæ sua sunt non exequatur: ne tranquillitatẽ iudicij aut latens inuidia maculet, aut præceps ira perturbet. Sed dum consideratur terror eius qui super omnia præsidet, videlicet iudicis intimi, non sine magno reguntur timore subiecti. Qui nimirum timor dum mẽtem rectoris humiliat, purgat: ne hãc aut præsumptio spiritus leuet, aut carnis delectatio inquinet, aut per terrenarum rerum cupiditatem importunitas † pollutæ cogitationis obscuret: *† al. pulueris.* quæ tamen non

A pulsare rectoris animum nequeũt; sed festinare necesse est vt repugnatione vincantur: ne vitiũ quod per suggestionẽ tẽtat, mollities delectationis subigat. Cúmque hæc ab animo tardè repellitur, † vereor ne consensus succedat. *† al. mucrone consensus occidat.*

Vt rector sit semper operatione præcipuus.

Caput III.

SIt rector operationẽ præcipuus, vt vitæ vitam subditis viuendo denunciet, & grex qui pastoris vocem moresque sequitur, per exempla melius quàm per verba gradiatur. Qui enim loci sui necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrarè. Illa vox nanque libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat: quia dum quod loquẽdo imperat, ostendendo adiuuat vt fiat. Hinc enim per Prophetam dicitur: Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion. *Esaiæ 40.* Vt videlicet qui cœlesti prædicatione vtitur, ima iam terrenorum operum deserens in rerum culmine stare videatur: tantóque facilius subditos ad meliora pertrahat, quãtò per vitæ meritum de superB nis clamat. Hinc diuina lege armum sacerdos dextrum in sacrificium accipit & separatum: vt non solùm sit eius operatio vtilis, sed etiam singularis: nec inter malos tantummodo quæ *Exod. 29.* recta sunt faciat, sed bene quoque operantes subditos, sicut honore ordinis superat, ita etiam morum virtute transcendat. Cui in esu quoque pectusculum cum armo tribuitur: vt quod de sacrificio præcipitur sumere, hoc de semetipso authori discat immolare. Et non solùm pectore quæ recta sunt cogitet, sed spectatores suos ad sublimia armo operis inuitet: nulla prospera præsentis vitæ appetat, nulla aduersa pertimescat. Blandimenta mundi respecto intimo terrore despiciat, terrores autem consideratio internæ dulcedinis blandimento contemnat. Vnde supernæ quoque vocis imperio in vtroque humero sacerdos velamine superhumeralis astringitur: vt cõtra aduersa ac prospera virtutum semper ornamento muniatur: quatenus iuxta vocem Pauli, Per arma iustitiæ à dextris *2. Cor. 6.* sinistrisque gradiens, cùm ad sola quæ anteriora sunt nititur, in nullo delectationis infimæ latere flectatur. Non hunc prospera eleuent, non aduersa perturbent, non blanda vsque ad voluptatem demulceant, non aspera vsque ad desperationem premant: vt dum nullis passionibus intentionem mentis humiliat, quanta in vtroque humero superhumeralis pulchritudine tegatur ostendat. Quod rectè superhumerale ex auro, hyacintho, purpura, bis tincto cocco, & torta fieri bysso præcipit: vt quanta sacerdos clarescere virtutũ diuersitate debeat, demõstretur. In sacerdotis quippe habitu ante omnia aurum fulget, vt in eo intellectus sapientiæ principaliter emicet. Cui hyacinthus, qui aërio colore resplendet, adiungitur: vt per omne quod intelligendo penetrat, non ad fauores infimos, sed ad amorem cœlestium surgat: ne dum incautus suis laudibus capitur, ipso etiam veritatis intellectu vacuetur. Auro quoque & hyacintho purpura permiscetur: vt videlicet sacerdotale cor cùm summa quæ prædicat sperat, in semetipso suggestiones vitiorum reprimat, eísque velut regia potestate contradicat: quatenus nobilitatem semper intimæ regenerationis aspiciat, & cœlestis regni sibi habitum moribus defendat. De hac quippe nobilitate spiritus per Petrum dicitur: *1. Pet. 2.* Vos autem genus electum, regale sacerdotium. De hac etiam potestate qua vitia subigimus: Ioannis voce roboramur, qui ait: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios *Ioan. 1.* Dei fieri. Hanc dignitatem fortitudinis psalmista considerat, dicens: Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, *Psal. 138.* nimis confortatus est principatus eorum. Quia nimirum sanctorum mens principaliter in summis erigitur, cùm exterius perpeti abiecta cernuntur. Auro autem, hyacintho, bysso ac purpuræ bis tinctus coccus adiungitur: vt ante interni iudicis oculos omnia virtutum bona ex charitate decorentur: & cuncta quæ coram hominibus rutilant, hæc in conspectu occulti arbitri flamma intimi amoris accendat. Quæ scilicet charitas, quia Deum simul & proximum diligit, quasi ex duplici tinctura fulgescit. Qui igitur sic ad authoris speciem anhelat, vt proximorum curam negligat: vel sic proximorũ curam exequitur, vt à diuino amore torpescat: quia vnum horum quodlibet negligit, in superhumeralis ornamento habere coccum bis tinctum nescit. Sed cùm mens ad præcepta charitatis

tenditur, restat procul dubio vt per abstinentiam caro maceretur. Vnde & bis tincto cocco torta byssus adiungitur. De terra etenim byssus nitenti specie oritur. Et quid per byssum, nisi candens decore munditiæ corporalis castitas designatur? quæ videlicet byssus torta pulchritudine superhumeralis innectitur: quia tunc castimonia ad perfectum munditiæ candorem ducitur, cùm per abstinentiam caro fatigatur. Cúmque inter virtutes cæteras etiam afflictæ carnis meritum proficit, quasi in diuersa superhumeralis specie byssus torta candescit.

Vt sit rector discretus in silentio, vtilis in verbo.

Caput IIII.

parte 1. dist. 43. cap. Sit rector. SIt rector discretus in silentio, vtilis in verbo: ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat. Nam sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium hos qui erudiri poterant, in errore derelinquit. Sæpe nanque rectores improuidi humanam amittere gratiam formidantes loqui liberè recta pertimescunt: & iuxta veritatis vocem nequaquam iam gregis custodiæ pastorum studio, sed mercenariorum vice deseruiunt: quia veniente lupo fugiunt, dũ se sub silentio abscondunt. Hinc nanque eos per prophetam Dominus increpat dicens: Canes muti non valentes latrare. *Esaiæ 56.* Hinc rursum queritur dicens: Non ascendistis ex aduerso, *Ezech. 13.* nec opposuistis murum pro domo Israël, vt staretis in prælio in die Domini. Ex aduerso quippe ascendere, est pro defensione gregis voce libera huius mundi potestatibus contraire. Et in die Domini in prælio stare, est prauis decertantibus ex iustitiæ amore resistere. Pastori enim recta timuisse dicere, quid est aliud quàm tacendo terga præbuisse? qui nimirum si pro grege se obiicit, murum pro domo Israël hostibus opponit. Hinc rursum delinquenti populo dicitur: *Ezech. 13.* Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperuerunt iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent. Prophetæ quippe in sacro eloquio nonnunquam doctores vocantur, qui dum fugitiua esse præsentia indicant, quæ sunt vẽtura manifestant. Quos diuinus sermo falsa videre redarguit: quia dum corripere culpas metuunt, incassum delinquentibus promissa securitate blandiuntur, qui iniquitatem peccãtium nequaquã aperiunt: quia ab increpationis voce contiescunt. Clauis quippe apertionis, sermo correptionis est: quia increpatio culpam detegit, quam sæpe nescit ipse etiam qui perpetrauit. Hinc Paulus ait: Vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt redarguere. Hinc per *2. Tim. 3.* Malachiam dicitur: Labia sacerdotis custodiunt scientiam & *Mala. 2.* legem requirunt ex ore eius: quia angelus Domini exercituũ est. Hinc per Esaiam Dominus admonet dicens: Clama, ne *Esaiæ 40.* cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. Præconis quippe officium suscipit, quisquis ad sacerdotium accedit: vt ante aduẽtum iudicis qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur. Sacerdos ergo si prædicationis est nescius, quam clamoris vocẽ daturus est præco mutus? Hinc est enim quòd super pastores primos in linguarum specie spiritus sanctus in sedit: quia nimirum quos repleuerit, de se protinus loquentes *Acto. 2.* facit. Hinc Moysi præcipitur vt tabernaculum sacerdos in- *Exod. 28.* grediens, tintinnabulis ambiatur: vt videlicet voces prædi- *Ibidem.* cationis habeat, ne superni spectatoris iudicium ex silentio offendat. Scriptum quippe est: Vt audiatur sonitus quando ingreditur sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur. Sacerdos nanque ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non audiatur: quia iram contra se occulti iudicis exigit, si sine sonitu prædicationis incedit. Aptè autem tintinnabula vestimentis illius describuntur inserta. Vestimenta etenim sacerdotis quid aliud quàm recta opera debemus accipere? Propheta attestante qui ait: Sacerdotes tui induantur *Psalm. 131.* iustitiam. Vestimentis itaque illius tintinnabula inhærent, vt vitæ viam cum linguæ sonitu ipsa quoque bona opera clament sacerdotis. Sed cùm rector se ad loquendum præparat, sub quanto cautelæ studio eloquatur attendat: ne si inordinatè ad loquendum rapitur, erroris vulnere audientium corda feriantur: & cùm fortasse sapiẽs videri desiderat, vnita- *Marc. 9.* tis cõpagẽ insipiẽter abscindat. Hinc nãque veritas dicit: Habete sal in vobis, & pacẽ habete inter vos. Per sal quippe ver-

bi sapientia designatur. Qui loqui igitur sapienter nititur, magnopere metuat ne eius eloquio audientium vnitas confundatur. Hinc Paulus ait: Non plus sapere quàm oportet sape- *Roma. 12.* re: sed sapere ad sobrietatem. Hinc in sacerdotis veste iuxta *Exod. 38.* diuinam vocem tintinnabulis mala punica coniunguntur. Quid enim per mala punica, nisi fidei vnitas designatur? Nam sicut in malo punico vno exterius cortice multa interius grana muniuntur: sic innumeros sanctæ Ecclesiæ populos vnitas fidei contegit, quos intus diuersitas meritorum tenet. Ne igitur rector incautus ad loquendum proruat, hoc quod iam præmisimus, per semetipsam veritas discipulis clamat: Habe- *Marci 9.* te sal in vobis: & pacem habete inter vos: ac si figuratè per habitum sacerdotis dicat: Mala punica tintinnabulis iungite, vt per omne quod dicitis, vnitatem fidei cauta obseruatione teneatis. Prouidendum quoque est solicita intentione rectoribus, vt ab eis nõ solùm praua nullo modo, sed ne recta quidem nimiè & inordinatè proferantur, quia sæpe dictorum virtus perditur, cùm apud corda audientium loquacitatis incauta importunitate leuigatur: & authorem suum hæc eadem loquacitas inquinat, quæ seruire auditoribus ad vsum profectus ignorat. Vnde bene per Moysen dicitur: Vir qui fluxum *Leui. 15.* seminis patitur, immundus erit. In mente quippe audientium semen secuturæ cogitationis, est qualitas auditæ locutionis: quia dum per aurem sermo cõcipitur, cogitatio in mente generatur. Vnde & ab huius mundi sapientibus prædicator egregius seminiuerbius est vocatus. Qui ergo fluxum seminis patitur, immundus asseritur: quia multiloquio subditus ex eo se inquinat: quod si ordinatè promeret, prolem rectæ cogitationis edere in audientium corda potuisset: dúmque incautus per loquacitatem defluit, non ad vsum generis, sed ad immunditiam semen effundit. Vnde Paulus quoque cùm discipulum de instantia prædicationis admoneret, dicit: Testificor coram Deo & Christo Iesu qui iudicaturus est viuos & *2. Tim. 4.* mortuos, & aduentum ipsius & regnũ eius, prædica verbũ, insta opportunè, importunè: dicturus importunè, præmisit opportune: quia scilicet apud auditoris mentẽ ipsa sua vtilitate se destruit, si habere importunitas opportunitatẽ nescit.

Vt rector sit singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus.

Caput V.

SIt rector singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus: vt & per pietatis viscera in se firmitatem cæterorum transferat, & per speculationis altitudinem semetipsum quoque inuisibilia appetendo transcendat: ne aut alta petens proximorum infirma despiciat, aut infirmis proximorum congruens, appetere alta derelinquat. Hinc est nanque quòd Paulus in paradisum ducitur, cœlique *2. Corin. 10.* tertij secreta rimatur. & tamen illa inuisibilium cõtemplatione suspensus, ad cubile carnalium aciem mentis reuocat, atq; in occultis suis qualiter debeant conuersari dispensat, dicens: Propter fornicationẽ autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat. Vxori vir debitum *1. Corin. 7.* reddat: similiter autẽ & vxor viro. Et paulo pòst: Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi. Et iterum: Reuertimini in idipsum, ne tentet vos sa- *Ibidem.* tanas. Ecce iam cœlestibus secretis inserituntur, tamen per condescensionis viscera carnalium cubile perscrutatur: & quem subleuatus vsque ad inuisibilia erigit, hunc miseratus ad secreta infirmantium oculum cordis flectit. Cœlum contemplatione transcendit, nec tamen statum carnalium solicitudine deserit: quia compage charitatis summis simul & infimis iunctus, & in semetipso virtute spiritus ad alta valenter rapitur, & pietate in aliis æquanimiter infirmatur. Hinc etenim *2. Corin. 11.* dicit: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ẽgo non vror? Hinc rursus ait: Factus sum Iu- *1. Corin. 9.* dæis tanquam Iudæus. Quod videlicet exhibebat non amittendo fidem, sed ostendendo pietatem: vt in se personam infidelium transfigurans ex semetipso disceret qualiter aliis misereri debuisset: quatenus hoc illis impenderet, quod sibi ipsi si ita esset, impendi rectè voluisset. Hinc iterum dicit: Si- *2. Corin. 5.* ue mẽte excedimus Deo, siue sobrij sumus vobis: quia & semetipsum nouerat contemplando transcendere, & eundem se

se auditoribus condescendendo temperare. Hinc Iacob Domino desuper innitente & vncto deorsum lapide ascendentes angelos ac descendentes vidit: quia scilicet prædicatores sancti non solum sursum sanctum caput Ecclesiæ, videlicet Dominum contemplando appetunt: sed deorsum quoque ad membra illius miserando descendunt. Hinc Moyses crebrò tabernaculum intrat & exit: & qui intus in contemplationem rapitur, foris infirmantium negociis vrgetur. Intus Dei arcana cõsiderat, foris onera carnalium portat. Qui de rebus quoque dubiis semper ad tabernaculum recurrit, coram testamẽti arca Dominum consulit: exemplum proculdubio rectoribus præbens, vt cùm foris ambigunt quid disponant, ad mentem semper quasi ad tabernaculum redeant: & velut coram testamenti arca Dominum consulant, si de his in quibus dubitant, *Lucæ 6.* apud semetipsos intus sacri eloquij paginas requirant. Hinc ipsa veritas per susceptionem nostræ humanitatis ostensa nobis, in monte orationi inhæret, miracula in vrbibus exercet: imitationis videlicet viam bonis rectoribus sternens, vt etsi iam summa contemplando appetant, necessitatibus tamen infirmantium compatiendo misceantur: quia tunc ad alta charitas mirabiliter surgit, cùm ad ima proximorũ se misericorditer attrahit: & cùm benignè descendit ad infima, valenter recurrit ad summa. Tales autem sese qui præsunt exhibeãt, quibus subiecti occulta quoque sua prodere non erubescant: vt cùm tentationum fluctus paruuli tolerant, ad pastoris mentẽ quasi ad matris sinum recurrant: & hoc quod se inquinari pulsantis culpæ sordibus præuident, exhortationis eius solatio ac lachrymis orationis lauent. Vnde & ante fores templi ad abluendas ingredientium manus mare æneum, id est, lutêrem duodecim boues portant: qui quidem facie exterius eminent, sed ex posterioribus latent. Quid nanque duodecim bobus, *1. Cor. 9.* nisi vniuersus pastorum ordo designatur? De quibus Paulo *1. Tim. 5.* differente lex dicit: Non obturabis os boui trituranti. Quorũ quidẽ nos aperta opera cernimus, sed apud districtũ iudicẽ quę illos posterius maneant in occulta retributione nescimus. Qui tamen cùm condescensionis suæ patientiã diluendis proximorum confessionibus præparant, velut ante fores templi lutêrem portãt: vt quisquis intrare æternitatis iahuam nititur, tentationes suas menti pastoris indicet, & quasi in boum lutêre cogitationis vel operis manus lauet. Et fit plerunque, vt dum rectoris animus aliena tentamenta condescendendo cognoscit, auditis tentationibus etiam ipse pulsetur: quia & hæc eadem per quam populi multitudo diluitur, aqua proculdubio lutêris inquinatur: nam dum sordes diluentium suscipit, quasi suæ munditiæ serenitatem perdit. Sed hæc nequaquam pastori timenda sunt, quia Deo subtiliter cuncta dispensante, tantò facilius à sua eripitur, quantò misericordius ex aliena tentatione fatigatur.

Vt sit rector bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus.

Caput VI.

SIt rector bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus, vt & bonis in nullo se præferat, & cùm prauorum culpa exigit, potestatem protinus sui prioratus agnoscat: quatenus & honore suppresso æqualem se subditis bene viuẽtibus putet, & erga peruersos iura rectitudinis exercere non formidet. Nam sicut in libris moralibus dixisse memini, liquet quòd omnes homines natura æquales genuit, sed variantes meritorum ordine alios aliis culpa postponit. Ipsa autem diuersitas quæ accessit ex vitio, diuino iudicio dispensatur, vt quia omnis homo æquè stare non valet, alter regatur ab altero. Vnde cuncti qui præsunt, non in se potestatem debent ordinis, sed æqualitatem pensare conditionis, nec præesse se hominibus gaudeant, sed prodesse. Antiqui etenim patres nostri non reges hominum, sed pastores pecorum fuisse memorantur. Et cùm Noë Do- *Gene. 6.* minus filiisque eius benediceret dicens: Crescite & multiplicamini & replete terram: protinus adiunxit: Et terror vester ac tremor sit super cuncta animantia terræ. Quorum videlicet terror ac tremor quia esse super animantia terræ præcipitur, profectò esse super homines prohibetur. Homo quippe brutis animalibus, non autem hominibus cæteris natura prælatus est: & idcirco ei dicitur, vt ab animalibus & non ab hominibus timeatur: quia contra naturam superbire, est ab æquali velle timeri. Et tamen necesse est vt rectores à subditis timeantur, quando ab eis Deum minimè timeri deprehendunt: vt humana saltem formidine peccare metuant qui diuina iudicia non formidant. Nequaquam nanque præpositi ex hoc quæsito timore superbiunt, in quo non suam gloriam, sed subditorum iustitiam quærunt. In eo enim quod metum sibi à peruersè viuentibus exigunt, quasi non hominibus, sed animalibus dominantur: quia videlicet ex qua parte bestiales sunt subditi, ex ea debent etiam formidini subiacere substrati. Sed plerunque rector eoipso quo cæteris præeminet, elatione cogitationis intumescit. Et dum ad vsum cuncta subiacent, dum ad votum velociter iussa complentur, dum omnes subditi si qua bene gesta sunt laudibus efferunt, malè gestis autem nulla authoritate contradicunt, dum plerunque laudant etiam quod reprobare debuerant, seductis ab his quæ infrà suppetunt, super se animus extollitur, & dum foris immenso fauore circundatur, intus veritate vacuatur, atque oblitus sui in voces se spargit alienas, talémque se credit, qualem se foris audit, non qualem intus discernere debuit. Subiectos despicit, eósque æquales sibi naturæ origine non agnoscit: & quos forte potestatis excesserit, transcendisse se etiam vitæ meritis credit. Cunctis se æstimat amplius sapere, quibus se videt amplius posse. In quodam quippe se constituit culmine apud semetipsum, & qui æqua cæteris naturæ conditione cõstringitur, ex æquo respicere cæteros dedignatur. Sicque vsque ad eius similitudinem ducitur, de quo scriptum est: Omne sublime videt, & ipse est rex super vniuersos *Iob. 40.* filios superbiæ. Qui singulare culmen appetens, & socialem angelorum vitam despiciens ait: Ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis Altissimo. Miro ergo iudicio intus *Esa. 14.* foueam deiectionis inuenit, dum foris se in culmine potestatis extollit. Apostatę quippe angelo similis efficitur, dum homo hominibus esse similis dedignatur. Sic Saul post humilitatis meritum in tumorem superbiæ culmine potestatis excreuit: per humilitatem quippe prælatus est, per superbiam reprobatus, Domino attestante, qui ait: Nónne cùm esses paruulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israël? Paruulum se in suis prius oculis viderat, sed fultus temporali potentia, iam se paruulum non videbat. Cæterorum nanque cõparationi se præferens, quia plus cunctis poterat, magnum se præ omnibus æstimabat. Miro autem modo cùm apud se paruulus, apud Deum magnus, cùm verò apud se magnus apparuit, apud Deum paruulus fuit. Plerunque ergo dum ex subiectorum affluentia animus inflatur, in luxum superbiæ ipso potentiæ fastigio lenocinante corrumpitur. Quam videlicet potentiam bene regit qui & tenere illam nouerit & impugnare. Bene hanc regit qui scit per illam super culpas erigi, scit & cum illa cæteris æqualitate componi. Humana etenim mens plerunque extollitur etiam cùm nulla potestate fulcitur, quanto magis in altum se erigit, cùm se etiam potestas adiungit? Quam tamen potestatem rectè dispensat qui solicitè nouerit & assumere ex illa quod adiuuat, & expugnare quod tentat, & æqualem se cum illa cæteris cernere, & tamen se peccantibus zelo vltionis anteferre. Sed hanc discretionem plenius agnoscimus, si pastoris primi exempla cernamus. Petrus nanque authore Deo sanctæ ecclesiæ principatum tenens, à bene agẽte Cornelio, & sese ei humiliter prosternẽte, immoderatius venerari recusauit, séque ei similem recognouit, dicens: Surge ne feceris, & ipse ego homo sum. Sed cùm Ana- *Acto. 10.* niæ & Sapphiræ culpam reperit, mox quanta potentia super *Acto. 5.* cæteros excreuisset, ostendit. Verbo nanque eorum vitam perculit, quam spiritu perscrutante deprehendit: & summum se intra ecclesiam contra peccata recoluit, quod honore sibi vehementer impenso, coram bene agentibus fratribus non agnouit. Illic communionem æqualitatis meruit sanctitas actionis, hic zelus vltionis ius aperuit potestatis. Paulus bene agentibus fratribus prælatum se esse nesciebat, cùm diceret: Non quia dominamur fidei vestræ, sed adiutores *1. Corin. 1.* sumus gaudij vestri. Atque ilico adiunxit: Fide enim statis: ac si id quod prætulerat aperiret, dicens: Ideo non dominamur fidei vestræ, quia fide statis, æquales enim vobis sumus in quo vos stare cognoscimus. Quasi præ-

1. Thessa. 2. 2. Corint. 4. 1. Corint. 4. latum se fratribus esse nesciebat, cùm diceret: Facti sumus sicut paruuli in medio vestrum. Et rursum: Nos autem serui vestri per Christum. Sed cùm culpam quæ corrigi debuisset inuenit, ilico magistrum se esse recoluit dicens: Quid vultis? In virga veniam ad vos: Summus itaque locus bene regitur, cùm is qui præest, vitiis potius, quàm fratribus dominatur. Sed cùm delinquentes subditos præpositi corrigunt, restat necesse est vt solliciti attendant, quatenus per disciplinæ debitum culpas quidem iure potestatis feriant, sed per humilitatis custodiam æquales se ipsis fratribus qui corriguntur, agnoscant: quamuis plerunque etiam dignum est, vt eosdem quos corrigimus tacita nobis cogitatione præferamus. Illorum nanque per nos vitia disciplinæ vigore feriuntur, in his verò quæ ipsi committimus, ne verbi quidem ab aliquo inuectione laceramur. Tantò ergo apud Dominum obligatiores sumus, quantò apud homines inultè peccamus. Disciplina autem nostra subditos diuino iudicio tantò liberiores reddit, quantò hîc eorum culpas sine vindicta non deserit. Seruanda itaque est & in corde humilitas, & in opere disciplina. Atque inter hæc solerter intuendum est, ne dum immoderatius custoditur virtus humilitatis, soluantur iura regiminis, & dum prælatus quisque plus se quàm decet deiicit, subditorum vitam distringere sub disciplinæ vinculo non possit. Teneant ergo rectores exterius quod pro aliorum vtilitate suscipiunt, seruent interius quod de sua æstimatione pertimescunt. Sed tamen quibusdam signis decenter erumpentibus eos apud se esse humiles etiam subiecti deprehendant, quatenus & in authoritate eorum quod formident videant, & de humilitate quod imitentur agnoscant. Studeant igitur sine intermissione qui præsunt, vt eorum potentia quantò magna exterius cernitur, tantò apud eos interius deprimatur: ne cogitationem vincat, ne in delectationem sui animam rapiat, ne iam sub se mens eam regere non possit, cui se libidine dominandi supponit. Ne enim præsidentis animus ad elationem potestatis suæ delectatione rapiatur, rectè per quendam sapientem dicitur: *Eccl. 31.* Ducem te constituerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi vnus ex illis. *1. Petri 5.* Hinc etiam Petrus ait: Non dominantes in clero, sed forma facti gregi. Hinc per semetipsam veritas ad altiora nos virtutum merita prouocans dicit: *Matth. 20.* Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatē exercent in eos, non ita erit inter vos, sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, fiat sicut minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus: sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Hinc est, quòd seruum ex suscepto regimine elatum quæ pòst supplicia maneant, indicat dicens: *Matth. 24.* Quòd si dixerit malus ille seruus in corde suo, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere conseruos suos, *Ibidem.* manducet autem & bibat cùm ebriis, veniet Dominus serui illius, in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum partémque eius ponet cùm hypocritis. Inter hypocritas enim iure deputatur, qui ex simulatione disciplinæ ministerium regiminis vertit in vsum dominationis, & tamen nonnunquam grauius delinquitur si inter peruersos plus æqualitas, quàm disciplina custoditur. Quia enim falsa pietate superatus ferire Heli delinquētes filios noluit, apud districtum iudicem semetipsum cum filiis crudeli damnatione percussit. *1. Reg. 2.* Hinc nanq; diuina voce ei dicitur: Honorasti filios tuos magis, quàm me. *Ibidem.* Hinc pastores increpat per Prophetam dicens: *Ezech. 34.* Quod fractum est nō alligastis, & quod abiectum fuerat non reduxistis. Abiectum enim reducitur cùm quisq; in culpa lapsus, ad statum iustitiæ ex pastoralis sollicitudinis vigore reuocatur. Fracturam verò ligamen astringit, cùm culpam disciplina deprimit, ne plaga vsque ad interitum defluat, si hanc districtionis seueritas non coarctat. Sed sæpe deterius frangitur, cùm fractura incautè colligitur, ita vt grauius scissuram sentiat, si hanc immoderatius ligamenta constringant. Vnde necesse est vt cùm peccati vulnus in subditis corrigendo restringitur, magna se sollicitudine etiam districtor ipse moderetur, quatenus sic iura disciplinæ contra delinquentes exerceat, vt pietatis viscera non amittat. Curandum quippe est vt rectorem subditis & matrem pietas, & patrem exhibeat disciplina. Atque inter hæc sollicita circunspectione prouidendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa. Nam sicut in libris moralibus iam diximus, disciplina vel misericordia multum destituitur, si vna sine altera teneatur. Sed erga subditos suos inesse rectoribus debet & iustè cōsolans misericordia, & piè sæuiens disciplina. Hinc nanque est, quòd docente veritate per Samaritani studium semiuiuus in stabulum ducitur, *Luca. 10.* & vinum atque oleum eius vulneribus adhibetur: vt per vinum scilicet mordeātur vulnera, per oleum foueantur. Necesse quippe est vt quisquis sanandis vulneribus præest, in vino morsum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis: quatenus per vinum mundentur putrida, per oleum foueantur sananda. Miscenda ergo est lenitas cum seueritate, faciendum quoddam temperamentum ex vtroque, vt neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate soluantur. Quod iuxta Pauli vocem bene illa tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis virga simul, & manna est: quia cum scripturæ sacræ scientia in boni rectoris pectore si est virga districtionis, sit & manna dulcedinis. Hinc Dauid ait: Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. *Psalm. 22.* Virga enim percutimur, baculo sustentamur. Si ergo est districtio virgæ quæ feriat, sit & consolatio baculi quæ sustentet. Sit itaque amor, sed non emolliens: sit rigor, sed non asperans: sit zelus, sed non immoderate sæuiens: sit pietas, sed non plus quàm expediat, parcens: vt dum se in arce regiminis iustitia clementiáque permisceant, is qui præest, corda subditorum & terrendo demulceat, & tamen terroris reuerentiam demulcendo constringat.

Vt sit rector internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, prouidentiam in internorum sollicitudine non relinquens.
Caput VII.

SIt rector internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum prouidentiam in internorum occupatione non relinquens: ne aut exterioribus deditus ab intimis corruat, aut solis interioribus occupatus, quæ foris debet proximis non impendat. Sæpe nanque nonnulli velut obliti quòd fratribus animarum causa prælati sunt, toto cordis adnisu secularibus curis inseruiunt: has, cùm assunt, se agere exultant: ad has etiam cùm desunt, diebus ac noctibus cogitationis turbidæ æstibus anhelant. Cúmque ab his cessante forsitan opportunitate quieti sunt, ipsa deterius sua quiete fatigantur. Voluptatem nanq; censent si actionibus deprimuntur, laborem deputant si in terrenis negociis non laborant. Sícque fit vt dum vrgeri se mundanis tumultibus gaudeant, interna quæ alios docere debuerant ignorent. Vnde subiectorum quoque proculdubio vita torpescit: quia cùm proficere spiritualiter appetit, in exēplo eius qui sibi prælatus est quasi in obstaculo itineris offendit. Languente enim capite incassum membra vigent, & in exploratione hostium frustra exercitus velociter sequitur, si ab ipso duce itineris erratur. Nulla subditorum mentes exhortatio subleuat, corúmq; culpas increpatio nulla castigat: quia dum per animarum præsulem terreni exercetur officium iudicis, à gregis custodia vacat cura pastoris, & subiecti veritatis lumen apprehendere nequeunt: quia dum pastoris sensus terrena studia occupant, vento tentationis impulsus Ecclesiæ oculos puluis cæcat. Quod contrà rectè humani generis redemptor, cùm nos à ventris voracitate compesceret, dicens: Attendite autem vobis vt non grauentur corda vestra in crapula & ebrietate: *Luca. 21.* ilico adiunxit, Aut in curis huius vitæ. Vbi pauorem quoque protinus intentè adiiciens, Ne fortè, inquit, superueniat in vos repentina dies illa. Cuius aduentus etiam qualitatem denunciat, dicens: Tanquam laqueus enim superueniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ. Hinc iterum dicit: Nemo potest duobus dominis seruire. *Luca. 16.* Hinc Paulus religiosorum mentes à mundi consortio contestando, ac potius conueniendo suspendit dicens: Nemo militans Deo implicat se negociis secularibus, vt ei placeat cui se probauit. *2. Timot. 2.* Hinc Ecclesiæ rectoribus & vacandi studia præcipit, & consulēdi remedia ostendit dicens: Secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia illos constituite ad iudicandum, *1. Corint. 6.* vt ipsi videlicet dispensationibus terrenis inseruiant, quos dona spiritalia non exornant, ac si apertius dicat: Quia penetrare intima nequeunt, saltem necessaria foris operentur. Hinc Moyses qui cùm Deo loquitur, Ietro alienigenæ reprehen-

sione

sione iudicatur, quòd terrenis populorum negociis stulto labore deseruiat: cui & consilium mox præbetur, vt pro se alios iurgia dirimenda constituat, & ipse liberius ad erudiēdos populos spiritalium arcana cognoscat. A subditis ergo inferiora gerenda sunt, à rectoribus summa cogitanda: vt scilicet oculum qui prouidendis gressibus præeminet, cura pulueris non obscuret. Caput nanque subiectorum sunt cuncti qui præsunt, & vt recta valeāt pedes itinera carpere, hęc proculdubio caput debet ex alto prouidere, ne à profect⁹ sui itinere pedes torpeant, cùm curuata rectitudine corporis caput sese ad terram declinat. Qua autem mente animarum præsul honore pastorali inter cæteros vtitur, si in terrenis negociis quæ reprehendere in aliis debuit, & ipse versatur? Quod videlicet ex ira iustæ retributionis per prophetam Dominus minatur dicens: *Osea. 4.* Et erit sicut populus, sic sacerdos. Sacerdos quippe est vt populus, quando ea agit is qui spiritali officio fungitur, quæ illi nimirum faciunt qui adhuc de studiis carnalibus iudicantur. Quod cum magno dolore scilicet charitatis Hieremias propheta conspiciens, quasi sub destructione templi deplorat *Thren. 4.* dicens: Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omniū platearum? Quid nanque auro, quod metallis cęteris præeminet, nisi excelletia sanctitatis? Quid colore optimo, nisi cunctis amabilis reuerentia religionis exprimitur? Quid per sanctuarij lapides, nisi sacrorum ordinum personæ figurantur? Quid platearum nomine, nisi præsentis vitæ latitudo signatur? Quia enim Gręco eloquio πλατὸς latitudo dicitur, profectò à latitudine plateæ sunt vocatæ. *Matth. 17.* Per semetipsam vero veritas dicit: Lata & spatiosa via est quæ ducit ad perditionem. Aurum igitur obscuratur, cùm terrenis actibus sanctitatis vita polluitur. Color optimus commutatur, cùm quorundam qui degere religiosè credebantur, æstimatio anteacta minuitur. Nam cùm quilibet post sanctitatis habitum terrenis se actibus inserit, quasi colore permutato ante humanos oculos eius reuerentia despecta pallescit. Sanctuarij quoque lapides in plateas disperguntur, cùm causarum secularium foràs lata itinera expetunt hi, qui ad ornamentū Ecclesiæ internis mysteriis quasi in secretis sanctuarij vacare debuerunt. Ad hoc quippe sanctuarij lapides fiebant, vt intra sancta sanctorum in vestimento summi sacerdotis apparerent. Cùm verò ministri religionis à subditis honorem redemptoris sui ex merito vitæ non exigunt, sanctuarij lapides in ornamento pontificis non sunt. Qui nimirum sanctuarij lapides dispersi per plateas iacent, cùm personæ sacrorum ordinum voluptatum suarum libidini deditæ terrenis negociis inhærent. Et notandum quòd nō hos dispersos in plateis, sed in capite platearum dicit: quia & cùm terrena agunt, summi videri appetunt, vt & lata itinera teneant ex voluptate delectationis, & tamē in platearum sint capite ex honore sanctitatis. Nil quoque obstat si sanctuarij lapides eosdem ipsos quibus cōstructum sanctuarium existebat accipimus, qui dispersi in platearum capite iacent, quando sacrorum ordinū viri terrenis actibus ex desiderio inseruiūt, ex quorum prius officio sanctitatis gloria stare videbatur. Secularia itaque negocia aliquando ex compassione toleranda sunt, nunquam verò ex amore requirenda: ne cùm mentem diligentis aggrauant, hanc suo victam pondere ad ima de cœlestibus immergant. At contrà sunt nonnulli qui gregis quidem curam suscipiūt, sed sic sibimet vacare ad spiritalia appetunt, vt rebus exterioribus nullatenus occupentur. Qui cùm curare corporalia funditùs negligunt, subditorum necessitatibus minimè concurrunt. Quorum nimirum prædicatio plerūque despicitur: quia dum delinquentium facta corripiunt, sed tamen eis necessaria vitæ præsentis non tribuunt, nequaquam libenter audiuntur. Egentis etenim mentem doctrinæ sermo non penetrat, si hunc apud eius animum manus misericordiæ non commendat. Tunc autem verbi semen facilè germinat, quando hoc in audientis pectore pietas prædicātis rigat. Vnde rectori necesse est, vt interiora possit infundere cogitatione innoxia etiam exteriora prouidere. Sic itaque pastores erga interiora studia subditorum suorum ferueant, quatenus in eis exterioris quoque vitæ prouidentiam non relinquant. Nam quasi iure vt diximus, à percipienda prædicatione gregis animus frangitur, si cura exterioris subsidij à pastore negligatur. Vnde & primus pastor solicitè admonet dicēs: *1. Petr. 5.* Seniores qui in vobis sunt obsecro consenior & testis Christi passionū, qui & eius quæ in futuro reuelanda est, glorię communicator, pascite qui in vobis est gregem Dei. Qui in hoc loco vtrum pastionē cordis an corporis suaderet, aperuit cùm protinus subiunxit: Prouidentes non coactè, sed spontaneè secūdum Deum, neque turpis lucri gratia sed voluntariè. Quibus profectò verbis pastoribus piè præcauetur, ne dum subiectorum inopiam nimiè satiant, se mucrone ambitionis occidant: ne cùm per eos carnis subsidiis reficiuntur proximi, ipsi remaneant à iustitię pane ieiuni. Hanc pastorum solicitudinem Paulus excitat dicens: *1. Tim. 5.* Qui suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Inter hæc itaque metuendum semper est & vigilanter intuendum, ne dum cura ab eis exterior agitur, ab interna intentione mergantur. Plerunque enim vt prædiximus, corda rectorum dum temporali solicitudine incautè deseruiūt, ab intimo amore refrigescūt: & foras fusa obliuisci nō metuūt, quia animarum regimina susceperunt. Solicitudo ergo quæ subditis exterius impenditur, sub certa necesse est mensura teneatur. Vnde bene ad Ezechielem dicitur: *Ezech. 44.* Sacerdotes caput suū non radant, neque comam nutriant, sed tondentes attondeant capita sua. Sacerdotes nāque iure vocati sunt, qui vt sacrū ducatum præbeant fidelibus præsunt. Capilli verò in capite exteriores, sunt cogitationes in mēte. Qui dum super cerebrum insensibiliter oriuntur, curas vitæ præsentis exprimūt, quæ ex sensu negligenti, quia importunè aliquando prodeunt, quasi nobis non sentientibus procedūt. Quia igitur cuncti præsunt, habere quidem solicitudines exteriores debent, nec tamē vehementer eis incumbere, sacerdotes rectè & caput prohibentur radere, & comā nutrire: vt cogitationes carnis de vita subditorum, nec à se funditùs amputent, nec rursum ad crescendū nimis relaxent. Vbi & bene dicitur: Tondentes tondeant capita sua: vt videlicet curæ temporalis solicitudinis & quātum necesse est prouideant, & tamen resecentur citius, ne immoderatius excrescant. Dum igitur & per administratam exteriorum prouidentiam corporum vita protegitur, & rursus per immoderatam cordis intentionem non impeditur, capilli in capite sacerdotis & seruantur, vt cutem cooperiant, & resecantur ne oculos claudant.

Ne placere rector suo studio hominibus appetat, sed tamen ad quid placere debeat, intendat. *Caput VIII.*

INter hæc quoque necesse est vt rector solerter inuigilet, ne hunc cupido placendi hominibus pulset, ne cùm studiosè interiora penetrat, cùm prouidè exteriora subministrat, se magis à subditis diligi quàm veritatem quærat, ne cùm bonis actibus fultus à mundo videtur alienus, hunc authori reddat extraneum amor suus. Hostis nanque redemptoris est, qui per recta opera quæ facit, eius vice ab Ecclesia amari concupiscit: quia adulterinæ cogitationis est reus, si placere puer spōsæ oculis appetit per quem sponsus dona transmisit. Quia nimirū amor proprius cùm rectoris mentem ceperit, aliquando hanc inordinatè ad mollitiem, aliquādo verò ad asperitatem rapit. Ex amore etenim suo mens rectoris in mollitiē vertitur: quia cùm peccantes subditos respicit, ne erga hunc eorum dilectio torpeat, corripere non præsumit, nonnunquam verò errata subditorū quæ increpare debuerat, adulatione demulcet. Vnde bene per Prophetā dicitur: *Ezech. 13.* Væ his qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas. Puluillos quippe sub omni cubito manus ponere, est cadentes à sua rectitudine animas, atque in huius mundi se dilectione reclinantes, blanda adulatione refouere. Quasi enim puluillo cubitum, vel ceruicalibus caput iacentis excipitur, cùm correptionis duritia peccanti subtrahitur, eíq; mollities fauoris adhibetur, vt in errore molliter iaceat, quem nulla asperitas contradictionis pulsat. Sed hæc rectores qui semetipsos diligunt, his proculdubio exhibent, à quibus se noceri posse in studio gloriæ temporalis timent. Nam quos nil contra se valere conspiciunt, hos nimirū asperitate rigidæ semper inuectionis premunt, nunquam clementer admonent, sed pastoralis mansuetudinis obliti, iure dominationis terrent. Quos rectè per Prophetam diuina vox increpat dicens: *Ezech. 34.* Vos autem cum austeritate imperabatis

cis & cùm potētia. Plus enim se suo authore diligētes, iactanter erga subditos se erigunt, nec quid agere debeant, sed quid valeāt attendunt. Nil de subsequēti iudicio metuunt, qui improbè de temporali potestate gloriantur. Libet vt licenter & illicita faciant, & subditorum nemo contradicat. Qui ergo & prauā studet agere, & tamen ad hæc vult cæteros tacere, ipse sibimet testis est, quia plus se veritate appetit diligi, quàm contra se non vult defendi. Nemo quippe est qui ita viuat vt aliquatenus nō delinquat. Ille ergo se ipso amplius veritatem desiderat amari, qui sibi à nullo vult contra veritatem parci. Hinc etenim Petrus increpationem Pauli libenter accipit.

2. Reg. 5. Hinc Dauid increpationem subditi humiliter audiuit, quia rectores boni dum priuato diligere amore se nesciunt, liberæ puritatis verbum à subditis obsequium humilitatis credunt. Sed inter hæc necesse est, vt cura regiminis tanti moderaminis arte temperetur, quatenus subditorū mens cùm quædam rectè sentire potuerit, sic in vocis libertatem prodeat, vt tamen libertas in superbiam non erumpat: ne dum fortasse immoderatius linguæ eis libertas conceditur, vitæ ab his humilitas amittatur. Sciendum quoque est quòd non oportet vt rectores boni placere hominibus appetāt, sed vt suæ æstimationis dulcedine proximos in affectum veritatis trahant: non vt se amari desiderent, sed vt dilectionem suam quasi quandam viam faciant, per quam corda audiētum ad amorem conditoris sui introducant. Difficile quippe est vt quamlibet recta denuncians prædicator, qui non diligitur, libenter audiatur. Debet ergo qui præest, & studere se diligi, quatenus possit audiri, & tamen amorem suum pro seipso non quærere, ne inueniatur ei cui seruire per officium cernitur, occulta cogi-
1. Corin. 10. tationis tyrannide resultare. Quod bene Paulus insinuat, cùm
Ibidem. sui nobis studij occulta manifestat, dicens: Sicut & ego per omnia placeo omnibus. Qui tamen rursus dicit: Ego si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Placet ergo Paulus & non placet, quia in eo quòd placere appetit, non se, sed per se hominibus placere veritatem quærit.

Quòd scire sollicitè rector debeat, quòd plerunque vitia virtutes se esse mentiuntur. Caput IX.

SCire etiam rector debet quòd plerunque vitia virtutes se esse mentiuntur. Nam sæpe sub parsimoniæ nomine se tenacia palliat, contráque se effusio sub appellatione largitatis occultat. Sæpe inordinata remissio pietas creditur, & effrenata ira spiritalis zeli virtus estimatur. Sæpe præcipitata actio velocitatis efficacia, atq; agendi tarditas grauitatis consilium putatur. Vnde necesse est vt rector animarum, virtutes ac vitia vigilanti cura discernat, ne aut cor tenacia occupet, & parcum se videri in dispensationibus exultet: aut cùm effusè quid
† al. perditur. † impenditur, largum se quasi miserando glorietur, aut remittendo quod ferire debuit, ad æterna supplicia subditos pertrahat: aut immaniter feriendo quod delinquitur, ipse grauius delinquat: aut hoc quod agi rectè ac grauiter potuit, immaturè præueniens leuiget, aut bonæ actionis meritum differendo ad deteriora permutet.

Quòd esse debet & rectori discretio correctionis, & dissimulationis, feruoris, & mansuetudinis. Caput X.

SCiendum quoque est, quòd aliquorum subiectorum vitia prudenter dissimulanda sunt, sed quia dissimulantur, indicanda: aliquando & apertè cognita, maturè toleranda, aliquando verò subtiliter & occultè perscrutanda: aliquando leniter arguenda, aliquando autem vehementer increpanda. Nonnulla quippe, vt diximus, prudenter dissimulanda sunt, sed quia dissimulantur, indicanda: vt cùm delinquens & deprehendi se cognoscit, & perpeti, has quas in se tacitè toleraři considerat, augere culpas erubescat, séque se iudice puniat, quem sibi apud se rectoris patientia clementer excusat. Quæ scilicet dissimulatione bene Iudæam Dominus corripit, cùm
Esaiæ. 57. per Prophetam dicit: Mentita es, & mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo, quia ego tacens & quasi non videns. Et dissimulauit ergo culpas & innotuit: quia & contra peccantem tacuit, & hoc ipsum tamen quia tacuerit dixit. Nonnulla autem vel apertè cognita, maturè toleranda sunt, cùm videlicet rerum minimè opportunitas congruit, vt apertè corrigantur. Nam secta immaturè vulnera deterius inferuescunt, & nisi cum tempore medicamenta conueniant, constat proculdubio quòd medendi officium amittant. Sed cùm tempus subditis ad correptionē quæritur, sub ipso culparum pondere patientia præsulis exercetur. Vnde bene per Psalmi-
Psalm. 128. stam dicitur: Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores. In dorso quippe onera sustinemus. Supra dorsum igitur suum fabricasse peccatores quæritur, ac si apertè dicat: Quos corrigere nequeo, quasi superimpositum onus porto. Nonnulla autem subtiliter & occultè sunt perscrutanda, vt quibusdam signis erumpētibus rector in subditorum mente, omne quod clausum latet, inueniat, & interueniente correptionis articulo, ex minimis maiora cognoscat. Vnde rectè ad Ezechielem
Ezech. 8. dicitur: Fili hominis fode tibi parietem. Vbi mox idem Pro-
Ibidem. pheta subiungit: Et cùm fodissem parietem, apparuit ostium vnum. Et dixit ad me: Ingredere & vide abominationes pessimas quas isti faciunt hic. Et ingressus vidi. Et ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuersa idola domus Israël depicta erant in pariete. Per Ezechielem quippe præpositorum ordo signatur, per parietem duritia subditorum. Et quid est parietem fodere, nisi acutis inquisitionibus duritiam cordis aperire? Quem cùm fodisset, apparuit ostium: quia cùm cordis duritia vel studiosis percunctationibus, vel maturis correptionibus scinditur, quasi quædam ianua ostenditur, ex qua omnia in eo qui corripitur cogitationum interiora videantur. Vnde & bene illic sequitur: Ingredere & vide abominationes pessimas, quas isti faciūt hic. Quasi ingreditur vt abominationes aspiciat, qui discussis quibusdam signis exterius apparentibus ita corda subditorum penetrat, vt cuncta ei quæ illicitè cogitantur innotescant. Vnde & subdit: Et ingressus vidi. Et ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio. In reptilibus cogitationes omnino terrenæ signantur, in animalibus verò iam quidem aliquantulum à terra suspensæ, sed adhuc terrenæ mercedis præmia requirentes. Nam reptilia toto ex corpore terræ inhærent, animalia autem magna parte corporis à terra suspensa sunt, appetitu tamen gulæ ad terram semper inclinantur. Reptilia itaque sunt intra parietem, quando cogitationes voluuntur in mente, quæ à terrenis desideriis nunquam leuantur. Animalia quoque sunt intra parietem, quando & si qua iam iusta, si qua honesta cogitantur, appetendis tamen lucris temporalibus honoribúsque deseruiunt, & per semetipsa quidem quasi à terra suspensa sunt, sed adhuc per ambitum quasi per gulæ desiderium sese ad ima submittunt. Vnde & bene subditur: Et vniuersa idola domus Israël depicta erāt
in pariete. Scriptum quippe est: Et auaritia quæ est idolorum
Colossen. 3. seruitus. Rectè ergo post animalia idola describuntur: quia etsi honesta actione nonnulli quasi à terra se erigunt, ambitione tamen inhonesta semetipsos ad terram deponūt. Bene autem dicitur, Depicta erant: quia dum exteriorum rerum intrinsecus species attrahuntur, quasi in corde depingitur quicquid fictis imaginibus deliberando cogitatur. Notandum itaque est, quia prius foramen in pariete ac deinde ostium cernitur, & tunc demum occulta abominatio demonstratur: quia nimirum vniuscuiusque peccati prius signa forinsecus, deinde ianua apertæ iniquitatis ostenditur, & tunc demum omne malum quod intus latet aperitur. Nonnulla autem sunt leniter arguenda, nam cùm malitia, sed sola ignorantia vel infirmitate delinquitur, profectò necesse est vt magno moderamine ipsa delicti correptio temperetur. Cuncti quippe quousque in hac mortali carne subsistimus, corruptionis nostræ infirmitatibus subiacemus. Ex se ergo debet vnusquisq; colligere qualiter alienæ hunc oporteat imbecillitati misereri, ne contra infirmitatem proximi si ad increpationis vocem feruentius rapiatur, oblitus sui esse videatur. Vnde bene Paulus
Gala. 6. admonet dicens: Si quis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum ne & tu tenteris, ac si apertè dicat: Cùm displicet ex aliena infirmitate quod conspicis, pensa quod es, vt increpationis zelo se spiritus temperet, dum sibi quoque quod increpat timet. Nonnulla autem sunt vehementer increpanda, vt cùm culpa ab authore non cognoscitur, quanti sit ponderis, ab increpantis ore sentiatur. Et cùm sibi quis malum quod perpetrauit leuigat, hoc contra se grauiter ex corripientis asperitate pertimescat. Debitum quippe rectoris

rectoris est supernæ patriæ gloriam per vocem prædicationis ostendere, quanta in huius vitæ itinere tentamenta antiqui hostis lateant aperire, & subditorum mala quæ tolerari leniter non debent, cum magna zeli asperitate corrigere: ne si minus contra culpas accenditur, culparum omnium reus ipse teneatur. Vnde ad Ezechielem dicitur: Sume tibi laterem & pones
Ezech. 4. eum coram te, & describes in eo ciuitatem Hierusalem. Sta-
Ibidem. tímque subiungitur: Et ordinabis aduersus eam obsidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra ea castra, & pones arietes in gyro. Eíque ad munitionem suam protinus subiunxit: Et tu sume tibi sartaginem ferream, & pones eam murum ferreum inter te & ciuitatem. Cuius enim Ezechiel propheta nisi magistrorum speciem tenet? Cui dicitur, Sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo ciuitatem Hierusalem. Sic quippe sancti doctores sibi laterem sumunt, quando terrenum auditorum cor vt doceant apprehendunt. Quem scilicet laterem coram se ponunt: quia tota mentis illud intentione custodiunt. In quo & ciuitatem Hierusalem iubentur describere: quia prædicando terrenis cordibus curant summopere, quæ sit supernæ pacis visio, demonstrare. Sed quia incassum gloria patriæ cœlestis agnoscitur, nisi & quanta hîc irruant hostis callidi tentamenta noscatur, aptè subiungitur: Et ordinabis aduersus eam obsidionem, & ædificabis munitiones. Sancti quippe prædicatores obsidionem circa laterem, in quo Hierusalem ciuitas descripta est ordinant, quando terrenæ menti, sed iam supernam patriam requirenti, quanta eam in huius vitæ tempore vitiorum impugnet aduersitas, demōstrant. Nam cùm vnumquoque peccatum quemodo proficientibus insidietur ostenditur, quasi obsidio circa ciuitatem Hierusalem voce prædicatoris ordinatur. Sed quia non solùm debent innotescere qualiter vitia impugnent, verum quomodo custoditæ nos virtutes roborent, rectè subiungitur: Et ædificabis munitiones. Munitiones quippe sanctus prædicator ædificat, quando quæ virtutes quibus resistant vitiis demonstrat. Et quia crescente virtute, plerunque bella tentationis augentur, rectè adhuc
C subditur: Et comportabis aggerem, & dabis contra eum castra, & pones arietes in gyro. Aggerem nanque comportat, quando prædicator quisque molem crescentis tentationis enunciat. Et contra Hierusalem castra erigit, quando rectæ intentioni audientium hostis callidi incircunspectas & quasi incomprehensibiles insidias prædicit. Atque arietes in gyro ponit, cùm tentationum aculeos in hac vita nos vndique circundantes & virtutum murum perforantes innotescit. Sed cuncta hæc licèt subtiliter rector insinuet, nisi contra delicta singulorum æmulationis spiritu feruēat, nullam sibi in perpetuū absolutionem parat. Vnde illic adhuc rectè subiungitur. Et tu sume tibi sartaginem ferream, & pones eam murum ferreū inter te & ciuitatem. Per sartaginem quippe frixura mentis, per ferrum verò increpationis fortitudo signatur. Quòd verò acrius doctoris mentem, quàm zelus Dei frigit & excruciat? Vnde Paulus huius sartaginis vrebatur frixura cùm diceret:
1. Corin. 11. Quis infirmatur & ego non infirmor? Quis scandalizatur &
D ego non vror? Et quia quisquis zelo Dei accenditur ne damnari ex negligentia debeat, forti in perpetuum custodia munitur, rectè dicitur: Pones eam murum ferreum inter te & ciuitatem. Sartago enim ferrea murus ferreus inter prophetam & ciuitatem ponitur: quia cùm nunc fortem zelum rectores exhibent, eundem zelum postmodū inter se & auditores suos fortem munitionem tenent: ne tunc ad vindictam destituti sint, si nūc fuerint in correptione dissoluti. Sed inter hæc sciēdum est, quia dum ad increpationem se mens doctoris exasperat, difficile valde est, vt non aliquando & ad aliquid quod dicere non debet erumpat. Et plerunque contingit, vt dum culpa subditorum cum magna inuectione corripitur, magistri lingua vsque ad excessus verba pertrahatur. Cúmque increpatio immoderatè accenditur, corda delinquentium in desperatione deprimuntur. Vnde necesse est vt exasperatus rector cùm subditorum mentem plus se quàm debuit percussisse considerat, apud se semper ad pœnitentiam recurrat: vt per lamēta veniam in conspectu veritatis obtineat, ex eo etiā quòd per zeli eius studium peccat. Quod figuratè Dominus præcipit per Moysen dicens: Si quis abierit cum amico suo simpli-
Deut. 19. citer in syluam ad ligna cædenda, & lignum securis effugerit
A manu, ferrúmque lapsum de manubrio, amicum eius percusserit & occiderit, hic ad vnam supradictarū vrbium fugiat, & viuet, ne fortè proximus eius, cuius effusus est sanguis, doloris stimulo persequatur, & apprehendat eum & percutiat animam eius. Ad syluam quippe cum amico imus, quoties ad intuenda subditorum delicta conuertimur. Et simpliciter ligna succidimus, cùm delinquentium vitia pia intentione resecamus. Sed securis manum fugit, cùm sese increpatio plusquam necesse est in asperitatem pertrahit. Ferrúmque de manubrio prosilit, cùm de correptione sermo durior excedit. Et amicum percutit & occīdit, quia auditorem suum pro lata contumelia à spiritu dilectionis interficit. Correpti nāque mens repente ad odium proruit, si hanc immoderata increpatio plus quàm debuit addicit. Sed is qui incautè ligna percutit & proximum extinguit, ad tres necesse est vrbes fugiat, vt in vna earum defensus viuat: quia si ad pœnitentiæ lamenta conuersus in vnitate sacramēti sub spe fide & charitate absconditur,
B reus perpetrati homicidij non tenetur. Eúmque extincti proximus cùm inuenerit non occidit: quia cùm districtus iudex venerit, qui sese nobis per naturæ nostræ consortium iunxit, ab eo proculdubio culpæ reatum non expetit, quam sub eius venia fides, spes & charitas absconditur.

Quantum rector sacræ legis meditationibus esse debeat intentus. Caput XI.

SEd omne hoc ritè à rectore agitur, si supernæ formidinis & dilectionis spiritu afflatus, studiosè quotidie sacri eloquij precepta meditetur: vt in eo vim solicitudinis, & erga cœlestem vitam prouidæ circunspectionis, quam humanæ conuersationis vsus indefinenter destruit, diuinæ admonitionis verba restaurent. Et qui ad vetustatem vitę per societatem secularium ducitur, ad amorem semper spiritalis patriæ compunctionis aspiratione renouetur. Valde nanque inter humana verba cor defluit. Cúmque indubitanter constet quòd externis occupationum tumultibus impulsum à semetipso corruat, studere incessabiliter debet, vt per eruditionis studium
resurgat. Hinc est enim quod prælatum gregi discipulū Pau-
1. Tim. 4. lus admonet dicens: Dum venio attende lectioni. Hinc Da-
Psalm. 118. uid ait: Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea est. Hinc Moysi Dominus de portanda arca præcepit dicens: Facies quatuor circulos aureos quos pones per
Exod. 25. quatuor arcæ angulos, faciésque vectes de lignis sethim, & operies auro, inducésque per circulos qui sunt in arcę lateribus, vt portetur in eis, qui semper erūt in circulis, nec vnquam extrahentur ab eis. Quid per arcam nisi sancta Ecclesia figuratur? Cui quatuor circuli aurei per quatuor angulos iubentur adiungi: qui in eo quòd per quatuor mundi partes dilata tenditur, proculdubio quatuor sancti Euangelij libris accincta prædicatur. Vectésque de lignis sethim fiunt, qui eisdem ad portandum circulis inseruntur: quia fortes perseuerantésque doctores velut imputribilia ligna quærendi sunt, qui instructioni sacrorum voluminum semper inhærentes sanctæ Ecclesiæ vnitatem denuncient, & quasi intromissis circulis arcam portent. Vectibus quippe arcam portare, est bonis doctoribus sanctam Ecclesiam ad rudes infidelium mentes prædicando deducere. Qui auro quoque iubētur operiri, vt dum sermone aliis insonant, ipsi etiam vitæ splendore fulgescant. De quibus aptè subiungitur: Qui semper erunt in circulis, nec vnquam extrahentur ab eis. Quia nimirum necesse est, vt qui ad officium prædicationis excubant, à sacræ lectionis studio non recedant. Ad hoc nanque vectes esse in circulis semper iubentur, vt cùm portari arcam opportunitas exigit, de intromittendis vectibus portandi tarditas nulla generetur: quia videlicet cum spiritale aliquid à subditis pastor inquiritur, ignominiosum valde est si tunc quærat discere, cùm quæstionem debet enodare. Sed circulis vectes inhæreāt, vt doctores semper in suis cordibus eloquia sacra meditantes, testamenti arcā sine mora eleuent, si quicquid necesse est, protinus doceant. Vnde bene primus pastor Ecclesiæ pastores cæteros admo-
1. Pet. 3. net dicens: Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe: ac si apertè dicat: Vt ad portādam arcam nulla mora præpediat, vectes nunquam à circulis recedant.

PROLOGVS TERTIÆ PARTIS, DOCENS qualiter rector bene viuens debeat docere, & admonere subditos.

QVia igitur qualis esse debeat pastor ostēdimus, nunc qualiter doceat demonstremus. Vt enim longè ante nos reuerendæ memoriæ Gregorius Nazianzenus edocuit, non vna eademque cunctis exhortatio congruit, quia non cunctos par morum qualitas astringit. Sæpe nanque aliis officiunt, quæ aliis prosunt. Quia & plerunque herbæ quæ hæc animalia enutriunt, alia occidunt: & lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat. Et medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires iungit: & panis qui vitam fortium roborat, paruulorum necat. Pro qualitate igitur audientium formari debet sermo doctorum, vt & sua singulis congruant, & tamen à communis ædificationis arte nunquam recedat. Quid enim sunt intentæ mentes auditorum, nisi vt ita dixerim, quædam in cithara rentiones stratæ chordarum? quas tangendi artifex vt non sibimetipsi dissimile canticum faciant, dissimiliter pulsat. Et idcirco chordæ consonam modulationem reddunt: quia vno quidem plectro, sed non vno impulsō feriuntur. Vnde & doctor quisque vt in vna cunctos virtute charitatis ædificet, ex vna doctrina, non vna eadémque exhortatione corda tangere audientium debet.

Quopacto pastor, auditorum ratione habita, singulos ad ædificationem hortari possit.

Caput I.

1 *Aliter nanque admonendi sunt viri, atque aliter fœminæ.*
2 *Aliter admonendi sunt iuuenes, atque aliter senes.*
3 *Aliter admonendi sunt inopes, atque aliter locupletes.*
4 *Aliter admonēdi sunt læti, atque aliter tristes.*
5 *Aliter admonendi sunt subditi, aliter prælati.*
6 *Aliter admonendi sunt serui, aliter Domini.*
7 *Aliter admonendi sunt sapientes, aliter hebetes.*
8 *Aliter admonendi sunt impudentes, aliter verecundi.*
9 *Aliter admonendi sunt proterui, aliter pusillanimes.*
10 *Aliter admonendi sunt impatientes, aliter patientes.*
11 *Aliter admonendi sunt benevoli, aliter invidi.*
12 *Aliter admonendi sunt simplices, aliter impij.*
13 *Aliter admonendi sunt incolumes, aliter ægri.*
14 *Aliter admonendi sunt qui flagella metuunt, & ideo innocenter viuunt: atque aliter qui sic in iniquitatibus diuruerunt, vt neque per flagella corrigantur.*
15 *Aliter admonendi sunt nimis taciti, aliter multiloquio vacantes.*
16 *Aliter admonendi sunt pigri, aliter præcipites.*
17 *Aliter admonendi sunt mansueti, aliter iracundi.*
18 *Aliter admonendi sunt humiles, aliter elati.*
19 *Aliter admonendi sunt pertinaces, aliter inconstantes.*
20 *Aliter admonendi sunt gulæ dediti, aliter abstinentes.*
21 *Aliter admonendi sunt, qui iam sua misericorditer tribuunt: atque aliter, qui adhuc & aliena rapere contendunt.*
22 *Aliter admonendi sunt qui nec aliena appetunt, nec sua largiuntur: atque aliter, qui & ea quæ habent tribuunt, & tamen aliena rapere non desistunt.*
23 *Aliter admonendi sunt pacati, aliter discordes.*
24 *Aliter admonendi sunt seminantes iniqua, aliter pacifici.*
25 *Aliter admonendi sunt qui sacræ legis verba non intelligunt rectè: atque aliter qui rectè quidem intelligunt, sed hæc humiliter non loquuntur.*
26 *Aliter admonendi sunt qui cùm dignè prædicare valeant, præ nimia humilitate formidant: aliter quos à prædicatione imperfectio vel ætas prohibet, & tamen præcipitatio impellit.*
27 *Aliter admonendi sunt qui in hoc quod temporaliter appetunt, prosperantur: atque aliter qui ea quidem quæ mundi sunt concipiscunt, sed tamen aduersitatis laborefatigantur.*
28 *Aliter admonendi sunt coniugiis obligati, aliter coniugij nexibus liberi.*
29 *Aliter admonendi sunt peccatorum carnis conscij, aliter ignari.*
30 *Aliter admonendi sunt qui peccata deplorant operum, aliter qui cogitationum.*
31 *Aliter admonendi sunt qui admissa deplangunt, nec tamen deserunt: atque aliter qui deserunt, nec tamen plangunt.*
32 *Aliter admonendi sunt qui illicita quæ faciunt etiam laudant: atque aliter qui accusant prauа, nec tamen deuitant.*
33 *Aliter admonendi sunt, qui repentina concupiscentia superantur: atque aliter qui in culpa ex consilio ligantur.*
34 *Aliter admonendi sunt qui licèt minima tamen illicita faciunt: atque aliter qui se à paruis custodiunt, sed aliquando in grauioribus demerguntur.*
35 *Aliter admonendi sunt qui bona nec inchoant, aliter qui inchoata minimè consummant.*
36 *Aliter admonendi sunt qui mala occultè agunt, & bona publicè: atque aliter qui bona quæ faciunt abscondunt, & tamen quibusdam factis publicè malè de se opinari permittunt.*

Sed quid vtilitatis est quòd cuncta hæc collecta enumeratione transcurrimus, si non etiam admonitionis modos per singula quanta possumus breuitate pandamus.

De his igitur omnibus à principali sumentes exordium, latius ex ordine per singula disseramus.

Admonitio I.

ALiter igitur admonendi sunt viri, atq; aliter fœminæ: quia illis grauia, istis verò iniungenda sunt leuiora, vt illos magna exercendo, istas verò leuia demulcendo conuertant.

Admonitio II.

ALiter admonendi sunt iuuenes, atque aliter senes: quia illos plerunque seueritas admonitionis ad profectum dirigit, istos verò ad meliora opera deprecatio blanda componit. Scriptum quippe est: Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem. *1.Timoth.5.*

Admonitio III.

ALiter admonendi sunt inopes, atque aliter locupletes: illis nanque offerre consolationis solatium contra tribulationem, istis verò inferre metum contra elationem debemus. Inopi quippe à Domino per Prophetam dicitur: Noli timere, quia non confunderis. Cui non longè pòst blandiens dicit: Paupercula tempestate conuulsa. Kursúmque hanc consolatur dicens: Elegi te in camino paupertatis. At contrà Paulus discipulo de diuitibus dicit: Diuitibus huius seculi præcipe non superbè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum suarum. Vbi notādum valde est quòd humilitatis doctor memoriam diuitum faciens non ait: Roga, sed Præcipe: quia etsi impendenda est pietas infirmitati, honor tamen non debetur elationi. Talibus ergo rectùm quod dicitur, tātò rectius iubetur, quātò & in rebꝰ trāsitoriis altitudine cogitationis intumescūt. De his in Euāgelio Dominus dicit: Væ vobis diuitibus qui habetis cōsolationem vestram. Quia enim quæ sunt æterna gaudia nesciunt, ex præsentis vitæ abundantia consolantur. Offerenda est ergo eis consolatio quos caminus paupertatis excoquit, atque illis inferendus est timor, quos consolatio gloriæ temporalis extollit: vt & illi discant, quia diuitias quas non conspiciunt possidebunt, & isti agnoscant, quia eas quas † cōcupiscunt, nequaquam tenere possunt. Plerunque tamen personarum ordinem permutat qualitas morum: vt si diues humilis sit, pauper elatus. Vnde mox prædicantis lingua cum audientis debet vita componi: vt tantò districtius in paupere elationem feriat, quantò eum nec illata paupertas inclinat: & tantò leuius humilitatem diuitum mulceat, quantò eos nec abundantia quæ subleuat exaltat. Nonnunquam etiam superbus diues exhortationis blandimento placandus est: quia & plerunque dura & vulnera per lenia fomenta mollescunt, & furor insanorum sæpe ad salutem medico blandiente reducitur. Cúmque eis in dulcedine condescenditur, languor insaniæ mitigatur. Neque enim negligenter intuendum est, quòd cùm Saūlem spiritus aduersus inuaderet, apprehensa Dauid cithara, eius vesaniam sedabat ac tēperabat. Quid enim per Saulem nisi elatio potentum, & quid per Dauid innuitur nisi humilis vita sanctorum? Cùm ergo Saul ab immundo spiritu arripitur, Dauid canente eius vesania temperatur: quia cùm sensus potentum per elationem in furorem vertitur, dignum est vt ad salutem mentis quasi ad dulcedinem citharæ, locutionis nostræ tranquillitate reuocētur. Aliquando autem cùm huius seculi potentes arguuntur, prius per quasdam similitudines velut de alieno negocio requirendi sunt. Et cùm rectam sententiam quasi in alterum protulerint, tunc modis congruentibus de proprio reatu feriendi sunt: vt mens temporali potentia tumida, contra corripientem nequaquam se erigat, quæ suo sibi iudicio superbiæ ceruicem calcat: & in nulla sui defensione se exerceat, quem sententia proprij oris ligat. Hinc est enim quòd Nathan propheta arguere regem venerat, & quasi de causa pauperis contra diuitem iudicium quærebat, vt prius rex sententiam diceret, & reatum suum postmodum audiret, quatenus nequaquam iustitiæ contradiceret, quam ipse in se protulisset. Vir itaque sanctus & peccatorem considerans, & regem miro ordine audacem, reum prius per confessionem ligare studuit, & postmodum per inuectionem secarē. Cęlauit paululùm quod quæsiuit, sed percussit repentè quem tenuit. Pigriùs enim fortasse incideret, si ab ipso sermonis exordio apertè culpam ferire voluisset, sed præmissa similitudine eam, quam occultabat exacuit increpationem. Ad ægrum medicus venerat, secandum vulnus videbat, sed de patientia ægri dubitabat. Abscōdit igitur ferrum medicinale sub veste, quod eductum subitò fixit in vulnere, vt secantem gladium sentiret æger antequam cerneret, ne si antè cerneret, sentire recusaret.

Eſaiæ.54. Ibidem. Eſaiæ.48. 1.Timot.6. Marci.14. † al.conſpiciunt. 2.Reg.12.

Admonitio IIII.

ALiter admonendi sunt læti atque aliter tristes. Lætis videlicet inferenda sunt tristia quæ sequūtur ex supplicio, tristibus verò inferenda sunt læta quæ promittuntur ex regno. Discant læti ex minarum asperitate quod timeant, audiant tristes præmiorum gaudia de quibus præsumant. Illis quippe dicitur: Væ vobis qui ridetis nunc, quoniam flebitis. Isti verò eodem magistro docente audiant: Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Nonnulli autem læti vel tristes non rebus fiunt, sed quibusdam conspersionibus existunt. Quibus profectò intimandum est quod quædam vitia quibusdam conspersionibus iuxtà sunt. Habent enim læti ex propinquo luxuriam, tristes iram. Vnde necesse est vt non solùm quisque consideret quod ex conspersione sustinet, sed etiam quod ex vicino deteriùs purget, ne dum nequaquam pugnat contra hoc quod tolerat, ei quoque à quo se liberum existimat, vitio succumbat.

Luca 6. Ibidem. 1.Reg.18. Coloſſ.4. Ibidem. Prouer.6. † al.fœdāt.

Ad.nonitio. V.

ALiter admonendi sunt subditi, atque aliter prælati. Illos ne subiectio conterat, istos ne locus superior extollat. Illi ne minùs quæ iubentur impleant, isti ne plùs iusto iubeant quæ compleantur. Illi vt humiliter subiaceant, isti quoque vt temperanter presint. Nam quod intelligi & figuraliter potest, illis dicitur: Filij obedite parentibus vestris in Domino. Istis verò præcipitur: Et, patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros. Illi discant quomodo ante occulti arbitri oculos sua interiora componant, isti quomodo etiam commissis sibi exempla bene viuendi exteriùs præbeant. Scire etenim prælati debent, quia si peruersa vnquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Vnde necesse est, vt tantò se cautius à culpa custodiant, quantò per praua quæ faciunt non soli moriuntur, sed aliorum animarum quas prauis exemplis destruxerunt, rei sunt. Vnde admonēdi sunt illi, ne districtius puniantur si absoluti reperiri nequeunt saltem de se: isti ne de subditorum erratibus iudicentur, etiam si se iam de se securos inueniunt. Illi vt tantò circa se sollicitiùs viuant, quantò eos aliena cura non implicat: isti verò vt sic aliorum curas expleant, quatenus & suas agere nō desistant, & sic in propria sollicitudine ferueant, vt à commissorum custodia minimè torpescāt. Illi enim sibimet vacanti dicitur: Vade ad formicam ô piger & considera vias eius, & disce ab ea sapientiam. Iste enim terribiliter admonetur, cùm dicitur: Fili mi si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, & illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus. Spōdere nanque pro amico, est alienam animam in periculo suæ conuersationis accipere. Vnde & apud extraneum manus defigitur: quia apud curam sollicitudinis quæ, antè deerat, mens ligatur. Verbis verò oris sui illaqueatus est, ac propriis sermonibus captus: quia dum commissis sibi cogitur bona dicere, ipsum priùs necesse est quæ dixerit custodire. Illaqueatur igitur verbis oris sui, dum ratione exigente constringitur, ne eius vita ad aliud quàm admonet relaxetur. Vnde apud districtum iudicem cogitur tanta in opere exoluere, quanta constat eum aliis voce præcepisse. Vbi & bene mox exhortatio subditur vt dicatur: Fac ergo quod dico fili mi, & temetipsum libera, quia incidisti in manus proximi tui, discurre, festina, suscita amicum tuū, ne dederis somnum oculis tuis, ne dormitent palpebræ tuæ. Quisquis enim ad viuēdum aliis in exemplum præponitur, non solùm ipse vt vigilet, sed etiam vt amicum suscitet admonetur. Ei nanque vigilare bene viuendo non sufficit, si non & illum cui præest, à peccati torpore disiungit. Bene autem dicitur: Ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Somnum quippe oculis dare, est intentione cessante subditorum curam omnino negligere. Palpebræ verò dormitant, cùm cogitationes nostræ ea quæ in subditis arguenda cognoscunt, pigredine deprimente dissimulant. Plenè enim dormire, est commissorum acta nec scire, nec corrigere. Non autem dormire, sed dormitare, est quæ quidem reprehendenda sunt cognoscere, sed tamen propter mentis tædium dignis ea increpationibus non emendare. Dormitando verò oculus ad plenissimum somnum ducitur: quia dum plerunque qui præest, malum quod cognoscit non resecat, ad hoc quandoque negligentiæ suæ merito peruenit, vt quod à subiectis delinquitur, nec agnoscat. Admonendi sunt itaque qui presunt, vt per circumspectionis studium oculos peruigiles intus & in circuitu habeant, & cœli animalia fieri contendant. Ostensa quippe cœli animalia in circuitu & intus oculis plena habentur, & sic describuntur. Dignum quippe est, vt cuncti qui præsunt, intus atque in circuitu oculos habeant, quatenus & interno iudici in semetipsis placere studeant, & exempla vitæ exteriùs præbentes, ea etiam quæ in aliis sunt corrigenda deprehendant. Admonendi sunt subditi ne præpositorum suorum vitam temerè iudicent, si quid eos fortasse agere deprehensibiliter vident: ne vnde mala rectè redarguunt, inde per elationis impulsum in profundiora mergantur. Admonendi sunt ne cùm culpas præpositorum considerant, contra eos audaciores fiant: sed sic si qua valde sunt eorum praua, apud semetipsos diiudicent, vt tamen diuino timore constricti, ferre sub eis iugum reuerentiæ non recusent. Quod meliùs ostendimus si, Dauid factum ad medium deducamus. Saul quippe persecutor cùm ad purgandum ventrem speluncam fuisset ingressus, illic cum viris suis Dauid inerat, qui iam tam longo tempore persecutionis eius mala tolerabat. Cúmque eum viri sui ad feriendum Saul accenderent, fregit eos responsionibus, quia manum mittere in Christum Domini non deberet. Qui tamē occultè surrexit, & oram chlamydis eius abscidit. Quid enim per Saul nisi mali rectores, quid per Dauid nisi boni subditi designantur? Saul igitur ventrē purgare, est prauos prępositos cōceptā in corde malitiam vsq; ad opera miseri odoris extendere, & cogitata apud se noxia factis exterioribus exequēdo mōstrare. Quem tamen Dauid ferire metuit, quia piæ subditorum mentes ab omni se peste obtrectationis abstinentes, prępositorū vitā nullo linguæ gladio percutiunt, etiā cùm de imperfectione reprehēdunt. Qui & si quando pro infirmitate sese abstinere vix possunt, vt extrema quædam atque exteriora præpositorum mala, sed tamen humiliter loquantur, quasi oram chlamydis silenter incēdunt: quia videlicet dum prælatæ dignitati saltem innoxiè & latenter derogant, quasi regis superpositi vestem † secant, sed tamen ad semetipsos redeunt, seque vehementissimè vel de tenuissima verbi laceratione reprehendunt. Vnde bene & illic scriptum est: Post hæc Dauid percussit cor suum, eò quòd abscidisset oram chlamydis

Ibidem. Ibidem. 2.quæſt.7. Admonendi.

Saül. Facta quippe præpositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam cùm rectè reprehendenda iudicantur. Si quando verò contra eos vel in minimis lingua labitur, necesse est vt per afflictionem pœnitentiæ cor prematur, quatenus ad semetipsum redeat, & cùm præpositæ potestati deliquerit, eius contra se iudicium à quo sibi prælata est perhorrescat. Nam cùm in præpositis delinquimus, eius ordinationi qui eos nobis prætulit obuiamus. Vnde Moyses quoque cùm contra se & Aaron conqueri populum cognouisset, ait: Nos enim quid sumus? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.

Admonitio VI.

ALiter admonendi sunt serui, atque aliter Domini. Serui scilicet vt in se semper humilitatem cõditionis aspiciant, Domini verò, vt naturæ suæ qua æqualiter sunt cum seruis conditi, memoriam non amittant. Serui admonendi sunt ne dominos despiciant, ne Deum offendant si ordinationi illius superbiendo contradicant. Domini quoq; admonendi sunt, quia contra Deum de munere eius superbiunt, si eos quos per conditionem tenent subditos, æquales sibi per naturæ consortium non cognoscant. Isti admonendi sunt vt sciant se seruos esse dominorum: illi admonendi sunt vt cognoscant se conseruos esse seruorum. Istis nanque dicitur: Serui obedite dominis carnalibus. Et rursum: Quicunque sunt sub iugo seruitutis, dominos suos omni honore dignos arbitrentur. Illis autem dicitur: Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas, scientes quòd & illorũ & vester Dominus est in cœlis.

Colossen.3. *1.Timot.6.*

Admonitio VII.

ALiter admonendi sunt sapientes huius seculi, atque aliter hebetes. Sapientes quippe, admonendi sunt, vt sciant amittere quæ sciunt. Hebetes quoque admonendi sunt, vt appetant scire quæ nesciunt. In illis hoc primum destruendum est quòd se sapientes arbitrantur: in istis iam ædificandum est quicquid de superna sapientia cognoscitur: quia dum minimè superbiunt, quasi ad suscipiendum ædificium corda parauerunt. Cum illis laborandum est, vt sapientiùs stulti fiant, stultam autem sapientiam deserant, & sapientem Dei stultitiam discant: istis verò prædicãdum est, vt ab ea quæ putatur stultitia, ad veram sapientiam viciniùs transeant. Illis nanque dicitur: Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat vt sit sapiens. Istis verò dicitur: Non multi sapientes secundum carnem. Et rursum: Quæ stulta sunt huius mundi elegit Deus, vt confundat sapientes. Illos plerunque ratiocinationis argumenta, istos nonnunquam melius exempla conuertunt. Illis nonnunquam prodest, vt in suis allegationibus victi iaceant: istis verò aliquando sufficit, vt laudabilia aliorum facta cognoscant. Vnde & magister egregius dicit: Sapientibus & insipientibus debitor sum, cũ Hebræorum quosdam sapientes, quosdam verò etiam tardiores admoneret, illis de completione testamenti veteris loquens, eorum sapientiam argumento superauit dicens: Quod enim antiquatur & senescit, prope interitum est. Cùm verò solis exemplis quosdam trahendos ad se cerneret, in eadem epistola adiunxit: Sancti ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Et rursum: Mementote præpositorum vestrorum qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuẽtes exitum conuersationis, imitamini fidem, quatenus & illos victrix ratio frangeret, & istos ad maiora conscendere imitatio blanda suaderet.

1.Corint.3. *1.Corint.1.* *Ibidem.* *Roma.1.* *Hebr.2.* *Ibidem.*

Admonitio VIII.

ALiter admonendi sunt impudentes, atque aliter verecundi. Illos nanque ab impudentiæ vitio non nisi increpatio dura compescit, istos autem plerunque ad melius exhortatio modesta componit. Illi se delinquere nesciunt, nisi etiam à pluribus increpentur: istis plerunque ad conuersionem sufficit, quòd eis doctor mala sua saltem leniter ad memoriam reducit. Illos melius corrigit qui inuehendo reprehendit: istis autem maior profectus adducitur, si hoc quod in eis reprehenditur, quasi ex latere tangatur. Impudentem quippe Iudæorum plebem Dominus apertè increpans ait: Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Et rursum verecundantem refouet dicens: Confusionis adolescentiæ tuæ obliuiscẽris, & opprobrij viduitatis tuæ non recordaberis, quia dominabitur tui qui fecit te. Impudenter quoque delinquentes Galatas apertè Paulus increpat dicens: O insensati Galatæ, quis vos fascinauit? Et rursum: Sic stulti estis vt cùm spiritu cœperitis, nunc carne consumamini? Culpas verò verecundantium quasi compatiens reprehendit dicens: Gaudeo fum in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando resloruistis pro me sentire sicut & sentiebatis, occupati enim eratis: Vt & illorum culpas increpatio dura detegeret, & horum negligentiam sermo mollior velaret.

Hiere.3. *Esaiæ.54.* *Galat.3.* *Ibidem.* *Ibidem.*

Admonitio IX.

ALiter admonendi sunt proterui, atq; aliter pusillanimes. Illi enim dum valde de se præsumunt, exprobrando cæteros dedignantur: isti autem dum nimis infirmitatis suæ sunt conscij, plerunque in desperationem cadunt. Illi singulariter summa æstimant cuncta quæ agunt, isti vehementer despecta putant esse quæ faciunt, & idcirco in desperatione frangunturSubtiliter itaque ab arguente discutienda sunt opera proteruorum, vt in quo sibi placent, ostendantur, quia Deo displicẽt. Tunc enim proteruos melius corrigimus, cùm ea quæ bene egisse se credunt, malè acta monstramus, vt vnde adepta creditur gloria, inde vtilis subsequatur confusio. Nonnunquam verò cùm se vitium proteruiæ minimè perpetrare cognoscunt, compendiosùs ad correctionem veniunt, si alterius culpæ manifestioris & ex latere requisitæ improperio cõfundantur: vt ex eo quod defendere nequeunt, cognoscant se tenere improbè quod defendunt. Vnde cum proteruè Paulus Corinthios aduersum se inuicem videret inflatos, vt alius Pauli, alius Apollo, alius Cephæ, alius Christi esse se diceret, incesti culpam in medium deduxit, quæ apud eos & perpetrata fuerat, & incorrecta remanebat, dicens: Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris quis habeat. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis vt tolleretur de medio vestrum qui hoc opus fecit, ac si apertè dicat: Quid vos per proteruiam huius vel illius dicitis, qui per dissolutionem negligẽtiæ nullius vos esse monstratis? At contrà pusillanimes aptiùs ad iter bene agendi reducimus, si quædam bona illorum ex latere requiramus, vt dum in eis alia reprehendendo corripimus, alia amplectẽdo laudemus, quatenus eorum teneritudinem laus audita nutriat, quam culpa increpita castigat. Plerunque autem vtiliùs apud illos proficimus, si & eorum bene gesta memoramus. Et siqua ab eis inordinatè gesta sunt, non iam tãquam perpetrata corripimus, sed quasi adhuc ne perpetrari debeant prohibemus: vt & illa quæ approbamus, illatus fauor augeat, & contra ea quæ reprehendimus, magis apud pusillanimes exhortatio verecunda conualescat. Vnde idem Paulus cùm Thessalonicenses in accepta prædicatione perdurãtes, quasi de vicino mũdi termino quadam cognosceret pusillanimitate turbatos, priùs in eis quæ fortia prospicit laudat, & cautè monẽdum postmodum quæ infirma sunt, roborat. Ait enim: Gratias agere debemus Deo semper pro vobis fratres, ita vt dignum est, quoniam supercrescit fides vestra & abundat charitas vniuscuiusque vestrum inuicem, ita vt & nosipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei pro patiẽtia vestra & fide. Et cùm blãda hæc vitæ eorum præconia præmisisset, paulò pòst subdidit dicens: Rogamus autem vos fratres per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostræ cõgregationis in idipsum, vt non citò moueamini à vestro sensu neq; terreamini, neque per spiritum, neq; per sermonem, neq; per Epistolam tãquam per nos missam, quasi instet dies Domini. Egit enĩ verus doctor vt priùs audirent laudati quod recognoscerent, & postmodum quod exhortati sequerentur: quatenus eorum mentem ne commotio subiuncta cõcuteret, laus præmissa solidaret, & qui commotos eos vicini finis suspicione cognouerat, non iam redarguebat motos, sed quasi transacta nesciens adhuc commoueri perhibebat: vt dum de ipsa lenitate monitionis prædicatori suo se cognitos crederent, tantò reprehensibiliores fieri, quantò & cognosci ab illo formidarent.

1.Corinthe.5. *Ibidem.* *2.Thessa.1.* *Ibidem.*

Admonitio X.

ALiter admonendi sunt impatientes, atque aliter patientes. Dicendum nanque est impatientibus, quia dum refrenare spiritum negligunt, per multa etiam quæ non appetunt,

tunt, iniquitatum abrupta rapiuntur: quia videlicet mentem impellit furor quò non trahit desiderium, & agit commota velut nesciens vnde pòst doleat sciens. Dicendum quoque est impatientibus, quia dũ motionis impulsu præcipites, quędam velut alienati peragunt, vix mala sua postquam fuerint perpetrata cognoscũt. Qui dũ perturbationi suę minimè obsistunt, etiam si qua à se tranquilla mente fuerant bene gesta confundunt, & improuiso impulsu destruũt quicquid forsitan diu labore prouido construxerunt. Ipsa nanque quę mater est omnium custósque virtutũ, per impatientiæ vitiũ virtus amittitur charitatis. Scriptum quippe est: Charitas patiens est. Igitur cùm minimè est patiens, charitas non est. Per hoc quoque impatiẽtiæ vitium ipsa virtutũ nutrix doctrina dissipatur. Scriptũ nanq; est: Doctrina viri per patientiam noscitur. Tantò ergo quisq; minus ostẽditur doctus, quãtò minus conuincitur patiens. Neq; enim potest veraciter bona docẽdo impendere, si viuẽdo nescit æquanimiter aliena mala tolerare. Per hoc quoq; impatientię vitiũ plerunque mentem arrogantiæ culpa trãsfigit: quia dum despici in mũdo hoc quisque nõ patitur, bona siqua sibi occulta sunt, ostẽtare conatur, atque sic per impatientiã vsque ad arrogãtiam ducitur. Dúmque ferre despectionẽ non potest, detegendo semetipsum in ostentatione gloriatur. Vnde scriptum est: Melior est patiẽs arrogante. Quia videlicet eligit patiẽs quęlibet mala perpeti, quàm per ostentationis vitium bona sua occulta cognosci. At contrà eligit arrogans bona de se vel falsa iactari, ne mala posit vel minima perpeti. Quia igitur cùm patiẽtia relinquitur, etiam bona reliqua quæ iam gesta sunt destruuntur, rectè ad Ezechielem in altari Dei fieri fossa præcipitur, vt in ea videlicet superposita holocausta seruentur. Si enim in altari fossa non esset, omne quod in eo sacrificium reperiret, superueniens aura dispergeret. Quid verò accipimus altare Dei nisi animam iusti, quæ quot bona egerit, tot super se antè eius oculos sacrificia imponit? Quid enim est altaris fossa nisi bonorum patientia, quæ dum mentem ad aduersa, toleranda humiliat, quasi more fossæ hanc in imo positam demonstrat? Fossa ergo in altari fiat, ne superpositum sacrificium aura dispergat, id est, electorum mens patientiam custodiat, ne cõmota vento impatientiæ, & hoc quod bene operata est amittat. Bene autem hæc eadem fossa vnius cubiti esse memoratur: quia nimirum si patientia non deseritur, vnitatis mensura seruatur. Vnde & Paulus ait: Inuicem onera vestra portare, & sic adimplebitis legẽ Christi Lex quippe Christi est charitas vnitatis, quam soli perficiunt, qui nec cùm grauantur excedunt. Audiant impatientes quod scriptum est in prouerbiis: Melior est vir patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium. Minor enim est victoria vrbium, quia extrà sunt quæ subiugantur. Valde autem maius est quod per patientiam vincitur: quia ipse à se animus superatur, & is semetipsum sibimetipsi subiicit, quando eum patientia intra se frenari compellit. Audiant impatientes quod electis suis veritas dicat: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Sic enim conditi mirabiliter sumus, vt ratio animam, & anima possideat corpus. Ius verò animæ à corporis possessione repellitur, si non prius anima à ratione possidetur. Custodem igitur conditionis nostræ patientiam Dominus esse monstrauit: quia in ipsa nos possidere nosmetipsos docuit. Quanta ergo sit impatientiæ culpa cognoscimus, per quam & hoc ipsum amittimus. Audiant impatientes quod per Salomonem rursum dicitur: Totum spiritum suum profert stultus, sapiens autem differt & reseruat in posterum. Impatientia quippe impellente agitur, vt totus foras spiritus proferatur, quem idcirco perturbatio citius eiicit, quia nulla interius disciplina sapientiæ circũcludit. Sapiens autem differt & reseruat in posterum. Læsus enim in præsenti se vlcisci non desiderat, qui etiam tolerans parci optat, sed tamen iustè vindicari omnia extremo iudicio non ignorat. At contrà admonendi sunt patientes, in eo quod exterius portant interius doleant: ne tantæ virtutis sacrificium quod integrum foràs immolant, intus malitiæ peste corrumpant, & cùm ab hominibus nõ agnoscitur, sed tamen sub diuina examinatione peccatur, tantò deterior culpa doloris fiat, quantò sibi ante homines virtutis speciem vendicat. Dicendum

1.Corin.13. *Proner.19.* *Eccle.7.* *Gala.5.* *Proner.16.* *Lucæ 21.* *Proner.29.*

itaque est patientibus vt studeant diligere quos sibi necesse est tolerare, ne si patientiam dilectio non sequatur, in deteriorem culpam odij virtus ostensa vertatur. Vnde Paulus cùm diceret: Charitas patiens est, illico adiunxit: Benigna est, videlicet ostendens, quia quos ex patientia tolerat, amare etiam ex benignitatẽ non cessat. Vnde idem doctor egregius cùm patientiam discipulis suaderet dicens: Omnis amaritudo, & ira & indignatio, & clamor, & blasphemia auferatur à vobis cùm omni malitia, quasi cunctis exterius iam bene compositis, ad interiora conuertitur, dum subiungit: Cum omni malitia. Quia nimirum frustra indignatio, clamor & blasphemia ab exterioribus tollitur, si in interioribus vitiorum mater malitia dominatur. Et in cassum foràs nequitia ex ramis inciditur, si surreptura multiplicius intus in radice seruatur. Vnde & per semetipsam veritas quoque dicit: Diligite inimicos vestros, & benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Virtus itaque est coram hominibus, aduersarios tolerare, sed virtus coram Deo diligere: quia hoc solùm Deus sacrificium accepit, quod quidem ante eius oculos in altari boni operis flamma charitatis incendit. Hinc est quòd rursum quibusdam patientibus nec tamen diligentibus dicit: Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Perturbatio quippe impatiẽtiæ festuca est, malitia verò in corde, trabes in oculo. Illam nanque aura tentationis agitat, hanc autem consummata nequitia penè immobiliter portat. Rectè verò illic subiungitur: Hypocrita eiice primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui: ac si dicatur menti iniquæ interius dolenti, & sanctam se exterius per patientiam demonstranti, prius à te molem malitiæ excute, & tunc alios de impatientiæ leuitate reprehende: ne dum non studes simulationem vincere, peius tibi sit aliena prauа tolerare. Euenire etiam plerunque patientibus solet, vt eo quidem tempore quo vel aduersa patiuntur, vel contumelias audiunt, nullo dolore pulsentur, & sic patientiam exhibeant, vt custodire etiam cordis innocentiam non omittant: sed cùm post paululum hæc ipsa quæ pertulerunt ad memoriam reuocant, igne se doloris inflammant, argumenta vltionis inquirunt, & mansuetudinem quam tolerantes habuerunt, retractantes in malitiam vertunt. Quibus citius à prædicatione succurritur, si quæ sit huius permutationis causa pandatur. Callidus nanque aduersarius bellum contra duos mouet, vnum videlicet inflammans vt contumelias prior inferat, alterum prouocans vt cõtumelias læsus reddat. Sed plerunque dum iam huius victor est qui iniuriam persuasus irrogat, ab illo vincitur qui illatam contumeliam sibi æquanimiter portat. Vnius ergo victor quẽ commouendo subiugauit, tota contra alterum virtute se erigit, eúmque obsistentem fortiter & vincentem dolet, quem quia commouere in ipsa contumeliarum iaculatione non potuit, ab aperto certamine interim quiescens, & secreta suggestione cogitationem lacessens, aptum tempus deceptionis inquirit. Quia enim publico bello victoriam perdidit, ad exercendas occultè insidias exardescit. Quietis nanque tempore iam ad victoris animũ redit, & vel rerum damna aut iniuriarũ iacula ad memoriam reducit, cunctaque, quæ sibi illata sunt, vehementer exaggerans intolerabilia ostendit. Tantóque mentem mœrore conturbat, vt plerunque vir patiens illa se æquanimiter tolerasse post victoriam capiuus erubescat, séque non reddidisse contumelias doleat, & deteriora reponere si occasio præbeatur, quærat. Quibus ergo isti similes sunt, nisi his qui per fortitudinem in campo victores sunt, sed per negligẽtiam postmodum intra vrbis claustra capiuntur? Quibus sunt similes, nisi iis quos irruens grauis languor à vita non subtrahit, sed leuiter veniens recidiua febris occidit? Admonendi sunt igitur patientes, vt corpus victoria muniant, vt hostem publico bello superatum insidiari mœniis mentis intendant, & languorem plus repentem timeant, ne hostis callidus eò in deceptione postmodum maiori exultatione gaudeat, quò illa diudum contra se rigida colla victorum calcat.

1.Cor.13. *Ephes.4.* *Ibidem.* *Matth.5.* *Matth.7.* *& Luc.6.* *Ibidem.*

Admonitio XI.

ALiter admonendi sunt beneuoli, atque aliter inuidi. Admonendi nanque sunt beneuoli, vt sic alienis bonis con-

gaudeant, quatenus habere & propria concupiscant. Sic proximorum facta diligendo laudent, vt ea etiam imitando multiplicent: ne si in hoc præsentis vitæ stadio ad certamen alienum deuoti fautores sed pigri spectatores assistāt, eò post certamen sine brauio remaneat; quò nunc in certamine non laborant, & tunc eorum palmas afflicti respiciāt, in quorum nunc laboribus otiosi perdurāt. Valde quippe peccamus, si aliena bene gesta non diligimus. Sed nihil mercedis agimus, si ea quę diligimus, inquantū possumus non imitamur. Dicendum itaque est beneuolis, quia si imitari bona minimè festinent, quæ laudantes approbant, sic eis virtutum sanctitas sicut stultis spectatoribus ludicrarum artium vanitas placet. Illi nanque aurigarum & histrionum gesta fauoribus efferunt, nec tamen tales esse desiderant, quales illos conspiciunt esse quos laudant, mirantur eos placita egisse, sed tamen deuitant similiter placere. Dicendum est beneuolis vt cùm proximorum facta cōspiciunt, ad suum cor redeant, & de alienis actibus non præsumant, ne bona laudent & agere recusent. Grauius quippe extrema vltione feriendi sunt, quibus placuit quod imitari noluerunt. Admonendi sunt inuidi vt perpendant quantæ cæcitatis sunt, qui alieno profectu deficiunt, aliena exaltatione contabescunt. Quantæ felicitatis sunt qui melioratione proximi deteriores fiunt, dúmque augmenta alienæ prosperitatis aspiciunt, apud semetipsos anxij afflicti cordis sui peste moriuntur? Quid istis infelicius, quos dum conspecta felicitas afficit, pœna nequiores reddit? Aliorum verò bona quæ habere non possunt, si diligerent, sua facerēt. Sic quippe sunt vniuersi consistentes in fide sicut multa mēbra vno cōtinentur in corpore, quæ per officium quidem diuersa sunt, sed eo quo sibi vicissim congruunt, vnum fiunt. Vnde fit vt pes per oculum videat, & per pedes oculi gradiantur, ori auditus aurium seruiat, & ad vsum suum auribus oris lingua concurrat, suffragetur venter manibus, ventri operentur manus. In ipsa igitur corporis positione accipimus, quod in actione seruemus. Nimis itaque turpe est non imitari quod sumus. Nostra sunt nimirum, quia etsi imitari non possumus, amamus in aliis, & amantium fiunt quæque amantur in nobis. Hinc ergo pēsent inuidi, charitas quantæ virtutis est, quæ alieni quoque laboris opera nostra facit sine labore. Dicendum itaque est inuidis, quia dum se à liuore minimè custodiunt, in antiquam versuti hostis nequitiam demerguntur. *Sapien.2.* De illo nanque scriptum est: Inuidia autem diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Quia enim ipse malignus spiritus aduersarius noster cœlum perdidit, condito ad hoc homini inuidit, & damnationem suam perditus adhuc alios perdendo cumulauit. Admonendi sunt inuidi, vt cognoscant quantis lapsibus succrescentis ruinæ subiaceant: quia dum liuorem à corde non proiiciunt, ad apertas operum nequitias deuoluuntur. Nisi enim Cain inuidisset fratris acceptam hostiam, minimè peruenisset ad extinguendam vitam. *Gene.4.* Vnde scriptum est: Respexit Dominus ad Abel & ad *Ibidem.* munera eius, ad Cain verò & ad munera eius non respexit. Iratúsque est Cain vehementer, & concidit vultus eius. Liuor itaque sacrificij fratricidij seminarium fuit. Nam quem meliorem se esse doluit, ne vtcunque esset amputauit. Dicēdum est inuidis, quia dum se ista intrinsecus peste consumūt, etiam quicquid in se aliud boni habere videntur interimunt. *Prouer.14.* Vnde scriptum est: Vita carnium sanitas cordis, putredo ossium inuidia. Quid enim per carnes nisi infirma quædam ac tenera, & quid per ossa nisi fortia acta signantur? Et plerunque contingit vt quidam cùm cordis innocentia in nonullis suis actibus infirmi videātur, quidam verò iam quædam ante humanos oculos robusta exerceant, sed tamen erga aliorum bona intus inuidiæ pestilentia tabescant. Bene ergo dicitur: Vita carnium sanitas cordis: quia si mentis innocentia custoditur, etiam si qua foris infirma sunt quandoque roborantur. Et rectè illic subditur, Putredo ossium inuidia, quia per liuoris vitium ante Dei oculos pereunt etiam quæ humanis oculis fortia videntur. Ossa quippe per inuidiam putrescere, est quædam etiam robusta deperire.

Admonitio XII.

Aliter admonendi sunt simplices, atque aliter impuri. Laudandi sunt simplices quòd studeant nunquam falsa dicere, sed admonendi sunt vt nouerint nonnunquam vera reticere. Sicut enim semper dicentem falsitas læsit, ita nonnūquam quibusdam audita veritas nocuit. Vnde coram discipulis Dominus locutionem suam silentio tēperans ait: Multa habeo vobis dicere, sed nunc non potestis illa portare. *Ioan.16.* Admonendi sunt igitur simplices vt sicut fallaciam semper vtiliter vitant, ita veritatem semper vtiliter proferant. Admonēdi sunt, vt simplicitatis bono prudentiam adiungant, quatenus sic securitatem de simplicitate possideant, vt circunspectionem prudentiæ non amittant. Hinc nanque per doctorē gentium dicitur: Volo vos sapientes esse in bono, simplices autem in malo. Hinc electos suos per semetipsam veritas ad- *Roma.16.* monet dicens: Estōte prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Quia videlicet in electorum cordibus debet & simplicitatem columbæ astutia serpentis acuere, & serpen- *Matth.10.* tis astutiam columbæ simplicitas temperare, quatenus nec seducti per prudentiam calleant, nec ab intellectus studio ex simplicitate torpescant. At contrà admonendi sunt impuri, vt quàm grauis sit quem cum culpa sustinent duplicitatis laborem agnoscant: dum enim deprehendi metuunt, semper improbas defensiones quærunt, semper pauidis suspicionibus agitantur. Nihil autem est ad defendendum puritate tutius, nihil ad dicendum veritate facilius. Nam dum falsitatē suam tueri conātur, duro cor labore fatigatur. Hinc nanque scriptum est: Labor labiorum suorum operiet eos. Qui enim *Psalm.139.* nunc implet tunc operiet: quia cuius nunc animum per blandam inquietudinem erexit, tunc per asperam retributionem premit. Hinc per Hieremiam dicitur: Docuerunt linguā suā *Hiere.9.* loqui mendacium, vt iniquè agerent laborauerunt: ac si apertè diceretur: Qui amici esse veritatis potuerunt sine labore, vt peccent laborant: cúmque viuere simpliciter renuunt, laboribus exigunt vt moriantur. Nam plerunque in culpa deprehensi, dum quales sint cognosci refugiūt, sese sub fallaciæ velamine abscondunt, & hoc quod peccant, quódque iam apertè cernitur, excusare moliuntur, ita vt sæpe is qui eorum culpas & corripere studet, asperse falsitatis nebulis seductus, penè amisisse se videat quod de eis iam certū tenebat. Vnde *Esaiæ 34.* rectè sub Iudææ specie per Prophetam contra peccantem animam excusantémque se, dicitur: Ibi habuit foueam hericiꝰ. Hericij quippe nomine impuræ mentis seséque callidè defendentis duplicitas designatur: quia videlicet hericius cum apprehenditur: & caput eius cernitur, & pedes videntur, & corpus omne conspicitur, sed mox vt apprehensus fuerit, semetipsum in sphæram colligit, & pedes introrsus subtrahit, caput abscondit, & intra tenentis manus totus simul amittitur, qui totus simul antè videbatur. Sic nimirum sic impuræ mentes sunt, cùm in suis excessibus comprehenduntur. Caput enim hericij cernitur: quia quo initio ad culpam peccator accesserit videtur. Pedes hericij conspiciuntur: quia quibus vestigiis nequitia sit perpetrata cognoscitur: & tamen adductis repētè excusationibus impura mens introrsus pedes colligit: quia cuncta iniquitatis suæ vestigia abscondit. Caput subtrahit, quia miris defensionibus nec inchoasse se malum aliquod ostendit. Et quasi sphæra in manu tenentis remanet: quia is qui corripit, cuncta quæ iam cognouerat, subitò amittens inuolutum intra conscientiam peccatorem tenet, & qui totum iam deprehendendo viderat, tergiuersatione prauæ defensionis illusus totum pariter ignorat. Foueam ergo habet hericius in reprobis, quia malitiosæ mentis duplicitas sese intra se colligens abscondit in tenebris defensionis. Audiant impuri quod scriptum est: Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. *Prouer.10.* Fiducia quippe magnæ securitatis, est simplicitas actionis. Audiant quod sapientis ore dicitur: Spiritus sanctus disciplinę effugiet fictū. *Sapien.1.* Audiant quod scriptura rursum testatur: Cum simplicibus sermocinatio eius. *Prouer.3.* Deo enim sermocinari, est per illustrationem suæ præsentiæ humanis mentibus arcana reuelare. Cum simplicibus igitur sermocinari dicitur: quia de supernis mysteriis illorum mentes radio suæ visitationis illuminat, quos nulla vmbra duplicitatis obscurat. Est enim speciale duplicium malum: quia dū peruersa & duplici actione cæteros fallūt, quasi præstantius cæteris prudētes se esse gloriātur. Et quia districtionem retributionis nō considerāt, de damnis suis miseri exultant.

tant. Audiant autem quomodo super illos propheta Sopho- *Soph.1.* nias vim diuinæ animaduersionis intendat dicens: Ecce dies Domini venit magnus, & horribilis dies illa dies iræ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris super omnes ciuitates munitas, & super omnes angulos excelsos. Quid enim per ciuitates munitas exprimitur, nisi suspectæ mentes & fallaci semper defensione circundatæ, quæ quoties earum culpa corripitur, veritatis ad se iacula non admittunt? Et quid per excelsos angulos, nisi duplicitas impuræ mentis intelligitur? Duplex quippe semper est in angulis paries. Quid per angulos parietis nisi impura corda signantur? Quæ dum veritatis simplicitatem fugiunt; ad semetipsa quodammodo duplicitatis peruersitate replicantur. Et quod est deterius, apud cogitationes suas in fastu prudentiæ ex ipsa se culpa impuritatis extollunt. Dies igitur Domini vindictæ atque animaduersionis plena super ciuitates munitas & super excelsos angulos venit, quia ita extremi iudicij humana corda & defensionibus contra veritatem clausa destruit, & duplicitatibus inuoluta dissoluit. Tunc enim munitæ ciuitates cadunt, quia mentes Deo suspectæ damnantur. Tunc excelsi anguli corruunt: quia corda quæ se per impuritatis prudentiam erigunt, per iustitiæ sententiam prosternuntur.

Admonitio XIII.

Aliter admonendi sunt incolumes, atque aliter ægri. Admonendi sunt incolumes vt salutem corporis exerceant ad salutem mentis: ne si acceptæ incolumitatis gratiam ad vsum nequitiæ inclinant, dono deteriores fiant, & eò postmodum supplicia grauiora mereantur, quò nunc largioribus bonis Dei malè vti non metuunt. Admonendi sunt incolumes, ne opportunitatem salutis in perpetuum promerendæ de- *2.Corin.6.* spiciant. Scriptum nanque est: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Admonendi sunt ne placere Deo si cùm possunt noluerint, cùm voluerint serò non possint. Hinc est enim quòd eos pòst sapientia deserit, quos prius *Prouer.1.* diutius renuentes vocauit, dicens: Vocaui & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo *Ibidem.* cùm vobis quod timebatis aduenerit. Et rursum: Tunc inuocabunt me, & non exaudiam, manè consurgent, & non inuenient me. Salus itaque corporis quando ad bene operandum accepta despicitur, quanti sit muneris amissa sentitur. Et infructuosè ad vltimum quæritur quæ congruò concessa tempore vtiliter non habetur. Vnde bene per Salomonem *Prouer.5.* rursum dicitur: Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli, ne fortè impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena, & gemas in nouissimis quando consumpseris carnem & corpus tuum. Qui nanque alieni à nobis sunt, nisi maligni spiritus, qui à cœlestis sunt patriæ sorte separati? Quis verò honor noster est, nisi quia in luteis corporibus conditi ad conditoris tamen nostri sumus imaginem & similitudinem creati? Vel quis alius crudelis est, nisi ille angelus apostata, qui & semetipsum pœna mortis superbiendo perculit, & inferre mortem humano generi etiam perditus non pepercit? Honorem itaque suum alienis dat, qui ad Dei imaginem & similitudinem conditus, vitæ suæ tempora malignorum spirituum voluntatibus administrat. Annos etiam suos crudeli tradit, qui ad voluntatem malè do- *Ibidem.* minantis aduersarij accepta viuendi spatia expendit. Vbi bene subditur: Ne fortè impleantur extranei viribus tuis & labores tui sint in domo aliena. Quisquis enim per acceptam valetudinem corporis, per tributam sibi sapientiam mentis non exercendis virtutibus, sed perpetrandis vitiis elaborat, nequaquam suis viribus suam domum, sed extraneorū habitacula, id est, immundorum spirituum facta multiplicat, nimirum vel luxuriando, vel superbiēdo agens vt etiam se ad- *Ibidem.* dito perditorum numerus crescat. Bene autem subditur: Et gemas in nouissimis quando consumpseris carnem & corpus tuum. Plerunque accepta salus carnis per vitia expenditur, sed cùm repēte subtrahitur, cùm molestiis caro atteritur, cùm iam egredi anima vrgetur, diu malè habita quasi ad bene viuendum salus amissa requiritur. Et tunc gemunt homines quod Deo seruire noluerunt, quando damna negligentiæ suæ recuperare seruiendo nequaquam possunt. Vnde aliàs di- *Psalm.77.* citur: Cùm occideret eos, tunc requirebant eam. At contrà admonendi sunt ægri, vt eò se filios Dei sentiant quò illos disciplinæ flagella castigant. Nisi enim correctis hæreditatem dare disponeret, erudire eos per molestias non curaret. Hinc nanque ad Ioannem Dominus per angelum dicit: Ego quos *Apoc.3.* amo arguo & castigo. Hinc rursum scriptum est: Fili mi noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris cùm ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus castigat, flagellat autem *Heb.12.* omnem filium quem recipit. Hinc Psalmista ait: Multæ tribu- *Psalm.33.* lationes iustorum, & de omnibus his liberauit eos Dominus. Hinc quoque beatus Iob in dolore exclamans ait: Si iustus *Iob.10.* fuero non leuabo caput, saturatus afflictione & miseria. Dicendum est ægris, vt si cœlestem patriam suam esse credunt, necessariò in hac labores velut in aliena patiantur. Hinc est enim quòd lapides extra tunsi sunt, vt in constructione templi Domini absque mallei sonitu ponerentur: quia videlicet nunc foris per flagella tūdimur, vt intus in templum Dei postmodum sine disciplinæ percussione disponamur: quatenus quicquid in nobis est superfluum, modò percussio resecet & tunc sola nos in ædificio concordia charitatis liget. Admonēdi sunt ægri, vt considerent pro percipiendis terrenis hæreditatibus, quomodo dura carnales filios disciplinæ flagella castigent. Quæ ergo nobis diuinę correptionis pœna grauis est, per quem & nunquam amittēda hæreditas percipitur, & semper mansura supplicia vitantur? Hinc etenim Paulus ait: Pa- *Heb.12.* tres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, & reuerebamur eos, nónne multo magis obtemperabimus patri spirituū & viuemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum secundum voluntatem suam erudiebant nos: hic autem ad id quod vtile est in recipiendo sanctificationem eius. Admonēdi sunt ægri, vt considerent quanta salus cordis sit molestia corporalis, quæ ad cognitionem sui mētem reuocat, & quam plerunque salus abiicit, infirmitatis memoria reformat: vt animus qui extra se in elationem ducitur, cui sit conditioni subditus, ex percussa quam sustinet carne memoretur. Quod rectè per Balaam, si tamen vocem Dei subsequi obediendo voluisset, in ipsa eius itineris retardatione signatur. Balaam nanque vt perueniret ad propositum tendit, sed eius votum animal cui præsedit, præpedit. Prohibitione quippe immorata asina angelum videt, quem humana mens non videt: quia plerunque caro per molestias tarda flagello suo menti Deum indicat, quem mens ipsa carni præsidens non videbat: ita vt anxietatem spiritus proficere in hoc mundo cupientis, velut iter tendentis impediat, donec ei inuisibilem qui sibi obuiat innotescat. Vnde bene per Petrum dicitur: Correptionem habuit *2.Pet.2.* suæ vesaniæ subiugalem mutum, quod in hominis voce loquens prohibuit prophetæ insipientiam. Insanus quippe homo à subiugali muto corripitur, quādo elata mens humilitatis bonum quod tenere debeat ab afflicta carne memoratur. Sed huius correptionis domum idcirco Balaam nō obtinuit, quia ad maledicendum pergens vocem non mentem mutauit. Admonendi sunt ægri, vt considerent quanti sit muneris molestia corporalis, quæ & admissa peccata diluit, & ea quæ admitti poterant compescit, quæ sumpta ab exterioribus plagis, concussæ menti pœnitentiæ vulnera infligit. Vnde scriptum *Prouer.20.* est: Liuor vulneris abstergit mala, & plagæ in secretioribus ventris. Mala enim liuor vulneris abstergit, quia flagellorum dolor vel cogitatas, vel perpetratas nequitias diluit. Solet verò ventris appellatione mens plerunque accipi; quia sicut venter consumit escas, ita mens pertractando excoquit curas. Quia enim venter mens dicitur, ea sententia docetur qua scriptum est: Lucerna Domini spiraculum hominis, qui inue- *Ibidem.* stigat omnia secreta vētris, ac si diceret: Diuini afflatus illuminatio cùm in mētem hominis venerit, eam sibimetipsi illuminās ostēdit, quæ ante spiritus sancti aduentū cogitationes prauas & portare poterat, & pēsare nesciebat. Liuor ergo vulneris abstergit mala, & plagę in secretioribus ventris: quia dū exterius percutimur, ad peccatorū nostrorum memoriam taciti afflictiq; reuocamur, atque ante oculos nostros cuncta quæ à nobis sunt malè gesta reducimus, & per hoc quod foris patimur, magis intꝰ quod fecimus dolemꝰ. Vnde fit vt inter aper-

ta vulnera corporis ampliùs nos abluat plaga secreta ventris: quia sanat nequitias praui operis occultum vulnus doloris. Admonendi sunt ægri, quatenus patientiæ virtutem seruent, vt incessanter quanta redemptor noster ab his quos creauerat pertulit mala considerent: quòd tot obiecta conuitiorum probra sustinuit: quòd de manu antiqui hostis captiuorum animas quotidie rapiens insultantium alapas accepit: quòd aqua salutis nos diluens, à perfidorum sputis faciem non abscondit: quòd vocatione suà nos ab æternis suppliciis liberans tacitus flagella tolerauit: quòd inter angelorum choros perennes nobis honores tribuens, colaphos pertulit: quòd à peccatorum nos punctionibus saluans, spinis caput supponere non recusauit: quòd æterna nos dulcedine debrians, in siti sua fellis amaritudinem accepit: quòd pro nobis patrem quanuis diuinitate esset æqualis adorauit, sub irrisione adoratus tacuit: quòd vitam mortuis præparans, vsque ad mortem ipse vita peruenit. Cur itaque asperum creditur vt à Deo homo toleret flagella pro malis, si tanta Deus ab hominibus pertulit mala pro bonis? Aut quis sana intelligentia de percussione sua ingratus existit, si ipse hinc sine flagello non exiit, qui hîc sine peccato vixit?

Admonitio XIIII.

ALiter admonẽdi sunt, qui flagella metuũt, & propter ea innocenter viuunt, atque aliter admonendi sunt qui sic in iniquitate duruerunt, vt neque per flagella corrigantur. Dicendum nanque est flagella timentibus, vt & bona temporalia nequaquam pro magno desiderent, quæ adesse etiam prauis vident, & mala præsentia nequaquam velut intolerabilia fugiant, quibus hîc plerunque etiam bonos affici non ignorant. Admonendi sunt qui flagella metuunt, vt si malis veraciter carere desiderant, æterna supplicia perhorrescant, neque in hoc suppliciorum timore permaneant, sed ad amoris gratiam nutrimento charitatis excrescant. Scriptum quippe est: Perfecta charitas foras mittit timorem. Et rursum scriptum est: Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus abba pater. Vnde idem doctor iterum dicit: Vbi spiritus Domini, ibi libertas. Si ergo adhuc à praua actione formidata pœna prohibet, profectò formidantis animum nulla spiritus libertas tenet. Nam si pœnam non metueret, culpam proculdubio perpetraret. Ignorat itaque mens gratiam libertatis, quam ligat seruitus timoris. Bona enim pro semetipsis amãda sunt, & non pœnis compellentibus exequenda. Nam qui propterea bonum facit, quia tormentorum mala metuit, vult non esse quod metuat, vt audacter illicita committat. Vnde luce clariùs constat, quòd coram Deo innocentia amittitur, ante cuius oculos desiderio peccatur: At contra hi, quos ab iniquitatibus nec flagella compescunt, tantò acriori inuectione feriendi sunt, quantò maiore insensibilitate duruerunt. Plerunque enim sine dedignatione dedignandi sunt, sine desperatione desperandi, ita duntaxat vt & ostensa desperatio formidinem incutiat, & subiuncta admonitio ad spem reducat. Districtæ itaque contra illos diuinæ sententiæ proferendæ sunt, vt ad cognitionem sui considerata æterna animaduersione reuocentur. Audiant enim in se impletum esse quod scriptum est: Si contuderis stultum in pila, quasi ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia eius. Contra hos propheta Domino conqueritur, dicens: Attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam. Hinc est quod Dominus dicit: Interfeci & perdidi populum istũ, & tamen à vitiis suis non sunt reuersi. Hinc rursum ait: Populus non est reuersus ad percutientem se. Hinc voce flagellantium propheta Hieremias conqueritur, dicens: Curauimus Babylonem, & non est sanata. Babylon quippe curatur, nec tamen ad sanitatem reducitur, quando mens in praua actione confusa verba correctionis audit, flagella correptionis percipit, & tamen ad recta salutis itinera redire contemnit. Hinc captiuo populo Israëlitico, nec tamen ab iniquitate conuerso Dominus exprobrat dicens: Versa est mihi domus Israël in scoriam, omnes isti facti sunt mihi æs, & stannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis: ac si apertè dicat: Purgare eos per ignem tribulationis volui, & argentũ illos vel aurum fieri quæsiui, sed in fornace mihi æs, stannum, & ferrum, & plumbum versi sunt: quia non ad virtutem, sed ad vitia etiam in tribulatione proruperunt. Aes quippe dum percutitur, amplius metallis cæteris sonitum reddit. Qui igitur in percussione positus erumpit ad sonitum murmurationis, in æs versus est in medio fornacis. Stannum verò cùm ex arte componitur, argenti speciem mentitur. Qui verò simulationis vitio nõ carẽt in tribulatione, stannum factus est in fornace. Ferro autem vtitur, qui vitæ proximi insidiatur. Ferrum itaque in fornace est, qui nocendi malitiam nõ amittit in tribulatione. Plumbum quoq; cæteris metallis est grauius. In fornace ergo plumbum inuenitur, qui sic peccati sui pondere premitur, vt etiam in tribulatione positus à terrenis desideriis nõ leuetur. Hinc rursum scriptum est: Multo labore sudatum est, & non exiuit de ea nimia rubigo eius neq; per ignem. Ignẽ quippe nobis tribulationis admouet, vt in nobis rubiginem vitiorũ purget, sed nec per ignem rubiginem amittimus, quãdo & inter flagella vitio nõ carem'. Hinc Propheta iterũ dicit: Frustra conflauit conflator, malitiæ eorum sunt cõsumptæ. Sciendum verò est, quòd nonnunquam cùm inter flagellorũ duritiam remaneãt incorrecti, dulci sunt admonitone mulcendi. Quos enim cruciamenta nõ corrigunt, nonnunquam ab iniquis actionibus lenita blandimenta compescunt. Quia & plerunque ægros quos fortis pigmentorũ potio curare non valuit, ad salutem pristinam tepẽs aqua reuocauit, & nonnulla vulnera quæ curari incisione nequeunt, fomentis olei sanantur. Et durus adamas incisionem ferri minimè recipit, sed leni hircorum sanguine mollescit.

Admonitio XV.

ALiter admonendi sunt nimis taciti, atque aliter multiloquio vacantes. Insinuari nãque nimis tacitis debet, quia dum quædam vitia incautè fugiunt, occultè deterioribus implicantur. Nam sæpe linguam quia immoderatius premũt, in corde grauius multiloquium tolerant, vt eò plus cogitationes in mente ferueant, quò illas violenta custodia indiscreti silentij angustat. Quæ plerunque tantò latius quoque diffluũt, quantò se esse securius æstimant, quia foris à reprehensoribus non videntur. Vnde nonnunquam mens in superbiam tollitur, & quos loquentes audit, quasi infirmos despicit. Cúmque os corporis claudit, quantum se vitiis superbiendo aperiat non cognoscit. Linguam etenim premit, mẽtem eleuat. Et cùm suam malitiam atque nequitiam minimè considerat, tantò apud se cunctos liberius, quãtò & secretius accusat. Admonendi sunt igitur nimis taciti, vt scire solicitè studeant, non solùm quales exterius ostendere, sed etiam quales se debeant interiùs exhibere: vt plùs ex cogitationibus occultum iudicium, quàm ex sermonibus reprehensionem metuant proximorum. Vnde per Salomonem quoque scriptum est: Fili mi attende sapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam, vt custodias cogitationes. Nihil quippe in nobis est corde fugacius, quod à nobis toties recedit, quoties per prauas cogitationes defluit. Hinc etenim Psalmista ait: Cor meum dereliquit me. Hinc ad semetipsum rediens, ait: Inuenit seruus tuus cor suum vt oret te. Cùm ergo cogitatio per custodiam restringitur, cor quod fugere consueuit, inuenitur. Plerunque autem nimis taciti cùm nonnulla iniusta patiuntur, eò in acriorem dolorem prodeũt, quò ea quæ sustinent, non loquuntur. Nam si illatas molestias tranquillę linguę sermone dicerent, à cõscientia dolor emanaret. Vulnera enim clausa plus cruciant. Nã cùm putredo quæ interius feruet eiicitur, ad salutem dolor aperitur. Scire igitur debent, qui plusquam expedit tacent, ne inter molesta quæ tolerant dum linguam tenent, vim doloris exaggerẽt. Admonẽdi sunt enim, vt si proximos sicut se diligũt, minimè illis taceãt vnde eos iustè reprehendãt. Vocis enim medicamine vtrorũq; saluti cõcurritur, dũ & ab illo qui infert, actio praua atq; peruersa cõpescitur, & ab hoc qui sustinet, doloris feruor vulnere aperto tẽperatur. Qui enim proximorũ mala respiciunt, & tamen in silentio linguã premũt, quasi cõspectis vulneribus vsum medicaminis subtrahunt, & eo mortis authores fiunt, quo virus quod potuerunt, curare noluerint. Lingua itaq; discretè frenanda

1.Ioan.4. Roma.8. 2.Corin.3. Prouer.27. Hiere.5. Esaiæ.9. Hiere.51. Ezech.22.

nanda est, non insalubriter obliganda. Scriptum nanque est: Sapiens tacebit vsque ad tempus: vt nimirum cùm opportunum considerat, postposita censura silentij, loquendo quæ congruunt, in vsum se vtilitatis impendat. Et rursum quoque scriptum est: Tempus tacendi, & tempus loquendi. Discretè quippe vicissitudinum pensanda sunt tempora, ne aut cùm restringi lingua debet, per verba inutiliter defluat: aut cùm loqui vtiliter potest, semetipsam pigrè restringat. Quod bene Psalmista considerans dicit: Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labiis meis. Non enim poni ori suo parietem, sed ostium petit, quod videlicet aperitur & clauditur. Vnde & nobis cautè discendum est, quatenus os discretè & congruo tempore vox aperiat, & rursum congruo taciturnitas claudat. At contrà admonendi sunt multiloquio vacantes, vt vigilanter aspiciant à quanto rectitudinis statu depereunt, dum per multiplicia verba dilabuntur. Humana etenim mens aquæ more & circuncluſa ad superiora colligitur: quia illud repetit vnde descendit, & relaxata deperit, quia se per infima inutiliter spargit. Quod enim super se vacuis verbis à silentij sui censura dissipatur, quasi tot riuis extra se ducitur. Vnde & redire interius ad sui cognitionem non sufficit: quia per multiloquium sparsa à secreto se intimæ considerationis excludit. Totam verò se insidiantis hostis vulneribus detegit: quia nulla munitione custodiæ circuncludit. Vnde scriptum est: Sicut vrbs patens & absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Quia enim murum silentij non habet, patet inimici iaculis ciuitas mentis. Et cùm se per verba extra semetipsam eiicit, apertam se aduersario ostendit. Quam tantò ille sine labore superat, quantò & ipsa quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat. Plerunque autem dum per quosdam gradus desidiosa mens in lapsum casus impellitur, dum otiosa cauere verba negligimus, ad noxia quandoque peruenimus, vt prius loqui aliena libeat, & postmodum detractionibus eorum vitam de quibus loquitur mordeat, ad extremum verò vsque ad apertas lingua contumelias erumpat. Hinc seminantur stimuli, oriuntur rixæ, accenduntur faces odiorum, pax extinguitur cordium. Vnde bene per Salomonem dicitur: Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum. Aquam quippe dimittere, est linguam in fluxum eloquij relaxare. Quo contrà in bona etiam parte iterum dicitur: Aqua profunda verba ex ore Dei. Qui ergo dimittit aquam, caput est iurgiorum: quia qui linguam non refrenat, concordiam dissipat. Vnde è diuerso scriptum est: Qui imponit stulto silentium, iras mitigat. Quia autem multiloquio quisque seruiens linguam frenare nequiuerit, accidit vt rectitudinem iustitiæ tenere nequaquam possit quod testatur propheta qui ait: Vir linguosus non dirigetur super terram. Hinc quoque Salomon iterum dicit: In multiloquio non deerit peccatum. Hinc Esaias ait: Cultus iustitiæ, silentium: vt videlicet indicans, quia mens à iustitia desolatur, quando ab immoderata locutione non parcitur. Hinc Iacobus ait: Si quis putat se religiosum esse non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. Hinc rursum ait: Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Hinc iterum (vim linguę definiens) adiungit: Lingua inquietum malum, plena veneno mortifero. Hinc per semetipsam nos veritas admonet dicens: Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines reddẽt de eo rationem in die iudicij. Otiosum quippe verbum est, quod aut ratione iustæ necessitatis, aut intentione piæ vtilitatis caret. Si ergo de otioso sermone ratio exigetur, pensemus quæ pœna multiloquium maneat, in quo etiam per noxia verba peccatur.

Eccle.20. Eccle.3. Psalm.140. Prouer.17. Prouer.18. Prouer.26. Psalm.139. Prouer.10. Esaiæ 32. Iaco.1. Ibidem. Iaco.3. Matth.12.

Admonitio XVI.

ALiter admonendi sunt pigri, atque aliter præcipites. Illi nanque suadendi sunt ne agenda bona dum differunt amittant: isti verò admonendi sunt ne dum bonorum tempus incautè festinando præueniunt, eorum merita immutent. Pigris itaque intimandum est quod sæpe dum opportunè agere quæ possumus nolumus, paulò post cùm volumus non valemus. Ipsa quippe mentis desidia dum congruo feruore non accenditur, à bonorum desiderio funditùs conualescente furtim torpore mactatur. Vnde apertè per Salomonem dicitur: Pigredo immitit soporem. Piger enim rectè sentiendo quasi vigilat, quamuis nihil operando torpescat. Sed pigredo soporem immittere dicitur, quia paulisper etiam rectè sentiendi vigilantia amittitur, dum à bene operãdi studio cessatur. Vbi rectè subiungitur: Et anima dissoluta esuriet. Nam mens quia se ad superiora stringendo non dirigit, neglectam se inferius per desideria expandit. Et dum studiorum sublimium vigore non cõstringitur, cupiditatis infimæ fame sauciatur: vt quo se per disciplinam ligare dissimulat, eo se esuriens per voluptatum desideria spargat. Hinc ab eodem rursus Salomone scribitur: In desideriis est omnis otiosus. Hinc ipsa veritate prædicante, vno quidem exeunte spiritu munda domus dicitur, sed multiplicius redeunte dum vacat occupatur. Plerunque piger dum necessaria agere negligit, quædam sibi difficilia opponit, quædam verò incautè formidat: & dum quasi inuenit quod velut iustè metuat, ostendit quòd in otio quasi non iniustè torpescat. Cui rectè per Salomonem dicitur: Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei. Propter frigus quippe piger non arat dum desidia & torpore constrictus, agere quæ debet bona considerat, & dissimulat. Propter frigus quippe piger non arat, dum partu ex aduerso mala metuit, & operari maxima prętermittit. Bene autem dicitur: Mendicabit æstate, & non dabitur ei. Qui enim nunc in bonis operibus non exudat, cùm sol iudicij feruentior apparuerit, quia frustra regni aditum postulat, nihil accipiens æstate mendicat. Bene hinc per eundem Salomonem rursum dicitur: Qui obseruat ventum, non seminat, & qui cõsiderat nubes, nunquam metit. Quid enim per ventum nisi malignorum spirituum tentatio exprimitur? Et quid per nubes quæ mouentur à vento, nisi aduersitates prauorum hominum designantur? A ventis quippe impelluntur nubes, quia immundorum spirituum afflatu praui excitantur homines. Qui ergo obseruat ventum, non seminat, & qui considerat nubes, nunquam metit: quia quisque tentationem malignorum spirituum, quisquis persecutionem prauorum hominum metuit, neque nunc grana boni operis seminat, neque tunc manipulos sanctæ retributionis secat. At contrà admonendi sunt præcipites, quia dum bonorum actuum preueniunt tempus, meritum peruertunt, & sæpe in malis corruunt, dum bona minimè discernunt. Qui nequaquam quid, quomodo vel quando quæque agunt inspiciunt; sed plerunque acta quia ita non debuerunt agere cognoscunt. Quibus sub auditoris specie rectè per Salomonem dicitur: Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis. Et rursum: Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Palpebræ quippe gressus præcedunt, cùm operationem nostram consilia recta præueniunt. Qui enim negligit considerando præuidere quod facit, gressus tendit, oculos claudit, pergendo iter conficit, sed præuidendo sibimetipsi non antecedit, atque idcirco citius corruit: quia quò pedem operis ponere debeat, per palpebram consilij non attendit.

Prouer.28. Prouer.25. Eccl.11. Eccle.33. Prouer.4.

Admonitio XVII.

ALiter admonendi sunt mansueti, atque aliter iracundi. Nonnunquam verò mansueti cùm præsunt, vicinum & quasi iuxtà positum torporem desidiæ patiuntur. Et plerunque nimia resolutione lenitatis vltrà quàm necesse est vigorẽ districtionis emolliunt. At contrà iracundi cùm regiminum loca percipiunt, quò impellente ira in mẽtis vesaniam deuoluuntur, eò etiam subditorum vitam dissipata quietis tranquillitate confundunt. Quos cùm furor agit in præceps, ignorant quicquid irati faciunt, ignorant quicquid patiuntur irati à semetipsis. Nonnunquam verò quod est grauius, iræ suæ stimulum iustitiæ zelum putant. Et cùm vitium virtus creditur, sine metu culpa cumulatur. Sæpe ergo mansueti dissolutionis torpescunt tædio, sæpe iracundi rectitudinis fallũtur zelo. Illorũ itaque virtuti vitium latẽter adiũgitur, his autem suum vitium quasi virtus feruens videtur. Admonẽdi sunt igitur illi, vt fugiant quod iuxta ipsos est, isti quod in ipsis est. Attendant illi quod non habent, discernant isti quod habent. Amplectantur mansueti solicitudinem, damnent iracundi perturbationem. Admonendi sunt mansueti vt habere etiam æmulationem iu-

Prouer.25. Prouer.4.

Zacha.7. minus redarguit dicens: Cùm ieiunaretis & plangeretis in E quinto & in septimo mense per hos septuaginta annos, nunquid ieiunium ieiunastis mihi? Et cùm comederitis & biberitis, nunquid nõ vosmetipsis comedistis, & vobismetipsis bibistis? Non enim Deo, sed sibi quisque ieiunat, si ea quæ vẽtri ad tempus subtrahit, nõ egenis tribuit, sed ventri postmodum offerẽda custodit. Itaq; ne aut illos appetitus gulę à mẽtis statu deiiciat, aut istos afflicta caro ex elatione supplantet, audiant illi ex ore veritatis: Attendite enim vobis ne fortè grauentur corda vestra in crapula & ebrietate curis huius
Lucæ 21. mundi. Vbi vtilis quoque pauor adiungitur: Et superueniat
Ibidem. in vos repentinus dies ille. Tanquam laqueus enim veniet in
Marc.6. omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. Audiant isti:
1.Corin.6. Non quæ intrant per os coinquinant hominem: sed quæ ex-
Roma.15. eunt de ore, illa sunt quæ inquinant hominem. Audiant illi:
1.Corin.8. Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc & hanc de-
ad Tit.1. struet. Et rursum: Nõn in comessationibus & ebrietatibus. Et rursum: Esca nos non commendat Deo. Audiant isti, quia F omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum. Audiant illi: Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum. Audiant: Discedent quidam à fide & veritate. Et paulo pòst: Prohibentium nubere, præci-
Philipp.3. pientium abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipien-
1.Timo.4. dum cum gratiarum actione fidelibus & his qui cognouerũt
Roma.14. veritatem. Audiant illi: Bonum est non manducare carnem atque bibere vinum, neque in quo frater tuus scandalizatur. Audiant isti: Modico vino vtere propter stomachum &
1.Timo.5. frequentes tuas infirmitates. Quatenus illi discant cibos carnis inordinatè non appetere, & isti creaturam Dei quam non appetunt, non audeant condemnare.

Admonitio XXI.

ALiter admonẽdi sunt, qui sua iam misericorditer tribuũt atque aliter qui adhuc & aliena rapere contendunt. Admonendi sunt nanque qui iam sua misericorditer tribuunt, ne cogitatione tumida super eos quibus terrena largiuntur G se extollant, ne idcirco se meliores æstiment, quia contineri per se cæteros vident. Nam terrenæ domus Dominus famulorum ordines ministeriáq; dispertiens, hos vt regãt, illos verò statuit, vt ab aliis regãtur. Istos iubet vt necessaria cæteris præbeant, illos vt accepta ab aliis sumant. Et tamẽ plerunque offendunt qui regunt, & in patris familiâs gratia permanent qui reguntur. Iram merentur qui dispensatores sunt, sine offensione perdurant qui ex aliena dispensatione subsistunt. Admonendi sunt igitur qui iam quæ possident misericorditer tribuunt, vt à cœlesti Domino dispensatores sepositos subsidiorum temporalium agnoscant, & tantò humiliter prębeant, quantò & aliena esse intelligunt quæ dispẽsant. Cúmque in illorum ministerio quibus accepta largiuntur constitutos se esse considerant, nequaquam eorum mentes tumor subleuet, sed timor premat. Vnde & necesse est vt solicitè perpendant ne commissa indignè distribuant, ne quædam quibus nulla, ne nulla quibus quædam, ne multa quibus pauca, ne pauca præbeant quibus impendere multa debuerunt, H ne præcipitatione hoc quod tribuunt inutiliter spargant, ne tarditate petentes, nociuè crucient, ne recipiendæ hîc gratiæ intentio subrepat, ne dationis lumen laudis transitoriæ appetitio extinguat, ne oblatum munus coniuncta tristitia absorbeat, ne in bene oblato munere animus plusquam decet hilarescat, ne sibi quicquam cùm totum rectè impleuerint tri-
1.Pet.4. buant, simul omnia postquam peregerint perdant. Ne enim sibi virtutem suæ liberalitatis deputent, audiant quod scriprum est: Si quis administrat tanquam ex virtute, quam administrat Deus. Ne in benefactis immoderatiùs gaudeant, audiant, quod scriptum est: Cùm feceritis hæc omnia, quæ
Lucæ 17. præcepta sunt vobis: dicite, Serui inutiles sumus, quæ debuimus facere fecimus. Ne largitatem tristitia corrumpat, au-
2. Corin. 9. diant quod scriptum est: Hilarẽ enim datorem diligit Deus. Ne ex impenso munere transitoriam laudem quærant, au-
Matth.6. diant quod scriptum est: Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, id est, piæ dispensationi nequaquam se gloria vitæ præsentis admisceat, sed opus rectitudinis appetitionem ignoret fauoris. Ne impensæ gratiæ vicissitudinem requirant,

audiant quod scriptum est: Cùm facis prandium aut cœ- Lucæ 14.
nam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites, ne fortè te ipsi reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris, quia non habent vnde retribuant tibi. Ne quæ præbenda sunt citiùs, serò præbeantur, audiant quod scriptum est: Ne dixeris amico tuo, vade Prouerb.3.
& reuertere, & cras dabo tibi, cùm statim posis dare. Ne sub obtentu largitatis ea quæ possident, inutiliter spargant, audiant quod scriptum est: Sudet eleemosyna in manu tua. Ne cùm multa necesse sunt, parua largiantur, audiat quod scriptũ est: Qui parcè seminat parcè & metet. Ne cùm pauca o- 2.Corin.9.
portet plurima præbeant, & ipsi postmodum nimiè inopiam tolerantes ad impatientiam erumpant, audiant quod scriptum est: Non vt aliis sit remisio, vobis autem tribulatio, 2.Corin.8.
sed ex æqualitate vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum. Cùm enim dantis mens ferre inopiam nescit, si multa sibi subtrahit, occasionem contra se impatientiæ exquirit. Prius nanque præparandus est patientiæ animus, & tunc aut multa sunt aut cuncta largienda, ne dùm minus æquanimiter inopia irruens fertur, & præmissę largitatis merces pereat, & adhuc mentem deterius murmuratio subsequens perdat. Ne omnino nihil eis præbeant quibus conferre aliquid paruum debent, audiant quod scriptum est: Omni petenti te tribue. Lucæ 6.
Ne saltem aliquid præbeant, quibus omnino conferre nihil debent, audiant quod scriptum est: Da bono, & noli recipe- Eccle.12.
re peccatorem. Benefac humili, & non dederis impio. Et rursum: Panem tuum & vinum super sepulturam iusti constitue, Tob.4.
& noli ex eo manducare & bibere cùm peccatoribus. Panem enim suum & vinum peccatoribus præbet, qui iniquis subsidia pro eo quòd iniqui sunt impendit. Vnde & nonnulli huius mundi diuites, cùm fame crucientur Christi pauperes, effusis largitatibus nutriunt histriones. Qui verò indigenti etiam peccatori panem suum non quia peccator, sed quia homo est tribuit, nimirum non peccatorem, sed iustum pauperem nutrit: quia in illo non culpam, sed naturam diligit. Admonendi sunt etiam, qui iam sua misericorditer largiuntur, vt solicitè custodire studeant: ne cùm commissa peccata eleemosynis redimunt, adhuc redimenda committant. Ne venalem Dei iustitiam æstiment, si cùm curant pro peccatis nummos tribuere, arbitrentur se posse inultè peccare. Melior quippe est anima quàm esca, melius corpus quàm Matth.6.
vestimentum. Qui ergo escam aut vestimentum pauperibus Lucæ 12.
largitur, sed tamen animæ vel corporis iniquitate polluitur, quod minus est iustitiæ obtulit, & quod maius est culpæ commisit: sua enim Deo dedit, & se diabolo. At contrà admonendi sunt qui adhuc & aliena rapere contendunt, vt solicitè audiant quid veniens in iudicium Dominus dicat: Ait Matth. 25.
nanque: Esuriui & non dedistis mihi manducare, sitiui & nõ dedistis mihi potum, hospes fui & non collegistis me, nudus, & non operuistis me, infirmus & in carcere, & non visitastis me. Quibus etiam præmittit dicens: Discedite à me maledi- Ibidem.
cti in ignem æternum qui præparatus est diabolo & angelis eius. Ecce nequaquam audiunt quia rapinas vel alia quælibet violenta commiserunt, & tamen æternis gehennæ ignibus mancipantur. Hinc ergo colligendum est quanta damnatione plectendi sunt, qui rapiunt aliena, si tanta animaduersione feriuntur qui sua indiscretè tenuerunt. Perpendant quo eos obliget reatu res rapta, si tali subiicit pœnæ non tradita. Perpendant quid mereatur iniustitia illata, si tanta percussione digna est pietas non impensa. Cùm aliena rapere intendunt, audiant quod scriptum est: Væ ei qui multiplicat non Abac.2.
sua, vsquequo aggrauat cõtra se densum lutum? Auaro quippe contra se densum lutum aggrauare, est terrena lucra cum pondere peccati cumulare. Cùm multiplicare largæ habitationis spatia cupiunt, audiant quod scriptum est: Væ qui cõ- Esaiæ 5.
iungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, vsque ad terminum loci. Nunquid habitabitis soli vos in medio terræ? ac si apertè diceret: Quousque vos extenditis qui habere in communi modo consortes minimè vultis? Coniunctos quidem premitis, sed contra quos valeatis vos extendere, semper inuenietis. Cùm augendis pecuniis inhiant, audiant

quod

Eccle.5. quod scriptum est: Auarus non implebitur pecunia, & qui A amat diuitias, non capiet fructum ex eis. Fructus quippe ex illis caperet, si eas bene spargere non amando voluisset. Qui verò eas diligendo retinet, hic vtique sine fructu delinquet. Cùm repleri cunctis simul opibus inardescunt, audiant quod
Prouer.28. scriptum est. Qui festinat ditari, non erit innocens. Profectò enim qui augere opes ambit, vitare peccatum negligit, & more auium captus cùm escam terrenarum rerum auidè conspicit quo stranguletur peccati laqueo non agnoscit. Cùm quælibet præsentis mundi lucra desiderant, & ea quæ de futuro damno patientur ignorant, audiant quod scriptum est: Hæreditas ad quam festinatur in principio, in nouissimo bene-
Prouc.20. dictione carebit. Ex hac quippe vita initium ducimus, vt ad benedictionis sortem in nouissimo veniamus. Qui itaque in principio hæreditare festinant, sortem sibi in nouissimo benedictionis amputant: quia dum per auaritiæ nequitiam hic multiplicari appetunt, illic ab æterno patrimonio exhæredes fiunt. Cúmque plurima ambiunt, vel obtinere cuncta quæ B
Matth.16. ambierint possunt, audiant quod scriptum est: Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum faciat? ac si apertè veritas dicat: Quid prodest homini si totum quod extra se est congregat, si hoc ipsum solum quod ipse est damnat? Plerunque autem citius raptorum auaritia corrigitur, si in verbis admonentis quàm fugitiua sit præsens vita monstretur, si eorum ad medium memoria deducatur, qui & ditari in hoc mundo diu conati sunt, & tamen in adeptis diuitiis diu manere nequiuerunt, quibus festina mors repentè & simul abstulit, quicquid eorum nequitia nec simul nec repentè congregauit, qui nõ solum hic rapta reliquerunt, sed secum ad iudicium causas rapinæ detulerunt. Horum itaque exempla audiant, quos in verbis suis proculdubio & ipsi condemnant, vt cùm post verba ad cor redeunt, imitari saltem quos iudicant erubescant.

Admonitio XXII.

ALiter admonendi sunt, qui nec aliena appetunt, nec sua largiuntur: atque aliter qui & ea quæ habẽt tribuũt, & ta- C men aliena rapere non desistunt. Admonendi sunt qui nec aliena appetũt, nec sua largiuntur: vt sciant solicitè quòd ea de qua sumpti sunt, cunctis hominibus terra communis est: & idcirco alimenta quoque omnibus communiter profert. Incassum ergo se innocentes putant, qui commune Dei munus sibi priuatum vendicant, qui cùm accepta non tribuunt, in proximorum nece grassantur: quia tot penè quotidie perimunt, quot morientium pauperum apud se subsidia abscondunt. Nam cùm quælibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur: iustitiæ debitum potius soluimus, quàm misericordiæ opus implemus. Vnde & ipsa veritas cùm de misericordia cautè exhibenda loque-
Matth.6. retur, ait: Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram ho-
Psalm.111. minibus. Cui quoque sententiæ etiam Psalmista concinens dicit: Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in æternum. Cùm enim largitatem impensam pauperibus præmisisset, non hanc vocare misericordiam, sed iustitiam maluit: quia D quod à cõmuni Domino tribuitur, iustũ profectò est, vt qui
Prouer.21. accipiunt, eo communiter vtantur. Hinc etiam Salomon ait: Qui iustus est, tribuit & non cessabit. Admonendi sunt quoque vt solicitè attendant quòd ficulnea quæ fructum non habuit, contra hanc districtus agricola queritur quod etiam terram occupauit. Terram quippe ficulnea sine fructu occupat: quando mens tenacium hoc quod prodesse multis poterat, inutiliter seruat. Terram ficulnea sine fructu occupat: quando locum quem exercere alius per solem boni operis valuit, stultus per desidiæ vmbram premit. Hi autem dicere nonnunquam solent: Concessis vtimur, aliena non quærimus: & si digna misericordiæ retributione non agimus, nulla tamen peruersa perpetramus. Quod idcirco sentiunt: quia videlicet aurem cordis à verbis cœlestibus claudunt. Neque enim diues
Lucæ 16. in Euangelio qui induebatur purpura & bysso, qui epulabatur quotidie splendidè, aliena rapuisse, sed infructuosè propriis vsus fuisse perhibetur: cúmque post hãc vitam vltrix gehenna suscepit, non quia aliquid illicitum gessit, sed quia immoderato vsu totum se licitis tradidit. Admonendi sunt tenaces, vt nouerint quòd hanc primam iniuriam faciunt Deo:

quia danti sibi omnia, nullam misericordiæ hostiam reddunt. Hinc etenim Psalmista ait: Non dabit Deo placationem Psal.48.
suam, nec precium redemptionis animæ suæ. Precium nanque redemptionis dare, est opus bonum prẽuenienti nos gratiæ reddere. Hinc Ioannes exclamat dicens: Iam enim securis Lucæ 2.
ad radicem arboris posita est. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Qui ergo se innoxios quia aliena non rapiunt, æstimant: ictum securis vicinæ præuideant & torporem improuidæ securitatis amittant: ne cùm ferre fructum boni operis negligunt, à præsenti vita funditus quasi ex viriditate radicis excentur. At contrà admonendi sunt qui & ea quæ habent tribuunt, & aliena rapere non desistunt: ne dum valde munifici videri appetant, de boni specie deteriores fiant. Hi etenim propria indiscretè tribuentes, non solum, vt suprà iam diximus ad impatientiæ murmurationem proruunt, sed cogente se inopia vsque ad auaritiam deuoluuntur. Quid eorum mente infœlicius, quibus de largitate nascitur auaritia, & peccatorum seges quasi ex virtute seminatur? Prius itaque admonendi sunt vt tenere sua rationabiliter sciant: & tunc demum vt aliena non ambiant. Si enim radix culpæ in ipsa effusione nõ exuritur, nunquam per per ramos exuberans auaritiæ spina siccatur. Occasio ergo rapiendi subtrahitur, si bene prius ius possidendi disponatur. Tunc verò admonendi audiant quomodo quæ habent misericorditer tribuant: quando nimirum didicerunt vt bona misericordiæ per interiectam rapinæ nequitiam non confundant. Violenter enim exquirunt quæ misericorditer largiuntur. Sed aliud est pro peccatis misericordiam facere, aliud pro misericordia facienda peccare, quæ iam nequaquam misericordia nuncupari potest: quia ad dulcem fructum non proficit, quæ per virus pestiferæ radicis amarescit. Hinc est enim quòd ipsa etiam sacrificia per prophetam Dominus reprobat dicens: Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens ra- Esaiæ 61.
pinam in holocausto. Hinc iterum dicit: Hostiæ impiorum Prouer.21.
abominabiles: quia offeruntur ex scelere. Qui sæpe quoque & indigentibus subtrahunt quæ Deo largiuntur, sed quanta eos animaduersione renuat, per quendam sapientem Dominus demonstat dicens: Qui immolat sacrificium de substãtia pau- Eccle.34.
peris, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Quid nanque esse intolerabilius potest, quàm mors filij ante oculos patris? Hoc itaque sacrificium quanta ira aspiciatur ostenditur: quòd orbati patris dolori comparatur. Et tamen plerumque quanta tribuunt pensant: quanta autem rapiunt considerare dissimulant. Quasi mercedem numerant: & perpendere culpas recusant. Audiant itaque quod scriptum est: Qui Aggæi.1.
mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum. In sacculo quippe pertuso videtur quando pecunia mittitur, sed quando amittitur non videtur. Qui ergo quanta largiuntur aspiciunt, sed quanta rapiunt non perpendunt, in pertuso sacculo mercedes mittunt: quia profectò has in spem suæ fiduciæ intuentes congerunt, sed non intuentes perdunt.

Admonitio XXIII.

ALiter admonendi sunt discordes, atque aliter pacati. Discordes nanque admonẽdi sunt, vt certissimè sciant quia quantislibet virtutibus polleant, spiritales fieri nullatenus possunt, si vniri per concordiam proximis negligunt. Scriptum quippe est: Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax. Qui ergo seruare pacem non curat, ferre fructum Galat.5.
spiritus recusat. Hinc Paulus ait: Cùm sit inter vos zelus & 1.Cor.3.
contentio, nónne carnales estis? Hinc iterum quoque dicit: Hebr.12.
Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam: sine qua nemo videbit Deum. Hinc rursum admonens ait: Soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis: vnum corpus & vnus Ephe.4.
spiritus: sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Ad vnam ergo vocationis spem nequaquam pertingitur, si non ad eam vnita cum proximis mente curratur. At sæpe nonnulli quo quædam specialiter dona percipiunt, superbiendo donũ concordiæ quod maius est amittunt: vt si fortasse carnem præ cæteris gulæ refrenatione quis edomat, concordare eis quos superat abstinẽdo, contẽnat. Sed qui abstinẽtiâ à cõcordia separat, quid admoneat Psalmista perpendat, ait enim: Laudate Psal.150.
eũ in tympano & choro. In tympano nãque sicca & percussa

pellis resonat. In choro autem voces sociatæ concordant. Quisquis itaq; corpus affligit, sed concordiam deserit, Deum quidem laudat in tympano, sed tamen eum nõ laudat in choro. Sæpe verò dum quosdam maior scientia erigit: à cæterorum societate disiungit: & quasi quo plus sapiunt, eo à concordiæ virtute desipiscunt. Hi itaque audiant quid per semetipsam veritas dicat: Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos. Sal quippe sine pace nõ virtutis est donum, sed damnationis argumentum. Quo enim quisque melius sapit, eo deterius delinquit, & idcirco inexcusabiliter & multò maius merebitur supplicium, quia prudenter si voluisset potuit euitare peccatum. Quibus quoque rectè per Iacobum dicitur: Quòd si zelum amarum habetis inter vos, & contentiones sunt in corde vestro, nolite gloriari, & mendaces esse adversum veritatem. Non est ita sapientia descendens desursum, sed terrena, animalis, diabolica. Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica. Pudica videlicet, quia castè intelligit: pacifica autem quia per elationem se minimè à proximorum societate disiungit. Admonendi sunt disidentes, vt nouerint quòd tam diu nullum boni operis Deo sacrificium immolant, quàm diu à proximorum charitate discordant. Scriptum nanque est. Si offers munus tuum ad altare & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Ex qua præceptione pensandum est, quorum hostia repellitur, quàm intolerabilis culpa monstratur. Nam cùm mala cuncta bonis sequentibus diluantur, pensemus quanta sint mala discordiæ, quæ nisi extincta funditus fuerint, bonum subsequi non permittunt. Admonendi sunt discordes, vt si aures à mandatis cœlestibus declinant, mentis oculos ad consideranda ea quæ in infimis versantur aperiant, quòd sæpe aues vnius eiusdémque generis sese socialiter volando non deserunt, & quòd grègatim animalia bruta pascuntur. Quæ si solerter aspiciamus, concordando sibi irrationalis creatura indicat, quantum malum per discordiam rationalis creatura committat, quando hæc à rationis intentione perdidit, quod illa motu naturali custodit. At contrà admonendi sunt pacati, ne dum plusquam necesse est pacem quam possident amant, ad perpetuam peruenire non appetant. Plerunque enim gratius intentionem mentium rerum tranquillitas tentat: vt quò non sunt molesta quæ obtinent, eò minus amabilia fiant quæ vacant? & quò delectant præsentia, eò non requirantur æterna. Vnde & per semetipsam veritas loquens cùm terrenam pacem à superna distingueret, atque ad venturam discipulos ex præsenti prouocaret, ait: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Relinquo scilicet transitoriam, do mansuram. Si ergo in eam cor quæ relicta est figitur, nunquam ad illam quæ danda est peruenitur. Pax ergo præsens ita tenenda est, vt & diligi debeat & contemni: ne si immoderatè diligitur, diligentis animus in culpa capiatur. Vnde & admonendi sunt pacati, ne dum nimis humanam pacem desiderant, prauos homines, mores nequaquam redarguant: & consentiendo peruersis, ab authoris sui se pace disiungant, ne dum humana foras iurgia metuunt, interni fœderis discissione feriantur. Quid est enim pax transitoria, nisi quoddam vestigium pacis æternæ? Quid esse ergo dementius potest, quàm vestigia in puluere impressa diligere, sed ipsum à quo impressa sunt non amare? Hinc Dauid dum totum se ad fœdera pacis internæ constringeret, testatur quòd cum malis concordiam non teneret dicens: Nónne qui oderant te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi. Inimicos etenim Dei perfecto odio odisse, est & quòd facti sunt diligere, & quod faciunt increpare: mores prauorum premere, & vitæ prodesse. Pensandum ergo est quãdo ab increpatione quiescitur, quanta culpa si pax cum pessimis tenetur: si Propheta tantus hoc velut in hostiam Deo obtulit quod contra se pro Domino prauorum inimicitias excitauit. Hinc est quòd tribus Leui assumptis gladiis per castrorum media transiens: quia feriendis noluit peccatoribus parcere, Deo manus dicta est consecrasse. Hinc Phinees peccantium ciuium gratiam spernens, coëuntes cum Madianitis perculit, & iram Domini iratus placauit. Hinc per semetipsam veritas dicit: Quid putatis? quia pacem veni mittere in terram? Non vtique: sed gladium. Malorum nanq; cùm incautè amicitiis iungimur, culpis ligamur. Vnde Iosaphat qui tot de anteacta vita præconiis attollitur, de Achab regis amicitiis penè perituru increpatur. Cui à Domino per Prophetam dicitur: Impio præbes auxiliũ, & his qui oderunt Dominum, amicitia iungeris: & idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inuenta sunt in te eò, quòd abstuleris lucos de terra Iuda. Ab illo enim qui summè rectus est eo ipso iam discrepat, quo peruersorum amicitiis vita nostra concordat. Admonendi sunt pacati: ne si ad increpationis verba prosiliãt, temporalem pacem sibi perturbati formident. Rursúmque admonendi sunt vt eandem pacem dilectione integra intrinsecus teneant, quam per inuectionem vocis sibi extrinsecus turbant. Quod vtrunque prouidè se Dauid seruasse perhibet, cùm dicit: Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratis. Ecce loquens impugnabatur, sed tamen impugnatus erat pacificus: quia nec insanientes cessabat reprehendere, nec reprehensos negligebat amare. Hinc etiam Paulus ait: Si fieri potest quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Hortaturus enim discipulos vt pacem cum omnibus haberent, præmisit dicens, Si fieri potest: atque subiunxit: Quod ex vobis est. Difficile quippe erat vt si malè acta corriperẽt, habere pacem cum omnibus possent. Sed cùm temporalis pax in prauorum cordibus ex nostra increpatione confunditur, intiolata necesse est vt in nostro corde seruetur. Rectè itaque ait quod ex vobis est, ac si nimirum dicat: Quia pax ex duarum partium consensu subsistit, si ab eis qui corripiuntur expellitur, integra tamen in vestra qui corripitis mente teneatur. Vnde rursum idem discipulos admonet dicens: Si quis non obedit verbo nostro, per Epistolam hunc notate: & non commisceamini cum illo, vt confundatur. Atque ilico subiunxit: Et nolite vt inimicum existimare illum, sed corripite vt fratrem. Ac si diceret: Pacem cum eo exteriorem soluite, sed interiorem circa illum medullitus custodite: vt peccantis mentem sic vestra discordia feriat, quatenus pax à cordibus vestris nec abnegata discedat.

Matt. 9. *Iacob. 3.* *Matt. 5.* *Ioan. 14.* *Exod. 32.* *Nume. 25.* *Psalm. 138.* *Matth. 10.* *2. Para. 19.* *Psalm. 119.* *2. Thessa. 3.*

Admonitio XXIIII.

ALiter admonendi sunt seminantes iurgia, atque aliter pacifici. Admonendi nanque sunt qui iurgia seminant, vt cuius sint sequaces, agnoscant. De apostata quippe Angelo scriptum est, cùm bonæ messi inserta fuisset zizania: Inimicus homo hoc fecit. De cuius etiam membro per Salomonem dicitur: Homo apostata vir inutilis graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat. Ecce, quem seminantem iurgia dicere voluit, prius apostatam nominauit: quia nisi more superbientis Angeli à conspectu conditoris prius intus auersione mentis caderet, foràs post modum vsque ad seminanda iurgia non veniret. Qui rectè describitur quòd annuit oculis, digito loquitur, terit pede. Interior nanque est custodia, quæ ordinata seruat exterius membra. Qui ergo statum mentis perdidit, subsequenter foràs inconstantia motionis fluit atque exteriori mobilitate indicat, quòd nulla interius radice stabilitatis subsistat. Audiant iurgiorum seminatores quod scriptum est: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Atque è diuerso colligant quia si filij Dei vocantur qui pacem faciunt, proculdubio satanæ sunt filij qui confundunt. Omnes autem, qui per discordiam separantur à viriditate dilectionis arefiunt. Qui etsi boni operis fructus in suis actionibus proferunt, profectò nulli sunt: quia non ex vnitate charitatis oriuntur. Hinc ergo perpendant seminantes iurgia, quàm multipliciter peccant: qui dum vnam nequitiam perpetrant, ab humanis cordibus cunctas simul virtutes eradicant. In vno enim malo innumera peragunt: quia seminando discordiam, charitatem quæ nimirum virtutum omnium mater est, extinguunt. Quia autem nihil preciosius est Deo virtute dilectionis: nihil est delectabilius diabolo extinctione charitatis. Quisquis ergo seminando iurgia dilectionem proximorum perimit, hosti Dei familiarius seruit: quia qua ille amissa cecidit, hanc iste vulneratis cordibus subtrahens, eis iter ascensionis abscidit. At contra admonendi sunt

Matth. 13. *Prouerb. 6.* *Matth. 5.*

sunt pacifici ne tantæ actionis pondus leuigent, si inter quos fundare pacem debeant ignorent. Nam sicut multum nocet si vnitas desit bonis: ita valde est noxium si non desit malis. Si ergo peruersorum nequitia in pacem iungitur, profectò eorum malis actibus robur augetur: quia quo sibi in malitia congruunt, eo se robustius bonorum afflictionibus illidunt. Hinc nanque est quòd contra damnati illius vasa, videlicet antichristi prædicatores, diuina voce beato Iob dicitur: Membra carnium eius cohærentia sibi. Hinc sub squamarum specie de eius satellitibus perhibetur: Vna vni coniungitur, & nec spiraculum quidem incedit per eos. Sequaces quippe illius quo nulla inter se discordiæ aduersitate diuisi sunt, eo in bonorum grauius nece glomerantur. Qui ergo iniquos paci sociat, iniquitati vires administrat: quia bonos deterius deprimunt, quos & vnanimiter persequuntur. Vnde prædicator egregius graui Pharisæorum Sadducæorúmque persecutione deprehensus, inter semetipsos diuidere studuit, quos contra se grauiter vnitos vidit, cùm clamauit dicens: Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum, de spe & resurrectione mortuorum ego iudicor. Dúmque Sadducæi spem resurrectionémque mortuorum esse denegarent, quam Pharisæi iuxta præcepta sacri eloquij crederent: facta in persecutorum vnanimitate dissensio est, & diuisa turba illæsus Paulus exiuit, quæ hunc vnita prius immaniter presit. Admonendi itaque sunt qui faciendæ pacis studiis occupantur, vt prauorum mẽtibus prius amorem debeant internæ pacis infundere, quatenus eis postmodum valeat exterior pax prodesse: vt dum eorum cor in illius cognitione suspenditur, nequaquam ad nequitiam ex huius perceptione rapiatur: dúmque supernã prouident, terrenam nullo modo ad vsum suæ deteriorationis inclinent. Cùm verò peruersi quique tales sunt, vt nocere bonis nequeant, etiam si concupiscant, inter hos nimirum debet terrena pax cõstrui, & priusquam ab eis valeat superna agnosci: vt hi scilicet quos contra dilectionem Dei malitia suæ impietatis exasperat, saltem ex proximi amore manuescant: & quasi è vicino ad melius transeant, vt ad illam quæ à se longè est, pacem conditoris ascendant.

Iob. 41. *Ibidem.* *Actor. 23.*

Admonitio XXV.

ALiter admonendi sunt qui sacræ legis verba non rectè intelligunt: atque aliter qui rectè quidem intelligunt, sed hæc humiliter nõ loquuntur. Admonendi sunt qui sacræ legis verba non rectè intelligunt, vt perpendant quia saluberrimum vini potum in veneni sibi poculum vertunt, ac per medicinale ferrum vulnere mortali se feriunt, dum per hoc in se sana perimunt, per quod salubriter abscindere sauciata debuerunt. Admonendi sunt vt perpendant quòd scriptura sacra in nocte vitæ præsentis quasi quædam nobis lucerna sit posita: cuius nimirum verba dum non rectè intelligunt, de lumine tenebrescunt. Quos videlicet ad intellectum prauum intentio peruersa non raperet, nisi prius superbia inflaret. Dum enim se præ cæteris sapientes arbitrantur, sequi alios ad melius intellecta despiciunt, atque vt apud imperitum vulgus scientiæ sibi nomen extorqueant: student summopere & ab aliis rectè intellecta destruere, & sua peruersa roborare. Vnde bene per prophetam dicitur: Secuerunt prægnantes Galaad, ad dilatandum terminum suum. Galaad nanque aceruus testimonij interpretatur. Et quia cuncta simul congregatio Ecclesiæ per confessionem seruit testimonio veritatis, non incongruè per Galaad Ecclesia exprimitur, quę ore cunctorum fidelium de Deo quæ vera sunt testatur. Prægnantes autem Galaad vocantur animæ, quæ intellectum verbi ex diuino amore concipiunt, etsi ad perfectum tempus veniant, conceptam intelligentiam boni operis ostensione parituræ sunt. Terminum verò suum dilatare, est opinionis suæ nomen extendere. Secuerunt ergo prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum: quia nimirum hæretici mentes fidelium quæ iam aliquid de veritatis intellectu conceperant, peruersa prædicatione perimunt, & scientiæ sibi nomen extendunt. Paruulorum quippe corda iam de verbi conceptione grauida, erroris gladio scindunt, & quasi doctrinæ sibi nomen faciunt. Hos ergo cùm conamur instruere ne peruersa sentiant, admoneamus prius necesse est, ne inanem gloriam quærant. Si enim radix elationis abscinditur, consequenter rami prauæ assertionis arefiunt. Admonendi sunt etiam, ne errores discordiásque generando, legem Dei quæ idcirco data est vt sacrificia satanæ prohibeat, eandem ipsam in satanæ sacrificium vertant. Vnde per prophetam Dominus queritur dicens: Dedi eis frumentum, vinum & oleum, & argentum multiplicaui eis & aurum, quæ fecerunt Baal. Frumentum quippe à Domino accipimus, quando in dictis obscurioribus subducto tegmine literæ per medullam spiriritus legis interna sentimus. Vinum suum Dominus nobis præstat, cùm scripturæ suæ alta prædicatione nos inebriat. Oleum quoque suum nobis tribuit, cùm præceptis apertioribus vitam nostram blanda lenitate disponit. Argentum multiplicat, cùm nobis luce veritatis plena eloquia subministrat. Auro quoque nos ditat, quando cor nostrum intellectu summi fulgoris irradiat. Quæ cuncta hæretici Baal offerunt: quia apud auditorum suorum corda corruptè omnia intelligendo peruertunt. Et de frumento Dei vino atque oleo, argento pariter & auro, satanæ sacrificium immolant: quia ad errorem discordiæ verba pacis inclinant. Vnde admonendi sunt vt perpendant: quia dum peruersa mente de præceptis pacis discordiam faciunt, iusto Dei examine ipsi de verbis vitæ moriuntur. At contrà admonendi sunt qui rectè quidem verba legis intelligunt, sed hæc humiliter non loquuntur: vt in diuinis sermonibus priusquam aliis eos proferant, semetipsos requirant, ne insequentes aliorum facta, se deserant. Et cùm rectè cuncta de sacra scriptura sentiunt, hoc solum quod per illam contra elatos dicitur non attendant. Improbus quippe & imperitus est medicus qui alieno mederi appetit, & ipse vulnus quod patitur nescit. Qui igitur verba Dei humiliter non loquuntur, profectò admonendi sunt vt cùm medicamenta ægris apponunt, prius virus suæ pestis inspiciant, ne aliis medendo ipsi moriantur. Admoneri enim debent vt considerent ne à virtute † dicendi, viuendi qualitate discordent: ne loquendo aliud, & ostendendo aliud prædicent. Audiant itaque quod scriptum est: Si quis loquitur, quasi sermones Dei. Qui ergo verba quæ proferunt ex propriis nõ habent, cur quasi de propriis tument? Audiant quod scriptum est: Sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur. Ex Deo enim coram Deo loquitur, qui prædicationis verbum, & quia à Deo accepit intelligt, & placere per illud Deo non hominibus quærit. Audiant quoque quod scriptum est: Abominatio Dei est omnis arrogãs. Quia videlicet dum in verbo Dei laudem ac gloriã propriã quærit, ius dantis inuadit: cúmque laudi suę postponere nequaquam metuit, à quo hoc ipsum quod laudatur accepit. Audiant quod prædicatori per Salomonem dicitur: Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui. Deriuentur fontes tui foràs, & in plateis aquas diuide. Habeto eas solus, ne sint alieni participes tui. Aquã quippe prædicator de cisterna sua bibit, cùm ad cor suum rediens, prius audit ipse quod dicit. Bibit quidẽ sui fluenta putei, si sui irrigatione verbi infunditur. Vbi bene subiungitur: Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas diuide. Rectũ quippe est vt ipse prius bibat, & tunc prædicãdo aliis influat. Fontes quippe foràs deriuare, est exterius aliis vim prædicationis infundere. In plateis autem aquas diuidere, est in magna auditorum amplitudine iuxta vniuscuiusque qualitatẽ diuina eloquia dispẽsare. Et quia plerunque inanis gloriæ appetitus subrepit dum sermo Dei ad multorũ notitiam currit, postquã dictum est: In plateis aquas diuide: rectè subiungitur: Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui. Alienos quippe malignos spiritus vocat, de quibus per prophetã tentati hominis voce dicitur: Alieni insurrexerunt in mẽ, & fortes quęsierunt animã meam. Ait ergo: Aquas in plateis diuide: & tamen solus habe: ac si apertius dicat: Si necesse est vt prædicationi exterius seruias, quatenus per elationem te immundis spiritibus non coniungas: ne diuini verbi ministerio hostes tuos ad te participes admittas. Aquas ergo & in plateis diuidimus, & tamen soli posidemus: quando & exterius latè prædicationem fundimus, & tamen per eam humanas laudes assequi minimè ambimus.

Amos. 1. *Osea. 2.* † *al. dicti, dicendi.* *Prouer. 16.* *Prouer. 5.* *Ibidem.* *Prouer. 5.* *Psal. 53.*

Admonitio XXVI.

ALiter quoque admonendi sunt qui cùm prædicare dignè valeant, præ nimia humilitate formidant: atque aliter admonendi sunt quos à prædicatione imperfectio vel ætas prohibet, & tamen præcipitatio impellit. Admonendi nanque

sunt, qui cùm prædicare vtiliter possunt, immoderata tamen humilitate refugiunt, vt ex minori consideratione colligant, quantum in maioribus rebus delinquant. Si enim indigentibus proximis ipsi quas habent pecunias absconderunt, adiutores proculdubio calamitatis extitissent. Quo ergo reatu constringantur aspiciant, qui dum peccantibus fratribus verbum prædicationis subtrahunt, morientibus mentibus vitæ remedia abscondunt. Vnde & bene quidam sapiens dicit: Sapientia abscondita & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque? Si populum fames attereret, & occulta frumenta ipsi seruarent, authores proculdubio mortis existerent. Qua itaque plectendi sunt pœna considerent, qui cum fame verbi animæ pereant, ipsi panem perceptæ gratiæ non ministrant. Vnde & bene per Salomonem dicitur: Qui abscondit frumenta, maledicitur in populis. Frumenta quippe abscondere, est prædicationis sanctæ apud se verba retinere. In populis autem talis quisque maledicitur: quia in solius culpa silentij pro multorũ quos corrigere potuit pœna damnatur: Si medicinalis artis minimè ignari secandum vulnus cernerent, & tamen secare recusarent, profectò peccatum fraternæ mortis ex solo torpore committerent. Quanta ergo culpa inuoluãtur aspiciant, qui dum cognoscunt vulnera mentium, curare negligunt ea sectione verborum. Vnde & bene per Propheram dicitur: Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine. Gladium quippe à sanguine prohibere, est prædicationis verbum à carnalis vitæ interfectione retinere. De quo rursum gladio dicitur: Et gladius meus manducabit carnes. Hi autem cùm apud se sermonem prædicationis occultant, diuinas contra se sententias terribiliter audiant, quatenus ab eorum cordibus timorem timor expellat. Audiant quòd talentum qui erogare noluit, cum sentẽtia damnationis amisit. Audiant quòd Paulus eo se à proximorum sanguine mundum credidit, quo feriendis eorum vitiis non pepercit, dicens: Contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium vestrorum, non enim subterfugi quo minus annunciarem omne consilium Dei vobis. Audiant quòd voce angelica Ioannes admonetur, cùm dicitur: Qui audit, dicat veni. Vt nimirum cui se vox interna insinuat, illuc etiam clamando alios quò ipse rapitur trahat, ne clausas fores etiam vocatus inueniat, si vocanti vacuus appropinquat. Audiat quòd Esaias qui à verbi ministerio tacuit, illustratus superno lumine, magna voce pœnitentiæ semetipsum ipse reprehendit, dicens: Væ mihi quia tacui. Audiant quòd per Salomonem in illum prædicationis scientia multiplicari promittitur, qui in hoc quod iam obtinuit, torporis vitio non tenetur. Ait nanque: Anima quæ benedicit, impinguabitur, & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. Qui enim prædicando exteriùs benedicit, interioris augmenti pinguedinem recipit: & dum vino eloquij auditorum mentem deebriare non desinit, potu multiplicati muneris deebriatus excrescit. Audiant quòd Dauid hoc Deo in munere obtulit, quòd prædicationis gratiam quam accepérat non abscondit, dicens: Ecce labia mea non prohibebo, Domine tu cognouisti. Iustitiam autem tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam & salutare tuum dixi. Audiant quod sponsi colloquio ad sponsam dicitur: Quæ habitas in hortis, amici auscultant: fac me audire vocem tuam. Ecclesia quippe in hortis habitat: quæ ad viriditatem intimam exculta plantaria virtutum seruat. Cuius vocem amicos ascultare, est electos quosque verbum prædicationis illius desiderare: quam videlicet vocem sponsus audire desiderat, qui ad prædicationem eius per electorum suorum animas anhelat. Audiant quod Moyses cùm irascentem Deum populo cerneret, & assumi ad vlciscendum gladios iuberet: illos à parte Dei denunciauit existere, qui delinquentium scelera incunctanter ferirent, dicens: Si quis Domini est, iungatur mihi: ponat vir gladium super femur suum: Ite & redite de porta vsq; ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem suum, & amicum & proximum suum. Gladium quippe super femur ponere, est prædicationis studium voluptatibus carnis anteferre: vt cùm sancta quis studet dicere, curet necesse est illicitas suggestiones edomare. De porta verò vsque ad portam ire, est à vitio vsque ad vitium per quod ad mentem mors ingreditur, increpando discurrere. Per medium verò castrorum transire, est tanta æqualitate intra Ecclesiam viuere, vt qui delinquentium culpas redarguit, in nullius se debeat fauorem declinare. Vnde & rectè subiungitur: Occidat vir fratrem, & amicum, & proximum suum. Fratrem scilicet & amicum & proximum interficit, qui cùm punienda inuenit, ab increpationis gladio nec eis quos per cognationem diligit, parcit. Si ergo ille Dei dicitur qui ad ferienda vitia zelo diuini amoris excitatur: profectò esse se Dei denegat, qui inquantum sufficit increpare vitam carnalium recusat. At contrà admonendi sunt quos à prædicationis officio, vel imperfectio, vel ætas prohibet, & tamen præcipitatio impellit: ne dum tanti sibi onus officij præcipitatione arrogant, viam sibi subsequentis meliorationis abscindant: & cùm arripiunt intempestiuè quod non valent, perdant etiam quod implere quandoq; tempestiuè potuissent: atque scientiam incongruè conantur ostendere, iustè ostendantur amisisse. Admonendi sunt vt considerent quòd pulli auium si ante pennarum perfectionem volare appetant, vnde ire in alta cupiunt, inde in in amerguntur. Admonendi sunt vt considerent quòd structuris recentibus necdum solidatis, si tignorum pondus superponitur, non habitaculum, sed ruina fabricatur. Admonendi sunt vt considerent quòd conceptas soboles fœminæ si priusquam plenè formentur proferunt, nequaquam domos, sed tumulos replent. Hinc est quòd ipsa veritas quæ repentè quos vellet roborare potuisset: vt exemplum sequentibus daret, ne imperfecti prædicare præsumerent, postquam discipulos de virtutis prædicatione instruxit, ilico adiunxit: Vos autem sedete in ciuitate quoad vsque induamini virtute ex alto. In ciuitate quippe considemus, si intra mentium nostrarum nos claustra constringimus, ne loquendo exterius euagemur: vt cùm virtute diuina perfectè induimur, tunc quasi à nobismetipsis foràs etiã alios instruentes exeamus. Hinc per quendam sapientem dicitur: Adolescens loquere in causa tua vix. Et si bis interrogatus fueris, habeat initium responsio tua. Hinc est quòd idem Redemptor noster cùm in cœlis sit conditor, & ostensione suæ potentiæ semper doctor Angelorum, ante tricennale tempus in terra magister noluit fieri hominum: vt videlicet præcipitatis vim saluberrimam timoris infunderet: cùm ipse etiam qui labi nõ posset perfectæ vitæ gratiam non nisi perfecta ætate prædicaret. Scriptum quippe est: Cùm factus esset annorum duodecim, remansit puer Iesus in Hierusalem. De quo à parentibus requisito paulò pòst subditur: Inuenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos & interrogantem. Vigilanti itaque consideratione pensandum est, quòd cùm Iesus annorum duodecim dicitur in medio doctorum sedens, non docens, sed interrogans inuenitur. Quo exemplo scilicet ostenditur ne infirmus docere quis audeat, si ille puer doceri interrogando voluit, qui diuinitatis potentiam verbum scientiæ ipsis suis doctoribus ministrauit. Hinc verò per Paulum discipulo dicitur: Præcipe hæc & doce, nemo adolescentiam tuam contemnat. Sciendum nanque nobis est, quia in sacro eloquio aliquando adolescentia iuuentus vocatur. Quod citiùs ostenditur si Salomonis ad medium verba proferantur, qui ait: Lætare iuuenis in adolescentia tua. Si enim vtraque vnum esse decerneret, quem monebat in adolescentia, iuuenem non vocaret.

Ecclc.20. *Prouerb.11.* *Hiere.48.* *Matth.25.* *Acto.20.* *Apoc.22.* *Esaiæ.6.* *Prouer.11.* *Psalm.39.* *Canti.8.* *Exod.32.* *Ibidem.* *Ecclc.32.* *Lucæ.2.* *Ibidem.* *1.ad Ti.4.* *Eccles.11.*

Admonitio XXVII.

ALiter admonendi sunt, qui in hoc quod temporaliter appetunt prosperantur: atq; aliter qui ea quidem quæ mundi sunt concupiscunt, sed tamen aduersitatis labore fatigantur. Admonendi nanque sunt qui in hoc quod temporaliter appetunt prosperantur, ne cùm cuncta ad votum suppetunt, dantem quærere negligant, si in his quæ dantur animum figant: ne peregrinationem pro patria diligant, ne subsidia itineris in obstacula peruentionis vertant, ne nocturno lunæ lumine delectati, claritatem Solis videre fugiant. Admonendi itaque sunt, vt quæque in hoc mundo consequuntur, calamitatis solatia, non autem præmia retributionis credant, sed contra fauores mundi mentem erigant, ne in eis ex tota cordis delectatione succumbant. Quisquis enim prosperitatem qua vtitur apud iudicium cordis melioris vitæ amore non reprimit, fauorem vitæ transeuntis in mortis perpetuæ occasionem vertit. Hinc est enim quòd sub Idumæorum specie, qui vincendos se prosperitati suæ reliquerũt, in huius mundi successibus lætantes, increpantur cùm dicitur: Dederunt terram meam sibi in hæreditatem cùm gaudio, ex toto corde & ex animo. Quibus verbis perpenditur quòd nõ solùm quia gaudeant, sed quòd toto corde & ex animo gaudeant, districta reprehensione feriantur. Hinc Salomon ait: Auersio paruulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos. Hinc Paulus admonet dicens: Qui emunt tanquam non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur. Vt videlicet sic nobis quæ suppetunt exterius seruiant, quatenus à supernæ dilectionis studio animum non inflectant: ne luctum nobis internæ peregrinationis temperent ea, quæ in exilium positis subsidium præbẽt, & quasi fœlices in transitoriis nos gaudemus, qui ab æternis nos interimi miseros cernimus. Hinc nanque est quod electorum voce dicit Ecclesia: Læua eius sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me. Sinistram Dei prosperitate videlicet vitæ præsentis quasi sub capite posuit, quam intẽtione summi amoris premit. Dextera verò Dei eam amplectitur: quia sub æterna eius beatitudine tota deuotione continetur. Hinc rursum per Salomonem dicitur: Longitudo dierum in dextera eius, in sinistra verò eius diuitiæ & gloria. Diuitiæ itaque & gloria qualiter sint habenda docuit, quæ posita in sinistra memorauit. Hinc psalmista ait: Saluum me fac dextera tua. Neque enim ait manu, sed dextera: vt videlicet cùm dexteram diceret, quia æternam salutem quæreret indicaret. Hinc rursum scriptũ est: Dextera manus tua Domine cõfregit inimicos. Hostes enim Dei etsi in sinistra eius proficiunt, in dextera franguntur: quia plerunque prauos vita præsens eleuat, sed aduentus æternæ beatitudinis damnat. Admonendi sunt qui in hoc mundo prosperantur, vt solerter considerent, quia præsentis vitæ prosperitas aliquãdo idcirco datur vt ad meliorem vitam prouocet, aliquando verò vt in æternum plenius damnet. Hinc est enim quòd plebi Israëliticæ Chanaan terra promittitur, vt quandoque ad æterna speranda prouocetur. Neque enim rudis populus ille promissionibus Dei in lõginquum crederet, si à promissore suo non etiam à vicino aliquid percepisset. Vt ergo ad æternorum fidem certius roboretur, nequaquam solummoda spe ad res, sed rebus quoque ad spẽ trahitur. Quod liquidò psalmista testatur, dicẽs: Dedit eis regiones gentium, & labores populorum possederunt. Vt custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant. Sed cùm largientem Deũ humana mens boni operis repensatione non sequitur, vnde nutrita piè creditur, inde iustius damnatur. Hinc enim per Psalmistam rursum dicitur: Deiecisti eos, dum alleuarentur. Quia videlicet reprobi cùm recta opera diuinis muneribus non rependunt, cùm totos se hic deserunt, & affluctibus prosperitatibus dimittunt, vnde exterius proficiunt, inde ab intimis cadunt. Hinc est quòd in inferno cruciato diuiti dicitur: Recepisti bona in vita tua. Idcirco etenim recepit bona in vita sua malus, vt illic plenius mala reciperet, quia hic fuerat nec per bona conuersus. At contrà admonẽdi sunt, qui ea quidem quæ mundi sunt concupiscunt, sed tamen aduersitatis labore fatigantur, vt solicita consideratione perpendant, creator dispensatórque cunctorum quanta super eos gratia vigilat, quos in sua desideria nõ relaxat. Aegro quippe quem medicus desperat, concedit vt cuncta quæ concupiscit accipiat. Nam qui sanari posse creditur, à multis quæ appetit prohibetur. Æt pueris nummos subtrahimus, quibus tota simul patrimonia hæredibus reseruamus. Hinc ergo de spe æternæ hæreditatis gaudium sumat, quos aduersitas vitæ temporalis humiliat: quia nisi saluãdos eos in perpetuum cerneret, erudiendos sub disciplinæ regimine diuina dispensatio non refrenaret. Admonendi itaque sunt qui in his quæ temporaliter concupiscunt, aduersitatis labore fatigantur, vt solicitè considerent quòd plerunque etiam iustos cùm temporalis potẽtia sustollit, velut in laqueum culpa comprehendit. Nam sicut in prioris huius voluminis parte iam diximus, Deo Dauid prius amabilis rectior fuit in seruitio, quàm cùm peruenit ad regnum. Seruus nanque amore iustitiæ, deprehensum aduersarium ferire timuit: rex autem persuasione luxuriæ deuotum militem etiam sub studio fraudis extinxit. Quis ergo opes, quis potestatem, quis gloriam quærat innoxiè, si & illi extiterunt noxia, qui hæc habuit non quæsita? Quis inter hæc sine magno discriminis labore saluabitur, si ille in his culpa interueniente turbatus est, qui ad hæc fuerat Deo eligente præparatus? Admonendi sunt vt considerent, quia Salomon qui post tantam sapientiam vsque ad idololatriam cecidisse describitur; nihil in hoc mundo prius quàm caderet aduersitatis habuisse memoratur. Sed concessa sapientia funditus cor deseruit, quod nulla, vel minima tribulationis disciplina custodiuit.

Prouer.1. *1.Cor.3.* *Canti.2.* *Prouer.3.* *Psal.107.* *Psal.67.* *Lucæ.16.* *Psal.104.* *Psal.72.* *1.Reg.24.* *2.Reg.11.* *3.Reg.11.*

Admonitio XXVIII.

ALiter admonendi sunt coniugiis obligati: atque aliter à coniugij nexibus liberi. Admonendi sunt nanque coniugiis obligati, vt cùm vicissim quæ sunt alterius cogitant, sic eorum quisque placere studeat coniugi, vt non displiceat conditori: sic ea quæ huius mundi sunt agant, vt tamen appetere quæ Dei sunt nõ omittant: sic de bonis præsentibus gaudeant, vt tamen solicita intentione mala æterna pertimescãt: sic de malis temporalibus lugeant, vt tamen consolatione integra spem in bonis perennibus figant: quatenus dum in transitu cognoscunt esse omne quod agunt, in mansione sciant quod appetunt: nec mala mundi cor confringant, cùm spes bonorum cœlestium roborat: nec bona præsentis vitæ decipiant, cùm suspecta subsequentis iudicij mala contristant. Itaque animus Christianorum coniugum & infirmus & fidelis, qui & plenè cuncta temporalia despicere non valet, & tamen æternis se coniungere per desiderium valet: quanuis in delectatione carnis interim iaceat, supernæ spei rectione conualescat. Et si habet quæ mundi sunt in vsu itineris, speret quæ Dei sunt in fructu peruentionis: nec totum se ad hoc quod agit conferat, ne ab eo quod robustè sperare debuit, funditus cadat. Quod bene ac breuiter Paulus exprimit dicens: Qui habent vxores, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes; & qui gaudent, tanquam non gaudentes. Vxorem quippe quasi non habendo habet, qui sic per illam carnali consolatione vtitur, vt tamen nunquam ad praua opera à melioris intentionis rectitudine eius amore flectatur. Vxorem quasi non habendo habet, qui transitoria esse cuncta conspiciens, curam carnis ex necessitate tolerat, sed æterna gaudia spiritus ex desiderio expectat. Non flendo autem flere, est sic exteriora aduersa plangere, vt tamen noũerit æternæ quoque spei consolatione gaudere. Et rursum, nõ gaudendo gaudere, est sic de infimis animum attollere, vt tamen nunquam desinat summa formidare. Vbi quoque aptè paulò pòst idem doctor ac prædicator gentium subdit dicens: Præterit enim figura huius mundi: ac si apertè diceret: Nolite constanter mundum diligere, quando & ipse nõ potest quem diligitis stare. Incassum cor quasi manentes figitis, dum fugit ipse quem amatis. Admonendi sunt coniuges vt ea in quibus sibi aliquando displicent, & patientes inuicem tolerent, & exhortantes inuicem saluent. Scriptum nanque est: Inuicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi. Lex quippe Christi, charitas est: quia ille nobis & largiter sua bona contulit, & æquanimiter mala nostra portauit. Tunc ergo legem Christi & eius mandata imitando complemus, quando & nostra bona benignè conferimus, & nostrorum mala piè sustinemus. Admonendi quoque sunt & coniuges, vt eorum quisque non tam quæ ab altero tolerat, quàm quæ ab ipso tolerentur attendat. Si enim sua quæ portantur consideret, ea quæ ab altero sustinet leuius portat. Admonendi sunt coniuges vt suscipiendæ prolis se meminerint causa coniunctos, & cùm immoderatæ admixtioni seruientes, propagationis articulum in vsum transferunt voluptatis, perpendant, quòd licet extrà non exeant, in ipso tamen coniugio coniugij iura transcendunt. Vnde necesse est vt crebris exhortationibus moneantur, vt defleant quòd pulchram copulæ speciem admixtis voluptatibus fœdant. Hinc est enim quòd peritus medicinæ cœlestis Apostolus non tam sanos instituit quàm infirmis medicamenta monstrauit, dicens: De quibus scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem vnusquisque suam habeat vxorem, & vnaquæque suum virum habeat. Qui enim fornicationis metum præmisit, profectò non

Ibidem. *Galat.6.* *1.Cor.7.* *1.Cor.7.*

stantibus præceptum contulit: sed ne fortasse in terra ruerent, lectum cadentibus ostendit. Vnde adhuc infirmantibus subdidit: Vxori vir debitum reddat, similiter & vxor viro. Quibus dum in magna honestate coniugij aliquid de voluptate largiretur, paulò pòst subdidit: Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Culpa quippe esse innuitur, quod indulgeri perhibetur. Sed quæ tantò citius relaxetur, quantò non per hanc illicitum quid agitur: sed hoc quod est licitum, sub moderamine non tenetur. Quod bene Loth in semetipso exprimit, qui ardentem Sodomam fugit: sed tamen Segor veniẽs, nequaquam mox montana conscendit. Ardentem quippe Sodomam fugere, est illicita carnis incendia declinare. Altitudo verò montium, est munditia continentium. Vel certè quasi in monte sunt qui & iam carnali copulæ inhærent, sed tamen extra suscipiendæ prolis admixtionem debitam, nulla carnis voluptate soluuntur. In monte quippe stare quid est nisi fructus propaginis in carne non quærere? In monte stare, est carni carnaliter non adhærere. Sed quia multi sunt, qui scelera quidem carnis deserunt, nec tamen in coniugio positi, vsus solummodo debiti iura conseruant: exiit quidem Loth Sodomam, sed tamen mox ad montana non peruenit: quia iam damnabilis vita relinquitur, sed adhuc celsitudo coniugalis continentiæ subtiliter non tenetur. Est verò in medio Segor ciuitas, quæ fugientem saluet infirmum: quia videlicet cùm sibi per incontinentiam miscentur coniuges, & lapsus scelerum fugiunt, & tamen venia saluantur. Quasi paruam quippe ciuitatem inueniunt in qua ab ignibus defendantur: quia coniugalis hæc vita non quidem in virtutibus mira est, sed tamen à suppliciis secura. Vnde idem Loth ad Angelum dicit: Est ciuitas hîc iuxta ad quam possum fugere, parua, & saluabor in ea. Nunquid non modica est, & viuet anima mea in ea? Iuxtà ergo Segor dicitur, & tamen ad salutem tuta perhibetur: quia coniugalis vita nec à mundo longè diuisa est, nec tamen à gaudio salutis aliena. Sed tunc in hac actione vitam suam coniuges quasi in parua ciuitate custodiunt, quando pro se adsiduis deprecationibus intercedũt. Vnde rectè per Angelum ad eundem Loth dicitur: Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem pro qua locutus es. Quia videlicet cùm deprecatio funditur Deo, nequaquam talis coniugij vita damnatur. De qua deprecatione quoque Paulus admonet dicens: Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi. At contrà admonendi sunt qui ligati coniugiis non sunt, vt cœlestibus præceptis eò rectiùs seruiant, quò eos ad curas mundi nequaquam iugum copulæ carnalis inclinat: vt quos onus licitum coniugij non grauat, nequaquam pondus illicitum terrenæ sollicitudinis premat, sed tantò eos pariores dies vltionis quantò expeditiores inueniat: ne quò meliora agere vacantes possunt, sed tamen negligunt, eò supplicia deteriora mereãt. Audiant quòd Apostolus cùm quosdam ad cœlibatus gratiam instrueret, non coniugium spreuit, sed curas mundi nascentes ex coniugio repulit, dicens: Hoc ad vtilitatem vestrãm dico, non vt laqueum vobis iniiciam: sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Domino obseruiendi. Ex coniugiis quippe terrenæ sollicitudines prodeunt: & idcirco magister gentium auditores suos ad meliores persuasit, ne sollicitudine terrena ligarentur. Quem ergo cœlibem curarum secularium impedimentum præpedit, & coniugio se nequaquam subdidit, & tamen coniugij onera non euasit. Admonendi sunt cœlibes ne fine damnationis iudicio misceri se fœminis † vacantibus putent. Cùm enim Paulus fornicationis vitium tot criminibus execrandis inseruit, cuius sit reatus indicauit dicens: Neque fornicatores, neque seruientes idolis, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et rursum: Fornicatores autem & adulteros iudicabit Deus. Admonendi sunt itaque, vt si tentationum procellas cum difficultate salutis tolerant, coniugij portum petant. Scriptum nanque est: Melius est nubere quàm vri. Sine culpa quippe ad coniugium veniunt, si tamen necdum meliora vouerunt. Nam quisquis bonum maius subire proposuit, bonum minus quod licuit illicitum fecit. Scriptum

Ibidem. *Ibidem.* *Gene.19.* *Gene.19.* *Ibidem.* *1.Corint.7.* *Ibidem.* † *al. vocantibus.* *1.Corint.6.* *Hebr. 13.* *1. Corint.7.* *Lucæ. 9.*

E quippe est: Nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retrò, aptus est regno cœlorum. Qui igitur fortiori studio intenderat, retrò conuincitur respicere, si relictis amplioribus bonis ad minima retorquetur.

Admonitio XXIX.

ALiter admonendi sunt peccatorum carnis conscij, atque aliter ignari. Admonendi nanque sunt peccata carnis experti, vt mare saltem post naufragium metuant, & perditionis suæ discrimina vel cognita perhorrescant: ne qui piè post perpetrata mala seruati sunt, hæc improbè repetẽdo moriantur. Vnde peccanti animæ nunquam à peccato desinenti dicitur: Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Admonendi sunt itaque vt studeant, quatenus si accepta naturæ bona integra seruare noluerunt, saltem scissa resarciant. Quibus nimirum necesse est, vt perpendant in tam magno fidelium numero, quàm multi & se illibatos custodiant, & alios ab errore conuertant. Quid ergo isti dicturi sunt, si aliis in integritate stantibus, ipsi nec post damna resipiscant? F Quid dicturi sunt, si cùm multi & alios secum deserunt ad regnum, hi expectanti Domino nec semetipsos reducant? Admonendi sunt vt præterita commissa considerent, & imminentia deuitent. Vnde sub Iudææ specie per Prophetam Dominus corruptis in hoc mundo mentibus, transactas ad memoriam culpas reuocat, quatenus pollui in futuris erubescãt, dicens: Fornicatæ sunt in Aegypto in adolescentia sua: ibi subacta sunt vbera earum, & fractæ sunt mammæ pubertatis earum: In Aegypto quippe vbera subiguntur, cùm turpi huius mundi desiderio humanæ mentis voluntas substernitur. In Aegypto pubertatis mammæ franguntur, quando naturales sensus adhuc in semetipsis integri, pulsantis concupiscentiæ corruptione vitiantur. Admonendi sunt carnis peccata experti, vt vigilanti cura conspiciant, post delicta nobis ad se redeuntibus Deus quanta beneuolentia sinum suæ pietatis expandat, cùm per Prophetam dicat: Si dimiserit vir vxorem suam, & illa recedens duxerit virum alium, nunquid reuertetur ad eum vltrà? G Nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus. Ecce de fornicante & relicta muliere argumentum iustitiæ proponitur, & tamen nobis redeuntibus post lapsum non iustitia, sed pietas exhibetur. Vt hinc vtique colligamus, si nobis delinquentibus tãta pietate parcitur, à nobis nec post delictum redeuntibus quanta improbitate peccatur: aut quæ ab illo erit super improbos venia, qui non cessat vocare post culpam? Quæ nimirum bene per Prophetam post delictum misericordia vocationis exprimitur, cùm auerso homini dicitur: Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum post tergum monentis. Humanum quippe genus Dominus in faciem monuit, quando in paradiso condito homini atque in libero arbitrio stanti, quid facere, quídve non facere deberet indixit. Sed homo in Dei faciem terga dedit, cùm superbiens eius iussa contempsit. Nec tamen superbientem Deus deseruit, qui ad reuocandum hominem legem dedit, H exhortantes Angelos misit, in carne nostræ mortalitatis ipse apparuit. Ergo post tergum stans nos admonuit, qui ad recuperationem nos gratiæ etiam contemptus vocauit. Quod igitur generaliter simul potuit dici de cunctis, hoc necesse est specialiter sentiri de singulis. Quasi enim coram Deo positus quisque verba monitionis eius percipit, cùm priusquam peccata perpetret, voluntatis eius præcepta cognoscit. Adhuc enim ante faciem eius stare, est necdum eum peccando contemnere. Cùm verò derelicto bono innocentiæ iniquitatem eligens appetit, iam terga in eius faciem mittit. Sed ecce adhuc & post tergum Deus subsequens monet, qui etiam post culpam ad se redire persuadet. Auersum reuocat, cùm cõmissa non respicit, sed reuertenti sinum pietatis expandit. Vocem ergo post tergum monentis audimus, si ad inuitantem nos Dominum saltem post peccata reuertimur. Debemus ergo pietatem vocantis erubescere, si iustitiam nolumus formidare: quia tantò grauiori improbitate contemnitur, quantò & contemptus adhuc vocare non dedignatur. At contrà admonendi sunt peccata carnis ignorantes, vt tantò sollicitiùs præcipitem ruinam metuant, quantò altius stant. Admonendi sunt vt nouerint,

Hiere.3. *Hieré. 3.* *Esaiæ.30.*

nouerint, quia quò magis loco præeminenti consistũt, eò crebrioribus sagittis insidiatoris impetuntur. Quia tantò ardentius solet erigi, quantò robustius se conspicit vinci: tantóque intolerabilius dedignatur vinci, quantò contra se videt per integra infirmæ carnis castra pugnari. Admonendi sunt vt incessanter præmia suspiciant, & libenter proculdubio tentationum quas tolerant labores calcabunt. Si enim attendatur fœlicitas quæ sine transitu attingitur, lene fit quod transeundo laboratur. Audiant quod per prophetam dicitur: Hæc dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint sabbata mea & elegerint quę volui, & fœdus meum tenuerint, dabo eis in domo mea & in muris meis locum & nomen melius à filiis & filiabus. Eunuchi quippe sunt, qui compressis motibus carnis, affectum in se praui operis abscindunt. Quo autem apud patrẽ loco habeantur ostenditur, quia in domo patris videlicet æterna mansione etiam filiis præseruntur. Audiant quod per Ioannem dicitur: Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt, & sequuntur agnum quocunque ierit. Et quòd canticum cantant quod nemo potest dicere, nisi illa centum quadraginta quatuor milia. Singulariter quippe canticum agno cantare, est cum eo in perpetuum præ cunctis fidelibus etiam de incorruptione carnis gaudere. Quod tamẽ electi cæteri canticum audire possunt, licet dicere nequeant: quia per charitatem quidem in illorum celsitudine læti sunt, quanuis ad eorum præmia non assurgant. Audiant peccatorũ carnis ignari quod per semetipsam de hac integritate veritas dicit: Non omnes capiunt verbum hoc. Quod eo innotuit summum esse, quo denegauit omnium: & dum prædicit quia difficile capitur, audientibus innuit, captum cum qua cautela teneatur. Admonendi sunt itaque peccata carnis ignorantes, vt & præeminere virginitatem coniugio sciant: & tamẽ se super coniuges non extollant, quatenus dum & virginitatem præferunt, & se postponunt: & illud non deserant quod melius esse æstiment, & se custodiant quo se inaniter non exaltãt. Admonendi sunt vt considerent quòd plerunque actione secularium vita continentium confunditur, cùm illi vltra habitum assumant opera, & isti iuxta ordinem proprium non excitant corda. Vnde bene per prophetam dicitur: Erubesce Sidon, ait mare. Quasi enim per vocem maris ad verecundiã Sidon adducitur, quando per comparationem vitæ secularium atque in hoc mundo fluctuantium, eius qui munitus & stabilis cernitur, vita reprobatur. Sæpe enim nonnulli ad Dominũ post peccata carnis reducuntes, tantò ardentius se in bonis operibus exhibent, quantò damnabiliores se de malis vident. Et sæpe quidam in carnis integritate perdurantes, cùm minus se respiciunt habere quod defleant, plenè sibi sufficere vitæ suæ innocentiam putant atque ad seruorem spiritus nullis se ardoris stimulis inflammant. Et fit plerunque Deo gratior amore ardens vita post culpam, quàm securitate torpens innocentia. Vnde & voce iudicis dicitur: Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. &: Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitente magis, quàm super nonagintanouẽ iustis, quibus non opus est pœnitentia. Quod citius ex ipso vsu colligimus, si nostræ mentis iudicia pensemus. Plus nanque terram diligimus quæ post spinas exarata fructus vberes producit, quàm quæ nullas spinas habuit, sed tamen exculta sterilem segetem gignit. Admonendi sunt peccata carnis ignorantes, ne superioris ordinis celsitudine se cæteris præferant, cùm ab inferioribus quanta se melius agantur ignorant. In examine nanque recti iudicii mutat merita ordinum, qualitas actionum. Quis enim consideratis rerum ipsis imaginibus nesciat quòd in natura gemmarum carbunculus præfertur hyacintho? Sed tamen cærulei coloris hyacinthus præfertur pallenti carbunculo: quia & illi quod naturæ ordo subtrahit, species decoris adiungit, & hunc quem naturalis ordo prætulerat, coloris qualitas fœdat. Sic ergo in humano genere & quidam in meliori ordine deteriores sunt, & quidam in deteriori meliores: quia & isti sortem extremi habitus bene viuendo transcendunt, & illi superioris loci meritum moribus non exæquando diminuunt.

Esaiæ 36. *Apoc.13.* *Matth.19.* *Esaiæ 23.* *Lucæ 7.*

Admonitio XXX.

ALiter admonendi sunt qui peccata deplorant operum, atque aliter qui cogitationum. Admonẽdi quippe sunt qui A peccata deplorant operum, vt consummata mala perfecto diluant lamento, ne plus astringantur in debito perpetrati operis, & minus soluant fletibus satisfactionis. Scriptum quippe est: Potum dedit nobis in lachrymis & in mensura: vt videlicet vniuscuiusque mens tantum pœnitendo compunctionis suæ bibat lachrymas, quantum se à Deo meminit aruisse per culpas. Admonendi sunt vt incessanter admissa ante oculos reducant, atque viuendo agant vt à districto iudice videri nõ non debeant. Vnde Dauid cùm peteret dicens: Auerte oculos tuos à peccatis meis: paulò superius intulit: Delictum meum coram me est semper: ac si diceret: Peccatum meum ne respicias postulo, quia hoc respicere ipse non cesso. Vnde & per prophetam Dominus dicit: Et peccatorum tuorum memor non ero, tu autem memor esto. Admonendi sunt vt singula quæque admissa considerent, & dum per vnumquodque erroris sui inquinationem deflent, simul se ac totos lachrymis mundent. Vnde bene per Hieremiam dicitur, cùm Iudææ singula delicta pensarentur: Diuisiones aquarum deduxit oculus meus. B Diuisas quippe ex oculis aquas deducimus, quando peccatis singulis dispertitas lachrymas damus. Neque enim vno eodémque tempore æque mens de omnibus dolet, sed dum nunc huius nunc illius culpæ memoria acrius tangitur, simul de omnibus in singulis commota purgatur. Admonendi sunt, vt de misericordia quam postulant præsumant, ne vi immoderatæ afflictionis intereant. Neque enim piè Dominus ante delinquentium oculos flenda peccata opponeret, si per semetipsum ea districtè ferire voluisset. Constat enim quòd à suo iudicio abscondere voluit, quos miserãdo præueniens sibimetipsis iudices fecit. Hinc enim scriptum est: Præueniamus faciem Domini in confessione. Hinc per Paulum dicitur: Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Rursùmque admonendi sunt, vt sic de spe fiduciã habeant, ne tamen incauta securitate torpescant. Plerunque enim hostis callidus mentem quam peccato supplantat, cùm de ruina sua afflictam respicit, securitatis pestiferæ blãditiis seducit. C Quod figuratè exprimitur, cùm factum Dinæ memoratur. Scriptum quippe est: Egressa est Dina vt videret mulieres regionis illius: quam cùm vidisset Sichen filius Emor Euei princeps terræ illius, adamauit, & rapuit, & dormiuit cum illa, vi opprimẽs virginẽ, & conglutinata est anima eius cum ea, tristẽq; blãditiis deliniuit. Dina quippe vt mulieres videat extraneę regionis egreditur, quando vnaquæque mẽs sua studia negligẽs, actiones alienas curans, extra habitũ atque extra ordinem proprium vagatur. Quam Sichen princeps terræ illius opprimit: quia videlicet inuentã in curis exterioribus diabolus corrumpit. Et conglutinata est anima eius cum ea: quia vnitam sibi per iniquitatem respicit. Et quia cùm mens à culpa resipiscit, ad se ducitur, atque admissum flere conatur, corruptor autem spes & securitates vacuas ante oculos reuocat, quatenus vtilitatem tristitiæ subtrahat, rectè illic subiungitur: Tristémque blãditiis deliniuit. Modò enim aliorũ facta grauiora, modò nihil esse quod perpetratũ est, modò misericordem Deum loquitur, modò adhuc tẽpus subsequens ad pœnitentiam pollicetur: vt dum per hæc decepta mens ducitur, ab D intentione pœnitẽtiæ suspendatur: quatenus tunc bona nulla percipiat quam nunc mala contristant, & tunc plenius obruatur suppliciis quæ nunc etiam gaudet in delictis. At cõtrà admonẽdi sunt qui peccata cogitationũ deflent, vt solicitè considerent intra mẽtis arcana vtrum delectatione tãtùm modo, an etiam cõsensu deliquerint. Plerunque enim tẽtatum cor & ex carnis nequitia delectatur, & tamen eidem nequitiæ ex ratione renititur, vt in secreto cogitationis & cõtristet quòd libet, & libeat quod cõtristat. Nonnunquam verò ita mens baratro tentationis absorbetur, vt nullatenus renitatur, sed ex deliberatione sequitur hoc vnde ex delectatione pulsatur: & si facultas exterior suppetat, rerum mox affectibus interiora vota cõsummat. Quod videlicet si iusta animaduersio districti iudicis respicit, non est iam cogitationis culpa sed operis: quia etsi rerum tarditas foràs peccatum distulit, intus hoc cõsensionis opere volũtas impleuit. In primo autẽ parẽte didicimus quia tribus modis omnis culpæ nequitiã perpetramus: suggestione scilicet, delectatione, & cõsensu. Primum itaque per hostem secũdum verò per carnem, tertium per spiritum perpetratur,

Psal.79. *Psal.50.* *Thren.3.* *Psal.94.* *1.Cor.11.* *Gen.34.*

Insidiator enim praua suggerit, caro se delectationi subiicit, atq; ad extremum spiritus victus delectatione consentit. Vnde & ille serpens praua suggessit. Eua autem quasi caro se delectationi subdidit. Adam verò velut spiritus suggestione ac delectatione superatus consensit. Suggestione itaque peccatum agnoscimus, delectatione vincimur, consensu etiam ligamur. Admonendi sunt igitur qui nequitias cogitationis deflent, vt sollicitè considerent in qua peccati mensura ceciderunt, quatenus iuxta ruinæ modum quam in semetipsis introrsus sentiunt, etiam mensura lamentationis erigantur: ne si cogitata mala minus excruciant, vsque ad perpetranda opera perducant. Sed inter hæc ita terrendi sunt, vt tamen minimè frangantur. Sæpe enim misericors Deus eò citius peccata cordis abluit, quò exire ad opera non permittit: & cogitata nequitia tantò citius soluitur, quantò effectu operis districtius non ligatur. *Psalm.31.* Vnde rectè per Psalmistam dicitur: Dixi pronunciabo aduersum me iniustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. Qui autem impietatem cordis subdidit: quia cogitationum iniustitias pronũciare vellet indicauit. Dúmque ait: Dixi, pronunciabo: atque ilico adiunxit, Et tu remisisti: quàm sit super hæc facilis venia ostendit. Et dum se adhuc petere promittit, hoc quod petere se promittebat obtinuit, quatenus quia vsque ad opus non venerat culpa, vsque ad cruciatum non perueniret pœnitentia, sed cogitata afflictio mentem tergeret, quam nimirum tantummodo cogitata iniquitas inquinasset.

Admonitio XXXI.

Aliter admonendi sunt qui admissa plangunt, nec tamen deserunt: atque aliter qui deserunt nec tamen plangunt. *de pœnit. distinct.3. Qui admissa.* Admonendi sunt enim qui admissa plangunt, nec tamen deserunt: vt considerare sollicitè sciant quia flendo inaniter se mundant, qui viuendo se nequiter inquinant, cùm idcirco se lachrymis lauant, vt mundi ad sordes redeant. *Prouer.26. & 2.Pet.2.* Hinc enim scriptum est: Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti. Canis quippe cùm vomit, profectò cibum qui pectus deprimebat proiicit: sed cùm ad vomitum reuertitur, vnde leuigatus fuerat, rursus oneratur. Et qui admissa plangunt profectò nequitiam de qua malè satiati fuerant, & quæ mentis intima deprimebat confitendo proiiciunt, quam post confessionem dum repetunt resumunt. Sus verò in volutabro luti cùm lauatur, sordidior redditur. *ead. distin. Quia admissum.* Et quia admissum plangit, nec tamen deserit, pene grauiori culpæ se subiicit: quia ipsam quam flendo potuit impetrare veniam contemnit, & quasi in lutosa aqua semetipsum voluit: quia dum fletibus suis vitæ munditiam subtrahit, ante Dei oculos sordidas ipsas etiam lachrymas facit. *Eccle.7.* Hinc rursum scriptum est: Ne iteres verbum in oratione tua. Verbum nanque in oratione iterare, est post fletũ committere quod rursum necesse sit flere. *Esaiæ.1. ead. distin. Lauamini.* Hinc per Esaiam dicitur: Lauamini, mundi estote. Post lauacrum enim mundus esse negligit, quisquis post lachrymas vitæ innocentiam non custodit. Lauantur ergo & nequaquam mundi sunt, qui commissa flere non desinunt, sed rursus flenda committunt. *Eccle.34. ead. distin. Baptizantur.* Hinc quoque per quendam sapiẽtem dicitur: Quid prodest si quis baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lauatio eius? Baptizatur quippe à mortuo qui † mundatur fletibus à peccato. *† al mundat.* Sed post baptisma mortuum tangit, qui culpam post lachrymas repetit. Admonendi sunt qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, vt ante districti iudicis oculos eis se esse similes agnoscant, qui venientes ad faciem quorundam hominum magna eis submissione blandiuntur, recedentes autem inimicitias ac damna quæ valent atrociter inferunt. Quid enim culpam flere, nisi humilitatem Deo suæ deuotionis ostendere? Et quid est post fletum praua agere, nisi superbas in eum quem rogauerat, inimicitias exercere? *Iacobi.4.* Iacobo attestante qui ait: Quicunque voluerit amicus esse seculi huius, inimicus Dei constituitur. Admonendi sunt qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, vt sollicitè considerent, quia ita plerunque mali inutiliter compunguntur ad iustitiam, sicut plerunque boni innoxiè tentantur ad culpam. Fit quippe mira exigentibus meritis dispositionis internæ mensura, vt & illi dum de bono aliquid agunt quod tamen non perficiunt, superbè inter ipsa quæ etiam plenissimè perpetrant mala confidant: Et isti dum de malo tentantur cui nequaquam consentiunt, quo per debilitatem ac infirmitatem titubant, eò gressus cordis ad iustitiam per patientiam & humilitatem veriùs figant. *Nume.23.* Balaam quippe tabernacula iustorum respiciens ait: Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia. *Nume.24.* Sed cùm compunctionis tempus abscessit, contra eorum vitam quibus se similem fieri etiam moriendo poposcerat, consilium præbuit. Et cùm occasionem de auaritia reperit, citò oblitus est quicquid sibi de innocentia optauit. *Roma.7.* Hinc verò doctor & prædicator gentium Paulus ait: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati quæ est in membris meis. Qui profectò idcirco tentatur, vt in bono robustiùs ex ipsa infirmitatis suæ cognitione solidetur. Quid est ergo quòd ille cõpungitur, & tamen iustitiæ non appropinquat: iste tentatur, & tamen eum culpa non inquinat? nisi hoc quod apertè ostenditur, quòd nec malos bona imperfecta adiuuant, nec bonos mala inconsummata condemnant. At contrà admonendi quoque sunt etiam qui admissa deserunt, nec tamen plangunt, ne iam relaxatas æstiment culpas, quas etsi agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus mundant. Neque enim scriptor si à scriptione cessauerit, quia alia non addidit, etiam illa quæ scripserat deleuit: & simili modo, nec qui contumelias irrogat, si solummodo tacuerit, satisfecit: cùm profectò necesse sit vt verba præmissæ superbiæ verbis subiunctæ humilitatis impugnet: nec debitor absolutus est quia alia non multiplicat, nisi & illa quæ ligauerat soluat. Ita & cùm Deo delinquimus, nequaquam satisfacimus, si ab iniquitate cessamus: nisi voluptates quoque quas diliximus, è contrario appositis lamentis insequamur. Si enim nulla nos in hac vita operum culpa maculasset, nequaquaquam nobis hîc adhuc degentibus ipsa ad securitatem innocentia nostra sufficeret: quia illicita animum multa pulsarent. Qua ergo mente securus est, qui perpetratis iniquitatibus ipse sibi testis est, quia innocens non est? Neque enim Deus nostris cruciatibus pascitur, sed delictorum morbo medicamentis contrariis medetur: vt qui voluptatibus delectati discessimus, rursum fletibus amaricati redeamus. Et qui per illicita defluendo cecidimus, etiam à licitis nosmetipsos restringẽdo, surgamus. Et cor quod insana lætitia infuderat, salubris tristitia exurat: & quod vulnerauerat elatio superbiæ, curet obiectio humilis vitæ. *Psalm.74.* Hinc enim scriptum est: Dixi iniquis nolite iniquè agere: & delinquentibus, nolite exaltare cornu. Cornu quippe delinquentes exaltant, si nequaquam se ad pœnitentiam ex cognitione suæ iniquitatis humiliant. *Psalm.50.* Hinc rursum dicitur: Cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Quisquis enim peccata plangit, nec tamen deserit, cor quidem conterit, sed humiliare contemnit. Qui verò peccata iam deserit nec tamen plangit, iam quidem humiliat, sed tamen cor conterere recusat. *1.Corinth.6.* Hinc Paulus ait: Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis. Quia nimirum illos emendatior vita sanctificat, quos & per pœnitẽtiam abluens afflictio fletuum mundat. Hinc Petrus cùm quosdam territos malorum suorum consideratione conspiceret, admonuit dicens: *Acto.2.* Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum. Dicturus enim baptisma, præmisit pœnitentiæ lamenta: vt prius se aqua suæ afflictionis infunderent, & postmodum sacramento baptismatis lauarent. Qua ego mente qui transactas culpas flere negligunt, viuunt securi de venia, quando ipse summus pastor Ecclesiæ huic etiam sacramento addendam pœnitentiam credidit, quod peccata principaliter extinguit?

Admonitio XXXII.

Aliter admonendi sunt qui illicita quæ faciunt etiam laudant, atque aliter qui accusant praua, nec tamen deuitant. Admonendi sunt enim qui illicita quæ faciunt etiam laudant, vt considerent quòd plerunque plùs ore quàm opere delinquant. Opere nanque per semetipsos solos praua perpetrant. Ore autem per tot personas iniquitatem exhibent, quot audientium mentes iniqua laudantes docent. Admonendi ergò sunt vt si eradicare mala dissimulant, saltem seminare pertimescant. Admonendi sunt vt eis perditio priuata sufficiat. Rursúmq; admonendi sunt, vt si esse mali non metuunt, erubescant

saltẽ videri quod sunt. Plerunq; enim culpa dum absconditur, effugatur: quia dũ mẽs erubescit videri quod tamẽ esse non metuit, erubescit quãdoq; esse quod fugit videri. Cũ verò prauus quisq; impudẽter innotescit, quo liberius omne facinus perpetrat, eo etiam licitum putat: & quod licitum suspicatur, in hoc proculdubio multiplicius mergitur. *Esa.3.* Vnde scriptum est: Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt. Peccatum enim suum absconderet Sodoma, si adhuc sub timore peccaret. Sed funditùs frena timoris amiserat, quæ ad culpam nec tenebras requirebat. *Gene.18.* Vnde & rursum scriptum est: Clamor Sodomorum & Gomorrę multiplicatus est. Peccatum quippe cum voce, est culpa cum actione: peccatum verò etiam cum clamore, est culpa cum libertate. At contrà admonendi sunt qui accusant praua, nec tamen deuitant, vt prouidè perpẽdant, quid in districto Dei iudicio pro sua excusatione dicturi sunt, qui de reatu suorum criminum etiam semetipsis iudicibus nõ excusantur. Hi itaq; quid aliud quàm pręcones sunt sui? voces contra culpas proferunt, & semetipsos operibus reos † tradunt. *† al. trahũt.* Admonẽdi sunt vt videant, quia de occulta iam retributione iudicij est quòd eorum mens malum quod perpetrat illuminatur vt videat, sed non conatur vt vincat: vt quo melius videt, eo deterius pereat: quia & intelligentiæ lumen percipit, & actionis prauę tenebras non relinquit. Nam cùm acceptam ad adiutorium scientiam negligunt, hanc contra se in testimonium vertunt, & de lumine intelligentiæ augent supplicia: quod profectò acceperant vt possent delere peccata. Quorum nimirum nequitia dum malum agit quod diiudicat, venturum iudicium iam hîc degustat: vt cum æternis suppliciis seruatur obnoxia, suo hîc interim examine non sit absoluta: tantóque illic grauiora tormenta percipiat, quantò hîc malum non deserit, etiam quod ipsa mens condemnat. *Luca 12.* Hinc enim veritas dicit: Seruus qui cognouit voluntatem domini sui & non fecit secundum voluntatem eius, plagis vapulabit multis. *Psal.54.* Hinc Psalmista ait: Descendant in infernum viuentes. Viui quippe quæ circa illos aguntur, sciunt & sentiunt, mortui autem sentire nihil possunt. Mortui autem in infernum descenderent, si mala nesciendo perpetrarent. Cùm verò sciunt mala & tamen faciunt, ad iniquitatis infernum viuentes miseri sentientésque descendunt.

Admonitio XXXIII.

Aliter admonendi sunt qui repentina cõcupiscentia superantur, atque aliter qui in culpa ex consilio ligantur. Admonendi itaque sunt quos repetina concupiscentia superat, vt in bello præsentis vitæ se quotidie positos attendant, & cor quod præuidere vulnera non potest, scuto soliciti timoris tegant: vt occulta insidiantis iacula hostis perhorrescant, & in tam caliginoso certamine intentione continua inter mentis castra se muniant. Nam si à circunspectionis solicitudine cor destituitur, vulnerib⁹ aperitur: quia hostis callidus tantò liberius pectus percutit, quantò nudum à prouidentiæ lorica deprehendit. Admonendi sunt qui repentina concupiscentia superantur, vt curare nimis terrena desuescãt: quia intentionem suam dum rebus transitoriis immoderatius implicant, quibus culparum iaculis transfigantur, ignorant. *Prouer.13.* Vnde per Salomonem vox percussi & dormientis exprimitur, qui ait: Verberauerunt me, sed non dolui: traxerunt me, & ego non sensi. Quando euigilabo, & rursum vina reperiam? Mens quippe à cura suæ solicitudinis dormiens verberatur & non dolet: quia sicut imminentia mala non prospicit, sic neque quæ perpetrauerit, agnoscit. Trahitur & nequaquam sentit, quia per illecebras vitiorũ ducitur: nec tamẽ ad sui custodiam suscitatur. Quæ quidẽ euigilare optat vt rursum vina reperiat: quia quamuis somno torporis à sui custodia prematur, vigilare tamẽ ad seculi curas nititur: vt semper voluptatibus deebrietur, & cùm ad illud dormiat in quo solerter euigilare debuerat, ad illud vigilare appetit, ad quod laudabiliter domire potuisset. *Ibidem.* Hinc superius scriptum est: Et eris quasi dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo. In medio enim mari dormit, qui in huius mundi tentationibus positus prouidere motus irruentiũ vitiorum quasi imminentes vndarũ cumulos negligit. Et quasi

clauum gubernator amittit, quando mens ad regendam nauẽ corporis, studium solicitudinis perdit. Clauum quippe in mari amittere, est intentionem prouidam inter procellas huius seculi non tenere. Si enim gubernator solicitè clauum stringit; modò in fluctibus ex aduerso nauem dirigit, modò ventorum impetus per obliquum findit. Ita cùm mens vigilantem animam regit, modò alia superans calcat, modò alia prouidẽns declinat, vt & præsentia laborando subiiciat, & contra futura certamina prospiciendo conualescat. *Canti.3.* Hinc rursum quoque de fortibus supernæ patriæ bellatoribus dicitur: Sit vniuscuiusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos. Ensis enim super femur ponitur, quando acumine sanctæ prædicationis praua suggestio carnis edomatur. Per noctem verò cæcitas nostræ infirmitatis ac debilitatis exprimitur: quia quicquid aduersitatis in nocte imminet, non videtur. Vniuscuiusque ergo ensis super femur suum ponitur propter tentationes siue timores nocturnos: quia videlicet sancti & perfecti viri dum ea quæ non vident metuunt, ad intentionem certaminis parati semper assistunt. *Canti.7.* Hinc rursum spõsæ dicitur: Nasus tuus sicut turris quæ est in Libano. Rem nãque quã oculis non cernimus, plerunque odore præuidemus. Per nasum quoque odores, fœtorésque discernimus. Quid ergo per nasum ecclesiæ, nisi sanctorum prouida discretio designatur: Qui etiam turri similis quæ est in Libano dicitur: quia discreta eorum prouidentia ita in alto posita est, vt tentationum certamina & prius quàm veniant videat, & contra ea dum venerint munita subsistat. Quæ enim futura præuidentur, cùm præsentia fuerint, minoris † timoris fiunt: *† al. virtutis.* quia dum contra ictum quisquis paratior redditur, hostis qui se inopinatum credidit, eo ipso quo præuisus est eneruatur. At cõtrà admonendi sunt, qui in culpa ex consilio ligantur, quatenus prouida consideratione perpendant, quia dum mala ex iudicio faciunt, districtius contra se iudicium accendunt, vt tantò eos durior sententia feriat, quantò illos in culpa arctius vincula deliberationis ligant. Citius fortasse delicta pœnitẽdo abluerent, si in his sola præcipitatione cecidissent. Nam tardius peccatum soluitur, quod per consilium solidatur. Nisi enim mens omni modo æterna despiceret, in culpa ex consilij iudicio non periret. Hac ergo præcipitatione lapsi, & per consilium pereuntes differunt, quòd cùm hi à statu iustitiæ peccando concidunt, plerunque simul & in laqueum desperationis cadunt, & radice spei funditùs euelluntur. Hinc est quòd per prophetam Dominus non tam præcipitationum praua, quàm delictorum studia reprehendit, dicens: *Hier.4.* Ne fortè egrediatur vt ignis indignatio mea & succendatur, & non sit qui extinguat, propter malitiam studiorum vestrorum. *Hier.21.* Hinc iterum iratus dicit: Visitabo super vos iuxta fructum studiorum vestrorum. Quia ergo à peccatis aliis differunt peccata quæ per consilium perpetrantur, non tam praua facta Dominus, quàm studia prauitatis insequitur. In factis enim sæpe infirmitate, sæpe negligentia, in studiis verò malitiosa semper intentione peccatur. Quo contrà rectè beati viri expressione per prophetam dicitur: *Psal.1.* Et in cathedra pestilentiæ non sedit. Cathedra quippe iudicis esse vel præsidentis solet. In cathedra autem pestilentiæ sedere, est ex iudicio praua committere. In cathedra pestilẽtiæ sedere, est & ex ratione mala discernere, & tamen ex deliberatione perpetrare. Quasi in peruersi consilij cathedra sedet, qui tãta iniquitatis elatione attollitur, vt adimplere malum etiam per consilium conetur. Et sicut assistentibus turbis prælati sunt, qui cathedræ honore fulciuntur: ita delicta eorum qui præcipitatione corruunt, exquisita per studium peccata transcendunt. Admonendi ergo sunt, vt hinc colligant, qui in culpa etiam se per consilium ligant, quã quandoque vltione feriendi sunt, qui nunc prauorum non socij, sed principes sunt.

Admonitio. XXXIIII.

Aliter admonendi sunt qui licet minima, crebrò tamen illicita faciunt: atque aliter qui se à paruis custodiunt, sed aliquando in grauioribus demerguntur. Admonendi sunt qui quamuis in minimis, sed tamen frequenter excedunt: vt nequaquam considerent qualia, sed quanta committunt. Facta enim sua si despiciunt timere, dum pensant, debent formidare cùm numerant. Altos quippe gurgites fluminum, paruæ,

tamen acriori labore fatigatur, quando vni & contrariis vitiis ſeruienti prædicare compellitur. Plerunque enim quis lætæ nimis conſperſionis exiſtit, ſed tamen eum repente triſtitia oborta immaniter deprimit. Curandum eſt itaque prædicatori quatenus ſic tergatur triſtitia, quæ venit ex tempore, vt non augeatur lætitia, quæ ſuppetit ex conſperſione. Et ſic denique lætitia frænetur, quæ ex conſperſione eſt, vt tamen non creſcat triſtitia, quæ venit ex tempore. Iſte grauatur vſu immoderatæ præcipitationis, & aliquando tamen ab eo quod feſtinè agendum eſt, eum vis præpedit ſubitò natæ formidinis. Ille grauatur vſu immoderatæ formidinis, & aliquando tamen in eo quod appetit, temeritate impellitur præcipitationis. Sic itaque in iſto reprimatur ſubitò oborta formido, vt non creſcat enutrita diu præcipitatio. Sic in illo reprimatur repente oborta præcipitatio, vt tamen non conualeſcat impreſſa ex conſperſione formido. Quid autem mirum ſi mentium medici ita cuſtodiunt, dum medici corporum tanta diſcretionis arte ſe temperant, qui non cordi ſed corpori medentur? Plerunque enim debile corpus opprimit languor immanis, cui languori ſcilicet obuiari adiutoriis fortibus debet, ſed tamen corpus debile adiutorium forte non ſuſtinet. Studet igitur qui medetur, quatenus ſic ſuperexiſtētem morbum ſubtrahat, vt nequaquam ſuppoſita corporis debilitas creſcat, ne fortaſſe languor cum vita deficiat. Tanta ergo adiutorium diſcretione componat, vt vno eodémque tempore & languori obuiet & debilitati. Sic ergo medicina corporis indiuiſè adhibita ſeruire diuiſibiliter poteſt: tunc enim vera medicina eſt, quando ſic per eam vitio ſuperexiſtenti ſuccurritur, vt etiam ſuppoſitæ conſperſioni ſeruiatur: cur medicina mentis vna eadémque prædicatione appoſita, morum morbis diuerſo ordine obuiare non valeat, quæ tantò ſubtilior agitur, quantò de inuiſibilibus tractatur.

Quòd aliquando leuiora vitia relinquenda ſunt, vt grauiora ſubtrahantur. Caput IIII.

Sed quia plerunque dum duorum vitiorum languor irruit, hoc leuius, illud fortaſſe grauius premit, ei nimirum vitio rectius ſub celeritate ſubuenitur, per quod feſtinè ad interitum tenditur. Et ſi hoc à vicina morte reſtringi non poteſt, niſi illud etiam quod exiſtit contrarium creſcat, tolerandum eſt prædicatori, vt per exhortationem ſuam artificioſo moderamine vnum patiatur creſcere, quatenus poſsit aliud à vicina morte retinere. Quod cùm agit, non morbum exaggerat, ſed vulnerati ſui cui medicamentum adhibet, vitam ſeruat, vt exquirendæ ſalutis congruum tempus inueniat. Sæpe enim quis à ciborum ſe ingluuie minimè temperans, iam iámque penè ſuperantis luxuriæ ſtimulis premitur, qui huius pugnæ metu territus, dum ſe per abſtinentiam reſtringere nititur, inanis gloriæ tentatione fatigatur: in quo nimirum vnum vitium nullatenus extinguitur, niſi aliud nutriatur. Quæ ergo peſtis ardentius inſequenda eſt, niſi quæ periculoſius premit? Tolerandum nanque eſt, vt per virtutem abſtinentiæ interim arrogantia contra viuentem creſcat, ne eum per ingluuiem à vita funditus luxuria extinguat. Hinc eſt quòd Paulus cùm infirmum auditorem ſuum perpenderet, aut praua adhuc velle agere, aut de actione recta humanæ laudis retributione gauderet, ait: *Roma.13.* Vis nō timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Neque enim ideo bona agenda ſunt, vt poteſtas huius mundi nulla timeatur, aut vt per hæc gloria tranſitoriæ laudis ſumatur: ſed cùm infirmam mentem ad tantum robur aſcendere non poſſe penſaret, vt & prauitatem vitaret ſimul & laudem, prædicator egregius ei admonendo aliquid obtulit, & aliquid tulit, concedendo enim leuia ſubtraxit acriora: vt quia ad deferenda cuncta ſimul non aſſurgeret, dum in quodam ſuo animus familiariter relinquitur, à quodam ſuo ſine labore toleretur.

Quòd infirmis mentibus omnino non debent alta prædicari. Caput V.

Sciendum verò eſt prædicatori, vt auditoris ſui animum vltra vires non trahat, ne, vt ita dicam, dum plùs quàm valet tenditur, mentis chorda rumpatur. Alta enim quæque debent multis audiētibus contegi, & vix paucis aperiri. Hinc nanque per ſemetipſam veritas dicit: *Luca 7.* Qui putas eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illi in tempore tritici menſuram? per menſuram quippe tritici exprimitur modus verbi, ne cùm anguſto cordi incapabile aliquid tribuitur, extrà fundatur. Hinc Paulus ait: *1.Corin.3.* Non potui vobis loqui quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus, tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam. Hinc Moyſes à ſecreto Dei exiens, coruſcantem coram populo faciem velat? quia nimirum turbis claritatis intimæ arcana non indicat. Hinc per eum diuina voce *Exod.34.* præcipitur, vt is qui ciſternam foderit, ſi operire neglexerit, corruente in ea boue vel aſino, precium reddat. Quia ad alta ſcientiæ fluenta perueniens, cùm hæc apud bruta audientium corda non contegit, pœnæ reus addicitur, ſi per verba eius in ſcandalum, ſiue munda ſiue immunda mens capiatur. Hinc ad beatum Iob dicitur: *Iob.38.* Quis dedit gallo intelligētiam? Prædicator etenim ſanctus dum caliginoſo hoc clamat in tempore, quaſi gallus cantat in nocte, dum dicit: *Roma.13.* Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Et rurſum: Euigilate iuſti, & nolite peccare. Gallus autem profundioribus horis noctis altos edere cantus ſolet. Cùm verò matutinū iam tempus in proximo eſt, minutas ac tenues voces format: quia nimirum qui rectè prædicat, obſcuris adhuc cordibus aperta clamat, nihil de occultis myſteriis indicat, vt tunc ſubtiliora quæque de cœleſtibus audiant, cùm luci veritatis appropinquant.

De opere prædicationis & voce. Caput VI.

Sed inter hæc ad ea quæ iam ſuperiùs diximus charitatis ſtudia retorquemur, vt prædicator quiſque plus actibus quàm vocibus inſonet, & bene viuendo veſtigia ſequacibus imprimat, vt potiùs agendo quàm loquendo quò gradiatur oſtendat. Quia & gallus iſte quem pro exprimenda boni prędicatoris ſpecie in locutione ſua Dominus aſſumit, cùm iam ædere cantus parat, priùs alas excutit, & ſemetipſum feriens vigilātiorem reddit. Quia nimirum neceſſe eſt, vt hi qui verba ſanctæ prædicationis monent, priùs ſtudio bonæ actionis euigilent, ne in ſemetipſis torpentes opere, alios excitent voce. Prius ſe per ſublimia facta excutiant, & tunc ad bene viuendum alios ſollicitos reddant. Prius cogitationum alis ſemetipſos feriant, quicquid in ſe inutiliter torpet, ſollicita inueſtigatione deprehendant, diſtricta animaduerſione corrigant, & tunc demum aliorum vitam loquendo componant. Prius punire propria fletibus curent, & tunc quę aliorum punienda ſunt denuncient, & antequam verba exhortationis inſonent, omne quod locuti ſunt, operibus clament.

QVARTA PARS, TRACTANS QVALITER PRÆDICATOR, OMNIBVS ritè peractis, ad ſemetipſum redeat.

Caput I.

Sed quia ſæpe prædicatio modis congruentibus vbertim funditur, apud ſemetipſum de oſtenſione ſui occulta lætitia loquentis animus ſubleuatur, magna cura neceſſe eſt, vt timoris laceratione ſe mordeat: ne qui aliorum vulnera medendo ad ſalutem reuocat, ipſe per negligentiam ſuæ ſalutis intumeſcat, ne proximos iuuando ſe deſerat, ne alios erigens cadat. Nam quibuſdam ſæpe magnitudo virtutis occaſio perditionis fuit, vt cùm de confidentia virium inordinatè ſecuri ſunt, in opinatè per negligentiam morerentur. Virtus nanque cum vitiis renititur, quadam delectatione eius ſibimetipſi animus blanditur. Fítque vt bene agentis mens metum ſuæ circunſpectionis abiiciat, atque in ſui cōfidentia ſecura requieſcat: cui iam torpenti ſeductor callidus omne quod bene geſsit enumerat, eámque quaſi præ cæteris præpollentem in tumore cogitationis exaltat. Vnde agitur, vt ante ſtulti iudicis oculos fouea mentis ſit memoria virtutis: quia reminiſcendō quod geſsit, dum ſe apud ſē erigit, apud humilitatis authorem cadit. Hinc nanque ſuperbienti animæ dicitur: *Ezech.32.* Quo pulchior es, deſcende, & dormi cum incircuncisis: ac ſi apertè diceretur: Quia ex virtutum decore te eleuas, ipſa tua pulchritudine impelleris vt cadas. *Ezech.16.* Hinc ſub Hieruſalem ſpecie virtute ſuperbiens anima reprobatur, cùm dicitur: Perfecta eras in decore meo, quem poſueram ſuper te, dicit Dominus, & habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo. Fiducia quippe ſuæ pulchritudinis animus attollitur, cùm de virtutum meritis læta apud ſe ſecuritate gloriatur. Sed per hanc eādem fiduciam ad fornicationem ducitur: quia cùm interceptam mentem cogitationes ſuæ decipiunt, hanc maligni ſpiritus per innumera vitia ſeducendo corrūpunt. Notandū verò quod dicit: Fornicata es in nomine tuo: quia cùm reſpectū mens ſuperni rectoris deſerit, laudem protinus priuatā quærit, & ſibi arrogare incipit omne bonum, quod vt largitoris præconio ſeruiret accepit, opinionis ſuæ gloriam dilatare deſiderat, ſatagit vt mirabilis cūctis innoteſcat. In ſuo ergo nomine fornicatur: quia legalis thori connubium deſerens, corruptori ſpiritui in laudis appetitu ſubſternitur. *Pſalm.77.* Hinc Dauid ait: Tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici. In captiuitatem etenim virtus & pulchritudo in manus inimici traditur, cùm deceptæ mēti antiquus hoſtis ex boni operis elatione dominatur: quæ tamen virtutis elatio, quanuis plenè nō ſuperat, vtcunque tamen & electorū animū ſæpe tētat, ſed tamē eleuatus deſtituitur, & deſtitutus ad formidinē reuocat. *Pſalm.29.* Hinc etenim Dauid iterum ait: Ego dixi in abundantia mea non mouebor in æternum. Sed quia de cōfidentia virtutis intumuit, paulò poſt quod pertulit, adiunxit: Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus: ac ſi apertè dicat: Fortem me inter virtutes *Pſalm.118.* credidi, ſed quantæ infirmitatis ſim derelictus agnoui. Hinc rurſum quoque dicit: Iuraui, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ. Sed quia eius virium non erat manere in cuſtodia quam iurabat, debilitatem ſuam protinus turbatus inuenit. *Ibidem.* Vnde & ad precis opem repente ſe contulit, dicens: Humiliatus ſum vſquequaque Domine, viuifica me ſecundum verbum tuum. Nonnunquam verò ſuperna moderatio priùs quàm per munera prouehat, infirmitatis memoriam ad mentem reuocat, ne de acceptis virtutibus intumeſcat. Vnde Ezechiel propheta quoties ad contemplanda cœleſtia ducitur, priùs filius hominis vocatur: ac ſi hunc apertè Dominus admoneat, dicens: Ne de his quæ vides elatione cor ſubleues, cautus perpende quod es: vt cùm ſumma penetras, eſſe te hominem recognoſcas, quatenus dum vltra te raperis, ad temetipſum ſolicitus infirmitatis tuæ fræno reuoceris. Vnde neceſſe eſt, vt cùm virtutum nobis copia blanditur, ad infirmitatem ſuam mentis oculus redeat, ſeſéque ſalubriter deorſum premat, ne recta quæ agit ſed quæ agere negligit, aſpiciat: vt dum cor ex memoria infirmitatis atteritur, apud humilitatis authorem robuſtius in virtute ſolidetur. Quia & plerunque omnipotens Deus idcirco rectorum mentes quāuis ex magna parte perficit, imperfectas tamen ex praua aliqua parte dereliquit: vt cùm miris virtutibus rutilant, imperfectionis ſuæ tædio tabeſcant, & nequaquam ſe de magnis erigant, dum adhuc contra minima innitentes laborant, ſed quia extrema non valent vincere, de præcipuis actibus non audeant ſuperbire. Ecce bone vir reprehenſionis meæ neceſsitate compulſus, dum monſtrare qualis eſſe debeat paſtor, inuigilo, pulchrum depinxi hominem pictor fœdus, aliósque ad perfectionis littus dirigo, qui adhuc in delictorum fluctibus verſor. Sed in huius quæſo vitæ naufragio orationis tuæ me tabula ſuſtine, vt quia pondus proprium me deprimit, tui meriti me manus leuet.

Paſtoralium D. Gregorij finis.

Tomus primus.

TABVLA CAPITVM PRIMI LIBRI Dialogorum beati Gregorij, papæ.

1 De Honorato abbate monaſterij Fundenſis.
2 De Libertino præpoſito eiuſdem monaſterij.
3 De monacho hortulano monaſterij eiuſdem.
4 De Equitio abbate Valeriæ prouinciæ.
5 De Conſtantio manſionario Eccleſiæ ſancti Stephani.
6 De Marcellino Anchonitanæ ciuitatis epiſcopo.
7 De Nonnoſo præpoſito monaſterij in monte, qui Soractis dicitur.
8 De Anaſtaſio abbate monaſterij quod Suppentonia vocatur.
9 De Bonifacio Ferentinæ ciuitatis epiſcopo.
10 De Fortunato Tudertinæ ciuitatis epiſcopo.
11 De Martyrio monacho prouinciæ Valeriæ.
12 De Seuero presbytero eiuſdem prouinciæ.

B. GREGORII PAPAE, EIVSQVE DIACONI Petri Dialogus, in quatuor libros diuiſus: De vita & miraculis patrum Italicorum, & de æternitate animarum.

Quadam die nimiis quorundam ſecularium tumultibus depreſſus, quibus in ſuis negociis plerunque cogimur ſoluere etiam, quod nos certum eſt non debere, ſecretum locum petij amicum mœrori, vbi omne quod de mea mihi occupatione diſplicebat ſe patenter oſtenderet, & cuncta quæ infligere dolorem conſueuerant, congeſta ante oculos licenter venirent. Ibi itaque cùm afflictus valde & diu tacitus ſederem, dilectiſsimus filius meus Petrus diaconus affuit, qui mihi à primæuo iuuentutis flore in amicitiis familiariter obſtrictus eſt, atque ad ſacri verbi indagationem ſocius. Qui graui excoqui cordis languore me intuens, ait: Nunquid non noui tibi aliquid accidit quòd plus te ſolito mœror tenet? Cui inquam: mœror Petre, quem quotidie patior, & ſemper mihi per vſum vetus eſt, & ſemper per augmentum nouus. *Animus in vita monaſtica quietus.* Infelix quippe animus meus occupationis ſuæ pulſatus vulnere, meminit qualis aliquando in monaſterio fuit, quomodo ei labentia cuncta ſubtererant, quantum rebus omnibus quæ voluuntur eminebat, quòd nulla niſi cœleſtia cogitare conſueuerat, quòd etiam retentus corpore, ipſa iam carnis clauſtra contemplatione tranſibat, quod mortem quoque quæ penè cunctis pœna eſt: videlicet vt ingreſſum vitæ, & laboris ſui præmium amabat. *Animi inquietudo, ſecularibus negociis occupati.* At nunc ex occaſione curæ paſtoralis ſecularium hominum negocia patitur, & poſt tam pulchram quietis ſuæ ſpeciem terreni actus puluere fœdatur. Cumque ſe pro condeſcenſione multorum ad exteriora ſparſerit, etiam cùm interiora appetit, ad hæc proculdubio minor redit. Perpendo itaque quid tolero, perpendo quid amiſi. Dúmque intueor illud quod perdidi, fit hoc grauius quod porto. Ecce etenim nunc magni maris fluctibus quatior, atque in naui mentis tempeſtatis validæ procellis illidor. Et cū prioris vitæ ſtatum recolo, quaſi poſt tergum reductis oculis viſo littore ſuſpiro. Quódque adhuc grauius eſt, dum immēſis fluctibus turbatus feror, vix iam portum videre valeo quē reliqui: quia & ita ſunt caſus mētis, vt priùs quidem perdat bonum quod tenuit, ſi tamen ſe perdidiſſe meminerit. Cumque longius receſſerit, etiā boni ipſius quod perdiderat obliuiſcitur, fítque, vt pòſt neq; per memoriam quidem videat: quod priùs per actionem tenebat. Vnde hoc agitur quod præmiſi: quia cùm nauigamus longiùs, iam nec portum quietis quem reliquimus, videmus. Nonnunquam verò ad augmentum mei doloris adiungitur, quòd quorundam vita qui præſens ſeculū tota mente reliquerunt, mihi ad memoriam reuocatur. Quorum dum culmen aſpicio, quantū ipſe in infimis iaceam agno-

sco: quorum plurimi conditori suo in secretiori vita placuerunt, qui ne per humanos actus à nouitate mentis veterascerent, eos omnipotens Deus huius mũdi laboribus noluit occupari. Sed quæ iam prolata sunt melius insinuo, si ea quæ per inquisitionem ac responsionem dicenda sunt, sola nominum prænotatione distinguo.

Petrus:

NOn valde in Italia aliquorum vitam virtutibus fulsisse cognoui: ex quorum igitur comparatione accenderis, ignoro. Equidem bonos viros in hac terra fuisse non dubito, signa tamen atque virtutes aut ab eis nequaquam facta existimo, aut ita sunt hactenus silentio suppressa, vt vtrum ne sint facta nesciamus.

Gregorius:

SI sola Petre referam, quæ de perfectis probatísque viris vnus ego homuncio, vel bonis ac fidelibus viris attestãtibus agnoui, vel per memetipsum didici, dies vt opinor, antequam sermo cessabit.

Petrus:

VEllem quærenti mihi de eis aliqua narrares. Neque hac pro re interrumpere expositionis studium graue videatur: quia non dispar ædificatio oritur ex memoria virtutum. In expositione quippe qualiter inuenienda atque tenenda sit virtus agnoscimus, in narratione vero signorum, cognoscimus inuenta ac retenta qualiter declarentur. Et sunt nonnulli quos ad amorem patriæ cœlestis plus exempla, quàm prædicamenta succendunt. Fit verò plerunque in audientis animo duplex adiutorium in exemplis patrum: quia si ad amorem venturæ vitæ ex præcedentium comparatione accẽditur, etiam si se esse aliquid existimat, dum meliora de aliis cognouerit, humiliatur.

Gregorius:

EA quæ mihi sunt virorum venerabilium narratione cõperta, incunctanter narro sanctæ authoritatis exemplo, cùm mihi luce clariùs constet, quòd Lucas & Marcus Euangelium quod scripserunt non visu, sed auditu didicerint. Sed vt dubitationis occasionem legentibus subtraham, per singula quæ describo, quibus hæc narrantibus mihi comperta sint manifestabo. Hoc verò scire te cupio, quia in quibusdam sensum solummodo, in quibusdam verò & verba cum sensu teneo: quia si de personis omnibus ipsa specialiter verba tenere voluissem, hoc rusticano vsu prolata stilus scribentis non aptè susciperet. Seniorum valde venerabilium didici relatione quod narro.

De Honorato abbate monasterij Fundensis.

Caput I.

VEnantij quondam patricij in Samnij partibus villa fuit, in qua colonus eius filium Honoratum nomine habuit. Qui ab annis puerilibus ad amorem cœlestis patriæ per abstinentiam exarsit. Cúmque tam magna conuersatione polleret, séque iam ab otioso quoque sermone restringeret, multum, vt præfatus sum, per abstinentiam carnem domaret, die quadam parentes eius vicinis suis conuiuium fecerunt, in quo ad vescendum carnes paratæ sunt: quas dum ille ad esum contingere per abstinentiæ amorem recusaret, cœperunt eũ parentes eius irridere, ac dicere: Comede, nunquid piscem in his montibus, tibi allaturi sumus. Illo verò in loco pisces audiri consueuerant, non videri. Sed cùm his sermonibus Honoratus irrideretur, repentè in conuiuio aqua ad ministeriũ defuit, & cum situla lignea, sicut illic moris est, mancipium ad fontem perrexit. Dúmque hauriret aquam, piscis situlam intrauit. Reuersúmque mancipium ante ora discumbentium piscem cum aqua fudit, qui ad totius diei victum potuisset Honorato sufficere. Mirati sunt omnes, totáque illa parentũ irrisio cessauit. Cœpere nanque in Honorato venerari abstinentiam, quam antè deridebant, sicque à Dei homine irrisionis detersit opprobria piscis † allatus de † fonte. Qui cũ magnis virtutibus crescere, à prædicto domino suo libertate donatus est, atque in eo loco qui Fundis † dicitur, monasterium construxit in quo ducentorum fermè monachorum pater extitit, ibíque vita illius circunquaque exempla exi-

Honorati abstinentia.

Piscis montanus Honorati.

† *al piscis montanus.* † *al. fondis.*

E miæ conuersationis dedit. Nam quadam die ex eo monte qui eius monasterio in excelso prominet, ingentis saxi moles eruta est, quæ per deuexum montis latus veniens totius ruinam cellæ, omniúmque fratrum interitum minabatur. Quam cùm veniertem desuper vir sanctus vidisset, frequenti voce nomen Christi inuocans, extensa mox dextera signum ei crucis opposuit, eámque in ipso deuexi montis latere cadentem fixit, sicut religiosus vir Laurentius perhibet. Et quia locus ei non fuerat quo inhærere potuisset, aspicitur ita, vt nũc vsque montem cernentibus, casura pendere videatur.

Fundis monasterium.

Laurentius.

Petrus:

PVtamus, hic tam egregius vir, vt pòst magister discipulorum fieret, prius habuit magistrum?

Gregorius:

NEquaquam hunc fuisse cuiusquam discipulum audiui, sed lege non constringitur sancti spiritus donum. Vsus quidem rectæ conuersationis est vt præesse non audeat, qui subesse non didicerit, nec obedientiam subiectis imperet, quam prælatis non nouit exhibere. Sed tamen sunt nonnulli, qui ita per magisterium spiritus intrinsecus docentur, vt etsi eis exteriùs humani magisterij disciplina desit, magistri intimi censura non desit. Quorum tamen libertas vitæ ab infirmis in exemplum non est trahenda, ne dum se quisque similiter sancto spiritu impletum præsumit, discipulus hominis esse despiciat, & magister erroris fiat. Mens autem quę diuino spiritu impletur, habet euidentissima signa sua: virtutes scilicet & humilitatem, quæ si vtraque perfectè in vna mente conueniunt, liquet quòd de præsentia sancti spiritus testimonium ferat. Sic quippe etiam Ioannes Baptista magistrum habuisse non legitur, neque ipsa veritas quæ corporali præsentia Apostolos docuit, eum corporaliter inter discipulos aggregauit. Sed quem intrinsecus docebat, extrinsecus quasi in sua libertate reliquerat. Sic Moyses in eremo edoctus mandatum ab angelo didicit, quod per hominem non cognouit: sed hæc, vt prædiximus, infirmis veneranda sunt, nõ imitanda.

Magisterium spiritus quidam habet.

Magistri necessarij sunt infirmis.

Ioannes Baptista magistrum non habuit.

Moyses caruit magistro.

Petrus:

PLacet quod dicis, sed peto vt mihi dicas, si tantus hic pater aliquem sui imitatorem discipulum reliquit.

De Libertino præposito eiusdem monasterij.

Caput II. Gregorius:

VIr reuerentissimus Libertinus, qui tempore Totilæ regis Gotthorum eiusdem Fundensis monasterij præpositus fuit, in discipulatu illius conuersus atque eruditus est. De quo quanuis virtutes multas plurimorum narratio certa vulgauerit, prædictus tamen Laurentius religiosus vir qui nunc superest, & ei ipso in tempore familiarissimus fuit, multa mihi dicere de illo consueuit, ex quibus ea quæ recolo, pauca narrabo.

IN eadem prouincia Samnij, quam suprà memoraui, idem vir pro vtilitate monasterij carpebat iter. Dúmque Darida Gotthorum dux cum exercitu in loco eodem venisset, Dei seruus ex caballo quo sedebat ab hominibus eius proiectus est. Qui iumenti perditi damnum libenter ferens, eiusdem flagellum quod tenebat diripientibus obtulit, dicens: Tollite vt habeatis qualiter hoc iumentum minare valeatis. Quibus dictis protinus se in orationẽ dedit. Cursu autem rapide prædicti ducis exercitus peruenit ad fluuium qui vocatur Vulturnus, ibíque equos suos cœperunt singuli hastis tundere, & calcaribus cruentare, sed tamen equi verberibus cæsi, calcaribus cruentati, fatigari poterant, moueri non poterant: sicque aquam fluminis tangere quasi mortale præcipitium pertimescebant. Cúmque diu cædendo sessores singuli fatigarentur, vnus eorum intulit, quia ex culpa quam seruo Dei in via fecerant, illa sui itineris dispendia tolerabant. Qui statim reuersi post se Libertinum reperiunt in oratione prostratum. Cui cùm dicerent: Surge tolle caballum tuum, ille respondit: Ite cum bono, ego caballis opus nõ habeo. Descendentes verò inuitum eum in caballum de quo deposuerant leuauerunt, & protinus abscesserunt. Quorum equi tanto cursu illud quod prius non poterant transire flumen transierunt, ac si ille fluminis alueus aquam minimè haberet.

Libertini patientia.

Caballus Libertino restituitur.

Sícque

Sícque factum est, vt cum seruo Dei vnus caballus suus redditur: omnes à singulis reciperentur.

EOdem verò tempore in Campaniæ partibus Bucellinus cum Francis venit. De monasterio verò præfati viri famuli Dei rumor exierat quòd pecunias multas haberet. Ingressi oratorium Franci, cœperunt sæuientes Libertinũ quęrere, Libertinum clamare, vbi in oratione ille prostratus iacebat. Mira valde res, quærentes, seuientésque Franci, ingredientes in ipso impingebant, & ipsum videre non poterant, sicque sua cæcitate frustrati, à monasterio sunt vacui reuersi.

Libertinus Francis inuisibilis.

ALio quoque tempore pro causa monasterij abbatis iussu qui Honorato eius magistro successerat, Rauẽnam pergebat. Pro amore verò eiusdẽ venerabilis Honorati quocunque Libertinus ibat, eius semper caligulam in sinu portare consueuerat. Itaque dum pergeret accidit, vt quędam mulier extincti filij corpusculum ferret. Quæ dum seruum Dei fuisset intuita, amore filij succensa, iumentum eius per frænum tenuit, atque cum iurámento dixit: Nullatenus recedes, nisi filium meum suscitaueris. At ille inusitatum habens tale miraculum, expauit petitionem illius, iuramenta declinare mulieris voluit, sed nequaquam præualens animo hæsit. Considerate libet quale quantúmque in eius pectore certamen fuerit. Ibi quippe pugnabat inter se humilitas conuersationis, ac pietas matris: timor ne inusitata præsumeret, dolor ne orbatæ matri non subueniret: sed ad maiorem Dei gloriam vicit pietas illud pectus virtutis, quod ideo fuit validũ, quia deuictũ: virtutis enim pectus nõ esset, si hoc pietas nõ vicisset. Itaque descendit, genua flexit, ad cœlum manus tetendit, caligulam de sinu protulit, & super extincti pueri pectus posuit. Quo orante anima pueri ad corpus rediit: quem manu comprehendit, ac flenti matri viuẽtem reddidit, atque iter quod cœperat, peregit.

Libertinus caligula Honorati puerum mortuum resuscitat.

Petrus:

QVid nam hoc esse dicimus: virtutem tanti miraculi Honorati egit meritum, an petitio Libertini?

Gregorius:

IN ostensione tam admirabilis signi cũ fide fœminæ virtus conuenit vtrorumque, atque ideo Libertinum existimo ista potuisse: quia plus didicerat de magistri, quàm de sua virtute confidere. Cuius enim caligulam in pectus extincti corpusculi posuit, eius nimirum animam obtinere quod petebat æstimauit. Nam Helisæus quoque magistri pallium ferens, atque ad Iordanem veniens, percussit semel, & aquas minimè diuisit. Sed cùm diceret: Vbi est Deus Heliæ etiam nunc? percussit fluuium magistri pallio, ac iter inter aquas fecit. Perpendis Petre quantũm in exhibendis virtutibus humilitas valet? Tunc exhibere magistri meritum virtutem potuit, quando magistri nomen ad memoriam reduxit. Quia enim ad humilitatem sub magistro rediit, quod magister fecerat & ipse fecit.

4. *Reg.* 2.

Petrus:

LIbet quod dicis, sed quæso te est ne aliquid aliud quod adhuc de ipso ad nostram ædificationem narres?

Gregorius:

ESt planè, sed si sit qui velit imitari. Ego enim virtutem patientiæ tanti patris signis & miraculis maiorem credo. Quadam nanque die is qui post venerabilis Honorati exitum monasterij regimen tenebat, contra eundem venerabilem Libertinum in grauiracundia exarsit, ita vt cum matribus cæderet. Et quia virgam qua eum ferire posset minimè inuenit, comprehenso scabello suppedaneo faciem ei ac caput tutudit, totúmque illius vultum tumentem ac liuidum reddidit. Qui vehementer cæsus ad stratum proprium tacitus recessit. Die verò altera erat pro vtilitate monasterij causa constituta. Expletis igitur hymnis matutinalibus Libertinus ad lectum abbatis venit, orationem sibi humiliter petiit. Sciens verò ille quantum à cunctis honoraretur, quantúmque diligeretur, pro iniuria quam ei ingesserat, recedere eum à monasterio velle putabat, atque requisiuit dicens: Vbi vis ire? Cui ille respondit, Monasterij causa constituta est pater, quam declinare nequeo, quia hesterno die me hodie iturum

Libertini mira patientia.

promisi, illuc ire disposui. Tunc ille à fundo cordis considerans asperitatem & duritiam suam, humilitatem ac mansuetudinem Libertini, ex lecto prosiliit, pedes Libertini tenuit, se peccasse, seque reum esse testatus est, qui tanto talíque viro tã crudelem facere contumeliam præsumpsisset. At contrà Libertinus sese in terram prosternẽs, eiúsque pedibus prouolutus, suæ culpæ non illius sæuitiæ fuisse referebat quod pertulerat. Sícque actum est vt ad magnam mãsuetudinem perduceretur pater, & humilitas discipuli magistra fieret magistri. Cúmque pro vtilitate monasterij ad constitutionem causæ egressus fuisset, multi viri noti ac nobiles qui eum valde honorabant, vehementer admirati, folliciti requirebant quid nam hoc esset, quòd tam tumentem ac liuidã haberet faciẽ. Quibus ille dicebat: Hesterno die sero peccatis meis exigentibus in scabello suppedaneo impegi, atq; hoc pertuli. Sicque vir sanctus seruans in pectore honorem veritatis & magistri, nec patris prodebat vitium, nec falsitatis incurrebat peccatum.

Libertini modestum responsum.

Petrus:

PVtásne vir iste venerabilis Libertinus, de quo tot signa & miracula retulisti, in tam ampla congregatione imitatores suos in virtutibus non reliquit?

De hortulano monacho monasterij eiusdem.

Caput III. Gregorius:

FOelix qui appellatur Curtius, quem ipse bene nosti, qui eiusdem monasterij nuper præpositus fuerat, multa mihi de fratribus eiusdem monasterij admiranda narrabat. Ex quibus aliqua quæ ad memoriam veniunt supprimo, quia ad alia festino. Sed vnum dicam quod ab eo narratum prætereundem nullo modo æstimo.

IN eodem monasterio quidam magnæ vitæ monachus erat hortulanus. Fur verò venire cõsueuerat, & per sepem ascẽdere, & occultè olera auferre. Cúmque ille multa plantaret, quæ minus inueniret, & alia pedibus conculcata, alia direpta conspiceret: totum hortum circuiens, inuenit iter vnde fur venire consueuerat. Qui in eodem horto deambulans, reperit etiam serpentem, cui præcipiens dixit: Sequere me: atque ad aditum furis perueniens, imperauit serpenti, dicens: In nomine Iesu præcipio tibi vt aditum istum custodias, ac furem huc ingredi non permittas. Protinus serpens totum se in itinere in transuersum tetendit, & ad cellam monachus rediit. Cúmque meridiano tempore cuncti fratres quiescerent, more solito fur aduenit, ascendit sepem. Et cùm in hortum pẽdem poneret, vidit subitò quia extensus serpens clausisset viam, & tremefactus post semetipsum concidit, eiúsque pes per calciamentum in sude sepis inhæsit, sicque vsque dum hortulanus rediret, deorsum capite pependit. Consueta hora venit hortulanus, pendentem in sepe furem reperit, serpenti autem dixit: Gratias ago Deo, implesti quod iussi: recede modò. Qui statim abscessit. Ad furem verò peruenienS, ait: Quid est frater? tradidit te mihi Deus, quare in labore monachorum furtum toties facere præsumpsisti? Qui hæc dicens pedem illius à sepe in qua inhæserat soluit, eumque sine læsione deposuit. Cui dixit: Sequere mẽ: Quem sequentem dùxit ad horti aditum, & olera quæ furto appetebat auferre, ei cum magna dulcedine præbuit, dicens: Vade, & post hæc furtum non facias: sed cùm necesse habes, huc ad me ingredere, & quæ tu cum peccato laborabas tollere, egò tibi deuotus dabo.

Serpẽs hortũ custos.

Fur miraculose deprehensus.

Petrus:

NVnc vsque vt inuenio, incassum ego non fuisse patres in Italia, qui signa facerent, æstimabam.

De Equitio abbate prouinciæ Valeriæ.

Caput IIII.

Gregorius:

FOrtunati viri venerabilis abbatis monasterij, quod appellatur balneum Ciceronis, aliorumque etiam virorum venerabilium didici relatione quod narro. Vir sanctissimus Equitius nomine in Valeriæ prouinciæ partibus pro vitæ suæ merito apud omnes illic magnæ admirationis habebatur, cui Fortunatus idem familiariter notus fuit. Qui nimirũ Equitius pro suæ magnitudine sanctitatis multorum in eadem prouin-

Balneũ Ciceronis, monasterium.

cia monasteriorum pater extitit. Hunc cùm iuuentutis suæ tempore acri certamine carnis incentiua fatigarent, ipsæ suæ tentationis augustiæ eum ad orationis studium solertiorem fecerunt. Cúmque hac in re ab omnipotenti Deo remedium continuis precibus quæreret, nocte quadam assistente angelo eunuchizari se vidit, eiúsque visioni apparuit, quòd omnem motum ex genitalibus eius membris abscinderet, atque ex eo tempore ita alienus extitit à tentatione, ac si sexum nõ haberet in corpore. Qua virtute fretus ex omnipotentis Dei auxilio, vt viris antè præerat, ita cœpit postmodum etiam fœminis præesse: nec tamen discipulos suos admonere cessabat, ne se eius exemplo in hac re facilè crederent, & casuri tẽtarent donum quod non accepissent.

Visio de eunuchatione Equitij.

De Basilio magico.

EO autem tempore quo malefici in hac sunt Romana vrbe deprehensi, Basilius, qui in magicis operibus primus fuit, in monachico habitu Valeriã fugiens petiit. Qui ad virũ reuerentissimum castrorum † Amirtinæ ciuitatis episcopum pergens, petiit ab eo vt eum Equitio abbati committeret, ac sanandum monasterio illius commendaret. Tunc ad monasterium venit episcopus, secúmque Basilium monachum deduxit, & Equitium Dei famulum rogauit, vt eundem monachum in congregationem susciperet. Quem statim vir sanctus intuens, ait: Hunc quem mihi commendas frater, ego nõ video monachũ esse, sed diabolum. Cui ille respondit: Occasionem quæris, ne debeas præstare quod peto. Ad quem mox Dei famulus dixit: Ego quidem hoc eum esse denũcio, quod video: ne tamẽ nolle me obedire existimes, facio quod iubes. Susceptus itaque in monasterio est. Post non multos verò dies, idem Dei famulus pro exhortandis ad desideria superna fidelibus, paulò longius à cella digressus est. Quo discedente contigit vt in monasterio virginum in quo eiusdẽ patris cura vigilabat, vna earum quæ iuxta carnis huius putredinem speciosa videbatur, febricitare inciperet: & vehementer anxiari, magnísque non vocibus sed stridoribus clamare: Modò moritura sum, nisi Basilius monachus veniat, & ipse mihi per suæ curationis studium salutem reddat. Sed in tanti patris absentia accedere quisquam monachorum in cõgregationem virginum non audebat, quanto minus ille qui nouus aduenerat, eiúsque adhuc vitam congregatio fratrum nesciebat. Missum repentè est, & Dei famulo Equitio nuntiatum, quòd sanctimonialis illa immensis febribus æstuaret, & Basilij monachi visitationem anxia quæreret: quo audito vir sanctus dedignãdo subrisit, atque ait: Nunquid nõ dixi, quòd diabolus est iste, non monachus? ite & eum de cella expellite. De ancilla autem Dei quæ anxietate febrium vrgetur, nolite esse soliciti: quia ex hac hora neque febribus laboratura est, neque Basilium quæsitura. Regressus est monachus, & ea hora saluti restitutã Dei virginẽ agnouit, qua eandem salutẽ illius Dei famulus Equitius longè positus nunciauit, in virtute scilicet miraculi, exemplum tenens magistri: qui inuitatus ad filium reguli, eum solo verbo restituit saluti, vt reuertens pater ea hora filium restitutum vitæ cognosceret, qua vitam illius ex ore veritatis audisset. Omnes autem monachi iussionem patris sui implentes eundem Basilium ex monasterij habitatione repulerunt. Qui repulsus dixit frequenter se cellam Equitij magicis artibus in aëra suspendisse, nec tamen eius quempiam lædere potuisse. Qui non post longum tempus in hac Romana vrbe exardescente zelo Christiani populi, igne crematus est.

† al. Amitrninæ.

Basilius sub habitu monachi diabolus esse ab Equitio cernitur.

Virgo febricitans sine remedio curata.

Basilius Romæ crematus est.

QVadam verò die vna Dei famula ex eodem monasterio virginum hortũ ingressa est, quæ lactucam conspiciens concupiuit, eámque signo crucis benedicere oblita, auidè momordit: sed arrepta à diabolo protinus cecidit. Cúmque vexaretur, eidem patri Equitio sub celeritate nunciatum est, vt veniret concitus, & orando succureret. Móxque hortũ idem pater vt ingressus est, cœpit ex eius ore quasi satisfaciẽs ipse qui hanc arripuerat diabolus clamare, dicens: Ego quid feci? ego quid feci? Sedebam ibi super lactucam, venit illa, & momordit me. Cui cum graui indignatione vir Dei præcepit vt discederet, & locum in omnipotentis Dei famula non haberet. Qui protinus abscessit, nec eã vltrà contingere præualuit.

Monialis obsessa per Equitium liberatur.

QVidam verò Fœlix nomine † Mirsiæ prouinciæ nobilis pater huius Castorij, qui nunc nobiscũ in Romana vrbe demoratur, cùm eundẽ venerabilẽ virum Equitiũ sacrum ordinem non habere conspiceret, & per singula loca discurrere, atque studiosè prædicare, eum quadam die familiaritatis ausu adiit, dicens: Qui sacrum ordinem non habes, atque à Romano pontifice sub quo degis prædicationis licentiam nõ recepisti, prædicare quomodo præsumis? qua eius inquisitione compulsus vir sanctus indicauit prædicationis licentiam qualiter accepit, dicens: Ea quæ mihi loqueris, ego quoque mecum ipse pertracto. Sed quadã nocte speciosus mihi per visionem iuuenis astitit, atque in lingua mea medicinale ferramentum, id est, phlebotomum posuit, dicens: Ecce posui verba mea in ore tuo, egredere ad prædicandum. Atque ex illo die etiam cùm voluero, de Deo tacere non possum.

† al. Nursinæ.

Licentia prædicandi Equitij sine sacris ordinibus.

Petrus:

VEllem etiam patris huius opus agnoscere, qui fertur talia dona à Deo percepisse.

Gregorius:

OPus Petre ex dono est, donũ ex opere, alioquin gratia iam non est gratia. Omne quippe opus dona præueniunt, quamuis ex subsequẽti opere ipsa etiam dona succrescunt: ne tamen vitæ eius cognitione frauderis, bene hanc reuerentissimus vir Albinus Reatinę antistes Ecclesię cognouit, & adhuc supersunt multi qui scire potuerunt. Sed quid plus quęris operis, quãdo concordabat vitæ munditia cũ studio prædicationis? Tantus quippe illum feruor ad colligendas Deo animas accẽderat, vt sic monasteriis pręesset: quatenus per Ecclesias, per castra, per vicos, per singulorũ quoque fidelium domos circũquaque discurreret, & corda audientiũ ad amorem patrię cœlestis excitaret. Erat verò valde vilis in vestibus, atq; ita despectus, vt si quis illũ fortasse nesciret, salutatus etiam resalutare despiceret: & quoties alia tẽdebat ad loca, iumẽto sedere consueuerat, quod esse despicabilius omnibus iumentis in cella potuisset reperiri, in quo etiã capistro pro fræno, & veruecũ pellibus pro sella vtebatur. Per semetipsum sacros codices in pelliceis sacculis missos dextro lęuóque portabat latere: & quocunq; peruenisset, scripturarũ aperiebat fontẽ, & rigabat prata mentium. Huius quoque opinio prędicationis ad Romanæ vrbis notitiã peruenit, atq; vt est lingua adulantiũ auditoris sui animam amplectendo necans, eodem tempore clerici huius apostolicę sedis antistiti adulãdo questi sunt, dicentes: Quis est iste vir rusticus, qui authoritatem sibi prędicationis arripuit, & officium apostolici nostri domini sibimet indoctus vsurpare pręsumit? Mittatur ergo si placet qui huc eum exhibeat, vt quis sit Ecclesiasticus vigor agnoscat. Si autẽ moris est vt occupato in multis animo adulatio valde subrepat si ab ipso cordis ostio nequaquã fuerit citius repulsa, suadentibus clericis consensum pontifex præbuit, vt ad Romanam vrbem duci debuisset, & quænam sua esset mensura cognosceret. Iulianum tamen tunc defensorem mittens, qui Sabinensi Ecclesiæ postmodum in episcopatu præfuit, hoc præcepit, vt cum magno honore eum deduceret, ne quicquam Dei famulus ex conuentione eadẽ iniuriæ sentiret. Qui parere de clericorum votis cõcitus volens festinè ad eius monasterium cucurrit, ibíque absente illo antiquarios scribentes reperit, vbi abbas esset, inquisiuit. Qui dixerunt: In valle hac quæ monasterio subiacet, fœnum secat. Idem verò Iulianus superbum valde atque contumacem puerum habuit, cui vix poterat vel ipse dominari. Hunc ergo misit vt ipsum ad se sub celeritate perduceret. Perrexit puer, & proteruo spiritu pratum velociter ingressus, omnésque illic intuens fœnum secantes, requisiuit quisnam esset Equitius. Móxque vt audiuit quis esset, eum adhuc longè positus aspexit, & immenso timore correptus est cœpit timore lassescere, séque ipsum nutanti gressu vix portare posse, qui tremens ad Dei hominem peruenit, atq; vlnis humiliter submissis eius genua deosculans strinxit, suúmque dominum ei occurisse nunciauit. Cui resalutato Dei famulus præcepit dicens: Leua fœnum viride, porta pabulum iumentis in quibus venistis: ecce ego, quia parum superest, opere expleto te subsequor. Is autem qui missus fuerat. Iulianus defensor mirabatur valdè quidnam esset quòd redire moraretur puer. Cúmque reuertentem puerum conspicit, atque in collo fœnum

Equitij vita.

Equitius viles ferebat vestes.

Equitij equitandi modus.

Equitium adulatores accusant.

Equitius fœnum secabat.

ex

ex prato deferentem, vehementer iratus cœpit clamare dicẽs: Quid est hoc? ego te misi hominem deducere, non fœnum portare. Cui puer respondit: Quem quæris, ecce subsequitur. Tum ecce vir Dei clauatis calceatus caligis falcem fœnariam in collo deferens veniebat. Quem adhuc longè positum puer suo domino quia ipse esset quem quæreret, indicauit. Idem verò Iulianus repentè vt vidit Dei famulum, ex ipso habitu despexit, eumque qualiter deberet alloqui proterua mente præparabat. Mox verò vt seruus Dei cõminus affuit, eiusdem Iuliani animum intolerabilis pauor inuasit, ita vt tremeret, atque in insinuandum hoc ipsum pro quo venerat, vix sufficere lingua potuisset. Qui humiliato mox spiritu ad eius genua cucurrit, orationem pro se fieri petiit, & quia pater eius Apostolicus pontifex eum videre vellet indicauit. Vir autem venerandus Equitius cœpit immensas gratias omnipotenti Deo agere, asserens quòd se per summum pontificem gratia superna visitasset. Ilico vocauit fratres, præcepit hora eadem iumẽta præparari, atque executorem suum cœpit vehementer vrgere vt citò abire debuissent. Cui Iulianus ait: Hoc fieri nullatenus potest, quia lassatus ex itinere hodie non valeo abire. Tunc ille respondit: Contristas me fili: quia si hodierna die non egredimur, iam crastina non exiemus. Dei itaque famulus executoris sui lassitudine coactus, in monasterio suo eadẽ nocte demoratus est. Sequenti vero die sub ipso lucis crepusculo vehementer equo in cursu fatigato ad Iulianum puer cũ epistola peruenit, in qua præceptum est ei ne seruum Dei cõtingere vel mouere de monasterio auderet. Quem cùm ille requireret cur sententia esset mutata, cognouit, quia nocte eadem, in qua ipse executor illuc missus est, per visum pontifex fuerat vehementer exterritus, cur ad exhibendum Dei hominem mittere præsumpsisset. Qui protinus surrexit, séque venerandi viri commendans orationibus ait: Rogat pater noster fatigari debeatis. Cúmque hoc Dei famulus audisset, contristatus ait: Nunquid non die hesterno dixi tibi, quia si statim non pergeremus, iam pergere minimè liceret? Tunc pro charitatis exhibitione aliquantulum executorem suum in cella detinuit, eíque laboris sui commodum coacto renitentíque dedit. Cognosce igitur Petre in quanta Dei custodia sunt, qui in hac vita seipsos despicere nouerunt, cum quibus intus ciuibus in honore numerantur, qui despecti foris hominibus esse non erubescunt: quia & contrà in Dei oculis iacent, qui apud suos & proximorum oculos per inanis gloriæ appetitum tument. Vnde & quibusdã veritas dicit: Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus, Deus autem nouit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominabile est ante Deum.

Clauatis calceatus erat caligis.

Lucæ 16.

Petrus:

MIror valde, quòd de tali viro surripi pontifici tanto potuerit.

Gregorius:

QVid miraris Petre, quia fallimur qui homines sumus? An menti excidit quod Dauid qui prophetiæ spiritum habere consueuerat, contra innocentem Ionathæ filium sententiam dedit, cùm verba pueri mentientis audiuit? quod tamen quia per Dauid factum est, & occulto Dei iudicio iustum credimus, & tamen humana ratione qualiter iustum fuerit non videmus. Quid ergo mirum si ore mentientium aliquando in aliud ducimur, qui prophetæ non sumus? Multum verò est, quòd vniuscuiusque præsulis mentem curarum densitas vastat. Cúmque animus diuiditur ad multa, fit minor ad singula tantóque ei in vna qualibet re surripitur, quanto latiùs multis occupatur.

Dauid contra Ionathæ filium sententiam dedit.

Petrus:

Vera sunt valde quæ dicis.

Gregorius:

SIlere non debeo, quod de hoc viro abbate quondam meo reuerentissimo Valentino narrante agnoui. Aiebat nanque, quia corpus eius dum in beati Laurentij martyris oratorio esset humatum, super sepulcrum illius rusticus quidam arcam cum frumento posuit, nec quantus, qualísque vir illic iaceret, perpendere ac vereri curauit. Tunc repẽtè turbo cœlitus factus, rebus illic omnibus in sua stabilitate manentibus arcam quæ superposita sepulcro eius fuerat, extulit: longéque proiecit, ita vt palàm cuncti cognoscerent, quanti esset meriti is cuius illic corpus iaceret.

Equitij sepulcri miraculum.

ETiam ea quæ subiungo, prædicti venerabilis viri Fortunati qui valde mihi ætate, opere & simplicitate placet, relatione cognoui. Eandem Valeriæ prouinciam Longobardis intrantibus ex monasterio reuerentissimi viri Equitij in prædicto oratorio ad sepulcrum eius monachi fugerunt. Cúmque Longobardi sæuientes oratorium intrassent, cœperunt eosdem monachos foràs trahere, vt eos aut per tormenta discuterent, aut gladiis necarẽt, quorum vnus ingemuit, atque acri dolore commotus clamauit: Heu heu sancte Equiti placet tibi quòd trahimur, & non nos defendis? Ad cuius vocem protinus sæuientes Longobardos immundus spiritus inuasit. Qui corruẽtes in terram tam diu vexati sunt, quousque hoc cuncti, etiam qui foris erant, Longobardi cognoscerent, quatenus locum sacrum temerare vlteriùs non auderent. Sícque vir sanctus dum discipulos defenderit, etiam multis pòst remedium illuc fugientibus præstitit.

Equitius monachos ad sepulcrum eius fugiẽtes tuetur.

De Constantio mansionario Ecclesiæ sancti Stephani.

Caput V.

CViusdam coepiscopi mei didici relatione quod narro. Qui in Anconitana vrbe per annos multos in monachico habitu deguit, ibíque vitam non mediocriter religiosam duxit. Cui etiam quidam nostri iam prouectioris ætatis qui ex eisdem sunt partibus attestantur. Iuxta eam nanque ciuitatem Ecclesia beati martyris Stephani sita est: in qua vir vitæ venerabilis Constantius nomine, mansionarij functus officio deseruiebat: cuius sanctitatis opinio sese ad notitiam hominum longè latéque detenderat. Qui idem vir funditus terrena despiciens, totóque annisu mentis ad sola cœlestia flagrabat. Quadam verò die dum in eadem Ecclesia oleum deesset, & prædictus Dei famulus vnde lampades accenderet omnino non haberet, omnes lampades Ecclesiæ impleuit aqua atque ex more in medio papyrum posuit: quas allato igne succendit, sicque aqua arsit in lampadibus ac si oleum fuisset. Perpende igitur Petre cuius meriti vir iste fuerit, qui necessitate compulsus, elementi naturam mutauit.

Ecclesia beati Stephani.

Constantius aquam loco olei ardere in lampadibus fecit.

Petrus.

MIrum est valde quod audio: sed vellem nosse cuius humilitatis apud se esse intus potuit iste, qui tantæ excellentiæ foris fuit.

Gregorius.

INter virtutes animum cognoscere congruè quæris: quia multum valde est quòd tentatione sua intus mentem lacessunt mira quæ foris fiunt. Sed si huius Constantij venerabilis vnum quod fecit audis, cuius humilitatis fuerit citius agnoscis.

Petrus.

POstquam mihi facti illius tale miraculum dixisti, superest etiam vt me de humilitate mentis eius ædifices.

Gregorius.

QVia valde opinio sanctitatis eius excreuerat, multi hunc ex diuersis prouinciis anxiè videre sitiebant. Quadam verò die ex longinquo loco ad videndum eum quidam rusticus venit. Eadem verò hora casu contigerat vt sanctus vir stans in ligneis gradibus, reficiendis deseruiret lampadibus. Erat autem pusillus valde, exili forma atque despecta. Cúmq; is qui ad videndum eum venerat quisnam esset iniquireret, atque obnoxiè peteret vt sibi debuisset ostendi: hi qui illũ nouerant, monstrarunt quis esset. Sed sicut stultæ mentes hominum merita ex qualitate corporis metiuntur, eum paruulũ atque despectum vidẽs, ipsum hunc esse cœpit omnino nõ credere. In mẽte etenim rustica interhoc quod audierat & videbat, quasi facta fuerat quædam rixa: & æstimabat tam breuem per visionem esse nõ posse, quem tam ingentem habuerat per opinionem. Cúmque ipsum eum esse à pluribus fuisset assertũ, despexit, & cœpit irridere, dicens: Ego grandem hominẽ credidi, iste autẽ de homine nihil habet. Quod vt vir Dei Cõstãtius audiuit, lampades quas reficiebat protinus relinquens, lætus concitus descẽdit, atque in eiusdem rustici amplexũ ruit, eúmq; ex amore nimio cõstringere cœpit brachiis & osculari, magnásque gratias agere quòd is de se talia iudicasset, dicẽs: Tu solus es qui in me apertos oculos habuisti. Qua ex re pensandum est cuius apud se humilitatis fuerit, qui despicientẽ se rusticum amplius amauit. Qualis enim quisque apud se lateat,

Constantij forma & statura.

Constantij humilitas magna.

contumelia illata probat. Nam sicut superbi honoribus, sic plerunque humiles sua despectione gratulantur. Cúmque se & in alienis oculis viles aspiciunt, idcirco gaudent, quia hoc iudicio confirmari intelligunt, quod de se & ipsi apud semetipsos habuerunt.

Petrus.

VT agnosco, vir iste magnus, fortis fuit in miraculis, sed maior intus in humilitate cordis.

De Marcellino Anconitanæ ciuitatis episcopo. *Caput VI.*

Gregorius.

EIusdem quoque Anconitanæ antistes Ecclesiæ vir vitæ venerabilis Marcellinus fuit, cuius gressum dolore nimio podagra contraxerat, cúmque familiares sui sic vbi necesse erat in manibus ferebant. Quadam verò die per culpam incuriæ eadem ciuitas Anconitana succensa est. Cúmque vehementer arderet, cucurrerunt omnes, vt ignem extinguerent. Sed illis aquam certatim proiicientibus, ita crescebat flamma vt iam totius vrbis interitum minari videretur. Cúmque propinquiora sibi loca quæq; ignis inuaderet, iámque vrbis partem non modicam consumpsisset, & obsistere nullus valeret, deductus in manibus venit episcopus, & tanta periculi necessitate compulsus, familiaribus suis se portantibus præcipit dicens: Contra ignem me ponite. Quod ita factum est, atque in eo loco est positus, vbi tota vis flammæ videbatur incumbere. Cœpit autem miro modo in semetipsum incendium retorqueri, ac si reflexionis suæ impetus exclamaret se episcopum transire non posse. Sícque factum est vt flamma incendij illo termino refrenata in semetipsa refrigesceret, & contingere vlterius quicquam ædificij non auderet. Perpendis Petre, cuius sanctitatis fuerit ægrum hominem sedere, & exorando flammas premere.

Marcellin⁹ ignẽ æstuãtem compescuit.

Petrus: Et perpendo & obstupesco.

Gregorius.

De Nonnoso præposito monasterij in monte Soractis.

Caput VII.

DE vicino nunc loco tibi aliquid narrabo, quod & viri venerabilis Maximiani episcopi, & Laurionis quem nosti veterani monachi, qui vterque nunc vsque superest, relatione cognoui: qui scilicet Laurio in illo monasterio * quod iuxta vrbem Neptanam vocatur, ab Anastasio viro sanctissimo nutritus est. Qui nimirum Anastasius vitæ venerabilis viro Nonnoso præposito monasterij, quod in Soractis monte situm est, & propinquitate loci & morum magnitudine, & virtutum studiis asiduè iungebatur. Idem verò Nonnosus sub asperrimo sui monasterij degebat patre: sed eius mores mira semper æquanimitate tolerabat. Sícque fratribus præerat in mansuetudine, sicut crebrò patris iracundiam ex humilitate mitigabat. Quia verò eius monasteriũ in summo montis cacumine situm est, ad quemlibet paruum hortum fratribus excolendum nulla patebat planities: vnus autem breuissimus locus in latere montis excreuerat, quem ingentis saxi moles naturaliter egrediens occupabat. Quadam verò die dum Nonnosus vir venerabilis cogitaret, quod saltem ad condimenta olerum nutriẽda locus idem aptus potuisset existere, si hunc moles saxi illius non teneret, occurrit animo, quod eandem molem quingenta boum paria mouere non possent. Cúmque de humano labore facta esset desperatio, ad diuinum se solatium contulit, séque illic nocturno silentio in orationem dedit. Cúmque mane facto ad eundem locum fratres venirent, inuenerunt molem tantæ magnitudinis ab eodem loco longiùs recessisse, suóque recessu largum fratribus spatium ad excolendum hortum dedisse.

** al. quod iuxta vrbẽ Nepesinam Suppẽtonia vocatur.*

Nonnosus saxũ ingens sua oratione amouit.

ALio quoque tempore cùm idem vir venerabilis lampades vitreas in oratorio lauaret, vna ex eius manibus cecidit, quæ per innumeras partes fracta disiluit: qui vehementissimum patris monasterij furorem timens, lampadis protinus omnia fragmenta collegit, atque ante ad altare posuit, séque cum graui gemitu in orationem dedit. Cúmque ab oratione caput leuasset, sanam lampadem reperit, quam timens per fragmenta collegerat: Sícque in duobus miraculis duorum patrum virtutes imitatus est. In mole scilicet saxi, factum Gregorij, qui montem mouit: In reparatione verò lampadis, virtutem Donati, qui fractum calicem pristinæ incolumitati restituit.

Nonnosus lampadem fractã oratione redintegrauit.

Petrus.

E HAbemus, vt video, de exemplis veteribus noua miracula.

Gregorius.

VIs ne aliquid in operatione Nonnosi de imitatione quoque Helisæi cognoscere?

Petrus.

Volo atque inhianter cupio.

Gregorius.

DVm quadam die in monasterio vetus oleum deesset, iámque colligendæ oliuæ tempus incumberet, sed fructus in oleis nullus appareret, visum patri monasterij fuerat, vt circunquaque fratres in colligendis oliuis ad exhibẽda extraneis opera pergerent, quatenus ex mercede sui operis aliquantulum monasterio oleum deportarent. Quod vir Domini Nonnosus fieri cum magna humilitate prohibuit, ne exeũtes fratres ex monasterio dum lucra olei quærerent, animarum damna paterentur. Sed quia in monasterij arboribus oliuæ paucæ inesse videbantur, eas colligi præcepit, & in prælo mitti, & quamlibet parum olei exire potuisset, sibimet deferri. F Factúmque est, & susceptum in paruo vasculo oleum fratres Nonnoso Dei famulo detulerunt: quod ipse protinus ante altare posuit, cunctísque egredientibus orauit, atque accersitis postmodum fratribus præcepit, vt hoc quod detulerunt oleum leuarent, & per cuncta vasa monasterij exiguè fundendo diuiderent, quatenus benedictione eiusdem olei omnia infusa viderentur, quæ protinus vt erant vacua claudi fecit. Die verò altera aperta omnia pléna reperta sunt.

Nonnosus oleum oratione augmentauit.

Petrus.

PRobamus quotidie impleri verba veritatis, quæ ait: Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. *Ioan. 5.*

De Anastasio abbate monasterij, quod Suppentonia vocatur.

Caput VIII. Gregorius.

EOdem quoque tempore venerandus vir Anastasius, cuius superiùs memoriam feci, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui Deo authore deseruio, notarius fuit. Qui soli Deo vacare desiderans scrinium deseruit, monasterium elegit, atque in eo G loco, quem præfatus sum Suppentoniam vocari, per annos múltos in sanctis actibus vitam duxit, eíque monasterio solerti custodia præfuit. Quo videlicet in loco ingens desuper rupes eminet, & profundum subter præcipitium patet. Quadam verò noctè cum iam omnipotens Deus eius venerabilis viri Anastasij labores remunerare decreuisset, ab alta rupe vox facta est, quæ producto sonitu clamaret, dicens: Anastasi veni. Quo vocato alij quoque septem fratres vocati sunt ex nomine. Paruo autem momento ea quæ fuerat emissa vox siluit, & octauum fratrem vocauit. Quas dum apertè voces cõgregatio audisset, dubium non fuit, quin eorum qui vocati fuerunt obitus appropinquasset. Intra paucos igitur dies primus venerandus vir Anastasius, cæteri autem in eo ordine ex carne educti sunt, de quo de rupis vertice fuerant vocati. Frater verò ille ad quem vocandum vox parum siluit, atque eum tunc nominauit, morientibus aliis paucis diebus vixit, & tunc vitam finiuit: vt apertè monstraretur, quia interiectum vocis silentium paruum viuendi spatium signauerit. H Sed mira res contigit: quia venerabilis vir Anastasius dum de corpore exiret, erat quidam frater in monasterio qui superuiuere eum nolebat: prouolutus verò eius pedibus cœpit cum lachrymis ab eo postulare, dicens: Per illum ad quem vadis deprecor, te adiuro ne septem dies super te in hoc mundo viuam: ante cuius septimum diem etiam ipse defunctus est, qui tamen in illa nocte inter cæteros non fuerat vocatus: vt apertè claresceret, quia eius obitum sola venerabilis Anastasij intercessio obtinere potuisset.

Septem fratres cum Anastasio ad mortem vocati.

Nonus frater vltro mortẽ precatus est.

Petrus.

CVm idem frater & vocatus inter cæteros non est, & tamen sancti viri intercessionibus ex hac luce subtractus est: quid aliud datur intelligi, nisi quòd hi quid apud Dominum magni sunt meriti, obtinere aliquando possunt ea etiam, quæ non sunt prædestinata?

Gregorius.

OBtineri nequaquam possunt quæ prædestinata non fuerunt: sed ea quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, vt precibus obtineantur. Nam ipsa quoque perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotenti Deo disposita, vt ad

Nota de prædestinatione.

23. quæst. 4. Obtineri.

sita, vt ad hoc electi pro labore perueniant, quatenus postulãdo mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante secula disposuit donare.

Petrus:

PRobari mihi apertiùs vellem, si potest prædestinatio precibus iuuari.

Gregorius:

HOc quod ego Petre intuli, concitè valet probari. Certè etenim nosti, quia ad Abraham Dominus dixit: In Isaac vocabitur tibi semen. Cui etiam dixerat: Patrem multarum gentium constitui te. Cui rursum promisit dicens: Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & sicut arenam maris. Ex qua re apertè constat: quia omnipotẽs Deus semen Abrahæ multiplicare per Isaac prædestinauerat, & tamen scriptum est: Deprecatus est Isaac Dominum pro vxore sua eò, quòd esset sterilis: qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Si ergo multiplicatio generis Abrahæ per Isaac prædestinata fuit, cur coniugem sterilem accepit? Sed nimirum constat, quia prædestinatio precibus impletur: quãdo is in quo Deus multiplicare semen Abrahæ prædestinauerat, oratione obtinuit, vt filios habere potuisset.

Gene. 21. Gene. 27. Gene. 22. & 26. Gene. 25.

Prædestinatio quomodo precibus iuuetur.

Petrus:

QVia secretum ratio aperuit nihil mihi dubietatis remansit. *Caput IX.* Gregorius.

VIs tibi aliquid de Thusciæ partibus narrem, vt cognoscas quales in ea viri fuerint, & omnipotentis Dei notitiæ quantum propinqui?

Petrus:

VOlo, atque hoc omnimodo exposco.

Gregorius:

De Bonifacio Ferentinæ ciuitatis episcopo.

FVit vir vitæ venerabilis Bonifacius nomine, qui in ea ciuitate quæ Ferentis dicitur, episcopatus officium tenuit, & moribus impleuit. Huius multa miracula is qui adhuc superest Gaudentius presbyter narrauit. Qui nutritus in eius obsequio tantò valet de illo quæque veracius dicere, quantò eis contigerit & hunc interesse. Huius ecclesiæ grauis valde paupertas inerat, quæ bonis mentibus esse solet custos humilitatis, nihílque aliud ad omne stipendium, nisi vnam tantummodo vineam habebat, quæ quodam die ita grandine irruente vastata est, vt in ea paucis in vitibus vix parui raríque racemi remansissent. Quam cùm Dei prædictus vir reuerentissimus Bonifacius episcopus fuisset ingressus magnas omnipotenti Deo gratias retulit: quia in ipsa sua adhuc inopia sese angustiari cognouit. Sed cùm iam tempus exigeret vt ipsi quoque racemi qui remanserant maturescere potuissent, custodem vineæ ex more posuit, eamque solerti vigilantia seruari præcepit. Quadam verò die mandauit Constantino presbytero nepoti suo, vt cuncti vini vascula in episcopio omniáque dolia ita vt antè consueuerat pice superfusa prępararet. Quod cùm nepos illius presbyter audisset, valde admiratus est quòd quasi insana præciperet, quòd vini vascula præparari faceret, qui vinum minimè haberet, nec tamen præsumpsit inquirere cur talia iuberet, sed iussis obtemperat, & omnia ex more præparauit. Tunc vir Dei vineam ingressus racemos collegit, ad calcatorium detulit, omnésque exinde egredi præcepit, solúsque ibi cum vno paruulo puerulo remansit, quem in eodem calcatorio deposuit, & calcari ipsos paucissimos racemos fecit. Cumque ex eisdem racemis parum aliquid vini deflueret, cœpit hoc vir Dei suis manibus in paruo vase suscipere, & per cuncta dolia, omniaque vasa quæ parata fuerant pro benedictione diuidere: vt ex eodem vino omnia vascula vix infusa viderentur. Cùm verò ex liquore vini parum aliquid in vasis omnibus misisset, vocauit protinus presbyterum, iussitque pauperes adesse. Tũc cœpit vinũ in calcatorio crescere: ita vt omnia quæ allata fuerãt pauperum vascula impleret. Quibus cùm se idoneè satisfecisse conspiceret: ex calcatorio iussit puerum discedere, apothecam clausit, atque impresso sigillo proprio munitam reliquit, mox ad Ecclesiam rediit. Die verò tertia prædictum Constantium presbyterum vocauit, & oratione facta apothecã aperuit, & vasa in quibus tenuissimum liquorem infuderat, vbertim vinũ fundentia inuenit, ita vt pauimẽtũ omne excrescentia vina inuaderent, si ad hæc episcopus tardiùs intrasset. Tũc terribiliter presbytero præcepit, ne quousque ipse in corpore viueret, hoc mi-

Nota de paupertate.

Bonifacius episcopus vinum abundè augmentauit.

A raculum cuiquam indicaret, pertimescẽs videlicet ne virtute facti fauore humano pulsatus inde intus inanesceret vnde foris hominibus magnus appareret, exemplum magistri sequẽs, qui vt nos ad viam duceret humilitatis, de semetipso discipulis præcepit, dicẽs: Vt ea quæ vidissent nemini dicerẽt quousque filius hominis à mortuis resurgeret.

Petrus:

QVia occasio apta se præbuit, libet inquirere quidnam sit quòd redemptor noster cùm duobus cæcis lumen reddidit, iussit vt nemini dicerent: & illi abeuntes diffamauerunt eum in totam terram illam? Nunquid nam vnigenitus filius patri & sancto spiritui coæternus hac in re velle habuit, quod non potuit implere, vt miraculum quod taceri voluit, minimè potuisset abscondi?

Gregorius:

REdemptor noster per mortale corpus omne quod egit, hoc nobis in exemplum actionis præbuit: vt pro nostrarum virium modulo eius vestigia sequentes inoffenso pede B operis præsentis vitæ carpamus viam. Miraculum nanque faciens & tacere iussit & tamen taceri non potuit: vt videlicet & electi eius exempla doctrinæ illius sequentes in magnis quę faciunt, latere quidem in voluntate habeãt, sed vt prosint aliis prodantur inuiti: quatenus & magnæ humilitatis sit quòd sua opera taceri appetunt, & magnæ vtilitatis sit quòd eorum opera taceri non possunt. Non ergo voluit Dominus quicquam fieri & minimè potuit: sed quid velle eius membra debeant, quídve de eis etiam nolentibus fiat, doctrinæ eius magisterio exemplum dedit.

Attẽde doctrinam.

Petrus: Placet quod dicis.

Gregorius:

ADhuc pauca aliqua quæ de Bonifacij episcopi opere supersunt, quia eius memoriam fecimus, exequamur. Alio nãque tempore beati Proculi martyris natalitius propinquabat dies, quo in loco vir nobilis Fortunatus nomine manebat: C qui magnis precibus ab eodem venerabili viro postulauit, vt cùm apud beatum martyrem Missarum solennia ageret, ad benedictionem dandam in suam domum declinaret. Vir autem Dei negare non potuit quod ab eo ex Fortunati mente charitas poposcit. Peractis igitur Missarũ solennibus, cùm ad prædicti Fortunati venisset mensam, priusquam Deo hymnũ diceret, sicut quidam ludendi arte cibum solent quærere, repentè ante ianuam cum simia vir astitit & cymbala percussit. Quem sanctus vir dedignatus audiens sonitum dixit: Heu heu, mortuus est miser iste, mortuus est miser iste. Ego ad mẽsam refectionis veni, os adhuc ad laudem Dei non aperui, & ille cum simia veniens percussit cymbala. Subiunxit quoque & ait: Ite & pro charitate ei cibum potúmque tribuite, scitote tamen quia mortuus est. Qui infœlix vir dum panem ac vinum ex eadem domo percepisset, egredi ianuam voluit, sed saxum ingens subitò de tecto cecidit, eíque in verticem venit. Ex qua percussione prostratus in manibus iam semiuiuus leuatus est. Die verò altera secundum viri Dei sententiã funD ditus finiuit vitam. Qua in re Petre pensandum est, quantus sit viris sanctis timor exhibendus, templa enim Dei sunt. Et cùm ad iracundiam vir sanctus trahitur, quis alius ad irascendum nisi eiusdem templi inhabitator excitatur? Metuenda ergo tantò est ira iustorum, quãtò & constat quia in eorũ cordibus ille præsens est, qui ad inferendam vltionem quam voluerit, inualidus non est.

Bonifacius ioculatori mortẽ prædixit.

Sancti viri dei templa sunt.

ALio quoque tempore prædictus Constantius presbyter nepos eius equum suum duodecim aureis vendidit, quos in propria arca ponens ad exercendum opus aliquod discessit. Tunc subitò ad episcopum pauperes venerunt, qui importunè precabantur vt eis sanctus vir Bonifacius episcopus ad consolationẽ suæ inopiæ aliquid largiri debuisset. Sed vir Dei quia quid tribueret nõ habebat, æstuare cœpit in cogitatione ne ab eo pauperes vacui exirent. Cui repentè ad memoriam rediit: quia Constantius presbyter nepos eius equum quem sedere consueuerat vẽdidisset, atque hoc ipsum in arca sua precium haberet. Absente igitur eodem nepote suo accessit ad arcam, & piè violẽtus claustra arcæ comminuit, duodecim aureos tulit, eósque indigentibus vt placuit diuisit. Itaque

Bonifacius pauperibus subuenit.

Constantius presbyter reuersus ex opere arcam fractam reperit, & caballi sui precium quod in eam posuerat, non inuenit. Cœpit itaque voce magna perstrepere: & cum furore nimio clamare: Omnes hîc viuunt, solus ego in domo hac viuere non possum. Ad cuius nimirum voces venit episcopus, omnésque qui in eodem episcopio aderant. Cúmque eum locutione blanda vir Dei temperare voluisset, cœpit ille cum iurgio respondere, dicens: Omnes tecum viuunt, solus ego autem hîc viuere ante te non possum, redde mihi solidos meos. Quibus vocibus commotus episcopus, beatæ Mariæ virginis Ecclesiam ingressus est, & eleuatis manibus, extenso vestimento, stando cœpit orare vt ei redderet vnde presbyteri furentis insania mitigari potuisset. Cúmque subitò oculos ad vestimentum suum inter extensa brachia reduxit, repente in sinu suo duodecim aureos inuenit ita fulgentes, tanquam si ex igne producti eadem hora fuissent. Qui mox de Ecclesia egressus, eos in sinum furentis presbyteri proiecit, dicens: Ecce habes solidos quos quæsisti: sed hoc tibi notum sit, quia post mortem meam in huius Ecclesiæ Episcopum non eligeris propter tuam auaritiam. Ex qua sententia veritatis colligitur, quia eosdem solidos presbyter pro adipiscendo episcopatu præparabat. Sed viri Dei sermo præualuit: nam idem Constantius in presbyteratus officio vitam finiuit.

Bonifacius orando xij. aureos à beata virgine impetrauit.

Vasculum à Bonifacio acceptũ vinum auxit.

ALio quoque tempore duo ad eum Gotthi hospitalitatis gratia venerũt, qui Rauennam se festinare professi sunt. Quibus ipse paruum vas ligneum vino plenum manu sua præbuit, quod fortasse in prandio itineris habere potuissent, ex quo illi quoad vsque Rauennam venirent, biberunt. Gotthi autem aliquantis diebus in eadem ciuitate morati sunt: & vinum quod à sancto viro acceperant, quotidie in vsu habuerunt. Sícque vsque ad eundem venerabilem patrem ferentes reuersi sunt: vt nullo die cessarent bibere, & tamen vinum eis ex illo vasculo nunquam deesset: ac si in illo vase ligneo quod Episcopus eis dederat, vinum non augeretur, sed nasceretur.

Erucæ de præcepto Bonifacij ex horto migrauerunt.

NVper quoque de eiusdem loci partibus senex quidam clericus aduenit, & ea quæ ipse de eo narrat silentio non sunt prætereunda. Nam dicit quòd quadam die ingressus hortum magna hunc erucarum multitudine inuenit esse cooperturn: qui omne olus in eo deperire conspiciens, ad easdem erucas conuersus dixit: Adiuro vos in nomine Domini Iesu Christi, recedite hinc, atque hæc olera comedere nolite. Quæ statim ad viri Dei verbum ita omnes egressæ sunt, vt ne vna quidem intra spatium horti remaneret. Sed quid mirum quod hæc de episcopatus eius tempore narramus, quando iam apud omnipotentem Deum ordine simul & moribus creuerat: dum illa magis miranda sint quæ cum hic senex clericus adhuc puerulum fecisse testatur? Nam ait quòd eo tempore quo cum matre sua puer habitabat: egressus hospitio, nonnunquam sine lineo, crebro etiam sine tunica reuertebatur: quia mox vt nudum quempiam inuenit vestiebat, hoc se expolians vt se ante Dei oculos illius mercede vestiret. Quem mater sua frequenter increpare consueuerat, dicens quòd iustum non esset vt ipse inops pauperibus vestimenta largiretur. Quæ die quadam horreum ingressa penè omne triticum quod sibi in stipendium totius anni præparauit inuenit à filio suo pauperibus erogatum. Cúmque semetipsam alapis pugnísque tunderet, quòd quasi anni subsidia perdidisset: superuenit Bonifacius puer Dei, cámque verbis quibus valuit consolari cœpit. Quæ cùm nihil consolationis admitteret, hanc rogauit vt ab horreo exire debuisset, in quo ex omni eorum tritico parum quid inuentum est remansisse. Puer autem Dei sese illic protinus in orationẽ dedit. Quid post paululum egressus ab horreo matrem reduxit, quod ita tritico plenum inuentum est sicut plenum antè non fuerat, cùm mater illius totius anni sumptus se congregasse gaudebat. Quo viso miraculo compuncta mater iam ipsa cœpit hortari vt daret, qui sic celeriter posset quæ petiisset accipere. Hæc itaque in hospitij sui vestibulo gallinas nutrire consueuerat: sed eas ex vicino rure vulpes veniens auferebat. Quadam verò die dum in eodem vestibulo puer Bonifacius staret, vulpes ex more venit, & gallinam abstulit. Ipse autem concitus Ecclesiam intrauit, & se in orationem prosternens apertis vocibus dixit: Placet tibi Domine, vt de nutrimentis matris meæ manducare non possim: ecce enim gallinas quas nutrit, vulpes comedit. Qui ab oratione surgens Ecclesiam est egressus. Mox autem vulpes rediit, gallinam quam ore tenebat dimisit, atq; ipsa moriens ante eius oculos in terram cecidit.

Bonifacius oratione vulpẽ necauit.

Petrus.

VAlde mihi mirum videtur, quòd exaudire preces in se sperantium etiam in rebus vilibus dignatur Deus.

Gregorius.

HOc Petre ex magna conditoris nostri dispensatione agitur: vt per minima quæ percipimus, sperare maiora debeamus. Exauditus nanque est in rebus vilibus puer sanctus & simplex, vt in paruis disceret quantum de Deo præsumere in magnis petitionibus deberet.

Cur Deus in paruis rebus exaudiat preces.

Petrus. Placet quod dicis.

De Fortunato Tudertinæ ciuitatis episcopo. Caput IX.

Gregorius.

ALius quoque vir vitæ venerabilis in eisdem partibus fuit Fortunatus nomine, Tudertinæ antistes Ecclesiæ, qui in effugandis spiritibus immensæ virtutis gratia pollebat: ita vt nonnũquam ab obsessis corporibus legiones dæmonum pelleret, & continuæ orationis studio intentus obiectas contra se eorum multitudines superaret. Huius viri familiarissimus fuit Iuliánus nostræ Ecclesiæ defensor, qui ante non longum tempus in hac vrbe defunctus est. Cuius ego quoque hoc didici relatione quod narro: quia sæpe gestis illius ausu familiaritatis intererat, eiúsque pòst memoriam ad instructionem nostram quasi faui dulcedinem in ore retinebat.

Fortunatus eiiciendis dæmonibus perpotens.

MAtrona quædam nobilis in vicinis partibus Tusciæ, nurum habebat, quæ intra breue tempus quo filium eius acceperat, cum eadem socru sua ad dedicationem oratorij beati Sebastiani martyris fuerat inuitata. Noctè verò eadem qua subsequente die ad dedicationem prædicti oratorij fuerat processura, voluptate carnis deuicta, à viro suo sese abstinere non potuit: cúmque mane facto conscientiam deterreret perpetrata carnis delectatio: processionem verò imperaret verecundia, plùs erubescens vultum hominum quàm Dei iudicium metuens, cum socru sua ad dedicationem oratorij processit. Mox verò vt reliquiæ beati Sebastiani martyris oratorium ingressæ sunt, eandem prædictæ matronæ nurum malignus spiritus arripuit, & coram omni populo vexare cœpit. Eiusdem verò oratorij presbyter dum eam vehementissimè vexari conspiceret, ex altari protinus sindonem tulit, eámque operuit: sed & hunc simul repente diabolus inuasit. Et quia vltra vires voluit quidquam præsumere, compulsus est & ipse cognoscere in sua vexatione quid esset. Hi verò qui aderant, puellam in manibus ex oratorio sublatam ad domum propriam reportauerunt. Cúmque hanc antiquus hostis vexatione continua vehementer attereret, propinqui sui eam carnaliter amantes & amando persequentes, ad obtinendum salutis remedium maleficis tradiderunt: vt eius animam funditus extinguerẽt, cuius carni magicis attribus ad tempus prodesse conarentur. Ducta est itaque ad fluuium atque in aquam mersa, ibique diutius incantationibus agere maleficii moliebantur, vt is qui eam inuaserat diabolus exiret. Sed miro omnipotentis Dei iudicio, dum arte peruersa vnus ab ea repellitur, in eam subitò legio intrauit. Cœpit ex hora illa tot motibus agitari, tot vocibus clamoribúsq; perstrepere, quot spiritibus tenebatur. Tunc inito consilio parentes eius suæ perfidiæ culpam fatentes hanc ad venerabilem virum Fortunatum Episcopum duxerunt, eíque reliquerunt. Qua ille suscepta multis se diebus ac noctibus in orationem dedit: tantóque annisu precibus incubuit, quanto & in vno corpore contra se asistere legionis aciem inuenit. Quam post non multos dies sanam atque incolumem reddidit, ac si in eam ius proprium diabolus nunquam habuisset.

Matrona obcarnis vitio à diabolo correpta.

Fortunatus matronã à legione dæmonum liberat.

ALio quoque tempore idem vir omnipotentis Dei famulus ex obsesso quodam homine immundum spiritum excussit. Qui malignus spiritus cùm vesperascente iam die secretam ab hominibus horam cerneret, peregrinum quempiam esse se simulans circuire cœpit ciuitatis plateas & clamare: O virum sanctam Fortunatum episcopum, ecce quid fecit, peregrinum hominem de hospitio suo expulit. Quæro vbi

vbi requiescere debeam, & in ciuitate eius nõ inuenio. Tunc quidam in hospitio cum vxore sua & paruulo filio ad prunas sedebat, qui vocem eius audiens, & quid episcopus ei fecerit requirens, hunc inuitauit hospitio, sedere secum iuxta prunas fecit. Cúmque vicissim aliqua confabularentur, paruulum eius filium idem malignus spiritus intrauit, atque in easdem prunas proiecit, ibíque mox eius animam excussit. Qui orbatus miser, vel quem ipse susceperit, vel quem episcopus expulit agnouit.

Diabolus sub forma peregrini puerum extinxit.

Petrus:

QVidnam hoc esse dicimus, vt occidendi ausum in eius hospitio antiquus hostis acciperet, qui hunc peregrinum æstimans ad se hospitalitatis gratia vocasset?

Gregorius.

MVlta Petre videntur bona, sed non sunt: quia bono animo non fiunt. Vnde & in Euangelio veritas dicit: Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Quia cùm peruersa est intentio quæ præcedit, prauum est omne opus quod sequitur, quanuis esse rectum videatur. Ego nanque hunc virum, qui dum quasi hospitalitatem exhiberet orbatus est, non pietatis opere delectatum æstimo, sed episcopi derogatione: nam pœna subsequẽs innotuit, quia præcedens illa susceptio sine culpa non fuit. Sunt nanque nõnulli qui idcirco bona facere student, vt gratiam alienæ operationis obnubilent. Nec pascuntur bono quod faciunt, sed laude boni qua cæteros premunt. Qua de re existimo hũc virum qui malignum spiritum in hospitalitatem suscepit, ostentationi boni potius intendisse quàm operi, vt meliora quàm episcopus fecisse videretur, quatenus ipse susciperet eum, quẽ vir Domini Fortunatus expulisset.

Matth. 6.

Attẽde veram sententiam.

Petrus:

ITa est vt dicis: nam finis operis probat, quòd munda intentio operationis non fuerit.

Gregorius:

ALio quoque tempore, dum oculorum quidam lumen amisisset: ad hunc deductus intercessionis eius opem petiit, & impetrauit. Nam cùm vir Dei oratione facta oculis eius signum crucis imprimeret, ab eis, protinus luce reddita, nox cæcitatis abscessit. Præterea equus cuiusdam militis in rabiem fuerat versus, ita vt à multis teneri vix potuisset: sed quoscunque potuit inuaderet, eorum membra morsibus dilaniaret. Tunc vtcunque à multis ligatus ad virum Dei deductus est. Qui mox eius capiti extensa manu signum crucis edidit, cunctam eius rabiem in mansuetudinem mutauit: ita vt postea mitior existeret, quàm ante illam insaniam fuisset. Tũc idem miles equum suum quem celerrimè ex miraculi imperio à sua vesania vidit immutatum, eidem sancto viro decreuit offerendum. Quem cùm suscipere ille renueret, ipse verò in precibus ne despiceretur eius oblatio perseueraret, sanctus vir mediam duarum partium viam tenens, & petitionem militis audiuit, & munus recipere pro hac exhibita virtute recusauit: prius nanque dignum precium præbuit, & postea equũ quem sibi offerebat accepit. Quia enim si non susciperet eum contristari conspexerat, charitate cogente emit quod necessariũ non habebat. Neq; hoc silere de huius viri virtutibus debeo, quod ante dies ferè duodecim audiui. Quidam nanque ad me deductus est senex pauper, atque vt mihi senum collocutio esse semper amabilis solet, studiosè hunc vnde esset inquisiui. Qui se esse de Tudertina ciuitate respondit: cui inquam: Quæso te pater, num Fortunatum episcopum nostũ? Qui ait: Noui, & bene noui. Tunc ipse subiunxi: Dic rogo si qua illius miracula nosti, & desideranti mihi qualis vir fuerit innotesce. Qui ait: Homo ille longè fuit ab istis hominibus quos videmus modò. Nam quicquid ab omnipotẽti Deo petiit, ita vt petierat impetrauit. Cuius hoc vnum narro miraculum, quod ad præsens animo occurrit. Quadam nanque die Gotthi iuxta Tudertinam ciuitatem venerunt, qui ad partes Rauennæ properabant, & duos paruulos puerulos de possessione abstulerant, quæ possessio præfatæ Tudertinæ ciuitati subiacebat. Hoc cùm viro sanctissimo Fortunato nuntiatum fuisset, protinus misit, atque eosdem Gotthos ad se vocari fecit. Quos blando sermone alloquens eorum prius studuit asperitatem placare, ac post intulit, dicens: Quale vultis precium dabo, & puerulos quos abstulistis reddite, mihique hoc gratiæ vestræ munus præbete. Tunc is qui prior eorum esse videbatur, respondit dicens: Quicquid aliud præcipis facere parati sumus: nam istos puerulos nullatenus reddemus. Cui venerandus vir blandè minatus dicit: Contristas me fili, & nõ audis patrem tuum, noli me contristare, nam non expedit tibi. Sed idem Gothus in cordis sui feritate permanens, negando discessit. Die verò altera digressurus rursus ad episcopum venit, quem eisdem verbis pro prædictis puerulis iterum episcopus rogauit. Cúmque ad reddendum nullo modo consentire voluisset, contristatus episcopus dixit: Scio quia tibi non expedit quòd me cõtristato discedis. Quæ Gothus verba despiciens ad hospitium reuersus, eosdem pueros de quibus agebatur, equis superimpositos cum suis hominibus præmisit. Ipse verò statim ascendens equum subsecutus est. Cúmque in eadem ciuitate ante beati Petri apostoli Ecclesiam venisset, equi eius pes lapsus est, qui cùm eo corruit, & eius coxa mox fracta est, ita vt in duabus partibus os esset diuisum, leuatúsq; in manibus reductus est ad hospitium. Qui festinus misit, & pueros quos præmiserat reduxit, & viro venerabili Fortunato mandauit, dicens: Rogo te pater, mitte ad me diaconum tuum. Cuius diaconus dum ad iacentem venisset, pueros quos redditurum se episcopo omnino negauerat, ad mediũ deduxit, eósque diacono illius reddidit, dicens: Vade, & dic domino meo episcopo: quia maledixisti mihi, ecce percussus sum, sed pueros quos quæsisti, recipe, & pro me rogo intercede. Susceptos itaque puerulos diaconus ad episcopum reduxit, cui benedictam aquam venerabilis Fortunatus statim dedit, dicens: Vade citiùs & eam super iacentis corpus proiice. Perrexit itaque diaconus atque ad Gothum introgressus, benedictam aquam super membra illius aspersit. Res mira & vehementer stupenda, mox! vt aqua benedicta Gotthi coxam contigit, ita omnis fractura solidata est, & saluti pristinæ coxa restituta, vt hora eadem de lecto surgeret, & ascenso equo ita cœptum iter ageret, ac si nullam vnquam læsionem corporis pertulisset. Factúmque est vt qui sancto viro Fortunato pueros cum precio reddere obedientiæ subiectus noluit, eos sine precio pœna subactus donaret. His igitur expletis studebat adhuc senex de eo & alia narrare. Sed quia nonnulli aderant ad quos exhortandos occupabat, iámque diei tardior hora incubuerat, venerabilis Fortunati facta mihi audire nõ licuit, quæ audire, si liceat, semper volo. Sed die alia idem senex rem de illo magis adhuc mirabilem narrauit, dicẽs: In eadem Tudertina vrbe Marcellus quidem, bonæ actionis vir cum duabus sororibus suis habitabat, qui eueniente molestia corporis ipso sacratissimo vesperascente iam sabbato paschali defunctus est. Cuius corpus cùm longius esset efferendum, die eodem sepeliri non potuit. Cùmque mora esset temporis ad explendum debitum sepulturæ, sorores eius morte eius afflictæ, cucurrerunt flentes ad venerabilem virum Fortunatum, eíque magnis vocibus clamare cœperunt: Scimus quia Apostolorum vitam tenes, leprosos mundas, cæcos illuminas: veni, & resuscita mortuum nostrũ. Qui mox vt cognouit earum fratrem defunctum, flere & ipse etiam de morte eius cœpit, eisq; respondit, dicens: Recedite, & hæc dicere nolite: quia iussio omnipotentis Dei est, cui contraire nullus hominum potest. Illis itaque discedentibus, tristis ex morte eius mansit episcopus. Subsequente autem die dominico ante exurgentis lucis crepusculum, vocatis duobus diaconibus suis perrexit ad domum defuncti: accedénsque ad locum vbi corpus iacebat exanime, ibi se in orationem dedit. Expleta autem prece surrexit, & iuxta corpus defuncti sedit: non autem grandi voce defunctum per nomen vocauit dicens: Frater Marcelle. Ille autem ac si leuiter dormiens ad vicinam vocem quanuis modicã fuisset excitatus, statim oculos aperuit, atque ad episcopum respiciens dixit: O quid fecisti? ô quid fecisti? cui episcopus respondit dicens: Quid feci? At ille: Duo hesterno die venerunt, qui me eiicientes ex corpore in bonum locum duxerunt, hodie autẽ vnus missus est qui dixit: Reducite eum, quia Fortunatus episcopus in domũ eius venit. Quibus verbis expletis mox ex infirmitate conualuit, & in hac vita diutius mãsit. Nec tamen credendũ est, quia locum quem acceperat per-

Fortunatus caco visum restituit.

Fortunatus signo crucis equum furiosum mãsuetum reddidit.

Gothus coxa fracta pueros reddidit.

Fortunatus aqua benedicta coxã sanauit.

Fortunatus resuscitauit mortuum Marcellum.

Carnis tentatio asperrimo medio superata.

ret. Tunc subitò superna gratia respectus ad semetipsum reuersus est, atque vrticarum & veprium iuxtà densa succrescere fruteta conspiciens, exutus indumeto nudum se in illis spinarum aculeis, & vrticarum incendiis proiecit: ibíque diu volutatus toto ex eis corpore vulneratus exiit, & per cutis vulnera eduxit à corpore vulnus mentis: quia voluptatem traxit in dolorem. Cúmque bene pœnaliter foris arderet, extinxit quod intus illicitè ardebat. Vicit itaque peccatum, quia mutauit incēdium. Ex quo videlicet tempore sicut pòst discipulis ipse perhibebat, ita in eo est rētatio voluptatis edom tu, vt tale aliquid in se minimè sentiret. Cœperūt postmodum multi iam mundum relinquere, atq; ad eius magisterium festinare. Liber quippe à tentationis vitio, vero iure iam factus est virtutum magister. Vnde & per Moysen in Exodo præcipitur, vt Leuitæ à vigintiquinq; annis & suprà ministrare debeant: ab anno verò quinquagesimo custodes vasorum fiant.

Petrus.

IAm quidem prolati testimonij mihi aliquantum intellectus interlucet: sed tamen hoc plenius exponi postulo.

Gregorius.

LIquet, Petre, quòd in iuuentute carnis tentatio feruēat, ab anno autem quinquagesimo calor corporis frigescat: vasa autem sacra sunt fidelium mentes. Electi ergo cùm adhuc in tentatione sunt, subesse eos ac seruire necesse est: & obsequiis laboribúsque fatigari. Cùm verò iam mentis ætate tranquilla calor recesserit tentationis, custodes vasorum sunt: quia doctores animarum fiunt.

Petrus.

FAteor placet quod dicis: sed quia prolati testimonij clausa reserasti, quæso vt de vita iusti debeas ea quæ sunt inchoata percurrere.

De vitro fracto per signum Crucis. Caput III.

Gregorius:

REcedente igitur tentatione vir Dei quasi spinis erutis exculta terra de virtutum segete feracius fructus dedit: præconio itaque eximiæ conuersationis celebre nomen eius habebatur. Non longè autem monasterium fuit, cuius congregationis frater defunctus est, omnísque ex illo congregatio ad eundem venerabilem Benedictum venit, & magnis precibus vt eis præesse deberet, petiit. Qui diu negando distulit, suis illorúmque fratrum moribus se cōuenire non posse prædixit: sed victus quandoque precibus assensum dedit.

Benedictus abbas effectus.

Cúmque in eodem monasterio regularis vitæ custodiam teneret, nullíq; vt prius per actos illicitos in dexteram læuámque partem deflectere à conuersationis itinere liceret: suscepti fratres insanè sæuiētes semetipsos prius accusare cœperunt, quia hunc sibi præesse poposcerunt: quorum scilicet tortitudo in norma eius rectitudinis offendebat. Cúmque sibi sub eo conspicerent illicita non licere, & se dolerent adsueta relinquere, durúmque esset quòd in mente veteri cogebantur noua meditari, & quia grauis est semper prauis moribus vita bonorum, tractare de eius morte aliqui conati sunt, qui inito consilio venenum vino miscuerunt. Et cùm vas vitreum in quo ille pestifer potus habebatur, recumbenti patri ex more monasterij ad benedicendum fuisset oblatum, extensa manu Benedictus signum crucis edidit, & vas quod longius tenebatur, eodem signo rupit: sicque confractum est, ac si in illo vase mortis, pro cruce lapidem dedisset. Intellexit protinus vir Dei, quia potum mortis habuerat, quod portare non potuit signum vitæ: atque ilicò surgens, vultu placido, mente tranquilla conuocatos fratres allocutus est, dicens: Misereatur vestri fratres omnipotens Deus, quare in me facere ista voluistis? Nunquid non prius dixi vobis, quia vestris ac meis moribus minimè conueniret? Ite, & iuxta vestros mores patrem vobis quærite, quia posthac me habere minimè potestis. Tuncque ad locum dilectæ solitudinis rediit, & solus in superni spectatoris oculis habitauit secum.

Benedictus vitrum venenatum signo crucis fregit.

Benedictus relicta abbatia, solitudinem repetiit.

Petrus:

MInus patenter intelligo, quidnam sit, habitauit secum.

Gregorius.

SI sanctus vir contra se vnanimiter conspirantes, suæque conuersationi longè dissimiles, coactos diu sub se tenere voluisset, fortassis sui vigoris vsum & modum tranquillitatis

* abscinderet, atque à contemplationis lumine suæ mentis oculum declinasset. Dúmque quotidie illorum correptione fatigatus minus curaret sua, & se forsitan relinqueret, & illos non inueniret. Nam quoties per contagionis motum nimium extra nos ducimur, & non sumus, & nobiscum non sumus: quia nosmetipsos minimè videntes per alia vagamur. An illum secum fuisse dicimus, qui in longinquam regionem abiit, portionem quam acceperat consumpsit, vni in ea ciuium adhæsit, porcos pauit: quos cùm manducare videret siliquas, & has esuriret, tamen cùm postmodum cœpit cogitare bona quæ perdidit, scriptum de illo est: In se reuersus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus? Sic igitur secum fuit, vnde ad se rediit? Hunc ergo venerabilem virum secum habitasse dixerim: quia in sua semper custodia circunspectus ante oculos conditoris, se semper aspiciens, se semper examinans, extra se mentis suæ oculum non diuulgauit.

** al. excederet.*

Lucæ. 15.

Petrus.

QVid ergo quod de Apostolo Petro scriptum est, dum de carcere ab Angelo eductus fuisset: Qui ad se reuersus dixit: Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.

Acto. 12.

Gregorius.

DVobus modis Petre extra nos ducimur: quia aut per cogitationis lapsum sub nosmetipsos recidimus, aut per contemplationis gratiam super nosmetipsos leuamur. Ille itaque qui porcos pauit, vagatione mentis & immunditie sub semetipsum cecidit. Iste verò quem angelus soluit, eius mentem in ecstasin rapuit, extra se quidem, sed super semetipsum fuit. Vterque ergo ad se rediit, quando & ille ab errore operis se collegit ad cor: & iste à contemplationis culmine ad hoc rediit, quod in intellectu communi vt prius fuit. Venerabilis igitur Benedictus in illa solitudine habitabat secum, inquantum se intra cogitationis claustra custodiuit: nam quotiescunque hunc contemplationis ardor in altum rapuit, se proculdubio sub se reliquit.

Duobus modis extra nos ducimur.

Petrus.

PLacet quod dicis: sed quæso respondeas, si desere ne fratres debuit, quos semel suscepit.

Benedictus an susceptũ monasteriũ relinquere debuit?

Gregorius.

VT ego Petre existimo, ibi adunati æquanimiter portandi sunt mali, vbi inueniuntur aliqui qui adiuuantur boni. Nam vbi omnimodo de bonis fructus deest, fit aliquando de malis labor vacuus, maximè si è vicino causæ suppetant, quæ fructum Deo ferre valeant meliorem. Vir itaq; sanctus propter quem custodiendum staret, qui omnes vnanimiter se persequētes cerneret? Et sæpe agitur in animo perfectorũ, quod silentio prætereundum non est: quia cùm laborem suum sine fructu esse considerent, in locum alium ad laborem cum fructu migrant. Vnde ille quoque egregius prædicator, qui dissolui cupit, & cum Christo esse, cui viuere Christus est, & mori lucrum, qui passionum certamina non solum ipse appetiit, sed ad toleranda hæc & alios accendit, Damasci persecutionem passus vt posset euadere murum, funem sportámque quæsiuit, séque latenter deponi voluit. Nunquid non Paulum mortem dicimus timuisse, quam se ipse pro amore Iesu testatur appetere? Sed cùm in eodem loco minorem sibi fructum adesse conspiceret, & graui labore ad laborem se alibi cum fructu seruauit. Fortis etenim præliator Dei teneri intra claustra noluit, certaminis campum quæsiuit. Vnde idem quoque venerabilis Benedictus si libenter audis, citius agnoscis: quia non tantos indociles deseruit, quantos in locis aliis à morte animæ suscitauit.

7. quæst. 1. Ibi adunati

Paulis fuga.

Petrus.

ITa est vt doces, & manifesta ratio & prolatum congruum testimonium declarat. Sed quæso vt de vita tanti patris ad narrationis ordinem redeas.

Gregorius.

CVm sanctus vir diu in eadem solitudine virtutibus, signísque succresceret, multi ab eo in eodem loco ad omnipotentis Dei sunt seruitium congregati: ita vt illic duodecim monasteria cum omnipotentis Iesu Christi Domini opitulatione construeret, in quibus statutis patribus duodenos monachos

Benedictus xij. monasteria construxit.

monachos deputauit, paucos verò secum retinuit, quos adhuc in sua præsentia aptius erudiri iudicauit. Cœpere etiam tunc ad eum Romanæ vrbis nobiles & religiosi concurrere, suósque ei filios omnipotenti Deo nutriendos dare. Tunc quoque bonæ spei suas soboles, Euicius Maurum, Tertullius verò patricius Placidum tradidit: è quibus Maurus iunior cùm bonis polleret moribus, magistri adiutor cœpit existere. Placidus verò puerilis adhuc indolis gerebat annos.

Maurus & Placidus discipuli fuerunt Benedicti.

De castigatione monachi vagi. Caput IIII.

IN vno autem ex eis monasteriis quæ circunquaque construxerat, quidam monachus erat, qui ad orationem stare non poterat: sed mox vt se fratres ad studium orationis inclinabant, ipse egrediebatur foras, & mente vaga terrena aliqua & transitoria agebat. Cúmque ab abbate suo sæpius fuisset admonitus, ad virum Dei deductus est, qui ipse quoque stultitiam eius vehementer increpauit, & ad monasterium reuersus vix duobus diebus viri Dei admonitionem tenuit. Nam die tertia ad vsum proprium reuersus, vagari tempore orationis cœpit. Quod cùm seruo Dei ab eodem monasterij patre quem constituerat, nuntiatum fuisset, dixit: Ego venio, eúmque per semetipsum emendo. Cúmque vir Dei venisset ad idem monasterium, & constituta hora expleta psalmodia sese fratres in orationem dedissent, aspexit quòd eundem monachum qui in oratione manere non potuit, quidam niger puerulus per vestimenti fimbriam foras traheret. Tunc eidem patri monasterij Pompeiano nomine & Mauro dei famulo secretè dixit: Nunquid non aspicitis quis est qui istum monachum foras trahit? Qui respondentes dixerunt: nō. Quibus ait: Oremus vt vos etiam videatis quem iste monachus sequitur. Cúmque per biduum esset oratum, Maurus monachus vidit: Pompeianus verò eiusdem monasterij pater videre non potuit. Die igitur alia expleta oratione vir Dei oratorium egressus, stantem foris monachum reperit, quem pro cæcitate cordis sui virga percussit: qui ex illo die nil persuasionis vlterius à nigro iam puerulo pertulit, sed ad orationis studium immobilis permansit: sicque antiquus hostis dominari non ausus est in eius cogitatione, ac si ipse percussus fuisset ex verbere.

Pompeianus abbas.

Benedictus virgis monachum vagum castigauit.

De fonte in vertice montis, viri Dei oratione producto. Caput V.

EX his autem monasteriis quæ in eodem loco construxerat, tria rursum in rupibus montis erant, & valde erat fratribus laboriosum quod semper ad lacum oportebat descendere vt aquam haurire debuissent: maximè quia è deuexo mōtis latere erat graue descēdentibus in timore periculū. Tunc collecti fratres ex eisdem tribus monasteriis ad Dei famulum Benedictum venerunt dicētes: Laboriosum nobis est propter aquam quotidie vsque ad lacum descendere, & idcirco necesse est ex eodem loco monasteria mutari. Quos blandè consolans dimisit, & nocte eadem cum paruo puerulo nomine Placido, cuius superius memoriam feci, eiusdem montis rupem ascendit, ibíque diutius orauit. Et oratione completa tres petras in loco eodem pro signo posuit, atque ad suum, cunctis illis nesciētibus, monasterium rediit. Cúmque die alia ad eum pro necessitate aquæ prædicti fratres rediissent dixit: Ite, & rupem illam in qua tres super inuicem positas petras inueneritis, in modicum cauate: valet enim omnipotens Deus etiam in illo montis cacumine aquam producere, vt vobis laborem tanti itineris dignetur auferre. Qui euntes rupem montis quam Benedictus prædixerat iam sudantem inuenerunt. Cúmque in ea concauum locum fecissent, statim aqua repletus est: quæ tam sufficienter emanauit, vt nunc vsque vbertim defluat, atque ab illo montis cacumine vsque ad inferiora deriuetur.

Fons Benedicti oratione factus.

De reiunctione ferri cum manubrio. Caput VI.

ALio quoque tempore Gothus quidem pauper spiritu ad conuersionem venit: quem Dei vir Benedictis libentissimè suscepit. Quadã verò die ei dare ferramentũ iussit, quod ad falcis similitudinē falcastrum vocatur, vt de loco quodam vepres abscinderet, quatenus illic hortus fieri deberet. Locus autem ipse quem mundandum Gothus susceperat, super ipsam laci ripam iacebat. Cúmque Gothus idem densitatem veprium totius virtutis annisu succideret, ferrum de manubrio prosiliens in lacum cecidit, vbi scilicet tanta erat aquarũ profunditas, vt spes requirendi ferramenti nulla iam esset. Itaque ferro perdito tremebundus ad Maurum monachum cucurrit Gothus: damnum quod fecerat nunciauit, & reatus sui egit pœnitētiam. Quod Maurus quoque monachus mox Benedicto famulo Dei curauit indicare. Vir igitur Domini Benedictus hæc audiens accessit ad lacum, tulit de manu Gothi manubrium, & misit in lacum: & mox ferrum de profundo rediit, atque in manubrium intrauit. Qui statim ferramentum Gotho reddidit, dicens: Ecce labora, & noli contristari.

Benedictus falcastri ferrum ad manubriũ reiunxit.

De ambulatione Mauri super aquam. Capt VII.

QVadam verò die dum idem venerabilis Benedictus in cella consisteret, prædictus Placidus puer sancti viri monachus ad hauriendam de lacu aquam egressus est: qui vas quod tenuerat in aquam incautè submittens, ipse quoque cadendo secutus est. Quem mox vnda rapuit, & penè ad vnius sagittæ cursum eum à terra introrsus traxit. Vir autem Dei intra cellam positus hoc protinus agnouit, & Maurum festinè vocauit, dicens: Frater Maure, curre, quia puer ille qui ad hauriendum aquam perrexerat in lacum cecidit: iámque eum lōgius vnda trahit. Res mira, & post Petrum Apostolũ inusitata. Benedictione etenim postulata atq; percepta, ad patris sui imperium cōcitus perrexit Maurus. Itaque vsque ad eum locum quo ab vnda deducebatur puer, per terram se ire existimãs super aquam cucurrit, eúmque per capillos tenens cursu rapido rediit. Qui mox vt terram tetigit, ad se reuersus post tergũ respexit, & quia super aquas cucurrisset agnouit, & quod præsumere nō potuisset vt fieret, miratus extremuit factum. Reuersus itaque ad patrem rem gestam retulit. Vir autē venerabilis Benedictus hoc non suis meritis, sed illius obedictiæ deputare cœpit. At e contra Maurus pro solo eius imperio factum dicebat: séque conscium in illa virtute non esse quam nescius fecisset. In hac itaque mutuæ humilitatis & amica contentione accessit arbiter puer qui ereptus est, nam dicebat: Ego cùm ex aqua traherer, super caput meum meiotam abbatis videbam, atque ipsum me ex aquis educere considerabam.

Maurus super aquam currēs phēnũ eripuit.

Petrus:

MAgna sunt valde quæ narras, & multorum ædificationi profutura: ego autem boni viri miracula quō plus bibo, eò plus sitio.

De infecto per venenum pane, per corũm longius proiecto. Caput VIII.

CVm iam loca eadem in amorem Domini Dei nostri Iesu Christi, longè latéque feruescerent, & secularem vitam multi relinquerent, & sub leni redemptoris iugo ceruicem cordis edomarent: sicut mos prauorum est inuidere aliis virtutis bonum quod ipsi habere non appetunt: vicinæ Ecclesiæ presbyter Florentius nomine huius nostri subdiaconi Florentij auus, antiqui hostis malitia percussus, sancti viri studiis cœpit æmulari, eiusque conuersationi derogare: quósque etiam posset ab illius visitatione compescere. Cúmque iam se conspiceret eius profectibus obuiare non posse, & conuersationis illius opinionem crescere, atque multos ad statum vitæ melioris ipso quoque opinionis eius præconio indesinenter vocare, inuidiæ facibus magis magísque succensus deterior fiebat: quia conuersationis illius appetebat habere laudem, sed habere laudabilem vitam nolebat. Qui eiusdem inuidiæ tenebris cæcatus ad hoc vsque perductus est, vt seruo omnipotentis Dei infectum veneno panem quasi pro benedictione transmitteret. Quem vir Dei cum gratiarum actione suscepit: sed eum quæ pestis lateret in pane, non latuit. Ad horam verò refectionis illius ex vicina silua coruus venire consueuerat, & panem de manu eius accipere. Qui cùm more solito venisset, panem quem presbyter transmiserat, vir Dei ante coruũ proiecit, eíque præcepit dicēs: In nomine Iesu Christi domini nostri tolle hunc panem, & tali eum in loco proiice, vbi à nullo hominum posit inueniri. Tunc coruus aperto ore, expansis alis circa eundem panem cœpit discurrere, crocitare, ac si apertè diceret & obedire se velle, & tamen iussa implere non posse. Cui vir Domini præcipiebat iterum atque iterum dicēs: Leua, leua securus, atque ibi proiice vbi inueniri

Florentijs Benedicti suorumque æmulus.

Coruo suo præcepit vt venenatum panem Florentij deferret.

non posit. Quem diu demoratus, quandoque coruus momordit, leuauit, & recessit. Post trium verò horarum spatium abiecto pane rediit, & de manu hominis Dei annonam quam consueuerat accepit. Venerabilis autem pater contra vitam suam inardescere sacerdotis animum videns, illi magis quàm sibi doluit. Sed prædictus Florentius quia magistri corpus necare non potuit, se ad extinguendas discipulorum animas accendit: ita vt in horto cellæ, cui Benedictus inerat, ante eorum oculos nudas septem puellas mitteret, quæ coram eis sibi inuicem manus tendentes & diutius ludentes, illorum mentes ad peruersitatem libidinis inflammarent. Quod vir sanctus de cella conspiciens, lapsúmque adhuc tenerioribus discipulis pertimescens, ídque pro sui solius persecutione fieri pertractans, inuidiæ locum dedit, atque oratoria & cuncta quæ construxerat, substitutis præpositis, adiunctis fratribus ordinauit, & paucis secum monachis ablatis habitationem mutauit loci. Sícque vir Dei eius odia humiliter declinauit, quem omnipotens Deus terribiliter percussit. Nam cùm prædictus presbyter stans in solario Benedictum discessisse cognosceret & exultaret, perdurante immobiliter tota domus fabrica, hoc ipsum tantum in quo stabat solarium cecidit, & Benedicti hostem conterens extinxit. Quod viri Dei discipulus Maurus nomine, statim venerabili patri Benedicto qui adhuc à loco eodem vix decem milibus aberat, æstimauit esse nunciandum dicens: Reuertere, quia presbyter qui te persequebatur extinctus est. Quod vir Dei Benedictus audiens, sese in grauibus lamentationibus dedit, vel quia inimicus occubuit, vel quia de inimici morte discipulus exultauit. Qua de re factum est vt eidem quoque discipulo pœnitentiam indiceret, quòd mandans talia gaudere de inimici interitu præsumpsisset.

Florentius septem puellas nudas fratribus obiecit.

Florentij supplicium & ruina.

Petrus:

Mira sunt & multum stupenda quæ dicis. Nam in aqua ex petra producta Moysen, in ferro verò quod ex profundo aquæ rediit Hælisæum, in aquæ itinere Petrum, in corui obedientia Heliam, in luctu autem mortis inimici Dauid video & perpēdo: vir iste spiritu iustorum omnium plenus fuit.

Benedictus conferitur ad Moysen, Helisæum &c.

Gregorius:

Vir Dei Benedictus Petre vnius Dei spiritum habuit, qui per concessæ redemptionis gratiam electorum corda omnium impleuit, de quo Ioannes dicit: Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. De quo rursus scriptum est: De plenitudine eius nos omnes accepimus. Nam sancti Dei homines potuerunt à Domino virtutes habere, non etiam aliis tradere. Ille autem signa virtutis dedit subditis, qui se daturum signum Ionæ promisit inimicis: vt coram superbis mori dignaretur, coram humilibus resurgere, quatenus & illi viderent quod contemnerent, & isti quod venerantes amare debuissent. Ex quo mysterio actum est vt dum superbi aspiciunt despectum mortis, humiles contra mortem acciperent gloriam potestatis.

Ioan. 1.

Ibidem.

Ionæ. 1.

Petrus:

Quæso te post hæc, ad quæ loca vir sanctus migrauerit vel si aliquas in eis virtutes postmodum ostenderit, innotesce.

Gregorius:

Sanctus vir ad alia demigrans, loca non hostem mutauit. Nam tanto pòst grauiora prælia pertulit, quantum contra se apertè pugnantem ipsum malitiæ magistrum inuenit. Castrum nanque quòd Casinum dicitur in excelsi montis latere situm est, qui videlicet mons distenso sinu hoc idem castrum recipit, sed per tria milia in altum se subrigens velut ad aëra cacumen tēdit: vbi vetustissimum fanum fuit, in quo ex antiquorum more gentilium à stulto rusticorum populo Apollo colebatur. Circunquaque etiam in cultu dæmonum luci succreuerant, in quibus adhuc eodem tempore infidelium insana multitudo sacrificiis sacrilegis insudabat. Illuc itaque vir Dei peruenienS contriuit idolum, subuertit aram, succendit lucos, atque in ipso templo Apollinis, oraculum beati Martini, vbi verò ara eiusdem Apollinis fuit, oraculum sancti Ioannis construxit, & commorantem circunquaque multitudinem prædicatione continua ad fidem vocabat. Sed hæc antiquus hostis tacitè non ferens, non occultè vel per somnium, sed aperta visione eiusdem patris oculis sese ingerebat, & magnis clamoribus vim se perpeti conquerebatur, ita vt voces illius etiam fratres audirent quanuis imaginem minimè cernerent. Vt enim discipulis suis venerabilis pater dicebat, corporalibus eius oculis idem antiquus hostis teterrimus & succensus apparebat, qui in eum ore oculísque flammantibus sæuire videbatur. Iam verò quæ diceret audiebant omnes: prius enim hunc vocabat ex nomine. Cui cùm vir Dei minimè responderet, ad eius mox contumelias erumpebat. Nam cùm clamaret dicens: Benedicte Benedicte, & etim sibi nullo modo respondere conspiceret, protinus adiungebat, Maledicte non Benedicte, quid mecum habes? quid me persequeris? Sed iam nunc spectanda sunt contra dei famulum antiqui hostis noua certamina, cui pugnam quidem volens intulit, sed occasiones victoriæ ministrauit inuitus.

Fanum Apollinis.

Benedictus adē Appolinis in sancti Martini templū commutauit.

Diabolus Benedictū maledictū vocabat.

De ingenti saxo per dei orationem leuato.
Caput IX.

Quadam die dum fratres habitacula eiusdem cellæ construerent, lapis in medio iacebat, quem in ædificium læuare decreuerunt. Cúmque eum duo vel tres mouere non possent, plures adiuncti sunt, sed ita immobilis mansit ac si radicitùs in terra teneretur, vt palàm daretur intelligi, quòd super eum ipse per se antiquus hostis sederet, quem tantorum virorum manus mouere non possent. Difficultate igitur facta ad virum Dei missum est vt veniret, & orando hostem repelleret, vt lapidem læuare possent. Qui mox venit, & orationem faciens benedictionem dedit, & tanta lapis celeritate leuatus est, ac si nullum prius pondus habuisset.

Benedictus lapidē diabolo grauatum oratione leuem fecit.

De fantastico coquinæ incendio.
Caput X.

Tunc in cōspectu viri Dei placuit vt in eodem loco terram foderent. Quam dum fodiendo altius penetrarent, æreum illic idolum fratres inuenerunt. Quo ad horam casu in coquinam proiecto exire ignis repentè visus est, atque in cunctorum monachorum oculis quia omne eiusdem coquinæ ædificium consumeretur ostendit. Cúmque iaciendo fratres aquam ad ignem quasi extinguendo perstreperent, pulsatus eodem tumultu vir Dei aduenit. Qui eundem ignem in oculis fratrum esse, in suis verò non esse considerans, caput protinus in orationem flexit, & eos quos fantastico reperit igne deludi vocauit, fratres monuit vt oculos suos signarent, vt & sanum illud coquinæ ædificium asistere cernerent, & flammas quas antiquus hostis finxerat non viderent.

Fantasticus idoli ignis oratione restinctus.

De puero confracto à pariete, sanato.
Caput XI.

Rursum dùm fratres parietem, quia res ita exigebat, paulò altius erigerent, vir Dei in orationis studio intra cellæ suæ claustra morabatur. Cui antiquus hostis insultans apparuit, & ei quòd ad laborantes fratres pergeret indicauit. Quod vir Dei per nuntium celerrimè fratribus indicauit dicens: Fratres cautè vos agite: quia ad vos hac hora malignus spiritus venit. Is qui mandatum detulit vix verba compleuerat, & malignus spiritus eundem parietem qui ædificabatur euertit, atque vnum puerulum monachum cuiusdam curialis filium opprimens, ruina contriuit. Contristati omnes, vt vehementer afflicti non damno parietis, sed contritione fratris, venerabili patri Benedicto celeriter cum graui luctu nuntiarunt. Tunc idem pater Benedictus dilaceratum puerum ad se deferri iubet. Quem portare non nisi in sacco potuerunt: quia collapsi saxa parietis, non solùm eius membra, sed etiam ossa contriuerant. Præcepíque vir Dei statim eum in cella sua in psyacio quo orare consuerat proiici, missíque foràs fratribus cellam clausit, qui orationi instantius quàm solebat incubuit. Mira res, eadem hora hunc incolumem, atque vt prius valentem ad eundem iterum laborem misit, vt ipse quoque parietem cum fratribus perficeret, de cuius se interitu antiquus hostis Benedicto insultare credidisset.

Diabolus murum euertendo puerū contriuit.

Benedictus dilaceratū puerum oratione reuiscauit.

De monachis qui extra cellam comederant.
Caput XII.

Cœpit

Coepit verò inter ista vir Dei prophetiæ etiam spiritu pollere, ventura prædicere, præsentibus etiam absentia nuntiare. Mos etenim cellæ fuit, vt quoties ad responsum aliquod egrederentur fratres, cibum potúmque extra cellam minimè sumerent. Cúmque hoc de vsu regulæ sollicitè seruaretur, quadam die ad responsum fratres egresi sunt, & in eo tardiori compulsi sunt hora demorari. Qui manere iuxta religiosam fœminam nouerant, cuius ingresi habitaculum sumserunt cibum. Cúmque iam tardius ad cellam rediissent, benedictionem patris ex morte petierunt. Quos ille protinus percunctatus est dicens: Vbi comedistis? Qui responderunt. Nusquam. Quibus ille ait: Quare ita mentimini? Nunquid illius talis fœminæ habitaculum non intrastis? Nunquid hos atque illos cibos non accepistis? Nunquid tot calices non bibistis? Cúmque eis venerabilis pater & hospitium mulieris, & genera ciborum & numerum potionum diceret, recognoscentes cuncta quæ egerant ad eius pedes tremefacti ceciderunt, & se deliquisse confesi sunt. Ipse autem protinus † culpæ pœnitentiam præcepit, perpendens quòd in eius absentia vltrà non facerent, quem præsentem sibi esse in spiritu scirent.

Benedictus absentia in spiritu vidit.

† al. culpæ pepercit.

De fratre Valentiniani monachi, quem vir dei in via comedisse carpsit. *Caput XIII.*

Frater quoque Valentiniani eius monachi, cuius superius memoriam feci, vir erat laicus, sed religiosus. Qui vt serui Dei orationem perciperet, & germanum fratrem videret, annis singulis de loco suo ad cellam eius ieiunus venire consueuerat. Quadam igitur die dum iter ad monasterium faceret, sese illi alter viator adiunxit, qui sumendos cibos in itinere portabat. Cúmque iam hora tardior excreuisset, dixit: Veni frater sumamus cibum ne lassemur in via. Cui ille respondit: Absit frater, hoc non faciam: quia ad venerabilem patrem Benedictum ieiunus semper peruenire consueui. Quo responso percepto ad horam conuiator tacuit. Sed cùm post hoc aliquantulum itineris spatium egissent, rursus admonuit vt manducarent. Noluit consentire qui ieiunus peruenire decreuerat. Tacuit quidem qui ad manducandum inuitauerat, & cum eo ieiunus adhuc pergere modicum consensit. Cúmque iter longius agerent, & eos tardior hora fatigaret ambulantes, inuenerunt in itinere pratum & fontem, & quæque poterant ad reficiendum corpus delectabilia videri. Tunc conuiator ait: Ecce aqua, ecce pratum, ecce amœnus locus in quo possumus refici & parum quiescere, vt valeamus iter nostrum postmodum incolumes explere. Cùm igitur & verba auribus & loca oculis blandirentur, tertia admonitione persuasus consensit & comedit: vespertina verò hora peruenit ad cellam. Præsentatus autem venerabili Benedicto patri, sibi orationem petiit: sed mox ei vir sanctus hoc quod in via egerat improperauit dicēs: Quid est frater quòd malignus hostis qui tibi per conuiatorem tuum locutus est, semel tibi persuadere non potuit, secundò non potuit, tertiò verò persuasit, & te ad hoc quod voluit superauit? Tunc ille reatum infirmæ suæ mentis agnoscens, eius pedibus prouolutus tantò magis cœpit culpam deflere & erubescere, quantò se cognouit etiam absentem in Benedicti patris oculis deliquisse.

Fratis Totilæ regis. Gothorum.

Benedictus in spiritu vidit absentē comedere.

Petrus:

Ego sancti viri præcordiis Helisæi spiritum video inesse, qui absenti discipulo præsens extitit.

De simulatione regis Totilæ deprehensa. *Caput XIIII.*

Gregorius:

Oportet Petre vt interim sileas, quatenus adhuc maiora cognoscas. Gothorum nanque temporibus cùm rex eorum Totila sanctum virum prophetię habere spiritum audisset, ad eius monasterum pergens, paulò longius subsistit, eique se venturum esse nuntiauit. Cui dum protinus mandatum de monasterio fuisset vt veniret, ipse, sicut perfidæ mentis fuit, an vir Dei prophetiæ spiritum haberet, explorare conatus est. Quidam verò eius spatarius Riggo dicebatur, cui calceamenta sua præbuit, eúmque indui vestibus regalibus fecit, quem quasi in persona sua pergere ad Dei hominē præcepit: In cuius obsequio tres, qui sibi præ cæteris adhærere consueuerāt comites misit, scilicet Vultericum, Rudericum, & Blindinum, vt ante serui Dei oculos ipsum regem Totilam esse simulantes, eius lateri obambularent, cui alia quoque obsequia quasi spatarij præberent, vt tam ex eisdem obsequiis quàm ex purpureis vestibus rex esse putaretur. Cúmque idem Riggo decoratis vestibus obsequentium frequentia comitatus monasteriū fuisset ingressus, vir Dei eminus sedebat. Quem venientem conspiciens cùm iam ab eo audiri potuisset, clamauit dicens: Pone fili pone hoc quod portas, non est tuum. Qui Riggo protinus in terram cecidit. Et quia tanto viro illudere præsumpsisset, expauit, omnésque qui cum eo ad hominem Dei veniebant, terræ consternati sunt. Surgentes autem ad eum propinquare minimè præsumpserunt, sed ad suum regem reuersi nuntiauerunt trepidi in quanta velocitate fuerant deprehensi.

Vult. Rudericus. Blidin.

De prophetia regi Totilæ, & Camisinæ antistiti facta.
Capitē XV.

Tunc per se idem Totila ad Dei hominem accessit, quem cùm longè sedentem cerneret, non ausus accedere sese in terram dedit. Cui cùm vir Dei bis térve diceret, Surge sed ipse ante eum de terra erigere se nō auderet, Benedictus Christi Iesu famulus per semetipsum dignatus est accedere ad regem, prostratúmque de terra leuauit, & de suis actibus increpauit, atque in paucis sermonibus cuncta quæ illi erant ventura prænuntiauit, dicens: Multa mala facis, multa mala fecisti, iam aliquandò ab iniquitate conquiesce. Equidem Romam ingressurus es, mare transiturus, nouem annis regnans, decimo morieris. Quibus auditis rex vehementer territus, oratione petita recessit, atque ex illo iam tempore minus crudelis fuit, & non multò pòst Romam adiit, ad Siciliam perrexit. Anno autem regni sui decimo, omnipotentis Dei iudicio regnum cum vita perdidit. Præterea Cantusinæ antistes Ecclesię ad eundem Dei famulum venire consueuerat, quem vir Dei pro vitæ suæ merito valde diligebat. Is itaque dum cum illo de ingressu regis Totilæ & Romanæ vrbis perditione colloquium haberet, dixit: Per hunc regem ciuitas ista destruetur, vt iam amplius non inhabitetur. Cui vir Domini respondit: Roma à gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus, coruscis turbinibus, ac terræmotu fatigata, in semetipsa marcescet. Cuius prophetiæ mysteria nobis iam facta sunt luce clariora, qui in hac vrbe dissoluta mœnia, euersas domus, destructas Ecclesias turbine cernimus, eiúsque ædificia longo senio lassata, quia ruinis crebrescentibus prosternantur videmus: quanuis hoc Honoratus eius discipulus, cuius mihi relatione compertum est, nequaquam ex ore illius audisse se perhibet. Sed quia hoc dixerit, dictum sibi à fratribus fuisse testatur.

Benedictus regem Totilæ increpat sibi prædicens futura.

Prophetia de Romanæ vrbis interitu.

De clerico à dæmone liberato vsque ad tempus.
Caput XVI.

Eodem quoque tempore quidem Aquinensis Ecclesiæ clericus dæmonio vexabatur, qui à venerabili viro Constantio eiusdem Ecclesiæ antistite per multa fuerat martyrum loca transmissus vt sanari potuisset. Sed sancti Dei martyres noluerunt ei sanitatis donum tribuere, vt quarta esset in Benedicto gratia demonstrarent. Ductus itaque est ad omnipotentis Dei famulum Benedictum, qui Iesu Christo Domino preces fundens, antiquum hostem de obsesso homine protinus expulit. Cui sanato præcepit dicens: Vade & posthac carnem non comedas, ad sacrum ordinem nunquam accedere præsumas, quacunque autem die ad sacrum ordinem accedere præsumpseris, statim iuri diaboli iterum mancipaberis. Discesit igitur clericus sanus, & sicut terrere solet animum pœna recens, ea quæ vir Dei præceperat, interim custodiuit. Cùm verò post annos multos omnes priores illius de hac luce migrassent, & minores suos sibimet supponi in sacris ordinibus cerneret, verba viri Dei quasi ex longo tempore oblitus postposuit, atque ad sacrum ordinem accessit, quem mox is qui reliquerat diabolus tenuit, eúmque vexare quousque animam eius excuteret, non cessauit.

Præceptum Benedicti datum obsesso.

Clericus ordine suscepto iterum obsessus est.

Petrus:

Iste vir Dei diuinitatis, vt video, etiā secreta penetrauit: quia perspexit hunc clericum idcirco diabolo traditum, ne ad sa-

crum ordinem auderet accedere.

Gregorius:

QVare diuinitatis secreta non nosset, qui diuinitatis præcepta seruaret, cùm scriptum sit: Qui adhæret Domino, vnus spiritus est cum eo?

1. Corin. 6.

Petrus:

SI vnus sit cum Domino spiritus qui Domino adhæret, quid est quòd iterum idem egregius prædicator dicit: Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Valde enim esse inconueniens videtur eius sensum cum quo vnus vnum factum fuerit, ignorare.

Roma. 11.

Gregorius:

SAncti viri inquantum cum Deo vnum sunt, sensum Domini non ignorant. Nam idem quoque Apostolus dicit: Quis enim scit hominũ quæ hominis sunt, nisi spiritus hominis qui est in ipso? Ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei, qui vt se ostenderet nosse quæ Dei sunt, adiunxit: Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est. Hinc iterum dicit: Quod oculus nõ vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus diligentibus se, nobis autem reuelauit per spiritum suum.

1. Corin. 2.

Ibidem.

Ibidem.

Petrus:

SIergo eidem Apostolo ea quæ Dei sunt per spiritum sunt reuelata, quomodo super hoc quod proposuit præmisit dicens: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Sed rursum mihi hæc dicenti alia suboritur quæstio. Nam Dauid propheta Domino loquitur dicens: In labiis meis pronunciaui omnia iudicia oris tui. Et cùm minus sit nosse quàm etiam pronuntiare, quid est quod Paulus incomprehensibilia esse Dei iudicia asserit, Dauid autem hæc se omnia non solùm nosse, sed etiam in labiis pronunciasse testatur?

Roma. 11.

Quæstio.

Psalm. 118.

Gregorius:

AD vtraque hæc tibi superius sub breuitate respondi, dicens quòd sancti viri inquantum cum Domino vnum sunt, sensum Domini non ignorant. Omnes enim qui deuotè Dominum sequuntur etiam deuotione cum Deo sunt, & adhuc carnis corruptibilis grauati pondere, cum Deo non sunt, occultáque Dei iudicia inquantum coniuncti sunt, sciunt: inquantum disiuncti sunt, nesciunt: quia enim secreta eius adhuc perfectè non penetrant, incomprehensibilia eius iudicia esse testantur. Qui verò mente ei inhærent, atque inhærendo vel sacris scripturæ eloquiis, vel occultis reuelationibus inquantum accipiunt agnoscunt, & nouerunt hæc & pronunciant: iudicia enim quæ Deus tacet, nesciunt, quæ Deus loquitur, sciunt. Vnde & Dauid propheta cùm dixisset: In labiis meis pronunciaui omnia iudicia: protinus addidit, Oris tui, ac si apertè dicat: Illa ego iudicia & nosse & pronunciasse potui, quæ te dixisse cognoui. Nam ea quæ ipse nõ loqueris, à nostra proculdubio cognitione abscondis. Cõcordat ergo prophetia apostolicáque sententia: quia & incomprehensibilia sunt Dei iudicia, & tamen quæ de ore eius prolata fuerint, humanis labiis pronunciantur, quoniam sciri ab hominibus & prolata prodi possunt, & occultari non possunt.

Responsio ad quæstiones.

Quomodo iudicia Dei iudicia sciant & nesciant.

Psalm. 118.

Petrus:

IN obiectione meæ quæstiunculæ patuit causa rationis. Sed quæso te si qua sunt adhuc de viri huius virtute subiunge.

De destructione monasterij viri Dei ab ipso prædicta. Cap. XVII.

Gregorius:

VIr quidam nobilis Theoprobus nomine, eiusdem Benedicti patris fuerat admonitione conuersus, qui pro vitæ suæ merito magnam apud eum familiaritatis fiduciam habebat. Hic cùm quadam die eius cellam fuisset ingressus, hunc amarissimè flentem reperit. Cúmque diu subsisteret, eiúsque non finiri lachrymas videret, nec tamen vir Dei consueuerat orando plangere, sed merendo, quænam causa tanti luctus existeret, inquisiuit. Cui vir Dei ilico respondit: Omne hoc monasterium quod construxi, & cuncta quæ fratribus præparaui, omnipotentis Dei iudicio gentibus tradita sunt. Vix autem obtinere potui, vt mihi ex hoc loco animæ concederentur. Cuius vocem tunc Theoprobus audiuit, nos autem cernimus qui destructum modo à Longobardorum gente eius monasterium scimus. Nocturno enim tempore & quiescentibus fratribus, nuper illi Longobardi ingressi sunt, qui diripientes omnia, ne vnum quidem hominem illic tenere potuerunt, sed impleuit omnipotens Deus quod fideli famulo Benedicto promiserat, vt si res gentibus traderet, animas custodiret. Qua re Pauli vicem video nenuisse Benedictum, cuius dum nauis rerum omnium iacturam pertulit, ipse in consolatione vitam omnium qui eum comitabantur, accepit.

Benedictus prædixit monasterii suum propediem interiturum.

Benedictus ad Paulum confertur.

De absconsione flasconis à beato Benedicto cognita. Caput XVIII.

QVodam quoque tempore Exhilaratus noster, quem ipse conuersum nosti, transmissus à Domino suo fuerat, vt Dei viro in monasterium vino plena duo lignea vascula, quæ vulgò flascones vocantur, deferret, qui vnum detulit, alterum verò pergens in itinere abscondit. Vir autem Domini quem facta absentia latere non poterant, vnum cum gratiarum actione suscepit, & discedentem puerum monuit dicens: Vide fili, ne de illo flascone quem abscondisti bibas, sed inclina illum cautè, & inuenies quid intus habet. Qui cõfusus valde à Dei homine exiuit. Et reuersus volens adhuc probare quod audierat, cùm flasconem inclinasset, de eo protinus serpens egressus est. Tunc prædictus Exhilaratus puer, per hoc quod in vino reperit, expauit malum quod fecit.

Vinum abscondit, in serpentem versum.

De mappularum receptione à viro dei cognita. Caput XIX.

NOn longè autem à monasterio vicus erat, in quo non minima multitudo hominum ad fidem Dei ab idolorum cultu Benedicti fuerat exhortatione conuersa. Ibi quoque quædam sanctimoniales fœminæ inerant, & crebrò illuc pro exhortandis animabus fratres suos mittere Benedictus Dei famulus curabat. Quadam verò die misit ex more, sed is qui missus fuerat monachus post admonitionem factam à sanctimonialibus fœminis rogatus mappulas accepit, sibíque eas abscondit in sinu. Qui mox vt reuersus est, eum vir Dei vehementissima amaritudine cæpit increpare dicens: Quomodo ingressa est iniquitas in sinum tuum? At ille obstupuit, & quid egisset oblitus, vnde corripiebatur ignorabat. Cui ait: Nunquid ego illic præsens non eram quando ab ancillis Dei mappulas accepisti, tibíque eas in sinu misisti? Qui mox eius vestigiis prouolutus stultè se egisse pœnituit, & eas quas in sinu absconderat mappulas abiecit.

De mappulis à monacho acceptis.

De cogitatione monachi superba à dei viro cognita. Caput XX.

QVadam quoque die dum venerabilis pater vespertina iam hora corporis alimenta perciperet, eius monachus cuiusdam defensoris filius fuerat, qui ei ante mensam lucernam tenebat. Cúmque vir Dei ederet, ipse autem cùm lucernæ ministerio astaret, cœpit per superbiæ spiritum in mente sua tacitus voluere, & per cogitationem dicere: Quis est hic cui ego manducanti assisto, lucernam teneo, seruitium impendo? Quis sum ego vt isti seruiam? Ad quem vir Dei statim conuersus vehementer cœpit eum increpare dicens: Signa cor tuum frater, quid est quod loqueris? signa cor tuum. Vocatíque statim fratribus, præcepit ei lucernam de manibus tolli, ipsum verò iussit à ministerio recedere, & sibi hora eadem quietum sedere. Qui requisitus à fratribus quid habuerit in corde, per ordinem narrauit, quanto superbiæ spiritu intumuerat, & quæ contra virum Dei verba per cogitationem tacitus dicebat. Tunc liquidò omnibus patuit, quòd venerabilem Benedictum latere nil posset, in cuius auribus tacitæ etiam cogitationis verba sonuissent.

Benedictus cognouit cogitationes superbi.

De ducentis modiis farinæ ante viri dei cellam inuentis. Caput XXI.

ALio quoque tempore in eadem Campaniæ regione fames incubuerat, magnáque omnes alimentorum indigentia coangustabat. Iámque in Benedicti monasterio triticum deerat. Panes verò penè omnes consumpti fuerãt, vt nõ plusquam quinque ad refectionis horam fratribus inueniri potuissent.

Cúmque eos venerabilis pater contristatos cerneret, eorum pusillanimitatem studuit modesta increpatione corrigere, & rursum promissione subleuare dicens: Quare de panis inopia vester animus contristatur? hodie quidem minus est, sed die crastina abundanter habebitis. Sequenti autem die ducenti farinæ modij ante fores cellæ in saccis inuenti sunt, quos omnipotens Deus quibus deferentibus transmississet, nunc vsque manet incognitum. Quod cùm fratres cernerent, Domino gratias referentes, didicerunt iam de abundantia nec in egestate dubitare.

Ducenti farinæ modij diuinitũ ad Benedictũ missi.

Petrus:

DIc quæso te. Nunquid non credendum est huic Dei famulo semper prophetiæ spiritum adesse potuisse, an per interualla temporum eius mentem prophetiæ spiritus implebat?

Gregorius:

PRophetiæ spiritus Petre prophetarum mentes non semper irradiat: quia sicut de sancto spiritu scriptum est: Vbi vult spirat: ita sciendum est, quia & quando vult spirat. Hinc est enim quod Nathan à rege requisitus si construere templum posset, prius consensit, & postmodum prohibuit. Hinc est quòd Helisæus cùm flentem mulierem cerneret, cauſámque nesciisset, ad prohibentem hanc puerum dicit: Dimitte eam, quia anima eius in amaritudine est, & Dominus cælauit à me, & non indicauit mihi. Quod omnipotens Deus ex magnæ pietatis dispensatione disponit quia dum prophetiæ spiritum aliquando dat, & aliquando subtrahit, prophetantium mentes & eleuat in celsitudine, & custodit in humilitate, vt & accipientes spiritum inueniant quid de Deo sint, & rursum prophetiæ spiritum non habentes cognoscant quid sint de semetipsis.

Ioan. 3.

4. Reg. 4.

Petrus:

ITa hoc esse vt asseris magna ratio clamat. Sed quæso de venerabili patre Benedicto quicquid adhuc animo occurrit exequere.

De dispositione monasterij per visionem habita. Cap. XXII.

Gregorius:

ALio quoque tempore à quodam fideli viro fuerat rogatus, vt in eius prædio iuxta Terracinensem vrbem missis discipulis suis construere monasterium debuisset. Qui roganti consentiens deputatis fratribus patrem constituit, & qui ei secundus esset ordinauit. Quibus euntibus spopondit dicens: Ite, & die illo ego venio & ostendo vobis in quo loco oratorium, in quo refectorium fratrum, in quo susceptionem hospitum, vel quæque sunt necessaria ædificare debeatis. Qui benedictione percepta ilico perrexerunt, & constitutum diem magnopere præstolantes, parauerunt omnia quæ his qui cum tanto patre venire potuissent, videbantur esse necessaria. Nocte verò eadem qua promissus illucescebat dies, eidem seruo Dei quem illic patrem constituerat, atque eius præposito vir Domini in somnis apparuit, & loca singula vbi quid ædificare debuissent, subtiliter designauit. Cúmque vtrique à somno surgerent, sibi inuicem quod viderant retulerunt. Non tamen visioni illi omnimodo fidem dantes virum Dei sicut se venire promiserat expectabant. Cúmque vir Dei constituto die minimè venisset ad eum cum mœrore reuersi sunt, dicentes: Expectauimus pater vt venires sicut promiseras, & nobis ostenderes vbi quid ædificare deberemus, & non venisti. Quibus ipse ait: Quare fratres, quare ista dicitis? Nunquid sicut promisi non veni? Cui cùm ipsi dicerent, quando venisti? respondit: Nunquid vtrisque vobis dormientibus non apparui, & loca singula designauiste & sicut per visionem vidistis, omne habitaculum monasterij ita construite. Qui hæc audientes vehemẽter admirati ad prædictum prædium sunt reuersi, & cuncta habitacula sicut ex reuelatione didicerant, construxerunt.

Benedictus apparuit quibusdam in somnis.

Petrus:

DOceri velim quo fieri ordine potuit, vt longè iret responsum dormientibus dicere quod ipsi per visionem audierant & recognoscerent.

Gregorius:

QVid est quod perscrutans rei gestæ ordinem, ambigis Petre? Liquet profectò quia nobilioris naturæ est spiritus quàm corpus. Et certè scriptura teste nouimus quòd propheta ex Iudæa subleuatus repentè est cum prandio in Chaldæa depositus, quo videlicet prandio prophetam refecit, séque repentè in Iudæa iterum inuenit. Si igitur tam longè Abacuc potuit sub momento corporaliter ire & prandium deferre, quid mirum si Benedictus pater obtinuit, quatenus iter per spiritum, & fratrum quiescentium spiritibus necessaria narraret vt sicut ille ad cibum corporis corporaliter perrexit, ita iste ad institutionem spiritalis vitæ spiritaliter pergeret.

Abacuc & Benedictus conferuntur.

Petrus:

MAnus tuæ locutionis tersit meæ fateor dubietatem mentis: sed velim nosse in communi locutione qualis iste vir fuit.

De sanctimonialibus fœminis post mortem absolutis. Caput XXIII.

Gregorius:

VIx ipsa Petre communis eius locutio à virtutis erat poridere vacua: quia cuius cor sese in alta suspenderat, nequaquam verba de ore illius incassum cadebant. Si quid verò vnquam non iam decernendo, sed minando diceret, tantas vires sermo illius habebat, ac si hoc non dubiè atque suspensè, sed iam per sententiam protulisset. Nam non longè ab eius monasterio duæ quædam sanctimoniales fœminæ nobiliori genere exortæ, in loco proprio conuersabantur, quibus quidam religiosus vir ad exterioris vitæ vsum præbebat obsequium. Sed sicut nonnullis solet nobilitas generis parare ignobilitatẽ mentis, vt minus se in hoc mundo despiciant, qui plus se ceteris aliquid fuisse meminerunt, necdum prædictæ sanctimoniales fœminæ perfectè linguam suam sub habitus sui freno restrinxerant, & eundem religiosum virum qui ad exteriora necessaria eis obsequium præbebat, incautis sæpe sermonibus ad iracundiam prouocabant. Qui dum diu ista tolleraret perrexit ad Dei hominem, quantásque pateretur verborum contumelias enarrauit. Vir autem Dei hæc de illis audiẽs eis protinus mandauit dicens: Corrigite linguam vestram: quia si non emendaueritis excommunicò vos. Quam videlicet excommunicationis sententiam non proferendo intulit, sed minando. Illæ autem à pristinis moribus nihil mutatæ, intra paucos dies defunctæ sunt, atque in Ecclesia sepultæ. Cúmque in eadem Ecclesia Missarum solennia celebrarentur, atque ex more diaconus clamaret, Si quis non communicat, det locum: nutrix earum quæ pro eis oblationem Domino offerre consueuerat, eas de sepulchris suis progredi, & exire videbat. Quod dum sæpius cerneret, quia ad vocẽ diaconi clamantis exibant foras, atque intra Ecclesiam permanere nõ poterant; ad memoriam reduxit quæ vir Dei illis adhuc viuentibus mandauit. Eas quippe se communione priuare dixerat, nisi mores suos & verba corrigerent. Tunc seruo Dei cum graui mœrore indicatum est, qui manu sua protinus oblationem dedit dicens: Ite & hanc oblationem pro eis offerri Domino facite, & vlterius excommunicatæ non erunt. Quæ dum oblatio pro eis fuisset immolata, & à diacono iuxta morem clamatum est, vt non communicantes ab Ecclesia exirent, illæ exire ab Ecclesia vlterius visæ non sunt. Qua ex re indubitanter patuit, quia dum inter eos qui communione priuati sunt, minimè recederet, communionem à Domino per seruum Domini recepissent.

Benedictus excõmunicauit minãdo.

Absolutio monialium.

Petrus:

MIrum valde quod dicis, quanuis venerabilem & sanctissimum virum, adhuc tamen in hac carne corruptibili degentem, potuisse animas soluere in illo iam inuisibili iudicio constitutas.

Gregorius:

NVnquid nam Petre in hac adhuc carne non erat qui audiebat: Quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quæ solueris super terram, soluta erunt & in cœlis? Cuius nunc vicem ligando & soluendo obtinent, qui locum sancti regiminis fide & moribus tenent. Sed vt tanta valeat homo de terra, cœli & terræ conditor in terram venit è cœlo, atque vt iudicare caro etiam de spiritali-

Matth. 16.

Ioan. 1.

Ioan.1. bus posit, hoc ei largiri dignatus est, factus pro hominibus Deus caro: quia inde surrexit vltra se infirmitas nostra, vnde sub se infirmata est firmitas Dei.

Petrus:

CVm virtute signorum concorditer loquitur ratio verborum.

De puero post sepulturam à terra proiecto. Cap. XXIIII.

Gregorius:

Sepulcus in terra nõ manere potuit. QVadam quoque die dum quidam eius puerulus monachus parentes suos vltrà quàm deberet diligens, atque ad eorum habitaculum tendens sine benedictione de monasterio exiisset, eodem die mox vt ad eos peruenit defunctus est. Cúmque esset sepultus, die altero proiectum foras corpus eius inuentum est, quod rursus tradere sepulturæ curauerunt. Sed sequenti die iterum proiectum exterius, atque inhumatum sicut prius inuenerunt. Tunc concitè ad Benedicti patris vestigia currentes, cum magno fletu petierunt, vt ei suam gratiam largiri dignaretur. Quibus vir Dei manu sua protinus communionem dominici corporis dedit dicens: Ite atque hoc dominicum corpus super pectus eius (cum magna reuerentia) ponite, & sic sepulturæ eum tradite. Quod dum factum fuisset, susceptum corpus eius terra tenuit, nec vltrà proiecit. Perpendis Petre apud Iesum Christum Dominum, cuius meriti iste vir fuerit, vt eius corpus etiam terra proiecerit, qui Benedicti gratiam non haberet.

Petrus:

Perpendo planè, & vehementer stupeo.

De monacho qui de monasterio discedens draconem in itinere inuenit. Caput XXV.

Gregorius:

QVidam autem eius monachus mobilitati mentis deditus erat, & permanere in monasterio nolebat. Cúmque eum vir Dei assiduè corriperet & frequenter admoneret, ipse verò nullo modo consentiret in congregatione persistere, atque importunis precibus vt relaxaretur innueret, quadam die idem venerabilis pater nimietatis eius tædio affectus, iratus iussit vt discederet. Qui mox vt monasterium exiit contra se assistere aperto ore draconem in itinere inuenit. Cúmque eum idem draco qui apparuerat deuorare vellet, cœpit ipse tremens & palpitans magnis vocibus clamare dicens: Succurrite succurrite: quia draco iste me deuorare vult. Currentes autem fratres draconem minimè viderunt, sed tremẽtem atque palpitantem monachum ad monasterium reduxerunt. Qui statim promisit nunquam se esse à monasterio recessurum, atque ex hora ead em in sua promissione permansit. Quippe qui sancti viri orationibus contra se assistere draconem viderat, quem prius non videndo sequebatur.

Draco monacho vago apparuit.

De puero ab elephantino morbo curato. Caput XXVI.

SEd neque hoc silendum puto quod illustri viro Antonio narrante cognoui, qui aiebat patris sui puerum morbo elephantino fuisse correptum, ita vt iam pilis cadentibus cutis intumesceret, atque increscentem saniem occultare non posset. Qui ad virum Dei ab eodem patre eius missus est, & saluti pristinæ sub omni celeritate restitutus.

Puer curatus à morbo elephãtino.

De solidis per miraculum presbytero redditis. Caput XXVII.

NEque illud taceam, quod eius discipulus Peregrinus nomine, narrare consueuerat: quia die quadam fidelis vir quidam necessitate debiti compulsus vnum sibi fore remedium credidit si ad Dei virum pergeret, & quæ eum vrgeret debiti necessitas indicaret. Venit itaque ad monasterium, omnipotentis Dei famulum reperit: quia à creditore suo pro duodecim solidis grauiter affligeretur intimauit. Cui venerabilis pater nequaquam se habere duodecim solidos respondit, sed tamen eius inopiam blanda locutione consolatus ait: Vade & post biduum reuertere: quia deest hodie quod tibi debeam dare. In ipso autem biduo more suo in oratione fuit occupatus. Cúmque die tertio is qui necessitate debiti affligebatur rediret, super arcam monasterij, quæ erat frumento plena, subitò tredecim solidi sunt inuenti. Quos vir Dei deferri iussit & afflicto petitori tribuit dicens, vt duodecim redderet, & vnum in expensis propriis haberet. Sed ad ea nunc redeam, quæ eius discipulis in libri huius exordio prædictis referentibus, agnoui. Quidam vir grauissima aduersarij sui æmulatione laborabat, cuius ad hoc vsque odium prorupit, vt ei nescienti in potu venenum daret. Qui quanuis vitam auferre non valuit, cutis tamen colorem mutauit, ita vt diffusa in corpore eius varietas lepræ morem imitari videretur. Sed ad Dei hominem deductus salutem pristinam citius recepit nam mox vt eum tetigit, omnem cutis illius varietatem fugauit.

Benedictus xiij. solidos sed diuinitus accepit.

De ampulla vitrea in saxis proiecta & non fracta. Caput XXVIII.

EO quoque tempore quo alimentorum inopia Campaniam grauiter affligebat, vir Dei diuersis indigentibus monasterij sui cuncta tribuerat, vt penè nihil in cellario nisi parum quid olei in vitreo vase remaneret. Tunc quidã subdiaconus Agapitus nomine aduenit magnopere postulans, vt sibi aliquantulum olei dari debuisset. Vir autẽ Domini qui cuncta decreuerat in terra tribuere, vt in cœlo omnia reserua ret, hoc ipsũm parũ quod remanserat olei iussit petenti dari. Monachus verò qui cellarium tenebat, audiuit quidem iubentis verba, sed implere distulit. Cúmque post paululũ si id quod iusserat datum esset inquireret, respondit monachus se minimè dedisse: quia si illud ei tribueret, omnino nihil fratribus remaneret. Tunc iratus, aliis præcepit vt hoc ipsũm vas vitreum in quo parum olei remansisse videbatur, per fenestram proiicerent, ne in cella aliquid per inobedientiam remaneret. Factúmque est. Sub fenestra autem eadem ingens præcipitium patebat saxorum molibus asperum. Proiectum itaque vas vitreum venit in saxis, sed sic mansit incolume, ac si proiectum minimè fuisset, ita vt neque frangi, neque oleum effundi potuisset. Quod vir Domini præcepit leuari, atque vt erat integrum petenti tribui. Tunc collectis fratribus, inobedientem monachum de infidelitate sua & superbia coram omnibus increpauit.

Vitreũ vas lapidi illisum nõ fractum.

De dolio vacuo oleo impleto. Caput XXIX.

QVa increpatione completa, sese cum eisdem fratribus in orationem dedit. In eo autem loco vbi cum fratribus orabat, vacuũ erat ab oleo dolium & coopertum. Cúmque sanctus vir in oratione persisteret, cœpit operimentum eiusdem dolij oleo excrescente subleuari. Quo commoto atque subleuato oleum quod excreuerat ora dolij transiens, pauimentum loci in quo incubuerat inundabat. Quod Benedictus Dei famulus vt aspexit, protinus orationem compleuit, atque in pauimentum oleum defluere cessauit. Tunc diffidentem inobedientémque fratrem latius admonuit, vt fidem habere disceret & humilitatem. Idem verò frater salubriter correptus erubuit: quia venerabilis pater virtutem omnipotentis Dei quam admonitione intimauerat, miraculis ostendebat, nec erat iam vt quisquam de eius promissionibus dubitare posset, qui in vno eodémque momento pro vitreo vase penè vacuo plenum oleo dolium reddidisset.

Benedictus dolium oratione sua oleo plenum reddidit.

De monacho à dæmone liberato. Caput XXX.

QVadam die dum ad beati Ioannis oratorium, quod in ipsa montis celsitudine situm est pergeret, ei antiquus hostis in mulo medici specie obuiam factus est cornu & trepidicam ferens. Quem cùm requisisset dicens: Quo vadis? Ille respondit: Ecce ad fratres vado potionem eis dare. Itaque perrexit venerabilis pater Benedictus ad orationem, qua compléta concitus rediit. Malignus verò spiritus vnum seniorem monachum inuenit aquam haurientem in quem statim ingressus est: eúmque in terram proiecit, & vehementissime vexauit. Quem cùm vir Dei ab oratione rediens tam crudeliter vexari conspiceret, ei solummodo alapam dedit, & malignum ab eo spiritum protinus excussit ita, vt ad eum redire vlterius non auderet.

Benedictus per alapam obsessum liberauit.

Petrus:

VElim nosse, si hæc tanta miracula, virtute semper orationis impetrabat, an aliquando etiam solo voluntatis exhibebat nutu?

Gregorius:

Qui

QVi deuota mente Deo adhærent, cùm rerum necessitas exposcit, exhibere signa modo vtroque solent, vt mira quæque aliquando ex prece faciant, aliquando ex potestate.

Ioan.1. Cùm enim Ioãnes dicat: Quotquot autẽm receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Qui filij Dei ex potestate sunt, quid mirum si signa facere ex potestate valeant? Quia enim vtroque modo miracula exhibeant, testatur Petrus qui Thabitam mortuam orando suscitauit. Ananiam verò & Saphiram mentientes morti increpando tradidit. Neque enim orasse in eorum extinctione legitur, sed solummodo culpam quam perpetrauerant increpasse. Constat ergo quòd aliquando hæc ex potestate, aliquando verò exhibent ex postulatione, dum & istis vitam increpando abstulit, & illi reddidit orando. Nam duo quoque fidelis famuli Dei Benedicti facta nunc replico, in quibus apertè clareat, aliud hunc accepta diuinitus ex potestate, aliud ex oratione potuisse.

Acto.5. 23. quæst. 8. Petrus qui.

De ligato rustico solo aspectu viri Dei soluto. Caput XXXI.

GOthorum quidam Galla nomine perfidiæ fuit Arianæ, qui Totilæ regis eorum temporibus, contra catholicæ Ecclesiæ religiosos viros ardore immanissimæ crudelitatis exarsit, ita vt quisquis ei clericus, monachúsve ante faciem venisset, ab eius manibus viuus nullo modo exiret. Quadam verò die auaritiæ suæ æstu succensus in rapinam rerum inhians, dum quendam rusticum tormentis crudelibus affligeret, eúmque per supplicia diuersa laniaret, victus pœnis rusticus sese, res suas Benedicto Dei famulo commendasse professus est, vt dum hoc à torquente crederetur, suspensa interim crudelitate ad vitam hora repararetur. Tunc idem Galla cessauit rusticum tormentis affligere, sed eius brachia loris fortibus astringens ante equum suũ cœpit impellere, vt quis esset Benedictus qui eius res susceperat demonstraret. Quem ligatis brachiis rusticus antecedens duxit ad sancti viri monasterium, eúmque ante ingressum cellæ solum sedentem reperit & legentem. Eidem autem subsequenti & sequenti Gallæ rusticus dixit: Ecce iste est de quo dixeram tibi, Benedictus pater. Quem dum feruido spiritu, cum peruersæ mentis insania fuisset intuitus, eo terrore quo cõsueuerat acturum se existimãs, magnis cœpit vocibus clamare dicens: Surge, surge & res istius rustici redde quas accepisti. Ad cuius vocem vir Dei protinus oculos leuauit à lectione, eúmq; intuitus mox etiam rusticum, qui ligatus tenebatur attendit. Ad cuius brachia dum oculos deflexisset, miro modo tanta se celeritate cœperunt illigata brachiis lora deuoluere, vt dissolui tam cõcitè nulla hominum festinatione potuissent. Cúmque is qui ligatus venerat cœpisset subitò astare solutus, ad tantæ potestatis vim tremefactus Galla ad terram corruit, & ceruicem crudelitatis rigidæ ad eius vestigia inclinans, se orationibus illius commendauit. Vir autem sanctus à lectione minimè surrexit, sed vocatis fratribus, eum introrsus tolli vt benedictionem acciperet, præcepit. Quem ad se reductum vt à tantæ crudelitatis insania quiescere deberet admonuit. Qui fractus recedens nil vlterius petere à rustico præsumpsit, quem vir Domini non tangendo, sed respiciendo soluerat. Ecce est Petre quod dixi: quia hi qui omnipotenti Deo familiariùs seruiunt, aliquando mira facere etiam ex potestate possunt. Qui enim ferocitatem Gothi terribilis sedens repressit, lora verò nodósque ligaturæ quæ innocentis brachia astrinxerãt oculis dissoluit, ipsa miraculi celeritate indicat: quia ex potestate acceperat habere quod fecit. Rursum quoq; quale, quãtúmque miraculum orando valuit obtinere subiungam.

Galla ad Benedicti. Benedictus solo visu vinculatum rusticum soluit.

De mortuo suscitato. Caput XXXII.

QVodam die cum fratribus ad agri opera fuerat egressus: quidam verò rusticus defuncti filij corpus in vlnis ferens orbitatis luctu æstuans ad monasterium venit: Benedictum patrem quæsiuit. Cui cùm dictum esset quia idem pater cum fratribus in agro moraretur, protinus ante monasterij ianuam corpus extincti filij proiecit, & dolore turbatus ad inueniendum venerabilem patrem sese in cursum concitus dedit. Eadẽ verò hora vir Dei ab agri opere iam cũ fratribus reuertebatur. Quem mox vt orbatus rusticus aspexit, clamare cœpit: Redde filium meum, redde filium meum. Vir autem Dei in hac voce substitit dicens: Nunquid ego filium tuum tibi abstuli? Cui ille respõdit: Mortuus est, veni resuscita eum. Quod vt mox Dei famulus audiuit, valde contristatus est, dicens: Recedite fratres, recedite, hæc nostra non sunt, sed sanctorum Apostolorum. Quid nobis onera vultis imponere, quæ non possumus portare? At ille, quem nimius cogebat dolor, in sua petitione perstitit, iurans quòd non recederet, nisi eius filium resuscitaret. Quem mox Dei famulus inquisiuit dicens: Vbi est? Cui ille respondit: Ecce corpus eius ad ianuam monasterij iacet. Vbi cùm vir Dei cum fratribus peruenisset, flexit genu, & super corpusculum infantis incubuit, seseque erigens ad cœlum palmas retendit, dicens: Domine non aspicias peccata mea, sed fidem huius hominis qui resuscitari filium suum rogat, & redde in hoc corpusculum animam quam abstulisti. Vix in oratione verba compleuerat, & regrediente anima ita corpusculum pueri omne cõtremuit, vt sub oculis omnium qui aderant apparuerit concussione mirifica tremendo palpitasse. Cuius mox manum tenuit, & eum patri viuentem atque incolumẽ dedit. Liquet Petre quia hoc miraculum in potestate non habuit, quod prostratus petiit vt exhibere potuisset.

Benedictus oratiõe sua mortuũ resuscitauit.

Petrus:

SIc cuncta esse vt asseris, constat patenter: quia verba quæ proposueras rebus probas. Sed quæso te vt indices si sancti viri omnia quæ volunt possunt, & cuncta impetrant quæ desiderant obtinere.

De miraculo Scholasticæ sororis eius. Caput XXXIII.

Gregorius:

QVisnam erit Petre in hac vita Paulo sublimior, qui de carnis suæ stimulo ter Dominum rogauit & tamen quod voluit obtinere non valuit? Ex qua re necesse est vt tibi de venerabili patre Benedicto narrem: quia fuit quiddam quod voluit, sed non valuit implere. Soror nanque eius Scholastica nomine, omnipotenti Domino ab ipso infantiæ tempore dedicata, ad eum semel per annum venire consueuerat. Ad quã vir Dei nõ longè extra ianuam in possessione monasterij descendebat. Quadam verò die venit ex more, atque ad eam cum discipulis venerabilis eius descendit frater, qui totum diẽ in Dei laudibus sacrísque colloquiis ducentes, incumbentibus iam noctis tenebris simul acceperunt cibos. Cúmque adhuc ad mensam sederent & inter sacra colloquia tardior se hora protraheret, eadem sanctimonialis fœmina soror eius eum rogauit dicens: Quæso te vt ista nocte non deseras, vt vsque mane de cœlestis vitæ gaudiis loquamur. Cui ille respondit: Quid est quod loqueris soror? Manere extra cellam nullatenus possum. Tanta verò erat cœli serenitas, vt nulla in aëre nubes appareret. Sanctimonialis autem fœmina cùm verba fratris negantis audisset, insertas digitis manus super mensam posuit, & caput in manibus omnipotentem Dominum rogatura declinauit. Cúmque de mensa leuaret caput, tanta coruscationis & tonitrui virtus, tantáque inundatio pluuiæ erupit, vt neque venerabilis Benedictus, neque fratres qui cum eo aderant, extra loci limen quo confederant pedem mouere potuissent. Sanctimonialis quippe fœmina caput in manibus declinans, lachrymarum fluuium in mensam fuderat, per quas serenitatem aëris ad pluuiam traxit. Nec paulò tardius post orationem inundatio illa secuta est, sed tanta fuit conuenientia orationis & inundationis, vt de mensa caput iam eum tonitruo leuaret, quatenus vnum idémque esset momentum, & leuare caput, & pluuiam deponere. Tunc vir Dei inter coruscos & tonitruos atque ingentis pluuiæ inundationem videns se ad monasterium non posse remeare, cæpit conqueri contristatus dicens: Parcat tibi omnipotens Deus soror, quid est quod fecisti? Cui illa respondit: Ecce te rogaui, & audire me noluisti: rogaui Dominum meum, & audiuit me. Modò ergo si potes egredere, & me dimissa ad monasterium recede. Ipse autem exire extra tectum non valens, quia remanere sponte noluit, in loco mansit inuitus. Sícque factum est vt totam noctem peruigilem ducerent, atque per sacra spiritalis vitæ colloquia sese vicaria relatione satiarent. Qua de re dixi eum voluisse aliquid, sed minimè potuisse: quia si venerabilis viri mentem aspicimus, dubium non est quin eandem serenitatem voluerit in qua descenderat permanere, sed contra

2 Cor.12. Scholastica Benedicti soror. Scholastica orando pluuiã tempestãtémque fecit. Benedictus quod voluit non potuit.

hoc quod voluit, in virtute omnipotentis Dei ex fœminæ pectore miraculum inuenit. Nec mirum quòd plus illo fœmina, quæ fratrem videre cupiebat, in eodem tempore valuit: quia enim iuxta Ioannis vocem, Deus charitas est, iusto valde iudicio illa plus potuit quæ amplius amauit.

1. Ioan. 4.

Petrus:

Fateor, multum placet quod dicis.

De anima sororis eius visa. *Caput XXXIIII.*

Gregorius:

Benedictus vidit animam sororis defunctæ.

CVmque die altero eadem venerabilis fœmina ad cellam propriam recessisset, vir Dei ad monasteriũ rediit. Cùm ecce post triduum in cella consistens, eleuatis in aëra oculis vidit eiusdem sororis suæ animã de eius corpore egressam in columbę specie cœli secreta penetrare. Qui tantę eius gloriæ congaudens, omnipotẽti Deo in hymnis & laudibus gratias reddidit, eiúsque obitum fratribus denuntiauit. Quos etiam protinus misit vt eius corpus ad monasterium deferrent, atque in sepulchro quod sibi ipse parauerat ponerent. Quo facto contigit, vt quorum mens vna semper in Deo fuerat, eorum quoque corpora nec sepultura separaret.

De mundo ante oculos eius collecto, & de anima Germani Capuanæ ciuitatis episcopi.
Caput XXXV.

ALio quoque tempore Seruandus diaconus atque abbas eius monasterij quod in Campaniæ partibus à Liberio quondam Patricio fuerat constructum, ad eum visitationis gratia ex more venire consueuerat. Eius quippe monasteriũ frequentabat, vt quia idem quoque vir doctrina gratiæ cœlestis influebat, dulcia sibi inuicem vitæ verba transfunderent, & suauem cibum cœlestis patriæ quem adhuc perfectè gaudendo non poterant, saltem suspirando gustarent. Cúmque hora iam quietis exigeret, in cuius turris superioribus se venerabilis Benedictus, in eius quoque inferioribus se Seruãdus diaconus collocauit, quo videlicet in loco inferiora ad superiora peruius continuabat ascensus. Ante eandem verò turrim largius erat habitaculum in quo vtriúsque discipuli quiescebant. Cúmque vir Dei Benedictus quiescentibus adhuc fratribus instãs vigiliis, nocturnæ orationis tempore peruenisset, ad fenestrã stans & omnipotentem Deum deprecãs, subitò intempesta noctis hora respiciens, vidit fusam lucem desuper cunctas noctis tenebras effugasse, tantoque splendore clarescere, vt diem vinceret lux illa quæ in tenebris radiasset. Mira autem res valde in hac speculatione secuta est: quia sicut pòst ipse narrauit, omnis etiam mundus velut sub vno Solis radio collectus ante oculos eius adductus est. Qui venerabilis pater dum intentam oculorum aciem in hoc splendore coruscæ lucis infigeret, vidit Germani Capuani episcopi animam in sphæra ignea ab angelis in cœlum ferri. Tunc tanti sibi testem volens adhibere mraculi, Seruandum diaconum iterato bis terque eius nomine cum clamoris magnitudine vocauit. Cúmque ille fuisset insolito tanti viri clamore turbatus, ascendit, respexit, partémque iam lucis exiguam vidit. Cui tantum hoc obstupescenti miraculum, vir Dei per ordinem quæ fuerant gesta narrauit, statímque in Casinum castrum religioso viro Theoprobo mandauit, vt Capuanam vrbem sub eadem nocte transmitteret, & quid de Germano episcopo ageretur, agnosceret & indicaret. Factúmque est, & reuerentissimum virum Germanum episcopum is qui missus fuerat, iam defunctum reperit, & requirens subtiliter agnouit eodem momento fuisse illius obitum, quo Vir Domini eius cognouit ascensum.

Totus mundus in quadam noctis claritate Benedicto apparuit.

Petrus:

MIra res valde & vehementer stupenda. Sed hoc quod dictum est, quia ante oculos ipsius quasi sub vno Solis radio collectus omnis mundus adductus est, sicut nunquam apertus sum, ita nec coniicere scio quónam ordine fieri potest vt mundus omnis ab homine vno videatur.

Gregorius:

FIxum tene Petre quod loquor: quia animæ videnti creatorem angusta est omnis creatura. Quamlibet etenim parum de luce creatoris aspexerit, breue ei fit omne quod creatum est: quia ipsa luce visionis intimæ mentis laxatur sinus, tantúmque expanditur in Deo vt superior existat mundo, fit verò ipsa videntis anima etiam super semetipsam. Cúmque in Dei lumine rapitur, super se in interioribus ampliatur, & dum sub se conspicit exaltata, comprehendit quàm breue sit quod comprehendere humiliata non poterat. Vir ergo Dei, qui in turri globum igneum, angelos quoque ad cœlum redeuntes videbat, hæc proculdubio cernere non nisi in Dei lumine poterat. Quid itaque mirum si mundum ante se collectum vidit, qui subleuatus in mẽtis lumine extra mundum fuit? Quòd autem collectus mũdus ante eius oculos dicitur, non cœlum & terra contracta est, sed videntis animus est dilatatus, qui in Deo raptus videre sine difficultate potuit omne quod infra Deum est. In illa ergo luce quæ exterioribus oculis fulsit, lux interior in mente fuit, quæ videntis animum cùm ad superiora rapuit, ei quàm angusta essent omnia inferiora, monstrauit.

Homo vnus quomodo simul totum mundum videre queat.

Petrus:

VIdeor mihi vtiliter non intellexisse quæ dixeras, quando ex tarditate mea tantum creuit expositio tua. Sed quia hæc liquidè meis sensibus infudisti, quæso vt ad narrationis ordinem redeas.

Quòd regulam monachorum scripserit. *Cap. XXXVI.*

Gregorius:

LIbet Petre adhuc de hoc venerabili patre multa narrare, sed quædam eius studiosè prætereo: quia ad aliorum gesta voluenda festino. Hoc autem nolo te lateat, quòd vir Dei inter tot miracula quibus in mundo claruit, doctrinæ quoque verbo non mediocriter fulsit. Nam scripsit monachorum regulam, discretione præcipuam, sermone luculentam. Cuius si quis velit subtilius mores vitámque cognoscere, potest in eadem institutione regulæ, omnes magisterij illius actus inuenire: quia sanctus vir nullo modo potuit aliter docere quàm vixit.

Benedictus monachorũ regulã scripsit.

De prophetica sui exitus fratribus denunciatione.
Caput XXXVII.

EOdem verò anno quo de hac vita erat exiturus quibusdam discipulis secum conuersantibus, quibusdam longè manentibus sanctissimi sui obitus denuntiauit diem, præsentibus indicens vt audita per silentium tegerẽt, absentibus indicans quod vel quale eis signum fieret quando eius anima de corpore exiret. Ante sextum verò sui exitus diem aperiri sibi sepulturam iubet. Qui mox correptus febribus, acri cœpit ardore fatigari. Cúmque per dies singulos languor ingrauesceret, sexta die portari se in oratorium à discipulis fecit, ibíque exitum suum Dominici corporis & sanguinis perceptione muniuit, atque inter discipulorum manus imbecillia membra sustentans, erectis in cœlum manibus stetit, & vltimum spiritũ inter verba orationis efflauit. Qua scilicet die duobus de eo fratribus, vni in cella commoranti, alteri autẽ longius posito, reuelatio vnius atque indissimilis visionis apparuit. Viderunt nanque quia strata palliis atque innumeris corusca lampadibus via recto Orientis tramite ab eius cella in cœlum vsque tendebatur. Cui venerando habitu vir desuper clarus assistens, cuius esset via quam cernerent inquisiuit. Illi autem se nescire professi sunt. Quibus ipse ait: Hęc est via qua dilectus Domino cœlum Benedictus ascendit. Tunc itaque sancti viri obitum sicut præsentes discipuli viderunt, ita absentes ex signo quod eis prædictum fuerat agnouerunt. Sepultus verò est in oratorio beati Ioannis Baptistæ, quod destructa ara Apollinis ipse construxit. Qui & in eo specu in quo prius habitauit, nunc vsque si petentium fides exigat, miraculis coruscat.

Benedictus denuntiat fratribus suis diem obitus sui.

Expiratio sancti Benedicti.

Sepultura Benedicti.

De insana muliere in eo specu sanata. *Cap. XXXVIII.*

NVper nanque est res gesta quam narro. Quædam mulier mente capta, dum sensum funditus perdidisset, per montes & valles, siluas & campos die noctúque vagabatur, ibi tantummodo quiescebat, vbi hanc quiescere lassitudo coëgisset. Quadam verò die dum vaga nimium erraret, ad beati viri Benedicti specum deuenit, ibíque nesciens ingressa mansit. Mane autẽ facto ita sanato sensu egressa est, ac si eam nunquam insania capitis vlla tenuisset, quæ omni vitæ suæ tẽpore in eadem quam accepit salute permansit.

Mulier furibunda in specu Benedicti sanata est.

Petrus:

Quídnam

QVidnam esse dicimus quòd plerunque in ipsis quoque patrociniis martyrum sic esse sentimus vt non tanta per corpora sua, quanta beneficia per reliquias ostendant, atque illic maiora signa faciunt vbi minimè per semetipsos iacent?

Gregorius:

VBi in suis corporibus sancti martyres iacent dubium Petre non est, quòd multa valeant signa demonstrare, sicut & faciunt, & pura mente quærentibus innumera miracula ostendunt. Sed quia ab infirmis potest mentibus dubitari, vtrúm ne ad exaudiendum ibi præsentes sint, vbi constat quia in suis corporibus non sint, ibi necesse est eos maiora signa ostendere, vbi de eorum præsentia potest mens infirma dubitare. Quorum verò mens in Deo fixa est, tantò maius habet fidei meritum, quantò illic eos nouit & non iacere corpore, & tamen non deesse ab exauditione. Vnde ipsa quoque veritas vt fidem discipulis augeret dixit: Si ego non abiero, paracletus non veniet ad vos. Cùm enim constet quia paracletus spiritus à patre semper procedat & filio, cur se filius recessurum dicit, vt ille veniat qui à filio nunquam recedit? Sed quia discipuli in carne Dominum cernentes, corporeis hunc oculis semper videre sitiebant, rectè eis dicitur: Nisi ego abiero, paracletus non veniet, ac si apertè diceretur: Si corpus non subtraho, quis sit amor spiritus non ostendo, & nisi me desieritis carnaliter cernere, nunquam me discetis spiritaliter amare.

Quare sancti extra loca suorum corporũ sæpe maiora miracula faciant.
Ioan. 16.

Petrus.

Placet quod dicis.

Gregorius:

ALiquantulum iam à locutione cessandum est, vt si ad aliorum miracula enarranda tendimus, loquendi vires interim per silentium reparemus.

Libri secundi Dialogi de vita sancti Benedicti abbatis finis.

CAPITA TERTII LIBRI.

1 DE Paulino Nolanæ ciuitatis episcopo.
2 De Ioanne papa.
3 De Agapito papa.
4 De Datio Mediolanensi episcopo.
5 De Sabino Camisinæ ciuitatis episcopo.
6 De Casio Narniensis ciuitatis episcopo.
7 De Andrea Fundanæ ciuitatis episcopo.
8 De Constantio Aquinæ ciuitatis episcopo.
9 De Frigidiano Lunensis ciuitatis episcopo.
10 De Sabino Placentino episcopo, qui Padum flumen per literas suas compescuit.
11 De Cerbonio Populonij episcopo.
12 De fulgentio Vtricelanæ ciuitatis episcopo.
13 De Herculano Perusinæ ciuitatis episcopo.
14 De Isaac seruo Dei.
15 De Euthitio & Florentio seruis Dei.
16 De Martio monacho de monte Marsico.
17 De monacho ex monte Argentario, qui mortuum suscitauit.
18 De Benedicto monacho.
19 De Ecclesia beati Zenonis martyris, in qua aquæ vltra portam apertam inundantes minimè intrauerunt.
20 De Stephano presbytero prouinciæ Valeriæ.
21 De puella conuersa, cuius solo imperio homo est à dæmone liberatus.
22 De presbytero prouinciæ Valeriæ, qui furem ad sepulchrum suum tenuit.
23 De abbate Prænestini montis eiúsque presbytero.
24 De Theodoro mansionario Ecclesiæ beati Petri vrbis Romæ.
25 De Abundio mansionario Ecclesiæ beati Petri.
26 De monacho solitario.
27 De quadraginta rusticis, qui pro eo quod carnes immolatitias comedere noluerunt, à Longobardis occisi sunt.
28 De multitudine captiuorum, qui pro eo quod caput capreæ adorare noluerunt, occisi sunt.
29 De Adriano episcopo cæcato.
30 De Arianorum Ecclesia quæ in Romana vrbe catholica consecratione dedicata est.
31 De Ermigildo rege Liuigildi Vuisigothorum regis filio pro fide catholica ab eodem patre suo occiso.
32 De episcopis Africanis, qui pro defensione catholicæ fidei abscisis ab Arianis Vuãdalorum linguis nullum locutionis solitæ sustinuere dispendium.
33 De Eleutherio seruo Dei.
34 Quot sunt genera compunctionis.
35 De Amantio prebytero prouinciæ Thusciæ.
36 De Maximiano Syracusanæ ciuitatis episcopo.
37 De Sanctulo presbytero prouinciæ Nursiæ.
38 De visione Redempti Ferentinæ ciuitatis episcopi.

B. GREGORII PAPAE DIALOGI LIBER TERTIVS.

DVm vicinis valde partibus intẽdo, maiorum facta reliqueram, ita vt Paulini miraculum Nolanæ vrbis episcopi qui multos, quorum memini, virtute & tempore præcessit, memoriæ defuisse videatur. Sed ad priora nunc redeo, eáque quanta valeo breuitate perstringo. Sicut enim bonorum facta innotescere citius similibus solent, senioribus nostris per iustorum exempla gradientibus, prædicti venerabilis viri celebre nomen innotuit, eiúsque opus admirabile ad eorum se instruenda studia tetendit, quorum me necesse fuit † grauitati tam certò credere, ac si ea quæ dicerent, meis oculis vidissem.

† al. grãdęuitati.

De sancto Paulino Nolanæ vrbis episcopo.
Caput I.

CVm sæuientium Vuandalorum tempore fuisset Italia in Campaniæ partibus depopulata, multíque essent de hac terra in Africanam regionem traducti, vir Domini Paulinus cuncta quæ ad episcopi vsum habere potuit, captiuis indigentibúsque largitus est. Cúmque iam nihil omnino superesset quod petentibus dare potuisset, quodam die quædam vidua aduenit, quæ à regis Vuandalorum genero suum filium in captiuitatem fuisse ductum perhibuit, atque à viro Dei eius præcium postulauit, si fortè illius Dominus hoc dignaretur accipere, & hunc concederet ad propria remeare. Sed vir Dei magnopere petenti fœminæ quid dare potuisset inquirens, nihil apud se aliud nisi se inuenit, petentíque fœminæ respondit, dicens: Mulier, quod possim dare non habeo, sed memetipsum tolle, seruum me iuris tui esse profitere, atque vt filium tuum recipias, me vice illius in seruitium trade. Quod illa ex ore tanti viri audiens irrisionem potius credidit, quàm compassionem. At ille vt erat vir eloquentissimus, atque apprimè exterioribus quoque studiis eruditus, dubitanti fœminæ citius persuasit vt audita crederet, & pro receptione filij sui in seruitium episcopum tradere non dubitaret. Pertexere igitur vtrique ad Africam. Procedente autem regis genero, qui eius filium habebat, vidua rogatura se obtulit, ac prius petiit vt ei filium donare debuisset. Quod cùm vir varbarus typo superbiæ turgidus, gaudio transitoriæ prosperitatis inflatus non solum facere, sed etiam audire despiceret, vidua subiunxit, dicens: Ecce hunc hominem pro eo vicarium præbeo, solummodo pietatem in me exhibe, mihíque vnicum filium redde. Cumque ille venusti vultus hominem conspexisset quam artem nosset inquisiuit. Cui vir Dei Paulinus respondit, dicens: Artem quidem aliquam nescio, sed hortum bene excolere scio. Quod vir genti-

Paulinus episcopus omnia sua captiuis largiebatur.

Paulinus hortulanum se esse dixit.

lis valde libenter accepit, cùm in nutriendis oleribus quia peritus esset audiuit. Suscepit itaque seruum, & roganti viduę reddidit filium. Quo accepto, vidua ab Africana regione discessit. Paulinus verò excolendi horti suscepit curam. Cúmque idem regis gener crebrò ingrederetur hortum, suúmque hortulanum quædã requireret, & sapientem valde hominem videret, amicos cœpit familiares deserere, & sæpius cum suo hortulano colloqui, atque eius sermonibus delectari. Cui Paulinus quotidie ad mensam olera, virentésque herbas deferre consueuerat, & accepto pane ad curam horti remeare. Cúmque hoc diutius ageret quadam die suo Domino secum secretiùs loquenti ait: Vide quid agas, & Vuandalorum regnum qualiter disponi debeat prouide: quia rex citius & sub omni cœleritate est moriturus. Quod ille audiens, quia ab eodem rege præ cæteris diligebatur, ei minimè tacuit, sed quid à suo hortulano, sapienti scilicet viro, agnouisset, indicauit. Quod dum rex audisset, ilico respondit: Ego vellem hunc de quo loqueris hominem videre. Cui gener eius, venerabilis Paulini temporalis Dominus respondit, dicens: Virentes herbas mihi ad prandium deferre consueuit. Has itaque ad mensam eum deportare facio, vt quis sit, qui mihi hæc est locutus, agnoscas. Factúmque est. Et dum rex ad prandendum discubuit, Paulinus ex suo opere olera quæque & virentia delaturus aduenit. Cúmque hunc rex subitò conspexisset intremuit, atque accersito eius Domino sibi per filiam propinquo, ei secretum quod prius absconderat indicauit, dicens: Verum est quod audisti. Nam nocte hac in somnio, sedentes in tribunalibus contra me iudices vidi, inter quos iste etiam simul sedebat, & flagellum quod aliquando acceperam, eorum mihi iudicio tollebatur. Sed percũctare quisnam sit, nam ego hunc tanti meriti virum, popularem, vt conspicitur, esse non suspicor. Tunc regis gener secretò Paulinum tulit, & quisnam esset inquisiuit. Cui vir Domini respondit: Seruus tuus sum, quem pro filio viduæ vicarium suscepisti. Cúmque instanter ille requireret vt non quis esset, sed quis in terra sua fuisset indicaret, atque hoc ab eo iteratione frequentis inquisitionis exigeret, vir Domini constrictus magnis coniurationibus, iam non valens negare quid esset, episcopum se fuisse testatus est. Quod possessor eius audiens valde pertimuit, atque humiliter obtulit, dicens: Pete quod vis, quatenus ad terram tuam à me cum magno munere reuertaris. Cui vir Domini Paulinus ait: Vnum est quod mihi impendere beneficium potes, vt omnes ciuitatis meæ captiuos relaxes. Qui cuncti protinus in Africana regione requisiti, cum onustis frumento nauibus pro venerandi viri Paulini satisfactione in eius comitatu laxati sunt. Post non multos verò dies Vuandalorum rex occubuit, & flagellum quod ad suam perniciem dispensante Deo, pro fidelium disciplina tenuerat, amisit. Sícque factum est, vt omnipotentis Dei famulus Paulinus vera prædiceret, & qui se in seruitium solum tradiderat, cum multis à seruitio ad libertatem rediret: illum videlicet imitatus, qui formam serui assumpsit, ne nos essemus serui peccati. Cuius sequens vestigia Paulinus ad tempus voluntariè seruus factus est solus, vt esset postmodum liber cum multis.

Paulinus prædixit regem Vuandalorũ statim moriturum.

Paulinus cum omnibus suis ciuibus captiuis Nolam reuersus.

Petrus.

DVm me audire contingit quod imitari non valeo, flere magis libet quàm aliquid dicere.

Gregorius.

DE cuius etiam morte apud eius Ecclesiam scriptum est: quia cùm dolore esset lateris tactus, ad extrema perductus est. Dúmque eius omnis domus in sua soliditate persisteret, cubiculum in quo iacebat æger, facto terræmotu contremuit, omnésque qui illic aderant, nimio terrore concussit, sicque sancta illa anima carne soluta est. Factúmq; est vt magnus pauor inuaderet eos, qui Paulini mortem videre potuissent. Sed quia hæc quam superius dixi, Paulini virtus valde est intimata, nunc si placet ad miracula exteriora veniamus, quæ & multis iam nota sunt, & ego tam religiosorum virorum relatione didici, vt de his omnimodo ambigere non possim.

Paulini cubiculum in mõte domo consistente, terræmotu tremuit.

De sancto Ioanne papa. *Caput II.*

GOtthorum tempore cùm Ioannes vir beatissimus huius Romanæ Ecclesiæ pontifex ad Iustinianum seniorem, principem pergeret, in Corinthi partibus aduenit, cui necesse fuit, vt in itinere ad sedendum equus requiri debuisset. Quod illic quidam vir nobilis audiẽs equum, quem pro magna mansuetudine eius coniunx sedere consueuerat, ita ei obtulit, vt eo ad loca alia perueniente cùm alius equus potuisset inueniri, deberet ille quem dederat, propter suam coniugem retransmitti. Factúmque est, & vsque ad certum locum prædictus vir equo eodem subuehente perductus est. Qui mox vt alium reperit, illum quem acceperat, retransmisit. Cúmq; eum prædicti nobilis viri coniunx sedere ex more voluisset, vltra non valuit, quia post sessionem tanti pontificis mulierem ferre recusauit. Cœpit nanque immenso flatu & fremitu atque incessanti totius corporis motu quasi despiciendo prodere, quia post mẽbra pontificis mulierem ferre non posset. Quod vir eius prudenter intuitus, hunc ad eundem venerabilem virum protinus remisit, magnis precibus petens vt equum ipse possideret, quem iuri suo sedendo dedicasset. De quo etiam illud mirabile à nostris senioribus narrari solet, quod in Constantinopolitana vrbe ad portam, quæ vocatur aurea, veniens, populorum turbis sibi occurrentibus, in cõspectu omnium roganti cæco lumen reddidit, & manu superposita oculorum tenebras fugauit.

Equus, qui Ioãnem papam portauit, mulierẽ amplius ferre noluit.

Ioannes papa cæcum illuminauit.

De sancto Agapito papa. *Caput III.*

POst non multum verò temporis exigente causa Gotthorum, vir quoque beatissimus Agapitus huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ pontifex, cui Deo dispensante deseruio, ad Iustinianum principem accessit. Cui adhuc pergenti quadam die in Græciarum iam partibus curandus oblatus est mutus & claudus, qui neque vlla verba edere, neque ex terra vnquam surgere valebat. Cumque hunc propinqui illius flentes obtulissent, vir Domini sollicitè requisiuit, an curationis illius haberent fidem. Cui dum in virtute Dei ex authoritate Petri, fixam salutis illius spem habere se dicerent, protinus venerandus vir orationi incubuit, & Missarum solennia exorsus, sacrificium in conspectu Dei omnipotentis immolauit. Quo peracto, ab altari exiens claudi manum tenuit, atque assistente & aspiciente populo neum mox à terra in propriis gressibus erexit. Cúmque ei dominicum corpus in os mitteret, illa diu muta, ad loquendum lingua soluta est. Mirati omnes, flere præ gaudio cœperunt, eorúmque mentes ilico metus & reuerentia inuasit, cùm videlicet cernerent quid Agapitus facere in virtute Domini ex adiutorio Petri potuisset.

Agapitus claudũ & mutum curauit.

De Datio Mediolanensi episcopo. *Caput IIII.*

EIusdem quoque principis tempore cùm Datius Mediolanensis vrbis episcopus causa fidei exactus ad Constantinopolitanam vrbem pergeret, Corinthum deuenit. Qui dũ largam domum ad hospitandum quæreret, quæ comitatum illius totum ferre potuisset, & vix inueniret, aspexit eminus domum congruentis magnitudinis, eámque sibi præparari ad hospitandum iussit. Cúmque eiusdem loci incolæ dicerent in ea hunc manere non posse, quia multis iam annis hanc diabolus inhabitaret, atque ideò vacua remansisset, vir venerabilis Datius respondit dicens: Immo ideo hospitari in domo eadem debemus, si hanc spiritus malignus inuasit, & ab ea hominum habitationem repulit. In ea igitur sibi lectum parari præcepit, securúsque illam, antiqui hostis certamina toleraturus, intrauit. Itaque intempestæ noctis silentio cùm vir Dei quiesceret, antiquus hostis immensis vocibus, magnísque clamoribus cœpit imitari rugitus leonum, balatus pecorum, ruditus asinorum, sibilos serpentium, porcorum grunnitus, stridores soricum. Tunc repente Datius tot bestiarum vocibus excitatus surrexit, vehementer iratus, & contra antiquum hostem magnis cœpit vocibus clamare, dicens: Bene tibi contigit miser, tu ille es qui dixisti: Ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis Altissimo: Ecce per superbiam tuam, porcis & soricibus similis factus es: & qui imitari Deum indignè voluisti, ecce, vt dignus es, bestias imitaris. Ad quam eius vocem, vt ita dicam, deiectionem suam malignus spiritus erubuit. An non erubuit, qui eandem domum ad exhibenda monstra quæ consueuerat, vlterius non intrauit? Sícque postmodum fidelium habitaculum facta est, quia dum eam vnus veraciter fidelis ingressus est, ab ea protinus mendax spiritus atque infidelis abscessit. Sed oportet iam, vt priora taceamus, ad ea quæ diebus nostris sunt gesta, veniendum est.

Datius episcopus diabolum alloquitur.

Datius domum à diabolo occupatam habitabilem fecit.

De Sabino

De Sabino Camisinæ ciuitatis episcopo. *Caput V.*

QVidam enim religiosi viri Apuliæ prouinciæ partibus cogniti, hoc quod apud multorum notitiam longè latéque percrebuit, de Sabino Canusinæ vrbis episcopo testari solent: quia idem vir longo iam senio oculorum lumen amiserat, ita vt omnimodo nil videret. Quem rex Gothorum Totila prophetiæ habere spiritum audiens minimè credidit, sed probare studuit quod audiuit. Qui cùm in hisdem partibus deuenisset, hunc vir Domini ad prandium rogauit. Cúmque iam ventum esset ad mensam, rex discumbere noluit, sed ad Sabini venerabilis viri dexteram sedit. Cùm verò eidem patri puer ex more poculum vini præberet, rex silenter manum tetendit, calicem abstulit, eúmque per se episcopo vice pueri præbuit, vt videret an spiritu prouidente discerneret quis ei poculum præberet. Tunc vir Dei accipiens calicem, sed tamen ministrum non videns, dixit: Viuat ipsa manus. De quo verbo rex lætatus erubuit: quia quanuis ipse deprehensus sit, in viro tamen Dei quod quærebat inuenit. Huius autem venerabilis viri cùm ad exemplum vitæ sequentium in longum senium vita traheretur, eius archidiaconus ambitione adipiscendi episcopatus accensus, eum extinguere veneno molitus est. Qui cùm vini fusoris animum corrupisset, vt mixtum vino, veneni ei poculum præberet, refectionis hora cùm iam vir Dei ad edendum discumberet, ei præmiis corruptus puer hoc quod ab archidiacono eius acceperat, veneni poculum obtulit. Cui statim venerabilis episcopus dixit: Bibe tu hoc quod mihi bibendum præbes. Tremefactus puer deprehensum se esse sentiens, maluit moriturus bibere, quam pœnas pro illa tanti homicidij culpa tolerare. Cúmque sibi ad os calicem duceret, vir Domini compescuit, dicens: Non bibas, da mihi, ego bibo, sed vade dic ei qui tibi illud dedit: Ego quidem venenum bibo, sed tu episcopus non eris. Facto igitur signo crucis venenum episcopus bibit securus. Eadémque hora in loco alio in quo erat archidiaconus eius, defunctus est, acsi per os episcopi ad archidiaconi viscera illa venena transissent. Cui tamen ad inferendam mortem venenum quidem corporale defuit, sed hunc in conspectu æterni iudicis venenum suæ malitiæ occidit.

Sabinus episcopus prophetiæ spiritũ habuit.

Sabinũ archidiacon' extinguere voluit.

Sabinus venenũ bibit, quo is obiit qui dari fecit.

Petrus:

MIra sunt hæc, & nostris valde stupenda temporibus, sed talis eiusdem viri vita perhibetur, vt qui conuersationem eius agnouerit, virtutem non debeat mirari.

De Cassio Narniensis ciuitatis episcopo. *Caput VI.*

Gregorius:

NEque hoc Petre sileam, quod multi nunc qui hîc de Narniensi ciuitate assunt, mihi sedulò testificantur. Eodem nanque Gotthorum tempore cùm præfatus rex Totila Narnis venisset, ei vir vitæ venerabilis Cassius eiusdem vrbis episcopus occurrit. Cui quia ex conspersione semper facies rubere consueuerat, hoc rex Totila non conspersionis esse credidit, sed assiduæ potationis, eumque omnimodo despexit. Sed omnipotens Deus vt quantus vir esset qui despiciebatur ostenderet, in Narniensi campo quo rex aduenerat, malignus spiritus coram omni exercitu eius spatarium inuasit, eumque vexare crudeliter cœpit. Qui cùm ante regis oculos ad venerandum virum Cassium fuisset adductus, hunc ab eo vir Domini oratione facta signo crucis expulit, qui in eum ingredi vlterius non præsumpsit. Sicque factum est vt rex barbarus seruum Dei ab illo iam die veneraretur ex corde, quem despectum valde iudicauit ex facie. Nam quia virum tantæ virtutis vidit, erga illum illa mens effera ab elationis fastu detumuit.

Cassius episcopus spatarium obsessum liberauit.

De Andrea Fundanæ ciuitatis episcopo. *Caput VII.*

SEd ecce dum facta fortium virorum narro, repẽtè ad memoriam venit quid erga Andream Fundanæ ciuitatis episcopum diuina misericordia fecerit. Quod tamen ad hoc legentibus vt valeat exopto, quatenus qui corpus suum continentię dedicant, habitare cum fœminis non præsumãt, ne ruina mentẽ tantò repentina surripiat, quantò ad hoc quod malè concupiscitur, etiam præsentia concupitæ formæ famulatur. Nec res est dubia quam narro: quia penè tanti in ea testes sunt, quanti & eiusdem loci habitatores existunt. Hic nanque venerabilis vir cùm vitam multis plenam virtutibus duceret, séque sub sacerdotali custodia in continentiæ arce custodiret, quandam sanctimonialem fœminam quam secum prius habuerat, noluit ab episcopij sui cura repellere, sed certus de sua eiúsque continentia, secum hanc permisit habitare. Ex qua re actum est vt antiquus hostis apud eius animum aditum tentationis exquireret. Nam cœpit speciem illius oculis mentis eius imprimere, vt illectus nefanda cogitaret. Quadam verò die Iudæus quidem ex Campaniæ partibus Romam veniens Appiæ carpebat iter, qui ad Fundanum cliuum perueniens, cùm iam diem vesperascere cerneret, & quò declinare posset, minimè reperiret, iuxta Apollinis templum fuit, ibíque se ad manendum contulit. Qui ipsum loci illius sacrilegium pertimescens, quamuis fidem crucis minimè haberet, signo tamen se crucis munire curauit. Nocte autem media ipso solitudinis pauore turbatus peruigil iacebat, & repentè conspiciens vidit malignorum spirituum turbam quasi in obsequium cuiusdã potestatis præire, eum verò qui cæteris præerat, in eiusdem gremio loci cõsedisse: qui cœpit singulorum spirituum obsequentium sibi causas actúsque discutere, quatenus vnusquisque quantũ nequitiæ gessisset inueniret. Cumque singuli spiritus ad inquisitionem eius exponerent quid operati contra bonos fuissent, vnus in medium prosiliit, qui in Andreæ episcopi animum per speciẽ sanctimonialis fœminæ quæ in episcopio eius habitabat, quantam tentationem carnis commouisset, aperuit. Cùm verò hoc malignus qui præerat spiritus inhianter audiret, & tantò sibi factum lucrum grande crederet, quantò sanctioris viri animã ad lapsum perditionis inclinaret, ille spiritus qui hæc eadem fatebatur, adiunxit: quia vsque ad hoc quoque die præterito vespertina hora eius mentem traxerit, vt in terga eiusdem sanctimonialis fœminæ blãdiens alapam daret. Tunc malignus spiritus atque humani generis antiquus inimicus exhortatus hunc blãdè est vt perficeret quod cœpisset, quatenus ruinæ illius singularem inter cæteros palmam teneret. Cumq; Iudæus qui aduenerat, hoc vigilans cerneret, & magnæ formidinis anxietate palpitaret, ab eodem spiritu qui cunctis illic obsequentibus præerat, iussum est vt requirerent quisnam esset ille qui iacere in templo eodem præsumpsisset. Quem maligni spiritus pergentes & subtilius intuentes, crucis mysterio signatum viderunt, mirantésque dixerunt: Væ, væ: vas vacuum & signatũ. Quibus hoc renunciantibus cuncta illa malignorum spirituum turba disparuit. Iudæus verò qui hæc viderat, ilico surrexit, atque ad episcopum sub festinatione peruenit. Quem in Ecclesia sua reperiens, seorsum tulit, qua tentatione vrgeretur, inquisiuit. Cui confiteri episcopus tentationem suam verecundatus noluit. Cùm verò ille diceret, quòd in illa tali Dei famula praui amoris oculos iniecisset, atque adhuc episcopus negaret, adiunxit, dicens: Quare negas quod inquireris, qui ad hoc vsque vespere hesterno perductus es, vt posteriora illius alapa ferires? Ad quæ nimirum verba deprehensum se episcopus intuens, humiliter confessus est quod prius pertinaciter negauit. Cuius ruinæ & verecundiæ idem Iudæus cõsulens, qualiter hoc cognouisset, vel quæ in conuentu malignorum spirituum de eo audiuisset indicauit. Quod ille agnoscens, se ad terram protinus in orationẽ dedit. Móxque de suo habitaculo non solùm eandem Dei famulam, sed omnem quoque fœminam quæ in eius illic obsequio habitabat expulit. In eodẽ verò templo Apollinis, beati Andreæ Apostoli repẽtè oratorium fecit, atque omni illa tentatione carnis funditùs caruit. Iudæum verò cuius visione atque increpatione saluatus est, ad æternam salutẽ traxit. Nam sacramentis fidei imbutum, atque aqua baptismatis emundatum, ad sanctæ Ecclesiæ gremiũ perduxit. Sícque factum est vt Hebræus idem dum saluti alienæ consulit, perueniret ad suam, & omnipotens deus inde alterum ad bonam vitam perduceret, vnde in bona vita alterum custodisset.

Deuoti cum mulieribus habitare nõ debent.

Cõgregatio seu concio dæmonum.

Spiritus malignus inter cæteros palmã nactus.

Dictũ diabolorum de Iudæo signato cruce.

Andreas episcopus abdicat mulieres à se.

Iudæus baptizatur.

Petrus:

REs hæc gesta quam audiui, & metum mihi præbet, & spẽ.

Gregorius:

VTique sic oportet & de Dei nos semper miseratione cõfidere, & de nostra infirmitate formidare. Ecce enim paradisi cedrum concussam audiuimus & non euulsam, quate-

nus infirmis nobis & de eius concusione nascatur timor, & de eius stabilitate fiducia.

De Constantio Aquinæ ciuitatis episcopo.
Caput VIII.

VIr quoque venerabilis vitæ Constantius Aquinæ ciuitatis episcopus fuit, qui nuper prædecessoris mei tempore beatæ memoriæ Ioannis papæ defunctus est. Hunc Prophetiæ habuisse spiritum multi testantur, qui eum familiariter scire potuerunt. Cuius inter multa hoc ferunt religiosi veracésque viri, qui præsentes fuerunt, quòd in die obitus sui cùm à circunstantibus ciuibus, vtpote discessurus pater tam amabilis amarissimè plangeretur, eum flendo requisierunt, dicentes: Quem post te patrem habebimus? Quibus ipse pater per prophetiæ spiritum respódit, dicens: Post Constantium, mulionem, post mulionem, fullonem. O tu Aquina, & hos habes. Quibus prophetiæ verbis editis, vitæ spiritum exhalauit extremum. Quo defuncto eius Ecclesiæ pastoralem suscepit curam Andreas diaconus illius, qui quondam in stabulis itinerum, cursum seruauerat equorum. Atque hoc ex hac vita subducto, ad episcopatus ordinem Iouinus accersitus est, qui in eadem ciuitate fullo fuerat. Quo adhuc superstite ita cuncti inhabiratores ciuitatis illius & barbarorum gladiis & pestilentiæ immanitate vastati sunt, vt post mortem illius nec quis episcopus fieret, nec quibus fieret inueniri potuisset. Sic itaq; completa est viri Dei sententia: quatenus post decessum duorum se sequentiũ eius Ecclesia pastore minimè haberet.

Constantius Prophetiæ spiritũ habuit.
Constantij responsum ĩ eius obitu.

De Frigidiano Lunensis ciuitatis episcopo.
Caput IX.

SEd neque hoc sileam quod narrante viro venerabili Venantio Lunensi episcopo me ante biduum contigit agnouisse. Lucanæ namque Ecclesiæ sibimet propinquæ fuisse miræ virtutis virum Frigidianum nomine narrauit episcopum, cuius hoc opinatissimum à cunctis illic habitantibus testatur memorari miraculum, quòd Auseris fluuius, qui iuxta illius vrbis muros influebat, sæpe inundatione facta cursus sui alueum egressus, per agros diffundi consueuerat, & quæcunque sata & plantata repererat euertebat. Cúmque hoc crebrò fieret, & magna eiusdem loci incolas necessitas vrgeret: dato studio operis eum per loca alia deriuare conati sunt. Sed quãuis diutius laboratum fuisset, à proprio alueo deflecti non potuit. Tunc vir Domini Frigidianus rastrum sibi paruulum fecit, ad alueum fluminis accessit, & solus orationi incubuit: atque eidem flumini præcipiens vt sequeretur, per loca, quæque ei visa sunt, rastrũ per terram traxit. Quem relicto alueo proprio tota fluminis aqua secuta est, ita vt funditus locum consueti cursus desereret, & ibi sibi alueum vbi tracto per terram rastro vir Domini signum fecerat, vendicaret: & quæque essent alimentis hominum profutura sata vel plantata, vltrà non læderet.

Frigidianꝰ Episcopus fluuium oratione sua à proprio alueo diuertit.

De Sabino episcopo Placentino. *Caput X.*

HVius quoque venerabilis viri Venantij Episcopi aliud miraculum relatione cognoui, quod in Placentina vrbe perhibet gestum, quod vir quoque Dei veracissimus Ioannes in hac modò Romana ciuitate locum præfectorum seruans, qui in eadem Placentina vrbe est ortus & nutritus, ita vt Episcopus memorat, quia gestum fuerit attestatur. In ea nanque ciuitate Sabinum nomine fuisse asserunt miræ virtutis episcopum. Cui dum die quadam suus diaconus nunciasset, quòd cursus sui Padus alueum egressus Ecclesiæ agros occupasset, totáque illic loca nutriendis seminibus profutura, aqua eiusdem fluminis teneret, venerabilis vitæ Sabinus episcopus respondit, dicens: Vade, & dic eis: Mandat tibi episcopus vt te cõpescas, & ad proprium alueum redeas. Quod diaconus eius audiens, despexit & irrisit. Tunc vir Dei accersito notario dictauit, dicens: Sabinus Domini Iesu Christi seruus commonitorium Pado: Præcipio tibi in nomine Iesu Christi Domini nostri, vt de alueo tuo in locis istis vlterius non exeas, nec terras Ecclesiæ lædere præsumas. Atque eidem notario subiungit, dicens: Vade hoc scribe, & in aquam eiusdem fluminis proiice. Quo facto sancti viri præceptum suscipiens, statim se à terris Ecclesiæ fluminis aqua compescuit, atque ad proprium alueum reuersa, exire vlterius in loca eadem non præsumpsit. Qua in re Petre quid aliud quàm inobedientium hominum duritia confunditur, quando in virtute Iesu & elementum irrationabile sancti viri præceptis obediuit?

Sabini mãdato Padus inundãs ĩtra suũ alueum sese rẽtraxit.

De Cerbonio Populonij episcopo. *Caput XI.*

VIr quoque vitæ venerabilis Cerbonius, Populonij episcopus magnam diebus nostris sanctitatis suæ probationem dedit. Nam cùm hospitalitatis studio valde esset intentus, die quadam transeuntes milites hospitio suscepit, quos Gotthis superuenientibus abscondit, eorúmque vitam ab illorum nequitia abscondendo seruauit. Quod dum Gotthorum regi perfido Totilæ nunciatum fuisset, crudelitatis immanissimæ vesania succẽsus, hunc ad locũ qui ab octauo huius vrbis miliario Merulis dicitur, vbi tunc ipse cum exercitu sedebat, iussit deduci: eúmque in spectaculo populi vrsis ad deuorandum proiici. Cumque idem rex perfidus in ipso quoque spectaculo consedisset ad inspiciendam mortem episcopi, magna populi turba confluxit. Tunc episcopus deductus in medium est, atque ad eius mortem immanissimus vrsus exquisitus, qui dum humana membra crudeliter carperet, sæui regis animum satiaret. Dimissus itaque vrsus ex cauea est, qui accensus & concitus episcopum petiit, sed subitò suæ ferocitatis oblitus, deflexa ceruice, submissóque humiliter capite, lambere episcopi pedes cœpit, vt patenter omnibus daretur intelligi, quia erga illum virum Dei & ferina corda essent hominum, & quasi humana bestiarum. Tũc populus qui ad spectaculum venerat mortis, magno clamore versus est in admirationem venerationis. Tunc ad eius reuerentiam colendam rex ipse permotus est. Quippe cùm quo superno iudicio actum erat, vt qui Deum sequi prius in custodienda vita episcopi noluit, saltem ad mansuetudinem bestiam sequeretur. Cui rei hi qui tunc præsentes fuerunt, adhuc nonnulli supersunt, eámque cum omni illic populo se vidisse testantur. De quo etiam viro aliud quoque miraculum Venantio Lunensi episcopo narrante cognoui. In ea nanque Populonij Ecclesia cui præerat, sepulchrum sibi præparauit. Sed cùm Longobardorum gens in Italiam veniens cuncta vastasset, ad Helbam insulam recessit. Qui ingruente ægritudine ad mortem veniens clericis suis sibíque obsequentibus præcepit, dicens: In sepulchro meo quod mihi præparaui Populonij, me ponite. Cui illi cùm dicerent: Corpus tuum illuc qualiter reducere possumus, qui à Longobardis teneri loca eadem, & vbique eos illic discurrere scimus? Ipse respondit: Reducite me securi, nolite metuere, sed festinè sepelire me curate: móxque vt sepultum fuerit corpus meum, ex eodem loco sub omni festinatione recedite. Defuncti igitur corpus imposuerunt nauí. Cúmque Populonium tenderent, collectis in aëre nubibus immensa nimis pluuia erupit. Sed vt pateseeret omnibus cuius viri corpus nauis illa portaret, per illud maris spatium quod ab Helba insula vsque Populonium xij. milibus distat, circa vtraque nauis latera procellosa valde pluuia descendit, & in nauem eandem vna pluuiæ gutta non cecidit. Peruenerunt itaq; ad locum clerici, & sepulturæ tradiderunt corpus sacerdotis sui. Cuius præcepta seruantes, ad nauem sub festinatione reuersi sunt. Quam mox vt intrare potuerunt, in eundem locum vbi vir Domini sepultus fuerat, Longobardorum dux crudelissimus Gummar aduenit. Ex cuius aduentu virum Dei habuisse spiritum prophetiæ claruit, quia ministros suos à sepulturæ suæ loco sub festinatione discedere præcepit.

Totila rex Cerbonium vrsis dilaniandũ exposuit.
Vrsus pedes episcopi lambebat.
In nauim non pluit, in qua corpus Cerbonij vehebatur.
Gũmar Lãgobardorũ dux.

De Fulgentio Vtriculano episcopo. *Caput XII.*

HOc verò quod de diuisa pluuia factum narraui miraculum, etiam in alterius episcopi veneratione monstratum est. Nam quidam clericus senex, qui adhuc supereſt, eidem rei præstò se fuisse testatur dicens: Fulgentius episcopus qui Vtriculensi Ecclesiæ præerat, regem crudelissimum Totilam infensum omnimodo habebat. Cumque ad easdem partes cum exercitu propinquasset, curæ fuit episcopo per clericos suos xenia ei transmittere, eiúsque furoris insaniam, si posset muneribus mitigare. Quæ ille vt vidit, protinus spreuit, atque iratus suis hominibus iussit, vt eundem episcopum sub omni asperitate constringerent, eúmque eius examini seruarent. Quem dum feroces Gotthi, ministri scilicet crudelitatis illius, tenuissent, circundantes eum vno in loco stare præceperunt

Fulgentius Episcopus regi Totilæ xenia misit.

perunt eique in terra circulum designauerunt, extra quem pedem tẽdere nullo modo auderet. Cúmque vir Dei in sole nimio æstuaret, ab eisdem Gothis circundatus, & designatione circuli inclusus, repentè coruscationes & tonitrua, & tanta vis pluuiæ erupit, vt hi qui eum custodiendum acceperant, immensitatem pluuiæ ferre non possent. Et dum magna nimis inundatio fieret, intra eandem designationem circuli in qua vir Domini Fulgentius stetit, ne vna quidem pluuiæ gutta descendit. Quod dum regi crudelissimo nuntiatum esset, illa mens effera ad magnam eius reuerentiam versa est, cuius pœnam prius insatiabili furore sitiebat. Sic omnipotens Deus contra elatas carnalium mentes potentiæ suæ miracula per despectos operatur, vt qui superbè contra præcepta veritatis se eleuant, eorum ceruicem veritas per humiles premat.

Intra circulum Fulgẽtij nõ pluit.

De Herculano Perusino episcopo.
Caput XIII.

NVper quoque Floridus venerabilis vir vitæ episcopus narrauit quoddam memorabile valde miraculũ dicens: Vir sanctissimus Herculanus nutritor meus, Perusinæ ciuitatis episcopus fuit, ex cõuersatione monasterij ad sacerdotalis ordinis gratiam deductus. Totilæ autem perfidi regis temporibus eandem vrbem annis vij. continuis Gothorum exercitus obsedit, ex qua multi ciuium fugerunt, qui famis periculũ ferre non poterant. Anno verò vj. nondum finito obsessam vrbem Gothorum exercitus intrauit. Tunc comes qui eidem exercitui præerat, ad regem Totilam nuncios misit, exquirens quid de episcopo vel populo fieri iuberet. Cui ille præcepit, dicens: Episcopo prius à vertice capitis vsque ad calcaneum, corrigiam tolle, & tunc caput eius amputa: omnem verò populum qui illic inuentus est, gladio extingue. Tunc idẽ comes venerabilem virum Herculanum episcopum super vrbis murum deductum, capite truncauit, eiúsque cutem iam mortui à vertice vsque calcaneum incidit, vt ex eius corpore corrigia sublata videretur. Móxque corpus illius extra murum proiecit. Tunc quidam humanitatis pietate compulsi, abscissum caput ceruici apponentes, cum vno paruulo infante qui illic extinctus inuentus est iuxta murum, corpus episcopi sepulturæ tradiderunt. Cúmque post eandem cædem die xl. rex Totila iussisset, vt ciues vrbis illius qui quolibet dispersi essent, ad eam sine aliqua trepidatione remearent, hi qui prius fame fugerant, viuendi licentia accepta reuersi sunt. Sed ciues vitæ eorum episcopi fuerant memores, vbi sepultum esset corpus illius quæsierunt, vt hoc iuxta honorem debitum in Ecclesia beati Petri Apostoli humarent. Cunque itum esset ad sepulchrum, effossa terra inuenerunt corpus pueri pariter humati, vtpote iam die xl. tabe corruptum & vermibus plenum, corpus verò episcopi, acsi die eodem esset sepultum. Et quod est adhuc magna admiratione venerandum, quia ita caput eius vnitum fuerat corpori, acsi nequaquam fuisset abscissum, sic videlicet vt nulla vestigia sectionis apparerent. Cúmque hoc & in terga verterent exquirẽtes si quod signum vel de alia monstrari incisione potuisset, ita sanum atque intemeratum omne corpus inuentum est, ac si nulla hoc incisio ferri tetigisset.

Crudele edictũ in Herculanum episcopum.
Herculani caput corpori post mortẽ miraculosè reunitũ.

Petrus:

QVis non obstupescat talia signa mortuorum quæ fiunt pro excitatione viuentum?

De Isaac seruo Dei. *Caput XIIII.*

Gregorius:

PRrioribus quoque Gothorum temporibus fuit iuxta Spoletanam vrbem vir vitæ venerabilis Isaac nomine, qui vsque ad extrema penè Gothorum tempora peruenit, quem nostrorum multi nouerunt, & maximè sacra virgo Gregoria, quæ nunc in hac Romana vrbe iuxta Ecclesiam beatæ Mariæ semper virginis habitat. Quæ dum adolescentiæ suæ tempore constitutis iam nuptiis in Ecclesiam fugisset, & sanctimonialis vitæ conuersationem quæreret, ab eodem viro defensa, atque ad eum quem desiderabat habitum Domino protegente perducta est. Quæ quia sponsum fugit in terra, habere sponsum meruit in cœlo. Multa autem de eodem viro narrante venerabili patre Eleutherio agnoui, qui & hunc familiariter nouerat, & eius verbis vita fidem præbebat. Hic itaque venerabilis Isaac ortus ex Italia non fuit, sed ea illius narro miracula quę conuersatus in Italia fecit. Cùm primum de Syriæ partibus ad Spoletanam vrbem venisset, ingressus Ecclesiam à custodibus petiit, vt sibi quantum vellet licentia concederetur orandi, eúmque horis secretioribus egredi non vrgerent. Qui mox ad orandum stetit, diémque totum peregit in oratione, cui sequentem continuauit & noctem. Secundo etiam die cum nocte subsequenti indefessus in precibus perstitit, diem quoque tertium in oratione coniunxit. Cúmque hoc vnus ex custodibus superbiæ spiritu inflatus cerneret, vnde proficere debuit, inde ad defectus damna peruenit. Nam hunc simulatorem dicere, & verbo rustico cœpit impostorem clamare, qui se tribus diebus & noctibus orare ante oculos hominum demõstraret. Qui protinus currens virum Dei alapa percussit, vt quasi religiosæ vitæ simulator esset, de Ecclesia cum contumelia exiret. Sed hunc repente vltor spiritus inuasit, & ad viri Dei vestigia strauit, ac per os illius clamare cœpit: Isaac me eiicit, Isaac me eiicit. Vir quippe peregrinus quo censeretur nomine nesciebatur, sed eius nomen ille spiritus prodidit, qui se ab illo posse eiici clamauit. Mox autem super vexat corpus vir Dei incubuit, & malignus spiritus qui eum inuaserat abscessit. In tota vrbe tũc statim quid in Ecclesia factum fuisset innotuit. Currere viri & fœminæ nobiles atque ignobiles pariter cœperunt, certatímque eum in suis rapere domibus conabãtur. Alij ad construẽdum monasterium prædia, alij pecunias, alij subsidia quæque poterant offerre viro Dei suppliciter volebant. Sed seruus omnipotentis Domini horum nihil accipiẽs, egressus vrbem non longè desertum locum reperit, ibíque sibi humile habitaculum construxit. Ad quem dum multi pergunt, exemplo illius æternæ vitæ accendi desiderio cœperunt, atque sub eius magisterio in omnipotentis se Domini seruitium dederunt. Cúmque ei crebrò discipuli humiliter imminerent, vt pro vsu monasterij possessiones quæ offerebantur acciperet, ille sollicitus suæ paupertatis, custos fortem sententiam tenebat, dicens: Monachus qui in terra possessiones quærit, monachus non est. Sic quippe metuebat paupertatis suę securitatem perdere, sicut auari diuites solent perituras diuitias custodire. Ibi itaque prophetiæ spiritus magnísque miraculis cunctis longè lateque habitantibus vita eius inclaruit. Nam die quadam ad vesperum in horto monasterij fecit iactari ferramenta, quæ vsitato nos nomine, vangas vocamus. Dixit itaque discipulis suis: Tot vangas in horto proiicite, & citius redite. Nocte verò eadem dum ex more cum fratribus ad exhibendas laudes Domino surrexisset, præcipit dicens: Ite & operariis nostris pulmentum coquite, vt mane primo paratum sit. Facto autem mane, fecit deferri pulmentum quod parari iusserat, atque hortum cum fratribus ingressus, quot vangas iactari præceperat, tot in eo laborantes operarios inuenit. Ingressi quippe fures fuerant, sed mutata mente per spiritum apprehenderunt vangas quas inuenerũt, & ab ea hora quã ingressi sunt quousque vir Domini ad eos veniret, cuncta horti illius spatia quæ inculta fuerant, coluerũt. Quibus vir Domini mox vt ingressus est, ait: Gaudete fratres, multum laborastis, iam quiescite. Quibus ilico alimenta quæ detulerat, præbuit, eósque post tanti laboris fatigationem refecit. Sufficienter autem refectis, ait: Nolite malum facere, quotiens de horto aliquid vultis, ad horti aditum venite: tranquillè petite, cum benedictione percipite, & à furti prauitate cessate. Quos statim collectis oleribus onustari fecit. Actumque est, vt qui ad hortum nocituri venerant, cum laboris sui præmio, & repleti ab eo, & innocui redirent.

Gregoria sanctimonialis effecta.
Isaac tribꝰ diebus noctibúsque continuè orauit.
Isaac eiecit diabolum ab obsesso.
Fures versi sunt in operarios.

ALio quoque tempore accesserunt ad eum peregrini quidam misericordiam postulantes, scissis vestimentis, pannis obsiti, ita vt penè nudi viderentur. Cumque ab eo vestimenta peterent, eorum verba vir Domini tacitus audiuit, qui vnum ex discipulis suis protinus silenter vocauit, eíque præcipit, dicens: Vade atque in illa sylua in loco tali cauam arborem require, & vestimenta quæ in ea inueneris defer. Cúmque discipulus abiisset, arborem sicut iussus fuerat requisiuit, vestimenta reperit, & latenter detulit magistro. Quæ vir Dei suscipiens, peregrenis nudis atque petentibus ostendit, & præbuit dicens: Venite, quia nudi estis, ecce tollite, & vestite vos. Hæc illi intuentes recognouerunt

Isaac frater dẽ peregrinorum in spiritu agnouit.

quæ posuerant, magnóque pudore consternati sunt, & qui fraudulenter vestimenta quærebant aliena, confusi receperunt sua.

ALio quoque tempore quidam se eius orationibus commendans, sportas duas alimenti ei per puerum transmisit, quarum vnam idem puer surripuit, atq; in itinere abscondit: vnam verò ad Dei hominem detulit, & petitionem illius qui se ei per xenium commendauerat enarrauit. Quam vir Domini benignè suscipiens, eundem puerum admonuit, dicens: Gratias agimus, sed vide sportam quam in itinere posuisti; ne incautè tangere præsumas, quia in eam serpens ingressus est. Esto ergo sollicitus ne si tollere incautè volueris, à serpente feriaris. Quibus verbis puer valde confusus, exultauit quidem quòd euaserit mortem, sed tristis ad modicum factus est, quia quamuis salubrem pœnam euaserit, tamen pertulit verecundiam suam. Qui reuersus ad sportam, cautè ac sollicitè attendit, sed eam iam sicut vir Dei prædixerat, serpens tenebat. Hic itaque cùm virtute abstinentiæ, contemptu rerum transeuntium, Prophetiæ spiritu, orationis intentione esset incomparabiliter præditus, vnum erat quod in eo reprehensibile esse videbatur, quòd nonnunquam tanta ei lætitia inerat, vt illis tot virtutibus nisi seiretur esse plenus, nullo modo crederetur.

Isaac in spiritu furtum vidit.

Petrus.

QVidnam quæso te, quidnam hoc esse dicimus? sponte sibi lætitiæ frena laxabat, an tot virtutibus pollens, aliquando ad præsens gaudium etiam renitens eius animus trahebatur?

Gregorius.

MAgna est Petre omnipotentis Dei dispensatio, & plerunque contigit vt quibus maiora bona præstat, quædam minora non tribuat, vt semper eorum animus habeat vnde se ipse reprehendat: quatenus dum appetunt perfecti esse, nec possunt, & laborant in hoc quod non acceperunt, nec tamen eleborando præualent, in his quæ accepta habent, se minimè extollant: sed discant quia ex semetipsis maiora bona non habent, qui in semetipsis vincere parua vitia atque extrema non possunt. Hinc est enim quòd perducto Dominus ad terram repromissionis populo, cunctos fortes atque præpotentes aduersarios eius extinguens, Philistæos atque Chananæos diutius reseruauit, vt sicut scriptum est: In eis experiretur Israël: quia nonnunquam, vt dictum est, eis etiam quibus magna dona tribuit, parua quædam reprehensibilia relinquit: vt semper habeant cõtra quod bellum gerant, & deuictis magnis hostibus mentem non erigant, quando eos adhuc aduersarij etiam minimi fatigant. Fit itaque vt miro modo vna eadémque mens & virtute polleat, & ex infirmitate lassescat, quatenus & ex parte constructa sit, & ex parte se conspiciat esse destructam: vt per bonum quod quærit, & habere non valet, illud seruet humiliter quod habet. Sed quid mirum quod hoc de homine dicimus, quando illa superna regio in ciuibus suis ex parte damna pertulit, & ex parte fortiter stetit, vt electi Angelorum spiritus, dum alios per superbiam cecidisse conspicerent, ipsi tantò robustius, quãtò humilius starent? Illi ergo regionis suæ etiam detrimenta profecerunt, quæ ad æternitatis statum ex parte suæ destructionis est solidius instructa. Sic ergo & in vnaquaque anima agitur, vt in humilitatis custodiam aliquando ad lucra maxima ex minimo damno seruetur.

Iudic. 3.

Dãna parua quandoque magni lucri causa fiunt.

Petrus.

Placet quod dicis:

De Eutychio & & Florentio seruis Dei.

Caput XV.

Gregorius.

NEque hoc sileam quod ex regione eadem venerabilis viri Sanctuli presbyteri narratione cognoui, & de cuius verbis ipse non dubitas, quia eius vitam fidémque minimè ignoras.

EOdem quoque tempore in Nursinæ partibus prouinciæ duo viri in vita atque habitu sanctæ conuersationis habitabant, quorum vnus Eutychius, alter verò Florentius dicebatur. Sed idem Eutychius in spiritali zelo atque in seruore virtutis se exercuerat, multorúmque animas ad Deum perducere exhortãdo satagebat. Florentius verò simplicitati atque orationi deditam ducebat vitam. Non longè autem erat monasterium quod rectoris sui morte erat destitutum, ex quo sibi monachi eundem Eutychium præesse voluerunt. Qui eorum precibus acquiscens, multis annis monasterium rexit, discipulorúmque animas in studio sanctæ conuersationis exercuit. Ac ne oratorium in quo prius habitauerat, solum remanere potuisset, illic venerabilem virum Florentium reliquit. In quo dum solus habitaret; die quãdam sese in orationem dedit, atque ab omnipotesti Domino petiit, vt ei illic ad habitandum aliquod solatium donare dignaretur. Qui mox vt impleuit orationem, oratorium egressus, ante fores vrsum reperit stantem. Qui dum ad terram caput deprimeret, nihílq; ferritatis in suis motibus demonstraret; apertè dabat intelligi quòd ad viri Dei obsequium venisset; quod vir quoque Domini protinus agnouit. Et quia in eadem cella quatuor vel quinque pecudes remanserãt quibus omnino deerat qui pasceret & custodiret, eidem vrso præcepit, dicens: Vade, atque oues has ad pastum eiice, ad horam verò sextam reuertere. Cœpit itaque hoc indefinenter agere. Iniungebatur vrso cura pastoralis, & quas manducare consueuerat, pascebat oues bestia ieiuna. Cùm vir Domini ieiunare volebat ad nonam, præcipiebat vrso eadem hora cum ouibus reuerti, cùm verò noluisset, ad sextam. In omnibus itaq; mãdatis viri Dei obtẽperabat vrsus, vt neq; ad sextam iussus redire, veniret ad nonam, neq; ad nonã iussus redire, veniret ad sextam. Cúmq; diu hoc ageretur, cœpit in loco eodẽ tantæ virtutis fama longè latéque crebrescere. Sed quia antiquus hostis vnde bonos cernit enitescere ad gloriã, inde peruersos per inuidiam rapit ad pœnam, quatuor viri ex discipulis venerabilis Eutychij vehementer inuidentes, quòd eorum magister signa non faceret, & is qui solus ab eo relictus fuerat, tanto hoc miraculo clarus appareret, eundem vrsum insidiantes occiderunt. Cúmque hora qua iussus fuerat non rediret, vir Dei Florentius suspectus est redditus, & vsque ad horam vespertinam expectans, affligi cœpit quòd is quem ex simplicitate multa fratrem vocare consueuerat, vrsus minimè reuerteretur. Die vetò altera perrexit ad agrum, vrsum pariter ouésque quæsiturus, quem occisum reperit. Sed sollicitè inquirens, citius à quibus fuerat occisus inuenit. Tunc sese in lamentum dedit, fratrum malitiam magis quàm vrsi mortem deplorans. Quem venerandus vir Eutychius ad se deductum consolari studuit, sed idem vir Domini coram eo doloris magni stimulis accensus, imprecatus est, dicens: Spero in omnipotẽti Deo, quia in hac vita ante oculos omnium ex sua malitia vindictam recipiant, qui nihil se lædentem vrsum meum occiderunt. Cuius vocem protinus vltio diuina secuta est. Nam quatuor monachi qui eundem vrsum occiderant, statim elephantino morbo percussi sunt, vt membris putrescẽtibus interirent. Quod factum vir Dei Florentius vehementer expauit, séque ita fratribus maledixisse pertimuit. Omni enim vitæ suæ tempore flebat, quia exauditus fuerat, se crudelem, se in eorum morte clamauit homicidam. Quod idcirco omnipotentem Dominum fecisse credimus, ne vir miræ simplicitatis quantolibet dolore commotus, intorquere vltrà præsumeret iaculum maledictionis.

Eutychius monasteriũ erexit.

Vrsus pastor ouium efficitur.

Diabolus bonis inuidos subornat.

Florentius vrsum fratrem vocabat.

Elephantinus morbo.

Petrus.

NVnquídnam valde graue esse credimus, si fortasse cuilibet exagitante iracundia maledicamus?

Gregorius.

DE hoc peccato cur me percunctaris an graue sit, cùm Paulus dicat: Neque maledici regnum Dei possidebunt? Pensa itaque quàm grauis culpa est quæ separat à regno cœlestis viræ.

1. Corint. 6.

Petrus.

QVid si homo non fortasse ex malitia, sed ex linguæ incuria maledictionis verbum iaculatur in proximum?

Gregorius.

SI apud districtum iudicem Petre otiosus sermo reprehenditur, quanto magis & noxius? Pensa ergo quantum sit damnabilis qui à malitia non vacat, si & ille sermo pœnalis est, qui à bonitate vtilitatis vacat.

Petrus. Assentio.

Gregorius.

IDem vir Dei egit aliud, quod silere non debeo. Cùm enim magna eius opinio longè latéque crebresceret, quidam diaconus longè positus ad eum pergere studuit, vt eius se orationibus commendaret. Qui ad eius cellulam veniens, omnem locum

nem locum per circuitum inuenit innumeris serpentibus plenum. Cúmque vehementer expauisset, clamauit dicens: Serue Dei ora. Erat autem tunc mira serenitas. Egressus verò Florentius, ad cœlũ oculos & palmas tetendit, vt illam pestem sicut sciret Dominus auferret. Ad cuius vocem, subitò cœlum intonuit, atque idem tonitrus omnes illos qui eundem locum occupauerant serpentes interemit. Quos cùm vir Dei Florentius interemptos aspiceret, dixit: Ecce illos occidisti Domine, quis eos hinc leuabit? Móxque ad eius vocem tantæ aues venerunt quanti serpentes occisi fuerant, quę asportantes singulos, & longius proiicientes, locum habitationis illius mundum à serpentibus omnimodo reddiderunt.

Florentius orando serpentes expulit.

Aues serpẽtes extulerunt.

Petrus:

QVid virtutis, quid fuisse meriti dicimus, quòd eius ori tantum factus est Deus proximus?

Gregorius:

APud omnipotentis Dei singularem mũdiciam, atque eius simplicem naturam multum Petre humani cordis munditia atque simplicitas valet. Hoc ipsum nanque quod eius famulũ à terrenis actionibus segregati, otiosa loqui nesciunt, & mentem per verba spargere, atque inquinare deuitant, auctoris sui præ cæteris exauditionem impetrant. Cui in quantum est possibile, ipsa puritate ac simplicitate cogitationis, quasi ex quadam iam similitudine concordant. Nos autem turbis popularibus admixti, dum frequenter otiosa, nonnunquam verò etiam, quod est grauius, noxia loquimur, os nostrũ omnipotenti Deo tantò longinquũ fit, quantò huic mundo proximum. Multum quippe deorsum ducimur, dum locutione continua secularibus admiscemur. Quod bene Esaias postquam regem Dominum exercitũ vidit, in semetipso reprehendit, & pœnituit, dicẽs: Væ mihi, quia tacui: quia vir pollutus labiis ego sum. Qui cur polluta labia haberet, ostẽdit, cùm subiunxit: In medio populi polluta labia habẽtis ego habito. Pollutionem nanque labiorum habere se doluit, sed vnde hãc contraxerit indicauit, cùm in medio populi polluta labia habentis se habitare perhibuit. Valde enim difficile est vt lingua secularium mentem non inquinet quam tangit: qtia dum plerunque eis ad quædam loquenda condescendimus, paulisper assueti, hanc ipsam locutionem quæ nobis indigna est, etiam delectabiliter tenemus, vt ex ea iam redire non libeat, ad quã velut ex condescensione deducti venimus inuiti. Sícque fit vt ab otiosis ad noxia, à leuioribus ad grauiora verba veniamus, & os nostrum ab omnipotẽti Domino tantò iam minus exaudiatur in prece, quantò amplius inquinamur stulta locutione, quia sicut scriptum est: Qui auertit aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Quid ergo mirũ, si postulantes tardè à Domino audimur, qui præcipientem Dominum, aut tardè, aut nullo modo audimus? Et quid mirũ, si Florentius in prece sua citius est auditus, qui in præceptis suis Dominum citius audiuit?

Otiosa non sunt loquẽda.

Esaiæ 6.

Ibidem.

Prouer. 28.

Petrus:

NIhil est quod responderi valeat apertæ rationi.

Gregorius:

EVtichius verò qui prædicti Florentij in via Domini socius fuerat, magnus post mortem claruit in virtute signorum. Nam cùm multa ciues vrbis illius de eo soleant narrare miracula, illud tamen est præcipuum quod vsque ad hęc Longobardorum tempora omnipotens Deus per vestimentum illius assiduè dignabatur operari. Nam quoties pluuia deerat, & æstu nimio terram longa siccitas exurebat, collecti in vnũ ciues vrbis illius, eius tunicam leuare, atque in conspectu Domini cum precibus offerre consueuerant. Cum qua dum per agros pergerent exorante repentè pluuia tribuebatur, quæ plenè terram satiare potuisset. Ex qua re patuit, eius anima quid virtutis intus, quid meriti haberet, cuius foris ostensa vestis iram conditoris auerteret.

Eutichij tunica elata, aut pluuiã, aut sole ad ducebat.

De Marcio monacho de monte Marsico.

Caput XVI.

NVper quoque in parte Campaniæ vir valde venerabilis † Marcius nomine in monte Martico solitariam vitam duxit, multísque annis in specu angustissimo inclusus fuit, quem multi ex nostris nouerunt, cuíusque actibus præsentes extiterunt. De quo multa ipse & beatæ memoriæ papa Pelagio prædecessore meo, & aliis religiosissimis viris narrantibus agnoui. Cuius hoc miraculum primum fuit, quòd mox vt se in prædicti montis foramine contulit, † ex petra eadem quæ in semetipsa concaua angustum specum fecerat, aquæ stilla prorupit: quæ † Marciõ dei famulo in vsu quotidiano sufficeret, & nec plus adesset, nec necessitati deesset. Qua in re ostendit omnipotens Deus quantam sui famuli curam gereret, cui vetusto miraculo potum in solitudine ex petræ duritia ministraret. Sed antiquus hostis humani generis inimicus, eius virtutibus inuidens, hunc vsitata arte pellere ex eo specu molitus est. Nam amicam sibi bestiam, serpẽtem scilicet ingressus, hunc ab eadem habitatione eiicere facto terrore conatus est. Cœpit etenim serpens in speluncam venire solus cum solo, eóque orante se ante illum sternere, & cum cubante pariter cubare. Sed vir sanctus omnino imperterritus eius ori manum vel pedem extendebat, dicens: Si licentiam accepisti vt ferias, ego non prohibeo, Cúmque hoc continuè per triennium gereretur, die quadam antiquus hostis tanta hac eius fortitudine victus intremuit, séque per deuexum montis latus in præcipitium serpens dedit, omniáque arbusta loci illius flamma ex se exeunte concremauit. Qui in eo quod montis latus omne combussit, cogente omnipotẽte Deo monstrare compulsus est, quantæ virtutis fuerat, qui victus abscedebat. Perpende quæso, iste vir Domini in quo montis vertice stetit, qui cum serpente per triennium iacuit securus.

† al. ex petra eadem concaua, in qua sibimet ipse.

Marcij miraculum.

† al. Martino, & deinceps.

Diabolus in specie serpentis Marcium molestat.

Triennio peracto, hostis victus est.

Petrus: Auditu pauco.

Gregorius:

VIr iste venerabilis inclusionis suæ tempore primo decreuerat, vt vltrà mulierem non videret, non quia aspernabatur sexum, sed ex cõtemplatione speciei, tentationis incurrere metuebat vitium. Quod quædam mulier audiens, audacter ascendit mõtem, atque ad eius specum impudenter prorupit. At ille paulò longius intuens, & venientis ad se muliebria indumenta conspiciens, sese in orationem dedit, in terram faciem depressit, & eousque prostratus iacuit, quo impudens mulier à fenestra cellulæ illius fatigata recederet. Quæ die eodem mox vt de monte descendit, vitam finiuit: vt ex mortis eius sententia daretur intelligi, quia valde omnipotenti Deo displicuit, quòd eius famulum ausu improbo contristauit.

Marcius statuit nullam mulierẽ videre.

ALio quoque tempore dum multi ad hunc religiosa deuotione concurrerent, atque arcta esset semita quæ in deuexo montis latere, ad eius cellulam properantes ducebat, puer paruulus incautè gradiens, ex eodem monte cecidit, & vsque ad vallem corruit, quæ sub monte eodem sita, quasi in profundo conspicitur. In loco quippe eodem tanta mons ipse altitudine excreuit, vt arbusta ingentia quæ ex eadem valle prodeunt, ex monte aspicientibus quasi fruteta esse videãtur. Perturbati itaque sunt cuncti qui veniebant, summáque cura quæsitum est sicubi corpus elapsi pueri potuisset inueniri. Quis enim aliud nisi extinctum crederet, quis vel corpus ad terram integrum peruenisse suspicaretur, dum interpositis vbique scopulis in partes discerpi potuisset? Sed requisitus puer in valle inuentus est, non solùm viuus, sed etiam incolumis. Tunc cunctis patenter innotuit, quòd ideo lædi non potuit: quia hunc in casu suo Marcij oratio portauit. In specu verò illius magna desuper rupes eminebat, quæ cùm ex parte exigua monti videretur affixa, Marcij cellæ prominens casum tuum quotidie, & illius interitum ruitura minabatur. Ad hunc Mascatus illustris vir armentarij nepos cum magna rusticorum multitudine veniens, precabatur vt vir Dei de specu eodem dignaretur exire, quatenus ipse rituram rupem ex monte potuisset euellere, atque in specu suo Dei famulus iam securus habitaret. Cúmque hoc vir Dei nequaquam acquiesceret ei, quod posset vt faceret præcepit, & ipse in cellæ suæ remotiori se parte contulit: si tam ingens moles rueret, dubium non erat quòd simul & specum destrueret, & Marcium necaret. Itaque dum ea quæ venerat multitudo conaretur, si posset sine periculo viri Dei ingens illud quod desuper incubuerat saxum leuare, cunctis videntibus repentè res valde admirabilis contigit, quia moles ipsa quam conabantur euellere, subitò ab eisdem laborantibus euulsa, ne speluncæ Marcij rectum tangeret, saltum dedit, & quasi serui Dei læsionem fugiens, longius cecidit. Quod ad iussum omnipo-

Puer lapsus in profunda valle reperiũ est incolumis.

Rupes euulsa per saltũ miraculosum longius cecidit.

tentis Dei angelico ministerio actum intelligit, qui diuina prouidentia disponi omnia fideliter credit. Hic cùm primùm se in eundem montem contulit; necdum clauso specu habitans, cathena sibi ferrea pedem ligauit, eámque saxo ex parte altera affixit, ne ei vltrà liceret progredi, quàm cathenæ eiusdem quantitas tendebatur. Quod vir vitæ venerabilis Benedictus audiens, cuius superiùs memoriam feci, ei per discipulum suum mandare curauit: Si seruus Dei es, non teneat te cathena ferri, sed cathena Christi. Ad quam vocem Marcius protinus eandem compedem soluit, sed nunquam postmodum solutum tetendit pedem vltra locum qui hunc tenere ligatum consueuerat, atque in tanto se spatio sine cathena coërcuit, in quanto & antea ligatus mansit. Qui dum se postmodum in eiusdem loci specu conclusisset, cœpit etiam discipulos habere, qui ab eius specu seorsùm habitantes, ad vsum vitæ aquam de puteo haurire consueuerant. Sed funis in quo ad hauriendum aquam situla dependebat, crebrò rumpebatur. Vnde factum est eâdem cathenam quam ex pede suo vir Domini soluerat, eius discipuli peterent, eámque funi adiungerent, atque in illam situlam ligarent. Ex quo iam tempore contigit, vt idem funis & quotidie tingeretur aqua, & nunquàm rumperetur. Quia enim cathenam viri Dei funis ille cōtigit, ipse quoque ad tolerandam aquam, ferri in se fortitudinem traxit.

Benedictus Marcium à cathena liberauit.

Benedicti [illegible] ex cathenæ et cōtactu ĩ ferrum solidatur.

Petrus.

Facta hæc placent, quia mira: & multum, quia recentia.

De Monacho ex monte Argentario, qui mortuum suscitauit.

Caput XVII. Gregorius.

NOstris modo temporibus, quidam vir Quadragesimus nomine, Buxentinæ Ecclesiæ subdiaconus fuit, qui ouium suarum gregem pascere in eiusdem Aureliæ partibus solebat. Cuius valde veracis viri narratione res mira innotuit, quæ secretò fuerat gesta. Is nanque vt prædiximus, dum gregis sui in Aurelia curam gereret, in diebus eiusdem vir fuit è mõte qui Argentarius vocatur, venerabilis vitæ, qui habitum monachi quem prætendebat specie, moribus explebat. Hic itaque ad Ecclesiam beati Petri Apostolorum principis, ab eodem monte Argentario annis singulis venire consueuerat, atque ad hunc, quem prædixi, Quadragesimum subdiaconum, sicut ipse narrauit, hospitalitatis gratia declinabat. Quadam verò die dum eius hospitium, quod nõ longè ab Ecclesia aberat, intrasset, cuiusdam pauperculæ mulieris maritus iuxtà defunctus est: quem ex more lotum, vestimentis indutum, & sabbato cõstrictum superueniẽte vespere sepelire nequiuerunt. Igitur iuxta defuncti corpus viduata mulier sedit, quæ in magnis fletibus noctem ducens, cõtinuis lamentorum vocibus satisfaciebat dolori. Cúmque diutius fleret, & flere nullo modo cessaret, vir Dei qui receptus hospitio fuerat, Quadragesimo subdiacono compunctus ait: Dolori huius mulieris anima mea compatitur, rogo surge, & oremus. Perrexerunt igitur vtrique ad vicinam Ecclesiam, seséque pariter in orationem dederunt. Cúmque diutius orassent, complere orationem Quadragesimum subdiaconum seruus Dei petiit. Qua completa ab altaris crepidine puluerem collegit, atque cum eodem Quadragesimo ad defuncti corpus accessit seséq; ibidem in orationem dedit. Cúmque diutius orasset, iam non sicut prius fecerat, orationem compleri per subdiaconum voluit, sed ipse benedictionem dedit, statímque surrexit. Et quia manu dextera collectum puluerem gestabat, sinistra pallium quo facies defuncti velabatur, abstulit. Quod cùm mulier fieri cerneret, contradicere vehementer cœpit, & mirari quid vellet facere. Ablato itaq; pallio, diu eo quem collegerat puluere defuncti faciem fricuit. Qui cùm diutius fricaretur, recepit animam, oscitauit, oculos aperuit, seséque eleuans resedit, quid erga se ageretur miratus est, ac si de grauissimo somno fuisset excitatus. Quòd cùm mulier lamentis fatigata conspiceret, cœpit ex gaudio magis flere, & voces amplius edere. Quam vir Domini modesta prohibitione compescuit, dicens: Tace, tace: sed si quis vos requisierit qualiter factum sit hoc, solummodo dicite: quia Dominus Iesus Christus, opera sua fecit. Dixit hoc, atque ab eius hospitio exiuit. Quadragesimum subdiaconũ protinus reliquit, & in loco eodem vltrà non comparuit. Temporalem nanque honorem fugiẽs, egit vt ab his à quibus visus in tanta virtute fuerat, nunquam iam in hac vita videretur.

Quadragesimus subdiaconus.

Vir quidã Monachus cum Quadragesimo mortuũ resuscitauit.

Petrus.

QVid alij sentiant ignoro. Ego autem præ cunctis miraculis hoc potius existimo esse miraculum, quòd ad vitam mortui redeunt, corúmque animæ ad carnem ex occulto reuocantur.

Gregorius.

SI visibilia attendimus, ita necesse est vt credamus. Si verò inuisibilia pensamus, nimirum constat quia maius est miraculum prædicationis verbo, atque orationis solatio peccatorem conuertere, quàm carne mortuum resuscitare. In isto enim resuscitatur caro iterum moritura, in illo verò anima in æternum victura. Cùm enim propono duos, in quo horum existimas maiori factum virtute miraculum? Lazarum quippe quem iam fidelem credimus fuisse, in carne Dominus suscitauit: Saulum verò resuscitauit in mente. Et quidem post resurrectionem carnis de Lazari virtutibus tacetur. Nam post resurrectionem animæ, capere nostra infirmitas non valet, quanta in sacro eloquio de Pauli virtutibus dicuntur. Quòd illæ eius crudelissimæ cogitationes ad pietatis mollia conuersæ sunt viscera. Quòd mori cupit pro fratribus, in quorũ prius morte gaudebat. Quòd plenus omnis scripturæ scientia nil se scire iudicat, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum. Quod pro Christo virgis libenter cæditur, quem gladiis insequebatur. Quòd apostolatus honore sublimis est, sed tamen sponte fit paruulus in medio discipulorum. Quòd ad cœli tertij secreta ducitur, & tamen mentis oculum per compassionem reflectit ad dispensandum cubile coniugatorum dicens: Vxori vir debitum reddat, similiter & vxor viro. Quòd admiscetur in contemplatione cœtibus Angelorum, & tamen non aspernatur cogitare atque disponere facta carnalium. Quòd gaudet in infirmitatibus, sibíque in contumeliis placet. Quòd ei viuere Christus est, & mori lucrum. Quòd totum iam extra carnem est hoc ipsum quod viuit in carne. Ecce qualiter viuit, qui ab inferno mente ad vitam pietatis rediit. Minus est ergo quẽpiam in carne suscitari, nisi fortè per viuificationem carnis ad vitam reducatur mentis, vt ei hoc agatur per exterius miraculum, quatenus conuersus interius viuificetur.

1. Corint. 7.

Petrus.

VAlde infra credidi hoc, quòd modò quàm sit incomparabiliter superius agnoui, sed quæso cœpta prosequere, vt dum tempus vacat, sine ædificatione hora non transeat.

De Benedicto monacho. *Caput VII.*

Gregorius.

FRater quidam mecum est in monasterio conuersatus, in scriptura sacra studiosissimus, qui me ætate præibat: hic ex multis quæ nesciebam, me ædificare consueuerat. Huius itaq; narratione didici, quòd fuit quidam in Campaniæ partibus intra quadragesimum Romanæ vrbis miliarium nomine Benedictus, equidem ætate iuuenis, sed moribus grandæuus, & in sanctæ conuersationis regula se fortiter stringens. Quem Totilæ regis tempore cùm Gotthi reperissent, hunc incendere cum sua cella moliti sunt. Ignem nanque posuerunt, sed in circuitu arserunt omnia, cella verò illius igni comburi non potuit. Quod videntes Gotthi magísque sæuientes, atq; hunc ex suo habitaculo trahẽtes, non longè aspexerunt succensum clibanum qui coquẽdis panibus parabatur, cúmq; in illo proiecerunt, clibanúmque clauserunt. Sed die altero ita illæsus inuentus est, vt non solùm eius caro ab ignibus, sed neque extrema vllo modo vestimenta cremarentur.

Miraculum ignis in cella Benedicti.

Benedictũ Gotthi ĩ clibanum imposuerunt.

Petrus

ANtiquum trium puerorum miraculum audio, qui proiecti in ignibus læsi non sunt.

Gregorius.

ILlud, vt opinor, miraculum ex parte aliqua dissimiliter gestum est. Tunc quippe tres pueri ligati pedibus ac manibus in ignem proiecti sunt, quos die altera rex requirens, in camino illæsis vestibus deambulãtes reperit. Ex qua re colligitur, quia ignis in quo iactati fuerant qui eorum vestimenta non contigit, eorum vincula consumpsit, vt eodémque tempore in obsequio iustorum, & haberet flamma virtutem suam ad solatium, & non haberet ad tormentum.

Eodem momẽto habuit flãma virtutem, & nõ habuit.

De Ecclesia Beati Zenonis martyris, in qua aquæ vltra portam apertam inundantes minimè intrauerunt.

Caput XIX.

HVic tam antiquo miraculo diebus nostris res similis ex contrario euenit elemento. Nam nuper Ioannes tribunus reuelatione sua me docuit, quòd Pronulfus comes cùm illic adesset, se cum rege Authalarico eo tempore in loco eodem vbi mira res contigit, affuisse, eámque rem cognouisse testatus est. Prædictus etenim tribunus narrauit, dicens: Quia ante hoc ferè quinquennium quando apud hanc Romanam vrbem alueum suum Tiberis egressus est, tantum crescens, vt eius vnda super muros vrbis influeret, atque inde iam maximas regiones occuparet, apud Veronensem vrbem fluuius Athesis excrescens, ad beati Zenonis martyris atque pontificis Ecclesiam venit. Cuius Ecclesiæ dum essent ianuæ apertæ, aqua in eam minimè intrauit. Quæ paulisper crescens vsque ad fenestras Ecclesiæ quæ erant tectis proximæ, peruenit, sicque stans aqua Ecclesiæ ianuam clausit, ac si illud elementum liquidum in soliditatem parietis fuisset mutatum. Cúmque essent multi inuenti interius, sed aquarum multitudine omni Ecclesia circundata, quà possent egredi non haberent, ibíque se siti ac fame deficere formidarent, ad Ecclesiæ ianuam veniebant, ad bibendum hauriebant aquam, quæ, vt prædixi, vsque ad fenestras excreuerat, & tamen intra Ecclesiam nullo modo diffluebat. Hauriri itaque vt aqua poterat, sed diffluere vt aqua non poterat. Stans autem ante ianuam ad ostendendum cunctis meritum martyris, & aqua erat ad adiutorium, & quasi aqua non erat ad inuadendum locum. Quod ego antiquo antedicti ignis miraculo verè prędixi nõ fuisse dissimile, qui trium puerorum & vestimenta non contigit, & vincula incendit.

Athesis fluuij ingens miraculum.

Aqua hauriri poterat, diffluere nõ poterat.

Petrus:

MIra sunt valde sanctorum facta quæ narras, & præsenti infirmitati hominum vehementer stupenda. Sed quia tantos nuper in Italia fuisse audio admirandæ virtutis viros, nosse velim, si nullas eos contigit antiqui hostis insidias pertulisse, an ex insidiis profecisse.

Gregorius:

SIne labore certaminis non est palma victorię. Vnde ergo victores sũt, nisi quòd cõtra antiqui hostis insidias decertauerunt? Malignus quippe spiritus cogitationi, locutioni atque operi nostro semper insistit, si fortasse quid inueniat vnde apud examen æterni iudicis accusator existat. Vis etenim nosse quomodo ad decipiendum semper assistat?

Vera sententia.

De Stephano presbytero prouinciæ Valeriæ, cui diabolus caligas è tibiis traxit.

Caput XX.

QVidam qui nunc nobiscum sunt, rem quam narro testãtur. Vir vitæ venerabilis Stephanus nomine, Valeriæ prouinciæ presbyter fuit, huius nostri Bonifacij diaconi atque dispensatoris Ecclesiæ agnatione proximus. Qui quadam die de itinere domum regressus, mancipio suo negligenter loquens præcepit, dicens: Veni diabole, discalcea me. Ad cuius vocem mox cœperunt se caligarum corrigiæ in summa velocitate dissoluere, vt apertè constaret quòd ei ipse qui nominatus fuerat, ad extrahẽdas diabolus caligas obediisset. Quod mox vt presbyter vidit, vehementer expauit, magnísque vocibus clamare cœpit dicens: Recede miser, recede: nõ enim tibi, sed mancipio meo locutus sum. Ad cuius vocẽ protinus recessit, ita vt inuentæ sunt magna iã ex parte dissolutæ corrigiæ remansisse. Qua in re colligi potest, antiquus hostis qui tam præstò est factis corporalibus, quàm nimiis insidiis nostris cogitationibus insistat.

Diabolus discalceauit Stephanum.

Petrus:

LAboriosum est valde atque terribile contra inimici insidias semper intendere, & continuè quasi in acie stare.

Gregorius:

LAboriosum non erit, si custodiam nostram non nobis, sed gratiæ supernæ tribuimus: ita tamen vt ipsi quantum possumus, sub protectione Dei vigilemus. Si autem antiquus hostis à mente cœperit expelli, ex diuina largitate plerunque agitur, vt non solùm iam timeri nõ debeat, sed ipse etiam bene viuentium virtute terreatur.

De puella conuersa, cuius solo imperio homo est à dæmonio liberatus.

Caput XXI.

REi nanque quam narro, vir sanctissimus Eleutherius senex pater, cuius memoriã superius feci, testis extitit, mihíque hoc intimare curauit, quòd in Spolitana vrbe puella quædam iam nubilis cuiusdã primarij filia, cœlestis vitæ desiderio exarsit, eíque pater ad viam vitæ resistere conatus est, sed contempto patre, conuersationis sanctę habitum suscepit. Qua ex re factum est vt eam pater suæ substantiæ exhæredem faceret, nihílque ei aliud nisi sex vncias vnius possessiunculæ largiretur. Eius verò exemplo prouocatæ cœperũt apud eam multæ nobilioris generis puellæ conuerti, atque omnipotenti Domino dedicata virginitate seruire. Quadã verò die idẽ Eleutherius abbas vir vitæ venerabilis, ad eã gratia exhortationis atque ędificationis accesserat, & cum ea de verbo Dei colloquens sedebat, cùm repente ex eodem fundo quem in sex vncias à patre perceperat, cum xenio rusticus venit. Qui dum ante eos assisteret, maligno spiritu correptus cecidit, fatigaríque nimiis stridoribus atque balatibus cœpit. Tũc sanctimonialis fœmina surrexit, atque irato vultu magnis clamoribus imperauit, dicens: Exi ab eo miser, exi ab eo miser. Ad cuius vocem mox per os vexati diabolus respondit, dicẽs: Et si de isto exeo, in quem intrabo? Casu autem iuxtà porcus paruulus pascebatur. Tunc sanctimonialis fœmina præcepit dicens: Exi ab eo, & in hunc porcum ingredere. Qui statim de homine exiuit, porcum quem iussus fuerat inuasit, occidit, & recessit.

Eleutheri.

Virgo solo imperio diabolum eiecit.

Petrus:

VElim nosse si saltem porcum concedere spiritui immundo debuit.

Gregorius:

PRopositæ regulæ nostræ actionis, sunt facta veritatis. Ipsi etenim redemptori nostro à legione quæ hominem tenebat dictum est: Si eiicis nos, mitte nos in gregem porcorum. Qui hanc & ab homine expulit, & in porcos ire, eósque in abyssum mittere cõcessit. Ex qua re etiam hoc colligitur quod absque concessione omnipotentis Dei nullam malignus spiritus contra hominem potestatem habeat, qui in porcos intrare non potuit, nisi permissus. Illi ergo nos necesse est sponte subdi, cui & aduersa omnia subiiciuntur in vita, vt tantò nostris hostibus potentiores simus, quantò cum authore omnium vnum efficimur per humilitatem. Quid autem mirum si electi quique in carne positi, multa facere mirabiliter possunt, quorum ipsa quoque ossa mortua plerunque in multis miraculis viuunt?

Matth. 8.

Diabolus nullam contra hominẽ potestatem habet, nisi deus permittat.

De presbytero prouinciæ Valeriæ, qui furem ad sepulchrum suum tenuit. *Caput XXII.*

IN Valeria nanque prouincia res est hæc gesta quam narro, mihíque beatæ memoriæ abbatis mei Valẽtinionis relatione cognita. Ibi etenim quidam venerabilis sacerdos erat, qui cum clericis suis Dei laudibus bonísque operibus intentus, sanctæ conuersationis vitam ducebat. Superueniente autẽ vocatione defunctus est, atque ante Ecclesiam sepultus. Eidem verò Ecclesiæ caulæ inhærebant ouium, atque idem locus in quo sepultus est, ad easdem oues tendentibus peruius erat. Quadam autem nocte cùm clericis intra Ecclesiam psallentibus fur venisset, vt ingressus caulas furtũ faceret, veruecem tulit, & concitus exiit. Cùm verò peruenisset ad locum vbi vir Domini sepultus erat, repente hæsit, & gressum mouere non potuit. Veruecem quidem de collo deposuit, cúmque dimittere voluit, sed manum laxare non valuit. Cœpit igitur stare miser cum pręda sua reus & ligatus. Volebat veruecem dimittere, nec valebat. Volebat egredi cum veruece, nec poterat. Miro itaque modo fur qui à viuis videri timuerat, hunc mortuus tenebat. Cúmque itaque gressus manúsque illius fuissent obstricta immobilis perstitit. Facto autem mane expletis laudibus Dei, ab Ecclesia egressi sunt clerici, & inuenerunt ignotum hominem veruecem tenentem manu. Res venit in dubium, vtrum veruecem tolleret, an offerret: sed culpæ reus citius indicauit pœnam. Mirati omnes, quia ingressus fur viri Dei merito ad prædã suam stabat ligatus. Qui se pro eo protinus in orationẽ dederunt, suísque precibus vix obtinere valuerunt, vt qui res eorum venerat rapere, saltem vacuus exire mereretur. Itaque fur qui diu steterat cum præda captiuus, quandoque exiit vacuus & liber.

Sacerdos sepultus ante caulas veruecis furẽ retinuit.

Ambiguũ.

Petrus:

APparet quantæ sit super nos dulcedinis omnipotens Deus, cuius erga nos fiunt tam iucunda miracula.

De abbate Præneſtinæ montis, eiuſque presbytero. Cap. XXIII.

Gregorius:

PRænestinæ vrbi mons præeminet, in quo beati Petri Apostoli monasterium situm est, virorum Dei: quorum relatione adhuc in monasterio positus audisse me contigit, magnum hoc quod narro miraculum, quod eiusdem monasterij monachi nosse se testabantur. In eo nanque monasterio fuit pater vitæ venerabilis, qui quendam monachum nutriens, vsque ad reuerendos prouexit mores. Cúmque eum intimore Domini videret excreuisse, in eodem sibi monasterio tunc presbyterum fecit ordinari. Cui post ordinationem suam, quia non longè abesset, eius exitus per reuelationem indicatus est. A prædicto autem patre monasterij petiit quatenus ei concederet vt sibi sepulchrum pararet. Cui ille respondit: Ante te quidem ego moriturus sum, sed tamen vade, & sicut vis, præpara sepulchrum tuum. Recessit igitur, & præparauit. Cùm non post multos dies senex pater febre præuentus ad extrema peruenit, atque assistenti presbytero iussit, dicens: In tuo sepulchro pone me. Cúmque ille diceret: Scis quia ego modò te secuturus sum, vtrósque capere non potest: abbas protinus respondit, dicens: Ita fac vt dixi: quia sepulchrum tuum ambos nos capit. Defunctus itaque est, atque in sepulchro eodem quod sibi presbyter parauerat positus. Mox quoque & presbyterum corporis languor secutus est, quo languore crescente citius presbyter vitam finiuit. Cúmque ad sepulchrum quod sibiipsi parauerat corpus illius fuisset à fratribus deportatum, aperto eodem sepulchro viderunt omnes qui aderant, locum non esse vbi poni potuisset, quia corpus patris monasterij quod illic antè positum fuerat, omne illud sepulchrum tenebat. Cúmque fratres qui presbyteri corpus detulerant, factam sibi sepeliendi difficultatem viderent, vnus eorum exclamauit dicens: O pater, vbi est quod dixisti, quia sepulchrum illud ambos vos caperet. Ad cuius vocem subitò cunctis videntibus abbatis corpus quod illic antè positum fuerat, & supinum iacebat, sese vertit in latere, & vacantem sepulchri locum ad sepeliẽdum presbyteri corpus præbuit: & quia vtrósque ille locus caperet, sicut viuus promiserat, mortuus impleuit. Sed quia hoc quod prædixi, apud Præneſtinã vrbẽ in beati Petri apostoli monasterio gestum est, vísne aliquid etiam in hac vrbe de eius Ecclesiæ custodibus, vbi sacratissimum corpus illius est positum audire? Petrus:

Abbas mortuus in sepulchro se vertit.

Volo, atque id vt fiat magnopere deprecor.

De Theodoro mansionario Ecclesiæ beati Petri Apostoli vrbis Romæ. Caput XXIIII.

Gregorius:

ADuc superſunt aliqui, qui Theodorum eius Ecclesiæ custodem nouerunt, euius narratione innotuit res, quæ ei contigit valde memorabilis. Quòd quadam nocte dum citius ad meliorandа iuxta ianuam lumina surrexisset, ex more ligneis gradibus sub lampade positus stabat, & lampadis refouebat lumen. Tunc repentè beatus Petrus Apostolus in stola candida deorsum in patiimento constitit, eíque dixit: Colliberte quare tam citius surrexisti? Quo dicto ab oculis aspicientis euanuit, sed tantus in eum pauor irruit, vt tota in illo corporis virtus deficeret, & per dies multos de stratu suo surgere non valeret. Qua in re quid idem beatus Apostolus seruientibus sibi voluit, nisi præsentia sui respectus ostendere, quia quicquid pro eius veneratione agerent, ipse hoc pro mercede retributionis sine intermisione semper videret.

Theodoro beatus Petrus apparuit.

Petrus:

MIhi hoc non tam apparet mirum quia visus est, sed quia is qui eum vidit, cùm sanus esset, ægrotauit.

Gregorius:

QVid super hac re miraris Petre? Nunquidnam menti excidit, quia cùm Daniel propheta magnam illam ac terribilem visionem vidit, ex qua etiam visione contremuit, protinus adiunxit: Et ego elangui & ægrotaui per dies plurimos. Caro enim ea quæ sunt spiritus, capere non valet, & idcirco nonnunquam cùm mens humana vltra se ad videndum ducitur, necesse est vt hoc carneum vasculum quod ferre talenti pondus non valet infirmetur. Petrus:

Danie. 8.

De Abundio mansionario Ecclesiæ beati Petri. Caput XXV.

Gregorius:

ALius hic non ante longa tempora (sicut nostri seniores referunt) custos Ecclesiæ † Abundius dictus est, magnæ humilitatis atque grauitatis vir, ita omnipotenti Deo fideliter seruiens: vt idem beatus Petrus Apostolus signis ostenderet quam de illo haberet æstimationem. Nam cùm quædã puella paralytica in eius Ecclesia permanens, manibus reperet, & dissolutis renibus corpus per terram traheret: diúque ab eodem beato Petro Apostolo peteret, vt sanari mereretur, nocte quadam ei per visionem astitit, & dixit: Vade ad Abundium mansionarium & roga illum, atque ipse tibi salutem restituet. Cúmque illa de tanta visione certa esset, sed quis esset Abundius ignoraret, cœpit huc illúcque per Ecclesiæ loca se trahere, vt quis esset Abundius inuestigaret. Cui repentè ipse factus est obuiam quem quærebat, eíque dixit: Rogo te pater indica mihi qui est Abundius custos? Cui ille respondit: Ego sum. At illa inquit: Pastor & nutritor noster beatus Petrus apostolus ad te me misit, vt ab infirmitate ista liberare me debeas. Cui ille respondit: Si ab ipso missa es, surge. Manúmque eius tenuit, & eam in statum suum protinus erexit. Sícque ex illa hora omnes in eius corpore nerui ac mẽbra solidata sunt, vt solutionis illius signa vlterius nullа remanerẽt. Sed si cuncta quæ in eius Ecclesia gesta cognouimus, euoluere conamur, ab omniũ iam proculdubio narratione conticescimus. Vnde necesse est, vt ad modernos patres, quorum vita per Italię prouincias claruit, narratio se nostra retorqueat.

† al. Aconitius, & sic deinceps.

Abundius Ecclesiæ custos auctoritate Petri paralyticam curauit.

De monacho solitario. Caput XXVI.

NVper in Samnij prouincia quidam venerabilis vir Menas nomine, solitariam vitam ducebat, qui nostrorum multis cognitus, ante hoc ferè est decennium defunctus. De cuius operis narratione vnum authorem nõ infero: quia penè tot mihi in eius vita testes sunt, quot Samnij prouinciam nouerunt. Hic itaq; nihil ad vsum suum aliud, nisi pauca apiũ vascula possidebat. Huic cùm Longobardus quidem in eiusdem apibus rapinam voluisset ingerere, prius ab eodem viro verbo correptus est, & mox per malignum spiritum ante eius vestigia vexatus. Qua ex re factum est, vt sicut apud omnes incolas, ita etiam apud eandem barbaram gentem eius celebrare nomen haberetur, nullúsque vltrà præsumeret eius cellulam, nisi humilis intrare. Sæpe verò ex vicina sylua venientes vrsi, apes eius comedere conabantur. Quos ille deprehensos, ferula quam portare manu consueuerat, cædebat. Ante cuius verbera immanissimæ bestiæ rugiebant & fugiebant. Et quæ gladios formidare vix poterant, ex eius manu ictus ferulæ pertimescebant. Huius studium fuit, nihil in hoc mundo habere, nihil quærere: omnes qui ad se charitatis causa veniebant, ad æternæ vitæ desideria accendere. Si quando autem quorumlibet culpas agnosceret, nunquam ab increpatione parceret, sed amoris igne succensus, studebat in eis vehementer per linguam sæuire. Consuetudinẽ verò vicini vel longè positi eiusdem loci accolæ fecerant, vt diebus † certis per hebdomadã vnusquisque ei oblationes suas transmitteret, vt esset quod ipse ad se veniẽtibus offerre potuisset. Quodam verò tẽpore possessor quidã Carterius nomine, immundo desiderio deuictus, quandã sanctimonialẽ fœminã rapuit, sibique illicito matrimonio cõiunxit. Quod mox vt vir Domini cognouit, ei per quos potuit, quæ fuerat dignus audire, mandauit. Cúmque ille sceleris sui conscius timeret, atque ad virum Dei nequaquam accedere præsumeret, ne fortè hũc asperè vt delinquentes solebat increparet, fecit oblationes suas, easq; inter oblationes aliorum misit, vt eius munera saltem nesciẽdo susciperet. Sed cùm coram eo fuissent oblationes omnium deportatæ, vir Dei tacitus sedit, sigillatim omnes considerare studuit, & omnes alias eligẽs atque seorsum ponens, oblationes quas idem Carterius trãsmiserat, cognouit per spiritum, spreuit atque abiecit dicens: Ite & dicite ei: Oblationem suam omnipotenti Domino abstulisti, & mihi tuas oblationes transmittis? ego oblationem tuam non accipio: quia suam abstulisti Deo. Qua ex re factum est, vt præsentes quosque magnus timor inuaderet, cùm vir Domini tã scienter

Menas vrsos ferula de apibus suis fugauit

† al. fugitis.

Menas oblationem Carterij in spiritu cognouit.

scienter de absentibus iudicaret. Petrus:

MVltos horum suspicor martyrium subire potuisse, si eos tempus persecutionis inuenisset.

Gregorius:

DVo sunt Petre martyrij genera, vnũ in occulto, alterum quoque in publico. Nam etsi persecutio desit exterius, martyrij meritum in occulto est, cùm virtus ad passionem prompta flagrat in animo. Quia enim esse possit & sine aperta passione martyrium, testatur in Euangelio Dominus: qui Zebedæi filiis adhuc præ infirmitate mentis maiora sessionis loca quærentibus dicit: Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Cui videlicet cùm responderent, Possumus: ait: vtrisque: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis. Quid autem calicis nomen, nisi passionis poculum signat? Et cùm nimirum constet, quia Iacobus in passione occubuit. Ioannes verò in pace Ecclesiæ quieuit, incunctanter colligitur esse & sine aperta passione martyrium, quando & ille calicem Domini bibere dictus est, qui ex persecutione mortuus non est. De his autem talibus tantisque viris quorum superius memoriam feci, cur dicamus quia si persecutionis tempus extitisset, martyres esse potuissent: quia occultè antiqui hostis insidias tolerantes, fuósque in hoc mũdo aduersarios diligentes, cunctis carnalibus desideriis resistentes, per hoc quòd se omnipotẽti Deo in corde mactauerũt, etiã pacis tempore martyres fuerunt: dum nostris modò temporibus viles quoque & secularis vitæ personas, de quibus nil cœlestis gloriæ præsumi posse videbatur, oborta occasione contigit ad martyrij coronas peruenisse?

Martyrij duo genera.

Matth. 20. Ibidem.

Martyres pacis tempore.

De quadraginta rusticis, qui pro eo quòd carnes comedere immolatitias noluerunt, à Longobardis occisi sunt. Caput XXVII.

NAm ante hos fermè annos quindecim, sicut hi testantur qui interesse potuerunt, quadraginta rustici à Longobardis capti, carnes immolatitias comedere compellebantur. Qui cùm valde resisterent, & contingere cibum sacrilegum nollent, cœpere Longobardi qui eos tenuerant nisi immolata comederent, mortem eis minari. At illi æternam potius vitam, quàm præsentem ac transitoriam diligentes, firmiter perstiterunt, atque in sua constantia simul omnes occisi sunt. Quid itaque isti, nisi veritatis martyres fuerunt, qui ne, vetitum comedendo, conditorem suum offenderent, elegerunt gladiis vitam finire?

xl. rustici à Longobardis occisi.

De multitudine captiuorum, qui pro eo quod caput capræ adorare noluerunt, occisi sunt. Caput XXVIII.

EOdem quoque tempore dum ferè † quadraginta captiuos alios Longobardi tenuissent, more suo immolauerunt caput capræ diabolo, hoc ei per circuitum currentes, & carmine infando dedicantes. Cúmque illud ipsi prius submissis ceruicibus adorarẽt, eos quoq;, quos ceperãt, hoc adorare pariter compellebant. Sed ex eisdem captiuis maxima multitudo magis eligens moriẽdo ad vitã immortalẽ tẽdere, quã adorando vitã mortalẽ tenere: obtẽperare iussis sacrilegis noluit, & ceruicem quam semper creatori flexerat, creaturæ inclinare contempsit. Vnde factum est, vt hostes qui eos ceperant, graui iracundia accensi, cunctos gladiis interficerent, quos in errrore suo participes non haberẽt. Quid ergo mirum si erumpente persecutionis tempore illi martyres esse potuissent, qui in ipsa quoque pace Ecclesiæ semetipsos semper affligendo, angustam martyrij tenuerunt viã, quando ingruente persecutionis articulo hi etiam meruerunt martyrij palmas accipere, qui in pace Ecclesiæ latas huius seculi vias sequi videbantur? Nec tamen hoc quod de eisdem electis dicimus viris, de cunctis iam quasi in regula tenemus. Nam cùm persecutionis apertè tempus irruit, sicut plerique martyrium subire possunt, qui esse in pace Ecclesiæ despicabiles videntur: ita nonnunquam in debilitatis formidinem corruunt, qui in pace Ecclesiæ prius fortiter stare videbantur. Sed eos de quibus prędiximus fieri martyres potuisse fidenter fatemur: quia hoc iam ex eorum fine colligimus. Cadere enim nec in aperta persecutione poterãt hi de quib' cõstat, quia & vsque ad finem vitæ in occulta animi virtute perstiterunt. Petrus:

† al. quadringentos.

Christicolarum multitudo à paganis occisa.

VT asseris ita est: sed super indignos nos diuinæ misericordiæ dispensationem miror, qui Longobardorum sæuitiam ita moderatur, vt eorum sacerdotes sacrilegos qui esse se fidelium quasi victores vident, orthodoxorum fidem persequi minimè permittat.

De Ariano episcopo cæcato. Caput XXIX.

Gregorius:

HOc Petre facere plerunque conati sunt, sed eorum sæuitiæ miracula superna restiterũt. Vnde vnum narro quod per Bonifacium monasterij mei monachum, qui vsque ante quadriennium cum Longobardis fuit, adhuc ante triduum agnoui. Cùm ad Spolitanam vrbem Longobardorum episcopus, scilicet Arianus venisset, & locum illic vbi solennia sua ageret non haberet, cœpit ab eius ciuitatis episcopo Ecclesiã petere, quam suo errori dedicaret. Quod dum valde episcopus negaret, idem qui venerat Arianus beati Pauli Apostoli Ecclesiam illic cõminus sitam se die altero violenter intiaturum esse professus est. Quod eiusdem Ecclesiæ custos audiẽs festinus cucurrit, Ecclesiam clausit, seris muniuit. Facto autem vespere lampades omnes extinxit, séque in interioribus abscondit. In ipso autem subsequentis lucis crespusculo Arianus episcopus collecta multitudine aduenit, clausas Ecclesiæ ianuas effringere paratus. Sed repentè cunctæ simul portæ diuinitùs concussæ abiectis longius seris apertæ sunt, atque cum magno sonitu omnia Ecclesiæ claustra patuerunt. Effusò desuper lumine omnes quæ extinctæ fuerant lampades accensæ sunt. Arianus verò episcopus qui vim facturus aduenerat, subita cæcitate percussus est, atque alienis iam manibus ad suum habitaculum reductus. Quod dum Longobardi in eadem regione positi omnes agnoscerent, nequaquam vlterius præsumpserunt catholica loca temerare. Miro enim modo res gesta est, vt quia eiusdem Ariani causa lampades in Ecclesia beati Pauli fuerant extinctæ, vno codémque tempore & ipse lumen perderet, & in Ecclesiam lumen rediret.

Arianus episcopus Longobardorum episcopus.

Arianus episcopus cæcitate percussus est.

De Arianorum Ecclesia, quæ in Romanã vrbe catholica consecratione dedicata est. Caput XXX.

SEd neque hoc sileam quod ad eiusdem Arianæ hæreseos damnationem in hac quoque vrbe ante biennium pietas superna monstrauit. Ex his quiippe quæ narro, aliud populus agnouit, aliud autem sacerdos & custodes Ecclesię se audisse & vidisse testatur. Arianorum Ecclesia in regione vrbis illius quæ Subura dicitur, cùm clausa vsque ante biennium remansisset: placuit vt in fide catholica introductis illic beati † Stephani & sanctæ † Marthæ martyrum reliquiis dedicari debuisset: quod factum est. Nam cum magna populi multitudine venientes, atque omnipotenti Domino laudes canentes: eandem Ecclesiam ingressi sumus. Cúmque in ea iam missarum solennia celebrarentur, & præ eiusdem loci angustia populi se turba comprimeret, quidem ex his qui extra sacrarium stabant, porcum subitò intra suos pedes huc illúcque discurrere senserunt. Quem dum vnusquisque sentiret, & iuxta se stantibus indicaret, idem porcus Ecclesiæ ianuas petiit, & omnes per quos transiit, in admirationem commouit: sed videri à nullo potuit, quanuis sentiri potuisset. Quod idcirco diuina pietas ostendit, vt cunctis patesceret, quia de loco eodem immundus habitator exiret. Peracta igitur celebratione missarum recessimus, sed adhuc nocte eadem magnus in eiusdem Ecclesiæ tectis strepitus factus est, ac si in eis aliquis errãdo discurreret. Sequenti autem nocte grauior sonitus excreuit, ac subitò tanto terrore insonuit, ac si omnis illa Ecclesia à fundamentis fuisset euersa, & protinus recessit, & nulla illic vlterius inquietudo antiqui hostis apparuit, sed per terroris sonitum quem fecit, innotuit quòd à loco quem diu tenuerat coactus exiebat. Post paucos verò dies in magna serenitate aëris super altare eiusdem Ecclesiæ nubes cœlitus descẽdit, suóque illud velamine operuit, omnémque Ecclesiam tãto terrore ac suauitatis odore repleuit, vt patentibus ianuis nullus illic presumeret intrare. Sacerdos quoq; & custodes, & hi qui ad celebranda missarũ solennia venerant, rem videbãt, ingredi minimè poterãt, & suauitatẽ mirifici odoris trahebãt.

de corr. dist. 1. Arianorum.

† al. Sebastiani.

† al. Agatha.

Porcus inuisibilis ex ecclesia Arianorũ exit.

Nubes cœlitus ascendit super aram.

Lampades diuinitus accensæ.

Die verò alio cùm in ea lampades sine lumine deprehenderent, emisso diuinitùs lumine sunt accensæ. Post paucos iterum dies cùm expletis missarum solenniis extinctis lampadibus custos ex eadem Ecclesia egressus fuisset, post paululum intrauit, & lampades quas extinctas reliquerat, lucentes reperiit. Quas negligenter extinxisse se credens, eas iam sollicitus extinxit, & exiens Ecclesiam clausit. Sed post horarum trium spatium regressus lucentes lampades quas extinxerat iterum accensas inuenit, vt videlicet ex ipso lumine apertè clarescceret, quia locus ille à tenebris ad lucem venisset.

Petrus:

ET si in magnis sumus tribulationibus positi, quia tamen à conditore nostro non sumus omnino despecti, testantur ea quæ audio eius stupenda miracula.

Gregorius:

QVanuis sola quæ in Italia gesta sunt narrare decreuerã, vtinc tamen vt pro ostendenda eiusdem Arianæ hæreseos damnatione transeamus verbo ad Hispanias, atque inde per Africam ad Italiam redeamus? Petrus:

Perge quò libet. Nam lætus ducor, lætus reducor.

De Ermigildo rege Liuigildi Vuisigothorum regis filio, pro fide catholica ab eodem patre suo occiso. *Caput XXXI.*

Gregorius:

SIcut multorum qui ab Hispaniarum partibus veniunt, relatione cognouimus, nuper Ermigildus rex Liuigildi regis Vuisigothorum filius ab Ariana hæresi ad fidem catholicam viro reuerentissimo Leãdro † Spolitano episcopo dudum mihi in amicitiis familiariter iuncto prædicante, conuersus est. Quem pater Arianus vt ad eandem hæresin redifet, & præmiis suadere, & minis terrere conatus est. Cúmque ille constantissimè responderet nunquã se veram fidem posse relinquere quam semel agnouisset, iratus pater eum priuauit regno, rebúsq; expoliauit omnibus. Cúmque nec sic virtutem mentis illius emollire valuisset, in arcta illum custodia concludens, collum manúsque illius ferro ligauit. Cœpit itaque idem Ermigildus rex iuuenis terrenum regnum despicere, & sorti desiderio cœleste quærens, in ciliciis vinculatus iacens, omnipotenti Deo ad confortandum se preces effundere, tantóque sublimius gloriam transeuntis mundi despicere, quantò & religatus agnouerat nil fuisse quod potuerit auferri. Superueniente autem paschalis festiuitatis die, intempestæ noctis silentio ad eum perfidus pater Arianum episcopum misit, vt ex eius manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet, atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed vir Deo deditus Ariano episcopo venireti exprobrauit vt debuit, eiúsque à se perfidiam dignis increpationibus repulit: quia etsi exterius iacebat ligatus, apud se tamẽ in magno mentis culmine stabat securus. Ad se itaque reuerso episcopo, Arianus pater infremuit, statímque suos apparitores misit, qui constantissimum confessorem Dei illic vbi iacebat occiderent: quod & factum est. Nam mox vt ingressi sunt, securem cerebro eius infigentes, vitam corporis abstulerunt, hócque in eo valuerunt perimere quod ipsum quoque qui peremptus est in se constiterat despexisse. Sed pro ostendenda vera eius gloria, superna quoque non defuere miracula. Nam cœpit in nocturno silentio psalmodiæ cantus ac corpus eiusdem regis & martyris audiri: atque ideo veraciter regis, quia & martyris. Quidam etiam ferunt, quòd illic nocturno tempore accensæ lampades apparebant: vnde & factum est quatenus corpus illius, vt videlicet martyris, iure à cunctis fidelibus venerari debuisset. Pater verò perfidus & patricida, commotus pœnitentia hoc fecisse se doluit, nec tamen vsque ad obtinendam salutem pertimuit. Nam quia vera esset catholica fides agnouit, sed gentis suæ timore perteritus, ad hanc peruenire non meruit. Qui oborta ægritudine ad extrema perductus est, & Leandro episcopo quem prius vehementer afflixerat: Richaredum regem filium suum quẽ in sua hæresi reliquerat, commendare curauit, vt in ipso quoque talia faceret, qualia & in fratre suis exhortationibus fecisset. Qua commendatione expleta, defunctus est. Post cuius mortem Richaredus rex non patrem perfidum, sed fratrem martyrem sequens, ab Arianæ hæreseos prauitate conuersus est, totam quoque Vuisigothorum gentem ita ad veram perduxit fidem, vt nullum in suo regno militare permitteret, qui regni Dei hostis existere per hæreticam prauitatem non timeret. Nec mirum quòd veræ fidei prædicator factus est, qui frater est martyris, cuius hunc quoque merita adiuuant, vt ad omnipotentis Dei gremium tam multos reducat. Qua in re considerandum nobis est, quia totum hoc agi nequáquam posset, si Ermilgildus rex pro veritate mortuus non fuisset. Nam sicut scriptum est: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Hoc fieri videmus in membris, quod factum scimus in capite. In Vuisigothorum etenim gente vnus mortuus est vt multi viuerent, & dum vnum granum fideliter cecidit, ad obtinendam fidem animarum seges multa surrexit. Petrus:

Res mira, & nostris stupenda temporibus.

De episcopis Africanis, qui pro defensione catholicæ fidei abscissis ab Arianis Vuandalorum linguis, nullum locutionis solitæ sustinuere dispendium. *Caput XXXII.*

Gregorius:

IVstiniani quoque Augusti temporibus, dum contra catholicorum fidem exorta à Vuandalis persecutio Ariana in Africa vehementer insaniret, quidam in defensione veritatis episcopi fortiter persistentes, ad medium sunt deducti. Quos Vuandalorum rex verbis ac muneribus ad perfidiam flectere non valens, tormentis frangere posse se credidit. Nã cùm eis in ipsa defensione veritatis silentium indiceret, nec tamen ipsi contra perfidiam tacerent, ne tacendo forsitan consensisse viderentur, raptus in furorem eorum linguas abscindi radicitus præcepit. Res mira & multis nota senioribus: quia ita pro defensione veritatis etiam sine lingua loquebantur, sicut prius loqui per linguam consueuerant. Petrus:

Mirandum valde & vehementer stupendum.

Gregorius:

SCriptum Petre est de vnigenito summi patris: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. De cuius etiam virtute subiungitur: Omnia per ipsum facta sunt. Quid igitur miramur si verba edere sine lingua potuit verbum quod fecit linguam? Petrus:

Placet quod dicis. Gregorius:

HIitaque eo tempore profugi ad Constantinopolitanam vrbem venerunt. Eo quoque tempore quo pro explẽdis responsis Ecclesiæ ad principem ipse transmissus sum, seniorem quendam episcopum reperi, qui se adhuc eorum ora sine linguis loquentia vidisse testabatur, ita vt apertis oribus clamarent: Ecce videte, quia linguas non habemus, & loquimur. Videbatur enim à respicientibus vt ferebat, quia abscissis radicitus linguis, quasi quoddam barathrũ patebat in gutture: & tamen ore vacuo plena ad integrum verba formabantur. Quorum illic vnus in luxuriam lapsus mox priuatus est dono miraculi, recto videlicet omnipotentis Dei iudicio: vt qui carnis continentiam seruare neglexerat, sine lingua carnea non haberet verba veritatis. Sed hæc nos pro Arianæ hęreseos damnatione dixisse sufficiat: nunc ad ea quæ nuper in Italia gesta sunt signa, redeamus.

De Eleutherio seruo Dei. *Caput XXXIII.*

IS autem (cùius superius memoriam feci) Eleutherius pater monasterij beati Euangelistæ Marci, quod in Spolitanæ vrbis pomeriis situm est, diu mecum est in hac vrbe in meo monasterio cõuersatus, ibíque defunctus est. Quem sui discipuli referebant plorando mortuum suscitasse. Vir autem tantæ simplicitatis erat & cõpunctionis, vt dubiũ nõ esset, quòd illæ lachrymæ ex tam humili simplicíque mente editæ, apud omnipotentẽ Deum multa obtinere potuissent. Huius ergo aliquod miraculũ narrabo, quod inquisitus mihi simpliciter & ipse fatebatur. Quadã nanque die dum iter carperet, facto vespere cùm ad fecedẽdũ locus deesset, in monasterium virginum deuenit, in quo quidã puer paruulus erat, quem malignus spiritus omni nocte vexare consuerat. Sed sanctimoniales

† al. Hispalitano.

24. quæst. 1. Cœpit Ermilgildus.

Can. 1. quæst 1. c. Superueniente.

Pater filium vita priuauit.

Ermigildi regis in morte miracula.

Richardus rex fratrem Ermigildũ secutus est.

Ioan. 12.

Mortuus est vnus, vt multi viuerent.

Vnus episcoporum in luxuriã lapsus, dono miraculi priuatur.

Episcopi lingua priuati, loquelam non amiserunt.

Ioan. 1.

Ibidem.

Eleutherius plorando mortuum re suscitauit.

niales fœminæ vt virum Dei susceperunt, eum rogauerunt dicẽtes: Tecum pater hac nocte puer iste maneat. Quem ipse benignè suscepit, secúmque eum nocte eadem iacere permisit. Facto autem mane cœperunt sanctimoniales fœminæ eũdem patrem vigilanter inquirere, si quid ei puer quem dederant nocte eadem fecisset. Qui miratus cur ita requirerent, respondit: Nihil. Tunc illæ eiusdem pueri innotuerunt causam: & quòd malignus spiritus nulla ab eo nocte recederet, indicauerunt, summopere postulãtes, vt hunc secum ad monasterium tolleret: quia iam vexationem illius videre ipsę nõ possent. Consensit senex, puerum ad monasterium duxit. Qui cùm multo tempore in monasterio fuisset, atque ad hũc antiquus hostis accedere minimè præsumpsisset, eiusdem senis animus de salute pueri immoderatius per lætitiam tactus est. Nam coram positis fratribus dixit: Fratres, diabolus sibi cum illis fororibus iocabatur: at verò vbi ad seruos Dei ventum est, ad hunc puerum accedere non præsumpsit. Postquam vocem emisit, hora eadem ac momento idem puer coram cunctis fratribus diabolo se inuadente vexatus est, quo viso senex se protinus in lamentum dedit. Quem dum lugẽtem diu fratres consolari voluissent, respondit dicens: Credite mihi, quia in nullius vestrum ore hodie panis ingreditur, nisi puer iste à dæmonio fuerit ereptus. Tunc se in orationẽ cum cunctis fratribus strauit, & eousque oratum est, quousque puer à vexatione sanaretur. Qui tam perfectè sanatus est, vt ad hunc malignus spiritus accedendi ausum vlterius non haberet. Petrus:

CRedo quòd ei elatio parua surrepserat, sed eius discipulos omnipotens Deus facti illius esse voluit adiutores.

Gregorius:

ITa est. Nam quia pondus miraculi solus portare non potuit, diuisit hoc cum fratribus & portauit. Huius viri oratio quantæ virtutis esset, in memetipso expertus sum. Nam cùm quodam tempore in monasterio positus incisionem vitalium paterer, crebrísque angustiis per horarum momenta ad exitum propinquarẽ (quam medici molestiã Græco eloquio syncopin vocãt) & nisi me frequẽter fratres cibo reficerent, vitalis mihi spiritus funditùs intercidi videretur: paschalis superuenit dies. Et cùm sacratissimo sabbato in quo omnes & paruuli pueri iciunãt, ego ieiunare nõ possem, cœpi plus mœrore quàm infirmitate deficere. Sed tristis animus consilium citius inuenit, vt eundem virum Dei secreto in oratorium ducerem, eúmque peterem, quatenus mihi vt die illo virtus ad ieiunandum daretur, suis apud omnipotentem Dominum precibus obtineret: quod & factũ est. Nam mox vt oratorium ingressi sumus, humiliter sese cum lachrymis in orationem dedit, & post paululum completa oratione exiit, & ad vocem benedictionis illius, virtutem tantam meus stomachus accepit, vt mihi funditùs à memoria tolleretur cibus & ægritudo. Cœpi mirari quis essem, quis fuerim: quia & cũ ad animum redibat infirmitas, nihil in me ex his quæ memineram recognoscebam. Cúmque in dispositione monasterij mẽs occupata fuisset, obliuiscebar funditùs ægritudinis mę. Si verò (vt prædixi) rediret ægritudo ad memoriam, cùm tãtorem me esse sentirem, mirabar si non comedissem. Qui ad vesperam veniens, tantæ me fortitudinis inueni, vt si voluissem, ieiunium vsque ad diem alterum transferre potuissem. Sícque factum est, vt in me probarem ea etiam de illo vera esse, quibus ipse minimè interfuissem. Petrus:

QVia eundem virum magnæ compunctionis fuisse dixisti, ipsam lachrymarum vim largius addiscere cupio. Vnde quæso, vt quot sunt genera compunctionis mihi edisseras.

Quod sunt compunctionis genera. *Caput XXXIIII.*

Gregorius:

IN multas species compunctio diuiditur, quando singulæ quæque à pœnitentibus culpæ planguntur. Vnde ex voce aliquod pœnitẽtium Hieremias ait: Diuisiones aquarum deduxit oculus meus. Principaliter verò compunctionis genera duo sunt: quia Deũ sitiens anima prius timore compungitur, pòst amore. Prius enim sese in lachrymis afficit, quia dũ malorum suorũ recolit, pro his perpetiętęrna supplicia pertimescit. At verò cùm lõga mœroris anxietate fuerit formido cõsumpta, quædam iam de præsumptione veniæ securitas nascitur, & in amore cœlestium gaudiorum animus inflãmatur: & qui prius flebat ne duceretur, ad supplicium, postmodũ amarissimè flere incipit, quia differtur à regno. Contemplatur etenim mens qui sint illi angelorum chori, quæ ipsa societas beatorum spirituum, quę maiestas æternę visionis Dei: & amplius plangit quia à bonis perennibus deest, quàm fleuit prius cum mala æterna metuebat. Sícque fit vt perfecta compũctio formidinis tradat animum cõpunctioni dilectionis. Quòd bene in sacra veracíque historia figurata narratione describitur quę ait quòd Axa filia Caleph sedens super asinum suspirauit. Cui dixit pater suus: Quid habes? At illa respõdit. Da mihi benedictionem: terrã Australem & arentem dedisti mihi, iunge & irriguam. Dedítque ei pater suus irriguum superius, & irriguum inferius. Axa quippe super asinum sedet, cùm irrationabilibus carnis suæ motibus anima præsidet. Quę suspirãs à patre terram irriguam petit: quia à creatore nostro cum magno gemitu quęrenda est lachrymarũ gratia. Sunt nanque nõnulli, qui iã in dono perceperũt liberè pro iustitia loqui, oppressos tueri, indignãtibus possessa tribuere, ardorem fidei habere, sed adhuc gratiam lachrymarum nõ habent. Hi nimirum terram Australem & arentem habẽt, sed adhuc irrigua indigent: quia in bonis operibus positi in quibus magni atque feruẽtes sunt, oportet nimirum vt aut timore supplicij, aut amore regni cœlestis mala etiã quæ antea perpetrauerunt, deplorent. Sed quia (vt dixi) duo sunt compunctionis genera, dedit ei pater suus irriguum superius, & irriguum inferius. Irriguum quippe superius accipit anima, cùm sese in lachrymis cœlestis regni desiderio affligit. Irrriguum verò inferius accipit, cùm inferni supplicia flendo pertimescit. Et quidem prius inferius, ac post irriguum superius datur. Sed quia compunctio amoris dignitate pręeminet, necesse fuit vt prius irriguum superius, & pòst irriguum inferius commemorari debuisset. Petrus:

PLacet quod dicis: Sed postquam hunc venerandæ vitæ Eleutherium huius meriti fuisse dixisti, libet inquirere si nunc in mundo esse credendum est aliquos tales.

De Amantio presbytero prouinciæ Thusciæ.

Caput XXXV. Gregorius:

FLoridus † Tudertinæ Ecclesiæ episcopus, cuius veritatis atque sanctitatis est, dilectioni tuæ incognitum non est. Hic mihi esse apud se presbyterum quendam Amantium nomine pręcipuæ simplicitatis narrauit, virum quem hoc habere virtutis perhibet: vt Apostolorum more manum super ægros ponat, & salutem restituat: & quantumlibet vehemẽs ægritudo sit, ad tactũ illius abscedat. Quem hoc etiam habere miraculi adiũxit: quia in quolibet loco quanuis immanissimę asperitatis serpentem reperiret: mox vt eum signo crucis signauerit, extinguit, ita vt virtute crucis quam vir Dei digito edidérit, diruptis visceribus moriatur. Quem si quando serpens in foramine fugerit, signo crucis os foraminis benedicit: statímque ex foramine serpens iam mortuus trahitur. Quem tantæ virtutis virum ipse etiam videre curaui, eúmque ad me deductum in infirmorum domo paucis diebus manere volui, vbi, siqua adesset curationis gratia, citius probari potuisset. Ibi autem quidam inter ægros alios mente captus iacebat, quem medici Græco vocabulo phreneticum appellant. Qui nocte quadam cùm magnas voces (scilicet vt insanus) ederet, cunctósque ægros immensis clamoribus perturbaret: ita vt nulli illic capere somnum liceret, fiebat res valde mirábilis: quia vnde vnus malè, inde omnes deterius habebant. Sed sicut & prius à reuerentissimo Florido episcopo qui tunc cum prędicto presbytero illic pariter manebat: & pòst à puero qui nocte eadem ægrotantibus seruiebat, subtiliter agnoui, idem venerabilis presbyter de proprio stratu surgens ad lectum phrenetici silenter accessit, & super eũ positis manibus orauit. Móxque illũ melius habentẽ tulit, atque in superiora domus secũ ad oratoriũ duxit: vbi pro eo liberius orationi incubuit, & statim eum sanum ad lectum propriũ reduxit: ita vt nullas vlterius voces ederet, nec iam ægrotorum quempiam aliquo clamore perturbaret, nec iam ægritudinem auxit alienam: qui perfectè receperat mentem suam. Ex quo eius vno facto didicimus, vt de eo illa omnia audita crederemus. Petrus:

Eleutherius orando impetrauit vt Gregorius ieiunare posset.

Puer obsessus his ab eodẽ sanatus est.

Eleutherius lachrymando Gregoriũ curauit.

Thren. 3. Cõpunctionis genera.

Gratia lachrymarũ à bonis expetenda.

† al. Tiburtina.

Amantius solo contactu ægros curauit.

Amantius signo crucis serpentes necat.

Amantius phreneticũ curauit.

Petrus.

MAgnæ vitæ ædificatio est videre viros tam mira facientes, atque in ciuibus suis Hierusalem cœlestem in terra conspicere.

De Maximiniano Syracusanæ ciuitatis episcopo.

Caput XXXVI. Gregorius.

NEque hoc silendum puto quod omnipotens Deus super Maximinianum famulum suum nunc Syracusanum Episcopum, nunc autem mei monasterij patrem dignatus est monstrare miraculum. Nam dum iussione pontificis mei in Constantinopolitanæ vrbis palatio responsis Ecclesiasticis deseruirent: illuc ad me idem venerabilis Maximinianus charitate exigẽte cum fratribus venit. Qui cùm ad monasterium meum Romam rediret, in mari Adriatico nimia tempestate deprehensus, inæstimabili ordine atq; inusitato miraculo erga se cunctósque qui cum eo aderant, omnipotentis Dei & iram cognouit & gratiam. Nam cùm in eorum morte ventorum nimietatibus eleuati fluctus fæuirent, ex naui clauis perditis arbor abscissa est, vela in vndis proiecta, totúmque vas nauis quassatum nimiis fluctibus, ab omni fuerat sua compage dissolutum. Rimis itaque parentibus intrauit mare, atque vsque ad superiores tabulas impleuit nauem, ita vt non tam nauis intra vndas, quàm vndę iam intra nauem esse viderentur. Tunc in eadem naui residentes non iam ex morte vicina, sed ex ipsa eius præsentia ac visione turbati omnes, sibimet pacem dederunt, corpus & sanguinem Redemptoris acceperunt, Deo se singuli commendantes: vt eorum animas benignè susciperet, quorum corpora in tam pauenda morte tradiderat. Sed omnipotens Deus qui eorum mentes mirabiliter terruit, eorum quoque vitam mirabilius seruauit. Nam diebus octo nauis eadem vsque ad superiores tabulas aquis plena iter proprium peragens enatauit. Nono autem die in Cothronensis castri portum deducta est. Ex qua exierũt omnes incolumes, qui cum prædicto venerabili viro Maximiniano nauigabant. Cúmque post eos ipse quoque fuisset egressus, mox in eiusdem portus profundum nauis demersa est: ac si illis egredientibus præ pondere subleuatione caruisset, & quæ plena hominibus in pelago aqua portauerat, atque notauerat: Maximiniano cũ suis fratribus recedente, aqua sine hominibus in portu non valuit portare, vt hinc omnipotens Deus ostenderet; quia hanc onustam sua manu tenuerat, quæ ab hominibus vacua & derelicta super aquas non potuit manere.

Naus aqua plena ad portum peruenit.

Maximiniani miraculum.

De Sanctulo presbytero prouinciæ Nursiæ.

Caput XXXVII.

ANte hos dies quoque ferè xl. vidisti apud me eum, cuius superius memoriam feci, venerabilis vitæ presbyterum Sanctulum nomine, qui ad me ex Nursiæ prouincia annis singulis venire consueuit. Sed ex eadem prouincia quidam monachus ante triduum venit, qui grauis nuntij mœrore me perculit, qui eundem virum obiisse nuntiauit. Huius ergo viri etsi non sine gemitu dulcedinis recolo, iam tamen sine formidine virtutes narro, quas à vicinis eius sacerdotibus mira virtute & simplicitate præditis agnoui. Et sicut inter amantes se animos hominum magnum charitatis familiaritas [illegible] præbet, à me plerumque ex dulcedine exactus, ipse quoque de his quæ egerat, extrema quædam fateri cogebatur. Hic námque quodam tempore cùm in prælo Longobardi oliuam premerent, vt oleum liquari debuisset: sicut iucundus erat & vultu & animo, vtrem vacuum ad prælum detulit, laborantésque Longobardos læto vultu salutauit, vtrem protulit, & iubendo potius quàm petendo eum impleri sibi dixit. Sed gentiles viri qui tota iam die frustra laborauerant, atque ab oliuis exigere oleum torquendo non poterant, verba illius molestè susceperunt, eúmque iniuriis insectati sunt. Quibus vir Domini lætiori adhuc vultu respondit, dicens: Si pro me oretis, istum vtrem Sanctulo impleatis, & sic à vobis reuertetur. Cúmque illi ex oliuis oleum defluere non cernerẽt, & virum Dei ad implendum vtrem sibi insistere viderent, vehementer accensi, maioribus hunc verborum contumeliis detestari cœperunt. Vir autem Dei videns quòd ex prælo oleum nullo modo exiret, aquam sibi dari petiit, quam cunctis videntibus benedixit, atq; in prælum suis manibus iactauit. Ex qua protinus benedictione tanta vbertas olei erupit, vt Longobardi qui prius diu incassum laborauerant, non solum sua vascula omnia, sed vtrem quoque quem vir Dei detulerat implentes, gratias agerent: quia is qui oleum petere venerat, benedicendo dedit quod postulabat.

Sanctulus aquã benedicẽdo in oleũ conuertit.

ALio quoque tempore vehemens vbique fames incubuerat, & beati Laurentij martyris Ecclesia fuerat à Longobardis incensa. Quem vir Dei restaurare cupiens, artifices multos ac plures subministrantes operarios adhibuit, quibus necesse erat vt quotidiani sumptus laborãtibus sine dilatione præberentur. Sed exigente eiusdem famis necessitate panis defuit, cœperũntque laborantes instanter victum quærere: quia vires ad laborem per inopiam non haberent. Quod vir Dei audiens, eos verbis consolabatur foris promittendo quod deerat, sed ipse grauiter anxiabatur intus, exhibere cibum non valens, quod promittebat. Cùm verò huc illúcque anxius pergeret, deuenit ad clibanum in quo vicinæ mulieres pridie panes coxerant, ibique incuruatus aspexit, ne fortè panis à coquentibus remansisset. Tunc repẽte panem miræ magnitudinis, atque insoliti candoris inuenit: quem quidem tulit, sed deferre artificibus noluit, ne fortasse alienus esset, & culpam velut ex pietate perpetraret. Per vicinas itaque hunc mulieres detulit, eúmque omnibus ostendit, ac ne cui earum remansisset, inquisiuit. Omnes autem quæ pridie panem coxerant, suum hunc esse negauerunt, atque panes suos numero integro se à clibano retulisse professæ sunt. Tunc lætus vir Domini perrexit ad multos artifices cum vno pane, & vt omnipotenti Deo gratias agerent, admonuit. Et quia eis annona præbuerat indicauit, eisq; ad refectionẽ protinus inuitatis inuentum panem apposuit. Quibus sufficiẽter plenéq; satiatis, plura ex eo quàm ipse panis fuerat fragmenta collegit. Quæ die quoque altero eis ad refectionem intulit, sed id quod ex fragmentis supererat, ipsa quoque quæ apposita fuerant fragmenta superabat. Factúmque est vt per dies decem omnes illi artifices atq; operarij ex illo pane satiati, hũc & quotidie ederent, & ex eo quotidie quod edi posset, in crastinũ superesset, ac si fragmenta panis illius per esum crescerẽt, & cibum comedentium ora repararent.

Sanctulus panẽ in clibano miraculosè repeperit.

Vnus panis pluribus sufficit decẽ diebus.

Petrus.

MIra res, atque in exemplum dominici operis vehementer omnibus stupenda.

Gregorius.

IPse Petre multos de vno pane pauit per seruũ, qui ex quinque panibus quinque milia hominum satiauit per semetipsum, qui pauca seminis grana in innumera segetum frumenta multiplicat, qui ipsa quoque semina produxit ex terra, & simul omnia creauit ex nihilo. Sed ne diutius mireris quid in virtute Domini venerandus vir Sanctulus exterius fecerit, audi ex virtute Domini qualis interius fuit. Die etenim quadam à Longobardis captus quidam diaconus tenebatur ligatus, eúmque ipsi qui tenuerant, interficere cogitabant. Adueſperascente autem die vir Dei Sanctulus ab eisdem Longobardis petiit vt relaxari, eíque vita concedi debuisset, quod posse se facere omnino negauerunt. Cúmque mortem illius deliberasse eos cerneret, petiit vt sibi ad custodiam tradi debuisset. Cui protinus responderunt: Tibi quidem eum ad custodiendum damus, sed ea conditione interposita, vt si iste fugerit, pro eo ipse moriaris. Quod vir Domini libenter accipiens, prædictum diaconum in suam suscepit fidem, quem nocte media cùm Longobardos omnes somno graui depressos aspiceret, excitauit & ait: Surge, & concitus fuge, liberet te omnipotens Deus. Sed idem diaconus promissionis eius non immemor, respõdit dicens: Fugere pater non possum: quia si ego fugero, pro me sine dubio ipse morieris. Quem vir Domini Sanctulus ad fugiendum compulit, dicens: Surge, & vade, te omnipotens Deus eripiat. Nam ego in manu eius sum, tantum in me possunt facere, quantum ipse permiserit. Fugit itaque diaconus, & quasi deceptus in medio fideiussor remansit. Facto igitur mane Longobardi qui diaconum ad custodiendum dederant venerunt, quem dederant petierunt, sed hunc venerandus presbyter fugisse respondit. Tunc illi inquiunt: Scis ipse melius quid conuenit. Seruus autem Domini constanter ait: Scio. Cui dixerunt: Bonus homo es, nolumus te per varios cruciatus mori, elige tibi mortẽ quam vis. Quibus

vis. Quibus vir Domini respondit: In manu Dei sum, ea morte me occidite, qua me occidi permiserit. Tunc omnibus qui illic aderant Longobardis placuit vt eum capite truncare debuissent, quatenus sine graui cruciatu vitã eius compendiosa morte terminarent. Cognito itaque quòd Sanctulus qui inter eos pro sanctitatis reuerẽtia magni honoris habebatur occidendus esset, omnes qui in eodem loco inuenti sunt Longobardi conuenerunt, sicut sunt nimiæ crudelitatis, læti ad spectaculum mortis. Circunstetẽrunt itaque acies. Vir autem Domini deductus in medium est, atque ex omnibus viris fortibus electus est vnus, de quo dubium non esset quin vnõ ictu caput eius abscinderet. Venerandus igitur vir inter armatos deductus, ad sua arma statim cucurrit: nam petiit vt sibi paululum orãdi licentia daretur. Cui dum concessum fuisset, in terram se strauit & orauit. Qui dum paulò diutius oraret, hunc electus interfector calce pulsauit vt surgeret, dicens: Surge, & flexo genu tende ceruicem. Surrexit autem vir Domini, genu flexit, ceruicem tetendit, sed tenso collo eductam contra se spatam intuẽs, hoc vnum publicè fertur dixisse: Sancte Ioannes suscipe illam. Tunc electus carnifex euaginatum gladium tenens, nisu forti in altum brachiũ percussurus leuauit, sed deponere nullo modo potuit, nam repente diriguit, & erecto in cœlum gladio brachium inflexibile remansit. Tunc omnis Longobardorum turba quæ ad illud mortis spectaculum aderat, in laudis fauorem conuersa mirari cœpit, virúmque Dei cum timore venerari, quia profectò claruerat cuius sanctitatis esset, qui carnificis sui brachium in aëre ligasset. Itaque postulatus vt surgeret, surrexit: postulatus vt brachium sui carnificis sanaret, negauit dicens: Ego pro eo nullo modo orabo, nisi mihi ante iuramentum dederit, quia cum ista manu Christianum hominem non occidat. Sed Longobardus, idem qui (vt ita dicam) brachium contra Deum tendendo perdiderat, pœna sua exigente compulsus est iurare se Christianum hominem nũquam occidere. Tunc vir Domini præcepit dicens: Depone manum deorsum. Qui statim deposuit, atque ilico adiunxit: Remittte gladium in vaginam. Et statim remisit. Omnes ergo tantæ virtutis hominem cognoscentes, boues & iumenta quæ deprædati fuerant, certatim ei offerre in munere volebant, sed vir Domini tale munus suscipere renuit: munus autem bonæ mercedis quæsuit, dicens: Si mihi aliquid vultis concedere, omnes captiuos quos habetis mihi tribuite, vt habeam vnde pro vobis debeam orare. Factúmque est, & omnes captiui cum eo dimissi sunt, atque superna gratia disponente, cum se vnus pro vno mori obtulit, multos à morte liberauit.

Longobardi ad spectaculum mortis læti.

Sanctulus carnificem sanauit.

Petrus:

MIra res, & quamuis hanc ab aliis & ipse cognouerim: verè tamen fateor, quia mihi quoties narratur, innouatur.

Gregorius:

NIhil in hac re in Sanctulo mireris: sed pensa si potes, quis ille spiritus fuerit, qui eius tam simplicem mentem tenuit, atque in tanto virtutis culmine erexit. Vbi enim eius animus fuit, quando mori pro proximo tam constãter decreuit, & pro temporali vita fratris vnius suam despexit, atque sub gladio ceruicem tetendit? Quæ ergo vis amoris illud cor tenuit, quòd mortem suam pro vnius salute proximi non expauit? Scimus certè quia idẽ venerabilis vir Sanctulus ipsa quoque elementa literarum bene non nouerat, legis præcepta nesciebat: sed quia plenitudo legis est charitas, legem totam in Dei ac proximi dilectione seruauit, & quod foris in cognitione non nouerat, ei intus viuebat in amore. Et qui nunquam fortasse legerat quod de redemptore Ioannes apostolus dixit, quoniam sicut ille pro nobis animã suam posuit, sic & nos debemus pro fratribus animas ponere, tam sublime apostolicum præceptum faciendo magis, quàm sciendo nouerat. Cõparemus si placet eum hac nostra indocta scientia illius doctã ignorantiam. Vbi hæc nostra iacet, ibi illius disciplina eminet. Nos de virtutibus vacui loquimur, & quasi inter fructifera arbusta positi, odoramur poma nec manducamus. Ille virtutum fructus carpere nouerat, quanuis hos in verbis odorari nesciebat.

Legis plenitudo est charitas.

1. Ioan. 3.

Petrus:

QVidnam quęso tu esse existimas, quòd boni quique subtrahuntur: & qui viuere ad ædificationem multorum poterant, aut penitus inueniri nequeunt, aut certẽ iam omni modo rarescunt?

Gregorius:

MAlitia remanentium meretur vt hi qui prodesse poterant, festinè subtrahãtur, & cùm mundi finis appropinquat, electi tolluntur, ne deteriora videãt. Hinc enim propheta ait: Iustus perit, & nemo est qui recogitet in corde suo, & viri misericordiæ colligũtur: quia non est qui intelligat. Hinc rursus scriptum est: Aperite vt exeant qui conculcent eam, tollite de via lapides. Hinc Salomon ait: Tempus mittendi lapides, & tempus colligendi. Quò igitur finis mundi vrget, eò necesse est, vt viui lapides ad ædificium cœleste colligantur, quatenus Hierusalem nostra in mensuram suæ constructionis excrescat. Nec tamen ita omnes electos subtrahi credimus, vt soli in mundo peruersi remaneant: quia nunquam peccatores ad lamentum pœnitentiæ redirent, si nulla essent bonorum exempla quæ eorum mentem traherent.

Esa. 57.

Hier. 50.

Eccles. 3.

Petrus:

IN cassum subtrahi bonos queror: quia perire cateruatim & malos video.

De visione Redempti Ferentinæ ciuitatis episcopi.

Caput XXXVIII.

Gregorius:

HAc de re nihil Petre mireris: nam Redemptum Feritinæ ciuitatis episcopum vitę venerabilis virum, qui ante hos ferè annos septem ex hoc mundo migrauit, tua dilectio cognitum habuit. Hic sicut mihi adhuc in monasterio propè posito valde familiariter iungebatur, hoc quod Ioãnis iunioris prædecessoris mei tempore de mundi fine cognouerat, sicut lõgè latéque claruerat, à me requisitus mihi ipse narrabat. Aiebat nanque quia quadam die dum parochias suas ex more circuiret, peruenit ad Ecclesiam beati Eutichij martyris. Adueſperascente autem die stratum fieri sibi iuxta sepulchrum martyris voluit, atque ibi post laborem quieuit: cùm nocte media vt asserebat, nec perfectè vigilare poterat, nec dormiebat, sed depressus vt solet somno, grauabatur quodam pondere vigilans animus: atque ante eum idem beatus martyr Eutychius astitit dicens: Redẽpte vigilas? Cui respondit: Vigilo. Qui ait: Finis venit vniuersæ carnis, finis venit vniuersæ carnis, finis venit vniuersę carnis. Post quam trinam vocem visio martyris [cum omnipotentis dei gratia] quæ mentis eius oculis apparebãt, euanuit. Tũc vir Dei surrexit, séque in orationis lamẽtum dedit. Mox enim illa terribilia in cœlũ signa secuta sunt, vt hastæ atque acies igneæ ab aquilonis parte viderẽtur. Mox effera Longobardorum gens de vagina suę habitationis educta, in nostram ceruicẽ grassata est, atque humanũ genus, quod in hac terra præ nimia multitudine quasi spissæ segetis more surrexerat, succisum aruit. Nam depopulatę vrbes, euersa castra, concrematæ Ecclesiæ, destructa sunt monasteria virorum ac fœminarum, desolata ab hominibus prædia, atque ab omni cultore destituta, in solitudine vacat terra: nullus hãc possessor inhabitat, occupauerũt bestię loca quæ prius multitudo hominũ tenebat. Et quid in aliis mundi partibus agatur ignoro. Nam in hac terra in qua nos viuimus: finem suum mũdus iam non nuntiat, sed ostendit. Tantò ergo nos necesse est instantius æterna quærere quantò ã nobis cognoscimus velociter temporalia fugisse. Despiciẽdus à nobis hic mundus fuerat, etiam si blandirẽtur, si rebus prosperis demulceret animũ. At postquam tot flagellis premitur, tanta aduersitate fatigatur, tot nobis quotidie dolores ingeminat: quid nobis aliud quàm ne diligatur clamat? Multa autem fuerant quæ adhuc de electorum factis narrare debuissem, sed hæc silentio supprimo, quia ad ad alia festino.

Mundus est despiciẽdus.

Petrus:

QVia multos intra sanctæ Ecclesiæ gremium constitutos, de vita animæ post mortem carnis perpendo dubitare, quæso vt debeas vel qua ex ratione possit agnosci, vel siqua animarum exempla animo occurrunt, pro multorum ædificatione dicere, vt hi qui suspicantur, discant cum carne animam non finiri.

Gregorius:

LAboriosum valde hoc opus est, & maximè occupato animo atque ad alia tendenti. Sed si sunt quibus prodesse

valeat, voluntatē meam proculdubio postponō vtilitati proximorū, & inquantū Deo largiēte valuero, quòd anima post carnem viuat, subsequēti hoc quarto volumine demōstrabo.

Libi tertij finis.

Capita libri quarti.

1 Vòd æterna ac spiritalia ideò à carnalibus minus credantur, quia ea quæ audiunt, per experimentum minimè nouerunt.
2 Quòd sine fide neque infidelis viuat.
3 Quòd tres spiritus vitales sunt creati.
4 De quæstione Salomonis quæ dicitur, Vnus interitus est hominis & iumentorum.
5 De quæstione animæ inuisibiliter exeuntis, an sit quæ videri non possit.
6 Quòd vita animæ manentis in corpore sicut deprehenditur ex motu membrorum, sic vita animæ post corpus in sanctis pensanda est ex virtute miraculorum.
7 De egressibus animarum.
8 De egressu animæ speciosi monachi.
9 De anima cuiusdam inclusi.
10 De egressu animæ Spei abbatis.
11 De egressu animæ Vrsini presbyteri.
12 De anima Probi Reatinæ ciuitatis episcopi.
13 De transitu Gallæ ancillæ Dei.
14 De transitu Seruuli paralytici.
15 De transitu Romulæ ancillæ Dei.
16 De transitu Tharsillæ virginis.
17 De transitu Musæ puellæ.
18 Quòd quibusdam paruulis regni cœlestis aditus à parentibus clauditur, cùm ab eis malè nutriuntur, vt de puero blasphemo ostenditur, & postmodum declaratur.
19 De transitu Stephani serui Dei.
20 Quod aliquando animæ meritum nō in ipso egressu, sed post mortem verius declaratur.
21 De duobus monachis Valentij abbatis.
22 De transitu Sorani abbatis.
23 De transitu diaconi Ecclesiæ Marsorum.
24 De morte viri Dei qui missus Bethel fuerat.
25 Si ante restitutionem corporis recipiantur in cœlo animæ iustorum.
26 Quibus modis morientes aliqua prædicunt, & de morte cuiusdam aduocati, & de renelatione Gerontij ac Mellisti monachorum, & de morte pueri Armentarij, & de diuersitate linguarum.
27 De morte Theophany comitis.
28 Quòd sicut animæ perfectorum in cœlo, ita post dissolutionem corporum iniquorum animæ in inferno esse credendæ sunt.
29 Qua ratione credendum sit, vt in corporeos spiritus tenere ignis corporeus possit.
30 De morte Theodorici regis Ariani.
31 De morte Reparati.
32 De morte curialis, cuius sepultura incensa est.
33 Si boni bonos in regno & mali malos in supplicio agnoscunt.
34 De quodam religioso moriente qui prophetas vidit.
35 Quòd se etiam ignotæ animæ nonnunquam exituræ cognoscunt, quæ vel pro culpis tormenta, vel pro bonis actibus similia sunt, præmia receptura: & de morte Ioannis & Vrsi atque Eumorsi & Stephani.
36 De his qui per errorem duci videntur è corpore, & de vocatione & de reuocatione Petri monachi, & de morte & resuscitatione Stephani: ac de visione cuiusdam militis, & Deusdedit, cuius domus sabbato visa est ædificari, & de pœna Sodomorum.
37 Quòd quorundam animæ adhuc in corpore positæ pœnale aliquid de spiritalibus vident: & de Theodoro puero.
38 De morte Crysorij & monachi cuiusdam Iconiæ.
39 An post mortem ignis purgatorius sit.
40 De anima Pascasij diaconi.
41 Cur in extremis temporibus tam multa de animabus clarescunt, quæ antè latuerunt.
42 Vbi esse infernus credendus sit.
43 Vtrum vnus gehennæ ignis sit, an diuersi?
44 Si semper ardeant qui gehennæ incendio deputantur.
45 Quomodo anima immortalis dicitur si constat quod mortis damnatione puniatur.
46 De quodam sancto viro qui ad mortem veniens expauit.
47 Quod quidam ne in morte timeant reuelatione roborantur, & de Antonio & Merulo & Ioanne monachis.
48 An obseruanda sint somnia, & quot sunt modi somniorum.
49 De quodam viro, cui per somnium longa vitæ spatia promissa sunt & in breui tempore morte resecata.
50 An prosit animabus si mortuorum corpora in Ecclesia fuerint sepulta.
51 De quadam sanctimoniali in Ecclesia sancti Laurentij sepulta, quæ dimidia apparuit incensa.
52 De Valeriani patricij sepultura.
53 De corpore Valentini sepulti ab Ecclesia post mortem proiecto.
54 De tinctoris corpore in Ecclesia sepulto, & postmodum non inuento.
55 Quid sit quod post mortem valeat ad absolutionem animas adiuuare, & de Centumcellensi presbytero, qui à cuiusdam spiritu petitus est vt per sacram hostiam post mortem potuisset adiuuari, & de anima Iusti monachi.
56 De vita & transitu Cassij episcopi.
57 De quodam ab hostibus capto, cuius vincula oblationis hora soluebantur, & de Caraca nauta per salutarem hostiam à naufragio liberato.
58 De virtute ac mysterio victimæ salutaris.
59 De affligendo corde inter sacra mysteria, & de mentis custodia post compunctionem.
60 De relaxandis culpis alienis, vt nostræ relaxentur.

B. GREGORII PAPAE DIALOGI LIBER QVARTVS.

Quòd æterna ac spiritalia ideo à carnalibus minus credantur, quia ea quæ audiunt, per experimentum minimè nouerunt.

Caput I.

POstquam de paradisi gaudiis (culpa exigente) expulsus est primus humani generis parens, in huius cæcitatis atque exilij, quam patimur venit ærumnam: quia peccando extra semetipsum fusus, iam illa cœlestis patriæ gaudia quæ prius cōtemplabatur, videre non potuit. In paradiso quippe assuuerat homo verbis Dei perfrui, beatorum angelorum spiritibus cordis munditia & celsitudine visionis interesse. Sed postquā huc cecidit, ab illo quo implebatur mētis lumine recessit. Ex cuius videlicet carne nos in huius exilij cæcitate nati, audimus quidem cœlestem esse patriam, audimus eius ciues angelos Dei, audimus eorundem angelorū socios spiritus iustorum & perfectorū. Sed carnales quique quia illa inuisibilia scire non valent per experimentum, dubitant vtrum ne sit, quod corporalibus oculis non vident. Quę nimirum dubietas in primo parente nostro esse non potuit, quia exclusus à paradisi gaudiis hoc quod amiserat, quia viderat, recolebat. Hi autem sentire vel recolere audita nō possunt, qui eorum nullum sicut ille saltem de præterito experimentum tenent. Ac si enim prægnans mulier mittatur in carcerem, ibique pariat puerum, qui natus puer in carcere nutriatur & crescat, cui si fortasse mater quæ hunc genuit solem, lumen, stellas, montes, & campos, volantes aues, currentes equos

Homines cur non facilè spiritalia credunt.

quos nominet, ille verò qui est in carcere natus & nutritus nihil aliud quàm tenebras carceris sciat, & hæc quidem esse audiat, sed quia per experimentum non nouit, veraciter esse diffidat: ita in hac exilij sui cæcitate nati homines, dum esse summa & inuisibilia audiunt, diffidunt an vera sint: quia sola hæc infima in quibus nati sunt visibilia nouerunt. Vnde factum est, vt ipse inuisibilium & visibilium creator ad humani generis redemptionem vnigenitus patris veniret, & sanctum spiritum ad corda nostra mitteret: quatenus per eum viuificati crederemus, quæ adhuc scire per experimentum non possumus: Quotquot ergo hunc spiritū hæreditatis nostræ pignus accepimus, de vita inuisibilium non dubitamus. Quisquis autem in hac credulitate adhuc solidus nō est, debet pro euldubio maiorem dictis fidem præbere, eisque iam per spiritum sanctum inuisibilium experimentum habentibus credere: quia & stultus est puer si matrem ideo æstimet de luce mentiri, quia ipse nihil aliud quàm tenebras carceris agnouit.

Petrus:

PLacet valde quòd dicis. Sed qui esse inuisibilia non credit, profectò infidelis est: qui verò infidelis est, in eo quod dubitat, fidem non quærit, sed rationem.

Quod sine fide neque infidelis viuat. Caput II.

Gregorius:

AVdacter dico, quia sine fide neque infidelis viuit. Nam si ab infideli, perecunctari voluero quem patrem vel quam matrem habuerit, protinus respondebit illum atque illam. Quem si statim requiram vtrúmne nouerit quando conceptus sit, vel viderit quando natus: nihil horum se vel nosse vel vidisse fatebitur, & tamen quod non vidit credit. Nam illum patrem, illámque se habuisse matrem absque dubitatione testabitur.

Infidelis fidem habet.

Petrus.

FAteor: quia nunc vsque nesciui, quòd infidelis haberet fidem.

Gregorius:

HAbent etiam infideles fidem, sed vtinam in deum. Quam si vtique haberent, infideles non essent. Sed hinc in sua perfidia redarguendi sunt, hinc ad fidei gratiam prouocandi: quia si de ipso suo visibili corpore credunt quòd minimē viderunt, cur inuisibilia non credunt, quæ corporaliter videre non possunt?

Quòd tres sunt vitales spiritus creati. Caput III.

Spiritus triplex à Deo creatus.

NAm quia post mortem carnis viuat anima, patet ratio, sed fidei admixta. Tres quippe vitales spiritus creauit omnipotens Deus. Vnum qui carne non tegitur: alium qui carne tegitur, sed non cum carne moritur: tertium qui carne tegitur, & cum carne moritur. Spiritus nanque est qui carne non tegitur, angelorum: spiritus qui carne tegitur, sed cum carne moritur, iumētorum omniúmque brutorū animalium. Homo itaque sicut in medio creatus est, vt esset inferior angelo, superior iumento: ita aliquid habet commune cum summo, aliquid commune cum infimo: immortalitatem scilicet spiritus cum angelo, mortalitatem verò carnis cum iumento: quousque & ipsam mortalitatem carnis gloria resurrectionis absorbeat, & inhærendo spiritui caro seruetur in perpetuum: quia & ipse spiritus inhærendo carni seruatur in Deum. Quæ tamen caro nec in reprobis inter supplicia perfectè deficit: quia semper deficiendo subsistit, vt qui spiritu & carne peccauerunt, semper essentialiter viuentes, & carne & spiritu sine fine moriantur.

Petrus:

RAtioni fidelium placent cuncta quæ dicis. Sed quæso te, dum spiritus hominum atque iumentorum tanta distinctione discernis, quid est quod Salomō ait: Dixi in corde meo de filiis hominum, vt probaret eos deus, & ostenderet similes esse bestiis? Idcirco vnus interitus est hominis & iumentorum, & æqua vtriusque conditio. Qui adhuc eandem suam sentētiam subtiliter exequens adiungit: Sicut moritur homo, sic & illa moriūtur. Similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumentis amplius. Quibus adhuc verbis generalem diffinitionem subinfert dicens: Cuncta subiacēnt vanitati, & omnia pergunt ad vnum locum: de terra facta sunt, & in terram pariter reuertentur.

Eccles 3.

Ibidem.

Ibidem.

De quæstione Salomonis quæ dicitur: Vnus interitus est hominis & iumentorum. Caput IIII.

Gregorius:

SAlomonis liber in quo hęc scripta sunt, Ecclesiastes appellatus est. Ecclesiastes autē propriè concionator dicitur. In concione verò sententia promitur, per quam tumultuosa turbæ seditio comprimatur. Et cùm multi diuersa sentiunt, per concionantis rationem ad vnam sententiam perducuntur. Hic igitur liber idcirco concionator dicitur: quia Salomon in eo quasi tumultuantis turbæ suscepit sensum, vt ea per inquisitionem dicat, quæ fortasse per tentationem imperita mens sentiat. Nam quot sententias quasi per inquisitionem mouet, quasi tot in se personas diuersorum suscipit. Sed concionator verax velut extensa manu omnium tumultus sedat, eósque ad vnam sententiam reuocat, cùm in eiusdem libri termino ait: Finem loquendi omnes pariter audiamus. Deum time, & mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo. Si enim in libro eodem per locutionem suam multorum personas non susceperat, cur ad audiendum loquendi finem secum pariter omnes admonebat? Qui igitur in fine libri dicit: Omnes pariter audiamus: ipse sibi testis est, quia in se multorum personas suscipiens, quasi solus locutus non est. Vnde & alia sunt quæ in libro eodem per inquisitionem mouentur, atque alia quæ per rationem satisfaciunt. Alia quæ ex tentati profert animo, atque adhuc huius mundi delectationibus dediti: alia verò in quibus ea quæ rationis sunt differat, atque animum à delectatione compescat: ibi nanque ait: Hoc itaque mihi visum est bonum, vt comedat quis & bibat, & fruatur lætitia ex labore suo. Et longè inferius subiungit: Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. Si enim bonum est manducare & bibere, melius fuisse videbatur ad domum conuiuij pergere, quàm ad domum luctus. Ex qua re ostenditur, quia illud ex infirmantiū persona intulit, hoc verò ex rationis diffinitione subiunxit. Nam ipsas protinus rationis causas edisserit, & de domo luctus quæ sit vtilitas ostendit, dicēs: In illa enim finis cunctorū admonetur hominū, & viuēs homo cogitat quid futurus sit. Rursum illic scriptū est: Lætare iuuenis in adolescentia tua. Et paulò pòst subditur: Adolescentia enim & voluptas vana sunt. Qui dū hoc postmodum vanū esse redarguit, quod prius admonuisse videbatur, patenter indicat, quia illa quasi ex desiderio carnali verba intulit, hæc verò ex iudicij veritate subiunxit. Sicut ergo delectationem prius carnaliū exprimens, curis postpositis denuntiat bonum esse māducare & bibere, quod tamen postmodum ex iudicis ratione reprehēdit, cùm esse melius dicit ire ad domum luctus, quàm ad domum cōuiuij: & sicut quod ait lætari debere iuuenem in adolescentia sua, quasi ex deliberatione carnalium proponit, & tamen postmodum per diffinitionem sententię adolescentiam & voluptatem vana esse redarguit, ita etiam concionator noster velut ex mente infirmantium humanæ suspicionis sententiam proponit, dum dicit: Vnus est hominis & iumentorum, & æqua vriusque conditio. Sicut moritur homo, sic & illa moriuntur. Similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumentis amplius. Qui tamen ex diffinitione rationis suam postmodum sententiam protulit dicēs: Quid habet amplius sapiens stulto, & quid pauper, nisi vt pergat illuc vbi est vita? Qui igitur dixit: Nihil habet homo iumentis amplius, ipse rursum diffinit, quia habet aliquid sapiens non solum amplius à iumento, sed etiam ab homine stulto, videlicet vt pergat illuc vbi est vita. Quibus verbis primū indicat quia hic hominum vita non est, quam esse alibi testatur. Habet ergo Homo hoc amplius iumentis: quia illa post mortem non viuunt, hic verò tunc viuere inchoat, cùm per mortem carnis, hanc visibilem vitam consummat. Qui etiam longè inferius dicit: Quodcunque potest manus tua facere, instāter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erit apud inferos, quò tu properas. Quomodo ergo vnus interitus est hominis & iumenti, & æqua vtriusque conditio? Aut quomodo nihil habet homo iumentis amplius, cùm iumenta post mortem carnis non viuunt? hominum verò spiritus pro malis suis operibus post mortem carnis ad inferos deducti, nec in ipsa morte moriuntur? Sed in vtraque tam dispari sentētia de-

Ecclesiastes concionator dicitur.

Eccles 12.

Eccles 5.

Eccles 7.

Concordat dicta Salomonis.

Eccles ta Ibidem.

Eccles 18.

monſtratur, quia concionator verax eſt, & illud ex tentatione carnali intulit, & hoc poſtmodum ex ſpiritali veritate diffiniuit.

Petrus.

LIbet neſciſſe quod requiſiui, dum me in tanta ſubtilitate contigit diſcere quod neſciui. Sed quæſo te vt me æquanimiter feras, ſi ipſe quoque apud te more Eccleſiaſtæ noſtri infirmãtium in me perſonam ſuſcepero, vt eiſdem infirmantibus prodeſſe propinquius quaſi per eorum inquiſitionem poſsim.

Gregorius.

CVr condeſcendentem te infirmitati proximorum æquanimiter non feram? cùm Paulus dicat: Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos. Quod ipſe quoque dum ex condeſcenſione charitatis egeris, in hac re amplius venerari debes, in qua morem egregij prædicatoris imitaris.

1. Corint. 9.

De quæſtione animæ inuiſibiliter exeuntis, an ſit quæ videri non poſsit. Caput V.

Petrus.

QVodam fratre moriente præſentem me fuiſſe contigit. Qui repente dum loqueretur, vitalem miſit flatum, & quem prius mecum loquentem videbam, ſubitò extinctum vidi. Sed eius anima vtrum egreſſa ſit an non, non vidi: & valde durum videtur vt credatur res eſſe, quam nullus valeat videre.

Gregorius.

QVid mirum Petre ſi egredientem animam non vidiſti, quam & manentem in corpore non vides? Nunquid nam modò cùm mecum loqueris, quia videre in me non vales animam meam, idcircò me eſſe exanimem credis? Natura quippe animæ inuiſibilis eſt, atque ita ex corpore inuiſibiliter egreditur, ſicut in corpore inuiſibiliter manet.

Anima inuiſibilis eſt.

Quòd vita animæ manentis in corpore, ſicut deprehenditur ex motu membrorum, ſic vita animæ poſt corpus in ſanctis penſanda eſt ex virtute miraculorum.

Petrus.

SEd vitam animæ in corpore manentis penſare poſſum ex ipſis moribus corporis: quia niſi corpori anima adeſſet, eiuſdem membra corporis moueri non poſſent: vitam verò animæ poſt carnem in quibus motibus quibúſve operibus videam, dicas: vt ex rebus viſis etiam colligam quod videre non poſſum.

Gregorius.

NOn quidem ſubtiliter, ſed ſolerter dico: quia ſicut vis animæ viuificat & mouet corpus, ſic vis diuina implet quæ creauit omnia: & alia inſpirando viuificat, aliis tribuit vt viuant, aliis verò hoc ſolummodo præſtat vt ſint. Quia verò eſſe non dubitas creantem & regentem, implentem & circumplectentem, tranſcendentem & ſuſtinentem, incircunſcriptum atque inuiſibilem Deum: ita dubitare non debes hunc inuiſibilia obſequia habere. Debent quippe ea quæ miniſtrant, ad eius ſimilitudinem tendere cui miniſtrant: vt & quæ inuiſibili ſeruiunt, eſſe inuiſibilia non dubitentur. Hæc autem quæ eſſe credimus, niſi ſanctos Angelos & Spiritus iuſtorum? Sicut ergo motum cõſiderans corporis, vitam animæ manentis in corpore perpendis ab imo, ita vitam animæ exeuntis è corpore perpendere debes à ſummo: quia poteſt inuiſibiliter viuere, quam oportet in obſequio inuiſibilis conditoris manere.

Petrus.

REctè totum dicitur, ſed mens refugit credere, quod corporeis oculis non valet videri.

Gregorius.

CVm Paulus dicat: Eſt enim fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium: hoc veraciter dicitur credi, quod non valet videri. Nam credi iam non poteſt quod videri poteſt. Vt tamen te breuiter reducam ad te, nulla viſibilia niſi per inuiſibilia videntur. Ecce enim cuncta corporea oculus tui corporis aſpicit, nec tamen ipſe corporeus oculus aliquid corporeum videret, niſi hunc res incorporea ad videndum acueret. Nam tolle mentem quæ non videtur, & incaſſum patet oculus qui videbat. Subtrahe animam corpori, remanent proculdubio oculi in corpore aperti. Si igitur per ſe videbant, cur diſcedente anima nihil vident? Hinc ergo collige: quia ipſa quoque viſibilia non niſi per inuiſibilia videntur. Ponamus quoque ante oculos mentis ædificari domus, immenſas moles leuari, pendere magnas in machinis columnas, quis (quæſo te) hoc opus operatur, corpus viſibile quod illas moles manibus trahit, an inuiſibilis anima quæ viuificat corpus? Tolle enim quod non videtur in corpore, & mox immobilia remanent cuncta quæ moueri videbantur, ſicut viſibilia corpora metallorum. Qua ex re penſandum eſt, quia in hoc quoque mundo viſibili nihil, niſi per creaturam inuiſibilem diſponi poteſt. Nam ſicut omnipotens Deus aſpirando vel implendo ea quæ ratione ſubſiſtunt, & viuificat & mouet inuiſibilia: ita ipſa quoque inuiſibilia implendo mouent atque ſenſificant carnalia corpora, quæ videntur.

Hebr. 11.

Viſibilia per inuiſibilia videntur.

Petrus.

IStis fateor allegationibus libenter victus propè nulla iam eſſe hæc viſibilia exiſtimare compellor, qui prius in me infirmantium perſonam ſuſcipiens de inuiſibilibus dubitabam. Itaque placent cuncta quæ dicis: ſed tamen ſicut vitam animæ in corpore manentis ex motu corporis agnoſco, ita vitam animæ poſt corpus apertis quibuſdam rebus atteſtantibus cognoſcere cupio.

Quia vita animæ manentis in corpore, ſicut deprehenditur ex motu membrorum, ſic vita animæ poſt corpus in ſanctis penſanda eſt ex virtute miraculorum. Caput VI.

Gregorius.

HAc in re ſi cor paratum tuæ dilectionis inuenio, in allegatione minimè laboro. Nunquidnam ſancti Apoſtoli & martyres Chriſti præſentem vitam deſpicerent, & in mortem carnis animas ponerent, niſi certiorem animarum vitam ſubſequi ſcirent? Tu verò ipſe inquies, quia vitam animæ in corpore manentis ex motibus corporis agnoſcis, & ecce hi qui animas in mortem poſuerunt, atque animarum vitam poſt mortem carnis eſſe crediderunt, quotidianis miraculis coruſcant. Ad extincta nanque eorum corpora viuentes ægri veniunt & ſanantur, periuri veniunt & dæmonio vexantur, dæmoniaci veniunt & liberantur, leproſi veniunt & mundantur, deferuntur mortui & ſuſcitantur. Penſa itaque eorum animæ qualiter viuunt illic, vbi viuunt, quorum hîc mortua corpora in tot miraculis viuunt. Si igitur vitam animæ manentis in corpore deprehendis ex motu membrorum, cur non perpendis vitam animæ poſt corpus etiam per oſſa mortua in virtute miraculorum?

Per miracula ſanctorũ probat animã immortalem.

Petrus.

NVlla vt opinor huic allegationi ratio obſiſtit, in qua ex rebus viſibilibus cogimur credere quod non videmus.

De egreſsibus animarum. Caput VII.

Gregorius.

PAulò ſuperius queſtus es morientis cuiuſdam egredientem te animam non vidiſſe: ſed hoc ipſum iam culpæ fuit, quòd corporeis oculis rem videre inuiſibilem quæſiſti. Nam multi noſtrum mentis oculum fide pura & vbere oratione mundantes, egredientes è carne animas frequenter viderunt. Vnde nunc mihi neceſſe eſt vel qualiter egredientes animæ viſæ ſint, vel quanta ipſæ dum egrederentur, viderint, enarrare: quatenus fluctuanti animo quòd plenè ratio non valet, exempla ſuadeant. In ſecundo nanque huius operis libro iam præfatus ſum, quòd vir venerabilis Benedictus ſicut à fidelibus eius diſcipulis agnoui, longè à Capuana vrbe poſitus, Germani eiuſdem vrbis Epiſcopi animam nocte media in globo igneo ad cœlum ferri ab Angelis aſpexit. Qui eandem quoque aſcendentem animam intuens, mentis laxato ſinu quaſi ſub vno Solis radio cunctum in ſuis oculis collectum mundum vidit.

Benedictus animã Germani vidit.

De egreſſu animæ Specioſi monachi. Caput VIII

EIſdem quoque diſcipulis illius narrantibus didici, quia duo nobiles viri atque exterioribus ſtudiis eruditi germani fratres, quorum vnus Specioſus, alter Gregorius dicebatur, eius ſe regulæ in ſancta conuerſatione tradiderunt. Quos idem pater venerabilis in monaſterio quod iuxta Terracinenſem

racinenſem, vrbem conſtruxerat, fecit habitare. Qui multas quidem pecunias in hoc mundo poſſederant, ſed cuncta pauperibus pro animarum ſuarum redemptione largiti ſunt, & in eodem monaſterio permanſerunt. Quorum vnus, ſcilicet Specioſus, dum pro vtilitate monaſterij iuxta Capuanam vrbem miſſus fuiſſet, die quadam frater eius Gregorius cum fratribus ad menſam ſedens atque conueſcens, per ſpiritum ſubleuatus aſpexit, & vidit Specioſi germani ſui animam tam longè à ſe poſiti de corpore exire: quod mox fratribus indicauit & cucurrit, iámque eundem fratrem ſuum ſepultum reperit, quem tamen hora ea qua viderat exiſſe de corpore, inuenit.

Frater morientis fratris animã vidit.

De anima cuiuſdam incluſi. Caput IX.

QVidam religioſus atque fideliſsimus vir adhuc mihi in monaſterio poſito, narrauit quòd aliqui de Siciliæ partibus nauigio Romam petentes, in mari medio poſiti, cuiuſdam ſerui Dei qui in Samnio fuerat incluſus, ad cœlum ferri animam viderunt. Qui deſcendentes ad terram, cauſámque an ita eſſet acta perſcrutantes, illo die inuenerunt obiiſſe Dei famulum, quo eum ad cœleſtia regna aſcendiſſe cognouerunt.

De egreſſu animæ Spei abbatis. Caput X.

ADhuc in monaſterro poſitus cuiuſdã valde venerabilis viri relatione cognoui quod dico: Aiebat enim, qua venerabilis pater nomine Spes, monaſterium cõſtruxit in loco cui vocabulum Cample eſt, qui ſexti fermè miliarij interiacente ſpatio à vetuſta Nurſiæ vrbe diſiungitur. Hunc omnipotens & miſericors Deus ab ęterno verbere flagellãdo protexit, eíque diſpenſationis ſuę maximam ſecuritatem ſeruauit & gratiam, quantúmque eum prius flagellando diligeret, poſtmodum perfecte ſanando monſtrauit. Eius nanque oculos per quadraginta annorum ſpacium continuæ cæcitatis tenebris preſsit, nullum ei lumen vel extremæ viſionis aperiens. Sed quia nemo in verbere illius gratia ſe deſtituente ſubſtitit, & niſi idem miſericors pater qui pœnam irrogat patientiam pręſtet, mox per impatientiam peccatum nobis ipſa auget correptio peccatorũ, fitque modo miſerabili vt culpa noſtra vnde ſperare debuit terminum, inde ſumat augmẽtum: idcirco noſtra Deus infirma conſpiciens, flagellis ſuis cuſtodiam permiſcet, atque in percuſsione ſua electis filiis nunc miſericorditer iuſtus eſt, vt ſint quibus poſtea debeat iuſtè miſereri. Vnde venerabilem ſenẽ dũ exterioribus tenebris premeret, interna nunquam luce deſtituit. Qui cùm flagello fatigaretur corporis, habebat per ſancti ſpiritus cuſtodiam conſolationem cordis. Cùm verò iam anni quadrageſimi fuiſſet in cæcitate tempus expletum, ei Dominus lumen reddidit, & vicinum ſuum obitum denuntiauit: atque vt monaſteriis circunquaque conſtructis verbum vitæ prædicaret, admonuit, quatenus corporis recepto lumine, viſitatis in circuitu fratribus cordis lumen aperiret. Qui ſtatim iuſsis obtemperans, fratrum cœnobia circuiuit, mandata vitæ quæ agendo didicerat, prædicauit. Quintodecimo igitur die ad monaſterium ſuum peracta prædicatione reuerſus eſt, ibíque fratribus conuocatis aſtans in medio ſacramentum dominici corporis & ſanguinis ſumpſit, móxque cum eis myſticos Pſalmorum cãtus exorſus eſt. Qui illis pſallentibus orationi intentus animã reddidit. Omnes verò fratres qui aderant, ex ore eius exiſſe columbam viderunt, quæ mox aperto tecto oratorij egreſſa aſpicientibus fratribus penetrauit cœlum. Cuius idcirco animam in columbæ ſpecie apparuiſſe credendum eſt, vt omnipotens Deus ex hac ipſa ſpecie oſtenderet, quàm ſimplici corde ei vir ille ſeruiſſet.

Spes abbas cæcus quadraginta annis, curatus eſt.

Spei anima viſa in ſpecie columbæ.

De egreſſu animæ Vrſini presbyteri. Caput XI.

SEd neque hoc ſileam quod vir venerabilis abbas Stephanus, qui nõ longè ante hoc in hac vrbe defunctus eſt, quẽ ipſe etiam bene noſti, in eadem prouincia Nurſiæ contigiſſe referebat. Aiebat enim quod illic presbyter quidam commiſſam ſi cum magno timore Domini regebat Eccleſiam. Qui ex tempore ordinationis acceptæ presbyteram ſuam vt ſororem diligens, ſed quaſi hoſtem cauens, ad ſe propius accedere nũquam ſinebat, eámque ſibimet propinquare nulla occaſione permittens, ab eâ ſibi communionem funditùs familiaritatis abſciderat. Habent quippe ſancti viri hoc proprium. nam vt ſemper ab illicitis longè ſint, à ſe plerũque etiam licita abſcindunt. Vnde idem vir ne vnquam per eam incurreret culpam, ſibi etiam per illam miniſtrari recuſabat neceſſaria. Hic ergo venerabilis presbyter cùm longam vitæ impleſſet ætatem, anno quadrageſimo ordinationis ſuæ inardeſcente grauiter febre correptus ad extrema deductus eſt. Sed cùm eum presbytera ſua cõſpiceret ſolutis iam membris quaſi in morte diſtentum, ſi quod adhuc ei vitale ſpiramen ineſſet, naribus eius appoſita curauit aure dignoſcere. Quod ille ſentiens, cui tenuiſsimus in erat flatus, quantulo adniſu valuit vt loqui potuiſſet, inferueſcente ſpiritu collegit vocem atque erupit, dicens: Recede à me mulier, adhuc igniculus viuit, paleam tolle. Illa igitur recedente creſcente virtute corporis cum magna cœpit lætitia clamare dicens: Bene veniant domini mei, bene veniant domini mei: quid ad tantillum ſeruulum veſtrum eſtis dignati conuenire. Venio, venio: Gratias ago, gratias ago. Cúmque hoc iterata crebrò voce repeteret, quibus hoc diceret, noti ſui qui illum circunſteterant, requirebant. Quibus ille admirando reſpondit, dicens: Nunquid hic conueniſſe ſanctos Apoſtolos non videtis? beatum Petrum & Paulum primos Apoſtolorum nõ aſpicitis? Ad quos iterum conuerſus dicebat: Ecce venio, ecce venio: atque inter hæc verba animã reddidit. Et quia veraciter ſanctos Apoſtolos viderit, eos etiam ſequendo teſtatus eſt. Quod plerunque contingit iuſtis vt in morte ſua ſanctorum præcellentium viſiones aſpiciant, ne ipſam mortis ſuę pœnalem ſententiam pertimeſcant: ſed dum eorum menti internorum ciuium ſocietas oſtenditur, à carnis ſuæ copula ſine doloris & formidinis fatigatione ſoluantur.

Parte 1. diſt. 32. cap. preſbyter.

Vrſinus apoſtolos vidit.

De anima Probi Reatinæ vrbis epiſcopi. Caput XII.

QVa de re neque hoc ſileam quod Probus omnipotentis Dei famulus, qui nunc in hac vrbe monaſterio præſto eſt quod appellatur † Reatum, de Probo patruo ſuo Reatinæ ciuitatis Epiſcopo mihi narrare conſueuit, dicens: Quia appropinquante vitæ eius termino eum grauiſsima depreſsit ægritudo. Cuius pater nomine Maximus pueris circũquaque tranſmiſsis colligere medicos ſtuduit, ſi fortaſſe eius moleſtię ſubueniri potuiſſet. Sed congregati ex vicinis locis vndique medici, ad tactum venæ denuntiauerũt eius exitum citius affuturum. Sed cùm iam tempus refectionis incumberet, atque diei hora tardior excreuiſſet, venerandus Epiſcopus de illorum potius quàm de ſua ſalute ſollicitus eos qui aderant, admonuit, cum ſene patre in ſuperioris epiſcopij ſui partes aſcendere, ſéque poſt laborem reficiendo reparare. Omnes igitur aſcenderunt domum, vnus ei tantum modò paruulus relictus eſt puer, quem nunc quoque prædictus Probus aſſerit ſupereſſe. Qui dum lecto iacentis aſsiſteret, ſubitò aſpexit intrantes ad virum Dei quoſdam viros ſtolis candidis amictos: qui eundem quoque candorem veſtium vultuum ſuorum luce vincebant. Qua ſplendoris etiam claritate perculſus, quinam illi eſſent, emiſſa cœpit voce clamare. Qua voce etiã Probus epiſcopus cõmotus, intrantes eos aſpexit & agnouit, atque eundem ſtridentem vagientémque puerum conſolari cœpit, dicens: Noli timere: quia ad me ſanctus Iuuenalis, & ſanctus Eleutherius martyres venerunt. Ille autem tantæ viſionis nouitatem non ferens, curſu concito extra fores fugit, atque eos quos viderat patri ac medicis nũtiauit. Qui cõcitè deſcenderunt, ſed ægrum quem reliquerant, iam defunctum inuenerunt: quia illi eum ſecum tulerant, quorum viſionem puer ferre non potuit, qui hîc remanſit.

† al. Reatis

Puer ſanctos vidit.

De tranſitu Gallæ ancillæ dei. Caput XIII.

INterea neque hoc ſilendum arbitror quod mihi perſonarũ grauium atque fidelium eſt reuelatione compertũ. Gothorum nanque temporibus Galla huius vrbis nobiliſsima puella Symmachi conſulis ac patricij filia, intra adoleſcentiæ tempora marito tradita, in vnius anni ſpatio eius eſt morte viduata. Quàm dum feruente mundi † copia ad iterandum thalamũ & opes & ætas vocaret, elegit magis ſpiritalibus nuptiis copu-

† al. copula.

lari Deo, in quibus à luctu incipitur, sed ad gaudia æterna peruenitur, quàm carnalibus nuptiis subiici, quæ à lætitia semper incipiunt, & ad finem cum luctu tendunt. Huic autem cùm valde ignea conspersio corporis inesset, cœperunt medici dicere: quia nisi ad amplexus viriles rediret, calore nimio contra naturam barbas esset habitura: quod ita quoque pòst factum est. Sed sancta mulier nihil exterius deformitatis timuit, quæ interius sponsi cœlestis speciem amauit: nec verita est si hoc in illa fœdaretur, quod à cœlesti sponso in ea non amaretur. Mox ergo vt eius maritus defunctus est, abiecto seculari habitu ad omnipotentis Dei seruitium sese apud beati Petri Apostoli Ecclesiam monasterio tradidit, ibique multis annis simplicitati cordis atque orationi dedita, larga indigentibus eleemosynarum opera impendit. Cúmque omnipotēs Deus perennem iam mercedem reddere eius laboribus decreuisset, cancri vlcere in mamilla percussa est. Nocturno autem tempore ante lectum eius duo candelabra lucere consueuerant: quia videlicet amica lucis, non solum spiritales, sed etiam corporales tenebras odio habebat. Quæ dum nocte quadam ex hac eadem iaceret infirmitate fatigata, vidit beatum Petrum Apostolum inter vtraque candelabra, ante suum lectum constitisse, nec perterrita timuit, sed ex amore sumens audaciam exultauit, eique dixit: Quid est Domine mi, dimissa sunt mihi peccata mea? Cui ille, benignissimi vt est vultus, inclinato capite annuit, dicens: Dimissa, veni. Sed quia quandam sanctimonialem fœminam in eodem monasterio præ cæteris diligebat, ilico Galla subiunxit: Rogo vt soror Benedicta mecum veniat. Cui ille respondit. Non, sed illa talis veniat tecum. Hæc verò quam petis, die te erit trigesimo secutura. His itaque expletis visio Apostoli assistentis & colloquentis ei ablata est. At illa protinus cunctæ congregationis acciuit matrem, eique quid viderit, quidve audierit, indicauit. Tertio autem die cum ea, quæ iussa fuerat, sorore defuncta est. Illa verò quam ipsa poposcerat, die est trigesimo subsecuta. Quod factum nunc vsque in eodem monasterio manet memorabile, sicque hoc à præcedentibus matribus traditum, narrare illic solent subtiliter iuniores quæ nūc sunt sanctimoniales virgines, ac si illo in tempore huic tam grandi miraculo & ipsæ affuissent.

Galla ad sanctum Petrum.

De transitu Seruuli paralytici.

Caput XIIII.

SEd inter hæc sciendum est: quia sæpe animabus exeuntibus electorum, dulces solent laudes cœlestes erumpere: vt dum illas libenter audiunt, dissolutionem carnis ab anima sentire minimè permittantur. Vnde in homiliis quoq; Euangelij iam narrasse me memini, quòd in ea porticu quæ euntibus ad Ecclesiam beati Clementis est peruia, fuit quidam Seruulus nomine, cuius te quoque non ambigo meminisse: qui quidem pauper rebus, sed meritis dites erat, quem longa ægritudo dissoluerat. Nam ex quo illum scire potuimus, vsque ad finem vitæ paralyticus iacebat. Quid dicam quia stare non poterat, qui nunquam in lecto surgere vel ad sedendum valebat, nunquam manum suam ad os ducere, nunquam se potuit in latus aliud declinare? Huic ad seruiendum mater cum fratre aderat, & quicquid ex eleemosyna potuisset accipere, hoc eorum manibus pauperibus erogabat. Nequaquam literas nouerat, sed scripturæ sacræ sibimet codices emerat, & religiosos quosque in hospitalitatem suscipiens, hos coram se studiosè legere faciebat. Factum est vt iuxta modum suum plenè sacram scripturā disceret, cùm, sicut dixi, literas funditus ignoraret. Studebat semper in dolore gratias agere, hymnis Deo & laudibus diebus ac noctibus vacare. Sed cùm iam tempus esset vt tanta eius patientia remunerari debuisset, membrorum dolor ad vitalia rediit. Cúmque iam se morti proximum agnouisset, peregrinos viros, atque in hospitalitatem susceptos admonuit, vt surgerent, & cum eo Psalmos pro expectatione sui exitus decantarent. Cúmque cum eis & ipse moriens psalleret, voces psallentium repentè compescuit cum terrore magni clamoris, dicens: Tacete. Nunquid non auditis quantæ resonent laudes in cœlo? Et dum ad easdem laudes quas intus audierat, aurem cordis intenderet, sancta illa anima carne soluta est. Qua scilicet exeunte, tanta illic fragrantia odoris aspersa est, vt omnes qui illic aderant, inæstimabili suauitate replerentur: ita vt per hoc patenter cognoscerent, quòd eas laudes in cœlo suscepissent. Cui rei monachus noster interfuit, qui nunc vsque viuit, & cum magno fletu attestari solet: quia quousque corpus eius sepulturæ traderent, ab eorum naribus odoris illius fragrantia non recessit.

Seruulus in exitu Angelos cantare audiuit.

De transitu Romulæ ancillæ Dei.

Caput XV.

IN eisdem quoque homiliis rem narrasse me recolo, quam Speciosus compresbyter meus, qui hāc nouerat me narrante attestatus est. Eo nanque tempore quo monasterium petij, anus quædam Redempta nomine, in sanctimoniali habitu constituta in vrbe hac, iuxta beatæ Mariæ semper Virginis Ecclesiam manebat. Hæc illius Hirundinis discipula fuerat, quæ magnis virtutibus pollens super Prænestinos montes vitam eremeticam duxisse ferebatur. Huic autem Redemptæ duæ in eodem habitu discipulæ fuerant, vna nomine Romula, & altera, quæ nunc adhuc superest, quam quidem faciei scio, sed nomine nescio. Tres itaque hæ in vno habitaculo commanentes, morum quidem diuitiis plenam, sed tamen pauperem rebus vitam ducebant. Hæc autem quam prefatus sum Romula, aliam quam prædixi condiscipulam suam magnis vitæ meritis anteibat. Erat quippe miræ patientiæ, summæ obedientiæ, custos oris sui ad silentium, studiosa valde ad continuæ orationis vsum. Sed quia plerunque hi, quos iam homines perfectos æstimant, adhuc in oculis summi opificis aliquid imperfectionis habent: sicut sæpe imperiti homines necdum perfectè sculpta sigilla conspicimus, & iam quasi perfecta laudamus, quæ tamen adhuc artifex considerat & limat, laudari iam audit, & tamen ea tundere meliorando non desinit. Hæc, quam prædiximus, Romula, ea quam Græco vocabulo medici paralysin vocant, molestia corporali percussa est, multísque annis in lectulo decubans, penè omni iacebat membrorum officio destituta. Nec tamen hæc eadem eius mentem ad impatientiam flagella perduxerant. Nam ipsa ei detrimenta membrorum facta fuerant incrementa virtutum: quia tantò sollicitius ad vsum orationis excreuerat, quantò & aliud quodlibet agere nequaquam valebat. Nocte igitur quadam eandem Redemptam, quam præfatus sum, quæ vtrasque discipulas suas filiarum loco nutriebat, vocauit, dicens: Mater veni, mater veni. Quæ mox cum alia eius condiscipula surrexit, sicut vtrisque referentibus & multis eadem res claruit, & ego quoque in eodem tempore agnoui. Cúmq; noctis medio lectulo iacentis assisterent, subitò cœlitus lux emissa omne illius cellulæ spatium impleuit, & splendor tantæ claritatis emicuit, vt corda assistentium inæstimabili pauore perstringeret, atque, vt pòst ipsæ referebant, omne in eis corpus obrigesceret, vt & in subito stupore manerent. Cœpit nanque quasi cuiusdam magnæ multitudinis ingredientis sonitus audiri, ostiúmque cellulæ concuti, ac si ingredientium turba premeretur, atque, vt dicebant, intrantium multitudinem sentiebāt, sed nimietate timoris & luminis videre non poterant: quia earum oculos pauor depresserat, & ipsa tanti luminis claritas reuerberabat. Quam lucem protinus est miri odoris fragrantia subsecuta, ita vt earum animum, quia lux emissa terruerat, odoris suauitas refoueret. Sed cùm vim claritatis illius ferre non possent, cœpit eadem Romula assistentem & trementem Redemptam suorum morum magistram blanda voce consolari, dicens: Noli timere mater, non moriar modò. Cumque hoc crebrò diceret, paulatim lux quæ fuerat emissa, subtracta est, sed is qui subsecutus est, odor remansit. Sícque dies secundus & tertius transiit, vt aspersi odoris fragrantia remaneret. Nocte igitur quarta eandem magistram suam iterum vocauit: qua veniēte viaticum petiit & accepit. Necdum verò eadem Redempta, vel illa alia eius discipula à lectulo iacentis abscesserant, & ecce subitò in platea ante eiusdem cellulæ ostium duo chori psallentium constiterant, & sicut se dicebant sexus ex vocibus discreuisse, psalmodiæ cantus dicebāt viri, & fœminæ respondebant. Cúmque ante fores cellulæ exhiberentur cœlestes exequiæ, sancta illa anima carne soluta est. Qua ad cœlum ducta, quantò chori psallentium altius ascendebant, tantò cœpit psalmodia lenius audiri, quousque & eiusdem psalmodiæ sonitus, & odoris suauitas elongata, finiretur.

Romulæ laudes.

Cœlestes exequiæ.

De transitu

De transitu Tarsillæ sacræ virginis. *Caput XVI.*

NOnnunquam verò in consolatione egredientis animæ ipse apparere solet author ac retributor vitæ. Vnde & hoc quod de Tarsilla amita mea in homiliis Euangelij dixisse me recolo, replicabo: quæ inter duas alias sorores suas virtute continuæ orationis, grauitate vitæ, singularitate abstinentiæ, ad culmen sanctitatis excreuerat. Huic per visionem Fœlix atauus meus huius Romanæ Ecclesiæ antistes apparuit, eíque mansionem perpetuæ claritatis ostendit dicens: Veni, quia in hac te lucis mansione recipiam. Quæ subsequētī mox febre correpta, ad diem peruenit extremum. Et sicut nobilibus fœminis virísque morientibus, multi conueniunt, qui eorum proximos consolentur, eadem hora exitus ipsius multi viri ac fœminæ eius lectulum circunsteterunt. Tunc subitò illa sursum respiciens Iesum venientem vidit, & cum magna anima duersione cœpit circunstantibus clamare, dicens: Recedite, recedite: Iesus venit. Cúmque in eum intenderet quem videbat, sancta illa anima è corpore est egressa. Tantáque subitò fragrantia miri odoris aspersa est, vt ipsa quoque suauitas cunctis ostenderet illic authorem suauitatis venisse. Cúmque corpus eius ex more mortuorum ad lauandum esset nudatum, longæ orationis vsu, in cubitis eius & genibus camelorum more inuenta est obdurata cutis excreuisse. Et quid viuens eius spiritus semper egisset, caro mortua testabatur.

Tarsilla Iesum vidit.

De transitu Musæ puellæ. *Caput XVII.*

SEd neque hoc sileam quod prædictus Probus Dei famulus de sorore sua, nomine Musa, puella parua narrare consueuit, dicens quòd quadam nocte ei per visionem sancta Dei genitrix virgo Maria apparuit, atque coæuas ei in albis vestibus puellas ostendit. Quibus illa cùm admisceri appeteret, sedse eis iungere non auderet: beatæ Mariæ virginis est voce requisita an velit cum eis esse, atq; in eius obsequio viuere. Cui cùm puella eadem diceret, Volo: ab ea protinus mandatum accepit, vt nihil vltrà leue & puellare ageret, & à risu & iocis se abstineret, sciens per omnia quòd inter easdē virgines quas viderat, ad eius obsequium die trigesimo veniret. Quibus visis in cunctis suis moribus puella mutata est, omnémque à se leuitatem puellaris vitæ magna grauitatis detersit manu. Cúmque eam parentes eius mutatam esse mirarentur, requisita rē retulit, quid sibi beata Dei genitrix iusserit, vel qua die itura esset ad obsequium eius, indicauit. Tunc post vigesimum quintum diem febre correpta est. Die autem trigesimo cùm hora eius exitus propinquasset, eandem beatam genitricem Dei cum puellis quas per visionem viderat, ad se venire conspexit. Cui se etiam vocanti respondere cœpit, & depressis reuerenter oculis aperta voce clamare: Ecce domina venio, ecce domina venio. In qua etiam voce spiritum tradidit, & ex virgineo corpore, habitatura cum sanctis virginibus, exiuit.

Musa beatam virginem vidit.

Petrus:

CVm humanum genus multis atque innumeris vitiis sit subiectum, Hierusalem cœlestis patriæ maximam partem ex paruulis vel infantibus arbitror posse compleri.

Quòd quibusdam paruulis regni cœlestis aditus à parentibus clauditur, cùm ab eis malè nutriuntur, & de puero blasphemo ostenditur, & postmodum declaratur. *Caput XVIII.*

Gregorius:

ET si omnes baptizatos infantes, atque in eadem infantia morientes ingredi regnum cœleste credendum est, omnes tamē paruulos qui † scilicet iam loqui possunt, regna cœlestia ingredi credendū nō est: quia nōnullis paruulis eiusdē regni cœlestis aditus à parentibus clauditur, si malè nutriantur. Nam quidā vir cunctis in hac vrbe notissimus ante triēnium filiū habuit annorum, sicut arbitror, quinque: quem nimis carnaliter diligens remisse nutriebat: atque idē paruulus, quod dictu graue est, mox vt [illegible] aliquid obstitisset, maiestatē dei blasphemare cōsueuerat: qui in hac ante triennium mortalitate percussus venit ad mortem. Cúmque eum suus pater in sinu teneret, sicut hi testati sunt qui præsentes fuerūt, malignos ad se venisse spiritus tremētibus oculis puer aspiciēs cœpit clamare: Obsta pater, obsta pater. Qui clamans declinauit faciē, vt se ab eis in sinu patris abscōderet. Quē cùm ille tremētem requireret, quid videret, puer adiunxit, dicens: Mauri homines venerunt, qui me tollere volūt. Qui cùm hoc dixisset, maiestatis nomen protinus blasphemauit, & animam reddidit. Vt enim omnipotens Deus ostenderet pro quo reatu talibus fuisset traditus executoribus: vnde viuentem pater suus noluit corrigere, hoc morientem permisit iterare: vt qui diu per diuinitatis patientiam blasphemus vixerat, quandoque per diuinitatis iudicium blasphemaret & moreretur: quatenus reatum suum pater eius agnosceret, & qui paruuli filij animam negligens, non paruulum peccatorem gehennæ ignibus nutrisset. Sed interim hoc triste seponentes ad ea, quę narrare cœperamus læta redeamus.

† al. quæ licet.

Paruulis à parentibus regnum cœleste nonnunquam clauditur.

De transitu Stephani viri Dei. *Caput XIX.*

PRædicto etenim Probo aliísque religiosis narrantibus viris agnoui ea, quæ indicare audientibus de venerabili patre Stephano in homiliis Euangelij curaui. Fuit enim vir sicut idem Probus & multi alij testantur, nihil in hoc mundo possidens, nihil requirens, solam cum Deo paupertatem diligens, inter aduersa semper patientiam amplectens, conuentus secularium fugiens, vacare semper orationi cōcupiscens. De quo vnum bonum virtutis refero, vt ex hoc vno valeant multa eius bona pensari. Is nanque cùm quadam die messēm quam sua manu secuerat, decisam ad aream deduxisset, nihílq; aliud cum discipulis suis ad totius anni stipēdium haberet, quidam peruersę voluntatis vir antiqui hostis stimulis instigatus, eandem messem igne suppósito, ita vt erat in area incendit. Quod factum dum alter conspiceret, eidem Dei famulo cucurrit & nuntiauit. Quod postquam indicauit, adiunxit, dicens: Væ væ pater Stephane, quid tibi contigit? cui statim vultu ac mente placida ille respōdit. Væ quid illi contigit qui mihi hoc fecit: nā mihi quid contigit in quibus eius verbis ostēditur in quo virtutis culmine sedebat, qui vnum quod in sumptum mundi habuerat, tam secura perdebat mente: magísque illi condolebat qui peccatum commiserat, quàm sibi qui peccati illius damna tolerabat: nec pensabat quid ipse exterius, sed culpæ reus quantum perdebat intus. Hunc itaque cùm dies mortis egredi de corpore vrgeret, conuenerunt multi, vt tam sanctæ animæ de hoc seculo recedenti suas animas commendarent. Cúmque lecto illius hi qui conuenerant, omnes assisterent, alij ingredientes angelos viderūt, sed dicere aliquid nullo modo potuerunt, alij omnino nil viderunt: sed omnes qui aderant, ita vehemētissimus timor perculit, vt nullus, egrediente illa sancta anima, illic stare potuisset. Et hi ergò qui viderant, & hi qui omnino nihil viderant, vno omnes timore perculsi & territi fugerunt, vt palàm daretur intelligi quæ & quanta vis esset, quæ illam egredientem animam susciperet, cuius egressum nemo mortalium ferre potuisset.

Stephani laus.

Stephani virtus eximia.

Quòd aliquando animæ meritum non in ipso suo egressu, sed post mortem verius declaratur. *Caput XX.*

SEd inter hæc sciendum est: quia aliquando animæ meritum non in ipso suo egressu ostenditur, post mortem verò certius declaratur. Vnde & sancti martyres ab infidelibus crudelia multa perpessi sunt, qui tamen, vt prędiximus, ad ossa sua mortua signis quotidie & miraculis clarescunt.

De duobus monachis Valentij abbatis.

Caput XXI.

VItæ nanque venerabilis † Valentius qui pòst in hac Romana vrbe mihi sicut nosti, meo quoq; monasterio præfuit, prius in Valeriæ prouincia suum monasterium rexit. In quo dum Longobardi sæuiētes venissent, sicut eius narratione didici, duos eius monachos in ramis vnius arboris suspenderunt, qui suspensi eodem die defuncti sunt, facto autem vespere vtrorúmque eorum spiritus claris illic apertísque vocibus psallere cœperunt: ita vt ipsi quoq; qui eos occiderāt, cùm voces psallentium audirent nimirum mirati terrerentur. Quas videlicet voces captiui quoque omnes qui illic aderāt, audierunt, atque eorum psalmodiæ postmodum testes extiterunt. Sed has voces spirituum omnipotēs Deus idcirco pertingere

† al. Valentinus. al. Valentio.

Monachi suspensi ad arborem canebant.

voluit ad aures corporum, vt viuentes quique in carne discerent: quia si Deo seruire studeant, post carnis mortem verius viuant.

De transitu Surani abbatis. Caput XXII.

QVibusdam religiosis quoque viris attestantibus adhuc in monasterio positus agnoui, quòd hoc Longobardorum tempore iuxtà in hac prouincia quæ Sura nominatur, quidam monasterij pater vitæ venerabilis Suranus nomine fuerit, qui captiuis aduenientibus, atque à Longobardorum deprædatione fugientibus, cuncta quæ in monasterio videbatur habere, largitus est. Cúmque in eleemosynis vestimenta sua, ac fratrum omnia, & cellarum consumpsisset, quicquid habere in horto potuit expendit. Expensis verò rebus omnibus Longobardi ad eum subitò venerunt, cúmque tenuerunt, & aurum ab eo petere cœperunt. Quibus cũ ille diceret se omnino nihil habere, in vicino mõte ab eis ductus est, in quo sylua immensæ magnitudinis stabat. Ibi captiuus quidem fugiens in caua arbore latebat, vbi vnus ex Lõgobardis educto gladio prædictum venerabilem occidit virum. Cuius corpore in terram cadente mõs omnis protinus, & sylua concussa est, ac si se ferre non posse pondus sanctitatis eius diceret terra, quæ tremuisset.

Miraculum.

De transitu diaconi Ecclesiæ Marsorum. Caput XXIII.

ALius quoque in Marsorum prouincia vitę valde venerabilis diaconus fuit: quem inuentum Longobardi tenuerunt, quorum vnus educto gladio caput eius amputauit. Sed cùm corpus eius in terram caderet, ipse qui hunc capite truncauerat, immundo spiritu correptus, ad pedes eius corruit, & quòd amicum Dei occiderit, inimico Dei traditus ostendit.

Petrus:

QVid est hoc quæso te quòd omnipotens Deus sic permittit mori, quos tamen post mortem cuius sanctitatis fuerint, non patitur cælari?

De morte viri Dei qui missus Bethel fuerat. Caput XXIIII.

Gregorius:

CVm scriptum sit, Iustus quacunque morte præuentus fuerit, iustitia eius non auferetur ab eo: electi qui proculdubio ad perpetuam vitam tendunt, quid eis obest si ad modicũ durè moriuntur? Et est fortasse nonnunquam eorũ culpa, licet minima, quæ in eadem debeat morte resecari. Vnde fit vt reprobi potestatem quidem contra viuentes accipiant, sed illis morientibus hoc in eis grauius vindicatur, quòd contra bonos potestatem suæ crudelitatis acceperunt, sicut idem carnifex qui eundem venerabilem diaconum viuentem ferire permissus est, gaudere super mortuum permissus non est. Quod sacra quoque testantur eloquia. Nam vir Dei contra Samariam missus, quia per inobedientiam in itinere comedit, hunc leo in eodem itinere occidit. Sed statim illic scriptum est: Quia stetit leo iuxta asinum, & non comedit leo de cadauere. Ex qua re ostẽditur quòd peccatum inobedientiæ in ipsâ fuerit morte laxatum: quia idem leo, quem viuentem præsumpsit occidere, contingere non præsumpsit occisum. Qui enim occidendi ausum habuit, de occisi cadauere comedendi licentiam non accepit: quia is qui culpabilis in vita fuerat, punita inobedientia erat iam iustus ex morte. Leo ergo qui prius peccatoris vitam necauerat, custodiuit postmodum cadauer iusti.

3. Reg. 3.

Leo custodiuit cadauer iusti.

Petrus:

PLacet quod dicis, sed nosse vellem si nũc ante restitutionem corporum in cœlo recipi valeant animæ iustorum.

Si ante restitutionem corporis recipiantur in cœlo animæ iustorum. Caput XXV.

Gregorius:

HOc neque de omnibus iustis fateri possumus, neque de omnibus negare. Nam sunt quorundam iustorum animæ, quæ à cœlesti regno quibusdam adhuc mansionibus differunt. In quo dilationis damno quid aliud innuitur, nisi quòd de perfecta iustitia aliquid minus habuerunt? Et tamen luce clarius constat: quia perfectorum animæ mox vt huius carnis claustra exeunt, in cœlestis regni sedibus recipiuntur: quod & ipsa per se veritas attestatur, dicẽs: Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Quia vbi ipse redemptor noster est corpore, illuc proculdubio colliguntur iustorum animæ. Et Paulus: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Qui ergo Christum in cœlo esse non dubitat, nec Pauli animam esse in cœlo negat. Qui etiam de dissolutione sui corporis, atque de inhabitatione cœlestis patriæ dicit: Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem habemus ex Deo, domum nõ manu factam, sed æternam in cœlis.

Lucæ 17.

Phil. 1.

2. Cor. 5.

Petrus:

SI igitur nũc sunt in cœlo animæ iustorum, quid est quod in die iudicij pro iustitiæ suæ retributione recipient?

Gregorius:

HOc eis nimirum crescit in iudicio, quòd nunc animarũ sola, postmodum verò etiam corporum beatitudine perfruuntur: vt in ipsa quoque carne gaudeant, in qua dolores pro Domino cruciatúsque pertulerunt. Pro hac quippe geminata eorum gloria scriptum est: In terra sua duplicia possidebũt. Hinc etiam ante resurrectionis diem de sanctorum animabus scriptum est: Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, vt requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleretur numerus conseruorum & fratrum eorum. Qui itaque nunc singulas acceperunt, binas in iudicio stolas habituri sunt: quia modò animarum tantummodo, tunc autem animarum simul & corporum gloria lætabuntur.

Esa. 61.

Apoca. 6.

Petrus:

ASsentio. Sed vellem scire quonam modo agitur, quòd plerunque morientes multa prædicunt?

Quibus modis morientes aliqua prædicunt. Et de morte cuiusdam aduocati, Et de reuelatione Gerontij ac Melliti monachorum, & de morte pueri armentarij, & de diuersitate linguarum. Caput XXVI.

Gregorius:

IPsa aliquando animarum vis subtilitate sua aliquid præuidet. Aliquando autem exituræ de corpore animæ per reuelationem ventura cognoscunt. Aliquando verò iam dum iuxtà fit vt corpus deserant, diuinitùs afflatæ in secreta cœlestia incorporeum mentis oculum mittunt. Nam quòd vis animæ aliquando subtilitate sua ea quæ sunt ventura cognoscit, patet ex eo quòd quidã aduocatus qui in hac vrbe ante biduum lateris dolore defunctus est, ante paululum quàm moreretur, vocauit puerum suum, præparari sibi vestimenta ad procedendum iussit. Quem dum puer quasi insanire cerneret, eiúsque præceptis minimè obediret, surrexit, vestimẽto se induit, & per viam Appiam ad beati Sixti Ecclesiam se esse processurum dixit. Cúmque post modicum ingrauescẽte molestia, esset defunctus, deliberatum fuerat, vt apud beatum Ianuariũ martyrem Prẽnestina via eius corpus poni debuisset. Sed quia longum hoc his qui funus eius curauerant, visum est: repentè orto consilio exeuntes cum eius funere per viam Appiam, nescientes quæ ille dixerat, in ipsa eum Ecclesia quam prædixerat, posuerunt. Et cùm eundem virum curis secularibus obligatum, lucrisque terrenis inhiantem fuisse nouerimus: vnde hoc prædicere potuit, nisi quia id quod futurum erat, eius corpori ipsa vis animæ ac subtilitas præuidebat? Quòd autem sæpe etiam reuelationibus agitur, vt à morituris futura præsciantur, ex his colligere possumus, quæ apud nos gesta in monasteriis scimus. In monasterio etenim meo quidam frater ante decennium Gerontius dicebatur. Qui cùm graui molestia corporis fuisset depressus, in visione nocturna albatos viros & clari omnimodo habitus in hoc ipsum monasterium descendere, & de superioribus aspexit. Qui dum coram lecto iacentis asisterent, vnus eorũ dixit: Ad hoc venimus, vt de monasterio Gregorij quosdã fratres in militiam mittamus, atque alteri præcipiens adiunxit: Scribe Marcellum, Valentinianum, Agnellum, atq; alios quorum nũc minimè recordor. Quibus expletis addidit, dicens: Scribe & hunc ipsum qui nos aspicit. Ex qua visione certus redditus prædictus frater, facto mane innotuit fratribus, qui & qui essent in breui ex eadem cella morituri, quos se etiam denuntiauit esse secuturum, cùm die alio prædicti fratres mori cœperunt, atque sub eodem ordine se in morte

Aduocatus futura prædixit.

secuti sunt, quo fuerant in descriptione nominati. Ad extremum verò & ipse obiit, qui eosdem fratres morituros præuidit. In ea quoque mortalitate quæ ante triennium hanc vrbem vehementissima clade vastauit, in Portunensis ciuitatis monasterio Mellitus dictus est monachus adhuc in annis iuuenilibus constitutus, sed miræ simplicitatis atque humilitatis vir, qui appropinquante vocationis die, eadem clade percussus ad extrema deductus est. Quod vir vitæ venerabilis Fœlix eiusdem ciuitatis Episcopus audiens, cuius & hæc relatione cognoui, ad eum accedere studuit, & ne mortem timere debuisset, verbis hunc persuasoriis cõfortare, cui etiam adhuc de diuina misericordia longiora vitæ spatia polliceri cœpit. Sed ad hæc ille respondit, cursus sui tempora esse cõpleta, dicens apparuisse sibi iuuenem, atque epistolas detulisse, dicentem: Aperi & lege. Quibus apertis asseruit, quia se & omnes qui eodem tempore à prædicto Episcopo in paschali festiuitate fuerant baptizati, scriptos in eisdem epistolis literis aureis inuenisset. Primũ quidem, vt dicebat, suum nomen reperit, ac indẽ omnium illo in tempore baptizatorum. Qua de re certum tenuit, & se & illos de hac vita esse sub celeritate migraturos. Factúmque est vt die eadem ipse moreretur, atque post eum cuncti illi qui baptizati fuerant ita secuti sunt, vt intra paucos dies nullus eorum in hac vita remaneret. De quibus nimirum constat quòd eos prædictus Dei famulus idcirco auro scriptos viderat: quia eorum nomina apud se fixa æterna claritas habebat. Sic itaque hi reuelationibus potuerunt ventura cognoscere: ita nonnunquam egressuræ animæ possunt etiam mysteria cœlestia non per somnium, sed vigilando prælibare. Ammonium nanque monasterij mei monachum bene nosti, qui dum esset in seculari habitu constitutus, Valeriani huius vrbis aduocati naturalem filiam in coniugio sortitus, eius obsequiis sedulè atque incessanter adhærebat, & quæque in eiusdem domo agebantur, nouerat. Qui mihi iam in monasterio positus narrauit quòd in ea mortalitate, quæ patricij Narsi temporibus hanc vrbem vehementer afflixit, in domo prædicti Valeriani puer armentarius fuit præcipuæ simplicitatis & humilitatis. Cùm verò eiusdem aduocati domus eadem clade vastaretur, idem puer percussus est & vsque ad mortem deductus. Qui subitò sublatus à præsentibus rediit, sibíque dominum suum vocari fecit. Cui ait: Ego in cœlo fui, & qui de hac domo morituri sunt, agnoui. Ille, ille atque ille morituri sunt, tu verò ne timeas: quia in hoc tempore moriturus non es. Vt verò scias quòd me in cœlo fuisse verum fateor, ecce accepi illic vt linguis omnium loquar. Nunquid tibi incognitum fuit Græcã me linguam omnino non nosse? & tamen Græcè loquar, vt cognoscas an verum sit quòd me omnes linguas accepisse testificor. Cui tunc Græcè dominus suus locutus est, atque ita ille in eadem lingua respondit, vt cuncti qui aderant, mirarẽtur. In ea quoque domo prędicti Narsi spatarius Bulgar manebat. Qui festinè ad ægrum deductę ei Bulgarica lingua locutus est, sed ita puer ille in Italia natus & nutritus in eadem barbara locutione respondit, ac si ex eadem fuisset gente generatus. Mirati sunt omnes qui audiebant, atque ex duarum linguarum experimento quas eum antea nescisse nouerant, crediderunt de omnibus quas probare minimè valebant. Tunc per biduum mors eius dilata est, sed die tertio, quo occulto iudicio nescitur, manus ac brachia lacertósque suos dentibus laniauit, atque ita de corpore exiuit. Quo mortuo omnes illi quos prædixerat, ex hac protinus luce subtracti sunt, nullúsque in illa domo eadem tempestate defunctus est, qui voce illius denuntiatus non est.

Notarem miram.

Mors terribilis pueri.

Petrus:

VAlde terribile est, vt qui tale donum percipere meruit, tali etiam post hoc pœna plecteretur.

Gregorius:

QVis occulta Dei iudicia sciat? Ea quæ in diuino examine cõprehendere nõ possumus, timere magis quàm discutere debemus.

De morte Theophanij comitis. Caput XXVII.

VT autem de egredientibus animabus quæ multa prænoscunt, ea quę cœpimus, exequamur, neque hoc silẽdũ est quod de Theophanio † Centerelensis vrbis comite in eadem vrbe posito multis attestantibus agnoui. Fuit nanque vir misericordiæ actibus deditus, bonis operibus intentus, hospitalitati pręcipuè studens. Exercẽdis quidem comitatus curis occupatus, agebat terrena & temporalia, sed vt pòst in fine clatuit, magis ex debito quàm ex intẽtione. Nam dum appropinquãte mortis eius tempore grauissima aẽris tempestas obsisteret, ne ad sepeliendum duci potuisset, cúmque vxor sua cum fletu vehementissimo inquireret, dicens: Quid faciam? quomodo tę ad sepeliendum eijcio, quæ ostium domus huius egredi præ nimia tempestate non possum? Tunc ille respõdit: Noli mulier flere: quia mox vt ego defunctus fuero, aẽris serenitas redibit. Cuius protinus vocem mors & mortem serenitas secuta est. Quod signum etiam alia signa sunt comitata. Nam manus eius & pedes podagrę humore tumescentes versi in vulneribus fuerant: & profluente sanie putebant. Sed dũ corpus eius ex more ad lauandum fuisset nudatum, ita manus pedésque eius sani inuenti sunt, ac si vnquam vulneris nihil habuissent. Ductus itaque ac sepultus est, eiúsque coniugi visum est, vt quarto die in sepulchro illius marmor quod superpositum fuerat, mutari debuisset. Quod videlicet marmor corpori eius superpositum dum fuisset ablatum, tanta ex corpore ipsius fragãtia odoris emanauit, ac si ex putrescente carne illius pro vermibus aromata ferbuissent. Quod factum dũ narrãte me in homiliis infirmis quibusdam venisset in dubiũ, die quadam sedente me in conuentu nobilium, ipsi artifices qui in sepulchro illius marmor mutauerant, affuerunt, aliquid me de propria causa rogaturi. Quos ego de eodem miraculo coram clero, nobilibus ac plebe requisiui, qui & eadem odoris fragrãtia miro modo se repletos fuisse testati sunt. Et quædam alia in augmento miraculi, quæ nunc narrare longum æstimo, de eodem sepulchro eius addiderunt.

† Ar. Centellensis.

Theophanius comes futura prædixit.

Petrus:

INquisitioni meæ sufficienter iam video satisfactũ, sed hoc est adhuc quod quæstione animum pulsat: quia cum superius dictum sit, esse iam sanctorum animas in cœlo, restat proculdubio vt iniquorum quoque animæ esse non nisi in inferno credantur. Et quid hac de re veritas habeat, ignoro. Nam humana æstimatio non habet peccatorum animas ante iudicium posse cruciari.

Quòd sicut perfectorum animæ in cœlo, ita post dissolutionem corporum iniquorum animæ in inferno esse credendæ sint. Caput XXVIII.

Gregorius:

SI esse sanctorum animas in cœlo sacri eloquij satisfactionem credidisti, oportet vt per omnia esse credas & iniquorum animas in inferno: quia ex retributione æternæ iustitiæ ex qua iusti iam gloriantur, necesse est per omnia vt & iniusti crucientur. Nam sicut electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est quòd à die exitus sui ignis reprobos exurat.

Petrus.

ET qua ratione credendum est: quia rem incorpoream tenere ignis corporeus possit?

Qua ratione credendum sit, vt incorporeos spiritus tenere ignis corporeus possit. Caput XXIX.

Gregorius:

SI viuentis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem, cùm incorporeus sit spiritus, etiã corporeo igne teneatur?

Petrus:

IN viuente quolibet idcirco incorporeus spiritus tenetur in corpore, quia viuificat corpus.

Gregorius:

SI incorporeus spiritus Petre in hoc teneri potest quod viuificat, quare non pœnaliter & ibi teneatur vbi mortificatur? Teneri autem spiritum per ignem dicimus vt in tormẽto ignis, videndo atque sentiendo puniatur. Ignem nanque eo ipso patitur quòd videt: & quia cremari se aspicit, crematur. Sícque fit vt res corporea incorporeã exurat, dum ex igne visibili ardor ac dolor inuisibilis trahitur, & per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporea flamma crucietur: quanuis colligere ex dictis Euangelicis possumus, quia incendium anima non solùm videndo, sed etiam experiendo patia-

Corporeus ignis in spiritum peccatoris agit.

tur. Veritatis etenim voce diues mortuus in inferno dicitur
Luc. 16. sepultus. Cuius anima quia in igne teneatur, insinuat voce
diuitis qui Abraham deprecatur, dicens: Mitte Lazarum vt
intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam
meam, quia crucior in hac flamma. Dum ergo peccatorem
diuitem damnatum veritas in ignem perhibet, quisnam sa-
piens reproborum animas teneri ignibus neget?

Petrus:

ECce ratione ac testimonio ad credulitatē flectitur ani-
mus, sed dimissus iterum ad rigorem redit. Quomodo
enim res corporea rem incorpoream teneat, atque affligere
posit, ignoro.

Gregorius:

DIc quæso te, apostatas spiritus à cœlesti gloria deiectos,
esse corporeos, an incorporeos suspicaris?

Petrus:

QVis sanum sapiens, esse spiritus corporeos dixerit.

Gregorius:

GEhennæ ignem esse incorporeum, an corporeum fate-
ris?

Petrus:

IGnem gehennæ corporeum esse non ambigo, in quo cer-
tum est corpora cruciari.

Gregorius:

Matth. 25. CErtè reprobis veritas in fine dictura est: Ite in ignem ę-
ternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Si igitur
diabolus eiusque angeli, cùm sint incorporei, corporeo sunt
igne cruciandi, quid mirum si animæ, & antequam recipiant
corpora, possint corporea sentire tormenta?

Petrus:

PAtet ratio, nec debet animus de hac vlterius quæstione
dubitare.

De morte Theodorici regis Ariani. Caput XXX.

Gregorius.

POstquam laboriosè credidisti, operæ precium credo si
ea quæ mihi à viris fidelibus sunt digesta, narrauero. Iu-
lianus nanque huius Romanę Ecclesiæ, cui Deo authore de-
seruio, secundus defensor, qui ante septem fermè annos de-
G functus est ad me adhuc in monasterio positum crebrò ve-
niebat, & mecum colloqui de animæ vtilitate consueuerat.
Hic itaque mihi quadam die narrauit, dicens: Theodorici re-
gis temporibus pater soceri mei in Sicilia exactionem cano-
nis egerat, atque iam ad Italiam redibat. Cuius nauis appulsa
est ad insulam, quæ Liparis appellatur. Et quia illic vir quidā
solitarius magnæ virtutis habitabat, dum nautæ nauis arma-
menta repararēt, visum est prædicto patri soceri mei ad cun-
dem virum Dei pergere, séque eius orationibus commenda-
re. Quos vir Domini cùm vidisset, eis inter alia colloquens
dixit: Scitis quia rex Theodoricus mortuus est? Cui illi pro-
tinus responderunt. Absit, nos eum viuentem dimisimus, &
nihil tale ad nos de eo nunc vsque perlatum est. Quibus Dei
famulus addidit, dicens. Etiam mortuus est: nam hesterno die
hora nona inter Ioannem papam & Symmachum patricium
discinctus atq; discalceatus, & vinctis manibus deductus, in
H hanc vicinam Vulcani ollam iactatus est. Quod illi audien-
tes sollicitè conscripserunt diem, atque in Italia reuersi, eo
die Theodoricum regem inuenerunt fuisse mortuum, quo
de eius exitu atque supplicio Dei famulo fuerat ostensum.
Et quia Ioannem papam affligēdo in custodia occidit, Sym-
machum quoque patricium ferro trucidauit, ab illis iustè in
ignem missus apparuit, quos in hac vita iniustè iudicauit.

De morte Reparati. Caput XXXI.

EOdem quoque tempore quo primum remotæ vitę desi-
derio anhelabam, quidam honestus senex Deusdedit
nomine, valde huius vrbis nobilibus amicus, mihi quoque in
amicitiis fedulè iungebatur, qui mihi narrabat, dicens: Got-
thorum tempore quidā spectabilis vir, Reparatus nomine,
venit ad mortem. Qui dum diu iam commutatus ac rigidus
iaceret, visum est quòd ab eo funditùs flatus vitalis exisset,
atque exanime remansisset corpus. Cúmque & multi qui
conuenerant, & eum iam mortuum familia lugeret, subitò
rediit, & cunctorum plangentium in stuporem versæ sunt la-
chrymæ. Qui reuersus ait: Citius ad Ecclesiam beati Lauren-
tij martyris quæ ex nomine conditoris Damasci vocatur,
E puerum mittite, & quid de Tyburtio presbytero agatur, vi-
deat, & renuntiare festinet. Qui videlicet tunc Tyburtius
carnalibus desideriis subiacere ferebatur. Cuius adhuc vitæ
morūmque bene quoque Florentius eius nunc Ecclesiæ
presbyter meminit. Cùm verò puer pergeret, narrauit idem
Reparat? qui ad se reuersus fuerat, quòd illū vbi duct? fuerat
agnouit dicens: Paratus fuerat rogus ingens, deductus autem
Tyburtius presbyter in eo est superpositus, atque supposito
igne non crematus. Alius autem parabatur rogus, cuius à ter-
ra in cœlum cacumen tendi videbatur. Cui emissa voce cla-
matum est, cuius esset. His igitur dictis statim Reparatus de-
functus est, puer verò qui transmissus fuerat ad Tyburtium, *Reparatus loca pœnarum vidit.*
iam eum mortuum inuenit. Qui videlicet Reparatus ductus
ad loca pœnarum dum vidit, rediit, narrauit, & obiit, apertè
monstratur: quia nobis illa, non sibi viderit, quibus dum ad-
huc concessum est viuere, licet etiam à malis operibus emen-
dare. Rogum verò construi Reparatus vidit, non quòd a-
pud infernum ligna ardeant, vt ignis fiat: sed narraturus hæc
F viuentibus, illa de incendio prauorum vidit, ex quibus nu-
triri apud viuentes corporeus ignis solet: vt per hæc assueta
† viuentes discerent quid de insuetis timere debuissent. † al. audiētes.

De morte curialis cuius sepultura incensa est. Caput XXXII.

TErribile etiam quiddam in Valeriæ prouincia contigis-
se vir vitæ venerabilis Maximinianus Syracusanus Epi-
scopus, qui diu in hac vrbe meo monasterio præfuit, narra-
re consueuit, dicens: Quidam curialis illic sacratissimo Pa-
schali sabbato iuuenculam cuiusdam filiam in baptismate
suscepit. Qui post ieiunium domum reuersus, multóque vi-
no inebriatus, eandem filiam suam secum manere petiit, eámque
nocte illa, quod dictu nefas est, perdidit. Cúmque manè
facto surrexisset, reus cogitare cœpit vt ad balneum perge-
ret, ac si aqua balnei lauaret maculam peccati. Perrexit igitur,
lauit, cœpítque trepidatè Ecclesiam ingredi. Sed si tanto die
non iret ad Ecclesiam, erubescebat homines: si verò iret, per-
timescebat iudicium Dei. Vicititque humana verecundia,
perrexit ad Ecclesiam: sed tremebundus ac pauens stare cœ-
pit, atque per singula momenta suspectus qua hora immun-
do spiritui traderetur, & coram omni populo vexaretur.
Cúmque vehementer timeret, ei in illa Missarum celebritate
quasi aduersi nihil contigit. Qui lætus exiit, & die altero Ec-
clesiam iam securus intrauit. Factúmque est vt per sex con-
tinuos dies lætus ac securus procederet, æstimans quòd eius
scelus Dominus aut non vidisset, aut visum misericorditer
† auertisset. Die autem septimo subita morte defunctus est. † al. dimi-sisset.
Cúmque sepulturæ traditus fuisset, per longum tempus cun- *Ossa curialis in sepulchro arsa.*
ctis videntibus de sepulchro illius flamma exiit, & tam diu
ossa eius concremauit, quousque omne sepulchrum consu-
meret, & terra quæ in tumulum collecta fuerat, defossa vide-
retur. Quod videlicet omnipotens Deus faciens, ostendit
quid eius anima in occulto pertulit, cuius etiam corpus ante
humanos oculos consumpsit. Qua in re nobis quoque hæc
audientibus exemplum formidinis dare dignatus est: quate-
nus ex hac consideratione colligamus quid anima viuens ac
sentiens pro reatu suo patitur, si tanto ignis supplicio etiam
insensibilia ossa concremantur.

Petrus:

NOsse velim, si vel boni bonos in regno, vel mali malos
in supplicio agnoscant.

Si boni bonos in regno, & malos in supplicio agnoscunt. Caput XXXIII.

Gregorius:

HVius rei sententia in verbis est dominicis, quam iam su-
perius protulimus, luce clarius demonstrata. In quibus
cùm dictum esset: Homo quidem erat diues, & induebatur Luca 16.
purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè: & erat
quidem mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuā eius
vlceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de
mensa diuitis, & nemo illi dabat: sed & canes veniebant &
lingebant vlcera eius: subiūctum est, quòd mortuus Lazarus
portatus est ab angelis in sinu Abrahæ, & mortuus diues, se-
pultus est in inferno. Qui eleuās oculos suos cùm esset in tor-
mentis,

mentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius, &
ipse clamauit, dicens: Pater Abraham miserere mei, & mitte
Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refri-
geret linguam meam: quia crucior in hac flamma. Cui Abra-
ham dixit: Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, &
Lazarus similiter mala. Diues autem iam spem salutis de sei-
pso non habens, ad promerendam suorum salutem conuerti-
tur, dicens: Rogo te pater vt mittas eum in domum patris
mei: habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi
veniant in locum hunc tormentorum. Quibus apertè decla-
ratur, quia & boni bonos, & mali malos cognoscūt. Si enim
Abraham Lazarum minimè recognouisset, nequaquam ad
diuitem in tormentis positum de transacta eius contritione
loqueretur, dicens, quòd mala receperit in vita sua. Et si mali
malos non recognoscerent, nequam diues in tormentis posi-
tus, fratrum suorū etiam absentium meminisset. Quomodo
enim præsentes non posset agnoscere, qui etiam memoriam
Boni malos, & bonos mali recognoscēt post mortem. curauit exorare? Qua in re illud quoque ostenditur quod ne-
quaquam ipse requisisti: quia & boni malos, & mali cogno-
B scunt bonos. Nam diues ab Abraham cognoscitur, cui dictū
est: Recepisti bona in vita tua. Et electus Lazarus à reprobo
est diuite cognitus, quem mitti precatur ex nomine, dicens:
Mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, &
refrigeret linguam meam. In qua videlicet cognitione vtri-
usque partis, cumulus retributionis excrescit: vt & boni am-
plius gaudeant, qui secum eos lætari conspiciunt quos ama-
uerunt, & mali dum cum eis torquentur quos in hoc mundo,
despecto Deo, dilexerunt, eos non solùm sua, sed etiam eo-
rum pœna consumat. Fit autem in electis quiddam mirabi-
lius: quia non solùm eos agnoscunt quos in hoc mundo no-
uerant, sed velut viros visos ac cognitos recognoscunt bo-
nos quos nunquam viderunt. Nam cùm antiquos patres in il-
la æterna hæreditate viderint, eis incogniti per visionem nō
erunt, quos in opere semper nouerunt. Quia enim illic om-
nes communi claritate Deum conspiciunt, quid est quod ibi
nesciant, vbi scientem omnia sciunt?

De quodam religioso qui prophetas moriens vidit. Caput XXXIIII.

NAm quidam noster religiosus vir vitæ valde laudabilis,
cùm ante hoc quadriennium moreretur, sicut religiosi
alij qui præsentes fuerunt testati sunt, in hora exitus sui Io-
Mortēs prophetas vidit. nam prophetam, Ezechielem quoque & Danielem cœpit a-
spicere, eosq; dominos suos ex nomine clamare. Quos dum
ad se venisse diceret, & depressis luminibus eis reuerentiæ
obsequium præberet, ex carne eductus est. Qua in re apertè
datur intelligi, quæ erit in illa incorruptibili vita notitia, si vir
iste adhuc in carne corruptibili positus, prophetas sanctos
quos nimirum nunquam viderat, agnouit.

Quòd se etiam ignotæ animæ nonnunquam exituræ cognoscunt, quæ vel pro culpis tormenta, vel bonis actibus similia sunt præmia recepturæ: & de morte Ioannis, & Vrsi, atque Eumorphij, & Stephani. Cap. XXXV.

SOlet autem plerunque contingere vt egressura anima eos
D etiam recognoscat, cum quibus pro æqualitate culparum,
vel etiam præmiorum, in vna est mansione deputanda. Nam
vir vitæ venerabilis Eleutherius senex, de quo præcedente
libro multa narraui, in monasterio suo germanum fratrem
nomine Ioannem se habuisse perhibuit, qui ante dies qua-
tuordecim suum fratribus exitum prædixit. Cúmque decre-
scentes quotidie computarent dies, ante triduum quàm vo-
caretur ex corpore, febre correptus est. Ad horam verò mor-
tis veniens, mysterium dominici corporis & sanguinis acce-
pit. Vocatíque fratribus coram se psallere præcepit, quibus
tamen antiphonam ipse per semetipsum de semetipso impo-
Antiphona Ioannis. suit, dicens: Aperite mihi portas iustitiæ, & ingressus in eas
confitebor Domino: hæc porta Domini, iusti intrabunt per
eam. Cúmque coram eo assistentes fratres psallerent, emissa
subitò & producta voce clamauit, dicens: Vrse veni. Quod
mox vt dixit, eductus è corpore mortalē vitā finiuit. Mirati
sunt fratres: quia hoc quod moriēs frater clamauerat, ignora-
bant. Quo defuncto, in monasterio facta est magna tristitia.
Quarto autem die quiddam fratribus necessarium fuit, vt ad
monasterium aliud longè positum transmitterent. Illuc ergo
A euntes fratres, omnes eiusdem monasterij monachos tristes
vehementer inuenerunt. Quibus cùm dicerent, quid habetis
quod vos in tanto mœrore deprimitis? Responderunt dicen-
tes: Loci huius desolationem gemimus, quia vnus frater cuius
nos vita in hoc monasterio continebat, hodie quartus est dies
quòd ex hac luce subtractus est. Cúmque fratres qui venerant
studiosè inquirerent qualiter dictus fuisset, responderunt: Vr-
sus. Qui vocationis eius horam subtiliter inquirentes, ipso
eum momento cognouerunt exisse de corpore, quo per loānem,
qui apud eos defunctus est, fuerat vocatus. Qua ex re
colligitur, quia vtrorúmque par fuerat meritum, essque da-
tum est vt in vna mansione socialiter viuerent, quibus è cor-
pore contigit socialiter exire. Sed neque hoc sileam quòd dū
adhuc laicus viuerem, atque in domo mea quæ mihi in hac vr-
be ex iure patris obuenerat, manerem: de quibusdam vicinis
meis me contigit agnouisse. Quædam nanque iuxta me vi- *Nota de Stephano & Eumorphio.*
B dua, Galla dicebatur. Hæc Eumorphium nomine iuuenem fi-
lium habebat, à quo nō longè quidam Stephanus qui alio no-
mine Optio dictus fuit, habitabat. Sed idem Eumorphius ad
extrema vitæ veniens, vocauit puerum suum eique præcepit,
dicens: Vade citius & dic Stephano Optioni vt concitus ve-
niat, quia ecce nauis parata est, vt ad Siciliam duci debeamus.
Cúmque hunc puer insanire crederet, & obedire recusaret,
cœpit ille vehementer imminere, dicens: Vade & nuntia illi
quod dico, quia non insanio. Egressus est puer vt ad Stepha-
num pergeret. Cúmque in medium iter venisset, ei alius qui-
dam obuius factus est, qui hunc requisiuit, dicens: Quo vadis?
Cui illle respōdit: Ad Stephanum Optionem à domino meo
missus sum. Atque ille protinus dixit: Ab eo venio, sed ante
me hac hora defunctus est. Reuersus verò est puer ad Eu-
morphium dominum suum, sed iam eum mortuum inuenit.
Sícque factum est vt dum alter obuiam venit, & ex medio iti-
nere puer reuersus est, vt ex mensura spatij potuisset colligi
quia vno momento vtrique fuerant vocati.

C Petrus:

TErribile est valde quod dicitur: sed quæso te cur egredię-
ti animæ nauis apparuit, vel cur se ad Siciliam duci mori-
turus prædixit?

Gregorius:

ANima vehiculo non eget: sed mirum non est si adhuc ho-
mini in corpore posito illud apparuit, quod per corpus
assueuerat videre, vt per hoc intelligi daretur quò eius anima
spiritaliter duci potuisset. Quòd verò se ad Siciliam duci te-
status est, quid sentiri aliud potest, nisi quòd præ cæteris locis
in eius terræ insulis eructante igne tormentorum ollæ patue-
runt? Quæ, vt solent narrare qui nouerunt, laxatis quotidie si-
nibus excrescunt, vt mundi termino appropinquante, quantò
certum est illuc amplius exurendos colligi, tantò & eadem
tormentorum loca amplius videātur aperiri. Quod omnipo-
tens Deus ad correptionem viuentium in hoc mundo voluit
ostendi, vt mentes infidelium, quæ inferni tormenta esse non
D credunt, tormentorum loca videant, quæ audita credere recu-
sant. Quod verò siue electi, siue reprobi, quorum communis
causa in opere fuerit, ad loca etiam communia deducantur,
veritatis nobis verba satisfacerent, etiam si exempla deessent.
Ipse quippe propter electos in Euangelio dicit: In domo pa-
tris mei mansiones multæ sunt. Si enim dispar retributio in il- Ioan. 14.
la æterna beatitudine non esset, vna potius mansio quàm mul-
tæ essent. Multæ ergo mansiones sunt, in quibus & distincti
bonorum ordines, & propter meritorum consortia commu-
niter lætantur: & tamen vnum denarium omnes laborantes
accipiunt. Qui multis mansionibus distinguuntur: quia & vna
est beatitudo quam illic percipiunt, dispar retributionis qua-
litas, quam per opera diuersa consequūtur. Quæ nimirum ve-
ritas iudicij sui diem denuntians, ait: Tunc dicam messoribus:
Colligite zizania, & ligate ea in fasciculos ad comburendum. Matth. 13.
Messores quippe angeli zizania ad comburendum in fascicu-
los ligant, cùm pares paribus in tormentis similibus sociant,
vt superbi cum superbis, luxuriosi cum luxuriosis, auari cum
auaris, fallaces cum fallacibus, inuidi cum inuidis, infide-
les cum infidelibus ardeant. Cùm ergo similes in culpa, ad

tormenta similia deducũtur, quia eos in locis pœnalibus angeli deputant, quasi zizaniorum fasciculos ad comburendũ ligant.

Petrus:

AD inquisitionem meam responsionis satisfactione patuit causa rationis. Sed quídnam est, quæso te, quòd nonnulli quasi per errorem extrahuntur è corpore, ita vt facti examines redeant, & eorum quisque audisse se dicat, quia ipse † non fuerit qui erat iussus deduci?

† nõ fuerat iussus deduci

De his qui quasi per errorem educi videntur è corpore, & de vocatione & reuocatione Petri monachi, & de morte & resuscitatione Stephani, ac de visione cuiusdam militis.

Caput XXXVI.

Gregorius:

HOc cùm sit Petre, si bene perpenditur, nõ error, sed admonitio est. Superna enim pietas ex magna misericordiæ suæ largitate disponit, vt nulli etiam post exitum repente ad corpus redeant, vt tormenta inferni quæ audita nõ crediderant, saltem visa pertimescant. Nam quidam Illyricianus monachus, qui in hac vrbe in monasterio mecũ viuebat, mihi narrare consueuerat: quia quodam tempore cùm adhuc in eremo moraretur, agnouerit quòd Petrus quidam monachus ex regione ortus Hiberiæ, qui ei in loco vastæ solitudinis, cui Euasa nomen est, inhærebat, sicut ipso narrante didicerat, profusquam eremum peteret, molestia corporis interueniente defunctus est: sed protinus corpori restitutus, inferni se supplicia atque innumera loca flammarum vidisse testabatur. Qui etiam quosdam huius seculi potentes in eisdem flãmis suspensos se vidisse narrabat. Qui cùm iam ductus esset vt in illas & ipse mergeretur, subitò angelum coruscí habitus apparuisse fatebatur, qui eum in ignem mergi prohiberet. Cui etiam dixit: Regredere, & qualiter tibi post hac vinendum sit, cautissimè attẽde. Post quam vocem paulatim recalescentibus membris ab æternæ mortis somno euigilans, cũcta quæ circa illum fuerant gesta, narrauit. Tantúsque se postmodum iciuniis vigiliísque constrinxit, vt inferni eum vidisse & pertimuisse tormenta, etiam si taceret lingua, conuersatio loqueretur. Quippe omnipotentis Dei mira largitate in morte actum est ne mori debuisset. Sed quia humanũ cor gratuis valde duritiæ esse solet: ita ipsa quoque pœnarum ostensio non æquè omnibus vtilis est. Nam illustris vir Stephanus, quem bene nosti, de semetipso mihi narrare consueuerat: quia in Constantinopolitana vrbe pro quadam causa demoratus, molestia corporis superueniente defunctus est. Cúmque medicus atque pigmentarius ad aperiendum eum atque condiendum esset quæsitus, & die eodem minimè inuentus, subsequẽte nocte corpus iacuit inhumatum. Qui ductus ad inferni loca, vidit multa quæ prius audita non credidit. Sed cùm præsidenti illic iudici præsentatus fuisset, ab eo receptus non est, ita vt diceret: Non hunc adduci, sed Stephanum ferrarium iussi. Statim reductus in corpore est, & Stephanus ferrarius qui iuxta eum habitabat, eadem hora defunctus est. Sícque probatum est vera fuisse verba quæ audierat, dum hæc effectus mortis Stephani demonstrauit. Ante triennium quoque in hac pestilentia quæ hanc vrbem clade vehemẽtissima depopulauit, in qua etiã corporali visu sagittæ cœlitùs venire, & singulos quosque ferire videbantur sicut nosti: Stephanus idem defunctus est. Quidam verò miles in hac eadem vrbe nostra percussus, ad extrema peruenit. Qui eductus è corpore exanimis iacuit, sed citius rediit, & quæ cum eo fuerãt gesta, narrauit. Aiebat enim, sicut tunc res eadem etiam multis innotuit: quia pons erat, sub quo niger atque caliginosus fœtoris intolerabilis nebulam exhalans fluuius decurrebat. Transacto autẽ ponte, amœna erant prata atque virentia, odoriferis herbarum floribus exornata, in quibus albatorum hominum conuenticula esse videbantur. Tantúsq; in eodẽ loco odor suauitatis inerat, vt ipsa suauitatis fragrantia illic deãbulantes, habitãtésq; satiaret. Ibi mãsiones erãt diuersorũ singulę, magnitudine lucis plenę. Ibi quędã miræ potentiæ ędificabatur domus, quæ aureis videbãt laterculis construi, sed cuius esset, non potuit agnosci. Erant verò super ripam prædicti fluminis nonnulla habitacula, sed alia exurgentis fœtoris nebula tangebat, alia autem exurgens fœtor è flumine minimè tangebat. Hęc verò erat in prędicto ponte probatio, vt quisquis per eum vellet iniustorum transire, in tenebrosum fœtẽtémque fluuium laberetur. Iusti verò quibus culpa non obsisteret, securo per eum gressu ac libero ad loca amœna peruenirent. Ibi se etiam Petrum Ecclesiasticæ familiæ maiorem, qui ante quadriennium est defunctus, deorsum positum in locis terrimis magno ferri pondere religatum ac depressum vidisse confessus est. Qui dum requireret cur ita esset, ea se dixit audisse quæ nos qui eum in hac Ecclesiastica domo nouimus, sciẽtes eius acta, recolimus. Dictum nanque est. Hæc idcireo patitur: quia siquid ei pro facienda vltione videbatur, ad inferendas plagas plus ex crudelitatis desiderio quàm obedientiæ seruiebat. Quod sic fuisse, nullus qui illum nouit, ignorat. Ibi se etiam quendam peregrinum presbyterum vidisse fatebatur, qui ad prædictum pontem veniens, tanta per eum authoritate transiit, quanta & hic synceritate vixit. In eodem quoque ponte hunc quem prædiximus Stephanum se recognouisse testatus est. Qui dũ transire voluisset, eius pes lapsus est, & ex medio corpore iam extra pontem deiectus, à quibusdam teterrimis viris ex flumine surgentibus per coxam deorsum, atque à quibusdã albatis & speciosissimis viris cœpit per brachia sursum trahi. Cúmque hoc luctamen esset, vt hunc boni spiritus sursum, mali deorsum, traherent, ipse qui hæc videbat, ad corpus reuersus est, & quid de eo plenius gestum sit, minimè cognouit. Qua in re de eiusdem Stephani vita datur intelligi: quia in eo mala carnis cum eleemosynarum operatione certabãt. Qui enim per coxas deorsum, per brachia trahebatur sursum, patet nimirum quia & eleemosynas amauerat, & carnis vitiis perfectè nõ restiterat, quæ eum deorsum trahebant. Sed in illo occulto arbitri examine quid in eo vicerit, & nos & eum qui vidit & reuocatus est, latet. Constat tamen, quia idem Stephanus postquam, sicut superius narrãui, & infera loca vidit, & ad corpus rediit, perfectè vitam minimè correxit, qui post multos annos de corpore adhuc in certamine vitæ & mortis exiit. Qua de re colligitur, quia ipsa quoque inferni supplicia cùm demonstrantur, aliis hoc ad adiutorium, aliis verò ad testimonium fiat: vt isti videant mala quæ caueant, illi verò eo amplius puniantur, quoniam inferni supplicia nec visa & cognita vitare voluerunt.

Stephanus quidam pœnas inferni vidit.

Miles quidam Atheronta & Elysios campos vidit.

Petrus:

QVid est hoc quæso te, quòd in amœnis locis cuiusdam domus laterculis aureis ædificari videbatur? Ridiculum est valde si credimus quòd in illa vita adhuc metallis talibus egeamus.

Quid sibi vult in amœnis locis domus instructio, & de Deusdedit cuius domus sabbato videbatur ædificari.

Gregorius:

QVis hoc si sanum sapit, intelligat? sed per hoc quod illic ostensum est, quisquis ille est, cui mansio ista cõstruebatur, apertè datur intelligi quid est quod hic operatur. Nam qui præmia æternę lucis eleemosynarum largitate promerebitur, nimirum constat, quia auro ædificat mansionem suam. Quod enim superius memoriam fugit vt dicerem, idem miles qui hæc viderat, narrabat quòd eosdem laterculos aureos ad ædificationem domus senes ac iuuenes, puellæ & pueri ferebant. Qua ex re colligitur, quia hi, quibus hic pietas facta est, ipsi illic operatores esse videantur. Hic etiam quidam iuxta nos Deusdedit nomine, religiosus habitabat, qui calciamenta solebat operari, de quo alter per reuelationem vidit quòd eius domus ædificabatur, sed in ea constructores sui solo die sabbati videbantur operari. Qui eiusdem viri postmodũ subtiliter vitam requirens, inuenit quia ex his quæ diebus singulis laborabat, quicquid ex victu atque vestitu superesse potuisset, die sabbato ad beati Petri Ecclesiam deferre consueuerat, atque indigentibus erogare. Qua ex re perpende: quia non immeritò ipsius fabrica sabbato crescebat.

Nota certamen.

Deusdedit suã domum sabbato tãtum ædificabat.

Petrus:

HAc de re mihi idoneè video satisfactum: sed quæso te, quid esse dicimus, quòd quorundam habitacula fœtoris nebula tangebantur, quorundam verò tangi non poterant: vel quid quòd pontem quidam & fluuium vidit?

Gregorius:

Gregorius:

Matt. 7. EX rerum Petre imaginibus pensantur merita causarum. Per pontem quippe ad amœna loca transire iustos aspexit: quia angusta valde est semita quæ ducit ad vitam. Et fœtentem fluuium decurrentem vidit: quia ad ima defluit quotidie carnalium hic putredo vitiorum. Et quorundam habitacula fœtoris nebula tangebat, quorundam verò ad ea tangi non poterant: quia sunt plerique qui multa iam bona opera faciunt, sed tamen adhuc carnalibus vitiis in cogitationis delectatione tanguntur. Et iustum valde est, vt illic nebula fœtoris assideat, quos hic adhuc carnis fœtor delectat. Vnde & eandem delectationem carnis esse beatus Iob in fœtore conspiciens, de luxurioso ac lubrico sententiam potulit, dicens: Iob 24. Dulcedo illius vermes. Qui autem perfectè cor ab omni delectatione carnis excutiunt, constat nimirum quia eorum habitacula fœtoribus non tanguntur. Et notandũ quòd idem fœtor esse & nebula visa fit: quia nimirum carnis delectatio mẽtem quam inficit obscurat, vt veri luminis claritatem non videat, sed vnde delectatur inferius, inde caliginem supernam patiatur.

Petrus.

PVtamus ne hoc auctoritate sacri eloquij posse monstrari, vt culpæ carnalium fœtoris pœna puniantur?

De pœna Sodomorum.

Gregorius:

Gen. 19. POtest. Nam libro Geneseos attestante didicimus, quia super Sodomitas Dominus ignem & sulphur pluit, vt eos & ignis incenderet, & fœtor sulphuris necaret. Quia enim amore illicito corruptibilis carnis exarserant, simul incendio & fœtore perierunt: quatenus in pœna sua cognoscerẽt, quia æternæ morti fœtoris sui se delectatione tradidissent.

Petrus:

DE his in quibus dubius fui, nihil mihi fateor quæstionis remansisse.

Quòd quorundam animæ adhuc in corpore positæ pœnale aliquid de spiritalibus vident: & de Theodoro puero.

Caput XXXVII.

SCiendum quoque est, quia nonnunquam animæ adhuc in suis corporibus positæ, pœnale aliquid de spiritalibus vident: quod tamẽn quibusdam ad ędificationem suam, quibusdam verò contingere ad ædificationem audientium solet. Nãis de quo in homiliis coram populo me narrasse iam memini, inquietus valde Theodorus nomine puer fuit, qui in monasterium meum fratrem suum necessitate magis quàm voluntate secutus est. Cui nimirum graue erat si quis pro salute sua aliquid loqueretur. Bona enim non solùm facere, sed etiam audire non poterat. Nunquam se ad sanctæ cõuersationis habitum venire iurando, irascendo, deridẽdo testabatur. In hac autem pestilentia quæ nuper huis vrbis populum magna ex parte consumpsit, percussus in inguine, est perductus ad mortem. Cúmque extremum spiritum ageret, conuenerunt fratres vt egressum illius orando protegerent. Iam corpus eius ab extrema parte fuerat præmortuum, in solo tantùm pectore vitalis adhuc calor anhelabat. Cuncti autem fratres tantò pro eo cœperunt enixius orare, quãtò eum iam videbant sub celeritate discedere. Tunc repente cœpit eisdem fratrbus assistentibus clamare, atque cum magnis vocibus orationes eorum interrumperẽ, dicens: Recedite. Ecce draconi ad deuorãdum datus sum, qui propter vestram præsentiam deuorare me non potest. Caput meum iam suo ore absorbuit: date locum vt non me amplius cruciet, sed faciat quod facturus est. Si ei ad deuorandum datus sum, quare propter vos moras patior? Tunc fratres cœperunt ei dicere: Quid est quod loqueris frater? signum tibi sanctæ crucis imprime. Respondit ille, dicens: Volo me signare, sed non possum: quia squamis huius draconis premor. Cúmque hoc fratres audirent, prostrati in terram cum lachrymis cœperunt pro ereptione illius vehementius orare. Et ecce subitò cœpit æger clamare dicens: Gratias Deo, ecce draco qui me ad deuorandum acceperat, fugit, orationibus vestris expulsus stare non potuit. Pro peccatis meis modò intercedite: quia conuerti paratus sum, & secularem vitam funditus relinquere. Homo ergo, qui, sicut iam dictum est, ab extrema corporis parte fuerat præmortuus, reseruatus ad vitam tõto corde ad Deum conuersus est. Et postquam mutatus mente diu est flagellis astrictus, tunc eius anima carne soluta est.

Theodorus puer prauus.

Theodori conuersio.

De morte Chrysorij & monachi cuiusdam Iconiæ.

Caput XXXVIII.

AT cõtra Chrysorius, sicut Probus propinquus illius, cuius ia in superius memoriam feci, narrare consueuit, vir in hoc mundo valde idoneus fuit, sed tantùm plenus vitiis quantum rebus, superbia tumidus, carnis suæ voluptatibus subditus, in requirendis rebus auaritiæ facibus accensus. Sed cùm tot malis Dominus finem ponere decreuisset, corporali hunc molestia percussit. Qui ad extremum veniens, eadem hora qua iam de corpore erat exiturus, apertis oculis vidit teterrimos viros & nigerrimos spiritus coram se assistere, & vehemẽter imminere, vt ad inferni claustra eum raperent. Cœpit tremere, pallescere, sudare, & magnis vocibus indũcias petere, filiúmque suum nomine Maximum, quem ipse iam monachus monachũ vidi, nimiis & turbatis vocibus vocare, dicens: Maxime curre. Nunquam tibi mali aliquid feci, in fide tua me suscipe. Turbatus mox Maximus affuit, lugens ac perstrepens familia conuenit. Eos autem, quos ille insistentes sibi grauiter tolerabat, ipsi malignos spiritus videre non poterant, sed eorum præsentiam, in confusione, & pallore, & tremore illius qui trahebatur, videbant. Pauore autem tetræ eorum imaginis huc illúcque vertebatur in lectulo, iacebat in sinistro latere, aspectum eorum ferre nõ poterat, vertebatur ad parietem, ibíque aderant. Cúmque constrictus nimis relaxari se iam posse desperaret, cœpitque magnis vocibus clamare: Indũcias vel vsque manè, indũcias vel vsque manè. Sed cùm hæc clamaret, in ipsis vocib⁹ de habitaculo suæ carnis euulsus est. De quo nimirum constat: quia pro nobis ista non pro se viderit, vt eius visio nobis proficiat quos adhuc diuina patientia longanimiter expectat. Nam illi tetros spiritus ante mortem vidisse, & indũcias petiisse quid profuit, qui easdem indũcias quas petiit, non accepit? Est etiam nunc apud nos Athanasius ex Isauria presbyter, qui in diebus suis Iconij rem terribilem narrat euenisse. Ibi nanque, vt ait, quoddam monasterium Thongolatum dicitur, in quo quidam monachus magnæ æstimationis habebatur. Bonis quippe cernebatur moribus, atque in omni sua actione compositus, sed sicut ex fine res patuit, longè aliter quàm apparebat, fuit. Nam cùm ieiunare se cum fratribus demonstraret, occultè manducare consueuerat. Quod eius vitium fratres omnino nesciebant. Sed corporis superueniente molestia, ad vitæ extrema perductus est. Qui cùm esset in fine, fratres ad se omnes qui monasterio inerant, congregari fecit. At illi tali, vt putabant, viro moriente, magnum quidẽ ac delectabile se ab eo audire crediderant. Quibus ipse afflictus & tremens compulsus est prodere, cui hostiũ traditus cogebatur exire. Nam dixit. Quando me vobiscum credebatis ieiunare, occultè comedebam, & ecce nunc ad deuorandum draconi traditus sum, qui cauda sua mea genua pedésque colligauit: caput verò suum intra meum os mittens, spiritum meum ebibens extrahit. Quibus dictis statim defunctus est, atque vt pœnitendo se liberare potuisset, à dracone quem viderat, expectatus non est. Quod nimirum constat, quia ad solam vtilitatem audientium viderit, qui eum hostem cui traditus fuerat, & innotuit, & non euasit.

Chrysorius vitiosus homo.

Petrus:

DOceri vellem, si post mortem purgatorius ignis esse credendus est.

An post mortem purgatorius ignis sit.

Caput XXXIX.

Gregorius:

IN Euangelio dicit Dominus: Ambulate dum lucẽ habetis. Per prophetam quoque ait: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiui te. Quod Paulus Apostolus exponens dicit: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nũc dies salutis. Salomon quoque ait: Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sciẽtia, nec sapiẽtia erit apud inferos quòd tu properas. Dauid quoq; ait: Quoniam in seculũ misericordia eius. Ex quibus nimirum sentẽtiis constat: quia qualis hinc quisque egreditur, talis in iudicio præsentatur. Sed tamen de quibusdam leuibus culpis esse ante

Ioan. 12. Esaiæ 49. 2. Cor. 6. Eccle. 9. Psal. 137.

iudicium purgatorius ignis credendus est, pro eo quòd veritas dicit: Quia si quis in sancto spiritu blasphemiam dixerit, neque in hoc seculo remittetur ei, neque in futuro. In qua sententia datur intelligi quasdam culpas in hoc seculo, quasdam verò in futuro posse laxari. Quod enim de vno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. Sed tamen, vt prædixi, hoc de paruis, minimísque peccatis fieri posse credendum est, sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix sine culpa vel ab ipsis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant, sciunt: aut in non grauibus rebus error ignorantiæ: quæ cuncta etiam post mortem grauant, si adhuc in hac vita positis minimè fuerint relaxata. Nam cùm Paulus dicat Christum esse fundamentum, atque subiungat: Si quis superædificauerit super hoc fundamentum aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit: si cuius opus manserit quod superædificauit, mercedem accipiet: si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Quanuis hoc de igne tribulationis in hac nobis vita adhibito posit intelligi, tamen si quis hoc de igne futuræ purgationis accipiat, pensandum sollicitè est, quia illum per ignem dixit posse saluari, non qui super hoc fundamentum ferrum, æs, vel plumbum ædificat, id est, peccata maiora, & idcirco duriora, atque tunc iam insolubilia: sed lignum, fœnum, stipulam, id est, peccata minuta atque leuissima, quæ ignis facilè consumat. Hoc tamen sciendum est: quia illic saltem de minimis nihil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus in hac adhuc vita positus, vt illic obtineat, promereatur.

Matth.12.

1.Corin.3.

De anima Paschasij diaconi. *Caput XL.*

NAm dum adhuc essem iuuenculus, atque in laico habitu constitutus, narrari à maioribus atque scientibus audiui, quòd Paschasius huius apostolicæ sedis diaconus, cuius apud nos rectissimi & luculenti de sancto spiritu libri extant, miræ sanctitatis vir fuerit, eleemosynarum maximè operibus vacans, cultor pauperum, & contemptor sui. Sed hic in ea contentione quæ inardescente zelo fidelium inter Symmachum atque Laurentium facta est, ad pontificatus ordinem Laurentium elegit, & omnium pòst vnanimitate superatus, in sua tamen sententia vsque ad diem sui exitus perstitit, illum amando atque præferendo, quem Episcoporum iudicio præesse sibi Ecclesia refutauit. Hic itaque cùm temporibus Symmachi Apostolicæ sedis præsulis esset defunctus, eius Dalmaticam feretro superpositam dæmoniacus tetigit, statímque sanatus est. Post multum verò temporis Germano Capuano Episcopo, cuius superius memoriam feci, medici pro corporis salute dictauerant, vt in Angulanis thermis lauari debuisset. Qui ingressus easdem thermas, prædictum Paschasium diaconum stantem & obsequentem in caloribus inuenit. Quo viso vehementer extimuit, & quid illic tantus vir faceret, inquisiuit. Cui ille respondit: Pro nulla alia causa in hoc pœnali loco deputatus sum, nisi quia in parte Laurentij contra Symmachum sensi. Sed quæso te, pro me Dominum deprecare. Atque in hoc cognosces quòd exauditus sis, si huc rediens me non inueneris. Qua de re vir Domini Germanus se in precibus strinxit, & post paucos dies rediit, sed iam dictum Paschasium in loco eodem minimè inuenit. Quia enim non malitiæ, sed ignorantiæ errore peccauerat, purgari post mortem à peccato potuit. Quod tamen credendum est, quia ex eleemosynarum suarum largitate hoc obtinuit, vt tunc posset promereri veniam cùm iam nihil posset operari.

Paschasij laus.

Dæmoniacus sanatus.

Paschasij error.

Petrus.

QVid hoc est quæso te, quòd in his extremis temporibus tam multa de animabus clarescunt, quæ ante latuerunt: ita vt apertis reuelationibus atque ostensionibus venturum seculum inferre se nobis atque aperire videatur?

Cur in extremis temporibus tam multa de animabus clarescunt, quæ antea latuerunt. *Caput XLI.*

Gregorius.

ITa est, nam quantum præsens seculum propinquat ad finem, tantum futurum seculum ipsa iam quasi propinquitate tangitur, & signis manifestioribus aperitur. Quia enim in hoc cogitationes nostras vicissim minimè videmus, in illo autem nostra in alterutrum corda conspicimus, quid hoc seculum nisi noctem, & quid futurum nisi diem dixerim? Sed quemadmodum cùm nox finiri & dies incipit oriri, ante Solis ortum simul aliquo modo tenebræ cum luce commixtæ sunt, quousque discedentis noctis reliquiæ in luce diei subsequentis perfectæ vertantur: ita huius mundi finis iam cum futuri seculi exordio permiscetur, atque ipsæ reliquiarum eius tenebræ quadam iam rerum spiritalium permixtione translucent. Et quæ illius mundi sunt, multa iam cernimus, sed necdum perfectè cognoscimus: quia quasi in quodam mentis crepusculo hæc velut ante Solem videmus.

Petrus.

PLacet quod dicis. Sed in tãto viro Paschasio hoc animum ad inquisitionem mouet, quòd post mortem ad pœnalem locum ductus est, cuius feretri vestis tangi potuit, & malignus spiritus ab obsesso homine fugari.

Gregorius.

HAc in re magna debet omnipotentis Dei dispensatio, & quàm sit multiplex, agnosci. Cuius iudicio actum est, vt idem vir Paschasius & ipse intus ad aliquãtum temporis reciperet quod peccasset: & tamen ante humanos oculos mira per corpus suum post mortem faceret, qui ante mortem eis quoque cognoscentibus pia opera fecisset: vt neque hi qui bona eius viderant, de eleemosynarum illius æstimatione fallerentur, neque ipsi sine vltione laxaretur culpa, quam nec esse culpam credidit, & idcirco hanc fletibus non extinxit.

Paschasius quomodo miraculum fecerit.

Petrus

PErpendo quæ dicis, veruntamen hac ratione constrictus, non solùm quæ intelligo, sed etiam ipsa quæ in me non intelligo, cogor iam peccata formidare. Sed quæso te, quia paulò superius sermo de locis pœnalibus inferni versabatur, vbinam esse infernum putamus: Super hanc terram, an sub hac terra esse credendus est?

Vbi esse infernus credendus sit. *Caput XLII.*

Gregorius.

HAc de re temerè diffinire non audeo. Nonnulli nanque in quadam terrarum parte infernum esse putauerunt. Alij verò hunc sub terra esse æstimant. Sed tamen hoc animum pulsat: quia si idcirco infernum dicimus, quia inferius iacet, quòd terra à cœlo est, hoc esse debet infernus à terra. Vnde & fortasse per Psalmistam dicitur: Liberasti animam meam ex inferno inferiori: vt infernus superior in terra, infernus verò inferior sub terra esse videatur. Et Ioannis vox in æstimatione ista concordat, qui cùm signatum librum septem sigillis vidisse se diceret: quia nemo inuentus est dignus neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum & soluere signacula eius, adiunxit: Et ego flebam multum. Quem tamen librum postea per leonem de tribu Iuda dicit aperiri. Quo videlicet libro quid aliud quàm sacra scriptura signatur? Quam solus Redemptor noster aperuit, qui homo factus, moriendo, resurgendo, ascendendo, cuncta mysteria quæ in eo fuerant clausa patefecit. Et nullus in cœlo, quia neque Angelus: nullus in terra, quia neque homo viuens in corpore: nullus subtus terram dignus inuentus est, quia neque animæ corpore exutæ aperire nobis præter Dominum sacri eloquij secreta potuerunt. Cùm ergo ad aperiendum librum nullus sub terra inuentus dignus dicitur, quid obstet non video, vt sub terra infernus esse credatur.

Psalm.85.

Apocal.5.

Infernus sub terra secreditur.

Petrus.

QVæso te: Vnus esse gehennæ ignis credendus est, an quanta peccatorum diuersitas fuerit, tanta quoque æstimanda sunt & ipsa incendia esse præparata?

Vtrum vnus gehennæ ignis sit, an diuersi. *Caput XLIII.*

Gregorius.

VNus quidem est gehennæ ignis, sed non vno modo omnes cruciat peccatores. Vniuscuiusque etenim quantum exigit culpa, tanta illic sentitur pœna. Nam sicut in hoc mundo sub vno Sole multi consistunt, nec tamen eiusdem Solis ardorem æqualiter sentiunt: quia alius plus æstuat, atque alius minus: ita illic in vno igne non vnus est modus incendij: quia quod

Vnus ignis est æterna pœna.

quod hic diuersitas corporum, hoc illic agit diuersitas peccatorum, vt & ignem non dissimilem habeant, & tamen eosdem singulos dissimiliter extirat.

Petrus:

NVnquid nam, quæso te, dicimus eos qui semel illic mersi fuerint, semper arsuros?

Si semper ardeant qui gehennæ incendiis deputantur. *Caput XLIIII.*

Gregorius:

CConstat nimirum & incunctãter verum est: quia sicut finis non est gaudio bonorum, ita finis non erit tormento malorum. Nam cùm veritas dicat: Ibunt impij in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam: quia verum est quod promisit, falsum proculdubio nõ erit quod minatus est Deus.

Matth.25.

Petrus:

QVid siquis dicat: Idcirco peccantibus æternam pœnam minatus est, vt eos à peccatorum perpetratione compesceret?

Gregorius:

SI falsum est quod minatus est, vt ab iniustitia corrigeret: etiam falsa est pollicitus, vt ad iustitiam prouocaret. Sed quis hoc dicere vel insanus præsumat? Et si minatus est quod non erat impleturus, dum asserere eum misericordem volumus, fallacem, quod dici nefas est, prædicare compellimur.

Petrus:

SCire velim quomodo iustum sit vt culpa quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur.

Gregorius:

HOc rectè diceretur, si districtus iudex non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt: quia cum fine vixerũt. Nam voluissent vtique si potuissent sine fine viuere, vt potuissent sine fine peccare. Ostẽdunt enim quia in peccato semper viuere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare dum viuunt. Ad magnam ergo iustitiam iudicantis pertinet, vt nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato.

Petrus:

SEd nullus iustus crudelitate pascitur, & delinquẽs seruus à iusto domino idcirco cædi præcipitur, vt à nequitia corrigatur. Ad hoc ergo vapulat, vt emẽdari debeat. Iniqui autem gehennæ ignibus traditi, si ad correctionem non perueniunt, quo fine semper ardebunt?

Gregorius:

OMnipotens Deus, quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur: quia verò iustus est, ab iniquorum vltione in perpetuum non sedatur. Sed iniqui omnes æterno supplicio deputati, sua quidem iniquitate puniuntur, & tamen ad aliquid ardebunt, scilicet vt iusti omnes & in Deo videant gaudia quæ percipiunt, & in illis respiciant supplicia quæ euaserunt: quatenus tantò magis in æternum gratiæ diuinæ debitores se esse cognoscant, quantò in æternum mala punire conspiciunt, quæ eius adiutorio vicerunt.

Cur mali æternaliter puniantur.

Petrus:

ET vbi est quòd sancti sint si pro inimicis suis quos tunc ardere vident, non orabunt, quibus vtique dictum est: Pro inimicis vestris orate?

Gregorius:

PRo inimicis suis orant eo tempore quo possunt ad fructuosam pœnitẽtiam eorum corda conuertere, atque ipsa † conuersatione saluare. Quid enim aliud pro inimicis orandum est, nisi hoc quod Apostolus ait: Vt det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendum veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo capti tenentur ad ipsius voluntatem?

†al. conuersione.

Petrus:

PLacet quod dicis. Et quomodo pro illis tunc orabunt, qui iam nullatenus possent ad iustitiæ opera ab iniquitate commutari?

Gregorius:

EAdẽ itaque causa est cur non oretur tunc pro hominibus igni æterno damnatis, quæ nũc etiam causa est vt nõ oretur pro diabolo angelisque eius æterno supplicio deputatis. Quæ nunc etiam causa est, vt non orent sancti homines pro hominibus infidelibus, impiisque defunctis: quia pro eis vtique eos æterno deputatos supplicio iam nouerunt, ante illum iudicis iusti conspectum orationis suæ meritum cassari refu-

Sancti cur pro damnatis nõ orent. Nõ orandũ pro impijs defunctis.

giunt. Quòd si nunc quoque viuentes iusti mortuis & damnatis iniustis minimè compatiuntur, quando adhuc aliquid iudicabile de sua carne sese perpeti etiam ipsi nouerunt, quantò districtius tunc iniquorum tormenta respiciunt, quando ab omni vitio corruptionis exuti, ipsi iam iustitiæ vicinius atque arctius inhærebunt? Sic quippe eorum mentes per hoc quod iustissimo iudici inhærent, vis districtionis absorbet, vt omnino eis non libeat, quicquid ab illius æternæ regulæ subtilitate discordat.

Petrus:

NOn est iam quod respondere debeam apertæ rationi. Sed hæc nunc quæstio mentem mouet, quomodo anima immortalis dicitur, dum constet quòd in perpetuo igne moriatur?

Quomodo anima immortalis dicitur, si constat quòd mortis damnatione puniatur. *Caput XLV.*

Gregorius:

QVia duobus modis vita dicitur, duobus etiam modis mors debet intelligi. Aliud nanque est quòd in Deo viuimus, aliud verò quòd in hoc quòd cõditi vel creati sumus, id est, aliud beatè viuere, atque aliud est essentialiter. Anima itaque & mortalis esse intelligitur, & immortalis. Mortalis quippe: quia beatè viuere amittit. Immortalis autem, quia essentialiter viuere nunquam desinit, & naturæ suæ vitam perdere non valet, nec cùm in perpetua fuerit morte damnata. Illic enim posita beata esse perdit, & esse non perdit. Qua re cogitur semper vt & mortem sine morte, & defectum sine defectu, & finem sine fine patiatur. Quatenus ei & mors immortalis sit, & defectus indeficiens, & finis infinitus.

Anima & mortalis & immortalis est.

Petrus:

QVis hanc tam inexplicabilem damnationis sententiam cuiuslibet sit operis, ad exitum veniens non pertimescat, quando etsi iam nouit quod egit, adhuc tamen facta illius quàm subtiliter iudicentur, ignorat?

De quodam sancto viro qui veniens ad mortem expauit. *Caput XLVI.*

Gregorius:

VT asseris ita est Petre. Sed plerunque de culpis minimis ipse solus pauor egredientes iustorum animas purgat, sicut narrari de quodam sancto viro mecum frequenter audisti. Qui ad mortem veniens vehemẽter timuit, sed post mortem discipulis in stola candida apparuit, & quàm præclarè sit susceptus, indicauit.

Quòd quidam ne in morte timeant, reuelatione roborantur. Et de Antonio, & Merulo, & Ioanne monachis. *Caput XLVII.*

NOnnunquam verò omnipotens Deus trepidantium mẽtes quibusdam prius reuelationibus roborat, vt in morte minimè pertimescãt. Nam quidam mecũ in monasterio frater Antonius nomine viuebat, qui multis quotidianis lachrymis ad gaudia patriæ cœlestis anhelabat. Cúmque studiosissimè, & magno feruoris desiderio sacra eloquia meditaretur, non in eis verba scientiæ, sed fletũ compunctionis inquirebat. Quatenus per hæc excitata mens eius inardesceret, & intra deserens ad regionem cœlestis patriæ per contemplationem volaret. Huic per visionem nocturnam dictum est: Paratus esto, quia Dominus iussit migrare te. Cúmque ille non habere se sumptus ad migrandam diceret, responsum protinus audiuit, dicens: Si de peccatis tuis agitur, dimissa sunt. Quod cùm semel audisset, & magno adhuc metu trepidaret, nocte quoque alia eisdem verbis est admonitus. Tunc post quinque dies febre correptus, cunctis fratribus orantibus flentibúsque defunctus est.

Antonij visio.

ALius etiam frater in eodem monasterio Merulus dicebatur, vehementer lachrymis atque eleemosynis intentus. Psalmodia verò ex ore illius penè nullo tempore cessare consueuerat, excepto cùm aut alimentum corpori, aut membra dedisset sopori. Huic nocturna visione apparuit quòd ex albis floribus corona de cœlo in caput illius descendebat. Quẽ mox molestia corporis occupatus, cũ magna securitate animi atque hilaritate defunctus est. Ad cuius sepulchrũ dũ Petrus, qui nũc monasterio meo præest, sibi sepulturã facere post annos quatuodecim voluisset, tanta, vt asserit de eodem sepul-

Meruli visio nocturna.

chro illius fragrantia suauitatis emanauit, ac si illic florum omnium fuissent odoramenta congregata. Qua ex re manifestè patuit quàm verum fuit quod per nocturnam visionem vidit.

Ioannis visio.

IN eodem quoque monasterio alius quidam Ioannes dictus est, magnæ indolis adolescens, qui ætatem suam intellectu & humilitate, dulcedine & grauitate transigebat. Huic ægrotanti atque ad extremum deducto, per nocturnam visionem quidam senex apparuit, & hunc virga tetigit, eique dixit: Surge. Ex hac enim molestia modò minimè morieris, sed paratus esto, quia longum tempus hîc facturus non eris. Qui dum iam esset à medicis desperatus, repentè sanatus est atque conualuit. Rem quam viderat, narrauit: seque per biennium in Dei seruitio, sicut prædixi, vltra ætatis suæ annos exhibuit. Ante hoc autem triennium, cùm quidam frater fuisset mortuus, atque in eiusdem monasterij cœmeterio à nobis sepultus, cunctis nobis ab eodem cœmeterio exeuntibus idem Ioannes, sicut postmodum pallens & tremens indicauit, illic nobis discedentibus inuentus, ab eodem fratre qui mortuus fuerat, de sepulchro vocatus est. Quod mox etiam subsequens finis edocuit. Nam post dies decem inuasus febribus, carne solutus est.

Petrus.

DOceri velim si hoc quod per nocturnas visiones ostenditur, debeat obseruari.

An obseruanda sint somnia, & quot sint modi somniorum.

Caput XLVIII.

Gregorius.

Somniorum sex modi.

IN hoc Petre sciendum est: quia sex modis tangunt animum imagines somniorum. Aliquando nanque somnia ventris plenitudine vel inanitate, aliquãdo verò illusione, aliquando cogitatione simul & illusione, aliquando reuelatione, aliquando autem cogitatione simul & reuelatione generantur. Sed duo quæ primò diximus, omnes experimento cognoscimus: subiuncta autem quatuor, in sacræ scripturæ paginis inuenimus: Somnia etenim nisi plerunque ab occulto hoste per illusionem fierent, nequaquam aut vir sapiens indicaret, dicens: Multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis. Et iterum: Non augurabimini, nec obseruabitis somnia. Quibus profectò verbis cuius sint detestationis ostenditur quæ auguriis coniunguntur. Rursum nisi aliquando ex cogitatione simul & illusione procederent, vir sapiens minimè dixisset: Multas curas sequuntur somnia. Et nisi aliquando somnia ex mysterio reuelationis orirentur, nec Ioseph præferendum se fratribus somnio videret, nec sponsum Mariæ, vt ablato puero in Aegyptum fugeret, per somnium Angelus admoneret. Rursum nisi aliquando ex cogitatione simul & reuelatione procederent, nequaquam Daniel Propheta Nabuchodonosor visionem differens, à radice cogitationis inchoasset, dicens: Tu rex cœpisti cogitare in stratu tuo quid esset futurum post hæc: & qui reuelat mysteria, ostendit tibi quæ ventura sunt, & paulò pòst videbas, & ecce quasi statua vna grandis, statua illa magna & statura sublimis stabat contra te, &c. Daniel itaq; dixit somnium, & implendum reuerenter insinuat, & ex qua ortum sit cogitatione manifestat, patenter ostenditur: quia hoc plerunque ex cogitatione simul & reuelatione generetur. Sed nimirum, cùm somnia tot rerum qualitatibus alternent, tantò eis credi difficilius debet, quantò & ex quo impulsu veniant facilius non elucet. Sancti autem viri inter illusiones atque reuelationes ipsas visionum voces aut imagines quodam intimo sapore discernũt, vt sciant, vel quid à bono spiritu percipiant, vel quid ab illusore patiantur. Nam si erga hæc mens cauta non fuerit, per deceptorem spiritum multis se vanitatibus immergit, qui nõnunquam solet multa vera prædicere, vt ad extremum valeat animam ex vna aliqua falsitate laqueare.

Ecclesi.34.

Leui.19.

Eccles 5.

De quodam, cui per somnium longa vitæ spatia promissa sunt, & in breui tempore morte resecata.

Caput XLIX.

Quidam somnio deceptus.

SIcut cuidam nostrũm nuper certum est cõtigisse, qui dum somnia vehementer attenderet, ei per somnium longa spatia huius vitæ promissa sunt. Cúmque multas pecunias pro longioris vitæ stipendiis colligisset, ita repẽte defunctus est vt intactas omnes relinqueret, & ipse secum nihil ex bono opere portaret.

Petrus.

QVis ille sit memini, sed quæso te ea quæ cœpimus exequamur: Putamúsne animabus aliquid prodesse si mortuorum corpora fuerint in Ecclesiis sepulta?

An prosit animabus si mortuorum corpora in Ecclesia fuerint sepulta.

Caput L.

Gregorius:

Sepeliri in Ecclesia quibus mortuis prosit.

QVos gratia peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis si in Ecclesia sepeliantur, quòd eorum proximi, quoties ad eadem sacra loca conueniunt, suorum quorum sepulchra conspiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt. Nam quos peccata gratia deprimunt, non ad absolutionem potius quàm ad maiorem damnationis cumulum eorum corpora in Ecclesiis ponuntur. Quod melius ostendere poterimus, si ea quæ diebus nostris gesta sunt, breuiter enarremus.

Cùm graeia.

De quadam sanctimoniali fœmina in Ecclesia sancti Laurentij sepulta, quæ dimidia apparuit incensa.

Caput LI.

VIr nanque vitæ venerabilis Felix Portuensis Episcopus, in Sabinensi prouincia ortus atq; nutritus est. Qui quandam sanctimonialem fœminam in loco eodem fuisse testatur, quæ carnis quidem continentiam habuit, sed linguæ procacitatem atque stultiloquium non declinauit. Hæc igitur defuncta, atque in Ecclesia sepulta est. Eadem autem nocte custos eiusdem Ecclesiæ per reuelationem vidit, quia deducta ante sacrum altare per medium secabatur, & pars vna illius igne cremabatur, & pars altera intacta remanebat. Cúmque hoc surgens mane fratribus narrasset, & locum ostenderet in quo fuerat igne consumpta, ipsa flammæ combustio ita ante altare in marmoribus apparuit, ac si illic eadem fœmina igne corporeo fuisset concremata. Qua ex re apertè datur intelligi, quia hi quibus peccata dimissa non fuerint, ad euidendum iudicium sacris locis post mortem non valeant adiuuari.

Monialis seminsta.

De Valeriani Patricij sepultura.

Caput LII.

IOannes quoque vir magnificus in hac vrbe locum præfectorum seruans, cuius grauitatis atque veritatis sit, nouimus: qui mihi testatus est Valerianum patricium in ciuitate quæ Brixia dicitur fuisse defunctũ. Cui eiusdem ciuitatis Episcopus accepto precio, locum in Ecclesia præbuit, in quo sepiliri debuisset. Qui videlicet Valerianus vsque ad ætatem decrepitam leuis ac lubricus extitit, modúmque suis prauitatibus ponere contempsit. Eadem verò nocte qua sepultus est, beatus Faustinus martyr, in cuius Ecclesia corpus illius fuerat humatum, custodi suo apparuit, dicens: Vade & dic Episcopo vt proiiciant hinc fœtentes carnes quas hîc posuit: quod si non fecerit, die trigesimo ipse morietur. Quam visionem custos Episcopo timuit confiteri, & rursus admonitus declinauit. Die autem trigesimo eiusdem ciuitatis Episcopus cùm vespertina hora sanus atque incolumis ad lectum redisset, subita & inopinata morte defunctus est.

De Valeriano patricio.

De corpore Valentini ab Ecclesia post mortem proiecto.

Caput LIII.

ADest quoque in præsenti venerabilis frater Venantius, Lunensis Episcopus, & magnificus Liberius vir nobilissimus atque veracissimus, qui se scire, suósque homines interfuisse testantur eam rem, quam narrant nuper in Genuensi vrbe contigisse. Ibi nanque, vt dicunt, Valentinus nomine, Ecclesiæ Mediolanensis defensor, defunctus est, vir valde lubricus & cunctis leuitatibus occupatus, cuius corpus in Ecclesia beati martyris Syri sepultum est. Nocte autem media in eadem Ecclesia factæ sunt voces ac si quis violenter ex ea expelleretur, atque traheretur foras. Ad quas nimirum voces cucurrerunt custodes, & viderunt duos quosdam teterrimos spiritus, qui eiusdem Valentini pedes quadam ligatura strinxerant, & eum ab Ecclesia clamantem ac nimium vociferantem foras trahebant, qui videlicet exterriti ad sua strata reuersi sunt. Mane autem facto aperientes sepulchrum in quo idem Valentinus positus fuerat, eius corpus non inuenerunt. Cúmque extra Ecclesiam quærerent vbi proiectum esset, inuenerunt hoc in sepulchro alio positum, ligatis adhuc pedibus, sicut

Corpus Valentini extra Ecclesiam à diabolis extractum

bus, sicut ab Ecclesia fuerat abstractum. Ex qua re Petre colligè quia his quos peccata grauia deprimunt, si in sacro loco sepeliri se faciant, restat vt etiam de sua præsumptione iudicẽtur: quatenus eos sacra loca non liberent, sed etiam culpa temeritatis accuset.

De Tinctoris corpore in Ecclesia sepulto, pòst non inuento.

Caput LIIII.

NAm quid quoque in hac vrbe contigerit, tinctorum qui hîc habitant, multitudo testatur, quòd quidam artis eorum primus cùm defunctus fuisset, in Ecclesia beati Ianuarij martyris iuxta portam sancti Laurentij à coniuge sua sepultus, est. Sequenti autem nocte ex eadem sepultura audiẽte custode eius spiritus cœpit clamare: Ardeo, ardeo. Cùm verò diu has duas voces emisisset, custos hoc eius nunciauit vxori. Vxor verò illius eos qui diligenter inspicerent artis eiusdem viros transmisit ad Ecclesiam, volens cognoscere qualiter eius corpus esset in sepulchro de quo talia clamaret. Qui aperiẽtes sepulchrum vestimenta quidem intacta repererunt, quæ nunc vsque in eadem Ecclesia pro eiusdem causæ testimonio seruãtur, corpus verò illius omnino nõ inuenerunt, ac si in sepulchro eodem positum non fuisset. Qua ex re colligendum est qua vltione anima eius damnata sit, cuius & caro est ab Ecclesia proiecta. Quid igitur sacra loca sepultis prosunt, quãdo hi qui indigni sunt, ab eiusdem sacris locis diuinitus proiiciũtur?

Tinctoris corpus in sepulchro combustum.

Petrus:

QVidnam ergo esse poterit quod mortuorum valeat animabus prodesse?

Quid sit quod post mortẽ valeat ad absolutionem animas adiuuare: & de Centumcellensi presbytero, qui à cuiusdam spiritu petitus est, vt per sacram hostiam post mortem potuisset adiuuari: & de anima Iusti monachi.

Caput LV.

Gregorius:

SI culpæ post mortem insolubiles non sunt, multorum solet animas etiam post mortem sacra oblatio hostiæ saluaris adiuuare: ita vt hanc nonnunquam ipsæ defunctorum animæ expetere videantur. Nam prædictus Felix episcopus à quodam vitæ venerabilis presbytero, qui vsque ante biennium vixit, & in diœcesi Centumcellensis vrbis habitabat, atque Ecclesiæ beati Ioannis, quæ in loco, qui dicitur Tauriana sita est, præerat, cognouisse se asserit, quòd idem presbyter in eodem loco in quo aquæ calidæ vapores nimios faciunt, quoties corporis necessitas exigebat, lauari cõsueuerat. Vbi dum die quadam fuisset ingressus, inuenit quendam incognitum virum ad suum obsequium præparatum, qui sibi de pedibus calceamenta abstraheret, vestimenta susciperet, & exeunti de caloribus sabana præberet, atque omne ministerium cum magno famulatu peragereret. Cúmque hoc sæpius fieret, idem presbyter die quadam ad balnea iturus intra semetipsum cogitans, dixit: Viro illi qui mihi solet tam deuotissimè ad lauandum obsequi, ingratus apparere non debeo: sed aliquid me necesse est ei pro munere portare. Tunc duas secum oblationum coronas detulit. Qui mox vt peruenit ad locum, hominẽ inuenit, atque ex more eius obsequio in omnibus vsus est. Lauit itaque, & cùm iam vestitus voluisset egredi, hoc quod secum detulerat, obsequenti sibi viro pro benedictione obtulit, petens vt benignè susciperet quod ei gratia charitatis offerret. Cui ille mœrens afflictúsque respondit: Mihi ista quare das pater? Iste panis sanctus est, ego hunc manducare non possum. Ego etenim quem vides, huius loci dominus aliquãdo fui, sed pro culpis meis hîc post mortem deputatus sum. Si autem mihi præstare vis, omnipotenti Deo pro me offer hunc panem, vt pro peccatis meis interuenias. Et tunc exauditum te esse cognosce, cùm huc ad lauandum veneris, & me minimè repereris. In quibus verbis disparuit, & is qui homo esse videbatur, cuanescendo innotuit, quia spiritus fuit. Idem verò presbyter hebdomada continua se pro eo in lachrymis afflixit, salutarem hostiam quotidie obtulit, & reuersus pòst ad balneum eum iam minimè inuenit. Qua ex re quantum prosit animabus immolatio sacræ oblationis ostenditur, quãdo hanc & ipsi mortuorum spiritus à viuentibus petunt, & signa indicant quibus per eam absoluti videantur.

Mortuus balneanti famulabatur.

Oblatio hostiarũ mortuis est vtilis.

NEque hoc silendum puto quod actum in meo monasterio ante hoc triennium reminiscor. Quidam nãque monachus Iustus nomine, medicinali arte fuerat imbutus, qui mihi in eodem monasterio constituto sedulò obsequi, atque in assiduis ægritudinibus meis excubare consueuerat. Hic itaque languore corporis præuentus ad extremum deductus est. Cui in ipsa sua molestia frater germanus nomine Copiosus seruiebat, qui ipse quoque nunc in hac vrbe per eandem medicinæ artem temporalis vitæ stipendia sectatur. Sed prædictus Iustus cùm iam se ad extremum peruenisse cognouisset, eidem Copioso fratri suo, quia occultatos tres aureos haberet, innotuit. Quod nimirum fratribus non potuit cælari, sed subtiliter indagantes, atque illius omnia medicamenta perscrutantes, eosdem tres aureos inuenerunt absconsos in medicamine. Quod mox vt mihi nuntiatum est tantum malum de fratre, qui nobiscum communiter vixerat, æquanimiter ferre non valui: quippe quia eiusdem mei monasterij semper regula fuerat, vt cuncti fratres ita communiter viuerent, quatenus eis singulis nulla habere propria liceret. Tunc nimio mœrore percussus cogitare cœpi, vel quid ad purgationem morientis facerem, vel quid ad exemplum viuentibus fratribus prouiderem. Precioso igitur eiusdem monasterij præposito ad me accersito dixi: Vide vt nullus ex fratribus se ad eum morientem iungat, nec sermonem consolationis ex cuiuslibet eorum ore percipiat, sed cùm in morte constitutus fratres exquisierit, ei suus carnalis frater dicat, quia propter aureos quos occultatos habuit, à cunctis fratribus abominatus sit: vt saltem in morte de culpa sua mentem ipsius amaritudo transuerberet, atque à peccato quod perpetrauit, purget. Cum verò mortuus fuerit, corpus illius cum fratrum corporibus non ponatur, sed quolibet in sterquilinio fossam facite, & in ea corpus eius proiicite, ibique super eum tres aureos quos reliquit, iactate, omnes simul clamantes: Pecuna tua tecum sit in perditione, & sic eum terra operite. In quibus vtrisque rebus, vnam morienti, alteram verò volui prodesse fratribus viuentibus: vt & illum amaritudo mortis à culpa solubilem faceret, & istos auaritiæ tanta damnatio terreret, atque à culpa prohiberet: quod ita factum est. Nam cùm idem monachus peruenisset ad mortem, atque anxiè se quæreret commendari fratribus, & nullus è fratribus ei applicari, & loqui dignaretur, ei carnalis frater eur ab omnibus fratribus esset abominatus, indicauit. Qui protinus de reatu suo vehementer ingemuit, atque ipsa sua tristitia è corpore exiuit, qui ita est sepultus, vt dixeram. Sed fratres omnes ex eadem eius sententia conturbati, cœperunt singuli extema quæque & vilia, & quæ eis habere regulariter semper licuerat, ad medium proferre, vehementérque formidare, ne quid apud eos esset vnde reprehendi potuissent. Cùm verò post mortem eius triginta iam essent dies deuoluti, cœpit animus meus defuncto fratri compati, eiúsque cum dolore graui supplicia pẽsare, & si quod esset eruptionis eius remediũ quærere. Tũc euocato ad me eodẽ Precioso monasterij mei præposito tristis dixi: Diu est quòd frater ille qui defunctus est, in igne cruciatur: debemus ei aliquid charitatis impendere, & eum inquantum possumus vt eripiatur adiuuare. Vade itaque, ab hodierna die diebus triginta cõtinuis offerre pro eo sacrificium stude, vt nullus omnino prætermittatur dies, quo pro absolutione illius hostia salutaris nõ offerratur. Qui protinus abscessit, & dictis paruit. Nobis autem alia curantibus atque dies euolutos non numerantibus, idem frater qui defũctus fuerat, nocte quadam fratri suo germano Copioso per visionem apparuit. Quem ille cùm vidisset, inquisiuit dicens: Quid est frater, quomodo es? Cui respondit: Nunc vsque malè sui, sed iam modò bene sum: quia hodie communionem recepi. Quod idem Copiosus pergens protinus indicauit fratribus in monasterio. Fratres verò sollicitè computauerunt dies, & ipse dies extiterat quo pro eo tricesima oblatio fuerat impleta. Cúmque & Copiosus nesciret quid pro eo fratres agerent, & fratres ignorassent quid de illo Copiosus vidisset, vno eodémque tempore dum cognoscit ille quid isti egerant, atque isti cognoscunt quid ille viderat, concordante simul visione & sacrificio, res apertè claruit: quia frater qui defunctus fuerat, per salutarem hostiam euasit supplicium.

Attendite prouidum Gregorij factum.

Per oblationem hostiæ Iustus à pœnis liberatus est.

Petrus:

MIra sunt valde quæ dicis, & non mediocriter læta.

De vita & transitu Caßij Episcopi.
Caput LVI.

Gregorius.

Caßij episcopi visio.

NE nobis in dubium veniant verba mortuorum, confirmant hæc facta viuentium. Nam vir vitæ venerabilis Caßius Narniensis Episcopus, qui quotidianum offerre consueuerat Deo sacrificium, séque in lachrymis inter ipsa sacrificiorum arcana mactabat, mandatum Domini per cuiusdam sui visionem presbyteri suscepit, dicens: Age quod agis, operare quod operaris; non cesset pes tuus, non cesset manus tua, natali Apostolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam. Qui post annos septem ipso natalitio Apostolorum die cùm Missarum solennia peregisset, & mysteria sacræ communionis accepisset, è corpore exiuit.

De quedam ab hostibus capto, cuius vincula oblationis hora soluebantur. Et de Baraca nauta per salutarem hostiam à naufragio liberato. *Caput LVII.*

Captiuus liberatus.

HOc quoque quod audiuimus, quendam apud hostes in captiuitate positum, & in vinculis religatum fuisse, pro quo sua coniunx diebus certis sacrificium offerre consueuerat, qui longo pòst tempore ad coniugem reuersus, quibus diebus eius vincula soluerentur, innotuit: eiusque coniunx illos fuisse dies in quibus pro eo sacrificium offerebat, recognouit.

Agathus Episcopus.

EX alia etiam re quæ nobis ante annos septem gesta est, certissimè confirmatur. Agathus enim Panormitanus Episcopus, sicut fideles mihi ac religiosi viri multi testati sunt atque testantur, cùm beatæ memoriæ antecessoris mei tempore iussus esset vt Romam veniret, vim nimiæ tempestatis pertulit, ita vt se ex tanto vndarum periculo euadere posse diffideret. Nauta verò illius Baraca nomine, qui nunc eiusdem Ecclesiæ clericatus officio fungitur, post nauem carabum regebat, ruptóque fune cum eodem carabo quem regebat, inter vndarum cumulos repentè disparuit. Nauis autem cui Episcopus præerat, tandem post multa pericula ad Vsticam insulam fluctibus quassata peruenit. Cúmque die tertio Episcopus nautam qui ab eo abreptus in carabo fuerat, in nulla maris parte videret apparere, vehementer afflictus mortuum credidit, sed per obsequium charitatis viuo vnum quod mortuo debebat, impendit: & omnipotenti Deo pro absolutione eius animæ offerre sacrificium victimæ salutaris iubet. Quo oblato restaurata naue perrexit ad Italiam. Cúmque ad Romanum portum venisset, illic nautam reperit quem mortuum putabat. Tunc inopinata exultatione gauisus est, & eum qualiter tot diebus in illo tanto maris periculo viuere potuisset, inquisiuit. Qui videlicet indicauit quoties in illius tempestatis fluctibus cum eodem quem regebat, fuisset carabo versatus, qualiter cum illo vndis pleno natauerat, & quoties eo à superiori parte deorsum verso ipse carinæ eius supersederat, adiungens cùm diebus ac noctibus hoc incessanter faceret, iámque eius virtus funditus ex fame simul & labore cecidisset, quo eum ordine diuina misericordia seruauerit, indicauit. Etenim quod etiam nunc vsque testatur dicens: Laborans in fluctibus atque deficiens, subitò mentis pondere sum grauatus, ita vt neque vigilare me crederem, neque depressus somno essem: & ecce in eodem medio mari me posito quidam apparuit qui mihi panem ad refectionem detulit. Quem mox vt comedi, vires recepi, nec longè pòst nauis transiens affuit, quæ me ab illo vndarum periculo suscepit, atque ad terram deduxit. Quod scilicet Episcopus audiens requisiuit diem, atque illum fuisse diem reperit, quo pro eo presbyter in Vstica insula Deo omnipotenti ostiam sacræ oblationis immolauit.

Petrus

EA quæ narras, ipse quoque in Sicilia positus agnoui.

Gregorius.

IDcirco credo quia hoc tam apertè cum viuentibus ac nescientibus agitur, vt cunctis hæc agentibus ac nescientibus ostendatur: quia si insolubiles culpæ non fuerint, ad absolutionem prodesse etiam mortuis victima sacræ oblationis possit. Sed sciẽdum est quia illis sacræ victimæ mortuis prosunt, qui hîc viuendo obtinuerunt, vt eos etiam post mortem bona adiuuent quæ hîc pro ipsis ab aliis fiunt.

De virtute ac mysterio victimæ salutaris.
Caput LVIII.

INter hæc autem pensandum est quòd tutior sit via vt bonum quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat ipse dum viuit per se. Beatius quippe est liberum exire, quàm post vincula libertatem quærere. Debemus itaq; præsens seculum vel quia iam conspicimus defluxisse, tota mente contemnere, quotidiana Deo lachrymarum sacrificia, quotidianas carnis eius & sanguinis ostias immolare. Hæc nanque singulariter victima ab æterno interitu animam saluat, quæ illam nobis mortem vnigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens à mortuis iam non moritur, & mors ei vltrà non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter viuens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur, eius sanguis non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem vnigeniti filij semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium posit in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus iungi, vnum quoque ex visibilibus atque inuisibilibus fieri.

Rom. 6.

De immolatione Christi.

De affligendo corde inter sacra mysteria, & de mentis custodia post compunctionem.
Caput LIX.

Sacerdos inter celebrandum quid agere debeat.

SEd necesse est vt cùm hæc agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus: quia qui passionis dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc ergo verè pro nobis ostia erit Deo, cùm nosipsos ostiam fecerimus. Sed studendum nobis est vt etiam post orationis tempora, inquantum Deo largiente possumus, in ipso animum suo pondere & vigore seruemus, ne pòst cogitatio fluxa dissoluat, ne vana menti lætitia surrepat, & lucrum compunctionis anima per incuriam fluxæ cogitationis perdat. Sic quippe quod poposcerat, Anna obtinere meruit: quia se post lachrymas in eodem mentis vigore seruauit. De qua nimirum scriptum est: Vultúsque eius non sunt amplius in diuersa mutati. Quæ igitur non est oblita quod petiit, non est priuata munere quod poposcit.

De relaxandis culpis alienis, vt nostræ relaxentur.
Caput LX.

SEd inter hæc sciendum est: quia ille rectè sui delicti veniam postulat, qui prius hoc quod in ipso delinquitur, relaxat. Munus enim non accipitur, nisi antè discordia ab animo repellatur, dicente veritate: Si offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Qua in re pensandum est cùm omnis culpa munere soluatur, quàm grauis est culpa discordiæ, pro qua nec munus accipitur. Debemus itaque ad proximum, quanuis longè positum, longéque disiunctum mente ire: eíque animum subdere, humilitate illum ac beneuolentia placare: vt scilicet conditor noster, dum tale placitum nostræ mentis aspexerit, à peccato nos soluat, qui munus pro culpa sumit. Veritatis autem voce attestante didicimus: quia seruus qui decem milia talenta debebat, cùm pœnitentiam ageret, absolutionem debiti à domino accepit. Sed quia conseruo suo centum sibi denarios debenti, debitum non dimisit: & hoc est iussus exigi quod ei fuerat iam dimissum. Ex quibus videlicet dictis constat: quia si hoc quod in nos delinquitur, ex corde nõ dimittimus, & illud rursus exigitur quod nobis iam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus. Igitur dum per indulti temporis spatium, licet dum iudex sustinet, dum conuersionem nostram is qui culpas examinat, expectat: conflemus in lachrymis duritiam mentis, formemus in proximis gratiam benignitatis. Et audenter dico: quia salutari hostia post mortem non indigebimus, si ante mortem Deo ipsi ostia fuerimus.

Matth. 5.

Matth. 18

Beati Gregorij operum primi Tomi finis.